13-12-917

ANDREÆ TIRAQVELLI REGII IN CVRIA PARISIENSI SENATORIS

SEMESTRIA

IN GENIALIVM DIERVM

Alexandri ab Alexandrò Iuriſperiti Neapolitani,

LIBRO VI.

Cum Indice Capitum, Rerúmque & Verborum locupletiſsimo.

LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LI.

NOBILISSIMO, CLARISSIMOQVE PHILIPPO HVRALTO CHEVERNIO, FRANCIÆ CANCELLARIO, TORQVATÆ VTRIVSQVE REGIS militiæ Nomophylaci, Provinciarum, Aurelianen. Carnuit. Blesen. Ambaciac. Iuliodun. Rectori.

GVLIELMVS ROVILLIVS SALVTEM.

MAGNO *omnium seculorum consensu, Vir amplissime, apud veteres receptum accepimus, vt quibus singulare quoddam studium sapientiæ nomen dedit, quique illorum proximè sunt ingressi vestigiis Poëtæ & Oratores, aliique qui illustriore ingenij aut doctrinæ laude aliqua clauerunt, ij si quid aut ipso perfectum ingenio, aut industria elaboratum, quódque dignum posteritatis memoria videretur elucubrassent, id non vt aliter venire in publicum sinerent quàm si potentioris alicuius aut Principis, aut eruditione ciuilique prudentia insignis viri nomine muniissent. Quorum enim vel familiæ splendore, vel imperij iure, vel virtute & dignitate primæ forent in republica partes, eorum & auctoritate defendi, & fauore gratiora esse in vulgus sua scripta posse, verè & sapienter prouidebant. Siquidem ita à natura est comparatum, multò vt se ad ea libentiùs applicent homines, impitúque adeò sæpius quàm consilio amplectantur, quæ à summis & laudatis viris, quorumque iam magnis exemplis publicè testata est virtus, probata & accepta fuisse intelligant, quàmque hoc patrocinio destituta nudum auctorum suorum nomen, hócque quasi præiudicio oneratum, æmulorum calumniis aut imperitorum contemptui expositum ferant. Hoc verò Andriam Tiraquellum, qua fuit omnis vir moris, callentissimus prudentia, etiam hîc facturum fuisse, hæcque in Alexandri ab Alexandro Geniales dies Semestria sua, quàm multa illa & iucunda, Dij boni, quàm varia & multiplicis lectionis! non sine auctoramento, dignoque aliquo huius laudis paratio publicaturum, si vita ipsi supperiisset, nec dubium est. Sed fecit illi vel iusta ætate, mors properata iniuriam, quæ pulcherrimum laudis cursum tenentem virum ad studia natum esse inter homines ampliùs non est passa: magnaque forensis disciplinæ iactura eum nobis ademit Iurisconsultum, qui si diutius vixisset, quam cum paucis ordinis sui communem quæsierat, singularem scriptis suis sibi gloriam reliquisset. Illa itaque cùm penes me manum & fidem expectarent meam, tiámque in eo forent vt tandem excusa mox ederentur, quod iam olim consensu veterum comprobatum ius faceret, omniúmque & superiorum & nostræ ætatis exempla cognitans, officij esse mei quoque existimaui, si & ipse parente orbatis eiusmodi quid prouiderem, quo vti ea melius esset qualiacunque, quàm carere: & caput non liberum modò, sed ingenuum, quod per ætatem temporúmque & iudiciorum iniquitatem seipsum defendere satis nequiret, meo iudicio in eius viri tutelam traderem, qui & lubenter patrocinium pietatis admitteret, neque pupilli iniuriam sustineret. Quæ me variè cogitatio dum exercet, cuique tutò satis & pro dignitate, grauius nescio fidei meæ, an parentis sui charius pignus credere & committere possem, diu multúmque cum animo ipse meo reputarem, in omnes me versanti partes, nemo hodie occurrit quisquam, qui vel incredibili in summo gradu humanitate benigniùs vellet, vel pari auctoritati coniuncta doctrina & æquitate meliùs posset, quàm tu, Vir præstantissime, optimi domini viuis fuit, clarissimique Iurisconsulti, in hoc eius superstite fœtu necessariam defensionem suscipere. Nec enim poterit, si te auspice tanto & assertore ex illius viri Musæo profectus intelligatur, non stare, omnibúsque post te probari, à quo quemquam, qui modò os habeat, pudeat dissentire. Qui quam tibi in Gallorum Republica meritis & virtute gloriam quantam nemo ante hac peperisti, nil pensi ha-*

bes, ni melioribus illam in dies artibus, praeclarisque prudentiae ciuilis exemplis bono publico propagatam, ad posteritatem transmittas: nobilissimámque & semper laudatam HVRALT. *familiam maiorũ insistens vestigijs, magis magísque immortalitati commendes. Ergo & quo omnes, nec eos modò qui in literis librisque nomine aliquo viuunt, sed & qui literas magno librósque operè procudunt, sereno placidóque vultu spectare soles, eodem te, Vir humanissime, (hanc tu enim iacentem antehac, vt videbatur, & in medio positam virtutis commendationem, nobilitatis quasi propriam effecisti) in necessarium classicúmque auctorem viri hocce doctissimi interpretationis lumen de tuo aliquid fœnerari, tuóque in nomine passurum aequo animo apparere, ne dubitarem, effecerunt in excelso positae illae tuae praeclarae ingenij & animi dotes, quae te ignorari non sinunt. Quò iam maiore cum confidentia, quod tibi iure quodam tuo vel me tacente debebatur, hoc & defuncti priuato & publico literarum nomine, nostrámque simul quaecunque hîc fuit aut erit operam studiúmque dono, do, dico, consecróque. Vale. Lugduno, octauo Idus Maij.*

LECTO

LECTORI.

EQVIDEM iam nunc quaſi fore præuideo, Lector beneuole, vt in multorum reprehenſionem incurram, qui quas iam olim editas oportuit ſtudij haſce, laboris, & operæ plenas Andreæ Tiraquelli viri clariſs. Regiique in ſummo Pariſienſi foro Conſiliarij prudentiſſimi, in Alexandri ab Alexandro Genialium dierum libros Annotationes, quæ ipſe Semeſtria appellari voluit, tamdiu publicare diſtulerim: cùm non anni illam, aut biennij, ſed longiſſimi ipſorum iudicio hanc temporis moram nonniſi magno harum literarum ſtudioſis ſtare potuiſſe certiſſimum ſit. Quod vt aliqua ratione dictum & ipſe fateat, qui præclaris dum viueret legalis doctrinæ & ingenij monumentum, nec paucis illis nec in poſtremis, rem literariam publicam magno omnium bonorum conſenſu iuuerit, eius extare quicquam iam obiti, quod quibus cætera eiuſdem auctoris non quamprimùm communicaretur, ſine malo publico nequaquam potuiſſe: quin & ipſum cum defuncti iniuria videri quodammodo poſſe coniunctum: ſic dolo quicquam in eo, aut culpa factum mea, non adeò cuiquam concesſerim, vt ſiquam ex cæterorum eius operum melioris notæ editione glorioſæ (quam non ſectamur) veniſſe in poſſeſſionem intelligentibus viſi antehac ſumus, ex hoc eiuſdem quaſi poſthumo fœtu, per nos propè abeſt, ab interitu vindicato, ſolidam veræ laudis cernere poſſe hæreditatem videamur. Poſſem, ea quidem ſi eſſet mens, bella noſtra pluſquam ciuilia peccatis noſtris nullo vſque fine ſubnaſcentia, poſſem reciduas publicæ luis calamitates, quibúſque ſtudiorum bonarúmque artium interpici omnes rationes ſolent, id genus alias ex aliis peſtes hic imputare: ſed ambitioſo in communibus præſertim malis eſſe non libet. Quod meminiſſe potiùs iuuat, fuiſſe mihi eum clariſs. optimóque viro quandiu in humanis egit, amicitiæ nec vulgarem neceſſitudinem, non tamptæ me fero, quàm mihi reíque cuius bono id fuit publicæ gratulor. Is cùm in clariſſima hominum luce, maximíſque rerum momentis & actionibus viueret, quicquid à fori ſtrepitu & iudiciorum contentionibus otij ſupererat, iis lubenter ſtudiis impetriebat, quibus à prima adoleſcentia liberaliter erat innutritus: nec diem ſibi modò, ſed & horam perire omnem exiſtimabat, quæ à literis procul aut ſtudiis ageretur. Atque ex hoc eius laudatiſſimo vitæ inſtituto, dignáque nobili homine opera, cùm cætera pridem in vulgus nota Muſis fauentibus prodierunt, tum hæc quæ damus aſſiduæ multiplicíſque lectionis in Alexandrum ab Alexandro tegeſta nunc prodeunt. Hunc enim ſibi illum ſeu conſilio ſeu voluntate auctorem delegiſſe accipio, in quo obſeruando otij ſibi, vt & negotij in feriis, conſtare debere rationem putaret. Egregium oppidò facinus ſuo vnius annorum multorum, omnis ætatis leuare laborem. At verò quod multo longóque vſu expertus in aliis ſum, idem illi quod ſummis ferè quibuſque viris ſolitum, eueniſſe hîc etiam deprehendi; vt dum ſibi indulgens animus ſuauiſſima rerum contemplatione paſcitur, in eáque præſertim conquieſcit, manus in deſcribendo tardior, negligentiórq;, ne ineruditam dicam, perpetuo fuerit. Quod nos malum in quot quantáſque difficultates coniecerit, atque hæ difficultates quantis ſumptibus mihi emptæ fuerint, niſi vererer vt hæc commemoratio exprobrationi propior videretur, non tam fortè diſertè hîc equidem, quàm verè demonſtrare poſſem. Sed nihil quicquam oleſtum, damnoſum nihil ei poteſt videri, qui nullam rem vnquam ſuam, diuitias eſſe alias nullas duxerit, quàm quæ cum Reipublicæ vtilitate coniunctæ ſint. Hoc vnum doleo, & his impedimentis, & quorum nobis hîc opera omnino neceſ-

ſaria erat, ſed quorum impendio rarior ſemper prouentus doctorum virorum qui hoc præſtare ſatis aut poſſent aut vellent, inopia factum, vt noſtrum in his retineri impetum diutius quàm cupiiſſemus ſenſerimus. Id tamen Deo fauente & adiuuante, omnem aſſiduè mouendo lapidem, vix id quidem, ſed tandem tamen conſecuti ſumus, vt quæ alioquin peritura videbantur, εἰς τὸ κάλλος deſcripta hæc viri clariſſimi aduerſaria, repetito ex interuallo prælo ſubiecta fuerint, finem que nos ſimul huius laboris optatum aliquando inuenimus. Quo in opere adornando quamlibet magnam fidem & diligentiam adhibuerimus, non dubitamus tamen multa vt hominibus contigiſſe, & in venuſto alioquin corpore næuum etiamnum aliquem tollendum ſupereſſe. Nam quis tot fugientis ſcripturæ vitia, tot litararum capita, inoffenſo pede ita ſe præteruectum ſperet, vt non ὅπλον aliquid vel omnes ſolertiæ & ingenij machinas adhibentem fugerit? Sed febri per nos curata, recidiuæ medicinam facere non erit, opinor, difficile. De Alexandro verò ipſo nihil dicimus, non magis quia id onus noſtrum non eſt, quàm quia in his præſertim ſtudiis ſuum cuique liberum debere eſſe iudicium exiſtimamus. Alia alios delectant. Huius certè lectionem & iucundiſſimam voluptatem & certiſſimam vtilitatem ſecum coniunctam habere nemo vnquam dubitauit: multóque minùs poſthac adiecto hoc interpretationis lumine dubitabitur. Nos ſi tibi ſtudium in his noſtrum probari ſenſerimus, operam noſtram bene collatam & præclarè exiſtimabimus: neque nos vnquam viri optimi doctiſſimíque Manes vindicaſſe pœnitebit: aliáque nec pauca, quæ noſtræ fidei commiſſa penes nos ſunt clarorum virorum ingenij monumenta, quæ aut nulla fuiſſe vnquam, aut omnino periiſſe creduntur, procurare qua cœpimus diligentia in dies pergemus: ſubindéque ea in lucem emittemus quæ Deo gloriæ, ſuis auctoribus laudi, tibi vſui, nobis bene nauatæ Reipubl. operæ teſtimonio honeſtóque nomini eſſe poſſit. Vale.

QVE DE AVTORIS VITA EX HISCE Commentarij colligere licuit.

DE ALEXANDRO hoc, nihil à recentioribus ἀκριβῶς ſcriptum comperitur: cùm tamen eorum tempore vixerit, quorum vitæ à diuerſis conſcriptæ ſunt, nimirum Fran. Philelphi, Geor. Trapezuntij, Iohan. Platinæ, Iouiani Pontani, Theodori Gazæ, Nico. Perotti, Do. Calderini, Hermolai Barbari, Pauli Corteſij, Raphaelis Volaterrani, quos partim Romæ prælegentes audiuit, partim officio ſibi deuinxit, partim etiam quæſtionibus propoſitis (vt fieri ſolet inter doctos) exercuit. Philelphum iuuenis ſenem obſeruauit, illumque Romæ M. T. Ciceronis Tuſculanas quæſtiones ſummo artificio prælegentem audiuit. Nicolaum Perottum & Do. Calderinum ſcribit ſua ætate Martialis apophoreta magna æmolatione Romæ in ſcholis eodem tempore prælegiſſe. Profeſſione fuit iuriſconſultus, in qua eò vſque progreſſus eſt, vt & in agro Neapolitano, & Romæ cauſas ſæpe defenderit: vbi & ædes oſtentis vmbrarumque illuſionibus infames ſe aliquando incoluiſſe ſcribit, ac in agro Vaticano prædiolum habuiſſe. Tandem vbi in iudiciis gratia & corruptionibus omnia tranſigi videret, patroniſque contra vim potentiorum nihil amplius præſidij eſſe: relicto foro, & cauſarum actionibus, in mitioribus ſtudiis ætatem conſumpſit: ſatius eſſe ducens, vt ipſe de ſe inquit, modico ciuilique cultu contentum viuere, quàm bona animi turpi quæſtu peſſimo exemplo fœdare.

AD ILLV

AD ILLVSTREM ANDREAM AQVAEVIAM, DVCEM ADRIAE.

VIRVM ELOQVENT. ALEXANDRI ab Alexandro, Iurisperiti Neapolitani, in suos Geniales dies,

PRÆFATIO.

GENIALES *meos, & à seueris studiis lucubratiunculas, succisiuis temporibus excogitatas, an dicarem tibi, Dux inclyte, diu ancipiti cogitatione & dubitâ mente in vtramque partem distractus sum. Cum enim ætate nostra te ingenio & facundia propè singulari videamus, quid dignum eruditione tua, aut satis exploratum probatumque homo ego tumultuaris, in litibus & foro versatus, apud te afferre possem, hæsitabam. Nunquid ex agro ieiuno & exili, poma Alcinoo (vt aiunt) aut Floræ serta dare tentarem, vt quod Phormioni Hannibal, id tu mihi aliquando obiectares? Rursus commmentatiunculas meas qualescunque forent, cuius patrocinio tutò committerem potius quàm tuo, habebam neminem. Solus tu mihi occurrebas, cuius ingenij præstantem vim, & dicendi facundiam noscitabamus: cuiusque, præter familiæ genus inclytum, præterque auitam gloriam, fortunæque & animi dotes, etiam acre iudicium examussim de studiis bonarum artium, & omni antiquitate, sæpenumero factum audieramus. Accipias ergo opusculum & iocos meos, quibus quando à foro & negotiis otium & quies erat, quandoque ab incursu calamitatum, & sæuientis fortunæ procellis respirare potuimus, cum amicis interdum ludere solebamus: quibusque mores & exempla omnis vetustatis, veterumque illa institutio auorum, tam circa honores & magistratus, senatusque consulta, remque bellicam & militarem, quàm circa sacra, cæremonias, cultusque deorum: quantumque à nostra religione, qua rectè inbuti sumus, quæque nobis sanctissima & prouidentissima constituta est, illa discrepent, liquidò tibi innotescere possit: opus sanè operosum: non quò iudicium censuramque tuam, quæ pensiculata nimis & acris est, quam nos subire formidamus, experiar: sed quò patrocinium mihi aduersus cauillantes, si qui fortasse sunt, paratum inueniam. Siquidem hæc aliquibus non probari, & fortasse non nimis docta exculta visum iri, haud dubito. Id tamen qualecunque sit, tu boni æquique consules. Nam & si tuo graui & firmo iudicio dignum opus non sit, rudibus saltam ad capiendum maioris operis incrementum, & quandam vetustatis maginem, vitandumque inquirendi laborem, cùm omnia ex pluribus studiis collecta, complecti memoria non sit, fortasse proderit. Legentes tantùm quæso meminerint, homini in foro versato, & tumultuariis iudiciis ferè pessundato, qui nec curis, nec negotio vacat, animo etiam tam voriis actionibus occupato & impedito, quæ maximè à quiete doct-inarum auocant: vt quid dignum auribus, diligenterque exploratum, aut satis grauiter pensitatum, in medium adferre possit, non facilè dari. Adde quòd antiquitatis omnis ratio cognitioque, & si quod est vetustatis exemplar apud authores multiuagos, Græcos & Latinos, quos vndique conquisitos quoad facere potui, euoluimus, sparsim & intercisè detrusa, nec in promptu exposita sunt. Adde causarum & negotiorum priuatarum publicarumque rerum solicitam curam, quæ sapientis quoque animum in diuersum trahit. Sed qualecunque hoc munusculum futurum sit, id à te peto, vt meum erga te syncerum animum, fidemque, & sedulum in omni fortuna obsequium, saltem testari videatur: quod ita acceptum iri à te, etiam atque etiam postulo. Vale.*

I N D E X

CAPITVM LIBRI PRIMI GENIALIVM DIERVM:

Vbi prior numerus caput, potesterior verò paginam designat.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

Qui

LIBRI QVINTI.

SEXTI LIBRI.

In quot

Index Capitum.

FINIS INDICIS CAPITVM.

IN REDVCTIONEM LOCORVM ALEXANDRI AB ALEXANDRO AD ſuos fontes per D Andr. Tiraquellum, Octoſtichon,

I. F. P.

Dædalon vt fecit Labyrinthi fama celebrem,
Cuius ab anfractu nemo redire quijt,
Donec cæca regens filo veſtigia Theſeus
Inde Ariadnæa ſaluus abiuit ope:
Sic & Alexandri monumentum hoc Dædalea arte
Conflatum vnde fiet, dicere nemo quijt,
Donec ope adiutus Tiraquellus vbique Mineruæ
Teſſellas arti quaſque ſua retulit.

ALEXANDRI AB ALEXANDRO, IVRISPERITI NEAPOLITANI, GENIALIVM DIERVM LIBER PRIMVS.

Cum Annotationibus Andr. Tiraquelli.

Locus ex Tranquillo de testamento Cæsaris, in natali Iouiani Pontani inuicem discussus.

CAPVT I.

ACCERSEBAT plerunque nos in hortos amœnissimos, vbi ædiculas habebat Iouianus Pontanus in nostra Parthenope, vir memoria quidem nostra omnibus bonis artibus, atque omni doctrina præditus: cui præter ingenij mansuetudinem, quæ plurima in homine fuit, munditia verborum, & compositus ille sermo, ad omnem ingenuitatem plurimum accessionis faciebant. Illóque conueniebamus complusculi, quibus bonarum artium studia, eædémque disciplinæ, atque non absimilis discendi facultas erat. Detinebat demulcebatque nos vir ille fandi dulcissimus, egregia quadam & illustri oratione, sermonéque perquam lepido & venusto, totos plerunque dies: tanta in eo comitas, tantúsque lepos erat. Fortè autem, cùm natalis sui diem annuum Decembrio mense, vt solebat, cum amicis celebrare vult, euenit vt & nos vnà cum reliquis mihi coniunctissimis, primis ab eo tenebris acciti, apud eum conueniremus. Quò cùm venimus, benignè quidem & comiter accepti, ad focum consedimus, festiuissimisq; colloquiis noctis particulam cum mira suauitate traduximus: cùm interim Iouianum florẽti quadam facundia, & sermone quàm castissimo de literarum disciplinis differentem, animo serio & aure attenta exciperemus: quo sermone desito, cùm iam mensas & cœnam instrui iuberet, cæterísque nimis intempestiuum cœnandi tempus esse videretur: Quin ergo, inquit, optimi iuuenes, dum cœna apparatur, dúmque obsonia esui matura fiunt, aliquid per hoc otiũ legimus? Iussítque mox adferri sibi Suetonij Tranquilli Cæsarum vitas. Aderat inibi adolescens tũc quispiam lætæ indolis, atque à literarum cultu non abhorrentis: huic demandat, vt diui Iulij vitam, donec maturum cœnãdi tempus foret, nec turbidé, nec ambiguè legat. Accepit ille cupidus & libens, atque disertè admodum legere incipit: cùm nos interea ea lectione demulsi, legentis verba, & compositam illã dicendi breuitatem, summa cũ attentione captaremus: cúmque ad calcem lectionis ventum foret, ancipiti sententia, & operta verborũ significatione, de testamento Cæsaris in hæc verba ipsum loquutũ offendimus. Sed nouissimo testamento tres instituit hæredes, sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante, reliquos in ima cera, C. Octauium etiam in familiam noménque adoptauit. plerosque percussorum in tutoribus filij, si quis sibi nasceretur, nominauit, D. Brutum etiam in secundis hæredibus. Populo hortos circa Tyberim publicè & viritim trecentos sestertios legauit. Quibus perlectis, puerum subsistere Iouianus iubet. & ad Dentatum conuersus, iuuenem, qui, vt mihi videbatur, in cognoscendis rebus lectione multa exercitus erat: Quid tu, inquit, Dentate sentis de hoc quadrãte & dodrãte, in quibus hos hæredes scriptos author hîc memorat? Cúmque ille, hæreditatis quotam esse partem assereraret, in qua illos instituros à Cæsare arbitraretur: Proba, inquit Iouianus, hæc & vera sententia est, sed inops admodum & ieiuna: plus ego desidero. Et me intuitus, rogat, nunquid nostro iure ciuili (in quo multum operæ per id temporis impendere videbamur) aliquid de istiusmodi partibus tradatur. Tum ego: Memini, inquam, traditum memoratúmque apud nõnullos veteris disciplinæ authores, præcipuè apud nostros Iurecõsultos fuisse, omnem hæreditatem, quantacunque esset, si morientis supremo iudicio non esset diuisa, tum ab ipso iure in duodecim partes omne illud patrimonium partiri: quas quidem partes omnes in vnum collatas, Assem pleráque antiquitas dixit: singulas verò disiunctim diuisas, Vncias appellauit. Itaque si te hæredẽ in vncia instituero, in duodecim partes diuiso prius toto asse, hoc est, omni patrimonio & fortunis meis, vnica tantùm pars tibi institutionis iure debebitur: cùm verò te hæredem in assem effecero, solidam hæreditatem & integrum patrimonium, nullis diminutis partibus, transferri volo. Hæ autem duodecim vnciæ, quę assis appellatione continentur, propria nomina à veteribus Iure consultis singulæ nactæ sunt: nam præter vnciam & assem ea pars, quæ sextans appellatur, duas totius assis partes, hoc est, duas vncias habet, quadrans verò tres. Cùm ergo hîc in quadrante hæredes in-

Iouianus Pontanus.

Hæreditas omnis in xii. partes diuisa.

As. Sextans. Quadrans.

Triens. Quincunx. Semis. Septunx. Bes. Dodrás.

stitutos L. Pinarium & Q. Pedium videamus, quin ex duodecim vnciis integro Cæsaris patrimonio diuiso, tres tantùm vnciæ, hoc est, quarta totius hæreditatis pars, his duobus debeatur, in dubium non venit. Deinceps est triens, id est, tertia pars totius assis: quatuor enim hæc continet vncias quincunx verò quinque. Semis autem dimidium illius habet, quod asse continetur. quæ quidem pars, sex vncias ex toto asse vendicauit: quippe cùm totus as in duodecim vncias diuidatur, quod dimidium illius est, sex vncias, id est, semissem efficiet. Septunx autem septē consequitur vncias, bes octo, dodrans verò nouem. Cùm igitur in dodrante (vt Tranquillus hic refert) C. Octauium Cæsar testamento hæredem fecerit, ex duodecim vnciis in quas Cæsaris hæreditas diuisa fuit, hic in drodante institutus, nouem consequetur: reliqui verò duo, L. scilicet Pinarius & Q. Pedius, quadrantem, id est, tres vncias ex integro asse, & quartam totius hæreditatis veodicabunt. Inter hos ergo & illum duodecim vnciæ, & tota Cæsaris hæreditas diuisa fuit. Dextans autem decem signat vncias, deunx verò vndecim. Quod à Iuuenale non inscitè, vt arbitror, dictum est.

Dextās. Deunx. Iuuenalis locus Satyra 1.

Vnciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem.

Totum enim assem diuisit, cùm ex duodecim vnciis alteri vnicam, alteri vndecim vncias patrimonij tribuit. Est quidem, inquit Iouinianus, ita vt dicis, satisque de quadrante & dodrante déque vncia & asse, vt à iuris studioso explicatum accepimus: sed vnum illud etiam me angit, in quo ancipitem cogitationem iam diu duxi, sæpiúsque in hoc quærendo fui. Nam cum tres hæredes institutos author hîc dicat, plures postea nominauit, Caium scilicet Octauium, Quintum pedium, & Lucium Pinarium: demum adiicit, reliquos in ima cera, hoc est, vltima testamenti parte scriptos fuisse. Etenim si totus as, inter eos quos modò nominasti, absumptus est: quid reliqui sit quod istis debeatur, nnon equidem video: totus enim as, vt modò dixisti, totam absumit hæreditatem, & dodrās cùm nouem signet vncias, quadrans verò tres, duodecim vncias & totum efficiunt assem. Neque est præterea quod ex defunctis bonis amplius asse hæredi scripto debeatur. Ergo aut frustra abundur peculio Cæsaris illi reliqui in ima cera adiecti, aut alia quædam hæreditas obuenienda est, vt istis etiam satisfiat: quorum alterum si asseueras, profecto perperam & absurdè dixeris. Neque ego Tranquillum vel syncerissimum scriptorem tam inconsideratè loquutum arbitror, vt plusquam oporteat aliquid in scribendo addiderit: siquidem tam circūncisus in explicandis adnotandisque rebus fuit, vt arguta breuitate pleraque potius perstrinxisse, quàm aliquid plus iusto addidisse videatur. Tum ego, Est, inquam, quod dubitetur: neque abnuerim, quin locus hic perobscurus, forsan videatur plerisque: qui tamen probabili ratione reddita, clarus & expositus fiet. Tres enim Cæsar testamento suo hæredes fecit, ex toto videlicet asse. Siquidem dodrans & quadrans, duodecim vncias & totum efficiunt assem. Et quod asse distributo, reliquos in ima cera instituit, equidem denotat, non in noua quadam hæreditate hos admittendos fore, sed postquam in vniuersum bona sua inter hæredes partitus fuit: in ima cera illos qui in singulas partes iure legati admittendi fuerant, nominasse: quę quidem legata, quamuis toto asse distributo, non extra hæreditatem sunt, sed à scriptis hæredibus atque ipso asse debeotur Etenim scriptus hæres, qui assem assequitur pro quantitate bonorum in quibus institutus est, legata quoque distribuet. Vetus enim est testantium mos (quod ipsum apud Iureconsultus legē sancitur) vt primo testamenti capite, hæredis fiat institutio, siue vnus, siue plures sint, qui in vniuersum bona ex defuncti voluntate capiant: sequenti capite & in ima cera, secundi hæredes, legata, & reliqua testatoris voluntas, & dispositio ponantur: siue aliquos onere grauat, aut si quibus dari fierique oportere, testator pro sua voluntate arbitratus est, qui non hæredes, sed legatarij dicti. Siquidem non bona in vniuersum, sed legata & res singulares capiunt. Idque ex integro asse, atque ex toto patrimonio deducitur. Et hoc Tranquillum nune dicere arbitror. Nam eum primo capite testamenti Cæsar tres fecisse hæredes ex asse, in ima cera & vltimo capite reliqua posuisse, quæ ascriptis hæredibus debentur, Caiumque Octauium in familiam nomenque adoptasse, secundos hæredes & tutores nominasse, populo hortos publicè, & viritim trecentos sestertios legasse. Quibus verbis vltro citróque ad multam noctem habitis,

Ima cera. Trāquillus. Legata. Vetus testantium mos. Legatary.

ANNOTATIONES IN CAP I.

Hoc primum caput nihil aliud interpretatur, quàm locum Suetonij in Cæsare cap. 83. Eamque interpretationem Alexander bona ex parte accepit ex Varrone illo togatorum doctissimo lib. 1. aut vt alij computant, 4. de lingua latina, haud multò ante finem, vbi disertè declarat assem & eius partes, vti etiam noster Iustinianus in §. hæreditas. Instit. de hæred. instit. & vt nouissimè ita scientissimè Budæus Galliæ nostræ huiúsque sęculi decus perpetuum, in libris de Asse & partibus eius, ad quos te; amantissime Lector relego, ne in re iam satis ab aliis tractata tempus frustrà teramus. Vnum tamen aut alterum tantum non intactum prætereundum duximus, videlicet imam ceram quam hic vocat Suetonius, extremam ceram appellatam fuisse à Tullio in 3. in Verrem actio. vbi Asconius, illius interpres doctissimus interpretatur vltimam tabulam, vltimam partem tabulæ. Martialis autem lib. 4. Epigram. 26. plurali numero vltimas ceras vocauit.

Nihil Amiano, præter aridam vestem,
Moriens reliquit vltimis pater ceris.

Plures verò ceras fuisse in testamentis, præter ea loca, satis probat Horat. lib. Sermo. 2. Satyr. 5.

Qui testamentum tradet tibi cúnque legendum:
Abnuere, & tabulas à te remouere memento:
Sic tamen vt limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu, solus multísne cohæres.
Veloci percurre oculo.

Quo in loco Acron. Prima, inqoit, cera secundo versu hæredis continet nomen. Porphyrion autem alter interpres, bene ait hoc, & iuxta ordinem, quia priùs testatoris nomē, secundò

animaduersum est, obsona iam præmatura & præcocta esse. Mox in aliud tempus dilatis sermonibus ad natalem Iouiani diem celebrandum, cuius causa veneramus, ab ipso admoniti diuertimus.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

secundù hæredis. Et ipse Suetonius in Nerone, cap. 17. Cautum vt in testamentis primæ duæ ceræ testatorum modo nomine inscripto vacuæ signaturis ostenderentur. Ex quibus intelligi potest, non duas tantùm fuisse ceras in testamentis, sed & aliam tertiam quæ ima, siue extrema, aut vltima dicebatur, in qua legata, & cæteræ testatorum dispositiones continebantur. Quod autem postea dictum est, veterem testamentorum morem fuisse, vt primo testamenti capite hæredis fiat institutio, id depromptum est ex l. 1. ff. de hæred. instit. vbi ita scribitur, eum qui testatur, ab hæredis institutione debere initium facere testamenti. Quod quemadmodum sit intelligendum, disces ex interpretibus eius loci. Cætera verò huius cap. notiora sunt, quàm vt aliorum testimoniis, vel authoritatibus fulciri debeant.

Qui reges vel principes apud varias gentes cognomenta ex suo nomine posteris reliquerint.

CAPVT II.

NON apud Romanos solùm, sed apud exteros quoque obseruatum accepimus, vt ab eo qui de sua republ. bene meritus fuit, posteri duces cognomenta accipere operæpretium ducerent. Nam de Romanis principib. nemo ambigit, quin à Diuo Iulio & Octauio reliqui imperatores, Cæsares & Augusti [a] dicti cognominatique sint. Credo equidem, quod desiderio illorum post funera tenerentur, & tanquam in posteris eadem indoles futuræ virtutis eniteret, ita eodem sibi nomine adoptato, ipsi quoque ad præclara facinora obeunda inuitarentur. Mansitq; sequutis imperatoribus cognomen Cæsaris & Augusti. Quod non ipsis modò, sed vxoribus [b], sororibus & filiabus commune fuit. Siquidem Liuia [c] postquam nupsit Octauio, Augustæ nomen tulit: & Agrippina [d] postquam Claudio coniugata fuit. Senatus quoque frequenti curia vxori sororique [e] Traiani cognomen Augustarum dedit: & Vitellius matri [f], & Faustinæ vxori [g] Antoninus: sic [h] Iuliani vxor & filia, Augustæ appellatæ sunt: quibus hoc etiam honoris tributum est, vt illas quandoque sacer [i] ignis præiret: quem mox sequuti Cæsares [k] pro maiestate imperij, more Persarum [l] regum & Indorum, sibi vendicarunt: tametsi Vitellius [m] oblatum sibi Cæsaris cognomen recusarit, Augusti vero distu-

Cæsares Augusti.

Augustæ mulieres

Ignis sacer præcedebat.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

a *CÆsares & Augusti.*] De his Cæsaris & Augusti appellationibus, & quid inter eas differat, satis superque diximus in nostris Comment. de iure Primigentorũ in 17. q. 4 opin. nu. 22. incip. Atqui licet videre, & multis seq.

b *Sed vxoribus, sororibus, & filiabus.*] De vxoribus constabit ex iis quæ mox subduntur: sed quibus addes eò tandem decursum fuisse, vt omnes passim vxores Augustæ vocarentur, vt patet ex l. princeps. ff. de legib. vbi Augusta, licet non sit legibus soluta, princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quæ & ipse habet. & l. si Augustæ ff. de leg. 3. loquente de Faustina, quam Augustam vocat. & l. quoties. C. vbi Senat. vel clariss. & l. cùm hæredes. in princ. C. qui testa. facere poss. vbi ita scribitur, cùm hæredes Imperatores, siue Augustæ. & iterum posteà: & sicut priscis legibus cautum est, Imperatori quoque & Augustæ testamentum facere liceat, & mutare. & l. bene à Zenone. vers. eodémque modo. C. de quadriẽ. præscr. vbi hæc verba sunt, eodémque modo si à serenissima Augusta aliquid alienetur, quare & non eadem vtatur prærogatiua. Iulius autem Capitolinus in Pertinace, tradit eadem die, qua ipse Pertinax Augustus est appellatus, & Flauiã Titianam vxorẽ eius Augustã quoque fuisse appellatã: qui paulò pòst scribit, hanc vxoris Augustæ appellationẽ ipsum Pertinacem non recepisse. De sororibus autẽ, vide infrà in verbo, Vxori, sororique. De filiabus verò Cornelius Tacitus lib. 15. scribit Neronẽ filiam suam, quam ex Poppea susceperat, & ipsam quoque Poppeam Augustas appellasse. Et Suetonius in ipso Nerone c. 35. scribit ex Poppea filiam fuisse Claudiam Augustam, ea nque amisisse ad modum infantem. Et Iulius Capitolinus in vita Antonini Philosophi, scribit filiam ipsius Antonini fuisse Augustam vocatam. Et de aliis quoque inferius dicetur.

c *Siquidem Liuia.*] Plinius lib. 15. cap. 30. eodémque vlti. Namque, inquit, Liuiæ Drusillæ, quæ postea Augusta matrimonij nomen accepit; cùm pacta esset illa Cæsari, &c. Nam alibi eãdem Augustam vocat ipse Plinius, etlicet lib. 37. eodémque vlt. cap. 2. Et Dion in Augusto, ad si Cùm autem (ait Græce quidem, sed in hunc sensum) Augusto populus Romanus æternitatem immortalitatemque donauisset, ei Liuiam quæ tum Augusta nominabatur, Sacerdotem creauit. Cornelius autem Tacitus lib. 1. Historiæ Augustæ, scribit in testamento Augusti Liuiam ipsam in familiã Iuliam nomenque Augustæ fuisse assumptam. At Suetonius in Claudio, cap. 13. tradit, eandem Liuiam id cognominis sibi oblatum recusasse.

d *Et Agrippina.*] Tacitus lib. 12. Augetur, ait, & Agrippina cognomine Augustæ.

e *Vxori sororique Traiani.*] Plinius in Panegyrico scribit Senatum obtulisse cognomen Augustarum vxori sororique Traiani, quod certatim deprecatæ sunt, iudicantes plus esse in eo, si vxor & soror Traiani Imperatoris, quàm si Augustæ dicerentur.

f *Et Vitellius matri.*] scilicet Sextiliæ ex eodem Tacito lib. 18. Sic Capitolium, inquit, ingressus, atque ibi matrẽ complexus, Augustæ nomine honorauit. Sed & Claudius (quod addendum est) Antoniæ matri apud Suetonium in vita illius, cap. 11. Et Alexander Seuerus matri quoque Mammeæ apud Herodianum lib. 5. post princ.

g *Et Faustinæ vxori Antoninus.*] Vterque & Pius & Philosophus ex Iulio Capitolino in vita vtriusq; Nam & vtriusq; vxores Faustinæ vocabantur, vt ibi videre licet. Et de alterutra loquitur l. si Augustæ ff. de lega. 2. à nobis supra citata.

h *Sic Iuliani vxor & filia.*] Et Ælio Spartiano in vita illius.

i *Sacer ignis præiret.*] Id enim tributum fuisse Lucillæ Antonini Philosophi, Imperatoris filiæ, vxori primùm Veri & ipsius Imperatoris, & deinde Pompeia tradit Herodianus lib. 1. Et Marciæ quoque ex concubinis Commodi, & quam prope vxoris loco habuit, idem eod. lib. 1.

k *Quem mox sequuti Cæsares.*] Vt videre licet ex Herodiano eo li. 1. non semel, vbi de Lucio Vero, & Commodo: & lib. 2. vbi de Pertinace, & de Macrino: & libr. 7. vbi de nece Alexandri Seueri, & iterum vbi de inauguratione Gordiani.

l *More Persarum.*] Quorum reges sacer quoque ignis præibat, vt scriptum reliquit Q. Curt. lib. 3. non semel.

m *Tametsi Vitellius, &c.*] Suetonius in vita illius cap. 8. in fi. Cognomen, inquit, Germanici delatum ab vniuersis cupide recepit, Augusti distulit, Cæsaris in perpetuum recusauit.

Tacitus

Antonini.

Ataulphus imperator.

Imperatores qui vocati.

ler.t : quod postea deploratis rebus , quum hostilibus armis premeretur , dimissum reuocauit , & Cæsarem se dici voluit : donec post seriem annorum [n] , haud longo internallo , Romani principes Antonini cognomenta sumpsere. Namque à Pio Antonino, Autoninus Philosophus, vir omni laude dignus: deinde Commodus , Caracalla , Geta , Heliogabalus , & alij ex Cæsaribus fama illustres Antonini nomen sibi adoptarunt : voluítque Seuerus [o] imperator , vt Romani Imperatores , sicut Cæsaris , sic in posterum Antonini nomen ferrent , hoc suæ posteritati longè clarissimum fore arbitratus. Mox succedenti æuo , collapsa re militari , Ataulphus Gothorum rex [p] , Roma debellata eo vesaniæ processit, vt quemadmodum Cæsares , sic in posterum Romanos principes Ataulphus cognominari destinarit: à quo instituto , sicut à pluribus aliis , postea desitum est. Nomen vero imperatoris [q] , Prætoribus olim magnarum laudum titulus fuit : quippe hoc honore velut insigni munere , milites summos duces honestabant : isque præcipuus honos habebatur semper. Postea nisi illos , quorum ductu & auspicio conflatum fuisset bellum, & sub quibus decem hominum millia [r] vno prælio cecidissent, aut saltem duo [s] millia, quæ postea consuetudo increbuit . vel denique mille occubuissent , aut præcipua victoria potiti essent nullos imperatoris nomine dignos putarunt. Propterea Marco [t] Crasso , quòd vrbem Zenodotium trans Euphratem , imbelli certamine & incruento Marte vicit , & ob id imperatoris nomen sibi arrogauit , magnæ inuidiæ fuit , quòd non multo negocio tantum nomen vendicasset. Pompeius [u], quòd in Africa Domitium superasset , quódque ex viginti milibus hostium , vix tria millia effugissent , toto conspirante exercitu, imperatoris nomine fuit honestatus: qui licet se Imperatorem salutari permiserit , nunquam tamen epistolis aut chirographis hunc nomen vsurpauit Iulius Cæsar [x] C. Cæsaris pater , quod Syllanis temporibus , multa Samnitum & Lucanorum millia ad Eserniam interfecisset , ab exercitu Imperator fuit appellatus. Mox diuus [y] Cæsar , post pericula depulsa , prænomen Imperatoris sibi arroganit. Deinde Augustus [z] Tiberium & Claudium Drusum [a] priuignos hoc nomine nobilitauit. Bello quoque Germanico fusis fugatisque hostibus , Tiberio Cæsari [b] & Tito [c] expugnatis Hierosolymis, miles victor imperatoris nomen dedit, & trophæum posuit. Cicero quoque [d], quòd Parthos ad Amanum profligasset , & Metellus [e] quòd Sertorium vicisset , imperatoris nomina tulere. Fertur tamen Curio [f] ad Vticam , quòd eius opera conductis commeatibus , omnium rerum

ANNOTATIONES.

Tacitus lib. 17.nomen Germanici Vitellio statim additum Cæsarem se appellari etiam victor prohibuit.Et lib. 18.Præmisit in vrbem edictum,quo vocabulum Augusti differret, Cæsaris non reciperet , cùm de potestate nihil detraheret. Et lib.19.nec deerat ipse vultu, voce, lachrymis misericordiam elicere, largus promissis, & quæ natura trepidantium est, immodicus. Quin & Cæsarem se dici voluit , aspernatus antea, sed tunc superstitione nominis, &c.

n *Donec post seriem annorum.*] Id videre licet ex Iulio Capitolino , Ælio Lampridio , Ælio Spartiano , Herodiano & aliis vitarum horum Imperatorum scriptoribus , præsertim verò ipso Spartiano in vita Septimij Seueri.

o *Voluitque Seuerus.*] scilicet Septimius ex Herodoto qui id tradit lib. 3. De qua re etiam loquens Ælius Spartianus in vita illius scribit , Antonini Bassiano & Getæ filius imposuisse , quod Seuerus ipse in Marci Antonini familiam transire voluisset.

p *Ataulphus Gothorum rex.*] Id relatum est à Paulo Orosio lib.Historiarum ad D.Augustum, 7.cap.29.codémque vlti. & alio Paulo Diacono de Gestis Romanorum , lib. 13. vbi & illud tradunt Placidiæ, aut vt alij vocant, Placidæ vxoris suasu incœpto destitisse : quod & nos retulimus in nostris legibus connubialibus.l. 11.num.12.incipiente Ataulphus.

q *Nomen vero Imperatoris.*] Appianus Alexandrinus lib.2. de bellis Ciuilibus , loquens de Atilió Varo , tradit illum Imperatorem , se nominari voluisse. Hanc enim appellationem Prætoribus mediocris apud milites authoritatis: quasi ipsis testificantibus eundem Imperatoris nomine non indignum esse. Hunc quippe honorem Prætores iampridem in maximis belli operibus sibi vendicasse,obseruarunt post veteres,Alciatus & Ferretus ad Corn.Tacit.lib.12.

r *Et sub quibus x. millia hominum.*] Ipse Appianus iis, quæ clausula præced. ex eo diximus.hæc subiecit : Nunc autem sub quibus decem millia in bello concidissent , hac appellatione dignos haberi audio.

s *Aut saltem duo millia, &c.*] Cicero Philip. 14. At si quis Hispanorum , aut Gallorum , aut Thracum mille , aut duo millia occidisset , non eum hac consuetudine quæ increbuit , Imperatorem appellaret Senatus ? tot legionibus cæsis , tanta multitudine hostium interfecta , Imperatorium nomem adimemus ?

t *Propterea Marco Crasso.*] Aliter Plutarchus in vita illius,vt ibi videre poteris. At illum Imperatorem vocat Cæsar lib. 3.belli Ciuilis.Qui (inquit,de Parthis loquens) paulo ante M. Crassum Imperatorem interfecerant.

v *Pompeius.*] Cæsar lib.3.belli ciuilis,Pompeius, inquit eo prælio Imperator est appellatus , hoc nomen obtinuit , atque ita se posteà , salutari passus est , sed neque in litteris, quas scribere est solitus , neque in fascibus insignia laureæ prætulit. Et Plutarchus id dicit in vita illius. At Plinius id illi testimonium præbuit.lib.7.c.26.Toties Imperator antequam miles.

x *Iulius Cesar C.Cæsaris pater.*] Paulus Orosius Historiarum lib.5. cap. 17.

y *Mox diuus Cesar.*] Apud Suetonium in vita illius , cap. 76. Sed & ante quoque in Hispania apud Hircium to bello Hispaniensi.

z *Deinde Augustus Tiberium*]Tradit tamen Suetonius in vita Tiberij,c.26 eum hoc Imperatoris prænomẽ recusasse.Nec alicubi legi eum sic appellatũ ab Augusto. Vide sequ.annot.

a *Et Claudium Drusum.*] Vereor ne hic & in præcedenti annot. Alexander fuerit deceptus,& vtrumque scilicet Tiberium & Drusum filios Liuiæ ex Nerone priore marito acceperit , pro Caio & Lucio eiusdem Augusti nepotibus ex Iulia filia, quæ illos Agrippæ pepererat. quos ipse Imperatores appellarat & suos successores designarat , vt tradit Dion in vita illius.

b *Tiberio Cæsari.*] Germanicu , vt credo, voluit & certè debuit dicere,qui vt scribit Tacitus lib.1.victis Germanis Imperatoris nomen , authore Tiberio accepit.

c *Et Tito.*] Suetonius in vita illius , cap. 5.

d *Cicero quoque.*] Plutarchus in vita illius, & ipsemet Cicero lib.2.Epist. famil. epist.eiusdem lib.9.totius autem voluminis 20.cuius initiũ est,Tu vide,vbi dicit se apud Issum deuictis Amanensibus Imperatorẽ appellatũ. Idcóque & in capite illius epist. & multarum seq.se Imperatorẽ nũcupat.

e *Et Metellus.*] Plutarchus in vita Sertorij.

f *Fertur tamen Curio.*] Ex Cæsare lib. 2. de Bello ciuilis

cuius

copia abundaret exercitus, imperatoris sibi nomen asciuisse. Et Scipio [g] bello ciuili inter Pompeium & Cæsarem, vt pecuniam à prouincialibus cogeret, se Imperatorem dixisse. Demum [h] Cæsares, ne in crimen inuidiamque inciderent, imperatoris nomen tanquam titulum mitem & honestiorem, abrogato regis vocabulo, iterum & sæpe desumpsere. Quare Augustus [i] semel & vicies fuit Imperator dictus. & sequuti principes hoc cognomento persæpe nobilitati sunt. Quod etiam apud Græcos [k] fuit vsurpatum: quippe Phocion [l] vigesimùm Imperator dictus est: Aratus [m] decimùm & septimùm imperatorem gessit, Pelopidas [n] ter & decies, Philopœmenes [o] octauùm, quem apud Achæos intra annum bis gerere non licebat, sicut apud Spartanos [p] bis eundem classis præfectum fieri lege vetabatur. Sola mulier Zenobia [q] Palmyrensium regina, quum Orientis regnum tueretur, armata in virili veste exercitui præfuisse, & Imperatoris nomen tulisse dicitur, cuius auspiciis pleraque egregie gesta in hostes fuere: sed non solùm Romanos, verùm eos qui Albæ regnarunt, qui ante Romulum per annos trecentos fuere, idem obseruasse proditum est. Constat enim à Syluio Ascanij filio, qui secundus ab Ascanio suscepit Albæ regnum, reliquos Albanorum Reges per ordinem successionis, Syluios cognominatos [r] fuisse. Siquidem Æneas Albanorum rex, & Latinus, & Capis, & Capenus, & Tiberinus ac reliqui deinceps, quandiu regnum Albæ stetit, Syluij cognomenta ab illo meruere. Sicut Latinis regibus à Maurano, qui in Latio regnauit, Maurani cognomen inditum ferunt. Quæ quidem res [a] ancipitem mihi animam sæpe agit, cogitatióque subit, cur non exemplo Albanorum & Latinorum, idem quod in imperatoribus, etiam in regibus veteres Romani factitarunt, vt à conditore vrbis Romulo, reliqui post illum reges, felix faustumque nomen acciperent, cum præsertim ipse vrbis conditor, bonis artibus partum firmatúmque regnum, inter omnia inimica

Cæsares eandem imperatoris nomen sibi assumpserunt.

Achæorũ & Spartanorum mos Zenobia.

Syluij. Maurani

ANNOTATIONES.

cuius hæc verba sunt. Hi, rebus gestis Curio se in castra ad Bagradam recepit, atque vniuersi exercitus conclamatione Imperator appellatur.

g *Et Scipio*] Ex Cæsare lib. 3. Belli Ciuilis, His, inquit, temporibus Scipio detrimentis quibusdã circa montem Amanum acceptis, Imperatorem sese appellauerat: quo facto ciuitatibus Tyrannisque magnas imperauerat pecunias. Item à publicanis suæ prouinciæ debitam biennij pecuniam exegerat, & ab eisdem insequentis anni mutuam acceperat, &c. Quibus adde, & alium Scipionem antiquiorem, nempe eum, cui Africani cognomen fuit, ita quoque appellatum ex Liuio 3. deca. lib. 7. Et Tiberium Iunio Bleso tribuisse vt imperator à legionibus salutaretur, deuicto Tacfarniate, vt tradit Tacitus lib. 3. non multò ante fi. Idque prisco erga duces honore, vt ille dicit. De quo etiã Velleius Paterculus lib. 2. Syllam quoque Imperatoris nomen adeptum fuisse ob multas victorias aduersus hostes adeptas, vt scriptum reliquit Plut. in vita illius. Et Brutum item & Cassium ab exercitu Imperatores vocatos fuisse testis est idem Plutarchus in vita Bruti. Et Q. Cassium Longinum, quòd In Lusitania Medobregam oppidum, montemque Herminium expugnasset, Imperatorem appellatum tradit Hircius aut Oppius in bello Alexandrino.

h *Demum Cæsares.*] Dion in Iulio Cæsare, & cæteri vitarum Imperatorum scriptores. Ipse autem Dion tradit Augusto Cæsari decretum fuisse nomen Imperatoris, non tanquam maximæ alicuius pugnæ victori, neque summa dignitate prædito, sed veluti omnium rerum domino, à quo cæteri Imperatores nomen traxere, & ab illo Imperatores Romanos connumerandos. Vide ibi cætera.

i *Quare Augustus.*] Ex Tacito lib. 1. vbi describens Pompam funeris ipsius Augusti, inter titulos honorum eiusdem hunc ponit, nomen Imperatoris semel atque vicies partum.

k *Apud Græcos.*] Adde & Carthaginenses ex Liuio 3. decadis lib. 1. non multò post princ. In Asdrubalis locum haud dubia res fuit, quin prærogatiuam militarem, qua ex templo iuuenis Annibal intra prætorium delatus, Imperator ingenti omnium clamore atque assensu appellatus erat, fauor etiam plebis sequeretur.

l *Phocion.*] Plutarchus in vita illius vno in loco, sed in alio tradit illum quintum supra quadragesimum imperium gessisse, quamuis nunquam ipse comitiis interuenisset.

m *Aratus.*] Id ex Plutarcho est in vita illius ad finem.

n *Pelopidas.*] Et id quoque ex eodem Plutarcho in vita illius, etiam ad fi.

o *Philopœmenes.*] Satis constat ex Plutarcho in eius vita & Liuio 4. decad. lib. 5. & alibi, hunc sæpius Imperatorem Achæorum fuisse, sed numerum certum non adscribunt. At Pausanias lib. 8. dicit octauo illum fuisse Ducem Achæorum designatum, cùm septuagesimum iam annum esset egressus.

p *Apud Spartanos.*] Ex Plutarcho in Lysandro. Alibi tamen idem Plutarchus, scilicet, in Apophtheg. Laconicis inter instituta Lacedæmoniorum scribit illis interdictum fuisse nautis esse, & nauali pugna decertare. Verùm posterius & in mari eos pugnasse, & cùm mari potiti essent, rursus destitisse, cum mores ciuium corrumpi animaduertissent. Sed iterum quoque super hoc mutatos fuisse, quemadmodum & in omnibus aliis.

q *Zenobia.*] Apud Trebellium, aut vt alij vocant, Treuellium Pollionem tum in vita illius, tum & in vita Aureliani. Sed his omnibus addes & Reges quoque qui Duces exercitus deligebantur, Imperatores quoque vocatos. Sic enim Antiochus Ætolis Dux delectus aduersus Romanos, Imperator vocatus est apud Liuium quartæ decab. lib. 5.

r *Syluios cognominatos fuisse.*] Dionysius Halicar. lib. 1. Liuius 1. decad. lib. 1. non multo post prin. Siluius deinde regnat Ascanij filius, casu quodam in syluis natus. Is Æneam Syluium creat: is deinde Latinum Syluium, ab eo coloniæ aliquot deductæ Prisci Latini appellati. Mansit Syluius posteà omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt. Latino Alba ortus, Alba Atys, Aty Capys, Capi Capetus, Capeto Tyberinus, &c. Seruius enarrans eum locum lib. 6. Æneidos:

Ille (vides) pura iuuenis qui innititur hasta.

Albani, inquit, Reges dicti sunt Syluij ab huius nomine, sicut hodieque Romani Imperatores, Augusti vocantur: Ægyptij, Ptolemæi: Persæ, Arsacidæ; Latini, Murrhani: citátque illud eiusdem operis,

Murrhanum hic atauos, & auorum antiqua sonantem
Nomina, per regésque actum genus omne Latinos.

Quo etiam in loco idem Seruius, hoc est, ait cuius nomine maiores omnes Murrhani dicti sunt & Reges fuerunt. Scimus enim plerũque solere fieri, vt primi Reges reliqui nomen etiam possideant, vt apud Romanos Augusti vocantur, apud Albanos Syluij, apud Persas Arsacidæ, apud Ægyptios Ptolemæi, apud Athenienses Cecropidæ. Sed quantum ad Persas vide infrà in verbo, Etenim Arsaces, ex quo intelliges Seruium lapsum fuisse, & pro Persis Parthos debuisse dicere. Sed & illud de Syluiis voluit Festus Pompeius lib. 17.

a *Quæ quidem res.*] Totus hic locus Alexandri est.

infestáque longe illud maius, auctiúsque reliquerit. Sed hanc quæstiunculam relinquamus, quibus huiuscemodi indagare, ingenij abunde & negotium est. Parthos quoque idem obseruasse, vt regum cognomenta ferrent, multi prodidere. Etenim Arsaces, [t] Scytha vir fortis & strenuus, quum premente inopia, latrociniis obnoxiam iuuentam ageret, coacta exulum manu, quos Parthos nuncupant, deuicto Seleuco & Mandragora, in regem Parthorum assumptus, illod ita instituit, formauitque, vt diem victoriæ tanquam natalem libertatis, multis post tempestatibus solemnem celebrarint: qui postquàm fato functus est, tāo honori ipsius memoria fuit, vt celebre ad posteros [u] reges cognomen Arsacis ex suo nomine reliquerit. Nam & Parapatius, & Mithridates, & Pharnaces, & qui post illum regnarunt Parthorum reges, cognomen Arsacis sibi posterisque illustri titulo propagatum adoprauerunt. Quorum posteros parum legitime regnare dixerunt, nisi ex matris incesto & filij concubitu editi forent. Quinetiam apud Indos [x] hunc aliquando morem inoleuisse accepimus. Namque Indorum Reges, alios Palibrotos, alios Sandracoctos, nonnullos Taxiles, sequente nomine in quemcumque imperium transiret, ob eximiam in bello virtutem denominatos ferunt. Bithynos [y] quoque ob prioris Nicomedis claritatem, qui militiæ & domus claros fuit, Nicomedis cognomen regibus indidisse putant: sicut à Cecrope, qui Athenis regnauit primus, Reges Atheniensium Cecropidas nuncupati. Hic enim omnem multitudinem [z] in oppida duodecim digestam, partitus fuit quam Theseus obuiam eundo periculis, ne hostium præda forent, velut vnius corporis alumnos, in vnam vrbem postea sociauit & coegit. Et Paphlagonum Philomenes, [a] Thessalorum Hellenes ab Hellena, [b] & Assyriorum Reges [c] Tigranes dicti cognominatique sunt. Cum enim Seleucidarum imperium ab Alexandro ad septuaginta supra ducentos annos prouectum fuerit, Tigranis cognomen à primo illo, qui Assyriis præfuit summæ iustitiæ temperamento, posteri desumpsere, ita vt per ea tempora quatuor supra decem Tigranes Reges denominati ferantur. Quin etiam à Neoptolemo [d] Achillis filio, qui Pyrrhus dictus est, Reges Molossorum Pyrrhidæ, cum ea loca tenuissent & Ponti, Mithridatis [e] nomina sumpsere. Is enim cum quo populus Romanus multiplex bellum gessit, à primo Mithridate sextus adnumeratur, quem Eupatorem vocarunt. [f] Fuitque literis proditum, reges Persarum, qui spadones in regnum asciti fuere, Bagoios nuncupari. [g] Et in Meroe, quod

Parthi. Intestus Parthorum. Palibroti. Sandracotti. Taxiles. Nicomedes. Cecropide. Philomenes. Hellenes. Tigranes. Pyrrhida. Mithridates. Bagoy.

ANNOTATIONES.

t *Etenim Arsaces.*] De hoc Iustinus libr. 41. à quo etiam hic locus sumptus est, nisi quòd is Andragorá vocat, quem hic Mandragoram appellat. Sed & de hoc Arsace quædam Strabo lib. 15. non semel, & Dion in Pompeio, qui addunt Reges Parthorum ita esse dictos. Et Eusebius in Chronicis: Olympiade 133. Et vide quæ diximus in verbo, Syluios cognominatos fuisse.

u *Quorum posteros.*] Multi tradunt apud Parthos matrimonia parentum & filiorum esse legitima, & inter cæteros Bardesanes in libro de Fato, & D. Clemens lib. Recognitionum 9. & Eusebius lib. præparationis Euangelicæ 3. & iterum 6. cap. 8. & è Poëtis Lucanus lib. 4.

Parthorum dominus quoties sic sanguine mixto
Nascitur Arsacides, cui fas implere parentem.

Et nos quoque diximus in nostris ll. connubialibus, l. 7. num. 33.

x *Quinetiam apud Indos.*] De his tribus Regum Indorum appellationibus Strabo lib. 15. & præterea de tertia, Plutarchus in Apophthegmatis Alexandri: & Q. Curtius lib. 8. Sed de Palibrotis alij aliter, nempe hos gētem esse Indorum: & inter hos Pomponius Mela lib. 1. vbi de India loquitur: & Plinius lib. 6. cap. 19. & Solinus cap. 65. aut aliorum computatione. 55. & Iustinus lib. 40. & Plutarchus in Lucullo, & in Pompeio. Maluit autem hic Alexāder sequi Strabonem. Cæterùm Arrianus de gestis Alexādri lib 8. post princ. meminit Palimbothræ Indorum vrbis maximæ. Et posteà quoque eodem lib. tradit Palimbothram amplissimam Indicarum vrbium esse in Ædrosorum finibus iuxta Erranoboæ & Gangis fluminum concursum. Sed & idem, illo ipso lib. scribit Sandrocottum maximum esse regium Indiæ: & vide infrà lib. 2. cap. 31.

y *Bithynos.*] Strabo lib. 12. Nicomedia, inquit dicta de nomine regis cuiusdam Bithyni, qui eam condidit: multi enim eodem nomine vocati fuerunt, veluti Ptolemæi, propter prioris claritatem.

z *Hic enim omnem multitudinem.*] Plutarchus in vita Thesei.

a *Et Paphlagonum Philomenes.*] Iustinus lib. 37. in fi. Nicomenes, ait, quoniam se tueri iure non poterat, iusto regi redditurum respondit: atque ita filium suum mutato nomine Philomenem Paphlagonum nomine appellat, & quasi stirpi regiæ reddidisset regnum, falso nomine tenet.

b *Thessalorum Hellenes ab Hellena.*] Corrige ex Hellene, nam hic Hellem vocabatur ex Solino, cuius verba hæc suo cap. 13. aut, vt alij computant. 14.

c *Et Assyriorum Reges, Tigranes dicti.*] Armeniorum dicere, vt opinor, voluit, quorum multos Tigranes reges fuisse legimus, vt videre licet apud Xenophontem Pædiæ Cyri lib. 3. non multò post princ. Valerium maximum lib. 9. cap. 11. Plutarchum in Lucullo, & in Pompeio; Iustinum lib. 40. Luc. Florum lib. Epitome Liuij 97. & 98. Dionem in Pompeio, statim post princ. Nullum autem Assyriorum præter vnum & ipsum Armeniæ regem qui Syriæ regno mutuis fratrum odiis & bello inexplabili consumpto, à populo ascitus per 18. annos illo tranquillissimè potitus est, sed tandem illo à Lucullo victo, rex Syriæ Antiochus Cyricoeni filius appellatur, vt ait Iustinus d. lib. 40. Vide an alibi reperies quod Alex. ab Alex. hic dicit.

d *A Neoptolemo.*] Plutarchus in Pyrrho, in princ.

e *Ponti Mithridatis.*] Plutarchus in Demetrio scribit Mithridatem Ariobarzanis filium genus regum qui deinde Ponto imperitarunt, post octauam successionem, a Romanis destructam posteris suis reliquisse. Huius quoque primi Mithridatis meminit & Probus Æmylius in Datami.

f *Quem Eupatorem vocarunt.*] De quo Strabo lib. 1. & lib. 6. ad fi. & lib. 7. & lib. 10. & 12. non semel.

g *Bagoios nuncupari.*] Plinius lib. 13. cap. 4. Clarissimæ, inquit, omnium quas regias appellauere ab honore, quoniam regibus tantum Persidis seruabantur, Babylone natæ vno in horto Bagou, aut vt alij legunt Bagu: & subdit, ita enim vocant spadones qui apud eos etiam regnauere. De Bagoa quoque Eunucho rege Ægyptio Ælianus libr. 6. de varia historia, vbi de Artaxerxis cognomento Ochi occidione loquitur. Et Plutarchus in lib. 2. de fortuna Alexandri: Bagoas, inquit, eunuchus Orsæ & Doris Persarum Imperium quasi humeris sublatum imposuit. Et Q. Curtius libr. 8. de gestis Alexandri mentionem facit Bagoæ Eunuchi ipsius Alexandri. Et Diodorus lib. 17. eum mille militum

præfectum

Candaces [h] præcipua mulier regnum retinuisset, reginas in posterum Candaces cognominari, eaque obseruatio constans & perdiu mansit. Nec me præterit, Ægyptios quoque Reges eandem consuetudinem vsurpasse, vt in pleraque historia est. Siquidem cum antea Pharaones [i] dicerentur, Ptolemæus [k] Lagus gregarij militis filius, qui Ægyptum armis sibi vendicarat, post res cum Antigono compositas, cum quo multiplici bello & immodica simultate conflictatus est, Ægypti regnum quandiu vixit, moribus & disciplinis mirificè instruxit ornauitque. Is igitur iam grandis natu, morbo absumptus est, magno de se, vt de iam bene merito principe, desiderio relicto: cuius memoriam Alexandrini, tanta charitate prosequuti fuere, vt Philadelpho qui post eum regnauit, & reliquis Ægypti regibus ab illius nomine, Ptolemæi cognomenta [l] indiderint. Nam & Euergetes, qui Philadelpho successit, & Philopator, qui Tryphon [m], & Epiphanes, & Philomator, & alter Euergetes Phiron appellatus, & Lagus, & Auletes Ægyptiorum reges, ab illo Ptolemæi dicti cognominatique sunt. Hic enim Philadelphus Stratonis discipulus fuit, omni doctrinæ genere clarus, qui cum viribus [n] attenuatis, infirma valetudine laboraret, miro discendi studio affectus, nobilem illam omnium sermonibus [o] celebratam bibliothecam, conquisitis vndique exemplaribus, omniúmque linguarum voluminibus construxit, pulcherrimum sanè regiæ opulentiæ monimentum, quæ ad primum Alexandrinum durauit bellum. Quem Philadelphum, Philomatorem [p], & Philopatorem [q] ob neces parentibus & germanis fratribus illatas, per antiphrasin & irrisionem vocitarunt, sicut Euergeten [r] quod deorum simulacra à Cambyse disiecta restitueret, quasi beneficum: & Auleten [s] diffamatissimum, quod super cætera flagitia & dedecora, choraulam & tibias exerceret. Hunc enim Auleten ob simultatem Ægypti regno exegere: qui Romam exul cum venisset, & senatu populoq; Romano benignè exceptus, in Ægypti regnum ab Aul. Gabinio reductus & restitutus fuit. Post quem Alexandrini [t] Cleopatram & Ptolemæum puerum regno præfecere, sed mota seditione, à factione alterius partis, Cleopatra in Syria exulauit, atque ex illo Ægypti regnum penes puerum stetit. Hic est enim Ptolemæus [v] ille puer, qui Pompeium Magnum ex Pharsalo fugientem, ministro Achilla & Photino miseranda nece affecit: xindéque Alexandrinorum res, vrgente fato, in peius magis ac magis ruere visæ sunt: donec [x] Augustus terra marique victor, Actiaco prælio superatis Alexandrinis, Antonioque & Cleopatra, quam matrimonio sibi deuinxerat, victis necatisque, Ægyptum omnem stipendio superim positoprouinciam effecit, quam primus Romanorum Cornelius [y] Gallus præses administrauit. Tunc primum sub præsidibus haberi cœpta est, atque ex illo finis regum Ægyptiorum fuit.

Candaces. Pharaones. Ptolemæi. Ptolemæi Philadelphi bibliotheca. Ptol. Philomator & Philopator vnde dicti. Ptol. Euergetes. Ptol. Auletes. Ptol. Auletes exul restitutus ab A. Gabinio. Ptol. puer.

ANNOTATIONES.

præfectum ait. Ouid autem libro 2. Amor. Elegia 2. seruum puellæ custodem Bagoum vocat.

Quem penes est dominam seruandi cura Bagoë,
Dum perage tecum pauca, sed apta, vaca

h *Candaces.*] Strabo li. 17. Plinius li. 6. cap. 29. ad fi. Eusebius historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. cap. 1. D. Lucas in Actis Apostolorum cap. 8.

i *Pharaones.*] Ex sacris Bibliorum libris.

k *Ptolemæus.*] Hanc Ptolemæorum seriem latè descripserunt Strabo lib. 17. & Pausanias lib. 1.

l *Ptolemæi cognomenta indiderint.*] Id quod nos ex Seruio & Straboне diximus suprà in verbo, Syluios, cognominatos fuisse.

m *Tryphon.*] Vltra eos quos suprà citauimus in verbo, Ptolemæus. Plinius lib. 7. cap. 56,

n *Qui cum viribus attenuatis &c.*] Strabo lib. 17.

o *Omnium sermonibus celebratam bibliothecam.*] Et inter cæteros Plinij lib. 35. cap. 1. Gellij lib. 6. cap. 17. eodemque vlt. Et Plutarchi in Cæsare, & Athenæi lib. Dipnosophistarum, 1. cap. 1. vbi & alias celeberrimas bibliothecas commemorat.

p *Philomatorem.*] Iustinus lib. 29.

q *Philopatorem.*] Aliter Pausanias lib. 1.

r *Euergete.*] Ex Plutarcho in Coroliano, non multò post princ. Et in lib. de fortuna Alexandri, 2.

s *Auleten diffamatissimum.*] Strabo lib. 17. Sed omnes, inquit, Ptolemæi post tertium malè vixerunt, delitiis corrupti: omnium verò pessimè quartus, septimus & vltimus Auletes, qui præter alia flagitia etiam choraulam exercuit, & adeò in ea gloriabatur, vt non cunctaretur certamina in regia celebrare, ad quæ & ipse cum aliis certaturus prodibat. Hicque est quem Alexandrini exegerunt. Et post pauca, Interea Auleten Romam profectus Pompeius suscipit, & Senatui commendat ac de reductione eius agit: & quibusdam interiectis, dicit illum fuisse à Gabinio reductum.

t *Post quem Alexandrini.*] Strabo d. lib. 17.

v *Hic est enim Ptolemæus.*] Plutarchus in vita Pompeij, ad fi. & Appianus Alexandrinus bellorum ciuilium lib. 2.

x *Donec Augustus.*] Strabo libr. 17. Eusebius in Chronicis Olympiade 187. Suetonius in Augusto, cap. 18.

y *Primus Romanorum Cornel. Gallus.*] Idem Euseb vbi suprà, Ægesippus lib. 2. & Dion in Augusto.

Qua potestas, quantumq; ius aduersus reliquos magistratus, Tribunis plebis Romæ fuerit.

CAPVT III.

TRIBVNOS [a] plebis, quos plebe à patribus discedente, & ad sacrum montem secedente, sacrosanctos sibi plebs creauit, nec iuri dicundo, nec postulatis ciuium noscendis, sicut alios magistratus, sed vt auxilij latio aduersus consules esset, & illos qui insolenter in plebem insultaret, vtq; præsides libertatis custodesq; forent, creatos accepimus: [b] Ideò nec in

Tribuni plebis quando creati primum.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

a *Tribunos plebis.*] Hæc sunt ex Liuio, 1. decadis lib. 2. & Plutarcho in vita Coriolani.

b *Ideo nec in sella &c.*] Plutarchus Problem. c. 81. Quid est, inquit, quòd Tribunus purpuram non portat, cum cæteri magistratus

Tribunus plebis viatorem habebat.
Tribun. plebis potestas.

fella curuli federe, nec purporatos incedere, nec lictorem vt consoles prætoresque, [c] sed viatorem habere illos fatis constat. Causa antem hæc est, quòd tribunus plebis, populi Romani [d] magistrarus non est, [e] propterea cum consulum, prætorum, & ædilium, reliquorumque magistratuum, ereato dictatore, iurisdictio cesset & conniueat, folos tribonos plebis tn porestate esse liquet. [f] Ex reliquis præterea magistratibus, cum multi vocationem & cognitionem habeant, apud tribunos ſrantum prehensionem esse absque vocatione; memoriæ datum est. Prehendere enim Tribuno plebis licet, & io carcerem mittere, [g] iure facrosanctæ potestatis, [h] etiam coosulem, prætorem, ceosorémque, M. [i] Drusi exemplo, qui tribuous plebis Philippum consulem, quia coocionantem interpellarat, præcipitem egit in carcerem, ita vt non modica vis saoguinis è natibus effluerer. Etiam ab iniuria quæ coram fierer inhibere, [k] mulctamq; indicere Consuli, Dictatoriq; & [l] reliquis Magistraribus Tribunns pro imperio poterat. [m] Intarcessiones quoque aduersus reliquorum potentiam magistratuum, apud Tribunos plebis tantummodo sunt. Contra verò Dictatoris imperium, à [n] quo non est prouocatio, Tribnois iotercedendi facultas non est, quamuis plerique contra Dictatoris iussum, Tribuni intercessionem valuisse contendant, [o] Q Fabij exemplo, qui cùm Magister equlrum esset, & in eum, quòd contra vetitum pugnasset, L. Papyrius Dictator animaduertere vellet, M Fabius pater, qoi rer Consul Dictatórque fuerat, Tribunos plebis & populum appellauir, qui intercessiooe sua & si, precariam præstitissent opem, reum tamen supplicio exemere. [p] Ego aurem cùm id alirer compertum non habeam, Tribuniriam porestatem semper Dictatoris imperio cessisse ausim asseuerare. [q] Ab vno quoque Tribunorum ad reliquos Tribuoos prouocare licere, ipsósque intercedere posse, noo est controuersia. Neque enim leuis est vnius Tribuni in prohibendo porestas. [r] Siquidem vno

Tribuni in prohibendo potestas.

ANNOTATIONES.

magistratus purpurati incedant? An quòd Tribunus omnino magistratus non est? Nam nec lictores habet, nec in fella curuli, sed sedens ius dicit &c. Nam postea alias rationes affert, quæ & huc pertinent, quas ibi videre poteris. Cicero autem Philipp. 2. inuehit in Antonium, quòd Tribunus lictores laureatos habuisset qui illum antecedebant.

c *Sed viatorem habere.*] Liuius 1. Decadis lib. 2. Ardens, inquit, ira Tribunus viatorem mittit ad Consulem: & A. Gellius lib. 13. cap. 12.

d *Magistratus non est.*] Sunt propria verba Liuij 1. Decad. libr. 2. Consul, inquit, negare ius esse Tribuno in quéquam nisi in plebeium: non enim populi, sed plebis eum magistratum esse. Plutarchus autem d. cap. 81. Proble. omnino magistratum non esse vt supra ex eo diximus.

e *Propterea cum consulum, &c.*] Plutarchus vbi suprà, scribit nec creato quidem Dictatore Tribunos potestatem deponere, sed cum omnis potestas & imperium ad Dictatorem redeat, soli omnium magistratum retinent, quasi imperium nullum gerentes, & alium quendam in republica locum obtinentes. Et idem propemodum tradit idem Plutarchus tum in vita Fabij maximi, tum & Antonij. Ante hos Polybius li. 3. Dictatoris, inquit, summum liberúmq; imperium, sub quo mox cæteri magistratus cessant, exceptis Tribunis.

f *Ex reliquis præterea &c.*] Gellius lib. 13 cap. 12. authoritate Atteij Capitonis & Varronis, & aliorum, multis ostendit Tribunos plebis prehensionem non etiam vocationem habere.

g *Iure sacrosanctæ potestatis.*] Verba sunt Liuij 3. Decad. lib. 9. Quem, inquit, comprehendere Tribuni iuberent, ac iure sacrosanctæ potestatis reducerent.

h *Etiam Consulem, Prætorem, Censorem.*] De Consulibus mox subiicit exemplum, cui & alia addam. De Censore habes testimonium ex Liuio 1. Decad. li. 9. vbi P. Sempronius Cósul Appium Claudium Censorem in vincula duci iussit. Sed & de Tribunis militum consulari potestate, testimoniũ habes Liuij 1. Decad. lib. 5.

i *M. Drusi exemplo.*] Id ex Valerio maximo est, libro nono, cap. 5. Verùm & huic exemplo adde & aliud, Lucium Licinium Lucullum, & Aulum Posthumium Albinũ Consules, cùm delectum seuerè agerent, nec quenquam gratia dimitterent, à Tribunis plebis qui pro amicis suis vocationem impetrare non potuerát, in carcerem fuisse coniectos, vt tradit L. Florus Epitome Liuij lib. 48. Qui & ipse lib. 55. scribit Tribunos plebis, quia non impetrarant, vt sibi denos quos vellent milites eximere liceret, Consules in carcerem mitti iussisse. Tiberius autem Gracchus in oratione quam habuit post abrogationem Octauij sui collegæ à populo factã, inter cætera hæc dicebat, Esse vero pergraue si Consul à Tribuno plebis in carceré duci possit, ipse autem Tribunus à plebe deponi & abrogari non possit, vt scribit Plutarchus in vita illius. Apud Liuium autem 1. Decd. lib. 4. Tribuni plebis pronunciauerunt placere Consules Senatui dicto audientes esse: si aduersus consensum amplissimi ordinis vltrà tendant, in vincula se duci eos iussuros, idq; ipsum fecerunt. Apud Ciceronem in Oratione in Vatinium, ipse Vatinius Trib. plebis M. Bibulum Consulem in vincula duxit. Appianus libr. 4. bellorum ciuilium scribit nonnullos ex Consulibus à Tribunis plebis fuisse custodiæ inclusos.

k *Mulctamq; indicere Consuli Dictatoriq;*] Habebant enim summam coercendi potestatem. d. c. 12. li. 13. A Gellij. Ideoq; de Tribunis & L. Meneuio exconsule, Liuius Decad. 1. lib. 2. inquit, In mulcta temperarunt Tribuni: cum capitis inquisissent, duo millia æris damnato mulctam edixerunt.

l *Et reliquis magistratibus.*] Vt Censoribus ex Liuio 1. Decad. li. 9. vbi P. Sempronius Trib. plebis Appium Claudium Censorem, nisi Æmiliæ legi paruerit, in vincula illum ducĩ iubere se minatur. Et 5. Decad. lib. 3. vbi Rutilius Tribunus plebis C. Claudium Pulchrum, & Tiberium Sempronium Gracchum Censores mulctauit.

m *Intercessiones quoque.*] Etiam aduersus Senatusconsulta Cornelius Tacitus li. 16. Aderat consilio Rusticus Arulenus flagrans iuuenis, & cupidine laudis efferebat se intercessurum Senatusconsulto: nam Plebis Tribunus erat.

n *A quo non est prouocatio.*] Vt videre licet ex Liuio 1. Decad. libr. 2. in duobus locis & iterum libr. 3. in Oratione L. Quintij: & ex nostro Pomponio in l. 2. §. populo. ff. de origine iuris.

o *Q. Fabij exemplo.*] Ex Valerio Maximo lib. 2. cap. item 2. & Liuio, qui hanc rem elegantissimé tractat 1. Decadis lib. 8.

p *Ego autem.*] Id authoris est: sed vide tamen quod Plutarchus scripsit in Camillo. Nempe eum Dictatorem ius in foro dicentem lictores Tribunorum plebis nixos fuisse inuitum ducere ad ipsos Tribunos.

q *Ab vno quoque.*] Id enim videre licet ex Gellio libr. 7. cap. 19.

r *Siquidem vno.*] Dionysius Halicar. lib. 9. statim post prin. Et id quidem Plutarchus etiam aperté declarat, tum in Gracchis, tum in Catone Vticensi. Imò verò Polybius li. 6.

Si

aliquid fieri negante, nihil cæteri, etiam si plures numero sint, decernere valent. Id tamen lege cantum erat [s], ne vltra mille passus ab vrbe ad Tribunos prouocatio foret. Ideò siquid sublata intercessione Tribunorum, per populū agi vellent, extra vrbem vltra mille passus comitiis indictis, & senatu euocato, decernebant. Tunc enim sine imperio Tribunus censebatur. Capitis etiam diem dicere Dictatori [t] vel Consulibus [v], postquàm abiere magistratu, & reliquis magistratibus [x] dum in honore sunt, Tribunorum potestatis est. Illud certè satis constat [y], neque Tribuno plebis diem integrum ab vrbe abesse liceret, ne auxilij latio eum opus fuerit, ciuibus desit: sicut Heduis [z] in more fuit, vt qui summum gerit imperium, finibus excedere non posset. Neque eum [a] qui parentem superstitem habeat, Tribunum plebis esse oportere. Propterea Seruilius, qui Tribunatum gesserat, falsò Tribunus esse creditus est: quòd patrem, quem obiisse mortem opinio innaluerat, viuere constabat. Quin & illud [b] animaduertimus, Tribunis quoties oportere visum fuit, habendi & dissoluendi senatus, nonnunquam, ne consularia comitia fiant [c], intercedendi ius potestatémque fuisse. Ipsis tamen cùm frequens habetur senatus, intra limites curiæ [d] adesse non licebat: sed positis ante curiæ fores subselliis, quæ ad populum pertinerent, senatusconsulta excipere: quæ si probarent, T, litera subscribere solebant. Si autem minimè rata esset vellent, poterat senatusconsultum per intercessiones Tribunitias impediri. Tametsi æuo posteriore, Tribunum frequenti curia, de his quæ ad populum pertinerent, senatum sæpè consuluisse, ibique subsellia habuisse [e], inter exempla inueniamus: donec Atinio plebiscito [f] Tribuni plebis senatores effici meruere. Posse etiam plebem consulere [g], & rogationes ad populum ferre, ac super his leges promulgare, quæ plebiscita dicta sunt, Tribunitiæ potestatis esse nemo dubitauit: quod quidem concilium in æde Vulcani frequentes habuere, ibique signa turbulenta confusio esset, in qua consulto opus foret, plebeios aduocare, & concionem frequentissimo concilio habere assueuerant. In quo templo canes pro ædituis, esse, & sacrilegis tantùm adlatrare, fama ferebat: sicut apud Ætnam [h] in Vulcani templo canes lucum & templum asseruare dicunt: & in Daunia [i], Achaiæ Mineruæ delubro. atque in Creta Dictææ matris æde canes enutriri traduntur, qui Græcis subblandiuntur, barbaros verò insectantur. In sinu quoque Adriatico [k] Diomedeæ aues Græcis mites, Barbaris verò infestæ sunt. Hoc etiam notatum est [l], tribuni plebis domum cuiuis patere, foresq; illius per diem perque no-

Canes in templis pro ædituis.

Diomedea aues.

ANNOTATIONES.

Si (inquit) ex Tribunis vnus duntaxat resistat, non potest Senatus aliquid ad effectum perducere, imò ne consistere quidem, aut omnino aliquò proficisci.

s *Id tamen lege cautum erat.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. Neque enim, inquit, prouocationem esse longius ab vrbe mille passuum, & Tribunos si eò veniant, in alia turba Quiritium subiectos fore consulari imperio.

t *Dictatori.*] Liuius Decad. 1. lib. 7. de L. Manlio postquam dictatura abiit, sic habet, dies Manlio dictus à M. Pomponio Tribuno plebis.

v *Consulibus.*] Idem 1. Decad. lib. 2. Considius & Genutius Trib. plebis diem dixere T. Menenio anni præcedentis Consuli, illumque condemnarunt. Et paulò pòst alij Trib. plebis diem quoque dixere Sp. Seruilio, mox quàm Consulatu abiit. Et lib. 3. alij Trib. diem quoque dixere Sp. Tarpcio & Aulo Æternio, & aliis quibusdam Consulibus postquam magistratu abiere: & aliis sæpe.

x *Et reliquis magistratibus.*] Valerius Maximus lib. 6. cap. 5. tradit Tiberio Graccho & C. Claudio ob nimis seuerè gestam Censuram diem M. Popilium Trib. perduellionis ad populum dixisse: nec tamen aperit an tum etiamnum Censuram gererent, an verò ea decessissent. Sed & idem lib. 7. c. 2. scribit Claudium Neronem & L. Salinatorem reos actos à Cn. Bebio Trib. ple. ob nimis etiam asperè actam censuram.

y *Illud certè satis constat.*] Ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 8. Gellio, lib. 3. cap. 2. Macrobio, libro Satur. 1. cap. 3. & Seruio enarrante eum locum Virgilij lib. 5. Æneid.

Et me sæuus equis Oriens afflauit anhelis.

z *Sicut Heduis.*] Cæsar lib. Commentariorum belli Gallici. 7. Legibus, inquit, Heduorum quonlam summum magistratum obtinerent, excedere ex finibus non liceret.

a *Neque eum &c.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. Seruilium, inquit, negabant iure aut Trib. plebis fuisse, aut Ædilem esse, quòd patrem eius, quem Triumuirum agrarium occisum à Boiis circa Mutinam esse, opinio per decem annos fuerat viuere, atque in hostium potestate esse satis constabat. Et eiusdem Decad. lib. 10. de eadem re loquens, Latum ait, ad populum ne Cn. Seruilio fraudi esset, quòd patre, qui sella Curuli, sedisset, viuo, cùm id ignoraret, Tribunus plebis atque Ædilis plebis fuisset, contra quàm legibus sancitum erat.

b *Quin & illud.*] Appianus Alexandrinus libro 2. bellorum ciuilium, de Curione Tribuno plebis loquens, cùm nihil peregisset imperfectis adhuc rebus Senatus dissoluit. Id enim Tribuno facere licebat. Idque etiam videri potest ex Liuio, 1. Decad. lib. 4. non multò post princ.

c *Nonnunquam ne comitia consularia fiant.*] Liuius 1. Decad. lib. 3.

d *Intra limites Curiæ.*] Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. quo tractat de institutis antiquis: cuius hæc verba sunt, Illud quoque memoria repetendum est, quòd Tribunis pleb. intrare Curiam non licebat, ante valuas autem positis subselliis decreta patrum diligentissima cura examinabant, vt si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent. Itaque veteribus Senatusconsultis, T. litera subscribi solebat, eáque nota significabatur illa Trib. quoque censuisse.

e *Ibique subsellia habuisse.*] Nam & subsellia Tribunorum, Triumuirorum, & Quæstorum sunt propria, vt scribit Asconius Pedianus in 1. acti. in Verrem. Legimus autem apud Dionysium Halicarnasseum lib. 10. non longè à princ. Tribunos plebis Senatui interfuisse.

f *Donec Atinio Plebiscito.*] Sanè scio duos Patritios & Consulares viros Sp. Tarpeium & A. Æternium, Tribunos plebis, fuisse cooptatos apud Liuium 1. Decad. lib. 3.

g *Posse etiam plebem consulere.*] Vide infrà lib. 6 cap. 23.

h *Sicut apud Ætnam.*] Idem Gyraldus de diis gentium, & Cælius Rhodiginus lib. 23. cap. 29. nullo ab illis citato authore. Simile autem quippiam refert Plutarchus Aratum Sicyonium in vita illius fecisse: nempe quinquaginta canes cum quibusdam militibus, Acrocorinthi custodiæ commisisse

i *Et in Daunia.*] Aristoteles, sris est, περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, id est, de mirabilibus auscultationib. c. 106.

k *In sinu quoque Adriatico.*] Aristoteles in illo eodem libro cap. 73. & Seruius lib. 11. Æneid. in eum locum,

Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur.

l *Hoc etiam notatum est.*] Plutarchus Probl. cap. 81. scribit, C. Curio

ctem reclusas esse oportere. Cuius rei causam quærentibus nobis, illud probabile visum, quod congressus faciles ad se præbere, & neminem aditu arcere debet. Nam soli Tribuno, noctu pariter & die cuiuis opem implorãnti præsto esse, & ius auxilij sui expedire, atque à cuiusque magistratus nimia potentia plebem tueri fas est.

ANNOTATIONES.

C. Curionem dicere solitum, Tribunum plebis abiectum esse, nec aspectu grauem, nec aditu difficilem, sed facilem ac multitudini commodum & tractabilem. Vnde nec domus Tribunitiæ ianuam claudi mos erat, sed noctu & interdiu semper tãquam portus quidam & profugium, quibus optulandum esset, patebat.

Quid verbum sino, cum negandi aduerbio apud Iureconsultos designet, & quam vim habeat in edictis.

CAPVT IV.

ARguebat quispiam negligentiæ colonum suum, quem partiarium hebebat, quod cum fundum suburbanum in agro Neapolitano, vt vetus illius regionis mos est, colendum locauisset, in lege locationis ita scriptum fuit: Vt colonus fundum bene coleret, bene irrigaret, bene stercoraret, néve quempiam iniussu domini in fundum ingredi sineret. Cum posteà dominus poma & fructus arborum clam sublatos, & ex his nihil ad iustam magnitudinem crescere, quin furto subtractum foret, reperisset: coloni negligentiam incuriamque acerbè atque acriter apud iudices criminatus est: quantique sua interesset, tanti litem æstimari poscebat. Cumque colonus secundum locationis legem, se neminem admisisse, aut in fundum ingredi siuisse contenderet, contrà stabat fundi dominus, vehementique obiurgatione colonum incessebat, cum non modo non admittere quempiam, sed etiam euigilare atque attendere ne quis ingrederetur, debuisset. Quibus iurgijs ad multam diem protractis, tandem secundum domini postulata iudices litem dedêre, quantique domini interesset, tanti litem contra colonum æstimarunt. Sed cùm post immodicas altercationes sedatæ res & compositæ viderentur, amboque & colonus & dominus discessissent: percontatus ego sum iudices, quibus rationibus adducti, contra colonum litem æstimassent: nam pacto stetisse videbatur, si neminem permissu suo in fundum ingredi siuisset: atque adeò secundum pacti legem potius absoluendus quàm condemnandus fuit. Tum ex his vnus literis homo multis præditus, comprobata quæstione: Verbum, inquit, sino, in conuentione positum, si cum negandi aduerbio ponatur, non solum hanc habet vim, vt quis contrà facientem prohibere debeat: sed vt impensè operam det, ne ob socordiam negligentiamque secus fiat: quod nisi factum fuerit, culpa commissa est: debuit ergo colonus iuxta conuentionem deductam in chirographo, non solum ingredi volentem prohibere: sed enixè dare operam, & fundum ita custodire, ne quid ob socordiam furti damnive domino pateretur: quod quia molliter fecit atque neglexit, iure mulctandus fuit. Et ne, inquit, me hoc tantum asseuerare putes, poterit apud te multum fidei fecisse Alphenus iuris publici priuatique peritus, qui de hac quæstione, de qua tu modo quæris, consultus, ita respondit: (tum ibi libellum mirandæ vetustatis à sinu depromit, corrosis iam & senio labentibus literis. In eo ita scriptum fuit) Redemptor syluam ne cædito, néve finditio, néve deurito, neve quem findere, cædere, vrere sinito. Respondit Alphenus, locatorem potius id videri voluisse, vt redemptor non solum si quem casu vidisset syluam cædere, prohiberet: sed vt curaret dare operam, ne quis cæderet. Quod cum legissemus, tum planè animaduertimus, grauiter simul & verè litem æstimatam & iudicatam fuisse.

Sino cum negatione.

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

HOc caput nulla adnotatione indiget, quippe quod tantùm vim & naturam verbi sinendi declarat ex Alpheno Iurisconsulto, in l. locationis. ff. locat.

Ex quot militibus decuria, centuria, ordo, manipulus, vexillum, turma, cohors & legio, à Romanis scribi consueuerit.

CAPVT V.

IN antiquis annalibus illorum qui in re militari docti Romani moris & iuris fuere, intercisse scriptum inuenimus, militum ordines in acie instruenda, alios minores, nonnullos maiores descriptos fuisse: quò facilius cuius ordinis quisque miles, cuiusque manipuli esset, & sub quo duce militaret, dignosci animaduertique posset. Ideò imperatores singulas centurias ex centum peditibus, decurias verò ex decem equitibus scribere solitauere, vt hac militum descriptione distinctior acies & instructior fieret. Ordo autem, minor centuria maiorque decuria, ex sexa-

Centuria. Decuria. Cade.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

PRincipium huius cap. fere totum est ex Liuio 1. Decad. lib. 8. Sed quod paulò post dicitur, centurias peditum esse, decurias equitum. Cicero tamen in 7. Philippica loquitur de centuriis equitum: vti etiam facit Liuius 1. Decad. lib. 1. in regno Tarquinij Prisci. Et quod non omittendum ducimus, Asconius Pædianus in 3. actione in Verrem ad si

ginta militibus constat, cui præerat vexillarius plerunque centurio, aut ordinis ductor. [a] Manipulus leuis ex viginti militibus & turba scutatorum fit, Persis ex vigintiquatuor, militesque manipulares appellati. Huic etiam centurio præerat, quem manipularem vocitarunt. Manipulos vero quindecim suis interuallis distinctos, in prima acie velut fortissimum robur plerunque imperatores locarunt. Leuisque manipulus dictus, quod hastis miles gæsisque, non armis grauioribus muniretur. [b] Turmaquasi terma, triginta equites, hoc est, tres decurias, & decuriones tres vetusto more recipit, qui honore præstant & ordine. [c] Ex tribus enim centuriis, Ramnensi, Titiensi, & Luceri, (quas à prima origine ad belli pacisque munia Romulus instituerat) triginta equites singulis conficiendis turmis scribere solitus fuit, exque ea lectione turmæ constitutæ. [d] Sed turma ex equitibus, centuria fit ex peditibus. Has quoque tribus veteres nuncuparunt, & qui his præsunt, [e] tribuni vocati, [f] Primipilus ex tribus vexillis constat, qui centurionem habet, [g] cui primipili nomen, qui ordine primus erat: siquidem centurio primus, & primipilus, ac primi ordinis ductor, idem fuit: post quem ductor popularium, in Romanis castris sæpe meruit, & ordines duxit. [h] Vexillum ex centum octogintatribus hominibus fit. Horum primum [i] triarios habet veteranos, & summæ virtutis milites: secundum rorarios, fiduciæ paulo minoris: tertium verò [k] accensos, qui minimi roboris, vel in fronte locati, primos congressus excipiebant, vel in postremam aciem reiiciebantur. [l] Cohors alia milliaria, ea mille quingentos pedites, equites verò centum triginta duos habet. Cuius generis cohortes, quod ex lecto milite constabant: ad subita belli, quò lapsam aciem repararent, seruare soliti sunt. [m] Aliæ quingentariæ, quas ex quingentis quinquaginta peditibus, equitibus verò saxaginta sex plerunque descripsere. Ex quibus nonnullæ consulares, [n] aliæ prætoriæ, [o] aliæ vrbanæ, [p] multæ legionariæ, [q] pleræque auxiliares dictæ: [r] Cuius generis

Manipulus leuis. *Turma.* *Centuria.* *Tribus.* *Tribuni.* *Primipilus.* *Vexillū.* *Triarij.* *Rorarij.* *Accensi.* *Cohors milliaria.* *Quingetaria cohors.* *Consulares.*

ANNOTATIONES.

ad fi. scribit, decurias honestiorū esse, centurias inferiorum.

a *Manipulus leuis.*] Et hæc Liuij eodem loco: sed quod is dicit manipulum leuem esse 20. militum, Xenophon Pædiæ Ciri lib.6. simpliciter dicit manipulum esse 24. Cæterum Donatus enarrans eum locum lib.11. Æneid.

Tu Voluse armari Volscorum edice maniplis.

Aiunt, inquit, Manipulum dici ducentorum militum numerum sub vno rectore constitutum.

b *Turma quasi terma.*] Ex Varrone lib.1. aut aliorum computatione 4. de lingua Latina: Sexto Pompeio in verbo, turmam: & Vegetio lib.2. Rei militaris, cap.14.

c *Ex tribus enim, &c.*] Liuius, 1. Decad. lib.1. Asconius Pædianus in 3. actione in Verrem: & Seruius in li.5. Aeneidos Virgilij, ibi.

Tres equitum turmæ.---

d *Sed turma ex equitibus, &c.*] Hanc differentiam etiam posuit Vegetius d. lib.2. cap.14. & Seruius in eum locum, libr. 9. Aeneidos,

Cætera dum legio campis instructa moratur.

Hinc autem equitum turmæ Virgilio, lib.5. Aeneidos, eo loco quem nuper citauimus. Cæterum Liuius 3. Decad. lib. 10. vt turmas etiam equitibus attribuit vt cæteri, ita peditibus cohortes: Equites, inquit, in turmas, pedites in cohortes, sicut quondam à Romanis Centurionatus didicerat, distribuit. Iam autem diximus centuriam quoque de equitibus dici Tullio & Liuio.

e *Tribuni vocati.*] Asconius vbi suprà & Modestus in libro de vocabulis rei militaris.

f *Primipilus ex tribus vexillis.*] Liuius d. lib.8. Decad.1.

g *Cui primipili.*] Idem Liuius eiusdem 1. Decad. lib.7. paulo ante fi. Qui, inquit, alterius propè anni, & Tribunus militum, & primus Centurio erat, quem nunc primipili appellant. Sed & adde & hunc principem primum centurionem, ex eodem 3. Decad. lib.5, T. inquit, Pedanius princeps primus centurio, cum signifero signum ademisset, &c. Cæsar autem belli Ciuilis lib.1. L. inquit, Puppius primipili cẽturio adducitur. & alibi eodem libr. Ex Afranianis interficiuntur T. Cecilius primipili centurio.

h *Vexillum ex centum.*] Liuius 1. Decad. libr.8. Primum, ait vexillum Triarios habebat, veteranum militem spectatæ virtutis: secundum Rorarios minus roboris ætate factisque tertium Accensos minimæ fiduciæ manum, eò & in posteriorem aciem reiiciebantur.

i *Triarios.*] Liuius iis quæ supra diximus subiungit Triarij sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas subrecta cuspide in terra fixas, haud secus quàm vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud principes quoque haud satis prosperè esset pugnatum, à prima acie ad Triarios sensim referebantur. Inde rem ad Triarios rediisse, cum laboratur, prouerbio increbuit. Et Dionysius Halicarnassæus lib.8. Triarij, inquit, sunt veterani spectatæ virtutis quibus tempore pugnæ credunt castrorum custodiam: & non nisi necessitate coacti ad horū extremum subsidium refugiunt. Varro lib.4. de lingua Latina, vbi dicit hos ita dictos esse, quod in acie tertio ordine extremis subsidio ponerentur. Vegetius lib.1. cap.20. & lib. 2. cap. 2. vbi scribit & hos post omnes acies solere collocari, omni armorum genere instructos, qui genu posito subsidebant, vt si primam aciem vinci contigisset, ab iis integrato prælio victoria repararetur. Modestus in libello de vocabulis rei militaris: Sextus ordo post omnes à firmissimis & scutatis, & omni genere armorum munitis bellatores tenebat, quos antiqui Triarios appellabãt. Hi vt requieti & integri acrius inuaderent hostes, post vltimas acies sedere consueuerunt: & si quid in primis ordinibus accidisset, de eorum viribus reparaturis spes tota pendebat. Hæc ibi. Ex quibus satis intelligitur vnde exiit illud prouerbium, Res ad Triarios rediit, quod & à Liuio vbi suprà dictum est.

k *Accensos.*] Et tu de his etiam præter Liuium & in hac & in alia significatione vide Nonium Marcellum in doctorum indagine, Varronis authoritatē de vita populi Romani, lib.3. Asconium Pædianum in 3. actione in Verrem. Vegetium lib.2. cap.19. & lib.3. cap.14. & quæ diximus in nostris Commentariis Retractuum, lib.1. §.1. in glos.

l *Cohors alia milliaria.*] Modestus dicto libro dicit pedites 1105. Tu vide quæ scribentur infrà lib.6. cap.13.

m *Alia quingentaria.*] Vide dict. cap. 13. & præterea Plutarchum in vita Pelopidæ.

n *Alia prætoria.*] Apud Ciceronem in 2. Orat. aduersus Catilinam, & in Epist. ad Quintum fratrem. Tacitum libr. 3. & iterum. libr. 11. Et Plinium, qui prætorianas vocat. libr. cap.6.

o *Alia vrbana.*] Ex Cornelio Tacito lib.19.

p *Multa legionaria.*] Ex Liuio 4. Decad. lib.4. & iterum 10.

q *Pleraq; auxiliares dicta.*] Cesari li. 1. belli Ciuilis: & Modesto vbi suprà. Sed & tu his adde tumultuarias ex Cornelio Tacito lib.20. vt tamen super illis videas infrà lib.4. cap.1. lib.6. cap.22. Adde, inquam, cohortes vigilum ex ipso Tacito lib.19.

r *Cuius generis.*] Ex Modesto vbi suprà.

a Hernicos

Prætoria. Vrbana. Legionaria. Auxiliares. Quadragenaria. cohortes numero decem, iustam efficiunt legionem. Tametsi cohortes quinquagenarias apud Latinos, Samnites & [s] Hernicos, & [t] apud Camertes sexcentorum militum quandoque descriptas legamus, [u] quas in centurias, centurias verò in [x] contubernia, nonnunquam duces diuisere, vt decem militibus vno tabernaculo degentibus præesset vnus, qui contubernij caput foret, ipsáque cohabitatio contubernium dicta. [y] Cyrus tamen contubernia pro numero centuriorum diuisisse fertur, singulísque tabernaculis centum milites cohabitare iussisse, qui vno conuictu viuerent, & sub eodem Centurione militarent. [z] Lycurgus verò ad maximos conatus turmam quadratam ex quinquaginta equitibus fecit, quam ἐνωμοτίαν vocitauit: [a] qui etiam equites ac pedites in sex tribus diuisit, quarum quælibet tribunum militum, & quatuor præfectos manipulares habuit, quinquagenarios octo, duces turmarum sedecim. Ex quibus tribubus aliquando tres, nonnunquam sex turmæ pro necessitate constituebantur. Inter cæteras fuit [b] Spartæ cohors [c] Pitaneta præcipui roboris, quæ vltimo discrimini, & ad extremos casus seruabatur. Et tametsi centuriæ, decuriæ, turmæ, cohortes, equitatus, pro voluntate, próque arbitrio sæpe auctæ & imminutæ, nonnunquam duplicatæ fuerint: idem tamen nominis, quanuis mutato militum numero, sortitæ fuere. Legio autem non vno semper eodémque ex numero fit: sed pro robore, próque militari multitudine, modo maior amplíorque, modo exilior esse consueuit: sæpiúsque numero & genere variauit. [d] Romulo primùm regnante, legio ex peditum tribus milibus, equitibus verò trecentis fieri cœpta est: quam quod ex lectis militibus confecerat, [e] legionem appellari maluit. Aucta mox ciuitate aduentu Sabinorum, & crescente imperio, sex millium peditum, equitum sexcentorum, legiones fieri cœptum [f], Plutarchus author est: cuius testimonio amplissimo mouerer, nisi quòd à C. Mario primum, cum aduersus Cimbros moliretur arma, sex millium & ducentorum, peditum equitum verò trecentorum descriptas fuisse T. [g] Liuius memorat. [h] Scipio deinde, cui Aphricano fuit cognomen, cum in Aphricam traijceret, duas Cannensis exercitus legiones ita suppleuit, vt singulæ sex millia & ducentos pedites, trecentos haberent equites. [i] sæpiúsque in describendis legionibus variatum fuit, vt modo quatuor millium peditum, equitum verò trecentorum legiones

Pitaneta cohors. *Legio. In legionibus describendis variatū.*

ANNOTATIONES.

s *Hernicos.*] Horum quadragenariæ octo cohortes apud Liuium Decad. 1. lib. 7.

t *Apud Camertes.*] Id videre licet apud eundem 3. Decadis. lib. 8. non multò ante fin.

u *Quas in centurias, &c.*] Vegetius lib. 2. c. 13.

x *Contubernium dicta est.*] Festo Pompeio lib. 3.

y *Cyrus tamen.*] Vide Xenophontem.

z *Lycurgus verò.*] Plutarchus in Lycurgo authoritate Philostephani cuius in eam rem hæc verba sunt, φασὶ τοὺς ἐνωμοτίας [illegible] ἐν τετραγώνῳ σχήματι τεταγμένους.

a *Qui etiam equites.*] Scilicet Cyrus, Pædiæ Syri lib. 2. & expeditione Cyri iunioris: vide tamen num sit Lycurgus quem intelligit Alexander.

b *Spartæ cohors.*] De Lacedæmoniorum cohortibus hæc comperimus. Ephorus eam dicit fuisse quingentorum virorum; Callisthenes septingentorum; Polybius nongentorum, vti eos refert Plutarchus in Pelopida.

c *Pitaneta.*] De qua Herodotus lib. 9. & Thucydides belli Peloponnesiaci lib. 1. in præfatione.

d *Romulo primum regnante.*] Ex Plutarcho in Romulo. Seruius autem enarrans illud Virgilij lib. 7. Æneidos,

Hæc effatus eques numero pater eligit omni.

In legione, inquit, non nisi trecenti equites erant, quæ habebat sex millia virorum.

e *Legionem appellari maluit.*] Varro lib. 3. de vita populi Romani, apud Nonium Marcellum in verbo, legionum proprietarem: & iterum lib. 4. de lingua Latina. & Plutarchus in Romulo. Modestus in lib. de vocabulis rei militaris, post princ. & Vegetius lib. 2. cap. 1.

f *Plutarchus author est.*] Prædicto loco.

g *Liuius memorat.*] Id nullibi (quod meminerim) scribit T. Liuius, nec qui eius Epitomen scripsit. L. Florus. Sed id quod hic dicit Alexander Festi Pompeij est lib. 17. Verùm Festus Pompeius lib. 17. Sex millium, inquit, & ducentorum hominum primus C. Marius descripsit legionem, cum antea quatuor millium fuisset: vnde etiam appellabatur quadrata, de qua Plutarchus in vita Marij. Cæterum ipse Liuius 5. Decad. lib. 3. tradit in bello Macædonico aduersus Perseum statutum fuisse, ne plus sena millia peditum & 300. equites in singulas Romanas legiones essent. Et paucis interiectis scribit, duas legiones scriptas, quæ quina millia peditum & ducenos haberent, & equites trecentos. Rursúmque paulò post subiungit, in Hispania finitum fuisse in legiones numerum, peditum quina millia, trecentos & 30. equites.

h *Scipio deinde.*] Non deinde fuit, quia Scipio hic Africanus longo antè tempore præcessit C. Marium. Sed quod de eo hic tradit, Liuij est 3. Decadis lib. 9.

i *Sæpiúsque in describendis legionibus.*] Legiones non vno eodemque numero semper fuisse peditum & equitum, sed plerumque variasse iam satis liquet ex his quæ dicta sunt: & præterea ex Liuio 1. Decad. libr. 6. quatuor legionibus quaternum millium scriptis. Et lib. 7. Decem legiones scriptæ dicuntur quaternum millium & ducentorum peditum, equitúmque trecentorum. Et lib. 8. 3. Decad. lib. 1. Sempronio datæ legiones duæ: eæ quaterna millia erant peditum, & trecenti equites. lib. 2. Quantæ autem, inquit, peditum equitúmque additæ sint copiæ, adeo & numero & genere copiarum variant autores, vt vix quicquam satis certum affirmare ausim. Decem millia nouorum militum alij scripta in supplementum, alij nouas quatuor legiones quinque legionibus additas, vt nomen legionibus rem gererent: numero quoque peditū equitúmque legiones auctas millibus peditum, & centenis equitibus in singulas adiectis vt quina millia peditum trecēti milites essent. Et lib. 6. Exercitus ciuium sociorúmque minui iussus, vt ex duabus legionibus vna legio quinque millia peditum & trecenti equites essent. Et lib. 8. in oratione Scipionis Africani, propter quod facinus tota legio, millia quatuor hominum in foro Romæ securi percussi sunt. Et 4. Decad. lib. 7. Duæ legiones Romanæ, duæ sociorum ac Latini nominis erant: quina millia & quadringentos, aut, vt alij legunt, quadragenos singulæ habebant. Et lib. 10. in princ. Ob ea nonos exercitus conscribi placuit, quatuor legiones in Ligures, vbi singulæ quina millia, ducenos pedites, trecentos haberent equites. Et alibi eodem lib. nouam legionem ei quinque millium & ducentorum peditum cum equitibus quadringentis Consules scribere iussit. Et 5. Decad. lib. 1. Sed cum noua legione quam Consules conscripserant, quinque millibus peditum 300. equitibus in Corsicam iussus est transire. Et eiusdem, 5 Decad

ficerent: modo quinque millia peditum, equites trecenti in singulas essent legiones. Quibus Romani Duces ob varios euentus nomina iudidere, Siquidem [k] Caius Cæsar Martiam & [l] Alaudam præcipuas nuncupauit, [m] decimam maximo in honore habuit: [n] reliquas verò à numero dixit. [o] Nero ad Caspias portas ducturus, sex millium militum legionem fecit, quam phalangem magni Alexandri appellauit. Otho præcipuæ legioni, [p] Auxiliatrix nomen dedit: [q] Vitellius, Rapacis: [r] Varro vni vernaculæ: [s] Pompeius, gemellæ, quòd ex duabus vnam effecerat: [t] Hadrianus Mineruiam, alij primigeniam, [u] nonnulli classicam, [x] plerique Italicam, [y] septimam, [a] Galbianam,

Legionū diuersa nomina.

Legionis præcipuæ varia appellationes.

ANNOTATIONES.

Decad. li.4. Id præsidij additum Amicio præter duas legiones, quas portare in Macedoniā est iussus quina, 1000. peditum & ducenos habentes, trecentos equites, quid simile ei quod suprà in verbo, Liu. cōmemorat, ex eodē adduximus. Vt interim omittam Vegetium rei militaris li.2. c. item 2. scribentem singulas Romanas legiones habuisse 6000. armatorum, interdū amplius. Cęterum Modestus in libello de vocabulis rei militaris tradit legionē habere pedites 6000. 105. equites 726. Polyb. li. 1. loquens de 1. bello Pun. scribit tunc legionem fuisse 5000. & 200. peditum, & equitum 200. Et paulò pòst, 400. & 200. peditum, & equitum 200. Idem Polyyb. li.3. Romani, inquit, quatuor legionibus exercitum complent. Singulæ quæq; legiones quaternis millibus peditū constant, equitibus ducentis: aut si quando ingens aliqua necessitas viget, quinis millibus peditū, 300. equitibus. Et li.6. Singulæ legiones quaternûm millium & 200. peditum; modò 5000. si quando maius videretur periculum imminere. Seruius enarrans illud Virgil. lib. 7. Æneid.

---equos numero pater eligit omni. id est, inquit 300. & peritè dicit: nam in legione non nisi 300. equites erant quæ habebat sex millia virorum. Idem lib. 11. Æneid. in eum locum,

Tu Voluse armari Volscorum edice maniplis:

De hac ipsa re loquēs, dicit in his rebus accessu tēporis, ducum varietatē semper mutasse militię disciplinam. Apud Celtiberos autem, vt & id scias, iusta legio erat 400. scutatorum, & 200. equitum, vt testatur Liu. 3. Deca, li.8. post pr.

k *C. Cæsar Martiam.*] Non est C. Cæsar, Caligula cognominatus, sed C. Iulius Cæsar à quo cæteri Imperatores Cæsares nominati sunt qui legionem Martiam appellant ex Appiano li.1. iterumq; 4. belli Ciuilis: Velleio Paterculo li.2. in Augusti historia: Valerio max. li.3. c.2. L. Floro. epito. Liuij lib. 117. Et de hac quoq, in epistola Valeriani Imperatoris apud Trebellium Pollionem in vita Claudij secundi Imperatoris: cuius hæc verba sunt, Claudium Illyricanæ gentis vnum Tribunum Martiæ 5. legionis fortissimæ dedimus.

l *Et Alaudam.*] Ex Suetonio in ipso Cæsare. c.24. Qua fiducia, inquit, ad legiones quas à Republica acceperat: alias priuato, alias publico sumptu addidit, vnam etiam ex transalpinis conscriptam, vocabulo Gallico. Alauda enim appellabatur. Et de hac quoq; Plin. li. 11. c.37. paulò post pr. Præterea paruæ, quæ ab illo Gallerita appellata est quondam, postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat Alaudæ. Et Cicero ad Atticum li.16. epist.5. Antonius cum legione Alaudarum ad vrbem pergere, pecunias municipiis imperare. Et Philip.1. Addo etiā iudices manipulares ex legione Alaudarū. & Philip.5. Antesignanos & manipulares & Alaudas iudices se constituisse dicebat. Ex Philip.13. Huc accedant Alaudę cęteriq; veterani iudicū tertię decurię &c.

m *Decimam maximo in honore habuit.*] Vt videre licet ex eo ipso Cæsare li... belli Gallici, cuius hæc verba sunt, Quòd si præterea nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum, de qua non dubitaret, sibiq; eam prætoriam cohortem futurā. Huic legioni Cæsar & indulserat præcipuè, & propter virtutem confidebat maximè. Iterumque paulò pòst, & alibi sæpe, idem scito ex Appiano li. 2. bellorum Ciuilium, à quo hic Alexander id accepisse videtur.

n *Reliquas verò à numero dicit.*] Vt scilicet appellarētur prima, secunda, & deinceps: & milites etiam earum à numero primam, secundam, & deinceps, vt videbis infrà li.6. c.29.

o *Nero ad Caspias port.*] Suetonius in vita illius, c.19. Parabat, inquit, & ad Caspias portas expeditionem conscripta ex Italicis senum pedum tyronibus nona legione, quam magni Alexandri Phalangem appellabat.

p *Auxiliatricis nomen.*] Adiutricis dicere debuit ex Cornelio Tacito libr.18. & 19. quibus locis eam primam fuisse dicit. Cui concinit & l. vlt. de appar. præfect. præto. lib.12. vbi scribitur, cùm in legione prima adiutrice militaret. Spartianus item in Adriano post prin. dicit illum fuisse Tribunum Adiutricis legionis, quam secundam fuisse dicit. Scio autem Adiutricis & Auxiliatricis nomina idem significare, sed quia Adiutricis nomen siue cognomen huic legioni datum est, non licet id alio etiam idem significante appellare: non magis, quàm si quis Suetonium Tranquillum vocaret Suetonium Lenem, quanquam & ipsius Suetonij Tranquilli pater Suetonius Lenis vocabatur, vt ipse tradit in Othone. cap.10. Hæc tamen eadem in his vocabulis significatio fecit vt etiā ignotus interpres Plutarchi in vita ipsius Othonis, Auxiliatria, verterit: quē sequutus est noster Alexander.

q *Vitellius Rapacis.*] Plutarchus in d. vita Othonis: & Cornelius Tacitus d. li. 18. non semel, atque etiam d. li. 20. & vbique dicit eam fuisse vnam & vigesimam.

r *Varro vni vernacula.*] Id ex Cæsare depromptum est, lib. 2. belli Ciuilis, cuius hæc verba sunt, His cognitis rebus altera ex duabus legionibus, quæ vernacula appellatur ex castris Varronis astante & inspectante ipso signa sustulit. Idem autem Cæsar lib. 6. Belli Ciuilis, Pompeius, inquit, in conspectu vtrorunque oppidorum, neque suis ausus est subsidio venire. Aquilas & signa habuit tredecim legionū, sed ex quibus aliquid firmamēti se existimabat habere, duæ fuerunt vernaculæ quæ à Trebonio transfugerant: vna facta erat ex coloniis quæ fuerunt in his regionibus: & quarta fuit Afraniana ex Africa, quam secum adduxerat. Sed & Hircius in bello Alexandrino memorat milites vernaculos, militibus, inquit. vernaculis & secundæ legionis gratulatur: & paulò post, Nemo enim aut in prouincia natus, aut vernaculæ legionis miles, &c. Et iterum postea, permansit in sententia legio vernacula: Rursumque meminit L. Titij tribuni militum legionis vernaculæ. Et in bello Hispaniensi. Sed ex quibus aliquid firmamenti se existimabat habere, duæ fuerunt vernaculæ quæ à Trebonio transfugerant, & alibi sæpe in eo libr.

s *Pompeius Gemella.*] Cæsar de Pompeio loquens, li.3. Belli Ciuilis, non longè post princ. Legiones, inquit, effecerat ciuium Romanorum nouem: quinque ex Italia, quas traduxerat, vnam ex Sicilia veteranam, quam factam ex duabus Gemellam appellauit.

t *Hadrianus Mineruiam.*] Id haud dubiè sumpsit à Spartiano in vita illius pòst princ. vbi scribit id nominis fuisse ab Hadriano impositum, secunda expeditione Dacica Traianum ipsum Hadrianū primę legioni Mineruię pręposuisse.

v *Nonnulli classicam.*] De hac Cornelius Tacitus libr.18.

x *Plerique Italicam.*] Et de hac quoq; ipse Tacitus li. 17. & lib.18. ad fin. vbi eam dicit fuisse primam, & rursum lib. 19.

y *Septimam.*] Hæc non ita cognominata, sed numero, scilicet quòd inter alias septima esset, vocata est, vt pleræque omnes, vnde & Septimani dicti milites huius legionis apud Cornelium Tacitum. lib.19. de quibus & nos alibi dicemus. Sed hæc Septima multis aliis cognominibus vocata est, vt videbis in sequentibus annotationibus. Et Septimæ huius sine alio cognomine fit mentio à Cæsare, lib.2. item 3.4. & 5. Belli Gallici, & sæpe etiam à Tacito.

a *Galbianam.*] Tacitus hanc dicit fuisse Septimam. libr.18.

Gemea ala iusta legio.

[a] geminam: [b] Vinde missam: [c] alij Claudianam vocitarunt: [d] Valerianus felicem, [e] Samnites linteatam. Græcis verò Hipparchia ala fertur præcipua, quæ ex quingentis duodecim constabat equitibus, & alia [f] Agema: Macedonibus Etherica. [g] Apud Romanos Scribonia [h] & Singularium. [i] Antiochus Gemeam, mille equitum alam vocitauit. Inter quas ala Campanorum, ex quingentis ferè equibus multum [k] anteisse fertur. Illud [l] planè constat, veteres Romanorum perrarò, & nisi contra maximos conatus, plus quatuor legionum exercitus scripsisse, [m] atque in iusta legione centurias sexaginta, manipulos triginta, cohortes decem ponere consueuisse, [n]. Quodque iure militari præter descriptos singulis legionibus milites, qui Romani vel Latini nominis erant, semper auxiliares ex sociis ciuitatibus finitimis, aut externis, peregrinæ iuuentutis sub disciplina & cultu Romano, & auctum voluntariis agmeo iungi consueuere. [o] In quod id seruatum est, ne vnquam amplior numerus

ANNOTATIONES.

& 19. in duobus locis: ex quo forte legendum hic est vno spiritu & sine puncto Septimam Galbianam. Sed & eam Galbiam vocat idem Tacitus, dicto lib. 19. nisi & hæc sit alia, quod non opinor.

a *Geminam.*] Hæc quoque memoratur Tacito d. lib. 19. non multò post prin. vbi hanc dicit fuisse decimamtertiam. Et huius item meminit Antoninus in Itinerario. Et hæc fortè est quæ Gemella suprà dicta est.

b *Vindemissam.*] Vindemissam legendum ex Tacito lib. 20. quam & vnam & vigesimam dicit fuisse: vnde & hæc eadē videri potest cum Rapace illa, de qua suprà diximus.

c *Alij Claudianam.*] Tacitus, qui hanc dicit etiam fuisse Septimam. lib. 18. & 19. post princ. & iterum posteà eod. lib. & in hoc postremo loco apertè declarat, aliam fuisse Septimā Galbianam, de qua suprà locuti sumus, & hanc Septimam Claudianam.

d *Valerianus Felicem.*] Ex Flauio Vopisco in vita Probi Imperatoris, vbi dicit fuisse tertiam. Sed superioribus adde quartam legionem Macedonicam, ex ipso Tacito d. libr. 19. Adde inquam Pelignam ex Valerio Maximo. li. 3. cap. 2. vbi de Vibio loquitur: & Liuio 3. Decad. lib. 5. vbi de eodem loquitur, & ex eo intelliges eam ita vocatam, quòd erat ex Pelignis. Nam & cohortes quoque videmus appellari ex oppidis aut nationibus ex quibus erant: vt Marrucinam, Ficinianam, Vestiniam, Cremonensem apud eundē Liuium 5. Decad. libr. 4. vbi & ipsam Pelignam inter cæteras nominat. Et pariter equitum turmam Placētinam & Esseruinam in eodem loco. Hircus autem in libro de bello Alexandrino Ponticam legionem memorat. Sed & idem in bello Africano sæpe meminit legionum Iulianarum.

e *Samnites linteatam.*] Liuius declarans quare ita vocaretur, 1. Decad. lib. 10. & Festus Pompeius aliam eius appellationis causam afferens. lib. quoque 10.

f *Agema.*] Hîc ita legendum est, & alia Agema Macedonibus, & Etherica. Nam de primo est illud Liuij de Macedonibus loquentis. 5. Decad. li. 2. Delecta deinde & viribus & robore ætatis ex omni cetlatorum numero duo erant agemata, hanc ipsi legionem vocabant. Et iterum posteà, medius omnium erat Rex (is erat Perseus Macedonum rex) circa eum Agema quam vocant. Et Polybius lib. 5. Vocatis, inquit, ad se scutatis & quos Macedones Agema vocant: sic enim legendum est et non Agenia, vt in codicibus qui circūferuntur, legitur. Sed & in alio loco eiusdem. lib. 5. Eurylochus Magnes tribus millibus hominum præerat, quos reges Agema vocant: nam & sic quoque legendum est non Agnema, vt ibi corruptè legitur, vide tamen Græcum vtrobique. Et Q. Curtius de rebus gestis Alexandri libr. 4. vbi de acie, Alexandri Macedonis, in dextro cornu locati sunt equites quos Agema appellant. Et iterum lib. 5. De Etherica autem & ipsorum Macedonum legione Probus Aemilius in Eumene. Sed & adde eorundem sacras alas ex Liuio 5. Decad. lib. 2. in duobus locis.

g *Apud Romanos Scribonia.*] De hac ala Tacitus libr. 19. post princip.

h *Et Singularium.*] Tacitus lib. 20. Accessit, inquit, ala Singularium excita olim à Vitellio. Sed & his alis Romanorum adde alam Taurinam ex Tacito libr. 17. Et Aurariam ex eodem libr. 19. Et Picentiniam ex eodem libr. 20. quæ & ipsæ, vt puto, dictæ sunt ex gentibus ex quibus erant, vt suprà diximus de legionibus, & cohortibus.

i *Antiochus Gemeam.*] Ex Liuio 4. Decad. libr. 7. vbi sic scriptum reperitur in quibusdam codicibus quos secutus est Alexander, Addita his ala mille fermè equitum: Gemeam eam vocabant. Nam ibi de Antiochi exercitu loquitur, verùm in veteri codice legitur Agema.

k *Anteisse fertur.*] Superioribus adde. Cares Alam equitum appellasse: vnde Alabandus Euhippi & Callirhoës filius ab equestri pugna victor nomen adeptus est, vt testatur Stephanus de vrbibus, & ex illo Volaterranus Geographiæ libr 10.

l *Illud planè constat.*] Sic legiones ternæ datæ consulibus: quatuor dictator vsus apud Liuium Decad. 1. lib. 2. fuit autem is tantus quantus numquam antè exercitus fuerat ex legionibus decem, vt idē ait: qui eiusdem Decad. lib. 8. pro exercitu, Scribebantur, inquit, quatuor ferè legiones qninis millibus peditum, equitibus in singulas legiones tricenis.

m *Atque in iusta legione.*] Ex Gellio li. 16: cap. 4. in fi. authoritate Cincij. lib. 3. de re militari: cuius hæc verba sunt, In legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem. Cui in numero cohortium consentiunt Modestus in libello de vocabulis rei militaris: & Vegetius de re militari li. 2. cap. 6. vbi & ipsi sigillatim declarant numerum & signa singulatum cohortium, & iisdem propè verbis: vt hinc possis intelligere vnum ab altero mutuasse, scilicet, Vegetium, qui tempore Valentiniani Imperatoris vixit, & ei eos suos libros dedicauit; Modesto qui tempore Taciti etiam Imperatoris suum librum scripsit eique dedicauit. Præcessit autem Tacitus Valentinianum plus minus nonaginta annis. Sed & idem scribit Seruius, enarrans illud libr. 11. Aeneidos,

Tu Volouse armari Volscorum edice maniplis,

Præterquam quod dicit sex cohortes, vbi alij decem dicunt.

n *Quodque iure militari.*] Modestus vbi suprà, & Vegetius illius quoque operis lib. 2. cap. item 2.

o *In quo id seruatum est.*] Liuius 3. Decad. libr. 5. id quidem semper cauendum Romanis ducibus monet, exemplâque hæc pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis, vt non plus sui roboris suarumque propriarum virium in castris habeant. Hæc ille. Exempla autem illa, de quibus loquitur, ea sunt quæ antè retulerat, P. scilicet & L. Scipiones fratres, & eorum exercitum in Hispania periisse dolo auxiliariorum qui multò maiore numero erant quàm Romani. Sed & idem eiusdem Decad. libr. 8. loquens de Scipione Africano filio illius Scipionis & nepote alterius ex fratre; Scipio, inquit, cum ad eum fama tanti comparati exercitus perlata esset, neque Romanis legionibus tantæ se parem multitudini ratus, vt non in speciem saltem opponerentur Barbarorum auxilia: neque in iis tamen tantum virium ponendum, vt mutando fidem quæ cladis causa fuisset, patri patruóq; magnum momentum faceret, præmisso Scyllano ad Colcam duodetriginta oppidis regnantem, vt equites peditesque ab eo quos se per hyemem conscripturum pollicitus erat, acciperet. Polybius verò loquens de

auxiliariorum ex peregrinis copiis, quàm ciuium foret: [p] tametsi à prima origine Romani semper suo milite, nullo externo adiuti militarant. [q] Quódque singulis quatuor legionibus, Tribuni militum seni ac deni Præfecti, Centuriones, Decuriones & Legati præesse consueuere. [r] Est quoque illud animaduertere, lege militari sancitum, vt miles subsit Centurioni, Centurio Tribuno, Tribunus Præfecto castrorum, Præfectus Legato, Legatus Consulis pareat imperio. Consul autem, & Magister Equitum, sicut reliqui magistratus, Dictatoris iussui & potestati subest. [s] Claudius verò Cæsar militiam ita ordinauit, vt post cohortem, alam: post alam, tribunatum legionis daret: quam militarem institutionem [t] à Lacedæmoniis fluxisse crediderim. [u] à quibus reliqua Græcia armorum duces, velut rei militaris peritissimos, petebat: quibus in more fuit, per gradus maiores duces minoribus præesse: & ne turbatis imperiis confonderentur, munia distincta mandare multis. Nam cùm rex apud eos summum gerat imperium, post regem fuere duces: proxima dignitate tribuni, post tribunos centuriones: deinceps decani. Ita vt cùm gerendarum rerum cura & procuratio multis incumberet, in exercitu vix quispiam mediocri prudentia vir, sine honore aut imperio foret.

Singularum legionum capita. *Ordo magistratuũ in re militari.* *Militiæ ordo.* *Lacedæmoniorũ duces rei militaris peritissimi.*

ANNOTATIONES.

de Romanorum castrametatione. lib. 6. Multitudo, inquit, vniuersa auxiliariorum existit. peditum æqualis plerunque Romanis legionibus: equites duplo plures sunt Romanis.

p *Tametsi à prima origine.*] Id quidem videre licet ex Liuio 1. Decad. prioribus lib.

q *Quodq; singulis quatuor legionibus.*] Id ex Liu. est 1. Decad. lib. 9. vbi ita scribit, Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum vtraque pertinentia ad rem militarem. Vnum vt Tribuni militum seni deni in quatuor legiones à populo crearentur, quæ antea per quam paucis suffragio populi redictis locis Dictatorum & Consulum ferme fuere beneficia: idque fortè aliquandiu obseruatum fuit. Verùm posterioribus temporibus, præsertim sub Imperatoribus sæpe aliter, nempe, vt singuli Tribuni singulis legionibus darentur. Liuius enim 5. Decad. libr. 5. loquitur de Seruio Sulpuio Galba Tribuno militum secundæ legionis in Macedonia. Et Cæsar lib. 6. Belli Gallici de Victore septimæ legionis Tribuno: Suetonius in Othone cap. 10. de Suetonio Leni Tribuno tertiæ decimæ legionis. Et Spartianus in Adriano post prin. quem dicit fuisse Tribunum secundæ legionis. Et Trebellius Pollio in vita Claudij secundi in epistola Valeriani Imperatoris: vbi ipsum Claudium creat Tribunum Martiæ legionis, vt & suprà diximus ad aliud propositum.

r *Est quoque illud &c.*] Id quoque paucis interuersis Liuij est 1. Decad. libr. 8. cuius hæc verba sunt, Quod si fecisset non L. Papyrium, sed Tribunos, sed prauum populi iudicium nequicquam posteros accusaturos: cùm polluta semel militari disciplina, non miles Centurionis, non Centurio Tribuni, non Tribunus Legati, non Legatus Consulis, non Magister equitum Dictatoris pareat imperio. Sed & quod Centuriones Tribunis parerent, illis autem Decuriones testis est Dionysius Halicarnass. lib. 2.

s *Claudius verò Cæsar.*] Suetonius in vita illius. cap. 25. in prin. prope ad verbum.

t *A Lacedæmoniis.*] Ex Thucydide lib. 5. vbi scribit, Apud Lacedæmonios ex lege Decani suberant Centurionibus, hi Tribunis, hi ducibus à rege præpositis, hi regibus. De eorum autem peritia in re militari omnes vbique, qui eorum mores & instituta describunt, locupletissimum testimonium perhibuerunt.

u *A quibus reliqua Græcia, &c.*] Sic enim Gylippum Lacedæmonium Syracusani pro duce & Imperatore accersiuerunt in Bello Peloponnesiaco, qui Niciam vicit, apud Thucydidem & Plutarchum in vita ipsius Niciæ. Sed & Carthaginenses quoque Xantippum & ipsum Lacedæmonium aduersus Romanos, qui Attilium Regulum Romanum imperatorem vicit, & viuum cepit, vt est apud Florum ex Liuio, Epitome lib. 18.

Ex quibus causis Dictator apud Romanos olim, & quare fieri consueuit.

CAPVT VI.

DICTATOREM, à quo [a] prouocare non licebat, quemq; [b] summum Romæ imperium tenuisse certum est, non modo laborante repub. & [c] trepidis in rebus, cùm aut de communi libertate ageretur, metusque de summa rerum esset, quod vltimum erat consilium: sed ex variis euentis, diuersisque rerum causis creari solitum accepimus. [d] Nam & claui figendi, & senatus legendi, aut magistratus coërcendi causa, nonnunquam quæstionibus exercendis, plerunque comitiis habendis, sicut res tempusq; postulabant, etiam florente republica, & procul à belli tumultu creatum fuisse liquet, [e] Constat enim ciuitate morbo laborante, cùm vis pestilentiæ, & insanabilis pernicies, tabesq; ciuitatis ita per omnium capita peruagata esset, vt nec ope diuina, nec humanis consiliis leuari posset, quotidiéq; variis morbis corpora affecta caderent: ex seniorum memoria repertum pestilentiã quondã fixo à Dictatore clauo decessisse. Ideo C. Genutio, & L. Æmilio Mamerco consulibus, &

Dictatores cur crearentur. *Claui figendi causa.*

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

a *Prouocare non licet.*] De hoc suprà c. 5. in verbo, A quo non est prouocatio.

b *Summum Romæ Imperium.*] Liuius 5. Decad. lib. 2. maximum dicit, inquiens, Ædem Q. Fabius maximus Dictator vouit, quia ita ex fatalibus libris editum erat vt is voueret, cuius maximum imperium in ciuitate esset. Pomponius autem noster in l. 2. §. populo. ff. de orig. iuris. dicit summam eum habuisse potestatem.

c *Trepidis in rebus &c.*] Id videre licet apud Liuium 1. Deca. li. 2. in creatione T. Largij primi Dictatoris: iterumque paulo pòst in creatione A. Posthumij. & lib. 3. in creatione L. Quintij Cincinnati. Et lib. 4. in creatione Mamerci Æmilij vbi his istis verbis vtitur: & alibi sæpe in creationibus, vt eum alij Dictatorem: & Plutarchum in Hannibale.

d *Nam & claui figendi, &c.*] De his postea sigillatim dicetur.

e *Constat enim, &c.*] Hæc ad causam claui figendi pertinent suntque Liuij 1. Decad. li. 7. post prin. vbi loquitur de creatione L. Manlij Imperiosi, cuius Alexander hic meminit. Et libr. 8. vbi de creatione M. Claudij Marcelli: Et iterum de creatione L. Æmilij Mamerci. Rursùmque lib. 9. de creatione, C. Petilij. & alibi sæpe.

L. Manlius clauo fixo pestē sedauit. *Cn. Quintilius clauo fixo mentes alienatas sui compotes fecit.* *Comitiorū causa.*

sæpe aliàs, cùm graui morbo ciuitas affecta esset, senatus L. Manlinm Imperiosum, dictatorem claui figendi causa dici iussit, qui dictator dictus, clauum panxit, ísque clauus dextro lateri ædis Iouis optimi maximi in capitolio fixus fuit. [f] Post quem cùm Romæ de veneficiis quærerent, & aliquot matronæ damnatæ forent, eáque res prodigij haberetur loco: vt mentes alienatæ, sui compotes fierent, simili memoria ex annalibus repetita, claui figendi causa dictator creatus Cneus Quintilius fuit, qui fixo item clauo, cum eo piaculo ciuium mentes sui compotes fecisset discordésque animos conciliasset, dictatura se abdicauit. [g] Eos autem clauos fuisse æneos, notásque numeri annorum quibus tunc tempora designabant, habuisse, idque à Vulsiniis emanasse ferunt, qnibus in vsu erat clauos indices numeri annorum habere fixos in templo Nurciæ Hetruscæ deæ. [h] Comitiurum verò causa, si quando neuter consulum bello abesse poterat, vel morbo aut alia necessitate comitiis præesse nequirent, senatum absentibus consulibus dictatorem, qui comitiis præesset, dicere censuisse, sæpè compertum est. [i] Dicebat enim consul dictatorem comitiorum causa [k] in castris, vel vbivbi terrarum erat, cum ipse à bello auocari commodo reipublicæ non posset. [l] Quæstionibus quoque

Quæstionū exercendarū causa.

exercendis creari dictatorem, argumento est, quod Sp. Melio imperium populi Romani affectante, cum nullius imperio magistratns cogi posset, senatus, vt nefarios ipsius conatus reprimeret, vtque clandestinas insidias à capite & ceruicibus dimoueret, dictatorem creari exacta ætate Q. Cineinnatum voluit, qui re explorata, sumpto de reo supplicio, dictatura se abdicauit. [m] Et cum occultas principum coniurationes, consiliáque clandestina, Capuæ fieri percrebuisset, senatum quæstiones veri inquirendi causa decreuisse, dictatorémque quæstionibns exercendis dici censuisse multi adnotarunt. Nec me præterit, [n] legendi quoque senatus, cùm patres in demortuorum loco suffici, ordinémque senctorum suppleri opus foret, vt esset qni nouos legeret senatores, quique senatum sufficeret, plerunque dictatorem fuisse. Quo tempore illud euenit, [o] vt duo simul dictatores, quod nunquam antea factum, crearentur, Marcus scilicet Iunius, qui castris dictator tunc præerat, & M. Fabius Buteo, qui ordinem senatorum, eo quòd multi bello ceciderant, sufficeret legerétque [p] Quanquam & feriarum causa, cum tetra prodigia nunciarentur; proptereáque feriæ indicendæ forent, vt esset qui ferias indiceret, [q] quique ludis Romanis, aut quadrigis mittendis præesset. [r] Nunquam vt illornm contumaciam cohiberet, qui functi honoribus, magistratn abire, vel senatus dicto parere nollent. Interdum, qni flaminem proderet, dictatorem fuisse legimus: qui

Legendi senatus gratia. *Dictatores duo simul creati.* *Ferias indicēdi causa.* *Contumaciam cohibēdi causa.*

ANNOTATIONES.

f *Post quem cum Roma de veneficiis &c.*] Id ex Liuio est 1. Decad.lib.8.vbi postquam tradidit 170.Mattonas veneficij damnatas, subiungit. Neque de veneficiis ante eam diem Romæ quæsitum est, prodigij ea res loco habita, captísque magis mentibus quàm consceleratis similia visa. Itaq; memoria ex Annalibus repetita, in successionibus quoodam plebis clauum à dictatore fixum, alienatásq; discordia mentes hominum, eò piaculo compotes sui fecisse, dictatorem claui figeodi causa creari placuit, Creatus est Cneus Quintilius.

g *Eos autem clauos fuisse aneos, &c.*] De iis clauis Liuius à quo hæc maiori ex parte accepit, 1. Decad.lib.7.non multò post princ. Eum clauum, inquit, quia taræ per ea tempora erant literæ, notam numeri annorum fuisse ferunt, eóque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus Mineruæ inuentum sit. Vulsinius quoque clauos indices numeri annorum fixos in tēplo Nurtiæ Hetruscæ comparere, diligēs talium mooumentorum author Cincius affirmat. Hæc ille. Festus quoque Pompeius lib.3. Clanus, ait, annalis appellatur, qui figebatur iu parietibus sacrarum ædium per annos singulos, vt per eos numerus colligeretur annorum.

h *Comitiorum verò causa.*] De dictatoribus creatis Comitiorum causa, Liuius 1.Decad.lib.7.vbi scribit hac de causa creatum foisse ægtis Consulibus L. Furium Camillum: & paulò post T. Manlium Torquatum. Et 3. Decad.libr.2. L. Veturium Philonem absentibus Consulibus. Et libr. 5. post princ. Q. Fuloium Flaccum, etiam consulibus absentibus. Et lib.9.ob eandem causam Q. Cæcilium Metellum. Sed & Consulibus præsentibus nec impeditis nonnunquam placuit Comitia per dictatorem haberi. Sic enim C. Claudius Nero M. Liuium collegam dictatorem dixit Comitiorum causa apud eundem Liuium 3.Decad.lib.8.Et vide Liuium in eo loco quem tibi adducam infrà in verbo, Atq; in agro Romano.

i *Dicebat enim Consul.*] Sic enim L. Cornelius Consul M. Claudium Marcellum dictatorem dixit apud Liuium 1. Decadis io libro octauo.& alibi sæpe.

k *In castris.*] Et sic quoque C. Iulius eiosdem 1.Decad.li.7.

l *Quæstionibus quoque exercendis.*] Hæc sunt ipsius Liuij 1.Decadis libr. 4. vbi hanc Sp. Melij historiam concinnè scribit.

m *Et cum occultas &c.*] Et hanc quoque historiam scripsit Liuius eiusdem 1.Decad.

n *Legendi quoque Senatus.*] Ex eodem Liuio 3.Decad.libr.3.

o *Vt duo simul dictatores.*] Id quodque est ex Liuio eodem illo libr.3. Decad.& Plutarcho tum in Hannibale, tom in Fabio maximo. Polybius autem lib.3. loquens de M Minutio Ruffo magistro equitum, ipsius Fabij Maximi, cui à populo Romano æquatum fuerat Imperium cum ipso dictatore, Iam duo, inquit, dictatores vno tempore, vno exercitu erant, res ante eum diem inaudita.

p *Quanquam & feriarum causa.*] Sic creatus est M. Valerius Publicola apud Lioium 1. Decad.lib.7.

q *Quiq; ludis Romanis, aut quadrigis.*]. Liuius 1.Decad. libr. 8.io fi. Nec discrepat, inquit, quin dictator eo anoo, A. Cornelius fuerit, id ambigitur bellinè gerendi causa creatus sit, an vt esset qui Ludis Romanis (quia L. Plaotus prætor graui morbo fortè implicitus erat) signum mittendis quadrigis daret. Et li.9.in oratione P. Sempronij Tribuni pleb. Quem claui, inquit, figeodi, aut Ludorum causa dictatorem crees. Et 3.Decad.lib.7.T. Quintius Consul dictatore Comitiorum Ludorúmq; faciendorum causa dicto, L. Manlio Torquato ex vulnere mortuo. Ex quo vides aliquando duabus illis causis simul dictatorem factum.

r *Nonnunquam vt illorum contumaciam &c.*] Apud Liuium 1.Decad.lib.4.L. Qninctius Cincinnatus dictator dictus ad comprimendam cohibendámqoe Sp. Melij viri seditiosi & regnum affectantis impotentium ac contumaciam. Et 3. Decad.lib.10.P. Sulpitius etiam dictator dictus, vt pro iure maioris imperij Cn. Seruilium Consulem qui iussu Senatus traiecerat in Siciliam, inde in Africam transiturus, in Italiam reuocaret.

s Sed

uidem magistratus non Romæ tantùm, [a] sed & Albæ, & Lanuuij, [x] & in toto ferè Latio summus rat. Id quoque non prætereundum, quòd siue belli gerendi, siue cuiusuis muneris exequendi causa, ictator dictus foret, nisi virum consularem, quiq; consulatum antea gessisset, [u] & nocte silente, [x] que in agro Romano (is autem Italia terminabatur) dici licuisse: [y] nec vltra sex menses [z] ante yllam, dictaturæ munus quempiam exercuisse, [a] præter Furium Camillum, cui iam exacto semestri, ùm consternata republica laborarent ancipiti metu, ne tumultus vrbani fierent, néve vrbe relicta, Ro ani Veios migrarent, senatus in annum dictaturam inuito prorogauit: [b] atque hic Camillus fuit, ui vindex maiestatis Romanæ, dictatura quinquies, triumpho quater potitus est. [c] Consulatum verò unquam attigit, [d] tametsi lege veteri de dictatore creando primùm lata, id sancitum fuerit, vt nisi onsulares viri, quiq; consulatum antea gessissent, nulli dictatores haberentur aut fierent.

Prodendi fluminis gratia. Dictator quis creabatur, & quo tempore, & loco, & quamdiu Furius Camillus.

ANNOTATIONES.

Sed & Albæ.] Liuius 1. Decad. lib. 1. in regno Tullij Hostilij, dictatorem, inquit, Albani Metium Suffetium creant: orum verò potius an Græcorum exemplar sequuti fuerit Romani, disquirit Dionysius Halicarnass. li. 5. extremo.

Et in toto fere Latio.] Ælius Spartianus in Hadriano scribit illum per Latina oppida fuisse dictatorem. Vide infra 4. cap. 23.

Ex morte silente.] Ex Liuio 1. Decad. lib. 8. & 9.

Atque in agro Romano.] Ex eodem 3. Dec. li. 7. Cuius hæc rba sunt, Hæc recitata à Consule ita mouêre Senatum, non expectanda Comitia Consulis censeret, sed dictatorem Comitiorum causa dicto, ex templo in Prouinciam reddendum. Illa disceptatio tenebat, quòd Consul in Sicilia se Valerium Messalam, qui tum classi præesset, dictatorem cturum esse aiebat: partes extra Romanum agrum (eum Italia terminari) negabant dictatorem dici posse, & cæteraque sequuntur. Sed & ibi alio loco, Hi nunciare Consuli lli, vt si ad Comitia ipse Romam venire non posset, dictatorem in agro Romano diceret.

Nec vltra sex menses.] Liuius 1. Decad. lib. 6. post. princ. & mponius tit. 2. §. populo. ff. de orig. iur.

z *Ante Syllam.*] Hic enim perpetuam dictaturam vsurpauit exercuitque per aliquot annos, & tandem se ea sponte abdicauit. Plutarchus in vita illius. Iulius Florus Epitome Liuij lib. 99. Sed & post illum Iulius Cæsar perpetuam & ipsam dictaturam sibi decerni passus est: ex Sueton id in vita illius c. 77. & Plutarcho etiam in vita illius, & omnibus vbique. Vnde & priuatim Cæsar dictator vocatur ad differentiam aliorum. Ita enim illum simpliciter appellat Tacitus lib. 5. & Plinius lib. 2. cap. 30.

a *Præter Furium Camillum.*] Liuius 1. Decad. lib. 6. ad principium: & Plutarchus in vita illius.

b *Atque hic Camillus fuit.*] Plutarchus ibi in princ. & satis liquet ex Liuio 1. Decad. lib. 5. & 6.

c *Atque consulatum nunquam attigit.*] Plutarchus vbi suprà.

d *Tametsi lege veteri &c.*] Id Liuij est 1. Decad. lib. 2. Apud Veterrimos, inquit, authores T. Largiū dictatorem primū, & Sp. Cassium magistrum equitum creatos inuenio, Consulares legere: ita lex iubebat de dictatore creando lata. Hæc ibi. Alia autem multa de dictatoribus videbis infrà lib. 4. cap. 23.

Locus est Terentij Phormione elucidatus, & vetus senatusconsultum à Græcis ad Romanos deductum.

CAPVT VII.

LEGEBAMVS aliquando, dum pueri essemus, Terentij Phormionem, vbi adolescens filius virginis amore perditus, mentitus se proximum genere, puellam absente patre vxorem duxerat, lege coactus. Demum reuersus pater, seruum, cuius suasu nuptias confecerat, quòd indotatam duxisset atque ignobilem, iurgiis afficiebat, quòd leui mercede inhonestas nuptias effugere, & filium ab ignominia redimere potuisset. Hoc erat, si dotem virgini dedisset, vt dote contenta, alium puella virum quæreret, filium verò dimitteret: aut si pecunia deesset, mutuam sumeret l fœnore. Cui seruus in hæc verba respondit, Hui dixti pulchrè, siquidem quisquam crederet, Te vi. Quid sibi vellet, quòd viuo patre neminem filio crediturum pecuniam seruus respondebat, non tis tunc acceperamus. Sed quum post aliquot dies, in eandem lectionem vt fit, incideremus, animadertimus vetus olim senatusconsultum fuisse, quod primum [a] à Solone veteri lege sancitum, inde ad ostros deductum fuisse arbitror, quo cautum fuit, Patre viuente, filio qui sub patris iure est, credi peuniam non licere: & qui credidisset petitionem non habere: ne filius familiás ære nexus alieno, vt cretum redderet, vel necem patri machinaretur, aut aliunde eam inhonestius quæreret. Sed cum ipus senatusconsulti verba non haberemus, incidimus fortè ad id temporis cùm hæc dictaui, in plucula legum commentaria, quæ ex naufragio erepta, nauta quispiam Romam aduexerat: ea cum nendi studio inspiceremus illud ipsum senatusconsultum, quod diu impensa opera quæsieramus, su inuenimus. [b] Verba verò ex eo senatusconsulto hæc sunt: Placere ne cui qui filio familiás muuam pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis, cuius in potestate fuisset, actio petitióque aretur. Vt scirent, qui pessimo exemplo fœnerarent, nullius posse filiifamiliás bonum nomen, inde expectata patris sui morte fieri, & infra: Cùm enim fœneratores magna licentia pro bitrio fœnerarent, cautum fuit primò [c] duodecim tabulis de modo credendi, ne quis plus

Solonis lex. Senatusconsultum in fœneratores.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

A *Solone.*] Tu nullum apud βιογράφους reperias huius legis verbum.

Verbo verò ex eo Sc. &c.] Nescio cur Alexander se eius c. verba inuenisse dicat in commentariis quibusdam è aufragio ereptis, cum ea ad verbum inscripta sint in l. 1. ff. ad Senatusconsult. Macedo. qui quidem titulus tam ff. quàm Codicis non ob aliud editus est, quàm ad interpretationem illius Sc.

c *Duodecim tabulis &c.*]Totius hic locus ex Cornelij Taciti lib. 5. depromptus est, cuius hæc verba sunt, Interea magna

Fœnus quo pacto paulatim abrogatum. Credebatur non vltra duo millia drachmarum. Cæl. Plotius fœnerator. Reliquatores.

vnclario fœnore fœneraret. mox tribunitia rogatione ad semuncias fœnus redactum, deinde ad semissem, postea ad trientem : [d] demum L. Genutius Tribunus plebis tulit ad populum, ne vllo modo fœnerari liceret. Post aliquod verò tempus, [e] Sulpitius Trib. plebis, vt credendi modum præfiniret, legem tulit, ne quis ordinis senatorij, vltra duo millia drachmarum æs alienum conflaret : qui postea decedens, contra legem à se latam, trecentas myriadas æris alieni conflasse inuentus est. [f] Diuus deinde Cæsar etiam certum modum credendi præfiniuit. Tiberius verò vt fœnus tolleretur omnino disposito per mensas millies sestertio cauit, vt singulis facultas creditum accipiendi fieret in triennium sine vsuris, si debitor in duplum populo cauisset. Postremò pluribus plebiscitis, non modò fœnus, sed vetita versura fuit, cautumque perpetuo senatusconsulto, ne filiosfamilias credere liceret. Causam ferunt fuisse, [g] quòd Cælius Plotius fœnerator T. Veturium nexum & addictum, ob reliquum fœnoris non redditi, stuprare voluit, & verbere affecit. [h] Sicut de Papyrio traditur, qui Publium nexum ad libidinem perlicere conatus fuit, quæ causa traditur fuisse, vt nexi soluerentur, neve in posterum quisquam necteretur. In qua quidem re, adnotare succurrit, apud iureconsultos, reliquatores [i] dici, qui integrum æs alienum cum fœnore non exoluissent, sed partem æris alieni & fœnoris deberent. fuitque Athenis

ANNOTATIONES.

vis accusatorum in eos irrupit, qui pecunias fœnore auctitabāt aduersus legem Dictatoris Cæsaris, qua de modo credendi, possidendique intra Italiam cauetur, omissa olim, quia priuato vsui bonum publicum postponitur. Sanè vetus vrbi funebre malum, & seditionum discordiarúmque crebertima causa, eóque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primò duodecim tabulis sanctum, ne quis vnciario fœnore amplius exerceret, cum anteà ex libidine locupletium agitaretur. Dein rogatione Tribunitia ad semuncias redacta. Postremò vetita versura, multisque plebisciti, obuiam itum fraudibus, quæ toties repressæ miras per artes rursum oriebantur. Sed tum Gracchos prætor cui ea quæstio euenerat, multitudine periclitantium subactus retulit ad Senatum, trepidique patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam à principe perluere : & concedente, annos in posterum seaque menses dati, queis secundum iussa legis, rationes familiares quisque componeret. Hinc inopia rei nummariæ commotu simul omnium ære alieno : & quia tot damnatis, bonisque eorum diuenditis, signatum argentum fisco vel ærario attinebatur. Adhæc senatus præscripserat, duas quisque fœnoris partes in agris per Italiam collocaret. Sed creditores in solidum appellabant, nec decorum appellatis minuere fidem. Ita primo concursatio, & preces, dein strepere Prætoris Tribunal: eáque quæ remedio quæsita venditio & emptio, contrarium mutari, quia fœneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant. Copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obæratior ægrius distrahebant, multique fortunis prouoluebantur. Euersio rei familiaris dignitatem & famam præceps dabat, donec tulit opem Cæsar disposito per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine vsuris per triennium, si debitor populo in duplum prædiis cauisset. Sic refecta fides & paulatim, priuati quoque creditores reperti : neque emptio agrorum exercita ad formam Senatusconsulti, acribus vt fermè talia initiis, incurioso fine. Sed & huc spectabant verba Titi Liuij 1. Decadis libr. 7. Haud æquè patribus læta insequenti anno C. Martio Cn. Manlio Consulib. de vnciario fœnore à M. Duellio & L. Menenio Tribunis plebis rogatio est perlata : & plebs aliquanto eam cupidius sciuit accepitque. Et non multo pòst, Non eadem domi quæ militiæ fortuna erat plebi Romanæ. Nam etsi vnciario fœnore facto leuata vsura esset, sorte ipsa obruebantur inopes, noxámque ibant, &c. Et alio loco eiusdem libri, Idem, inquit, otium mansit. Manlio Torquato, C. Plancio Consulibus, semunciarum tantum ex vnciario fœnus factum, & in pensiones æquas triennij, ita vt quarta præsens esset, solutio æris alieni dispensata est : & sic quoque parte plebis affecta, fides tamen publica priuatis difficultatibus potior ad curam Senatui fuit : leuatæ maximæ res, quia tributo ac delectu supersessum. Hæc ibi. Vnciarium autem fœnus cuiusmodi sit, vt id in transcursu dicam, disces ex Budæo de Asse libr. 1. vbi de vnciaria vsura loquitur : idque declarat ex l. Titium. §. præfectus. ff. de administ. tuto.

d *Demum L. Genutius.*] Ex Liuio 1. Decad. lib. 7. ad fi.

e *Sulpitius Tribunus plebis.*] Ex Plutarcho in vita Marij.

f *Diuus deinde Cæsar.*] id totum vsque ad versicul. (Causam ferunt) est ex Cornelio Tacito lib. 5. vt iam ex eo diximus.

g *Quod Cælius Plotius.*] Valerius Maximus lib. 6. cap. 1. Tin, inquit, Veturius eum propter domesticam ruinam & graue æs alienum Cælio Plotio nexum se dare adolescentulus admodum coactus fuisset, seruilibus ab eo verberibus, quia stuprum pati noluerat, affectus, querelam ad Consules detulit, à quibus de hac re certior factus Senatus, Plotium in carcerem duci iussit.

h *Sicut de Papyrio*] Liuius 1. Decad. lib. 8, Eo anno, ait, plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum est quod necti desierit. Mutatum autem ius ob vnius fœneratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem. L. Papyrius is fuit, cui cùm se C. Publius ob æs alienum paternum nexum dedisset : quæ ætas formaque misericordiam elicere poterat ad libidinem & contumeliam animum accenderunt & florem ætatis eius fructum aduentitium crediti ratus, primo perlicere adolescentem sermone incesto est conatus : deinde postquam aspernabantur flagitium aures, minis territare, atque identidem admonere fortunæ : postremò cum ingenuitatis magis quàm præsentis conditionis memorem videret, nudari iubet verberaque afferri. Quibus laceratus iuuenis cum se in publicum proripuisset, libidinem crudelitatémque conquerens fœneratoris, ingens vis hominum cum ætatis miseratione, atque indignitate iniuriæ accensa, tum suæ conditionis liberorúmque suorū respectu, in forum, atque inde agmine facto ad curiam concurrit, & cum Consules tumultu repentino coacti Senatum vocarent, introeuntibus in curiam patribus, laceratum iuuenis tergum procumbentes ad singulorum pedes ostentabant. Victum eo die ob impotentem iniuriam vnius, ingens vinculum fidei, iussiq; Consules ferre ad populum ne quis nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus aut in neruo teneretur : pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Ita nexi soluti, cautúmque in posterum, ne necterentur. Hæc ibi. At ante id tempus Seruius Tullius Romanorum rex ita in fœneratores edixit, Si qui in posterum à fœneratoribus mutuum acceperunt, eos ob æs in neruum duci non sinam, caueboque lege, ne fœneratoribus ius sit in libera corpora, sed contenti sint debitorum facultatibus. Author Dyonisius Halicarnassæus lib. 4.

i *Reliquatores.*] Pomponius in l. locatio. §. reliquatores. ff. de publicat. & vectigal. & Scæuola l. creditor. §. Valerius. ff. de solution. ea verbo Reliquare, quo vsus est Paulus L. Lucius. ff. de administ. tuto. & Vlpianus l. rescripto. §. debitores versic. sed eos. ff. de muner. & honor. Et vix apud alios authores reperias.

k *Zetetæ.*]

Zetetæ. Fœnus exosum. Lex sisachthia & Chreocopia. Agis.

magistratus cui [k] Zetera nomen, apud quem si quis integrum æs debitum non soluisset, conueniri lege poterat. Indis † verò & [l] Germanis fœnus ignotum fuit, & pleræque gentes odio illud inexpiabili prosequutæ, adeo vt cùm furem dupli, [m] fœneratorem quadrupli damnarent. ferúntque [n] Ægyptios & [o] Athenienses, cum hæc contagio mali latius serperet, pluribus decretis cauisse, ne ob fœnus corpora adiudicari vel addici possent, néve super corporibus fœnerari fas foret, nec citra debitoris facultatem sæuire, quæ lex [p] Sisachthia & [q] Chreocopia dicta: adeo vt [r] Lycurgus è tota Sparta fœnus & vsuras extermináße dicatur. [s] cúmque omnis Ægyptus esset obruta fœnore, fuit lege sancitum, vt ita demum mutuam pecuniam accipere liceret, si cadauer patris fœneratori daretur pignori, penes quem esset potestas paterni sepulchri debitoris oppignorati. Inter cæteros [t] fertur Agis Atheniensium dux adeò fœnus exosum habuisse, vt omnium fœneratorum tabulas igne supposito in foro concremarit, quo igne nullum clarius lumen vidisse Agesilaus dixit. Laudaturque [u] Antoninus Pius & [x] Alexander Seuerus, quòd Romæ fœnus trientarium constituerint, cum nonnullos fœnoris causa agro paterno auitóque exutos comperissent: semissem verò induxerint, & abrogarint. [y] Lucullus quoque deò fœneratorum licentiam cohibuit, vt omnem Asiam fœnore demersam liberarit: [z] Sicut Cato qui in fœnore coercendo asperior & durior, ex tota Sicilia fœneratores exegit, illamque ære alieno obrutam, in pristinum decus restituit. Hoc quidem senatusconsultum iam longo abusu obliteratum, [a] Diuus Claudius fœneratorum licentiam coercens, ne filiis familias pecuniam fœnori darent, seuero edicto seruari mandauit. [b] Diuus deinde Vespasianus cum censuram ageret, saluti parentum & liberorum consulens, illud denuò ex longo interuallo reuocauit [c].

ANNOTATIONES.

k *Zeteta.*] De Zetetis Atheniensium magistratibus loquitur Pollux Onomasticῶn lib. 8. περὶ γυναικονόμων ἀρχῶν. sed hi alij esse videntur quàm quos Alexander hic designat.

† *Indis verò.*] Ælianus variæ historiæ lib. 4. initio.

l *Germanis.*] Tacitus de morib. Germanorum.

m *Fœneratorem quadrupli damnarent.*] Ex Catone de re rustica, initio.

n *Ferúntque Ægyptios.*] Ex Diodoro Siculo lib. 2. cap. 3. cuius de Bocchoride Ægyptiorum legislatore hæc verba sunt, latinè versa, Fœnus quod ex scripto contrahebatur, prohibebat vltra contracti mutui duplum exigi. Solutio ex bonis debitoris solùm fiebat, corpus non poterat addici creditori. Putabat enim oportere bona tantùm subdita esse debitis: corpora, quorum opera & bello & pace vterentur, ciuitatibus addicta esse. Non enim æquum videbatur milites qui pro patriæ salute pericula subirent, pro vsuris in carcerem duci, aut ob vnius auaritiam in periculum agi patriæ salutem.

o *Athenienses.*] Idem Diodorus ibidem subdidit. Hanc quoque legem videtur Solon ad Athenienses transtulisse, quam Sisachthiam appellauit, decernens, ne ob vsuras ciuium corpora addicerentur. Neque iniuria queruntur quidam de nonnullis Græcis legum latoribus, qui arma, aut aratrum, aut aliud quibus operi necessarium prohibeant ob fœnus addici creditori: corpora verò quæ his vtuntur, tradi permittant.

p *Sisachthia.*] Iam de ea dictum ex Diodoro, de qua Plutarchus libro de fortuna Alexandri, Politicis, & vita Solonis: in similíque Laërtius.

q *Chreocopia.*] Plutarchus in vita Solonis.

r *Lycurgus.*] Plutarchus in Agide.

s *Cúmque omnis Ægyptus.*] Herodotus libr. 2. vbi de Asycho rege Ægypti, & Diodorus Siculus libr. 2. capit. 5. ad medium.

t *Fertur Agis.*] Ex Plutarcho in ipso Agide: sed in eo lapsus est Alexander, quòd Agidem dicit Atheniensem, cùm fuerit Lacedæmonius, & Lacedæmonum rex, vt ibi & vbique videre licet.

u *Antoninus Pius.*] Capitolinus in vita illius.

x *Alexander Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita quoque illius.

y *Lucullus.*] Plutar. in vita illius.

z *Sicut Cato.*] Scilicet primus ille Censorius dictus, ex Plutarcho in eodem, & antè ex Liuio 4. Decad. lib. 2. cuius hæc sunt, Sardiniam M. Portius Cato obtinebat, sanctus & innocens, asperior tamen in fœnore coërcendo, fugatique ex insula fœneratores.

a *Diuus Claudius.*] Cornel. Tacitus lib. 11.

b *Diuus deinde Vespasianus.*] Suetonius in eodem, c. 11. auctor, inquit, fuit Senatui decernendi, ne filiorumfamilias fœneratoribus exigendi crediti ius vnquam esset, hoc est, ne post patrum quidem mortem.

c *Non ergo inscitè.*] Tandem redit ad conclusionem interpretationis loci illius Terentiani. Sed vice auctarij addito & alia loca ad fœnoris reprobationem; Liuius 1. Decad. lib. 7. Inclinatis, inquit, semel in concordiam animis, noui Consules fœnebrem quoque rem, quæ distinere vnanimes videbatur, leuare aggressi, solutionem æris alieni in publicam curam verterunt quinque viris creatis, quos Mensarios ab dispensatione pecuniæ appellauerunt, & rursus eodem lib. Iudicia eo anno populi tristia in fœneratores facta quibus ab ædilibus dicta dies esset, traduntur. Idem eius Decad. lib. 10. Eodem anno Cn. & Q. Ogulnii ædiles curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt, quorum bonis mulctatis, ex eo quod in publicum redactum est, ænea in Capitolio limina, & trium mensarum argentea vasa in cella Iouis, Iouémque in culmine cum quadrigis, & ad ficũ Ruminalem infantium conditorum vrbis sub vberibus Lupæ posuerunt, semitámque saxo quadrato à Capena porta ad Martis strauerunt. Ex quibus planè intelligis maximas eas mulctas fuisse, quæ tantis sumptibus satis fuerunt. Idem 4. Decad. lib. 5. Instabat cura alia, quòd ciuitas fœnore laborabat, & multis fœnebribus legibus constricta auaritia esset, via fraudis inita erat, vt in socios qui non tenerentur his legibus, nomina transcriberent, ita libero fœnore obruebant debitores: cuius coërcendi cùm ratio quæreretur, diem finiri placuit, Feralia quæ proximè fuissent, vt qui post eam diem socij ciuibus Romanis credidissent, pecunias profiterentur, & ex ea die pecuniæ creditæ, quibus debitor vellet legibus, ius creditori diceretur. Deinde postquam professionibus detecta est magnitudo æris alieni per hanc fraudem contracti, M. Sempronius Trib. pleb. ex autoritate patrum plebem rogauit, plebísque sciuit, vt cum sociis ac nomine Latino, pecuniæ creditæ ius idem quod cum ciuibus Romanis esset. Rursus eod. lib. iudicia in fœneratores eo anno multa seuerè sunt facta, accusantibus primates Ædilibus curulibus M. Tuccio & P. Iunio Bruto. De mulcta damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ, in cella Iouis, supra fastigium ædiculæ & XII. clypea inaurata. Et 5. Decad. lib. 2. Erant autem non Ætoli modo in seditionibus propter ingentem vim æris alieni, sed Thessali etiam: ex contagione velut tabes in Perrhæbiam quoque id peruaserat malum. Cum Thessalos in armis esse

Non ergo inscirè seruus ille respondebat, neminem fore, qui viuo patre, filio pecuniam crederer, cuius petitionem actionémque lege & senatusconsulto non haberer.

ANNOTATIONES.

nunciatum est, Appium Claudium legatum ad eas res aspiciendas componendasque Senatus misit qui vtriusque partis principibus castigatis eum iniusto fœnore grauatum æs alienum, ipsis magna ex parte concedentibus qui onerarant, leuasset, iusti crediti solutionem in annorum pésiones distribuit. Plinius lib. 33. cap. 1. Flauius vouit ædé Concordiæ, si populo reconciliasset ordines: & cùm id pecunia publica non decerneretur, ex mulctatitia fœneratoribus condemnatis, ædiculam æream fecit in Græcostasi. Est Plutarchi libellus de vitanda vsura, qui omnibus obuius est. Denique locus est Horatij ad speciem huius capitis maximè pertinens, aduersus Fufidium fœneratorem qui filiis familias pecunias mutuabat sub grauibus vsuris, lib. 1. Satyr. 2. post princ.

Fufidius vappa famam timet, ac nebulonis.
Diues agris, diues positis in fœnore nummis,
Quinas his capiti mercedes exigit, atque.
Quantò perditior quisque est, tanto acrius vrget.
Nomina sectatur modo sumpta veste virili.
Sub patribus duris tironum.—

Appianus quoque lib. 1. Bellorum ciuilium de his scribit, Per idem tempus, inquit, optimates in vrbe contendere cœpere, cùm quidam debita cum vsuris emerent, lege quadam veteri vetante supra fœnus fœnerari: contra illam qui fecisset, mulctam subituro, &c.

Sperote amaturum fore vel amandum fore, veterum auctoritatibus latinè dici licere, contra opinionem quorundam grammaticorum. CAPVT VIII.

Commentatiunculas suas non inuenustas adolescens quispiam ingenio & lingua præstabili, dum posteritati & gloriæ seruit apud nonnullos eiusdem disciplinæ viros lectitabat, non equidem, vt videbatur, laudis indipiscendæ gratia, sed vt graui illorum iudicio subnixus, liberius consultiusque, si quod in eis delictum, si quódve mendum esset, castigaret, eorumque explorata sententia, nonnulla in vulgus emittebat, multa vel tollebat è medio, vel corrigebat. Aderat inibi familiaris meus quispiam, honesti ordinis, Latinæ eloquentiæ, & veterum literarum non ignarus, qui cætera quidem minimè visus aspernari, vno verbo se offensum dicebat, quod in posterum nihil in eum scripturum fore, ille dixerat. Minus Latinè (inquit) dictum est, scripturum fore, sed aptius conuenientiusque dicendum fuit, scripturum esse. Si quidem verbum fore, cum tempus quod futurum est designet cum participio in rus, vel in dus, quod pariter futurum tempus designat, minimè conuenire, perindéque haberi ac si dicas scripturum futurum esse: quæ oratio, vt probe nosti, nihil habet gratiæ vel dignitatis. Quódque minus dubites, inquit ille, hoc senserunt multi eruditi: quorum sententiam iudiciúmque minimè aspernaberis. Statímque ad nos attulit obseruationes grammatici hominis non incuriosi, in quibus ad hanc sententiam scriptum, definitúmque inuenimus; Fore cum vim participij habeat, cum nomine, non cum participio iungi oportere, ne duo simul participia confundantur. Itaque dicendum, spero te amatorem fore, vel amaturum esse: non autem amaturum fore, vel amandum fore: venturum esse, non venturum fore. Et ita dici scribíque oportere maximè contendebat. Quod cum legissemus, tenuit nos admiratio istius doctoris, equidem diserti, & tamen inconsiderati, qui præcipiti ductus sententia, tam asseuerate contendere auderet, id quod longè secus à doctissimis sæpe vsurpatum memineramus. Siquidem T. Liuius facundissimus author, secundi Punici belli octauo, & acturum se inquit, per populum aperte fore, si senatus aduersaretur. Et alibi, libenter facturos fore, vt ludi maximi fierent. Et rursus, eò quoque mittendos fore legatos, dixit. Et septimo de Macedonico, sub pellibus habendos milites fore. Q. Curtius, fenescendum fore tantum terrarum vel sine imperio obeunti. Quibus stipulatur Plinius naturalis historiæ secundo, Quid fore putandum est? inquiens, & pluribus exemplis quibus omnis historia referta est, quæ trita & peruulgata in quæstione minimè dubia referre non necesse habeo. Prætérque veterum autoritates, rationes adduci possent, quibus ita dici conuenire facile contenderim ex arbitratu eruditissimi viri. Cum enim substantiuum olim verbum fuerit fuo, atque eius infinitiuum fore, fuisse, futurum esse, &c. eiusdémque verbi nonnulla tempora retinuerimus, adeo vt forem antiquum, & essem recentius dicamus: quis prohibet etiam fore atque esse, simul custodiri, perindéque amaturum fore dici, quod amaturum esse? Sed cum nos autoritatibus veterum inniti debeamus, quibus hæc comperta fuere, quæ pro ratione sunt, frustra in re confessa & explorata, ratio-

Fore.

Laurentius Valla taxatus lib. 1. cap. 28.

Fuo.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

Totum hoc caput, vt alia pleraque huius operis, in Laurentij Vallæ obseruationes editum est, pro ea quæ cum illo inimicitia Alexandro fuit, nec ea quidem occulta, licet eius nomen vbique hic noster suppresserit, sed ita, vt veluti digito illum ostendat. Locus autem in quo eum taxat, in hoc capite, est in lib. 1. Elegantiarum Vallæ cap. 28. Et vt fateor illum iure ab Alexandro hoc loco reprehendi, id tamen paulò acerbius factum nemo iustus rerum æstimator negauerit. Nullius autem classicorum autorum testimoniis ad illum conuincendum innititur: sed vnius qui his in rebus instar omnium haberi debet, alia testimonia addam. hic est M. Tullius, quem meritò linguæ Latinæ parentem plerique omnes fatentur. Qui in oratione pro Milone, Spero, inquit, multa vos liberósque vestros in Republica bona esse visuros. In his singulis ita semper existimabitis, viuo P. Clodio, nihil horum vos visuros fore. Et licet

id

m & adminicula non necessaria inquirimus: Si qui tamen sunt ita Latinæ linguæ curiosi, aut ani-
ι tam agresti & duro, quibus veterum authoritas non satis sit, poterunt ab his qui istiusmodi res con-
siliius indagant, quibusque ista consectari curæ fuit, hæc atque his similia perscrutari.

ANNOTATIONES.

estimonium sit nonnihil ambiguum, propterea quòd in mullis codicibus ibi legitur, visuros fuisse: tamen quod a omnem dubitationem est, is lib. epistolarum famil. 3. st.13. & in vlt. initio; Quasi diuinarem tali in officio fo- mihi aliquando expetendum studium tuum. & epist. ad ticulum lib.5. in prioc. Te ad me fore venturum. Sed non tamen præteream quod scribit Seruius in lib. 3. Aeneid. ibi

— Cum protinus vtraque tellus
Vna foret. —

Foret, inquit, ab infinitiuo est, sed modò præteritum significabat tempus, quod rarum est: sæpius enim futurum significat.

Pleraque veterum Romanorum cognomenta, quibus de causis indita & denominata fuerint.

Capvt IX.

VERVM profectò est, id quod à multis traditur, veteres illos non infimæ plebis homines, quorum bona fortique opera populus Romanus vsus fuit: ex re rustica, io qua multum diúque versati fuerant, clari nominis cognomenta fumpsisse. Ex qua re conie‹ctari licet, fortes illos atque acri ingenio viros, quicquid à republicæ muneribus otij & laxamenti habebant, id plerumque in exercendis agris & colendis frugibus ponere consueuisse, neque sementes terræ iacere, neque vites amputare, aut agros stercorare, vel irrigare, fastidio vnquam duxisse: quæ nunc obro dux mu‹ , dedecorique & turpitudini damus. [a] Eiusmodi fuisse Pisones, quod in pinsendo mento longo v‹u fuerant exerciti, vel à piso legumine: hi enim [b] Calphurniorum prosapia à Numa g‹n›m duxisse feruntur. [c] Cicerones & Lentuli, alteri ob ciceres, alteri ob lentes eximiè cultas ge- rosum familiæ nomen inuenere. [d] Fabios quoque à satione fabarum sunt qui autument denomina- : [e] tametsi ab Hercule prognatos, & ab fouea dictos nonnulli ferant. Sicut [f] Antoniorum familia, ‹qu›æ Romæ imperitauit, Antonem Herculis prognatum, autorem stirpis nuncupat. [g] Lactucini, quod lucas colerent. & [h] Hortensij quod hortorum studio tenerentur, [i] Stolones quoque à pampinatio- & cura arborum, quod curarent ne frutices quos stolones vocant, ac caudices arborum nascerentur, nobilia cognomenta inuenere; Ex qua familia Licinius ille Stolo, [k] primus de plebe consul, quia um emancipando, fraudem legi fecerat, qua vetabatur vltra quingenta agri iugera possidere, [l] sua

Pisones. Ciceroni. Lentuli. Fabij. Antonij. Lactucini. Hortensij. Stolones.

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

Eiusmodi fuisse Pisones.] Plinius lib. 18. cap. 3. & vide seq. annotat.

Calphurniorum prosapia à Numa.] Vt scribit in eo Plutar- us: qui tamen Capum appellat Numę filium, sicuti Pom- us Festus lib. 3. Sed quod hic dicit Pisones à Calphur- Numæ Pompilij posteris cognomen traxisse, id pro- Horat. in libro de arte poëtica ad Pisones.

— Vos ô Pompilius sanguis.

Quo in loco Acron & Porphyrion interpretes tradunt, ones à Pompilio descendisse: nam Calpus filius erat Nu- Pompilij, à quo Calpurnij Pisones nomen traxerunt.

Cicerones & Lentuli.] De prioribus Plutarc. in Cicerone. de isque Plinius lib. 19. cap. 3.

Fabios.] Idem vbi suprà, sed alij aliter, vt mox subiiciam.

Tametsi ab Hercule.] Plutarchus in vita Fabij Maximi, fe- t, inquit, Herculem cum muliere aut vna nympharum ncubuisse, & hinc Fabium Maximum natum esse, à quo orum familia Romæ initium habuit. Quidam autem mo eius generis viros, quòd primùm venandi per fo- s morem induxerunt, à fodiendo Fodios olim appella- ; dicunt: deinde mutatis literis, lapsum loquendi consue- inem Fabiis cognomen fecisse. Cui nonnihil conniuens mpeius Festus lib. 6. Fouij, inquit, qui nunc Fabij dicun- , quòd princeps gentis eius ex ea natus sit, cum qua Her- les in fouea concubuit. Alij putant eum primum osten- sse quemadmodum vrsi & lupi foueis caperentur.

Antoniorum familia.] Plutarchus in Antonio, in princ. quo intelliges eum fuisse Marcum Antoniũ Triumui- m, qui numquam Romæ imperauit, illi enim tantum riumuiratus in diuisione imperij cessit, quo respublica stitueretur. Antoniorum autem, qui postea Romæ im- rarunt, familia, aliunde orta dicitur, vt videre licet apud apitolinum in vita vtriusque Antonini, Pij scilicet & Philosophi. Quod imperitasse dicuntur Antonij, putent vel ex eo quod M. Anto. cons. impotenter domiaretur, teste Floro ex Liuio 117.

g Lactucini.] Plinius lib. 19. cap. 4. Sanè Diodorus Siculus memioit M. Valerij Lactucæ, lib. 2. Μάρκ@ , inquit, ὀυαλέρι@ λακτύκας.

h Hortensij.] Familiam Hortensiorum fuisse Romæ, haud dubium est: è quibus Hortensius ille orator tempore Ciceroois fuit, & alter poëta apud Ouidium libr. 2. Tristium,

Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Serui Carmina. —

Eos autem ab hortorum cultu dictos esse, Alexander coniectura probabili ponit.

i Stolones.] Varro lib. 1. de re rustic. cap. 2. & Plinius. lib. 17. cap. 1. Caij autem Licinij Stoloni Consulis meminit Valer. Max. lib. 1. cap. 1. vbi de more ludorum loquitur.

k Primus de plebe Consul.] Hic posset videri lapsus Alexander: nam Liuius decad. 1. li. 6. ad fi. & lib. 10. in oratione P. Decij Muris, & Plutarchus in Camillo dicunt, L. Sextium primum de plebe Consulem factum. Verùm Plinius Secundus, si is de Viris illustribus, cap. 20. huoc Stolonem dicit primum è plebeio consulem factum sed Plinium Alexander secutus est. Sed quod non est controuersum, ipse Licinius Stolo primus è plebe magister equitum factus est, vt legitur apud Liuium, citato lib. 10. Item ex eiusdem Licinij lege cõsules ex plebe creari in vrbe Roma cœparunt, teste Gellio libro 17. cap. 21. Collegam autem idem Licinius habuit in consulatu L. Sulpitium Peticum, vt Liuius tradit lib. 7. initio Decad. 1.

l Sua lege damnatus est.] Liuius prædicto loco sic habet, C. Licinius Stolo à M. Popilio Lenate sua lege decem millibus æris est damnatus, quòd mille iugerum agri

cum

Pilumni. Serrani. Suilli, Bubulci, Bupecij, Caprarij, Porcij, Ouinij, Caprilij, Equitij, Tauri. Ex corporis vitio. Strabones. Pæti, Cæci. Licinij. Limi. Cocles.

lege damnatus est. Pilumnos [m], quod pilum conterendo frumento idoneum commenti sunt, dictos accepimus. Et [n] Serranos, quod agros sererent, vel quod serenti fuerat delatus honos. [o] Cuius familiæ proprium erat, fœminas nullo tempore linea veste vti, sicut [p] Cethegis distincto amictu, & exerto brachio incedere: & [q] Flaminiis nisi sacrorum causa è sua domo ignem efferri. [r] Suilli verò, [s] Bubulci, [t] Bupecij, [u] Caprarij, & [x] Porcij, [y] Ouinij quoque, [z] Caprilij, Equitij, [a] & Tauri, à pecudibus & armentis cognomenta familiæ tulere: ex quibus claros illustresque viros militiæ domique multos fuisse, fama vulgauit. Rursus [b] ex corporis vitio, aut membri iactura magis quàm honestamento plures dicti cognominatique sunt, quos recensere, & breui perstringere, de quibus meminisse potuimus, non pigebit. [c] Strabones, Pæti, [d] & Cæci, [e] ex oculorum vitio cognomenta inuenere: tametsi [f] Pætos habere oculos, laudi plerumque datum sit. sunt enim ad lasciuiam proniores. Sicut [g] Licinij & [h] Limi, alteri quòd paruis ocellis nascerentur: alteri, quòd limis oculis intuerentur. [i] Horatio illi qui Thuscorum copias detinuit solus, quòd alterum in bello amisit oculum, Coclitis

ANNOTATIONES.

cum filio possideret, emancipandóque filium fraudem legi fecisset. De quo Plinius lib. 18. cap. 3. Columella lib. 1. capi 3. & Plinius nepos, aut quisquis est, in libro illo elegantissimo de viris illustribus, & Plutar. in Camillo.

m *Pilumnos.*] Plin. dicto lib. 18. cap. 3. post princ. & Seruius iotio lib. 9. Æneid.

n *Serranos.*] Plinius ibidem, & Seruius ad Vergil. 6. Quintilia. lib. 1. c. 8. Q. autem Serrani consulis cum Q. Cæpione meminit A. Gellius lib. 15. cap. 28.

o *Cuius familiæ proprium erat.*] Plin. Varronis authoritate lib. 19. cap. 1. M. inquit, Varro tradit in Serranorum familia gentilitium esse fœminas linea veste non vti.

p *Cethegis distincto amictu.*] Porphirion interpres Horatij in arte Poëtica, ibi.

Fingere cinctatis non exaudita Cethegis.

Omnes, inquit, Cethegi morem seruauerunt eundem: inter cætera descriptam comam retulerunt. Nunquam enim tunica vsi sunt. Ideo cinctatos eos dicit, quoniam cinctum, est genus tunicæ infra pectus aptatæ. Alij autem intelligunt cinctutis, id est, militaribus viris, & ad militiam paratis: vnde per contrarium dicit Poeta,

- *Discinctos Mulciber Afros,*

Id est, imbecillos ad militiam, de qua re alibi dicam. Sed quod ad hunc locum pertinet, credo Alexandrum hîc voluisse dicere, cinctato amictu; nisi potius voluerit dicere discincto: at id omnino contrarium esset iis quæ suprà diximus. Verùm haud dubiè, cinctato legendum est, ex Porphirione vbi suprà, cui adstipulatur illud Lucani lib. 2.

—— *Exertique manus vesana Cethegi.*

Et Silij de eodem, aut alio eiusdem nominis, loquentis lib. 8. non adeò longè à fine,

Ipse humero exertus gentili more parentum.
Difficili gaudebat equo.

q *Flaminiis.*] Festus pompeius lib. 9. Ignem, inquit, ex domo Flaminia efferri non licebat, nisi diuinæ rei gratia: sed tamen vide num id intelligendum sit de domo Flaminis, qui è sacerdotibus erat non Flaminiorum.

r *Suilli.*] Plutarchus tum in vita Publicolæ, tum Problematis cap. 40. autoritate Fenestellæ.

s *Bubulci.*] Plutarchus dictis in locis, & Plinius lib. 18. cap. 3. post princ. Caius autem Iunius Bubulcus Consul, semel & iterum est apud Liuium 1. Decad. lib. 9. item & Censor, & postea Dictator, eiusdem lib. 10. post princ. & C. Atilij Bubulci Consulis meminit Paulus Orosius libr. 4. cap. 10.

t *Bupecij.*] Nihil de his quod nunc recorder, legi.

u *Caprarij.*] Capriliorum & Caprariorum familias fuisse dicit à capris dictas, Varro de re rustica lib. 1. cap. 1. interpres tamen Plutarchi in Publicola, Caprarios vertit eos, qui à capris cognomina sumpserunt: & legimus C. Cæcilium Metellum Caprarium consulem fuisse cum C. aut vt alij legunt Cn. Papirio Carbone, anno vrbis 641. Scio autem Ciceronem de eo dicere, lib. 3. de Orato. matrem ipsius si quintum pareret, asinum fuisse parituram. Sunt & alias caprarij custodes caprarum, apud Varronem de re rustica lib. 2. cap. 3. & Columellam lib. 3. cap. 10.

x *Porcij.*] Idem Varro & Plutar. vbi suprà.

y *Ouinij.*] Varro eodem loco. Lampridius autem in Alexandro Seuero, mentionem facit Ouinij Camilli Senatoris antiquæ, vt dicit, familiæ.

z *Caprilij.*] Iam de iis diximus, de quibus vt vides ita loquitur hîc Alexander, tanquam diuersæ essent familiæ Caprariorum, & Capriliorum.

a *Equitij ac Tauri.*] De his duobus Varro vbi suprà: vbique vltra eos qui hîc nominantur, Vitulos quoque à pecore dictos putat. Statilij autem Tauri bis consulis ac Triumphalis meminit Suetonius in Nerone cap. 35. & Varro vbi suprà. Dion lib. 49. Velleius Patereulus lib. 2. Item Sex. Pacuuij Tauri Ædilis plebis, Plinius meminit lib. 34. c. 5.

b *Ex corporis vitio.*] Plutarc. in vita Coriolani.

c *Strabones.*] Plutarchus ibi, & præterea, Plin. lib. 7. cap. 12. & lib. 11. cap. 37. & Nonius Marcellus lib. 17. de quo vide infra in verbo, Pætos.

d *Pæti.*] Plinius dicto lib. 11. cap. 37. & Plutarch. vbi suprà. Liuius autem Decad. 1. lib. 8. memorat P. Ælium Pætum consulem, & eiusdem lib. 10. de quo vide infrà, sub verbo, Pætos. refert Liuius augurem, & paulò pòst consulem M. Fuluium Pætum. Et plures Epist. Cic. ad C. Papirium Pætum lib. fam. 9.

e *Cæci.*] Plutarchus ibi.

f *Pætos habere oculos.*] Venus enim oculis pætis fuisse dicitur Virgilio, si is est, in obscæno carmine.

Notas habemus quisque corporis formas,
Phœbus crinosus, Hercules lacertosus,
Trahit figuram virginis tener Bacchus,
Minerua flauo lumine, Venus, pæto.

Et Varro de nummismatis apud Priscianum lib. 6. Non hæc res de Venere Pæta strabam fecit ἑτεροφθαλμον De Pæto illud Horatij lib. 1. Sem. Saty. 3.

——— *Strabonem*
Appellat pætum pater. ———

Quo in loco Acron, Pæti, inquit, propriè dicuntur, quorum huc atque illuc oculi velociter vertuntur. Porphirion autem alter interpres, Strabo, inquit, qui est detortis oculis, Pætus, leuiter declinatis.

g *Licinij.*] Luscinij vt puto, voluit aut debuit dicere ex Plinio lib. 11. cap. 37. vbi tradit Ocellas Luscinios iniuriæ cognomen habuisse, qui paruis essent oculis. Nam quod Licinij ab oculorum vitio dicti sint, nusquam opinor, lectum est. Cicero autem in oratione legis Agrariæ, Luscinos nominat honoribus & rebus gestis ornatos. & A. Gellius lib. 17. cap. 21. memorat Q. Fabricium Luscinum cum Q. Æmilio Papo Censorem.

h *Limi.*] De limis oculis Plautus in Milite glorioso, & Ouidius lib. 3. Amor. Eleg. 1. & Plinius lib. 8. cap. 16. sed an fecerint cognomen familiæ cuipiam, ignoro.

i *Horatio.*] Plutar. in Publicola, Horatio, inquit, quòd alterum oculum in bello amisisset, cognomentum Cocles est inditum:

en fuit: quamuis quòd esset vnoculus, Cyclopem, mox lapsa consuetudine, pro Cyclope Co- m appellatum ferant. A simis verò naribus vel repandis, k Silos & l Simos: à superciliis, m Si- s: à labiorum magnitudine, n Chilones & Labeones: à naso, p Nasones: ab auribus mobilibus, accos: à capite s Capitones, à fronte f Frontones, dictos accepimus: sicut à colore, t Bur- u Nigros, x Rufos, y Aquilios & z Rutilios. Dixere autem Silos, naribus sursum versus re- dis; Silones verò, qui præmineoti supercilio forent. a Galbas quoque è colore galbulæ auis

Sili, Simi. Silones, Chilones Labeones Nasones, Flacci. Capitones, Frontones. Burri, Nigri, Rufi.

ANNOTATIONES.

um: quod & ipsum antè scripserat Dionysius Halicar- ib.5. Subdit autem Plutarchus, quosdam id est simi- ıasi tractum autumasse, quia sub ipsa fronte ita depres- cmissúsque erat, vt nullum ferè inter oculos discrimen er, ipsáque supercilia commista interim confusáque t. Idcirco volentibus eum plerisque Cyclopem appel- lapsa loquendi consuetudo obtinuit, vt Cocles à plu- s diceretur. Plinius autem lib.11.cap.37. ab iisdem qui o lumine orbi nascerentur, Coclites vocantur. At Var- lingua Latina lib. 3. aut aliorum computatione 6. ab o ait, cocles, vt ocles dictus, qui vnum haberet ocu- citàrque illud Plauti in Curculione,

y. *Vne ocule salue.* C V R. *quaso derides ne me?*
y. *De Coclitum prosapia te esse arbitror.*
Nam hi sunt vnoculi.

is loci autoritate Seruius lib.8 Æneidos, ad id, *auderes ellere Cocles*, scribit luscos coclites dixisse antiquos: vn- Cyclopas dictos coclites, quòd vnũ oculũ haberent. *los.*] Cicero lib.1. de natura deorum. Plutarchus in Co- no, Quintilianus lib. 1. cap. & Fest. Pompeius lib. 17. ita scribit, Silus appellatur naso sursum versus repādo: galeæ quoque à similitudine Silæ dicebatur. Valerius m Maximus lib.6.cap.1. memorat Cn. Sergium, Silum neca lib.1. controuers. contr.2. Albutium Silum ora- m, & iterum lib.1. controuers.3. Fuere quoque & Silij. uibus P. Silius proprætor ad quem extant epistolæ Ci- nis 36 & seq. lib.13. Famil. & C. Silius apud Tacit. lib.3. *mos.*] Plinius lib.11.c.37.

ilones.] Cilones hic & statim post dicendum esse, vide- ŗest ex Pompeio Festo lib.3. vbi posteaquam de Chi- dixit, vti mox dicemus, statim subdit Cilo, sine aspira- e, cui frons est eminentior, ac dextra sinistràque velut ssa videtur. At Sosipater Charisius artis Grammaticæ Cilones, inquit, dicuntur, quorum capita oblonga, & ssa sunt. Verùm Nonius Marcellus tradit Silones di- à superciliis promineribus, à Sileno, qui hirsutis super- s pingebatur, idque autoritate Varronis in γνῶθι σεαυ- ιonne nõ vnum scribunt esse grādibus superciliis Silo- Quadratum, &c. Ex quibus potes intelligere corrigen- quod statim habet Alexander, hos dici qui sunt præmi- tibus superciliis, & scribendum, prominentibus: diffe- enim præminere & promineге. Seneca lib.2. contro- .meminit Pompeij Silonis oratoris.

hilones.] Festus vbi supra, Chilo, inquit, dicitur cogno- to à magnitudine labrorum.

abeones.] Plinius lib.11.cap.37. & Donatus in Eunucho entij act.2. sce.3. Verum Priscianus tradit hos à labe di- fuere autem Antistij Labeones Iurisconsulti, de qui- in l. posteriore, ff. de orig. iuris, & Tacitus lib.3. aute fi- At Sosipater Charisius artis Grammaticæ lib.1. Verrij ci autoritate dicit, à labris inmodicis Labeones dictos. *Vasones.*] Ouidius Naso cognominatus fuit, & Sextius so inter coniuratores necis Cæsaris, apud Appianum bellorum ciuilium, & Co. Otacilius Naso Ciceroni st 35. Famil. lib. 14.

Flacos.] Plinius lib.11. cap.37. autes, ait, homini tantùm nobiles: ab his Flaccorũ cognomina Cicero libro pri- de natura deorum. Liuius autẽ 3 Decadis lib.5. memo- Q. Fuluium Flaccum consulem cum Appio Claudio: eundem siue alium eiusdem nominis censorem. Vale- s Maximus lib.2. cap.2. & M. Furium Flaccum: ibidem C. Auianum Flaccum Cicero episto. 56. Famil. libr. 13.

Omnibus autem nota est historia Sulpitiæ, M. Fuluij Flac- ci vxoris, quæ censura omnium matronarum à centum pro- batissimis haud temerè electa est, quæ simolachrũ Veneris monitu librorum Sibyllinorũ dedicaret, apud Plinium lib. cap.35 Valerium Maximum li.8. cap.16. & Solinum cap. 7.

r *Capitones.*] Cicero lib. 1. de natura deorum. Idem autem Epist. Familia. lib. 13. Epistol. 30. C. Atteij Capitonis memi- nit: & alterius Atteij Capitonis. Tacitus lib.3. & Istei Capi- tonis, idem lib.13. & Asinij Capitonis. A. Gellius lib. 1. cap. 10. & 21. & Fonteij Capitonis Tacitus libro quarto & 17.

a *Frontones.*] Cicero in Antonianis, & Lactantius libro de Opificio Dei.

t *Burros.*] Quintilianus lib.1. cap.8. Sextus autem Pompe- ius lib.2. Burrhum cum aspiratione scribit, dicitque anti- quos Burrhum dicere, quòd nunc dicimus rufum, vnde ru- stici Burrham appellant buculam, quæ rostrum habet ru- fum: pari modo rubens cibo ac potione ex prandio Burrbus appellatur. Burri præfecti cohortium prætoriarum memi- nit Tacitus lib.14. & Suetonius in Nerone 35.

u *Nigros.*] Plutarchus in Coriolano, Spartianus in Pesce- nino Nigro, Tacitus autem lib.3 memorat Brutedium Ni- grum ædilem: & C. Cæcilij Nigri Quæstoris sub Verre prætore, meminit Cicero in Verrem actio. 1. & ibi Asco- nius Ciceronis interpres in argumento.

x *Rufos.*] Plutarchus ibi, & Quintilianus dicto lib.1. cap.8. Minutij Rufi meminit Cæsar lib.3. belli ciuilis: & P. Sulpi- cij Rufi, idem lib.4. belli Gallici: Seneca lib.2. controuers. 2. Vigilij Rufi. Extatque epistola Ciceronis ad Sextilium Ru- fum Familia. lib. 13. epist. 24. & ad Titum Rufum Præto- rem vrbanum eodem libro epist. 34. Et Q. Minutij Rufi Ædilis plebis, & L. Iubilij Rufi, & M. Cœlij Rufi Prætoris meminit Liuius 4. Decad. lib.2.

y *Aquilios.*] Aquilum colorem quendam esse liquet, ex Suetonij Augusto, cap. 79. colorem inter aquilum & can- didum. Quis autem qualisve fuerit, declarat Pompeius Festus lib. 1. Satísque constat Aquiliorum familiam Romæ fuisse: nam & de Aquiliis meminit Plinius secundus, sita est, de viris illustribus 10. & de Aquilio Regulo fit mentio in l. Aquilius. ff. de donat, quamquam nonnulli ibi legunt Attilius, sed in Pandectis Florentinis legitur Aquilius: & de alio Aquilio trib. plebis, qui legem Aquiliam rogauit. l.1. ff. ad l. Aquil. & de alio item Gallo Aquilio Iurisconsulto l. 2. §. Post hos Quintus. ff. de orig. iuris, nisi idem fuerit, & de hoc etiam meminit Tullius libro de officiis 3. Fuit & alius C. Aquilius, bis multò antiquior, qui consul vigesimus fuit cum T. Sicinio apud Liuium Decad.1. lib.2.

z *Rutilios.*] Sextus Pompeius Festus lib.16. Rutiliorum au- tem familiam apud Romanos antiquam testimonio est C. Marcius Rutilius, ter consul, Dictator primus de plebe, & Censor apud Liuium Decad.1. lib. 7. Est & P. Rutilius con- sul apud Valerium Maximum lib.2. capit.2. & P. Rutilius à M. Scauro repetundarum accusatus, vt scribit Tacitus lib.3.

a *Galbos.*] Suetonius in Galba capit.3. Qui primus, inquit, cognomen Galbæ tulit, cur aut vnde traxerit, ambigitur: quidam putant quod oppidum Hispaniæ frustra diu oppu- gnatum illitis demũ galbano facibus, succenderit: alij quòd in diurna valetudine, galbeo, id est, remediis lana inuo- lutis assiduè vteretur: nonnulli, quòd præpinguis visus fue- rit, quem Galbam Galli dicunt. vel contrà quòd tam exilis, quàm sunt animalia, quæ in Æsculis nascũtur appellantur- que galbæ. Cassiodorus autem scripsit Galbam à lucido cor- pore dici, quia Galbeus, vt dicit, est passeris nomen luteis pennulis.

Aquilij Rutily, Sili, Galba, Lappa. Sura, Hala, Cossi. Ænobarbi Plauti. Ploti. Planci. Pansa. Valgi. Vari. Vatia. Vatinij. Scauri. Scaurorũ familia quando extincta.

credunt denominari. Est enim passeris genus luteis pennis tametsi à galbeo indumento aliqui dictos asseuerent. Et [b] Lappas, ab inculto capite: & [c] Suras, à surarum neruositate: & [d] Halas, à fœdo oris halitu: [e] Cossósque, quòd rugosi corporis forent: sunt enim vermes seu teredines, quos in vetustis lignis eum cariem contraxere, genitos inspicimus. Sicut [f] Ænobarbos ab æris simillimo capillo, multos dictos volunt. [g] C. Mutius vir clarus genere factísque cum Porsennam gladio impeteret, quòd scribam pro rege obtruncarat, à clade dextræ manus, quam sibi ad ignem deflagrauit, Scæuolæ nomen tulit. Inde [h] cognomentum Scæuolæ multis Romæ factum est. Scæum enim Græcè læuum designauit, [i] Plautos etiam & [k] Ploros, quod supra modum pedibus planis essent. [l] Plancis verò & [m] Pansis, à vola pedum pariter id nominis fuit: cuius familiæ numerantur [n] Numatius Plancus, vir prætoris consularis, qui sub disciplina Ciceronis euasit orator summus. Sic [o] Valgi, [p] Vari, [q] Vatiæ, [r] Varinij & [s] Scauri, quod varias haberent suras, aut crura pedũ intorta, vel quòd talis præminentioribus forent. In Scauris enim adnumerantur præcipuæ nobilitatis viri, quorũ familiam in [t] Scauro Mamerco, qui maiestatis reus causam

ANNOTATIONES.

pennulis. Quintilianus lib.1.c.8. inter alia cognomina, quæ ex secretiore quadam causa imposita sunt, ponit. nec aliter declarat, vti nec in alijs multis, in quibus illum in hac tractatione citaui. Est autem Sergij Galbæ epistola ad Ciceroronem, inter huius familiares lib.10. Fuit & alius multò antiquior ita cognominatus à Catone Censorio repetundarum accusatus, vt scribit Tacitus lib.3. cuius etiam meminit Paulus Orosius lib.4.c 20. & Eutropius lib, 4.c.2. & Seruius Galba memoratus Cæsari lib.3. belli Gallici, initio, & Seruilius Galba inter Cæsaris interfectores commemoratus Appiano, lib.2. Bellorum ciuilium & P. Seruilius Galba, vnus ex competitoribus Ciceronis in consulatu, apud Asconium Pædianum in argumento Orationis Ciceronis in toga candida contra C. Antcium & L. Catilinam.

b *Lappas.*] Quid sit Lappa videbis ex Plinio lib.18. cap.17. & plenius lib. 21. c. 17. Sed quid ad hanc hominum appellationem pertineat, non video: idem tamen quod hic Alexander, scripsit Cæcilius Rhodiginus lib.24. cap.5.

c *Suras.*] Aliter Plutarchus in Cicerone, vbi de Cornelio Lentulo Sura loquitur: quem à surâ quidem cognominatum tradit, sed alia de causa quàm Alexãder scripserit. Cornelij Suræ meminit Martialis lib.6. Epigram & Manlij Suræ causidici meminit Quintilianus.

d *Halas.*] Eo cognomine quosdam Romanos fuisse vocatos scimus, & inter alios laudatissimum illum C. Seruilium Halam, magistrum equitum L. Quintij Cincinnati Dictatoris: qui ipse Hala seditiosum illum Sp. Melium obtruncauit, apud Liuiũ Decad.1. lib.4. quique bis consul fuit, apud eundem libr.4. & 7. eiusdem Decad. 1. Sed vnde ita sint vocati, non recordor me legisse, nisi apud Cælium Rhodig. lib. 1. cap.5.

e *Cossos.*] Sex. Pompeius lib.3. & de huiusmodi vermibus præter illum Plinius lib. 11. cap. 33. & lib. 17. c.14. & lib. 30. cap. 13. vbi nos Cossos vocat. Quis autem ignorat Cornelium Cossum, illum Tribunum militum, qui de Larte Tolumnio rege Veientum occiso, spolia opima retulit, apud Liuium Decad.1. lib.4. & Vale. Maximum lib.1. c.2. & Plutar. in Marcello. De quo illud Virgilij 6. Æneid.

Quis te magne Cato tacitum, aut te Cosse relinquat.

Is idem consul creatus fuit cum T. Quintio Pœno, iterúmque cum L. Furio Medullino, & tertium cum eodem, ex citato Liuij testimonio. Fuitque alter P. Cornelius Cossus Tribunus militum consolari potestate, eodem lib. 4. Alius item Aulus Cornelius Cossus cum M. Valerio Coruino Cõsul Liuij eius Decadis lib.7. Alius præterea Cossus Prȩfectus vrbis sub Augusto, de quo Seneca ad Lucilium epist. 1. Tacitus lib. 15. loquitur de Cornelia Vestali ex familia Cossorum.

f *Ænobarbos.*] Suetonius in Nerone, cap.1. & Plutar. in Paulo Æmilio.

g *C. Mutius.*] Liuius hanc historiam & hinc nominis Scæuolæ principium elegantissimè scribit, Decad. 1. libr. 2. & Dionysius Halicarnassæus.

h *Cognomentum Scæuolæ.*] Festus Pompeius libr.10. vbi de Læua loquitur,

i *Plautos.*] Plinius lib.11. cap.45. & Sex. Pompeius lib. 14. & Quintilianus lib.1. cap.8.

k *Plotos.*] Festus dicto lib. 14. sed ad quos referes, ad hos, an ad Plautos, illos qui Plautij cognominati sunt? nam C. Plautium consulem cum C. Fabio, iterúmque cum Manlio Torquato, memorat Liuius Decad.1. lib.7. Sed & Plautios Lucium, Cneum, & Publium legas 1. Decad. lib.8. & Aulum Plautium in Nerone Suetonij c.35.

l *Plancis.*] Plinius dicto lib.11. cap.45. & Quintilianus lib. 1. cap.8. & Pompeius lib. 14. vbi docet planeas tabulas planas dici, atque ab huiusmodi tabulis Plancos appellari, qui supra modũ pedibus plani sunt. Lucij autem Planci consulis tempore Augusti meminit Sueton in Augusto, & T. Munatij Planci Tribuni plebis Asconius in oratione pro Milone.

m *Pansis.*] Plinius & Quintilianus vbi suprà: Cassiodorus verò dicit, dictos ab expansis capillis. Cæterum Liuius 1. Decad. libr. 10. memorat Apuleium Pansam consulem cum M. Valerio maximo. Fuit & alius Pansa cum Hirtio, qui ambo perierunt in bello Ciuili aduersus Antonium & Augustum.

n *Numatius Plancus*] Huius sunt, vt quidam putant, plurimæ epistolæ elegantissimæ ad Ciceronem & Ciceronis ad eum, familiarium lib.10. & de hoc quoque loquitur Plutarchus in Catone Vticensi. Sed illi Planco, siue hic fuerit, siue alius, prænomen Cneus fuit, vt videre est, ex illius ipsis epistolis. At huius Numatij Planci haud dubiè meminit in Augusto Suetonius cap. 7. vbi scribit ex illius sententia, Octauium cognomen Augusti assumpsisse, hic autem vt scribit Eusebius Cosmographus, cum Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit.

o *Valgi.*] Sex. Pompeius lib.19. in verbo, Valgos.

p *Vari.*] Pompeius ibidem, verbo, Vari. Cicero de natura deorum lib.1. Plinius dicto lib. 11. cap. 45. Nonius Marcellus in verbo Varri, hos Varros appellat. Fuit & aliud cognomentum non longe ab hoc differens, scilicet Varij, pro his qui è semine vario: id est, è meretrice prodeũt. Sic enim appellatum Heliogabalum illum Imperatorem diffamatissimum, tradit in illius vita Lampridius. Actium autem Varum memorat Cæsar belli ciuilis lib. 1. & Q. Titanium Varum præfectum equitum Hircius, lib. 8. belli Gallici. & Lentulum Varum, Iulius Paulus l. Imperator. ff. ad municipale.

q *Vatia.*] Plinius vbi suprà. Seneca in epistolis ad Lucilium, loquitur de hortis Seruilij Vatij: & Varro de re rustica, vbi de canis forma, Canis pedibus ait, potius varis quàm vatiis.

r *Vatinij.*] Plinius eodem loco: vbi & nonnulli legunt Vatieni, vt scribit Hermolaus Barbarus in eius loci castigatione. Et eius nomine est Narbonensis Orator nobilis apud Martialem in epigram.

Docti patria Narbo Vatieni. ——

Et apud Eusebium Chronographum.

s *Scauri.*] Quintil. & Plinius ibidem.

t *Scauro Mamerco.*] è prosapia veteri fuit hic, vir consolaris, sub Tib, Cæsare, de quo Tacit. lib.3.

u *Vitiato.*]

lixir. extinctam fuisse volunt. Ex Metellis vni [t] quòd fronte vitta ligatus ambularet, [u] Vittato: alteri, quod funebres ludos & viscerationem sine mora exoluendos curauit: [a] Celeri nomen datum: tertius quòd à Furio Tribuno patris reditum exorauit, [y] Pius cognominatus est, [z] Falconum, quòd pollices pedum introrsus curuatos Falconis instar haberent. Et [a] Sedigiti, quòd senis plerunque digitis: & Tuditani, quòd malleo simili capite nascerentur, cognomen gentilitiæ stirpis inuenere. Tudites enim mallei, à tundendo dicti sunt. Sic [c] Malici & [d] Bronci, alteri quòd magnis malis &; buccis tumidioribus essent: alteri, quòd ore sine labiis nascerentur. [e] Capellas quoque, à capillorum hirsutie dictos volunt. Et [f] Cenestellas, à caluitie: [g] Colomellas, à proceritate: [h] Aruinas, à pinguedine: Nasicas, ab adunco naso: & [k] Mammulas quasi papillosos, ab ipsa re denominatos ferunt. Leccæ quoque inexhausta libido, & obscœnus amor, gentilitium nomen dedit. Quinetiam ex variis fortunæ casibus multos clara nomina sumpsisse inuenimus. Valerio Tribuno militum, cum ad singulare certamen à Gallo prouocatus descendisset, quòd pugnanti in galea coruus insedisset, [m] Coruini nomen factum. Et T. Manlius, quod præualidum hostem comminus trucidasset, indoniásque hosti torquem detraxisset, [n] Torquati nomen assumpsit. [o] Druso quoque à duce Druso pugna singulari victo, clarum familiæ nomen datum. Rursus [p] Buteones dicti, quòd authori familiæ, cum classi præfectus à portu solueret, Buteo auis felici omine insedit, quo augurio insignem de hoste victoriam tulit. Ea enim [q] triorches, quòd treis habeat testes, nuncupatur. Et [r] Lænatos quod eo vestis genere vtebantur, [s] quæ χλαῖνας dictæ. Quorum M. [t] Popilius Lænas princeps familiæ fuit, qui, consul & flamen, cum lænam indutus sacrum faceret, orto patrum & plebis tumultu, vt erat amictus, in forum

Vittatus. Celer. Pius. Falconus. Sedigiti. Tuditani. Malici. Bronci. Capella. Cenestella. Columella. Aruina. Nasica. Mammula. Lecca. Ex fortuna casibus. Coruini. Torquati. Drusi. Buteones. Τριόρχης Lænati.

ANNOTATIONES.

u *Vittato.*] Plutarchus in Coriolano.

x *Celeri.*] Plutarchus ibidem, & in Romulo, Asinij autem Celeris viri consularis meminit Plin. lib 9. cap. 17.

y *Pius.*] Eius rei historiam recitat Valerius Maximus lib. 5. c. 2. Sic Antonius primus huius nominis Imperator Pius cognominatus est, vt tradit Iulius Capitolinus, huius cognominis multas rationes ponens in vita ipsius Antonini post princip. Refert autem Suetonius in Tiberio cap. 17. quòd cùm Romani peterent vt ipse Tiberius Pius cognominaretur, Augustus intercessit. Seneca lib. 1. Suasoriarum 1. contr. 2. & lib. 2. controu. 1. & 2. mentionem facit Cestij Pij oratoris.

z *Falconum.*] Sext. Pompeius lib. 6. Liuius autem 3. Decad. lib. 10. & Decad. 4. lib. 1. memorat Valerium Falconem prætorem.

a *Sedigiti.*] Ex Plinio lib. 11. c. 43. Notus est autem omnibus Volcatius Sedigitus, qui Iambis iudicium suum de Latinis Comicis interposuit, apud A. Gellium lib. 15. cap. 24.

b *Tuditani.*] Festus lib. 18. Tudites, inquit, mallei à tundendo dicti: inde & cuidã cognomen Tuditano fuit, quòd malleo simile caput habuerit.

c *Malici.*] Idem Festus lib. 12. malici, ait, cognominantur homines malarum magnarum, atq; oribus latè patentibus.

d *Bronci.*] Brocchos dicit Plinius, lib. 11. cap. 37. Labra, inquit, à quibus Brocci. Bruncos autem Nonius Marcellus: suum scribit, Brunci sunt producto ore præ dentibus, in idque citat illud Lucilij Satyr. lib. 3.

Bruncus nouit lanius dente auerso, &c.

e *Capellas.*] Nolibi hæc memini legere me, nisi apud Rhodiginum qui ab hoc authore ni fallor, acceperat, vt alia pleraque in lib. 24. cap. 5. Omnes autem norunt nomen Martiani Capellæ qui de Mercurij & Philologiæ nuptiis scripsit.

f *Cenestellas.*] Fenestellam scribit Cælius Rhodiginus prædicto loco. At Hadrianus Iunius in commentario de Coma. cap. 11. ponit Cenestellam, vt hîc author quem solum ille citat.

g *Columellas.*] Donatus in Phormionem Terentij scribit columellas apud veteres dictos seruos maiores domus: vt columina familiæ.

h *Aruinas.*] Seruius enarrans illud 7. Æneid.

& spicula lucida tergunt — Aruina, pingui. Aruina, inquit, est durum pingue inter cutem & viscus: laudat eius rei authorem Suetonium libro de vitiis corporalibus. Ego scio Aruinas quosdam esse cognominatos, vt Aulum Cornelium Aruinam dictatorem apud Liuium Decad. 1. lib. 8. ante finem. & P. Cornelium Aruinam consulem cum Q. Martio Tremulo eiusdem Decad. li. 9. sed an id illis cognomen à pinguedine, nescio me legisse.

i *Nasicas.*] Idem Cælius lib. 24. cap. 5. Inferius autem dicit hîc non ab adunco naso, sed à maioribus naribus dictum Scipionem Nasicam, quod est diuersum: nec tamen scio vnde vtrunq; acceperit. Scipionis autem Nasicæ nonnulli meminerunt, & inter cæteros Pomponius lege 2. §. post hûc Appius. ff. de orig. iur. & Cicero lib. 1. Thusculan.

k *Mammulas.*] Idem Cælius habet ibidem. At Liuius 3. Decad. lib. 3. memorat A. Cornelium Mammulam proprætorem Sardiniæ.

l *Lecca.*] Idem & Cælius. Liuius autem Decad. 4. lib. 2. M. Portij Leccæ tribuni plebis, & lib. 3. P. Portij Leccæ prætoris meminit.

m *Coruini nomen.*] Ea Liuio hanc historiam latè describente, Decad. 1. lib. 7. & Plinio de viris illustrib. 29. & Paulo Orosio lib. 3. c. 6.

n *Torquati nomen.*] Ex eodem Liuij libro, & ex Tullio lib. 1. de Finibus, & 4. Thuscula. & 3. officiorum, & Plinio lib. 33. cap. 1. & 11. & Suetonio in Caligula c. 35. & A. Gellio lib. 9. c. 14. Plutarchus autem in Mario, putat id cognomen ex forma & modo corporis impositum fuisse.

o *Druso quoque.*] Suetonius in Tiberio, c. 3. Drusus, ait, hostium duce Druso comminus trucidato, sibi posterisque cognomen fecit. Liuij autem Drusi seditiosi viri meminit Lucius Florus epitome rerum Romanarum lib. 3. & M. Liuij Drusi, autor est Plinius de viris illustribus. 66.

p *Buteones.*] Plinius lib. 10. cap. 8. memoratur autem inter cæteros cognomines M. Fabius Buteo dictator, & postea ædilis curulis 3. Decad. lib. 3. & 10. & Plutarchus in Fabio. Sed & Buteonis oratoris meminit Seneca Controuersia. 1. lib. 2.

q *Triorches.*] Ibidem Plinius, & Aristoteles historiæ animalium lib. 9.

r *Lænatos.*] Quintilianus lib. 1. cap. 8. Apud Liuium Decad. 1. lib. 7. M. Popilius Lenas quater consul fuit: verùm is Lenas sine diphthongo, non Lænas vocatur, vt inde ortum dici non possit, quod hîc dicitur: quamquam scio plurima vocabula nunc sine, nunc cum diphthongo scribi. fuit autem & Caius Lænas poëta Lyricus, cuius meminit Donatianus in Poëtica.

s *Quæ χλαῖνας dictæ.*] Plutarchus in Numa authoritate Iobæ scribit, lænas apud Romanos eas esse dictas, quæ Græcis χλαῖνας vocantur.

t *Popilius Lænas.*] Cicero de claris oratoribus de eo sic ait; Qui cum consul esset, eodem tempore, sacrificiumque publicũ cũ læna faceret, quòd erat Flamen Carmẽtalis, plebis

Salnator. Claudij. Caudex. Apij. Nero. Marcelli. Pulchri. Aurelij. R litteræ inuentor. Cursor Prætextatus. Catus, & Corculus.

processit, magnificáque oratiooe seditionem compressir, & rixam sedauit. Liuio [u] Salinatori, quod in censura ex salaria annona nouum vectigal statuisset, sal cognomentum dedit. Ex Sabinis verò [x] Claudios, ab authore Appio Clauso gentis principe, qui cum multitudine elientium Romam commigrauit, deductos ferunt: [y] ex qua familia multi insignes nobilitate & honoribus, contra furores tribunitios, pro patribus perpetui defensores extitere. Huius generis [z] Appius Caudex cognomento fuit, quod primus classem extra Italiam duxerat, & nauali prælio pugnare docuerat. Dixere autem caudicem, lignorum acerumm compactum & conglutinatum, vnde & codices, [a] Ea autem Appiorum familia ab apij corona, quam L. Appius in Achaia ludis Nemæis meruit, originem duxisse fertur, cui postea [b] Neronis dixere nomen, quod Sabina lingua fortem designauit & strenuum: ex qua [c] nonnulli patricij, alij plebij: plebeia Mercellorum, patricia vero Pulchorum fuit. [d] Aurelios quoque ex Sabinis, quod publice his Romæ locus datus foret, vbi Soli sacra facerent, à Sole nuncupatos ferunt, proq; Auseliis Aurelij dicti, sicut Valesij, Fusij, & Papysij quondam, nunc [e] Valerij, Furij, & Papyrij, R primum litera inuenta. Is enim Claudius Centinianus, seu [f] Centimanus fuit, qui librum in iure ciuili conscripsit, & primus R literam Latiois dedit, Papyrius, à pedum pernicitate, qua victor omnium suæ ætatis æqualium fuit, [g] Cursoris nomen accepit: alecri, ob loquendi tacendique in ætate prætextata prudentiam, [h] Prætextati oomen datum. Præter hos [i] Cati, qui & [k] Corculi,

ANNOTATIONES.

contra patres concitatione & seditione nuntiara vt erat læna amictus venir in concionem.

v *Liuia Salinatore.*] Liuius 3. Decad. lib. 9.

x *Claudios.*] Idem 1. Decad. lib. 2. & Dionysius Halicar. lib. 5. & Suetonius in Tiberio, cap. 1. hinc illud Virgilij 7. Æneidos,

—Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Claudus, magniq; ipse agminis instar:
Claudia nunc a quo diffunditur & tribus & gens.

y *Ex qua familia.*] Id apud Liuium perpetuò videre licet.

z *Appius Caudex.*] Seneca lib. de breuitate vitæ, Quis, inquit, Romanos prius persuasit nauem ascendere? Claudius, is fuit Caudex, ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus, caudex apud antiquos vocatur: vnde tabulæ, codices vocantur, & naues nūc quoque quæ ex antiqua cōsuetudine commeatus subeunt, caudicatæ appellatæ. Ex quo intelligis caudicem & codicem promiscue eandem rem appellari. Sed & de eo Suetonius in Tiberio c. 2. Claudius Caudex primus fretum classe transiecit, Pœnos Sicilia expulit. De qua re etiam Polybius lib. 1. & de eodem Appio Caudice Plinius de viris illustribus c. 37. & A. Gellius lib. 10. c. 25. & lib. 17. c. 21. Sed quod ad naues pertinet, eas candicarias Festus libro sexto dicit, ex tabulis grossioribus factas.

a *Ea autem Appiorum familia.*] Signatam præsente nota impositionis rationem haber ab Apio herba, quamuis fuerint cum tempore literæ in cognomine Appiorum duplicatæ. Aliter autem Caius Titus Probus in epitome lib. 10. Valerij maximi, nisi liber subdititius, eiusque titulus sit, dicit Appium ab Antæo regione Sabinorum prænomen esse.

b *Neronis.*] Suetonius in Tiberio c. 1. extremo, loquens de gente Claudia, inter cognomina & Neronis nomen assumplit, quo significatur lingua Sabina fortis ac strenuus. Idem & A. Gellius lib. 13. c. 21. Id autem siue Neriò, siue Nerienes, Sabinum verbum est, eoque significatur virtus ac fortitudo. Itaque ex Claudiis quos a Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia atque præstanti fortitudine, Nero appellatus. Sed id Sabini à Græcia accepisse videntur, qui vincula & firmamenta membrorum νεῦρα dicunt, vnde nos quoque Latinè neruos appellamus.

c *Nonnulli patricij.*] Id omnino est Asconij Pædiani. Cui concinens Suetonius initio Tiberij scribit, Patritia gens Claudia (fuit enim & alia plebeia, nec potentia minor, nec dignitate) orta est, &c.

d *Aurelios.*] Pompeius Festus lib. 1. Aureliorum, inquit, familiam ex Sabinis oriundam à Sole dictam putant, quòd & publicè à Populo Romano datus sit locus, in quo sacra facerent Soli: qui ex hoc Auselij dicebantur, vt Valesij, & Papisij, pro eo quod est Valerij & Papirij.

e *Valerij, Furij, Papirij.*] De Valeriis & Papiriis diximus ex Pompeio: sed & de Valeriis & Furiis idem scribunt Liuius, 1. Decad. lib. 3. non multò post princ. Macrobius, lib. 3. Saturn. cap. 2. & de Papiriis quoque Pomponius Iurisconsultus. l. 2. §. post hunc Appius. ff. de orig. iuris. & Quintil. lib. 1. cap. 6. Quò pertinent quæ Cicero lib. famil. epist. 9. ad Papirium Pætum scribit, Lucium Papirium Crassum primùm Papisium vocari desiisse.

f *Siue Centimanus.*] Hoc acceptum ex dicta l. 2. §. post hunc Appius.

g *Cursoris nomen.*] Liuius decad. 1. lib. 9.

h *Prætextati.*] A. Gellius lib. 1. cap. 13. & Macrobius 1. Saturnal. cap. 6.

i *Cati.*] Quid Catus significet apertè indicat Cicero lib. 1. de legib. Quis igitur prudentem, & vt ita dicam catum, non ex ipsius habitu. & apud eūdem Thuscul. lib. 1. Ennius aut alius ex veteribus Latinis, dixit, Egregiè cordatus homo Catus Ælius Sextus. Item Thuscul. 2. Sed homo Catus nunquam terminat, nec magnitudinis, nec diuturnitatis modum: quamuis nonnulli legant ibi, Cantus. Plautus quoque in Mostellaria.

Equidem Po miror tam catum, tam doctum te.

Et in Menæhmis,

---- Custodi catè.

Ex quibus satis ostenditur catum significare prudentem, cautum, callidum. Nam & hinc Mercurius Catus dicitur, Horatio lib. 1. Carminum Ode 10. & catum consiliū Plauto. in Epidico. Varro autem de lingua Latina lib. 6. interpretatur, cata, apud Ennium acuta: hoc enim, inquit, verbo, Sabini dicunt: quare Catus Ælius Sextius, non vt aiunt sapiens, sed acutus. At Donatus in Andriam Terentij scribit catum dici callidum, doctum, & ardentem παρὰ τὸ καίειν, vnde & Cato dictus. Seruius in primum Æneidos catum exponit, ingeniosum. Igitur Plinius lib. 7. cap. 31. scribit apud Romanos Catos fuisse cognominatos, qui animi bonis cæteros mortales sapientia præstitissent: vt hinc intelligas sapientes quoque Catos dici, contrà quàm Varro suprà dixerat. A. Cato autem quopiam dictus est fons Cati, ex quo aqua Petronia in Tiberim fluit, ex Fexto lib. 6. Porrò Firmij Cati, meminit Cornelius Tacitus lib. 2. at Sexti illius Ælij Cati, præter Varronem, Cicero in Topicis. lib. 2. de orig. iur.

k *Corculi.*] Cicero in Bruto, & in Thuscalanis. Plinius prædicto loco, item eius nepos de viris illustribus cap. 44. ad id quod de catis diximus, addit & corculum. Sext. Pompeius lib 3. Corculum, inquit, à corde dicebant antiqui, solertem & acutum: citàtque illud Plauti in Cassina,

Ego sum liber meum corculum.

Sed id melius probat illud Ciceronis lib. 1. Thuscula. Aliis cor ipsum animus videtur; ex quo excordes, væcordes, concordésque dicuntur: & Nasica ille prudens bis consul, Corculum, vt scribit ipse Cicero in Bruto, siue de claris oratoribus.

l *Sabini.*]

iod vsu & sapientia præstarent: nam catum [l] Sabini acutum dixere. Et [m] Curiones à curis, qui- *Curiones* *Dentati.*
us macilentiores erant, denominati sunt. [n] Ex qua gente tres præcipui oratores, lumen totius se-
atus atque imperij fuere. [o] Dentatos quoque, quod solido osse vice dentiũ armarentur, dictos pu-
nt, quo modo [p] Prusiæ regis Bithyniæ filius fuisse fertur. [q] Quanquam plerique aliter sentiant,
itorem scilicet gentis, cum primum in lucem editus fuit, dente nato prodiisse: sicut [r] de M. Cu-
o, & M. Carbone traditur. Rursus [s] Clodij & [t] Cluentij à Cluante, [u] & Memmij à Mnestheo à [x] Ser- *Clodij.* *Cluentij.* *Memmij.*
esto autem Sergii, sunt à Naute [y] Nautij, & [z] Geganij à Gia, Troianis ducibus, qui Æneæ Comi- *Sergij.* *Nautij.*
s post euersum Ilium, huc applicuere, illis progenitoribus gloriantur. fuitque [a] proprium Nautio- *Geganij.*
m familiæ, vt sacerdotes Palladis fierent, & sacra tractarent, quòd princeps familiæ palladium *Manilij.*
omam attulisse ferebatur. Sic [b] Manilios à Manilia Telegoni filia, quam Thusculi genuit, & [c] Cæ- *Cæcilij.*
lios à Cæculo Prænestis conditore. Et [d] Lamios à Lamo, qui Formiis imperauit, & [e] Calphur- *Lamij.*
ios à Calpho Numæ regis filio, oriundos ferunt. [f] Quatuor enim Numa filios genuit, qui omnes *Calphurnij.*

ANNOTATIONES.

Sabini.] Hoc illud est quod supra de Catis ex Varrone
cimus.
Curiones.] An à curis cognominati sint ignoro. Scio au-
n Sext. Pompeium lib. 3. scripsisse curionem agnum à
uto pro macro positum fuisse. quasi cura macruisset.
cus Plauti quem ille non designat est in Aulularia,
s c. *Volo ex te ego scire qui sit agnus curio.*
v c. *Qui ossa atque pellis totus est, Ita cura macet.*
rio autem maxime cuius frequens mentio est apud Li-
m, is est cuius autoritate curiæ, omnésque curiones re-
ntur, vt tradit idem Pompeius lib. 11. Quasi scilicet non
ura, sed à curia dici videatur: quod & palam profitetur
rro de lingua Latina lib. 4. Cæterum Plinius lib. 7. c. 41.
a, inquit, familia Curionum, in qua tres continua serie
atores extiterunt. Sunt præterea ad Curiones complures
ceronis Epistolæ, familiarium lib. 2.
Ex qua gente.] Solinus cap. 7. scribit plurimos inter Ro-
nos eloquentia floruisse, sed hoc bonum hæreditarium
nquam fuisse, nisi familia Curionum, in qua tres serie
ntinua oratores fuere.
Dentatos.] Plinius lib 7. cap. 16. & Solinus c. 4. scribunt
s Dentatos dici, quòd cum dentibus nati essent.
Prusiæ Regis Bithyniæ.] Valer. Max. lib. 1. cap. 8. Solinus d.
Sext. Pompeius lib. 11. vbi hinc dicit illum appellatum
isse Monodon, quod vnum os habuit dentium loco: Sub-
q; similiter habuisse Pyrrhum Regem Epirotarum: quod
ipsum tradit Plutarchus in Pyrrho.
Quanquam plerique aliter sentiant.] Quod nos iam dixi-
s, ex Plinio & Solino.
De M. Curio & M. Carbone.] Ex Plinio dicti lib. 7. c. 16. &
ino d. c. 4.
Clodij.] Sunt qui Clodij legunt apud Plutarchum in Co-
lano, vbi de nominis origine differit.
Cluentij.] Ex Virgil. 5. Æneid.
—— *Syllaq; Cloanthus*
Cærulea, genus vnde tibi Romane Cluenti.
Memmij.] Ibidem Virgilius ait,
Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmi.
t autem quædam epistolæ Ciceronia ad C. Memmium
ptæ lib. 13. familiarium, quem tamen alium putem, vt
minorem & posteriorem Caio Memmio, cui Lucre-
libros sex de rerum natura dedicauit.
Sergesto.] Idem Virgilius.
Sergestusque, domus à quo tenet Sergia nomen.
ij Cornelij consulis cum Q. Flacco meminit Liuius
ad. 1. lib. 2. & alterius L. Sergij Fidenatis cum M. Gega-
Macerino eiusdem. Decad. 1. lib. 4. & cum Hastro Lu-
io Tricipitino, vt est apud eundem.
Nautij.] Seruius Maurus ad 2. Æneid. ibi,
fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium
tem & lib. 3. & lib. 5. Sextus quoque Pompeius lib. 12.
nysius Halicarnassæus lib. 8. Liuius Decad. 1. lib. 2. me-
it Spurium Nautium & Sextum Furium consules, &
m Nautiũ & P. Valerium. Item lib. 3. Lucios Nautium
inutium: & alium C. Nautium Rutilium & M. Papi-
rium Atratinum eiusdem decadis lib. 4. Dionysius quoque
Halicarnassæus lib. 6. meminit etiam S. P. Nautij, familia,
inquit, natus honestissima. Nam autor eius generis vnus ex
Æneæ sociis fuerat: qui sacerdos Mineruæ in æde in arce
Iliensi consecrata, Palladium secum transtulerat, cuius cu-
stodia mansit penes successorea gentis Nautiæ.
z *Geganij à Gia.*] Ex eodem Seruio in eum locum Æneid.
lib. 5.
Ingentemq; Gias ingenti mole chimeram.
Fuitque ex antiqua familia Geganiorum vt liquet T. Ge-
ganius & P. Minutius consul Liuij Decad. 1. lib. 2. & M.
Geganius Macerinus C. Iulio consul. Decad. 1. lib. 3. Idém-
que iterum cum Tito Q. Capitolino, Liuij dictæ Decad. li. 4.
Idem & tertium consul fuit cum L. Sergio Fidennate, vt
dixi proximè in verb. Sergesto. Fuitque idem ipse Censor,
cũ C. Furio, vt videre licet ex oratione P. Sempronij apud
Liuium Decad. 1. lib. 9. & alius Proculus Geganius Mace-
rinus cum L. Menennio Lanato consul Decad. 1. lib. 4. Dio-
nysius autem Halic. lib. 3. scribit ad magistratus Romæ ge-
rendos fuisse Geganiorum familiam. Idem lib. 7. meminit
T. Geganij Macerini consulis, & L. Geganij eius fratris.
Geganios autem ex Albanis ortos tradit idem Dionysius
lib. 3. in oratione Metij Suffetij, & præterea Iulios, Serui-
lios, Metilios, Curiatios, Quintilios, & Clælios, quorum
Alexander non meminit.
a *Proprium Nautiorum.*] Ex Seruio tum d. lib. 2. Æneid. tum
d. lib. 3. eodem, & ex Dionysio Halicarn. lib. 6.
b *Manilios.*] Ex Festo lib. 11.
c *Cæcilios.*] Ex eodem lib. 3. Sed idem ipse aliter lib. 11. vbi
de Metellis habet. Fuit autem Q. Cæcilius consul cum L.
Veturio, apud Liuium Decad. 3. lib. 8.
d *Lamios.*] Lamias legendum est. Fuit enim Lamiarum Ro-
mæ nobilis familia, à Lamia Formiarum rege orta: ex qua
fuit Ælius Lamia, ad quem Horatius scripsit 26. Odem li. 1.
Carmi. & od. 17. lib. 3.
Æli vetusto nobilis à Lamia
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos —— & ibi Acron & Porphyrion inter-
pretes, Fuit autem Lucius Lamia commemorans Ciceroni
familia. lib. 11. epist. 16. & seq. vbi illum dicit esse equestris or-
dinis principem. & lib. 12. epist. 29. & Asconio Pædiano in
orationem Cicer. contra Pisonem. Item & fuit alter ab illo
Elius Lamia, à quo coniugem Domiciam Longinam in
vxorem duxit Domitianus, ipsumque Lamiam postea in
exilium egit, tandémq; necari iussit, vt est apud Suetonium.
Domitiani c. 1. & 10. De quo Iuuen. Saty. 4. extremo,
— *Lamiarum cæde madenti.*
Sed & de familia Lamiarum idem Satyra 6.
Quædam de numero Lamiarum ac nominis alti.
& vtróbique interpretes. Lamij autem Caietæ regis memi-
nit Silius, ibi, *& regnat Lamo Caieta.*
e *Calphurnios.*] De iis ad initium capitis dictum est, sub ver
bo, Calphurniorum prosapia.
f *Quatuor enim Numa filios.*] Hæc sunt Plutarchi in vita
ipsius Numæ, non multò ante finem, nisi quòd Plutarch.
Calpum appellat, vti quoque Festus lib. 3. quem Alexander

Pompo-py. Pinarij. Mamerci. Repetūdarum lex. αἱμύλιοι. Æmilij. αἱμύλιος. Lepidi. Cicurij. Nasica. Corculū. Cota. Insani. Massæ. Lamia. Ouicula. Cunctator. Verrucosus. Gurges. Nepotes.

honestarum familiarum nomina dedere: Calphum, ex quo Calphurnios: Pomponem, vnde Pomponios: à Pino autem Pinarios, & ex Mamerco Mamercos fluxisse putant. [g]Calphurniorum familiam illustrasse dicitur L.[g] Calphurnius Piso Frugi, qui tribunus plebis, Repetundarum legem tulit primus, & promulgauit. [h] Æmilia gens, Mamercum pythagoreum autorem suæ stirpis nuncupat: cui propter eximiam humanitatem, quodque animo esset æquissimo, cognomen Æmylos inditum ferunt, sicut à lepore [i] Lepi, & [k] Cicurij mansueti appellati. Scipio [l] Nasica, à maioribus naribus, & ob morum temperantiam Corculum. Contrà vero [m] Trebonius, quod esset ingenio impotens, & moribus difficillimis, Asper dictus est. Sic [n] Cotæ ab ira, & oris toruitate, quod acres forent & vehementes: & [o] Insani, quòd natura intractabiles: atque [p] Massæ, quasi fures: & [q] Lamiæ, quasi voraces, cognomenta innenere, Fabius vero Maximus ex morum clementia, & quod nihil illo esset placidius, [r] Ouiculæ: idem, quod Hannibalem mora fregit, [s] Cunctatoris, & à verruca in labiis, [t] Verrucosi nomen accepit. Est enim [u] verruca, præminens caro seu tuberculum. Aliter quoniam sordidæ intemperantiæ foret, & profusa largitione patrimonium prodegerat, [x] Gurgitis, sicut [y] Nepotes, qui attritis facultatibus vino, alea & scortis, patrimonium exhausere,

ANNOTATIONES.

hic Calphum vocat. Sed quod de Pinariis hic est, aliter se habet Plutarcho Probl.60. scilicet eos ita appellatos fuisse, quòd vescentibus cæteris ex iis quæ super ara magna Herculis imolarentur, dapibus prohibiti sint. Sed & aliter de Mamercis Festus lib.11. scilicet id prænominis Oscum esse, ab eo quod ij Mamertem appellant.

g *Calphurnius Piso.*] Cicero de claris oratoribus lib. 2. de officiis. & in Verrem actio 5. & Valerius Maximus meminit eiusdem lib.2.cap.2.

h *Æmilia gens.*] Plutarchus in Numa, & in Paulo Æmylio. & Festus lib.1. & vide infrà lib.5.cap.4.

i *Lepidi.*] Quin Lepidus à lepôre dicatur, nemo dubitabit, quando lepidus is sic dicatur, in quo leporis est plurimum.

k *Cicurij.*] Varro de lingua Latina lib.6.

l *Nasica.*] De Nasica, diximus supra sub verbo, Nasicas, de Corculo, sub verbo, Corculi.

m *Trebonius.*] Liuius Decad.2.lib.3. Lucius, inquit, Trebonius Trib. plebis infestus patribus, quòd se ab iis in cooptandis Tribunis fraude captum proditúmque à collegis aiebat, Rogationem tulit, vt qui plebem Romanam Tribunos plebis rogaret, is vsque eo rogaret, dum X. Tribunos plebis faceret. Insectandisque patribus, vnde Aspero etiam inditum est cognomen, Tribunatum gessit.

n *Cota ab ira.*] Quintilianus id tantum indicat lib.1.c.8. Suidas autem tradit Cotam tam vehementes ictus tragula fecisse solitum, vt non solùm hostis pectus & latera traiiceret, verum etiam terræ adfigeret: dicitque Græca origine appellatum fuisse, quòd Græci ictus vehementiores κότ... vocant. Liuius sanè Decad.4. lib.10. memorat L. Aurelium Cotam Trib. militum, & Asconius Pædianus Verrina 2. eundem prætorem, nisi de quo alio intelligat. & Valer. Maximus lib.2. cap.2. Gaium Cotam, Cicero in 2. oratione legis Agra. & contra L. Pisonem, vbi Asconius eiusdem meminisse Ciceronem Dialogis de Oratore scribit, quod verum est ex lib. 2. de Oratore ad Q. Fratrem, Item L. Cotæ consulis cum L. Torquato, idem meminit & M. Cotæ cum L. Lucullo. 7. in Verrem. Cornelius Tacitus commemorat. lib. 3. Aurelium Cotam consulem, atque etiam L. Cotam, quem dicit accusatum fuisse repetundarum à Scipione Africano; & L. Arunculeium Cotam Cæsar. lib. 2. & 4. Belli Gallici. & Aurelium Cotam Suetonius in Cæsare cap. 1. Cornelium Cotam Appianus lib. 1. Bellorum ciuilium. & ad Maximum Cotam oratorem bis scripsit Ouidius ex exilio, lib. 3. de Ponto epist.2.& 5.

o *Insani.*] Plato in Symposio, non adeo longè à princ. scribit Apollodorum cognomine Insanum fuisse appellatum, quòd sibi & aliis detraheret. Sed & Antiochum regem Syriæ ita vocatum scribit Polybius, & ex eo Athenæus lib.2. cap.2. & lib.5. cap.4. & lib. 10. cap. 12. At ex Latinis autoribus ad quos Alexander, ni fallor, potius respexit, Domitius doctus & celebris Grammaticus, Romæ cognomentum Insani ob id nactus est, quod esset natura intractabilis & morosus, teste A. Gellio, lib.18.cap.7. & certè de hoc intelligit Alexander.

p *Massæ.*] Idem & Rhodiginus lib. 24. cap. 5. sed vnde id sumpserint, nescio. Nonnullos autem dictos Massas, vt Bæbium Massam legas apud Plinium Cæcilium epist. 4. lib. 3. & 29. lib.6. & 33. lib.7. & alibi Massones, didici ex Cicerone famil. lib.9. epist.11. vbi Lucij Massonis meminit.

q *Lamia.*] Idem Cælius vbi suprà. Aliunde autem id nominis in quandam Romanorum familiam ortum esse diximus, in verbo Lamios. Scio autem Lamias alia significatione, mulieres quasdam siue laruas aut lemures dici, quæ homines, præsertim pueros & infantes enecant & deuorāt, vt videre licet apud Philostratū de vita Apollonij, & Horatium lib.1. ode 36. & Apuleium Metamorph. lib.1.

r *Ouicula.*] Plutarchus in vita illius. Plinius Iunior de viris illustribus, 43. & Senior lib.34.cap.7.

s *Cunctatoris.*] Liuius Decad.3.lib. 2. & 10. Plutarchus vbi suprà; hincque illud Ennij à Cicerone de officiis, & Macrobio relatum vnus homo nobis cunctando restituit rem. ex quo Virgil. Æneid.6. versum confecit,

Vnus qui nobis cunctando restituis rem.

t *Verrucosi.*] Plutarchus & Plinius Secundus vbi suprà. Cicero de claris oratoribus, Quintus etiam Maximus, inquit, Verrucosus, orator habitus est, temporibus illis: & Iulius Obsequens Prodigiorum cap.28. Plin. d. lib.34.c.7.

u *Verruca.*] Horatius lib.1. Serm. Satyr.3.

Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscat verrucis illius &c.

De iis Plinius locis infinitis, & ex libris Originum M. Catonis. Gellius lib.3.cap. 7. habet, Verruca est locus editus atque asper.

x *Gurgitis.*] Macrobius lib. Saturnal. 3. c. 12. De hoc quoque Fabio Gurgite Liuius Decad.1. lib. 10. Eo anno Q. Fabius Gurges consulis filius, aliquot matronas ad populum stupri damnatas, pecunia mulctauit. & postea, Idem consul cum D. Iunio Bruto Scæua creatus est. Plinius autem lib.7. c.40. Familia Fabiorum quæ vna, inquit, qua tres continui principes senatus, M. Fabius Ambustus, Fabius Rutilianus filius, Q. Fabius Gurges nepos.

y *Nepotes.*] Hi dicūtur luxuriosi, & suorum bonorum consumptores, obliguritores, vt scribunt Diomedes Grammaticus & Sext. Pompeius lib.12. Priscianus lib. 2. & Porphyrion in Horatij Epod. od.1. qui huius appellationis causam ponit, quòd solutioris delicatiorisque victus soleant esse, qui sub auo nutriuntur. Quod & satis probat illud ipsius Horatij eo loco,

Discinctus aut perdam vt nepos.

& lib.2. Sermo. Saty.3.

Vincit enim stultos ratio insanire nepotes.

Illúdque Ciceronis in 1. Oratione legis Agrariæ, post prin. Vnde nunc proximo capite vt impurus helluo turbet rempublicā, vt à maioribus nostris relictas possessiones disperdat, & dissipet, vt sit non minus in patrimonio populi Romani

ppellati. Tertius: quòd salutis ædem pinxit, [a] Pictoris. Alius [a], Ambustus, [b] cuius filia Licinio Stoloni upserat. [c] Ex qua familia, quod nulli contigit, vno velut tenóre tres principes senatus fuere, Fabius :licet Ambustus, [d] Rutilianus, & Gurges, præcellenti ingenio viri, [e] Is autem ambustus, quòd ado:scens ictus fulmine deflagrauit: idémque Pullus, postea [f] Rullus nominatus. Fuit quoque Fabius ognomento Venox, [g] qui censor cum Appio Claudio, ob inquisitas aquæ venas, Venocis no:en accepit. Et alter Rutilianus, cui primum [h] ob virtutem Maximi cognomen datum, qui [i] maister equitum à Papyrio dictatore penè securi percussus est. [k] Duos enim Maximos populus Roanus præcipuè cognominauit, Valerium, qui plebem patribus conciliauit, & hunc Rutilianum: ost quem [l] Pompeius, astipulante Sylla, Magni nomen accepit. Nec me præterit, [m] Cæsones uòd cæso matris vtero in lucem prodiissent, sicut [n] Cæsares, quòd est Iuliorum familiæ cognomen:m, vel quòd cum cæsarie nascerentur, seu quòd auus C. Cæsaris elephantem occiderat, qui puica lingua cæsar dicitur, nomina inuenisse: cuius familiæ proprium dicent fuisse, vt sacra Apolnis curæ habeant, eiúsque ministri fiant [o] Iulos vero, à prima barbæ lanugine plerique dictos

Pictor. Ambustus. Rutilianus. Venox. Maximi. Cæsones. Cæsares. Sacra Apollinis.

ANNOTATIONES.

aoi nepos, quam in suo. Et in 2. eiusdem legis oratione, in suis rebus ita in republica luxuriosus oepos. Idem pro uinno, Quis tam perditus, ac profusus nepos? &c. Fuitie id cognomentũ familiæ honestæ: ex qua dictus Marllus Nepos, cuius sunt epistolæ ad Ciceronẽ, & Ciceronis ad eum Familiarium lib. 5. & Flauius Nepos, trimatu à Nerone excitus apud Tacitum lib. 15. & Plere:s Nepos vir sanatorius apud Spartianum io vita Hadriano non semel. Sed an id cognomen contrarium sit à luxu:alibi legisse non memini. Inde verò dicuntur Nepotini nptus, Suetonij Caligula cap. 37. Nepotinis sumptibus nnium prodigorum ingenia superauit. & nepotor, pro xuriosè & prodigè viuere, apud Senecam de Beneficiis, :.1.c.15. Veto liberalitatem nepotari, & apud Tertulliam in Apologetico, Aristippus in purpura nepotatur. In& luxus, oepotatus. Apuleio lib. 1. Metamorph. sic ne:tatus nomen verbale, vt in illo Afranij versu,

Scurrilitate ac nepotatu nobilis.

Pictoris.] Plinius lib. 35. c. 4. de pictura loquens ait, Apud omanos quoque honos mature huic arti contingit. Siidem cognomina ex ca pictorum traxerunt Fabij, clarisæ gẽtis, principésque eius cognominis ipse ædem Sa:is pinxit. Huius sæpe meminit Liuius, & Decad. 1. lib. 1. pellat illum antiquissimum scriptorem. de quo Cicero Bruto, Fabius, inquit, pictor, homo oobilissimus, iuris & erarum antiquitatis benè peritus.

Ambustus.] De hoc attigi proximè in verbo Gurgitis. d & huius meminerunt Plinius de viris illustrib. 20. & uius decad. 1. lib. 4. vbi eum dicit fuisse consulem cum Furio Pacilio. & aliàs eodem libro, Tribunum, & lib. 7. idémque iterum cum C. Pontio Balbo, & tertium cum Quintio, vt aliis placet, cum M. Papilio consulem: Sed gistrum equitum P. Valerij Publicolæ dictatoris, & rurn Cornelij Aruinæ dictatoris lib. 8. ante finem. & deinde ctatorem, eius Decadis lib. 9. Fuit & alius C. Munatius ibustus cognominatus ob eam causam quam declarat conius Pædianus in Milonianam.

Cuius filia Licinio.] Liuius 1. Decad. lib. 6. inquit, M. Fabij ibusti filiæ duæ nuptæ, Seruio Sulpitio maior, minor C. cinio Stoloni.

Ex qua familia.] De quo diximus ex Plinio proximè in bo, Gurgitis.

Rutilianus.] Rullianũ vocat Plinius d. cap. 40. lib. 7. Pluchus Rullum in vita Pompeij, & Rhylaum in vita Fabij ximi. Sed Rutilianum Liuius Decad. 1. lib. 8. vbi scribit um fuisse dictum magistrum equitum à L. Papirio Cur:e. & alias. Item Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. & lib. 4. :.1. & scriptor de viris illustrib. 32.

Is autem Ambustus.] Pompeius Festus lib. 4. Pullus, init, Iouis dicebatur Fabius, cui Eburno cognomen erat, opter candorem, quòd eius natis fulmine icta esset. Antiqui puerum quem quis amabat, pullum eius dicebant. nobius contra Gentes lib. 4. & vt Iouis dicatur pullus in tribus Fabius adscitur mollibus, obsignatúsque posticis,

f Rullus.] Ita cognominatus fuit Fabius Maximus auus illius. Q. Fabij Maximi Cunctatoris, vt liquet ex Plutarcho in Pompeio, & Liuio Decad. 3. lib. 10. Fuere autem & alij cognomines: Plinius etenim lib. 8, cap. 50. scribit P. Seruilium Rullum patrem eius Rulli, qui cõsule Ciceroοe legem Agrariam promulgauit, solidum aprum Romanorum primum in epulis apposuisse. Extantq; etiamnum tres orationes ipsius Ciceronis de lege agraria cootra P. Seruilium Rullum Trib. plebis.

g *Qui censor.*] Vereor oe hîc Alexander memoria lapsus sit: neque enim quispiam Fabius Venox aut alterius cognominis censor fuit cum Appio Claudio: sed C. Plautius, vt tradit Liuius l. 9. cui quidem Plautio an cognomentum fuerit venox, nescio: At id cognominis fuisse alteri L. Plautio consuli cum M. Follio Flaccina, videre est dicto lib. 9. vt alteri L. Plautio consuli cum L. Papirio Crasso eiusdem Decad. 1. lib. 8. Post illos autem censores fuere Q. Fabius & P. Decius dicto lib. 9. in fine. Sed quòd illi Fabio cognomen fuerit non reperio: nisi is fuerit Q. Fabius Maximus Rutillianus, qui annis 22. plus minúsve fuerat antè magister equitum L. Papirij Cursoris, sicuti supra diximus. Quáquam Cælius Rhodoginus idem quòd hic habet li. 24. c. 5. in fioe. & addit præterea hos ceosores fuisse M. Valerio Maximo & P. Decio consulibus. ego neque censores neque cõsules hos simul fuisse reperio. Cæterum Hermolaus Barbarus in Castig. ad Plio. lib. 7. cap. 9. scribit, antiquam tabulam Romæ repertam hoc scripto, Cæsar Claudius C. F. Ap. N. Cæcus C. Plautius C. F. C. N. Qui in hoc D. XXV. honore appellatus est: & paulo post subdit; Quamquam & Venox L. Plautius L. F. L. N. Vennocens io eadem tabula legitur. Miror autem Hermolaum Venocem io nobili accepisse, & interpretatum fuisse.

h *Ob virtutem Maximi.*] Aliter Liuius 1. Decad. lib. 9. Extremo, inquit, Q. Fabius Censor simul concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, vrbanásque eas appellauit: adeóque eam rem acceptam gratis animis ferunt, vt Maximi cognomen quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret.

i *Magister equitum.*] Liuius Decad. 1. lib. 8. & Valer. Maximus lib. 2. cap. 2.

k *Duos enim Maximos.*] Plutarch. io Pompeio.

l *Pompeius.*] Ibidem Plutar. & Liuius Decad. 3. lib. 10. io fine. Cassiodorus. lib. 4. Variarum lect. epist. vlti.

m *Cæsones.*] Plinius lib. 7. cap. 9. & C. Titus Probus in epitome lib. 10. Valerij Maximi, & Festus lib. 3. Cæsonis autem Fabij cõsulis primùm cum L. Æmilio, secundùm cum Sp. Furio, tertiùm cum T. Virginio, meminit Liuius Decad. 1. lib. 2.

n *Cæsares.*] Plinius vbi supra, & Solinus cap. 4. Sed tu omnino vide quæ de hac re scripsi in nostris Commentariis.

o *Iulos verò.*] Seruius ad eum locum Æneid. 1. Virgil.

At puer Ascanius cui nunc cognomen Iulo.

Agrippa. Vopisci. Proculi. Posthumi. Cordus. Opiter. Scipio. Cincinnatus. Roscius. Pollus. Piso. Frugi. Scrofa, & Asina.

autumant: [p] ἴουλον enim Cræci primam in mento dixere lanuginem. & [q] Agrippas, quòd contra nascentium legem, pedibus prius ex vtero emersis, nati essent, quasi ægrè partos nuncupari, quod omen infelicitatis fuit: sicut [r] qui ex vtero haud magno negocio & proniori partu effusus foret, felix augurium affert. Et Vopiscos, cum ex gemellis vno defuncto, alter superuiueret: & [t] Proculos, qui foris agente patre: ac [u] Posthumos, qui post patris obitum nati essent: & [x] Cordum, qui sero & postremus: atque [y] Opiter, qui patre mortuo, auo viuo editi forent, dictos existimarunt. Cornelius qui [z] Scipionum nomen propagauit, quod patrem lumine orbum, pro baculo regeret, velut hastili nixum, Scipio fuit appellatus. Et [a] Cincinnatus, quod esset capillo incompto: & [b] Roscius, quòd exactæ virtutis & consummatissimus foret. Cum enim Roscius Gallus histrio nulli secundus, supra omnem memoriam absolutissimè mimum ageret, sicut [c] Pollus apud Græcos, si quem virtute præcipuum & artibus præcellentem videbant, Roscium, hoc est, miræ & perfectæ probitatis nuncupabant. Sic Piso, quod in omni re commodus foret, vtilis & fructuosus, [d] Frugi est cognominatus. [e] Scrofæ vero & [f] Asinæ vnde sint cognomenta, vulgo proditum est: siquidem alter cum vades daret, asinam onustam auro in forum duxit: alter supposita vxore puerpera, quam depe-

ANNOTATIONES.

p ἴουλον.] Idque non solum virorum, quod planum est, sed & arborum & pomorum ex Plinio lib.16.cap. 29.

q *Agrippas.*]Plinius lib.7.cap.8. Quintilianus lib. 1. cap. 8. A Gellius lib. 16.cap.16.Solinus cap. 4. & Nonius Marcellus ad extremum operis sui.

r *Qui ex vtero.*] Id quod tacitè sentiunt prædictis locis Plinius & Solinus.

s *Vopiscos.*] Plinius lib.7.cap.10.Quintil.d.c. 8. Plutarch. in Coriolano, Solinus & Nonius vbi suprà: C. autem Titus Probus in dicta epitome Valerij Opiscos habet, vbi mendum putem, cùm ipse idem Vopiscum Iulium commemoret.

t *Proculos.*] Plutarchus prædicto loco, & Festus lib. 14. Liuius autem Decad.1. lib. 2. memorat Proculum Virginium consulem cum Sp. Cassio; & lib. 8. P. Plautium Proculum etiam consulem cum P. Cornelio Scapula. & Tacitus li. 15. Ceruarium Proculum equitem.

u *Posthumos.*] Ibidem Plutarchus, & iterum in Sylla, in fin. Seruius lib.6.Æneid.ad illud,

—— Tua posthuma proles.

Quintilianus lib.1.cap.8. Gellius lib. 2. cap. 16. Eusebius in Chronicis: & clarè probat illud Plauti in Aulularia act.1.

Post mediam ætatem qui duxit vxorem domum,
Si eam senex anum prægnantem fecerit fortuito,
Quid dubitas quin fiet paratum nomen puero Posthumus?

Festus lib.15.Et de iis in nostris legibus connub.

x *Cordum.*] Quintilianus prædicto loco, Scrutabitur, inquit, mille præceptor acer atq; subtilis origines nominum, vt quæ ex habitu corporis Rufos, Longósq; fecerunt. Vbi erit aliquid secretius, vnde Syllæ, Burri, Galbæ, Planci, Pansæ, Scauri, taliáque: & ex casu nascentium, hinc Agrippa & Opiter, & Cordus, & Posthumus erunt: & iis quæ post natis eueniunt, vnde Vopiscus, Cotta, Scipiones, Lenates, Sertani. Sunt & ex variis causis, quibus ostendit omnia hæc nomina hominibus imposita ex variis causis, quas tamen aliter non declarat, sed relinquit legentium coniecturæ. Quod ad Cordum pertinet, de quo hîc tractamus, facilè possumus coniicere, ita eum nominari, qui serò & veluti intempestiuè nascitur, vt fœnum cordum appellatum, quod autumnale est, & sic serotinum & postremum, vt scribit Columella lib.2.cap.1. Plin. lib. 18. c. 28. Pompeius Festus li.3. vbi ait frumenta corda dici, quæ serò maturescunt. Sic & olus cordum appellat ipse Columella lib. 12. cap. 13. & Agnos Cordos Plinius li.8.cap. 47. & ante illum Varro qui per aspirationem scribit Chordos, de re rustica lib.2. cap.1. à χορίῳ verbo Græco. Cordi Crexentij meminit Suetonius in Augusto, cap.25. & Iulius Capitolinus in Gordianis alterius Cordi vitas Imperatorum scripserat, meminit. Sed scriptor de viris illustribus cap. 12. scribit Mutium Scæuolam, Cordum fuisse cognominatum, licet in quibusdam libris Codrus eo loco legatur.

y *Opiter.*] Quintilianus vbi suprà C.T.Probus in epitome 10. Valerij Maximi. Festus lib. 13. memoratur autem Opiter Virginius Consul Rom. primùm cum Sp. Cassio, iterúmque cum L. Æmilio, Liuij Decad. 1. lib. 2. & Dionysij Halicarn lib.5. Atque Cæsar Opiter Tito Probo vbi suprà. Ex quo illud te scire oportet, multa prænomina, aut etiam nomina, in cognomina, & è diuerso ab antiquis versa fuisse, vt vides in Opitris appellatione, & Posthumi, Cepionis, Bruti, & aliis quamplurimis ipsi Probo memoratis.

z *Scipio.*] Ibidem Quintilianus. Liuius Decad.1.lib.5. Macrobius 1. Saturnal. cap.6.

a *Cincinnatus.*] Suetonius in Caligula cap.35. Liuius autem Decad.1.lib.3. memorat L. Quintium Cincinnatum dictatorem, & lib.4.consulem: & eundem etiam dictatorem Valerius Maximus lib.2.cap.2.

b *Roscius.*] Cicero lib.1. de Oratore, scribit Roscium Gallum Comœdum eò præstantiæ venisse, vt cum de perfecto in arte aliqua loquimur, is in suo genere Roscius à nobis dicatur. Et Festus lib.16.ad fin. Roscij, inquit, appellantur in omnibus perfecti, quòd Roscius quidam perfectus vnus in arte, id est, comœdia iudicatus sit. Vbi emendandi sunt libri vulgares, qui vbi Roscij deberent, Rosij habent. De illo est versus Horatij epistola 1.lib.2.

Quæ grauis Æsopus, quæ doctus Roscius egit.

Macrobius quoque lib.3.cap.14. Saturnal. multa de illius excellentia scripsit, & nos quoque in commentariis Nobilitatis.

c *Pollus apud Græcos.*] Nescio an hic intelligat de Polo Agrigentino Sophista Gorgiæ discipulo, qui primus in oratione inuenisse dicitur antitheta & similiter desinentia, quod Philostratus dicit minime verum esse, sed iam iouentis sæpè vsum fuisse. Suidas autem scribit eum genealogiam eorum qui ad Troiam profecti sunt scripsisse, simulque nauium catalogum. Sed hunc Pollum putò eum esse histrionem de quo loquitur Gellius lib.7.cap.5. vbi eum dicit fuisse in terra Græcia fama celebri, qui gestu & vocis claritudine & venustate cæteris antestabat.

d *Frugi est cognominatus.*] Cicero in oratione pro Fonteio inquit, in oratione C. Gracchi permulta in L.Pisonem turpia ac flagitiosa dicuntur; at in quem virum? qui tanta virtute atque integritate fuit, vt etiam illis optimis temporibus, cum hominem inuenire nequiorem neminem posset, solus tamen Frugi nominaretur. Eius quoque in Verrinis meminit Cicero, & in eius Pisonianam Asconius, vt ipse Cicer. Thusculan.3. & ad Pætum Familiar.lib. 9. epist. 22. & Dionysius Halicar.lib.4. vbi eum annales scripsisse dicit, ex quibus illum citat, nisi hic alius sit, & alterius Pisonis Frugi Liciniani. Sueton. Galbæ c.17.

e *Scrofa.*]Ex Macrobio Saturnal.lib.1.c. 6. vbi & ita cognominatum ait Tremellium.

f *Asina.*] Macrobius ibidem. Liuius autem Decad. 3. lib.5. memorat Cornelium Asinam inter regem & P.Cornelium Asinam, siue illum siue alterũ, Asconius Pædianus in Orat. Cicer. contra L. Pisonem & Cneum Cornelium Asinam consulem cum C. Duilio, Paulus Orosius lib. 4. cap. 8.

Fuerunt

latus fuerat, ferosam se non habere mentitus fuit: seu quod [g] Varro tradit, qui primus genti nomen propagauit, cum quæstor in Macedonia relictus foret in castris. hostesque impressionem facerent, pa-n vociferatus est, celeriter se illos, vt scropha porcos, disiecturum, quod & fecit: vnde nomen assequi ruit. Proditumque memoriæ est, Cornelium Rufum, quod ex præscripto librorum Sibyllinorum lu-sfecerat, Sibyllam primo, mox annis intercedentibus, [h] Syllam appellatum, posteris nomen propa-le. Et militem, quòd fronde coronatus, militaria gessit facinora, [i] Frondicij nomen dedisse. Sed iam ,gius euecti sumus, quàm statueramus. Itaque ne longius legentes fatigemus, néve pluribus more-ar studiosos, de his hactenus dixisse satis sit. Hoc quoque non fuerit abs re meminisse, pleriqne co-omenia Romanis ex piscibus fuisse indita. Nam [k] Murænas & [l] Oratas, vel quòd piscium eius generis viuaria quam amplissima haberent magno fœnore, vel quòd eo edulio præcipuo vescerentur ple-uc dictos volunt. [m] Tametsi Murænam à neruoso corpore, sicut [o] Neruam à fortitudine multi de-minari dicant. [o] Fœminasque Romanas duo tantum nomina ferre, mares vero tria, sæpius quatuor, enomen, cognomen, agnomen, & nomen, idque nobilitatem generis monstrare: quandque [p] rarenter ilieres prænominibus vtebantur, mares vero frequentissime. Namque cognomen & agnomẽ mulieri n dabatur. Quod nobis, cum frequenti lectione id obseruaremus, ita esse propemodum visum fuit.

Sylla. Frondicij. Cognomina ex piscibus. Murænæ. Oratæ. Fœmina duo, mares tria aut quatuor nomina habebant.

ANNOTATIONES.

tunt autem & Asinij vetustæ familiæ, è quibus Asinius lius orator celeberrimus, & cuius percelegans extat oratio aduersus Catilinam. Asinius quoque Sabinus memo-ls Tacito, lib. 3. & Asinius Capito, apud A. Gellium 5. cap. 20. & 21. Fuere & Asellæ cognominati, vt Lu-ius Asella apud Florum epitomes lib. 86. & 88. & scri-tem de viris illustribus 68 Fuere denique Aselliones, vt ipronius Asellio scriptor Romanæ historiæ, apud A. lium lib. 1. cap. 13. & lib. 5. cap. 18.

arro tradit.] Scilicet de re rustica lib. 2. c. 4.

yllam.] Plutarchus in Mario, initio. Macrobius Satur-lib. 1. cap. 17. Quintilianus verò libri 1. cap. 8. ponit hoc ieu inter eaquorum origo secretior est. Ad illam autem entiam alludit Silius Italicus ibi.

ibyllam vocant Syllam.

ondicij.] Plinius lib. 17. c. t. de arboribus loquens, Fuere, nt, & ab his cognomina antiquis, Frondicio militi illi præclara facinora Vulturnum transnatans, fronde ca-imposita aduersus Annibalem edidit.

urænas.] Varro de re rustica lib. 3. c. 3. inquiens de Lucio ena, qué tradunt fuisse ob eam causam ita appellatum: & robius Satur. 3. c. 15. Lucij auté Murænæ meminit Pli-l. 33. c. 3. & D. Mutius scriptor de viris illustribus c. 30.

atas.] Idem ibidem de Sergio Orata loquutus, de & alia multa dicit Macrobius: Valerius item Maximus .cap. 1. post princip. & Plinius lib. 9 cap. 54. Pompeius m Festus, inquit, Orata genus piscis appellatur à colore quod rusticiorum dicebant, vt auriculas, oriculas: vt-Sergium quendam prædiuitem, quòd duobus annu-is & grandibus vteretur, Oratam dicunt appellatum. : longè diuersa sunt ab iis quæ Varro & Macrobius nt. Cæterùm Martialis hunc piscem auratam per diph-gum appellat, lib. 13. epigram. 90.

on omnis laudem pretiúmque aurata meretur,
Sed cui solus erat concha Lucrina cibus.

autem cognominibus sumptis à piscibus adde Calli-ontem Rhetorem Locustam fuisse cognominatum, eo pisce delectaretur, vt videre licet apud Athenæum . cap. 21. & 13. & lib. 8. c. 6.

ametsi Murænam.] Cassiodorus h. d. in libris variarum.

o Neruam à fortitudine.] Idem ex eo loco. Miror autem Alexandrum prætermisisse Macrinum, Torquatum, Syllam: tu videbis apud Plutarchum in Mario, initio, videlicet ex figura & modo corporis. Longos etiam ex habitu corporis, ex Quintiliano lib. 1. cap. 8. vti & iam ea eo diximus Fuit autem C. Sulpicius Longus consul apud Liuium Decad. 1. lib. 8. Gracchos, quòd eum qui ita primus vocatus est, mater mensibus duodecim gestasset io vtero: quare quòd legitimum partionis tempus supergressa esset, eaque diutius partum quàm solent grauidæ gessisset, Gracchum à gestando nominauit, vt testis est Varro, & diximus in nostris commentariis ad l. si vnquam. C. de reuocand. donatio. in verbo susceperit liberos. num. 210. Quamquam alij dictum putent à Gracculo aue garrula Senecas, quòd is cui primò Cognomen id impositum est, canus sit natus, vt tradit Cassiodorus, sicut de Numa Pompilio dicitur: & ad illud allusisse videtur Virgilius lib. 6. Æneid.

—Nosco crines, incanáque menta,
Regis Romani—

vbi Numam canum à prima ætate Seruius Maurus testatur fuisse. Pertinaces, quòd qui primus eo nomine dictus est, scilicet Pertinacis Imperatoris parer, negotiationi materiariæ constanti ac pertinaci studio incumberet, vt in vita ipsius Imperatoris traditur. Terentios à tereno quod est, Sabinorum lingua molle, vt putat Varro ad Libonem primò apud Macrobium lib. 3. Saturnalin. c. 13. ad finem. Sed alia huiusmodi multa videbis apud Cælium Rhodoginum lib. 23. cap. 5. & 6.

o *Fœminasque Romanas.*] Plutarchus in Mario, initio, & Problem. 102. Præterea de maribus Pausanias in Achaicis: & id videre licet apud autores vbique. Nec tamen omnes mares tria nomina habent, sed tantum liberi & nobiles, vt legitur apud Quintilianum, quò respicit Iuuenalis ibi.

Tanquam habeas tria nomina.

& Ausonius in numero ternario,

Tria nomina nobiliorum.

p *Rarenter mulieres prænominibus.*] Benè dicit rarenter: nam quandoque vtebantur, vt dicit Festus lib. 14. quòd Cæcilia & Tertacea Cata sunt appellatæ, pari modo Lucia & Titia: & videto quæ dicam lib. 5. cap. 4 infra.

re partus ancillæ cuius vsusfructus legatus fuit, in fructu non sit, cum reliquorum animalium contrà fuerit.

CAPVT X.

Inter contentiones forenses quondam summa dissensio fuit, an partus ancillæ in qua vsusfructus legatus est, in fructu sit habendus, ita vt in eo sicut in ancilla vsusfructus maneat. Vetus quæstio fuit inter consultissimos viros P. Scæuolam & M. Manilium, à quibus Brutus summæ autoritatis vir, qui inter iurisperitos multum longéque præstitit, & M. Cicero meritóque dissentit. Verba Ciceronis de finibus bonorum primo, si recensere ea quis vellet ad-si: An partus ancillæ sit in fructu habendus, dissereretur inter principes ciuitatis P. Scæuolam, M. Manilium, ab hisque M. Brutus dissentiet, quod & acutum genus est, & ad vsus ciuium non ile, nosque ea, eorúmque scripta, reliquáque eiusdem generis, & legimus libenter, & lege-

& dissentiens locus.

mus: hæc quæ vitam continent omnem negligentur? Hactenus Cicero. Manilius & Scæuola, in fructu ancillæ partum esse dixere, ea de causa, quòd sicut in cæteris animantibus, quæ in manu mancipioque sunt, illorum fœtus in fructu, est. Si quidem pecudum legato vsufructu, soboles ex pecudibus postea natis suffecta, perinde accedit legato, & in fructu habetur, ac si vnà cum pecore legata fuisset. Ita ancillæ legato vsufructu, pari exemplo partum ancillæ in fructu esse voluere: pluresque iureconsulti in hanc sententiam concessere, à quibus tamen Brutus grauis autor in primis, certioribus argumentis dissentire haud immeritò visus fuit: cuius sententia postea obtinuit. Non enim sicut in sobole pecudis pecus enatum, nexu obligatur, & in fructu est, ita ancillæ partum in fructu esse, aut in ius ditionemque venire censuit. Quippe pecore legato, ipsum pecus & sobolem tanquam pari nexu obligatam accedere, & in fructu esse consentiunt omnes. Sed in fructu hominis, homo, inquit, esse non potest, permagnique interesse an pecus ex pecore, vel homo ex serua nascantur. Cum enim ex serua natus, sui potens non sit, nec alieni iuris aut ditionis fiat, sed in seruitio & famulatu domino ita addictus, vt sine domini iussu permissuve in ius alterius venire, aut mancipio, nexúve obligari non possit, ideo ancillæ partus in ius ministeriumque vsufructuarij non venit, sed velut mancipium domino addicitur. Quod in pecore enato secus dici conuenit. Si quidem pecus enatum, cum in manu & fructu sit, vnà cum pecore legato tanquam adiectum perinde manet, ac si vnà legatum esset. Aptissimè commodissimeque Brutus, magno vt fuit ingenio, ab homine pecus seiunxit: sed sicut hoc peracri iudicio non ineptè ab altero discreuit, & diuersum arbitratus fuit: ita causam ego tam variæ decisionis, à veteribus iureconsultis libenter quæsierim, cur areæ vsufructu legato, si in ea insula erecta foret, ea postea demolita, in eademmet area mihi vsumfructum manere Paulus & Vlpianus censuerunt, non autem è contra: nanque ædium vsufructu legato, illis demolitis, licet alteræ suffectæ sint, in eis tamen mihi nullum manere vsumfructum, constans omnium opinio fuit. Et tametsi rationis huius diiudicandæ non prompta animaduersio foret, constitit tamen grande discrimen subesse, quod demolitis ædibus, solum & area quæ prius fuit manet in qua mihi vsusfructus incolumis & certus est: ædibus verò demolitis, quamuis alteris inibi suffectis, non easdem censeri conuenit, ideo cum aliæ, non eædem dicantur, vsumfructum propterea non deberi, iure meritóque putarunt.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

ID caput constat duobus membris, quæ ad ius nostrum ciuile pertinent. Primum deciditur per legem Vetus, ff. de vsufructu & quemadmodum. Secundum, ex l. repeti. §. rei. & l. fundi. & duab. seq. ff. Quib. mot. vsufruct. amit.

Miracula de somniis apud nonnullos cognita & comperta, & quæ ipse expertus fuit.

CAPVT XI.

IVNIANVS Maius conterraneus meus, vir bene literatus, in exquirendis adnotandisque verborum & sententiarum viribus, multi studij fuit: & præterquam quod in erudiendis iuuenculorum animis, imbuendisque doctrina pueris, castigatissimæ disciplinæ, somniorum quoque omnis generis ita verus coniector fuit, vt ipsius responsa, diuina ferè monita haberentur. Ad eum memini cum puer adhuc essem, & ad capiendum ingenij cultum frequens apud eum ventitarem, quotidie somniantium turbam, homine sque celebri fama & multi nominis, de somniis consultum venisse. Declarabat definiebátque ille, non breuiter aut subobscurè, vt plerique, sed expositè atque apertè ænigmata somniorum, siue boni, siue mali prænuntia: ita aptè, vt indicium factum à veridico diceres. Multi quoque illius monitu, vitæ interitum, nonnunquam animi ægritudines vitarunt. Sed quod illi interprete Iuniano assequebantur, animaduerti quosdam haud quaquàm summæ nobilitatis (sed homines tenuissimos, & sortis infimæ, absque vllo interprete assequutos, & somnio tantum præmonitos, imminentem cladem aut futurum exitium, & pleraque incommoda vitasse, verissimáque, qualia futura viderant, somnia extitisse: quod genus Græci ὅραμα, hoc est visionem dicunt. Nuper in Vesuuino meo meus familiaris quispiam fuit, homo alioqui exiguæ sortis obscurus & egens, sed tamen spectatæ fidei, & exempli recti, qui ouium greges custodire solitus, cum esset grauior annis, & valetudine non bona, eam curà vnico, quem habebat, filio delegarat. Accidit dum procul à stabulo ipse & filius sub paruulo lare noctu decubarent, ouem quandam à lupo circumuentam sibi in somnis obuersari, illiúsque dentibus opprimi & lacerari visam: quo somnio expergefactus senior, filium qui vnà decubabat, excitauit, vtque ad gregem properè accederet, acclamauit: namque ouem cuius etiam nomen referebat, à lupo circumuentam dilaniari dixit. Qui cum illuc excitatus pergeret, eandem, quam pater prædixerat ouem, à lupo lacerari atque opprimi inuenit, verissimumque, & quale pater prædixerat, insomnium expertus fuit. Matrona insignis, multi & celebrati nominis, dum Neapoli degerem, referre mihi solita est, quamcumque in somniis imaginem vidisset, eandem sibi postera luce repræsentari. Eaque magnæ admirationi apud reliquas matronas fuit, quòd sæpius quæ sibi die euentura erant, somnio monita, futura prædiceret. Sed præ omnibus quæ notauerim, res est memoria & admiratione digna, quam ego nuper expertus sum, & re probaui. Iacebat in lectulo Marius

alumnus

nus & cliens, meus, cuius ego ingenium & animi indolem sæpe demiratus sum. Is cum per quie- matrem defunctam efferri, & funus apparari vidisset, grauissimos gemitus & lugubres quere- quamuis somnio confusus edebat: quem cum excitari iussissem, & causam tam luctuosi gemitus uisissem, retulit matrem vita functam, sibi per quietem visam efferri, & funerari. Obseruaui ego o, & tempus quo species hæc obuersata fuerat, notaui. Haud multo post, nuncius defunctæ ma- d me venit: à quo cum diem requisissem, conuenit, ipso die quo mater per quietem efferri visa illam è vita excessisse. Quibus exemplis admonemur, vt esse præscita quiescentis animi, & di- iones, humanæque mentis præsagium, quasi vaticinium futurorum diuinitus, mortalibus da- per somnia credamus.

ANNOTATIONES IN CAP XI.

Arrat quædam vera sui temporis somnia, ex eo som- niorum genere, quæ ὅραμα, id est visionem Græci vo- de quibus & aliis somniorum generibus latè Macro- de Somnio Scipionis lib. 1. cap. 3. Sed & si alia pluri- ma desideras de Somniis, pete ex Ciceronis lib. 1. de diui- natione. & Valerio Maximo li. 1. cap. 7. & ex hoc ipso Ale- xandro, infrà lib. 3. cap. 26, & de Somniis inscripti sunt Ar- temidori Daldiani libri sex.

ua forma castrorum, qualisque disciplina olim fuit, & quot portæ in Romanis castris esse consueuere.

CAPVT XII.

QVIBVS castrametandi scientia, & idonea castris loca eligendi, nota & perspect[a] cognitio fuit, cuius rei gloria [a] Pyrrho Epirotæ præcipua fuisse traditur, quiqu[e] militaris disciplinæ præcepta diligenter exequuti sunt, hoc annotasse litteris ac- cepimus, vt pro loci qualitate vbi castra metanda forent, proque angustia, & laxitudine, aut militari multitudine, ita se duces castris capiendis instruent. Sed neque eadem figura & habitu, neque eisdem in locis semper castrametari oportere, rectè arbitrati sunt: [b] Siquidem, modo quadrata, modo trigona, plerunque rotunda, ex disciplina Lycurgi, qui ita castrametari docuit: nonnun- n lunata, & hemicycla castra habere: interdum planis & patentibus campis, nunc arduis & ac- sin locis, plerunque demissa valle, nunc [c] colle edito, & summo iugo castra communire: nonnun- n terræ situ difficili, & impedito saxis præruptissimis loco munito, vt siqua maior vis ingruat, [d] mi- in tuto sint: & sicut loci natura tempusque patitur, castra & munitiones extendere: vt opportu- quario, ne siti & laxitudine conficiantur: vt lignorum, vt pabuli copia sit: ne commeatu, [e] néve umentaria prohibeantur, haud paruum munimentum esse putauere, [f] Præcipue cauendum, ne s aut iugum immineat, vnde prospectus castrorum, & subita incursio fiat, néve sylua densa, aut is fossa, vel sinus occulti iaceant, vnde latebræ hostium & insidiæ parari, aut tacito speculatu pe- a oriri possint, Portæ quoque castrorum, vt pro amplitudine pauciores potius, quam plures con- ntur, esse cum facilius, tum etiam vtilius, idque percommodum fuisse & salutare. Tametsi omanis castris multiplices aliquando portas nonnulli exemplis adnotarint: quod ideo seruatum, est, aid eruptionem subitam in hostes demoretur, vtque omnibus portis effusus equitatus, vno im-

Castrorū alia atque alia figura.

Quid præcipuè cauendū in castris locandis.

Portæ castrorum.

Quatuor multiplices portæ in castris Romanis.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

Yrrho Epirotæ.] De Pyrri in re militari & castris me- tandis peritia Plutarchus in vita illius. Apud Liuium Deca. 4. lib. 5. Hannibal hac in re iudex maximè ido- Pyrrho secundum locum post Alexandrum, in ma- Imperatoribus assignauit, quòd primus castrametari set, neminémque elegantius loca cepisse, & præ- sposuisse. Sed & idem Liuius eodem libro 5. scri- ilopœmenem præcipuæ in ducendo agmine, locis- apiendis solertiæ atque vsus, nec belli tantum tem- is, sed etiam in pace ad id animum exercuisse. Sub- nox alia, ex quibus multa Alexander in hoc capite, & quæ ideo mox subscribam: Vbi, inquit, iter um faceret, & ad difficilem transitu saltum venis- ntemplatus ab omni parte loci naturam, cùm solus ecum ipse agitabat animo: cum comites haberet, uærebat: si hostis eo loco apparuisset, quid si à fron- l si à latere, quid si à tergo adoriretur, capiendum j foret: posse instructos recta acie, posse inconditum, & tantummodo aptum viæ occurrere. Quem lo- se capturus esset cogitando aut quærendo exeque- uit quot armatis, aut quo genere armorum (pluri- m interesse) vsurus: quò impedimenta, quò sarcinas, rbam inermem reiiceret, quanto ea aut quali præsi- stodiret: & vtrum pergere qua cepisset ire via, an eã qua venisset, repetere melius esset: castris quoque quem locum caperet; quantum munimento amplecterentur loci: quà oportuna aquatio, quà pabuli, lignorúmque copia esset: quà postera die castra mouenti tutum maximè iter, quæ forma agmini; foret. Hæc ibi. Procles autem Carthaginen- sis apud Pausaniam lib. 4. ante finem. refert ipsum Pyrrhum. fortuna, & rerum gestarum splendore Alexandro magno inferiorem fuisse. In disponendis verò siue instruendis in acie peditibus, & equitibus, excogitandísque contra hostes stratagematis, peritiorem fuisse.

b *Siquidem modò quadrata.*] Vegetius de re militari lib. s cap. 3. ait: Interdum autem quadrata, interdum trigona, interdum, semirotunda, prout loci qualitas aut necessitas po- stulauerit, facienda sunt. & iterum lib. 3. cap. 8.

d *Milites in tuto.*] Ideóque Cæsar cum essent circum ca- stra Pompeij permulti editi & asperi colles, hos primùm præsidiis tenuit, castelláque ibi communiit. vt idem Cæ- sar scribit lib. 3. Belli ciuilis.

d *Milites in tuto.*] Vegetius lib. 1. c. 22. Castra, inquit, præ- sertim hoste vicino, tuto semper facienda loco sunt: vbi li- gnorum & pabuli, & aquæ suppetat copia. lib. 3. c. 8.

e *Néve re frumentaria.* Idem Vegetius d. lib. 3. c. 8.

f *Præcipuè cauendū.*] Idē d. c. 22. Cauendū etiā, inquit, ne mōs sit vicinus altior, qui ab aduersariis captus possit officere.

petu in hostes diuersi irrumpant. Sed tamen vbi amplissima erunt castra, & quamuis laté fusa, ibi [g] quatuor ad summum portas constitui conuenire: minora vero & angusta, duabus contenta esse debere, omnes ferme consentiunt: Quarum sicut nomina distincta: ita dissimilia fuere munia. [h] Prima enim prætoria, [i] quæ & quæstoria dicta est: siquidem in Romanis castris, & [k] prætorium ducis, & quæstorium fuit, prout prætor, aut quæstor castris, & legionibus præerat, quæ vel orientem solem spectare, vel è conspectu hostium dirigi consueuit. Quod eo fit, vt si quando ad arma conclamatum foret, sine tumultu extra castra contrahi multitudo, & explicari ordines, signáque educi possint. Etenim vbi acie decernendum erat, illinc cohortes educi, & copiæ admoueri solebant, Vbi etiam militum statio cõposita, instructáque ad subitos conatus esse debebat, cui etiam [l] Principali nomẽ datum. Altera à tergo castrorum [m] Decumana, eo quòd ampla & patens: ex qua desertores, & facinorosi, in quos iure militari animaduertendũ erat, educitur, & pœnis coercentur. [n] Tertia principalis, ex qua principes & summi duces velut ex postico: si quando vsui foret, opẽ suis laborantibus ferre, ordines tendere, & milites educere consueuerant. [o] Via quoque quæ ad portã ferebat, Principalis dicta est. Quarta post prætorium, [p] Quintana dicitur: quippe per eam cõmeatus in castra conuehi: & rerum vtensilium copia venalis exponi: inde etiã merces ad vsum militaris multitudinis, quæque bello vsu forent importari & exportari solita. Hoc quoque inter exempla relatum est, quod & Fabius [q] Maximus, & [r] plerique imperatores præcipiebãt, exercitum itineribus, & locorum mutatione crebro fatigari, potius quàm vno in loco in castris sedere, esse cum tutius, tum ad disciplinam militarẽ nobilius. Id quod Cyrum [s] apud Xenophontem nouimus factitasse. [t] Quamuis nonnulli, castrorum crebram mutationem præ se ferre turpem fugã, & exercitus alienationem, dux re. Fuitque [u] præcepto militari obseruatum, vt vigiliarum vices tubæ in castris per interualla significent: [x] & si quando hostes in conspectu sint, pro portis castrorum singulæ stationes, & expeditæ cohortes, dispositis excubiis, instratis equis frenatisque, pro vallo excubent, vt omnia militari custodia vigiliisque tuta firmaque sint, ne paratis insidiis, & omni aditu præsepto, nudata custodiis stationibúsque castra, hostes adoriantur, & nec opinantes inuadant, cædibúsque & rapinis pateant. [y] Paulus verò Æmylius, vt attentius custodiæ contra somnum repugnarent, nocturnas vigilias sine armis fieri, & inermes milites vigilare iussit: quod multi postea duces exequi

Diuersis castrorũ portis, diuersa nomina tributa. *Castrorũ locus.* *Statio principalis.* *Decumana statio.* *Via principalis.* *Statio; Quintana.* *Exercitus crebro exercendus.* *Vigiliæ in castris.*

ANNOTATIONES.

g *Quatuor ad summum portas*] Liuius Decad. 4. lib. 10. ita de portis loquitur, vt quatuor omnino essent, scilicet porta extraordinaria, porta principalis dextera, principalis sinistra, & Quæstoria. Illius verba sunt; Æmilius ad quatuor portas exercitum instruxit, vt signo dato simul ex omnibus partibus eruptionem facerent. Quatuor extraordinariis cohortibus duas adiunxit, præposito M. Valerio legato, erumpere extraordinaria porta iussit; Ad dexteram principalem hastatos legionis primæ instruxit principes ex eadem legione in subsidiis posuit. M. Seruilius & L. Sulpitius Tribuni militum his præpositi. Tertia legio aduersus principalem sinistram portam instructa est: id tantum mutatum: principes primi & hastati in subsidiis locati. Sext. Iulius Cæsar & L. Aurelius Cotta Trib. militum huic legioni præpositi fuoi. Q. Fuluius Flaccus legatus cum dextera ala ad Quæstoriam portam positus.

h *Prima enim prætoria.* [Vegetius d.lib.2.c.23. Porta, inquit, quæ appellatur Prætoria, aut orientem spectare debet, aut eum locum qui ad hostium castra respicit, aut si iter agitur illam partem debet attendere, ad quam est profecturus exercitus. Sextus Pompeius lib.14. Prætoria, inquit, porta in castris appellatur, qua exercitus in prælium educitur, quia initio prætores erant, qui nunc consules, & hi bella administrabant: quorum tabernaculum quoque dicebatur Prætorium. Sed & de hac porta Cæsar lib. 3. Belli ciuilis, quos in statione ad prætoriam portam posuerat. eiusdémque meminit Cornel. Tacitus lib. 20.

i *Quæ & quæstoria.*] Plerisque videtur esse diuersa, quibus ego assentior: & satis liquet ex Liuio Decad. 5. lib. 2. post princ. vbi de nece Marci Liuij Strabonis Tribuni militum.

k *Prætorium ducis & quæstorium.*] Liuius decad. 1. lib. 10.

l *Principali nomen datum.*] Ad hæc Festus lib. 14. habet, Principalis, inquit, castrorum porta nominatur, quod in eo loco est in quo principes ordines tendunt.

m *Decumana.*] Vegetius d. lib. 1. cap. 23. Decumana, ait, porta quæ appellatur, post prætoriam est, per quam delinquẽtes milites educuntur ad pœnam. Eius meminit Liuius Decad. 1. lib. 3. vbi de Sp. Furio cons. loquitur. & lib. 10. Item Tacitus lib. 1. Vt cuncti ruerent ad portas, quarum decumana maximè petebatur. & Cæsar Belli ciuilis lib. 3. 4. 5. & 6. & Hircius de bello Africano.

n *Tertia principalis.*] Ex Festo diximus suprà in verbo Principali.

o *Via quoque.*] Liuius Decad. 2. lib. 10.

p *Quintana.*] Festo lib. 15. Quintana, inquit, appellatur porta in castris post prætorium, vbi rerum vtensilium forum sit, de qua loquitur Liuius Decad. 4. lib. 1. post princ. Ad huius similitudinem Suetonius in Nerone, cap. 26. dicit ipsum Neronem domi Quintanam constituisse, vbi partæ & ad licitationem diuidendæ prædæ pretium assumeretur.

q *Fabius Maximus.*] Liuius Decad. 3. lib. 10. post terrorem Appio prætori factum à militibus, consulis Q. Fabij iussu, castra nusquam statiua Romanis fuere. Fabius etenim negabat, inquit, vno loco sedere exercitum: itineribus ac mutatione locorum nobiliorem ac salobriorem esse.

r *Plerique imperatores.*] Vt Metellus, qui teste Valerio Maximo, lib. 2. cap. 2. castrorum subinde loca mutabat, eademque tãquã hostis sẽper adesset, vallo fossaque aptissimè cingebat: & apud Plutarch. in Apophth. Lycurgi, ipse Licurgus iubebat frequẽter castra mutari, vt hostibus magis noceret.

s *Apud Xenophontem.*] Cyripædiæ lib. 1.

t *Quamuis nonnulli.*] Est sententia Curionis apud Cæsarem li. 2. de Bello ciuili. Castrorum autem, ait, mutatio quid habet nisi turpem fugam, & desperationem omnium, & alienationem exercitus?

u *Præcepta militari.*] Vegetius li. 3. c. 8. Quia inquit, impossibile videbatur in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsidram sunt diuisæ vigiliæ, vt non amplius quàm tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine omnes vigiliæ committuntur, & finitis horis à cornicine reuocantur.

x *Et si quando hostes.*] Vide infrà in verbo, Caius vero Cæsar.

y *Paulus verò Æmilius.*] Plutar. in illius vita.

a *Veteri*

mo studio curauerunt. Tametsi [z] veteri exemplo, stationes vigiliæque, diorna nocturnáq; munia
armatis in castris fierent: ita vt ferant militem, quia vallum non accinctus gladio, & alium, quia pu-
ie tantum accinctus foderet capite luisse. Arma enim veteres membra militum duxere. [a] Ferturq;
minondas, cum custodias stationésque circuiret, vt disciplinam exemplis stabiliret, sopitum mi-
n gladio transfixisse, asserens quòd qualem inuenerat, talem reliquerat. [b] Augustus quoque ma-
ilares milites statione deserta, & centuriones morte mulctauit. [c] Caius vero Cæsar, vt ad subitos
atus disdosita præsipia haberet, duas sæpe legiones pro castris excubare iussit, vtque in disponen-
castris, tendentium ordines, & descripta suis quæque partibus loca, ac iusta itinerum interualla
ncta sint: [d] vtque tribuni militum in principiis iura dent, indéque milites signum petant, ac in
ones & vigilias eant: etiam vt in [e] prætorio Imperatoris tabernaculum, quod [f] Augustale dicitur,
laut, ibique pro tribunali sedere, classicumque apud eos cani, quotiésq; dimicandum foret, pugnæ
um ab his tribuni petere debeant. [g] Cyri vero tabernaculum apud Xenophontem hyeme pariter
æstu orientem versus, aut [h] in castrorum medio, quòd locus munitissimus foret, statui consue-
:a enim regio summis ducibus dabatur. [i] Alexandri Magni tabernaculum statuæ circuncingebant,
io traditur mirum, cum [k] ad Oxum amnem statueretur, fontem manantis olei scaturisse. Phi-
us autem pro vallo castrorum, nonnunquam in conspecto maximè tumulo tabernaculum fixit.
; quidem [l] ex corio & pellibus, modo ex saccis aut ciliciis aut pilis contextis construebantur. [m] Nu-
e ex calamo & stramento, Nomades centonum instar tectoria intexebant, multi ex [n] tabulis & cra-

Arma militum membra.

Animaduersio in dormientes in stationibus.

Alia disciplina.

Augustale tabernaculum.

Ducum summorum locus.

Tabernacula ex quibus apud diuersas gentes.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

eri exemplo.] Hæc periodus vsque ad vers. fertorque, ranscripta ex Cornel Tacito. 11.

turque Epaminundas.] Iulios Frontinos lib. Stratagem. 1. 12.

ustus.] Suetooius de eodem, c. 24.

us vero Cæsar.] Ipse Cæsar lib. 1. Belli Gallici primam andam aciem in armis esse, tertiam castra munire ius-paulo pòst, Nihilo secus Cæsar, vt aote coostitue-uas acies hostem propulsare, tertiam opus perficere munitis castris duas ibi legiones reliquit.

ve tribuni milit.] Hi primùm dicti quòd militibus præ-vt ait Modestus de vocabulis rei militaris, iureiorando s iusso coosulum cooventuros adigebant, vt est apud n Decad. 3. lib. 2. ad quos tandem honesta missione 1 dimissos, arma retulisse Tacitus ait, lib. 1. 8. & de iis-luta Vegetius lib. 2. c. 7. & 12.

rio imperatoris.] Idem dic & de prætorio consulis & is, vtrique enim haboerunt: vnde ab Appio Claudio Fuluio Coss. & Claudio Nerone erecta tria prætoria apnam, habet Liuius Decad. 5. lib. 3. Sanè siue con-sioe prætorum, siue Imperatorum, qui bella admini-, tabernaculum dictum fuisse prætorium ex Festo . supià positum fuit.

-stale.] Quintilianus lib. 8. cap. 2. quod de perspi-est.

vero taber.] Xenophon Cyri pediæ ll. vlt.

strorum medio.] idem, eodem lib. vlt.

andri magni tabernaculum.] Polyen. stratagematũn inius lib. 34. cap 8. post princ. Alexandri, inquit, Ma-ernaculum sustinere solitæ iredunior statoæ. Ælia-em de varia historia lib. 9. cap. 3. scribit, Alexandro culum fuisse crotum mensarum spatij capax, quin-a aureis colomnis interstinctum, quibus tectum ebatur, Ipsum verò tectum erat inauratom, & ma-atte, varietatéque concinnatum.

xum amnem.] Q. Curtius. lib. 7. Gestorum Alexandri, ite finem, tradit, io tabernaculo Alexandri ad flu-tum, turbidum & potu insalubrem conspectum ntem, quem quia tardè notauerant, subitò extitis-unt: Rexque ipse credi voloit, donum id Dei fuis-d verò ponit hic Alexander, oleum ex fonte ma-on dixit Curtius, sed potius aquæ potu suauis & Verùm Plutarchus in vita Alexandri, scribit eum fe pinguis liquoris, non gustu quicquam ab ferentis. Strabo autem lib. 11. refert Macedooes ercitu Alexandri erant, prope Oxum offodien-: fontem inuenisse. Nam verisimile est, ioquit, vt quædam & alumnosa, & solphurea & bituminosa, terram perfluant, ita qooque pingoia inoeniantur: rari-tas autem efficit admirationem. Idem Athenæus lib. 2. c. 2. Apud alios, inquit, sunt foores qui pingue nescio quid habent, velut qoi in Asia, de quo Alexaoder scripsit, se olei fontem inoenisse.

l *Ex corio & pellibus.*] Sic Cæsar lib. 3. Belli ciuilis, Ibiqoe, ioquit, reliquarum ex Italia legionum aduentum expecta-te, & sub pellibus hiemare constituit. Liuius Decad. 1. lib. 5. Militem, ioqoit, Romanum in opere & labore, niui-bus pruinisque obrotum, sub pellibus durare. Idem 3. De-cad. lib. 3. vbi primùm sub pellibus haberi cæpti suot. & De-cad. 4. li. 7. Instare hiemem, aut sob pellibus babeodos mi-lites fore. Tacitos lib. 13. Retentusque omnis exercitus sob pellibos, quamuis hieme sæua. & lib. 14. Contractos deinde onnis exercitus, sub pellibus habitus est. Ammianus Mar-cellinos libro 23. cum armigera gradiens manu, in statione quadam sub pellibus mansit. Claudianus in Panegyrico 1. Stiliconis.

— Quoties sub pellibus egit.
Ædonius hiemes? —

& Sydonius in Panegyrico ad Malotanum.

Aut rex aut populus castris modo clausus aprica.
Vel sub pelle iacet. — Pompeios Festus lib. 1. Tecta, inqoit, castreosia quamuis pellibus contegaotur, taberna-cula tamen dicuntur. Ex boc autem pelles tentoriæ dicun-tur apod Trebellium Pollionem in vita Claudij Secundi Imperatoris. Nam & tentorium, tabernacolum dicitor.

m *Numidæ calamo.*] Liuius Decad. 3. lib. 10. post princip. Hibernacula Carthagineosium coogesta temerè materia ex agris, exædificata, lignea ferme tota erant. Nomidæ præci-puè haruodioe textas storeáque pars maxima tectis passim nullo ordine, qoidam vt sine imperio occopatis locis, extra fossam etiam vallumque habitabant. Alexander autem hic calamum vocat quam Liuius arundinem: nam idem est calamus & arundo, nisi quòd ooonulli graciliorem ten-uioremque illum esse putant, hanc verò maiorem. Polybius li. 14. Numidæ, inquit, neclignis oecterra, sed simpliciter cannis & calamis ad struenda teotoria vtebantur.

n *Tabulis & cratibus.*] Lioius Decad. 4. lib. 5. Com ibi sta-tiua essent, inquit, & pauci tabernacula haberent, multi-tudo alia casas ex arundinibus textas, fronde quæ vmbram modo præberet, texisseot, &c. Sicque Flaccus apud Ca-puam metuens ne suom exercitum oimia vrbis amænitas emolliret, in portis morisque sibimetipsis tecta militariter coegerat ædificare: erant aotem pleraqoe ex cratibus aut tabulis facta, alia arundine texta, strameoto intecta omnia, vt refert Liuius Decad. 3. lib. 7. His autem adde Antio-chum Syriæ regem tabernacula textilibus sigillis adornata statuisse,

Templū iuxta tabernaculum ducis. Vasa conclamari. Vallum castrorū. Fossa duodeuiginti pedum. Valli crassitudo. Germanor & Gallorū vallum. Vallum Romanorum. Vallum ex humanis corporibus. Alia disciplina.

tibus: fuitque [o] more nooitio seruatum, vt in principiis castrorum, aut iuxta tabernaculum ducis, templum vel ædiculam simili exemplo milites construant, intra quam signa & aquilam venerarentur & seruarent: vnde cum opus esset, extra castra educi possent. [p] Illud quoque notatum, per exploratores centurionésque, Romanos duces prius explorato & præuiso locum castris ante capere consuesse: quotiesque motis castris loca mutanda forent, [q] militari more vasa prius conclamari, & colligi: vtque itineri sarcinas aptent, admoneri: ne quid ignari imprudentesque præpropera festinatione prætermittant. [r] Vallumque castrorum ex cespite aggesta humo, aut mole & aggere contra fluminum impetus: nonnunquam ducta ingenti fossa, vel [s] lapidum congestis molibus: plerunque [t] arboribus obiectis, prout materia suppetebat, à tyronibus, præfecti castrorum iussu, communiri. Quæ quidem [u] fossa persæpe fuit duodecim pedum, & si detur occasio, latitudine quàm amplissima, ne quis illam & munitiones transcenderet. Vallum vero tantæ crassitudinis, quòd nullo ielo, nullóque tormento traiici possit. Quæ quidem munimenta, si quando hostis propinquus foret, firmis stationibus dispositis, vt armati inermes & operi intentos tuerentur, fieri solebant. Germani tamen, & [x] Gallorum pleraque gens, pro vallo dispositos habebant currus mutuo nexu. [y] Romani in magno discrimine, nouo munimenti genere, clitellas & contectas sarcinas, pro aggere opposuere. [z] Cæsar ad Mundam, cum materia deficeret, cæsorum hostium factis aggeribus, & humanorum corporum strue castra vallauit. [a] Nicias vero dum ad Syracusas sedet, cum esset pro vallo pugnandum, incendio machinarum, quibus castra vallauerat, hostium vim propulsauit. Quodque in castris Romanis postquam vallo fossaque communita sunt, equo insidentem militem, nisi cum acie dimicandum foret, haud facile perspectum esse: neque longius à tubæ auditu, nisi Imperatoris aut Tribuni iussu militi extra munimenta abire licuisse: qui contra fecerat, in eum militaris animaduersio erat. Idque ideo cautum, ne vagi milites solutiore cura obambulantes, in hostili

ANNOTATIONES.

statuisse, teste Valerio Maximo lib. 9. cap. 1. Et in his teotoriorum siue tabernaculorum differentiis, non pigebit hoc adferre qood scribit Claudianus l. 1. de Laudibus Stiliconis.

——— Fucataque Medus,
Hic gemmata niger tentoria fixerat Indus.

o *More nouitio seruatum.*] Nescio qoare dicit more nouitio, quando iandudum & temporibus Cæsaris Pompeij & Crassi, Aquila aurea, sic enim ea vocabatur, sacellum habebat perexiguum, in quo collocata erat, longissimæ hastæ affixa, & gestabatur in omnibus exercitibus ex delectu comparatis, cuius quidem hastæ pars inferior peracuta erat, ita vt in terram defigi posset. Hæc enim scribit Dion in Pompeio.

p *Illud quodque notatum.*] Vegetius de re militari l. 3. cap. 13.

q *Militari more vasa prius conclamari.*] Cæsar lib. 1. Belli ciuilis, Quo cognito, inquit, signum dari iubet, & vasa militari more conclamari. & lib. 3. Scipio noctu neque conclamatis quidem vasis, flumen traosit: & paulò post, Vasisque militari more coonclamatis, progressus millia passuum tria &c. Liuius Decad. 3. lib. 1. proxima nocte iussis militibos vasa colligere, castra ab Ticino mota. & lib. 7. signum dedit, vt ad locum miles esset parains, si collis in quem speculatum irent, placuisset, vasa colligerent, & sequerentur. & eodem libro paulò ante finem, Vigilia prima, dato signo, vt taciti vasa colligerent, signa ferri iussit. Item apod Frontinum lib. 1. stratagemat. cap. 8. de Caio Cæsare inquit, vt citra vestationem suorum hostilia impediret consilia, in initio statim noctis vasa conclamare milites iussit.

r *Vallumque castrorum.*] Liuius Decad. 3. lib. 5. circunspectare atque agitare Dux cæpit, si qno modo posset vallum circum iniicere, sed erat adeo nodos tumulos, & asperi soli, vt nec virgulta vallo cædendo nec terra cespiti faciuodo, aut fossæ ducendæ. &c. Plinius lib. 35. c. 14. Hioc & cespitum natura castrorum vallis accommodata, contra fluminum impetus aggeribus. Ex qno maximè loco transcripsit, quæ hîc habet Alexander: ad hæc plura Vegetius lib. 3. c. 8.

s *Lapidum congestis molibus.*] Sic Carthaginienses saxis vndique circa ex propinquiis vallibus congestis, vallum auxerunt, apud Liuium 3. Decad. lib. 8. Philippus quoque Macedonum rex lapidum congerie, vt pro muro essent, præmuoiuit, apud eundem Decad. 4. lib. 1. & similiter Antiochus eiusdem Decad. lib. 6.

t *Arboribus obiectis.*] Ex Liuio Deca. 1. li. 6. post princ. vbi de vallo Volscorum. & Decad. 3. lib 5. & Deca. 4. lib. 1. vbi de filo Philippo Macedonum rege.

v *Fossa.*] Vegetius de re militari lib. 1. cap. 24. Sicque Antiochus lo bello contra Romanos circa Magoesiam gesto, fossam sex cubitis altam, duodecim latam duxit apud Liuium Decad. 4. lib. 7. Cæsar autem lib. 2 Belli Gallici, castra in altitudinem pedum duodecim, vallo fossaque duodeuiginti pedum muniuit. Item lib. 7. Cæsar aduersus Heduos fossas quindecim pedes latas, eadem latitudine perduxit. & lib. 3. Belli ciuilis, erat eo loco fossa pedum quiodecim & vallum contra hostem in altitudinem pedum decem. Homerus autem lib. 12. Iliados describit fossam Græcorum adeo latam atque profundam, vt difficile esset supersilire aut transilire, ibi.

——— ἀπὸ γὰρ δειδίσκετο τάφρος
εὐρεῖ', οὔτ' ἄρ ὑπερθορέειν σχεδὸν, οὔτε περῆσαι
ῥηιδίη, κρημνοὶ γὰρ ἐπηρεφέες περὶ πᾶσαν, &c.

Mira autem fuit ea fossa quam Artaxerxes Cyro fratri suo obiecit, nempe latitudine pedum quinquaginta, & altitodine totidem vt in eius vita scribit Plutarchus.

x *Gallorum pleraque gens.*] Nam C. Cæsar lib. 1. de Bello Gallico scribit, Boios, quæ Galliæ gens est, pro vallo carros obiecisse. Carrus autem species est vehiculi, vt currus, de quo & nos dicemus infra lib. 2. cap. 30. Adde quòd & Thraces curribus oppositis pro vallo vtebantur, vt tradit Arrianus de rebus gestis Alexandri lib. 1. post priocip.

y *Romani in magno.*] Id enim fecit Cn. Scipio in Hispania cum à Carthaginiensibus & Numidis obsiderentur, apud Liuium Deca 3. lib. 5. Sed & id quoque fecere Samnites apud eundem lib. 10. Deca. 1.

z *Cæsar ad Mundam.*] Ipse Cæsar vel Hirtius Belli ciuilis li. 6. qui de bello Hispaniensi est, ex fuga hac, inquit, cum oppidum Mundam sibi præsidium constituissent, nostri cogebantur necessariò eos circumuolare, & ex hostium armis pro cespite cadauera collocabantur. Plutarchus autem in Cæsare hanc pugnam quæ ad Mundam fuit, describit, sed nihil hac de re dicit. Hic verò locus in memoriam reuocat, quod à Valerio Maximo scriptum est, lib. 9. c. 2. Annibalem in flumine Gelo, corporibus Romanis ponte facto exercitum traduxisse, de quo Silius Italicus lib. 8. in fin.

Cesserit huic Trebia exitio, pons ecce cadentum,
Corporibus struitur.

a *Nicias verò.*] Plutarchus in vita illius.

b *Quod*

temere progressi, cædibus essent & periculis obnoxij. [b] Quódque mulieres in castris interesse cum militibus turpi consuetudine versari nō decebat. Mulieres enim castra sequi apud maiores gnæ turpitudinis erat, & seuerissimæ animaduersionis. Quare [c] Scipio Æmylianus maximus petator, & qui imperatorias artes callebat, bello Numantino collapsam militiæ disciplinam, & solutum morem in omne licentiæ genus, eiectis multis millibus scortorum, restituisse fertur, ad ísque milites traduxisse, stantésque prandere coegisse, & cocti nihil vesci. [d] Metellus in Africa lasciuientem exercitum, & prauis moribus institutum, correpta castrorum disciplina emenda- [e] Alexander quoque Macedo, depulsis pistoribus & coquis ad prandia, itinera nocturna, ad cœnam, cibi viniq́; parcitatem se habere dixit. Quibus disciplinis imbuti milites in fide & officio mane, sepissiméque fuisse perspectum, quod in quibus locis hostes castra metati fuerant, inibi Romanus exercitus eadem castra operibus septa habuere, tunc præcipue, quum hostium vestigiis inhæren- illos haud facilè assequi poterant. [f] Quod ne fieret, saubri consilio prouisum fuit, vt abituri mis vetera tabernacula & munitiones incendant, nequando illa hostium receptus forent. [g] Erat que vetus constitutum, vt quoties duo simul consules prætorésve contra hostes, duos consulares itiuus, multásque legiones ducerent, quo facilius tantæ multitudini præessent, diuisa castra, copias præsidia haberent, & munia belli partirentur, ne cōfusa imperia & decreta ambigua forent. Quod o succedente, à [h] Domitiano vetitum fuit. Is enim geminari legionum castra prohibuit, sub vnius perio, & vnis castris, satius regi milites arbitratus. [i] Horum castrorum formam in locis compluri- s etiam nunc extare, vallíque & fossarum altitudines, & egregias munitiones firmo munimento ctas, nos recentissima memoria vidisse, & singulas portas adnotasse, quæ species illius veteris inuti magnum nobis documentum fuit, libenter meminimus.

Alexã. apophthegmã.

Abituri tabernacula incendebant.

Domitianus gemināri castra prohibuit.

ANNOTATIONES.

[b] *Quodque mulieres.*] Quintilianus, si is est, in Milite Mario, meretrices, inquit, ab exercitu submouentur; intrare ra castra fœminis non licet. Item Seruius ad illud 3. eidos,

— *Nos castra mouemus,* tradit castra dicta, quasi a, vel quòd illic castratetur libido, nam numquam his iterat mulier. Propertius libr. 4. in epistola Arethusæ Lycotam,

Romanus vtinam patuissent castra puellis,
Essem militia sarcina fida tua.

c ad illud Virgilij 8. Æneidos.

— *Sequitúrque (nefas) Ægyptia coniux.*

m Seruius ait, exclamatio est non in eo tantùm quòd opatram Romanus, scilicet Antonius duxerat, sed etiam d mulier castra sequebatur: quod ingenti turpitudine d maiores fuit. Vnde bellaturus Pompeius in Lesbo reit vxorem. De quo nos latius diximus in nostris legibus nubialibus. l. 15. num. 24.

[c] *Scipio Æmilianus.*] Valerius Maximus lib. 2. c. 2. in princ. us Frontinus stratagemat. lib. 4. c. 1. Vegetius de re militib. 2. c. 10. Paulus Orosius lib. 5. c. 6. Eutropius lib. 4. c. 7. omnibus scriptor de viris illustribus, c. 58.

[d] *Metellus in Africa.*] Valerius & Frontinus prædictis s, & Vegetius lib. 3. c. 10.

[e] *Alexander quoque Macedo.*] Plutarchus tum in vita, tum popthegmatis ipsius, Alexander, inquit, cum Ada Cariæ regina bellaria & obsonia à pistoribus, & coquis impédio elaborata, ad ipsam quotidie mittere curaret, meliores dicebat sibi esse cocos, & obsonatores, scilicet ad prandium, iter nocturnum; ad cœnam verò prandij mediocritatem. Idem autem quod Alexander seuetis temporibus prohibuit Pescennius Niger teste Spartian, scilicet post exercitum sequi, vt omnes buccellato in locis panificia, accepto contenti essent.

[f] *Quod ne fieret.*] Apud Cæsarem Belli ciuilis lib. 2. & 3. Sed & anteà multò incendi castra imperauerat Q. Fabius Maximus dictator, Liuij Decad. 1. libr. 9. erant autem maximè tentoria, vt dictum est, stramento intecta omnia, velut de industria alimenta ignis, vt ait Liuius Decad. 3. lib. 7.

[g] *Erat quoque vetus constitutum.*] Sic ante Capuam consulum & prætoris diuisa diximus prætoria, ex Liuio Decad. 3. lib 5. sic duorum consulum dicuntur duo consulares exercitus, eiusdem Decad. lib. 1. & castra alterius consulis iuncta castris alterius, eius Decad. lib. 7. Polybius lib. 3. de consulibus qui simul ad idem bellum mittebantur, Consulibus, inquit, mos erat vt legiones inter se diuiderent, suóque vterque arbitratu proprio exercitu vteretur. Idemque postea loquens de L. Æmilio Paulo, & C. Terentio Varrone consulibus, qui ambo aduersus Annibalem missi fuut, Copiæ, ait, omnes inter consules diuiduntur.

[h] *Domitiano*] Suetonius in eodem c. 7.

[i] *Horum Castrorum.*] Hæc ipsius authoris verba sunt

Quot cognominibus Fortuna dea apud Romanos cognominata, & quibus Templis donata fuerit.

CAPVT XIII.

INTER numina pleraque quæ veteres habuere, olim à Romanis Fortunam eximiè cultam, scriptum in antiquitatibus & traditum est. Idque ex eo conectari licet, quòd plures illi ædes fuisse, ac diuersis nominibus deam denominari, vulgo proditum est. Primus enim [a] Ancus Martius Fortunam virili cognomento dedicauit: vt verò plures certioré sque, [b] Seruius Tullius Paruæ Fortunæ ædem cōsecrauit primus. In qua ęde signum sua pretexta ornatum dedicasse, & lōgo tempore māsisse incorruptum, anthores tradunt. Causam fuisse crediderim, quod te- s ipse & parui cultus, vt tum res erant, quòd; [c] ex captiua natus, Fortunę beneficio regnum asse-

Fortunā masculam.

Paruæ fortunæ.

ANNOTATIONES IN CAP XIII.

[a] *Ancus Martius.*] Ex Plutarcho de Fortuna Romanorum, non multo post princip.

[b] *Seruius Tullius.*] Ex eodem Problem. 74.

[c] *Ex captiua natus.*] Id nos amplè deduximus in nostris cōmentariis

quutus foret, propterea templo illam sacrasse, próque dea coluisse tanquam gratiam meriti ferret: quam quidem ita cumulatissimé retulit, vt non vna æde illam recepisse aut consecrasse satis fuerit: siquidem regnum assequutus, [d] Fortis Fortunæ, [e] Primigeniæ, & [f] Masculæ, mox [g] Prosperæ, & Virilis Fortunæ templa eundem erexisse fama vulgauit. Quod quidem [h] Fortis Fortunæ templum extra pomœrium fuisse in hortis à diuo Cęsare populo legatis iuxta Tiberim, mox Tiberij tempore dicatum: [i] Primigeniæ verò in colle Quirinali authores memorant: quam ędem Domitius prętor vrbanus postea dedicauit, licet alteram Primigenię ędiculam Publius Sempronius consul secundo Punico bello vouisse, & voti reus dedicasse feratur. Extatque veterum monumentis, eundem Seruium Primigeniam & [k] Obsequentem fortunam in Capitolio sacrasse, illamqoe præcipua religione coluisse. Prosperæ verò in foro Boario fuit: [l] Virilis autem Fortunæ templum extra vrbem ad Tiberis ripam, [m] in quod mulieres quæ dabantur nuptui, frequentes ventitabant, & corpore inuelato singula membra, ne quo morbo vitióq; affectæ forent, aot labe aliqua teoerentur, detegebant. [n] Aucto posteà imperio, cum de Veientibus Caruilius consul triumphasset, ærisq; grauis treceota nonaginta millia in ærarium detulisset, de reliquo quod ex manubiis & omni præda exactum fuit, Fortis Fortonę ędem, prope illam quę à Seruio Tullio dicata fuerat, faciēdam locasse, T. Liuius author est. [o] Cuius dies annoa octano calendas Iulias celebratur: quo tempore Hasdrubal periit, & Masinissa Siphacem bello vicit. [p] Muliebris verò Fortunę phanom Latina via, IV. ab vrbe milliario, in quo loco Coriolanus matris precibus siue imperio adactus, ab vrbis exeidio temperauit, Romę consecratum dedicatumque, haud ferme quisquam est qui ignoret: [q] cuios simulacrum non semel humanam emisisse vocem ferunt. Fuisse quoque [r] Viscatę Fortunę templum, quòd eius illecebris multi capiantur, denominatę: [s] quinetiam Equestris, iuxta lapideum theatrum, ad Quod Q. Fuluius Flaccus ex Lacinię Iunonis templo marmoreas tegulas detulit: quę mox ob religionem códem relatę fuere. Ac [t] Bonæ,

Fortunæ diuersa cognomina. Primigenia Fortunæ templum. Obsequentis. Prospera. Virilis. Muliebris. Viscata. Equestris.

ANNOTATIONES.

mentariis de Nobilitate.

d *Fortis Fortunæ.*]Plutarchus d.problem.74.Liuius quoque Decad.1. li.10. tradit Papyrium post triumphum de reliquo ære, quod in ærarium intulerat, ædem Fortis Fortunæ de manubiis faciendam locasse, prope ædem eidem deæ à rege Seruio Tullio dedicatam.

d *Primigenia.*] De eadem scripsimus in præfatione tractatus Primogeniorum.num.76.de qua Cicero lib.2.de legib. & Liuius Decad.3.lib.9.& 4.lib.4.& 5. lib.3.item & Plutarchus d. problem.74.& 106.

f *Mascula.*] Plutarch, d.problem.74.

g *Prospera.*]Vereor ne hic falsus sit Alexander, dum id nomen veluti proprium tribuit Fortunæ, cum sit non nomen sed epitheton fœlicis Fortunæ, vt alia plerumque dicuntur prospera, fœlicia, & secunda. Neque aliter intellexisse videtur Dionysius Halicarnassæus, vnde forte hic mutuatus est, quæ de prospera & virili fortuna scribit lib.4.originum Romanatum; vbi Græcis verbis hoc sensu inquit, Hisque pace bellóque gestis, ac duobus extructis templis Fortunæ, qua per omne vitæ tempus visus erat vti prospera, altero in foro Boario; alteróque ad ripas Tiberis ei, quam virilem appellauit, sicut & nunc à Romanis dicitur. Sed & alij quoque id epitheton tribuunt Fortunæ. Cicero lib.3. de natura deorum, & in ea quam in senatu habuit post reditum. & Horatius lib.4. Carmin. ode 14.

Fortuna lustro prospera tertio.

inquit: quam & ipse Cicero Fortunam secundam in eundem sensum dicit in oratione de Responsis aruspicum. Fortasse tamen Alexander Prosperam posuit pro Bona, de qua posteà dicemus: cuius quidem Bonæ Fortunæ templum in foro Boario (vt hic de prospera dicit) conditum fuisse tradit Halicarnass. lib.4.

h *Fortis Fortunæ templum.*]Plutarchus libr. de fortuna Romanorum non longè à principio, sed & quantum ad id quod de eius templo iuxta Tiberim locato scribit Alexander, vide infrà.

i *Primigenia vero in colle Quirinali.*]Liuius 3.Decad.lib.9. & 4.Decad.lib.4.& Decad.5.lib.3.& Plutarch. problem. 74. & 106. & hanc eandem dictam fuisse Publicam Fortunam, Ouid.lib.4.Fastorum docet ibi.

Qui dicit, quondam sacrata est colle Quirini,
Hac fortuna die Publica, verus erit.

k *Obsequentem.*] Plutarchus de fortuna Romanorum, & P. Victor in 1. regione vrbis Romæ.

l *Virilis autem fortunæ.*]Dionysius Halicar.lib.4.& Plutarc. de fortuna Roman.

m *In quod mulieres,*]Ouidius lib.4.Fastorum,

Discite nunc quare fortunæ thura Virili
Detis eò gelida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Vt tegat hoc celétque viros fortuna Virilis
Præstat, & hoc paruo thure rogata facit.

n *Aucto postea imperio.*]Alexander hic, quod rarissimè facit, autorem citat Liuium loco non designato, qui est Decad.1. 1.lib.10.& idem propè Varro de lingua Latina lib.3.

o *Cuius dies annua.*]Ex Ouidio libr.6.Fastorum, qui mensi Iunio dedicatus est, ibi.

Tempora si veteris quæris temeraria damni,
Quartus ab extremo mense bis ille dies.
Postera lux melior superat Masinissa Siphacem,
Et cecidit telis Hasdrubal ipse suis.

& paulò pòst,

Quàm citò venerunt Fortunæ fortis honores!
Post septem luces Iunius actus erit.

p *Muliebris verò fortuna.*]Liu.1.Decad. li.5. Valerius Max. lib.1.c.8.& lib.5.c.2. Plutarchus de Fortuna Romanorum, Diuus Augustinus de ciuitate Dei lib.4.c.19.

e *Cuius simulacrum.*]Dionysius Halicar.li.8.Valerius Max. d.c.8.lib.1.& d.lib. Plutarchus loquens de muliebri Fortuna, Quo tempore, inquit, Fortunæ fertur simulacrum hanc cùm sacraretur vocem edidisse. *Sanctè me legibúsque patriis fœmina consecratoto.* & idem quoque scribit in Coriolano, ad finem, vbi præterea dicit, eam secundò vocem auditam esse. Lactantius item libr. 2.c.5. sic habet simulactum Fortunæ muliebris non semel locutum esse traditur.

r *Viscatæ Fortunæ.*] Plutarchus vbi suprà, eam ita vocatam ait, quòd tenaciter attrahat quicquid illi hæserit: & Problem.74.tum Fortunæ, inquit, ἰξευτρίας templum est, quam Viscatam nominant. Budæus in priore loco Viscatricem vertit.

[*Quinetiam Equestris.*]Ex Liuio Decad.4.lib.10. & Decad. 5.lib.2.post princip.& Val.Maximus lib.1.cap.2.& Lactantius lib.2. cap.8.

t *Bona.*] De qua Cicero 6.in Verrem, non longè à princip. dicit inter signa alia C.Helij Mamertini fuisse Bonam Fortunam.

Reduci, [a] Euelpidi, & Atrophex, necnon [y] Conuertenti, [z] Benesperanti, Propriæ, [a] Virgini, & [b] Seio fortunæ templa non vno tempore constructa multi asseuerant. Tametsi [c] equestris fortunæ edem Romæ nullam fuisse, aliqui contendant, nisi apud Anrium. [d] Hanc ædem Fortunæ Seiæ, à Sernio Tullio antea erectam ex phengite lapide mirifico opere Nero princeps instauraoit, ita vt foribus ope is diurna ibi lux videretur: in qua Seruij Tullij simulacrum tecto vultu toga superiniecta, diu mansisse dicitur, quasi vt lateret Fortunæ dedecus, quòd serua natus imperitaret. Conuertens autem Fortuna, quòd homines ludificatur, quódque per omnia humana agitat, ac paruis momentis magnas facit mutationes, in eodémque vestigio nunquam diu stat, dicta denominatáque est, quæ [e] à Græcis τύχη εὔριπος, quasi æstuans dicta. [f] Legitur quoque Fortuna Calua, quam sub tecto nominare, religio non sinit: & [g] Fortuna Respiciens, cuius ędes iuxta templum Iouis Victoris erat. Et Fors Fortuna, [h] quę ędem trans Tiberim habuit: & [i] Fortuna Propria, cuius delubrum in Palatio est. & ad Portam Collinam fuisse tres Fortunas, de quarum nominibus ambigitor: ædem quoque Fortunæ [k] intra portam Carmentalem & [l] malæ Fortunę, in Exquiliis, vbi sacellum Larium fuit, sub idem tempus dedicatas inuenimus. Hanc, quæ intra portam Carmentalem sita erat, quandoque

Seia.

Conuertens Fortuna.

Calua. Respiciens. Fors Fortuna. Propria. Mala.

ANNOTATIONES.

inam & Dionysius libr.4. vbi tradit ei templum à Rege ernio Tullio conditom. Item & Plinius libr.36. cap.5. vbi ribit Praxitelis simulacrum Bonæ Fortuoæ in Capitolio se; & Pausanias libr.5. huius aram in Olympia esse scribit. ionysius Halicarnas. lib.4. vti eum suprà citauimus in ver- Prospeiæ. Ea verò Græcè vocatur εὐτύχη Cebeti autem Tabula ἀγαθὴ τύχη. Cuius etiam statua fuit Athenis apud ytaneum quam adolescens quispiam adeo deperiit, vt nore insaniens, sibi ipsi mortem intulerit, de quo apud usaniam. Fuit autem è contrario Mala Fortuna; Græcis cta κακὴ τύχη. de qua paulò pòst dicetur.

Reduci.] De qua Martialis lib.8. Epig.64.

Hîc vbi Fortuna Reducis fulgentia latè
Templa nitent, felix area nuper erat:

em & Claudianus.

Aurea Fortuna Reduci si templa priores,
Ob reditum vouere ducum.----

Euelpidi.]Plutarchus de Fortuna Romanorum.

Conuertenti.] Idem ibidem & d. problem.74. & fortè de c intelligit Liuius Decad.1. lib.9. dum scribit, Magnum odò Pompeium Vertenti præbuit Fortunæ: quamuis ea rba aliter accipi possint.

Benesperanti.]Plutarch. dict. problem. 74. εὐελπίδος τύχης eminit, cuius ædem Romæ fuisse tradit, vbi interpres ver-, Benesperantis Fortunæ, rectius tamen posset interpreri Bonæ spei Fortunæ.

Virgini.] Plutarcho de Fortuna Romanor. est παρθένος, æ Virginalis Arnobio. lib. 2. aduersus Gentes.

Seia.] Huius meminit Plin. li.36. cap.22. cuius verba sub ibo, Hanc ædem, adscribam de Seiana fortuna commen- ad Suetonium in Tiberio, & A. Gellius lib.3 c.9. meminrunt. De Seia quoqoe dea siue ea fuit, siue alia, quod vti- e magis credo, Plin. lib.18. cap.2. Hos enim, inquit, deos c maximé notant, Seiam à serendo. Segestam à segetibus pellabant, quarum simulacra in Circo vidimus. Macrois lib.1. Saturoal. c.16. Apud veteres qui nominasset Seniam, Seiam, Segetiam, Tutilianam, ferias obseruabat. ius Augustinus de ciuitate Dei libr.4. c.8. Sata frumenta indiu sub terra essent, præpositam voluerunt habere deã am: cum verò iam essent super terram, & segetem facet, Segetiam: frumentísque collectis atqoe conditis, vt tuseruarentur, deam Tutilinam præposuerunt.

Equestris fortuna.]Cornelius Tacit. li.3. scribit, quòd cùm ites Romani pro valetudine Augustæ donum vouissent estri Fortunæ, & eius cognominis nullum tum Romæ ubrum esset, illud Antium miserunt, vbi eo nomine coatur.

Hanc adem fortun. Seia.]Ex Plinio lib.36. c.22. vbi scribit, rone principe, io Cappadocia repertus est lapis, duritia rmoris, candidus atque translucens, etiam qua parte fulinciderant venæ, ex argumento Phenigites appellatus. c construxerat ædem Fortunæ, quam Seiam appellant à Seruio rege sacratam, aurea domo complexus. Quare etiam foribus opertis, interdiu claritas ibi durna erat, haud alio quàm specolatum modo, tanquam inclusa luce noo transmissa.

e *A Gracis, τύχη εὔριπος, quasi astuans.*] Alij æstuariam siue volubilem interpretantur: nam & ipsam volubilem dicit Plin: libr.2. c.7. Sed tu de hoc omnino vide Erasmum Chiliad.1. centur.9. cap.92. & chil.3. cent.6. c. 60. vt tamen non omittam quòd Catullus id Fortunæ tribuit quod maris est proprium, fluctus scilicet, cuius quidem maris pars est Euripus, inter Aulidem Bœotiæ portam & Eubœam insulam, cuius meminit Strabo lib.9. & Plin. lib.2. c.7. Carmen verò Catulli est ex epigramm.63. ad Mallium.

Accipe quis mergar Fortuna fluctibus ipse.

f *Legitur quoque Fortuna Calua*] Occasionem caluam esse omnes notont, vel ex Græco Possidonij in lib. 8. Epigrammatũ, vel ex Ausonio, qui Latioum illud fecit: in quo inter cætera est,

Occipiti caluo ne tenear fugiens.

Sed à quibus (veteribus intelligo) Fortuna ipsa Calua dicta sit, oescio, nec quare ita diceoda sit: nisi si quis contendat, vt occasionem ita & fortonam esse: vt si quæpiam bona offerat, protinus sit arripieoda, ne continuò effluat atque prætereuolet; eámque nequicquam mox omissam quæratis, vt dicebat Lucius ille Martius, apud Liuium 3. Decadis lib.5. Neque enim eadem bona Fortuna, oec sæpe, nec diu est. vt de occasiooe dicebat Aristhenus apud eundem Liuium Decad.4. libr.2. Cælius verò Rhodigious libr.21. cap.29. In Plinij libr.18. cap.2. vbi post Seiam & Segestam alterius qooque sine cognomine meminit, Caluam à quibusdam iotelligi, scribit. Magis tamen ei placet Tutilinam intelligere ex Augustino Ciuitatis lib.4. cap.8.

g *Fortuna Respiciens.*] Huius templum P. Victor ait esse in decima regione vrbis Romæ.

h *Qua adem trans Tiberim habuit.*]Varro de lingua Latina lib.5. Liuius 1. Decad. lib.10. & Decad.3. lib.7. Tatius lib. 2. eius ædis iuxta Tiberim meminit, in hortis quos Cæsar dictator populo Romano legauerat. Plutarch. de fortuna Romanorum. P. Victor in 14. vrbis regione. Donatus in Phormione, & Ouidius 4. Fastorum ait,

Ite deam lati Fortem celebrate Quirites,
In Tiberis ripa munera regis habet.

i *Fortuna propria.*] Plutarchus de Fortuna Romano. eam ἰδίαν Græcè vocat.

k *Intra portam Carmentalem.*] Ex Liuio 3. Decad. lib.5. post princip. Alteri inquit, reficiendis ædibus Fortunæ & matris Matutæ intra portam Carmentalem: sed & Spei extra portam. quæ priore anno incendio coosumptæ fuerant.

l *Mala Fortuna, in Exquiliis.*] Id ex Plinio est. libr. 2. cap. 7. Sed quod hic dicit Alexander, vbi sacellum Larium fuit, malè accipit apud Pliniũ: neq; ille quem sequi author hic videtur, de mala Fortuna loquitur, sed de Orbona dea

incendio absumptam, triumuiri reficiendis ædibus á solo collapsam refecere: [m] illam verò quæ in Exquiliis, non vt opem ferret, sed ne obesset, [n] sicut Febris phanum, & pleraque numina Romam persanctè caluere. [o] Eius verò simulacrum manu altera cum cornu copiæ, altera gubernaculum geminum versans effingebatur. [p] Nonnulli habitu fœminco furenti similem, cæcam & exoculatam super volubile saxum effinxere, quod nullo delectu opes ad malos & indignos conferat, quódque vaga, inconstans, & instabilis foret. Quare Apelles Fortunam sedentem effinxisse dicitur, eò quòd nunquam staret: sed quos fouisset indulgenter, mox de gradu deiiceret. [q] Aliqui sine pedibus illam exculpsere, sed manus & pennas tantum adhibuere: vt si manus porrigeret, pennas comprehendere non sineret. [r] Bupalus verò Fortunæ simulacrum fecisse dicitur primus, polum habens in capite, & altera manu cornu Amàltheæ. Alij vitream, quòd puncto temporis frangitur, statuère Fortunam. [f] Cuius simulacrum ex auro fabrefactum velut sacratissimum in cubiculo imperatoris, poni, & post obitum in successoris tabernaculum transferri Spartianus memorat. Fnítque obseruatum, illos qui Fortunam religiose colerent, magnis sæpe incrementis auctos: qui verò minimo cultu, aut despectui habuissent, pluribus incommodis fuisse dehonestatos. Propterea [t] Timotheus Cononis filius, quòd Fortunæ successus sibi adscriberet neque illi vt par erat, gratiam

Fortuna simulacra diuersa.

Fortuna simulacrum in cubiculo Imperatoris.

Fortuna cultores & despectores.

ANNOTATIONES.

eius verba hæc sunt; Ideóque etiam publicè Febris phanum in Palatio dicatum est: Orbonæ ad ædem Larium ara: & malæ Fortunæ in Exquiliis.

m *Illam verè quæ in Exquiliis*] Plinius d. lib. 2. cap. 7.

n *Sicut Febris phanum.*] Plin. eodem loco, & Valerius Maximus lib. 2. c. 1. & alij quos in id citauimus in commentariis Nobilitatis cap. 31. num. 539.

o *Eius vero simulacrum.*] Lactantius li. 3. cap. 29. Simulacrum, inquit, Fortunæ cum copia & gubernaculo fingitur, tanquam hæc opes & humanarum rerum regimen obtineat, Cui inquit, opinioni C Virgil. assentit, qui Fortunam omnipotentem vocat, & Historicus qui ait, Sed profectò fortuna in omni re dominatur. Hæc ille. Locus autem Virgilij est ex octauo Æneidos.

Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum,

Atque etiam si is est, in illo carmine Asclepiadeo,

Fortuna omnipotens insipientibus.

Ille autem Historicus est Salustius in Catilinario. Pausanias autem li. 7. quo Achaica describit, tradit in ædicula Ægiræ Fortunæ signum esse Amaltheæ cornu præ se ferens, cui assistit volucer Cupido: quæ quidem Amoris cum Fortuna coniunctio, significat plus ferè in amore fortunam posse quàm pulchritudinem: qua de re infrà sub verbo, Bubalus.

p *Nonnulli habitu fæmineo.*] Ex Cebete in Tabula, Sed mulier, inquit, illa quænam est, quæ veluti cæca atque insana super lapide quodam rotundo consistere videtur? Fortuna, inquit, vocatur, &c. De qua ex Pacuuio antiquo poeta, author ad Herennium refert,

Fortunam insanam esse & brutam perhibent philosophi,
Saxóque instare globoso prædicant volubili.
Ideo quò saxū impulerit fors, eò cadere Fortunā autumant.
Cæcam ob eā rem iterāt, quia nihil cernat, quò sese applicet.
Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit.
Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.

Plinius libr. 2. cap. 7. Ex plerisque verò & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Apuleius libr. 7. Metam. post princip. Subibátque me non de nihilo veteris priscæque doctrinæ viros finxisse ac pronunciasse, cæcam & prorsus exoculatam esse Fortunam, quæ suas opes ad malos & indignos conferat, nec vnquam iudicio quemquam mortalium eligat. Ex quibus Alexander hac de re plura mutuatus est. Ante hos Aristoteles Problem. libr. 8. cap. quærit, cur diuitiæ magna ex parte ab hominibus prauis, potius quàm à bonis habeantur. An quia Fortuna cæca est, inquit, & discernere sibi atque seligere quod melius est non potest. Tullius autem in libr. de Amicitia, sic ait, Non ipsa solùm Fortuna cæca est, sed eos etiam plerunque efficit cæcos, quos amplexa est. Alia multa de Fortunæ cæcitate, volubilitate, & inconstantia, videbis in illo Asclepiadeo Virgilij & apud Martianum Capellam.

q *Aliqui sine pedibus.*] Hi sunt Scythæ ex Q. Curtio lib. 7. in oratione Legatorum è Scythia ad Alexādrum. Sed ad id quod de pennis hic ait, accedit quod & Eusebius ipsam Fortunam scribit, veteres in pila sedentem effinxisse, eíque alas addidisse. Ad quod alludit illud Horatij lib. 3. Carminum Odē 29.

Fortuna sæuo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.
Laudo manentem, si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit.

r *Bupalus.*] Hic pictor ex Horatio, Epod. Ode 6. & ipsius eo in loco interpretibus. & Pausanias libro 9. quo Bœotica describit. Apud eundem autem Pausaniam li. 4. quo de Messenicis, primus Smyrneis simulacrum Fortunæ omnium primum finxit. capitiq; illius polum imposuit, & altera manu copiæ cornu quod Amaltheæ Græci vocant, tenentem fecit. De quo suprà in verbo, Eius verò simulacrum.

] *Cuius simulacrum ex auro.*] Spartianū hic author citat, cuius in vita Seueri Imperatoris hęc sunt verba. Fortunā deinde regiam, quæ comitari principes, & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, vt sacratissimum simulacrū vtriq; relinqueret filiorum. Sed cùm videret se perurgeri, sub horā mortis iussisse fertur, vt alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis Fortuna poneretur. Sed ex iis nōdum apparet eam Fortunam ex auro fabricatam, vt Alex. ait, sed id est ex Iulio Capitolino, cuius in extremo vitæ Antonini Pij hæc verba sunt, Fortunámq; auream, quæ in cubiculo principum poni solebat, transferri ad eum iussit. id est ad Antoninum Philosophum qui illius successor fuit. Rursus in vita ipsius Philosophi, Statimq; inquit, signo Æquanimitatis Tribuno dato, fortunam auream quæ in cubiculo solebat esse, ad Marci cubiculum transire iussit. Tacitus autem libr. 15. de Nerone loquens, inquit, iussisse eum, vt Fortunarum effigies aureæ in solio Capitolini Iouis collocarentur. Sed an ibi intelligat de aureis effigiebus, quæ in cubiculo principum esse solebant, mihi perspicuum non est,

t *Timotheus Cononis filius.*] Hic fortunatus Imperator existimabatur, atque ideo ei quidam inuidentes pingebant vrbes nassam illi dormienti vltro ingredientes, quibus hæc ipse dicebat, Si tantas vrbes dormiens capio, quid me vigilantem facturum putatis? refert Plutarchus in Apophthegmatis Imperatorum. Attamen tam fœlix Imperator acceptam fortunæ tantam felicitatem non ferebat, sed suæ ipsius virtuti. Ideo & is tandem centum talentis condemnatus fuit, & in Chalcidem secessit, vt tradit Probus Æmylius in illius vita. Non sic autem Nicias, & ipse Atheniensium Imperator: nam si quid ei præclarum gerere contigisset, eius gratiam non virtuti ac prudentiæ suæ, sed Fortunæ magis ac deorum benignitati acceptum referebat,

gloriam

ferret, licet magnus Imperator, de gradu deiectus, & infœlici pugna victus, atque in exilium actus fuit. [u] Galbæ quoque, qui Fortunam Thusculanam torque fraudatat, illumque Capitolinæ Veneri dedicarat, in somnis Fortuna quert visa est, quòd se promisso fraudasset, breui se quoque erepturam quod dederat, interminata est: quod mox fuit sua morte subsequutum. Sed quod de Mala Fortuna & Febri, idem de [x] Postuerta & Prosa, quarum Romæ duæ aræ fuere, ac de [y] Væioue, [z] Timore, & [a] Pallore, atque [b] Auertunco & [c] Robigo diis, dictum acc pimus. Siquidem huiuscemodi numina, [d] ne quid obessent, néve aliquid afferrent incommodi, Romani persanctè habuere, quos cane & oue placabant. Fuit enim [e] Væiouis ædes inter Capitolium & arcem inter duos lucos. [f] Febris vero phanum triplex: vnum in capite vici longi, alterum in palatio, tertium iuxta Mariana monumenta, cuius adhuc extare vestigia plerique asserunt. Quæ numina à Græcis originem duxisse crediderim: quippe [g] Athenienses Contumeliæ & [h] Impudentiæ aras sacrarunt, vt à contumeliis & probris auerterent. Lacedæmonij, [i] Morti & [k] Timori, atque aliis affectibus templa dicarunt. [l] Misericordiæ quoque, [m] Pudori, [n] Famæ & [o] Appetitioni Athenis visuntur aræ. Romani [p] Vitulinam deam, quod lætitiæ præesset, magno cultu semper habuere. Etiam [q] Paupertatis

Dij nocentes.

Væiouis asylum. Febris templa.

Vitulinà dea.

ANNOTATIONES.

gloriam suam quàm minimè poterat inuidiæ obnoxiam facere conabatur. In quo præclarè illum sibi consuluisse aliorum casus edocuerunt, quod & in ipsius Niciæ vita Plutarchus scriptum habet.

Galbæ quoque] Suetonius in eod. cap. 18. Monile, inquit, margaritis gemmísque consertum ad ornandam fortunam iam Thusculanam, ex omni gaza sacrauerat; id repente quasi augustiore dignius loco, Capitolinæ Veneri dedicarat: ac proxima nocte somniauit speciem Fortunæ querentis fraudatam se dono destinato: minantísque erepturam ipsam quæ dedisset. Cúmq; exterritus luce prima. ad expiandum somnium præmissis qui rem diuinam apparatent, Thusculum excucurrisset, nihil inuenit præter tepidam in ara fauillam, atratumque iuxtà senem in catino vitreo thus tenentem, & in cado fictili merum.

Postuerta.] A. Gellius lib. 16. c. 16. & Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 6. Postuertam appellat, vt & Anteuertam.

De Væioue.] A. Gellius lib. 5. cap. 12. & de eo quoque meminit Cicero lib. 3. da natura deorum.

Timore.] imò Pauore, ex Liuio Decad. 1. lib. 1. & Lactantio lib. 1. c. 20. & Diuo Augustino de ciuitate Dei, lib. 4. cap. & aliis à me citatis in commentario Nobilitatis c. 31. nu. 9. Licet enim timor & pauor idem significent, non licet tamen propria nomina in alia eiusdem significationis mutare, vt aliàs diximus.

Pallore.] Ex Liuio Lactantio, & Augustino, & aliis dicto loco relatis in ea Nobilitate.

Auerrunco.] Varro de lingua Latina libr. 6. ex authoritate Pacuuij.

Robigo.] Hunc nonnulli Robigum & Rubigum, alij Robiginem & Rubiginem vocant. De quo Varro lib. 1. de re rustica, c. 1. loquens de Diis rei rusticæ, quartò, inquit, Robigum & Floram, quibus propitiis neque rubigo frumenta, neque arbores corrumpit, neque non tempestiue florent: atque publicæ Robigo feriæ, Robigalia, Floræ ludi, Floralia instituti. Ouid. lib. 4. Fastorum,

Flamen in antiquum locum Robiginis ibat:

Columella libr. 10.

Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactantis vituli placatur, & extis.

Rubigalibus Festis illi Deo dedicatis, præter Varronem, Plin. lib. 18. c. 29. Tria namque tempora fructibus metuerunt, propter quod instituerunt ferias, diésque festos, Rubigalia, Floralia, & Vinalia: Rubigalia Numa constituit, anno regni sui vndecimo, quæ nunc aguntur ad septimum Cal. Maij. quoniam tunc ferè segetes rubigo occupat.

Ne quid obessent.] Ex Valerio Maximo lib. 2. c. 1. Liu. Decad. 1. lib. 1. Plin. lib. 2. c. 7. Lactantio, lib. 1. c. 20. Diuo Augustino de ciuitate Dei lib. 4. in multis locis.

Væiouis ædes.] A. Gellius libr. 5. c. 12. & Ouid. lib. 3. Fastorum, & P. Victor in 8. regione vrbis.

Febris verò phanum.] Ex Valerio Maximo lib. 2. c. 1.

g *Athenienses Contumeliæ.*] Cicero libr. 2, de legibus; illud vitiosum Athenis, quod Cylenio scelere expiato Epimenide Cretensi suadentes, fecerunt Contumeliæ phanum & Impudentiæ. Et Pausanias li. 1. has appellat ὕβριν & ἀναίδειαν Et Theophrastus in lib. de legibus ὕβρεως καὶ αἰδοῦς παρὰ τοῖς ἀθηναίοις τῶν βωμῶν. &c. Istrus lib. 4.

h *Impudicitia.*] Aut Alexander aut librarius hìc errauit, nã Impudentiæ legendum est, ex Cicerone & aliis proximè relatis: & præterea Zenobio, & Theophrasto d. li. de legibus, & Diogeniano in collectaneis Adagiorum, in enarratione illius Θεὸς ἡ ἀναίδεια, id est, dea Impudentia, & Menandro in Gnomologiis, qui illam Dearum maximam appellat:

—— ὦ μεγίστη τῶν θεῶν
νῦν οὖσ' ἀναίδει', εἰ θεὸν καλεῖν σε δεῖ.
δεῖ, τὸ κρατοῦν γὰρ νῦν νομίζεται θεός.

De quo vide Erasmum, qui & hos citat, Chiliad 3. cent. 1. c. 63, nullibi autem legi Impudicitiam deã fuisse existimatam.

i *Lacedæmonij Morti.*] Plutarchus In Cleomene. Estq; hymnus morti apud Orpheum, qui ei thure sacrum facit. Sed & alij Mortem deam siue deum mutauerunt: & inter cæteros Virgil. lib. 11. Æneidos.

Multa boum circa mactantur corpora Morti,
Setigerósque sues, raptásque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes.——

Vbi Seruius ex Lucano & Statio Papinio. Mortam prætere a vnam è Parcis nominatam tradidit Cesellius Vindex in suis Antiquis lectionibus referente A. Gellio libr. 3. cap. 16.

k *Timori.*] Plutarchus in Cleomene, de quo dictum suprà in verbo, Timore.

l *Misericordia.*] Pausanias li. 1. Diod. Siculus li. 13. Et è poëtis Statius illam magnificè describit lib. 12. Thebaidos, illis versibus.

Vrbe fuit media nulli concessa potentum Ara deûm.——

& Claudianus in bello Gildonico,

—— Flentibus aram.
Et proprium miseris numen statuistis Athenæ.

Id autem templum misericordiæ Athenis pro Asylo fuit, vt tradit Seruius Maurus ad Virgilium 8. Æneidos.

Hunc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum,
Retulit.——

m *Pudori.*] Xenophon in Symposio, & Pausanias li. 1. Hesiodus autem in ἔργοις καὶ ἡμέραις scribit, Pudorem cum Nemesi in cœlum rediisse, mutato aureo seculo: & Hesychius refert, Pudoris aram Athenis fuisse in Acropoli.

n *Famæ.*] Pausanias & Hesiodus prædictis in locis, & Plutarchus in Camillo, vbi & ei templum Romæ fuisse dedicatum tradit.

o *Appetitioni.*] Ibidem Pausanias: & videndus Cicero li. 1. de natura deorum.

p *Vitulinam.*] Vitolam legendum est ex Macrobio, aliorum authoritate scribente Saturnalior. lib. 3. cap. 2.

q *Paupertatis.*] Ex Arriano de gestis Alexandri, vbi rationẽ

 reddit,

Hercules Conopius. Apollo Culiciarius. Iupiter. Hippothonus. Apollo Erithybius, & Pornopion. Fortunæ cultus apud exteros. Sortes. Rhamnusios. Syri.

& [r] Senectæ, apud Gades sacella ostenduntur. & [s] Oetæi Herculem Conocium, ne prouinciam infestam culicibus redderet, venerati sunt. Nam culices Oetæi conopas vocant. Sicut de [t] Apolline Culiciario proditum est, qui in Attica colebatur, quòd infestos culices ex agris propulsaret, & [u] Hippothonus Iupiter apud Erythræos, & [x] Erythibius Apollo apud Rhodios habentur maximi Erythibiam enim Rhodij rubiginem dicunt. [y] Bœotij quoque Apollini Pornopioni sacra facere dicuntur, ne muribus prouinciam redderet obnoxiam. Apud eos enim mus pronopios nuncupatur. Et tametsi fortunæ præcipuum nomen Romæ fuerit, non minus tamen apud alios culta celebratáque est, Nam Ferentano in oppido, & in [z] Algido, atque [a] Antij, Equestris Fortunæ templum, & alterum [b] Præneste satis vetustum, & multa religione inclytum visebatur, vbi sub imagine [c] duarum sororum colebatur, ex quo consulentibus certa edi oracula putabant: vbi [d] Sortes primum à Numerio Suffio sitas fuisse fama fert, sicut [e] Lyciæ fons sortes antiquissimis characteribus, quibus futura prænoscuntur, emittere traditur. In Eubœa quoque Rhamnis vrbs fuit, in qua Fortunæ templum habebatur maximum, & multis cæremoniis sacrum. Præ cæteris autem [f] Syri fortunam impensius coluisse feruntur, cuius simulacrum ad Orontem summo ingenio & arte, vt Pausanias ait, à Sicyonio Eutychide effictum erat: sicut Athenis in Prytanio simulacrum ἀγαθῆς τύχης supra omnium sæculorum memoriam insigne colebatur.

ANNOTATIONES,

reddit, quòd ea ad artes comminiscendas industriam, & ingenium hominum exacuit. Aristophanes quoque in Pluto eius deæ meminit.

r *Senecta.*] Ibidem Arrianus.

s *Oetai Heculem Conopium.*] Strabo lib.13. Sunt autem qui non Conopium, sed Carnopium legant: quòd scilicet, Carnopas fugauerit, id est, locustas, quas illi κάρνοπας, vel ἀκρίδας vocant.

t *Apolline Culiciario.*] Ibidem Strabo.

v *Hippoconus Iupiter.*] Hic est error manifestus Alexandri, qui dum Strabonem ex iam dicto loco sequeretur, deflexit tamen à Strabonis verbis, quæ Latinè sic redduntur: Solent homines à paruis rebus nomina imposita, quibusdam lenimentis mitigare. Nam & à culicibus, qoos Otes Conopas vocant, Hercules Conopius apud illos colitur, quoniam eos ab iis liberarit. Apud Erythræos quoque Miliuntem habitantes Ipoctonos colitur: quòd ipsis vineis infestissimus sit: nam ex Erythræis omnibus apud illos solùm ea bestiola non gignitur. Hæc ille: ex quibus vides hic non semel errasse Alexandrum, tum quòd Hippothonus scripsit pro Ipoctono, tum quòd cognomen Ioui tribuit, quòd Herculis est.

x *Erythibius Apollo.*] Et hæc quoque ex Strabone: qui proximè dictis subiecit, Rhodij autem Apollinis Erythibij templum habent: hi Rubiginem Erythibam vocant.

y *Bœotij quoque, &c.*] Aliter Strabo, vbi suprà, Apud Aeoles, inquit, qui in Asia sunt, mus quidem Pornopion vocatur, Rhodij autem hoc modo culices vocant, & sacrum faciunt Apollini Pornopio.

z *In Algido.*] Nam & Liuius Decad. 3. lib.1. scribit supplicationem Fortunæ in Algido factam.

a *Antij.*] Cornelius Tacitus lib.3.

b *Praneste.*] Cicero li.2. de diuinatio. Plin. li.36. c.25. Strabo lib.5. Valerius Max. lib.1. c.1. Suetonius in Dominatio. cap. 15 & Liuius Decad.5. lib.2. post princ. vnde Silius ait,

—— Elisque dicatum Fortunæ Prænestina iugis. ——

& Lucanus lib.2.

—— Vidit Fortunæ colonos Prænestina suos. ——

Sed & Capuæ templum Fortunæ fuit, quod tactum de cœlo scribit Liuius 3. Decad. li.7. & apud Megarenses, ex Pausania li.1. & Corinthios & Arginos, ex eodem lib.2. & apud Phæacas, ex eod. lib.4. Item & Eleos, ex eod. lib.6. & Thebanos & Thespienses, ex eodem Pausania lib.9. diuersis locis. Item in vrbe Siciliæ Tyche dicta, quòd ibi phanum Fortunæ vetus fuit, vt refert Cicero in Verrem act.6.

c *Duorum sororum.*] Hinc Statius in Syluarum lib.1.

Et prænestinæ poterant migrare sorores.

d *Sortes.*] Cicero lib. 2. de diuinatione.

e *Lycia.*] Vide in lib. Primogeniorum, quæst.17. in 2. oppos.

f *Syri Fortunam.*] Pausanias libr.6. quo Eliaca describit.

Quoties opima spolia cæsis hostium ducibus Romam relata fuerint, & quoties Iani templum clausum sit, aliaque scitu non indigna. CAPVT XIV.

Prima spolia opima. Iouis Feretrij templum.

OPIMA spolia, [a] quæ regibus ducibusq; hostium cæsis, Ioui Feretrio in Capitolium ferebantur, ter solùm à Romanis ducibus, qui fortem strenuámq; operã reipublicæ nauarunt, delata fuisse comperimus. [b] Prima Romulus vrbis author & parens, de Acrone Ceninensium duce post raptas Sabinas detulisse fertur, quo tempore Iouis Feretrij templum dicauit. Fuere enim Ceninenses ex Sabinis, Latio propinqui, qui vnà cum Crustuminis & Antennatibus ob raptarum contumeliam contra Romanos primi sumpsere arma. Iouis vero Feretrij templum fuit in vertice Capitolini montis, exiguum sane & angustum, sed religione sanctum, & propter vetustatem longe primum. Neque magno pòst interuallo [c] Cornelius Cossus dux ea tempestate inclytus,

ANNOTATIONES IN CAP. XIV.

a *OPima spolia.*] Hoc ex Dionysio Halicar, lib.2. Liuio Decad. 1. libr. 1. & 4. & Sexto Pompeio libr. 13. & Propertio lib 4. Elegia 11.

b *Prima Romulus.*] Liuius d. libr.1. Valerius Maximus libr. 3. c. 2. Plutarchus & in Romulo & in Marcello Plinius de viris illustribus c.2. Solinus c.2. Hinc Ouidius libr.5. Fastorum, ab Ilia natum Romulum vocat.

—— Iliadem humeris ducis arma ferentem.

c *Cornelius Cossus.*] Liuius d. li.4. & Valerius vbi suprà. Plin. aut scriptor de viris illustribus cap.25. Plutarchus dictis in locis. Seruius lib.8. Æneid. ad illa,

Quis te magne Cato, tacitum aut te Cosse relinquat?

Ouidius præterea in Epigrammatis, apud Priscianum lib.5.

Larte ferox cæso Cossus opima tulit.

d *Veientes.*]

secunda detulit spolia de Larte Tolumnio, rege Veientum, quem acie vicit, & manu confecit.[d] Veientes enim gens Hetrusca fuere, cum quibus & Romanis multiplici bello, & propè assiduis cladibus, de imperio sæpe dimicatum est. Tertia [e] Claudius Marcellus manu strenuus & bonus Imperator, de Viridomaro Gallorum Duce seu Britomarto apud Clastidium victo, opima spolia reportavit. Cum Gallis enim & Romanis ad internecionem, & sæpe Marte atrocissimo dissensum est: sed hi Insubres fuere, accolæ, Alpium, qui post Senones arma contra, Romanos tunc & sæpe aliàs moliti sunt. [f] Feretrius verò Iupiter, vel à ferendo, seu feriendo dictus, quasi vt ducem dux feriret, se propitio & iuuante effectum sit: [g] Ex cuius æde, si quando fœdus ferire, aut pacem Feciales inire vellent, sicut ex Capitolina arce verbenam & gramen cum terra euulsum, ita lituum & lapidem silicem, quo fœdus percuterent, sumere mos erat. [h] Opima verò, vel ab opibus, vt ait Varro, vel ab iniecto opere, cum victoribus tantum laudis accesserit, nomina sumpsere: seu quod fidei propius est, opima ampla dici, sicut [i] opimam prædam, & [k] opimum bouem dicimus. Hæc nisi duces, regésque quorum auspicio res geruntur, suismet corporibus dimicantes, hostium ducibus detraxerint, necemque & exitium intulerint, haudquaquam opima dici voluere. Fuere, qui crederent Ioui Feretrio spolia opima, prima trecentis assibus: secunda Marti, octoginta: tertia Quirino, assibus centum, ex commentariis Numæ præmio constituto, fuisse consecrata. Sed admonuit me huius rei mentio, venitque mihi in mentem, id quod veterum monumentis extat, ter quoque [n] templum Iani, pacatis vndique populis, ocióque & pace compositis, quandiu Romana res stetit, clausum fuisse. Ex qua re coniectari licet, Romanos à gerendis bellis, & strepitu armorum, parum ocij & laxamenti habuisse, atque ideò militari vsu assiduo, manu promptos, fortésque bellatores euasisse. [o] Semel à Numa templum Iani clausum fuit, per id tempus quo Romæ regnauit, annis fere IIII. & XL. quo tempore Ianum ad infimum Argileti indicem belli pacísque consecrauit, cum populus Romanus tranquillam pacem ageret, & à belli tumultu homines ad deorum cultum curámque retraherentur. [p] Iterum post primum Punicum bellum, cum ad Ægades insolas nauali prælio contra Carthaginenses fœlici victoria pugnatum est, ab vrbe condita anno fere quinquagesimo, icto cum Carthaginensibus fœdere à Luctatio, Marco Attilio & Tito Manlio consulibus. Quo tempore diuturno bello fractis animis, vectigalis & stipendiaria populo Romano Carthago facta est, seb breui tempore: tertio [q] imperante Cæsare Augusto, post bellum Actiacum, Antonio & Cleopatra victis profligatísque, pace terra maríque parta, cum tot dissonas gentes nationésque societate & fœdere iunxisset: & à ciuili dissensione, assiduísque cladibus populus respirasset, & quietis imaginem somniasse visus foret. Qui tamen ter Ianum clausisse dicitur post Actiacam victoriam: primò, quo tempore Augustus fuit consalutatus: secundò, post Cantabricam: tertiò, cum à cunctis orbis partibus pace composuisset [r] Post quos Nero princeps, & deinde [s] Titus Cæsar, euersa Hierosolima, & bellis confectis, Iani templum clausisse feruntur. Quod quidem [t] templum ad infimum Argileti medium circa forum, contra Capitolium fuit, forma quadrata, haud multæ amplitudinis. Si-

Secunda spolia opima. *Tertia spolia opima.* *Feretrius Iupiter vnde.* *Opima spolia vnde dicta.* *Iani templū quoties clausum.* *Carthago vectigalis populi Rom.* *Templū Iani.*

ANNOTATIONES.

[d] *Veientes.*] Liuius vbi nuper, & lib.5. eiusdem Decad.1. & Valerius Maximus lib.1.c.8.

[e] *Claudius Marcellus.*] Virgilius 6. Æneid.

Aspice vt insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victórque viros supereminet omnes.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet pœnos, Gallúmque rebellem:
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

Quibus adde Plutarchum vbi suprà, & Florum Epitome lib. 20.

[f] *Feretrius verò Iupiter.*] Plutarchus in Romulo, Festus lib. Propertius Eleg. 11. lib.3. in fin. ait,

Nunc spolia in templo tria condita, causa Feretri,
Omine quòd certo dux fuit ante ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant.
Hinc Feretri dicta est ara superba Iouis.

[g] *Ex cuius æde.*] Liuius 1. Decad. lib.1. & 3. Decad. lib.10. ad fin.

[h] *Opima verò.*] Festus lib. 13.

[i] *Opimam prædam.*] Cicero in orat. pro Roscio Amerino, Horatius Epodōn ode 10.

[k] *Opimum bouem.*] Varro rei rusticæ lib.3. c.1. & Cicero lib. Academ. quæstionum.

Quorum auspicio res geruntur.] Neque enim alij opima Ioui Feretrio ponebant, ex Liuio Decad.1. lib. 4. vbi: ... rùm, inquit, præterquam quod ea ritè opima spolia ... ntur, quæ dux duci detraxerit, nec ducem nomines, cuius auspicio bellum geritur. Valerius Maximus lib.3. ... de T. Manlio Torquato, & aliis seq. Plutarchus in Marcello, Obtinebat, ait, tum opinio ea tantum opima esse spolia, quæ prima in agmine dux duci detraxisset. Dio lib. 51. de M. Licinio Crasso, Bastarnas, inquit, cecidit, ac regem eorum Deldonem interfecit, Ioui Feretrio opima spolia relaturus, si ipse suis auspiciis non Cæsaris rem gessisset.

[m] *Fuere qui crederent.*] De cæteris Plutarchus, paulò tamen aliter, qui sic in Marcello scribit, Numam Pompilium in commentariis prima secunda & tertia nominasse opima traditum esse: primáque capta Ioui Feretrio; Secunda, Marti; Tertia Quirino consecrari iussit: primo asses trecentos, secundo octoginta, tertio centum præmium esse constituit. Seruius autem ad 6. Æneidos tradit Numam præcepisse prima opima spolia Ioui Feretrio debere suspendi, quod iam Romulus fecerat. Secunda, Marti: quod Cossus fecit. Tertia, Quirino: quod fecit Marcellus.

[n] *Templum Iani.*] Ex Varrone lib.4. de lingua Latina. Plutarcho de fortuna Romanorum L. Floro lib. 4. Epitomarum, ad fi. Seruio, ad illud 1. Æneid.

Aspera iam positis mitescent secula bellis.

[o] *Semel à Numa.*] Ex Liuio Decad.1. lib.1.

[p] *Iterum post.*] Paulus Orosius lib.4. c.10.

[q] *Imperante Cæsare Augusto.*] Idem Orosius lib.6. c. 20. & Suetonius Augusti, c.22.

[r] *Post quos Nero.*] Suetonius in eo. c.14.

[s] *Titus Cæsar.*] Nihil de hoc Suetonius, Aurelius Vilius Victor, Eutropiusve tradunt, tu amplius videris. Ego reperio post Maxentij exitum Constantium Iani quoque templum clausisse, apud Ammianum Marcellium lib.16.

[t] *Templum ad infimum Argileti.*] Liuius Decad.1. lib. 1. de Numa,

quidem cum Iani simulacrum & aram tecto clausisset, non multum vltra spatij occupauit. Et sicut [u] duplici facie & bifrons effingebatur, sic [x] binis vtrinque foribus munitum erat, vt alteris orientem solem, alteris occidentem prospectaret. Ipsum deinde [y] ad forum transitorium translatum memorant, [z] captisque Faleriis, quatuor portarum fuisse extructum, quod Iani simulacrum cum frontibus quatuor, multo æuo vetustum, ibi eruptum fuisse dicerent. Aliud quoque Iani templum [a] ad forum olitorium conspicuum fuit: quod Cn. Duillius, qui triumphum naualem egit, primus extruxisse fertur. [b] Ad hoc templum, bellum suscepturus consul, frequenti senatu, primoribus patrum ac militibus comitatus, accedebat. Ipse [c] incinctus ritu Gabino, solemni more fores templi recludebat. Is verò amictus erat toga super tergum sic reiecta, vt lac nia reuocata hominem cingeret: Qui habitus vestitusque ex eo sumpsit ortum, quod Gabini cum operarentur sacris repentino hostium incursu, vt erant incincti zonis, ab aris ad prælium profecti, insignem de hoste tulere victoriam. Quod compar fuit cum eo quod de Pausania autores produnt, qui cum extra militum stationem sacrum faceret, Lydos repente incurrisse, & sacrificij apparatum disiecisse, ipsúmque & comites, vt erant inermes, loris prosecutos Lydos fugasse: inde institutum mansisse, vt [d] Lacedæmonij in ephebos flagris desæuirent. [e] Inde è Culumella, quæ pro Bellonæ templo sita erat, hastam consul iaciebat: sicque acerrima bella & maxima pro aris focisque proque imperio indicebat. [f] Eius verò simulacrum cum clauis effingebatur & virga: dextra, trecentenarij: sinistra, sexagenarij quinarij numeri figuram, quot diebus annus terminabatur, manu significans: quippe [g] veteres gestu manus, modo dextræ, nunc sinistræ, & digitorum depressione, aut circumflexione, sæpe annos dinu-

Templi Iani descriptio. *Belli suscipiendi ritum.* *Toga Gabina.* *Belli indicendi ceremonia.* *Iani simulacrum.* *Numerare gestu manus.*

ANNOTATIONES.

Numa, mitigandum ferocem populum armorum desuetudine rato, Ianum, inquit, ad infimum Argiletum pacis bellique fecit, apertus, vt in armis esse ciuitatem: clausus, pacatos, circa omnes populos significaret. Bis deinde post Numæ regnum clausus fuit: semel T. Manlio consule, post Punicum primum perfectum bellum: iterum (quod nostræ ætati Dij dederunt vt videremus) post bellum Actiacum, ab Imperatore Cæsare Augusto pace terra marique parta.

u *Duplici facie & bifrons.*] Sic & Ianum bifrontem dixit Virgilius Æneid. lib. 7. vbi,

Ianique bifrontis imago. ——

& lib. 12.

Latonæque genus duplex, Ianúmque bifrontem.

Quare autem ita dictus sit, disces ex Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 7. & Plutarcho in numa Pompilio.

x *Binis vtrinque foribus.*] Quod Ianum diei domiorum putarent, in quo ortus & occasus, vnde Horatius dicebat,

Matutine pater, seu Iane libentius audis.

In eius templo binas portas fecerunt, vt Seruius refert, ad illud Virgilij libr. 7. Æneidos, quod aliò binorum forium constitutionem trahit,

Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione sacræ & saui formidine Martis.

y *Ad forum transitorium.*] Captis Faliscis, ciuitate Thosciæ, inuentum est simulacrum Iani cum frontibus quatuor. Vnde quod Numa templum instituerat, translatum est ad forum transitorium, & quatuor portarum vnum templum est, institutum ait Seruius, prædicto loco. Dictum autem fuit forum transitorium, ex quo ad forum Romanum primò, deinde & ad forum Cæsaris & Augusti, transitus pateret: habuit autem cum tempore pro transitorio, fori Neruæ appellationem.

z *Captisque Faleriis.*] Seruius meus Faliscos appellat: illis tamen vtraque appellatio conuenit, apud Liuium Decad. 1. lib. 5. vbi promiscuè Faliscos, quos & alibi Phaliscos, Falerios nuncupat. Sed idem lib. 10. Faliscum vocat agrum, & Falerios oppidum innuit. Inde verò hoc loco velim Faleriis legi, pro Etruscis sic dictis. Neque enim exaudiendi sunt Falerij à Phalera, quæ in sinu Maliaco fuit, vt est apud Liuium Decad. 3. lib. 7. ab eodem Phalara nominata. Decad. 4. lib. 5. Neque item Falerij à Faleria Thessaliæ, de qua idem Liuius Decad. 4. lib. 2.

a *Ad forum olitorium.*] Iani templum hoc loco dedicatum à Cn. Duillio hic ait, & C. tribuit, quod Cn. debuit adscribere: qui quidem Consul aduersus classem Pœnorum prospere pugnauit, primúsque omnium Romanorum Ducum naualia victoriæ duxit triumphum, ait L. Florus Epitome Liuij lib. 19. & D. Hieronymus in Iouinianum lib. 1.

b *Ad hoc templum.*] Vereor ne non verum sit quod Alexander hic ait: sic enim Virgilius habet lib. 7.

Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione sacræ, & saui formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternáque ferri
Robora, nec custos absistit limine Ianus.
Has, vbi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabea, cinctúque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul.
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cætera pubes.

Quæ templo Iani de quo suprà in verbo. Ad forum transitorium, diximus accommodata, illique ad forum transitorium, huic aptari minimè possunt, mallem igitur legi, ad illud templum.

c *Incinctus ritu Gabino.*] Fortasse voluit dicere, cinctu: neque enim Gabiorum mos quod fuerit cinctos pugnare, dicitur cinctus Gabinus: sed eo quòd cum Gabij ciuitas Campaniæ sacris operaretur, bellumque subitò venit: tunc ciues accincti togis suis, ab agris ad bella profecti sunt, & adepti victoriam. Vnde hic ortus est mos apud Romanos consules cingendi Gabino cinctu, toga scilicet in tergum reiecta, vt vna eius lacinia à tergo reuocata hominem cingat, sicut refert Seruius ad Virgilium. Incinctum autem cinctu Gabino consulem pugnaturum Liuius lib. 8. Decad. 1. testis est, de Decio loquens ibi, Ipse incincta cinctus Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios immisit.

d *Lacedæmonij in Ephebos.*] Ex Lycurgi legibus Lacedæmones à pueritia passim verberibus assuescebant, vt vitæ duritate vtiles publicis rebus redderentur: sicque Flagratorum è ingenois Lacedemoniis meminit. Et Tertullianus in epistola ad Martyres. Eodem pertinent quæ Seneca in libro de Diuina prouidentia scribit, Nunquid tu inuisos esse Lacedæmonis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publicè verberibus admotis? Ipsi illos patres adhortantur, vt ictus flagellorum fortiter proferant, & laceros ac semianimes rogant, perseuerent vulnera præbere vulneribus, &c.

e *Inde è Columella.*] Festus Pompeius lib. 2. vbi de Belloaa loquitur.

f *Eius verò simulacrum.*] Id est, Iani: ad illum enim Tacitus reuertitur, estque id ex Plinio lib. 34. c. 7. post princ. & Macrobio lib. 1. c. 5.

g *Veteres gestu manus.*] De huiusmodi computatione digitorum Plautus in Milite, Act. 2. scena 2.

Dextra digitis rationem computat. ——

Item & Cicero lib. 5. ad Atticum. Plinius lib. 34. c. 7. vbi de Iani

erarunt, Siquidem digitus minimo proximus complicatus, senarium ostendit numerum: circum-are digitos sinistra, modo decem, nunc triginta: palma porrecta, X L. superiore verò digito de-tesso, L X. significari traduut: Centenarium verò numerum de sinistra transferri in dextram: & isdem digitis quibus in læva, sed non eundem numerum designari. Aliusque gestus alios numeros guravit. [h] Nonnulli Ianum ita effinxere, vt in dextra T. notam haberet C C C. in sinistra verò, Z, E, XV. denotarent, Cui etiam duodecim aras (quot mensibus annus claudebatur) Romæ dicatas [i] Varro significat: sicut [k] in agro Larissæo iuxta Magnesiam, portus Achinorum duodecim habuisse ras: & [l] iuxta Ilium Lecti ara xij diis dicata ferebatur. [m] Dionysius Tyrannus iunior, vt notam dierum totius anni traderet, in Prytaneo Tarentino fixit candelabrum, in quo tot succendebantur lichoi quot anni dies erant. Persici quoque reges, trecentos sexaginta quinque iuuenes puniceis velatos miculis, pro numero dierum totius anni qui lateri adstarent, promptos & expeditos habuere. [n] Ipse utem cum solennia exhibentur, in præfatione sacrorum, varijs ominantur nominibus. Nam & Geminus, [p] pater, Iunonius, [q] Consiuius, Quirinus, [r] Patutius, & [s] Flosius, pro multiplici potestate dicebatur. Cuius [t] in foro statua triplex fertur fuisse: ad vnam conuenire creditores, ad alteram qui fœnus redderent, ad tertiam qui locarent. Sed præter Iani templum, quod pacatis vndique populis claudebatur, fuit [u] Romuli templum in Quirinali, omni tempore clausum, quod patefieri non decebat: quasi arcanum haberi vellent, an humo tectus, an inter diuos relatus fuerit. tametsi Varro post Rostra Romuli sepulchrum fuisse dicat: quod inter antiquissima vrbis monumenta adnumeratur. Ante cuius ædem, [x] testante Plinio, duæ myrti fuere: vna patritia, altera plebeia: quæ o augmento vel damno senatorij ordinis vel plebij, modo fœcunde redundabant, nunc detrimento languebant. [y] Apud Heleos Plutonis templum semel annis singulis aperitur, & quamuis patens,

Iani diuersa nomina. Iani triplex statua in foro Romano. Romuli templum semper clausum. Myrthi dua ante Romuli templum. Plutonis templum.

ANNOTATIONES.

i statua. Iuuenalis Saty. 10. vbi de Nestore loquitur, em ferunt tres ætates vixisse.

Fælix nimirum qui per tot secula mortem
Distulit, atque suos iam dextera computat annos.

m & Plutarchus in Apothegmatis, vbi de Oronte gis Attaxerxis genero. Quintilianus lib. 11 & lib. 11. c. 3. od est de pronunciatione. Tertullianus in Apologetico. crob. lib. 1. Saturnal. c. 5. & Horusapud eundem Saturnal. .7. Apuleius in 2. Apolog. Boëtius in Porphyriũ, & Cassiodorus in quadam ad ipsum Boëtium epistola. Donatus Adelphos Terentij, D. Hieronymus in Iouinianum, lib. on longè ab initio: & nonnihil in epistola ad Geron-n de Monogamia. Prætetea & Beda & Isidorus & Iulius nicus Maternus, quædam de his tractauerunt: vt antè ander in Græcorum Epigrammatis, in Cocytarim anum uius computationis meminit. Ex omnibus Cælius Rgo-inus lib. 13. cap. 12.

Nonnulli Ianum.] Id reprehendit Lilius Gregorius, Gyus. historiæ deorum Syntagmate 4. ex autoritate Suidæ. vide Plinium lib. 34. c. 7. & Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 5. arro.] In lib. 5. rerum humanarum apud Macrobium d. Sed aliter air Fabius Pictor, si is est autor libri qui eius nine circunfertur.

n agro Larissæo.] Ex Strabone lib. 13.

ixta Ilium.] Ibidem Strabo, Iuxta, inquit, Amagizeum quoque X I I. deorum, quam Agamem non construxit, ti ostenditur. De altera autem barum, ni fallor, loquitur odotus lib. 2.

Dionysius Tyrannus. Euphorion in historicis commenta-& ex eo Athenæus, lib. 15. c. vlt.

se autem.] Id est Ianus: nam ad eum reuertitur, vt ex in-tribus liquet,

minus.] Macrobius d. cap. 5 huius appellationis & cærum rationem reddit, & Lampridius in vita Commodi. ater.] Pater cum generale sit omnium deorum, vt ait tius ad 2. Georgic. Virgilij in princ. & cuiusque proum Epitheton, vt idem ait ad 1. Æneid. ibi.

em pater Æneas. ——

1 eiusdem lib. 3. ibi,

a pater angurium. ——

tum est in votis Iano accommodari, vt ex Liuij lib. 8. ad. 1. sciri potest, ibi, Iane, Iupiter, Mars pater sed extra vt apud Virgilium,

anc Ianus pater, hanc Saturnus condidit vrbem.

q *Consiuius.*] Macrobius dicto c. 5. vbi & cætera cognomina Iani explicat, de hoc sic habet, Consiuius, à conserendo, id est, à propagine generis humani, quæ Iano auctore conseritur.

r *Patutius.*] Patulcius legendum ex Ouidio libr. 1. Fastorum ibi.

Nomina ridebis, modò namque Patulcius idem,
Et modò sacrifico Clusius ore vocor.

Ad idémque Macrobius vbi suprà.

s *Flosius.*] Legendum Clusius ex Ouidio & Macrobio, nisi & ibi mendum sit.

t *In foro statua triplex.*] Liuius Decad. 5. lib. 1. non longè à fine, Forum, inquit, porticibus tabernisque claudendum, & Ianos tres faciendos P. autem Victor, in 8. Regione vrbis quæ Forum Romanum est, Iani, inquit, duo celebris mercatorum locus. Quò spectat illud Horatij,

Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est. ——

Vbi Acron Iani, inquit, statuæ tres erant, ad vnam illarum solebant conuenire creditores, & fœneratores, alij ad reddendum, alij ad locandum fœnus. A quo vt vides, Alexander hunc locum accepit. Sed & Porphyrion ibi, Omnes, ait, ad Ianum in Basilica stabant fœneratores. Sed eodem respicit illud eiusdem Horatij lib. 1. epistola 1.

—— *Hæc Ianus summus ab imo*
Perdocet. ——

Vbi Acron, duo Iani ante Basilicam Pauli steterunt, vbi locus erat fœneratorum. Quibus Porphirion inibi subscribit: & ad eundem Horatium lib. 2. Sermo. Satyra 3. haud multum à principio.

u *Romuli templum.*] Dionysius Halicarnassæus idem & Plutarchus in vita Romuli.

x *Testante Plinio.*] Lib. 15. cap. 29. vbi ita insit, In delubro Romuli sacræ furre myrti duæ, ante ædem ipsam per longum tempus, altera Patricia appellata, altera Plebeia. Patricia multis annis præualuit, flaccescente Plebeia, exuberans ac læta; quandiu senatus quoque floruit, illa vigens, Plebeia retorrida ac squalida. Quæ posteaquam eualuit flaccescente patricia Marsico bello, languida authoritas patrum facta est, ac paulatim in sterilitatem emarcuit maiestas.

y *Apud Heleos.*] Eleos legendum est: neque enim vlli Helei sunt: & id quoque retulit Liuius Gyraldus de diis Gentium, Syntagm. 17. vbi nec vllum authorem citat, tu apud Pausaniam videas.

z Corinthi

Necessitatis & Violentiæ sacellum. Ianus cur & belli & pacis index.

nulli ingredi fas erat.[a] Corinthi quoque Necessitatis & Violentiæ phanum fuisse ferunt, à cuius limine arcentur omnes. Contrà verò,[a] ædem Horæ perpetuò apertam Romani voluere, illiúsque aditum patere omnibus.[b] Cur autem indicem belli pacísque Ianum potissimum ferant, variata memoria est. Sed tametsi in diuersum autores trahant, illa nobis ratio potior & præstabilior visa, quòd cum sub præside Iano temporum ratio vicésque habeatur, ideóque & bifrontem fingi, & tā anni principium, quàm finē Iano dicari conuenerit. Si temporū qualitas, siue bellum, siue pax futura esset sub ipsius præsidio & tutela foret. Apertus, vt omnia hostilia esse, & cuncta bello ardere, velut cōtra hostes profecto deo: clausus verò, tranquilla pace vigere, & ab armorum strepitu procul esse designaret.

ANNOTATIONES.

a *Corinthi quoque.*] Pausanias lib. 2. qui de Corinthiacis est.
a *Ædem Horæ.*] Plutarchus Problem. 45.
b *Cur autem indicem.*] Idem in Romulo, & Seruius ad 7. Æneid. Virgil.

Verbum liberorum & parentum, in edictis prætorum quos comprehendat, & an ad omnes in infinitum extendatur. Capvt XV.

IN edicto prætoris de in ius vocando, scriptum est:[a] Prætor ait, parentem, patronum, liberos parentésque patroni patronæve, in ius sine permissu meo ne quis vocet. Quærebatur apud iuris studiosos, qui tunc animo vacuo & soluto in foro conuenerant, cum prætor coerceat hoc edicto illos, qui se prius non adito, parentem aut patronum, parentésve, aut liberos patroni, in forum vel iudiciū traxerint, num is qui auum paternum, qui supra parentē est, vel qui nepotes, patroni, aut pronepotes, qui inferiores sunt, sine permissu prætoris in iudiciū vocarit pariter in edictum committat, perindéque mulctandus & coercendus pœna sit. Quod est dicere, num parentis nomine, aut liberorum, superiores supra patrem, aut inferiores vltra filios comprehendantur edicto. Anceps quæstio fuit inter veteres iurisperitus, & diu in vtramque partem agitata, plerisque arbitrantibus in consularibus edictis, & tribunitiis rogationibus tanquam diuersa dici, liberos nepotésque. Multis contra opinantibus, maximéque antiquorum opinionem probantibus, qui censuerunt parentis nomen ad tritauum vsque extendi: liberos verò, ad trinepotes: vltra hos, posteriores nuncupari: ex ascendentibus verò, maiores. Nos postea cum in legum controuersiis versaremur, admodum eleganter in[b] Cassij commentariis in hanc sententiam scriptum definitúmque inuenimus: qui legem duodecim tabularum interpretatus, tam in senatusconsulti, quàm prætorum edictis nomen parentis ad superiores, & liberorum ad inferiores, ad vtrumque sexum, & in infinitum extendit. Nec modo liberorum, sed[c] natorum nomen ad idem produci:[d] liberósque habere non eum dici solum, qui plures, sed qui vnicum habeat filium. In cuius sententiam reliquorum iurisperitorum opiniones postea concessere. Caius tamen[e] Caligula quum nullum rapinis modum faceret, posteros non vltra filios extendi, nequiter cauillatus est.[f] Lampridius verò in Alexandri vita à vulgi sermone non diuersus parentis nomine non superiores modo, sed cognatos affinésque comprehendi censuit. Ex quibus sine controuersia liquet id de quo verbis disceptabatur, pari mulcta afficiendum, qui auū paternum, qui supra parentem est, vel patroni nepotes, qui inferiores sunt, in forum vel iudicium traxerit, quàm qui parentem, aut patronum, vel patroni filios, inconsulto prætore in iudicium vocauerit.

Liberos habere qui dicatur.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

a *PRætor ait.*] Sunt verba l. 4. §. prætor. ff. de in ius vocan.

b *Cassij Commentariis.*] Caij Cassij mentio est d. l. 4. §. parentes. l. appellatione parentis. ff. de verb. sign. iurisc. §. parentes. de grad. affinit. Eodem Pompeius Festus lib. 14 parens inquit, vulgò pater aut mater appellatur, sed Iurisprudentes auos & proauos, auias & proauias, parentum nomine appellari dicunt.

c *Natorum nomen.*] Ex Modestino l. natorum. de verb. signifi. cui nonnihil aduersatur illud Virgilij 3. Æneid.

Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

d *Liberósque habere.*] L. non est sine liberis. & l. seq. dicto titul. cum similibus, quas collegi in comment. l. si vnquam. verbo susceperit liberos, num. 241. C. de reuocand. donat.

e *Caligula.*] Suetonius in illius vita c. 38. Negabat, inquit, Iure ciuitatem Romanam vsurpare eos, quorum maiores sibi posterísque eam impetrassent, nisi filij essent: neque enim debere intelligi posteros vltra hunc gradum.

f *Lampridius.*] Eius verba sunt, Amicos & parentes, si malos reperit, aut puniuit, aut si vetus amicitia, vel necessitudo non siuit puniri, dimisit à se dicens, His charior est mihi respublica. Sed tu adde alios multos in eadem significatione hac appellatione vsos, quos videbis in nostris commentariis Retractuum titul. 1. §. 1. gloss. 8. in verbo, *Le parent.*

Quæ & quot curiæ Romæ fuerint, & verbum curia sine adiectione nominis, quam curiam designauit.

Capvt XII.

DEAMBVLABAM aliquando Romæ cum Pomponio Læto, viro literarum & locorum veterum exequentissimo. Cúmque antiquitatis studio ruinas vrbis & veterum monumenta, quicquid visendum esset & memorabile, scrutaremur: in ruinis templi Pacis grandioribus literis extantibus,

xantibus, effractum ibi marmor legimus hac inscriptione: [a] INCVRIA HOSTILIA. Quærebat à me Pomponius, vbinam curiam Hostiliam quondam fuisse crederem? Cúmque me arbitrari apud Rostra Hostiliam curiam fuisse, ibique [b] Tullum Hostilium regem curiam iuxta Rostra construxisse (authore Varrone) respondissem, [c] Rostra autem in foro esse Romano: siquidem ex rostris nauium, Antiatum, suggestum in foro extructum legimus: in quibus [d] clarorum virorum imagines, qui reipublicæ nauarunt operam, pro immortali gloria sæpe statui & coli solebant. Fuisséque [e] duorum generum curias: vnum, in quo sacerdotes res diuinas, sacra, & cæremonias, cuiúsque deorum curarent: alterum: vbi senatum de rebus publicis,& ad populum pertinentibus consulerent. Quid tu, inquit Pomponius, cum simpliciter curiam nulla cognominis adiectione apud authores legimus nominari, de qua intelligi oportere censes? [f] Statuam enim Porsennæ accepimus iuxta curiam fuisse: sed de qua intelligi deceat, non sane definitum est. Nam & [g] Calabram curiam legimus iuxta Capitolium, quæ casæ Romuli fuit proxima, quam sine calatione aperiri non licuisse scribit Varro. Et [h] veteres curias, vbi pontifices de sacris sacerdotiísque, & religione deorum, deque cæremoniis consulébant. Et [i] Pompeij curiam, [k] in qua senatus frequens est haberi solitus, ibique [l] Iulius Cæsar idibus Martiis coniuratorum manibus oppressus interiit. Et aliam cognomento [m] Pompilianam, nouitia denominatione: & Diui Iulij, quæ [n] Iulia dicta est: & Augusti curiam, quam in comitio ipsum consecrasse memorant: in quibus [o] templa per augures, ne prophana essent loca, néve edicta senatusconsulta irrita forent, inaugurata fuere. Et [p] Gerusiam, quæ seniorum dicta, [q] Octauiæ, sicut Leucadiam ac Saliorum: siquidem Salij propriam habuere curiam. Atque omnes denique curias suis [r] nominibus notatas definitásque videmus. Sed quia nullo nominis cognomento frequenter curiam apud authores legimus, de qua intelligi conueniat, equidem dubito. Tamen si me opinio non fallit, inquit Pomponius, memini [s] Asconium Pedianum dicere, Rostra ad comitium, prope iuncta curiæ fuisse: nulla propria denominatione exprimens curiam, licet aliò translata, & noua postmodum facta sit. Ex hoc arbitror, inquit, id quod necessario redundat, cum in rostris olim curia Hostilia fuerit, vt Varro & authores tradunt: cum simplici nomine curiam absque cognomento enunciari videmus, antequam aliò translata foret de Hostilia, quam ibi legimus fuisse, intelligi oportere. Ad hanc curiam ad dextram supra comitium [t] Græcostasis erat, statio legatorum exterarum gentium [u] & nationum. Ad quam si iniuriam questi venirent, aut mandata haberent, accedentes præstolabantur, & subsistebant. [x] Athenis multiplices fuere curiæ, inter quas Cholargea præcipuæ nominationis, quòd inde Pericles oriundus foret: & [y] Phylaidarum, ex qua Pisi-

Curia duorum generũ. *Calabra curia.* *Curia per se quid sibi velit.* *Græcostasis.* *Curia multiplices Athenis.*

ANNOTATIONES.

SVper hoc capite vide Varronem lib. 4. linguæ Latinæ, & Plutarchum in Romulo, & Pompeium Festum lib. 3. in verbo, Curiæ, & lib. 12. in verbo Nouæ curiæ: & ex recentioribus Lasium in commentariis Reipublicæ Romanæ lib. 12. c. 3.

a *In curia Hostilia.*] De hac Liuius Decad. 1. lib. 1. & iterum lib. 5. & Valerius Maximus lib. 9. c. 5.

b *Tullum Hostilium.*] Idem Valerius vbi suprà, & Liuius d. lib. 1. & 8. Decad. 1. Varro lib. 4. de lingua Latina. Nam & Asconius Pædianus in Milonianam scribit, rostra ante sua tempora fuisse ad Comitium, propè iuncta curiæ.

c *Rostra autem.*] Liuius d. lib. 8. & Plinius lib. 3. cap. 5.

d *Clarorum virorum imagines.*] Liuius Decad. 1. lib. 4. scribit, Legatorum qui Fidenis cæsi erant, statuas publicas pro Rostris positas fuisse.

e *Duorum generum curias.*] Varro dicto libr. 4. & Festus d. lib. 12. in verbo, Nouæ curiæ.

f *Statuam enim Porsennæ.*] Seruius lib. 8. Æneidos ad illud,
Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
Accipere. ———
Vbi Porsenna miratus Chloeliam virginem, rogauit per literas Pop. Romanum vt ei aliquid virile decerneretur: cui data est statua equestris, quam in Sacra via hodiéque conspicimus, ait ille. Quæ quidem verba non Porsennæ, sed eius postulatione Chloeliæ datam statuam intelligenti significabunt: sicuti Liuius lib. 2. & author de viris illustribus scribunt. Aut igitur conniuentibus oculis Seruium nostrum Alexander hîc secutus offendit, aut aliunde transcripsit hæc de Porsenna, quæ vix reperies.

g *Calabram curiam.*] Plinius lib. 34. c. 6. Idem Seruius ad illud 8. Æneid.
Romuleóque recens horrebat regia culmo.
Scribit Romulum culmis texisse curiam, ad quam calabatur, id est, vocabatur Senatus & populus à rege sacrificulo, vt ludorum & sacrificiorum prænoscerent dies. Idem fere Macrobius lib. 1. Satur. c. 15. & Festus lib. 3. verbo, Calabra.

h *Veteres curias.*] Varro d. libr. 4. & Festus d. libr. 3. Curiæ, inquit, nominantur in quibus vniuscuiusque partis populi Romani quid geritur, quales sunt hæ in quas populum Romulus distribuit, numero triginta, quibus postea additæ sunt quinque: de quibus idem Pompeius lib. 12. ibi, Nouæ curiæ. Veteris autem curiæ & Tacitus lib. 12. meminit.

i *Pompeij curiam.*] Suetonius in Iulio Cæsare, cap. 80.

k *In qua senatus.*] A. Gellius lib. 14. c. 7.

l *Iulius Cæsar.*] Cicero lib. 2. de diuinat. Plutarchus in vita Bruti. L. Florus ex Liuio Epitome, 116. Appianus autem lib. 2. Bellorum ciuilium scribit illum cecidisse mortuum in conspectu statuæ Pompeij.

m *Pompilianam.*] Flauius Vopiscus in vita Aureliani.

n *Iulia dicta.*] A. Gellius d. c. 7.

o *Templa per augures.*] Idem ex Varronis epistola ad Oppianum scripsit, nisi in loco per Augures constituto, quod templum appellaretur, Senatusconsultum factum esset, iustum id non fuisse, &c.

p *Gerusiam.*] Varro lib. 4. de lingua Latina, Festus lib. 7.

q *Octauiæ.*] Plinius lib. 35. cap. 5.

r *Nominibus notatas.*] Inter cæteras Syllæ curia Plinio lib. 34. c. 6. Tifata, & Titia, Festo Pompeio, lib. 18. & nouæ curiæ lib. 12. eiusdem.

s *Asconium.*] In Ciceronis orationem pro Milone.

t *Græcostasis.*] Varro d. lib. 4. Cicero ad Quintum Fratrem, Epistola 5. lib. 2. Plinius lib. 33. c. 1.

u *Et nationum.*] Varro vbi suprà: Ante Curiam Hostiliam, rostra, cuius id vocabulum ex hostibus capta fixa sunt rostra. Dextra à Comitio locus substructus, vbi legati nationum subsisterent, qui ad Senatum essent missi.

x *Athenis.*] Plutarchus in Pericle.

y *Phylaidarum.*] Idem in Solone

z *Prytanion.*]

Prytanion. ſtatus:& alia magiſtratuum curia,vbi iura dabant, quod [z] Prytanion dictum eſt.[a] Megarenſes verò cum eorum curiam,in qua Timalci tumulus fuit,inter mira & memoranda ducerent,tanquam quid viſendum & mirificum, propter maximas ſubſtructiones Marco Antonio oſtendiſſe dicuntur. Mox ſciſcitantes quid de illa ſentiret, arbitrati miris illam laudibus eius teſtimonio celebrari, futilem & nullius penſi iudicauit. Cui haud abſimile eſt quod [b] de Chiis proditur: qui cum ex Chio marmore verſicoloribus maculis,vrbis muros tanquam quid mirum Ciceroni oſtentarent:magis mirum fuiſſe *Ciceronis dictum.* ſi ex Tiburtino marmore illos conſtruxiſſent,allegauit.

ANNOTATIONES.

z *Prytanion.*] Idem in Theſeo. Sed & in eodem loco aut alio cognomine,alebantur publico ſumptu,qui bene de republica meriti erant. Cicero lib.1.de Orato,de quo & Liuius Decad.5.lib. 1. Fuit autem & Prytanium Siphniis ex Pario lapide conſtructum,apud Herodotum lib.3.& aliud in Acradina ciuitate Siciliæ. Sed & aliam curiam fuiſſe Athenis,repeties apud Pauſaniam lib.1.

a *Megarenſes*] Plutarchus in vita Antonij.

b *De Chiis proditur.*] Ex Plinio libr. 36. cap. 6. cuius verba ſunt;Primùm,vt arbitror,verſicolores iſtas maculas Chiorum lapidicinæ oſtenderunt,cum extruerent muros,faceto in id M.Cicerone ſale,omnibus enim oſtentabant,vt magnificum; Multò,inquit,magis mirarer,ſi Tiburtino lapide feciſſetis. Illud denique vice auctuarij ſuperioribus addito, quod habet Andræas Fuluius Antiquitatum vrbis lib. 4. cap.38.

Quæ fuerint Romanarum tribuũ nomina,& vnde dictæ denominatæq́ſint:& quæ apud exteros celebrentur.

CAPVT XVII.

Ro. populus in tres tribus diuiſus. Curia. Decuria. Decuriones. Iuno Menſalis & Quiritia. TRibus Romanas, [a] quas quinque & triginta fuiſſe conſtat,[b] vnde dictæ,quæque ſingulis nomina fuerint,quia ſub obſcura quæſtio eſt,nec ſatis obuia,in Veſuuino meo,dum ruri agerem,indagare viſum fuit. [c] Romulum vrbis conditorem, in tres tribus populum diuiſſe,Titienſem à Titio, Rhamnenſem à Romulo,& Lucerem à Lucumone: ſingulifque illarum Tribunos præfeciſſe,& quamque tribum in [d] decem curias partitum eſſe, illiſque curiones præpoſuiſſe, ita vt triginta eſſent curiæ,[e] Dionyſius author eſt. Rurſuſque ſingulas curias in decurias,præfectos illarũ decuriones dixiſſe,vt in ſua quiſque curia ſacra facerent,ſuamque arã haberent:vbi Iuno [f] Menſalis,quæ [g] Quiritia dicta eſt,colebatur:feriáſque [h] obſeruarent,ac ex raptarũ nominibus decuriis nomina fuiſſe,multi aſſeuerãt.[i] Tullus verò Hoſtilius in honoribus & magiſtratibus dandis feciſſe dicitur turmas,ſicut erant [k] Athenis curiæ, quæ vice tribuum rogarentur.[l] Aucta mox ciuitate,& latius propagato imperio,tribus ſimul conſtitutas,& numero auctas,vt poſtremo quinque & triginta fuerint. Ac ex locis quibus duxere originem,aut à conditoribus nomina tuliſſe authores traduntur:ita vt [m] poſt pugnam cum Latinis ad Regillum lacum,tunc primum triginta vnam tribus Romæ factas inueniamus. Aſcitis deinde nouis ciuibus,ad quinque & triginta illas propagaſſe facile crediderim.[n] Romilia ergo tribus, quæ & Quirinalis dicta, quod à Romulo inſtituta, ex his quos in ciuitatem aſciuerat ex agro quem de Veientibus ceperat, & ex Sabinis: & [o] Titienſis ſiue Titia, à Tito Tatio, dictæ nominatǽque ſunt. Procedente mox tempore, quum [p] Tarquinius Priſcus tres adiicere tribus veteribus vellet, augurio detentus eſt quo minus faceret. [q] Seruio Tullio poſt claſſes centuriaſque conſtitutas, [r] Suburranam , Palatinam, Exquilinam,

Romilia tribus ſiue Quirinalis. Suburrana. Palatina. Exquilina.

ANNOTATIONES IN CAP. XVII.

a QVis quinque & triginta fuiſſe.] Ex Cicerone in 2. oratio.de lege Agraria. In Verrem 3.& ibi Pædiano,& Liuio Decad.1. lib. 1. & 6.& Decad.3.lib.9.& Decad. 5.lib.5.Valerio Maximo lib.2.c. 4. Aſconio in 2.in Verrem, Appiano libr.1. Bellorum ciuilium, Plutarcho in Tiberio Graccho. Pompeio Feſto lib.3.

b *Vnde dictæ.*] Liuius Decad.1.lib.1.

c *Romulum.*] Idem Dionyſius Halicarnaſſæus dixit, lib. 2. & Varro lib.4.de lingua Latina,Liuius d.lib.1. & 10. Aſconius in 3.in Verem.Plutarchus in Romulo.

d *In decem curias.*] Plutarchus ibidem.

e *Dionyſius author eſt.*] Lib.3.Idémque habet Liuius d.li.1. & Seruius ad Virgil.9. Æneidos, ibi,

Tercentum,ſcutati omnes,Volſcente magiſtro.

f *Iuno Menſalis.*] Videndi Dionyſius & Plutarchus in dictis locis.

g *Quiritia dicta.*] Quid hic velit Alexander neſcio: Illud ſcio Quirinam tribum à Curenſibus Sabinis appellationem traxiſſe videri Pompeio Feſto,lib. 15. & Quirinæ tribus meminit Aſconius in orationem Ciceronis pro L.Cornelio,ad finem.

h *Feriáſque obſeruarent.*] Vide Dionyſ.Halicarnaſſ.& Plutarch. in Romulo.

i *Tullus verò Hoſtilius.*] Liuius d.lib.1.

k *Athenis curiæ.*] Plutarchus in Pericle.

l *Aucta mox ciuitate.*] Ad Romanos redit, & de hoc iam dictum eſt in princ. huius cap.

m *Poſt pugnam.*] Liuius Decad. 1. lib. 2.

n *Romilia.*] Varro d.lib.4. Cicero 2.in Verrem,& ad eum Aſconius,Feſtus Pompeius lib.16.vbi Romuliam non Romiliam ſcriptum eſt.

o *Titienſis ſiue Titia.*] Feſtus libr.18.Titienſis tribus à prænomine Tatij regis appellata videtur.

p *Tarquinius Priſcus.*] Liuius Decad.1. lib.1.

q *Seruio Tullio.*] Liuius d.lib.1. Dionyſius Halicarn.lib.4. Feſtus lib. vlt.

r *Suburranam &c.*] Plinius lib.18. cap. 3. Ruſticæ, inquit, tribus laudatiſſimæ eorum qui rura haberent. Vrbanæ verò in quas transferri ignominiæ eſſet, deſidiæ probro. Itaque quatuor ſolæ erant, à partibus vrbis in queis habitabant,Suburrana,Palatina, Collina, Exquilina. Hæc ille. At primam illam Suburbanam vocat Varro libr. 4. de lingua Latina,quam Feſtus Suburranam appellat.lib.vlt.ibi,Vrbanas tribus appellabant in quas vrbs erat diſpertita à Seruio Tullo rege,id eſt,Suburrana,Palatina, Exquilina, & Collina. Sed & de his Lucius Florus Epito.Liuij li.20.Libertini inquit, in quatuor tribus redacti ſunt, cum antea diſperſi fuiſſent,Exquilinam Palatinam,Suburranam,Collinam.

s *In quas*

llinam, quas vrbanas appellauit, & à parte cœptæ vrbis nominauit, additas fuisse memorant. quas manumissos, si reipublicæ Romanæ participes esse vellent, vt vnà cum ciuibus censeren-, distribuit. In has quatuor vrbanas, [t] Quintus Fabius Rullus omnem forensem factionem stea excretam, censor coegit: quod adeò populo gratum dicunt fuisse, vt ex hoc Maximi nomen equi meruerit. Proditum tamen memoriæ est, temporibus [u] Syllæ, libertinos ex factione Carnis, & bello sociali Latinos populos in quinque & triginta tribus diuisos, ius suffragij habuisse. Lais inde temporibus cum [x] Cn. Manlius tribunus plebis, homo summa temeritate, perniciosissimas ges ferre vellet, vt libertinis in omnibus tribubus adscribi & suffragari liceret: ita à Cn. Domitio rætore truci oratione confractus fuit, vt sublata rogatione, turpissime destiterit. Demum [y] Clodius tribunus plebis, dum infensis animis patricios insectatur, vt libertini qui in tribus solum tribubus uffragia ferebant, in vrbanis quoque, quæ ingenuorum sunt, suffragari possent legem tulit & promulgauit: quod aliquandiu mansit. Prætereáque has vrbanas reliquæ rusticæ dictæ, à quibus [z] transire ad vrbanas, Romano ciui fuit probro datum. Est tamen literis proditum, Scipionem Nasicam, icet moribus spectatissimum, à rusticis tribubus ædilitatis repulsam tulisse, quòd candidatus dum ibuiis manus daret, & suffragia ambiret rustico opere duratas manus illis obiectaret. Ab Appio verò Claudio, cum ex Sabinis magna clientum manu Romam commigraret, [a] Claudiam tribum, & [b] Lemoniam à pago Lemonio, qui extra Capenam via Latina fuit, dictas memorant. Sic [c] Pontia, [d] Crustumina, & [e] Scaptia ab oppidis quorum ciues in vrbem asciti fuerant, dictæ nominatæque sunt, Ea enim vrbs Scaptia in agro Campano fuit, Crustuminium in Sabinis. Post verò incensam à Gallis vrbem, cum Camilli opera ciuitas restituta foret, quatuor [f] ex nouis ciuibus, qui in ciuitatem asciti erant, tribus additæ sunt, quas ex locis nominatas facilè crediderim. Hæ fuere Stellatina, Sabatina, [g] Tromentina, & Armensis: quas etiam vrbanas appellari audio sed hæc Scaptia, & [h] Sabatina, quæ & Fabiana dicta est, peculiares quondam diuo. Augusto fuere; atque ideo cum in campum descenderent, ne quid à quoquam desiderarent, pluribus ab eo muneribus donatæ sunt. [i] Arniensis, seu Narniensis, ea tribus fuit, in qua cùm Liuius censor nomen ferret, Claudius Nero, cum quo censuram frequentem iurgiis egit, quòd non syncera fide secum rediisset in gratiam eundem Liuium equum vendere iussit, reddens rationem: quippe Liuius citato nomine Claudij in Pollia tribu, ob veterem simultatem prius equum vendere coegerat. [k] Sabatinam verò, à lacu Sabate nuncupatam volunt. [l] Papyria quoque, [m] Pupinia & [n] Pupilla, ex suis progenitoribus vocantur. Quamuis Pupiniam ab agro Pupino dictam, est non immeritò existimatum. [o] Metiam à Metio oppido claro & peruetusto, cuius memoria intermortua est, quidam dici opinati sunt. Hanc Metiam Marcus Liuius [p] Salinator in censura cum cæteras tribus ærarias fecisset, quòd se vt nocentem condemnassent, & postea consulem censorémque fecissent, solam multa exemit, & sine noxa reli-

Collina. Vrbana tribus. Fabius vnde Maximi cognomen adeptus. In 35. tribus Latinis pop. diuisus. Libertini in vrbanis suffragabantur. Tribus rustica. Scipio Nasica repulsa à rusticis tribubus tulit. Tribus Claudia & Lemonia. Crustumina. Scaptia. Stellatina. Sabatina. Tromentina. Armensis. Arniensis seu Narniensis. Sabatina. Papyria Pupinia. Pupilla. Metia.

ANNOTATIONES.

s *In quas manumissos.* Hæc Lucius Florus citato loco; & ad idem Liuius Deca. 5. libr. 5. In quatuor, ait, vrbanas tribus descripti erant libertini, præter eos quibus filius quinquenni maior ex S. C. esset.

t *Quintus Fabius Rullus.*] Ex Liuio decad. 1. lib. 9. extremó & Valerio Maximo lib. 2. c. 1.

u *Temporibus Sylla.*] Hæc quoque Flori sunt Epito. Liuij lib. 84. & Appiani de Bellis ciuilib. lib. 1.

x *Cn. Manlius trib. plebis.*] Asconius Pædianus in Ciceronis orat. pro Milone, hunc non Cn. sed Lucium Manlium vocat: tu videto Appianum vbi suprà, & Plutarchum in Gracchis.

y *Clodius trib. plebis.*] Liuius Decad. 5. lib. 5.

z *Transire ad vrbanas.*] Ex Plinio dict. c. 3. lib. 18.

a *Claudiam tribum.*] Halicarnassæus lib. 5. Liuius Decad. 1. lib. 2. Seruius ad lib. 7. Æneidos ibi,

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum:

b *Lemoniam.*] Pompeius Festo lib. 10. Lemonia, inquit, tribus à pago Lemonio appellata, qui est à porta Capena, via Latina.

c *Pontia.*] Idem Festus lib. 14. Pontinam vocat tribum, quæ à Pontia vrbe est dicta.

d *Crustumina.*] Idem lib. 3. hanc tribum à Crustumena Thuscorum vrbe dictam scribit. Inde Cicero pro Cornelio Balbo, dixit, obiectum est etiam quòd in tribum Crustuminam peruenerit. Liuio Decad. 5. lib. 2. Spurius Ligustinus tribus Crustuminæ, ex Sabinis oriundus.

e *Scaptia.*] Liuius Decad. 1. li. 8. Eodem anno census actus, nouiq; ciues censi: tribus propter eas additæ, Metia & Scaptia. Pompeius autem Festus lib. 17. Scaptia tribus, inquit, à nomine vrbis Scapriæ appellatur: & inde Scaptienses tribules dicti Suetonio in Augusto c. 40.

f *Quatuor ex nouis ciuibus.*] Liuius Decad. 1. li. 6. haud multum à principio, Tribus quatuor, inquit, ex nouis ciuibus additæ, Stellatina, Pomatina, Sabatina, Aroiensis: eæque 35. tribuum numerum expleuere. Ex quo intelligis hic mendum fuisse in dictione, Armensis, quam in Arniensis mutauimus.

g *Tromentina.*] Festus li. 18. Hæc tribus à Campo Tromento sic dicta est. Sed vide num error sit Pompeij Festi & Alexandri qui illum secutus est, dum Tromentinam aiunt, quã Liuius tribum Pomatinam appellat vbi suprà.

h *Sabatina quæ & Fabiana.*] Ex Suetonio Augusti c. 40. cuius verba sunt, Comitiorum quoque pristinum ius reduxit; ac multiplici pœna coërcito ambitu, Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis, die comitiorum, ne quid à quoquam candidato desiderarent, singula millia nummum à se diuidebat. huius Fabiæ meminit & Horatius lib. 1. epistola 6.

——— *Hic multum in Fabia valet, ille Velina.*

i *Arniensis seu Narniensis.*] Hæc sunt omnino Liuij Deca. 3. lib. 9. ad fi. & Valerij Maximi lib. 2. c. 4.

k *Sabatinam.*] Festus lib. 17.

l *Papyria.*] Festus lib. 14. eam dicit à Papyrio vocatam.

m *Pupinia.*] Idẽ ab agro Popino huius tribus nomẽ putat.

n *Pupilla.*] Idem hanc Popiliam appellat, quàm à progenitrice nomen traxisse scribit.

o *Metiam.*] Idem lib. 11. sic habet, Metia tribus à quodam castro sic appellatur.

p *Salinator.*] Ex Liuio, Decad. 3. lib. 9. ad fi. & Valerio Maximo. lib. 2. c. 4. & authore de viris illust. p. 50.

Phalerina. Ophentina. Volscinia. Terentina. Faucia. Faucia in comitiis primum rogata. exitiale omen afferebat. Mentina Pollia. Galeria. Pomptina. Publicia. Velina. Anthesis. Aniensis. Æmylia. Sergia. Cornelia. Veturia. Galeria. Atellanarum actorum priuilegium. Histrionum priuilegiũ.

quit. [q] Phalerinam, & Ophentinam, Lucio Flacco & Lucio Plautio consulibus additas tribus accepimus. Sed Ophentina [r] ab Ophente fluuio dicta est. Sic [s] Volscinia, [t] Terentina, & Faucia: quarum sicut loca originis ob vetustatem interciderunt, ita nomina originum abolita, memoria oblite- rata sunt. Sed [u] Fauciam pluribus cladibus insignem, siquando in comitiis prima rogabatur, velut tristi omine infamem & detestabilem, omnes abominandam putasse, authores memorant. Constat enim hanc Fanciam tempore captæ vrbis, quo ad Alliam fœdè pugnatum est, & Caudinæ pacis, & ad Cremeram infelicis pugnæ, quo pericula & terrores respublica perpessa est maximos, primam rogatam fuisse. Ideo si quando rogabatur prima, tristitiam & calamitates, exitialéque omen adferre credita est. Neque ignoro Mentinam, [x] Polliam & Galeriam, band longè post additas tribus, cæteris adnumerari: quas ex locis nomina sumpsisse, haud dubiè existimarim. [y] Hæc enim Pollia tribus fuit, quæ cum Flauiam rogationem de pœna Thusculanis irroganda, quorum consilio defectiones à populo Romano fiebant assiduè, omnes tribus antiquassent, sola verberandos necandósque, eorúmque bona iure belli publicanda censuit: quod tam ægrè [z] Papyria tribus tulit, vt neminem ex Pollia candidatum, Papyria quæ Thusculanis pronior erat, ad honores euehi passa fuerit. Quo autem tempore lex de ambitu, Caio Petilio lata est, [a] Pomptinam & Publiam, mox Anthesim & [b] Velinam adiectas tribus fuisse constat. Hæc enim à Velia edito vrbis loco, seu à Velino lacu, cuius incolæ in ciuitatem asciti fuerant, denominata fertur: quamuis Velinam cum Exquilina in vrbem vno tempore ascitas [c] Liuius tradat. Sed Anthesis iuniorum plerunque fuit: cuius in dandis nominibus sors prærogatiuæ plurimum valuit. Præter quas fuere Aniensis, Æmylia, [d] Sergia & Cornelia, ex claris Corneliorum & Æmyliorum familiis dictæ, quorum authores nomina familiarum dando tribus, ad posteros famam nominis transmisere. Sed Aniensem Marco Fuluio Pæto & Tito Manlio Torquato consulibus tribum veteribus additam inuenimus. [e] In Æmylia autem, vt Formiani & Fundani: in Cornelia, vt Arpinates nomina ferrent, quandoque rogatione promulgata cautum fuit. Præter quas erat [f] prærogatiua iuniorum & seniorum, quibus Veturiæ & Galeriæ nomen. Nanque ex ipsis centuriis, facto iterum delectu ex iunioribus & senioribus, præstantiores ætate & dignitate, in proprias centurias seligebant: quarum in ferendis suffragiis erat prærogatiua, & primus honor. Hoc tamen dicere ausim, actores [g] Atellanarum hoc priuilegio datos, ne tribu in qua asscripti erant, à censoribus amouerentur: sicut [h] Augustus histriones immunes verberum fecit, & ne flagellis cæderentur, edicto inhibuit. [i] Quodq; ex quinque & triginta tribubus in comitiis si quando rogarentur,

ANNOTATIONES.

q *Phalerinam & Ophentinam.*] Liuius Decad.1.lib. 9. de iis diuersa scriptura sic habet, & duæ Romæ additæ tribus, Vphentina & Phalerina.

r *Ab Ophente fluuio.*] Festus lib.13. inquit: Oufentinæ tribus initio causa fuit nomen fluminis Oufens, quod est in agro Priuernate intra mare & Terracinam. Lucretius,

Priuerno Oufentina venit, fluuioq; Oufente.

qui tamen versus non est in sex libris T. Lucretij Cari de rerum natura. Vfentis autem fluuij meminit Liuius Decad. 1.lib. 5. Tum Senones recentissimi aduenarum, ab Vfente flumine, vsque ad Athesim fines habuere. Plinius item libr. 3.c.5. scribit, Dein flumen Vfens, supra quod Terracina oppidum lingua Volscorum Auxur dictum.

s *Volscinia.*] Hanc Volsciniam dicit Volaterranus: ego contendo Vultiniam appellatam fuisse tribum: idque asseuero ex antiqua spectatione quam Lugduni scio in hæc verba, L. HELVIO L. F. VOLTIN. FRVGI CVRATORI NAVTARVM. quamquam si quis velit à Volsinus Hetruriæ nobili oppido, illam dicere Volsiniam, vbi authorem assiduum ad eam rem attulerit, non impediam.

t *Terentina.*] Liuius Decad.1.li.10. scribit, additas fuisse tribus Aniensem & Terentinam.

u *Fauciam pluribus cladibus.*] Hæc sunt ex Liuio Decad.1. li.9. vbi sic habet, Papyrius C. Iunium Bubulum magistrum equitum dixit, atque ei legem Curiatam de imperio ferenti, triste omen diem diffidit, quod Fauciæ curiæ fuit principium duabus insignibus cladibus, captæ vrbis, & Caudinæ pacis, quod vtroque anno eiusdem curiæ fuerat principium. Macer Licinius tertia etiam clade quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam curiam facit.

x *Polliam*] De qua Liuius Decad.3 lib.9. & Valerius Maximus lib.2.c.4. de Claudio Nerone, & lib.6.c.3. de M. Curio.

y *Hæc enim Pollia.*] Ex Liuio Decad.1.lib.8. non multo ante fin. & Valerio lib.9.c.10.

z *Papyria.*] Ibidem Valerius hoc de Popilia dicit.

a *Pomptinam & Publiciam.*] Ex Liuio Decad.1.lib.7. vbi posteriorem non Publiciam, sed Publiliam vocat.

b *Velinam.*] De qua Horatius lib.1. epist.6.

Hinc multum in Fabia valet, ille Velina.

c *Liuius.*] Quantum ex Epitome Flori constat 19.

d *Sergia.*] De hac Asconius in Ciceronis Cornelianã ad fi.

e *In Æmylia autem.*] Ex Liuio Decad.4.lib.8. Rogatio, inquit, vt in Æmilia tribu Formiani & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent: atq; in his tribubus tùm primùm ex Valerio plebiscito censi sunt.

f *Prærogatiua Iuniorum & seniorum.*] Liu.3. Dec.li.6. Fuluius, inquit, Romam comitiorum causa accersitus, cum comitia consulibus rogandis haberet, prærogatiua centuria iuniorum declarauit, T. Manlium Torquatum, & T. Octacilium. Et paulo pòst, loquens de eadem habet, Tum centuria & authoritate mota viri, & admirantium circà fremitu, petit à consule, vt centuriam seniorum citaret: velle sese cum maioribus natu colloqui, & ex authoritate eorum consules dicere, citatis centuriæ senioribus. Et infrà, ita de tribus consultatione data, senioribus dimissis, iuniores suffragium ineunt. M Claudium Marcellum fulgentem tum Sicilia domita, & M. Valerium absentes consules dixerunt: authoritatem prærogatiuæ, omnes centuriæ secutæ sunt. Eiusdémq; deca.li.7. non multo post initium. Ipse comitia in quam diem primum potuit, edixit: quæ certamine inter Tribunos plebis dictatorémque iniecto, perfici non potuerant. Galeria iuniorum, quæ sorte prærogatiua erat, Q. Fuluium & Q. Fabium consules dixerat, eodémque iure vocatæ reliquæ, &c. Quibus adde Asconium ad 2. Ciceronis in Verrem.

g *Actores Atellanarum.*] Liuius Decad.1.lib. 7. & Valerius Maximus lib.2. cap.1.

h *Sicut Augustus.*] Suetonius in eod.cap.45.

i *Quodq; ex quinque.*] Ex Asconio enarrante eum locum Ciceronis secunda actione in Verrem, Dedit enim prærogatiuam

rogatiuam

quæ plures in eandem sententiam irent, cæteris præualuisse: eámque tribum, cuius in ferendis suffragiis prærogatiuæ fauor inclinanit, & quæ primo suffragabatur, cum ipsius authoritatem omnes tribus facile sequantor, tantum roboris habuisse, vt pro qoo candidato suffragium tulerit, eum aut ipsis comitiis, aut in proximum annum ad honores prouexerit. Illud quoque non est abre dixisse, [k] Athenis decem tribus, quarum suffragiis, pacis bellique temporibus respublica stetit, à regibus qui imperitarunt, nomina sumpsisse: singulásque tribus in decem genera distinctas fuisse. [l] Ex quatuor enim tribubus, in quas olim ciuitas diuisa fuit, † Clisthenes decem effecit. Nanque à Cecrope, qui primus regnauit, tribus Cecròpis dicta, sicut [m] Ægis altera, tertia Erichthis, Pandionis, [n] Athamantis, [o] Antiochis, [p] Leontis, (ex qua [q] Themistocles fuit) [r] Oenis, Eaotis, [s] Hippocoontis: quibus per se subsequentes reges duæ additæ, [t] Antigonis & Demetrias, ab Antigono & Demetrio: qui ex suis nominibus, decem veteribus illa adiecere. Hanc Eantidem ferunt, quum fortiter contra Mardonium & Persas pugnasset, illósque turpi fugasset fuga, Atheniensibus hoc proprium tulisse, vt soli illius tribules Spargiticis nymphis sacrum victoriæ faciant quotannis impensa publica. Post quas fuere [u] Alopecia, Athenonea, [x] Pæanica, [y] Decelensis, [z] Specia, Acharnas, [a] Agralcuta, [b] Alimusos (ex qua Thucydides) & [c] Lacyas (vnde Milciades) mox illis prioribus adiectæ, ex quibus iudices qui iura darent in foro, deligebantur. Erátque constitutum, vt nisi Cypriorum princeps, tribus Atheniensium nemo sorte educeret. [d] Thuriorum quoque vrbs in decem pariter tribus diuisa fuit, quas ex gentibus quæ in ciuitatem ascitæ fuerant, denominarunt. Siquidem ex Arcadibus, tres Arcadicæ. reliquæ vero, Bœotia, Amphictyonida, Dorida, Lyda, Athenaida, Euboida, & Nesyotis, nomina tulere. Ferturque [e] idem Clisthenes tribus Doriensium, ne forent eædem Sicyoniis, quæ Argiis diuersis nominibus notauisse. Nam præter tribum suam, cui Archæ nomen erat, reliquas ludibrio habitas, ex brutis appellauit. Quippe Hyatas, id est suales, aliquibus Oneatas, hoc est asinales, reliquis Chœreatas, hoc est porcales, nomina indidit: quibus mox aliud dicere nomen, hoc est, Hyleas, Pamphilos, Diamantes, & Egyleas. [f] Helei vero, cum XII tribus forent, postea bello Arcadico parte agri amissa, in octo relapsi sunt: rursus restituto agro, eò venere, vt X. fierent. Traditum quoque est, Corinthios, postquam in vnam ciuitatem asciti fuere, in octo tribus distinctos fuisse, quorum nomina [g] prodita non sunt. Et Pyrenses, inita cum Attalo societate, de noua tribu [h] Attalida X. veteribus adiicienda conuenisse, quod postea subsequutum est. [i] Spartæ vero Ægida & [k] Pitana præcipuæ tribus fuere, ex qua Menelaus oriundus fuit. Sicut [l] apud Boios tribus Sappinia, [m] Persæ autem vrbes in quatuor sæpe curias diuisere: Vnam pueri tenebant, & qui erant ætate imbelli, ad primam

Tribus decem Atheniensium

Eantidis tribus prærogatiuum.

Tribus decem Thuriorum.

Tribus duodecim Heleorum.

Tribus octo Corinthiorum.

Tribus Spartiatarum.

Tribus Boiorum: Curia vrbium Persarum.

ANNOTATIONES.

rogatiuam suæ voluntatis eiusmodi. Superioribus autem Romæ tribubus adde quoque Sappiniam fuisse, teste Liuio lib. 1. Decad. 4. initio.

k *Athenis decem tribus.*] De quibus latè Pausanias lib. 1. & Pollux lib. 8. Onomasticũ, vbi de Trityarchis, Plutarchus in Solone.

l *Ex quatuor enim.*[Strabo libr. 8. ait Iouem Atheniensium multitudinem in quatuor tribus diuisisse.

† *Clisthenes.*] Herodotus lib. 5. Clisthenes, inquit, cum vinceretur, populum amplectendo ex quatuor tribubus mox decem effecit; cognominibus Iouis filiorum, Peleontis, Ægicoris, Arcadei, & Hopletis, in alia commutatis, quæ ipse inuenit. Adde Aristotelem Politicorum lib. 3. c. 3.

m *Ægis.*] Scribendum fuit Ægis, ab Ægeo, secundũ Pausaniam d. lib. 1. vbi & sequentium hîc tribuum meminit.

n *Athamantis.*] Siue Acamantis ex Plutarcho in Pericle, Diogene Laërtio in Zenone Citteio, & Pausania d. libr. 1. Siue etiam Acantis. ex eodem Plutarcho in Aristide, nisi hæc alia sit.

o *Antiochis.*] Plutarchus in Aristide, eum ex hac tribu fuisse dicit, & idem Pausanias.

p *Leontis.*] Plutarchus & Pausanias prædictis locis, & ante eos Herodotus lib. 5.

q *Ex qua Themistocles.*] Plutarch. in eodem & in Aristide.

r *Oenis.*] Plutarch. in Cimone, eundem ex hac tribu dixit.

s *Hippocoontis.*] Stephanus de vrbibus, vbi de Piræo: sed Pausanias d. lib. 1. hanc Hippothoontis appellat.

t *Antigonus.*] Plutarchus in Demetrio.

u *Alopeia.*] Idem in Themistocle & in Pericle.

x *Paanica.*] Herodotus b. li 1.

y *Decelensis.*] Idem libr. 9. declarat vnde ea dicta sit. Strabo autem libr. 9. scribit Deceleam fuisse ex 12. ciuitatibus, quas Cecrops Atheniensium rex habitandas digessit, Theseúsque postea in vnam Athenarũ ciuitatẽ congregasse dicitur.

z *Specia.*] Sphetticia legendum ex Plutarcho in Demetrio.

a *Agraleuta.*] Plutarchus in Themistocle.

b *Alimusos, ex qua Thucydides.*] Idem Plutarchus in Cimone: qui tamen in Pericle dicit ipsum Thucydidem fuisse ex Tribu Alopecia.

c *Lacyas, vnde Milciades.*] Idem in Cimone. Supradictis autem adde & alias Atheniensium tribus, scilicet, Butadem ex Plutarcho in vitis decem oratorum, vbi de Lycurgo, Naucariam ex Polluce lib. 9. vbi de Demarchis. Adde & tribum Διομῶν, à Diomo Colytti filio, ex Hesichio, & Praniensem. & alias quatuor ex Plutarcho in Solone. Strabo vero li 9. tradit Athenis fuisse centum & septuaginta tribus; sed & nonnullos addere quatuor Pausanias lib. 1. scribit.

d *Thuriorum.*] Ex Diodoro Siculo lib. 12.

e *Idem Clisthenes.*] Herodotus lib. 5.

f *Helei.*] Elei scribendum & hic & alibi fuit, ex Pausania lib. 5.

g *Nomina prodita non sunt.*] Imò vnam Petram nominat Herodotus lib. 5. in oratione Sosicl[e]s Corinthij.

h *Attalida.*] Liuius Decad. 4. libr. 1. Honores regi primùm Attalo immodici, deinde & Rhodiis habiti, tum primùm métio illata de tribu, quam Attalida appellarent, ad decem veteres tribus addenda. Nescio autem vnde hic acceperit quod de Pyrensibus prodidit.

i *Sparta verò Ægida.*] Herodotus lib. 4. ab Ægeo vocantur Ægidæ, in Sparta ingens tribus.

k *Pitana.*] Herodotus libro 3. dicit ex ea tribu fuisse Archiam.

l *Apud Boios tribus Sappinia.*] Plinius autem lib. 3. c. 15. ad finem. scribit eorum fuisse 112. Tribus, idque ex Catonis authoritate. Sed & apud Samias fuisse tribum Æschreonam, habet Herodotus lib. 3. ad fin.

m *Persa.*] Xenophon Cyripediæ lib. 1.

Tribus Hiberorum. Tribus Megarensium. Tribus Indorũ.

vsque lanuginem: Alteram adolescentes primo flore ætatis, quibus ad militare munus satis erat virium & roboris: Terriam ætate matura viri: Quartam senio affecti, qui nullo impliciti negotio, militiæ munetibus vacabant, vitámque otio exigebant. [n] Hiberos quoque apud Albanos in quatuor genera diuisos comperimus: vnum ex optimatibus, ex quibus deliguntur reges, secundum ex sacerdotibus, tertium ex agticolis & militibus, quartum ex plebeiis & popularibus. De [o] Megarensibus verò traditum est, olim in quinque tribus omnem regionem diuisisse, vt distinctio ordinis fieret: ex quibus alij Heraci, nonnulli Piraci, alij Megarenses, plerique Traspodicei, vltimi Cynosurci dicti. [p] Indi autem non per ætates & tempora, sicut Persæ, sed per munera & artes singulos populos in septem tribus partiti fuere: in Philosophos, agricolas, pastores, artifices, milites, ephoros & consiliarios qui licet essent pauci, & seuerissimis moribus astricti, tamen examussim facta regum pensitabant, & certa lege examinabant.

ANNOTATIONES.

n *Hiberos.*] Sine aspiratione Iberos scribendum est ex Strabone lib 11.
o *De Megarensibus.*] Plutarchus proble. 130.
p *Indi..*] Strabo libr. 15. & Diodorus Siculus libr. c. 3. 10. paulo ante fin. Arrianus Nicomediensis de rebus gestis Alexandri lib. 8. Superioribus adde Ægyptios in septem omnino genera diuisos fuisse, ex Herodoto lib. 2. scilicet sacerdotes, pugnatores, bubulcos, subulcos, institutos, interpretes, gubernatores nauales. Quamquã Diodotus li. 2. c. 3. scribit eorum politiam in tria hominum genera institutã, Agricolarum, pastorum, opificum. Idémq. lib. 1. c. 2. haud multum à fine, tradit Athenienses ab ipsis Ægyptiis illud desũpsisse, vt tripertitam suam politiam facerent: & primum gradum fuisse nobilium, secundum militum, tertium plebis, & opificum.

Historia de Scipione Asiatico, & morte Æmyliani Scipionis, qua incerto authore fuit.

CAPVT XVIII.

Scipio Asiaticus peculatus accusatus.

SCIPIO cognomento [a] Asiáticus, superioris Africani frater, post superatum Antiochum, & Asiam bello victam, peculatus crimine accusatus à tribunis plebis quandoque fuit: cúmque in carcerem duceretur, Tiberius Gracchus tribunus plebis (qui anteà, quòd de republica cum Africano dissentiret, infensus Corneliorum genti fuerat) intercessit, cúmque ne in carcerem mitteretur, inhibuit: [b] cuius rei beneficio, amicitia inter eos conciliata & affinitas fuit. Siquidem solemni die quum Iouis epulum in Capitolio libaretur, Corneliam filiam maturam viro ei despotatam dedit: quam ille [c] tam cupide dilexit, vt duobus anguibus deprehensis in cubiculo, quum haruspices respondissent, mare angue dimisso fore vt Cornelia mortem obiret: fœmina autem, se occasurum, maluerit Titius Sempronius marem potius extinguere, quàm illa morte obita superesse. Ex hac Cornelia Sempronius duodecim filios sustulit: qui omnes mortem obiere immaturam. Ipseque haud multo post, duobus consulatibus & triumphis pariter clatus, ac censuræ honore insignis, moritur, superstitibus Tiberio & Caio Gracchis, summis oratoribus, præcellenti ingenio, & suorum temporum eloquentissimis: ac Sempronia filia, quos ex Cornelia genuerat. Sed Tiberius cum legem agrariam turbulentissimam, inuisam patribus, contra senatus decreta tulisset, nouásque alias haud minus perniciosas ferre contenderet, duce Scipione Nasica, concursu hominum interficitur. Caius vero Gracchus tribunus plebis, dum improbis concionibus rempublicam vexat, actáque sua tueri vult, neque abrogari patitur, duce Opimio consule, serui manu cæsus occubuit. [d] Sempronia autem Scipionis Æmyliani (cuius summa dignitas, magnæque res gestæ fuere, qui ob Chartaginem & Numantiam funditus euersas, minor Africanus, & Numantinus cognominatus est) coniugium sortita fuit: cum qua non modica simultate & penè dissidio, quod eam ob morum prauitatem exosam haberet, aliquandiu viuit: venitque in suspicionem, ipsius necis, quæ fuit authore incerto, non minimam causam præbuisse. Quanquam [e] de Caio Gracchó, & Fuluio Flacco eius familiari, pariter ambigi dubitarique videamus. [f] Hic enim Scipio, licet maximus Imperator, rantæ fuisse traditur abstinentiæ, vt annis quatuor & quinquaginta, quibus in humanis egit, nihil dicatur emisse, nihil vendisse, nihil ædificasse. atque in tanta rerum affluentia & operibus, quibus Cartaginem & Numantiam deleuit funditus, [g] haud plus tribus & triginta argenti libris, auri vero duabus, reli-

Amor erga vxorem.

Tiberij Gracchi mors. Sempronia cum Scip. Æmyl. coniugiũ. Scipionis Æmyl. abstinentia & frugalitas. Catonis de Scipione elogium.

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

a *ASiaticus.*] Plutarchus in Scipione. Valerius Maximus lib. 4. cap. 1. lib. 5. cap. 3. & lib. 8. c. 1. A. Gellius libr. 7. cap. 19.
b *Cuius rei beneficio.*] Valerius lib. 4. c. 2.
c *Tam cupidè dilexit.*] Cicero de diuinatio. lib. 1. & 2. Idem Valerius libr. 4. cap. 6. Plutarchus in Gracchis, post princ.
d *Sempronia autem.*] Ex Valerio libr. 8. cap. 16. Appiano libr. 1. Bellorum ciuilium. & Floro Epitome Liuij libr. 59. & Orosio libr. 5. cap. 8.
e *Quamquam de Caio Gracchò.*] Plutarchus vbi suprà.
f *Hic enim Scipio.*] Plutarch. in eiusdem vita & Apoththegmatis.
g *Haud plus tribus & triginta.*] Plinius lib. 33. c. 11. de 32. libris argenti duntaxat loquitur, & Plinius iunior, si is est, de viris illustribus, c. 58. de totidem libris argenti, & præterea duabus & semilibra auri.

h *Qui*

quisse. [h] Qui tribunus adhuc militum, dum stipendia faceret, magnum, Catonis futuræ magnitudinis testimonium tulit. Siquidem interrogatus, qualis inter primores iuuenum videretur Scipio: hunc solum sapere, cæteros vero velut vmbras ferri respondit. Quod compar fuit cum Antigoni dicto de Pyrro: quem magnum futurum virum, si senesceret: & Scipionis de Mario, quem proximum post se imperatorem, professi fuerunt. [i] Is quoque cum ab Appio Claudio competitore in censura conuiciis iactaretur, quòd ciuium nomina ignoraret: curæ sibi fuisse potius, ne à quoquam ignoraretur, quàm multos nouisse respondit. Illud planè constitit, post Æmyliani necem, homines de Sempronia vxore, quoquomodo merita, nec minus de Cornelia socru, tanquam eum veneno interceperint, propalam loqui solitauisse: idque non incertis authoribus probari. Hæc nos de Gracchis, propter harum rerum studiosos, quos facilius innotescerent, non omittenda putauimus.

Scipionis apophtegma.

ANNOTATIONES.

h *Qui tribunus.*] Plutarchus in iisdem Apoph. & in Politicis. & Florus dict. Epitome. 59.

i *Is quoque cum ab Appio.*] Plutarchus in Apophthegmatis ipsius.

Quanta & quàm varia Iurisconsultorum opinio fuerit de supellectili, & quæ supellectilis nomine comprehendatur. CAPVT XIX.

Supellex.

QVID sit [a] supellex, quidve suppellectilis nomine comprehendatur, variè inter Iurisconsultos dissensum est, pugnantiáque studia inter eos, opinionésque fuere, aliis alias res supellectilis appellatione designantibus: omnes autem ita definiere, vt domesticum patrisfamilias instrumentum rerum ad quotidianum vsum paratarum, supellectilem esse dicant. Quæ autem res huiuscemodi sint quotidiani vsus, quas in supellectili adnumerari conueniat, sententiæ variarunt, magnáque inter eruditos, & perpetua dissensio fuit. [b] Pomponius vir, vt in illa quisquis ætate, consultissimus, domesticum patrisfamilias instrumentum, quod neque auro, argentóve facto, aut vesti annumeretur, supellectilem definiuit. [c] Florentinus inter Iurisperitos authoritate non minori, præter hæc, animalia excepit: itaque equi, boues, gallinæ, anseres, & cætera hoc genus, quæ pecorum numero habentur, quamuis in quotidiano vsu forent, in supellectili non haberi censuit. [d] Paulus autem iuris æquè peritissimus, vasa ænea vulgaria, quæ proprio sunt loco sita, capsasque vel armaria, quibus vestes librive continentur, etsi quotidiani vsus causa parata, in supellectili adnumerari negauit. [e] Alphenus qui Seruij Sulpitij discipulus fuit, illa quæ ad artificij aliquod genus seorsum pertinerent, & nomen sui generis separatum haberent, in supellectili non haberi dixit: itaque pugillares & codices, tum fabrilia arma & militaria iuxta Alpheni sententiam, in supellectili non sunt. [f] Tubero negauit ea quæ in penu forent præterea argentum, vestem, mundum muliebrem, & alia ornamenta, instrumentum agri vel domus supellectilis appellatione contineri: reliqua verò quæ in quotidiano essent vsu, in supellectili adnumerauit. [g] Papinianus autem Scæuolæ discipulus, cui in aduocatione fisci successit, magnæ apud Seuerum authoritatis, mensas argenteas vel eburneas, argenteósque lectos, & argentea candelabra, legata supellectile deberi dixit: argentum tamen escale vel potorium, in supellectili esse [h] Modestinus negauit: fuitque sententia [i] Labeonis, quæ deliciarum magis, quàm vsus causa parantur, quæque in eximio cultu forent, inter suppellectilia non censeri. Myrrhea verò quæ vescendi causa parata sunt, licet in deliciis forent, in supellectili tamen adnumerari. Sed in hac quæstiuncula, quia vulgaris ferè & protrita est, nimium immorari, nullum operæ pretium fuerit. Illud certè dixisse haud piget, in supellectili contineri mensas, trapezophoras, delphica, subsellia, scamna, lectos etiam excultos gemmis & auro, culcitras, stragula, & toralia, quibus lecti torive insternuntur, non autem vehicula: nam illa instrumenti viatorij esse [k] Florianus ait. Præterea pelues, quamuis argenteas, candelabra, & craterem etiam argenteum, myrrhina, crystallina aut vitrea escaria, vel potoria, lucernam quoque & trullam. Adde vasa ænea vulgaria, quæ proprio non essent loco affixa, & si quid paratum foret quotidiaui vsus causa, præter illa quæ modò excepta fuere. Ex quibus datur intelligi id, de quo dissensio erat, quid verbó supellectilis dici comprehendíque

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

a *QVid sit supellex.*] Loca Iurisconsultorum hîc nominatorum non eò minus adiecimus, quòd designata fuerint primùm in margine huius capitis à Ioanne Ferrerio Pedemontano viro & probo & docto: cui multum debet res literaria eo nomine, quòd non hunc librum tantùm, sed & alios multos, & eos quidem optimos, multis ac variis mendis detersit: atque etiam locupletissimam omnium scriptorum Bibliothecam parturit, quam pariet propediem.

b *Pomponius.*] l. 1. ff. de supel. leg.

c *Florentinus.*] l. 2. eod.

d *Paulus.*] l. 3. eod.

e *Alphenus qui Seruij.*] l. 2. §. ab hoc. ff. de orig. iur. loquitur de supellectili, l. 6. ff. de sup. leg.

f *Tubero.*] l. 7. §. 1. eod.

g *Papinianus.*] l. legata. eod.

h *Medestinus.*] l. cum quidam. eod.

i *Labeonis.*] l. 10. & 11. eod.

k *Florianus.*] quæ huic conniuenter tribuit Alexander, Pauli fuere, ex. l. 5. cod. cuius in Epigraphe habuit fortasse Flor. pro Florentino, vbi Florianum explicuit: sed neque huius inter iuris authores nomen lectum est, neque illius dict. l. 5.

Delphica vasa. *Trapezophora.* *Micotrapeza.*

oporteat. Sed quia de escario argento & Delphicis mentio est, non omittendum, literis proditum esse. [l] Delphica dici vasa, quorum nulla mutata forma, varius & multiplex vsus foret: namque ita erant fabrefacta, vt duplici facie diuersis vsibus inseruirent: siquidem Delphi vasa elaboratæ artis habuere, ita vt poculorum vicem præstarent, & clypeorum loco vsui essent. [m] Trapezophoras vero mensas fuisse ornatu magno, quæ effictis imaginibus sustinebantur, quales hodie in vetustis marmoribus sæpe visuntur: quippe mensarum species apud veteres multifarias legimus, scilicet [n] trapezas, quas magidas Græci vocant, & [o] tripodes, & [p] miccotrapezas, in quibus modica parabatur cœna, & [q] epidorpias, [r] vrnarium & [s] cylibantum, & alia mensarum genera, si cui illa prosequi libeat. Inter escarium verò argentum etiam aquæ manaria, id est, vasa abluendis manibus accommoda, quæ Latini gutturnia vocant, [t] Pomponius in auro & argento legato contineri putauit.

ANNOTATIONES.

dicitur fuisse in libris Thuscis, quorum receptissima authoritas est pro fidissimo testimonio.

l *Delphica dici vasa.*] Apud Paulum 3. ff. de suppell. leg. Sic legendum fuit *mensa, trapezophora, Delphica*, & ita hoc vltimum scriptum est nomen in libris Thuscis: vnde mensas Delphicas intelligo dici à Paulo nomine suppellectilis contineri. Erant autem Delphicæ mensæ, quas Seruius gentilis meus Tripodas mensas appellat; ita dictæ, quòd in templo Appollinis Delphici eis superpositæ Phœbades vaticinarentur. Sic ille ad 3. Æneid. ibi,

Qui tripodas, Clarij lauros, qui sydera sentis.

Ad hæc Valerius Maximus lib. 4. tit. 1. & Plinius lib. 34. c. 3. nonnulla pertinentia scribunt, de quibus latius in nostris Συνταγμάτεσι ad d. l. 3. de sup. leg.

m *Trapezophoras.*] Cicero ad familiares lib. 7. epist. 24. Trapezophorum, inquit, si te delectat, habebis. Pollux lib. 10. c. 16. hunc in sentum ait, Licet mensam in qua pocula reponuntur tetrapum dicere, aut etiam monopam, vel si quis ambitiosè ne nouis quidem abstineat, trapezophorum, velut qui mensam gestet. De quo amplius videbis apud Carellianum Cotam & Alciatum: sed & apud Rhodiginum lib. 7. cap. 12.

n *Trapezas, quas Græci magidas.*] Ita Sophocles dixit, & videre est Iulium Pollucem lib. 8. cap. 10 & lib. 10. d. c. 16. eoq; vocabulo vsus est Plin. lib. 33. c. 11. & Paulus l. seruus cuiusdam. ff. de condit. indeb.

o *Tripodes.*] Ita dicebantur quibus mensæ superponebantur: sed & tripodem mensam quandam esse innuit Athenæus lib. 2. c. 7. & Pollux li. 6. scribit fuisse quasdam mensas primas, secundas & tertias, & tripodes quibus subiacebant.

p *Micotrapezas.*] Legendum fuit Microtrapezas ex Antiphane, illos ita vocat qui in deliciarum veluti pelagus sese demerserunt, apud Athenæum.

q *Epidorpias.*] Hæ mensæ erant omnium postremæ, quibus bellaria inferebantur, vt etiam Cælius Rhodiginus annotauit lib. 8. c. 15.

r *Vrnarium.*] Mensa erat quadrata, vasis modo destinata, ita dicta quòd vrnas cum aqua positas ibi in culina habebat. Varro in Περὶ Μονίμων, apud Nonium Marcellum in generibus vasorum; inquit: Sed quæ necessitas te iniuet aquam effundere domi tuæ, si vasa habes pertusa, plumbum non habent? ad quam rem nobis est confluuium? ad quam rem vrnarium?

s *Cylibantum.*] Id apud Romanos erat mensa vinaria rotunda, à poculis quæ Κύλικας Græci vocant. ex Varrone de lingua Latina lib. 4.

t *Pomponius.*] l. in argento. §. vlt. ff. de auro & argen. leg. de Cylica Festus lib. 3.

In qua ætate milites apud Romanos legi consueuere, & quæ fuerit disciplina militaris, quòdve iusiurandum.

CAPVT XX.

Tyronum ætas.

QVI de militari disciplina libros posteris reliquere, eos haud ferè quenquam [a] minorem septem & decem annis, [b] aut sex & quadraginta maiorem, militiæ & tyrocinio adscribi voluisse constat, idque à Seruio Tullio vetere censione cautum fuisse primum, quod æuo subsequente [c] à Caio Graccho lege sacrata sancitū fuit. Causa autem hæc est, quod citra eam ætatem aut suprà, velut immaturos, aut præduros & effœtos, militiæ rudimentis minime idoneos putarunt. Ideo vetus constitutum erat, iuuenes nisi post pubertatem, & [d] primo flore ætatis, dum per ætatem laborem militarem ferre possent, florentes viribus, & eos ex vrbana, [e] sæpius agresti iuuentute rusticis operibus duratos, militari sacramento & muneri adigere, singulosque militiæ per numerum in iu-

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

a MInorem decem & septem.] Liu. Decad. 3. li. 2. Dictator, inquit, ex authoritate patrum dictus M. Iunius, & T. Sempronius magister equitum, delectu edicto, iuniores ab annis 17. & quosdam prætextatos scribunt, & deinde lib. 5. post initium: Tribuni plebis si iis videretur ad populum ferrent, vti qui minores septem & decem annis sacramēto dixissent, iis proinde stipendia procederent, ac si septem & viginti annorum aut maiores, milites facti essent. Hæc ibi. Tamen aliquando post Cannensem cladem, ij qui sexdecim annos nati fuerant, nec militauerāt, omnes ærarij facti fuerunt, vt idem Liu. tradit eiusdem Decad. li. 7. quod pugnare cum eo videtur, quod dicto lib. 2. à nobis prolatum dixerat.

b *Aut sex & quadraginta maiorem.*] Liu. Dec. 5. li. 3. Censores vt eam rem adiuuarent, ita in concione edixerunt, legem censui censendo dicturos esse, vt præter cōmune omnium ciuium iusiurandum hæc adiurarent: Tu minor annis sex & quadraginta es. &c. Polyb. li. 6. tradit pedites qui sextū & quadragesimū annum attigerant, nisi in necessitate reipublicæ, stipendia facere nō cogi: nec equites qui decem stipēdia fecissent. Vix tamen intelligo quod Seru. ad illud 2. Æneid.

Fas mihi Graiorum sacrata resoluere iura.

scribit, quod qui habent plenam militiam quinq; & viginti annis tenentur. Et rursum lib. 7. ibi.

Ipse vocat pugnas:— Tradit completa stipendia & militiæ tempora viginti quinque annis.

c *A Caio Graccho.*] Plutarch. in illius vita.

d *Primo flore ætatis.*] Sic Virgilius 7. Æneid.

— Et primæuo flore iuuentus. & ibi Seruius.

e *Sæpius agresti.*] Ab opere rustico ad militiam transitum suadet Vegetius lib. 1. c. 3. Eoque Liuius ait Decad. 3. li. 5. Ex SC. creati Triumuiri bini conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt. Fortissimi enim viri, & milites strenuissimi ex agricolis gignuntur, minimeque malè cogitantes, vt ait Plinius lib. 18. cap. 5.

f Qui

lorum tabulis adſcribere; [f] qui Catalogi dicti: illóſque [g] ex corporis habitudine, ſi apti militiæ, [h] ſi lato pectore, ſi ceruice erecta, ſi fortis & ſtrenuus: quæ ſpecies, qualiſque vigor, & quod robur virium foret, internoſcere, vt illorum forti fidelique opera, reſpublica vti poſſit. Nam [i] nimis pinguem, deformem aut mancum, deſidem aut vecordem, tanquam minus vtilem, militiæ non adſcribebant: quippe [k] Cato Cenſorius pinguem militem, velut reipublicæ incommodum, iure inceſſiuit: cuius inter guttur & inguen, cuncta ſub ventris dominio forent. [l] In qua ſemel adſcriptus, niſi propter demerita exauctoratus foret, ipſo nolente, deleri nequibat. In quo id ſedulo cauebatur, vt primum militiæ vinculum putarent, [m] ſacramenti religionem: ſecundum [n] ſingulorum amorem, velut inexplicabilem nexum, cum his qui vnà mererent: tertium, [o] deſerendi nefas. Quibus ad militiam admiſſis [p] primo anno cuſtos, ſub quo diſciplinam ediſcerent, & magiſter ſub cuius imperio tyrunculi acuerentur, publice dabatur, ne experies operum militarium, arma tractarent. [q] Diuus verò Iulius equites Romanos, aut ſenatores armorum peritos, ſub quibus militiæ neſcij erudirentur, magiſtros dedie. quorum præceptis imbuti, perſtando & peruigilando, militare rudimentum deponerent, legéſque pugnandi, & prælij normam ac dictata internoſcerent. Primúſque [r] Publius Rutilius conſul, collega Cnei Manlij, è ludo Cornelij Scanri doctoribus accerſitis, plagas vitandi & inferendi militibus præcepta dedit. Inde ne temere & ſine arte pugnarent, vtque tyrones ſub diſciplina eſſent, & militaribus imbuerentur præceptis, tribunis datum negocium fuit. Quos optimis diſciplinis inſtitutos, tandem militiæ adſcribebent. [s] Apud Perſas verò magiſtri rei militaris, grandiori ætate fuere, nec citra annum quinquageſimum, ſub quibus parata inſtructáque acie, parcè primùm & modicè, mox exactiſſima cura militiam ediſcebant: apud quos iuuentus à vigeſimo ad 50. annum militare cogitur: vltra verò arma tractare vetitum. [t] Siquidem lex militaris etiam Romanis à quinquageſimo anno militem non tangebat. [u] Apud alios inoleuit mos, vt poſt annum quadrageſimum militiæ tyrocinio neminem adſcriberent: poſt quinquageſimum verò militare deſinerent,

Catalogi. Habitudo corporis in militiam adſcribendorum.

Militiæ vincula.

Tyrunculorum cuſtos & magiſter.

P. Rutilij præcepta pugnandi.

Tribunorum munus.

Magiſtri militiæ apud Perſas grandæui.

Ætas tyronum & rudiorum apud diuerſos.

ANNOTATIONES.

f *Qui Catalogi dicti.*] Idem Cælius Rhodig. lib. 21.c. 32. ſe à Græcis obſeruaſſe dicit. Varro autem in deſcriptione graduum ætatis humanæ in annos XV. horum qui ſunt in tertio qui ad XV. annos perueniunt, ex catalogo, ait, eſſe dicuntur: ſicut vltra catalogū, qui iam militiæ apti nō ſunt.

g *Ex corporis habitudine.* Qualéſve Tirones deligendi ſint, docet Vegetius rei militaris lib. 1.c.5.& 6. lib.2.c.19. Vbi inter cætera comperies in his requiri magnitudinem corporis, quamquam ego magis animi exigerem. Tu videbis Beroaldum ad Suetonij Neron. c. 19.

h *Si lato pectore.*] Ex Vegetio lib. 1. c. 6.

i *Nimis pinguem.*] Gellius lib.7.c.22. eodémque vlt.

k *Cato Cenſorius.*] Gellius vbi ſuprà.

l *In qua ſemel adſcriptus.*] Liuius Decad. 1.lib. 7 ad fi. Lex quoque ſacrata militaris lata eſt, ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente, deleretur.

m *Sacramenti religionem.*] Milites enim lecti vbi nomen dediſſent, ſinguli iurabant, pro Rep. ſe eſſe facturos: neque, niſi completis ſtipendiis diſceſſuros. vt Seruius refert initio 8. Æneid.

n *Singulorum amorem.*] Aliàs non ſatis fidus erat exercitus inter ſe incognitorum ex multis generibus hominum, vt eſt apud Liu. Decad. 4. lib. 5.

o *Deſerendi nefas.*] Nam qui in pace deſeruit: eques gradu pellendus eſt, pedes militiam mutat. in bello idem admiſſum capite puniendum eſt. l. non omnes. §. qui in pace. ff de re milita. Sed & tu vide eandem legem in princ. & in §. qui deſertioni. & §. & deſertor. & §. qui in deſertione: & l. deſertorem. in princ. & §. ſi plures, eod. tit. & alibi ſæpe, eod. tit.

p *Primo anno cuſtos.*] Ex Virgi. lib. 5. Æneid.

At pater Æneas nondum certamine miſſo,
Cuſtodem ad ſeſe, comitémque impubis Iuli
Æpitydem vocat. ———

Et ibi Seruius interpres, qui & in id citat illud eiuſdem lib. 8. de Pallante loquentis,

——— *Sub te tolerare magiſtro*
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
Aſſueſcat: primis & te miretur ab annis.

Sed & idem Seruius in illud lib. 7. Æneid.

Ante vrbem pueri & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, domitántque in puluere currus.

Bene, inquit, Romanæ militiæ morem exprimit; nam poſt pubertatem armis exercebantur, & 16. anno militabant, quo etiam ſolo ſub cuſtodibus agebant. Alexander autem Seuerus apud. Herodianum lib.6. ad fin. Maximinum tyronibus præfecit, vt eos ad militiæ munera exerceret, & ad bellandum idoneos redderet. Quod ipſum retulit Iul. Capitol. in vita ipſius Maximini: vbi epiſtolam eiuſdem Alexandri in eam rem adſcripſit, Veteres milites tibi Maximine, mi chariſſime, atque amantiſſime idcirco non credidi, quòd veritus ſum ne vitia eorum ſub aliis inoleſcentia, emendare non poſſes. Habes tyrones ad tuos mores, ad tuam virtutem, ad tuum laborem, eos fac militiam addiſcere.

q *Diuus verò Iulius.*] Sueto. in vita illius c. 26.

r *P. Rutilius conſul.*] Valer. Max lib. 2. c. 1.

s *Apud Perſas.*] Strabo lib. 15. ad fin. Xenophon Pædia Cyri lib. 1.

t *Siquidem lex militaris.*] Seneca libr. 2. de Breuitate vitæ, Lex, inquit, à quinquageſimo anno militem non cogit. ex quo legendum hic puto, cogebat, non, tangebat. Liuius 4. Dec. lib. 10. Imperatum à Senatu Q. Petilio Prætori, vt omnes minores quinquaginta annis ſacramento legerentur. Et 5. Dec. lib. 2. Illud præcipuum datum ſorti Macedonicæ, vt centuriones militéſque veteres ſcriberet, quos vellet Conſul, vſque ad quinquaginta annos. Et paulò pòſt, P. Licinius Conſul S. C. recitari iuſſit, primùm quòd bellum Senatus Perſeo iuſſiſſet: deinde quòd veteres centuriones quàmplurimùm ad id bellum ſcribi cenſuiſſet: nec vlli, qui non maior annis quinquaginta eſſet, vacationē militiæ eſſe. Cornelius autem Nepos, aut quiſquis, qui vitam Pomponij Attici elegantiſſimè ſcripſit, de ipſo loquens, Incidit, inquit, Cæſarianum ciuile bellum, cùm haberet annos circiter ſexaginta: Vſus eſt ætatis vacatione, neque ſe quoquam mouit ex Vrbe. Quæ loca videntur pugnare inuicem, atque etiam cum eo quod dictum eſt in princ. huius cap. x. de 46. annis. Sed hos 46. annos fuiſſe tempus ordinarium vacationis militiæ, niſi ſi qua vrgens neceſſitas cogeret maiores eligi, vt in locis Liuij ſuprà proximè citatis: at neque tunc maiores annis quinquaginta cogebantur. Quod autem Cornelius Nepos loquitur de ſexaginta annis, non eò pertinet vt vacatio non niſi huic ætati daretur: ſed haud dubiè eam ipſam ætatem vacationem præbere.

u *Apud alios*] Scilicet Lacedemonios ex Plutarcho in vita Ageſilai.

hisque velut prefundictis militia, missio daretur. Quod Scytharum legibus cauebatur, ne hominem sexagenarium militiæ admitterent. Ægyptiis in more fuit, ut [y] Calasiries, qui præcipui habentur milites, à nullo doctore, sed à patre solum militiæ præceptis erudirentur. [z] Phocion verò, ve Athenienses nimis bellicosos à belli furore delectu acerbo cohiberet, quod libentes & cupidi appetebant, lecta iuuentute, etiam octogenarios, emeritis stipendiis, coegit dare nomina. [a] Camillus contra Latinos & Volscos magna mole dimicaturus, seniores quibus aliquid virium superesset, in sua verba iuratos centuriauit. [b] Romani quoque bello Hetrusco, & sæpè aliàs, seniorum cohortes, post emerita stipendia, [c] quin etiam libertinorum ad militiam exciuere. [d] Et Marius magnæ partis milites seniores, qui multa stipendia meruissent, & capite censos, sacramento asciuit. [e] Quod Alexander Macedo fecisse dicitur, vt ducturus contra Darium, veteranos peritos belli, militiæ adscriberet. Non sic Conon, qui vt exercitum suppleret Atheniensium, pueros immaturos annis, quibus vires non suppetebant, & senes legit. [f] Milites verò in castris, nisi Romanos ciues, vel Latini nominis, leuium tamen armorum auxiliares externos, sacramento Romani adigere solitauere. [g] Contrà verò Cyri consilium fuit non modò ex ciuibus soppleri milites, sed velut optimos equos è longinquo quæri oportere. [h] Idem apud Alexandrinos vetusto more seruatum est, vt nullos milites nisi peregrinos militiæ admittant. [i] Proditumque memoriæ est, in fœdere quod cum Romanis & Antiocho ictum est, caueri, ne milites sub ditione populi Romani conducere, aut voluntarios habere liceret. [k] Inter auxilia tamen minor, in legionibus longè maior numerus adscribi assueuit. Sed tamen legionariorum & arma grauiora, & disciplina fuit seurior: auxiliariorum verò minor, nec tam exactæ diligentiæ: quibus in prælium euntibus, præter saga togásque & rectam tunicam, album aut rubrum paludamentum, quo socios ab hostibus internoscerent, publicè dabatur: Afris verò, Caunis, Numidis, [l] Lacedæmoniis, & Massagetis, in bellum profecturis, [m] russatas vel puniceas ferre vestes moris erat: vt eo argumento vulnera & sanguis effusus non innotescerent, confidentiúsque & sine pauore dimicarent: [n] id quod apud Persas in vsu fuit. Namque Artaxerxes ducturus contra Cyrum, milites rubro sagulo ornauit, [o] Cyrus albo, [p] Agesilaus quoque ita copias instruxit armis, vt omnia ærea punica viderentur. [q] Thraces pullas induti tunicas, in acies prodeunt: contrà [s] Mybæ & [t] Æthiopes candido amictu, [t] Samnites discolori veste præliantur, nonnunquam candida, Boij & Insubres auratis sagulis, [u] Galli virgatis [x] cum torque au-

Calasiries.

Senes in militiam adscripti.

Romani externum militem in castris non admittebant.

Alia atque alia vestes habitisque in militiam proficiscentium.

ANNOTATIONES.

x *Quod Scytharum legibus.*] Superioribus illud adde. Acarnanes, ab Ætolis bello lacessitos à 15. ad 40. annos tempus militiæ præscripsisse, vt tradit Liuius 3. Decad. lib. 6.

y *Vt Calasiris.*] Herod. l. 2. non multò ante finē, & iterū l. 9.

z *Phocion vero.*] Plutarch. in vita illius, vbi tamen non octogenarios, sed septuagenarios dicit: ipse autem Phocion octogenarius erat.

a *Camillus contra Latinos.*] Plut. in vita illius.

b *Romani quoque.*] Ex Liuio Decad. 1. lib. 10. His nunciis Senatus conterritus iustitium indicit, delectum omnis generis hominum haberi iussit, nec ingenui modò aut iuniores sacramento addicti sunt, sed seniorum etiam cohortes factæ, libertinique succenturiati.

c *Quin etiam libertinorum.*] Quod iam diximus ex Liuio suprà: & prætereà 3. Decad. lib. 2. Libertini etiam, quibus liberi essent, & ætas militaris, in verba iurauerant. Et 5. Decad. lib. 1. Dimisisque, qui parùm idonei essent, supplementum legeret ex libertinis.

d *Et Marius.*] Valer. Max. lib. 2. c. 1. & Plutar. in vita illius.

e *Quod Alexander Macedo.*] Iustinus lib. 11.

f *Milites verò in castris.*] Legati ad Senatum aiunt, Milite atque equite scire nisi Romano, Latinique nominis, non vti Pop. Romanum: leuium armatorum auxilia, etiam externa vidisse in castris Romanis. Liuius Decad. 3. lib. 2.

g *Contra verò Cyri consilium.*] Xenophon Pædiæ Cyri lib. 1.

h *Idem apud Alexandrinos.*] Strabo lib. 17.

i *Proditumque memoria est.*] Alias pacis conditiones Antiocho dictas apud Liuium lib. 5. Decad. 4. & eiusdem li. 7. reperias: sed sequenti libr. 8. sic ex fœdere relatum, Milites mercede conducendi ex iis gentibus, quæ sub ditione Pop. Romani sunt, Antiocho regi ius ne esto: ne voluntarios quidem recipiendi.

k *Inter auxilia.*] Hîc vide omnino quæ diximus suprà c. 5. in verbo Agema.

l *Lacedæmoniis*] Vale. Max. lib. 1. c. 1. Ælianus de Varia Historia lib. 6. c. item 6. & Plutar. in institutis antiquis Lacedæmoniorum.

m *Russatas.*] Russas nonnulli appellant, & in his Fla. Vopiscus & Trebellius Pollio in vita Claudij secundi. Russatum autem quendam militem vocat Iuuenalis Satyra 7.

Parte alia solum Russati pone lacerte.

Imò verò de agitatore factionis Russatæ debet Iuuenalis versus accipi.

n *Id quod apud Persas.*] Plutarchus in Artaxerxe, & ante illum Xenophon Pædiæ Cyri lib. 6.

o *Cyrus albo.*] Intellige de Cyro minore ipsius Artaxerxis fratre, ex eodem Plutar. vbi suprà. Nam maior ille puniceo vtebatur, vt tradit Xenophon in Pædia illius lib. 7. in princip. Minor autem albo colore vsus est, non quo milites sanguinem non expauescerent: sed quia iuuabat pugnaturos ad mortem, aut certè ad cædem speciosè incedere. Qua contemplatione vt colorum tanta varietate subit antiquitatem mirari, vt ait Plinius lib. 35. c. 7.

p *Agesilaus.*] Translata hæc ad verbum è Græco Xenophon. de Agesil. laudib.

q *Thraces pullas.*] Plutar. in vita Pauli Æmilij.

r *Myba.*] Illi Æthiopiæ populi sunt, de quibus Sil. Italicus lib. 3.

His simul immitem testantes corpore solem.
Exusto venêre Myba: non area cassis,
Nec lorica riget ferro, nec tenditur armis.
Tempore multiplici mos est defendere lino,
Et lino munire latus, sceleratáque succis
Spicula dirigere, & ferrum infamare veneno.

s *Æthiopes.*] Plinius lib. 33. c. 7.

t *Samnites discolori veste.*] Liuius de vtroque 1. Decad. lib. 9 & iterum 10. & prætereà de priore Lucius Florus Epit. 1. bello Samnitico.

u *Galli virgatis.*] Virgilius de Gallis loquens lib. 8. Æneid. non adeò longe à fine.

—Virgatis lucent sagulis.

Virgatæ vestes quæ dicantur, vide apud Cælium Antiquarum lectionum lib. 16. c. 7. vbi hunc Virgilij locum citat.

x *Cum torque aureo.*] Strabo lib. 4. & Plinius lib. 33. c. 1. Vbi

Gallos,

reo, [y] Britanni glasto infecti. [z] Est enim fullonia herba, quæ atro colore inficit, & hominem decolorem facit. [a] Geloni hostium cruribus ornati, quò truculeotiores visu & aspectu formidabiliori essent. [b] Æthiopes dimidiatum corpus minio, dimidiatum gypso solent illioire. [c] Fertur Caius Cæsar, vt in conflictu bellorum cunctis innotesceret, ad prima signa nouo colore amictus, & diuerso armorum habitu insignis prodiisse. [d] Et Lucullus cum thorace squamoso, & amictu purpureo præliari. [e] Gylippus vero maximus Imperator, sordida veste & semilacera, ac cultu neglecto conspicuus erat. [f] Agis quoque Lacedæmoniorum Dux, à gregario milite nihil differebat: sicut [g] Agesilaus, qui cultu corporis vili exultabat, exercitu autem ornato. [h] Contrà Alexandrum Macedonem, insignem cùm regio habitu, tum Siculo amiculo, & lineo thorace, duplicata ac ferrea casside, auro & gemmis arma honestabant. [i] In quo illud traditur mirum, dum in India præliatur, concussis armis, visum barbaris lumen infundere, & monstrum ante se agere. Quod compar fuit [k] cum Epizelo Atheniensi, qui (vt tradit Herodotus) in pugna Mararonia dum præliatur, visum monstrum, quod ante se conspiciebat, occidere nisus, luminibus captus perpetuo mansit. [l] Etiam Tiberij equus in conflictu belli ore flammas interdum emittere visebatur. [m] Caius tamen Gracchus legem tulit ad populum de vestibus publice militibus dandis, sine stipendiorum diminutione. [n] Inde institutum, vt singulis militibus saga togæque in hybernis dentur: præualuítque mos, vt in bellum profecturi Romani milites, singuli in tabulis describantur: vt illorum qui prælio ceciderant, nomina reuersis innotescerent: vtque in delectu conscribendo, primus miles bono omine tanquam inde faustum felixque auspicium futurum sit, conscribatur. Id enim boni ominis esse, & prosperos euentus facere putabant. Apud Persas inualuit mos, vt profecturi in bellum, in cistam ante regis tribunal singuli singulas sagittas immitterent, mox reuersi, quisque repeteret suam: vt ex remanentibus, illorum qui prælio cecidissent, numerum internoscerent. [o] Hi ergo in castris militiam edocti, hyeme pariter atque æstu diebus singulis mane & post meridiem, locum tenere, signa sequi, ordinem seruare, fossam fodere, figere vallum, militari gradu incedere, & alia militaria facere quotidiano vsu ediscebant. nam ducibus, centurionibus & tribunis, præcipue curandum erat, in locis vbi statiua habebant, cogere tyrones milites, cum primum merere cœpissent stipendia, ne sine consilio, sine imperio in hostes tenderent, per turmas hincinde crebro concurrere, decurrere, clamare, locum tenere, imperium seruare, iussa exequi, séque in orbem colligere, cuneum facere & phalangem, vt sequi signa, & pati tædium, æstus ac vigilias assuescerent, pulsi loco cederent, & in acie quisque agnosceret ordines suos: Ita vt vsu quotidiano non minus ipsi sibi præscriberent quid facto opus foret, nec incitante vllo, nec imperante, quam ab aliis ediscerent. [p] Quæ disciplina præcipua Iphicrati traditur, vt sine ducis opera milites ita institueret consistere in acie, vt peritissimè dispositi viderentur. [q] Iactu quoque disci, cursu, saltu, iaculatione, & lucta inuicem contendere, mos

Glastr.

Imperatorum & ducum alij atque alij ornatus in bello.

Visiones monstrosa in bello.

Lex de vestibus publice militibus dandis. In bellum profecturi.

Tyronum institutio.

Iphicratenses.

ANNOTATIONES.

Gallos, inquit, cum auro pugnare solitos, Torquatus indicio est. Hanc autem Torquati historiam, qui ita à torque aureo, quem Gallo à se deuicto, detraxit, latè describit Liuius 1. Decad. lib. 7. & ex quadrigario A. Gellius lib. 9. c. 13.

y *Britanni glasto infecti.*] Cæsar lib. 5. Commentariorum, & Plin. lib. 22. c. 1. Super quo & tu vide, quæ scripsi in nostris Il. Connubialibus l. 3. num. 11. sed vt redeamus.

z *Est enim fullonia herba.*] Vide omnino d. nu. 13. l. 3. Connubial.

a *Geloni hostium curibus ornati.*] Herodo. lib. 4. Pomponius Mela lib. 2. c. 1. & Solinus cap. 25. Sed idem de quibusdam Scythis tradit Plinius lib. 7. c. 2.

b *Æthiopes.*] Sed & scribit Herodotus lib. 8. Phocenses aliquando sexcentos viros gypso & eorum arma illiniuisse.

c *Fertur Caius Cæsar.*] Id ex ipso Cæsare lib. 7. Commentariorum de bello Gallico, paulò ante finem facilè cognosces cuius hæc verba sunt, Accelerat Cæsar, vt prælio intersit. Eius aduentu ex colore vestis cognito, quo insigni in prælijs vti consueuerat, turmísque equitum & cohortibus visis, quas &c.

d *Et Lucius.*] Plutarch. in vita illius,

e *Gylippus verò.*] Plutarchus in vita Niciæ non semel.

f *Agis quoque.*] Idem autor in vita illius. Sic legas Vespasianum, cibo fortuito, veste habitúque vix à gregario milite discrepantem, apud Tacitum lib. 18. initio.

g *Sicut Agesilaus.*] Plutarc. in Apophtheg. Lacon. Xenophon de laudibus Agesilai, ante extremum, frugalitatem illius multis argumentis proponit: sed huius non meminit expressim. tu amplius quæsieris.

h *Contrà, Alexandrum.*] Plutarc. in vita illius, & nonnihil Arrianus de gestis ipsius, lib. 1.

i *In quo illud traditur.*] Cælius Rhodiginus lib. 15. cap. 5.

k *Cum Epizelo Atheniensi.*] Herod. libr. 6. At Plutarchus Parell. 1. scribit Polyzelum vnum ex ducibus Atheniensibus in ea pugna Marathonia, conspecto quodam humana specie augustiore cæcum factum fuisse.

l *Etiam Tiberij equus.*] Idem Cælius Rhodig. lib. 15. cap. 5.

m *Caius tamen Gracchus.*] Plutarchus in vita illius.

n *Inde institutum.*] Legimus tamen & anteà dictum, Gracc tributum, quòd togæ quingétæ imperatæ erant, cum quingentis tunicis, cùm milites in hybernis agerent. Liuius Decad. 4. lib. 7.

o *Hi ergo.*] Ad Romanos redit. De his autem militiæ exercitiis, videbis apud Liuium 3. Decadis lib. 6. ad fin.

p *Quæ diciplina præcipua Iphicrati.*] Probus Æmilius in vita illius. Iustinus lib. 6. Huius milites ob militaris rei peritiam Iphicratenses dicebantur, quemadmodum Romani Fabiani. Hic primus omnium spoliis bello captis nomen suum incripsit, cùm anteà solius ciuitatis nomen inscriberetur. Author Suidas.

q *Iactu quoque disci.*] Hos quinque ludos honestos esse & permissos præsertim militibus, satis constat ex l. 2. ff. de aleæ lusu & aleat. & de ictu disci & iaculatione, satis constat ex Homero loquente de ludis militaribus Achiuorum lib. 2. Iliados in Catalogo:

—Λαοὶ δὲ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης
Δίσκοισιν τέρποντο, καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες.

Et lib. 8. Odysseæ de his quoque duobus, & præterea de saltatione, pugna & cursu,

—ὅσσον ἀεθλεύεσθ' ἄλλων,
Πύξ τε παλαισμοσύνῃ τε καὶ ἅλματι, ἠδὲ πόδεσσιν.

Ad palum exerceri. Palus. Palaria ludus Sagittandi exercitium. Cyri disciplina militaris. Agesilaus. Persarum regum mos. Alexandri Maced. Aureliani. Maximini. Ant. Caracallæ. Seueri. Cretenses, milites sæpe inter auxilia Romanorum. Cydones.

erat. [s] Nandi quoque post solitas exercitationes iuuentutis Romanæ summum studium in militari rudimento fuit, aliáque opera iusta militaria, quibus quasi simulacris pugnæ, animos corporáque tanquam ad verum bellom acuebantur. [f] Ad palum qooque exerceri, aut iaculis atque sagittis ferire, uonnunquam fundis & lapidibus, disciplinæ militaris erat. [t] Fuit enim palus cubitorum trium, quem tyrones scuto & clauo velut hostem petere, in eúmque ictus & plagas inferre solebant. In quo id cauebatur in primis, ne dum ad palum ictus intenduut, ipsi hostium telis pateant: proinde oportebat animo eos & corpore intentos esse non magis ad inferendos, quàm ad cauendos declinandósque ictus: cui ludo Palaria nomen. Arcu quoque & sagittis plerumque [u] Cretensibus & [x] Cydoniis exactissima cura milites instruebantur, [y] sicut apud Græcos palæstra. Cyri verò disciplina fuit, vt milites semper opus facerent, & nunquam exercita iuuentus, nisi sudore præuio cibum sumerent. [z] Qui etiam neque prandebat, neque cœnabat vnquam, nisi sudasset primùm, & militaria obiuisset munera. [a] Agesilaus quoqoe in gymnasio, ne ocio senescerent milites exercitationis & virtutis cuiusque præmia proposuit, leuibúsque prælîis experiundo assuefecit. Qui etiam Persarum regom mos traditur, vt cursus & pugnæ dona militibus proponant. [b] Alexander verò Macedo, ne otio milites lasciuirent, certantibus virtutis præmia Chiliarchas dedit. Præ cæteris [c] Aurelianus Cæsar nullum reliquit vacuum diem, quin se pilo, sagittis, ac militaribus armis exerceret. [d] Et Maximinus senior, quamuis grandis natu, campestrium exercitationum supra modum labores subiit. [e] Antoninus quoque Bassianus Caracalla, præterquam quod se cum militibus exercebat, iter semper onustus armis pedes fecit. [f] Id quod de Seuero scriptum accepimus, vt hyeme sæua & gelida, aperto capite per niues & pruinas, per montes syluásque cursitaret, in patientia laboris, & victus abstinentia, supra fidem assuetus. Quibus documentis redacto in disciplinam milite, posito rudimento, & continuo vsu firmato, legiones conscribebant. Prætérque milites peregrinæ militiæ, [g] inter auxilia Cretenses sæpe militasse accepimus. Hi enim terresti naualiqoc prælio, ad insidias, furta, & rapinas populando assueti, excursiones maximas facere promptissimi sunt, in prælio verò segnes: [h] Cydones verò fortissimi sicut Homerus inquit, illorúmque arcus caprinis pellibus ornari,

ANNOTATIONES.

Et de duobus quoque illius prioribus, Horat. Carminum lib. 1. Ode. 8.

—— Sæpe disco.
Sæpe trans finem iaculo nobilis expedito.

Quo in loco Acron dicit, Discum genus esse ludi certi ponderis, quo iuuenes in agone contendebant.

s *Nandi quoque.*] Vegetius libe. 1. rei militaris. c. 17. Sed & Horat. ea. Ode lib. 1. Carm. id pouit inter honesta exercitia militaria.

Cur neque militaris,
Inter æquales equitat?
Gallica nec lupatis.
Temperat ora frenis?
Cur timet flauum Tyberim tangere?

Id est, vt interpretatur Acron, natare, quod edolescentibus inter summa erat virtutum exercitationis studia. Porphyrion autem ibi dicit, id necessarium militiæ esse. Vnde Sueton. in Augusto cap. 64. scribit illum nepotes docuisse natare. Silius autem Italicus lib. 8. inter bellica exercitia, quibus iuuentutem instruebat, id quoque ponit.

—— Vndosum frangere nando.
Indutus thoraca vadum, spectacula tanta.
Ante acies virtutis erant.

Ex boc autem prouerbium, Neque natare, neque literas, subaudi, nouit. de quo Erasmus Chil. 1. cent. 4. c. 13. Alexander autem Macedo apud Plutarc. in vita illius, O deterrimus, inquit, ego, qui nare non didici: móxque rapto incumbens clypeo tranat.

s *Ad palum quoque exerceri.*] Vegetius lib. 2. cap. 23.

t *Fuit enim palus cubitorum trium.*] Vide Vegetium lib. 1. c. 11. & alios, quibus Palus dicitur imago lignea, super terram fixa, quem hasta siue ense petebant: & tanquam cum hoste certatim congrediebantur: scuto vimineo, & interdum claua grauiore, vt in vera pugna, postea solutiores aptioresque essent: aut scopo præfixo, id est, aliquo face vimineo, vel aliquo signo arcu exercebantur. De huiuismodi autem palis Polybius lib. 18. Græci palum hunc optimum esse putant, qui plurimas habeat & maximas circa stipem excrescentias. Apud Romanos verò pali duas, aut tres, aut ad summum quatuor virgulas habent, & tales vsurpant: vnde accidit, vt facilè portari queant: vnus enim vir tres vel quatuor inuicem compositos gestat.

e *Cretensibus.*] Strabo lib. 10. liuius 4. Decad. lib. 8. Diodo. Siculus libr. 6. c. 15. vbi & ipsos Cretenses sagittandi modum induxisse tradit. Apuleius autem lib. 11. Metamorph. non multò post princ. Cretes, peculiari epitheto sagittarios vocat. & alij multi, quos tibi citabo infrà lib. 6. c. 22.

x *Et Cydoniis.*] Strabo dict. lib. 10. Hi autem & Cretenses sunt, vt tradit Seruius lib. 10. Æneidos, enarrans eum locum.

—Infelix noua gaudia Cydon.

& probat illud Homeri lib. 3. Odyss.

ἔνθα διατμήξας τὰς μὲν Κρήτῃ ἐπέλασσεν,
ἧχι Κύδωνες ἔναιον——

Quod nos latius dicemus infra lib. 6. c. 22.

y *Sicut apud Græcos palæstra.*] Id vbique videre licet, & præcipuè apud Cæl. Rhodig. lib. 13. c. 17. Vbi etiam traditur de initiis Olympici certaminis. & lib. 13. c. 30. de palæstræ inuentore.

z *Qui etiam neque prandebat.*] Ibid.

a *Agesilaus quoque.*] Xenophon in oratione de laudibus ipsius Agesilai, post initium.

b *Alexander verò.*] Q. Curtius rerum gestarum Alexandri lib. 5.

c *Aurelianus Cæsar.*] Flauius Vopiscus in vita illius.

d *Et Maximinus senior.*] Herodianus lib. 7. & Iul. Capitolinus in vita illius.

e *Antoninus quoque Bassianus.*] Dionys. in vita illius.

f *Id quo de Seuero.*] Intellige Septimio ex Herodiano libro. 3.

g *Inter auxilia Cretenses.*] Nam in bello Macedonio inter auxiliares milites Romanorum fuere Cretenses, apud Liuium 4. Decad. lib. 1. Et in bello Achæorum aduersus Nabidem tyrannum Lacedæmoniorum, apud eundem 4. Decad. lib. 5.

h *Cydones verò fortissimi, sicut Homerus inquit.*] Cydones è Cretensibus sunt mediterranei, vt suprà diximus in verbo & Cydoniis. Sed credo hic legendum esse Cicones, quos bellicosos, veluti peculiari epitheto, vocat ipse Homerus lib. 2. Iliad. in Catalogo.

Εὔφημος δ', ἀρχὸς Κικόνων ἦν αἰχμητάων.

Et alibi

pleriqne literis adnotarunt. Idque à [i] Iuuenale versibus mundis significari crediderim, dum inquit:

Tu fruere scabie mali, quod in aggere rodit.
Qui tegitur parma & galea: metuensque flagelli,
Discit ab hirsuta iaculum torquere capella.

Notat enim illa veteris disciplinæ rudimenta, quibus tyro miles in emittendis iaculis apud suum centurionem instrui solebat. [k] Quinetiam Romanæ militiæ fuit, leuis armaturæ milites atque equites loricas & galeas vrsinis pellibus tectas, quò truculentiores visu forent, in aciem deferre: sicut Græcorum veteres, pelles fluuiatilis canis pro capitis tegumento vice galeæ detulere, [l] equinásque iubas & caudas in galeis, aut pennas struthiocameli. [m] nonnunquam leonis pellem pro conis apud Romanos fuisse constat, [n] more Æthiopum, qui pelles equorum capitum cum ipsis auribus & iubis deferentes, nonnunquam [o] pardorum pellibus [p] leonúmque amicti acies subeunt & præliantur. [q] Thracibus in more fuit, è pelle volpina cassides ferre, [r] sicut Albanis & Hiberis cum ferinis galeis pugnare. [s] Rhoxani non modo galeis, sed thoracibus & scutis ex crudis boum coriis vti solebant. Apud Græcos autem, [t] Homeri testimonio, equinæ iubæ pro cristis fuere. [u] Pyrrho & Philippo hircina cornua, Hammonis arietis caput, [x] Achæis pennæ variis distinctæ coloribus. Alij [y] rubras cristas supra cassidem deferebant, † Cimbri & Theutones horrentium hiatibus animalium contexere galeas. [z] Abradatæ Persarum duci conus hyacinthinus erat. [a] Cyrus cassidibus æneis & conis albis milites ornauit. [b] Cares gallos gallinaceos pro conis habent. [c] Alexandri cassidem cristata iuba & pennæ

Iuuenalis locus. — *Galearum & loricarum insignia apud diuersas gentes.*

ANNOTATIONES.

Et alibi de eorum fortitudine & viribus in bello videbis apud eundem Odysseæ lib. 9. post princ.

i *A Iuuenale.*] Satyra scilicet. 5.

k *Quinetiam Romana militia.*] Leuis armaturæ erat promptissimum genus ad lacessendum certamen, ait Liuius Decad. 5. lib. 4. post prin. Habebant autem è loris de corio crudo pectoralia, quæ primùm lorica dicebant: postea, vt ait Varro de ling. Lat. libr. 4. succiderunt. Galli è ferro, sub id vocabulum ferream tunicam appellabant. Vnde Virg. lib. 3. Æneidos.

Loricam consertam hamis, auróque trilicem.

Vbi Landinus. Leuis item armaturæ fuit galea, à galero, quo multi antiqui vsi, ait Varro: id est non solùm galea, sed & galero asserit vsos veteres. De hoc Virg. 7. Æneid.

——— Fuluósque lupi de pelle galeros.
Tegmen habent capiti. ———

De galea Seruius eam duplicis generis fuisse prodidit ad Virg. Æn. 9. ibi.

——— Galeam fidus permutat Alethes.

Aliæ enim fuere explorantium, aliæ bellantium. Huiusmodi meminit Homerus Iliad. 6. cùm Diomedes exploratum iuit.

—Κεφαλῆφιν ἔθηκε ταυρείην ἄφαλόν τε καὶ ἄλοφον.

quæ Καταῖτυξ ibi dicitur, quia sine corio humilis fabricata sit. Diuersæ verò formæ fuerunt galeæ bellantium, vt idem Seruius obseruauit. Sic accipiẽdus ille Virgil. versus, Æn. 3.

Et conum insignis galea, cristásque comantes.

De quibus tractauit Vegetius rei Militaris lib. 2. c. 16.

l *Equinásque iubas.*] De quibus paulò pòst dicemus.

m *Nonnunquam leonis pellem.*] Vide infrà sub verbo leonúmque.

n *More Æthiopum.*] Non omnium, sed eorum, qui ex Asia sunt, ex Herodoto lib. 7. in descriptione exercitus Xerxis.

o *Pardorum pellibus.*] Apud Homerum lib. 3. Iliados post princ. Paris pugnans aduersus Græcos pellem pardi indutus, fortissimum quemque in certamen prouocàt.

Τρωσὶν μὲν προμάχιζεν Ἀλέξανδρος θεοειδής,
Παρδαλέην ὤμοισιν ἔχων.

Diodorus quoque Siculus lib. 5. c. 2. scribit Bacchum in præliis pardorum pellibus vsum fuisse. Vide seq. annotat.

p *Leonúmque.*] Nam & ipsi Æthiopes, qui ab ortu solis sunt in exercitu Xerxis, aduersus Græciam, leonum ac pardorum pellibus amicti erant, teste Herodoto lib. 7.

q *Tracibus.*] Herod. lib. 7.

r *Sicut Albanis & Hiberis.*] De his duobus Strabo lib. 11. vbi hos scribit ferinas galeas habere, nec aliter declarat cuiusmodi hæ fuerint. Intelligit autem de Hiberis Orientalibus non de Hispanis, quibus galeas æreas cristatas palmis tribuit Diod. Siculus lib. 6. c. 9.

s *Rhoxani.*] Strabo lib. 7. sic illos vocat, quos Ptolemæus Roxolanos, Volaterranus Rutenos ex eo nomine intelligit.

t *Homeri testimonio.*] Libro 3. Iliadis.

Κρατὶ δ' ἐπ' ἰφθίμῳ κυνέην εὔτυκτον ἔθηκεν,
ἵππουριν.

De paulò pòst.

ἣ, καὶ ἐπαΐξας, κόρυθος λάβεν ἱπποδασείης.

Et iterum lib. 4. eiusdem operis, atque iterum lib. 6.

Τὴν δ' ἔβαλεν πρώτος κόρυθος φάλον ἱπποδασείης.

Et iterum eodem lib. 6. ante finem in duobus locis. Sed & apud alios quoque Virgilij testimonio de Mezentio loquens lib. 10. Æneidos.

—Cristáque hirsutus equina.

Et Silij lib. 8. de Curione.

Horridus & squammis & equina Curio crista.

u *Pyrrho.*] Plutarch. in vita illius. Pyrrhus, inquit, stabat detracta casside, ac rursus eam capiti imponebat, vt insigne hircinorum cornuum nosceretur.

x *Achæis.*] Plutarc. in Philopœmene. Sed & quod huic addas, Plinius lib. 10. c. 1. tradit conos bellicos & galeas pennis struthiocameli olim adornari solitas. Claudianus quoque in sextum consulatum Honorij, ostendit antiquiores illos galeas ornasse pennis auis Iunoniæ, id est pauonis.

Quod picturatas galea Iunonia cristas.
Ornet auis. ———

y *Alij rubras.*] Ad quas alludit Virg. 9. Æn.

—Tremunt in vertice cristæ.
Sanguineæ.—

Et antè.

——— Illum ipsum clypeum, cristásque rubentes,
Excipiam sorte.

& ibidem.

Purpurei cristis iuuenes auroque corusci.

† *Cymbri & Theutones.*] De his duobus Plutarc. in Mario.

z *Abradatæ.*] Xenophon Pædiæ Cyri lib. 6. non longè ante finem. Hic autem fuit Susorum rex, eique Panthea vxor conum ipsi fecerat, vt idem tradit.

a *Cyrus.*] Idem author eiusdem operis lib. 7. ad princ.

b *Cares.*] Plutarc. in Artaxerxe. Herodotus autem lib. 1. scribit eos primos galeis cristas imposuisse, & clypeis signa adiunxisse, lora scutorum excogitasse.

c *Alexandri cassidem.*] Plutarc. in vita illius. Apuleius autem (quod nostro authori addes) libr. 10. cap. 9. describit Castorem & Pollucem cassidibus stellariis orbatis stellarum apicibus lib. 10. c. 9.

d *Epiporpoma.*]

candidiſſimæ circumcingebant. Nonnunquam inſigne fuit [d] Epiporpoma. [e] Galli non modo ſcuta, ſed corallio ornabant galeas. Galatæ [f] partim cornua, partim quadrupedum habuere effigies. [g] Samnites cum pinnis muralibus digladiantur, in prælio vero [h] criſtatis galeis: ſicut [i] Luſitani, & Sacæ Scythica gens, quibus neruatis criſtatiſque galeis pugnare in vſu eſt. [k] Teucri, [l] Myſi, & [m] Thraces ſuper æneas galeas bouis aures & cornua apponunt. Inter cæteros [n] Conidus centurio, bello contra Myſos fertur miraculo fuiſſe, quod poculum ſupra caſſidem, modò ſuſcitans flammam, modò remittens deferebat. Erátque Romanæ militiæ vetus conſtitutum, ne [o] miles ſine commeatu ab ſignis abeat, [p] néve præſidio decedat, aut néve locum relinquat, aut è caſtri effugiat, neu diſcedat longius: ſed explorato, & ſub ſignis atque ſubſidiis poſitis, non modò in acies prodeat, ſed lignatum & pabulatum vadat: omnia denique velut ſi coram hoſte, cauta præuiſáque ſint. Vtque milites die ſimul ac noctu, iuxta parati inſtructíque [q] ad nutum imperiúmque præſto ſint: [r] qui contra fecerat, aut ignominia, notáque afficiebatur, aut ſeuera correptione capite luebat: tametſi nonnulli delicta huiuſmodi lenius vindicarint. Namque [s] Æmilianus Scipio, licet grauiſſimus exactor diſciplinæ, quem militem extra ordinem deprehenderat, fuſtuario plectebat, eúmque vulgato ad rem militarem exemplo, ſi [t] Romanus ciuis eſſet, vitibus, ſi verò externus, fuſtibus cædebat. [u] Eſt quoque lege militari ſancitum, ne lixæ permixti cum equitibus vagentur: [x] nevé frumentum publicè datum miles vendat: [y] aut prædas pecorum vel mancipiorum vino commutet: [z] néve gregarius miles in acie vel caſtris ſeruum aut iumentum habeat, neu quis, vbi tribunus militum fuiſſet, poſtea ordinum ductor eſſet: [a] nec qui ordines duxiſſet, miles poſtea fieret. Vtque milites manipulares, qui ſub diſciplina militent, [b] ſemper cincti [c] caligatíque ſint, quæ quidem caligæ multiplicibus [d] clauis munitæ erant. [e] diſcinctos enim, velut, ignauos & militiæ minimè aptos putarunt: præcinctos verò, fortes

Militia Romanæ vetus conſtitutum.

Scipionis animaduerſio in milites extra ordinem deprehenſos. Diſcincti. Macedonum lex militaris.

ANNOTATIONES.

d *Epiporpoma.*] πόρπη Græcis eſt fibula ſiue ſpinther connectendis vel ornandis veſtibus, vnde ἐπιπορπιῶ, & ἐμπορπῶ, fibulis connectere, adornare. & verbalia ἐπιπόρπημα & ἐμπόρπημα infibulatio, fibula pendens è chlamyde, vel è manica, vel è pileo, ornatus gratia.

e *Galli.*] Plinius lib. 31. cap. 5.

f *Galatæ.*] Diodorus Siculus lib. 6. c. 9.

g *Samnites.*] Varro lib. 4. de lingua Latina.

h *Criſtatis galeis.*] Liuius 1. Decad. lib. 9. & iterum 10.

i *Luſitani.*] Strabo lib. 3. Neruatas tamen non galeas, ſed peltas habuiſſe Luſitanos, & galeas, more Celtiberorum, ferreas, criſtatas palmis, ſcripſit Diod. Siculus lib. 6. cap. 9.

k *Teucri.*] Herodotus lib. 7.

l *Miſi.*] Herodotus ibid.

m *Thraces.*] Et ibi quoque. Ex quo loco intelliges eoſdem eſſe Myſos Thraces. Quibus addes Parthis plumatas loricas fuiſſe, quæ eos toto corpore tegebant, ex Iuſtino lib 41. vbi ſubdit, apud eos multum auri & argenti vſum fuiſſe, niſi in armis. Cuiuſmodi autem erant loricæ Sarmatarum ſiue Nomadum, videbis apud Pauſaniam lib. 1.

n *Conidus Centurio.*] Lucius Florus Epito. 4. cap. vlt.

o *Ne miles ſine commeatu ab ſignis abeat.*] Liuius 1. Decad. libr. 5. poſt princ. in oratione Appij Claudij ad fi. Nam & noſtris legibus miles ſine periculo à ſignis diſcedere non poteſt. l pen. ff. ex quibus cauſ. ma. idē & nos alibi diximus.

p *Néve præſidio decedat.*] In eodem loco Liuij, & præterea 3. dec. lib. 4.

q *Ad nutum.*] Q. Curtius lib. 3. vbi loquitur de militibus Alexandri.

r *Qui contra fecerat.*] Vide infrà lib. 2. cap. 13.

s *Æmilianus Scipio.*] Lucius. Florus Epitome Liuij 57.

t *Si Romanus ciuis eſſet, vitibus.*] Ipſe Florus eodem lib. Idque quod hîc dicit de vitibus deſumptum videtur ex Plinio lib. 14. c. 1. ad fi. & Corn. Tacito libr. 1. & 5. & Iuuenale loquente de Mario, Satyra 8.

Nodoſam poſt hæc frangebat vertice vitem.

Plura de fuſtis & vitis caſtigatione tradidi ad Macrum, qui de hac loquitur l. milites agrum. §. irreuerens. ff. de re milit.

u *Eſt quoque lege militari.*] Huius & ſequentium legum militarium fons eſt ratio diſciplinæ, quæ omnia deliciarum inſtrumenta militibus reſcidit, apud Florum ex Liuio epito. 57. Sed quod hîc de lixis ait, ideò ſanctum fuit, ne extraordinarij, quibus licebat quod libuiſſet, vt de lixis ait Feſtus Pompeius libr. 10. equitum diſciplinam corrumperent.

x *Néve frumentum.*] De tribus enim quæ miles curare debet, hoc vnum eſt, vt habeat cibum paratum ad ſubita imperia: quod tradit Liuius Decad. 5. lib. 4.

y *Aut prædas pecorum.*] Cum vino permutatio vetita eſt, ne vinum ſequentibus voluptatibus, vt ait Liuius 4. Decad. lib. 6. à diſciplinæ rigore milites deſciſcerent. Vnde Peſcenninus Niger, teſte Spartiano, cùm in Ægypto limitanei milites vinum ab Imperatore peterent, Nilum, inquit, vicinum haberis, & vinum quæritis? Vide Eraſ. in Apophth.

z *Néve gregarius miles.*] Iumenta omnia, quò milites oneri ferundo aſſuefacerent, Scipio Aphricanus vendi iuſſit, dum exercitum ad generoſiſſimam militiæ diſciplinam reuocauit. Ex L. Floro dicta Epitom.

a *Nec qui ordines.*] Dionyſius Halicar. lib. 9, P. inquit, Volero ex plebe vir fortis, qui ſuperioribus expeditionibus ordines duxerat, tunc inter gregarios adſcriptus, negabat ſe militem fieri debere, nullam ignominiam in militia meritum. Quod & ipſe ſcribit Liuius 1. Dec. lib. 2. non adeò longè à fine.

b *Semper cincti.*] Vide paulò poſt in verbo, Diſcinctos enim.

c *Caligatíque.*] Nam & caligati dicebantur milites manipulares l. de militibus, ff. de cuſt. reo. & l. 2. §. quod ait. ff. de his qui not. infam. & l. à caligato. C. de inopt.

d *Clauis.*] Iuuenalis Saty. 15. eademque vlt.

—Offendere tot caligatos. Milia clauorum.—

Et Valerius Max. lib. 9. cap. 1. vbi de Antigono: & Ioſephus lib. 7. belli Iudaici, vbi de nece Iuliani Hecatontarchi. Indeque etiam caligarea claui dicti Plinio lib. 9. cap. 18. & lib. 22. cap. item 22. & caligarij eidem Plinio lib. 34. c. 14.

e *Diſcinctos enim.*] Horat. in Epodo, ode 1. in fi.

Diſcinctus aut perdam, vt nepos.

Quo loco Acron & Porphyrion interpretantur, diſcinctus, id eſt, diſſolutus, negligens, omni luxuria diffluens Et Perſius Satyr. 3.

Non pudet ad morem diſcincti viuere Nattæ?

Et Satyr. 4.

Cum bene diſcincto cantauerit ocyma Vernæ.

Et Suet. in Auguſto c. 24. in fin. Pro cætero delictorum genere variis ignominiis affecit, vt ſtare per totum diem iuberet diſcinctos. Trebellius Pollio in Salonino Galieno. Spartianus in Seuero. Seruius coartans eum locum l. 1. Æn.

Illi ſe præda accingunt.—

Et eum locum lib. 8. ad finem.

—Diſcinctos Mulciber Afros.

Vbi

& ftrenuos. Quare Macedonum lex erat militaris, vt qui miles hoftem non occidiffet, non militari cingulo, fed capiftro cingeretur: quod apud Carthaginenfes feruatum legimus, vt difcinctos, poftremos homines ducerent: [f] tametfi Afrorum peculiaris feratur mos, fluxa tunica & difcinctos incedere. [g] Quinetiam vt in expeditionem ituri milites, arma & vallum, nec non vtrem, follem, fcutum, gladium, tum fi quid ad vfum velint, interdum plus dimidiati menfis cibaria, abfque feruorum aut iumentorum minifterio humeris ferant, antiqui moris & exempli fuiffe. [h] Illud quoque animaduertimus, nemini in Romana militia extra ordinem, etiam in prouocantem, contra imperium pugnare licuiffe: idem Macedonibus, quibus iniuffu ducis aut arma capere, aut in ordines ire vetabatur, quódque, [i] nifi militari facramento miles adfcriptus foret, hoftem gladio petere, aut militare minimè fas erat: perindéque in eum militaris animaduerfio fuit, qui hoftem militiæ facramento non adfcriptus occideret, [k] aut qui claffico reuocatus, tardius parêret, quàm qui ciuem aut focium iniuria occidiffet. [l] Ideò laudaffe Cyrus dicitur militem, qui cum hoftem interfecturus gladium eduxiffet, claffico receptui audito, ictus cohibuit, & hoftem dimifit. [m] Sed prius fua fponte decuriati equites, centuriati pedites, facramenta mutuò præftabant. [n] Paulo deinde Æmylio, & Terentio Vartone confulibus, tunc primum, quod nunquam antea factum, per tribunos militum à voluntario facramento ad legitimum iufiurandum milites adacti fuere. [o] Quod quidem imperator præftare tenebatur primus, fuo mox ordine fubfequebantur legati, deinde tribuni, deinde centuriones, poftea decuriones, mox præfecti caftrorum, demum milites: quod fingulis annis Calendis Ianuariis denuo præftabatur. [p] Iurabant enim per deos folemne iufiurandum: poftea in acta principum, fe iuffu confulum conuenturos, [q] neque è caftris, eorum iniuffu, quæfitis occafionibus abituros, non fugæ formidinífque caufa extra ordinem receffuros, nifi teli fumendi, vel hoftis feriendi, aut ciuis feruandi caufa. [r] Neque in exercitu propéve decem paffuum millia, pluris argentei nummi furtum facturos: extráque haftam, ligna, pabulum, vtrem, follem, fi quid quod pluris effet, nacti fuiffent, id omne ad confules delaturos aut dominis reddituros. [s] Nonnunquam alio facramento milites adactos comperimus, tunc

Aphri difcincti. Sua quique onera ferebant.

Pugnare extra ordinem iniuffu ducis nō licebat.

Sacramento militari non adfcripto hoftem ferire aut militare fas non erat.

Iuramentum legitimū militare.

Iuramenti militaris forma.

ANNOTATIONES.

Vbi Difcinctos ait, inhabiles militiæ. Omnes enim qui militant cincti funt, aut certè inefficaces & ignaui: vt contrà, Præcinctos ftrenuos dicimus. Horat.

Altius & nos — , *Præcinctus vnum. —*

Vnde & Græcè Ἄζωνος appellatur, non qui bonam zonam habet, fed qui eft ftrenuus, & vide Feftum Pompeium li.5. paulo poft princ.

f *Tametfi Afrorum.*] Virgilius eo loco, quem nuper citauimus,

—— Difcinctos Mulciber Afros.

Vbi Seruius fic fcribit, vel habitum eorum oftendit, qui vfque ad talos fluebat. quod Plautus in Pænulo tetigit Act. 5. Scena 5.

Quis hic homo cum tunicis longis, quafi puer cauponius?

eodemque illud Iuuen. Saty. 8.

Cùm tenues nuper Marius difcinxerit Afros.

g *Quinetiam.*] Ad Romanos redit. Eft Cicer. lib. 2. Tufcul. Quæft. Noftri exercitus primùm vnde nomen habeant, vides: deinde qui labor, quātus agminis: ferre plus dimidiati menfis cibaria: ferre fi quid ad vfum velint, ferre vallum. Nam fcutum, gladium, galeam in onere noftri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Tametfi imperator Alexander expeditionis tempore meliùs putauit, vt annonam milites in expeditionibus acciperent: nec cibum feptemdecim dierum portarent, vti folebant.

h *Illud quoque animaduertimus.*] Liuius 1. Decad. lib. 7. vbi loquitur de Manlio Torquato, qui aduerfus Gallum prouocantem, non priùs fe obtulit, quàm eius rei poteftatem à Tito Q. Pœno Dictatore impetraffet. Et rurfum eodem libro dum loquitur de M. Valerio Coruino, qui & idē fecit. Et 3. Decad. lib. 3. vbi idem quoque fecit Claudius Afellus, prouocatus à Iubellio Taurea Campano. Quam hiftoriam quoque recenfens Silius Italicus lib. 13. hæc fcribit.

Prauetitum capitis pæna committere Martem

Spontè viris. —

Et Liuius dictæ Deca. 3. li. 5. vbi T. Quintius Crifpinus prouocatus à Badio, & ipfo quoque Campano, à Confulibus eius rei facultatem petiuit.

i *Nifi militari facramento.*] Apud Romanos, qui facramento non tenerentur, licèt in caftris verfarentur: tamen nec hoftes prælio laceffere, nec ferire fas erat, vt authoritate Catonis iunioris fcribit Plutarch. eius rei multas rationes afferens problemate 38. Cic. de Officiis lib. 1.

k *Aut qui claffico reuocatus.*] Plutarch. in Apophthegmatis Laconum ignobilium, Lacon, inquit, in acie cum enfem foret in hoftem illaturus, figno receptui dato non intulit: fed quodam percunctante, Cur hoftem, quem ceperat, non occidiffet? Quia parere, inquit, Imperatori melius eft, quam hoftem necare.

l *Ideo laudaffe Cyrus.*] Plutarch. d. problem. 38. & ante eum Xenophon Pædiæ Cyri lib. 4. ad princ. vbi illum militem Chryfantem nuncupant.

m *Sed prius fua fponte.*] Ex Liuio 3. Decad. lib. 2. & vide præterea Iulium Frontinum Stratagematōn lib. 4. cap. 1.

n *Paulo deinde Æmylio.*] Ex eodem Liuio vbi fuprà.

o *Quod quidem Imperator.*] Magnam partem huius ordinis accepit à Cæfare lib. 3. belli Ciuilis, cuius hæc verba funt, Princeps Labienus procedit, iuratque fe eum non deferturum (de Pompeio loquitur) eundemque cafum fubiturum, quemcunque ei fortuna tribuiffet. Hoc idem reliqui iurant legati. Hos Tribuni militum, Centurionéfque fequuntur, atque idem omnis exercitus iurat.

p *Iurabant enim.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. & iterum 3. Decad. lib. 2. & Seruius lib. 8. Æneid. in princ.

q *Neque è caftris.*] Liuius d. 3. Decad. lib. 2. & Iulius Frontinus lib. 4. Stratagematōn cap. 1.

r *Neque in exercitu.*] Ex Gellio lib. 16. c. 4. authoritate Cincij in lib. 3. de re militari.

s *Nonnunquā alio facramēto.*] Liuius 1. Decad. libro 2. in M. Fabio & Cn. Manlio Coff. Idem autem 3. Decad. lib. 6. tradit Acarnanes in bello aduerfus Aetolos coniuraffe, nifi victores fe non redituros, qui victus exceffiffet, eum ne quis vrbe, tecto, menfa, lare reciperet. Sed & 4. Decad. lib. 1. fcribit, Abydenos iureiurando à facerdotibus adactos fuiffe, neminem viuum, nifi victorem acie exceffurum. Sed & apud Cæfarem lib. 3. Belli Ciuilis, Labienus primùm, deinde Pompeius & cæteri iurarunt, fe, non nifi victores in caftra redituros. Paufanias l. 2. fcribit Argiuos dū ad bell[o]m Troianum proficifcerentur, iuraffe fe in bello perma[n]furos, donec vel Ilium cepiffent, aut ipfi inter pugna[n]dum occubuiffent. Superioribus autem adde inter cætera, quę milites iurabant, id fuiffe, fcilicet, fe obtēperaturos ducibus, atque eorum mandata pro viribus executuros, vt tradit Polybius lib. 6. vbi id prætereà dicit, vnum omnium

Pariter. ingens subeunda dimicatio foret, & in extremum discrimen res venit, vt nisi victis, debellatis, fusisque hostibus victores forent, se ad castra nunquam redituros iurarent.[t] Tum illud notatum est, quod si ab vniuerso exercitu iusiurandum consuli præstandum esset, satis fuisse, si centurio vel tribunus exercitus nomine, conceptis verbis, sublimi voce iuraret, omnisque multitudo & singuli milites communi conspiratione & consensu in eadem verba silentio in se quisque iuret. Hocque iusiurandum, ac si concepta verba singuli expressissent, perinde tenere, ac sanctum & illibatum haberi.[u] Apud Lacedæmonios vero milites hoc etiam iuramentum præstare soliti sunt, eosdem cum imperatore amicos inimicosque habituros, vtque bonorum malorumque firma consensio inter eos & fœderatio esset.[x] Neque omittendum quod de Atheniensibus memoriæ proditum est, qui cum propter quotidianas contentiones, & violatum ius gentium, infensi Megarensibus & animo hostili essent: quoties milites solito militari sacramento adigebant, hoc etiam iusiurandum illos subire coegisse, se intra militiæ tempus quotannis quoquo modo possent. Magaresium agros finésque infesto exercitu inuasuros, & peruastatis agris, nihil intactum relicturos, atque in eos omni clade belli grassaturos.

Lacedamonij. & Atheniensium militum in Megarenses consuetū iuramentum

ANNOTATIONES.

primum in id sacramentum speciatim deligere solitos, tum reliquos singulatim procedentes, omnia se facturos, vt primus ille.

t *Tum illud notatum est.*] Paulò aliter Seruius in lib. 8. Æn. in princ. Nempe, quòd si esset tumultus, id est, bellum Italicum, vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate, erat rumor tumultus, vnde nomen tumultus deriuatum, tunc singulos interrogare non vacabat. Qui erat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium: & exinde proferens duo vexilla, vnum roseum, quod pedites euocabat: & vnum cæruleum, quod erat equitum (nam cæruleus color est maris, à cuius Deo equum constat inuentum) Qui vult Rempublicam saluam esse, me sequatur & qui conuenissent, simul iurabant.

y *Apud Lacedamonios.*] Id si apud illos moris fuit, inde ortum conicio, quòd cùm in vrbanarum tribuum qualibet quinquagenarij octo essent, duces militis peregrini, vt testatur Xenophon de Rep. Lacedæmoniorum, extraneum vel mercenarium militem iureiurando adigere ad eorum fidem oportuit, & religione iuramenti in officio continere.

x *Neque omittendum.*] Id ex Plutarcho in Pericle.

Dissensio inter duos ludi professores super verbo, inuenio & reperio, contra obseruationes. Grammatici cuiusdam, CAPVT XXI.

AMBVLABAMVS in littore dum Neapoli essemus, æstiuo anni tempore, cum iam aduesperasset, ego & Iunius Antonius, & plerique studiosi paribus disciplinis dediti, qui illuc ociandi causa aduenerant. Cúmque duos ludi literarij professores, super verbo reperio & inuenio, graui contentione inter se iurgantes disceptantesque videremus, libuit eorum disceptationi interesse. Atque ex his alter, cum inuenire diceret esse, impenso labore rem diu quæsitam assequi: reperire verò, rem non quæsitam, sed forte oblatam, nancisci, idque Ouidij authoritate, qui in suo maiori carmine dum Inachum natam Io quærentem facit, post longos & irritos labores his verbis illam affatur, Tu non inuenta, reperta es. Quos ipse versus sic explicabat, vt diceret, te ego cum diu quæsierim, non inueni, sed casu oblatam comperi. Ouidium ergo de significatu verbi contra illum diiudicare asserebat, qui verbum reperio casus facit, non operæ. Quóque minus dubites, inquit ille, habes Latinæ linguæ doctorem non ignobilem. nec mora, commentatiunculas quasdam grammatici hominis non incuriosi, quas secum adduxerat, è sinu togæ depromit, in quibus ita scriptum erat: Excogitare consilij est; reperire verò fortunæ. Vnde Ouidius, Tu non inuenta, reperta es. Hæc cum ille & pleraque legisset, reclamabat alter, doctorem iustum nec verba nec mentem Ouidij intelligere quisse, labique errore manifesto. Siquidem reperire, est cum labore aliquid quæsitum assequi, deductum ex re & pario. parere enim est cum labore quærere: vnde pecunia parta, cum labore quæsita dicitur: imò eundem Ouidium quem in medium ille addoxerat, eodem versu significantius contra demonstrare: Tu non inuenta, sed reperta es, inquit, quasi, ego te non casu & fortuna nactus sum, sed studio & labore quæsitam reperi. Quod & alio versu eundem exploratius significare aiebat: Examinansque artus primò, mox ossa requirens, Repperit ossa tamen, Prætérque hanc Ouidij authoritatem, idem apud autores probatissimos vsu continuo obseruari. Q. Curtius: Quippe Euphrates, inquit, altum limum vehit, quo penitus egesto, vix sufficiendo operi firmo reperiunt solum. Et idem: Quia duces asseruari profugerant, misit qui conquirerent, nec reperti. Suetonius in Cæsare: Idque eo studiosius facerent quòd aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant. Vides, inquit ille, reperire esse operæ & consilij, non autem fortunæ? Atque alter eum contra tenderet, & voce immodica obstreperet, eadem sæpius & quædam nugalia repetendo, cupidus ego istius doctoris mentem plane perspicere, accipio libellum à manibus magistri, atque in eo lego pleráque nimium

Reperio vnde.

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

ID caput ex his est, quibus Laurentium Vallam innominatim, vt semper alias, taxat. Cuius locus est Elegantiarum lib. 3. cap. 2. quo ipse Valla contendit interesse inter hæc verba inuenio & reperio, vt illud sit rei perquisitæ, hoc oblatæ: Alexander autem multis antiquorum scriptorum testimonijs, probat reperire de re perquisita dici. Quibus addes Plautum in Cistellaria.

Requirens seruus reperit, quem proiecerat.

Et in Trinummo,

Non monstrare possim istos homines, quos tu quæritas, quod ad exemplum est,

Coniectura si reperire possumus.

Terent. in Phor.

Sed vbi Antiphonem reperiam: aut qua quærere insistam via?

Vbi

audacis doctrinæ & confidentis. Nanque eò processit, vt singulos ferme veterum probatissimos, quorum vestigiis nobis inniti operæpretium est, à præscripta à se lege & dicendi norma dissidentes, taxare non fuerit veritus. Præter quæ, in eo admiratus sum, offendo & nanciscor ferè idem esse quod repetio, quod procul à vero esse apertè liquet. Etenim si reperire est aliquid impenso studio inuenire, vt est modo ostensum: nemo ferè quisquam id in verbo nanciscor & offendo inueniet. Siquidem verba hæc haud dubiè sub casu & fortuna sunt. Præterea qui rem exquisitius pensabit, inueniet nancisci id frequentius notare rem scilicet fortè oblatam, data occasione assequi & habere. T. Liuius tertio ab vrbe condita: Pacunius, inquit, Calanus malis artibus nactus opes. Idem, castris ponendis dispersos nactus. Cæsar idoneam tempestatem nactus dixit, id est, assequutus. Id quod Festo Pompeio authore scientissimè probatur, qui verbo nanciscor, significatum assequendi potius, quàm inueniendi, in suis commentariis tribuit, & plerisque veterum auctoritatibus, in quibus si nancisci inuenire dixeris, profecto absurdè & imperitè loqueris. Hæc & pleraque in eo eum legissem, cùm me iam tæderet, librum restituo, atque illos inuicem altercantes disceptantésque relinquo.

Offendo, & nanciscor.

ANNOTATIONES.

Vbi Donatus interpres id non obscurè animaduertit. Et rursus in Hecyra,

Perpol quàm paucos reperias meretricibus fideles euenire amatores

Quo etiam in loco ipse Donatus, Aptum, inquit, verbum ad raritatem. & ideo non dicit, pauci sunt, sed paucos reperias quærens: non autem reperitur, nisi quod quæritur: nō quæritur, nisi quod præstò non sit. Et Sueton. in Augusto c. 94. Et diu quæsitus tandem in altissima turri repertus est. De verbo autem inuenire, vt etiam dicatur de re non quæsita, probat apertissimè illud Senecæ in lib. 6. de beneficiis, Transeuntem Platonem, quem non quæsierat, inuenit. Illud autem Ouidij,

— *Tu non inuenta, reperta es.* est ex lib. 1. Metamor.

Ex quibus victoriis olim consules, & deinde sequuti duces, triumphare consuerint.

CAPVT XXII.

VETERES Romanos, olim [a] nō ex quibuscūque victoriis triumphare consueuisse, sed cum bellorum & victoriarum causæ eo munere dignæ viderentur, triumphos egisse accepimus. Causæ vero triumphorum licet à prima origine exiles fuerint atque tenues, quippe quia exiguis viribus & parua manu rem agebant: postea, aucto dilatóque imperio, maiores certioresque fuere, vt ad triumphi munus quisquam aspiraret. [b] Cum Veientes olim Tarquiniensésque pro Tarquiniis contra Romanos mouissent arma, & velut æquo marte vtrinque pugnatum foret, quod vno plus Hetruscorum in acie cecidisset, nec hostium quisquam postera die in conspectu erat, digna res triumpho visa fuit. Itaque Valerius consul, quamuis collega morte sublato, de Veientibus Tarquiniensibúsque triumphum egit. [c] Et P. Valerius, & T. Lucretius consules cum infesto exercitu in agrum Sabinum profecti primò vastatione, mox prælio ita hostium opes afflixissent, vt nihil inde rebellionis timeri posset, triumphantes vrbem iniere. [d] Quinetiam ex deditis & non captis vrbibus, aut hostibus fusis & auersis, stante dictatore, à consulibus sæpe triumphatum est. [e] De Priuerno & [f] Pometia, déque [g] Sabinis & Samnitibus, etsi non vi captis, sed in deditionem acceptis, triumphare licuit, proptérque auersos & palatos hostes, [h] C. Petilius consul, dictatore Q. Seruilio Hala, de Tiburtibus & Gallis triumphauit. Et [i] Cornelius & Bebius consules, quòd Ligures Apuanos non expectantes bellum, in deditionem acceperunt, & [k] ad duodecim millia in alias terras traduxerunt, de Liguribus velut acie victis triumpharunt. Procedente mox tempore, cum propagato imperio, cum hostibus validioribus, magnis vtrinque viribus bella agerentur, [l] cautum fuit, ne cui triumphum, nisi quinque hostium millia cecidisset, & iusta acie magnas copias fudisset, decernere liceret. Cuius rei fidem apud quæstores, vt quid laboris exhaustum, quidve cædis, noscerent, amplissimo testimonio facere oportebat. Idq; non ab re visum. [m] Erat enim triumphus ingens honorum cumulus, quem multi duxerunt maximum vitæ bonum, quo nisi magnis conatibus deuictis perduellibus, victores

Causa triumphorum à prima origine exiles.

Triumphorum causa exiles abrogata.

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

a *NOn ex quibuscunque victoriis.*] Vide Valer. Max. lib. 2. cap. 3. in princ.

b *Cum Veientes.*] Liuius 1. Decad. lib. 2.

c *Et P. Valerius.*] Hæc propè ad verbum sunt Liuij eodem lib. 2. Decad. 1.

d *Quinetiam ex deditis.*] Vt patet ex his quæ sequuntur.

e *De Priuerno.*] Ex Liuio 1. Decad. lib. 7.

f *Et Pometia.*] Ex eodem eiusdem Decad. lib. 2.

g *Deq; Sabinis.*] Posteaquàm se Collatia Sabinorum vrbs se per legatos dedidit, bello Sabino perfecto, Tarquinius triumphans Romam rediit. Liuius lib. 1. Decad. 1.

h *C. Petilius.*] Liuius 1. Decad. lib. 7. docet hic legendum C. Petilius Balbus, qui cum M. Fabio Ambusto consul fuit. Claudius enim Petilius Marci Valerij Coruini in consulatu collega, nihil quidquam memorabile refertur edidisse, quo triumphum adipisceretur.

i *Et Cornelius & Bebius.*] Liuius 4. Decad. lib. 10. vbi dicit hos omnium primos nullo bello gesto triumphasse.

k *Ad duodecim millia.*] Legendum quadraginta millia ex Liuio vbi supra. & adde superioribus Sp. Cassium Consulem, Volscis & Hernicis deditis, periisse, & obtinuisse triumphum: gratia magis vsurpantem eum honorem, quàm iure postulante. quippe qui nec vrbes vllas expugnauerat, nec hostem acie fuderat, nec triumphi ornamentum, captiuos vllos habebat, aut spolia, quæ in pompa traduceret. Hæc enim de eo scripsit Dionysius Halicarn. lib. 8.

l *Cautum fuit ne cui triumphum.*] Valer. Max. lib. 2. cap. 3. in princ. At Paulus Orosius lib. 5. cap. 2. dicit legem fuisse Romæ, vt quisquis quinque millia hostium peremisset, triumphandi haberet potestatem.

m *Erat enim triumphus.*] Nam & Scipio Africanus apud

Triumphus quibus admittebatur.

bello duces honestabant. [n] Vtque nisi pro aucto imperio, non pro recuperatis his quæ bello amissa erant, triumphus cuiquam decerneretur. [o] Quinetiam nisi suo ductu & auspicio, ac in sua & non aliena prouincia, eáque paccata, & nullo manente bello, imperatores hostes profligassent & vicissent, triumphare nemini licuit. [p] Ideo Liuio & Nerone consulibus deuicto ad Metaurum Hasdrubale, Liuius, qui in sua prouincia rem gesserat, de Hasdrubale & Pœnis iustissimè triumphauit, Nero autem, qui potior victoriæ causa fuit, quòd in aliena prouincia soppetias collegæ dederat, ouans in vrbem vectus est [q] Exquæ duobus consulibus eandem prouinciam sortitis, contráque eosdem militantibus, vni triumphum decretum, quòd hostes fusius egerat, ciúsque ductu & auspicio parta victoria fuerat, alteri negatum legimus. L. Valerio Potito & M. Manlio consulibus, quòd contra Æquos in Algido prosperè rem gessissent, Valerio triumphus, quòd perseuerantior in hoste persequendo, instando, vrgendóque fuerat: Manlio verò, vt ouans vrbem iniret, à senatu datum est. [r] Fuitque animaduersum, quod tametsi victis, fusis, fugatísque hostibus, res triumpho dignas imperatores gessissent: si tamen neque dictator, neque consul aut prætor exercitui præfuissent, neque legitimum haberent magistratum, cuius ductu & imperio victi essent & profligati, triumphare nemini fas erat, Propterea L. [s] Cornelio Lentulo, magnis rebus gestis, negatus triumphus fuit, quòd proconsul Hispaniam prouinciam, non consul obtinuisset. Tametsi Scipionem proconsulem, & cui sæpe prorogatum imperium fuerat, de Hannibale & Pœnis: & [u] Cneum Manlium de Gallogræcis, [x] Paulúmque Æmylium de Ingaunis Liguribus, [y] & Pompeium Magnum de Sertorio, proconsules egisse triumphos legamus. [z] Perraro enim alicui triumphare permissum fuit, qui sine legitimo magistratu, & sine iusto imperio rem gessisset: [a] præter Pompeium Magnum, qui tametsi in senatum per ætatem admissus non fuisset, eques Romanus adhuc, id quod contigit nulli deuicto in Africa Domitio, triumphauit: [b] cui hoc ferunt præcipuum contigisse, quod è tribus orbis partibus speciosos egerit triumphos: [c] sicut Camillo, qui tres triumphos vnà egit, triplici victoria ouans. [d] Sed nec eum qui magnis perpessis cladibus, & nimium cruenta victoria esset potitus, tanquam lugubri, & parui compendij, quod multis funeribus, non multis commodis rempublicam affecisset. [e] Propterea Valerio consuli, victori contra Gallos, ob cladem exercitus, negatus triumphus fuit: cum magis dolor ciuibus amissis, quàm victoria hostibus fusis præualuisset. [f] Nec eum

Pompeius Magnus eques adhuc triumphauit. Camillus tres triumphos vna egit.

ANNOTATIONES.

Liuium 3. Decad. lib. 10. dicit, Nihil magnificentius quicquam triumpho apud Romanos esse.

n *Vtq; nisi pro aucto imperio.*] Valerius Maxi. lib. 2. cap. 3. vbi de Q. Fuluio & M. Marcello loquitur, & Plutarch. in Pompeio.

o *Quinetiam nisi suo ductu.*] Valerius Maxim. vbi suprà post princ. & Liuius 4. Decad. lib. 1. ad finem. vbi cùm L. Furius Prætor triumphum ex Gallis peteret, maiores natu Senatores negabant, quòd alieno exercitu & aliena prouincia rem gessisset, magnáque pars Senatus nihil præter res gestas, & an in magistratu, suísque auspiciis gessisset, censebant spectare Senatum debere: euicit tamen Furius vt triumpharet. Idem eiusdem Decad. libr. 4. refert Appium Claudium Prætorem ob rem feliciter gestam aduersus Celtiberos, ouantem fuisse Vrbem ingressum. Causam autem triumphi negandi Senatui fuisse, quòd alieno auspicio, & in aliena prouincia pugnasset. Velleius Paterculus libr. 2. Lepidus, inquit, cum difficultate locorum, & cum vi hostium luctatus, magna cum clade obsistentium, excisis agris, exustis ædificiis, cæsis viris, lætus victoria, prædáque onustus peruenit ad Cæsarem, & ob ea, quæ si propriis gessisset auspiciis, triumphare debuerat, ornamentis Consularibus, consentiente cum iudicio principum voluntate Senatus, donatus est.

p *Ideo Liuio & Nerone Coss.*] Valerius Maxim. lib. 4. cap. 1. & Liuius 3. Decad. lib. 8. vbi tamen ipsum quoque Neronem triumphasse dicit: sed equo inuectum, & sine militibus. Alterum autem quadrigis inuectum & cum militibus

q *Exq; duobus Coss.*] Hæc omnia ad seq. clausulam sunt Liuij 1. Decad. lib. 5.

r *Fuitq; animaduersum.*] Plutarch. in vita Scipionis. Liuius 3. Dec. lib. 8. & alio loco quem mox citabimus.

s *L. Cornelio Lentulo.*] Liuius 4. Dec. lib. 1.

t *Scipionem proconsulem.*] Liuius 3. Decad. lib. 8. & alibi sæpe duobus libris sequentibus. & Plutarchus in vita illius. Atque alterum Scipionem Proconsulem: scilicet, P. Cornelium Scipionem & de Liguribus triumphasse tradit Liuius 4. Decad. libro 6.

u *Et Cn. Manlium de Gallogræcis.*] L. Florus Epit. 2. in Bello Gallogræco scribit negatum fuisse triumphum ob victoriam Gallogræcorum, déque ea contentione refert complura Liuius Dec. 4. lib. 8. & demum lib. seq. post princ. sic ait, Ad tertium Nonas Mart. Cn. Manlius Volso de Gallis qui Asiam incolunt triumphauit.

x *Paulumq; Æmylium.*] Liuius 4. Decad. lib. 10.

y *Et Pompeium Magnum de Sertorio.*] Plutarch. in vita illius & Val. Max. lib. 8. cap. 16. Et adde M. Acilium etiam Proconsulem de rege Antiocho & Ætolis triumphasse, apud Liuium 4. Decad. lib. 7.

z *Perraro enim.*] Liuius 3. Decad. lib. 8. vbi de triumpho P. Scipionis. Valer. Max. lib. 2. c. 3. vbi de eodem Scipione loquitur.

a *Præter Pompeium Magnum.*] Plinius lib. 7. c. 26. & Lucius Florus Epitome Liuij lib. 89. Valerius Maximus lib. 8. c. 16. Plutarch. in Mario non semel. & de eo quoque Hircius in Bello Africano, Adolescentulus, inquit, atque eques Romanus triumphauit.

b *Cui ferunt præcipuum.*] Vide Plinium lib. 7. cap. 26.

c *Sicut Camillo.*] Plutarc. in vita illius. Liuius 1. Decad. lib. 6. post princ.

d *Sed nec eum.*] Vale Max. lib. 3. c. 2. & 3. vbi de P. Scipione.

e *Propterea Valerio Cons.*] Paulus Orosius historiarũ lib. 4. c. 9. in princ. Sed & ob eandem causam denegatus est M. Attilio Regulo, Consuli ob amissa multa millia militum aduersus Samnites, apud Liuium 1. Decad. lib. 10.

f *Nec eum, qui exercitus.*] Liuius 4. Decad. lib. 9. vbi de L. Manlio Proconsole petente sibi decerni Halpiniam. Rerum, inquit, gestarum magnitudo impetrabilem faciebat, exemplum obstabat, quòd ita comparatum more maiorum erat, ne quis, qui exercitum non deportasset, triumpharet, nisi perdomitam pacatámque prouinciam tradidisset successori: medius tamen honos Manlio habitus, vt ouans Vrbem iniret.

g *Est*

qui exercitus Romam non deporiasset, nisi perdomitam pacatámque prouinciam successori dedisset, more maiorum. Est [g] tamen memoriæ proditum, nonnunquam stantibus consulibus prætorem qui in sua prouincia res gesserat, hostésque fuderat, etiam sine coosulibus triumphasse: [h] duósque consules de eisdem hostibus parta victoria triumphantes vrbem iniisse. [i] Neque negauerim, non semel, sed pluries in eodem magistratu, & contra eosdem hostes, propter res feliciter gestas, magnis sæpe ducibus triumphare permissum, quódque à principio vrbis, non curru triumphali, nec equo vehi triumphantes; sed pedibus incedere assueueraot, Postea equo victi, [k] demum curru quadriiugo triumpharunt. [l] Tametsi Romulum de Acrone Ceninensium duce, curru quatuor equorum triumphasse Dionysius asseuerat. [m] Ac ex duobus imperatoribus in magistratu positis, illi qui in supremo gradu est, soli triumphare permissum. Ideo consul cum dictatore aut prætore non triumphat, ne minor potestas maiori æquata videatur, néve auspicia quæ maioris magistratus sunt, cum minoribus confunndatur, [n] licet dictatorem & magistrum equitum vnà triumphasse sæpe legamus.

Triumphantes initio vrbis pedibus incedebant.

¶ Illud denique ex annalibus constat Romanum ciuem, quamuis reipubl. perniciosum & infestum, si bello victus foret, in triumpho deferri non licuisse: quodque [p] si contra piratas, seruos aut fugitiuos, vel aliud genus hominum Romano nomine indignum, bellatum foret, tanquam belli causa erubescenda, quamuis parta victoria, aut hostibus fusis, aduersisque, nemini triumphare licere.

Rom. ciuem in triumphum ducere non licet.

¶ Contra verò ciues bello victos, quia lugubris victoria est, ipséque dux minime imperator censetur, licet bene gerendæ rei occasione data, neque ouare, neque triumphare, vel supplicationes cuiquam decernere, dum respubl. sterit, vnquam permissum fuit, nisi post aliquot ætates, cum [r] Aurelianus Augustus de Tetrico viro senatorio (quem in oriente vicerat) & Zenobia muliere triumphauit. [s] Apud Græcos vero seruatum diu est, vt qui imperator hostem fugasset, trophæo donaretur: qui occidisset, aut funditus euertisset, triumpho, vel encomio & peplo. [t] Fuisse autem peplum, velum in quo qui facinora gesserant fortia, singula egregiè gesta, atque acerrima prælia & maxima effingere, illúdque pro immortali memoria exponere palam, & templis dicare assueuerant scriptores produnt in [u] quo deorum imagines, sæpe clarissimorum virorum gesta effingebant. [x] Quare Athenienses Antigoni & Demetrij imagines cum Ioue & Pallade effinxere in peplo. [y] Nonnulli peplum eximij candoris vestem sine manicis, aureis distinctam clauis, fuisse autumant: [z] quam quinto quoque anno apud Hylen mulieres sex & decem Iunoni contexebant. [a] Encomion verò carmen in victoris

Græcorũ triumphi. Peplum.

Encomion.

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

g *Est tamen memoria proditum.*] Id satis constat ex iis, quæ diximus suprà io verbo, Quinetiam.

h *Duosq; consules.*] Nam & C. Claudius Nero & M. Liuius Coss. simul triompharunt, ex Liuio 3. Decad. lib. 8.

i *Neque negauerim.*] Ego reperio Petilium consulem de Gallis Tyburtibúsque geminum triumphum egisse, apud Liuium Decad. 1. lib. 7. & C. Mario duos triumphos ex gestis in eodem magistratu oblatos fuisse. Florus ex Liuio Epit. lib. 68.

k *Demum curru quadriingo.*] Camillus Dictator primus curru equis albis iouncto, Vrbem iouectus triumphans ingressus est. Liuius Decad. 1. lib. 5.

l *Tametsi Romulum.*] Dionys. Halicarn. lib. 2. triumphasse Romulum ait, quem tamen duplici victoria ouantem Liuius apellat Dec. 1. lib. 1.

m *Ac duobus imperatoribus.*] Valer. Maxim. lib. 2. c. cap. 3. non multò post princ. vbi loquitur de Luctatio coosule & Valerio prætore.

n *Licèt Dictaterem.*] Foere certè illi disparis potestatis, vt edocet Liuius Decad. 3. lib. 2. & 8.

o *Illud denique.*] Ideo cùm A. Cornelius Cossus Dictator triumphauit inuidioso magis triumpho quàm glorioso, fremebat popolus vni defuisse tantum superbiæ, quod M. Manlius ante currum sit ductus, ioquit Liuius 1. Decad. lib. 6.

p *Quodq; si contra piratas, seruos, aut fugitiues.*] Neque eoim illi hostes erant populi Romani. l. hostes sunt. ff. de capt. & postlimin. reuer. Legas tamen M. Crassum diuitem cum Pompeio & Cæsare Triumuirum, quòd duodecim millia gladiatorum fugasset, qui in Campania doce Spartaco insurrexerant, ouantem Vrbem ingressum fuisse.

q *Contra verò eiues.*] Ex Valer Max. lib. 2. cap. 3. vbi loquitur de P. Scipione & M. Marcello. Sed Herodianus lib. 3. scribit Septimium Seuerum Imperatorem, recusasse triumphum ex ciuili victoria Iuliaoi, Nigri, & Albini deuictorum, quod & ipsum dicit Ælius Spartianus in vita illius, Ne, vt dicebat, videretur de ciuili triumphare victoria. Scribit tamen Tacitus lib. 20. non multò post princ. Mutiano data trumphalia de Cioili bello, ídqoe cum multo honore verborum.

r *Aurelianus Augustus.*] Flauius Vopiscus io vita illius, & Trebellius Pollio in vita Zenobiæ.

a *Apud Græcos.*] Id probatur ex iis quæ sequuntur: sed noo omittam id magna ex parte sumptum fuisse ex Seruio lib. 10. Ænæid. in eoio locum:

— Voueo prædonis corpore raptis
Indutum spoliis, ipsum te Lause trophæum.
Ænea.

Dictum est, ioquit, trophæum ἀπὸ τῆ τρέπεσθαι, id est, ab hostium conuersione. Vnde qui hostem fugasset, merebatur trophæum: qui autem occidisset, triumphum, ἀπὸ τῆ θριαμβεύειν, id est ab exultatione. Idem quoque Seruius io li. 11. Æocid. quo loco citabimus infrà, io verbo, Vel insignem arborem. Plenæ (ait) victoriæ triumphus debetur,

t *Fuisse autem peplum.*] Id quoque ex eo probatur, quod statim ex Plutarch. dicetur de Atheniensibus, & quod Virgil. scribit in Cyro post prioc.

Sed magno intexens (si fas est dicere) peplo,
Qualis Erichtheiis olim portatur Athenis,
Debita cùm casta soluuntur dona Mineruæ.

Et paulò post,

Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ,
Magna giganteis ornantur pepla trophæis:
Horrida sanguineo pinguntur prælia succo.

u *In quo deorum imagines.*] Et hoc quoque ex ipso Plutarcho.

x *Quare Athenienses.*] Plutarch. in Demetrio.

y *Nonnulli peplum.*] Scilicet Lactantius Placidus interpres Statij lib. 10. Thebaidos non adeò longè à princ. Sed tu de huiusmodi vocabuli significatione, vide omnino oostras leges Connubiales l. 3. inter ornamenta moliebria.

z *Quam quinto quoque anno.*] Vide ipsum Lactantium.

a *Encomion.*] Menander in Artibus. Et ea voce in hac significatiooe vsus ex Plutarchus in Fabio Maximo.

Epinicion, Trophaeum.

laudem editum ad immortalitatem, quo ipsius res gestæ magnificæ, illustri præconio canebantur, quod [b] epinicion vocant: [c] trophæum verò monumentum dixere nunc marmoreum, modo æneum, cum inscriptione & titulis æuo perpetuo duraturis. Nonnunquam, si materia non suppetebat, [d] lapides in ingentem cumulum aggerando, [e] vel insignem arborem excisis ramis, vbique hostium spolia statuendo, in memoriam posteritatis, bonis & fortibus viris pro trophæis erigebant. [f] Tametsi qui primi ex Græcis æneum aut lapideum statuere trophæum, non magnopere probati fuerint, quod regum tantum nomina illis inscriberent, nec militum operam aut fortitudinem, quibus victoria parta fuerat, annotarent. [g] Fuitque moris in locis quibus cum hostibus decertassent & vicissent, aut aliqua insigni clade affecissent, ibi victores duces pro monumento laudis cum ampla inscriptione trophæum ponere, & fortium factorum posteris dare memoriam. Quare Pericles nouies partia victor, trophæum posuit: & aliud [h] Agesilaus inter Anthracem Narthecium que erexit. Lacones, quòd Persas parua manu vicissent, porticum Persicam de manubiis trophæi loco extruxere. Idem contigit [i] Fabio Æmyliano, qui ad Rhodanum deuictis Gallis, ex candido lapide velut monumentum magnæ laudis trophæum tulit. [k] Sylla contra Archelaum potitus victoria, fixit stemma, in quo Martem, Victoriam, & Venerem, & se venustum inscripsit. [l] Marius verò de Iugurtha & Cimbris duplici est trophæo donatus. [m] Metellus autem deuicto Sertorio aureum sibi poni iussit. [n] Quod & Flaminius de torquibus Gallorum aureum statuit, cum elogiis monumentorum cladis illatæ. [o] Claudius quoque diuictis Boiis, ex torquibus Gallorum vnum magni ponderis in Capitolio donum posuit, index victoriæ & triumphi. Sicut [p] Octauius, qui ex auro rostratæ columnæ in foro trophæum fixit. [q] Germanicus verò deuictis nationibus inter Rhenum & Albim congeriem marmorum, structis

Trophæa quibus statuebantur, & quo loco. Trophea diuersa variarum gentium ex diuersis causis.

ANNOTATIONES.

b *Epinicion.*] De hoc Suetonius in Nerone c. 43. Reuocatisque ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ iam nunc sibi componi oporteret. Et lib. Machabæorum 2. cap. 8. Et cùm epinicia cantarēt in Hierosolymis. Vbi Nicolaus Lyrensis non malè interpretatus est, solennitates pro victoriis. Et hoc apud Græcos vsus est Plutarc. in Romulo. Hincque Demosthenes *τὰ ἐπινίκια θύειν*, pro victimas ob partam victoriam immolare. Aliter autem accepisse videtur Plato in Symposio, vbi ita facit loqui Socratem: *χθὲς γὰρ αὐτὸν διέφυγον τοῖς ἐπινικίοις φοβηθεὶς τὸν ὄχλον.*

c *Trophæum verò monumentum dixere.*] Cicero, aut quisquis is est. ad Herennium lib. 4. Ad id autem quod dicit hic, cum inscriptione & titulis, spectat illud Virgilij lib. 11.

—— Inimicaq; nomina figi.

Vbi Seruius, Dixit (ait) affixos trophæis titulos cum nominibus occisorum. Ego de ruderibus trophæi, quod C. Marius ad Aquas Sestias erexit. Amplius didici & ex opere testaceo constructa trophæa, quibus affigi exuuias promptius, quàm marmoreis faciliusque fuit.

d *Lapides in ingentem cumulum.*] Herodotus lib. 7. Quem locum vbi tenuere Barbari, lapideum illic titulum imposuerunt.

e *Vel insignem arborem excisis ramis.*] Ex Virgilio lib. 11. Æneid. ad princip. cuius hi versus sunt.

Ingentem quercum, decisis vndique ramis,
Constituit tumulo: fulgentiaq; induit arma,
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaq; trunca viri, & bis sex thoraca petitum,
Perfossumq; locis: clypeumq; ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

Et Iouenalis Satyra 10.

Bellorum eximia, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendens.
Et suspensa graui telorum fragmina trunco.

Et quæ sequuntur. Et Suetonius in Caligula c. 45. Truncatisque arboribus & in modum trophæorum adornatis. Et Plutarchus in Romulo, vbi ipsius trophæum de Acrone, Ceninensium rege, describit. & in Marcello, vbi de Triumpho Gessatarum, & in Nicia non multo ante fi. Et Claudianus lib. 1. in Rufinum,

Festinas vrgete manus, meus ecce paratur
Ad bellum Stilico, qui me de more trophæis
Ditat, & hostiles suspendit in arbore cristas.

Et Prudentius lib. 2. in Symmachum,

Et Sidonius Apollinaris in Panegyrico Maiorani post principium.

Ista micant clypeo, cuspis trabe surgit eburna.
Ebria cæde virûm propter Bellona trophæum
Extruit, ut quercum captiuo pondere curuet.

f *Tametsi qui primi ex Græcis.*] Plutarchus in Problem. cap. 36. Diodorus autem Siculus lib. 3. in oratione Nicolai Syracusij, scribit Priscos Græcos in victoriis bello partis curauisse ne lapidea, sed lignea potius trophæa erigerentur, vt his breui tempore consumptis, quàm celerrime auferrentur è medio monumenta discordiæ.

g *Fuitq; moris.*] Id probatur ex iis exemplis, quæ mox subiciuntur.

h *Et aliud Agesilaus.*] Xenophon in oratione de laudibus ipsius Agesilai, & Plutar. in Apophth. Laconicis, & in vita illius. vbi etiam non multò post tradit Bœotios iuxta Itoniæ Mineruæ sacrum trophæum erexisse, Atheniensibus ibi prælio victis.

i *Fabio Æmiliano.*] Strabo lib. 4. Vbi præterea dicit ipsum Fabium ob eam victoriam duo templa extruxisse, Marti quidem vnum, Herculi verò alterum.

k *Sylla contra Archelaum.*] Plutarch. in vita illius.

l *Marius verò.*] Suetonius in Cæsare, & c. 11. & Plutarc. in vita ipsius Marij.

m *Metellus.*] Plutarc. in vita Sertorij.

n *Quod & Flaminius.*] Lucius Florus Epitom 20. in bello Gallico.

o *Claudius quoque deuictis Boiis.*] Is fuit M. Claudius Marcellus Consul, ex Liuio qui id tradit 4. Decad. lib. 3. authoritate Valerij Antiatis.

p *Sicut Octauius.*] Hîc, ni fallor, deceptus est Alexander. qui ex auro has columnas rostratas fuisse dicit. Nam ex ære dicit Virgil. de his loquens lib. 3. Georg.

Atque hîc vndantem bello, magnumq; fluentem,
Nilum, ac nauali surgentes ære columnas.

Vbi Seruius scribit Augustum, de quo Virgilius ibi loquitur, victorem totius Ægypti, sustulisse de nauali rostra ærea: quibus conflatis, quatuor effecit columnas, quæ posteà à Domitiano in Capitolio sunt positæ, quas, inquit, hodiéque videmus. De Augusti autem trophæo vide apud Plinium lib. 3. cap 20. Appianum lib. 5. bellorum Ciuilium loquentem de trophæo Victoriæ aduersus Pompeium, Magni filium.

q *Germanicus.*] Corn. Tacitus lib. 2. vbi de ea re loquens, Miles, inquit, in loco prælij Tiberium Imperatorem salutanis.

molibus, Tiberio ſacrauit. Proditumque memoriæ eſt,[r] Artemiſiam, deuicta Rhodo, trophæi loco duas ſtatuiſſe imagines æneas, vnā Rhodiæ ciuitatis, alteram illi ſtigmata inurentem pro æterna memoria dedecoris, ignominiæque acceptæ. Mirúmque prodi de [s] Numenio Antiochi duce, qui cum in Arabia, æſtuante vadoſo & reciproco mari, prælio nauali contra Perſas victor fuiſſet: mox æſtu reuerſo, pedeſtri certamine ibidem victor, gemina trophæa Ioui & Neptuno poſuit.[t] Sicut de Neoptolemo Mithridatis duce traditur, circa Mæotim æſtate nauali pugna, hyeme verò equeſtri, glacie concreto mari, iiſdem in locis victoriam tuliſſe. [u] Conuenitque inter peritos rei militaris, quod tametſi duces fœliciter rem geſſiſſent, & inſigni victoria potiti eſſent, ſi tamen precariò ab hoſte aliquid petiiſſent, nec trophæo donarentur, nec encomio.[x] Viriatus autem Luſitanus hanc temeritatis laudem tulit vt potitus victoria contra Romanos, trabeas & conſulares faſces triumphi loco [y] in montibus figeret.[z] Sic Pompeius, deuictis Hiſpanis & Alpinis gentibus trophæa in Pyrenæis iugis, quà in Hiſpaniam iter eſt, excitauit. [a] Et Domitius Ænobarbus, [b] ac Fabius Maximus contra Allobroges, turres, fixis hoſtilibus armis, erexere. Inter cæteros memoriæ proditur [c] Seſoſtris Ægypti rex, ſi cum hoſtibus qui magno certamine dimicaſſent, & præſenti animo reſtitiſſent, rem geſſiſſet: ibi trophæum cum coleis & virili membro erigere: ſi verò remiſſo & languido animo, per ignauiam segniter victi, aut nullo negotio pulſi eſſent, contra eos muliebri genitali conſtituto, tanquam indeſides & ignauos, trophæum ponere conſueuiſſe. [d] Apud Lacedæmonios vera, contrà. Nam qui dux fortiter dimicaſſet, & cruento Marte, magnáque hoſtium clade viciſſet, trophæi loco gallum diis immolabat: qui verò deditione & pacto, nec nimium cruenta victoria potitus, belli mala vitaſſet, bouem: vt ſignarent, magis decere imperatorem (iuxta Periclis ſententiam) conſilio & aſtu, quàm gladio aut multo ſanguine fuſo, victoria potiri. Nequæ prætereundum, quod tametſi ponendi trophæa, rebus properé geſtis apud Græcos freqnens vſus foret: [e] regibus tamen Macedonum fuiſſe vetitum, ne illa erigèrent: quippe cum Caranus deuicto Ciſſeo rege, trophæum poſuiſſet, noctu veniens leo, illud euertit & diſiecit: inde velut fœdi oſtenti maliq́ue ominis vetitum eſt ne in poſterum regis Macedonum quæſitis victoriis [f] trophæa ponerent.

Qui precario ab hoſtibus aliquid petiiſſent

Seſoſtris trophæum.

Lacedæmonij victoriam incruentam laudabant.

Periclis ſententia.

Macedonibus trophæum erigere vetitum.

ANNOTATIONES.

tauit, ſtruxitque aggerem, & in modum trophæorum arma ſubſcriptis victarum gentium nominibus impoſuit. Et paulò poſt, Laudatis, ait, pro concione victoribus, Cæſar (is Germanicus erat) congeriem armorum ſtruxit, ſuperbo cum titulo. Debellatis inter Rhenum Albimque nationibus exercitum Tiberij Cæſaris ea monimenta Marti & Ioui & Auguſto ſacrauiſſe. Qui locus, ſi perpendatur, docebit, aut Alexandri, aut ſcriptoris hîc eſſe vitium, vbi legitur, congeriem marmorum, pro congeriem armorum, vt legitur apud Tacitum. Quod, ſi cui magis placet ex huius authoritate verba Taciti emendare, non impediam.

r *Artemiſiam.*] Id eſt Vitruuio eſt lib. 2. c. 8.

s *De Numenio.*] Plinius libr. 6. c. 28.

t *Sicut de Neoptolemo.*] Strabo lib. 17.

u *Conueniq́ inter peritos.*] Ex Plutarcho in Nicia, vbi ſcribit ipſum Niciam nihil veritum illam ſeu legem, ſeu conſuetudinem, qua paſſim ab omnibus iudicatur, illos hoſtibus victoriam tacito conſenſu tribuere, qui corpora ad ſepulturam repetere coguntur. Itaque trophæi ſtatuendi, quibus id euenerit, imperatoribus facultatem adimi. Qui enim vicerint, potentiores eſſe iudicantur. Ideoque vt precario quidquam ab inferioribus petere abſurdum videtur: ſic nihil Niciam eam legem veritum, victoriæ ac gloriæ opinionem negligere maluiſſe, quàm ciuium ſuorum corpora inhumata relinquere.

x *Viriatus autem Luſitanus.*] Paulus Oroſius lib. 5. cap. 2. Florus lib. 2. Epit. de rebus in Hiſpania geſtis.

y *In montibus.*] Nam & aliàs huiuſmodi trophæa figebantur in locis eminentioribus, ſiue editoribus, de quibus videas apud Virg. lib. 11. Æneí, vbi trophæum de Mezentio tumulo conſtituit. & ibi Seruius id annotauit quod diximus: qui & ſubdit, quòd ex eo more trophæa in vrbibus figebantur, in arcubus exædificatis. Et vide verſu ſequen. vbi de iugis Pyreneis. Id autem ita fiebat, vt trophæa eſſent conſpicuiora, poſſentque à longinquo conſpici.

z *Sic Pompeius.*] Plinius lib. 3. c. item 3. in princ. & lib. 7. c. 26. & lib. 37. c. 2. & Seruius in 11. Æneid. ad princ. authoritate Salluſtij, cuius hæc verba adfert, Domitis Hiſpaniis trophæa in Pyrenæis iugis conſtituit. Et ante hos Strabo lib. 3. non ſemel, & iterum lib. 4.

a *Et Domitius Ænobarbus.*] Lucius Florus lib. 3. Epit. in bello Allobrogico.

b *Ac Fabius Maximus.*] Strabo lib. 4. Quo in loco, inquit, Iſar & Rhodanus ad Cemmenum montem confluunt, vbi Q. Fabius Maximus Æmylianus triginta vix militum millibus, ducenta Gallorum millia ad internecionem dedit, & de lapide candido ibidem trophæum erexit, Marti quidem vnum. Herculi verò alterum. Et Lucius Florus vbi ſuprà.

c *Seſoſtris Ægypti rex.*] Herodotus lib. 2. & Diod. Siculus lib. 2. c. 1. Et ante hunc Hiſmandius, & ipſe Ægypti rex, patientem ſculpere fecit, captiuis abſque pudendis, manibúſque à rege ductis: quæ nota erat illos eſſe animo viles, & corpore imbecilles. Diod. ibi.

d *Apud Lacedæmonio.*] Plutarchus in Marcello. Theriades autem Lacedæmonius in bello quodam aduerſus Argiuos, cùm eius exercitus iam victor eſſet, tamen graui vulnere iaceret, antequàm animam exhalaret, excepto ſuo ſanguine trophæum iuſſit tolli, quod digito ſanguine oblito inſcripſit. Ad quod reſpiciens Statius lib. 4. Thebaïdos ſtatim poſt princ. ait:

Et Lacedæmonium terra lectura cruorem.

Vbi Lactantius interpres id refert quod diximus.

e *Regibus tamen Macedonum.*] Hæc vſque ad fi. ſunt Pauſaniæ lib. 9. Reperio tamen Philippum Alexandri Magni patrem, Macedonum regem, Illyriis deuictis, trophæum erexiſſe, apud Diod. Siculum lib. 16. cap. 2. Alexander autem Magnus eius filius, nec de Dario, nec de victoriis Indorum trophæum ſtatuit, vt dicit Pauſanias, vbi ſuprà.

f *Trophæa ponerent.*] De aliis autem trophæis vide Ciceronem de Oratore, ad Herennium lib. 4. Plinium lib. 3. c. 20. Plutarc. in Parallelis c. 5. & 6. Herodianum lib. 3. tum in vita Baſſiani, vbi de Alexandri Magni trophæo, tum etiam in triumpho Septimij Seueri.

Diſceptatio Franciſci Philelphi cum Grammatico, an Cicero aliquando ludum aperuerit.

CAPVT XXIII.

 Franciſcus

FRANCISCVS Philelphus, ætatis suæ homo doctus & fartunatus: inter sui æui poëtas famam carmine primùm auspicatus est: à principibusque qui eo tempure floruerunt, magnis honoribus & re familiari auctus & honestatus fuit. Cuius vitia ineuntis adolescentiæ, postquam deferbuere cupiditates, cum iam ætate matura se nesceret, magnis postea virturibus emendauit. Is cum æuo ingrauescente celebris famæ haberetur, & optimatum rogatu accersituque Romam aduentasset, experiri, credo, volens, quantum dicendo valeret, Tusculanas quæstiones Ciceronis publicè in scholis legere aggressus est. Ad eum quotidie concursus studiosorum iuuenum, & clari nominis professorum frequens fiebat. Ipseque inter legendum firma etiam tunc voce & latere, nouis & exquisitis eloquentiæ generibus præceptisque discipulos imbuebat, exploratóque iudicio singula dicendi genera, & philosophorum scita multo cum nitore & cultu pensitabat & rimabatur. Eum ego adolescentulus senem inter cæteros coæuos meos colui & obseruaui: cumque ad eum nos

Ludus Ciceronis.

quoque ventitaremus, memini ipsum inter legendum dicere, Ciceronem cum eiusmodi quæstiones scriberet, conuentum sue ætatis studiosorum habuisse, ludumque literarium quasi aperuisse: & pleraque hoc genus satis scitè & eleganter, vt mos ingeniúmque eius fuit, non sine multo ornatu in scholis recensere. Cúmque perorasset, & à lectione, vt fit, discipuli apud eum se colligerent & fabularentur, ipseque illa eadem sæpius repeteret: animaduerti quempiam grammaticum florentis facundiæ, cuius nomen libens prætereo, eius doctrinæ æmulum, qui ipsum perniciali odio prosequebatur, sæpeque apud studiosos illum in inuidiam crimenque vocabat, singuláque non modo dicta factáque, sed verba & nutus obseruabat, contradicere: quæque ille dixerat, vera esse pernegare, neque apud autores inueniri, Ciceronem ludum aperuisse, aut scholas studiosorum habuisse, asseuerare. Cúmque Philelphus, mitis vt erat & placidus, non rhetorum scholas, in quas homines passim ventitarent, sed tamen aliquos præstantis ingenij viros, studiosos disciplinarum Ciceronem edocuisse, & quasi ludum aperuisse diceret, idque testimonio probari illius [a] ad Pætum epistola, qua se Dionysium superiorem imitari dicit, qui cum Syracusis expulsus, Athenas commigrasset, ludum inibi aperuit: se pariter habere discipulos asseuerauit. Hæc & pleraque cum ille diceret contraque eum alter insectaretur, & iam non contentione, sed clamoribus & prope dimicatione rem agerent, nec res sisti videretur posse: excandescens Philelphus, tanta indignatione exarsit, vt illum indoctissimum omnium indoctorum vocitaret. Tandem communi discipulorum amicorumque intercursu, desita ira & ardore illo animorum, composita controuersia, & lis dirempta est. Sed cum postea in ipsius Ciceronis multiplici lectione versaremur, inuenimus id ab eo apertius significari. Namque [b] ad Volumnium Cassium scribens, Cassium & Dolabellam suis auribus frui asseuerat. [c] Ad Pætum quoque, Veniunt qui me audiunt quasi doctum hominem, quia paulo sum quàm illi doctior. [d] Et ad Papyrium Pætum: Hircium ego habeo, inquit, & Dolabellam, dicendi discipulos, cœnandi magistros: puto te audisse illos apud me declamitare. [e] Vatinius quoque ad Ciceronem de Catillo inquit: Defenditur à Q. Volusio tuo discipulo. [f] Quod & M. Fabius de Cælio & Pansa testatur: qui omnes à primo ætatis gradu Ciceronem in disciplinis bonarum artium sectati fuere. Sed quod de Cicerone, idem nimirum [g] de Socrate, Platone, & Aristotele, aliisque doctissimis viris, qui scientia præcelluere, accepimus, qui bonis disciplinis iuuenum animos imbuendo, æternam sibi gloriam peperere, suísque dissertationibus & documentis diuersarum opinionum sectas inuenere. Ante omnes [h] Pythagoras Samius iuuenum æmulantium studia scholasque sophistarum in Italia habuisse fertur: pluresque discipulos reliquisse magnæ & expertæ virtutis. [i] Sic Thebanum Epaminundam Lysias Pythagoreus, [k] Aristoteles Theophrastum, [l] & Syracusanum Dionysium Plato erudiuit. Perraróque eximius aliquis ingenio & doctrina inuentus est vir, cuius non aliqua monumenta studiorum mandata literis, aut aliqui discipuli sapientiæ præceptis aucti & imbuti, velut hæreditaria munera posteritati [m] relicti fuerint.

ANNOTATIONES.

a *Illius ad Pætum epistola.*] Quæ est lib. 9. epist. fam. epist. eius li. 18. quæ incipit, Cum essem otiosus.

b *Ad Volumnium Cassium.*] Epistol. famil. lib. 7. epist. eius lib. omnium postrema.

c *Ad Pætum quoque.*] Lib. 9. Epistol. famil. epist. eius lib. 20. omnium 171. ad fin.

d *Et ad Papyrium Pætum.*] Episto. famil. lib. 9. epist. eius lib. 16. omnium totius operis 167. eius initium est: Delectatuot me tuæ literæ.

e *Vatinius quoque ad Ciceronem.*] Inter epistolas ad familiares ipsius Ciceronis lib. 5. epist. eius lib. 10, omnium 67.

f *Quod & M. Fabius.*] Quintilianus scilicet, lib. oratoriarum Institutionum.

g *De Socrate, Platone.*] Hoc videre licet apud Laërtium in vitis eorum.

h *Pythagoras.*] Idem Laërtius in vita illius.

i *Sic Thebanum Epaminundam.*] Plutarch. in vita illius.

k *Aristoteles Theophrastum.*] Laërtius in vita vtriusque.

l *Et Syracusanum Dionysium.*] Plutarchus in vita Dionis: & Laërtius in vita ipsius Platonis.

m *Relicti fuerint.*] Addo superioribus quæ de Cicerone dicta sunt, quæ & ipse lib. 1. de Diuinatione scribit, Nuper cùm essem cum Q. Fratre, in Tusculano disputatum est. Nam cùm ambulandi causa in Lyceum venissemus (id enim superiori gymnasio nomen est) Perlegi, ille inquit, tuum paulò antè tertiũ librum de natura deorum Ex quibus planè constat Lyceũ fuisse gymnasium in Tusculano Ciceronis à nomine Aristotelicæ scholæ dictum. De quo etiam per ipsum Cice. lib. Academic. quæst. Et quod scribit Plutarc. in vita ipsius Ciceronis eum, Rempublicam in monarchiam per Cæsarem mutatam aspicientem, publica misisse, ac operam iunioribus præbuisse, qui philosophiæ adorti studiũ forent

In quo

In quo gradu cognationis apud plerasque gentes matrimonia licuerint, & quàm diversi mores in contrahendis nuptiis fuerint. CAPVT XXIV.

INTER [a] omneis constare video, licuisse quondam passim & nullo delectu aut modo, veteres coniugiis affinium cognatorúmque copulari: quod tamen non æquè apud omnes seruatum est. Nam etsi apud nonnullas [b] Indorum gentes, [c] Arabas, [d] Persas, [e] Mauróśque, qui iuxta Bactrianos sunt, ac [f] Magos & [g] Babylonios, quorum hoc institutum fuit, cum quibus [h] Chrysippus sentire visus est, filios matres ducere vxores, & cum parentibus stupro coire, atque ex eis sobolem gignere passim licuerit, idque inter eos coniugium nullis fuerit legibus vetitum: [i] tamen apud reliquas vbique gentes, tam immane scelus, lege & moribus sub graui documento interdictum fuit: nefas scilicet existimantes, filios cum matribus turpi amore commisceri, ferarum ritu: quod dictu audituque fœdum & pudendum est. [k] Ægyptij vero sororum amoribus coniugiisque implicari, & cum his passim matrimonia inire solitauere. [l] Quippe Ptolemæus, vt sororis quam miro amore deperibat, coniugium sortiretur, & suam libidinem expleret, passim id licere permisit. Itáque vt dirum facinus, & notam turpitudinis nefariæ, velamento matrimonij obnubilaret, omnibus id permitti voluit. [m] Id quod Persis quoque licuit. [n] Nam Cambyses duas sorores cum desiderium ferre non posset, [o] Darius Satyram iisdem genitam parentibus connubio sibi deuinxere. Idem [p] Epirotæ, & [q] Macedones: siquidem & [r] Ptolemæus Ceraunicus Arsinoem ducit, [s] & Olympias Pyrrhi filia, fratris coniugio potita fuit. Contra vero [t] omnis ferè Græcia, qui inter priuatas necessitudines cum sororibus commisceri interdictum habuere: nefandumque putauere eodem parente genitos, inuicem incestis nuptiis detineri. Tametsi [u] Athenienſibus germanas duxere vxores, crimini datum non fuerit: quippe [x] Cymon Elpenicem duxit. & ex illo traditum, impune cum sororibus coniugari. [y] Persis quoque legitimum fuit, neque pudendum visum est, non modo sororibus, sed & filiabus commisceri. [z] Namque Artaxerxes Athosim atque Mestrim filias iustæ vxoris loco habuit: alij impune id factitarunt, [a] quod Græci & pleraque gens improbum nefandumque existimarunt. Præ omnibus vero [b] Lesbij fœdissimæ Veneris fuisse traduntur: apud quos nihil sinceri erat aut incontaminari: adeo vt ne capiti quidem parcerent, & omni fœda libidine se inquinarent. [c] Apud Romanos vero tam informia coniugia, lege & moribus interdicta fuere: apud quos licet cùm affinibus, cum quibus summa erat necessitudo, coniugalem inire copulam esset lege vetitum, ea de causa, vt nouos affines agnationibus familiarum, multasque propinquitates & clientelas mutuis affinitatibus sibi adsciscerent cognationis iure: tamen cum sobrinis, aut defunctæ vxoris sorore, vel mortui fratris vxore copulari non vetabatur. Cæcilius enim Metellus, vxore defuncta, illius sororem desponsam tulit. [d] Et Brutus Porciam

Babylonij.

Ægyptij.

Persæ.
Epirotæ.
Macedones
Græci.

Athenienses.
Persæ.

Lesbij.
Romani.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIV.

a *Inter omnes.*] De hac re scripsimus in nostris legibus Connubialibus in l.7.num.30.32.& multis seq. in quibus videbis authorum de hac re testimonia, quorum nos versu seq. nonnulla afferemus.

b *Indorum gentes.*] Hieronimus lib.2.aduersus Iouinianum quod vix alibi reperies.

c *Arabas.*] Strabo lib. vbi scribit apud Arabes, qui in Aromatifera regione sunt, omnibus consanguineis vnam vxorem esse.

d *Persas.*] Idem Strabo lib.5.ad fi. Catulus quo loco statim citabimus. Curtius lib.7. & alij multi à nobis citati d. l. 7. connubiali num. 32.

e *Mauróśque.*] Legendum Nautos ex Curtio lib. 8. non moltò post princ.

f *Magos.*] Laërtio in procemio, authoritate Socionis Catullus in Gellium.

Nascatur Magus ex Gelli matrisque nefando
Concubitu, & discat Persicum aruspicium.
Nam Magus ex matre, & nato gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia relligio.

g *Et Babylonios.*] Adde & alias multas gentes, vt Parthorum, Medorum, Phrygum, Galatarum, Ætgiopum, Scytharum, Hyberorum, Nomadum, vt & nos diximus & probauimus ea illis nostris legibus Connubialibus l.7.n.33.

h *Chrysippus.*] ἐν πολιτείᾳ, vt tradit Laërtius in vita illius, & Epiphanius lib. Hæreseon 3.c.vlt.& alij, quos videbis d. l. 7. Connub. num. 38.

i *Tamen apud reliquas.*] Vt & nos latè scripsimus in eadem l. 7.

k *Ægyptij.*] Diodorus Sicul. lib. 1. & alij ibi. à me citati.

l *Quippe Ptolemæus.*] Iustinus lib. 24. Pausanias in Atticis. Herodianus lib. 1.

m *Id quod Persis.*] Vt & suprà dictum est in verbo, Persas.

N *Nam Cambyses.*] Herodotus in Thalia.

o *Et Darius*] Iustinus lib. 21.

p *Idem Epirotæ*] Quod probatur ea eo quod statim dicetur de Pyrrhi fillio.

q *Et Macedones,*] Contrà Herodianus lib. 1. dum scribit, Ptolemæum, contra Macedonum leges, sororiis amoribus sese implicasse.

r *Ptolemæus Ceraunicus.*] Plut. in lib. de educatione liberorum. Iustinus lib. 24. Pausanias lib. 1.

s *Olympias.*] Iustinus lib. 28. in princ. Olympias, inquit, Pyrrhi Epirotæ regis filia, amisso marito, eodemque germano fratre Alexandro &c.

t *Omnis ferè Gracia.*] Herodianus, vbi nuper citauimus.

u *Athenienſibus*] Arnobius lib.8. contra Gentes. Sed tu tamen vide d. nostras ll. Connubiales in 7. l. num. 37.

x *Quippe Symon.*] Probus Æmylius in procemio, & iterum in vita ipsius Cymonis.

y *Persis quoque.*] Sed de iis iam dictum est.

z *Namque Artaxerxes.*] Vide d.l.7. Connubialem nu. 32.

a *Quod Græci.*] Vt dictum est suprà.

b *Lesbij.*] Ex Aristophanis interprete in Vespis, eum locum interpretante Μιλλεσαυιδι λεσβιζειν τὰς ξύμπντας, idque testimonio Theopompi in Vlysse, & Heraclidis in Troilo.

c *Apud Romanos.*] Ex Plutarcho problem. 6.108. vbi reddit multas rationes. & vide d. l. 7. Connubialem nu. 41, & multis seq.

d *Et Brutus Porciam sobrinam.*] Plutarch. in vita illius, & alij plerique suas consobrinas in vxores duxêre, vt videbis in d.7.l.

Fratris filiam ducere licebat Romanis & Græcis. Nouercam ducere. Sobrini filiam ducere. Vxores quot quisque vellet ducebat.

ſobrinam, nulla prohibente lege, deſponſauit. L. quoque Craſſus ex defuncti fratris vxore filios eduxit & propagauit.[e] Ex deſcendentibus vero ad neptes vſque coniugia Romani vetuere, id quod etiam plebiſcito cautum fuit.[f] Sed fratris filiam ducere vxorem, licet antea lege vetaretur, ſubſequutis inde temporibus, paſſim id licere principes voluere, poſt quam [g] Claudius Cæſar rem deſuetam vſurpauit, vt Agrippinam, cuius amore deperibat, ſibi vxorem deſponſaret. Idem apud Græcos licuiſſe comperimus, Nanque [h] Alexandrides ſororis filiam ſponſam duxit: ex qua Doryeum, Leonidem & Cleombrotum genuit: quod ſuccedenti æuo [i] à Nerua fuit ſeuera conſtitutione inhibitum. Proditus tamen memoriæ eſt [k] Antoninus Caracalla, præter inſtitura maiorum, nouercam Iuliam vxorem duxiſſe, nuptiaſque inceſto primus polluiſſe: cauſatus, principi quodcumque liberet, impune licere. [l] Et licet ſocrus genero copulari nullis auſpiciis poſſet, [m] ſobrini tamen filiam vxorem ducere nullæ leges vetuere. Scipio enim Naſica Africani maiorem filiam nullo prohibente iure ſibi deſponſauit: quod alij frequenter factitarunt. Procedente mox tempore, [n] Valentinianus Cæſar, vt ſoboles paſſim propagaretur, genteſque affarim redundarent, duas ſimul vxores ducere licere, duobuſque impune coniugiis commiſceri lege ſacrata ſanciuit:[o] quam legem Iulius Cæſar decreuiſſe dicitur, vt liberorum quærendorum cauſa, quot vellet quiſque vxores ducere, facultas foret. [p] Id quod apud Siculos & [q] Athenienſes in vſu fuiſſe quandoque inuenimus. Siquidem [r] Dionyſius vno ſimul tempore cum Doride Locrenſi, & Ariſtomacha Syracuſana nuptias celebrauit. Et [s] Demetrius Antigoni filius, atque [t] Euripides poëta duobus ſimul coniugiis nihil veriti ſunt copulari. [u] Socratem quoque tradunt ſimul Xantippen & Myrtonem Ariſtidis neptem habuiſſe vxores. [x] Ipſe vero Demetrius tam inexhauſtæ libidinis fuiſſe fertur, vt poſtpoſitis armis & omni apparatu belli contra Megarenſes, Lamiæ proſtitutæ amore accenſus, inſeruiret: vt haud immerito Lyſimacho oſtentanti vulnera quæ cum leone miræ magnitudinis pugnans, paſſus fuerat: ipſius legati reſpondiſſe ferantur, quaſi alludentes, Demetrium quoque meretricis Lamiæ in collo notas & vulnera dentibus inflicta, exhibere potuiſſe. Proditum vero memoriæ eſt Athenienſes, vt exhauſtam iuuentutem belli cladibus repararent, decreto cauiſſe, vt vrbanam ciues ducerent, & ex altera liberos tollere non vetarentur: Apud Spartanos duas ſimul duxiſſe, crimini fuiſſe datum ſatis conſtat (licet aliqui contra vetitum peſſimo id exemplo factitarint) [y] Lycurgi lege, qua binas vxores vnas ædes incolere, atque in eadem domo habitare non permiſit. [z] Brachmanes, [a] Numidæ, & [b] Mauri, pro modo facultatum vxores habent: itaque multis denas, pleriſque vigenas habere permiſſum eſt. [c] Reges quoque Perſarum & Aſſyriorum, plures, quibus ciuitates pro redimiculis & muliebri mundo largiuntur, habent vxores.[d] Sed ſicut apud diuerſas gentes, nationes que diſpares gradus affinitatis cognationiſque, quibus eum iungerentur, definiti fuere: ita mores obſcœnos & ſordidos ritus, ac fœda quædam ſolennia in contrahendis nuptiis, pleræque gentes diſpari obſeruarunt modo. [e] Quippe Thraces mulieres nupturæ, non parentum arbitratu, ſed præmiis nubunt. Virgines enim quæ forma præcellebant, à viris pretio exhibito, & certa ſubtaxata pecuniarum ſum-

Demetrij libido. Athenienſes vrbanam ducebant vxorem. Spartani. Brachmanes. Numidæ. Mauri. Perſarum & Aſſyriorum reges. Ritus diuerſi in contrahendis nuptiis. Thraces.

ANNOTATIONES.

in d.7 l. Connubiali nu.44. Neque enim id legibus noſtris prohibitum eſt, vt ibi dicitur.

e *Ex deſcendentibus.*] Vt videre licet ex l. nuptiæ conſiſtere. & l. vlt. ff. de ritu nupt. & §. ergo non omnis. Inſtit. de nupt.

f *Sed fratris filiam.*] Ex l. qui in prouincia. § diuus. ff. de ritu nupt & aliis multis citatis in d. l. 7. numero 42.

g *Claudius Cæſar.*] Suetonius in vita illius c. 7. & Cornelius Tacitus lib. 11.

h *Alexandrides.*] Legendum Anaxandrides ex Herodoto, id de eo referente lib. 5.

i *A Nerua.*] Vt tradit Dion Nicæus in vita illius. Sed tu ſuper hoc vide omnino d. l. 7. Connubialem d. num. 42. vbi videbis & ante tempora Neruæ fuiſſe prohibitum.

k *Antoninus Caracalla.*] Ælius Spartianus in vita illius.

l *Et licet ſocrus.*] Quod videre poteris ex noſtra l. Connubiali 9. num. 104.

m *Sobrini tamen filiam.*] Neſcio quonam pacto hæc clauſula præcedenti coniungatur, cum nihil cum ea commune habeat. Eſt tamen verum quod id dicitur. Nam ſi ſobrinam licet ducere vxorem, vt dictum eſt ſuprà in verbo, Et Brutus, multò magis eius filiam.

n *Valentinianus Cæſar.*] Aliam huius l. cauſam affert Socrates Conſtantinopolitanus in hiſtoria tripartita Caſſiodori libro 8. cap. 11. Nempe quod poſt Seuerinam priorem, vxorem, Iuſtinam quoque, quam deperibat, duceret. De quo etiam Paulus Diaconus in vita Valentis ipſius Valentiniani filij.

o *Quam legem Iulius Cæſar.*] Suetonius in vita illius c. 52.

p *Id quod apud Siculos.*] Quod probat eo quod poſtea dicit de Dionyſio.

q *Et Athenienſes.*] Gellius l. 15. c. 20. vide d. l. 7. Cōnub. c. 23.

r *Dionyſius.*] Cic lib. 5. Tuſcul. quæſt. Valerius Max. lib. 9. c. 14. Plutarc in Dione, poſt prin. Ælianus de Varia hiſtoria l. 13. vbi tamē poſteriorem illam vxorē vocat Ariſtæneram.

s *Et Demetrius.*] Plutarch. in vita illius.

t *Euripides*] Gellius d. lib. 15. c. 20. Sed tu omnino vide d. l. 7. Connubialem, nu. 23. 25. & 26.

u *Socratem quoque.*] Athenæus & Laërtius in vita illius, authoritate Hieronymi & Satyri.

x *Ipſe verò Demetrius.*] Plutarchus in vita illius, Athenæus in Dipnoſophiſtis. & vide Ælianum lib. 12. Variæ hiſtoriæ.

y *Lycurgi lege.*] Xenophon in Repub. Lacedæmoniorum.

z *Brachmanes*] Strabo lib. 15.

a *Numidæ.*] Salluſtius in Iugurtha.

b *Et Mauri.*] Idem author ibi. & Procopius de bello Vandalico libro 4. Adde & Indos, Thraces, Catheos, ſiue Catheros, Venedos, Iudæos, Ægyptios, Naſamones, Parthos, Cyrenaicos, Perſas, Syros, Pœones, Gelones, Germanos ex multis authoribus à me citatis in d. l. 7. Connubiali, num. 20. 21. & 22. & de nonnullis quoque infrà dicetur.

c *Reges quoque Perſarum & Aſſyriorum.*] Ex Cicerone in 5. in Verrem actio, & Strabone lib. 5.

d *Sed ſicut.*] Id patet ex ſeq.

Quippe Thraces.] De his Herodotus, & Pomponius Mela. lib. 2. c. item 2. & Solinus c. 15.

f *Babylo*

ma, emebantur. Contrà vero defoimes & minus decoræ; ptetiis mereabantur vlros quibus nubegent. [f] Babyloniis & Assyriis [g] peculiare fuit, nubiles virgines ad forum in vnum cogere, circunstanteque virorum turba, per præconem singulas auctionari: vt quæ complacita foret, pretio exhibito, aut datis vadibus, sponsa duceretur. Apud [h] Taxilos, Brachmanesque si qua propter inopiam virum nancisci non posset, in forum virgo producebatur: & classico euocata turba, pudibundisque ostensis & reuelatis, cui complacita erat, nuptui dabatur. [i] Bœotiis & [k] Lucris nihil erat in sponsalibus firmum, nisi sponsus & sponsa in ara Eucliæ virgini dicata, prius libarent: haud aliter, nisi more solenni anteà libassent, matrimonium esse rati. [l] Qui mos Romæ quandoque inualuit: siquidem olim nuptura, in sinu Futini dei sedere cogebantur. [m] At apud Indos, nisi nubentes vnguento quod ex arboribus Phasis fluminis distilat, delibuti forent: neque matrimonium, neque cognationis iura legitime contrahi putarunt. [n] Sicut Atheniensibus nulla dabatur nuptui, ni prius Dianæ sacra obisset. Nam vestem induebat, cui crocoton dixere nomen: [o] neque initiari poterant decennio maior, vel quinquennio minor. [p] Samnitum institutio talis erat, non cuiuis homini nuptui locare filias, sed decem deligebantur quotannis virgines ex omni turba: quæ totidem magnæ indolis iuuenibus darentur, compare voluntate, vt si à suscepta vitæ institutione, aut à bono honestoque decederent, per ignominiam illi virgo adimeretur: alterique locaretur Proditum quoque memoriæ est, [q] Phœnices virgines in lustris & lupanari vulgo quæstum facere in phano Veneris in [r] oppido Sica: exque eo quæstu meretricio dotem parare, & ita virum nancisci: de reliquo verò donum Veneri exhibere. [s] Quod apud Cyprios vsurpatum fuit. Nam virgines nupturæ, ad littora descendere, & cum hospitibus commisceri, vulgatoque corpore quæstum facere solebant, donec dotes, quibus virum nanciscerentur, sibi compararent. [t] Harmeniis lex est, vt virgines in phano vetustissimo & sanctissimo Aneticlis deæ prostituantur: vbi ipsius statua ex solido auro sita erat, [u] quam Antonius expilauit: quibus emeritis, cuiusuis præcipui hominis coniugium sortiri fas erat, nemine abnuente, aut tale coniugium detrectante. [x] Indi vero maximum decus arbitrati sunt, si qua virgo eleganti munere, aut insigni dono priscæ artis digna foret. Quibus in more fuit, vt parentes nubiles filias in cœtu præstantissimorum iuuenum producant: exque illis virum sibi deligat, qui fortitudine, cursu, pugna, aut specie corporis cæteris antestaret, nullaque dote exhibita, quem sibi illa virum delegerat, sponsum abducebat: quippe cum non genere aut nobilitate, sed libentes eum viris insigni corporis forma iungantur, vt species manaret ad posteros. [y] Quod & Catheorum dicunt proprium fuisse, vt sponsa sibi virum deligat: sed vt eo fœdere iungatur, vt viro defuncto, eadem pyra oppetere cogatur. [z] Segoregiorum vetus erat mos, vt paratis instructisque mensis, inter epulas virgo introducatur: & cui ex conuiuis aquam dederat, eum sibi virum delegisse videbatur. Sicut [a] apud Talcheas Libycam gentem, vbi multi vnam expetunt, apud futurum socerum instructis epulis, coram sponsa scommata iactitant, fabellas & iocos, cuique arridet mulier, illum sibi delegisse censetur. [b] Nonnunquam posita virgine, in victoris præmium decernebant Indi luctatione & pugnis. victorque præmium sponsam abducebat. [c] Idem apud Sacas extimas Scythiæ gentes: namque hi solebant pro sponsa cum

Babylonij & Assyrij. Taxili & Brachmanes. Bœoty & Locri. Euclia ara. Romani. Futinus. Indi. Phasis flumen. Athenienses. Crocoton. Samnites. Phœnices. Sica. Cyprij. Harmenij. Aneticis. Indi. Cathei. Segoregij. Talchea. Indi. Saca.

ANNOTATIONES.

f *Babyloniis.*] Herodotus lib. 1.

g *Et Assyriis.*] Ælianus de Varia historia lib 4. Et Stobæus ex Nicolao, Sermone 42. & ante hoc Strabo lib. 16.

h *Taxilos.*] Strabo lib. 15. authoritate Aristobuli. Hi autem, vt ibi videre licet, sunt Indiæ populi, ex quibus & Brachmanes sunt, vt dicetur infrà lib. 4. c. 13.

i *Bœotiis.*] Plutarchus in Aristide.

k *Et Locris.*] Idem ibi.

l *Qui mos Romæ.*] Lactant. lib. 1. c. 20. sed qui hunc Deum non Futinum, sed Mutinum vocat, In cuius, inquit, sinu pudendo nubentes primùm sedebant, vt illorum, pudicitiam prior deus delibasse videretur. Et vt Mutinus legendum sit, facit illud carmen Priapeium.

Furi rubricato minare Mutino.

Et Mutunus legitur apud Tertullianum in Apologetico, & Arnobium lib. 4. aduersus gentes, Augustinum l. 4. c. 11. vbi tamen in nonnullis codicibus ita legitur, Ipse est Motunus, vel Turinus, qui est apud Græcos Priapus. Sunt tamen & qui apud Lactantium, vbi supra, Futinum legant.

m *At apud Indos.*] Philostratus in vita Apollonij lib. 3. vbi tamen eum fluuium non Phasidem appellat, sed Hyphasidem. In cuius ripis, inquit, arbores nascuntur similes his, quæ penes Istrum nascuntur, à quibus vnguentum distillat, quo in nuptiis Indi perungi consueuerunt, tantique ab illis æstimatur, vt nisi tali vnguento peruncti nubentes fuerint, imperfectæ nuptiæ, & Veneri minimè gratæ putentur.

n *Sicut Atheniensibus.*] Lysias, si is est, in oratione pro Phrynichi filia, & Libanius in oratione de Dianæ laudibus: & vide omnino Cœlium Rhodiginum lib. 26. c. 19.

o *Neque initiari poterat.*] Nescio quare huic tractationi hæc inseruit, nihil omnino ad eam pertinentia, sed ad Vestales tantùm: que neque decem annis maiores, neque vt minores capi poterant, vt videre est apud A. Gellium lib. c. 14.

p *Samnitum.*] Ex Strabone lib. 5. ad fi.

q *Phœnices.*] Lucianus in Icaromenippo, Athanasius contra Gentiles, Eusebius præparationis Euangelicæ lib. 4. Diuus Augustinus de Ciuitate Dei lib. 4. c. 10.

r *In oppido Sica.*] Hîc lapsus est memoria Alexander: neque enim id Pœnicibus tribuunt scriptores, quod de Sica hîc dicit, sed Punicis, vt tradit Valerius Max. lib. 2. c. 1. quod de Iostitutis antiquis est.

s *Quod apud Cyprios*] Iustinus lib. 18.

t *Harmeniis.*] Strabo lib. 11. ad finem.

v *Quam Antonius expilauit.*] Plinius lib 33. cap. 4.

x *Inde verò.*] Arrian. de gentis Alex. Magni l. 8. Ea quo intelliges hîc legendũ, elephãti, nõ elegãti: errore quidẽ lubrico.

y *Quod & Catheorum.*] Strabo lib. 15.

z *Segoregiorum.*] Iustinus lib. 43.

a *Apud Talcheas.*] Ialchenes, siue ιαλχενεῖς Lybios id ipsum facere, quod hîc traditur, scribit Nicolaus [illegible], & ex eo Stobæus Sermone 44. Credóque hos esse, quos Alexander hîc Talcheas, paucis, literis immutatis, appellat.

b *Nonnunquam posita virgine.*] Strabo lib. 15.

c *Idem apud Sacas.*] Ælianus de Varia historia lib. 12. Diodorus

Laxamata. Carmani. Syginni. Troglodita. Gymnesia. Baleares. Lydi. Andrimachida. Volsinienses. Ebules insula. Æthiopes. Garamantes. Reges Persarum & Medorum. Thraces. Germani. Arabes. Nabathæi. Britanni. Græci & Romani vxorem alijs vsuariam dabant.

riuali pugnis decernere, victuſque velut deformatus ignominia, pudibundus & mœrens, in latebra degere, & alterius aſpectum lucemque vitare. Circa Mæorim gens eſt, [d] Laxamaras vocant, apud quos virgo niſi qui hoſtem confeciſſet, nuptui dabatur nulli. [e] Et ex Carmanis vxorem ducebat nemo, niſi qui hoſtis caput ad regem detuliſſet. [f] Apud Syginnos Perſicam gentem, mulier, aurigandi perita, quemcunque vult virum ducere, ius habet. [g] Troglodytæ vero, fœminas viris deſponſas, primis noctibus cognati affineſque producunt, illaſque promiſcuis adulteriis patere ſinunt, poſtea perpetuæ pudicitiæ adſcriptæ, ſeueriſſimis pœnis, vel minima contectatione, ſi deliquiſſent, coercebantur. Quem morem [h] Gymneſiarum incolis, [i] Balearibus, & [k] Lydis inualuiſſe legimus. Tradunt quidam [l] Andrimachidis in Africa populis, vſum multa ſecula viguiſſe, vt virgines nupturas regi in primis offerant, vt illarum pudicitiam ante ſolennia nuptiarum delibaret. [m] Quod à Volſinienſibus quandoque ſeruatum legimus, vt ſeruili preſſi dominatu, ingenuas filias ſeruis delibandas darent. [n] Ebulibus vero inſulis rex imperare dicitur, qui ſine ſpe coniugij, in quamcunque commotus fuerit, vſuariam capit. [o] Apud Æthiopes pleraque gens ſolennes nuptias non nouit, quia paſſim & indiſcreto concubitu miſcentur. [p] Garamantes quoque nuptias non nouere, ſed ferarum ritu paſſim in Venerem ruere licebat. Quod quidem à barbaris frequens vſurpatum eſt, qui turpi coitu ſe immiſcentes, experres tori genialis fuere. Inter quos [q] Lymirini populi traduntur, vulgato concubitu, connubia habere promiſcua, filioſque editos poſt quinquennium in vnum coactos, ſuum quemque ſimilem agnoſcere, & pro filio educere. Neque omiſerim quod traditum eſt, [r] apud Perſas [ſ] Medoſque reges quamplures habere vxores; mulieres vero quampluribus nubere: quæ autem paucioribus quinque viris nupſiſſet, agreſtis habebatur & forsida. [t] Thraces quoque honori ducunt multiplici coniugio & numero vxorum gloriari: ſicut [u] Germani, qui licet ſingulis vxoribus contenti ſint, nobiliores tamen plures habere vxores pro decore familiæ & maieſtate putant. Apud [x] Arabas, [y] Nabathæos & [z] Britannos, in vſu fuit, vt conſanguineis, cognatiſque omnibus vna vxor ſit, ad quam per vices quiſque ſuo ordine admittitur: ingreſſuruſque ad eam baculum pro foribus ponit: alterius vero congreſſum pro adulterio luit. Ac ne nimium multa complectar, neve vlterius barbaros ritus moreſque recenſeam, de his hactenus dixiſſe abunde fuerit. [a] Illud vtique verum eſt, quod à Græcis & Romanis pariter factitatum nouimus, vt vxorem quam quis duxiſſet, etiam ſublatis liberis alijs dare vſuariam, ex qua liberi gignantur, mox illam vendicare, legibus & moribus permiſſum fuiſſe. [b] Sic Cato Martiam vxorem amico dedit, & [c] Socrates Xantippem. Atque alij id ſæpe factitarunt: quem morem apud Lacedæmonios [d] Lycurgi lege, [e] Tapyraſque, & pleraſque gentes inualuiſſe, documenta ſunt: qua cauetur, vt ad ſeniores vxorem iuuenis

ANNOTATIONES.

dotus Siculus lib. 1. c. 9.

d *Laxamatas.*] Pomponius Mela lib. 1. c. 21. quo Chalybes deſcribit. Idemque de Amazonibus Herodotus li. 4. idem quoque de Sarmatis ipſe Pomponius Mela lib. 13. Et de Sauromatis Nicolaus lib. nuper citato, & eius authoritate Stobæus Serm. 44.

e *Et ex Carmanis*] Strabo lib. 15.

f *Apud Syginnos.*] Strabo lib. 11. Syginni, inquit in cæteris rebus Perſicè viuunt. Equis verò vtuntur puſillis & hiſpidis, qui equitem vehere non poſſunt, quadrigis iunguot, quarum mulieres ſunt aurigæ, à pueritia exercitatæ, & quæ optimè ducere quadrigas iudicator, cuicunque vult nubit.

g *Troglodytæ.*] Non recordor me id legiſſe de Troglodytis, ſed de Angylis. idem propemodum tradunt Pomponius Mela libro primo, cap. 8. & Solinus c. 44.

h *Gymneſiarum incolis.*] Diodorus Siculus lib. 6. c. item 6.

i *Balearibus.*] Idem eod. loco. Idem autem ſunt Gymneſiæ & Baleares, vt ſcribit Strabo lib. 3. & Plinius lib. 3. cap. 5. non longè à fi. Nam Baleares, inquit, Gymneſias dicere. & nos quoque alibi dicemus.

k *Et Lydis.*] Herodotus lib. 5. Strabo lib. 11. ad fi. Ælianus Variæ hiſtoriæ lib. 4. initio.

l *Andrimachidis.*] Idem author lib. 4.

m *Quod à Volſinienſibus.*] Valerius lib. 9 c. 1.

n *Ebulibus.*] Non memini me legiſſe inſulas eo nomine vocatas. Ebuſium autem è Balearibus inſulis eſſe vidimus apud Strabonem lib. 3. Plinium lib. 3. cap. 5. non longè à fi. non ſemel & alibi ſæpè. & Pomponium Melam lib. 2. cap. vlt. Ebudes autem legimus eſſe in Oceano Britannico apud Solinum c. 26. vbi id dicitur de rege eorum.

o *Apud Æthiopes.*] Plinius lib. 5. c 8. & Solinus cap. 39.

p *Garamantes.*] Pomponius Mela lib. 1.

q *Lymirini.*] Stobæus ex Nicolao Sermo 42.

r *Apud Perſas.*] Non memini me id legiſſe de Perſarum regibus nuncupatum, ſed de Perſis ſimpliciter, vt multas vxores ducerent, apud Herodot. lib. 1. & Ammianum Marcellinum lib. 23.

s *Medoſque.*] Strabo lib. 11. Medorum eſt, inquit, reges multas vxores habere, pauciores autem quam ſeptem non licet. Eodem modo proditum eſt, mulieres pulchrum ſibi exiſtimare, vt viros habeant quàm plurimos, pauciores quinque, calamitoſum ducere. De quo etiam Æneas in deſcriptione Aſiæ cap. 34.

t *Thraces.*] Pomponius Mela lib. 2. c. 2. & Solinus lib. 2. c. 16. Heraclides in Politicis. Herodot. ante hos tradidit, id tantùm tribuens Thracibus, qui ſupra Creſtonas ſunt, lib. 5. poſt princ.

v *Germani.*] Cornel. Tacitus de moribus Germanorum. & Cæſar ad fi. lib. 1. Commentariorum belli Gallici, dum loquitur de Arioviſto Germano.

x *Arabas.*] Strabo lib. 16. ad fi.

y *Nabathæos.*] In eodem loco.

z *Britannos.*] D. Clemens, ſi is eſt, lib. 9. Recognitionem c. 7. Et Euſebius præparationis Euangelicæ lib. 6. c. 8. Aliter Cæſar lib. 5. belli Gallici.

a *Illud vtique verum eſt*] Quod exemplis ſeq. patebit.

b *Sic Cato.*] Vticenſis, ex Plutarc. in vita illius, authoritate Thraſeæ, Strabone lib. 11. Appiano li. 1. Bellorum ciuilium, Lucano lib. 2. Tertuliano in Apologetic. c 39. D. Auguſtino in lib. de Fide & operib. & in lib. de Bono coniugij.

c *Socrates Xantippem.*] Vt refert Tertulian. Apologe. c. 39. duas vxores habuit Xantippem ſcilicet & Myrtonem. Laër. in ipſius vita. Rhodig. 25. c. 4.

d *Lycurgi lege.*] Xenophon in Repub. Lacedæmon. & Plut. in vita Lycurgi.

e *Tapyraſque.*] Strabo lib. 11.

ſ *Legibus.*]

florenti ætate, tollendæ prolis causa admittatur: legibus [f] vero Solonis sancitur, vt orbæ puellæ qui sunt genere proximi, nubant, vtque si maritus ad rationem veneream minus potens foret, mariti propinquus illius vxorem nanciscatur. Quare [g] Attalus Asiæ rex, cum falsus rumor inuasisset, Eumenem fratrem morte sublatum fuisse, protinus illius coniugem vnà cum regno sibi vendicauit: deinde Eumene superstite, vxorem illi simul, & regnum restituit.

Solonis lex.

ANNOTATIONES.

f *Legibus verò Solonis.*] Plutarch. in vita illius.

g *Attalus Asiæ rex*] Plutarch. in apophtheg. Eumenis, nonnihil Liuius 5. Decadis libr. 2. Ad hos autem mores gentium in hac re vxoria, adde Suittas quotannis & adolescentes & virgines publicè iudicare solitos. Et qui optimus ex adolescentibus iudicatus fuisset, eligere ex virginibus, quam vxorem ducere mallet: & post eum secundū & sic deinceps. Nicolaus de Moribus gētium, & ex eo Stobæus Sermo. 44. Adde, inquam & aliarum plurimarum gentium diuersos hac in re mores à nobis latissimè descriptos, & optimorum scriptorum testimonio comprobatos in d. nostra l. Connubiali, quæ in hoc ipsum præcipue facta est.

Quid sit artemon apud iurecausultos, & quod dicatur plumbum in ripa positum, de quo ambigitur apud multos.

CAPVT XXV.

MALVM, nauis esse partem, licet pleræque naues sine malo sint: artemon em verò non esse nauis partem, [a] Iabolenus ex authoritate Labeonis, in primis magni & docti viri de verborum significatione notauit. Quæsiui ego à iure cōsulto maximo temporum nostrorum, claro in iudiciis & foro, quid [b] esset artemō, qui quasi additamentū, non pars nauis à iurecōsulto censeretur: cúmque ille ex opinione interpretis artemonē gubernaculum, seu clauum nauis diceret esse rursus quæsiui ab eo rationem tā variæ decisionis, cur malus nauis pars sit, cùm pleræque naues sine malo sint: gubernaculum vero pars nauis censeri non debeat, cum extorto gubernaculo nauis haud dubiè fluitaret, & incommoda fieret, arbitriúmque moderandi deperiret. Quippe sicut gubernaculum, sic malus naui facilè demi & addi, figíque & refigi potest: plusque operæ & negotij gubernaculum naui, quàm malus præstet. Cúmq; subdubitare aliquandiu visus non facilè obiecta dilueret: tandem dixi, à nostris interpretibus pleraque minus commodé & verè definiri: ob quæ non solum imperiti legum & rudes, sed & docti in dissonos sensus dilabūtur: multiplicique affecti errore, veros significatus non plane percipiunt. Non enim gubernaculum nauis artemon fuit, vt falso illi opinati sunt: quippe gubernaculum non esse nauis partem dicere, est improbissimæ insipientiæ: sed [c] artemon trochleæ genus tractorium est, quod ἐπάγοντα Græci vocant, quo fune ductorio per orbiculos traiecto, & acto in gyrum, vt nostri moris est, facili ductu importantur onera vel exportantur: vulgoq; quantum coniectura assequimur, organum dicitur. Is autem artemon, nauis pars non erat: cum non nauigationi, sed oneri inferendo machina commodè constructa fuerit. [d] Iterum idem Iabolenus plumbum quod pro tegulis tecto appositum foret, ædium partem esse, ex authoritate eiusdem Labeonis asseuerat. [e] Quod verò in ripa tegendi causa locaretur, contra esse dixit: quo fit, vt vendita dono vel legata, plumbum quod esset in ripa, venditioni aut legato non accedat. Quid esset plumbum in ripa, sæpe à iuris professoribus quæsiui. Et tametsi nonnulli inani opinione ferantur, ipseque legum interpres alioqui facundissimus, ingenuè se id ignorare fateatur: animaduerti tandem, plumbum quod esset in ripa tegendi causa, illud dici conuenire, quod tecto destinatum, necdum appositum, aliquo in loco relictum, donec tecto apponeretur, commendatúmve fuisset: esséq; id commodè dici, quod parieti inhærens erectum, ita subsidet, ne humi iaceat penitus, vnde vulgo arripare dicunt. Id autem plumbi quod ita hæsit, & subsidet, in ripa esse dictum est. Fuit ergò opinio Labeonis, quod tametsi regulæ plumbeæ quæ in tecto sitæ erant, ædificij pars forent: illas tamen quæ sepositæ muro adhæserant, vt paulo post apponerentur, ædificij partem non esse, licet ad eum vsum destinatæ, vt pro tegulis tecto inseruirent. Itaque legata domo aut vendita, plumbum quod in ripa ita situm erat, venditioni aut legato non accedere, legitimè putarunt.

Artemon quid verè significet.

ANNOTATIONES IN CAP. XXV.

a *Iabolenus.*] in l. malum. in prin. ff. de verb. sign. Est autem malus, vt rectè interpretatur Accursius, arbor nauis: De quo Plautus in Trinummo, act. 4. sce. 1.

Frangere malum, ruere antennas, scindere vela.

Et Lucretius lib. 2.

Antennas, proram, malum, tonsásque natantes.

Et Cæsar. lib. 3. belli Gallici. & Cicer. in Ver. act. 7. & li. 3 de orat. & in lib. de Senect. Plin. lib. 7. c. 56. paulò ante fi. vbi dicit vela Icarum, malum & antennam Dædalum reperisse. & alij scriptores sæpissime. Sed quod arbor nauis significet, indicat illud Ouid. in epistola Oenone Paridi,

Aura leuis rigido pendentia lintea malo
Suscitat.

Et ipsum malum veliferum vocant Lucan. li. 1. & Valer. li. 3. Argonauticōn. Cæterū Vitruuius lib. 10. c. 8. Eiúsque vela cùm sunt per altitudinem mediam mali pendentia non potest habere nauis celerem cursum. Et iterum c. 21. Quemadmodum, inquit, nauis malus à puppi ad proram continetur, eique funes præcinctoriis transuersis erant religati.

b *Quid esset artemon.*] Accur. in ea l. malum errauit, dum gubernaculum esse putauit, vt & hîc noster author dicit. Sed tu omnino vide Alciatum in ead. l. Et Pollucem lib. 8. c. 6.

c *Sed artemon trochlea genus.*] Id ex Vitruuio libr. 10. c. 5.

d *Iterum idem Iabolenus.*] In d. l. malum. §. plumbum.

e *Quod verò in ripa tegendi causa.*] Hic Alexander secutus est deprauatam huius l. dictionem. Nam vt admonet Alciatus in eo loco non ita legendum, sed hoc modo, quid hypæthrij causa, vt est in libris Florentinis: & quid sic hypethrium declarat ipse Alciatus eodem loco. Vide Vitruuium libr. 5. cap. 9.

Quod esset collegium fratrum Arualium Romæ institutum, quive Salij Sacerdotes, & quot societatum genera fuerunt. CAPUT XXVI.

Primum collegiũ Romanorum.

Fratres Arüales cur dicti.

** al Larentiam.*

PRIMUM [a] sacerdotum Romæ collegium, fratrum Arualium fuisse multi asserunt. Hoc enim sacrum à principio originum Romulus instituit primus. Nam eũ legibus armisque vrbẽ muniuisset, ne religio in bene instituta ciuitate deesset, vndecim fratres [b] Aruales constituit sacerdotes, séque duodecimũ. Fratres que ideo appellauit, quasi mutua charitate & fœdere nexi forent. Refert tamen [c] Masurius Sabinus, Aceam [d] †Larentiam Romuli nutricẽ, duodecim eduxisse filios, & cum vnũ fato amisisset, in defuncti locũ Romulum asciuisse: ipsumq; & cæteros Aruales appellasse fratres, quòd socij essẽt & ferè pares, agresti & pastoritia sodalitate coniuncti. [e] Horum insigne fuit spicea corona alba, infula alligata, quam, dum operantur sacris, singulos gestare solenni more decebat: quo insigni ab Acca Larentia donati primùm fuere: isque honor perennis illis perpetuo mansit, ita vt nullo successu vel casu, tãta societas nisi vita finiretur: tantæque fuit amplitudinis, vt etiam ab hostibus captos, & in extrema fortuna, aut exules, quamuis nullo post liminio redemptos, honor hic comitaretur. [f] Apud Aquitanos verò Solduni dicti sunt, quorum societas erat, vt iisdem vitæ commodis, opibúsque promiscuo vsu fruantur, si quid autem aduersi contingeret, eosdem casus eandémque fortunam, ac etiam vitæ interitum, vnà subire cogerentur. [g] Quod ab Ægiptiis vsurpatum legimus, quibus amicitiæ genus & sodalitium fuit cui nomen συναποθανουμένων, quasi commorientiũ, qua nulla sanctiór firmiórque fuit: quo genere Antonius & Cleopatra, cui plus nimio se addixit, mutuo affectu deuincti fuere, hac lege copulati, vt si fatale quippiam aut diri casus alteri contigisset, alter tanquam pœnæ socius, eundem fortunæ exitũ esset laturus, sociique & comites essent fortunarum & calamitatum. Apud Hunnos tale fœdus inexplicabili nexu contrahebatur, vt viginti viri generosi spiritus, eisdem sacris initiati, vnà comites essent consiliorum & voluntatum: eo vinculo, vt in conuictu frequenti, & contubernio maneant, & ne punctum quidem temporis vacuum relinquant: prosperáque & incommoda mutuis officiis ferant ad supremum diem: morte autem obita, superstites defunctum efferãt & comitentur. Hiberorum verò mos fuit, vt amici in familiaria iura assueti, principi se deuoueant vitæ mortísque vltores: quíque ita in cohorte amicorum deuoti erant omnium consiliorum se cretorúmque participes fiant, & si quid timendum accidisset, omnes casus, & fortunæ minas, atque vnà mortem oppetere cogantur. [h] Qui mos Cantabris fuisse traditur, vt pro amicis & fœderatis, sociali fide se immolare, atque interire non dubitarent insigni testimonio mutuæ charitatis & perpetui amoris. Ex [i] Socianis quoque Gallorum gente, sexcenti ex primoribus Solduni vocati, vnà cum rege viuunt & commoriuntur: nefas putantes superstitem principi suo esse. Apud alios verò intimi familiares, qui manus, mens, lingua, & oculus, atque aures principis vocantur, in eendem cultu & conuictu sunt, rei nullius ignari, & amici principis, qui arcana consilia & abditos sensus soli cognouerunt. [k] Ab Æthiopibus seruatum est, vt

Solduni.

συναποθανουμένων.

Hunnorũ fœdus.

Hiberi.

Cantabri.

Sociani, Solduni.

Æthiopes.

ANNOTATIONES IN CAP XXVI.

a PRimum sacerdotum Romæ collegium.] Ex Plin. lib. 18. ca. 2. & Fulgentio de vocibus antiquis authoritate Rutilij Gemini in libris Pontificalibus. & Gellio lib. 6. c. 7.

b *Fratres Aruales.*] De quibus præter illos Varro libr. 4. linguæ Latinæ.

c *Masurius Sabinus.*] Apud A. Gellium lib. 6. cap. 7.

d *Arcam Larantiam Romuli nutricem.*] Plinius Gellius & Fulgentius, vbi suprà. De hac prætereà multa Varro libr. 5. ling. Latinæ. Plutarch, Problem. cap. 34. & Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 10.

e *Horum insigne.*] Plinius & Gellius vbi suprà.

f *Apud Aquitanos verò Solduni.*] Soldurij legendum est ex Cæsare lib. 3. belli Gallici, cuius hæc verba sunt, Adcantuanus, qui summam imperij tenebat, cum sexcentis deuotis, quos illi Soldurios appellant. Quorum hæc est conditio, vt omnibus in vita commodis vna cum his fruantur, quorum se amicitiæ dederint, si quid iis per vim accedat, aut eundẽ casum vnà ferant, aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui eo interfecto, cuius se amicitiæ deuouisset, mori recusaret. Nicolaus autem Damascenus, Peripateticus, libr. 116. & ex eo Athenæus Dipnosop. lib. 6. c. item 6. non multò post princ. tradit Adiatomum Sotianorum regem (quæ gens inter Celtas est) sexcentos delectos ciues apud se habere, qui patria eorum idiomate Siloduni, dicuntur. (Nam Græci vocant Σιλοδύνους, quos Latini vota exequentes) totidémque reliquos etiam eius gentis reges semper habere solitos, vitæ necísq; socios, qui simul cum rege viuerent, communiáque negotia gubernarent, & simul etiam cum dies mortis illi aduenisset, commorerentur, & siue is in belli discrimine diem vltimum clausisset, siue senio morbóque consumptus decessisset, siue alia quauis de causa, eadem mortis ratio illos semper sequebatur, neminemque ex illorum numero vnquam repertum fuisse, qui rege vita functo, contra patrios ritus debitam sibi mortem subterfugere tentárit. Et simile quippiam tradit Seruius Sallustij authoritate libro 4. Georg. in eum locum,

— Pulchrámque petunt per vulnera mortem,

De Celtiberis, qui se regibus deuouent, & post eos vitam refutant: in quo Celtas imitati sunt eorum authores, ex quibus oriundi in Hispaniam, quæ hodie Biscaia dicitur, transierunt, Luca. lib. 4.

— Profugiq; a gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

g *Quod ab Ægyptiis.*] Plutarch. in vita Antonij, cuius in eam rem hæc verba sunt, Ἑτέραν δὲ συνέταξαν οὐδέν τι λειπομένην ἐκείνης ἁβρότητι καὶ τρυφῇ, καὶ πολυτελείαις. ἀπεγράφοντο γὰρ οἱ φίλοι συναποθανουμένους ἑαυτοὺς ... [illegible]

h *Qui mos Cantabris.*] Strabo lib. 3.

i *Ex Socianis.*] Suprà in verbo, Apud Aquitanos.

k *Ab Æthiopibus.*] Ex Diodoro lib. 4. c. 1. Turpe, ait, existimabant rege claudo non & omnes claudos amicos esse. Ferunt quoque consuetudinis esse amicos vltro in regia morte vita defungi existimantes eum interitum gloriosum, veræque amicitiæ testem.

1 *Tauris*

familiares in regis societate per omne obsequiũ insinuati, vnà cum rege ad supremos annos viuant consociati & fœderati, qui summum inter amicos locum tenent, & si qua corporis parte rex mancus fieret, eodem membro se desforment, eoque morte sublato sponte intereant.[l] Tauris apud Scythas cum regibus prҫcipue gratos, & qui magno in honore fuissent, ex amicis sepelire in vsu fuit, cui rex tanquam pignus amoris aurem abscindere solebat. Apud Græcos vsurpatum est, vt cum aliqui inexplicabili nexu copulantur, vno pallio inuicem se operiant, & morte obita eodem tumulentur: quo significabant, duo simul corpora concordibus animis, & vna mente teneri. Priscis autem Longobardis maximum fuit amoris vinculum, apud aliquem ponere barbam. Is enim intimo fœdere astrictus erat, apud quem lanuginẽ quispiam deposuisset, sicut apud Persas donari annulo à rege, fœdus inexplicabile, & summi amoris vinculum putabatur. [m] Hinc ergo Larentiæ, quæ Flauia dicta est, mense Aprili solennes dies & sacra ab Anco instituta, Romani assidue celebrant: quæ [n] Larentalia dicta sunt, & decimo Calendas Ianuarias, qui dies Ioui feriatus erat. Cui Martis flamen plerunque Pontifices in Velabro vbi Larentiæ ara & statua erat, sacrum anniuersarium facere, ad eiusque sepulchrum Decembri mense conuenire frequentes, & dare inferias solebant, quòd populum Romanum decedens hæredem fecerat. Cuius rei causa, eius dies inter fastos relatus fuit. Stataque die flamen Quirinalis illi quotannis sacrum facit. Huius postea exemplo inter Romulum & Tatium inita societate, retinendis Sabinorum sacris, sodales [o] Titij à T.[p] Tatio, vel à titiis auibus, quas obseruant augures, denominati sunt. Post quæ, sodalitates, [q] sacris Idæis magnæ matris receptis, Romæ sub idem tempus inuentæ, veluti publica munera habita sunt, sicut sub Tiberio [r] Augustales, qui numero quinque & viginti ex primoribus vrbis, sorte ducebantur. quos Tiberius Iuliæ genti sacrauit.[l] Et Antonini temporibus [s] Antoniani sodales, [t] mox Æliani, & [u] Aureliani, & demum Faustidianæ [x] puellæ ad imaginem antiquitatis nuncupatæ, qui in principis comitatu inexplicabili fœdere vincti erant, & post funera illi flaminibus & sacerdotes consecrati. Sed cum à Romulo hoc sacerdotium primum institutum ferant, quin reliqua sacra [y] Numa summus religionum cultor obtinerit, nulla controuersia est. Nam & pontifices, flamines, salios, atque augures ab ipso inuentos tradunt. [z] Fuere enim salij Martis sacerdotes numero duodecim ex patriciis, liberi & ciues, & qui neutro parente orbati essent, à Numa seu Tullo Hostilio bello contra Fidenates (vt Liuius author est) voti causa nuncupati, qui postea numerum saliorum duplicasse fertur, ita vt quatuor & viginti belli pacisque temporibus collegio cooptarentur: cuius sacri causa hæc & origo fertur: [a] Cum enim regnante Numa, morbo & afflatu noxio ciuitas affecta esset, eáque lues nullis sacrificiis aut piaculis sedari videretur posse, peltam æneam è cœlo. in qua Romanorum fata sita erant, in manus Numæ decidisse ferunt: In qua cum vrbis salutem sitam crederent, ne inuentu facilis, & ob id furto exposita esset, alias vndecim elaboratæ artis eadem facie mensuráque à Mamurrio fabro, ne dignosci posset, constructas dicunt fuisse: illásque in Martis sacrario asseruasse, illarúmque custodes, salios vocasse: quorum princeps præsul, alter vates, alius magister, qui præsidebant, dicti: illorúmque [b] insigne tunica erat punicea, & ҫneum in pectore tegmen, quod supra tunicam

Tauri. — *Græci.* — *Longobardi.* — *Persæ.* — *Laurentalia.* — *Sodales Titij, Tatij, augures.* — *Sodales augustales.* — *Sodales Antoniniani.* — *Salij.* — *Pelta cælitus delapsa.* — *insigne Tripudia aliorum saliorum & carmina.*

ANNOTATIONES.

l *Tauris apud Scythas.*] Legendum Tauricis, ex Plin. lib. 4. c. 12. Sed quod de eorum more refert Alex. amplius quæro.

m *Hinc ergo Larentia.*] Ad Romanos redit. & id quidem est ex Lactantio lib. 1. c. 20.

n *Laurentalia.*] Laurentinalia vocat Lactantius vbi suprà.

o *Sodales Titij*] Varro lib. 4. de ling. Lat. de hisq; Luca lib. 1.

Septemuirique epulis festis, Titiique sodales.

Et Suetonius in Galba cap. 8.

p *Tacito.*] Cor. Tacitus lib. 1. iterúmque lib. 18. ad finem.

q *Sacris Idæis.*] Idæa mater accepta fuit à Romanis pridie. Idus Aprilis, M. Cornelio Cethego & P. Sempronio Tuditano Coss. diésq; festus Megalesia dictus, vt ait Liu. libr. 9. Deca. 3. & Varro de ling. Lat. lib. 5. Eidem verò magnæ matri quando locata, dicataque fuerit ædes, refert idem Liuius lib. 6. Decad. 4. De cuius sacerdotibus sic ait Plin. lib. 35. cap. 12. Samia testa Matris Deum sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputauit.

r *Augustales.*] Corn. Tacitus lib. 2. & iterum 3. & Suet. in Claudio c. 6. & in Galba c. 8.

s *Antoniani.*] Iulius Capitolinus in Antonio Pio, & in Antonio Philosopho non semel, & Spartianus in Caracalla in fin.

t *Mox Æliani.*] Heluiani legendum ex Iul. Capitol. in vita Pertinacis, paulò ante fi. vbi & hos Martianos dictos dicit à Marco Antonino. Heluianos autem ab ipso Heluio Pertinace, & Spartiano in vita Seueri.

u *Aureliani.*] Capitolinus in vita Antonini Philosophi. Quibus & tu adde Alexandrinos ex Lampridio in Alexandro Seuero.

x *Faustidiana.*] Faustinianæ legendum est ex Capitolino in Antonino Pio. Puellas, inquit alimentarias in honorem Faustinæ, Faustinianas constituit. & in vita Antonini Philosophi, Nouas puellas Faustinianas instituit in honorem vxoris mortuæ.

y *Numa.*] Liuius 1. Decad. lib. 1.

z *Fuere enim Salij.*] Liuius eodem libr. 1. & iterum lib. 4. dictæ Deca. & Dionysius Haliear. lib. 3. Cicero lib. 3. de Oratore. Plin. lib. 11. c. 3.

a *Cum enim regnante Numa*] Ex supradictis & præterea Plutarcho in Numa, Festo Pompeio libr. 11. vbi de Mamurrio, & Seruio narrante illum locum Virgil. libr. 8. Æneidos.

—— Lapsa ancylia cælo.

Et huc quoque spectat illud Ouid. lib. 3. Fastorum

Quis mihi nunc dicat quare cœlestia Martis
Arma ferant Salij, Mamurriúmque canant?

Et multis versibus sequ. vbi multa videbis ad hunc locum pertinentia. Ex quibus intelliges illud Propertij libr. 4. eleg. 2.

At tibi Mamurri formæ cælator ahenæ
Tellus artifices ne terat Osca manus.

Et de hoc quoque Mamurrio Dionys. Halicar. lib. 2. & vide Valerium Maximum lib. 1. c. 1. Liuium 1. Decad. lib. 1.

b *Illorúmque insigne tunica erat punicea.*] Picta, legendũ est

versicolorem induebant, [c] tum bathei, & æneæ galeæ, quibus ornati Martio mense, cum tripudiis ad tibiam, solennique saltatu cælestia ancylia eiusmodi ferentes, culti ornatique prodibant: ipsique gladiolis illa percutientes cum gressu & gradu composito, pulso pedum ad sonum vocis modulato, per Capitolium & forum, pérque vrbem incedebant. Inque eo tripudio Mamurium fabrum, qui tam exacte illa molitus esset, in nominis memoriam sempiternam, ac pennatas imponnatásque aguas pro spicis & aristis, & Lucretium Iouem, Ianúmque deorum deum, aliósque deos, excepta Venere, quam in [d] carminibus saliaribus nominare nefas erat, verbis subobscuris Marti consecratis, quæ nec mutare licebat ritu priscæ religionis, in fine carminũ referebant. Post aliquot vero ætates, imperatorum nomina suis carminibus salios adnotare constitutum fuit, vt illorum quoque memoriam sempiternæ gloriæ mandarent. Quare [e] Germanici nomen saliari carmine, & mox aliorum principum, intercursu temporum celebrata fuere, quo tempore flaminica dialis vxor capillum pectere, antequam ancylia conderentur, vetabatur: quorum sacra & festos dies [f] cœnis sumptuosis, & comessationibus cum cantu & symphonia opipare celebrare soliti sunt: in quibus [g] sutiles coronas & alia conuiuiis oblectamenta adhibebant. Hi dies religiosi & sacri mansere in posterum. Quod sacerdotium quanti fuerit, licet æstimare, [h] quòd nisi ex patriciis ad hunc honorem admittebatur nemo: [i] & nisi liber & ciuis, [k] patrimus & matrimus foret. Quódque Appius Claudius triumphalis, [l] Scipio Africanus, & L. Bibaculus inter Salios esse, & hæc sacra attrectare, gloriæ duxere. Et Titus Vespasianus, quòd numero Saliorum fuisset cooptatus, gratias egit. [m] Antoninus quoque Philosophus, natus octo annos, ab Adriano Cæsare inter Salios adnumerari, laudi duxit, velut magni splendoris munus ferret. Erátque constitutum, vt qui consulatum aut præturam, aliúmve magistratum gereret, ancylia ferre, inter salios esse cogi nequiret. Præter quæ, etiam [n] apud Larinates, Salios Martis sacerdotes fuisse: & in sacris Herculis ad magnam aram, salios sacrorum ministros, cum cantu psallere consuesse comperimus. Et [o] tametsi Martio mense ancylia deprompta è Martis sacrario prodirent, si quando tamen gentibus nationibúsque iustum piúmque bellum per feciales indicebatur, ancylia in eodem sacrario, aut in curia Saliorum commouere, moris erat: quasi eo motu Martem è sua sede excitum, eóque propitio & volente, arma expediri, legiones conscribi, exercitus apparari, atque omnia hostilia esse designarent: [p] qui dies religiosi, & infames habiti sunt, quibus antequam complerentur sponsalia inire, peregrè proficisci, aut pacis fœdera tractare, vel aliquid publicæ priuatæve rei inceptare, velut mali auspicij, tristísque maneret exitus, [q] ominosum fuit.

Venerem in carminibus saliaribus nominare nefas erat.

Saliorum sacra & festi dies sũptuosi.

Sacerdotiũ Saliorum dignitas.

Belli indictio.

ANNOTATIONES.

ex Liuio 1. Decad. libr. 1. cuius hæc sunt verba: Salios duodecim Marti Gradiuo, tunicæque pictæ insigne dedit, & super tunicam æneum pectori tegumen, cœlestiáque arma, quæ Ancylia appellantur, ferre, ac per vrbem ire canentes carmina cum tripudiis, solemnique saltatu iussit.

c *Tum Balthei & ænea galea.*] Dionysius Halicarnassæus lib. 2.

d *Carminibus Saliaribus.*] De quibus vide Fest. Pompeium lib. 1. vbi de Apamentis loquitur.

e *Germanici nomen.*] Cor. Tacitus libr. 3. ait, ad Germanici memoriam meditata virtutis carmina, & laudationes & lachrimas: at nihil præterea Germanici nomen Saliari carmini adhibitum. Idem Tacitus libr. 2. ante finem.

f *Cœnis sumptuosis.*] Festus Pompeius lib. 17. vbi de Saliis. Et hinc Horat. epulas, siue dapes Saliares pro opiparis & splendidis posuit lib. 1. Carmi. Ode 37.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc Saliaribus
Ornare puluinar deorum!
Tempus erit dapibus, sodales.

Quo in loco Acron & Porphyrion interpretes scribunt, Saliares cœnas fuisse amplissimi apparatus. Vnde, inquiunt, prouerbium, Saliares cœnas dici opiparas, & copiosas. Quò etiam spectat illud Apuleij lib. 4. Metam. Vt equus quidem meus tanta copia, & quidem solus potatus Saliares cœnas se cœnas crederet. De Pontificalibus autem cœnis, & ipsis quoque sumptuosis & magnificis, ipse Horat. libr. quoque Carmi. 2. Ode 14.

Absumet hæres Cæcuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimentum superbum
Pontificum potiore cœna.

g *Sutiles coronas.*] Plinius libro 21. capitul. 3. Sutiles, inquit, Saliorum sacris inuenimus, & solemnibus cœnis coronas.

h *Quod nisi ex patriciis.*] Dionys. Halicarn. lib. 2. & id videre licet ex Iuuenale Saty. c. aduersus vxores nobilium, siue patriciorum, qui ex adulteris ignobilibus liberos edebant futuros Salios, propterea quòd putabantur filij maritorum nobilium.

Transeo suppositos, & gaudia, votaque sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices Salios, Scaurorum nomina falso.
Corpore laturos.---

i *Et nisi liber & ciuis.*] Vide quod citaui in verbo, Fuere enim Salij.

k *Patrimus & Matrimus foret.*] Iidem ibidem.

l *Scipio Africanus.*] Ex Liuio 4. Decad. lib. 7. cuius hæc verba sunt: Iidem dies P. Scipione propriore etiam religione, quia Salius erat, disiunxerat ab exercitu.

m *Antoninus quoque Philosophus.*] Iul. Capitolinus in vita illius.

n *Apud Larinates.*] Hi dicuntur municipes Latini oppidi Apuliæ, quod à mari parùm distat, cuius quidem meminit Cicero in orat. pro Flacco: an autem apud eos Salij essent, nondum comperi.

o *Et tametsi.*] Ex Seruio libr. 7. Æneidos in eum locum.

---Cum prima mouent in prælia Martem.

& iterum lib. 8. in princ.

p *Qui dies religiosi.*] Hos dies religiosos esse constat ex Liuio 4. Decad. libr. 7. Statiua, inquit, deinde ad Helespontum aliquandiu habuerunt, quia dies fortè, quibus ancylia mouentur, religiosi ad iter inciderant.

q *Ominosum fuit.*] Præter autem illos sodales ab Alexandro memoratos, fuere & sodales Mercuriales, in honorem scilicet Mercurij, vt videre licet ex Tullio ad Q. Fratrem libr. 2.

Quos

Quot Lictores apparitorésque habebat Dictator, quot Consules aut Pratores, Quæstorésve, quíve secures habebant, & qui non. CAPVT XXVII.

QVOD [a] Romulus parto regno cum sella curuli trabeáque, & reliquo ornatu se augustiorem fecisset, tum maximè duodecim lictoribus insignem fecerit, qui fasces securésque velut insignia maiestatis præferrent, à multis est memoriæ mandatum. † Nonnulli Tullum Hostilium Romanum Regem, primo purpuratum cum lictoribus & fascibus in publicum prodiisse ferunt. Sed perpeodimus nō lictores modò cum fascibus & securibus, sed apparitores quoq; regem præire consuesse. [b] Fuere enim apparitores ministri regij, qui adstabant lateri, & corporis stipatores erant: vt si quando opus esset, ad imperium nutumq; regis præsto forent. Prærer quos fuerē [c] viatores in regio comitatu, qui quoties senatus cogendus esset, ex agris senatores aduocarent, contumacésq; citarent & arriperent. Quippe cum priscis temporibus proceres ciuitatis morarentur in agris, si quando consilium publicum cogendum erat, à villis accersebātur in senatum: ex quo qui eos euocabant, viatores dicti: quíque ex viatoribus ligandi, cædendíq; ius habebant, [d] Lictores nominari sunt: quibus iussu Regis delinquentes [e] vincire, nudatósq; virgis cædere, & si crimē exposceret, securi percutere negotium erat. Ideo lora in sinu gestantes, Regi apparebant: quibúsq; mandatū erat facinorosis & delinquentibus crura & manus ligabant, vt post verbera nouissimo exemplo afficerent. Prærer quos fuit [f] accensus & præco, qui dicto Consulis alteriúsve magistratus ad imperiū nutúmq; præsto essent. Accensus, vt ad cōcionem, [g] præco, vt ad comitia Quirites aduocaret. Quod munus vt esset expeditius, [h] libertis dari consueuit, sicut ministrorū & apparitorum, [i] Brutiariis, coactis seruilia

Lictores. Apparitores.

Viatores.

Lictoris munus.

Accensus. Præco. Brutiarij.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVII.

a QVod Romulus.] Liu. 1. Decad. lib. 1. & quod de trabea dicitur, etiam Plinius lib. 9. c. 39. in princ.

† *Nonnulli Tullum Hostilium.*] Vide Plin. ibi, & ab eo paululum dissentit Alex. nescio quos secutus authores. Ille enim Plinius toga prætexta & lato clauo è regibus primùm Hostilium vsum ait. Non erant autem è purpura, cùm tamen ea, qua vsus est Romulus, trabea, regia toga, auro & purpura intexta esset, vt quidam aiunt, seu purpurea albi quidpiam haberet, vt Sueton. lib. de genere vestium scripsit, teste Seruio ad 7. Æneid. ibi,

Ipse Quirinali lituo, paruáque sedebat.
Succinctus trabea. ——

Vnde liquet non Hostilium primò purpuratum fuisse, cùm Romulo purpureæ togæ epitheton antiquitas dederit, de qua Virgilij versus est lib. 11.

Et sellam regni trabeámque insignia nostri.

b *Fuere enim apparitores.*] De his Liuius 1. Decad. libr. 1. & Cicer. in 5. in Ver. act. & in 2. Philip. & Iurisc. in l. diuus. ff. de seru. fug. & in l. si pignora. ff. de euict. Quòd autē sic vocentur intelliges ex Seruio enarrante hunc locum li. 12. Æneid.

Sæuique in limine regis *Apparent.* ——

Cui loco similis est & ille eiusdem lib. 8.

Quàm Turno regi, aut regi apparere Latino.

Sed & de his sunt plurimi tit. lib. 12. Iustinianei Codicis videlicet, de appar. præfec. anno. & de appar. præf. vr. & appar. præf. præt. & appar. procon. & leg. & leges quoque, vt l. nullus apparitor. & l. quicumque. C. de diuer. off. & l. diuus. ff. de ser. fugit. & l. si pignora. ff. de euict. & l. ne diu apparitorum. C. de pœnis.

c *Viatores.*] Cicero de Senectute, A villa, inquit, ad senatū, accersebantur Curius & cæteri senes: ex quo qui eos accersebant, viatores nominati sunt. Columel. lib. 1. in præfat. Illis enim temporibus proceres ciuitatis in agris morabātur, & cùm consilium publicum desiderabatur, à villis accersebantur in Senatum: ex quo, qui eos euocabant, viatores nominati sunt. Plin. lib. 16. c. 3. Tales tum etiam viatores erant, quod ipsum nomen inditum est subinde, & ex agris Senatū, ducésque accersentibus. Quibus accedit Sextus Pompeius lib. vlt. initio. Generaliter tamē viatores dicti sunt, qui iussa Magistratuum executioni mandabant, vt satis parēt ex l. magis puto. §. ne tamen. ff. de reb. cor. Et Cicerone in Vatinium, Miserísne viatorem, qui M. Bibulum domo vi extraheret. Et Liuio 4. Dec. lib. 9. In cēsum referre viatores iussi, & omnes vbique. Illud autem non prætermiserim, me ex Liuio deprehendisse vt lictores Consulum essent viatores Trib. Plebis Huius enim hæc verba sunt, 1. Decad. lib. 2. Ardens igitur ita Tribunus viatorem mittit ad Consulem, Consul lictorem ad Tribunum.

d *Lictores nominati sunt.*] Qui lictores & quare dicti sunt, videbis apud A. Gellium aliorum authoritate libr. 12. cap. 3. Festum Pompe. lib. 10. Nonium Marcel. Plutarch. Probl. cap. 67.

e *Vincire, nudatósque.*] Liuius 3. Decad. libr. 6. In Campanos lictoris munus persequitur pluribus, vt ad palum deligare: virgis cæderet, ac securi percuteret. Sic apud eundem legas Decad 1. lib. 2. Consules spoliari hominem, & virgas expediri iubent. Idem alibi, Missi lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securíque feriunt.

f *Accensus.*] Hac in significatione Liuius 5. Dec. lib. 5. Assuetis regio imperio, tamen nouam formam terribilem præbuit tribunal, summotor aditus, præco, Accensus, insueta omnia oculis auribúsque, quæ vel socios, nedum hosteis victos terrere possent. Et Sueton. in Cæsare c. 20. Antiquum etiam retulit morem, vt quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores ponè sequerentur. Et Plin. lib. 7. c. vlt. Post aliquot annos adiectus est & meridies Accenso Consulum id pronuntiante. Sed tu hîc omnino vide Varronem libr. 5. de lingua Lat. Asconium Pædianum in 3. in Ver. act. Nonium Marcellum de doctorum indagine. Vegetium lib. 2. c. 19. & lib. 3. c. 14. & quæ scribemus infrà libr. 6. c. 22 Et quod Accensi à lictoribus differrent, apertē ostendit Liu. 3. Decad. lib. 5. Collegis, inquit, nomen singuli Accensi apparebant, penes præfectum iuris fasces 12. erant, fasces enim à lictoribus deferebantur.

g *Præco, vt ad comitia.*] Atque etiam vt silentium indiceret, ex Liuio 1. Decad. lib. 7. Tum Scipio silentio per præconem facto. & Plauto in Pœnulo.

Exurge præco, fac populo audientiam.

Et Appiano lib. 4. bellorum Ciuilium non semel. Et ad quæuis alia pronuncianda, vt ex multis authoribus vbique videre licet.

h *Libertis dari consueuit.*] Quod constat ex epistola 1. Ciceronis ad Q. Fratrem Proconsulem Asiæ libr. 1. cuius hæc verba subiiximus, Accensus sit eo etiam numero, quo eum maiores nostri esse voluerunt, qui hoc non beneficij loco; sed in laboris ac muneris non temerè nisi libertis suis deferebant, quibus illi quidem non multò secus ac seruis imperabant. Sic intellige lictores, qui principibus apparerent, plebis homines esse apud Liuium lib. 2. Decad. 1.

i *Brutiariis.*] Ex Festo Pom. lib. 2. vbi sunt qui legunt Bru-

exhibere, pro eo quòd bello Punico secundo post cladem Cannensem ad Hannibalem defecissent primi. [k] Sed cum post exactos Reges, Conss. creatis, omnia insignia quæ apud Reges erant, populus Consulibus concessa voluerit, Brutus & Valerius Publicola, qui assertores & vindices Romanæ maiestatis fuere, cum statuissent non formidolosum & ferum, sed mitem & plebi percharum efficere consulatum, atque offensionem & inuidiam vitarent, in publicum prodeuntes cum eisdem quibus reges insigniis, secures à fascibus dimouerunt: & cum solis fascibus ad populum concionati sunt. inde mansit in posterum, vt cum duodecim fascibus, [l] totidem lictores sine securibus Consuli præirent. Hæc enim fuere insignia summi honoris & imperij consularis. Illis ergo magistratibus secures cum fascibus in vrbe præferebantur, qui sine prouocatione summam imperij tenebant, vt Dictatori, & Decemuiris, à quibus ad maius tribunal prouocatio non erat. [m] Dictatori ergo pro honore summi imperij, quòd plus iuris & maiestatis haberet, quatuor & viginti lictores cum fascibus & securibus: viatorésque & apparitores, qui [n] summouerent turbas, præibant: [o] Consulibus in vrbe duodecim lictores cum fascibus tantum, demptis securibus: foris verò, vt in decreta sibi prouincia, aut quum castris & legionibus præessent, fasces cum securibus, vnáque lictores apparitorésque præcedebant. Idque ideo cautum, vt prouinciam perniciosis hominibus purgare, illorúmque audaciæ & temeritati obuiam ire, flagitiáque & dedecora pœnis & damno mulctare valerent. In vrbe enim Consuli cum securibus esse ius non erat: [p] quippe suprema potestas, & ius de nece ciuis Consuli intra pomœrium non datur. Obseruatúmque [q] fuit, vt inter Consulem & proximũ lictorem, nemini officij causa nisi Consulis filio aditus esset: [r] Prætori verò in vrbe non duodecim vt Consuli, sed sex tantummodo lictores apparere solent: extra verò vrbem aliquãdo cum securibus apparuisse inuenimus. [s] Paulo tamen Æmilio in prætura priuilegio honoris duodecim secures apparuisse ferunt, vt consularem maiestatem in prouincia præ se ferret. [t] Tribuni autem plebis solum viatorem, apparitorémque à prima origine sine lictore habuere: qui etiam libertini erant, quippe cum Tiberius Gracchus in tribunatu libertis apparitoribus primus vsus fuisse dicatur. [u] Postea verò quã prouincias sortiri cœpere, & illis cum imperio præesse, etiam lictores habendi Tribuno facultas data est. [x] Quæstores verò, Ædiles, Duumuiri, & minores magistratus, qui prehensionem & vocationem non habebant, in vrbe nec lictore vtebantur, nec viatore: [y] tametsi Prætorem duodecim secures cum fascibus, & Quæstorem, lictorem, & fasces quandoque habuisse legamus: quod in prouinciis, quas sortiti Prætores, Quæstorésque fuerant, non autem intra pomœrium id licuisse apparet. [z] Extra vrbem enim his vti fascibus & lictoribus interdum cum securibus licebat, vt sceleris & perfidiæ pœnas à facinorosis expeterent: in vrbe verò minimè, nisi [a] Quæstores patricij forent, quibus pro imperio & maiestate cum crimina vi dicarent, in vrbe lictores cum securibus sæpè prælati sunt. [b] Marcus tamen Liuius Drusus dum Quæstor Asiam obtineret: nullo lictore aut alio insigni honorum vti voluit, ne quid seipso insignius prouincia haberet. [c] His ergo quorum erat maius imperium, & maxima auspicia, quique cum adeunt magistratus, Vestæ & Penatibus rem diuinã faciunt, vt Dictatori, Consuli, & Prætori passim lictores cum fascibus in vrbe habere licuit: [d] Dictatori, etiam

Secures abiectæ post exactos reges.

Secures cum fascibus præferebantur post exactos reges.

Consulibus quot lictores. Vide de hoc & infra lib. 2. c. 27.

Ius necis intra pomœria consuli non dabatur.

Prætori in vrbe quot lictores.

Tribuni plebis viator & apparitor.

Quæstor parricidij, qui & parricidius.

Lictores cũ fascibus in vrbe habere quibus permissum.

ANNOTATIONES.

tiani, non Brutiarij.

k *Sed cum post exactos reges.*] Hæc sunt Dionysij Halicarnass. lib. 5. & Plut. in Val. Publicola.

l *Totidem lictores.*] Intellige singulis Consulibus: nam duobus erant 24. ex Liuio 1. Decad. lib. 2. & alibi dicemus latius.

m *Dictatori.*] Plutarchus in Fab. Maximo; & Dion in Augusto, Appianus Alexandrinus li. 1. bellorum Ciuilium, vbi loquitur de Sylla, & ante eos Polybius lib. 3.

n *Qui summouerent turbas.*] Liuius 1. Decad. lib. 8. Repente strepitus ante curiam lictorum summouentium auditur.

o *Consulibus in vrbe.*] Hæc vsque ad clausulam, quippe &c. sunt Dionysij Halicarnassæi libr. 5. atque iterum libr. 10. ad finem.

p *Quippe suprema potestas.*] Iniussu populi, intellige ex Pomponio l. 2. §. Exactis deinde. de orig. iur. Fuit enim cum prouocatione ad populum Consul creatus, deque ea lex lata, teste Liuio lib. 3. Decad. 1. Sicque debet intelligi habuisse imperium maius apud A. Gellium lib. 13. cap. 14. Amplius putem nec extra pomœrium in ciuem Consuli aut Proconsuli quidquam licuisse, cùm eos, qui se dicerent ciues, in vrbem veteres remitterent, vt in actis Apostol. de Diuo Paulo cap. 22. & 3. in Ver. acti. & ex Plinio epist. ad Traianum, in promptu est. Quæ omnia ex fonte legis illius prodierunt, quæ nisi Centuriatis comitiis, de capite ciuis Rom. rogari vetauit, teste Cicer. in ea orat. pro Rabirio. Vnde quoque leges emanarunt Portia & Valeria, de quibus Liuius Decad. 1. lib. 10.

q *Obseruatúmque fuit.*] Inter regem & lictores incedere nemini licuit ex Romuli lege. Dionys. Halicar. lib. 2.

r *Prætori verò.*] Vide suprà lib. 2. c. 15.

s *Paulo tamen Æmilio.*] Plutarchus in vita illius, & vide dict. cap 15.

t *Tribuni autem plebis.*] Plutarch. in vita Tib. Gracchi, vbi tamen non eum primùm, sed simpliciter fecisse scripsit, & vide Gel. lib. 13. cap. 12.

u *Posteà verò quàm.*] Confundit hoc loco Alexander Tribunos plebeios & militares, cum potestate consulari: quos distinctos legas apud Liu. lib. 3. Decad. 1. vbi primùm militares creati: cùm antè lib. 2. eiusdem Deca plebeij creati referantur. Sed nusquam est, quod sciam, Tribunos prouincias administrasse.

x *Quæstores verò.*] Gellius dict. lib. 13. c. 12. & 13.

y *Tametsi prætorem.*] Vt de Paulo Æmylio dictum est.

z *Extra vrbem.*] Dionysius Halicar. lib. 5.

a *Quæstores patricij.*] De quibus Pomponius in l. 2. §. deinde cùm ærarium. ff. de orig. iur. & Festus Pompeius libr. 14. & alibi dicemus. Cæterum legati lictoribus vtebantur, vt patet ex 3. in Ver. act. non vno in loco, vbi loquitur de Cornelio lictore ipsius Verris legati.

b *Marcus tamen Liuius Drusus.*] Plin. Secundus, aut quisquis is est, lib. de Viris Illustribus cap. 72.

c *His ergo quorum.*] Dionysius dict. lib. 5.

e *Dictatori etiam.*] Romæ secures præferri Dictatori visos refert Liu. lib. 2. Dec. 1.

e Cæteris

cum securibus. [e] Cæteris verò qui minima auspicia habebant, lictore vti non licuit, nisi quæstori parrico, vt percensuimus. Fuitque vetus institutum, vt præfecti Prouinciarum & præsides, senatoribus ex claris maioribus & inclytæ familiæ, peregrè agentibus, quo conspectior dignitas & honoratior foret, plerumque in prouincia lictores cum bacillis darent: [f] vtque si reges externi aut fœderati in prouincias populi Romani venirent, magistratus Romanus aut præses illi cum lictoribus & fascibus præiret. [g] Mario enim prætore Asiam obtinente, & in eam profecto Mithridate, semper cum fascibus Marius præcessit Mithridatem. Qui quidem lictores non his modò magistratibus, sed & Vestalibus [h] & Sacerdotibus, mox Cæsaribus & summis imperatoribus cum virgis laureatis, & [i] Augustis mulieribus pro muliebri fastigio præcessere. Quare [k] Agrippinæ matri Neronis, perpetuo senatusconsulto lictores duo tributi fuere, & Flaminium claudiale. Contra Tiberius Drusillæ matri decerni lictorem minimè passus fuit, [l] licet Augustus illam in familiam nomenque Augustæ testamento asciuisset. [m] Illud quoque obseruatum est, vt cum lictores iussu consulum aliquem à domo euocarent fores ædium virga percuterent, quasi eo signo publicam adesse personam innotesceret. [n] Si cui tamen ob claritatem dignitatémque deferebant, virga fores percuti vetabant. Cum enim Pompeius Magnus Possidonij domum summi sapientiæ professoris esset ingressurus, fores virga percuti vetuit, & fasces summisit. Et siquando [o] dictatori, [p] consuli aut prætori præirent, pro imperii maiestate obuium quemque festinanter cedere, denudare caput, & obsequij honorisque causa equo descendere iuberent, obuiámque turbam virga subsisterent, & summouerent. Apud Athenienses, & omnem ferè Græciam, vt discrimen personarum notaretur, magistratus non lictores; sed lixas simul & virgas habuerunt vice lictorum, quos [q] λειτέργους nuncupant. [r] Fertur verò Germanicus, Athenienses socios & fœderatos vno lictore velut præcipuo munere donasse. [s] Neque prætereundum, in occursu maioris magistratus, minores summittere fasces consueuisse: vt signarent honori deferre, & imperio parere. Quare [t] Valerius Publicola in suspicionem affectati regni adductus, dum concionatur, fasces populo summisit: scilicet populi quàm consulis maiestatem & iura potiora arbitratus, [u] Lictorésque cum fascibus sæpè paludatos, consuli etiam paludato in prouinciam profecturo præire solere: quæ quidem paludamenta tunc sumebant, cum in expeditionem aut decretam

Lictores cum bacillis Regibus externis. Præses cū lictoribus & fascibus præibat. Lictores cum virgis laureati. Lictores fores virga percutiebāt. Lictorum munus.

Athenienses lixas & virgas loco lictorum habebāt. Summissio fascium.

ANNOTATIONES.

e *Cæteris verò.*] Nam consules, regia potestas, aut prætores iisdem auspiciis, quibus Consules, creati; qui minores sunt Dictatore, vt est apud Liuium Decad. 1. libr. 8. sed reliqui magistratus, exceptis Consulibus, minora intelligendi sunt auspicia habere. De quibus A. Gellius lib. 13. c. 14.

f *Vtq; si Reges externi.*] Hoc probat exemplo seq. Sed cui adde quod cum Iuba Rex primo aduentu Catonis Vticensis thronum suum medium posuisset inter ipsum & Scipionem: id animaduertens Cato, sublata sella ad aliam partem se contulit, & Scipionem inter se & Iubam medium fecit, quamquàm sibi infensum & inimicum, vt scribit Plutar. in vita ipsius Catonis. Alibi autem docuimus medium locum esse honoratiorem.

g *Mario enim Prætore.*] Plutar. in vita illius.

h *Et sacerdotibus.*] Plutar. Problematōn c. 13. & Fest. Pomp. lib. 6. vbi scribit Flaminium lictorem dici, qui Flamini Diali, sacrorum causa, præsto est.

i *Augustis mulieribus.*] Vt in sequentibus patebit.

k *Agrippinæ matri Neronis.*] Cornel. Tacitus lib. 1. Cæterum, inquit, anxius inuidia, & muliebre fastigium in diminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est.

l *Licet Augustus.*] Idem Tacitus eod. libr. 1. sed alio loco vbi de testamento ipsius Augusti. Fuit inquit, testamentum illatum per virgines Vestæ, Tiberium & Liuiam hæredes habuit, Liuia in familiam noménque Augustæ assumebatur. Et ne in hoc dubites quod Alexander hîc Drusillam vocat, Tacitus Liuiam, eadem fuit Liuia Drusilla appellata, teste Plinio lib. 16. cap. vlt.

m *Illud quoque obseruatum.*] Sic quoque de Tribuno militum Liuius 1. Decad lib. 6. Forte, inquit, ita incidit, vt in Ser. Sulpitij Tribu. militum domo sorores Fabiæ cùm inter se, vt fit, sermonibus tempus tererent, lictor Sulpitij, cùm is de foro se domum reciperet, forem (vt mos est) virga percuteret. Vnde est quod Fabius Maximus Dictator, Consulem ad se sine lictoribus venire iussit. Liuius Decad. 3. libr. 2.

n *Si cui tamen.*] Plinius lib. 7. cap. 30. & Solinus cap. 7.

o *Dictatori.*] Plutarch. in Fabio Maximo.

p *Consuli.*] Scriptor de Viris illustribus cap. 72. inquit; M. Æmilius Scaurus Consul, P. Decium, Prætorem, transeunte ipso, sedentem iussit assurgere, eique vestem scidit, sellam concidit, ne quis ad eum in ius iret edixit. Adde & in partem idem licuisse Consuli, ex Liuio Decad. 3. lib. 4.

q *Quos λειτέργους.*] Vnde id Alexander, acceperit, nescio. Omnes autem sciunt λειτοῦργον, appellari ministrum, siue operatorem publicum, siue etiam sacrorum ministrum, vt λειτουργίαν, ministerium; siue munus quodpiam publicum, & λειτουργεῖν, ministro, publicum munus obeo. Hæcque passim apud authores Græcos.

r *Fertur verò Germanicus.*] Corn. Tacitus Annal. libr. 2. de ipso Germanico loquens: Hinc, inquit, ventum Athenas fœderique sociæ & vetustæ vrbi datum, vt vno lictore vteretur.

s *Neque prætereundum.*] Quod probat exemplo sequenti, & præterea ex Tullio. Nam simul, inquit, ac me Dyrrachium attigisse audiuit Plancius, statim ad me, lictoribus dimissis insignibus abiectis, veste mutata profectus est. Et ex Appiano lib. 5. bellor. ciuilium, de nauibus Antonij & Ænobardi loquente, Iam in conspectum venerant & inter præcedentes ex signorum vexillis apparebant, & ad cursum vt se inuicem adirent hortabantur, cùm lictor Antonio ante proram assidens, vt mos fuit, siue quod ambiguum virum illum ignoraret, qui tanto exercitu propriòque ad eos nauigaret, siue à generositate animi id expromeret, vt inferioribus dignitate viris, signum è naui deponere imperauit. Quod ab illis factum est. Et huc spectat quod scribit Liuius 3. Decad. lib. 2. Consulibus ad Dictatorem venire cum lictoribus non licuisse.

t *Valerius Publicola.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. Scriptor de Viris illustrib. lib. 15.

u *Lictorésque.*] Nam apud Liuium 5. Decad. lib. 1. C. Claudius Pulcher, Consul arguitur, quòd in suam prouinciam Histriam sine lictoribus paludatis abiisset, quod tamen postea Romam rediens fecit. Et iterum lib. 5. in oratione Seruilij, Consul, ait, proficiscens. Prætorve paludatis lictoribus in prouinciam & ad bellum vota in Capitolio nuncupat. De quo nos dicemus latius infrà lib. 3. c. 3.

sibi prouinciam consulturus esset. [x] Paulo tamen Æmilio prætori in Hiberiam profecturo, albũ paludamentum, ac lictores ministrósque albatos cum modico comitatu tributos comperimus. Sine [y] autem lictoribus proficisci in prouinciam aut consulibus profectis lictores in vrbe mansisse, religioni est & prodigij loco habitum. Fuit quoque receptus mos, vt quoties insigni victoria consules potiti essent, ob res prospere gestas [z] laureatis fascibus prælatis incederent [a]: literasque laureatas Romam mitti, aut nuncios cum iaculis laureatis, aduenire, [c] nauemque laureatam aut vittatam, felicis victoriæ nuntium esse, ac læta & magna significare tunc, quum depulsis & dissipatis copiis hostes victi essent & profligati, animaduersum est. Victo [d] enim Mithridate, & fugato duplici prælio, lauro ornatam nauem, & bellico apparatu instructam, vt in victoria mos erat, Lucullus Romam misisse dicitur. Ipsis verò non iis tabellariis Græci [e] πτεροφόροι, dixere nomen, quoniam erectas pinnulas gestarent, quod [f] Ælius Verus fecisse dicitur, vt cursoribus alas pennatas imponeret, illosque ventorum nominibus appellaret: quandoque φοινῖκας & [g] γραμματοφόρους, [h] Persæ ἀγγάρους, & ἀστάνδας. Proditũmque memoriæ est, columbas tabellariorum vice apud maiores sæpe fungi solitas: quippe [i] Cecinna Volaterranus hirundines victoriæ nuncias habuit. [k] Cyrus verò per interualla locorum tabellarios ita disposuit, vt fatigatis recentes, & nocturni diurnis succederent: adeò vt volantes grues superarent. [l] Quod & Xerxes fecisse dicitur, vt cursores inuicem succedentes haberet dispositos, quos neque imber, neque noxa à cursu dimoueret. Inter alios

Fasces laureati. *Literæ laureatæ.* *Tabellariorũ diuersa nomina.* *Columbarum & hirundinum ars.* *Tabellarij Cyri per interualla locorum.*

ANNOTATIONES.

x *Paulo tamen Æmylio.*] Eidem in vlteriorem Hispaniam quæ Iberia dicitur profecturo, præter eũ exercitum, quem, à M. Fuluio Proprætore accepturus esset: decretum, vt nouorum militum tria millia duceret, & trecentos equites. Liu. libr. 6. Decad. 4. post princ. Et nescio quare modicum Paulo fuisse comitatum scribat Alexander.

y *Sine autem Lictoribus.*] Vide infrà lib. 3. c. 3.

z *Laureatis fascibus.*] Cicero in lib. de Diuinatione, vbi dicit. C. Marium cum fascibus laureatis incessisse. Cic. Att. lib. 8. Age iam has compedes, fasces, inquam, hos laureatos hæc ex Italia ferre quam molestum est. Idem Att. lib. epist. 7. Subitò consilium cepi, vt antè, quàm luceret, exirent, ne qui conspectus fieret aut sermo, lictoribus præsertim laureatis. Et Phil. 2. de Antonio loquens, Vehebatur in essedo Tribunus plebis, lictores laureati antecedebant. Cæsar lib. 3. belli Ciuilis, cuius verba mox adferemus. Tacitus lib. 13. Nero, inquit, ob res à Quadrato & Corbulone prosperè gestas, laurum fascibus imperatoriis addi iusserat. Plutarc. in Lucullo, Iul. Obsequens in lib. Prodigiorum, Iul. Capitolinus in vita Maximini, vbi scribit Gordianum seniorem per Carthaginem venisse cum fascibus laureatis: quod & ipsum talem reperit in vita Gordianorum. Cassiodorus variarum lib. 9. epist. incip. Quid P. C. vbi de consulatu loquens, scribit, Hunc honorem Deciorum familia non miratur: quia eorum plena sunt arma fascibus laureatis. Et è poëtis Martial. lib. 7. epig. 5.

Publica victrices testantur gaudia chartæ.
Martia laurigera cuspide tela virent.

Et lib. 14. epig. 10.

Cum tu laurigeris annum qui fascibus intras,
Mane salutator limina mille teras.

Claudianus in quartum consulatum Honorij.

Nec te laurigeras pudeat Gradiue secures
Secura gestare manu. ——

Hincquè virgæ laureatæ apud Herodianum libr. 7. Sequebantur, ait, ipsum (de Gordiano seniore loquitur) principalis pompa omnis, militésque quicunque aderant, iuniorésque vrbani procera statura ad eorum similitudinem, qui Romæ Imperatorem comitantur. Virgæ etiam laureatæ, quo insigni principes à priuatis dignoscuntur.

a *Literásque laureatas.*] Liuius 1. Decad. libr. 5. Literæ, inquit, à Posthumio laureatæ sequuntur victoriam Populi Romani. Et 5. Decad. lib. quoque 5. post princ. vbi de Licinio consule loquitur. Tabularius, qui se ex Macedonia venire diceret, laureatas literas attulisse dicitur. Plin. libr. 15. cap. vlt. Laurus Romanis præcipuæ lætitiæ, victoriarúmque nuncia additur literis. Iul. Capitolinus in Maximino, Statim Romam laureatas literas misit, quæ in Vrbe ingentem lætitiam fecerunt. Lampridius in Alexandro, Laureatas tabulas vocat. Am. Marcellinus libr. 16. vbi de Constantino Cæsare. Corn. Tacitus lib. 19. Ipse lauream prosperè gestæ rei ad fratrem misit. id est laureatam epistolam. Ante hos Cæsar lib. 3. belli Ciuilis. Sed neque, inquit, in literis, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia lauri prætulit. Ex Poëtis Persius Satyra 6.

—— *Missa est à Cæsare Laurus*
Insignem ob cladem Germanæ pubis.

Martialis lib. 7. epig. 5. ad Domitianum,

Sed iam lætitia, quò sit fiducia maior,
Sarmaticæ laurus nuncius ipse veni.

Claudianus in bello Gildonico.

Iam domitus Gildo nullis victoria nodis
Hæsit, non spatio terræ, non obice Ponti
Congressum profugum, captum vox nunciat vna
Rumorémque sui præuenit laurea belli.

b *Cum iaculis laureatis.*] Plutarc. in Pompeio tradit tabellarios literas è Ponto ad Pompeium afferentes de morte Mithridatis, habuisse iaculorum cuspides lauri frondibus coronatas.

c *Nauemque laureatam.*] Quod probat exemplo mox sequente.

d *Victo enim Mithridate.*] Plut. in Lucullo. Sed adde laureatos legatos ex Herodiano lib. 7.

e *Græci πτεροφόρους.*] Dionysius Halicarnassæus & Plutarch. in Othone: καὶ πτεροφόροι συνεχῶς ἐφοίτων ἀεί τι προσχωρεῖν ἐκείνῳ φράζοντα. Et ad id respicere Iuuenalem quidam putant Satyra 4. ad finem.

Quanquàm de Catis aliquid toruisque Sicambris
Dicturus, tanquam diuersis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola penna.

f *Ælius Verus.*] Spartianus in vita illius.

g *Et γραμματοφόρους.*] Γραμματοφόρους in hac ipsa significatione posuit Plutarchus in Galba: τῶν δὲ ὑπάτων ὀπλίτας δημοσίους προχειρισαμένων τὰ δόγματα κομίζοντάς τῷ αὐτοκράτορι, καὶ τὰ καλούμενα διπλώματα σεσημασμένα δόντων, ἃ γνωρίζοντες οἱ κατὰ πόλιν ἄρχοντες ἐν ταῖς τῶν ὀχημάτων ἀμοιβαῖς ἐπιταχύνουσι τὰς προπομπὰς τῶν γραμματοφόρων.

h *Persæ ἀγγάρους & ἀστάνδας.*] Herodotus libr. 8. & Suidas scribunt apud Persas, ita vocari regios nuntios siue tabellarios, qui certis interuallis iterum permutabantur. Plutar autem in lib. de fortuna Alexan. post princ. scribit Darium Persarum regem fuisse regem ἀστάνδην.

i *Cecinna Volaterranus.*] Plinius eodem libro 10. capite 24.

k *Cyrus.*] Xenophon lib. 4. Pædiæ ipsius Cyri.

l *Quod & Xerxes.*] Herodotus dicto lib. 8.

m *Matthei*

[m] Marthes, Ægypti rex proditur cornicem habuisse cui cursoris vice literas perferendas dabat.[n] Nec ab re fuerit meminisse, ex viridi lauro fascium Luculli, Pompeij fasces [o] languentibus foliis lictores exornare, concessa mox victoriæ omen fecisse. Sicut [o] Superbus Tarquinius, ne suum ducem Latini agnoscerent, néve discreta insignia haberent ex Latinis Romanisque fascibus, manipulos miscuit, singulósque ex binis fecit. Ipse [p] tamen Pompeius, licet se imperatorem sinerit appellari, nunquā tamen in fascibus insignia laureæ coronæ detulisse legitur: quo exemplo arguitur, imperatorum fascibus laureas apponi cõsuesse, quo iusti imperium & legitimus triumphus notaretur. Apud Græcos verò vetusto more receptum est, vt si quid faustè & feliciter nuncij afferrent, coronari adueotarent, ipsique ciues felici accepto nuncio, in communis signum lætitiæ coronati incederent, ouantes, gratantésque. Carthaginenses, rebus feliciter gestis, præcipuum lętitiæ genus habent, victimas cędere, ludos celebrare, munera mittere.[q] Quódque fascibus, quos præferebant lictores, [q] betullas virgas maximè commodas duxere. Itaque ex illarum virgis, tum propter candorem, tum propter tenuitatem publicos fasces, qui magistratibus præirent, effecere.[r] Atque illud animaduersum est, quod tametsi ad reliquas prouincias pręsides, & magistratus cum lictore & fascibus irent: tamen Alexandriam consulares fasces accedere, aot vrbem inire vetabatur: quòd diuinis carminibus & vaticinio pręd[i]ctum esset, tunc demum Ægyptum fore liberam, cum ad eam Romanij fasces aduentarent. Tametsi Romani magistratus libera & fœderata oppida, velut sociali fide copulata, plerumque sine lictore aut fascibus adirent.

Cornix literas perferens.

Græcorū mos nunciis fausti nūcio.

Carthaginenses.

Betulla virga.

Alexandriam fasces non ingrediebantur.

ANNOTATIONES.

m *Marthes Ægypti rex.*] Id ex Æliano lib. de animal. 6. cap.7. cuius in eam rem hæc verba sunt, ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ἐπὶ τὴν λίμνην τὴν καλουμένην Μοίριδος ὅπου κροκοδείλων πόλις, κορώνης τάφος δείκνυται, καὶ τὴν αἰτίαν ἐκείνην αἰγύπτιοι φασὶ τῷ βασιλεῖ τῶν αἰγυπτίων, Μάρρης δ' οὗτος ἐκαλεῖτο, ἦν κορώνη θρέμμα πάνυ ἥμερον καὶ τὰς ἐπιστολὰς, ὡς ἐβούλετο, διακομισθῆναι τοῦ θᾶττον ἐκομίζεν αὐτὴ καὶ ἦν ἀγγέλλων ὠκίστη, καὶ ἀκούσασα, ἔνθα ἰθῦναι χρὴ τὸ πτερὸν καὶ τίνα χρὴ διαδραμεῖν χῶρον, καὶ ὅπου ἥκουσα ἀναπαύσασθαι, ἀνθ' ὧν ἀποθανοῦσαν ὁ Μάρρης ἐτίμησεν αὐτὴν καὶ στήλῃ καὶ τάφῳ. In Ægypto ad eam Paludem, quę Myris vocatur, vbi crocodilorum ciuitas erat, ostenditur sepulchrum: & huius quidem causam Ægyptij reddunt, Marthe, inquiunt, Ægyptiorum regi cornix fuit, animal oppidò mansuetum & cicure, ita vt epistolas, quò ille vellet, facilè perferret, essetque omnium nunciorum multò celerrima, si modò quò tendendum, & quæ preteruolanda esset regio, & vbi quiescendum audiisset. Eam itaque pro huiusmodi officiis, defunctam Marthes & columna & sepulchro honorauit. Vide Suidam.

n *Nec ab re fuerit.*] Id Plut. est in vita Pompeij.

o *Sicut Superbus Tarquinius.*] Liuius 1. Dec. lib. 1. Qui vbi ad edictum Romani Regis ex omnibus populis conuenere, ne ducem suum, néve secretum imperium, propriáve signa haberent, miscuit manipulos ex Latinis, Romanisque vt ex binis singulos faceret, binósque ex singulis, ita geminatis manipulis, centuriones imposuit.

p *Ipse tamen Pompeius.*] Plutar. in vita illius: qui accepisse videtur ex Cæsare lib. 3. belli Ciuilis. vbi de ipso Pompeio loquens. Sed neque, inquit, literis, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia lauri prætulit.

q *Betullas virgas.*] Plinius lib. 16. c. 18.

r *Atque illud animaduersum.*] Vide num id voluit dicere, quod Cor. Tacitus lib. Annalium 2. scribit Tiberium imperatorem increpuisse Germanicum, quòd contra instituta Augusti non spontè principis, Alexandriam introisset. Nam Augustus inter alia dominationis (nisi diuinationis legere malis) arcana, vetitis, nisi permissu ingredi Senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum, ne fame vrgeret Italiam, quisquis eam prouinciam, claustráque terræ ac maris, quamuis leui præsidio aduersum ingentea exercitus insedisset.

Quod regium diadema tam apud Romanos, quàm apud exteras nationes gentesque fuerit, & quæ insignia.

CAPVT XXVIII.

APVD Paulum Cortesium virum doctum, & mihi perfamiliarem, legebatur Luculli vita ex Plutarcho: in qua expeditionē & pręlia contra Mithridatem à Sylla primum, mox à Lucullo suscepta, multa cum facundia verborum refert, cum quo multiplex, varium & inexpiabile bellum fuit: quóque modò fusus & profligatus, quum de consciscenda morte cogitaret, repentinæ incursionis metu, ac subito malo perterritus, eunuchum é cubiculo ad sororem, & duas vxores, Monymam & Veronicam, vt in tanto discrimine, ne cunctarentur sibi vel honesta morte consulere, ante quam victor hostis adueniret, misisse dicit: & dum alij alio letho absumerentur, illarum alteram animo consternatam, diademate detracto, quod capite gestabat, & collo circundato, suspendio vitam finire voluisse: alteram veneno mortem sibi consciuisse, & qualia in magnis discriminibus & summæ fortunę casibus euenire solent, in eandem sententiam multa commodissimè aptissimè que enarrat. Atque hæc cum legerētur, quidam vir curiosus & haud illiteratus, qui vnà aderat, quonam modo potuisset quispiam diademate quod capite gestaretur, suspendio vitam finire, demitabatur: quippe diadema regium ex auro gemmisque constare dicebat, neque illo efficere potuisse quenquam, vt laqueo deperiret. Quæ cum dixisset, multíque idem sentirent, dixi aliud fuisse sententię & opinionis meę, diademáque regium, tam Romanis quàm exteris gentibus, candidam fasciam esse respondi: quod insigne à Libero patre inuentum [a] Plinius notauit: ideó crimini datum [b] Pompeio

Paulus Cortesius Plutarchi locus in vita Lucullis.

Diadema quid.

Pōpeius tanatus.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVIII.

a *Plinius notauit.*] Lib. 7. c. 56.

b *Pompeio.*] Ex Valerio Maximo li. 6. c. 2. & Ammiano Marcellino, & diximus in nostris legibus Connubialibus l. 3. inter ornamenta muliebria.

a Crura

fuisse, quòd vlceris velandi causa, crus fascia circoncingeret, tanquam regium sibi diadema vendicaret, nihilque referre, qua in parte gestaretur, illi obiectũ esse. tamersi ferantur veteres, quod caligis non vterentur, [c] crura fasciis alligasse, femõraliáqne [d] & tibialia [e] habuisse. Et Lucius [f] Metellus, quod vlceris causa frontem fascia circundedisset, Vittati seu Diademati cognomen tulisse. [g] Tygranes quoque Armenius candidam fasciam insigne regium ante Pompeij pedes abiecisse dicitur, velut dominationi cederet, & omni publico munere se abdicaret. Quin [h] Alexander memoratur, cum desiliens equo, casu Lysimachum vulnerasset, medendi vulneris causa, diadema sibi detraxisse, (nam candida fascia erat) illóque Lysimachi vulnus alligasse. Quod omen illum futurum regem designauit, sicut euentus docuit. Idque apud auctores assiduis exemplis patere. [i] Medis verò, Persis [k] & [l] Armeniis regibus, [m] cidaris [n] quadrangulari figura, cum cærulea fascia albo distincta, [o] vel tiara, amictúsque purpureus. Interdum [p] candys, quod Persarum Lydorúmque insigne regium erat, pro diademate fuit. [q] Quos quidem reges antequam sceptra inirent, sacris initiari oportebat: qui modus erat, vt vestem quam gestauit Cyrus, primum induerent, mox terebinthum & caricas gustarent, poculùmque lactis ebiberent: [r] sicut initiatos sacris Isidis, fores ædis aperire, arcanósque libros euoluere, aqua ablui, ad sacraria deduci, duodecimque stolis primò, mox ipsius deæ picta veste indui decebat. Quæ [s] quidem tiara pileus erat, ex qua redimicula quibus maxillæ velantur, defluebant, [t] qua Phryges in solennibus vtebantur sæpe. Quod quidem diadema, [u] Armeniorum reges nisi à Romanis assumere non poterant: Namque experimento cognitum erat, barbaros malle Roma petere reges, quàm habere [x] Persici reges, obseruarunt ex myrrha & labizo odorata, capiti insigne regium ferre, palamque picturatam & auro distinctam induere. [y] Numidis regibus sceptrum in sinistra, & candida in fronte vitta, insigne est regale habitum. [z] Macedonum regum chlamis caausia,

Metellus taxatus. *Cidaris Tiara Candys. Regni in auguratio. Sacrorũ Isidis in auguratio. Tiara. Persa. Numida. Macedones.*

ANNOTATIONES

c *Crura fasciis alligasse.*] Quintil.lib.2.cap.3. Fascias, inquit quibus crura vestiuntur. Et vide nostras ll. vbi suprà.

d *Femoralia.*] De quibus Sueton. in Augusto c.82. & Exod. c.28. & Leuit.6. & 16. & 44.

e *Tibialia.*] De quibus Sueton. in eodem loco. apud nostros pro armorum genere in l. qui commeatus. §.1. ff. de re milit.

f *L.Metellus.*] Plutarch. in Coriolano.

g *Tigranes.*] Plutarch. & Dion vterque in vita Pompeij.

h *Alexander.*] Hæc Iustini sunt lib.15.

i *Medis.*] Plut. in Antonio. Strabo lib. 11. Pollux lib.7.c.13 & Maximus Tyrius Sermo. 34. Arrianus gestorum Alexandri lib.6.

k *Persis.*] Plutar. in Antonio & Artaxerxe & Arrianus vbi suprà & Curtius lib.3. Athenæus lib.12.c.3. Neque ait, insignia sane, quæ Persarum reges capiti imposuerunt, delitiis carere consueuerunt, siquidem ea myrrha, vocatóque labyzo conficiebantur, vt àit Dion. Marcellinus autem lib. 29. scribit, Sapori Persarum regi aureum capitis arietini figmentum interstinctum lapillis, pro diademate gestasse, multiplici vertice dignitatum.

l *Armeniis.*] Vt quantum ad tiaram, testes sunt Strabo lib. 11. Suetonius in Nerone cap.13. & Dion in Pompeio, post princ. sed & quantum ad hanc, adde Assyriis ea Iustino lib. 1. post princ. & Troianis ea Iuuenal. loquente dr Priamo. Satyra 10.

Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara.

m *Cidaris.*] Et hæc quoque Ponti regibus ea Plutarcho in Pompeio, vbi scribit, Cidarim Mithridatis Ponti Caium regis commensalem elam Syllæ filio petenti dedisse, quæ vt dicit, erat admirandi & incredibilis operis.

n *Quadrangulari figura.*] Dion. Halicarnas. libr. 3. scribit, Diademata regum Persarum & Lydorum fuisse quadrata: Hetruscorum verò & Romanorum fuisse figura semicirculi.

o *Vel tiara.*] Nam & hanc Medorum fuisse, testis est Plutarc. in vita Alexandri, & Maximus Tyrius serm.34. & Persarum Xenophon Pædiæ Cyri libr. 8. sed adde & Parthorum ex Anacreonte. καὶ παρθίους τε ἄνδρας ἐγνώκειταν τιάραις. & Troianorum, vt suprà in verbo, Armeniis. ex Iuuenale. Sed & quod Persarum sit probat illud Claudiani in 6. Honorij consulatu,

——— *Persarum proceres cum patre sedentem*
Hac quondam videre domo, positaque tiara
Submisere genu.

p *Interdum Candyn.*] Diodorus lib. 17. cap. 7. Præter femimalia & velamen, quod Candyn vocant, omnem prorsus habitum peregrinum adsumpsit. Plutar. in vita Alexandri, & lib. de fortuna illius. Pollux lib.7. cap.13. Arrianus autem lib.6. Gestorum Alexandri, vbi de sepulchro Cyri loquitur tradit Candyn esse vestem regiam Persarum.

q *Quod quidem reges.*] Scilicet Persarum ex Plutar. ex Artaxerxe.

r *Sicut initiatos sacris Isidis.*] Hæc sunt excerpta ex Apuleio lib.11. Metam.

s *Qua quidem tiara.*] Vide omnino quæ scripsi in legibus Connubialibus inter ornamenta muliebria, vbi de tiara.

t *Qua Phryges.*] Hinc enim tiara Phrygia Iuuenali Satyra 6.

——— *Et Phrygia vestitur bucca tiara.*

Et Seruius enarrans illud Virgilij lib.7. Æneid.

——— *Sceptrúmque, Sacerque tiaras.*

Pileum, inquit, Phrygum dicit. Et ante illum Donatus ibi, Pileum, ait, est, quo Phryges vtuntur, cùm celebrant sacra Vnde Virgil. sacrum appellat.

u *Armeniorum reges.*] Legitur enim apud Tacitum lib. 2. Germanicum insigne regium capiti Artaxiæ Armeniorum regis imposuisse. Et li.15. Tyridatem & ipsius Armeniæ Regem accepturum diadema in Vrbem venisse. Sic & Neronem Mithridati, aut, vt alij legunt, Tyridati Armeniorum quoque regi petenti diadema imposuit. apud Suetonium in Nerone c. 13. Sed & Parthorum quoque regibus Rom. Imperatores diadema dedisse, satis ex eo videtur, quod scribit Dion, Traianum diadema Parthenaspati, Regi Parthorum imposuisse.

x *Persici reges.*] Dion, & ab eo Athenæus libr. 12. cap. 3. post princ. Persæ stolam Medicam induunt. Xenop. lib.8. Persicum diadema capiti induxit Alexander, & alba tunica cum cingulo, Persarum more, vsus est, Diodor. libr. 17. cap.7.

y *Numidis regibus.*] Ad id quod dicitur de candida vitta, illud propè perpetuum fuit, vt candida vitta siue fascia in capite esset insigne regium vt colligi potest ea Suetonio in Cæsare c 79. & Val. Maximo lib.6.c.2. quo loco loquitur de Pompeio & Fauonio.

z *Macedonum Regum.*] Herodianus lib.4. in Bassiano, & Valerius Maximus lib.5, c.1. Quemadmodum, inquit, Antigonus caput Pyrrhi texit causia, qua velatum caput suum more Macedonum habebat. Ex quibus intelligis hic causia non chaussa legendum.

& crepida, ac diadema: [a] Assyriorum verò, tiara diademate obuoluta,& tunica purpurea, & partim alba, quam nisi rex indueret nemo poterat.Sardis quoque curru vehi,& rectam ferre tiaram solis regibus dabatur. [b] Apud Siculos purpurea vestis, argenteus baculus, & purpura gemmis extructa cum diademate. Phœnicibus, Cyris, & Cilicibus, chlamys cum crepidibus, & candicans diadema. [c] Ægyptiis autem regibus,nunc leonis, nunc tauri, aut draconis effigiem imaginem,aut ignem, arborémve effictam supra caput ferre, principatus & regij dominatus insignia fuere. [d] Tametsi regni cura & procuratio illis penes regias vxores fuerit, quibus plus quàm regij honoris, obsequiique tributum est. Nonnunquam [e] diadema aspidis imagine distinctum, Ægyptiorum regum spectatissimum insigne fuit. [f] Parthis duplex diadema amplissimum decus regium dicunt esse, quippe quorum [g] reges magni,& [h] regum reges habebantur, sicut [i] Phrygum reges adeò processere, vt regum maximi nomina ferrent. Darij diadema fuit purpureum albo distinctum, quod mox Alexander vsurpauit ferre. [k] Syrij quoque stolam & sceptrum pro regio diademate habuerunt. Apud prius verò seculum reges tenuisse hastas,quas sceptra nuncupant, pro maiestate, próque diademate fuisse proditum est. Ferunt milites in exercitu Pharnacis,tumultuaria coacta manu, latinem illi sirpum,dum ipsum in regem assumunt, pro diademate dedisse. Sicut Amasi,dum concionatur, pro regali ornamento galea data est.Bataui & Germani, regem quem delegere, attollere humeris,& scuto exceptum subcollate per vices pro regio fastigio obseruarunt.[l] Romanis autem regibus diademata[m] trabea, & purpureus amictus non quadrangulare, sed semicirculare, insignia regij dominatus fuere. Sequutosque posteà Cæsares,[n] diademate minimè vsos comperimus:imò omne decus regium,vt inuidiósum

Assyrij. Sardi. Siculi. Phœnices. Syri. Cilices. Ægyptij. Reginarū honos apud Ægyptios. Phryges reges maximi. Darij & Alex. diadema. Syrij. Sceptrum sirpus latior loco diadematis. Bataui & Germani. Romani reges.

ANNOTATIONES.

a *Assyriorum verò.*] Hos tiara vsos vestis est Iustinus lib. 1. post princ. vbi de habitu Semiramidis. Diodorus tamen lib. 3. cap. 7. scribit Assyrios Arbacem regia stola indutum regem appellasse.

b *Apud Siculos.*]Siciliæ rex habuit purpuram,diadema, ac satellites armatos. Liuius Decad.3.lib. 4.

c *Ægyptiis autem regibus.*] Hæc vsque ad versic. Tametsi, sunt Diodori Sicu.lib.2.c.itemq post princ.

d *Tametsi regni cura.*]A quo mutuatus fuerit hæc Alexander, non equidem scio;tu diuersum ex Diodori prædicto loco colligas,vbi Ægyptiis singulis maior regis,quàm vxorum,filiorúmque,aut aliorum principum, salutis cura est: vnde multò minus honoratus liquet Regum vxores, ab iis qui Regum studiosiores essent.

e *Diadema aspidis.*]Ælianus de animalibus lib.6.c.38.

f *Parthis duplex diadema.*] Ex Herodiano lib. 6. non multò post princ. cuius hæc sunt verba, Igitur cùm ad hunc modum tredecim annis(quod quidem ad se attineret) sine querela cuiusquam imperium gubernasset, ecce sibi haud opinatò literæ ex Syria Mesopotamiáque redditæ à ducibus,in quibus scriptum esset Artaxerxem,Persarum Regem Parthis iam deuictis,atque Artabano,qui Rex magnus primus appellatus est,duplicique diademate vtebatur,non solùm Orientis regno,sed,vita quoque expulso, subigere vicinos Barbaros,ac sibi vectigales facere.

g *Reges magni.*] Ex prædicto loco Herodiani,& Plutarc.in Pompeio.Sicuti etiam Persarum Reges vnde illud Agesilai Asiaticis ex consuetudine Regé Persarum magnum vocantibus.Ecquid ille,inquit,me est maior,nisi & iustior & modestior? Author Plutarchus in Apophthegmatis Lacoicis.

h *Regum Reges.*] In eodem loco Plutarch.in Pompeio,vbi tradit Pompeium noluisse Parthorum Regem appellare Regem Regum,vt à cæteris appellabatur.Suetonius in Caligula cap.5. Parthorum Regem Regum appellat. Et Phraates Parthorum Rex ad Augustum scribens, Regem se Regum appellauit apud Dionem in Augusto. Quin & Iul. Capitolinus Saporem Persarum Regem appellat Regem regum. De quo etiam Marcellinus libr. 17. scribit eum ad Constantium Imperatorem scripsisse hoc titulo, Rex regum Sapor, particeps syderum, & Frater Solis & Lunæ Constantio fratri meo salutem plurimam dico.Plinius lib. 30. cap.1. tradit Magicam in Oriente Regum regibus imperare.Plutarch.autem in Lucullo Tigranem Armeniorum Regem,Regum regem appellat. In Cyri autem sepulchro hoc Epitaphium inscriptum erat,

Cyrus ego Rex olim regum conditus hic sum.

Cicero in epist.familia.lib.9. Dolabellæ, Agamemnonem Regem regum appellat, Agamemnoni, inquit,Regum regi fuit honestum habere aliquem in consiliis capiundis Nestorem.Sic autem ait,Homerum imitatus,qui eo epitheto Agamemnonem donat, licet ἄναξ ἀνδρῶν familiarius appelletur.Similiter Regis regum titulus est apud Trebellium Pollionem,vbi de Sapore Persarum rege loquitur.Sed & Simandium & Sesostrem Ægyptiorum reges se Regum reges inscripsisse: illum in suo monumento, hunc in quadam columna,author est Diodorus lib.2.c.1.

i *Sicut Phrygum reges.*] Troes Regum reges,dictos scribit Strabo lib.12.Nam & lib.13.dicit Priamum Regem regum factum fuisse. Erant autem minoris Phrygiæ, qua Troade continetur,reges:quamuis Homerus in Catalogo nauium ab ea abducere videatur:Æschylus antè & omnes, qui post eum fuerunt, & eamdem esse gentem dicant, cui Priamus dominabatur,de cuius regno Strabo lib.9.

k *Syrij quoque stolam.*] Temerè hæc apposita sunt hoc loco:etsi stolam generaliter accipias pro omni veste,quæ corpus tegeret.Dictum est autem Syrios reges chlamyde vsos fuisse,quæ nihil aliud est quàm paludamentum,si quid Nonio Marcello fidei damus. Sanè reges Medi,cum Asiæ imperarent,Persæque stola ad Semiramidis exemplum vsi dicuntur,Diodoro Siculo lib.3.c.1.& deinde cap.3. sceptrum regni stolámque regiam Semiramidem refert struxisse.

l *Romanis autem regibus diadema.*]His verbis subnecti debent,non quadrangulare. sed semicirculare quò ad diadema referantur.Etenim supra in verbo,Quadrangulari figura.ex Dionys.Halicar.lib.3. Regum Romanorum diadema fuisse semicirculare dictū fuit.Hæc verò ita pono, ne purpureum amictum semicircularem ridiculè dicamus. Sanè de regio diademate Seruij Tullij est versus Iuuenal. Sat. 8.

Ancilla natus trabeam,& diadema Quirini,
Et fasces meruit regum vltimus ille bonorum.

m *Trabea,*] De quo est illud Virgi.7.Æneid.

Ipse Quirinali lituo,paruáque sedebat
Succinctus trabea,læuáque ancile gerebat.
Picus equum domitor. —— Et rursus
Ipse Quirinali trabea, cinctúque Gabino
Insignis. ——

Hincque Romulus trabea decorus Ouidio in libris Fastorum,& Trabeatus Romulus eod.lib.1.eiusdem operis.

Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini,
Cum rudibus populis annua iura dares:

Plinius autem libr.8.cap.48.Trabeis vsos accipio reges,& lib.9.cap.39.Purpuræ vsum Romæ fuisse video, sed de Romulo in trabea,& alibi quoque diximus.

n *Diademate minimè vsos.*] Nam & Cæsar diadema illi ab Antonio

Regium nomen Romæ intolerabile. — Ignis sacer. — Clearchi fastus. — Antigoni insolentia. — Indi. — Cidaris & tiara affinitas. — Crobylū. — Cordile. — Nidariō. — Ciconia & Hippopotamus insigne regum externorum. — Securis loco sceptri Labradei. — Lituus. — Aquila in summo sceptri. — Indi.

deuitasse: quippe nomen regium alibi magnum, † Romæ verò intolerabile fuit. Frequens enim apud eos ° laurea capitis decorum, & ᵖ distincta radiis corona, ac purpurea chlamys, insignia imperij fuere: tametsi post temporum interualla ex Cæsaribus ᑫ Aurelianum Cæsarem, præter mores institutaque maiorum, diadema vsurpasse, eóque insigni primùm vsum fuisse legamus. Demum eò vesaniæ processum fuit, vt sequuti ʳ Cæsares, sacrum ignem, quitantum ˢ regibus Persarum mos erat, velut imaginem imperij sibi præferri sinerent, eóque præcipuo insigni & singulari ornatu vterentur. ᵗ Fertur Clearchus Heracliensium tyrannus, cum effusè fluerent opes, eò processisse, vt successu continuæ felicitatis, supra spem humanam insolens, se Iouis filium diceret: superque cætera flagitia & dedecora, auream aquilam sibi præferri sineret: purpureámque vestem, auream coronam, & cothurnos excellenti cultu instar tragicorum regum, pro insigni haberet, hanc regalem existimans palmam, velut eo ornatu, argumenta sui generis non ambigua fide demonstraret: & ᵘ Antigonus, quo Liberum partem referret, insolenti dominatu eò vanitatis excessisse, vt hederam capiti suo pro diademate pro sceptro thyrsum gestaret. ˣ Indi verò reges pro regio ornatu habent, vt cum foras prodeunt, aurea mitra pluribus gemmis distincta, & sindone amicti, tympanísque & tintinnabulis præcedentibus conspicui fiant. Quod autem de cidari diximus, non abnuerim illam a tiara haud multum abesse, sed specie ferè pari, neque inuenustam fuisse. Præter quæ fuere capitis insignia ʸ Atheniensibus, quod crobylum vocant, Cypriis quod cordilen, Persis Nidarion, Ægyptiis fasciculum non regum, sed clarorum virorum & principum. De regali autem sceptro illud memoriæ proditum est, exterorum regum sceptra in summo ciconiam, in imo hippopotamum habere effictum: quo argumento regem iustitiæ obsequi oportere, atque feritatem & indomitas libidines, ne ira deseuiat, emollire significabant: quod ciconia summæ pietatis, hippopotamus violentissimum animal foret. Lydiæ ᶻ verò reges sceptri loco securim habuisse feruntur, sicut Labradeus ᵃ Iupiter in Caria pro sceptro & fulmine securim ferebat. Romanis verò regibus, ᵇ lituus, cuspide incurua, qui etiam virga ᶜ auguralis erat, sceptri ᵈ loco est habitus. Tarquinio ᵉ Prisco sceptrum fuit eburneum, in summo aquilæ figuram habens, & corona aurea, quam vsque ad extremum tulit. ᶠ Indis autem nisi ex ebeno sceptra sumere

ANNOTATIONES.

Antonio oblatum repulit, vt videre licet ex Cicer. Philip. 2. Suetonio in vita ipsius Cæsaris cap. 79. & Plutar. etiam in vita illius.

† *Romæ verò intolerabile fuit.*] Hæc ex Liuio 3. Decad. li. 7. de Scipione Africano loquente. Circumfusa, inquit, inde multitudo Hispanorum & ante deditorum, & pridie captorum regé cum ingenti consensu appellauit. Tum Scipio silentio per præconem facto, sibi Maximum nomen Imperatoris esse dixit, quo se milites sui appellassent. Regium nomen alibi magnum, Romæ intolerandum esse regalem animum in se esse, si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, tacitè iudicarent, vocis vsurpatione abstinerent. Et idem propemodum scribit Polybius lib. 10.

o *Laurea.*] Ex Laurento, quod in villa Cæsarum ad Gallinas creuit, triumphans Octauius Cæsar coronam in capite gessit, ac deinde Imperatores Cæsares cuncti, vt ait Plinius lib. 15. c. vlt.

p *Distincta radiis corona.*] Alij eam radiatam, alij rostratam dicunt, qualem post Hadrianum plures ex Cæsaribus habuerunt, vt ex veteribus numismatis obseruatum fuit.

q *Aurelianum Cæsarem.*] Aurelius Victor in vita illius, Iste inquit, primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmísque & aurata omni veste vsus est, quod adhuc ferè incognitum Romanis moribus videtur. Et idem iisdem omnino verbis scribit Eutropius in vita quoque illius.

r *Secuti Cæsares, sacrum ignem.*] Id enim colligere potes ex Herodiano lib. 1. non semel, vbi de L. Vero, & de Commodo loquitur. & libr. 2. vbi de Pertinace, atque etiam vbi de Macrino, & lib. 7. vbi de Alexandri nece, iterúmque vbi de inauguratione Gordiani.

s *Regibus Persarum.*] Ex Xenophonte Pædiæ Cyri lib. 8. Q. Curtio lib. 3. non semel. Procopio lib. 2. belli Persici. Agathio Histor. lib. 2. Ammiano Marcellino lib. 23.

t *Fertur Clearchus.*] Hæc sunt ex Iustino libr. 16. vsque ad eam clausulam, & Antigonus. De eo autem scribit Plutarc. de fortuna Alexandri lib. 2. quod fulmen gestauit, vnumque liberorum Tonitrum appellauit. Sed ad id quod scribitur de aurea aquila, addendum est, apud Romanos in omnibus exercitibus ex delectu comparatis, aquilam auream præferri solitam, ex Dione, vbi de Crassi exercitu aduersus Parthos. Et à regibus quoque Persarum, vt dicetur infrà lib 4. cap. 2.

u *Et Antigonus.*] Ex Plinio lib. 16. c. 4. & Herodiano lib. 1. post princ. Sed & adde M. Antonium habitu sese Liberum quoque Bacchum appellasse, teste Paterculo lib. 2. Socrate Rhodio apud Atheneum lib. 4. Senecáque lib. 1. Suasoriarum, & Dione libr. 48. Atque etiam C. Caligulam apud ipsum Athenæum d. lib. 4. & Dionem lib. 58.

x *Indi verò reges.*] Strabo libr. 15. in diuersis locis & Philostratus in vita Appollonij lib. 2.

y *Atheniensibus.*] Hæc vsque ad versic. Ægyptiis sunt authoris Etymologici. Est autem Crobylus crinium vtrinque in acumen intortorum plexus, de quo etiam Thucydides libr. 1. Lucianus in Nauigio. Tertullianus in lib. de velandis virginibus. & alij, quos citat vir vtique doctus libr. Animaduersorum 2. c. 1. & in commentario de Cornu. lib. 1. cap. item 1. Sed tu tamen interim vide quæ scripsi de Crobylo, in nostris legibus Connubialibus inter ornamenta muliebria.

z *Lydiæ verò reges.*] Plutar. Problem. c. 158.

a *Labradeus Iupiter.*] Plutarch. eodem loco & his adde successores Androcli Codri regis Atheniensium filij, scipionem pro sceptro gestasse, vt scribit Strabo libr. 14. post princ.

b *Lituus cuspide incurua.*] Cicer. libr. 1. de Diuinat. Liuius 1. decad. libr. 1. Gellius libr. 5. cap. 8. Macrobius Satur. libr 6. cap. 8.

c *Auguralis erat.*] Cicer. & Gell. vbi nuper citauimus.

d *Sceptri loco habitus.*] Plutarch. in Romulo.

e *Tarquinio Prisco.*] De hoc nihil Liuius. Sed, ni fallor, id accepit à Dionysio Halicarnassæo lib. 3. vbi refert Hetruscos, pace facta cum Tarquinio Prisco ad illum misisse insignia, quibus suos reges ornare erant soliti, coronam auream, & sellam eburneam, sceptrúmque in summitate habens aquilam, & tunicam auro distinctam, ac purpuram togámque puram. Quibus ipse Tarquinius, consensu Senatus posteà vsus est.

f *Indis autem.*] Solinus cap. 65.

g *Babylo*

non licebat. Quorum reges cum iura dabant, aut exteros legatos admittebant, tunc capillum pectere, atque ornari solebant eximiè. [g] Babylonij verò tanto studio sceptra prosequuti sunt, vt extra domum sine sceptro prodire, aut conspici nefas ducerent: in quibus diuersas effictas species figurásque habebant, quippe mali, rosæ vel lilij, aut æquilæ, alteriúsve auis in summo insignia ferebant. [h] Hoc diadema apud exteros hodie videmus in vsu frequens, vt imaginem præ se ferant antiquitatis. nam candida fascia velut regio insigni caput obuoluti, regalem præ se ferunt maiestatem. [i] Non ergo mirum vbi in summa desperatione & diffidentia, Mithridatis vxor nihil prolatandum rata, cum mortem oppeteret, si arrepto diademate & insigni regio, quæ fascia erat, eodem collo alligato, vitam finire voluisset.

Babylonij. Figura alia atque alia in sceptris.

ANNOTATIONES.

g *Babylonij verò.*] Herodotus lib. 1.
h *Hoc diadema.*] Ipsius authoris est.
i *Non ergo mirum.*] Conclusio huius cap. ad declarationem loci Plutarchi suprà in princ. citati.

Quæ fuerint auspicia quæ è pullis emissis è cauea captarentur: & quæ secundos euentus, quæue infortunia afferunt. CAPVT XXIX.

INTER [a] auspicia quæ veteres maxima cura, cultúq; obseruarunt annotauere annales, non paruæ æstimationis fuisse pullos, quibus è cauea emissis puls dabatur. Et tametsi antiquo augurum decreto, omnis auis tripudium facere possit, tamen inter eas præcipui fuere [b] pulli Melici & Chalcidici, [c] quibus tantum honoris tributum est, tantúmq; fabulosa vetustas religionis adscripsit, vt nisi his præmonētibus [d] comitia non haberent: [e] nullos ad honores proueherent: [f] nulli prouincias demandarent: nō senatū consulerent: [g] non bella vel paces inirent: [h] nihil denique domi forisq; agerent, quod ab his non prædictum velut deorum monitu, magna cura pensitarent. Hæ enim quasi [i] internunciæ Iouis & interpretes, futura præmonere dicebantur, quibus pullarius præerat: quotiésque de promouendo negatio, aut re exequenda pullos consultum ibat, [k] imperato de

Pulli Melici & Chalcidici.

Ritus auspicij capiendi à pullis.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIX.

a *INter auspicia.*] Omnia quæ hîc & alibi dicuntur de huiusmodi auspiciis & auguriis, sunt omnino superstitiosa, ab ipsis Romanis tandem post multa secula repudiata, vt videre licet apud Ciceronem in lib. de Diuinatione, præterquā quod legibus diuinis & nostris canonibus sunt damnata, vt paret ex causa 25. q. 5. Vt interim omittam illud Accij, aut, vt alij vocant, antiqui Poëtæ,

Nil credo auguribus, qui aures verbis diuitant
Alienas, suas vt auro locupletent domos.

Quod & à Gellio relatum est lib. 14. cap. 1. Hincque Valer. Flaccus, li. 1. Argonauticō, exta lubrica appellat, veluti incerta, inconstantia & fragilia. Totum autem propemodum hoc caput, nec hoc authore nec aliis citatis, Gasparus Peucerus in suos commentarios de præcipuis diuinationum generibus transposuit, quo loco de auguriis & haruspicina disseruit.

b *Pulli Melici & Chalcidici.*] Id haud dubiè sumpsit ex Plinio lib. 10. c. 21. vbi tamen aliter intelligere videtur.

c *Quibus.*] Scilicet auguribus, quamuis & ad alias referri possit.

d *Comitia non haberent.*] Seruius enarrans illud 6. Æneid.

Obseruans quæ signa ferant, quò tendere pergant
Pascentes. ——

e *Nullos ad honores proueherent.* Liuius 1. Decad. lib. 6. paulo ante fin. in oratione Appij Claudij Crassi.

f *Nulli prouincias demandarent*] Plin. lib. 10. cap. 21.

g *Non bella vel paces inirent.*] Liuius & Seruius vbi suprà. Plin. lib. 10. cap. 21. cùm dicit, Iubent acies aut prohibent. Ideo Fabius auspicatus legitur, priusquam ab Tarento egrederetur. Liu. Decad. 3. lib. 7.

h *Nihil denique.*] Liuius ibi, & Seruius lib. 1. Æneid. ibi,

—— *Primisque iugaras*
Ominibus. ——

id est, auguriis, ait, secundum Romanos, qui nihil sine auguriis agebāt, etiam domi. Vnde nuptiis adhibitus auspex, Iuuenal. Satyra 10.

— *Veniet cum signatoribus auspex.*

Idémque Seruius lib. 4. Æneid. in eum locum,

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis. ——

Maiores, inquit, omnia auspicatò gerebant. Idémque Liu. 1. Decad. lib. 1. Auguriis, inquit, sacerdotióque augurum tantus honos accessit, vt nihil belli domíque, nisi auspicatò gereretur, concilia populi, exercitus vocati, vbi aues non admisissent, dirimerentur. Similiàque in oratione Cn. Manlij Decad. 4. lib. 8.

i *Internuncia Iouis.*] Cicer. li. 1. de Diuinat. Idem cùm tripudio auspicaretur pullarius, diem prælij committendi differebat. Et li. 2. eiusdem operis, Attulit in cauea pullos, is qui ex eo nominatur pullarius. Et epist. famil. lib. 10. epist. 12. ad Plancum, Recitatis literis, oblata religio Cornuto est, pullariorum admonitu, non satis diligēter eum auspiciis operam dedisse. Eiusdem in 2. orat. pro lege Agraria meminit, & Liuius Decad. 1. lib. 8. Namque Papyrius Dictator à pullario monitus, cùm ad auspicium repetendum Romam proficisceretur. Et 5. Decad. lib. 1. Super tam euidentem tristis ominis euentum, etiam ex pullario auditum est, vitium in auspicia fuisse. Valer. Max. lib. 7. c. 2. de illo ipso Papyrio loquens, Papyrius, inquit, Cursor, Cōsul, cùm Aquiloniam oppugnans, prælium vellet committere, pullariúsque non prosperātibus auibus, optimum ei auspicium renunciasset, de fallacia illius factus certior, sibi quidem & exercitui bonum omen datum credidit ac pugnam iniit.

k *Imperato de more silentio.*] Solebant in auspiciis apud veteres adhiberi non passim omnes: sed ij tantùm, qui essent periti. Peritos enim oportebat esse eos, qui quid silentium foret intelligerēt. Silentium id in auspiciis dicebatur, quod omni vitio careret. Rogabat hunc augur an adhuc silentium esset. Respondebat statim, Silentium sibi esse videri. Tum ille si pascerētur petebat, aut vbi: nō quòd ad auspicia pertineret, pascerentur nécne pulli, quos pullarius in caueam attulisset: sed quia cùm pascebantur necesse erat aliquid ex ore decidere, & terram pauire, terripauium primò, pòst terripudium dictum est: hoc quidem nunc tripudium dicitur. Ex 2. Ciceronis de Diuinatione. Habet & Nicolaus Perottus ad 2. Epigram. Martialis lib. 1.

de more silentio,[l] pultem illis ante caueam [m] aut offam obiiciebat:[n] erátque tempus consulẽdi summo mane & primo diluculo. Quod si oblata esca, è cauea [o] pulli non exirent, aut sero progressi [p] escam non attingerent, retróve cederent, [q] vel occinerent; aut [r] non vescerentur, seu [s] planctu alarum alimenta refugerent, aut [t] euolarent penitus, omen magni terroris & sollicitudinis, tristissimósque euentus adnotabant. Tunc enim pullarius quasi monitu fatorum exitus animo præsumens, diem prælij aut rei exequendæ tempus diffundebat. Quod nisi paritum fuisset, extremum exitium & perniciem plerunque attulere. [u] Tiberio Graccho, qua die in turba cæsus occubuit, pulli non addixere, sed emissi è cauea, retro cessere, euentu tristissimo qui mox consequutus est. Et Claudius [x] Pulcher moturus aduersus hostes, non pascentibus in auspicando pullis, per contemptum religionis inito nauali prælio, terribili strage cum omni classe profligatus, pœnas dedit insignes. Sunt tamen exempla, delusam religionem, & contempta auspicia, felices euentus & successus plerunque habuisse fortunatos. [y] Papyrius enim Cursor, cum à pullario admoneretur ne cum Samnitibus prælio decerneret, pullis non addicentibus, feliciter dimicauit. Et [z] Flaminius consul moturus aduersus hostes, contemptis auspiciis fortiter pugnauit & vicit. Si autem pulli è cauea egressi, obiectam pultem aut offam volenti animo depasti essent, ita vt illis vescentibus [a] frustum ab ore decideret, & terram pauiret, quod [b] tripudium faceret solistimum, rem haud dubiè fortunari, & auspicia secunda esse, lætósque successus & spem mirificam præsignarunt. Sed quod de pullis Apud Romanos proditum est, [c] idem in Lycia in Apollinis fonte, & in Medorum lacu ad Neptuni aquas lymire pisces facere tradunt: vbi à consulentibus euocati, ad auditum veniunt: qui si obiectas carnes diriperent & pascerentur, felicia portendere, & præsens auspicium facere, imperiúmque breui futurum interpretabantur. Contrà si caudis abegissent, aut aspernati cibum refugissent, tunc luctus graues & dira ac pestifera augurati fuere. In Epiro quoque in templo Apollinis draco colebatur: & in [d] Ægypto Apis bos in phano antiquissimo & sanctissimo, intra septa magnæ religionis,

Indicia boni ominis.

Auspicia ex piscibus.

A ia ex aliis animantibus auspicia.

ANNOTATIONES.

l *Pultem.*] Festus Pompeius lib. 14. vbi de pulte loquitur.

m *Aut offam.*] Cicero lib. 1. de Diuinatione.

n *Eratq; tempus.*] Obseruatum habeo ex Liuio, Tertia vigilia noctis, pullarium in auspicium à Papyrio missum. Decad. 1. lib. 1.

o *Pulli non exirent.*] Valer. Max. lib. 1. cap. 4. vbi de Publio Claudio loquens, qui pullos, quòd cauea exire nollent, abiici in mare iussit: dicens, Quia esse nolunt, bibant.

p *Escam non attingerent.*] Liuius 1. Decad. lib. 6. paulò ante fin. in oratione Appij Claudij Crassi.

q *Vel occinerent.*] Idem Liuius 1. Decad. lib. 6. vbi suprà.

r *Aut non vescerentur.*] Liuius ibi. & iterum eiusdem Decad. li. 10. Silius Italicus inter prodigia, quæ Flamino cædem denunciabant, hæc quoque posuit,

—— Tunc ales præscia luctus
Damnauit vesci, planctúq; alimenta refugit.

De quo etiam Cicer. lib. 1. de Diuinat. Festus Pompeius lib. 14. Seruius in lib. 6. Æneid. vbi suprà. & nonnihil Val. Max. lib. 8. cap. 1.

s *Seu planctu alarum.*] Id ex Silio est loco citato.

t *Aut euolarent penitus.*] Valerius Max lib. 1. cap. 6. Flaminij autem præcipitem audaciam C. Hostilius Mancinus vesana perseuerantia subsequitur: cui Consoli in Hispaniam ituro hæc prodigia acciderunt. Cùm Lanuuij sacrificium facere vellet, pulli cauea emissi in proximam syluam fugerunt, summáque diligentia quæsiti, reperiri nequiuerunt &c. Suetonius in Galba c. 18. inter omnia mortis ipsius Galbæ auspicia id commemorat, Auspicanti pullos euolasse. L. Florus & illud Hostilij Mancini refert Epit. Liuij lib. 55. Et Diuus Augustinus de Ciuitate Dei libro 3. cap. 21.

u *Tiberio Graccho.*] Plutarch. in vita illius.

x *Claudius Pulcher.*] Sueton. in Tiberio cap. 2. Claudius, inquit, Pulcher apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemptum religionis mari demersis, vt biberent, quando esse nollent, prælium nauale iniit, superatúsque cùm Dictatorem dicere à Senatu iuberetur, velut iterum illudens, discrimini publico, Iliciam viatorem suum dixit. Florus Epit. Liuij lib. 19. Claudius Pulcher, Consul, qui contra auspicia profectus iussit immergi pullos, qui cibari nolebant, infeliciter aduersus Carthaginenses classe pugnauit, & reuocatus a Senatu, iussúsque Dictatorem dicere, C. Glauciam dixit sortis vltimæ hominem, qui coactus abdicare se magistratu, posteà ludos prætextatus spectauit. Idem aut alius eiusdem nominis gestorum Romanorum Epitomate 2. in primo bello Punico, Claudius, inquit, Consul non ab hostibus, sed à diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat, vbi ille præcipitari pullos iusserat, quòd pugnare ab his vetaretur. Ante hoc Cicero lib. 2. de natura Deorum, Nihil nos P. Clodij bello Punico temeritas mouebit? qui etiam per iocum Deos irridẽs, cum cauea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit, vt biberent, quando esse nollent: qui risus classe deuicta, multas ipsi lachrymas, magnam Reipublicæ cladem attulit. Subditque hunc à populo ob eam cladem condemnatum. Verùm Vale. lib. 8. c. 1. scribit, quòd cum ob eam rem infesto populo obiectus, effugere debitam pœnam nullo modo posse crederetur, subito coorti imbris beneficio, tutus à damnatione fuit. Et de hoc modo intelligit Seruius in lib. 6. Æneidos, eo loco,

— Sic effatus vestigia pressit,
Obseruans quæ signa ferant, quò tendere pergant
Pascentes.

cùm quidam, inquit, cupidus belli gerendi à Tribuno prohiberetur ne iret, pullos iussit afferri, qui cùm missas fruges non ederent, irridens Consul augurium: ait, Vel bibant. & eos proiecit in Tyberim. Inde nauibus victor ex Africa reuertens, in mari cum omnibus, quos ducebat, extinctus est. Hæc ille, qui eius rei Liuium authorem laudat, qui tamen aliter eam rem narrat, vt ex Epitome illius patet.

y *Papyrius enim Cursor.*] Aliter retulerunt Liuius 1. Decad. lib. 8. & 10. & Val. Max. lib. 7. c. 2.

z *Et Flamminius.*] Liuius 3. Dec. lib. 1, & 2. & Plut. in vita Fabij Max.

a *Frustum ab ore decideret.*] Cicer. l. 1. & 2. de Diuinatione. Festus Pompeius lib. 14. in Pul.

b *Tripudium faceret solistimum.*] De tripudio solistimo Cicero in d. locis, & iterum lib. epist. famil. lib. 6. ad Cecinnam epist. 6. Liuius 1. Decad. lib. 10. c. 21. Festus Pomp. d. lib. 14.

c *Idem in Lycia.*] Hæc Plutarc in lib. de Industria animalium. & Plinij lib. 32. cap. 2. & Athenæi lib. 8. cap. 2. authoritate Polycharmi lib. 2. Rerum Lyciæ. & vide Ælianum de Animalibus lib. 8. c. 5. & infrà lib. 5. c. 13.

d *In Ægypto Apis bos.*] Apis apud Memphim colebatur Diodoro lib. 2. cap. 4. vbi quondam Ægypti regia. Illò bos à

sacerdo

in quibus coniectura diuinæ mentis & prædictiones futurorum putabantur. Sicut in Memphi vacca, & in Heliopuli [e] Mneuis bos, atque in [f] Arsinoë crocodilus, Hisque porrectam escam accipientibus aut auersantibus, felicia auguria & exitus fortunatos, nonnunquam magna infortunia & repentinum incommodum prædici & præmonstrari. Fuitque obseruatum in omni augurum responso, vt si pullarius, seu quiuis augur qui auspicatur, cuique monita deorum prædicere, & de augurio respondere, ac portenta interpretari curæ fuit, tacitum ferret quod dij vulgari voluissent: haud aliter contrahetur nefas, quàm si occulenda diuulgaret, & [g] abdita palam faceret [h] Si verò augurio fallaci mentiri ausus fuisset, sinistrumque pro dextro, vel quod prodigij foret, cõtra denuntiasset: non id illi qui de auspicio consulit, sed in ipsius pullarij vel auguris caput, qui tam improbè mentiri ausus esset, quicquid fuisset infortunij recisurum.

Augures in religionem delinquentes.

ANNOTATIONES.

sacerdotibus deductus, vt ait Plinius lib.8.c. 46. dubitationem facit an & vacca ibidē fuerit & Dea: quod hic Alexander subiungit. Sanè in honorem Osiridis & Isidis coniugum ob beneficium monstratæ agriculturæ, alterum sub tauri, alterum sub vaccæ specie, vt solem & lunam, vt ait Plutar. Ægyptij coluerunt.

e *Mneuis bos.*] Strabo in eo lib. in duobus locis & Diod. Siculus lib.2.cap. 4. Eusebius Præparationis Euangelicæ libro 2. Mneuium bouem dicunt, non vt anteà legebatur hoc loco Mneum.

f *In Arsinoë crocodilus.*] Strabo vbi suprà. Eusebius autem dicit in palude quod hic dicit in Arsinoë. Tu vide an idē sit.

g *Abdita palam faceret.*] Neque enim omnia iudicare debet, sed quædam occulere, vt ostēdit Virgilius lib.6. Æneid. loquens de vate, — *Fingitq, premendo.*

Vbi Seruius trahit ad sacerdotes, in idq; refert illud Lucani,

—*Nec tantum prodere vati* *Quantum scire licet.*—

h *Si verò augurio fallaci.*] Liuius 1.Dec.lib. 10. & Valerius Maximus lib. 7. cap.2. vbi de Papyrio Cursore. Gellius autem lib.4.cap.5. refert historiam Aruspicum, qui ob fulgur (nam statua Romæ in Comitio posita Horatij Coclitis, fortissimi viri, de cœlo tacta fuerat) piaculis luendum Aruspices ex Hetruria acciti, inimico atque hostili in populum Rom. animo, instituerant eam rem contrariis religionibus procurare. Ob id, cùm de perfidia confessi essent, necati sunt.

Pythagoras, Parmenides & Zeno philosophi, tum Ennius, Pacuuius, Accius & Neruius poëtæ, vnde originem duxere.

CAPVT XXX.

QVOD [a] de Pythagora Samio veteribus monumentis memoriæ & literis proditum est, his etiam Genialibus adiicere non dubitaui. Siquidem hic Samo relicta, ex patrio & natali solo primò in Ægyptum, mox Babyloniam ad Persarum magos, contemplandósque siderum motus originémque mundi spectandam profectus est. Inde Cretam Lacedæmonémque, ad cognoscendas Minois & Lycurgi inclytas ea tempestate leges, contendit; quibus instructus, tanquam ex mercatura bonarum artium Metapontum & Crotonem venit: vbi suis monitis præceptisq; tantum processit, vt populum in vitia lapsum, ad frugales mores modestiamq; reuocarit. Ibique Archytam primò & [b] Epicharmum, mox [c] Philolaum & [d] Alcmeonem, deinde [e] Zenonem, [f] Parmenidē, ac [g] Lysidem suæ disciplinæ sectatores habuit: qui eius monitis doctrinaq; imbuti, diuina mente & consilio viri euasere, lumenq; & ornamentum suæ reipublicæ fuere. Sed [h] Archytas [i] & Lysis ex Tarento, Alcmeon & Philolaus Crotoniatæ, vbi quondā magna [k] Græcia fuit. Parmenides [l] verò & Zeno [m] ex Elea Lucaniæ vrbe, [n] quæ post Silarū † iuxta sinū Possidoniatē sita est, oriundi fuere. Eāplerique [o] Eleam dixere, alij Ileam, quæ à Phocensibus colonia deducta fertur. Hic enim ille Zeno fuit dialecticæ primus inuentor, cuius pleraque extant egregiè dicta factáque, qui Pythagoræ præceptis imbutus, [p] cum Phalaridi tyranno homini sæuo & sanguinario, ob crudelem dominatum necem machinaretur, vt ciues ab impotenti seruitio tolleret, & arcano consilio detecto, captus

Pythagoras.

Parmenides & Zeno.

† alias si malis, Sybarim.

Pythagoræ discipuli.

ANNOTATIONES IN CAP. XXX.

a *QVod de Pythagora, Samio.*] Hæc ex Strabone lib.14. & Valerio Max.lib.8. c. 7. Laërtio in vita ipsius Pythagoræ. Iustino lib. 2. & Apuleiu lib.2. Floridorum.

b *Et Epicharmum.*] Idē Laërtius in vita ipsius Epicharmi.

c *Philolaum.*] Idem in vita eiusdem Philolai.

d *Et Alcmeonem.*] Idem Laërtius in Alcmeone.

e *Zenonem.*] Idem in vita ipsius Zenonis & Strabo lib. 6. post princ.

f *Parmenidem.*] Idem in vita Parmenidis. & Strabo vbi suprà.

g *Lysiam.*] Lysidem legendum est, neque enim Lysiss vocatur, sed Lysis ex eodem Laërtio in vita Pythagoræ non semel.

h *Archytas.*] Laërtius in vita Pythagoræ & ipsius Archytæ, & Strabo lib.6.

i *Et Lysias.*] Laertius in vita Pythagoræ. ex quo intelliges Lysis legendum esse, vt suprà diximus.

k *Magna Græcia*] A Locris incipit frons Italiæ, quæ Magna Græcia appellata est Plinio lib. 3. cap. 10. & tam Locri, quàm Crotonienses in Brutiis erant, nunc verò Calabriæ regioni nomen est.

l *Parmenides.*] Laërtius in vita illius.

m *Zeno.*] Idem in eiusdem vita.

n *Quæ post Silarim.*] Legendum Silarum ex Strabone & Plinio, quos Volaterranus sequitur, vt sit Elea, quæ hîc dicitur, post oppidum Pestum, à quo sinus Pestanus, aliàs ab Græco nomine vrbis Possidonia dictus Possidoniates. Hæc ita, nisi malis legere Sybarim, quæ à Crotone non longe distat ex Plinio lib. 3.c.11. & Liuio Decad.3.lib.6.

o *Eleam.*] Elea vrbs est Lucaniæ, ex qua dicti Eleates Volaterrano. Plio. verò lib.3.c.5. Helea dicitur oppidum, posteà Velia dictum. Nescio verò vnde hic Ileæ nomen transcripserit. Illud conuenit, Eos, qui ab Harpalo regis Cyri præfecto ex terra Phocide fugati sunt, alij Veliam, partim Massiliam condiderunt, teste A. Gellio lib.10.c.16. Vnde magis est vt hoc loco pro Ilea, Veliam legendum putem.

p *Cum Phalaridi.*] Valer.Max.lib.3.cap. item 3. At Laërtius in vita ipsius Zenonis, hunc non Phaladirem fuisse dicit, sed Nearchum: aut, vt alij volunt, Diomedontem. Sed & de hoc Tertul. in Apologetico cap. vlt.

ab eo in omnes cruciatus laceraretur acerbis quæstionibus, quòd conscios coniurationis non detegeret, nullis terroribus adduci potuit vt affines culpæ & conscios facinoris palam faceret: sed vultu interrito, & quadam sublimi constantia, ea præsentia animi fuit, vt singulos tyranno intimos familiares, quanquam insontes, coniurationis capita esse diceret: quibus sublatis multitudinem sæuientem magnifica oratione impulit, vt facto impetu lapidibus eum obruerint. Sed quod de Zenone, idem de [q] Theodoro, qui in [r] Hieronymum Hieronis filium, iuuenem omnibus flagitiis coinquinatum propter turpitudinem sordésque vitæ coniurauerat, scriptum accepimus. Is enim quum tormentis per omnia exempla cruciaretur, quæ fortissimi cuiúsque patientiam vincerent, ea fuit constantia animi, adeòque fortis & magnus, vt omnes socios facinoris supprimeret: tyranni vero alumnos & familiares, velut sceleris ministros & eodem crimine pollutos, per carnifices & tortores ad supplicium tradi fecerit. [s] Leæna quoque quamuis mulier, cum per omnes cruciatus vexaretur à tyrannis, nunquam adduci potuit, vt consilia Harmodij & Aristogitonis tyrannicidarum detegeret. Ob quod meritum simulachrum illi Athenienses erexere leænam æneam, cui ob taciturnitatem linguam addi vetuerunt: sicut Beroso astronomo, ob vera quæ prædixerat vaticinia, in gymnasio statuam lingua aurata effinxere. Cui non absimilis [t] Epicharis libertina fertur, quam in coniuratione Pisoniana iussu Neronis per omnia fœda exempla cruciatam, non verbera non ignes, non torquentium ira peruincere potuit, vt se consciam fateretur. Fuit quoque alter [u] Zeno philosophus insignis, & alij nominis eiusdem fama illustres. Sed quia Tarenti mentio & Illeæ facta est, admoneor etiam Rhudiarum in Appulis sitæ vrbis, quæ multi nominis & famæ non minoris habitæ sunt. Ex his enim [x] Ennius poëta oriundus: tametsi ex Tarento ortum nonnulli credant. Ea enim vrbs à Tarento haud multum distans. citra Brundusium in mediterraneo sita est, [y] vbi Lupiæ & Salapia oppida fuere. [z] Salentini autem hi sunt qui existimant oram Italiæ, & Chersonessum circa Iapygiam incolunt, qui Messapij, Calabri, Iapyges, Peucetij, & Appuli communi nomine appellantur. Fuit iisdem temporibus [a] Pacuuius tragœdiarum scriptor, Brundusij in agro Salentino [b] Ennij sorore genitus, & [c] Accius tragicus libertinis parentibus, haud multum ætate distantes: simul & [d] Neuius poëta, qui ex Campania, vt frequens opinio est, originem sibi vendicauit.

Zenonis constantia. Theodori constantia. Leæna constantia. Berosus astronomus. Epicharis libertina. Ennius. Salentini. Pacuuius. Accius. Neuius.

ANNOTATIONES.

q *Idem de Theodoro.*] Hæc vsque ad eam clausulam, Leæna quoque, sunt Valerij Max. vbi suprà.

r *Hieronymum Hieronis filium.*] Liuius non filium, sed nepotem dicit 3. Decad. lib. 4.

s *Leæna quoque.*] Plinius lib. 7. cap. 23. & lib. 34. c. 8. Pausanias lib. 1. Athenæus lib. Dipnosophistarum 13. cap. 24. Polyenus Stratagematōn lib. 8. Tertullianus in Apologetico cap. vlt. & in bello ad Martyres. Lactantius lib. 1. cap. 20. Eusebius in Chronicis, & diximus in nostris legibus Connubialibus num. 135.

t *Epicharis.*] Tacitus libro 18. & Polyenus libro 8. Stratagematōn.

u *Alter Zeno.*] Hic Citticus fuit ex Stratone lib. 14. prope fin. vbi eum dicit fuisse sectæ Stoicæ authorem, Laertio in vita illius, de quo non absimilem historiam refert Val. Maximus lib. 3. cap. 3.

x *Ennius poëta.*] Strabo lib. 6. & vide Seruium enarrantem illud Virgilij lib. 7. Æneidos.

At Messapus equûm domitor, Neptunia proles.

y *Vbi Lupiæ, & Salapia.*] Strabo, vbi suprà.

z *Salentini autem.*] Hæc vsque ad versic. Fuit iisdem, Strabonis sunt. lib. 6.

a *Pacuuius.*] Eusebius chronographus Olympiade 156.

b *Ennij sorore genitus.*] Vt scribit Plinius lib. 35. cap. 4. Verùm Eusebius vbi suprà tradit eum fuisse ipsius Ennij ex filia nepotem.

c *Et accius.*] Eusebius in Chronicis Olymp. 160.

d *Neuius poëta.*] Hunc enim Campanum fuisse satis ostendit A. Gellius lib. 1. cap. 24. dum dicit Epigramma ipsius à se compositum esse plenum superbiæ Campanæ. De huius verò & superiorum temporibus idem A. Gellius libro 17. cap. vlt.

ALEXANDRI AB ALEXANDRO IVRISPERITI NEAPOLITANI GENIALIVM DIERVM LIBER SECVNDVS.

Locus ex Propertio, ab Accio Syncero Neapolitano in conuiuio familiari commodè emendatus.

Capvt I.

Satvrnalibvs cum ego & familiares mei complusculi sub idem tempus Neapoli conueniremus, cúmq; à forensibus negotiis feriatum causa aliquando quies foret: ad Accium Syncerum, virum ingenij culti, & facundia singulari, cum quo mihi peruetus consuetudo fuit à puero, nonnunquam ventitabamus: cum eóque vel honestis deambulatiunculis, vel sermonibus lepidissimis, id quod erat temporis, ad multam sæpe diem conferebamus, quotidianóque eius congressu & assiduo comitatu perfruebamur. Accipiebátque nos homo ille suauitate insigni plerunque nouo epigrammate, aut elegia, versibus mundis & graphicè factis, multo cum nitore & cultu: nonnunquam festiuissimis epulis, & lætiore conuictu: cœnáque non vulgari nec protrita, sed aut veteris cucurbitæ ferculo cum lactucæ thyrso minutim cæso, & acino vuæ passæ insperso: aut olentibus pomis, anni frigore seruatis, & fico sicca sinuessana cum rosaceo ex Petrino suo, quæ ipse appellabat Petrinia. Velut fuit illa die cum mihi & plerisque doctis viris cœna exhibita, Sanazario ex Æthiopia bonæ frugis liberto, scitissimo adolescenti, quem libertate & gentili cognomento donauerat, liberalibúsque disciplinis instruxerat, ita vt cuiuis ingenuo non impar videretur, demandauit vt Propertij elegias à se pluribus in locis castigatas, summissim leniterque cantaret. Quod cum ille cupide faceret, versúsque ad tibiam modulis dulcissimis scita & canora voce canere inceptaret, nosq; & proferentis verba, & concentum numerósque admodum suaues, summa cum voluptate caperemus: & iam millibus modulatis versibus, ventum esset vbi Cynthiam Baiis demorantem, diu abfuisse conqueritur, his verbis,

Accius Syncerus.

Sanazario ex Æthiopia.

Ecquid te mediis cessantem Cynthia Baiis,
Quà iacet Herculeis semita littoribus:
Et modò Thesproti mirantem subdita regno
Proxima Misenis æquora nobilibus?

Accius carminibus pausam fieri iussit, & ad me conuersus: Quid tu, inquit, qui orbis situm tam diu legendo perscrutaris, Misenum aut Baias cum Thesproti regno commune habere vidisti? Nunquid in memoriam venit, [a] Thesprotium agrum in Epiro iuxta Chaones & Acarnanes, aut (sicut [b] Herodotus ait) Ambraciis & Leucadiis proximum longe à Cumano abesse? Quid enim isto in loco hic poëta senserit, qui regno Thesproti æquora Miseno proxima subdita esse dixit, quum tanto maris terratúmque recessu discreta sint, non equidem intelligo. Neque enim Thesprotios in Cumanum venisse, aut in Italiam colonias deduxisse, vel armis nouas sedes conquisisse, vnquam, quod meminerim, legi: nisi tu forte, qui meliore memoria es, aliter sentis. Cúmque me id arbitrari respondissem, quod plerique studiosi sensere, vt poëta loci confinio & quasi commercio ductus, cum ex Chalcide & Eubœa profecti, multum in ora maris possent; latéque fines propagassent, illósque Cumanum tenuisse, & illuc colonias deduxisse, authores tradant: siquidem Hypocles Cumæus, & Megasthenes Chalcidensis, multo emenso mari, huc colonias deduxere, moniti oraculo, quippe cum nullam coloniam sine consilio deorum Græci transmitterent: vel vt multi ferunt, duce Parthenope Eumeli filia, quæ solum Neapolitanum delegit columbæ augurium sequuta: in cuius rei monumentum, Apollini statuam Neapolitani erexere, columba humero insidente, quam ipsa inspicere & adorare videbatur: Thesprotiúmque agrum ab Eubœa haud multum distare certum sit, quasi ad hoc alludens poëta, subdita regno Thesproti æquora Miseno proxima affirmarit: scilicet quia ex Chalcide Thesprotis proxima & Cumæis profecti agrum Miseno finitimum, hoc

Propertij locus discussus.

Apollinis statua Neapoli erecta.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

ID caput totum est in enarrandis duobus locis Propertij: priorem ex lib. 1. eleg. 11. in prin. alterum ex li. 2. eleg. 25.

a *Thesprotium.*] Vide Strabonem lib. 6. iterúmque 7.
b *Herodotus ait.*] Lib. 8.

est, ipsas Cumas tenuerunt, propterea ea loca subdita videri: suleréque non ignobiles poëtas loca & recessus circunscribere, illaque non exponere & aperte, sed quasi per tegmina & figuras obliquis orationibus denotare: idque sensisse doctos viros, itaque versus interpretatos fuisse dixi: Nunquam inquit Accius, quod ego scio, tam hispida & agresti aure Propertius fuit, vt cum Chalcidem aut Cumæos dicere contenderet, Thesprotium agrum quasi finitimum illorum loco nuncuparit, quum præsertim nulla societas aut communio cum Thesprotiis agro Cumano fuerit: constetque, si omnes sinus, promontoria, littora, insulas, & vrbes maritimas, ac maria vasta, & terræ infusa ex omni antiquitate percensere velis, Thesprotios magno littorum flexu & multiplici sinu, longe à Chalcide Eubœæ & Cumæis abesse: nec ita finitimos, vt forsan arbitraris. Neque ego huius poëtæ præstantis ingenij vim, hos nitidissimos & mundissimos versus optime editos, tam abstruso & recondito significatu verborum conculcasse putarim. Etenim si Chalcidenses, & Heretrienses ex Eubœa, classe huc aduectos Cumas condidisse, & pulcherrimam Campaniæ oram, ac loca Miseno proxima tenuisse fama fert, sicut Iapygiam, Phaliscos, Nulam & Abellam tenuere, cur loca Miseno finitima potius Thesprotiis quàm Chalcidensibus, quàm Heretriensibus subdita dixerit, equidem ignoro, cum & hi veri incolæ sint, & longe aptius conuenientiúsque fuit, istos, quàm illos, cum quibus nullum erat commercium, nominasse. Verum, inquit Accius, si versus istos bene pensitare, & verba ac sensus aure attenta rimari volumus, non Thesprotij, vt communis error habet, sed Prochytæ à poëta scriptum fuisse facile contenderim. Idque ita esse, in quoduis pignus vocarim, non aliter scriptum carmen ab eo editúmve fuisse. Sed hic error ita aliquibus insedit penitus, vt diuellij haud facile queat. Quod tamen ita esse, inclinat animus probabili argumento: cum [c] Prochytam & Pithecusas à continente æstu marino auulsas, quandoque circunfluum mare insulas fecisse liquidò constet, sicut Capreas, Leucosiam, Syrenes, & [d] Oenotrias: seu multi tradunt, Inarimen montem fuisse qui motu terræ disclusus à continente, Prochytam fecit insulam, angusto freto interfluente, quæ Græcis ab effusione dicta est. Ipsamque & Pithecusas disclusas mõtis partes, proximas Cumanorum finibus tanquam moles obiectas ante agrum Cumanum & Misenum existere, antiqua monumenta annalium prodidére: quod & nunc videre licet. Subdita ergo Prochytæ regno Miseni proxima æquora poëtam dixisse crediderim, cùm ipsa littora facili traiectu apta & cohærentia sint: quippe cum ante ipsam paruo freto distincta iaceant, propterea subdita videri potius, quàm Thesprotios, cum quibus nullum commercium fuit, extimos & remotissimos intellexisse. Insulas quoque regna nuncupari, Virgilij testimonio probatum est 7. Æneidos, dum inquit: Fertur Teleboum Capreas dum regna teneret. Huiúsque erroris illud quoque specimen est, quod alio in loco communi opinione pudendo errore receptum erat nautam hunc poëtam fuisse: quod quidem ita fuit in confesso, vt in eius vitæ commentariis plerique id pro certo posteris tradere non dubitarint, vt altero versiculo constare videbatur. Et quamuis nauita diues eram, quo imperitius dici profectò nihil potuit, cum neque hoc vsquam gentium tradatur, vt elegantissimus poëta & honestissimus, vitæ genus poëtarum studiis piaculare & portentosum, nautæ munus concupiuerit. Et portenti ac prodigij simile est, hæc commenta in tanti ingenij viro opinari. Sed quod à vero minime abest, meo dum etiam in hoc versiculo facile, inquit, ostendimus: siquidem vbi legebatur perperam, quamuis nauita diues eram; non ita diues eram, dicendum fuit. Huius quoque rei haud improbabile documentum videri, quòd Iouianus Pontanus vir multæ eruditionis, antiquissimo firmabat testimonio, Propertij elegias patrum nostrorum ætate, & se adolescentulo primùm in lucem prodiisse, cum antea inscitia temporum incompertæ forent & incognitæ: opúsque obliteratum, & longissimo æuo absumptum, corrosis & labentibus literis in cella vinaria sub doliis inuentum apparuisse, & cum libelli vetustate, verbis & nominibus absumptis longo situ & senio quòd in diuturna obscuritate latuerant, veram lectionem assequi nequirent, effectum vt mendosi inde codices prodirent: paulatimque discuti errores, & corrigi cœpti sunt: nec tamen effici quisse, vt posteris omnino integri inoffensíq; darentur. Ad hunc modum Accius Syncerus noster, scitè admodum apud complusculos qui aderamus, sermocinabatur, itaque mendaces libellos deprehendebat erroré sque diiudicabat, ac perpenso iudicio vitia rimabatur.

Prochyta insula.

Insula regna subinde nuncupantur.

Propertius falso nautam fuisse existimatus.

Locus alius Propertij.

Propertij elegia quando & vbi reperta.

ANNOTATIONES.

c *Prochytam & Pithecusas.*] Strabo lib. 1. & 6.

d *Oenotrias.*] De iis omnibus Strabo d. lib. 6.

Qui quæstores Romæ, quotq; fuerint, qualisq; potestas & munus erat, aut iurisdictio.

CAPVT II.

Quæstorũ origo.

ORIGO quæstorum antiquissima est, vt [a] Pomponius & [b] Gratianus scribunt: quippe à conditore vrbis Romulo, deinde Numa Pompilio, vt nonnulli putant, vt verò plures certioresque, à Tullo

ANNOTATIONES IN CAP. II.

a *VT Põponius.*] Imò verò Vlp. in l. 1. ff. de offic. Quæst. Quamuis sciam ipsum Pomponium in l. 2. §. populo. ff. de orig. iur. de eorum origine aliquid scripsisse.

b *Et Gratianus.*] Imò Gracchanus Iuntius lib. 7. de Potestatibus. referente Vlpiano vbi suprà. Cuius etiã mentionem fecit Plinius lib. 33. c. 2.

c Va le

Hostilio quæsturam primo inuentam fuisse autumant. Sed sicut hoc incertis authoribus traditur, ita exploratum est, [c] Valerium Publicolam, qui cum Bruto consul fuit, cum Saturni ædem & ærarium condidisset, duos quæstores qui publicæ pecuniæ præessent, suffragiis populi creari voluisse. Fuere autem hi P. Veturius & M. Minutius, qui primi ex patribus quæsturę munus curiatis comitiis cepere. [d] Quę res cum bene & prospere reipublicę cessisset, & plebs cum patribus tumultuata, quęsturę se participem fore contenderet, eò deducta est, vt ex duobus quatuor quęstores fierent: duo qui vrbanis negotiis & [e] ærario pręessent: duo, qui consulibus ad belli ministeria pręsto forent: liberumque esset vt hi possent populi suffragio ex plebe vel patribus creari: quo tempore tanto certamine in quęsturam plebs inuasit, vt ex quatuor vix vni patricio, [f] Fabio scilicet Ambusto, locus relictus foret. [g] Interiecto deinde tempore, quo Picentes assiduis cladibus fatigati, in populi Romani societatem asciti sunt, quęstorum numerus auctus fertur, vt seni crearentur. Coniectari licet, quod [h] auctis populi Romani vectigalibus, & quęstu vberrimo ex prouinciis proueniente, illorum numerum qui id munus exequerentur, quibusque curatio hęc demandaretur, augeri oportuisse: donec [i] Syllana lege intercursu temporum, vltra viginti excreuisse dicuntur. Quid autem quæstorio muneri conueniat, separatim & intercise [k] authores traduot. [l] Nam consules [m] prętoresque in prouincias profecturi, singulos quęstores, [n] quorum curę captiua pręda, & quicquid auri argentique inde adueniret, appensum adnumeratumque demandaretur, apud se habebant. Quorum munus erat, [o] vectigalia populi Romani in prouincia exigere, [p] stipendia præbere militibus, singulaque accepta expensaque rationibus inferre: [q] mulctas quoque pecuniarias tam Romę quàm in prouinciis exigere, & in publicas tabulas notare: [r] omniumque rerum pecuniarumque notas & illustres rationes dare: illasque confectas & consolidatas absolutasque [s] per suos scribas in ęrarium deponere, quos quidem scribas maximę probitatis, ne quid fraudis dolive admitteretur, huic muneri [t] adscribebant, tametsi scribę officium [u] Romanis mercenarium fuerit, nec magni testimo-

Primum bini quæstores creati. Deinde quatuor.

Mox seni.

Tandem vltra viginti.

Quæstorum officium.

Scribæ quæstorum.

ANNOTATIONES.

c *Valerium Publicolam.*] Vt tradit Plutarch. in vita illius Sed aliter Corn. Tacitus lib. 11. cuius hæc verba sunt, Sed Quæstores regibus, etiam tum imperantibus instituti sunt, quod lex Curiata ostendit ab L. Bruto repetita. Mansitque Consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret, creatique primùm Valerius Posthumius, Æmylius Mamercus sexagesimotertio anno post Tarquinios exactos, vt rem militarem comitarentur.

d *Quæ res.*] Ex Liuio 1. Decad. lib. 4. in 2. locis.

e *Et ærario præessent.*] Asconius Pædianus in 3. in Verrem act. post princip. Pomponius Iurisconsultus l. 2. §. deinde cùm ærarium. ff. de orig. iur. & probatur ex multis sequen.

f *Fabio scilicet Ambusto.*] Liuius vbi nuper citauimus.

g *Interiecto deinde tempore.*] L. Florus Liuij Epit. lib. 15.

h *Auctis populi Romani vectigalibus.*] Cor. Tacitus libro 11. post ea verba, quæ suprà ex eo citauimus.

i *Donec Syllana lege.*] In eodem loco.

k *Authores tradunt.*] Vt Plutar. in Gracchis,

l *Nam Consules.*] Liuius 3. Decad. libro 8. ad finem.

m *Pratoresque.*] Liuius 3. Decad. lib. 3. vbi de Quæstore Marcelli Claudij Prætoris. & Plutarc. in vita Catonis, vbi dicit illum fuisse Quæstorem Tuberonis Prætoris in Iberia, & ipsum quoque Prætorem creauisse Quæstorem filium eiusdem Tuberonis. Asconius Pædianus in 1. actione in Verrem scribit Ciceronem fuisse Quæstorem sub Sexto Peducæo Prætore, & Q. Cecilium nigrum sub Verre etiam Prætore.

n *Quorum cura captiua præda.*] Liuius 1. Decad. lib. 5. Ingentique præda est potitus, cuius pars maxima ad Quæstorem redacta est. Rursumque, Castra capta præda ad Quæstores redacta. Et 3. Decad. lib. 6. loquens de bonis captiuorum Campanorum, Iussique, inquit, ad Quæstores deferre quod auri argentique haberent. Et alibi eodem libro, vbi de præda Carthaginis nouæ. Hæc omnia, inquit, C. Flaminio Quæstori appensa adnumerataque sunt. Et paulò infrà loquens de obsidibus captis. Legatis, inquit, præsentibus suos restituit. Cæterorum curam benignè tuendorum C. Flaminio attribuit. Et lib. 7. Scipio Afros captiuos vendere Quæstorem iussit. Et de hoc quoque loquēs Valerius Maximus lib. 5. c. vbi de Scipione Africano. Huic, inquit, facto par eiusdem viri humanitas: à Quæstore suo hastæ subiectos captiuos vendente, puer eximiæ formæ & liberalis habitus missus est. Sed vt redeamus ad Liuium, idem Deca. 4. lib. 4. de M. Catone loquens, Vergestanos cæteros Quæstori vt venderet imperauit. Dionysius Halicarnassæus lib. 8 Consul, tota præda spoliisque & captiuis per Quæstorem venditis, in vrbem deferri iussit pecuniam. Idem de agris ex hoste captis, qui ob id Quæstorij dicebātur, scribit Siculus Flaccus in l. de cōditionibus agrorū.

o *Vectigalia.*] Et tributa ex Apuleio Apologia 2. Pro eo, inquit, agello tributum dependi, præsens est Quæstor publicus, cui depensum est.

p *Stipendia præbere militibus.*] Nam & Asinius Pollio inter epistolas famil. Ciceronis lib. 10 epistola 31. queritur quod Balbus Quæstor magno pondere auri & argenti coacto de publicis exactionibus, ex Hispania fugerit, ne stipendio quidem militibus reddito. Et adde, Quæstores ea quoque stipendia, quæ à regibus aut nationibus pendebantur, accepisse, ex Liuio 5. Decad. lib. 2.

q *Mulctas quoque pecuniarias.*] Id sumptum ex Corn. Tacito lib. 13. Neue, inquit, mulctam ab eis dictam Quæstores ærarij in publicas tabulas ante quatuor menses referrent. Et Asconio Pædiano in 3. in Verrem act. Quæstores vrbani ærarium curabant, eiusque pecunias expensas & acceptas in tabulas publicas referre consueuerunt. Sed hi, vt vides, loquuntur de Quæstoribus ærariis & vrbanis. Et adde, bona publicata vendere, & in publicum redigere, ex Liuio 1. Decad. lib. 4. vbi loquitur de bonis Sp. Melij. Et 3. Decad. lib. 8. ad finem, vbi loquitur de agro Campano. Et Dionysio Halicarn. lib. 7. vbi de accusatione M. Coriolani.

r *Omniúmque rerum.*] Cicero in 3. in Verrem act. & ibi Asconius Pæd.

s *Per suos scribas.*] Nam & scribas habuisse Quæstores, præter illum Ciceronis locum, apertè colligitur ex eodem Cicerone in prima in Verrem actione, vbi loquitur de Potamone Quæstoris ipsius Verris scriba & familiari.

t *Adscribebant.*] Scilicet ipsi Quæstores. Nam, vt scribit, Liuius 4. Decad. lib. 10. Q. Petilius Quæstor L. Petilium scribam in decuriam legit. Plinius tamen epistol. lib. 4. epistola 12. ita de ea re loquitur, vt scriba à Quæstore non deligeretur, sed ei sorte eueniret. Cùm in prouinciam, inquit, Quæstor exisset, scribàmque, qui sorte obtigerat, ante legitimum salarij tempus amisisset, &c.

v *Romanis.*] Paulus Æmylius in vita Eumenis.

x *Macedo*

Cato in scribas infideles.

Quæstores à quibus eligebantur. Aliud quæstorum genus.

Quæstores vrbani.

Quæstorum vrbanorum munus.

nij aut pretij: [x] Macedonibus contrà apud quos nisi viri expertæ virtutis, magnisque rebus gestis, & pro cumulo magnæ gloriæ ad mittebantur. [y] Siquidem Eumenes Cardianus scriba Philippi regis fuit & alij viri illustres, hoc munere velut amplo honore honestati fuere. [z] Cato verò in quæstura ministros & scribas rationibus obnoxios, grauiter increpitos, quod parum integra fide æra persoluissent, fœdum in modum vexasse, & magistratu deiecisse dicitur: qui tam accuratè quæsturam gessit, vt vnus ex quæstoribus quotidie ad ærarium veniret primus, & rationibus confectis recederet postremus. Hos enim quæstores à principio [a] consules eligebant, [b] nonnunquam sorte ductos accipere coacti sunt: donec eum quoque honorem populus suffragiis tribunitiis, quibus libitum est demandauit. in qua re id obseruari meminimus, vt antequam consul prouincia decederet, quæstori magistratu abesse non liceret. [c] Alij verò quæstores dicti, qui prouincias decreto senatus sortiebantur qui etiam ius dicere, lictores habere, & munera belli obire, ac magistratus & [d] insignia in prouincia ferre poterant: quibus & mandata imperia, & exercitus commissos, illorumque ductu & auspicio egregie bella gesta, prouincias administratas & perdomitas, hostes victos & profligatos, atque exercitus fusos & multiplici clade affectos legimus. Præter quos [e] vrbani quæstores fuere: qui etsi nullo imperio fungerentur, quippe qui [f] nec vocationem nec prehensionem haberent, nec sella curuli vt plerique magistratus, neque lictoribus aut viatoribus insignes forent, & apud prætorem possent à priuato in ius vocari: negotiosa tamen & plena solicitudinis administratio fuit: [g] Nam & ærarij, & vectigalium populi Romæ curam gessere: [h] tum si quid pecuniarum publice vel priuatim erogari, [i] vel in ærarium condi deberet, quæstorum curæ demandabatur. [k] Cumque exercitus scribi, & in campum legiones educi oporteret, signa militaria à quæstoribus ex ærario promebantur: eaque ad consules in expeditionem ituros mittebantur. Quinetiam regibus & legatis ex vltimis oris terrarum Romam profectis, [l] publicum hospitium & munera, quæ [m] lautia dicta sunt,

ANNOTATIONES.

x *Macedonibus Contra.*] Ibi, & vide, quæ scripsi in Commentariis Nobilitatis c. 34. num. 5. incip. Scribas,& multis seq.

y *Siquidem Eumenes.*] Paulus Æmylius, Plutarch. vterque in vita ipsius Eumenis

z *Cato verò.*] Vticensis scilicet,ex Plutarcho in vita illius. Quanquam & Cato Censorius Quæstor quoque fuit sub Scipione Africo,apud Liuium 3.Decad.lib.9.

a *Consules eligebant.*] Corn.Tacitus lib.11.& iterum lib.13.

b *Nonnunquam sorte.*] Idem eodem illo libro 13. & in vita Agricolæ Sed & nonnunquam etiam extra sortem ex Senatusconsulto Quæstor dabatur ex Liuio 3.Decad. lib. 10. Lælium,inquit, cuius ante legati eo anno Quæstores extra sortem ex S. C. opera vtebantur &c.

c *Alij verò Quæstores dicti.*] Ex Strabone lib.13.discas Fimbriam Quæstorem missum cum Val. Flacco, Consule, bellum aduersum Mithridatem aggrediente.

d *Insignia in prouincia ferre poterat.*] Quod ex eo satis constat, quòd M. Liuius Drusus, Quæstor in Asia nullis insignibus vti voluit, ne quid ipso esset insignius, vt Plinius Secundus, si is est, Virorum illustrium c. 66.

e *Vrbani Quæstores.*] Vide Ciceronem ad Atticum lib. 2. epist. 6. ad fin. Liuium 1. Deca.lib. 7.Valerium maximum lib.2.cap.3.& Asconium Pædianum in Verrem act.3.vbi & ipse Cicero mentionem facit huiusmodi Quæstorum vrbanorum.

f *Nec vocationem,nec prehensionem*] Hæc & quæ sequuntur transcripta sunt ex Varrone apud A.Gellium lib.13.cap.13.

g *Nam & Ærarij.*] Dictum est suprà in verbo, Et ærario præessent.

h *Tamsi quid.*] Liuius 4. Decad. lib. 9. non ita longè post princ.tradit vicenos quinos & semisses in millia æris Quæstores vrbanos cum fide & cura soluisse pro stipendio collato à populo in publicum, quod ei solutum anteà non esset. Et in eodem lib. S. C.factum est, vt singulis his centena millia æris Quæstores Vrbani ex ærario darent.

i *Vel in ærarium condi.*] Inde captis à Marcello Syracusis Quæstor cum præsidio ad Nassum ad accipiendam pecuniam regiam custodiendamque missus est, apud Liuium 3. Decad. lib. 5.

k *Cumque exercitus scribi.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. Hæc omnia, inquit, adeò maturè perfecta accepimus, vt signa, eo ipso à Quæstoribus ex ærario prompta delatáque in campum. Et lib. 7. Is impigrè exercitu scripto, cùm omnes extra portam Capenam ad Martis ædem conuenire armatos iuniores iussisset, signáque eòdem Quæstores ex ærario deferre &c. Sed his adde, quòd & ipsi Quæstores catenas, quibus noxij vincirentur, asseruabant: ex eodem Liuio 5. Decad. lib. 1. cuius hæc sunt verba, Furens ita, vocatum qui pro Quæstore Manlij erat, catenas poposcit, vinctos se Iunium Manliúmque minitans Romam missurum.

l *Publicum auspicium.*] Vt satis patet ex locis Liuij, quæ mox adducemus. & præterea ex eodem 3. Deca. lib. 5. vbi de Prusia Romam aduentanti, Datus, inquit, qui circunduceret eum L. Cornelius Scipio, Quæstor, qui & Capuam ei obuiam missus fuerat: & ædes, quæ ipsum comitésque eius benignè reciperent, conductæ. De quo etiam Valerius Maximus lib. 5.cap.1. Idem Senatus, inquit, cùm ad gratulandum sibi Prusiam Bithyniæ Regem, Perse deuicto venire audisset, obuiam illi P.Cor.Scipionem Quæstorem, Capuam misit, censuitque vt ei domus Romæ quamoptima conduceretur & copiæ non solùm ipsi, sed etiam comitibus eius publicè præberentur. Et continuò pòst scribit, quod cùm Rex Ptolemæus à minore fratre regno spoliatus, petendi auxilij gratia cum paucis admodum seruis, squallore obsitus, Romam venisset, ac se in hospitium Alexandrini pictoris contulisset. Id postquam Senatui relatum est, accersito iuuene, quàm potuit accurata excusatione vsus est, quod nec Quæstorem illi more maiorum misisset, nec publico hospitio eum excepisset: eaque non sua negligentia, sed ipsius subito & clandestino aduentu facta dixit, & illum è curia subitò ad publicos penates deduxit, hortatusque est, vt depositis sordibus, adeundi ipsius diem peteret: quinetiam curæ habuit, vt munera ei per Quæstorē quotidie darentur.

m *Lautia dicta sunt.*] Liuius 3.Decad. lib.8. Locus, inquit, inde lautiáque legatis præberi iussa, & muneris ergò in singulos dari ne minus dena millia æris. & lib. 10. quo loco mox citabimus. Ex 4. Decad. lib. 3. Breui pòst legati & à T. Quintio & ab rege venerunt. Macedones deducti extra vrbem in villam publicam, ibique iis locus & lautia præbita, & ad ædem Bellonæ Senatus est habitus. Et libro 5. vbi tradit Attalo & Eumenis fratris legato, datas ædes liberas, ac lautia decreta: & munera equos duos, bina equestria arma, & vasa argentea centum pondo. Et 5. Decad. lib. 5. Stantibus in Comitio legatis, ac locum lautiáque darent, nullum hospitale ius in iis seruandum censuerunt. Plutarc.

Problem

sæpe [n] commeatus large & hospitaliter, & [o] vestimenta per quæstorem vrbanum publico nomine præstabantur: ipsisque ac comitibus ne quid rerum deesset, vrbani quæstoris curæ mandabatur. Qui tamen non omnium gentium legatis hæc munera præbere solitauerunt: [p] nam si quæ incognitæ legationes aduentarent, antequam admitterentur, exploratores minoresque magistratus profecti obuiam, qui & quæ petentes venirent, in primis inquirebant: inque [q] æde Apollinis extra vrbem senatu euocato, postulata noscebant: quos, si videbatur, admitti iubebant. [r] Et si socij essent fœderati, aut bene de republica meriti, quò honorarius exciperentur, his obuiam prodire, illosque liberali & largo viatico, ac comi hospitio iuuare, benigne inuitare, comitatuque & copia rerum omnium cumulare, nōnumquam apparatis excipere epulis per oppida perque municipia solebant. [s] Sed quum lapsis post temporibus, propagato latè imperio, legati sociorum ab exteris & vltimis gentibus vrbem quotidie adirent: quum vix iot commeatibus populus sufficeret, cautum fuit, vt sublato sumptu & viatico, legati regum municipiorum & coloniarum, vndecunque Romam profecti, ædem Saturni petant in primis, ibique apud præfectos ærarij nomina dare, & literis adscribi debeant: vt quum commodum foret, noscendis singulorum postulatis senatus detur & post mandata, singulis in prouincias profecturis consulatur. [t] Quinetiam absentibus consulibus comitia quæstorem vrbanum habere posse, non est controuersia. Præter hos fuisse [u] quæstores patricos, qui & parricidij dicti sunt, apud multos comperimus: tantæ dignationis, vt capitis reos agere, & maiestatis postulare; diemque perduellionis ad populum dicere, capitales res quærere, & de sontibus quæstiones habere possent. [x] A quæstoribus Cæsone Fabio & Lucio Valerio dies dicta perduellionis Cassio fuit. Et ab Aulo Cornelio [y] & Seruilio quæstoribus M. Volsio, quòd falsus aut dubiè testis in Cæsonem fuerat, diem dictam accepimus: qui postea seuera correctione damnati, suorum facinorum pœnas dedere. [z] Hos etiam lictorem & viatorem habere, & ius dicere liquet: qui & quæsitores dicti: quam iurisdictionem [a] triumuiri capitales postea sibi vendicarunt. Quos quidem parricos [b] Syllæ temporibus ad viginti numerum propagatos, vt de sontibus pœnas exigerent, authores memorant. Per quos ius quotidie dici, & senatum suppleri voluit. Et quoque illud animaduertere, quod licet quæstura ex [c] minoribus magistratibus in vrbe foret, eius tamen dignationis erat, vt quisque egregius & bonæ indolis adolescens, ex illa gradum ad reliquos honores faceret, namque hinc aditum reliquis adeundis magistratibus auspicabantur: siquidem primis experimentis, quæsturæ initiati, qui nullis antè

Quæstores parrici, siue parricidij.

Quæstores parrici ad numerum viginti.

Quæstura primus gradus honoris.

ANNOTATIONES.

Problem. c. 42. Quæstores, inquit, legatis munera mittebant, quæ Lautia dicebantur.

n *Sæpe commeatus.*] Liuius 5 Decad. libro 5. scribit, legato Antiochi regis ædes liberas hospitio datas, sumptúmque decretum, donec in Italia esset.

o *Et vestimenta.*] Liuius 3. Decad. lib. 10. de legatis Masinissæ loquens, Prætor legatis in singulos dona ne minus quinûm millium, comitibus eorum millibus æris, & vestimenta bina legatis, singula comitibus, Numidisque qui ex custodia missi redderentur regi ad hos ædes libera loca, lautia legatis decreta. Et 4. Decad. lib. 1. Munera deinde legatis in singulos quinûm millium æris ex S.C. missa.

p *Nam si quæ incognitæ.*] Seruius lib. 7. Æneid. enarrans eum locum,

—Ille intra tecta vocari,
Imperat.—

Dissentit hoc loco à Romana consuetudine: Nam legati, si quando incogniti venire nunciarentur, primò quid vellent, ab exploratoribus requirebantur, posteà ad eos egrediebantur magistratus minores, & tunc demum Senatus extra vrbem postulata noscebat: & ita, si visum fuisset, admittebantur.

q *Inque æde Apollinis.*] Liuius 4. Decad. lib. 4. vbi legati Nabidis Tyranni cùm Romam venissent, extra vrbem in æde Apollinis Senatus habitus est. Sed & nonnunquam in æde Bellonæ habebatur, vt ex eodem videre licet 3. Decad. lib. 10. vbi loquitur de Legatis Carthaginiensium, & Masinissæ. Et 4. Decad. lib. 3 vbi loquitur de legatis Philippi Macedonum Regis. Nonnunquam item in æde Saturni, vt tradit Plutarch. Problem. 42. Sed non omiserim legatos quoque Magistratuum Romanorum in æde ipsius Apollinis, aliquando receptos & auditos fuisse, ex ipso Liuio 5. Decad. lib. 1. vbi loquitur de legatis P. Sempronij.

r *Et si socij essent fœderati.*] Nam apud Liuium 5. Decad. lib. item 5. non multò ante finem. Lucius Cornelius Scipio, Quæstor, missus est obuiam Prusiæ Regi amico, socioque P. Rom. quò deos, qui Romam incolerent, Senatúmque & Po. Roma. salutaret. Sed hoc in loco non prætermiserim Persarum Reges legatis hæc munera dare solitos, scilicet, vnicuique talentum Babylonicum argenti præstantissimi. Talenta verò fuisse duas argenteas phialas, item armillas, & acinacem & torquem. Hæc autem vniuersa mille Daricis æstimata, & præterea stolam Medicam, quam Dorophoricam appellant. Author Ælianus lib. Variæ historiæ 1.

s *Sed cum lapsis pòst temporibus.*] Totus hic locus vsque ad eam clausulam, Quinetiam absentibus, est Plutarchi Problem. c. 42.

t *Quinetiam absentibus. Coss.*] Habita Comitia à Quæstoribus Vrbanis non esse controuersum hîc ait: in quo nescio quos sit sequutus authores. Nam cum sint Comitia aut tributa, aut calata: hæc verò aut centuriata, aut curiata, nunquam calatis, siue Centuriata, siue curiata fuerint, legas Quæstores habuisse Comitia, tum quòd vocandi populi ius, tum quòd auspicia non habuerint. Ne dicam Consules comitia absentes edixisse, vt obseruatur ex Liuio Dec. 3. lib. 4. Gruchius habet Comitiis lib. 1. c. 3. & 4. & l. 3. c. 3. Superest igitur duntaxat, vt Tributa Comitia habere potuerint Quæstores eo iure quo & cæteri minores magistratus vsi sunt.

v *Quæstores parricos.*] Pompeius Iurisconsultus in lib. 2. §. deinde eum ærarium, ff. de orig. iur. & Festus Pompeius lib. 14.

x *A Quæstoribus.*] Ex Liuio 1. Decad. lib. 2.

y *Et Seruilio.*] Ex eodem eiusdem 1. Decad. lib. 3.

z *Hos etiam lictorem.*] Ex illo ipso eiusdem Decad lib 4 vbi de P. Sextio Quæstore loquitur, & Cicerone pro Plancio Quæstore. Nam simulac, inquit, me Dyrrachium attigisse audiuit Plancius, statim ad me lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata profectus est.

a *Triumuiri capitales.*] Vide infra lib. 3. c. 16.

b *Syllæ temporibus.*] Corn. Tacitus lib. 11.

c *Ex minoribus.*] Is enim primus honoris gradus erat vt videre est ex Cicerone in 2. in Verrem actio. & vide infrà lib. 3. cap. 3.

Quæstura honos & dignitas. Lex Papia de quæstura munere. Quæstores initio gladiatoria munera exhibebant. Quæstores principis candidati: & quod illorum munus. Quæstura annuus magistratus. Aerarij cura à quæstoribus ablata. Quæstura apud Athenienses. Periander lapidatus. Aerarium in æde Saturni & quare. Nomine Tiburs etiam fuit ærarium.

honoribus vsi erant, inculpatæ vitæ testimonio, ad ædilitatem, mox præturam, & demum consulatum, euehebantur. [d] Quinetiam tanto honori quæstura fuit olim, vt viri consulares, magnisque honoribus functi, illam gerere indecorum non putarent. Cum Marco Valerio Volesi nepote, Titus Quintius Capitolinus, qui ter consul antea fuerat, quique amplissimis magistratibus insignis erat, quæsturam gerere non dubitauit. [e] Catoquoque triumphalis senex, quæsturam ita gessit, vt consularis potestas quæstorio muneri adiuncta videretur. Quod & lege Pompeia cautum fuit, vt deinceps quæstores nisi viri consulares suffragio populi crearentur. Fuitque inde seruatum in exercitu, cum pro re consilium capiendum erat, vel acie duces congredi parant, vt quæstores vna cum legatis & senatorij ordinis militibus, tribunis militaribus, & primorum ordinum centurionibus, consilio adhiberentur. [f] Cumque antea quæstores designati, gladiatoria munera exhiberent, quod illis erat hoc munus à principibus datum, postea [g] Neronis tempore senatusconsulto cautum fuit, ne deinceps quæstores exhibendi gladiatores ad ferrum, necessitate polluerentur. Nec prætereriem quæstores [h] principis candidatos vltra præscriptos, cæteris adnumerari: quorum munus erat, acta senatus & principis perscribere: orationes imperatorum, & libellos ad senatum missos cum postulatis recitare, & mandare literis: dictandisque epistolis & legendis assiduè vacare. Quare orationes principum, senatusque edicta, ac militum conciones per quæstores sæpe perscripta, lecta, & audita fuisse legimus. [i] Tametsi Nero princeps missas ad senatum orationes, prætermisso quæstoris officio, per consules recitasse pro concione: & [k] Vespasianus, orationes in senatu quæstoris vice, frequenter curia retulisse dicatur. [l] Sed cùm quæstura annuus magistratus foret (quippe finito anno, ex legis præscripto, reditus quæstori permittebatur) quosdam tamen protogato imperio, & continuo triennio ærarij curam, & quæsturæ munus gessisse comperimus: [m] donec lapsis temporibus, deficto quæstoris officio, cura ærarij à quæstoribus vrbanis ad prætorios prætoresque, ac præfectos ærarij, lege promulgata ab Augusto translata fuit. Is enim ex numero senatorum præfectos ærarij delegit primus: deinde sorte ducti fuere ex numero prætorum: quam [n] Claudius Cæsar à præfectis ad quæstores rursus deuolui iussit. [o] Deinde Nero curam tabularum publicarum à quæstoribus ad præfectos transferri voluit: donec ad [p] Vespasiani tempora peruentum est, quibus rursus à prætoribus cura ærarij gerebatur. Apud Athenienses vero amplissimus magistratus quæstura fuit: quam cum gereret [q] Periander, grauissimam contraxit offensam, quod parcius frumentum populo impertiret, propterea que accusatus, & à plebe pro concione lapidibus obrutus fuit. Cur autem in [r] æde Saturni ærarium esse voluerint, licet varia opinio dissentiat, illorum sententiæ accedo magis, qui censuerunt, id quod nonnulli tradunt, & ad fidem pronius est, Valerium Publicolam, qui Saturni ædem construxit, loci opportunitate ductum: quum omni aditu persepto, vndique præruptus & ab accessu munitus locus foret, eandem Saturni ædem æris publici, legumque & senatusconsultorum, [s] tabularumque publicarum, & signorum militarium sacrarium esse voluisse. Præter quod Saturni æra-

ANNOTATIONES.

cap. 3. Quæstura non honoris ipsius finis: sed patefactus ad consulatum ac triumphos locus, nouis hominibus videbatur. Liuius 1. Decad. lib. 4.

d *Quinetiam.*] Idem Liuius 1. Decad. lib. 3. cuius hæc verba sunt, Cum Mar. Valerio, Valerij filio, Volesi nepote Quæstor erat T. Quintius Capitolinus, qui ter Consul fuerat.

e *Cato quoque.*] Vereor ne non verum sit quod hic dicit: Siquidem M. Portius Cato sub duce Scipione, Quæstor fuisse dicitur, anno antequàm fieret Consul octauo, vt extat apud Liuium Decad. 3. lib. 9. Quod de authore familiæ Porsiæ constitit Collega L. Valerio Flacco. Cauendum autem à Volaterrano, qui lib. 14. Catonem è Cypro Quæstorem 7. millia talenta asportasse scribit. In quo Strabonem habebot repugnantem, qui Prætori Catoni illud tribuit, illi inquam, qui Prætorius se bello ciuili Vticæ interemit.

f *Cumque antea.*] Ab initio Quæstura ex dignitate Candidatorum, aut facilitate tribunitium gratuitò concedebatur, donec sententia P. Dolabellæ velut venundaretur A. Vitellio, & L. Lipsano Coss. introductum est spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui Quæsturam adipiscerentur, vt refert Tacitus lib. 11.

g *Neronis tempore.*] Tacitus lib. 13.

h *Principis Candidatos.*] Hæc vsque ad clausulam, Tametsi Nero. sunt nostri Vlpiani in l. 1. §. 1. ff. de off. quæst. Sed & ex Sueton. in Augusto c. 6. intelliges imperatores per Quæstores recitare fecisse vel orationes vel libellos. Ad hæc vide Lampridium in Alexandro.

i *Tametsi Nero.*] Sueton. in vita illius c. c. 15. Vide tamen Cornelium Tacitum li. 16. circa fi. vbi ita scribitur, Et oratio principis (de ipso Nerone loquitur) per Quæstorem eius audita est.

k *Et Vespasianus.*] Imò vero Titus ipsius Vespasiani filius ex Suetonio in vita illius cap. 6.

l *Sed cùm Quæstura annuus.*] Ex Plutarc. in vita C. Gracchi.

m *Donec lapsis temporibus.*] Hæc sunt Suet. in vita Augusti c. 36. & Taciti lib. 13. Sed & quantum ad Prætores est illud ipsius Taciti lib. 1. Resistentibus ærarij Prætoribus subuenit Cæsar. Et lib. 13. idem dicit sub Vespasiano Prætores ærarios ærarium tractasse. Et quod attinet ad Præfectos ærarij, vide Plinium iuniorem lib. epist. 1. epist. 9. & in Panegyrico ad fi. & Gell. lib. 13. c. 23.

n *Claudius Cæsar.*] Tacitus d. lib. 13. & Sueton. in Claudio cap. 13.

o *Deinde Nero.*] Tacitus vbi suprà.

p *Ad Vespasiani tempora.*] Idem Tacitus lib. 13.

q *Periander.*] Pytander legendum est ex Plutar. qui idem in Opusculis scribit authoritate Callisthenis. Quòd autem apud Athenienses essent Quæstores, videbis ex Liuio 3. Decad. libro 8. vti & apud Carthaginenses ex eodem Liu. 4. Deca. lib. 3.

r *In æde Saturni.*] Plutarc. in vita Publicolæ & Problem. Rom. c. 42 & Macrobius lib. 1. Satur. c. 8. vide in nostris tractatibus l. 1. §. 4. glos. 7. num. 12.

s *Tabularumque publicarum.*] Seruius enarrans illud Virgilij lib. 2. Georg.

— Aut populi tabularia vidit.

Vbi, inquit, acta publici continentur. Significat autem templum Saturni, in quo ærarium fuerat, & vbi reponebantur

rium, [t] Nemis quoque & Tibore, sacrarum pecuniatum thesautos ad incertos belli euentus, si externa vis ingrueret, longo tempore seruari accepimus. Illud quoque non ab re fuerit meminisse, in eadem Saturni æde fuisse sanctius ærarium intentioris curæ: in quo [u] aurum vicesimarium, quod ex vicesimis exigebatur, ad vltimos casus & in extrema fortuna populi Romani seruabatur: quod vicensimarium, ab aliis [x] cimiliarchium dictum est. Ex quo [y] C. Cæsar primo ingressu ciuilis belli laterum aureotum sex & viginti millia: percussæ verò monetæ, pondo trecenta millia, quod orat tot triumphis partum congestumque, [z] & laserpitij pondo centum & vndecium protulisse fertur. [a] Post quæ legimus ærarium militare cum vectigalibus nouis ab Augusto editum: vnde prompta pecunia stipendiis sufficeret. [b] Ædem vero Saturni io faucibus Capitolij fuisse constat, qui [c] mons Saturnius dictus, [d] vbi Carmentis phanum, à quo [e] Carmentali portæ nomen datum: ibi quoque [f] Saturnia porta, quæ Pandana, eo quòd semper pateret, dicta est: in qua æde senaculum fuisse authores memorant. Apud Græcos illud fuit notatum, [g] Minyam Chrysæ filium, qui Minyis imperitauit, condendis pecuniis thesauri locum muniuisse primum. Tum si quando conspirante Græcia, communi consilio bellum gerendum foret, in Delo [h] insula, quam sedem bello delegerant, collatas pecunias ad belli opus tanquam ærarium deponere consuesse: idque quantum opinione auguror, ideo visum quòd difficilis aditu, & arcis in modum munitissimus locus foret. Cœtus quoque & belli consilia, in eiusdem insulæ templo [i] nonnunquam apud Olympia habebant: deque rebus maximis de consilij sententia decernebant. [k] Athenienses vero Delphis thesauros omni ætate intactos habuerunt. [l] Lacedæmonij pecunias publicas in thesauris non coegere: veriti, ne violentiores custodes nacti, illas expilarent. [m] Macedones in oppido Quinta iuxta Tarsum, omnem gazam & pecuniam ad belli opus deponebant. [n] Syracusani in Labdalo castello munito, [o] Assyrij autem Susis. [p] Cambysis ærarium, oppidum Gaza in Palæstina fuit. [q] Nam Persæ gazam ærarium vocant. [r] Deiotari verò

Ærarij sanctius. Vicensimarium aurum. In consimarium. Cimiliarchium Ærarij militare Saturni ædes vbi sita. Carmentis phanum, Porta Carmentalis, Saturnia porta Pandana. Delus belli sedes. Atheniensium thesauri, Lacedæmoniorum, Macedonum, Syracusanorum. Assyriorum Cambysis. Gaza De.

ANNOTATIONES.

bantur acta, quæ susceptis liberis faciebant parentes, citatque illud Iuuenalis Satyra 6.

Tollis enim & titulis actorum spargere gaudes
Argumenta viri.—

Quibus adde quòd & in æde Castoris nonnunquam pacta & fœdera figebantur, vt videre licet ex Liuio 1. Decad. lib. 8. dum mentionem facit ciuitatis datæ Campanis.

t *Nemis quoque & Tibure.*] Appianus Alexandrinus bellorum ciuilium lib. 5. Nemis, ait, ac Tybure thesauri nunc vel maximè sacrarum pecuniarum aduersabantur copiosissimi.

v *Aurum vicensimarium.*] Liuius 3. Dec. lib. 7. Cætera, inquit, expedientibus quæ ad bellum opus erant Consulibus, aurum vicensimarium, quod in sanctiore ærario ad vltimos casus seruaretur, promi placuit. Et de hoc sanctiore ærario Cæsar lib. 1. belli Ciuilis, Lentulus, ait, aperto sanctiore ærario ex Vrbe profugit. Cicero in 6. in Verrem actio. Primùm mihi literas publicas, quas in ærario sanctiore conditas habebant proferunt. Ad Attic. lib. 7. epist. 20. Attulit man data ad Consules, vt Romam venirent: pecuniam de sanctiore ærario proferent.

x *Cimiliarchium.*] Cimeliarchium legendum. Est enim κειμήλιον, thesaurus, aut aliud reconditum quippiam ac seposirum. Homerus lib. 15. Odysseæ non adeò longè à princ.

Κείμηλια πολλὰ ἐνὶ οἴκῳ ἐφ᾽ ἡμέτερ, ὃ γὰρ ὄπισθεν
Οὐ γὰρ ἐὼν κατέλειπε, ἐπὶ κτεάτεσσιν ἐμοῖσι,
Μὴ πατρὶ ἀντίθεον δεξάμενος αὐτὸς ὄλωμαι,
Ἢ μοί τι ἐκ μεγάρων κειμήλιον ἐσθλὸν ὄληται.

Et Nonius,

ὄφρα φυλάξῃ σῶματος ἡμετέρου κειμήλιον.

Hincque Cimiliarcha l. iubemus C. de sacros. eccl. & chlmiliarchium. l. vlt. §. finautem. C. de bon. aut. iud. possid. l. litibus. §. finautem. C. de agric. & cens. Rhodiginus lib. 4. cap. 9. quo significatur retum pretiosarum reconditorium. Et κειμηλιάρχης tanquam dicas Thesaurarium.

y *C. Cæsar.*] Plinius lib. 33. c. 3. Cæsar, inquit, primo introitu vrbis in Ciuili bello suo ex ærario protulit laterum aureorum 26. M. & in numerato pondo 300.

z *Et laserpitij.*] Plinius lib. 19. cap. 3. Cæsarem, ait, Dictatorem initio belli Ciuilis inter aurum argentúmque protulisse ex ærario laserpitij pondo 111.

a *Post quæ legimus.*] Sueton. in Augusto c. 44. Ærarium, inquit, militare cum vectigalibus nouis constituit.

b *Ædem verò Saturni.*] P. Victor ponit in eadem regione, scilicet septima templum Saturni, Capitolium, & templum Carmentæ. Seruius ad 2. Æneid. ait de eodem, Est ante cliuum Capitolij, iuxta Concordiæ templum.

c *Qui mons Saturnius.*] Varro lib. 4. de lingua Latina. Iustinus lib. 43.

d *Vbi Carmentis phanum.*] P. Victor vbi suprà. Halicarnasseus Antiq Rom. lib. 1.

e *Carmentali porta.*] Vt infra lib. 4. c. 16. Ouid. Fast. 1. *Carmentis porta dextra est via proxima Iano.*

f *Saturnia porta.*] Varro lib. 4. ling. Latin. Solinus cap. 2. Festus Pomp. lib. 14. vbi de Pandana porta. Et vide dict. lib 4. c. 16.

g *Myniam.*] Pausanias lib. 9. Ex quo intelliges Minyam & Minyis hîc esse legendum.

h *In Delo insula.*] Hæc vsque ad versiculum, nonnunquam sunt Thucydidis lib. 1. Belli Peloponnesiaci, tum alibi, tum in ea oratione Corinthiorum, quam statim citabimus.

i *Nonnunquam apud Olympia.*] Vt patet ex oratione Corinthiorum ad Lacedæmonios apud eundem Thucydidem li. 1. belli Peloponnesiaci, tum ad fi. in oratione Periclis apud Athenienses.

k *Athenienses verò.*] Diodorus Siculus lib. 11. & Probus Æmy. in Aristide. Sed & adde & in ipsis Delphis Spinetas suos thesauros habuisse, vt tradit Strabo lib. 5. non longè post prin.

l *Lacedæmonij.*] Plutarc. in vita Lycurgi.

m *Macedones*] Strabo lib. 14. Tamen Perseus & ipse Macedonum Rex à Rom. deuictus, & in triumphum ductus, pecuniam suam in Pella deposuerat, vt scribit Liuius 5. Decad. lib. 4. tum alibi, tum ad fin.

n *Syracusani in Labdalo.*] Vbi castellum illud fuerit non satis scio: Hoc equidem comperio Leontini Syracusij regis fuisse pecuniam, ex testimonio Liuij lib. 4. sed in Nasso lib. 5. Decad. 3. Steph Labdalon promontorium Epipolæorum, prope Syracusanos esse, dicit.

o *Assyrij autem Susis.*] Herodotus lib. 5. Strabo lib. 15.

p *Cambysis.*] Volaterranus lib. 11. ait ex Stephano Gazam à Syriis Azam vocari & Gazam, quam Persæ thesaurum dicunt in ea constituisse, quæ de quinque ciuitatibus Philistiæ notum fuit in Palæstina.

q *Nam Persæ gazam.*] Pomponius Mela lib. 1. cap. 11. Q. Curtius lib. 3. non multò ante finem. Seruius in Æneid.

eum

Deiotari. Lysimachi. Iugurthæ. Persarũ regum, Hebræorum, Tigranis, Mitridatis. Babyloniorum.

in Peio Phrygiæ, [r] Lysimachi thesaurus Pergami seruabatur : aliquando in [t] Cetirizi promontorio. [u] Iugurthæ in Thala & Capsa Numidiæ. [x] Persarum reges barbaras opulentias in montibus ponunt, [y] Hebræi Thrace & Tauro Hiericontis: nam sacrum thesaurum, [z] corbanam vocant. [a] Tigranis in Babyrsa & Olona, [b] Mitbridatis in Petra Armeniæ. [c] Babyloniorum autem regum in Zeugma vrbe iuxta Euphratem, velut arce tutissima, tributorum thesaurus & ærarium esse consueuit.

ANNOTAITONES.

cum locom enarrans,

—Et Troia gaza per vndas.

& lib. 2. lib.

—Huc vndique Troïa gaza.

D. Hieronymus in Esaiam ca 39. & in Execbielem c. 40. Isidorus lib. 26. Etymologiarum c.

r *Deiotari verò*] Strabo lib. 12.

s *Lysimachi.*] Idem Strabo lib. 13.

t *Cetirizi.*] Idem quoque lib. 7. Hoc, inquit, in littore Cetirizis promontorium prominet, locus minimè validus, quo aliquando Lysimachus opum suarum thesauro & ærario vsus est.

v *Iugurtha.*] Rursus idem lib. 17. & Sallust. in Iugurt. in diuersis locis. & præterea de Capsa, Paulus Orosius li. 5. c. 14.

x *Persarum Reges.*] Ipse Strabo libro 15. ad fi. Verùm idem eodem libro ante scribit, Gazam thesauros & monumenta Persarum fuisse in Persepoli & Pasagardis. Et iterum paulò pòst tradit Cyrum suos thesauros Susis & Babylone condidisse. Sed adde quod Bocchus Numidię Rex thesauros quoque suos in monte Saxeo, quod ad fluuium Malucham erat, reponebat ex Sallustio in Iugurtha.

y *Hebræi.*] Strabo lib. 16.

z *Corbanam vocant.*] Iosephus lib 2. de belle Iudaico c. 8. Eusebius lib. Cronicõn, vbi de Pilato & probatur Matthei cap. 27.

a *Tigranis in Bambinsa, & Olena.*] Legendum est Babyrsa & Olana ex Strabone lib. 11. cuius hæc verba sunt, Non procul ab vrbe sunt castella quædam munitissima Babyrsa & Olana, vbi Tigranis Artabasdæ thesauri seruabantur.

b *Mithridatis in Petra Armenia.*] Strabo lib. 12. dicit in Cabiri At Plutarchus in Pompeio dicit in Inera castello.

c *Babyloniorum.*] Strabo lib. 11. & Statius lib. 3. syl. 2.

Antiqua Babylonis opes, & Zeugma Latina
Pacis iter.—

His autem omnibus adde Decebali, Dacorum Regis thesauros fuisse in Sargetia flumine, ex Dione in vita Traiani : Crœsi, Lydorum Regis, in templo, quod erat in Brachidis, ex Herodo. lib. 5. Sardanapali in locis subterraneis, ex eodem lib. 2. Sisini, qui Cappadocum imperium adeptus est, in Nora, quæ nunc Neroassus dicitur, ex Strabone lib. 12. non adeò longè à princip. Athamânum in Teraphilia, ex Liuio. 4. Decad. lib. 8. post princ. Darij in Damasco, ex Q. Curtio lib. 3. Populi Romani in templo Pacis, ex Herodiano lib. 1. In quo non conuenit suprà dictis de templo Saturni, Carthaginiensium pro Sicyonium, ex Pausania libro sexto.

Quid responderit super controuerso iure testamenti in quo fundus seu ædes filiæ legata fuerant.

Capvt III.

Apvd tribunalia Iudicum, cùm in foro & iudiciis versaremur, ibique assideremus vt postulata cognoscerem, testamentum exhibitum est in hæc verba : T. Sempronium filium honestissimum, ex asse mihi hæredem volo : Septiciæ verò filiæ meæ impuberi, cum viri potens erit, fundum suburbanum, seu ædes meas quæ in via lata sunt, do lego, vt hac dote contenta, Ælio Campano nubat. Cúmque filia potens viri, dotem sibi à Sempronio apud iudices dari postularet, & lege ageret, támque ad fundum suburbanum, quàm ædes admitti peteret ex legato, ideoque ad iudices contestandæ litis gratia venisset. Sempronius contra renitens reclamabat, & Septiciæ alterum tantum deberi ex testamento, vt siue ad fundum, siue ad ædes admissa fuisset, amplius ex legato peti non posse aiebat: cum testamenti verba non vtrumque dari, sed ad alterum admitti designarent, illamque si alterum fuisset assequuta, ad aliud iure legati admitti non decere: Cumque ad multam diem iurgiis clamoribusque obstreperent, & infinita contentio, atque inexplicabilis difficultas patronorum esset : tandem post immodicas altercationes, consultus ego à iudicibus super hoc iure controuerso quid sentirem, testamentum & tabulas mihi exhiberi iussi : quo prolato, cum postulata cognouissem, discusso iure quod in controuersiam venit, & testamenti verbis maturè pensitatis: vtrumque Septiciæ deberi, & tam ad suburbanum fundum, quàm ædes, iure legati admitti posse respondi: quippe cum parentis arbitrium tam super fundo quàm domo Septiciæ consuluisse appareat, & hoc ex testamenti verbis liquere. dictio enim, seu, vltimæ dispositioni apposita, in qua omne momentum rei est, & testatoris voluntas sita apparuit, non disiunctiua, sed coaugmentiua est: illamque copulare verius quàm disiungere, propterea vtrumque simul comprehendere dixi. Et hoc habere rationem explicatam ex perpetua legis dispositione, quam Paulus iureconsultus libro iuris ciuilis tertio [a] de legatis aptissimè prosequutus fuit : qui de hac controuersia consulius, ita respondit : verba Pauli ex eo libro hæc sunt : Vxori meæ mundum, ornamenta, seu quæ eius causa paraui do, lego, placuit omnia deberi : hoc enim verbum, seu, ampliandi legati causa positum est. Quibus perlectis, iudices secundum ipsius postulata Septiciæ litem dedere.

Dictio seu, vltima dispositioni apposita.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

Id caput nil aliud quàm controuersiam, ex testamento quopiam ortam, dirimit, Pauli Iurisconsulti responso in l. si quis ita legauerit. ff. de auro & argento legato, Sed id quomodo accipiendum sit intelliges ex Accursio & cæteris interpretibus in eam legem.

a *Tertio de legatis.*] In hoc Alexander falsus est, dum non profert Paulum ex debito loco : an verò à iure responsum eius stet, amplius videris.

Quare deorum ædes extra vrbis pomœrium sitæ fuerint, & ex his quæ in vrbem posteà receptæ.

CAPVT IV.

QVOD [a] ædes Vulcani à Romulo primum extra pomœrium constructa, in vrbem diu admissa non fuit, causam hanc ferunt fuisse, vt is deus procul incendia arceret: nève confinio & quasi contagio vrbi, quæ incendiis exposita erat, discrimini aut noxæ foret, quos enim deos vi sua veteres obesse sunt arbitrati, in vrbem diutius non admisere. Hac de causa ædē Bellonæ [b] & Martis extra Capenam, quarto ab vrbe milliario constructam ferunt, [c] vt à ciuium mentibus intestinas clades, ardorémq; conserēdæ manus, à ciuili cruore ad hostiles pugnas auocarent, vtque domi iugi concordia quietè viuerent, illos veluti fomenta præliorum inrra vrbem esse noluere. [d] In hac æde Bellonæ summis ducibus qui fortem strenuámque operam reipub. nauarunt, post res gestas magnificè, senatus sæpe dari, ibíque de triumphis, déque victoria consuli mos erat [e] Martis verò ædem, qui Gradiuus dicitur, Appia via quindecim stadiis ab vrbe, & alteram Quirini cognomento, quasi sedati & tranquilli, intra pomœrium fuisse, multi meminerunt. [f] Sic Veneris Erycinæ templum extra portam Collinam magna mole constructum ferunt, cum porticu insigni, quod deuicta Sicilia Marcellus fundasse dicitur, ne libido inualesceret. [g] Vtque luxuria à matribus familiâs abesset procul, ideo ab vrbe semotum extra pomœrium locauere. [h] Ad hanc ædem si quando circus maximus Tiberis alluuione inundaret, ludos Apollinares sæpe celebratos comperimus: [i] in quam virgines ætate adolescente Veneri pupas velut puerilia rudimenta offerre tradunt, In ea quoque intercursu temporum, [k] Veneris Verticordæ simulacrum, quòd homines ab effusa libidine auerteret, dedicatum fuit. Sed quæ fuerunt ædes deorum extra vrbis mœnia, præcipuæ traduntur, [l] Iouis & [m] Fauni, [n] atque Æsculapij phanum in insula Tyberis, quam ab Epidauro aduectus sedem sibi delegerat cum ægra valetudine vrbs oppressa, & latè vis morbi peruagata foret: seu quod feruēte morbo

Ædes Vulcani cur diu in vrbē non admissa.

Ædes Bellonæ & Martis.

Veneris Erycina.

Ludi Apollinares.

Pupæ Veneri offerebātur.

Venus verticorda.

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

a QVòd ædes Vulcani.] Id totum vsque ad clausulam, Hac de causa, Plutarchi est, Problem. cap. 46. Sed & Vitruuius lib. 1. c. 7. eodémque vlt. Vulcani, inquit, fanum extra murum collocari, vt è mœnibus, religionibus & sacrificiis euocata ab timore incendiorum ædificia videantur liberari.

b *Et Martis extra Capenam.*] Liuius 1. Decadis libro 7. Cùm omnes extra portam Capenam ad Martis ædem conuenire armatos iuniores iussisset. de quo dicam paulò pòst.

c *Vt a Ciuium mentibus.*] Vitruuius lib. 1. c. 7. scribit Martis ædem extra murum ideo collocari, vt non sit inter ciues armigera dissentio; sed ab hostibus ea defensa a belli periculo conseruetur.

d *In hac æde Bellonæ.*] Liuius 3 Decad. libr. 8. & aliis multis locis, quæ tibi citabo infrà libr. 6. cap. 6. post princip. P. autem Victor eam ponit in 9. regiooe ante portam Carmentalem.

e *Martis verò ædem.*] Seruius libro 1. Æneidos enarrans eum locum.

Cana fides & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabant. ——

Mars, inquit, cùm sæuit, Gradiuus; cùm tranquillus, Quirinus dicitur. Vnde habet duo templa, alterum in Vrbe, quod Quirini est: alterum extra Vrbem in via Appia, prope portam, quasi bellatoris, & Gradiui. Et lib. 6. Eiusdem operis in eum locum,

Tertiáque arma patri suspendit capta Quirino.

Quirinus, ait, est Mars, qui præest paci, & intra ciuitatem colitur. Nam belli Mars extra ciuitatem templum habuit. Cur autem Gradiuus dicatur, declarat Festus Pompeius lib. 7, Gradiuus Mars appellatus est à gradiendo in bello vltro citróque, siue à vibratione hastæ, quod Græci dicunt ἀνα[illegible], vel, vt alij dicunt, quia gramine sit ortus, quod interpretantur, quia graminea corona in re militari maximæ est honorationis.

f *Sic Veneris Erycinæ.*] Strabo lib. 16. est, inquit Romæ ante portam Collinam ædificium, quod Veneris Erycinæ templum dictant, cui cum æde sacra insignis adiacet porticus Liuius 3. Decad. libr. 2. Tum ædes vota Veneri Erycinæ: ædem Q. Fabius Max. Dictator vouit. Et 4. Decad. lib. 10. Ædes duæ eo anno dedicatæ sunt, vna Veneris Erycinæ ad portam Collioam. Sed quod hic non prætereundum fuit, aliud templum ipsius Veneris Erycinæ in Capitolio ante 30. annos plus minúsve dedicatum apud eundem Liuium 3. Decad. lib. item 3.

g *Vtque luxuria.*] Vitruuius libr. 1. cap. 7. Extra murum, inquit, Veoeris fanum ideò collocauit, vti non insuescat in Vrbe adolescentibus, seu matribus familiarum Venerea libido.

h *Ad hanc ædem.*] Liuius 3. Decad. lib. 10.

i *In quam virgines.*] Persius Saty. 2.

Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

vbi vide interpretes.

k *Veneris Verticordæ.*] Valerius Max. lib. 8. c. vlt. Lactantius Grammaticus interpres Statij lib. 5. Thebaidos in eum locum, non adeò longè à princip.

Ceston & Idalias procul ablegasse volucres.
Fertur. ——

In idque etiam trahit illud Virgilij libro quarto Æneidos,

Quæ mihi reddat eum, vel eo me soluat amantem.

Sed id clarius indicat Ouidius lib. 4. Fastorum,

Roma pudicitia proauorum tempore lapsa est.
Cumæam veteres consuluistis anum.
Templa iubet Veneri fieri, quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomine corda tenet.

l *Iouis.*] Liuius 4. Decad. lib. 4. non longè à fi. In insula, inquit Iouis ædem C. Seruilius Duumvir dedicauit.

m *Et Fauni.*] Lio. 4. Decad. lib. 3. Ex eorum multatitia pecunia ædem in insula Fauni fecertuot.

n *Atque Æsculapij.*] Plutarch. Problem. c. 94. Cur Æsculapij ædes extra vrbem posita est? An quòd foris salubrius quàm in vrbe habitare crediderint? Nam Græci quoqoe in excelsis ac poris locis Æsculapij rempla planè collocant. An quòd Deum ex Epidauro accersitum in vrbem venisse opinantur? In Græcia enim non in vrbe, sed procul ab Epidauro Æsculapij templum est. An quòd dum draco ex naui in insulam descendisset, & ex oculis euanuisset, ipsum eo in loco ædis ponendæ authorem ac præmonstratorem fuisse putauerunt? Lucius Florus Epitome Liuij libr. 11. Cùm ciuitas pestilentia laboraret, missis legatis vt Æscu-

Naniæ facell. Quietis & Rediculi phanum.

foris habitare salubrius ducerent. [o] Næniæ quoque sacellum, [p] quòd cantu querulo funeribus præesset, pari exemplo ab vrbe semotum, extra portam Viminalem statuerunt: [q] sicut phanum Quietis via Lauicana, [r] & Rediculi extra portam Capenam, quod secundo Punico bello constructum fuisse constat. Cum enim Hannibal vrbem oppugnaturus, inter Anienem & mœnia Romana castrametatus foret, quod nulla benè gerendæ rei occasione data, & spe vrbis potiundæ abscissa, fatũ vrbis & propitij dij illius mentem ab oppugnanda vrbe auertissent, & inde parum feliciter rediisset, Rediculo deo phanum ibi constructum ferunt: dictúmque est Rediculi, quòd visis quibusdam & ostentis inde deterritus, nullo edito negotio redierit. Vltra quod campum Rediculi extra Appiam ad secundum lapidem fuisse dicunt, in quo Hannibal castrametatus fuerat. [s] Ædem quoque Apollinis extra portam Carmentalem, sicut [t] ædem Honoris cum ara, quam Q. Maximus dedicauit, & collapsam M. Marcellus restituit. [u] Atque Herculis templum diu mansisse extra Collinam plerique asserunt. [x] Sed hæc Apollinis ædes inter forum olitorium & Circum Flaminium fuit. [y] Nanque in altera extra pomœrium, legatis exterarum gentium, antequam admitterentur, senatus dari consueuit.

Campus Rediculi. Ædes Apollinis. Herculis templũ.

Fortunæ muliebris Virilis, & fortis, Fortunæ templũ. Spei ædes. Atheniensium tẽpla extra mœnia. Timoris. Palloris. Paupertatis.

Templum quoque [z] muliebris Fortunæ, Latina via, quarto ab vrbe milliario ad fossas Cluilias, quod inde Coriolanum vrbi excidium minitantem maternæ preces auocauere, quódque mulier vrbi laboranti præsidio fuit, [a] & Virilis ac Fortis Fortunæ templa iuxta Tyberim pariter extra pomœrium fuisse liquet: in quo muliebris Fortunæ templo, solas mulieres litare aut sacrificio admitti seruatum est. [b] Ædes præterea Spei extra portam Carmentalem fuit, [c] & altera in foro olitorio. [d] Hanc ædem extra Carmentalem secundo Punico bello incendio deflagrasse, à triumuiris postea restitutam: illam verò in foro olitorio, sub idem tempus fulmine ictam fuisse, quo tempore Hannibale Italiam peruastante, respub. intestino malo laborabat, & cuncta bello ardebant, multi prodidere. Quæ res vastitatem Italiæ, & imminens excidium, quo terra marique Imperium agebatur & fluctuabat, haud dubiè designauit. Apud Athenas verò [e] Cynosarges Herculis templum, [f] gymnasium & lucus, extra vrbis mœnia visebantur. [g] Apud alios Timorem, Pallorem, Paupertatem, & Senectam tanquam noxia numina, procul à ciuitate arcuere, nisi quòd [h] Spartæ timoris templum iuxta eorum tribunal

ANNOTATIONES.

lapij signum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui se in nauem eorum contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportauere: eóq; in insulam Tyberis egresso, eodem loco sedes Æsculapij constituta est. P. Victor in 14. regione Vrbis. Et Plinius lib. 29. c. 1. Maximè verò antiqui medicinæ quæstum esse immani pretio vitæ recusabant. Ideo templum Æsculapij, etiam cùm reciperetur is Deus, extra vrbem fuisse, iterúmque in insula traduntur. Et Ou. lib. 1. Fastorum,

Accepit Phœbo, nymphâq; ne Coronide natum
Insula, diuidua quam premit amnis aqua.

Festus Pompeius lib. 9. Æsculapio ædes facta fuit in insula, quòd ægroti à medicis aqua maximè sustentantur.

o *Nænia quoque sacellum.*] Festus Pompeius lib. 12. statim à princ. Næniæ, inquit, deæ sacellum extra portam Viminalem fuerat dedicatum.

p *Quòd cantu querulo.*] Idem Pomp. in ipso princip. lib. 12. Nænia, ait, est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. Sunt qui hoc vocabulo finem significari putant. Quidam volunt Næniam ideo dici, quòd voci similior querimonia flentium sit. Quidam aiunt Næniæ ductum nomen ab extremi intestini vocabulo. Græci enim νήτην, extremum vocant: siue quòd chordarum vltima νήτη dicitur, extremam cantionis vocem næniam appellarunt. Et vide præterea quæ dicam infra lib. 4. cap. 7.

q *Sicut phanum Quietis.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. Diuus Augustinus de Ciuitate Dei lib. 4. c. 16.

r *Et Rediculi.*] Festus Pompeius lib. 16. non multò ante fin. Rediculi phanum extra portam Capenam fuit: quia accedens ad vrbem Hannibal ex eo loco redierit quibusdam perterritus visis. Hæc ille. Cætera huius clausulæ propemodum sunt Liuij 3. Decad. lib. 6.

s *Ædem quoque Apollinis.*] Asconius Pædianus in inuect. Cicer. contra C. Antonium & Catilinam.

t *Sicut ædem Honoris.*] Apud Cicer. lib. 2. de Legib. Ad portam Collinam ædem Honoris & aram in eo loco fuisse memoriæ proditum est. M. autem Marcellum Honorem consecrasse, tradit Lactantius lib. 1. cap. 20. idémq; Liu. Decad. 5. lib. 7.

u *Atque Herculis templum.*] Liuius lib. 6. Decad. 3. scribit Annibalem cum duobus millibus equitum ad portam Collinam vsque ad Herculis templum progressum fuisse. Diodorus autem Siculus lib. 5. c. 2. templum Herculis à Romanis iuxta Tiberim conditum ait. Plin. libr. 34. c. 7. Statuam vetustam Herculi sacratam ab Euandro in foro Boario, vbi templum Herculis. Dionys. Halic. lib. 1. Liu. 1. Decad lib. 10. Plin. lib. 10. c. 19. fuisse autem initio ex boue eximia capta de grege ob boues repertos inibi sacrafacta Herculi nominis Boarij origo satis arguit. De quibus quidem sacris Liu. refert lib. 1. Decad. 1. vt inde potius forum Boarium dictum à priscis placeat, quàm quod ibi secutis temporibus boues, vt ait Festus libr. 2. venderentur: vel quòd ibi æreum tauri simulacrum esset, quod vidisse se Tacitus ait lib. 12.

x *Sed hæc Apollinis ædes.*] Asconius Pædianus vbi nuper citauimus.

y *Namque in altera.*] Scilicet in æde Apollinis ex Liuio 4. Decad. lib. 4. vbi de legatis Nabidis, & dictum est suprà eodem lib. 2. cap. 2.

z *Muliebris Fortunæ.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. Plutarch. in lib. de fortuna Romanorum. D. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 4. cap. 19. & alibi quoque diximus.

a *Et virilis ac fortis Fortunæ.*] Ex Dionysio Halicarnassæo lib. 4. Plutarch. in d. lib. in variis locis & alibi quoque diximus. Ouid. lib. 4. Fasto.

b *Ædes Præterea Spei.*] Liuius 3. Dec. lib. 5. Comitia, inquit, habita, quibus creati sunt Triumuiri bini, vni sacris conquirendis, donísque præsignandis: alteri reficiendis ædibus Fortunæ, & matris Matutæ intra portam Carmentalem, sed & Spei extra portam.

c *Et altera in foro olitorio.*] Liuius 3. Decad. lib. 1.

d *Hanc ædem.*] Liuius præallegatis locis.

e *Cynosarges Herculis templum.*] Herodo lib. 6. Liu. 4. Decad. lib. 1. Plutarchus in Themistocle, Stephanus, Suidas, Hysichius. Et vide, quæ scripsi in commentariis de Nobilitate cap. 3. num. 31. Erat & apud Athenienses gymnasium quod κυνόσαργες appellatur, non longè à portis ciuitatis apud Laërtium in Antisthene.

f *Gymnasium & lucus.*] Liuius vbi proximè.

g *Apud Alios.*] Plutarchus in Cleomene.

h *Alij*

Ephori locatunt,eum rempub. nulla re magis quàm metu cotrigi putarent, [h] Alij Æsculapij templa extra vrbis mœnia statuêre, qood foris degere salubrius docerent. [i] Ab Ægyptiis autem perpetua constitutione seruatum est,vt nunquam Saturni templa aut Serapis intra oppida admittant.sed velut peruigiles & excubitores deos, extra pomœrium & in suburbiis sedes habere sinant, tanquam illorum nomine & fauore,validis septi præsidiis forent. próque aris focisque & deorum templis,ac solo in quo nati essent, excubarent: illorúmque ministerio & opera, ab hostili incursu & clandestinis insidiis se tutos adnotarent.

Saturni & Serapis templa.

ANNOTATIONES.

h *Aliij Æsculapij.*] Iam de hoc diximus suprà.

i *Ab Ægyptiis.*] Macrob.Saturnal.lib.1.c.7.

Quæ solemnes cærimoniæ more Romano in sponsalibus olim & nuptiis esse consueuere, & quæ apud exteros.]

CAPVT V.

NVPTIARVM solemnes cæremonias, quæ ritu Romano in sponsalibus adhiberi solent,quas nostri maiores festo coniugij die seruare cōsueuissent,quásque,vetusto more prætermittere nō licebat, has fermè accepimus. Vbi enim virgo necessitudinis causa, futuro viro spondebatur, ipso spōsaliorum die, [a] signatoribus,& auspicibus duobus nuptias castas & legitimas auspicabantur noctu, nonnunquā die luce prima: in quo [b] id cauebatur in primis, ne motus cœli aut terræ fieret, néve turbatiore cœlo,& die inquieto fœdus inirent. Hęc enim pręcipuè nuptiis aduersari putabant. Auspicatissimum verò signum esse [c] cornicē,maximæque fidei & inuiolati fœderis indicium facere. Ea enim cornicum societas est,vt ex duabus sociis altera extincta,vidua altera perpetuo maneat: [d] quod de Lyncibus proditur, vt post amissam coniugem alij non iungantur. Qui tum pro marito auspicabatur, [e] auspex, idémque paranymphus, qui pro vxore, pronuba dicebatur. [f] Tunc qui sponsam ducturus erat,illam sibi in coniugem dari solenni stipulatione postulabat: qui verò daturus, illi vxorem futuram spondebat. Qua de causa mulier,sponsa(authore Seruio Sulpitio) & ipsa conuentio, sponsalia dicta sunt. [g] In qua sponsione nec propria nomina sponsi sponsæve exprimere fas erat: sed vir Caius, virgo verò Caia dicebatur. Castum Caiæ Cæciliæ coniugium, quæ Tanaquil dicta, Tarquinium Priscum coniugem sortita fuit, felici nomine vsurpantes [h] Idque sacrificio

Caremonia nuptiarū.

Cornix.

Auspex. Paranymphus Pronuba. Sponsa. Spōsalia.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

a *Signatoribus & auspicibus.*] Iuuen. Sat.10.

---Veniet cum signatoribus auspex.

Sed & de huiusmodi nuptiarum auspicibus Cicer.lib.1. de Diuinat.& in oratione pro A.Cluentio Habito, Nubit, inquit.genero socrus,nullis auspicibus,nullis auctoribus. Virg. lib 4. Æneid.

Diis equidem auspicibus reor,& Iunone secunda.

Vbi Seruius: Nuptiæ, inquit, captatis auguriis fiebant,citátque etiam illud Lucani lib.2.

——Contentique auspice Bruto.

Id quod etiam tradit ipse Seruius,enarrans illud ipsius Virgilij eiusdem operis lib.1.

---Primisque iugárat. Ominibus.---

Valerius Maximus lib.2.c.1.post prin.Corn. Tacit. loquens de nuptiis Silij & Messalinæ,lib.11.& de Nuptiis Neronis, & Pythagoræ lib. 15. Paucos post dies vni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagoræ fuit, in modum solemnium cōiugiorum denupsit: Inditum imperatori flammeum,misit auspices duos &c. Suetonius in Claudio, c. 26. Lucanus,vbi loquitur de Catonis & Martiæ nuptiis.

b *Id cauebatur in primis.*] Seruius enarrans illud Virgilij lib.4. Æneid.

—— Prima & tellus,& pronuba Iuno.

Dant signum. ——

Nam secundum Hetruscam disciplinam, inquit, nihil tam incongruum nubentibus, quàm motus terræ & cœli. To, adde fulmen nuptiis boni ominis esse, vt innuit Claudianus li.2. de Raptu Proserpinæ,de Ioue loquens,

Confessus generum nimbis Himenæus hiulcis
Intonat, & testes firmant connubia flammæ.

In hoc cum Seruio multis minimè conuenit, quòd is omne fulmen nuptiis aduersum putet.

c *Cornicem.*]Plutarch.in dialogo, Quòd bruta animalia ratione vtantur.& Æliano lib.3. de Animalibus. Orus Apollo in notis Hieroglyphicis.Et Gregor.Nazianzenus. Et vide in nostris legibus Connubialibus l. 3. nu.5. Adde autem & accipitrem Circon altero pede claudum, prosperrimi augurij nuptialibus negotiis,& pecuariæ rei fuisse. Plinius lib.10.cap.8.

d *Quod & Lyncibus.*]Hæc Seruius libr.4. Æneidos in eum locum,

Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere more feræ.---

e *Auspex.*] Idem Lauren. Valla libr. 6. Elegant. & alij recentiores. Sed vnde hanc differentiam auspicis & pronubæ acceperint non video. Scio autem Donatum ad 7. Æneidos ibi,

Et Bellona manet te pronuba. ——

scripsisse pronubas dici quæ in obsequio nubentis sunt, quę scilicet nubentes domum mariti deducunt & comitantur. Et Pronubam Iunonem dici Virgilio libr.4. Æneid. eo loco,quem suprà in verbo, Id cauebatur, citauimus.

f *Tunc qui sponsam ducturus.*]Id quod videre licet ex Plauto in Aulularia,

MEG. *Quid? nunc etiam mihi despondes filiam?*
EVC. *Illis legibus*
Cum illa dote, quam tibi dixi. MEG. *Sponden' ergo?*
EVC. *Spondeo.*

Ex Gellio authoritate Seruij Sulpitij lib.4.c.item 4. & nostris quoque legibus Connubialib. Vide Seruium in libr. 10. Æneid. eo loco,

Et gremiis abducere pactas?

g *In qua sponsione.*]Id ex Plutarch. in Problemat. 29. Festo Pompeio libro 7.& diximus in nostris legibus Connubialibus.

h *Idque sacrificio perfecto.*] Ex Virgil.lib.3.Æneid.

Connubiis arvisque nouis operata iuuentus.

Quo loco Seruius, Perfecit, inquit, sacrificia propter connubia & nouas Sedes: quia apud veteres neque vxor duci, neque ager arari, sine sacrificiis poterat.

Prima & secunda hora sponsalibus accõmoda. Nuptiæ tribus modis cõtrahebantur. Ceremoniæ.

perfecto, & consulto deorum numine, primo diluculo & matutino. [i] Siquidem prima & secunda hora sponsalibus olim & nuptiis dabatur. [k] Nonnunquam per coemptionem nuptias contrahebant, ita vt mulier, an ei materfamilias esse vellet, à viro; inuicémque vir, an ei paterfamilias esset futurus, à muliere rogaretur: quo genere sponsaliorum, vir & vxor inuicem in bonis & fortunis omnibus succedebant. [l] Mulierque in mariti familiam vt filia, & sui hæredis loco admittebatur. Quippe cùm tribus modis contraherentur nuptiæ, vsu, coemptione, & [m] confarratione: per coemptionem vxor in viri familiam transit, quare materfamilias dicta, quæ in mariti manu & mancipio sit: vsu verò, & confarratione minimè, quæ quidem confarratio solis pontificibus dabatur. [n] Tametsi sortitione nonnunquam vxores ductas, & sponsalia inita inueniamus. Stipulatione ergo facta, & sponsione sequuta, [o] ignem & aquam in limine appositam vterque tangere iubebatur, qua etiam noua nupta aspergitur: quasi eo fœdere inexplicabili vinculo, & mutuo nexu forent copulati. Hæc enim elementa sunt prima naturæ, quibus vita victúsque communis constat, & [p] quibus qui extorres ab hominum cœtu futuri sunt, interdici legibus solet. Apud Græcos verò [q] & Macedones panem gladio diuisum, sponsum & sponsam cum ineunt sponsalia gustare solenne fuit. [r] Apud Galatas, vt ex eodem poculo vir & vxor bibant. Quare Cama Galata cum viri mortem illatam à Sinotige vlcisci vellet, dissimulato dolore, sponsalia cum eo inire finxit, venenatúmque poculum illi propinauit, quo hausto, Sinorix, & ipsa læta quòd vlta virum esset, mortem obiuere. [s] Coiis autem in more fuit, vt sponsi cum ineunt sponsalia, muliebri veste induantur. [t] Romulus quoque in communione panis & aquæ matrimonij fœdus iniisse traditur. Ab aliis est vsurpatum, vt vitta purpurea candido distincta, aut veste versicolori, sicut apud Latinos vsus erat, noua nupta sponsúsque amiciantur, [u] aut iugum pariter subeant: quare [x] Iuno iugalis dicta, quasi æquissimo iure & concordibus animis inuicem necterentur, societásque & communicatio vitæ certa foret. Vel caput obnubant, vt veteribus mos erat, [y] vnde nuptiæ. [z] Persæ autem & Assyrij, accepta inuicémq; data dextra,

Græci. Macedones. Galatæ. Coij. Iuno Iugalis. Nuptiæ vnde. Persæ & Assyrij.

ANNOTATIONES.

i *Siquidem prima & secunda hora.*] Ex Fest. Pompeio lib. 4. vbi de pronubis loquitur.

k *Nonnunquam per coemptionem.*] Ex Boëtio lib. 2. in Topica Ciceronis, ac Seruio lib. 4. Æneid. in eum locum,

---- At dominum Æneam in regna recepit.

Et diximus in nostris legibus Connubial. lib. 4. n. 5. & seq. & vide infrà cap. 8.

l *Mulier in mariti familiam.*] Mulier eò quòd materfamilias facta fuisset in nuptiis contrahendis, erat in mariti manu, mancipióque, aut in eius in cuius maritus manu mancipióque esset: quoniam non in matrimonium tantùm, sed in familiam quoque mariti, & in sui hæredis locum venisset. A. Gellius lib. 18. c. 6. & suis hæredibus vxorem adnumerat Vlpianus in fragm. tit. Qui heredes institui possunt. & alibi.

m *Confarratione.*] Imò verò & aliis per confarreationem nuptias facere licuit, quod non dicerem, nisi errorem, qui me post multos authores tenuit, Taciti verba ostenderent lib. 4. Nam, inquit, Patritios, confarreatis parentibus genitos, tres simul nominari, ex queis vnus legeretur vetusto more: neque adesse, vt olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine, aut inter paucos retenta, pluresque eius rei causas adferebat, potissimam penes incuriam virorum fœminarúmque. Accedere ipsius ceremoniæ difficultates, quæ consultò vitarentur. De quibus superest quidpiam reliqui apud Plin. libr. 18. 1. & 3. in fragmentis Vlpiani titul. 9. reliquos verò contrahendi modos amplius vide libr. de iur. lib. cap. 30.

n *Tametsi sortitione.*] Ex Plauto in Cassina, & Suetonio in Tiberio c. 35. & latè diximus in commentariis Primogeniorum quæst 17.

o *Ignem & aquam.*] Ex Varrone lib. 1. aut aliorum computatione 4. de ling. Latina. Plutarch. Prob. c. 1. vbi eius rei rationem reddit. & Seruio 4. Æn. in eum locum,

——— Fulsere ignes & conscius æther

Connubij. ——

Et Festo Pomp. lib. 1. post prin. cuius hæc verba sunt. Aqua dicatur, à qua iuuamur. Aqua & igni interdici solet damnatis contra accipiunt nuptæ videlicet, quia hæ duæ res humanam vitam maximè continent. Et lib. 6. Facem, inquit, in nuptiis in honorem Cereris præferebant, aquáque spargebatur noua nupta siue vt casta, puráque ad virum veniret, siue vt ignem atque aquam cum viro communicet. Idque dicit Ouid. loquens de his lib. 4. Fasto.

His noua fit coniux. ——

p *Et quibus qui extorres.*] Ouid. lib. 4. Fasto. loquens de igne, & aqua.

An quod in his vitæ causa est, hæc perdidit exul.

q *Et Macedones.*] Q. Curtius lib. 8. vbi de matrimonio Alexandri & Roxanes, ibique dicit eos, qui hunc morem condiderunt, parco ac parabili victu ostendere voluisse iungentibus opes, quantulo contenti esse deberent.

r *Apud Galatas.*] Ex Plutarcho in lib. de claris mulieribus.

s *Coiis.*] Plutarch. Problem. c. 171.

t *Romulus quoque.*] Dionys. Halicarn. lib. 2. & Plutar. in vita Romuli, & in nostris consuetud. vbi de contractu viri & vxoris.

u *Aut iugum pariter subeant.*] Ad quod alludit illud Virg. lib. 4. Æneid. post princ.

Ne cui me vinclo vellem sociare iugali.

Vbi Seruius propter iugum, inquit, quod imponebatur matrimonio coniungendis.

x *Iuno iugalis dicta.*] Seruius in eundem locum Virgilij. Ex quo idem Virg. lib. eodem,

Iunoni ante omnes cui vincla iugalia curæ.

Et ea quoque ratione iuga dicebantur. Nam Fest. Pompeius libr. 9. Iugarius, inquit, vicus dicitur Romæ, quia ibi fuerat ara Iunonis iugæ, quam putabant matrimonio iungere. Sed & ipsa Græcis Zygia dicta est. Huius appellationis meminit Apuleius li. 6. Metam. in nuptiis Psyches. Quem, inquit, cunctus oriens Zygiam veneratur. & interpres Pindari in Nemæis in hymno ad Thionum Vlcæ filium Argium, de Τέλεια Iunone; Iuno, ait ipsa est γαμηλία καὶ ζυγία. Hincq; est illud Ouidij in Epistola Phyllidis ad Demophoontem.

Iunonémque toris quæ præsidet alma maritis.

Quo pertinent illa Diony. Halicar. libello, Quomodo fiant epithalamia, hoc sensu. Iupiter & Iuno primi coniungentes Dei sunt & copulantes: atque hic quidem pater omnium vocatur; hæc verò Zygia, quòd fœminam mari coniungeret. Et vide quæ infra dicam lib. 2. c. 18.

y *Vnde nuptiæ.*] Festus Pomp. lib. 12. & Donat. in Hecyram Terentij.

z *Persæ.*] Arrianus de gestis Alexandri lib. 3. tradit Persarum & Medorum more nuptias celebrari vxoribus dexteris & osculo acceptis. Adde autem & apud alios quoque

vel

fœdus matrimonij ineunt. Nihil enim apud illos fide antiquius erat. [a] Apud Hetruscos in coniunctione nuptiali, viri sublimes porcam immolant, quasi diis testibus illud bene cessurum,& futurum inuiolabile. Qood quidem [b] dirimere non licebat, nisi diuortio, morte, captiuitate, vel seruitute: [c] Dona verò & munuscula virum ab vxore, vel contra accipere, legibus erat & scripto iure vetitum: nefas existimantes, quos legitimus amor coniunxisset, donis videri potius allici, quàm coniugali amore conciliari. [d] Annulus tamen sponsæ dono mittebatur à viro, qui pronubus dictus; is enim erat ferreus,& sine gemma, prisca videlicet seclusa, & antiqui victus parcimoniam, ac frugales mores designans. [e] Germanorum fertur mos non improbandus, vt sponsus complacitæ mulieri, quam ducere animo destinauit, dotem det: qua exhibita, frænatum equum & boues, scutum, gladium & arma tamquam pignus amoris vxori mittat. [f] Cum verò sponsa ad virum ire parat, in ipso nuptiarum celebri officio seruatum est, vt rectam tunicam & puram togam vestiat, [g] verbenáque, quæ Veneri dicata est,& floribus herbísque à selectis corollam texat, eámque sub amiculo deferat. [h] Id quòd Locrensibus in vsu erat, vt matronæ ex lectis floribus nectant coronas. Nam empta gestare serta, vitio dabatur. [i] In Bœotia vsurpatum est, vt sponsam obtegentes, asparago coronent: [k] apud Græcos autem sisymbrio, [l] capútque hasta gladiatoris, quæ in corpore mortui stetisset (quæ celibaris dicta est) comat, ac frontem & comam discriminet. Opinari licet, quasi fortes ea de causa viros se genituram ominetur: aut quòd sponsi disciplinæ se subditam fateatur. [m] Debere enim vxores sub viri disciplina esse & corrigi, seuerissimis exemplis veteres voluere. [n] Flammeo etiam

Hetrusci Matrimonij solutio. Dona vxori dare prohibitum. Annulus pronubus. Germani. Locrenses. Bœoti. Græci. Cælibaris. Flammeum.

ANNOTATIONES.

vel ex Virgilio libr. 4. Æneid. vbi Dido Æneam ita alloquitur,

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam.
Nec moritura tenet crudeli funere Dido.

& paulò post,

Per ego has lacrymas, dextrámque tuam te.
Per connubia nostra, per inceptos hymenaeos.

Quamquam Seruius illam datam dextram, simpliciter tradit ad fœdus amicitiæ. Amplius quoque reperias Agesilaum Lacedæmoniorum, & Otym Paphlagonum Reges, iunctis dextris, illum vt duceret, alterum vt puellam daret spopondisse, apud Xenophontem rerum Græcarum libr. 4. initio. sic Gobryam Assyrium manum dedisse, & Hystapsæ accepisse vt filiam responderet, extat apud eundem Cyropædiæ lib.8.

a *Apud Hetruscos.*]Varro 2. Rei rusticæ c.4. vbi tamen non porcam, sed porcum dicit.

b *Dirimere non licebat, nisi.*] Quæ sequuntur in hac clausula, sunt verba Pauli l.1. ff. de diuor.

c *Dona verò.*] Ex Plutarch. in præceptis Connubialibus cap. 36. & Problemat. cap. 7. vbi eius rei multas rationes reddit vt & Iurisconf. in li.1.2.& 3.ff. de donat. inter virum & vxorem.

d *Annulus tamen sponsæ.*] Ex Plin. lib.33. c.1. Tertullianus tamen Apologet. c. 6. tradit hunc annulum aureum fuisse: Aurum, inquit de matronis nulla norat, præter vnico digito, quem sponsus oppigneraslet pronubo annulo.

e *Germanorum.*] Corn. Tacitus in lib. De Moribus Germanorum.

f *Cùm verò sponsæ.*]Plin. libr.8.c.48, Tanaquil, inquit, texuit rectam tunicam, quales cum toga pura tyroni induuntur, nouæque nuptæ.

g *Verbenáque.*]Festus Pompeius lib.3. Corollam, inquit, noua nupta de floribus, verbenis, herbísq; à se lectis sub amiculo ferebat.

h *Id quod de Locrensibus.*]Id ex Strabone est lib.6. qui de his loquens, Ad hæc, inquit, verò loca Proserpinam è Sicilia aduentasse, ad legendos flores, credidere veteres: quoniam florentissimæ regionis amœnissima prata esse constat. Hinc matronis vsus inualuit, vt collectis ex floribus coronas texant, cum per dies festos empta gestare serta, vitio illis detur.

i *In Bœotio.*] Plutarch. in eo libro, cui titulum fecit γαμικὰ παραγγέλματα cap.2. In Bœotia, inquit sponsam obtectam aspharagine coronant: nam vt ea suauem ex asperrima spina fructum fundit: sic noua nupta primam asperitatem difficultatémque suam non defugienti, nec indignanti marito, vrbanam, iucundámque vitæ societatem præstabit. Vbi cum aspiratione aspharagi fit mentio, sicut ex Aristophane obseruauit Athenæus lib.2. c. 23. Sicut passim licet in Calpurnio, pro Calphurnio: Tropæo, pro Trophæo: Pœnice, Phœnice: Stropium, pro Strophium: Epestio, pro Ephestio ex Herodoto & Homero: Pano, pro Phano ex Athenæo, & similibus.

k *Apud Græcos autem sisymbrio.*] Ex Aristophane, cui sisymbria vocantur folia, quibus coronantur sponsi, quos Græci nymphos vocant: ideóque apud eundem est prouerbiale illud,

ὑμεῖς μὲν ἄρα γε ζῆτε νυμφίων βίον.
Vos igitur sponsorum vitam viuitis.

l *Capútque hasta.*]Fest. Pompeius lib.3. vbi de celibari hasta. vnde & Ouid. lib.2. Fastor.

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurua comas.

m *Debere enim vxores.*]De hoc latè diximus in 1.1. Connubiali: vbi videre poteris.

n *Flammeo.*]Ex Festo Pompeio li.6. & lib.13. vbi de nuptiis loquitur, Quò etiam spectat illud Suetonij in Nerone cap. 28. Puerum Sporum exectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus, cum dote & flammeo persolemni nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad se pro vxore habuit. Et Corn. Taciti de eadem re loquentis lib.15. quo loco suprà citauimus. Et Apuleij lib. 4. Metamor. Puella nuptura deterget lacrymas ipsa suo flammeo. Et in Apologia 2. vbi loquitur de filia cuiuspiam (ni fallor) Herennij Rutili, Venit igitur ad eum noua nupta secura & intrepida, pudore dispoliato, flore exoleto, flammeo obsito. Et Catulli in Epithalamio Iuliæ & Mallij.

Cinge tempora floribus
Suaue olentis amaraci:
Flammeum cape.——

Et posteà,

Flammeum videor videre.

Et Lucanus lib.2.

Non timidum nupta leuiter tectura pudorem
Lutea dimissos velarunt flammea vultus.

Et Iuuenalis Satyra 10. loquens de Messalina volente nubere Silio,

——Dudum sedet illa parato
Flammeolo.——

Martialis lib. 11. Epigram.79.

Flammea texuntur sponsæ, iam virgo parata est.
Tondebit pueros iam noua nupta tuos.

Et lib. 12. Epigram. 42.

Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro:
Hac, qua lege viro nubere virgo solet.

caput velabat, pudoris causa, quod lutei coloris erat, [p] quo matronæ spectatæ pudicitiæ tegebantur. Quodque [q] eo flaminica vtebatur, cui diuertere à viro non licet, ideo sine dissidio matrimonium fore opinati sunt. Id tamen [r] apud Spartanos in more fuit, vt virgines innuptæ, & quæ nullo coniugij fœdere iunctæ essent, facie inuelata & aperta: nuptæ verò, nisi velata parte oris, & aperto capite, foras non prodirent. [s] Chelidoniis quoque mulieres, quę se alienis visis collocassent, dimidium faciei inuelare ius erat, vltra reuelare vetitum. Séque cingulo cingebāt ex lana ouis contexto, quod Herculaneo nodo vinctum, nemini nisi in genlali toro, & dum sacrum nuptiale fit, soluere permittitur, omnis causa scilicet, vt in sobole gignenda, educendísque liberis sicut Hercules, fœcundus foret, eo argumento, quòd illum eximię fœcunditatis (quippe qui septuaginta ex se liberos reliqoit) fuisse dicunt: [u] Zona qoóque nouam nuptam circuncingi, quę nuptiarum die à viro soluebatur, nonnulli ferunt. Mox nuptiali mundo compta, [x] in pelle lanata sedere iubebatur, eique pellem sub pedibus strauere, sanè vetustum morem, quo pellibus veteres vsi sunt, significantes. [y] Lusitanis verò, in roseis tantum ornamentis sponsas locare permittitur, quibus omnes vtuntur pariter, alterius generis non licuit. [z] Cúmque ad virum profectura noua nupta egredi vult, ipsum limen transcendere sua sponte, aut vestibulum tangere non sinunt: [a] sed quasi raptam & inuitam è gremio & sinu matris, transcendere limina volunt, videlicet nisi coacta, suos relictura, aut proprios lares exitura non fuisset: vel quia vbi delibandus flos maritalis erat, inuitam ingredi videri volunt. Ipsa verò domum egressa, [b] præcedente tibicine, & eo qui canit † hymenęúm, officio frequenti affinium stipata, [c] colum comptam secum defert: & fusum cum stamine: [d] duo verò patrimi & matrimi pueri,

Sparta-ni.

Chelidoniq.

Zona solutio.

Lusitant. Ceremonia dum spōsa ad virum proficiscetur.

ANNOTATIONES.

Præluxere faces, velarunt flammea vultus,
Nec tua defuerans verba Thalasse tibi,

Huc pertinet illud Ouidij lib. 3. Fastorum,

Annat gens vultus, vt noua nupta suos.

Vt tamen non omittam quod scribitur in c. fœminæ. 3. q. 5. Fœminas, cùm nubunt, ideo flammeo velari, vt se nouerint semper maritis suis esse subditas. Et vide nostras Connubiales ll. inter ornamenta muliebria, in verbo, flammeum.

o *Quod lutei coloris erat.*] Plin. lib. 21. c. 8. & Lucanus vbi nuper citauimus.

p *Quo matronæ.*] Nonius Marcellus de genere vestimentorum ait flammeum esse, quo matronæ capita tegant.

q. *Flaminica.*] Festus Pompeius in duobus locis lib.

r *Apud Spartanos.*] Plutarch. in Apophthegmatis Laconicis vbi de Charilao.

a *Chelidoniis.*] Idem author Problem. c. 162.

t *Séque cingulo.*] Ad Romanos redit, idque vsque ad clausulam, Zona, est ex Festo Pompeio libr. 3. vbi de cingulo loquitur.

u *Zona quoque.*] Varro in Geruntio didascalo apud Nonium Marcelllum, quo loco de cingulo loquitur. Hincque Cinxiæ Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quòd inito coniugio solutio erat cinguli, quo noua nupta cincta erat, vt ait Fest. Pomp. lib. 3. De solutione verò zonæ multa videbis in nostris ll. Connubial. l. 3. num. 31.

x *In pelle lanata.*] Hæc vsque ad vers. Lusinatis. sunt Plutar. Problem. c. 30. & Festi Pompeij lib. 9. in fi.

y *Lusitanis verò*] Strabo loquens priuatim de Bastetanis Lusitaniæ populis lib. 3.

z *Cùmque ad virum.*] Ad Romanos redit, estque id ex Plutarcho, Problem. cap. 42. & Seruio, qui ex Varrone aliam reddit rationem in Virg. Eclo. 8. enarrante eum versum.

Mopse nouas incide faces, tibi ducitur vxor.

Et lib. 2. Æn. eum locum,

Vestibulum ante ipsum. ——

Et hinc quoque illud Lucani lib. 6.

Translata vetuit contingere limina planta.

a *Sed quasi raptam.*] Rapi virgo simulabatur apud veteres ex gremio matris, aut, si illa non superesset, ex proxima necessitudine, tum viro tradebatur: quòd ea res Romulo feliciter cessisset, vt refert Sextus Pompeius libr. 16. ad quæ respexit Virg. vbi, nullo præeunte exemplo, inquit, libr. 8. Æneidos,

—— *Raptas sine more Sabinas.*

b *Præcedente tibicine.*] Tibicinem adhiberi in nuptiis testimonio est illud Plauti in Aulularia loquentis de nuptiis Megadori & filiæ Euclionis,

—— *Præterea tibicinam,*
Quæ mihi inter bibere sola, si vino scateat,
Corinthiensem fontem Pirenem potest.

Idque non solùm apud Romanos, sed & apud alios. Nam cùm Philippus Macedo, Alexandri magni pater, nuptias ageret, acciti tibicines carmen Cyclopeum, quasi de colludio, concinuisse traduntur, quod omen ei fuit oculi dextri apud Methonem amissi, vt tradit Solinus cap. 14. aut, vt alij diuidunt, 15. Cyclopes enim vnoculi esse traduntur, vt videre licet apud Homerum libr. 9. Odysseæ, & nos alibi diximus.

† *Hymenæum.*] Plutarch. Problem. cap. 30. in fi. Hincque illud Apuleij loquentis de nuptiis Cupidinis & Psyches, Domus tota lauris obsita, tædis lucida, constrepebat Hymenæum. Et hîc omnino vide Seruium in eum locum Virg. lib. 1. Æneidos.

—— *Inconcussósque Hymenæos.*

c *Colum comptam.*] Plin. lib. 8. cap. 4. Lanam inquit, cum colo & fuso, Tanaquilis, quæ eadē Caia Cæcilia vocata est, in templo M. Anci durasse prodente se, author est Varro, factámq; ab ea togam regiam vndulatam in æde Fortunæ, qua Ser. Tullus fuerāt vsus. Inde factū, vt nubentes virgines comitaretur colus compta, & fusus cum stamine. Et Plutarch. Problem. cap. 30.

d *Duo autem Matrimi.*] Festus Pomp. lib. 14. Patrimi, inquit, & matrimi pueri pretextati tres nubentem deducunt: vnus qui facem præfert ex spina alba, quia noctu nubebant: duo qui tenent nubentem. Plutarch. autem Problem. 2. scribit, nec plures nec pauciores quinque facibus in nuptiis præferri, huiúsque numeri rationes reddit ex Varrone & aliter, vt ibi videre poteris. Et hæ quidem faces nuptiales memoratæ sunt Ciceroni in oratione pro Cluentio Habito, Catullo in epithalamio Iuliæ & Mallij,

Claustra pandite ianuæ,
Virgo adest, vides vt faces
Splendidas quatiunt comas.

Et rursum posteà,

Tollite pueri faces.

Virgilio ecloga 8. cùm dicit,

Mopse nouas incide faces, tibi ducitur vxor.

Vbi Seruius; Quæ solent, inquit, præire nubentes puellas. & lib. 4. Æneidos.

—— *Ne coniugis vnquam*
Prætendi tadas, aut hæc in fœdera veni.

Et Horatio li. 3. Carminum, Ode 11. Liuio 4. Deca. lib. 10. & Apuleio lib. 10. Metam. & Corn. Tac. lib. 15.

e Ex

eam tenentes deferunt tertius verò anteit, qui facem accensam præfert[e] ex spina alba, qua prælucente ad virum nupta deducitur. [f] Apud Græcos veró (vt Pausanias ait) media locatur in nuptiali curru, sponso & necessario affini iuxta comitante, quem parochum vocant, cuius axem pro foribus incendebant, vt signarent illam ibi perpetuo mansuram, neque vlla tempestate inde recessuram. Quod si curru sponsa non subuehitur, sed pedibus mariti domum peteret, Chamæpus dicebatur. [g] Apud Rhodios noua nupta per præconem in mariti domum aduocatur, & eo proclamante, in thalamum admittitur. Eam verò facem ideò accensam ferunt, quia[h] nisi sub noctem, & in tenebris priscis seculis inire coniugium non licebat.[i] Alio deinceps far tostum præferente, scilicet quia nihil confarrationis fœdere in spōsalibus religiosius fuit. Ideo in dirimendis nuptiis, & si quando vir ab vxore diuertere contendit,[k] diffarrationem fieri accepimus.[l] Eamdem verò facem sub lecto viri posuisse, aut in sepulchro comburendam curasse, fœdum erat auspicium, & omen exitiale: maximáque tacere infortunia creditum. Fuit quoque[m] Græcorum mos, vt cùm sponsa ad viri domum traducitur, puer spinis & glande quernæ obsitus, canistrum panibus onustum deferat, sponsæque precedens passim clamitet, ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον: quod est dicere, effugi malum, inueni bonum, quasi post frugales mores, re & honoribus auctor sit.[n] Dúmque ad virum vadit, intranti domum nuces iuglandes flagitant, eásque pueris iaciunt, & passim feliciter dicunt.[o] Thalassiumque modulatis carminibus cla-

Chamæpus. *Rhodij nocte inibant coniugia.* *Confarratio.* *Diffarratio.* *Græci.* *Nuces spargebantur.* *Sponsa.* *Thalassius.*

ANNOTATIONES.

e *Ex spina alba.*] Quoniam inter pinei generis arbores, albam pinum minimè dici comperies, adiectio albæ, suadet hoc loco spina scriptum ab authore, & ita legendum fuisse ex Festo Pompeio vbi suprà, & Plinio libr.16.cap.18. authoritate Massurij, & Catullo in illo epithalamio Iuliæ & Mallij.

Pelle humum pedibus, manu
Spineam quate tædam.

Plinius, vbi suprà, tradit carpinum & corylum hisce facibus esse familiarissimas. Qui spinæ albæ meminit lib.15. c. 28. & lib.24.c.12. & Ouidius lib.6. Fastorum,

Sic fatus spinam, qua tristes pellere posses
A foribus noxas, hæc erat alba dedit.
Sunt auidæ volucres, quæ non Phineia mensis
Guttura fraudabant, sed genus inde trahunt.

Quanquam scio apud Nonium Marcellum vbi de face loquitur, aliter legi ex Varrone in Gerunto didascalô, Confluere, inquit, mulierum tota Roma, quæ noctu nubere solita, etiam nunc pinea fax indicat. Et de vita populi Romani lib.1. Cùm à noua nupta ignis in face afferretur, de foco eius sumptus, cum fax ex pino ablata èsset, vt eam puer ingenuus afferret. Item Ouidius Fastorum 3. de tæda nuptiali,

Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ.
Exoptat puros pinea tæda dies.

Nisi in his locis spinea legendum sit, vt apud Catullum vbi suprà. Sed quòd haud dubiè de pinea intelligi debeat facit illud Virgilij in Ciri,

Pronuba nec castos accendet pinus odores.

Neque enim metri ratio pateretur, vt spina legi posset.

f *Apud Græcos vt Pausanias ait.*] Nihil tale comperi apud Pausaniam. Pollux autem lib. Onomastikon 3. c. 3. vbi tractat μονογάμου γάμου, καὶ τῶν περὶ αὐτόν. In eam rem hæc verba sunt: ὁ δὲ καλούμενος παράνυμφος, νυμφαγωγὸς ὀνομάζεται, καὶ πάροχος. ἀπὸ ζεύγους δὲ αἱ νύμφαι, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μετῄεσαν, εἰ δὲ πεζῇ ἀφικνεῖται ἡ νύμφη χαμαίπους ἐλέγετο. Idem autem scripserat & ex Pausania Cœlius Rhodiginus lib.28. lectionum Antiquarum cap.15. vbi de parocho. & cap.24. vbi de Chamæpo. Et Alciatus Prætermissorum lib.1. in verbo, parochos. nullus autem Pollucis mentionem facit. Sed ipse idem Alciatus Suidam citat, qui scripsit parochum eum nominari, qui currum, vti paranymphus ascendit. Eam autem dictionem Chamæpus, siquis ad verbum repræsentare vellet, Humipès transferret, ἀπὸ χαμαὶ, aduerbio, quod humi siue ad terram, vt vulgo loquimur significat, vt satis paret ex Homero Iliados 1. & 3. & aliis. vnde & illud prouerbium χαμαὶ ἀντλεῖς, id est humi hauris, apud Zenodotum in Collectan. prouerbiorum πούς autem pedem significat.

g *Apud Rhodios.*] Plutarchus Problematum cap.140.

h *Quia nisi sub noctem.*] Id iam diximus ex Festo Pompeio libr.14. quod & ipsum, traditum est ex Varrone à Serui. in Virg. eclo.8. loco nuper allegato Plutarc. autem Probl. cap. 65. Quid est, inquit, quòd maritus primò sponsæ non in luce, sed in tenebris iungitur? An quia eum pudet quòd, antequam coëtat, alienam putat? An & ad propriam verecunde accedere meditans & assuefaciens? An, quemadmodum Solon scripsit, malo Cydonio degustato, thalamum ingredi solitam, vt primus complexus nihil triste aut iniucundum haberet: sic Romanus legislator, si quid absurdum ac deforme corpori adesat occultauit? An calumnia quædam & accusatio illicitæ Veneris erat, quod fiebat, cùm legitimis ac iustis connubiis pudor quidam & verecundia non adhibebatur.

i *Alio deinceps.*] Id iungitur ei quod suprà dictum est de patrimis & matrimis, idque ex Plinio lib. 18. c. 3.

k *Diffarrationem.*] Festus Pomp. lib.4.

l *Eandem verò facem.*] Idem author lib.16. Rapi, inquit, solet fax, qua prælucente noua nupta deducta est, ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulchro comburendam curet: quò vtroque mors propinqua alteutrius captari putatur.

m *Græcorum mos.*] Zenodotus in Collectaneis prouerb. & Eras. Chil.3. Cent.1. cap.2. Tu vide Demosthenem in oratione pro Ctesiphonte.

n *Dúmque ad virum vadit.*] Fest. Pompeius lib. 12. Nuces, ait, flagitantur nuptiis, & iaciuntur pueris, vt nouæ nuptæ intranti domum noui mariti, faustum esset auspicium. Plinius lib.15. cap.22 scribit, Nuces, iuglandes, quanquàm & ipsæ nuptialium Fescenninorum comites, & posteà eas dicit nuptiis esse religiosas. Húcque spectat illud Catulli in Epithalamio Iuliæ & Mallij.

Non nuces pueris neget.

Et paulo pòst,

Da nuces pueris iners
Concubine, satis diu
Lusisti nucibus, iubet
Iam seruire Thalassio,
Concubine nuces da.

Et illud Virgilij Eclo.8.

Sparge marite nuces. ——

Vbi Seruius, Varro, inquit, spargendarum nucum causam dicit, vt Iouis omine matrimonium celebretur, vt nupta matrona sit, sicut Iuno. Nam nuces in tutela sunt Iouis, & iuglandes quasi Iouis glandes vocantur: nam id vulgare est ideò spargi nuces, vt à rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellæ, virginitatem amittentis, vox audiatur.

o *Thalassiumque.*] Plinius, aut quisquis is est, in lib. de viris illustrib. c. 2. vbi de Romulo. Plutar. tum in Romulo, tum in Pompeio, tum denique Problem. c. 30. & Festus Pomp. lib. 18.

In Menādris, & apud Aristoph in quib. repetitū. Thalassio Nuces quare spargebantur. Atheniēses. Ianua sponsa ornatus. Magorū commentum. Cum viro cōgressa. Sacciperium. Sponsi obsonia. Persa. Babilonij Solonis institutū Repotia. Naucratica.

mitant, sicut Græci ὑμὴν ὦ θαλάσσιε ὦ ὑμήν, qui felices coniugio fuere: [p] quem morem inoleuisse opinati sunt, quasi felicem vt Thalassium, cui Sabina virgo honestæ formæ in raptu contigit, sponsum futurum ominentur, dignámque esse quæ Thalassio viro admodum fortunato nubat, his vocibus significari. [q] Varro tamen perhibet, signum lanificij esse thalassionem, quem veteres quasillum seu calathum lanificiis aptum nuncuparunt. Nuces verò spargunt, vel quia iactu tripudium excitant, vel quòd gemino protectæ operimentò, fœtus suos multipliciter muniunt, similia in fœtibus nouæ nuptæ augurati. Athenis verò inualuit vsus, vt sponsi caput caricis & palmarum fructibus, legumine & colybiis inspergant: quod & seruis nouitiis, cum primùm dominorum ædes introissent, fieri vsurpatum est. [s] Sponsus verò illam domi operiens in qua sedes erat coniugii futura, paratu magno iannam lana cingit & coronat: multaque lauro exornat, [t] postésque vittis laneis primum à noua nupta attingi & ornari, oleóque & [u] adipe suillo [x] vel lupino inungi iubet. ne quid perniciosæ pestis in domum irrepat: quod magorum commentum fuisse dicunt, vt felle nigri canis suffitas domos, & genitale sub limine defossum habeant, [y] contra mala medicamenta & amatoria maleficia maximè proficere arbitrati. [z] In foribus verò villarum, lupi rostrum, ne quid deperiret, néve mala fascinatio in domum irreperet. Alij stellam marinam vulpino sanguine illitam, ne quid periculo foret aut noxæ defixere. [a] Ipsa autem cum viro congressa primum, treis ferebat asses, ex quibus vnum viro dabat, velut imaginaria emptione sibi sponsum pretio quæsiuerit: alterum quem in pede haberet, in focolarium ponebat, quem accensum, pluribus ornabant coronis: tertium, quem in sacciperio, in compito vicinali paulo post resignabat. Dixere autem veteres sacciperium, maiorem crumenam, & nummorum receptaculum. [b] Ac epulis instructis, vt porcum mactarent sponsaliorum die, deducto ex Hetruria more: vtque sponso bulbi cum nucleis pineis, ærucæ succo, & pipere in nuptiali cœna dentur obsonia, seruatum est. [d] Plerique papaueris succum lacte & melle dilutum exhibuere. Apud [e] Persas, nisi adeso malo, aut cameli medulla, ingredi ad nouam nuptam non licebat, neque alio vesci cibo illa die fas erat. [f] Babyloniis vir & vxor non miscentur nisi thymiamate prægustato. [g] Solon verò nisi malo Cydonio epulis adhibito, viri thalamum sponsam ingredi vetuit. [h] Repotia autem postridie nuptias, apud nouum maritum propiores affines lætiore conuictu percolebant, qua die noua nupta in viri domum libertatem auspicari, & dominam agere simul, & rem diuinam facere assueuerat, [i] quo tēpore clauem sponsæ dari ad signandum partus facilitatem, in more fuit. In cœnis verò nuptialibus [k] Naucraticarum obseruatum est, ne quis ouum aut mellita inferret. Apud

ANNOTATIONES.

p *Quem morem.*] Ex Liuio 1. Decad. lib. 1.

q *Varro.*] Apud Festum Pomp. d. lib. 18.

r *Nuces verò spargunt.*] De hoc iam satis ad illud, Dúmque ad virum.

s *Sponsus verò.*] Ex Plinio li. 29. c. 2. in princ. Lanis authoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, postes à nubentibus attingi (aut, vt ego malo legere, accingi) iubentes. Vide tamen Donatum in Hecyram Terentij, dum vxoris etymologiam describit.

t *Postésque vittis laneis.*] Virgil. lib. 4. Æneid.

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat
Velleribus niueis, & festa fronde reuinctum.

Quo loco Seruius, Moris fuerat vt nubentes puellæ simul vt venissent ad limen mariti, postes antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, vnde dicit, Velleribus niueis, & oleo vngerent, vnde vxores quasi vnxores dicebantur. Vide tamen Beroaldum in erroribus Seruij. Et Luca. lib. 2.

Infuláque in geminos discurrit candida postes.

u *Et adipe suillo.*] Plinius lib. 28. cap. 9. Adipis laus est, sed maximè suilli: apud antiquos etiam religiosi. Certè nouæ nuptæ intrantes, etiam num solemne habent postes eo adungere.

x *Vel lupino.*] Idem eodem c. sed alio loco. Massurius palmam lupino adipi dedisse antiquos tradit. Ideò nouas nuptas eo perungere postes solitas, ne quid mali medicamenti inferretur.

y *Contra mala medicamenta.*] Quod hic de felle & genitali canis ait, ex quo habeat author id non satis scio: equidem Pythagoras scyllam in limine ianuæ suspensam, malorum medicamētorum introitū pellere, tradit Plinius lib. 20. c. 9.

z *In foribus verò.*] Plinius lib. 28. c. 10. Suntque qui huc trahunt illud Horat. Sermonum 1. Saty. 8.

Atque lupi barbam varia cum dente colubra &c.

Quæ de villarum foribus accipienda sunt: vt de ianuis domorum vrbanarum intelligatur quod ait Plinius libr. 29. c. 4. Caput draconis limini ianuarum subditum, propitiatis oratione diis, fortunatam facere domum ex Magorum promissione.

a *Ipsa autem cum viro congressa.*] Hæc omnia vsque ad versic. ac epulis. sunt Nonij Marcelli in doctorū indagine, authoritate Varronis. & nos, quę diximus in ll. Cōnubialibus.

b *Ac epulis instructis.*] Qui porcum immolarent diis testibus matrimonij, quò melius cederet, vt suprà dictum est ex Varrone Rei rusticæ lib. 2. cap. 4. de parte hostiæ epulabantur, quod tum ex Hom. & Vergilio, tum ex aliis doctrinæ vulgaris est.

c *Vtque sponso bulbi.*] Incitamenta Veneris quòd sunt bulbi, æruca, piper, & nucilia, quodque multum præbeant nutrimentum & renes nuclei roborent, eorum fuit inductus vsus. De quibus Athenæus lib. 2. c. 16. & 25. Plinius libr. 20. cap. 13. & lib. 23. c. 8. & alibi sæpe.

d *Plerique papaueris succum.*] Ouid. lib. 4. Fastorum:

Nec pigeat tritum niueo cum lacte papauer
Sumere, & expressis mella liquata fauis.
Cum primùm cupido Venus est deducta marito.
Hoc bibit, ex illo tempore nupta fuit.

Hæc enim robur addere ad res venereas tradit Auicenna.

e *Apud Persas.*] Strabo lib. 15. ad fi.

f *Babyloniis.*] Herodot. lib. 1. non adeò longè à fi. vbi dicit idem Arabes facere.

g *Solon verò.*] Plutarch. in vita ipsius, & in præceptis Connubialibus post princ. & Problem. c. 65. quibus locis eius rei rationem reddit.

h *Repotia.*] Gellius lib. 2. cap. 24. Festus Pompeius libr. 16. Acron & Porphyrion interpretes Horatij lib. 2. Serm. Saty 2. & nonnihil Apuleius apolog. 1. & vide infrà.

i *Quo tempore clauem.*] Sextus Pomp. lib. 3.

k *Naucraticarum.*] Idem Cælius Rhodiginus lib. 27. cap. 16. sed & nullo authore citato: Verùm id est Athenæ libr.

Dipno

Carthaginenses vt thynnorum concisis carnibus vescantur. l Et in Lepti Libyæ, vt postridie nuptias ollam sponsa ad sponsi matrem petitum mittat, quam illa asperius abneget, eo exemplo iurgiorum auspicium augurati. m Apud Græcos, vt postera die à nuptiis, pater mittat sponsæ nuptiale munus, quæ ἐπαύλια δῶρα vocitabant. Namque ingenuus puer, specie liberali, candida amictus toga, cum ardenti face præibat: longo mox ordine succedebant, qui mundum muliebrem, deinde qui aurum & gemmas, deinde qui vasa & pelues: qui pectines & alabastros, qui sandalia, & demum reliquam supellectilem ferebant. Parcius tamen apud Athenienses. Nam n Solon treis modo vestes, & quædam modici pretij vasa non elaboratæ artis, sponsam ad virum ferre iussit. Præter quæ fuere dona quæ domestici conferebant, & amici cum primum sponsa reuelata facie visendam se præberet, o ἀνακαλυπτήρια dicta. p Romani obseruarunt, vt nuptialia munera soceri generis non mittant, quod erat lege vetitum, sed q vas artis eximiæ, quod Camillum dicunt, vbi mundus & iocalia vxoris erant, opertum in nuptiis ferant. r Genialis præterea lectus, duabus culcitris in Genij honorem parabatur eximiè, ad quem noua nupta s quinque facibus noctu admittebatur: quas ab ædilibus accendi, & ex t pino arbore fieri erat auspicatissimum, & fortunati euentus, cum ex hac arbore u in raptu Sabinarum pastores faces accendisse ferantur. x Spartanis, Lycurgi lege, sponsam rasis crinibus in veste virili, pronuba parente cubiculo constituit solam, cui sponsus y exoluens zonam z in tenebris primos congressus capit. Quas quidem faces pronubæ, & a quæ vni semel nupserant, ante congressus coniugales nouæ nuptæ deferebant. Græcis verò nubentium matribus tenere faces in nuptiis negotiom datur, quod b δᾳδουχεῖν dixere. Simúlque carmina & c Fescenninos versus, atque sacrum hymnum, d quem epithalamium vocant, decantare, e atque io his quinque deos precari solebant, vt nouę nuptę volentes & propitij adessent, prolémque secundarent, Iouem adultum, Iunonem adultam, Venerem, Dianam, & Suadelam. Namque hęc numina coniugiis pręesse putabant: f quas etiam pronubas nouam nuptam ad virum comitari, & domum deducere nonnulli tradunt. Dixere autem g Fescenninos à Fescennio Campaniæ, vel Sabinorum, vbi carmina nuptialia inuenta, & posteris memoriæ data sunt primum: ea quidem fuerunt procacia. & lasciua licentia coniugali, in nuptiis decantari solita per ludum iocúmque, amores, gratias, & mixtos leporibus lusus continentia: h quos Augustus in Pollionem scripsisse, cúmque mordaciter taxasse fertur, quibus quòd non respon-

Carthaginenses.

Athenienses fra-ga lores.

Romani. Camillū Lectus genialis.

Spartani Zona solutio.

Græci.

Dij coniugij pronubi.

Fescennini versus.

Augusti in Pollionem Fescennini versus.

ANNOTATIONES.

Dipnosophist. 4. cap. 9. ad fi.

l *Et in Lepti Libyæ.*] Plutarch. in præceptis Connubialibus cap. 37.

m *Apud Græcos.*] Idem Cælius Rhodiginus lib. Antiquarum lectio. 28. c. 18. Et Erasmus Adag. 4. Chil. cent. 2. c. 8. & ij quidem ex Polluce, quem nullus eorum citat, Onomasticon lib. 3. vbi suprà citauimus, cuius hæc verba sunt: Προσαύλια ὁ περὶ τὴν γάμων ἡμέρα: ἐπαύλια ἡ μέρ᾽ αὐτὸν. Eam autem vocem ἐπαύλια, plerique omnes pro repotiis intelligunt, de quibus suprà diximus.

n *Nam Solon.*] Plutarc. in vita illius.

o *Ἀνακαλυπτήρια.*] Ex Polluce quo loco suprà sæpe citauimus: Τὰ δὲ ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς διδόμενα δῶρα, ἕδνα καὶ ὀπτήρια καὶ ἀνακαλυπτήρια. ὁ μὲν ἡμέρα, ἐν ᾗ ἐκκαλύπτει τὴν νύμφην ὅτω, καλεῖτ᾽ ἂν, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν αὐτῇ δῶρα, τὰ δ᾽ ἀνακαλυπτήρια καὶ ... Ea autem dictio, ἀνακαλυπτήρια perinde est significare ac si dicas, reuelatoria.

p *Romani obseruarunt.*] Plutarc. Probl. c. 28.

q *Sed vas.*] Festus Pompeius lib. 3. Cameram, inquit, vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis vtensilia, quod & Camillum dicebant, eò quòd sacrorum ministrum κάμιλλον appellabant.

r *Genialis.*] Ex eodem lib. 7.

s *Quinque facibus.*] Iam de hoc diximus supra ex Plutarcho

t *Ex pino arbore.*] Sed & iam docuimus suprà ex spina, non ex pino legendum esse.

u *In raptu Sabinarum.*] Quisquis sit quem Alexander sequatur hoc loco, is certè Liuio repugnat. Si quidem libr. 1. Decad. 1. Raptas Sabinas ait, vbi spectaculi tempus venit, deditæque eò mentes cum oculis erant. Vnde si interdiu ludi celebrandi erant, quis faces à pastoribus accensas crediderit?

x *Spartanis Lycurgi lege.*] Plutar. in vita illius.

y *Exoluens zonam.*] Vide omnino nostras leges Connubiales in l. 3. nu. 31. incip. quare autem.

z *In tenebris.*] Plutar. in vita illius, sed omnino hic vide dictas nostras ll. Conoubiales l. 15. num. 155. incip. nouum id erit. & seq.

a *Et quæ vni semel nupserant.*] Fest. Pomp. lib. 14. vbi de pronubis loqui tur.

b *Δᾳδουχεῖν.*] Eurip des in Phœnicis, ἐγὼ δ᾽ οὔ τοι πυρὸς ἀνῆψα φῶς νόμιμον ἐν γάμοις, ὡς πρέπει ματρὶ μακαρίᾳ. Ego autem neque tibi lumen succendi legitimum in nuptiis, sicuti addecet matrem beatam (vide interpretem Latinum) Apollonius in Argonauticis, δᾳδοῦχον τῷ Θέτιδι, id est facem prætulisse Thetidi ob beneuolentiam, dum matris officio fungitur. αὐτὴ δ᾽ εὐλας, χείρεσσιν ἀνέσχεν νυμφιδίην, κεῖνος ἀγαθόφρον ἀνεῖσα τιμῆς.

c *Fescenninos versus.*] Catullus in Epithalamio Iuliæ & Mallij

Ne diu teneas procax
Fescennina locutio.

d *Quem epithalamium vocant.*] Sunt multa antiquorum poetarum Epithalamia, vt Catulli, Claudiani & Ausonij.

e *Atque in his quinque deos precari.*] Id ex Plutarcho est Problem. cap. 2. ad fi. qui quos adultos hic Alexander appellat τελείους. nam Græci ita vocant deos eadem prope significatione qua γαμηλίους & ζυγίους, id est nuptiales & coniugales. ipsas enim nuptias γάμον τέλειον appellat διὰ τὸ τελειότητα ... vt scribit interpres Pindari Nemeorum ode 10.

f *Quas etiam pronubas.*] Donatus in 7. Æneid. ibi,

Et Bellona manet te pronuba.

g *Fescenninos.*] Vide Liuium 1. Decad. lib. 7. post princ. Seruium in 7. Æneid. in eum locum,

Hi fescenninas acies.

Festum Pompeium libr. 6. Acronem & Porphyrionem in Horatium lib. 2. epist. ad Augustum in illis versibus,

Fescennina per hunc inuenta licentia morem.

Cæterum Catullus in Epithalamio Iuliæ & Mallij satis declarat huiusmodi versus ad nuptias pertinere, cùm scribit

Nec diu te teneat procax
Fescennina locutio.

h *Quos Augustus.*] Macrobius lib. Saturn. c. 4.

i Græcis

Pollionis apophthegma. Amœbæũ carmen. Cantilena in conuiuiis. Nuptiæ legitimæ.

deret, increpatus Pollio, se non facile dixit in eum scribere, qui posset proscribere. [i] Græcis verò amœbæum carmen in nuptiis modulatis vocibus canere solemne fuit: quod festo nuptiarum die Thetidis & Pelei, deos decantasse ferunt, [k] Plato in Gorgia cantilenam in conuiuiis decantari prodidit hoc tenore: Formosum esse & diuitem, ac bene valere, summum existimari bonum. [l] Athenis verò inconditum carmen canebatur: Bonos ama, timidos repelle, sciens timidorum paruam esse gratiam: [m] illud autem non præterierim, nuptias legitimas illas haberi quæ inter Romanos ciues, aut cum eo cui princeps populúsve ciuitatem aut connubia dedisset, contrahuntur: quò iure nati liberi, in familia & potestate sunt: cum impare verò, aut si Romanus cum peregrina, vel Latini nominis muliere, aut serna vel barbara iungeretur, nullum fuisse ius nuptiarum necessitudinisque. itaque nati liberi, sub patris iure aut familia non erant, sed matrem sequebantur: tametsi tradatur, in [n] Græcia, Apulia, & Carthagine, seruiles sæpè nuptias curati. [o] Quod quidem connobium vt manaret ad posteros, sociis & bene meritis, ac finitimis, nonnunquam externis dare solitauernnt, Siquidem [p] Campanis vt Romanas ducere liceret vxores, natique liberi vt iusti hæredes forent, fuit olim pro magno munere datum: sicut [q] Alatrinati, Verulano & Ferentinati: Neque enim cum Romano peregrino connubium esse censuere. Namque [r] impares nuptiæ, aut sine testibus ac patre non iubente, legitimę non sunt. [s] Idque senatusconsulto Romę cautum fuit, vt si Romanis Latinas vxores ducere contigisset, aut Latinis Romanas, sui essent iuris & arbitrij siue Romę degere, vel in

ANNOTATIONES.

i *Græcis verò amœbeum carmen.*] Plutarchus in Arato. Sed & de huiusmodi carmine Seruius in 3. Eclog. Virgilij, vbi declarat cuiusmodi id esset. Amœbæi autem citharœdi meminit Athenæus lib.14.c.9.

k *Plato in Gorgia.*] Itémque lib.2. de legib. & alij quos videbis in nostris legibus Connubialibus l.2.num.42.

l *Athenis verò.*] Vide Athenæum lib. 15 dipnosop. cap. 21.

m *Illud autem non præterierim.*] Vide quæ dicam infrà. Sed vt non omittam quod à Boërio scriptum est in Comment. Topic. libr.5. Nuptias non esse iure contractas, quæ non aut inter ciuem Romanum ciuèmque Romanam iungebantur, aut cui princeps populúsve ciuitatem vel connubium non permisisset, & ex impari matrimonio suscepti non patrem, sed matrem sequebantur. Hincque in Topicis id exemplum est. Quædam Romana, vel cum Latino, vel cum peregrino, vel cum seruo, vel cum quo ius connubij non erat, nuptias fecit: dotem contulit, factóque inter eos diuortio, contenditur an nuptæ mulieris cum eo cum quo ius connubij non erat, apud virum dotis pars post diuortiũ remanere debeat. Et huc pertinet quod Liuius ait 5.Dec. li. 3. haud longe post prin. Et alia noui generis hominũ ex Hispania legatio venit. Ex militibus Romanis, & ex Hispanis mulieribus cum quibus connubium non esset, natos se memorantes, suprà 4. millia hominum, orabant, vt sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decreuit, vti nomina sua apud L. Canuleium profiterentur: eorúmque, si quos manumisisset, eos Carteiam ad Oceanum deduci placeret. Qui Carteiensium domi manere vellent, potestatem fore, vti numero colonorum essent, agro assignato. Latinam eam coloniam fuisse, libertinorúmque appellari. Sed & adde apud Athenienses quoque non nisi inter sese iustas nuptias fuisse, vt constat ex Demosthene in oratione contra Neæram, & dicemus infrà lib.4.c.8.

n *Græcia & Apulia, & Carthagine.*] Hæc mihi videntur transcripta ex prologo Casinæ Plauti, ibi,

Hercle quid isthuc est? seruiles nuptiæ?
Seruine vxorem ducent? aut poscent sibi?
Nouom attulerunt, quod fit nusquam gentium.
At ego aio, hoc fieri in Græcia & Carthagini,
Et hic in nostra terra, atque in Apulia.

Et inde,

Id ni fit, meum pignus siquis volt, dato
In vrnam mulsi: Pœnus dum iudex siet
Vel Græcus adeò, vel mea causa Apulus.

Quæ tamen potius ex Comica licentia conficta postremis iis verbis arguuntur, quàm quod pro historiæ testimonio possint hoc loco recitari.

o *Quod quidem connubium.*] Id quidem patet exemplis, quæ mox subiicit.

p *Campanis.*] Liuius 3. Decad. lib.5. non multò post princ. Accessit post Cannensem cladem: vt, cuius aliqua erat verecundia, Romanum quoque Imperium spernerent: id modò erat in mora, ne id exemplò efficerent, quòd connubium vetustum multas familias claras ac potentes Romanis miscuerat. Et 4. Decad. lib.1. in oratione L. Furij Purpurionis Legati. Hi homines (de Campanis loquitur) cùm pro iis bellum aduersus Samnites per annos prope septuaginta cum magnis nostris cladibus gessissemus: ipsos fœdere primum, deinde connubio, atque inde cognationibus, postremò ciuitate nobis coniunxissemus: tempore nostro aduerso, primi omnium Italiæ populorum, præsidio nostro fœdè interfecto ad Hannibalem defecerunt. Rursúmque libr.8. Campani, cùm eo ex Senatusconsulto, quod priore anno factum erat, censores Romæ censeri coëgissent (nam anteà incertum fuerat, vbi censerentur) petierunt, vt sibi ciues Romanas ducere vxores liceret: & si qui prius duxissent, vt habere eas: & ante eam diem nati, vti sibi iusti liberi hæredésque essent. vtraque res impetrata.

q *Alatrinati, Verulano, & Ferentinati.*] De his tribus Liuius 1. Decad. lib.9. non longè ante finem. Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati (quia maluerunt quàm ciuitatem) suæ leges redditæ: connubiúmque inter ipsos quod aliquandiu soli Hernicorum habuerunt, permissum. Hæc ille. Sed an id voluit dicere, quod hic Alexander scribit, cæteri iudicent.

r *Impares nuptiæ.*] Ex Apuleio lib.6. Metamorph. Impares, ait, nuptiæ, & præterea in villa sine testibus, & patre non consentiente, factæ, legitimæ non possunt videri, ac per hoc spurius iste nascetur. Et iterum posteà, Iam faxo nuptias non impares sed legitimas, & iure ciuili congruas. Et vide quæ scripsi in Commentariis Nobilitatis c. 20. nu.167. & in nostris ll. Connubialibus.

s *Idq; ex Senatusconsulto Romæ.*] Dionys. Halicarnass. lib.6. in princ. nec id quidem nouum apud Romanos. Nam & apud Hebræos ex lege Moysis, cum 12. tribus essent, non licebat vxorem ex alia tribu ducere: vt scribitur Numerorum cap. 36. & vltimo. Sed nec apud Indos, qui in septem genera hominum, sibi tribus diuidebantur, connubia promiscua erãt: neque enim agricolæ ex opificum genere vxorem capere licebat & sic de similibus. vt tradit Arrianus Nicomedensis, de rebus gestis Alexandri libr. 8. & ante illum Strabo lib.15. Cæterum Liuius 5. Decad. lib.5. tradit Paulum Æmilium, deuictam Macedoniam in quatuor partes siue regiones diuisisse. scilicet captæ primæ regionis Amphipolim, secundæ Thessalonicem, tertiæ Pellam, quartæ Pelagoniam fecit: pronunciatséque neque cõnubium, neque commerciũ agrorum ædificiorúmque inter se placere cuiquam extra fines regionis suæ esse. Vide Plutarchũ in vita illius.

t *Quodque*

patriam redire vellent:atque innuptæ puellæ vt matrem sequantur. [t]Quodque virgines publicis festis non dabantur nuptui,viduas verò nubere fas erat. [u] Ac mense Maio, quo [x]Lemuria,vt occisi Remi vmbra placaretur,instituta sunt. [y]Et dum feralia seu parentalia fiunt,ac diebus impuris.& quibus ancylia in templo Martis nondum condita sunt, [z] vel festis diebus, [a] & mense. Iunio nisi post Idus, quenquam nuptiis copulari religiosum erat. [b]Quinetiam animaduersum est , postera die Nonis,Idibus,vel Calendis,vxorem sponsamve ducere Romanis non licere : sed eos dies velut tristi omine infames & detestabiles censeri:quoniam hi dies atri decreto pontificum habentur : [c] quibus legiones educere,aut acies,cum hoste committere. vel quicquam publicæ rei agere, religio non finit. [d] Persis verò nuptias contrahere,aut maritale coniugium inire,initio verni æquinoctij tantummodo permittitur : reliquo anni tempore [e] non licet.

Nuptiis quando copulari fas erat.

Lemuria

Dies atri

Persæ.

ANNOTATIONES.

t *Quodque virgines publicis.*]Plutachus Problematum cap. 105.& Macrobius.Verrij Flacci & Varronis authoritate libro 1.Saturnal.cap.15.& aliis 17.

u *Ac mense Maio.*] Porphyrion interpres Horatij Epistolarum lib.2.epist.2.ad finem, tradit religionem esse nubere mense Maio,& item Martio in quo nuptiis habita certamina:quod in hoc mense à Minerua Mars victus est.& obtenta virginitate, Minerua , Nerine est appellata. Ante eum Ouidius lib. 5. Fastorum,

Hac quoque de causa si te prouerbia tangunt,
Mense malum Maio nubere, vulgus ait.

Sed & Plutarchus Problem.cap.86.Cur,inquit,mense Maio vxores non ducant ? Eiusdémque rationes affert , quæ illuc in promptu sunt omnibus,

x *Lemuria.*] De quibus ipse Ouidius lib.5.Fast.

Romulus obsequitur,lucémque Remuria dixit
Illam , qua positis iusta feruntur auis.
Aspera mutata est in legem tempore longo
Litera,qua toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixere silentum,
Hic sensus verbi, vis ea vocis erat.

Et Porphyrion vbi suprà.

y *Et dum feralia*] Ouidius lib.5. Fast. de parentalibus siue ferentalibus loquens.

Dum tamen hac fiunt , vidua cessate puella.
Exoptat purus pinea tæda faces.

&c. quæ sequuntur in hanc sententiam.In quo & illud tibi animaduertendum , hæc feralia eadem esse quæ & Lemuria,vt dicit Porphyrion vbi suprà.

z *Vel festis diebus.*] Festis diebus & feriis vim cuiquam fieri piaculare est:ideò tunc vitantur nuptiæ, in quibus fieri vis virginibus videtur,ait Macrob.lib.1.Saturnal.c.17.

a *Et mense Iunio.*] Ouid.lib .6.Fastor.

Tunc mihi post sacras monstratur Iunius Idus
Vtilis & nuptis, vtilis esse viris.
Primaque pars huius thalamis aliena reperta est,&c.

Sed iis adde quod apud Macrobium ait Varro , Mundus cùm patet, Deorum tristium & inferûm quasi ianua patet, & tunc vxorem liberorum quærendorum causa ducere religiosum est. At quo anni tempore terra patere & Manes liberè vagari crederentur, Sextus Pompeius ex Catone & Capitone retulit lib.11.scilicet 3. Cal. Septembris 4.Nonas Octobris & 3. Idus Nouembris.

b *Quinetiam animaduersum.*] Ex Ouidio lib. 1.Fastor.

Nonarum tutela deo caret : omnibus istis
(Ne fallare caue) proximus ater erit.
Omen ab euentu est : illis nam Roma diebus
Marte sub aduerso tristia damna tulit.

Et cùm dicit, Omnibus illis,intellige de Calẽdis, Idibus & Nonis,de quibus antè loquutus fuerat. Idem Gellius lib. 5. cap.17.Macrobius lib.Saturnal. 1.c.17. in fin. vbi nuncupatim de nuptiis loquitur. Nonius Marcel.quo loco de atris diebus loquitur.Festus Pompeius libr.11.vbi de mundo, & lib.11.vbi de Nonis loquitur.Liu.Decad.1.libr.6.initio. Et vide Plutarchum in Lucullo & in Problem.

c *Quibus legiones educere.*]De quo vide infrà lib.4.cap.20

d *Persis vero.*] Id Strabonis est lib.15.ante fi.

e *Non licet.*]Adde & alias multas cæremonias nuptiarum. Nam coronis floreis larem adornabant, vt nuptias fortunarent,ex Plauto in Aulularia.

Nunc Tusculum emi, & hasce coronas floreas,
Hæc imponentur in foco nostro lari,
Vt fortunatas faciat gnatæ nuptias.

Prætereàque acclamare solebãt,feliciter vt scilicet feliciter nuptiæ secundarẽt,ex Suetonio in Domit.c.13.In reducenda post diuortium vxore,acclamari etiam libenter audiuit Domino & Dominæ feliciter.Et Iuuen. Satyr.2.

Signata tabula , dictum feliciter.

Eorum autem,qui vxores ducebant , comam hastæ cuspide discernebant,ac discriminabant:multis rationibus,quas sigillatim describit Plutarchus Problem.c.87.Noua quoque nupta super Priapi fascinum sedere iubebatur,vt videre est apud D.Augustinum lib.6. de Ciuitate Dei c.9. Apud eosdem Romanos more antiquo,nubentes canis lenum crinibus ornabantur,vt Vestales virgines castitatis vitæque integritatis exẽplo,vt scribit Festus Pomp.lib.17. Tam autem apud illos, quàm apud Græcos moris fuit puellas ante nouorum coniugum thalamos à vesperi ad mediam vsque noctem concinere carmina, quæ κοιμητικὰ quasi somni conciliatoria dicebantur,ne quid interea,quod intus fieret,foris audiretur.Rursus ab iisdem canebantur carmina matutina, quæ διεγερτικὰ quasi excitatoria dicta fuere. Huius generis exemplum habes in Idylio Theocriti, cui nomen est Helenes Epithalamiũ,vt obseruauit P.Nannius Miscella.libr.7.Apud Græcos pistillum ante thalamum sponsorum alligabant,& famula cribrum ferebat signa industriæ ad opera ex Polluce lib.3.c.4.Apud Megarenses puellæ ante nuptias libamenta ad Iphinoë monumentum proferebãt & crinium primitias deponebant.ex Pausan.lib.1. In Thessalia is, qui vxorem ducturus erat,pro nuptiis sacrificans, equum bellatorem inducebat frænatum & omnibus armis instructum:deinde sacrificatione facta,equum vxori habenis ducendum tradebat.cuius rei testis est Ælianus lib.de Natura animalium 12.c.34.Apud Massilienses proci ad conuiuium vocabantur:Oportebat puellam post cœnam ingredi,phialam miscere,ac cuicũque ex præsentibus procis mallet porrigere.Cui ea porrexisset,is erat sponsus, vt scripsit Aristoteles,& ex eo Athenæus Dipnosophistarum lib.13 .c.13.

Immane exemplum Tulliæ supra corpus patris ambulantis,& filij Eucratidis idem facinus admittentis.

CAPVT VI.

DE [a] Tullia Seruij Tullij filia,nequissima fœmina,quæ Tarquinio superbo nupta fuit,inhumanæ crudelitatis memorandũ facinus,& post homines natos inauditum accepimus.Cum enim furiis

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

a DE *Tullia.*] Hæc sunt Liuij 1.Decad.lib.1.& Ouid. lib. 6. Fastorum.

Tullia coniugio sceleris mercede parato,
His solita est dictis extimulare virum,

Quid

eius Tarquinius æquè ferox agitatus, regni cupiditate improba Seruium Tullium socerum, vt ipse regno potiretur, interficiendum curasset, præteruehens ipsa carpento in festis furiis agitata & muliebri spiritu inflata, supra patris defuncti corpus, vulneribus & plagis affect: & ertenuatu, incedere non dubitauit. Ob cuius inhumanum scelus, & rei fœditatem, loco tanquam nefario & conscelerato, Scelerati nomen factum. Sanè detestabile facinus nominis diritate execrantes. Fuerat enim [b] Cyprio nomen vico in quo hæc gesta sunt, postea Sceleratus dictus; Cypriúsque nuncupatus, quod cum locum eum Sabini insedissent, boni ominis causa Cyprium, hoc est, bonum appellarunt. [c] Scelerata quoque porta, quæ Carmentalis olim fuit, subinde dicta est. Cum enim CCC. & VI. Fabij vno agmine inde egressi, contra Veientes ad Cremeram acriter dimicantes, ad vnum procubuissent, portæ vnde egressi sunt, Sceleratæ nomen indidere: scilicet memoria detestandi facinoris, indignitatem rei posteris relinquentes. Castra quoque in quibus Claudij pater Drusus graui morbo afflictus, & tristi fato sublatus fuit, quia intempestiua morte præuentus, acerbo funere decessit, Scelerata etiam dixere, quæ eum caritate milites prosequuti fuerint, turpi conuitio, & infando nomine significantes. Fuit quoque [d] sceleratus campus iuxta Collinam portam, in quo Vestales incesti damnatæ viuæ defodi consueuere. Sed quod de Tullia est modo dictum, haud absimile facinus in Eucratidem, qui Bactris imperitauit admissum accepimus, siquidem cum Demetrij ingentes copias patria manu fudisset, Indiámque, exterminato hoste, magno consilio subegisset: dum Bactra peteret, à filio impuro & flagitioso, quem socium regno asciuerat, vt solus potiretur regno, imprudens ex insidiis occupatur, turpique nece in via trucidatur: qui patris cæde non contentus, pari scelere & audacia per corpus vulneribus affecti currum agere, & sanguine inspersus paterno, insepultum abiicere non dubitauit, ausus facinus quod in nulla vnquam Scythia tyrannus admisit. Tantis sceleribus mortales vesana regni cupido cepit, vt effrenato furore cæci, ad cædem & cruorem agantur præcipites. [e] Fuere autem Bactriani iuxta Sogdianos & Hyrcanos, horridis ingeniis, haud procul à Scytharum gente: quippe Tanais ab Scythis illos diuidebat, bellicosissimi, & rapto viuere assueti.

Sceleratus vicus. De hoc, cap. 18. huius libri.
Scelerata porta.
Scelerata castra.
Sceleratus campus.
Eucratis.
Bactriani.

ANNOTATIONES.

Quid iuuat esse pares, te nostra cæde sororis,
Méque tui patris, si pia iura placent?
Filia carpento patrios initura penates
Ibat per medias alta, feróxque vias.
Corpus vt aspexit, lachrymis auriga profusis
Restitit: hunc tali corripit illa sono,
Vadis, an expectas pretium pietatis amarum?
Duc, inquam, inuitas ipsa per ora rotas.
Certa fides facti est, dictus sceleratus ab illa
Vicus, & æterna res ea pressa nota est.

Et Festi Pompeij lib. 17. & Plinij, aut quisquis is est, de Viris illustribus c. 7. & Valer. Maximi lib. 9. c. 11.

b *Cyprio nomen vico.*] Varro lib. 4. de ling. Lat. Dioni. Halicarn. lib. 4.

c *Scelerata quoque porta,*] Ouid. 2. Fasto.

Hæc fuit illa dies in qua Veientibus armis
Ter centum Fabij, ter cecidere duo.
Vna domus vires & onus susceperat vrbis:
Sumunt gentiles arma professa manus.
Egreditur castris miles generosus ab iisdem,
E queis dux fieri quilibet aptus erat.

Et infrà,

Carmentis porta dextra est via proxima Iano:
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.
Illâ fama refert Fabios exisse trecentos,
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet.

Et Liuius 1. Dec. lib. 2 & Festus Pomp. lib. 17.

d *Sceleratus campus.*] Liuius 1. Decad. lib. 8.

e *Fuere autem Bactriani.*] Q. Curt. li. 4. Ptolemæus lib. 6. c. 2.

Tria errata interpretis epistolarum familiarium Ciceronis commodè explanantur.

CAPVT VII.

Ciceronis locus.

TRIBVS erratis lapsum offendimus virum sane eruditum, epistolarum familiarium Ciceronis interpretem nõ infacundũ, cuius scripta vulgo innotuere. [a] Primò illa ad M. Cælium epistola, in qua verba sunt Ciceronis: Oppugnaui quinque & viginti diebus, aggeribus, vineis, turribus, oppidum Pindenissum munitissimum tantis operibus, vt mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi. Quid sibi Cicero vellet his verbis, non satis assequi videbatur: cum nomen oppidi nihil censeret aliud, quám ipsum oppidum, ac si diceret, ad summam mihi gloriam nihil deest, nisi vt oppidum quod oppugnare adortus sum, denique expugnem. Quod tamen longe abesse à vero intellectu apparet. Quid quæso nomen oppidi cum ipso oppido commune habuit? aut quid tam insolens, aut à Ciceronis facundia tantum abesse potuit, quam verba planè exposita, poëtico sensu, & quasi figuris circumscribere, aut coloribus infucare? Quod tamen aliter intelligi oportere ex contextu verborum liquere arbitror. Cum enim ex oppidis vi expugnatis imperatores plerumque nomina ferrent, quippe cũ ex Coriolis [b] M. Coriolanus, & ex Fidenis [c] Sergius, Fidenas, atque ex Creta victa [d] Metellus Creticus dicti sunt: quæ sibi cognomenta in testimonium maximæ & expertæ virtu-

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

a *PRimo illa ad M. Cælium epistola.*] Ea est Epistolarum famil. lib. 2. episto. 9. & totius operis 20. cuius initium est, Tu vide quàm timidè.

b *Martius Coriolanus.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. Plutarchus in vita ipsius Coriolani.

c *Sergius Fidenas.*] Liuius eiusdem 1. Decadis lib. 4.

d *Metellus Creticus.*] Florus libr. 3. Epit. in bello Cretico. Dion in principio suæ historiæ. Sextus Rufus in historia Romanorum cap. 9. Ex quo illud Martialis lib. 1. epig. 2.

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen

Scipio

tis, rerumq; gestarum gloriæ adoptarunt: sic Cicero cum spem haud dubiam potiundi haberet oppidi, nihil deesse ad summam gloriam nisi nomen oppidi, & cognomentum ex Piodenisso asseuerat: videlicet sicut Africani, Numantini, & Crerici illi nomina tulere, sic ex Pindenisso ipse [e] cognomentum ferat. [f] Rursus alia ad eundem Cælium epistola, his vtitur verbis. Mea verò officia ei non defuisse tu es testis, quoniam, vt opinor, comicus accidit Phannia. Quod ille in Terentiano Ph[a]nnia non posse accommodari aiebat, sed alium quen[d]am fuisse Phanniam, de quo sentiret Cicero, qui in notitiam nomenq; non venit. Quæ verba si pensitare quis volet, a[t]que ingenii acie non obtusa [æst]imari, etiam ad Terentianum Phanniam saluo sensu accommodabit. Cum enim Phannia ille Terentianus, Chremetis frater fuerit, & Crito Andrius inopino aduentu opportune introducatur aduenisse: quo significante de Phannia Chremetis fratre & filia Glycerio, in notitiam venit, ipsamq; filiam sibi esse, compertum habuit: pariter Cicero peropportunè comicum Phanniam aduenisse dicit, hoc est, aliquid secreti consilij, quod nondum emerserat prodiisse in lucem, quo sicut in Phannia Terentiano Glycerium Chremetis filia, & Phanniæ neptis apparuit: sic ipsius opera opportunè sit intellectum, Ciceronis officia illi non defuisse, & se de Appio bene meritum significari. [g] Tertio ad eundem Cælium Ciceronis verba sunt: Vror ætatis vitio, velim ita sit: sed tamen togam prætextam texi apio, puto te audisse. Quid verba signarent, haud perspicuè capere visus fuit. Dicebat enim his verbis id notari, quasi meam togam mœrore circundedi, cum apium amarum esse constet, quod animo afflicto & iacenti esset. Id tamen aliter intelligi conuenire, qui sensum eruere volet haud dubiè animaduerterit. Cum enim apiū funeralis herba fuerit, exq; apij corona defunctorum tumulos ornari, atque in ludis funebribus apio coronari victores proditū sit, meritò, inquit, cum tot calamitatibus respub. opprimatur, ob immodicas simultates & ingruentia bella, cum in atrocissimos fluctus reipub. inciderim, ipsiq; cadenti nihil opis offerre valeam: meam, inquit, togam prætextam, quæ magistratum decet, texi apio, hoc est, funere: quasi eò indignationis venerit, vt cum vlterius labentem rempub. ferre nequeat, deq; illius interitu crucietur & solicitus sit, sibi iam in extremo vitæ curriculo mortem proposuerit, quam pro repub. libenter subiturus fuit: quod est dicere, si respub. morietur, se nolle viuere. [h] Sicut Asinius Pollio ad Ciceronem. Nam nec reipub. deesse volo, nec superesse, inquit. Ideo togam prætextam, quæ prætoria & consularis est, apio, hoc est, funere texuerit, quod etiam Græcis est prouerbio vsurpatum, vt in mala valetudine & rebus accisis & deploratis, apio [i] opus esse dicant. Quis intellectus, qui rem assequi volet, ex verborum contextu planè redundare perspiceret.

Alius locus Ciceronis.

Ciceronis locus alius.

Apium funeralis herba.

Paroemia.

ANNOTATIONES.

Scipio quod victor quodq; Metellus habet.

Sed & ita cognominatus est M. Antonius pater Triumuiri, quòd Cretæ mortuus est, vt scribit Plut. in vita Antonij.

e *Cognomentum ferat.*] Ego verò eum locum Ciceronis aliter intelligendum puto, cùm dicit, Vt mihi ad summā gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi: vt scilicet nomen pro fama & celebritate huius oppidi, quod etsi munitissimum esset, & expugnatu difficillimum, vt ipse Cicero dicit ad Atticum lib. 5. epist. 21. tamen ignobile, & veluti ignotum, nullius nominis aut famæ apud scriptores & cæteras gētes esset. Quis enim inter claras vrbes vsquam Pindenissum recensuit? Id autem sine nomine esse dicitur, quod obscurū est, & ignotum, licet nomen habeat. Et sæpe nomen pro fama & dignitate accipitur. Cicero lib. 1. epist. famil. epist. 7. Curasti vt plus additum ad memoriam nominis nostri, quā ademptum de fortuna videretur. Pro Deiotaro, Quantum nomen eius fuerit. Virg. lib. 2. Æneidos,

— Et nos aliquod nomenq; decusq;
Gessimus. —

Vbi Seruius nomen Interpretatur, id est gloriam. Et lib. 9.

— Multam in medio sine nomine plebem.

Vbi & ipse Seruius interpretatur, sine nomine, sine gloria, quorum per humilitatem non sunt nota nomina. & iterum secundo lib.

—— Et sine nomine corpus.

Vbi & ipse Seruius. id est sine agnitione. & lib. 11.

Non tamen indecorem tua te regina relinquet
Extrema iam in morte, neque hoc sine nomine lethum
Per gentes erit, aut famam patieris inulta.

Vbi & Seruius interpretatur sine gloria, sine fama. Et Horatius carminum lib. 3. ode. 9.

Multi Lydia nominis.

Id est magnæ famæ & claræ, vt interpretātur Acron & Porphyron. Et Liu. 1. Decad. lib. 1. non adeò longè à princ. Vtres quoque, vt cætera ex infimo nasci: deinde, quas sua virtus & dij iuuent, magnas opes magnúmque nomen sibi facere. Et iterum, Quod maximum Tatij nomen in his regionibus erat. & 3. Decad. lib. 8. Domus tibi tua pater patruúsque intra 30. dies cum exercitib. cæsi documento sunt, vbi per aliquot annos maximis rebus terra marique gerendis amplissimum nomen apud exteras gentes populi Romani vestræque familiæ fecerant. Quintilianus lib. 12. c. 6. Vsus est hac ratione M. Tullius, & cùm iam clarum meruisset inter patronos, qui tunc erant, nomen, in Asiam nauigauit. Hanc autem interpretationem meam adiuuat & alia eiusdem ad Atticum illa li. 5. epistol. 20. de eadem re loquentis, Saturnalibus manè se mihi Pindenissæ dediderunt septimo & quinquagesimo die, postquam oppugnare eos cœpimus. Qui, malum, isti Pindenissæ? qui sunt? inquies. Nomen audiui nunquam.

f *Rursus alia.*] Ea est eiusdem lib. 12. & totius voluminis 23. cuius hæc verba sunt, Mea verò officia ei non defuisse tu es testis, quoniam κωμικὸς μάρτυς (vt opinor) accidit Phanias. Sed animaduertendum est in omnibus codicibus Ciceronis Phania, vt iam ex eo diximus, scriptum esse. Apud Terentium autem Phannia recognoscendæ Glycerij testis aduenit in Andria. Aliò tamen trahit verba Ciceronis Rhodiginus lib. 6. c. 17.

g *Tertio ad eundem.*] Hæc est epistola eiusdem lib. 2. c. 14. & totius vol. 26. cuius initiū est, Magno dolor &c. Sed vereor ne Alexander nactus sit exemplar corruptum. Nam & in codicibus Aldi & plerisq; omnibus non Appio, sed Oppio priore litera maiuscula, legitur, tanquàm id proprium nomen sit cuiuspiam, cui Cicero ipse texebat togam prætextam, id est præparabat gradum ad magistratum quempiam, cui ius togæ prætextæ esset. Super eo quod de apio hic dicit, vide Plinium lib. 20. c. 11. Plutarc. in Timoleone, & quæ dicentur infrà lib. 5. cap. 8. & cap. 21.

h *Sicut Asinius Pollio ad Ciceronem.*] Libr. episto. famil. 10. epist. 33. eiusdem libri, omnium autem 221. ad fi.

i *Apio opus esse dicant.*] Plutarch. in Timoleone & in Symposiacis.

Quot Romæ pontifices, quódve officium, & quæ fuerint insignia, quibusq; legibus maximus pontifex astrictus erat, & quid apud exteros. CAPVT VIII.

Pontificij collegij numerus diuersus. Pont. max.

NON sordidum neque obscurum apud veteres olim nomen pontificum fuisse traditur. Nam quum inter sacerdotia à Numa instituta, [a] ipse se pontificem in primis: vt verò alij [b] Marcium M. filium ex patribus legisset, [c] posteà interiectis temporibus, collegium pontificum ad quatuor, mox à tribunis plebis rogatione promulgata, ad octo auctum fuit: mansitque hic numerus longo æuo inuiolatus, [d] donec Sylla ad quindecim collegium ampliauit. Inter quos [e] maximus pontifex genere & dignitate præcipuus erat, & aliorum longè princeps. [f] Horum igitur fuit, religiones & ceremonias publicas priuatásque, sacra & res diuinas sanctissime tueri & interpretari, illáque omnia exscripta signatáque habere, vt quibus aris, quibus diis, quibusque hostiis, quibus diebus, & ad quæ templa sacra fierent, perspectum haberent, nequi Romana sacra negligerent, peregrinósque ritus adsciscerent, aut deorum cæremonias turbarent. Ad quos tam de cœlestium deorum sacrificiis, quàm de funeribus iustisque exhibendis, placandisque Manibus, ac supernis infernisq; diis, de sepulchris & votis ritè exoluendis, de feriis, de religione, pietate, sanctitate, cæremoniis deorum, déque fide & iureiurando, sacrificiisq; solennibus, plebs quoties videbatur, tanquam ad antistitem deorum immortalium, cæremoniarum & sacrorum, consultum ibat. Ipséque Maximus pontifex precationes supplicationésque deorum, cum [g] pontificali carmine præire, [h] comitia habere, [i] diésque feriatos indicere, [k] quo quisque deus ritu, quóve die colatur, [l] quibúsque precibus aduocetur, & quid quaque die operis fieri, vel non fieri publicis feriis conueniret, docebat. [m] Eumdémque pontificem maximum singulorum annorum res gestas & memoratu dignas, diurnis actis mandare literis, illásque non solum monumentis tradere, sed in albo proponere & referre, vt populo exscribendi potestas fieret, solitum esse traditum est. [n] Quod album non apud pontifices mo-

Pontificum munus.

Pontificis maximi munus.

Album

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

a *IPse se pontificem.*] De quo videndi Halicarnassæus libr. 2. & Plutarch. in Numa.

b *Vt verò alij.*] Scilicet Liuius 1. Decad. lib. 1. & Plutarch. in Numa.

c *Posteà interiectis temporibus.*] Liuius 1. Decad. lib. 10.

d *Donec Sylla.*] Vide Appianum & Plutarch. Plinius secundus, si is est, de Viris illustribus, c. 75 scribit illum numerum sacerdotum auxisse.

e *Maximus Pontifex.*] Festus Pompeius lib. 11. Maximus, inquit, pontifex, quòd maximus rerum, quæ ad sacra pertinent, iudex sit. Valerius Maximus lib. 1. c. 1. in princ.

f *Horum igitur fuit.*] Dionysius Halic. lib. 2. Liu. 1. Decad. lib. 1. Porrò Cicero ad Atticum lib. 4. episto. 2. scribit Pontifices esse religionis iudices.

g *Pontificali carmine.*] Ex quo quidem Seruius ad 2. Æneidos ibi,

Quisquis es amissos hinc iam obliuiscere Graios,

inquit, &

Vigilasne Deûm gens. —

Verba sunt, quibus Pontifex Maximus vtitur in puluinaribus: quia variam scientiam suo inserit carmini.

h *Comitia habere.*] Liuius 3. Decad. lib. 5. Comitia Pontifici Maximo creando nouus Pontifex M. Cornelius Cethegus habuit. Ex quo etiam intelligis non solùm Pontificem Maximum, sed & alium comitia habere, si quando Pont. Maximus creandus esset. Gellius autem lib. 5. cap. 19. scribit, Comitia arbitris Pontificibus præberi solita, quæ Curiata appellantur, quod & nos alibi diximus.

i *Diesq; feriatos indicere.*] Intellige de conceptis, qui à Pôtifice, vel ex eius permissu à sacerdotibus, in dies certos, vel etiam incertos quotannis concipiebantur. Feriæ nâque statiuæ vniuerso populo communes, certis & constitutis diebus ac mensibus: & in fastis, statis obseruationibus annotatæ fuere, vt Macrobius ait lib. 1. Satur. c. 16. Idem & imperatiuæ à Consulibus vel Prætoribus pro arbitrio potestatis indicebantur. Vnde est quod legimus Dictatorem feriarum constituendarum causa creatum, Liuius 1. Decad. lib. 7.

k *Quo quisque Deus ritu.*] Ex Liuio 4. Decad. lib. 1.

l *Quibusq; precibus aduocetur.*] Ex eodem.

m *Eundemq; pontificem.*] Cicer. li. 2. de Oratore. Erat, inquit, historia nihil aliud, quàm annalium cōfectio, cuius rei memoriæque publicæ retinendæ causa ab initio rerum Romanarum vsque ad P. Mutium Pontificem Maximum res omnes singulorum annorum literis mandabat Pont. Max. efferebátque in album, & proponebat tabulam domi, potestas vt esset populo cognoscendi, ij etiam inter annales maximi nominantur. Et lib. de Legibus 1. loquitur de Annalibus Pontificum maximorum. Liuius autem 1. Decad. lib. 1. Ancus, inquit, Martius longè antiquissimum ratus sacra publica, vt à Numa instituta erant, facere: omnia ea ex commentariis Regis Pontificem Max. in album relata, proponere in publico iubet. Et lib. 6. in princ. Tum quòd perraræ per eadem tempora literæ fuere, vna custodia fidelis memoriæ rerum gestarum: & quòd etiam si quæ in commentariis Pôtificum, aliisq; publicis priuatisque erant monumentis, incensa vrbe pleræque interiere. Macrobius lib. 3. Satur. c. 2. in fi. Pontificem, ait, Æneam vel ex nomine referendorum laborum eius ostendit. Pontificibus enim permissa est potestas memoriam rerum gestarum in tabulas conferendi, & hos annales appellant equidem maximos, quasi à Pontificibus Maximis factos. Vnde ex persona Æneæ ait,

Et vacet annales nostrorum audire laborum.

Qui quidem locus est lib. 1. Æn. vbi vide Seruium.

n *Quod album.*] Album in hac significatione, scilicet, pro tabula albo inducta colore, Græci λεύκωμα appellant, apud Demosthenem κατὰ τιμοκράτ. citantem verba Solonis: ὃ δ' ἄν τις τὸ κοινὸν νόμον ἀναγράψας εἰς λεύκωμα, ἐκτιθέτω πρόσθε τῶν ἐπωνύμων ἑκάστης ἡμέρας αὐτ' ἐν πυξίῳ, in tabula quod & repetit noster Budæus in commentariis linguæ Græcæ. Sed id videtur esse quod pittacium appellat Ælius Lampridius in Alexandro Seuero. Quanquam aliud significat pittacium apud Cornelium Celsum lib. 3. c. 10. scilicet pro panno illito quopiam medicamento qui præcordiis, vel capiti dolenti imponi solet ad dolorem mitigandum. Et aliud quoque in decretis canonicis in cap. pittacium. 16. q. 2. pro libello scilicet, seu charta epistolari. Sed (vt redeamus) id nostrum album vulgus matriculam appellare solet, qua dictione etiam vsi sunt Vegetius & Ammianus Marcellinus. Fuisse autem album pontificium videre est apud Liuium 1. Decad. lib. 1. in Anco Martio post princ. Cauendum autem ne quis idem album apud magistratus omnes hîc annumerato, Alexandrum sensisse putet: fuit enim alia eius & vera cogitatio, scriptum scilicet omnium horum ex forte officij diuersum fuisse.

o Sed

do, [o] sed penes senatores, [p] iudices, [q] prætores, [r] decuriones, ac [s] citharœdos, [t] & centurias fuisse constat. [u] Denique apud Cæsares & omnes magistratus qui coercitionem habebant, album fuisse apparet: in quo singula constituta, decreta, & mandata publicè edita proponebantur. Quare [x] Alexandrum Seuerum imperatorem, illorum quibus magistratus delegebat, nomina in albo proponere accepimus, vt vitia virtutésque innotescerent: & quo quisque honore dignus fo.et, populi iudicio exploraret. [y] Ac non solum reipub. sacra cæremoniásque curare, sed de rebus quæ ad religionem pertinent, iudicia ferre: [z] contumaciæque minorum magistratuum vindex esse, sacrificantes obseruare, [a] piaculáque iræ deûm conquirere, ne secus quàm præscriptum esset, sacra fierent, néve incerta auspicia, aut turbatæ religiones aduersus mores institutáque maiorum obseruarentur. Vtque super impetrandà venia, venerandisque diis iusta solennia exhiberentur, cauere debebat. [b] Tum religionis arcana, & diuinas traditiones cognoscere, & si quid religioni minus verè adscriptum esset, religione liberare, aut numinibus obligare: de [c] Vestalium capite decernere, & ferre sententiam, quæ sacra quæve prophana essent, diiudicare, [d] néve quis praua religione populum alligaret, maximi pontificis officium & munus erat. [e] In quo fuit obseruatum, vt nunquam infausta die & ominosa collegium consu'at, quò dirum foret, & auspicij mali. [f] Quare Vitellio principi, quòd pontificatum maximum adeptus, decimoquinto calendas Augusti, die cladibus insigni, collegium consuluerat magno exitio fuit. [g] Tum si pons sublicius collaberetur, illum reficere, vnde illis nomen factum. Is enim ligneus erat, & [h] nullo ære aut ferro compactus: quem sacrum illi æstimarunt: ita vt in aliqua parte labentem, nisi cæsa victima & sacrificio perfecto, reficere non liceret: diuque Romæ lignei pontes fuere, donec post interualla temporum [i] ab Æmylio quæstore lapideus constructus fuit. [k] Vota etiam solennia quibus verbis concipi, quibusq; pecunijs exolui deberent, pontificum decretis cauebatur, illotúmque arbitratu vel exoluebantur, aut non ritè emissa denuo concipiebantur. [l] Quòd si quis sui iuris arrogandus foret, quæ causa adoptionis, quæ ratio generis, quæ dignitas, quæve essent

Pontifices vnde dicti.

ANNOTATIONES.

o *Sed penes Senatores.*] Corn. Tacitus lib. 4. Apidium Merulam quòd in acta diui Augusti non iurauerat, albo senatorio erasit.

p *Iudices.*] Suetonius in Claudio c. 16. Splendidum virum Græciæque prouinciæ principem, verùm Latini sermonis ignarum, non modò albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Et in Domitiano c. 8. Equitem Rom. ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimissæ adulterij crimen intenderat, erasit iudicum albo. De albo loquitur, quo scilicet nomina iudicum scribebantur: nō de eo, quod iudices ipsi proponebant. At de hoc Vlpianus in l. si quis id quod. ff. de iurisd. omnium iud. Magis tamen placebit ei, qui Vlpiani scriptum ad edictum prætoris expendet dictam legem, si quis id quod. & simil. de Prætoris albo intelligit, de quo Theophilus §. pœnales Institut. de actio. Vnde consequitur non probari iudices album proposuisse, in quo Alexandri diligentiam perspicacem, & legentium iudicium desidero.

q *Prætores.*] Idem Vlpianus in l. 1. ff. de edend. & d. l. si quis id quod. & alibi sæpe.

r *Decuriones.*] Idem Vlpianus in l. 1. ff. de albo scrib. & Symmachus li. 1. Epistolarum ad Theodosium Augustum. Sed cùm Venerem Stratonis illicitam, vsurpatámque militiam Marcellus argueret, quòd Decurionum ascriptus albo, vt gesta docuerunt, aduersum leges & Palatina castra transisset, &c.

s *Ac citharœdos.*] Suetonius in Nerone cap. 21. Sine mora nomen suum in albo profitentium citharœdorum iussit ascribi.

t *Et centurias.*] Vide num legendum & Decurias ex Suetonio in Tyberio cap. 51. Instanti sæpius vt ciuitate donatum in decurias allegeret, negauit alia se conditione allecturum, quàm si pateretur adscribi albo, extortum sibi id à matre. Et de huiusmodi albo accipiendi sunt loca eiusdem Suetonij, in Claudio cap. 16, & in Domitian. cap. 8. Dicuntur autem iudicum decuriæ ab eodem Sueton. in Augusto cap. 32.

u *Denique apud Cæsares.*] Vt constat ex sequentibus exemplis.

x *Alexandrum Seuerum.*] Ælius Lampridius in vita illius.

y *Ac non solùm.*] Ad pontifices redit, idque est Festi Pompeij lib. 11.

z *Contumaciæq.*] Idem ibi.

a *Piaculaq.*] Locris expilatis, scribit Liuius Dec. 3. lib. 9. petitum vt prius ad collegium pontificum referretur, quòd sacri thesauri moti &c. essent, quæ piacula, quibus diis, quibus hostiis fieri placeret. Tacitus lib. 12. Addidit Claudius sacra ex legibus Tulli Regis, piaculáque ad lucum Dianæ per pontifices danda.

b *Tum religionis arcana.*] De quibus consulti sæpe relata causa à Senatu ad Pontifices responderent quid fieri placeret, vt multis refert Macrobius libr. 1. Saturnal. cap. 16. vel aliis 18.

c *De Vestalium capite.*] Quod hinc satis patet quod scribit Liuius 1. Decadis libr. 4. Posthumia virgo Vestalis de incestu causam dixit crimine innoxia. Ampliatam, deinde absolutam pro collegij sententia Pontifex Maximus abstinere iocis, colique sanctè potius quam scitè iussit.

d *Néve quis praua religione.*] Ea vos religione innumerabilia decreta Pontificum liberant, vt ait Liuius in oratione Consulis, Decad. 4. lib. 9.

e *In quo fuit obseruatum.*] Vt patet ex seq. exemplo.

f *Quare Vitellio principi.*] Cornel. Tacitus libr. 18. Apud ciuitatem cuncta interpretantem, funesti ominis loco acceptum est, quòd Maximum Pontificatum adeptus Vitellius, de cæremoniis publicis 15. Calend. Augusti edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus. Adeò omnis humani diuinique iuris expers, pari libertorum amicorúmque socordia, velut inter turbulentos agebat.

g *Tum si pons sublicius.*] Varro lib. 1. de ling. Latina. de quo vide Plut. in Numa.

h *Nullo ære aut ferro compactus.*] Dionys. Halicar. lib. 3. & 5. & Plin. lib. 36. cap. 11.

i *Ab Æmylio Quæstore.*] Marlianus in Topographia veteris Romæ.

k *Vota etiam solemnia.*] Vt apud Liuium Decad. 1. libr. 4. Dictator, præeunte A. Cornelio, Pontifice Maximo, ludos magnos tumultus causa vouit. & idem Decad. 4. libr. 6. initio. Votum, præeunte P. Licinio, Pontifice Maximo, Consul nuncupauit. De quo amplius vide infrà libr. 3. cap. 22.

l *Quòd si quis.*] Gellius libr. 5. cap. 19. & Tacitus vbi mox citabo.

Lex Curiata. — *Cósul & censor poterant & simul esse pontifices.* — *Culmen honoris pontificy.*

ſacra, apud pontifices lege quærebatur, quæ [m] lex Curiata dicta eſt. [n] Idq́ue ideo cautum, ne qua calumnia, ſeu quis dolus compoſitus in arrogando ſui iuris homine adhiberetur: ita vt adoptiones contra ius pontificum factæ, aut ſine collegij decreto, nullæ & pro irritis forent. Et quamuis proprium ſacerdotis eſſet, nec imperia, nec [o] magiſtratus gerere, nec [p] equo vehi, aut [q] trinoctio ab vrbe abeſſe: poterat tamen [r] idem conſul vel [s] cenſor eſſe & pontifex, pariter religioni & reipub. præeſſe ab vrbe trinoctio abeſſe, equo vehi, vel pedibus ire. [t] Craſſus Licinius pontificatum maximum & conſulatum, mox cenſuram [u] præturamque ſimul geſſiſſe, [x] & Liuius pontifex pro prætore ordinibus præfuiſſe traditur. [y] Ipſum tamen qui ſimul conſul foret & pontifex, ne reipub. aut ſacrorum deſeratur cura, néve longius ablegaretur, extra Italiam ſortiri prouinciam non decebat ex ſenatus decreto, [z] poſtquam idem Craſſus prætor & pontifex cui belli ſumma commiſſa erat, quod nunquam antea factum, ſortitus Aſiam, ab Ariſtonico Attali fratre prælio victus occubuit, donec poſt interualla temporum, extra Italiam ſortiri prouincias cœpere. In tantúmque honoris culmen pontificatus, & eò excellentiæ creuit, vt [a] Cn. Cornelio prætori, quòd Marco Æmylio Lepido pontifici maximo conuicium feciſſet, mulcta dicta fuerit, [b] ipſumque regiæ dignitati proximum crederent. [c] Nam & lictor apparebat, & [d] curuli regia ſella, ac lectica inſignis erat, quam ante veſtibulum conſpicuam habere aſſuérat, [e] ad cuius fores pro ſplendore dignitatis, viridis laurus affixa videbatur. [f] Cumque cæteri honoribus functi, rationem adminiſtrati muneris reddere cogerentur, pontifex tamen maximus pro maieſtate geſti honoris rationem dare minimè cogi poterat, ipſique pro imperio & poteſtate, quoque plus dignitatis ferret, [g] cũ galero eſſe, & [h] carpento, vt reliquis ſacerdotibus, ingredi licebat. [i] Quippe

ANNOTATIONES.

m *Lex Curiata dicta eſt.*] Tacit. li. 17. in oratione Galbæ pro adoptione Piſonis. Igitur, inquit, Galba apprehenſa Piſonis manu, in hunc modum locutus fertur, Si te priuatus lege Curiata apud Pontifices, vt moris eſt, adoptarem &c. Et vide Appianum lib. 3. Bello. ciuil. Eò quoque illud Suet. Auguſt. 65. Nepotem Agrippam & priuignum Tyberium adoptauit in foro lege Curiata.

n *Idq́, ideo cautum.*] Gellius vbi nuper citauimus.

o *Nec magiſtratusgerere.*] Plutarch. Problem. cap. 113.

p *Nec equo vehi.*] Idem eiuſdem operis c. 39. Gellius lib. 10. c. 15. Feſtus Pomp. lib. 5.

q *Aut trinoctio.*] Plutarch. d. c. 39. Problem.

r *Idem conſul.*] Paulus Oroſius li. 5. cap. 10. in princip. P. Licinius Craſſus conſul, & Pontifex Maximus, aduerſus Ariſtonicum, Attali fratrem, qui traditam per teſtamentum Romanis Aſiam peruaſerat, cum inſtructiſſimo miſſus exercitu. Florus Epitome Liuij lib. 59. Aduerſus Ariſtonicum P. Licinius Craſſus, Conſul, cùm idem Pontifex Max. eſſet, quod nunquam anteà factum erat, extra Italiam profectus prælio victus & interemptus eſt. Quanquam Liuius 3. Decad. lib. 8. alterius meminit P. Licinij Craſſi, neque eundem eſſe tempora patiuntur, qui & ipſe Pontifex Maximus & Conſul cum P. Scipione fuit: niſi dicas id quod nunquam anteà factum erat) referri non ad præcedentia, ſed ad ſequentia, ſcilicet extra Italiam &c. Sed & M. Marcellus Cóſul & Pontifex Max. fuit apud eundem Liuium 4. Decadis lib. 3.

s *Vel Cenſor eſſe.*] Sic prior ille P. Licinius Craſſus Cenſor ſimul & Pont. Max. fuit apud Liuium 3. Decad. lib. 7. & M. Æmylius Lepidus apud eundem 4. Decad. lib. 10. & Q. Fuluius Flaccus 5. Decad. lib. 2. Imò verò Cn. Domitius ſimul Conſul & Cenſor & Pontif. Maximus fuit ex Valerio Maximo lib. 6. c. 5.

t *Craſſus Licinius.*] De quo diximus in præceden. in verbo, Idem Conſul.

u *Præturamq́,.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. Poſtero, inquit, die Prætores creati P. Licinius Craſſus diues Pont. Maximus Quinetiam idem Pont. Maximus & Magiſter equitum fuit, vt idem tradit eodem lib. Sed & T. Sempronius Tuditanus Prætor in Hiſpania fuit. eod. lib. 7.

x *Et Liuius Pontifex.*] M. Liuius Denter hic eſt de quo Liuius 1. Deca. lib. 10. inquit, ea parte altera Pontifex Liuius, cui lictores Decius tradiderat, iuſſeráque Proprætorem eſſe &c. Aduertendum tamen hunc non maximum, ſed minorem Pontificem fuiſſe, qui religionis cauſa Conſulem comitabatur, vt Maximus Valerius fuit P. Decio patri à quo Pontifex publicus populi Romani vocatur apud eundem Liuium Decad. 1. lib. 8. Diſcrimen autem inter minorem & maximum Pontificem nemo eſt qui neſciat, & in ſequentibus apparebit.

y *Ipſum tamen.*] Liu. 3. Decad. lib. 8. Quartodecimo, inquit, anno belli Punici P. Corn. Scipio & P. Licinius Craſſus Pont. Maximus Conſulatum inierunt, nominatæ Conſulibus Prouinciæ ſunt Sicilia Scipioni extra ſortem concedéte collega, quia cura ſacrorum Pontificem Maximum in Italia retinebat. Et iterum poſteà in oratione Scipionis, Hoc vide ne contumelioſum ſit, concuſſo iam & penè fracto Annibale, negere poſſe P. Licinium Conſulem virum fortiſſimũ præſtate, qui ne à ſacris abſit Pontifex Max. ideo in ſortem tanquam longinquæ prouinciæ non venit.

z *Poſtquam idem Craſſus.*] Hic tum Prætor non erat, vt Alexander hîc dicit, ſed Conſul, vt diximus ſuprà ex Floro in verbo, Idem Conſul.

a *Cn. Cornelio Pretori.*] Emenda hunc locum ex L. Floro Epit. Liuij lib. 47. in princ. cuius hæc verba ſunt, Cn. Tremellio Trib. Pleb. mulcta dicta eſt, quòd cum M. Æmylio Lepido Pontifice Maximo iniurioſé contenderat.

b *Ipſúmque regia dignitati.*] Plutarchus Problem. capitul. 113.

c *Nam & lictor apparebat.*] Plutarch. ibi.

d *Et curuli regia ſella.*] In eodem loco Curulis autem regia dicitur: quia Hetruſcorum exemplo illa Romulus vſus eſt, teſte Liuio Decad. 1. lib. 1. Vix autem fuit vt Max Pontifex crearetur, qui ſella curuli non ſediſſet, licet illud non ſemper obſeruatum fuerit. de quo idem Liuius Decad. 3. libr. 5. Quod verò de lectica hîc ait, illud ſcitum eſt, Conſulares omnes, nobiliores viros & mulieres lectica olim vſos fuiſſe, teſte Dione lib. 60.

e *Ad cuius fores*] Plin. lib. 15. c. 30. in princ. Laurus, inquit, triumphis propriè dicitur, vel gratiſſima domibus ianitrix Cæſarũ Pontificũmque: quæ ſola & domos exornat, & ante limina excubat.

f *Cumq́, cæteri homines.*] Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 2.

g *Cum galero eſſe.*] Vide infrà ad verbum, quippe Pontifici.

h *Et Carpento.*] Cor. Tacitus lib. 12. Sacerdotibus & ſacris Druidibus carpento Capitolium ingredi conceſſum ſcribit. Deinde lecticæ vſum Romanos Pontifices poſteriores vſurpaſſe à ſeculis iam multis innotuit, cùm vehiculo & ſella curuli ab imperatoribus conceſſis poſt Conſtantium ex aliis ſcribat Beatus Rhenanus ad Tertul. 1. ad vxorem.

i *Quippe pontifici.*] Hæc omnia de galero, lituo, paludamento, & diademate ſunt Apul. apol. 1. & ſingillatim aliorum, quos ſtatim citabimus.

k *Lituus*

pontifici proprium insigne erat galerus, sicut [k] lituus auguribus, [l] paludamentum imperatoribus, diadema regibus. [m] Et cum in Capitolium nulli fas foret carpento vehi, solis pontificibus sacerdotibusque Tarpeium ascendere carpento licuit. [n] Ad eúmque siqui noxij confugissent, ea die à pœna immunes erant. [o] Ideo non vulgares, neque obscuros, sed qui nobilitate generis & multo splendore illustres forent, quique authoritate & [p] opibus anteirent cæteris, ad pontificatum admisere. [q] Diuque Romæ pontifex qui antea curuli sella non sedisset, nemo creatus fuit: donec lapsis temporibus, etiam qui nullos curules gesserant magistratus, ad pontificatúm admisere. Primus enim [r] T. Coruncanus ex plebe homo pontificatum maximum meruit, quo tempore M. Atilius Regulus primo Punico bello graui supplicio excruciatus, pœnas dedit. Et deinde M. Drusus, quod antea contigit nulli, tribunus plebis simul & pontifex creari meruit. [s] posteà ex plebe & patribus nullo delectu aut discrimine admitti cœpere. [t] Cúmque ad collegium pontificum pertineret, in demortui locum alium cooptare, Cn. tamen Domitius Trib. pleb. offensus collegio, quòd se in numero pontificum non cooptasset, ius subrogandorum pontificum sacerdotúmque à collegiis ad populum transtulisse fertur. Ipseque pontifex maximus primus populi suffragio, aliique deinceps creari cœpere. [u] Sunt verò qui credant, Licinium Crassum de cooptatione collegarum ad populi beneficium transferenda, legem tulisse primum. [x] Inde comitia à populo pontificibus creandis sæpe indicta fuere. Id tamen in admittendo pontifice sedulo cauebatur, ne eligerent, qui cuiquam ex collegio inimicus foret: [y] hique per collegium admissi, capi dicebantur. [z] Atque licet vetus fuerit constitutum, in demortui pontificis locum alium nominari, si tamen exacto anno pontifex mortem obiisset, in eius locum alterius nominatio non erat, licet alter sufficì cooptarique oporteret. Tunc enim pontificis nominationem fieri necesse putarunt, quum nondum exacto anno mortem obiisse constaret, postea verò non licebat. In locum enim T. Octacilij Crassi pontificis maximi, quia exacto anno mortuus fuerat, alterius nominatio non fuit. Tametsi in locum viuentis pontificis alium substitutum legamus. [a] Claudius verò Cæsar tanti sacerdotium fecit, vt in cooptandis sacerdotibus neminem nisi iuratus nominaret. Est tamen memoriæ proditum, vt si quid ad religionem pertinens inter pontifices discreparet variatis sententiis, vbi aliud alij sentiunt, id satis fuisse crederent, stabilique sententia esse ratum, quòd tres pontifices communi decréto statuissent. [b] Et licet à collationibus multi ferant sacerdotes immunes, sunt tamen exempla, pontifices & sacerdotes, pecuniam per bellum conferri solitam in stipendium contulisse, illámque quæstores sæpe exegisse, frustráque pontifices tribunos appellasse, quum

Pontificis insigne. Qui pontifices creabantur initio. Cautio in admittendo pontifice. Pontificis nominatio quando fiebat. Substitutus pontifex in locũ viuentis. Sacerdotij æstimatio. Decretum trium pontificum. Pontifices & sacerdotes collationibus pecuniariis contribuebant.

ANNOTATIONES.

k *Lituus auguribus.*] Cicero lib. 1. de diuinatione, Plutarch. in Romulo, Gellius lib. 5. c. 8. Macrobius lib. 6. Saturn. c. 8. Seruius enarrans illud Æn. lib. 7.

Ipse Quirinali lituo. ——

l *Paludamentum imperatoribus.*] Varro lib. 6. ling. Lat. Corn. Tacitus lib. 18. vbi de Vitellio. Plutar. in Crasso. Sed & aliis quoque, vt Consulibus, ex Liuio 3. Decad. lib. 1. ad fin. & 5. Decad. libr. 2. vbi de P. Licinio Coss. Et Prætoribus ex Valerio Max. lib. 5. c. 6. vbi de Genutio Cippo. & vide infrà lib. 3. c. item 3. & lib. 5. c. 18.

m *Et cùm in Capitolium.*] Cornelius Tacitus lib. 12.

n *Ad cumq́; si qui noxij.*] Plutarch. Problem. cap. 112.

o *Ideo non vulgares.*] Dionys. Halicarn. lib. 1. & Plutarchus Problem. cap. 113. Ad hæc vide quæ scripsimus in nostris commentariis de Nobilitate cap. 20. num. 10. incip. neque solùm. & multis sequentibus.

p *Et opibus anteirent cæteris.*] Ibidem. c. 3. num. 19. incip. iam & hæc. & multis seq.

q *Diuq́; Romæ.*] Liuius 3. Decad. libr. 5. vbi de pontificatu Liuij Crassi.

r *T. Coruncanus.*] Lucius Florus Epito. Liuij 18.

s *Postea ex plebe.*] Liuius 2. Decad. lib. 10. Sed & Curio Maximus primus è plebe creatus est C. Manilius Atteius, cum primum id Patricij negassent debere fieri, de qua re Trib. pleb. appellari ad Senatum reiecerunt, qui eius rei populo potestatem fecit, apud Liuium 3. Decad. lib. 7.

t *Cumq́; ad collegium Pontificum.*] Cicero in 2. oratione de L. Agraria. & de Amicitia. Dionysius Halicarnassæus libr. 2. Paterculus lib. 2. Sueton. in Nerone cap. 2. cuius hæc verba sunt, Cn. Domitius in Tribunatu Pontificibus offensior, quòd alium quàm se in patris sui locum cooptassent, ius sacerdotũ subrogandorum à collegiis ad populum transtulit.

u *Sunt verò qui credant, Licinium Crassum.*] Cicer. in lib. de Amicit. Quàm popularis lex de sacerdotiis C. Licinij Crassi videbatur. Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur.

x *Inde comitia.*] Comitia Pont. Maximo creando nouus Pontifex M. Corn. Cethegus habuit, inquit Liuius Decad. 3. lib. 5. & alibi similiter.

y *Hiq́; per collegium admissi.*] Gellius lib. 1. cap. 12. Sed Flamines quoque Diales, item Pontifices & Augures capi dicebantur. citátque L. Syllam lib. 2. rerum gestarum ita scripsisse, P. Cornelius cui primum cognomen Syllæ impositum est, Flamen Dialis captus. citátque item M. Catonem, vnde illic videre poteris. Quibus addes Liuium de Flaminibus quoque loquentem, 3. Decad. libr. 7. vbi scribit C. Flaccum Flaminem à P. Licinio Pontifice Maximo captum fuisse. Seruius autem enarrans illum locum libr. 7. Æneidos,

— *Optato conduntur Tybridis alueo.*

Sunt (ait) propria verba, quæ nulla ratione mutantur vt sacerdotes creari, virgines capi dicuntur.

z *Atque licet.*] Hæc omnia vsque ad eam clausulam: Claudius verò Cæsar, sunt Liuij 3. Decad. lib. 6. cuius inter cætera hæc verba sunt, T. Octacilius Crassus Pontifex, quia exacto anno mortuus erat, ideo nominatio in locum eius non facta.

a *Claudius verò Cæsar.*] Sueton. in vita illius cap. 22.

b *Et licet à collationibus.*] Liuius 4. Decad. lib. 3. Magnum, inquit, certamen cum omnibus sacerdotibus eo anno fuit. Quæstoribus vrbanis pecunia opus erat, quòd vltimam pensionem pecuniæ, in bellum collatæ, persoluere placuerat priuatis. Quæstores ab auguribus, Pontificibus, quòd stipendium per bellum non contulissent, petebant: ab sacerdotibus Tribuni nequicquam appellari, omniúmque annorum per quos non dederant, exactum est. Cæterùm Plutar. in Camillo tradit, apud Romanos lege cautum fuisse, vt sacerdotes immunes essent à militia, nisi vrgeret tumultus Gallicus. Dionysius Halicarnassæus lib. 2. testatur sacerdotes militaribus officiis soluisse, atque ciuilibus molestiis. Diod. autem Siculus lib. 2. cap. 3. scribit apud Ægyptios sacerdotes omnes immunes fuisse. Denique Arrianus libr. 8.

se ob sacerdotium immunes dicerent. Sed præter hos qui collegio cooptabantur, fuere [c] pontifices minores. Nam scribæ pontificum, qui fastos & commentarios habebant, fidelem custodiam rerum gestarum, [d] qui aonales maximi dicebantur, quique illis ministri aderant, quòd omnis æui gesta mandabant literis, [e] minores pontifices dicti sunt: à quibus in curia [f] Calabra Iunoni singulis calendis sacra fiunt: [g] nouámque lunam obseruare, & [h] quot dies à calend. ad Nonas superessent, referre solent, vt populo causas feriarum à rege sacrorum recipiendi facultas foret. Ad quorum collegium etiam [i] interpretandi iuris, & an posset lege agi, quæque competeret actio in iudiciis, declarandi ius spectanit & pertinuit. Quippe ius ciuile inter sacra cæremoniásque multa secula abditum, solis pootificibus patebat. Ex his quoque minoribus distinctio gradus fiebat, [k] Nam qui primus collegio ascitus erat, maximus: qoi verò vltimus, minimus dicebatur pontifex. Illud quoque verum est, solos pontifices nouo more coniugalem copulam [l] sacto confatrationis iure inire solitos. Quippe qnum matrimonia apud maiores tribus modis fierent, vsu coemptione, & confarratione, confarrationem solis pontificibus dederunt, quum aliismodis per cæteros contrahantur. Animaduersum quoque est, pontificis vxorem, singularis exempli & magni documenti esse oportere, vt sicut ab omni noxa & libidine ipse mundus erat, ita vxor casta & innocens maneat. Quódque pontifici maximo [m] cadauer videre nefas fuit, ne quid triste aut lugubre oculis acciperet, multo magis si hominem insepultum reliquisset. Si tamen in occursum cadaueris imprudeos incidisset, interposito velamento, ne visum offenderet, saluis cæremoniis prodire poterat. [n] Cui etiam per liberos iurare non licebat, per deos aotem permissum fuit. [o] Quodque ex octo pontificibus pontifex maximus reliquis præest & propè dominatur, cui rex sacrorum, augures, & omnes flamines, ac Vestales virgines parent, quibus mulctam indicere, & pœnam irrogare poteras. Cuius arbitratu publica & priuata sacra gerebantur, [p] Vestalesque virgines ad sacri & æterni ignis custodiam, qui in penetralibus Vestæ colebatur, eligebantur, ipsiusq; curæ custodiæq; mandabantur. [q] Atque ex decreto pontificum enuntiara prodigia sæpius procurata fuere, [r] licet augurum proprium munus foret. [s] Nanque augures auspiciis, pontifices verò sactis præfuere. [t] Cum enim C. Seruilius pontifex maximus L. Cornelium Dolabellā ioaugurare vellet, nec se magistratu abdicaret, & propterea comitiis indictis illum populi iussu cogeret, quia fœda tempestate comitia turbata fuere, religio fuit ex illo pontificibus inaugurandi, in-

Pontifi. ces mino. res.
Pontifici minorū munus.
Ponti. fex minimus.
Pontifi. cis uxor casta & innocens.
Qua pontifici videre nefas.
Pontificum iuramentū.
Pont. max quibus præerat.
Per pontificem nunciata prodigia.

ANNOTATIONES.

de gestis Alexandri prodidit apud Indos Sophistas (hi etenim sacerdotes erant quibus sacrarum cura erat) nullis corporis muneribus fungi viuendi gratia, neque aliquid in publicum conferre, neque alij cuiquam negotio aut operi præterquam deorum sacris pro rebus publicis intendere.

c *Pontifices minores.*] Iulius Capitolinus in Macrino citra medium. Primum, inquit, in patricios allegit nouum hominem, & qui paulò antè procurator priuatæ rei fuisset. Eundem, cùm scriba Pontificum esset, quos hodie Pontifices minores vocant, Pontificem Maximum appellauit.

d *Qui annales maximi dicebantur.*] Vide Macrobium libr. 3. Satur. in fin. & Festum Pompeium lib. 11.

e *Minores pontifices.*] Vt patet ex eo loco Capitolini, quem proximè citauimus.

f *In curia Calabra.*] Macrob. lib. 1. Satur. c. 16.

g *Nouamq́, lunam.*] Idem ibi.

h *Et quot dies.*] In eodem loco.

i *Interpretandi iuris.*] Nam & apud Cic. lib. 2. de Legib. Q. Mutius Scæuola dicit se sæpe à P. Mutio Scæuola patre suo audiuisse, Pontificem neminem bonum esse, nisi qui ius ciuile cognosset.

k *Nam qui primus.*] Id non ita simpliciter verum est, vt dicit Alexander. Nam in locum Pont. Maximi mortui alius creabatur, qui & Ponti. Max. erat, vt videre licet ex infinitis Liuij locis: quod esse non poterat, si id verum esset: nempe si is qui loco Pont. Maximi diligebatur, fuisset minimus: vtpote collegio vltimo loco ascitus. Sed inter minores Pontifices id ita obtinebat, vt maximus omnium diceretur, qui primus in collegiū venit: item & minimus, qui nouissimus, vt scribit Festus Pom. lib. 11. A quo tamen sumpsisse videtur Alexander quæ hic scripsit.

l *Sacro confarrationis iure.*] Hæc ex Boëtio in Topica Cice. lib. 2. & diximus in nostris legibus Connubialibus l. 4. nu. 6. Verum vt reuertamur. Addendum hîc autem duo: Pont. Maximo iterare matrimonia licuisse, vt ait Tertull. de exhortatione castitatis qui idem ad vxorem lib. 1. scribit, Regem, sicuti Pon. Maximum rursus nubere, nefas est.

m *Cadauer videre.*] Ex Seruio enarrante illud Virgilij libr. 6. Æneidus.

Præcipuè pius Æneas.

Cùm nefas, inquit, esset Pontificibus cadauer videre, magis tamen nefas erat, visum insepultum relinquere. Idem & Iosephus lib. Antiquitatum 3. cap. 10.

n *Cui etiam per liberos.*] Seruius lib. 9. Æn. enarrans, in idque referens illud Virgilij,

Per caput hoc iuro, per quod pater antè solebat.

o *Quodq́, ex octo.*] Quod videre licet ex Liuio 4. Decad. lib. 7. eo loco quem tibi integrum adducemus lib. 6. c. 12. & ex alio loco; quem infrà nos citabimus.

p *Vestalesq́, virgines.*] Gellius lib. 1. cap. 12. Ideóque apud Liuium Decad. 3. li. quòd ignis in æde vestæ extinctus esset, cæsa flagris est Vestalis, cuius custodia noctis eius fuerat, iussu P. Licinij, Pontificis.

q *Atque ex decreto Pontificum.*] Liu. Dec. 3. lib. 4. ait de prodigiis, His procuratis ex decreto Pontificum, profecti Cos. Semptonius &c. & lib. 7. Hæc prodigia hostiis maioribus procurata, decreto Pontificum. & alibi sæpe.

r *Licet Augurum propriè.*] Liu. Decad. 3. libr. 4. ait, Prodigia hostiis maioribus procurara sunt, ex Aruspicum responso. & lib. 5. ibi, Id cùm Aruspicum monitu sacrificium instauraretur, &c.

s *Nanque augures.*] Cicer. 1. de diuinatione.

t *Cum enim C. Seruilius.*] Apud Liuium 4. Dec. lib. 10. cuius hæc verba sunt, De rege sacrifico sufficiendo in locum. C. Cornelij Dolabellæ contentio inter C. Seruilium Ponti. Maximum, & L. Cor. Dolabellam, quē vt inauguraret Pontifex magistratu se se abdicare iubebat, recusantique id facere, ob eam rem mulcta Duumuiro dicta à Pontifice, déque ea cùm prouocasset, certatum ad populum: cùm plures iam tribus intrò vocatæ dicto esse audiendum Pontifici, duumuirum iuberent mulctamque remitti, si magistratu se abdicasset. Vltimum de cælo, quod comitia turbauit, interuenit, religio inde fuit Pontificibus inaugurandi Dolabellæ.

u *Neque*

deque inaugurare desiere. [o] Neque solum ab omni sanguine puras manus pontificem seruare decuit, sed ne participem quidem aut conscium alicuius necis fieri. [x] Eundemque duplici sacerdotio functum sæpè animaduersum esse.[y] siquidem Q. Fabius Maximus,& pontificatum & auguratum vnà gessit,alisque vtrique simul sacerdotio præfuere. [z] Ex Cæsaribus verò C. Cæsar auguratum simul & pontificatum, [a] Galba autem sacerdotium triplex gessisse dicitur. [b] id quod á regibus Spartanorum vsurpatum fuit. Nam quum primum in eam assumpti sunt dignitatem: priuilegio honoris præcipui, Iouis cælestis & Lacedæmonij sacerdotio funguntur: [c] quibus ex omni scrofarum fœtu porcus debebatur, vt si diis immolare vellent, nunquam victima deesset. [d] Est quoque literis proditum, Apud Græcos vnum virum aut fœminam nonnunquam sacris præfuisse: [e] apud Opuntios duos, quorum alter deorum, alter dæmonum sacrificia curat. [f] Indis verò Solis sacerdotes numero diuersi sunt, & nunc plures, nunc pauciores cooptantur. [g] Ægyptiis plures, qui easdem traditiones atque auita & paterna sacerdotia & imperia filiis tradunt, qui post regem secundi sunt. Apud alios autem pontifices diuerso iure & nomine censentur. Nam Græci pontificem summum [h] Archierosynem vocant, ad quem ius & moderatio sacrorum pertinet. Babylonij Chaldæum, Isidis sacerdotem [i] Grammatea, [k] alium Mithram: [l] Sicyonij Charnium, quorum collegium, [m] pastophorium nuncupant. [n] Delphis quinque pontifices per omnem vitam sacri erant, qui Hosij dicti, quorum primus qui hostiam immolabat, Hositer: qui verò edebat oraculum, [o] Aphetor nuncupati sunt: qui vnà cum prophetis sacra obibant, diuinásque prædictiones & cæremonias, & quo cultu, quibusque exemplis fierent sacra prædicebant. [p] Apud Athenienses Daduchus maximus erat sacerdos: [q] Herculis stephanophorus: Palladis, [r] Eteobutades, à Bute propagati, ex qua familia longo tempore sacerdotio præ-

Pontifex à sanguine purus. Pontifex & augur simul. Sacerdotium triplex. Porcus ex omni scrofarum fœtu sacerdotibus debebatur. Indi. Ægyptij. Pont. apud exteros. Archierosynes. Grammatea. Mithras. Charnius. Hosij. Hositer. Aphetor. Daduchus. Stephanophorus. Eteobutades.

ANNOTATIONES.

u *Neque solum.*] Iuris antiqui est quod dicitur Pontifices non ferre sanguinis sententiam. Cùm enim L. Cantilius, scriba Pontificum, quos nunc minores Pontifices appellant, qui cum Florentiam stuprum fecerat, à Pont. Maximo eò vsque virgis in comitio cæsus erat, vt inter verbera expiraret, nefas id prodigij loco refert habitum Liuius 3. Decad. lib. 2. Neque tamen id ipsum enarratur Halicarnassæus lib. 9. qui cæso & necato illo pestilentiam desiisse scriptum reliquit.

x *Eundemque duplici sacerdotio.*] Quod sequentibus exemplis probat. Quibus adde quod apud Liuium 4. Dec. lib. 10. Seruilius Geminus Pontifex Max. & Decemuir sacrorum fuit.

y *Siquidem Q. Fabius Maximus.*] Id ex eodem Liuio est 3. Dec. lib 10. Cuius hæc verba sunt, Q. Fabius Maximus moritur, exactæ ætatis, Augur in locum eius inauguratus Q. Fabius Maximus filius. In eiusdem locum Pontifex (nam duo sacerdotia habuit) Ser. Sulpitius Galba. Cautione tamen hîc opus est, cùm nihil distinguit Alexand. Neque enim Q. Fab. Maximus qui cum Q. Cæcilio Metello & Q. Fuluio Flacco creatus fuit Pontifex Liuio teste, dictæ Decad. lib. 3. aut Ser. Sulpitius Galba Maximi Pontifices fuere.

z *Ex Cæsaribus C. Cæsar.*] Ad hunc Pont. Maximum M. Terentius Varro lib. Rerum diuinarum scripsit, teste Seruio ad 1. 3. & 6. Æn. eiusdemque pontificis meminit Suetonius in eod. c. 13. Qui eundem fuisse Dialem flaminem & multarum flaminio scripsit, initio, de cætero Plutarch. in eod.

a *Galba autem.*] Suet. in vita illius cap. 8.

b *Id quod à regibus Spartanorum.*] Non intelligendum est dictum de Galbis his accommodari, sed quod de Cæsare prodit. Lacedæmoniorum enim rex erga homines ducem & sacerdotem diuinis in rebus gerit, vt ait Xenophon de Rep. Laced.

c *Quibus ex omni scropharum fœtu.*] Idem ibidem.

d *Est quoque literis proditum.*] Diod. Siculus libr. 2. cap. 5. Nam & apud Athenienses, fœminas sacerdotes fuisse satis constat ex Plutarc. Problem cap. 43. & in vita Alcibiadis, dum loquitur de sacerdote illa, quæ Alcibiadem execrari noluit. Item apud Messenios Iunonis sacerdotem fuisse mulierem, legas Pausaniæ lib. 4. Idemque lib. 3. refert in Sparta Thetidis fuisse templum, cuius fœmina sacerdos fuit, nominata Cleo. Item Patris Laphriæ & Triclariæ, Dianæ sacerdos virgo fuit, apud eundem lib. 7. Thespienses quoque Herculis sacerdotem puellam habent, apud eundem lib. 9. Verùm apud Ægyptios mulier neque Dei, neque Deæ vlla sacerdos est: sed viri deorum omnium & dearum, vt tradit Herodotus lib. 2.

e *Apud Opuntios.*] Plutarch, Probl. 119.

f *Indis verò Solis.*] Brachmæ Indorum Philosophorum genus diis amicum esse, & eos Soli desponsos, Hierocles scripsit, vt est apud Cælium Rhodig. lib. 18. c. 31.

g *Ægyptiis plures.*] Diodorus lib. 2. c. 3.

h *Archierosynem.*] Græcis ἀρχιερεὺς summus siue primus sacerdos dicitur, & ἀρχιερωσύνη, summum ipsum sacerdotium.

i *Grammatea.*] Apuleius lib. 11. Metamor. tradit vnum ex comitibus sacerdotis Maximi Isidis Grammatea à cunctis vocatum fuisse, quæ vox non sacerdotem significat, sed scribam, vt archigrammateus, principem siue primum scribam scribarum, cuiusmodi Eumenem Alexandri Magni fuisse scribit Plutarch. in vita illius, post princ.

k *Alium Mithram.*] Apul. d. lib. 11. in duobus locis, & ante eum Strabo lib. 18.

l *Sicyonij Charnium.*] Vide Plutar. in Arato, ex Eusebio digoum lib. 9. c. 8.

m *Pastophorium.*] Apul. d. lib. 11. in duobus locis. Pastophorij autem meminit Esdras ille diuinus scriptor libr. 3. cap. 8. & lib. 1. Macchabæor. c. 4. Diodorus Siculus lib. 1. c. 12. Iosephus lib. 5. belli Iudaici, Euseb. lib. 11. Historiæ Eccl. Hieronymus in Esaiam, Pastophorium est, inquit, thalamus in quo habitat præpositus templi.

n *Delpis.*] Eadem scribit Cæl. Rhodig. lib. 12. c. 1 nec authorem citat, vt nec Alexander. Hæc autem magna ex parte sunt Plutarchi Problemat cap. 112.

o *Aphetor.*] Id aliud est apud Strabonem libr. 9. Hesichius autem ita dicit Apollinem cognominatum ab emittendis & edendis oraculis, vel sagittis & radiis. Porrò ἄφετοι dicuntur Deo dicati, vt χρυσᾶινος & κόραι ἄφετοι. Et ita Athenæus vocare videtur sacra animalia diis dicata, & quæ in deorum tantùm tutela erant & sine pastore.

p *Apud Athenienses daduchus.*] Id accepisse videtur ex Plutarch. in Aristide & Franc. Barbaro eius interprete. Nam Plutarchus ibi Calliam δᾳδοῦχον vocat. Barbarus antistitem vertit: cùm tamen ea vox significet lampadem siue facem ferens; hincque δᾳδουχία, lampadis siue facis gestatio lib. 2. Macchab. c. 4.

q *Herculis stephanophorus.*] Nam & apud Tarsum Herculis sacerdos ita vocabatur dignitate præcipua, qua honestatus à cunctis ciuibus Lysias philosophus tyrannidem arripuit, Cælius Rhodiginus lib. 22. cap. 21. ex Athenæo, vt opinor, lib. 5. cap. 11.

r *Palladis Eteobutades.*] Vetus est prouerbium ἐξ ἐτεοβουτάδων

Buzigia familia. Iuno Veientana. Ischias. Thyas. Buphonus. Hippolytus. Melissa. Megalobyzus. Phæcasij. Dodonei. Isiaci. Indi vates. Cybelis sacerdotes. Panthei. Pontifex apud Hebræos. Cyb. sacer. ornatus.

fuere: sicut [s] Buzigia familia à Buzige heroe, qui Athenis diu sacerdotium tenuit. Et posteri ex [t] Cinata & Thamyra in Paphiæ Veneris templo sacris cæremoniis præfuere. [u] Quod de Veientana Iunone prod.tur, quam nisi certi generis sa.erdos attrectare nemo poterat. Clazomenis Palladis sacerdos, Ischias: [x] Bacchi verò, Thyas nomen habet. [y] Poliei Iouis sacerdos, Buphonus in [z] Troezene, Hippolytus nuncupatur. [a] Apud Cretenses Matris magnæ sacerdos, Melissa: Ephesiæ Dianæ, [b] Megalobyzus, qui eunuchus erat. [c] Alexandrinorum atque Atheniensium Phæcasij, quibus candida solum ferre calceamenta licet, ex quibus antistes sacerdotum purpuram induit. Dodonei verò oraculi pontifices, pedibus semper illotis erant, qui tanquam sacrosancti super nudam humum cubare coguntur. [d] Isiaci, linea stola amicti sunt, [e] capite raso, [f] calceis papyraceis, [g] sistrum tenentes, [h] aut ramum absynthij marini, vel nuces pineas & [i] Anubim supra caput deferentes. [k] Sicut Indi vates tanquam religiosum, coralllum ferebant. Et Cybelis sacerdotes flagrum, & [l] matrem deûm colentes iuxta Sueuos, formas aprum, quo insigni ab hostibus tuti sunt: [m] Panthei sacerdotes, omnium duces fiunt, qubus causarum iudicia & publicarum rerum arbitria tribuuntur. [n] Apud Hebræos pontifex festis diebus mitram gestat, cum nebride auro distincta, aut tunicam talarem, & cothurnos cum tintinnabulis, quem maiestate decorum tanti Alexander fecit, vt venerabundus venienti occurreret, velut sanctissimum numen adoraret. [o] Fuitque animaduersum, Bellonæ, Cybelis, & Isidis sacerdotes eadem sacra obire, iisdem pro cæremoniis teneri. [p] Sed Cybelis sacerdos variis coloribus fucatus, & faciem pigmento delitus, oculóque obunctus, cum mitella &

ANNOTATIONES.

ἰλκει τὸ γένος. id est ab Eteobutadis ducit genus. De his qui antiqua nobilitate sunt oriundi, videlicet à Buto quodam qui sacerdotes Athenis instituit. Et ab eius posteris sacerdotes & summi magistratus posteà Athenis creabantur. De quo Erasmus chil. 3. cent. 3. c. 85 & Cæl. Rhodigi. l. 14. c. 13.

s *Buzigia.*] Idem Cælius lib. 28. cap. 23. nullum tamen authorem profert.

t *Ex Cirta & Myrta.*] Legendum Cinata & Thamyra ex corn. Tacito, cuius hæc verba sont lib. 18. post princ. Fama recentior tradit à Cinara templum sacratum, deámque ipsam conceptam mari, huc appulsam. Sed scientiam artémque aruspicum accitam & Cilicem Thamyram intulisse. Atque ita factum, vt familiæ vtriusque posteri cæramoniis præsiderent. Mox ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsa, quam intulerant scientia hospites cessere. Tantum Cinarades sacerdos consulitor.

u *Quod de Veientana Iunone.*] Iunonis reginæ, quod Veiis colebatur signum, more Hetrusco, nisi certæ gentis sacerdos attrectare non est solitus, ait Liuius 1. Decad. lib. 5.

x *Bacchi verò, Thyas.*] Apud Catullum in Argonauticis, Virg. lib. 4 Æn. Horat. lib. 2 Carminum, ode 19. & lib. 3. ode 15. Statium lib. 12. Thebaidos.

y *Poliei Iouis sacerdos Buphonus.*] Pausanias lib. 1. qui de Atticis est, Ordeum, inquit, tritico mixtum ad Iouis Poliei aram vt posuerint, nulla planè custodia obseruant. Bos autem, quem sacrificiis destinatum custodiunt, aram accedens fruges attingit, vnum ex sacerdotibus, Buphonum appellant, id est, bouicidam. Et cæterum posteà eodem lib. Regnante Athenis Erichtheo bouem primum ad Iouis Poliei aram Buphonus mactauit.

z *In Troezene Hippolytus nuncupatur.*] Vereor nè hic deceptus fuerit Alexander ex eo quod scripsit Pausanias in Corinthiacis, apud Troezenos Hippolyto sacerdotem sacra facere, qui eo honore quandiu viuit, fungitur. Idque accepere, tanquam Hippolytus apud Troezenos sacerdos fuerit, quod nullibi, vt puto, legitur.

a *Apud Cretenses.*] Didymus in libris ἐξηγήσεως πινδαρικῆς, & ex eo Lactantius lib. 1. cap. 22. tradunt Mellissea Cretensium regem primum diis sacrificasse, huiú que filiam Melissam à patre primam sacerdotem Matri Magnæ costitutam. Vnde adhuc eiusdem Matris antistites Mellissæ noncupantur.

b *Megalobyzus.*] Imò Megabyzus ex Quintiliano lib. 5. c. 12. & Plinio lib. 35. cap. 10 quo loco Apelis picturam recenset. & Laertius in Xenophonte post prin. Quanquàm Strabo lib. 14 Megalobyzum appellat.

c *Alexandrinorum.*] Hæc sunt ex Appiano lib. 5. bello Ciuil. vbi de M. Antonio ita scribit, Calceamenta candida, qualia Atheniensium & Alexandrinorum sacerdotes, quos Phæcasios appellant, deferre consuerunt, sibi assumpsit. Et de huiusmodi sacerdotibus & calceorum ab illis denominatorum meminit Seneca libr. 7. de Beneficiis c. 21. Pythagoricus, inquit, quidam emerat à sutore phæcasia. Et ad Lucilium in epistolis, Si quem Phæcasiatum conspexeris. Et Iuuenal. Saty. 3.

Phæcasianorum vetera ornamenta deorum.

Et D. Hieronimus aduersus Ionimianum, Bactrianis ad hoc ipsum nutritis obiciunt senes, quod cùm Alexandri præfectus Phæcasianum emendare voluisset, penè amisit prouinciam. Pollux autem lib. 7. c. 22. inter genera calceorum phæcasium enumerat ex Erastotene in Mercurio. Adde autem supradictis Sabinos Cupeutum sacerdotem vocare, vt scribit ex Ser. Perotus ad Martial. epigram. 8.

Dædaleo Lucone.

d *Isiaci, linea stola.*] Apuleius lib. 11. Metam. in diuersis locis, vt & illud Martialis lib 12. epig. 29. loquentis de huiusmodi sacerdotibus,

Linigeri fugiunt calui, sistratáque turba.

e *Capite raso.*] Martialis & Apul. vbi suprà, & vide in nostris consuetudinibus.

f *Calceis papyraceis.*] Herod. lib. 1.

g *Sistrum tenentes.*] Apul. d. lib. 11. non semel, & vide omnino quæ dicam infrà lib. 4. c. 2.

h *Aut ramum absynthij.*] Plinius lib. 27. cap. 7. ad fi.

i *Et Anubim &c.*] Et id quoque videtur sumptum ex Apuleio d. lib. 11. cùm scribit, Hic horrendum: ille superum commeator & inscibit, nunc atra, nunc aurea facie sublimis, attollens canis ceruices arduas Anubis.

k *Sicut Indi vates.*] Plinius lib. 23. c. 2.

l *Et Matrem Deûm colentes.*] Vnde hæc de Sueuis transcripserit Alexander, incompertum habeo: magísque miror quod cùm amplissimè de Sueuorum religione tractet Corn. Tacitus in moribus Germanorum, huius non meminerit.

m *Panthei sacerdotes.*] Diodorus Siculus lib. 6. cap. 10.

n *Apud Hebræos.*] De his & Alexandro quod hîc ait, est Iosephi Antiquitatum lib. 11. cap. 8. & libr. 20. cap. 8. quod verò de tintinnabulis hîc dicitur, posuit quoque Tacitus initio lib. 21. & ex Ægesippo Rhodiginus lib. 16. c. 6.

o *Fuitque animaduersum.*] Hæ enim, scilicet Bellona, Cybele, & Isis vna dea est his nominibus & aliis multis vocata, vt videbis infrà lib. 6. c. 4.

p *Sed Cybelis Sacerdos.*] Vereor cùm matris deum sacerdotes Galli dicti fuerint à Gallo flumine Gallatiæ Plin. lib. 5. cap. vlt. ne fucum & pigmentum ad instar coloris Gallarum fœminarum faciei obduxerint: de quo pigmento Tertullianus in lib. de Cultu fœminarum scribit. At de Gallis sacerdo

crocoto, lineo calceamento ante ſimulachrum deæ incedebant [q], cui erat proprium, cum tinnitu cymbalorum & ſonitu tympanorum ſacrum facere. [r] Arabum verò pontifices lineas veſtes induunt, mitras geſtant cum ſandalio. [s] Apud Pedaſios Palladis ſacerdos ſacram barbam nutrire cogitur, neque raſa incedere fas erat. [t] Albanis cæremoniarum antiſtes ea fulgebat dignitate, vt poſt regem habere, tur ſecundus. [u] In Aritia Artemiſiæ Dianæ ſacerdos rex vocatur. [x] Idem in Cappadocia Bellonæ phanum obtinuit: & [y] in Comanis Ponticis tantæ dignationis erat, vt annis ſingulis bis diadema geſtaret. In [z] Zela quoque tanti imperij fuit, vt ſuprema fulgeret dignitate. Traditúmque eſt, in Meroe Iouis ſacerdotes adeò ſuperſtitione impleſſe animos, vt nonnunquam miſſo nuncio, necem regi Æthiopiæ demandarent, nullo detrectante, aut mandatum iuſſionémve abnegante: donec [a] ad Ergamenem regem peruentum eſt, qui omnes occidit, & ſacerdotium ſuſtulit. [b] Apud Germanos nulli verberare aut vincire, vel animaduertere niſi ſacerdoti permiſſum. [c] Narualis iuxta Sueuos præſidet pontifex, qui muliebri ornatu ingreditur ſemper. Fuitque memoriæ proditum, [d] Trallibus regiam regibus deſtinatam, illi quoque qui ſummum gerebat ſacerdotium priuilegio honoris dari. [e] Sicut in Tyro Herculis ſacerdos, qui cum infula & purpura incedit, poſt regem proxima dignitate fungitur. Apud Ægyptios qui ſacra miniſtrant ſacerdotes, capite raſi ſunt, quum apud alios comati incedant: à quibus eſt vſurpatum, [g] ex philoſophis ſacerdotes, & ex ſacerdotibus probatiſſimum in regem eligere. [h] Vnde Mercurius Triſmegiſtus, id eſt, ter maximus, nomen tulit, quòd philoſophus maximus, ſacerdos & rex maximus eſſet. [i] Apud Phœnices Solis ſacerdos, veſte auro & purpura varia manuleata, ad imos pedes fluxa incedebat, & tanquam ſplendoris ſignum, & ampliſſimi honoris prærogatiuam, coronam ex auro gemmíſque ferebat.

Arabum Pontifices. Palladis ſacerdos. Sacerdotum dignitas. Sacerdotes Iouis in Meroe. Sacerdotes apud Germanos. Pont. apud Narualos. Trallianos. Sacer. Herculis Tyrij. Ægyp. ſacerd. Mercur. Triſmegiſtus vnde. Phœnices.

ANNOTAITONES.

ſacerdotibus quis hæc nominatim prodiderit, non ſatis ſcio. Adde verò ex Seruio ad 3. & ad 10. Æneid. Gallos ſacerdotes, qui & Corybantes, cum gladiis per furorẽ motu capitis comam rotantes vlulatu futura prædixiſſe: inter quos ſummus ſacerdos Archigallus dicitur à Tertul. Apolog. c. 24.

q *Cui erat proprium.*] Tinnitum æris Seruius prædicto loco ad 3. Æneidos, conſentit quidem ſacrificiis Cybeles additum: ſed alia de cauſa, quàm Diodor. Siculus, qui multis verbis initia honoris matri deûm dati perſequitur lib. 4 c. 5. & lib. 6. c. 11.

s *Arabum verò Pontifices.*] In Panchæa vicina Arabiæ inſula, ſacerdotum primus eſt in politia locus, qui vltra reliquos deliciis vacant, vitam ducentes mundam & ſumptuoſam. Stolas lineas maximè tenues ac delicatas, quandoque verò veſtes ex molliori lana contextas induuntur. Mitras quoque geſtant auro intextas. Sandaliis pro calceamentis, varij coloris vtuntur, vt refert Diodor. Siculus lib. 6. cap. 11. Quem authorem ſecutus Alexander, dum non ſubuerteret furta ſua deprehenſum iri, ab inſula in continentem ſtylo traduxit ſuo.

s *Apud Pedaſios.*] Ex Herodot. Strabo lib. 13.

t *Albanis.*] Strabo lib. 11.

u *In Aritia.*] Ouid. lib. 3. Faſtorum.

Nympha mone nemori ſtagnóque operata Dianæ, &c.

Et paulò pòſt.

Regna tenent fortes manibus, pedibúſque fugaces,
Et perit exemplo poſtmodo quiſque ſuo, &c.

Et iterum de Arte amandi lib. 1.

Ecce ſuburbanæ templum nemorale Dianæ.
Partáque per gladios regna nocente manu.

Et Lucanus lib. 3.

Qua ſublime nemus Scythicæ quà regna Dianæ.

Et Val. Flaccus lib. 2. Argonauticõn,

——Et ſoli non mitis Aritia regi.

Et Martialis in epig. lib. 9. epig. 64.

Qua Triuiæ nemoroſa petit dum regna viator
Octauum domina marmor ab vrbe legit.

Et Sueton. in Caligula c. 35. Nemorenſi regi, quòd multos iam annos poteretur ſacerdotio, validiorem aduerſarium ſubornauit. Quæ loca vt intelligas vide omnino Strabonem lib. 5. vbi de vrbe Aritia loquitur, & Seruium in lib. 6. Æneid.

Aureus & foliis & lento vimine ramus.

Et de hac quoque Aritia eſt illud Lucani lib. 6.

Parua Mycenæ quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelſa nemoralis Aritia Roma.

x *Idem in Cappadocia.*] Intellige apud Albanos, de quibus paulò antè locutus eſt ex Hirtio in bello Alexandrino, Vetuſtiſſimum, inquit, & ſanctiſſimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, vt ſacerdos eius deæ maieſtate, imperio & potentia ſecundus à rege conſenſu gentis illius habeatur.

y *Et in Comanis Ponticis.*] Strabo lib. 12. de his loquens, Bis, inquit, in anno in feſtis, quæ deæ Exitus appellantur, ſacerdos diadema geſtabat, & ſecundus erat in honore poſt regẽ.

z *In Zela.*] Strabo eodem lib. 12. vbi ſcribit in ea ſacerdotes rerum omnium poteſtatem habere.

a *Ad Erganem.*] Ergamenem legendum eſt ex Diodoro vbi ſuprà.

b *Apud Germanos.*] Corn. Tacitus in lib. de Moribus Germanorum.

c *Narualis.*] Naharualis legendum ex eodem Tacito illo lib. non multo ante fi.

d *Trallibus.*] Ex Vitruuio lib. 2. c. 8.

e *Sicut in Tyro.*] Herculi, qui de Idæis Dactylis vnus fuit, Tyrij templum erexerunt, vt ait Pauſanias in Bœoticis, ſiue lib. 9. Lucianus in Syria dea, Diod. Siculus lib. 17. c. 4. Quod verò de Herculis ſacerdotibus Tyriis hic dicitur, ego reperio colonos eſſe eorum, ab eiſque profectos Carthaginienſes, qui ferè maiorum inſtituta conſeruant, eiuſmodi ſacerdotes habuiſſe, cùm Mazeus filium ſuum Carthalonem ſacerdotem Herculis, in crucem cum purpuris infulíſque ſuſpendiſſet, apud Oroſium lib. 4. c. 6.

f *Apud Ægyptios.*] Herodotus lib. 2 Deorum, inquit, ſacerdotes alibi comati ſunt, in Ægypto deraſi. & nos alibi ſuprà plenius diximus. Tu videto Diodorum lib. 4. c. 8.

g *Ex Philoſophis ſacerdotes.*] Idem ex Platone Marcilius Ficinus in argumento libelli Mercurij Triſmegiſti. & Seuerus apud Strob. ſerm. 41.

h *Vnde Mercurius Triſmegiſtus.*] Mercurij Iouis & Maiæ filij nepos, magiſter omnium phyſicorum, ſiue philoſophorum dicitur à Tertulliano aduerſus Valentinianos: qui ab Ægyptiis Tenot, & à Græcis Triſmegiſtus dictus, vtramque linguam probè tenens, & ab vtriſque in maxima veneratione fuit, adeò vt ab Ægyptiis & in deorum numerum relatus, diuinos honores adeptus fuerit De quo plura Lactantius Inſtitutionum lib. 1. cap. 5. Sed & Suidas eundem ſcribit Triſmegiſtum fuiſſe dictum, quòd ferè conſentanea trinitati ſenſerit de Deo.

i *Apud Phœnices Solis ſacerdos.*] Hæc fortaſſe ex Herodiano, qui lib. 5. ſcribit. Baſſianum & Alexanum ambos fuiſſe ſacerdotes Solis, quem maxime Phœnices colunt, templúmque illi maximum conſtructum habent auro argentóque plurimo, ac lapidum eleganti magnificentia, exornatum,

Mira exempla à compluribus experta de vmbrarum figuris & falsis imaginibus, & quæ ipse didici atque expertus fui.

CAPVT IX.

PROFECTO rem mirificam, & dictu æstimatuque admirabilem, de vmbrarum figuris & falsis imaginibus, quæ homines varia specie & aspectu vano plerumque illudunt, familiaris meus quispiam modò mihi enarrauit: quod equidem fabulosum aut commentitium videri posset, nisi grauioris esset ingenij, & præstabilis homo doctrinæ: ipsiúsque virtutis & non ambiguæ fidei plerisque in rebus multa & magna documenta forent. Refert enim, quod Romæ quondam ipsius amicus diutino & graui morbo ægrotabat, cum quo coniunctissimè vixerat: & quia corpore inualido affectóque esset, valetudinéque minus prospera vteretur, visum est ad illa apparatissima balnea quæ Cumis sunt, vegetandi corporis & animi leuandi causa proficisci: cum ferè constet, homines ex ancipiti morbo locorum mutatione & sereniore cœlo plerumque leuari. Hi ergo cum fidis aliquot comitibus Cumas quum iter intenderent, & aliquantulum viæ emensi forent, æger quum esset & vita & spe tenui, vi morbi coalescente, & labore viæ, in hospitium in quod fortè diuerterant, suum obiit diem. Is ergo amicus qui vnà accesserat, quantum prouideri hominis diligentia potuit, pro loco funere satis amplo illum efferri, rem diuinam fieri, atque in honorato vrbis loco sepulchro condi curauit: ibique cum mœstos aliquot habuisset dies, curatis rebus omnibus, ipse & comites Romam, vnde disgressi fuerant, reuerti cœpere. Sed cum aliquantum viæ remensi essent, & nocte appetente in vnum quod viæ proximum fuit hospitum diuertissent, ibi se animo & corpore fatigatum quieti dedisse. Cúmque solus degeret, & adhuc vigilans foret, fert repente amici nuper defuncti imaginem summo pallore & macie, ac eo ferme habitu oris, quali illum cum ægrotaret dimiserat, ad se accessisse: quem quum fuisset intuitus, & præ timore, nec animo nec mente satis constaret, quisnam esset, interrogauit? Ille autem cum nihil respondisset, exutis, vt videbatur, vestibus, in eodem quo ipse iacebat lectulo, se collocauit, ac propè accessit, quasi eum amplexibus periturus foret. Alter verò cum propè iam metu exanimis videretur, ad lectuli spondam secessit, illúmque propè accedentem abegit: qui cum se abigi expellique vidisset, fert in eum toruo & minus familiari voltu inspexisse, resumptísque mox vestibus illum è lectulo surrexisse, cinctúmque & calceatum inde abeuntem nunquam apparuisse. Quo timore familiaris ille perculsus, subita vi morbi correptus, ac propè ad internecionem grauissima valetudine oppressus fuit. Ferebat etiam, dum in lectulo cum illo luctaretur, nudum illius pedem vsque adeò gelidum ac rigentem attrectasse, vt nulla glacies illius frigori comparari potuerit. Equidem memorabile hoc, & cuiuis mirum, videri posset, nisi peruulgata res esset, ædes quasdam Romæ euidentissimis ostentis ita infames, vt nemo illas incolere ausus fuerit, quin variis vmbrarum illusionibus & tetris imaginibus, noctibus ferè singulis inquietetur. Gordianus amicus meus spectatæ fidei homo, mihi retulit, cum Aretium ipse & familiaris suus iter vnà intenderent, & à semita, vt fit, longè deuiassent, loco infami & deuio, vbi ne vestigium quidem apparebat humanum, per ardua & propè inuia diuersis tramitibus aberrare cœpisse: ibique cum nec oppida aut vicos, neque aliquid culti viderent, sed nemora tantum saltusque inuios & inaccessos, omniáque vasta, muta, & deserta ab humano cultu peragrarent, in quibus ipsa solitudo terrebat animos: vergente iam ad occasum die, fessos labore ac via consedisse. Cúmque hominis vocem audire procul visi fuissent, ad illam propiùs accessisse, homines obuios, quos de via interrogarent, dari sibi arbitrati. Nec mora, in proximo iugo trium hominum imagines immanes & formidabiles vltra humanum modum, nigris & demissis tunicis, in veste lugubri funestáque, barba capillóque summisso, horribili facie conspexisse: qui quum voce gestuque ad se ipsos aduocarent, ac iam propè esset vt illuc accederent, illos interim ingenti mole corporis longè humana maiores apparuisse, at alium specie non absimili nudum & nullo amictum vestitu, mirificos edentem saltus gestusque indecoros conspexisse. Quo timore consternati, properè fugam cepere: viámque arduam & præcipitem emensi, vix rustici cuiuspiam vile hospitium vbi reciperentur, inuenere. Sed quod ego certum habeo, satis certa probatione tradiderim, profectò haud minus est. Cum Romæ ægra valetudine oppressus forem, iacerémque in lectulo, speciem mulieris eleganti forma mihi planè vigilanti obuersatam fuisse, quam cum inspicerem, diu cogitabundus & tacitus fui, reputans nunquid ego falsa imagine captus, aliter atque res esset aspicerem. Cúmque meos sensus vigere, & figuram illam nusquam à me dilabi viderem, quænam illa esset interrogaui: quæ tum subridens, & ea quæ acceperat verba respondens, quasi me planè derideret, cum diu me fuisset intuita, discessit.

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

HOc capite vmbras quasdam imaginum hominum sui temporis enarrat. Similes quoque nonnullas refert Plinius epist. lib. 7. epist. 27. ad Suram. Sed hæc semper mera somnia esse putaui.

Quæ sunt pedamenta apud iureconsultos, cuiusve generis, & quid buprestis, & pytiocampa.

CAPVT X.

a Vlpia

CVM in legum commentariis versaremur, & rusticorum prædiorum seruitutes scrutaremur, inuenimus [a] Vlpianum ex Neratij sententia censuisse rusticam seruitutem posse constitui, vt pedamenta ad vineam fulciendam, ex vicini prædio mihi sumere liceat. Quæsiui ego à iureconsulto, qui omissa modestia, multa sibi inepiè arrogabat, quid pedamenta essent, quibus sumendis ex alieno, seruitus constitui poterat. Atque ille in re vulgari cum diu cogitabundus hæsitasset, haud multo post, nescio quæ inuolucra verborum, & falsarum opinionum ineptis, ambiguos magis quàm veros sensus denotantia profudit, quibus nihil veri animaduerti cognoscíque potuit. Et tametsi pedamen munimēesse & palum quo vitis caduca fulcitur, neminem fallit, vnde [b] pedatio dicta: tamen id triplicis generis fuisse animaduertimus. Nam & pedamen, & ridicam, & statumen eiusmodi fulcimenta nuncupari, [c] Cato asseuerat, [d] Græcè charax: quare pedamento fultæ vites, [e] characatæ dictæ. Sed pedamen quodlibet fulcimen esse cui vitis inhæret, [f] ridicam ex querna arbore, aut ex iunipero, olea, vel cupressu plerumque fieri: tametsi nullo discrimine ex his quoque componi pedamen opinio fuerit, [g] statumen è palis & pertica: quod verò ex arundinibus pedamentū fit, [h] arundinem. Quod autem natiuum ex arboribus in arbores traductis vitibus, nonnulli [i] traduces, quidam [k] romphos, plerique [l] arbusta dixere, quas [m] in trāspadana Italia ex cornu, populo, tilia, acere, orno carpino, & quercu frequenter arbustari tradunt. Quare multi in eadem atque in Campano agro harum plantaria instituunt: quæ si recto ordine digesta fuerint per æqua interualla quaquauersum, in quincuncem metata dicuntur. Interque vites simplici iugo porrectum ordinem, [n] cantherium: trāsuersamque hastam inter pedamenta, qua vitis innititur, [o] Cato & [p] Varro iugum: quadruplex verò iugum à cauis ædium [q] compluuium, vnde [r] compluuiatas vites dixere: palmitem verò pluribus annis duratum, & quasi emeritum, [s] draconem: qui in bisulco medius inter duo nascitur, [t] focaneum: qui verò per tabulata scandit ad superiora, [u] emissarius dictus est; superior pars [x] malleoli, [y] sagitta: surculum

Pedatio. Pedamen. Ridica. Statumen. Arundinem. Traduces. Romphi. Arbusta. Cantherius. Iugum. Draco. Focaneus. Emissarius. Sagitta.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

a *Vlpianum.*] In l. item sic. vers. idem Neratius. ff. de ser. rust. præd. atque in l. veluti. vers. item filius eod. tit. Sed & ipse Vlpianus in l. 1. vers. sed & ff. de tig. iniunct. hac voce pedamenti, de qua hîc tractatur, vsus est in eadem significatione. Eius verba sunt, Sed & in vineis tigni appellatione, omnia vineis necessaria continentur, vt puta perticæ, pedamenta.

b *Pedatio dicta.*] A Columella libr. 4. c. 12. in fi. cuius hæc verba sunt, Idque iugum intra quartum pedem conueniet alleuari, dum se vinea corroboret in pedationem. Idque à verbo pedandi, quo & ipse Columella vsus est libr. 4. cap. 12. Putationem sequitur iam pedandæ vineæ cura. Plin. lib. 17. c. 2. Aut pedatæ vineæ simplici iugo. Vnde etiam impedandi verbum compositum apud ipsum Columellam lib. 4. cap. 16.

c *Cato asseuerat.*] Vbi id Cato dixerit nescio. In sua autem Re rustica ridicæ tantum mentionem facit cap. 17 aliorum autem nullam.

d *Græcè charax.*] χάραξ itque etiam χαράκωσι[illegible]

e *Characatæ.*] Apud Columellam lib 5. c. 4. & 5.

f *Ridicam.*] Varro de Re rust. lib. 1. cap. 8. Pedamentum, inquit, ferè quatuor generum, vnum robustum, quod optimum solet afferri in vineam è quercu, ac iunipero, & vocatur Ridica. Columell. lib. 11. cap. 2. Ridicas quernas, siue oleaginas findere. Plinius autem lib. 17. cap. 22. Pedamenta optima, quæ diximus, aut ridicæ robore oleáque, aut si non sint, pali è iunipero, cupresso, laburno, sambuco.

g *Statumen.*] Statuminum multa & frequens est mentio apud Columel. vt lib. 4. cap 2. & cap. 16. & cap. 22. & lib. 5. cap. 4. & 5 & alibi. & apud Plin. lib. 8. cap. 12. Hincque statuminandi verbum apud ipsum Plin. lib. 17 c. 12.

h *Arundinetum.*] Non memini me legisse id verbum in hac significatione, sed pro agro arundinibus consito apud Catonem c. 6. & Columellam lib. 11. cap. 2. Plin. lib. 10. cap. 32. & lib. 17. cap. 20. & in sacris literis Iosue 16. & 17. & Sapien 3. Nec tamen negarim pedamen arundineum dici posse ex arundine factum. Nam & arundines canales dicit Virgi. lib 4. Georg. & frondem arundineam Plin. lib. 10. c. 29. baculum arundineum interpres Esaiæ c. 36. & repetitur in summa 23. q. 3. & Ezechiel. c. 29. & lib. 4. Reg. c. 18. Ea autem forma dicitur Arundinetum, qua oliuetum, palmetum &c.

i *Traduces.*] Varro de Re rust. libr. 1. cap. 8. Cic. de Senect. Columel. lib. 5. c. 7. ad fi.

k *Quidam Romphos.*] Rumpos legendum est ex Varrone vbi suprà. Ex quo fortè Rompotinum apud Columel. d. lib 5. c. 7. in princ. & Rumpotinetum eod. c.

l *Arbusta.*] Arbusta non memini me legisse pro genere pedamentorum, sed pro locis arboribus consitis, vt Apud Catonem de Re rust. c. 7. & Colu. lib. de arboribus c. 16. cuius titulus est de arbustis: ibique docet quemadmodum constituenda sunt, & ex quibus: vti etiam facit Plinius lib. 17. c. 23 Et de arbusto à nostris Iurecon. fit mentio in l. vlt. §. vlt. ff. de ter. mo & in sacris quoque literis Psa. 79. & Eze. cap. 31. non semel. Hincque arbustare verbum deductum, id est agrum arboribus conserere apud eund. Plinium eod. c.

m *In Transpadana Italia.*] Id totum ex Plin. est illo eod. c. 23. lib. 17.

n *Cantherium.*] Columel. lib. 4. cap. 12. & Plin. 17. c. 21. non longè à fi. Hincque cantheriolum diminutiuum apud eundem Colu. lib. 11. c. 3.

o *Cato.*] Ausim sanctissimè deierare, Catonem id numquam dixisse.

p *Varro.*] Lib. Rei rust. 1. cap. 8. Et ita quoque vsus est Columell. lib. 4. cap. 12 & lib. 5. cap. 5. & libr. 12. cap. 15. & Plinius libr. 7 cap. 21. Et hinc quoque iugatæ vineæ Varroni vbi suprà, & Colu. lib. 5. cap. 5. non semel.

q *Compluuium.*] Varro libr. 1. aut, vt alij computant, 4. de ling. Latina.

r *Compluuiatas.*] Varro lib. 1. Rei rust. cap. 8. & Plinius lib. 17. cap. 21.

s *Draconem.*] Plinius lib. 17. c. 2.

t *Focaneum.*] Colum. lib. 4 c. 14. & lib. 5. c. 26.

u *Emissarius.*] Plinius d. lib. 17. c. 23.

x *Malleoli.*] Aliter Malleoli dicuntur Plinio lib. 17. cap. 21. Solebat, inquit, capitulatus vtrinque è duro surculus fieri, eóque argumento malleolus vocatur etiam nunc. Columella autem lib. 3. cap. 6. Malleolus, ait, nouellus est palmes innatus prioris anni flagello, cognominatúsque à similitudine rei, quòd in ea parte, quæ deciditur ex vetere sarmento, prominens vtrinque malleoli speciem præbet. Et de huiusmodi malleolis Cicero in Catone. Hincque virga malleolaris Columellæ lib. de arboribus cap. 3.

y *Sagitta.*] Columel. lib. 3. cap. 10. paulò antè fi. Nam si sagittam, inquit, id est, superiorem partem malleoli vituperandam censebant; cùm esset eadem pars surculi frugiferi, &c. Et

Spadonem. Cantherium. Maiales. Capi.

autem qui nihil affert fructus, appellant spadonem,& [a] quasi sterilem. Ea verò iuga in agro bene culto, plano,& minus ventoso, altiora: in arido & gracili, ac ventis exposito, humiliora fieri oportere Plinius notauit.cap.23.lib.17. Tametsi [a] cantherium equum dici cui testes adempti sunt neminem præterit: sicut verres castrari, † maiales fiunt: & galli, [b] capi. Ex quo licet intelligere, vt ex tuo fundo pedamenta ad vineam fulciendam mihi sumere liceat, posse constitui seruitutem. Censuitque Paulus iureconsultus, quod tametsi ex tuo fundo pedamenta sumere licere, in fructu sit, tamen hoc ius capiendi, apud legum peritos seruitutem non vsumfructum putari. Rursus alium celebri fama iura Romæ profitentem, in auditorio professorum interrogaui, quid esset quòd [c] Vlpianus legem Corneliam de sicariis interpretatus scripsit, pigmentarios, si cui temere dederint pytiocampas aut buprestin, legis Corneliæ de veneficiis sanctione teneri? Quid essent pytiocampæ, & quid buprestis, vt me doceret, quæsiui. Cùmque ille porteota verborum longè à fide deuia effudisset, quæ quum pudendi sint erroris, referre non necesse habeo: paulo post dicti pertæsus, se hoc ignorare ingenuè asseuerauit. Nos autem perscrutati verbi significatum, animadmertimus [d] pytiocampas erucas esse, seu teredines virulentas, viru exitiali, quæ in pinis sæpè nascuntur arboribus, vnde illis nomen factum. Nam *πίτυς* pinus est, *κάμπη* eruca: quippe erucas Græci *κάμπας* dicunt, veneni præsentissimi. Buprestis verò animal inuentu rarum in Italia, simillimum scarabæo, qui inter herbas fallit sæpe boues: quo deuorato tanta concitantur rabie, vt actæ in furorem, terrorem afferant, paulóque post rumpantur, ex quo perniciale virus confici dicunt, quod fœdissime vexat: contra cuius exitium præsentaneo remedio Græci succurri prodidere,& [e] Plinius author est. Qui ergo tanti facinoris conscius, vel buprestin, vel pytiocampas, aut monstrificiquid veneni ad necem properandam dederit, eum iudicio capitali & pœna legis Corneliæ teneri, iura & leges voluere.

Pytiocampæ. Buprestis.

ANNOTAITONES.

&c. & c.17. Sagittam, ait, rustici vocant nouissimam partem furculi: siue quia longius recessit à matre,& quasi emicuit, atque prosiluit: seu quia cacumine attenuata, prædicti teli speciem gerit. Plin. lib.17.cap.21.

Tertium genus adiectum etiamnum expeditius sine calce, propter quod sagittæ vocantur, cùm intorti panguntur. Et paulò pòst, Sagittas serere minus vtile: quoniam in transferendo facilè rumpitur quod intortum est.

a *Spadonem.*] Colo. lib. 3.c.10. Eiusmodi, ait, surculos, qui nihil attulerunt, Spadones appellat.

a *Cantherium equum*] Varro Rei rust. lib. 2. cap.7. Et Festus Pompeius libr. 3. & de huiusmodi equo loquitur Cicero epist. famil.lib.9.epist.18.ad finem. Potes mulo isto, quem tibi reliquum esse dicis, quando cantherium comedisti, Romam peruehi. Et lib. 3.de Nat. deorum.

† *Maiales.*] Varrò vbi suprà & iterum eiusdem lib. 2. c.4. Et Fest. Pomp. vbi etiam suprà.

b *Capi.*] Varro & Festus Pompeius prædictis in locis. & rursum Varro lib. 3.cap. 9. Et hi quoque dicuntur Martiali lib.13.epigram.63.cuius titulus est Capo.

Ne nimis exhausto macresceret inguine gallus,
Amisit testes: nunc mihi Gallus erit.

c *Vlpianus.*] In l.eiusdem.§.aliom.ff.de leg.Cor.de sic.

d *Pytiocampas.*] Plin. libr. 23. cap. 2. Vsus contra cantharidas, buprestin, pinorum erucas, quas pityocampas vocant. Idem eiusdem lib.c.4. Omphacium contra cantharidas, buprestin, salamandras, pityocampas per se potum laudatissimum. & lib.29.c.4. ad fi. Eadem pityocampis, in picea nascentibus, eadem buprestí, similiterque paratur.

e *Plinius author est.*] Lib. scil. 30.c.4. multáque aduersos huius animalis venenũ tradit ipse Plinius multis in locis, videlicet lib.13.c.1.& 4.non semel.28.c.8.9.& 10.& lib.29.c.4.

Qui Romani duces ex oppidis & prouinciis vi subactis cognomenta desumpsere, & de Scipionum familia, & quid apud exteros. CAPVT XI.

Coriolanus. Fidenas. Numidicus. Macedonicus. Creticus. Balearicus.

CONSVEVISSE Romanos ex oppidis vel prouinciis captis aut vi subactis plerumque cognomina ferre, memoriæ datum est. [a] Martium Coriolanum quòd fortem strenuamque operam reipublicæ nauasset, capto Volscorum oppido Coriolis, Coriolani nomen sumpsisse ferunt. Et Sergium Fidenatis, ex bello quod ad Fidenas gessit. Ex tribus verò Metellis, vnus, deuicto Iugurtha, & vi subacta Numidia, [b] Numidici: alter Quintus Cæcilius, Lucij Metelli filios, ex Macedonia, [c] Macedonici: tertius ex Creta, [d] Cretici cognomenta sumpsere. Fuit & Metellus [e] Balearicus, ex deuictis Balearibus cognominatus. Sed Numidicus, Lucij Luculli [f] auunculus fuit. Macedonici, Metellum Balearicum [g] plerique filium, [h] nonnulli fratrem dicunt. [i] Creticum verò,&

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

a *MArtium Coriolanum.*] Plutarc. in vita illius. Liuius 1. Decad. lib. 2.

b *Numidici.*] Plutarch. in vita Marij in princ. Plinius Secundus, si is est author virorum illustrium cap.62. & de eo quoque loquitur Gell. lib. 1. cap.6. & libr.6.cap.11. Et huc spectat illud Ouidij lib. 1. Fastorum,

Hunc Numida faciunt, illum Messana superbum.

c *Macedonici.*] De quo Ascon. Pædianus in orat. pro Cornelio in initio expositionis. & L. Florus libr. 2. in rebus in Hispania gestis. Plin.lib.7.cap.44.& lib.34. c 8. Alius Plin. Secundus, aut quisquis is est, de Viris illust.c.61.

d *Cretici.*] Vide quæ scripsi supra eod.c.7.

e *Balearicus.*] Strabo lib. 3. Et de hac victoria Paul. Orosius lib. 5. cap.13. Balearicum Plutar. de Fortuna Romano. Q.Cæc.Metelli censoris filium scribit.

f *Auunculus fuit.*] Plutar. in Locollo.

g *Plerique filium.*] Vt Ascon. Pædianus, vbi nuper citauimus,& L.Florus epito. 3.in bello Balearico.

h *Nonnulli fratrem.*] Qui fuerint illi, mihi non liquet: disputat tamen hac de re Rhodiginus lib.17.cap.22.

i *Creticum verò.*] Cauendum hîc ab Alexandro, cum Plutarch de Fortuna Rom. Macedonici quatuor filios scripserit, Q. qui fuit Balearicus, L. Diadematum, siue Vittatum, Marcum & Caium, qui deinde Caprarius dictus est.

Adeò

alium [k] Dalmaticum, eiusdem Macedonici filiós fuisse nulla controuersia est, [l] L. quoque Mummius deleta Achaia & Corintho, Achaici cognomen tulit. [m] Sed Corinthi superatæ prima laus Macedonici fuit. Is enim omnem Achaiam ita bello afflixit, vt rebus accisis Mummius superueniens, leui certamine expugnatam Corinthum victoriæ suæ adscripserit, [n] Messana quoque in Sicilia, & Isauria in Cilicia bello domitæ, M. Valerio & P. Seruilio, Messalæ [o] & Isaurici cognomenta dedere. Is enim Seruilius vir acer fuit & strennus, qui in Ciliciam cum imperio profectus, illam collatis signis, vi atque armis domuit: Lyciǽque vrbes clarissimas iusto prælio vicit. Isauros primùm bello aggressus imperio adegit. Victor denique triumphum ex hostibus, & Isaurici cognomen reportauit. Ex Allobrogibus quoque [p] Fabius Allobrox, [q] & ex Caucis Germanica gente Gabinus secundus Caucius, atque ex [r] Callaicis Brutus cognomento Callaicus, & [s] ex Getulis Cossus Getulici nomina sumpsere, [t] Callaici enim vlterioris Hispaniæ populi sunt, duri & agrestes, qui extima & montana inculta, ac difficiles saltus & impeditos ad Oceanum incolunt. Ideo bellacissimi & subactu difficillimi fuere. Fertur tamen [v] C. Turmius, qui Garamantes vltra Æthiopes horridos & incultos bello vicit, ob modestiam, & vitandæ inuidiæ causa, Garamantici cognomento abstinuisse. [x] Scipionem præterea Africanum, qui dux fatalis contra Hannibalem fuit, Africa superata, & Charthaginensibus bello victis, Africani cognomen tulisse, & alterum ex deuicto Antiocho & Asia subacta, [y] Asiaticum cognominatum inuenimus. Sed hic Asiaticus frater [z] Africani fuit, quorum alter P. Scipio, nomine à se victæ gentis Aphricanus: alter L. Spio frater, Asiaticus dictus est, qui consul aduersus Antiochum primus Romanorum in Asiam signa intulit: cum eóque consule Africanus frater legatum se gerens, pariter profectus est, illiúsque dictu & auspicio pleraque egregiè gesta in hostes fuere. Victo deinde Antiocho, & pace Eumeni concessa, ob Asiam victam Asiatici cognomen reportauit. His enim duobus fratribus, Africano scilicet & Asiatico, pater fuit P. Scipio ex Corneliorum gente, cum quo primum Hannibal Pœnus signa in Italia contulit: cuius fuit Cn. Scipio frater, summi ambo Imperatores, viri ornatissimi, qui paucorum dierum interuallo in Hispania

Achaicus. Messala. Isauricus. Allobrox. Caucius, Callaicus. Getulicus. Scipionū familia. Africanus. Asiaticus.

ANNOTATIONES.

Adeò vt Creticus eiusdem licet gentis fuerit: alterius tamē familiæ videri debeat: de quo L. Florus epit. 2. in bello Balearico, & ex Liuio epit. lib. 98. c. 99.

k *Dalmaticum.*] Hic fuit L. Cæcilius Metellus Q. Filius vt scribit Plutarch. qui Dalmatas obsedit vti est apud L. Florū ex Liu. epit. lib. 61. tandémque deuicit. de quo Asco. Pædianus in 3. in Verrem actio. & Plin. lib. 7. cap. 44. si vero est lectio quam Beroaldus astruit, sed Hermol. Barbarus contendit legendum esse Diadematis. vti etiam Cælius Rhodiginus lib. 17. cap. 22. authoritate Plutarchi in lib. de Fortuna Romanorum.

L. quoque Mummius.] Plin. lib. 35. c. 4. & alter Plinios, si is est, de Viris Illustrib. c. 60. & Plutarch. in vita Marij in princ. vide Iustinum lib. 34. Paulum Orosium li. 5. c. 3. Eutropium lib. 4. c. 6. & Val. Maximum lib. 7. c. 5.

m *Sed Corinthi.*] L. Florus epit. Liuij lib. 52. in princ. Alter eiusdem nominis, nisi idem sit, lib. 2. in bello Achaico. Orosius lib. 5. cap. 1.

n *Messana.*] Seneca in lib. de Breuitate vitæ, Valerius, inquit, Coruinus primus Messanam vicit, & primus, ex familia Valeriorum vrbis captæ in se translato nomine Messana appellatus est, paulatimque vulgo permutante literas Messalla dictus est. Et Macrob. lib. 1. Satur. c. 6. Hincq; illud Ouidij lib. 1. Fastorum suprà à nobis relatum.

o *Et Isaurici.*] Strabo lib. 12. Velleius lib. 2. Florus epit. libr. 2. in bello Piratico, Sextus Ruffus, in historia Ro. vbi de Cilicia & Isauria, & P. Orosius lib. historiarum 5. c. 23. Cicero epist. famil. lib. 13. epist. 44. & ad Atticum li. 5. epist. 21. Suet. in vita Cæsaris c. 13. & Plutarch. in vita eiusdem. Hunc tamen non Seruilium, sed Cornelium appellat Appianus lib. 1. Idem autem lib. 2. bellorum Ciuil. memorat Pompeium Isauricum, quem scribit Cæsarem sibi in Consulatu collegam assumpsisse.

p *Fabius Allobrox.*] Asc. Pædianus in 2 in Ver. act. & Seneca qui illum Allobrogum vocant lib. 4. de Beneficiis.

q *Et ex Caucis.*] Suet. in Claudio c. 24. in fin.

r *Callecis.*] Callaicis legendum est, & Brutus cognomento Callaicus ex Strabone lib. 3. P. Victore in 9. regione Vrbis Plin. lib. 3. c. 5. & Ouid. Fast. lib. 6.

Tum sibi Callaico Brutus cognomen ab hoste
Fecit, & Hispanam sanguine tinxit humum.

Quanquam scio hos à Bruto deuictos Callecos vocatos ab Eutropio lib. 4. c. 3. & Callecios à L. Floro epit. Liuij lib. 56. in prin. De Callecis quoque, Hispaniæ populis mentionem facit Iustinus lib. 44.

s *Et ex Getulis.*] Iuuenalis Satyr. 8. non longè à princip.

Agnosco procerem, salue Getulice. ——

Non paulò ante de Crasso locutus fuerat.

t *Callici.*] Hic quoque Callaici legendum: & id Strabonis est, vbi suprà.

u *Q. Turmius.*] Ego verò C. Turmium reposui, qui primus Romanorum Garamantas domuit, & cognomento abstinuit, vt L. Florus ait, apud quem iamdiu ita Volaterranus legit Reperies autem post Turmium eosdem à Cornelio Balbo victos & triumphatos apud Plin. lib. 5. c. 5.

x *Scipionem præterea Africanum.*] Liuius 3. Decad. lib. 10. in fi. Cuius hæc verba sunt de eo loquentis, Africanum, cognomen militaris prius fauor, an popularis aura celebrauerit, an sicuti Felicis Syllæ, Magníque Pompeij patrum memoria cœptum ab assentatione familiari sit, parum compertum habeo. Primus certè hic imperator nomine victæ à se gentis est nobilitatus exemplo deinde huius nequaquam victoria pares, insignes imaginum titulos, claráque cognomina familiæ facere. Et Plut. in vita ipsius Scipionis. Martia. lib. 1. epigrammatum, epig. 2.

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen
Scipio, quod victor, quódque Metellus habet.

Sed miror quod dixit Liu. vbi suprà, Scipionem primùm nobilitatum fuisse nomine gentis à se victæ, cùm longis antè temporibus L. Sergius Fidenas ead. ratione cognominatus est, quòd Fidenates vicerat. vt & suprà dictum. Inter Fidenas autem captas & Cartaginem à Scipione victam intercesserunt anni plus minus CC.

y *Asiaticum.*] Liu. 4. Decad. lib. 7. ad fi. & Plutarch. in Scip. Africano post princip. Plin. Secundus, si is est, de Viris illustrib. cap. 53. Valerius Maximus lib. 3. cap. 5. & Eutropius de gestis Roman. libr. 4. cap. 1. vbi hunc dicit Asianum vocatum: nisi dicas ibi mendum, quamuis inter hæc nihil inter est.

z *Frater Africani fuit.*] Hæc omnia sunt Liuij 3. Decad. libr. 6. & 4. Decad. libr. 7. Et Plutarch. vbi suprà. & vide Cellium lib. 7. cap. 19.

cæsi occubuere. Sed ex Publio hi duo quos dixi, Scipiones Africanus scilicet & Asiaticus, filij extitere: ex Cn. autem [a] P. Cornelius Nasica ortus fuit, qui vnus vir optimus à senatu iudicatus, matrem Cybelem ex Pessimunte suscepit, [b] Tyberiúmque Gracchum seditiones in vrbe molientem interemit. Fuit quoque & alius Scipio cognomento Æmilianus, prioris Africani nepos adoptiuus, qui ob Africam & Numantiam bello domitas, [c] minor Africanus [& Numantinus appellatus est. Sed hic Æmylianus quem dico, minime ex Corneliorum gente propagatur, sed adoptiuus in nomen & familiam venit. Siquidem cum Scipio maior Africanus filium haberet natura admodum tenui & imbelli, vnde & valetudinarius vocatus, quòd non ea vis animi foret, vigórque, nullósque liberos sustulisset, ne decederet sine liberis hunc, Æmylianum Lucij Pauli filium, vt multi credunt, ex filia nepotem, in familiam noménque adoptauit. [d] Fuerat enim Scipioni Africano vxor filia Pauli Æmylij, qui consul ad Cannas ne tantæ cladi superesset, in conflictu belli cæsus occubuit, ex qua vnicum filium tulit, filias verò duas, quarum altera Scipioni Nasicæ, altera Tyberio Graccho nuptæ fuere. Æmylio verò Paulo quatuor filij extitere: duo in adoptionem alterius familiæ dati, Scipio videlicet & Fabius: duo in potestate retenti, quos ex altera coniuge sustulerat. Horum alter quinque diebus ante triumphum, quem speciosissimum de rege Perse & omni Macedonia habuit: alter tertia post triũphum die, adhuc impuberes mortẽ obiere immaturam. Hic ergo Æmylianus ex reliquis Pauli Æmilij filiis iunior fuit, gloria militari illustris: qui Africani nepos adoptiuus, auitæ virtutis memor prouocatorem barbarum tribunus adhuc militum occidit: Cum patre aduersus Persen acriter pugnans, egregia facinora gessit. In Africam deinde cum exercitu profectus tertium Punicum bellum confecit. Carthaginem & Numantiam funditus euertit. Parta deinde victoria, & rebus confectis, cognomentum Numantino & minori Africano inditum fuit, [e] Horum postea exempla sequuti Cæsares, ex prouinciis quas vi & armis subegere, illustria cognomenta ob immortalem gloriam tulerunt: sæpe populi decreto, nonnunquam acclamatione senatus. Siquidem [f] Seuerus imperator, & reliqui post eum Cæsares, ex Arabia, Adiabena, Parthia, Armenia & Germania, aliisque bello domitis gentibus nationibúsque, quas suo ductu & auspicio conquisiuere, Arabici, Adiabenici, Parthici, [g] Armenici & [h] Germanici, sicut [i] Sarmatici, [k] Africi, diuersis titulis cognomenta cepere. [l] Fertur tamen Valeriano Cæsari, quòd promptus ad arma & bellicosior esset, milites militari studio manu ad ferrum nomen indidisse: qui postea in imperio delatum Carpici cognomentum refutauit. [m] Alexander verò Seuerus Imperator, licet Imperatoris, patris patriæ, & magni cognomenta renuerit, asserens magis rebus gestis ea sibi nomina parare oportere: tamen ob deletos Azauenos, Azauenici cognomen sumere non dubitauit. [n] Traianus

Æmylianus. Africanus minor Numantinus.

Cæsares ex prouinciis à sese subactis cognominati.

Carpicus. Azauenicus.

ANNOTATIONES.

a *P. Cor. Nasica.*] Liu. 3. Dec. lib. 9. & Plin. lib. 7. c. 34. L. Florus epit. Liuij lib. 49. Plutarch. vbi suprà.

b *Tyberiúmque Gracchum.*] Plutarc. in vita Gracchorum. Paul. Orosius lib. 5. c. 7. L. Florus lib. epit. 3. & 58. dicitur author fuisse primatibus Gracchi occidendi.

c *Minor Africanus & Numantinus.*] Eutropius lib. 4. c. 3. Velleius lib. 2. & præterea de agnomine Numantini Plin. Secundus, si is est. de Viris illustrib. c. 58.

d *Fuerat enim.*] Hæc vsque ad clausulam, Horum posteà. sunt Plutarchi in Paulo Æmylio. Liu. de L. Æmilij morte scribit lib. 2. Dec. 3.

e *Horum posteà.*] Id probat exemplis seq.

f *Seuerus Imperator.*] Spartianus in vita illius. Eutropius lib. 9. c. 10. & Sex. Ruffus in historia Roma. vbi de Septimio Seuero. Sed & idem Germanici nomen accepit ex Spartiano vbi suprà. Sanè eiusdẽ Seueri principis arcus sub radicibus Capitolij sic inscriptus est, *Imp. Cæs. Septim. M. Filio Seuero, Pertinaci Aug. PP. Parthic. Arabic. & Adiabenico Põt. Max.*

g *Armenici.*] L. Antonius Verus Imperator per Statium & Priscum Artaxata capta, quæ Armeniæ metropolis est, Armeniaci nomen adeptum ad successores transtulit, vt ex Capitolino obseruatum habeo, & in antiquis spectationibus in mole Adriani legitur Romæ IMP. CÆS. L. AVRELIO VERO AVG. ARMENICO MEDIC. PARTHICO PONT. MAX.

h *Germanici.*] Vt Domitiano ex Frontino libr. 1. Stratagematõn. Et Martiali li. 1. epig. 2. qui ad ea, quæ suprà diximus hæc addit Domitianum ipsum alloquens,

Nobilius domito tribuit Germania Rheno.
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.

Et Traiano ex Plinio in Panegyrico ipsius & Iuuenale de eo loquente satyra 6.

Dacius & scripto radiat Germanicus auro.

Quanquàm sint, qui hunc locum de Domitiano intelligunt, & quidem perperam, cùm hunc vbique insectetur: Traianum verò perpetuò laudet præsertim satyra 10.

i *Sarmatici.*] Romæ sic in mole Adriani legitur maiusculis literis compositum. Imp. Cæs. D. M. Antonini Pij: Germanici, Sarmatici filio, diui Pij nepoti, diui Hadriani pronepoti, diui Traiani nepoti, diui Neruæ abnepoti, L. Ælio Aurelio Commodo Aug. Sarmatico, Germanico, Maximo, Britannico &c. Similiter Constantius militari consensu secundò Sarmaticus ex vocabulo subactorum appellatus est, ait Marcellinus lib. 17.

k *Africi.*] Perinde est ac si dicas Africani, quo cognomine decorati sunt duo illi Africani domita Africa. Et fortè hic legendum est Africani, neq; memini me legisse cognomen Africi cuipiam datum: sed rebus aliis datum scio, vt Africæ procellæ Horatio libr. 3. Car. ode 19. Et Africa bella Silio. li. 17. Est & Africus proprium nomen venti apud ipsum Horat. lib. 1. Car. ode 1. & 3. & Ephod. ode 16. & Virgil. libr. 1. Æneid. & Plinium lib. 2. c. 47. & lib. 18. c. 34.

l *Fertur tamen Valeriano.*] Hic memoria lapsus est Alexander, neque enim hic Valerianus fuit, sed Aurelianus, vt in eius vita scripsit Flauius Vopiscus.

m *Alexander verò Seuerus.*] Hic quantum ex Lampridio constat, quòd nihil adhuc gessisset egregii, cognomen magni recusauit: Seueri duntaxat accepit: collata ei tamen fuere simul, quæ anteà nulli, Ius proconsulare, Tribunitia potestas, ius quintæ relationis, pater patriæ & Pont. Maximus Sed quod hic de Azamenis prodit, amplius quæro.

n *Traianus.*] Dion. Nicæus in vita illius. & Vlpian. in l. item veniunt: §: præter hæc. ff. de pet. hær. Sed & Alexander Seuerus Parthici quoque appellatione à Senatu donatus, vt in eius vita scribit Ælius Lampridius. Ipse autem Dion scribit eundem Traianum Dacium cognominatum fuisse, deuictis Dacis. Quod & probatur illo Iuuenalis versu à nobis suprà citato, & ex veteribus numis.

o *Optimi*

autem contra Partos victor, Parthici appellationem non accepit. Cui cum multi deferrentur honores, reliquis posthabitis, sola ° Optimi agnominatione gauisus fuit. ᵖ Commodus verò eò vecordiæ processit, vt pro Commodo, Hercules Iouis filius dici maluerit, quod sibi postea in inuidiam perniciemque cessit. Apud Græcos non ab oppidis & prouinciis, sed à rebus gestis magnificè, ᵍ Soter & ʳ Callynicos dicti: à forma & specie corporis, ˢ Phylcon & ᵗ Cytippus: ab excellentia crurum, ᵘ Eucnemos: à virtute, ˣ Euergetes & ʸ Philadelphus: à fortunæ felicitate, ᶻ Eudæmos: à multiplici victoria, ᵃ Nicanor: ab vrbium expugnatione, ᵇ Polycrates: à fortitudine, ᶜ Achersites,

Optimus. Commodi vecordia. Externa Graci. Ab habitu, fortuna, & rebus gestis.

ANNOTATIONES.

o *Optimi agnominatione.*] Plin. in Panegyrico, Iustisne de causis S.P.Q.R. Optimi tibi cognomen adiecit: Paratum id quidem & in medio positum, nouum tamen, scias neminem adhuc meruisse.

p *Commodus.*] Lampridius in vita illius, & Athæneus libr. 12.c.8.& Herodianus lib.1. Sed hîc lege, Hercules Iouis filius sine coniunctione ex ipso Herodiano.

q *Soter.*] Plut. in Coriolano, & in lib. de Fort. Alexandri 2. Est autem σωτὴρ, quasi dicas salutaris, seruator, siue conseruator, quo & cognomine vocatus est Iupiter Euripidi in Hercule furente, Sophocli in Nauplio, Straboni lib.9. Diodoro Siculo lib.5. Arriano li.8. Gestorum Alexandri. & Hesychio, Laërtio in Aristotele. Ex quo etiam intelliges & Mineruam Soteram dictam ex ipso Hesychio. & Proserpinam Soteram, id est, sospitam Pausaniæ lib.8.& aliis. Sed & ita cognominatus est Hercules Thasiis, qui & eius nomine publicam monetam inscribebant ἡρακλέους σωτῆρας θασίων, qualem se vidisse testatur Reuclinus. Similiter dictus est Antiochus Macedoniæ rex, in Appiani Syrio, vbi & ita primum fuisse cognominatum dicit Seleucum Nicanoris filium.

r *Callyncos.*] Callinicos legendum est ex Plut. in Mario, in princ. Quæ dictio significat victor egregius: cuiusmodi dictus est Hercules Archiloco, teste Pindaro, Olympiorum ode 9. in princ.

Τὸ μὲν ἀρχιλόχου μέλος
φωνᾶν ὀλυμπία,
καλλίνικος ὁ τρίπλοος κεχλαδὼς &c.

Quo in loco interpres affert versum integrum ipsius Archilochi in hymno in Herculem:

χαῖρε καλλίνικε ταῦελλα ἄναξ ἡράκλεες.

Sed & Seleucho, filio Antiochi Dei, & patri Antiochi iunioris cognomentum Callinicus fuit, vt tradit Polybius lib. 5. & Appianus in Syrio. Callinici autem cuiusdam sophistæ Syri, siue Arabis, qui scripsit de cacozelia, de Rhetorica ad Cleopatram, de rebus gestis Alexandri, meminit Suidas.

s *Phiscon.*] Hic quoque corrigendum Physcon ex Plutarcho illo eodem loco. Est autem φύσκων ventricosus, obesus. corpulentus apud Iosephum nomen filij Ptolemæi Epiphanis Antiqui. lib.12. c.5. Nam φύσκη, vnde φύσκων deductum est, dicitur crassum illud ventris intestinum in quod farina subacta & caro infercitur, fiúntque alantopoles, qui dicuntur ἀπὸ τοῦ ἀλλᾶντος τῶν κρεῶν, à carnium congestione. De quibus Aristophanes in equitibus. Hoc autem Physconis nomen datum est vni ex Ptolemæis regibus Ægypti. de quo Val. Maximus lib.9.cap.1. & iterum cap.2. & Strabo lib. 18. non semel.

t *Cyrippus.*] Ita etiam legitur apud Plutarch. vbi suprà. Sed putarim legendum Cirrhippum, cum Cælio Rhodigino libr.14.cap.5. ab equis & cirrho colore, id est, fuluo, giluo, rufo. Nam & hinc κίῤῥος οἶνος dicitur Dioscoridi lib.5.cap.9. quem locum Ruellius vertit vinum vermiculatum, Hermolaus rubrum, Marcellus, Virgilius medium inter album & rubrum.

u *Eucnemos.*] Hæc ex Plinio lib.34. cap 8. vbi Sillanion fecit Strongylion Amazonem, quam ab excellentia crurum Eucnemon appellant, tanquam dicas bellè suratum, si ita licet loqui, cui scilicet, bellæ ac pulchræ sunt suræ, vulgo loquimur, *belles greues*, ab εὖ notæ significationia dictione, & κνήμη, sura, crus. Ex quo prouerbium illud. γόνυ κνήμης ἔγγιον. id est genu sura, sine crure propius. de quo Eras. Chil. 1. cent.3. c.90.

x *Euergetes*] Et hoc quoque cognomen inter ea, quę à virtute data sunt, ponit Plutarch. in Coriolano. & in libr.2. de fortuna Alexandri, quo insignitus fuit Ptolemæus alterius Philadelphi cognomento filius, & successor, in regno Ægypti. de quo Strabo lib.17. non semel. Id autem significat beneficus, benefactor, benemeritus: qui fuit dictus per illusionem ab Alexandrinis, pro Euergete, Cacergetes, id est, maleficus apud Athenæum lib.12.c.27. Vnde εὐεργέτης ἡμῶν apud Lucianum in Anacharsi. id est, beneficus in nos, siue de nobis bene meritus. quo sensu vsurpat Diod. Siculus lib. 17. c.7. ante finem.

y *Philadelphus.*] Plutarch. vbi suprà. & id agnomen tributum est Ptolemæo patri eius, quem nuper diximus fuisse Euergetem cognominatum apud Strabonem d.lib.17 filióque Ptolemæi, qui verbo, Lagi, re veró filius fuit Philippi Macedonum regis. Discrepat autem ab scripta hoc loco sententia Pausanias lib. 1. cùm Philadelphi nomen Ptolemæo ob amorem in mulieres vsque ad insaniam intemperanti datum innuit, quod Arsionoës Germanæ sororis amore victus, eam sibi matrimonio adiunxerit. Sunt tamen qui per contrariam significationem dicant inditum nomen Philadelphum Ptolemæo, quod Argæum fratrem minorem interfecerit. & Magæ vterino fratri bellum indixerit. Ego superiori magis applaudo coniecturæ.

z *Eudæmos.*] Sicut, inquit Plutarch. in eodem loco, Batius secundus, aut, vt alij legunt, Bassus vocatus est. Est autem εὐδαίμων, tanquam dicas fortunatus, felix, vnde & Platoni lib. de legibus εὐδαίμονες τύχαι, fortunati successus. Ex quibus intelligis hîc legendum, Eudæmon esse, vti etiam legitur apud Plutarch. in Coriolano. Nisi quis velit dicere eudæmon, vt eudæmis dictum fuit, Εὔδαιμος ille, qui cum Achelao in academia plurimum versatus præceptor fuit. Philopœmenis Megalopolitæ ducis. vt in eius vita idem Plutarchus scribit.

a *Nicanor*] Νίκη Græcis victoria est apud Plutarchum in Nicia, vbi hinc dicit plerosque putasse Niciæ cognomen illi datum fuisse. Sed & hinc Nicanor & Nicator cognomina tracta, quæ victorem, siue victoriosum significant, quo cognomine Seleucus primus è Seleucorum familia vir maximus, insignitus fuit, vt aiunt Strabo lib. 14. Appianus in Syriacis, & Marcellinus lib.23. Et ita quoque vocatus est gener Aristotelis apud Laërtium in vita illius, & Alexandrinus quispiam grammaticus, qui tempore Adriani Imp. vixit apud Suidam.

b *Polycrates.* Scio id nomen plerisque inditum fuisse, & inter cæteros Polycrati illi Samio de quo Cicero lib.5. de Finibus. Strabo lib.14. Et præsuli Ephesiorum, qui vixit temporibus Seueri imperatoris Sed cùm id nomen non conueniat vrbium expugnatori sed potius viro magnæ potentiæ, roboris. virium, dominationis. Nam κράτος hæc significat verùm puto illum scripsisse Poliorcetes, id est vrbium expugnator, siue destructor, cuiusmodi cognominatus fuit, Demetrius propter animi pertinaciam in expugnandis vrbibus, vt scribit Citruuius lib.10.c.22. Plut. in Demetrio, & Marcellinus lib.23.

c *Achersites:*] Quid id sit nondum comperi & fortè Alcetes dicere voluit: quo nomine vocatus fuit Pyrrhi proauus. Plutarch. in vita ipsius Pyrrhi in princ. Id nomen autem dicitur ab ἀλκὴ quod significat robur, virtutem, præstantem

aut [d] Aquilæ vel [e] fulminis nomina fuere: quare Pyrrho ab Epirotis Aquilæ nomen inditum, à multiplici doctrina, [f] Polyhistor: ab optimo consilio, [g] Aristobulos dicti. Quibusdam regibus liuor & vitium, nonnunquam ignauia & nequitia cognomẽtum dedit: quippe Antiocho regi Macedoniæ, quòd multa promitteret, parum efficeret, [h] Doso: [i] Ptolemæo, Lamyro ob vitæ turpitudinem nomen fuit, Antigonus quoque à rapacitate [k] Hierax, & à genuum magnitudine [l] Gonatus. Alij à verborũ obscuritate, [m] Scotini, & ab amentia [n] Coalemi, atque ob fictos mores [o] Laconistę notam nominis tulere: sicut [p] Xenarchius Rhodius à bibacitate, Metretes: & Atheniensis [q] Diotinus, Chone, hoc est, infundibulũ, quòd illo apposito affatim hauriret. [r] Demochares verò ob procacẽ linguã, Parthesiastes: & [s] Demosthenes, ob morum feritatem, Arges serpentis nomine appellati sunt. Inter quos [t] Varo sophistæ à forma nisi ciconiæ comparis, Pelargus nomen factum. Nonnullis verò ob claritudinem, [v] Lychni dixere nomen, sicut Artaxerxi, [x] Mnemoni, quòd memoria valeret. Pericles summus orator, ob dicendi elegantiam & sermonis magnitudinem, [y] Olympius: Dion, [z] Chrysostomos: Phocion, ob frugalitatem, [a] Chrestus seu bonus: [b] Cleomenes [c] & Ptolomæus, benefactor nuncupati,

A viuis.

ANNOTATIONES.

animi fortitudinem. Et de Alceta Pausanias in Atticis & Athenæus li.10.c.12.& Xenophon rerum Græcarũ li. 5. & 6.

d *Aquila.*] Nam, vt continuò pòst dicit, id nomen Pyrrho inditum est, quod ipsum tradit Ælianus libr. de Animalibus 7.cap.45.& Plutarchus in vita illius. Post hanc, inquit, pugnam Pyrrhus cum magna gloria & celebritate nominis ac lætitia in Epirum reuersus, cùm ἀετὸς, id est, aquila, salutaretur, Per vos, inquit, ἀετὸς sum, qui me vestris armis, tanquam alis, in altum extulistis. Tradit autem Plutarchus in Aristide, Reges quosdam & tyrannos se vrbium expugnatores, fulmina, victores, aquilas, accipitres appellari ingenti cum voluptate voluisse, quos tamen non nominat.

e *Fulminis.*] Primùm nesciebam quis eo cognomine dictus fuisset: nisi si quis huc traheret quod scribit Cicero in oratio. pro Cornelio Balbo, imperij nostri fulmina Cn. & P. Scipiones. De quibus est etiam illud Virg. lib.6. Æn.

—— Duo fulmina belli
Scipiadas, cladem Lybiæ?

Illúdque Silij Italici lib.7.

—— Aut vbi sunt nunc fulmina gentis Scipiadæ?

Verùm tandem memoriæ occursit vnum ex Ptolemæis regibus Ægypti κεραυνὸν, id est, fulmen fuisse cognominatum ex alacritate in rebus gerendis & audacia, vt scribit Pausanias lib.1. qui de Atticis est. Cuius etiam meminit Appianus in Syrio: & alterum quoque scilicet, Damippum ita cognominatum, cuius meminit Anaxippus in Cetanno Dramate ab ipso Damippo denominato apud Athenæum in Dipnosophistis lib.10.cap.1.

f *Polyhistor.*] Ea dictio idem significat quod multiscius, à τὸ πολὺ, multum & ἱστορέω, scio, loquor. Eóque nomine vocati sunt Appion & Alexandes Milesius.

g *Aristobulos.*] Multos eo nomine vocatos fuisse comperimus, scilicet vnum ex septuaginta interpretibus missis ad Ptolemæum, vt libros sacros in linguam Græcam verterent, quique commentarius in legem Hebræorum edidit. Cuius meminit Eusebius. Alter etiam Iudæus, qui scripsit res gestas Alexandri, cuius peregrinationis comes fuit, sæpéque citatur Ariano in rebus gestis Alexandri, vt & obseruauit Volaterranus. Alius pictor Syrus Plinio memorante lib.35. cap.11. Legimusque apud Plutarch. in vita Themistoclis, ipsum Themistoclem templum Dianæ dedicasse, quam Aristobulam, id est, optimè consulentem appellauit. Et huius quoque Deæ Aristobulæ meminit Artemidorus Daldianus lib.2.

h *Doso.*] Ex Plutarcho in Coriolano, & in Paulo Æmylio: quibus tamen locis non Antiochum hunc fuisse, sed Antigonum dicit ita fuisse appellatum, quòd multa promitteret, pauca impleret. Δώσω enim futurum est verbi δίδωμι, tanquam diceretur Antiochus, Dabo.

i *Ptolemæo, Lamyro.*] Plutarchus vbi suprà. & huius quoque meminit Strabo libr.17. Ob id autem ita dictus est, quòd mendax esset, garrulus & loquax: Hæc enim Græcè λαμυρὸς significat.

k *Hierax.*] Ælianus de Animal. lib.7. ca.45. ἱέραξ, autem Græcis dicitur accipiter, miluus ἀπὸ τοῦ ἱέναι ῥέπων, ἤγουν φέρειν, proindéque & de raptore dici.

l *Gonatus.*] Γόνυ enim genu significat. Xenophon lib. 1. Pædiæ Cyri. Ita autem cognominatum fuisse Antigonum Demetrij filium scribit Plutarch. in Paulo Æmylio.

m *Scotini.*] Σκοτεινοὶ, id est tenebricosi, obscuri: nam sic vocatus est Heraclitus Ephesius ob scriptorum obscuritatem, vt tradit Arist. in lib. de mundo. & Strabo lib.14.

n *Coalemi.*] Qui stulta meditantur & cogitant, Coalemi vocantur κοεῖν est cogitare, ἠλίθια verò fatua dicuntur: quale cognomen ob amentiam fuisse inditum cuidam Cimoni Plut. scripsit teste Rhodigino lib.17. c.4.

o *Laconistæ.*] Fuere potius dicti Laconistæ, à breuiore sermone, qui compendiosius & subinde obscurius loquebantur. Sed non memini me legisse quosdam Laconistas fuisse nuncupatos. Corn. autem Tacitus libr. 17. sæpius memorat Cornelium Laconem præfectum prætorij tempore Galbæ.

p *Xenarchus.*] Athenæus libr. 10. c. 12. authoritate Euphorionis poëtæ in Chiliadibus.

q *Diotinus, Chone.*] Idem author eodem loco authoritate Polemonis, qui & idem dicit de Alceta Macedone, authoritate Aristi Salaminij.

s *Demochares.*] Senec. lib.3. de Ira, ad Philippum Macedonem, Demochares Parrhesiastes ob nimiam & procacem linguam appellatus, inter alios Atheniensium legatos venerat. Audita legatione Philippus, Dicite, inquit, mihi, facere quid possim, quod sit Atheniensibus gratum. Excepit Demochares, Te, inquit, suspende. Ex quo intelligis hîc non Parrhasiades, sed Parthesiastes, παῤῥησιαστὴς, id est, qui procacites, liberè, & audacter loquitur.

s *Demosthenes.*] Plut. in vita illius.

t *Varo.*] Scilicet, Pergæo (fuere enim alij eo nomine) quem à forma nasi, Pelasgium, id est, Sophistam vocabant: de quo est apud Philostratum.

u *Lychni.*] Inditum hoc Cadmo, qui à Phœnicia in Græciam literarum lumen attulit, vt inde Lychnus Heliconius dictus fuerit. Quod obseruauit ex Chrestodoro Cæl. Rhodiginus lib.6.c.18.

x *Mnemoni.*] Plutarch. in vita ipsius Artaxeris in princ. & iterum in vita Marij. Est autem μνήμων, idem quòd memos.

y *Olympius.*] Plut. in vita ipsius Periclis.

z *Chrysostomos.*] Id est cui est os aureum. Atque ità dictus Dion Prusicus Sophista & philosophus, vt tradit Suidas.

a *Chrestus seu bonus.*] Probus Æmylius in vita ipsius Phocionis. Pertinax autem Imperator χρηστόλογος dictus est, vt scribit Aurelius Victor in vita illius, quòd blandus esset magis quàm beneficus. Lucianus in Philopatre.

b *Cleomenes.*] Hic Lacedæmonius rex frugalissimus Athenæo lib.4.c.4. fuit: eique cognomentum fuit, Benefactor vt scribit Polybius lib.5.

c *Et Ptolemæus.*] Et huic quoque eiusmodi cognomentum fuisse

[d] Aristides ob morum sanctitatem, Iusti: [e] Callimachus propter studium miræ artis, Calotechnos sicut alter ob artis calumniam [f] Cacothecnos sumpsere nomen. [g] Alcæus tamen Pittacum Satapodam, quòd latos haberet pedes, cognominauit. [h] Antiochus verò Syriæ rex, elatus supra modum hominis, cum vanum titulum vendicaret cognomento Deus dici voluit: sicut apud Romanos [i] Domitianus, [k] & Caius princeps, qui Optimum Maximum, & Latialem Iouem se dici iussit. Proditus tamen est [l] Marcus quidam è plebe Boiorum, cum Dei nomen sibi arrogasset, & non spernendam manum perditissimorum asciuisset, quos ingentibus promissis corruperat, ita vt in Romanos ferret arma, postea captus & occisus, falsi inditi nominis grauissimas pœnas dedisse. Sicut Seluus ignotus homo, qui se Ætnæ filium mentitus erat, quum loca circa Ætnam cum perditissimis & facinorosis prædaretur, à Romanis captus, in ludo gladiatorio ictibus bestiarum occisus fuit. Cui haud absimile est quod de [m] Euno Syro proditur, qui quum nuce iuglande in os inclusa ignem euomeret, similans se deæ Syriæ numine afflatum, apud seruos & infimam plebem diuinus habitus, primò duo hominum millia in Sicilia spe rapinarum asciuit, mox effractis carceribus ad sexaginta millia coegit, Manliumq; & Lentulum prætores iusto prælio vicit & profligauit. Denique à Romanis coercitus, post multiplices clades suæ temeritatis meritas pœnas dedit.

ANNOTATIONES.

fuisse tradit Polybius eo ipso li.5. sed alio in loco. Est autem Græca dictio huius cognomenti apud Polybium vtroque in loco εὐεργέτης, euergetes, quam Perottus, interpres equidem doctissimus, etiam vtrobique vertit Benefactor, quem secutus est Alexander noster. Sed maluissem Græcam ipsam dictionem exprimere, vt plerumque facimus in nominibus & cognominibus. De Ptolemæo Euergete sæpè apud scriptores & alibi in hoc opere scriptum est. At de Cleomene vix alibi reperies.

d *Aristides.*] Probus Æmylius & Plutarchus vterque in vita illius.

e *Callimacus.*] Plinius lib.34. cap 8. Ex omnibus autem, ait, maximè cognomine insignis est Callimachus semper calumniator sui, nec finem habens diligentiæ, ob id Cacizotechnos appellatus. quæ quidem dictio ita vocata est ἀπὸ τοῦ κακίζειν τὴν τέχνην. Ex quo vides hic erratum esse in dictione Calotechnos.

f *Cacotechnos.*] κακότεχνος, id est, malignus, maleficus, maleuolus. Nam & cacotechniam artis prauitatem nominant, vt etiam scribit Quint.lib.2.c.20. Sed quis ita cognominatus sit, nunc non memini.

g *Alcæus.*] Diog. Laërtius in vita Pittaci ad fi.

h *Antiochus.*] Appianus in Syrio vbi dicit hunc Antiochum secundum fuisse.

i *Domitianus.*] Sueto. in vita illius, c.13. Aurel. Victor in vita quoque ipsius. Eusebius in Chronicis. Hincq; illud Martialis lib.5. epig.8.

Edictum domini deique nostri.

Et libr. 8. epig. 2.

Terrarum domino deóque rerum.

k *Et Caius princeps.*] Scilicet Caligula, ex eo. Sueton. in vita ipsius c.22. Et vide Philonē Iud. in li. de legatione ad Caiū.

l *Maricus.*] Huius Galliarum assertoris historia transcripta est ea lib. 18. Taciti.

m *Euno Cyro.*] L. Florus epit.3. in bello Seruili & nonnihil epitome Liuij lib.56. & Athenæus Dipnosophistarum libr. 6.c.7. in fin. & de hoc quoque bello Paulus Orosius lib.5.c. 7. & Eutropius lib.4.c.3.

Quid sit triplex forum, de quo in Martiale fit mentio, quave fora olim Roma fuerint, quave apud exteros præcipua. CAPVT XII.

DOMITIVM Calderinum virum disertum & studiosum, vidimus aliquando dum Romæ ageret. Interpretabatur tunc Martialis epigrammata, in quibus hos versus meminimus [a] legisse.

Causas, inquis, agam Cicerone disertiùs ipso,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Quos ille in scholis cum suis sectatoribus sic definiebat, vt tria fora Romæ esse diceret, in quibus iudicia redderentur, [b] Latinum scilicet, [c] Romanum, & vetus: quod in commentariis à se editis referre non dubitauit. Sed cum legissemus fora multiplicia Romæ, in quibus forensia negotia & iudicia agitarentur, Romanúmque forum, Latinum quoque & vetus dici, tenuit nos admiratio, quòd vir ille ingenio alioqui exculto, strictim & inexploratè rem non prætereundam pertransierit. Nam & Romanum forum in [d] Comitio legimus inter Capitolium & Palatium, [e] vbi Rostra, [f] ædes Saturni, [g] Castoris & Pollucis templa fuere, quod Latinum forum dictum est. In quo Ro-

Martialis locus à Domitio deprauatus.

Forū Romanum.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

a *LEgisse.*] Scilicet lib.5. epig.85. Similéq; est illud eiusdem Martialis lib.8. epig.44.

Foróque triplici sparsus ante equos omneis.

Illúdque Statij Syluarum lib.4. syl.9. ad Iulium Plotium.

Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino iuuenis foro tonabas.

b *Latinum.*] Nihil de Latino foro me legisse memini: nisi quòd Latium vocat Ouidius lib.4. Fastorum, quod idem libr.3. Magnum appellauit. Item Statius Sylua 1. de equo Domitiani.

Stat Latium complexa forum.

Et scio Martialem alibi dixisse lib.9. epig.4.

Addita quid Latio Flauia templa foro?

c *Romanum.*] Huius sæpe fit mentio apud authores vt Plinium lib.4. cap.5. & lib.12. c.4. & lib.19. cap.1. & Virgilium lib.8. Æneid.

Romanóque foro.

Et Propert. lib.4. eleg.2.

Romanum satis est posse videre forum.

Et Martial. lib.1. epig.44.

Romanum propriùs diuitiúsque forum.

Et Suet. in Augusto c.72. & vide infrà.

d *In Comitio.*] Forum quodpiam siue id, siue aliud in Comitio fuisse satis constat ex Plinio lib.15. c.18.

e *Vbi Rostra.*] Seruius in lib.8. Æn. vbi suprà.

f *Ædes Saturni.*] Quod satis innuit Plinius dict. libr. 15. cap. 18.

g *Castoris & Pollucis.*] Dionysius Halicarnass. lib.6. Strabo

 lib.

Comitiū. Basilica Opimia, Iulia, Porcia. Forum Cæsaris. Forum Augusti. Forum vetus. Forum boariū. Forum olitoriū. Colūna lactaria.

mani magistratus, finito honoris tempore, imperij insignia dimittere assuérant: ad [h] quod populus frequens conueniebat, sicut ad [i] Comitium senatores, ibíque [k] Pauli basilica, mille & quingentis talentis taxata, quæ mox Fuluiæ dicata fuit: licet [l] aliam Opimiam in qua [m] senaculum erat, quòd in ea seniores assidebant: & aliam [n] Iuliam, cuius construendæ præfectus [o] Vitruuius fuit: & aliā [p] Porciam, quam Cato censorius magna mole construxit, basilicas fuisse legamus. Alterum verò [q] Cæsaris forum dictum est, vbi Veneris templum ab eo extructum ferunt. Et [r] Augusti forum, quod cum æde Martis vltoris Augustus sua impensa instruxit, ornauítque. Vetus quoque forum [s] boarium legimus, in quo ædes [t] Herculis rotunda, matris [u] Matutæ, & [x] pudicitiæ patritiæ sacella. Ibi etiam bos [y] ex ære Æginetico fabrefactus. Quintum [z] fuit olitorium, iuxta quod [a] ædes Spei & [b] Pietatis, quam Marcus Acilius [c] Glabrio duumuir dedicauit, Inibi & [d] Iunonis Matutæ & [e] Fauni templa fuere: vbi lactariam columnam fuisse [f] Pompeius memorat, in qua infantes lacte alendos deponeb ant

ANNOTATIONES.

lib.5. Plin. lib.34. cap.6. in princip.

h *Ad quod populus.*] Quod hîc de foro dicitur, verum quidem est: sed quod de Comitio, non item, vt arguunt verba Dionys. Halicarnas. lib.7. hoc sensu, Brutus comparata plebeiorum manu non modica, descendit cum eis in forum: ante claram lucem æde Vulcani occupata, qui locus destinatus erat concionibus, vocàbátque plebem in Comitium: mox referto foro, neque enim anteà tanta turba conuenerat, progressus in medium illius, &c.

i *Ad Comitium Senatores*] Varro lib.4. de ling. Lat. inquit, Comitium ab eo, quòd coibant eò comitiis curiatis & litiū causa: ergo non ibi Senatores tantùm, sed & populus veniebat, vt Festus ait lib.3. si comitia haberentur, vel ad ius audiendum, quod ibi reddebatur, vt & Cælius Rhodiginus animaduertit lib.20. c.17. Quare & intra ipsum Comitium forum fuit: de quo accipias locum Plinij lib.15. c.18. vbi ait, colitur Ficus arbor in foro ipso ac Comitio Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis. Mirabitur autem ingeniosus quod de Marcello Octauia Augusti sorore genito prodit Plin. li.19. c.1. à quo in ædilitate sua forum velis vmbratum aiunt, vt salubrius litigantes consisterent, cùm anteà multò, vel ab illo anno quo primùm Annibal in Italiam venisset, Comitium tectum fuisse, ex veteri memoria referat Liuius Deca.3. lib.7. Quò fortè referenda sunt quæ de tecto æneo fori Romani quidam scripserunt.

k *Pauli basilica.*] Cicero in epist. ad Atticum lib. 4. & Philip.6. Plin. lib.36. c.15. Cor. Tacitus lib.3. Plutarc. in Cæsare. Acron & Porphyrion ad Horat.

l *Licet aliam Opimiam.*] Sic ibi reposui, licet anteà Opima legeretur: Fuit autem mihi author Varro, qui supra Græcostasim Senaculum, & ædis Concordiæ basilicam opimam fuisse scribit lib. 4. de lingua Latina.

m *Senaculum.*] Valerius Maximus lib.2. cap.1. & Fest. Pompeius lib.17. Senaculi meminerunt. Sic enim vbicunque est eius mentio, necesse legendum putem: est enim à Senatus loco diminutiuum. Sum autem in hoc ab Alexandro discrepans, quòd ipse putet Senaculum (sic vocat) fuisse in basilica Opima, cùm tamen apertissimè Varro diuersum quid abfuisse dicat: licet ambo supra Græcostasin essent: dictum Senaculum vbi Senatus aut vbi Seniores consisterent *γερουσία* apud Græcos. Neque verò solùm eo in loco Senaculum fuit, sed alia tria recenset P. Victor in regionibus vrbis Romæ.

n *Iuliam.*] Huius meminit Sueton. in Caligula c.37. Plinius epist. lib.5 epist. vlt. in princ. Quin, lib. 12. c.5.

o *Vitruuius.*] Lib.5. cap.1.

p *Porciam.*] Plin. Secundus, si is est, de Viris Illustrib. c. 47. Plutarch. in Cat. Censorio. & ante eum Liu.4. Decad. lib.9. vbi ita scribitur, Cato atria duo Mæuium & Titium in Latomiis, & quatuor tabernas in publicum emit. basilicámque ibi fecit, quæ Porcia appellata est. Et in hac Tribun. Pleb. ius dicere solebant, vt scribit Plutarch. in Catone Vticensi. Fuit & alia basilica (vt id addas) Sempronia apud Liuium 5. Decad. lib.4. Alia Æmilia apud Plinium lib. 35. cap. 12. & alia apud eumdem Liu.4. Decad. lib.10. post argentarias nouas.

q *Cæsaris.*] De hoc foro Cæsaris Vitruuius lib.3. c.3. & Ouid. in 3. de Tristib. eleg.3.

----Hæc sunt fora Cæsaris, inquit,
Hæc est à sacris quæ via nomen habet.

Et Stat. libr.1. Syl.

Cæsarei stat sede fori.

Et de hoc intelligit Appianus lib. 2. bellorum Ciuilium, cùm scribit de ipso Cæsare loquens, Erexit Veneri genitrici templum, vt priùs ad Pharsalum vouerat, bellum initurus. Atrium quoque templo circunduxit, quod Romanorum forum esse voluit: non rerum quidem venalium, sed eorum qui ad iura conuenirent. Fuit autem id forum haud procul à Comitio post ædem nunc Diuorum Cosmæ & Damiani, vt inter omnes conuenit.

r *Augusti forum.*] Sueton. in vita illius cap.29. Tacitus lib. 4 Plin. lib.36. cap.15. Dion in vita Traiani. Et de hoc quoque Plin. lib.6. cap.39. & lib.35. c.4. Corn. Tacitus lib.4. Sueton. in Augusto, cap. 55. Ouid lib.4. de Ponto eleg. 5. & 5. Fastorum,

Templáque in Augusto conspicienda foro.

& Plutarchus in Coriolano.

s *Boarium.*] In quo boues vendebantur. Varro lib.4. linguæ Lat. & Fest. Pomp. lib.2. Huius etiam meminit Liu. 3. Deca. lib.9. & Plin. lib.28. cap.2. non multò post prin. & alij multi, quos postea citabimus. Hincque arua boaria dicta, in quibus scilicet, forum ipsum boarium situm erat. Propert. libr. 4. eleg.10. de Hercule.

Aruaque mugitu sancite Boaria longo,
Nobile erit Roma pascua nostra forum.

t *Herculis rotunda.*] Licet Blondus inibi ædem Vestæ figura circulari ædificatā fuisse contendat, Pomponius Lætus Matutæ, Albertinus Dianæ, quidā Auroræ: Volaterra tamen li. 6. Herculis existimauit fuisse templum, & Ouid. lib.1. Fastor.

Constituítque sibi, quæ maxima dicitur, aram
Hic vbi pars vrbis de boue nomen habet. &c.

Plin. lib.10. c.18. lin.34. c.7. & lib.35. c.4. Liu.4. Decad. lib. 10. Cor. Tacit. lib.12. Solinus c.2.

u *Matris Matutæ.*] Liuius 4. Decad. lib.3.

x *Pudicitiæ patritiæ.*] Liu.1. Decad. lib.10. & 4. Dec. lib.3.

y *Ex ære Æginetico.*] Plin. lib.52. c.2. ad fi. Cor. Tacit. lib.12.

z *Olitorium.*] Varro libr.4. ling. Lat. vbi id dicit fuisse antiquum macellum, vbi erat olorum copia.

a *Ædes Spei.*] Liuius 3. Dec. lib.1. ad fi.

b *Pietatis.*] Idem Liu.4. Decad. lib.10. & P. Victor in 11. regione vrbis Romæ.

c *Glabrio.*] Liuius vbi suprà.

d *Iunonis Matutæ.*] Liu.4. Dec. lib.4. Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt, vna Iunonis Matutæ in foro olitorio. P. Victor in 11. regione vrbis.

e *Et Fauni.*] Non memini legisse me Fauni templum hoc in foro fuisse, sed in insula Tyberis apud Ouidium libr. 2. Fastorum,

Idibus agrestis fumant altaria Fauni
Hic vbi discretas insula rumpit aquas.

Et Vitruuius lib.3 c.1. dicam infrà lib.4. c.12.

f *Pompeius.*] Scilicet Fest. lib.10. Lactaria, inquit, columna

Forum quoque [g] Cupedinis macellum appellari, quod [h] Cupedinarium dicunt, cuius generis in [i] Thessalia & omni Græcia frequentia fuere. Præter quę [k] Piscarium & [l] forum Neruæ, cui [m] Transitorio nomen erat, [n] pistorium in Auentino, & [o] Vlpium, & [p] Palladium. Sed Piscarium iunctum Boario dicunt fuisse secundum Tyberim, [q] iuxta Iani templum ad Ianiculum, quod quidam [r] Iunonium vocant: sicut & fora publica iuxta Veneris phanum alia, vt [s] Traiani, vbi columna integra mirabili structura hodie superest, iuxtáque forum Neruæ, & forum [t] suarium, à sequutis principibus præcipuis operibus ornata. [u] De foro autem veteri, quòd in eo causæ actitarentur, quantum commemini, nec reperitur quicquam nec traditur, nisi vnum idémque Romanum, vetus & Latinum forum dicant fuisse. Sed quod nos sentimus, quódque probabilius putamus de triplici foro, profectò sic est: primum forum Romanum iuxta comitium fuisse, in quo de iure controuerso responderi solebat: ipsúmque Cato [x] Censorius ne populus litibus assuesceret, acutis lapidibus sternendum putauit: quem posteà Marcellus Octauia Augusti sorore genitus, quo salubrius disceptantes operam forensi labori darent, velis inumbrauit. Constátque Iulium Cæsarem, cum ius quotidie [y] seuerissime

Forum Cupedinis. Piscariū. Pistoriū. Vlpium. Palladiū.

Forum vetus. Quid per triplex forū apud Martialem intelligendū.

ANNOTATIONES.

In foro olitorio dicta, quòd ibi Infantes lacte alendos deferebant.

g *Cupedinis.*] Festus Pompeius lib.3. Cupes & Cupedia antiqui lautiorea cibos nominabant. inde & macellum & forum copedinia appellabant. Cupedia autem à cupiditate dicta, vel sicut Varro vult, quòd ibi fuerit Cupedinis equitis domus, qui fuesat ob latrociuium damnatus. Ipse autem Varro lib.4. de lingua Latina illud tantum scribit, id forum Ita appellatum à cupiditate. Donatus autem in Eonuchum Terensij, Scribit, ioquit Varro, in libris rerum humanarum hoc modo, Numerius Equitius, Cupes & Macellus Romanus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta, His in exilium actis, publicata sunt bona, & ædes, vbi habitabant, dirutæ: èque ea pecunia scalæ deûm Penatium ædificatæ sunt, & locus, in quo vendebantur ea, quæ vescendi causa in vrbem erant allata, ædificatus. Itaque ab altero Macellum, ab altero forum Cupedinis appellatum est.

h *Cupedinarium.*] Ita eum appellat Symmachus coëmpta ex foro Cupedinario. Et hinc quoque Cupedinarius serum esculentarum venditor apud Terentium in Eunucho,

Ad macellum vbi venimus

Conueniunt læti, mi obuiam Cupedinarij omnes.

Vbi Donatus ita interpreratur.

i *In Thessalia.*] Id constat ex Apuleio libr. 1. Metamorph, non longè à fi. qui de ipsa Thessalia loquens, Pergens, inquit, ipse ad balneas, vt prius nobis aliquid cibatui prospicerem, forum cupedinis peto.

k *Piscarium.*] Plautus in Curculione act.4. sce.1. Apud forum piscarium. & ex eo Varro io d. lib.4. de ling. Lati. & P. Victor, qui id ponit in 8. regione. Piscatoria autem appellat Liuius 3. Decad lib.6. & 4. Decad. lib.10. Sunt qui Piscariam in fœminioo genere vocant, in idqoe citatur illud Varronis, Nullus in piscaria piscis est. illudque Vlpiani in l. inter publica. §. publica. ff. de verb. sig. Publica vectigalia Intelligere debemus ex quibos vectigal fiscus capit: quale est vectigal portus, vel venalium rerum, item salinarum & metallorum & piscariarom. Sed hìc puto piscatias accipi pro loco in quo viui pisces asseruabantur. Nam in loco postremo primùm nuncupat res venales: deinde salioas & piscarias. Hæ autem & Piscinæ quoqoe vocantur Varroni lib.3. de Rerust. c.3. Piscinas dico eas quæ in aqua dulci aut salsa inclusos habent pisces ad villam, & cæteris. Nec tamen omiserim io foro illo Cupedinis, de quo locuti somus pisces quoqoe venundari solitos, quod constat ex Apoleio lib.1. Meta. vbi loquens de eo foro vt suprà diximus, subdit, Inque eo piscatum oppiparom expositum video.

l *Et forum Nerua.*] Sueton. in Domitiano c.5. Et forum, inquit, quod ounc Neroæ vocatur.

m *Transitorio.*] Ælius Lamps. in vita Alexandri Seueri. Eusebius in Chronicis dicit id factum fuisse Domitiano imperante. quo ad tria transitus pateret.

n *Pistorium.*] P. Victor in 13. regione.

n *Vlpium.*] Iul. Capitolinus in Antonino Philosopho. Et id quidem esse puto quod & Traiani dicitur, de quo statim posteà. Nam is Vlpios Traianus dictus est.

p *Palladium.*] Fuit Palladium forum in quo de percussoribus cognoscebatur &c. apud Rhodiginum. libr. 28. cap. 9.

q *Iuxta Iani templum.*] Varro, Secundum Tyberim, inquit ad Ianum, forum Piscariom vocant.

r *Iunonium.*] Qui sint qui ita vocent in promptu non est, nisi quis legendum Iunium apud Varronem libr. 4. linguæ Latinæ asserat eo loco, Secundum Tyberim ad Iunium forum Piscarium vocant. Magis tamen est vt fori nomen ad piscarium, non ad Iunonium referri debeat, vt intelligas ad Iunonium, id est ad templum Iani Iunonij. & sic Iunonium dictum testis est Macrob. lib.1. cap.15. quod huic deo Iano mensium omnium ingressus est dicatus, vt omnes calendæ Iunoni.

a *Traiani.*] De hoc Spartianus in Adriano. Capitolinus in vita Antonini Philosophi non semel, & Lampridius in Alexandro Seuero, & P. Victos in 8. regione vbi dicit hanc columnam fuisse altam pedes 128. habuisséque intus gradus 185. fenestellas 45. Adhúcque integra cernitur. quæ res gestas eius principis insculptas exprimit.

s *Suarium.*] In quo scilicet sues, siue suillæ, aut, vt alij vocant, suinæ carnes vendebantur, de quo Varro lib.4. de lingua Latina, & Vlpianus noster in l. s. §. cura. de off. præfect. vrb.

u *De foro autem veteri.*] Herodianus in Antonino, Vetus forum vsurpauit pro Romano & ita quoque Philander obseruauit ad Vitruuium lib.5. cap.1.

x *Cato Censorius.*] Hæc vsque ad clausulam, Constatque, sunt Plinij libr.19. cap.1. paulò ante fi. Sed hìc illud annotandum est quod Alexander acutis lapidibus hic dicit quod Plinius muricibus dixerat. Nam & muricem dicebant saxi acumen. Virg. lib.5. Æn.

Concussæ cautes, & acuto murice remi

Obnixi crepuere, illisáque prora pependit.

Vbi id annotat Seruius. Et illius quoque loci authoritate Nonius Mascellus, Murices, inquit, vetustas etiam saxorum asperitates dici voluit, Quanquàm & murices quoque significat tribulus, siue, vt Græci loquuntur, τρίβολοι machinulas ferreas dolosas, vnum aut plurea aculeos protendentes (vulgo *chausse-trapes* vocamus) Val. lib.3. cap.7. vbi loqoitur de Scipione Æmiliano. Suadentibus, inquit, quibusdam vt circa mœnia vrbis, quam obsideret, ferreos murices spargeret. Et Q. Curtius lib.4. Bion quidam transfuga nunciat regi muricea ferreos in terram defodisse Darium. Hincque muricata cacumina Plinio libr. 10. cap. 13. Vtriqoe folia pauca spinosa, muricatis cacumioibus. Et in hac significatione puto apud Plinium in illa Catonis sententia intelligi, licet altera qooque non inepta sit, Censebat enim ipse Cato hæc fora litigiosa (ita enim ea vocat Ouid. lib.4. Fastorum) muricibus esse sternenda, vt litigantes ea non tam freqneoter adirent.

y *Seuerissimè diceret.*] Suet. in vita ipsius Cæsaris cap. 43. in princ.

dicerer, [z] alterum de manubiis vna cum æde Veneris genitricis magnifica impensa & profusis sumptibus construxisse, [a] cuius aream supra sestertium millies, & immenso constitisse authores tradunt: ipsúmque suo nomine imposito, [b] Cæsaris appellasse, in quo iudicia etiam reddebantur. [c] Tertium diuus Augustus inter publica opera præcipuè forum [d] cum æde Martis construxisse fertur, cum porticu duplici, vbi [e] Apollo eboreus videbatur: forique extruendi causam fuisse, hominum iudiciorúmque multitudinem, quæ videbatur (vt [f] Tranquilli verbis vtar) non sufficientibus duobus foris, tertio indigere, quod Augusti nuncupatur. Ex quibus sine controuersia liquet triplex de quo quærimus forum, de Romano, dèque Cæsaris & Augusti foro, in quibus lites actitari, & iudicia reddi consuerant, non de aliis intelligi oportere, Succurrit tamen in hac re notare, Spartæ forum [g] Clarium vocari: apud Iones, [h] Panonium, Argis gymnasium, quod [i] Cyllarauium dixere: Athenis aliud quod [k] Ptolemæum, & apud Samios & Alexandrinos duo fora, Larua nuncupari, [l] Athenis quoque Diphilum & [m] Ceramicum, atque [n] Heliæum, quod erat omnium maximum, & [o] Delphinium, & [p] Palladium pro foris fuisse, [q] aliáque ignobiliora, vt Parabiston maius, quasi absconditum, & [r] Trigonum. Fuit quoque Parabiston maius, in quo vndecim considebant iudices: & aliud forum, vbi [s] Olæ ara quam præcipue Athenienses colunt, & [t] Barrachium, & aliud [u] Puniceum, à coloribus. & in [x] Thessalia liberum, atque in Pyræo [y] Hippodromia, & [z] Capuæ Albanum. Celebratur inter cætera [a] Argiuum forum sepulchro Donabi qui insigni prudentia & astu præcedẽtes reges anteisse fertur: in quo lupus æreus cum tauro pugnans, fatum Pyrrho regi prædixere: & Magnetum sepulchro [b] Themistoclis: sicut forum Antiochię, [c] Germanici funere insigne fuit: & [d] Megarensium, sepul-

Fora apud extraneos.

Elees ara. Donabi sepulchrũ. Themistoclis sepulcrũ. Antiochi sepulchrũ.

ANNOTATIONES.

a *Alterum de manubiis.*] Suet. ibid. c. 16.

a *Cuius aream.*] Scilicet, fori, vt patet ex Suetonio vbi nuper citauimus.

b *Cæsaris.*] De foro Cæsaris Plinius lib. 16. c. 44.

c *Tertium Diuus Augustus.*] De hoc Ouid. lib. 4. de Ponto. eleg. 5. Plin. lib. 16. cap. 39. & lib. 35. cap. 4. & lib. 36. cap. 15. Cornelius Tacitus lib. 4. Sueton. in Augusto, cap. 55. Dion in Traiano, Spartianus in Adriano, Cassiodorus in Coss. Romanis, & vide Plutarc. in Coriolano.

d *Cum ade Martis.*] Sueton. in Augusto c. 29. Ouid. libr. 5. Fasto. de Marte, inquit,

Vltor ad ipse suos cælo descendit honores,
Templáque in Augusto conspicienda foro.

Et infrà.

Spectat & Augusto prætextum nomine templum:
Et visum lecto Cæsare maius opus.
Vouerat hoc iuuenis tunc, cùm pia sustulit arma.
A tantis princeps inspiciendus erat.

e *Apollo eboreus.*] Plin. lib. 7. c. 53.

f *Tranquilli.*] In Augusto cap. 29. Fuere quoque vt id addas, Romæ alia fora, vt forum Metodæum apud Dionem in Traiano. Forum Græcum Plutarcho in libro cui titulus est τῶν ζώων φρονιμώτερα χερσαῖα ἢ θαλάσσια Et forum Salustij P. Victori in 6. regione vrbis. & Archimorium, Ceditianum, Argentarium, Iugarium, Suburanum, & Equilinum, vt alij quoque obseruauerunt. Item forum Clodij Plinio lib. 3. c. 15 vbi & alia memorat: sed illa erant oppida.

g *Clarium.*] Apud Plutarchum in Agide.

h *Panonium.*] Panonium legendũ ex Herodoto libr. 1. vbi dicit Iones, audito quopiam Cyri responso, in Panionio se congregasse. De Pania autem Pallade videbis seq. versu.

i *Cyllarauium.*] Liuius 4. Decad. lib. 4 vbi id Cylarabim vti etiam Plutarchus in Pyrrho non multò antè fi. & Pausanias in Corinthiacis in duobus locis, vbi & id vocat Cylarabim, dicitque ita nominatum à Steneli filio, in eóque Palladem esse, quæ Pania cognominatur.

k *Ptolemæum.*] Hic, ni fallor, lapsus est Alexander: neque enim forum vllum Athenis ita dictum est, sed Gymnasium, quod ab foro non longè aberat, vt scribit Pausanias lib. 1.

l *Athenis quoque.*] De his omnibus Athenarum foris Pollux lib. 8. c. 38 cap. 7. περὶ τῶν Ἀθήνησι δικαστηρίων. præter hos, quos statim sigillatim citabimus. Sed & vltra ea, quæ Alexander hic recenset, alia plura ponit ipse Pollux, scilicet forum in Prytanæo, forum Putei, forum in Lyco, forum Metichi forum Ardetum.

m *Ceramicum.*] De hoc quoque præter Pollucem mentionem fecit Plutarchus in Cimone.

n *Helicum.*] Heliæum, siue Heliæa scribendum ex Pausania, qui id dicit lib. 1. Et de hoc item Lucianus in Amoribus,

o *Delphinium*] Et de hoc Ælianus de Varia Historia lib. 5. Hoc autem ab Ægeo constitutum fuisse, ibique primum Theseum iudicatum tradit Pollux vbi suprà. Pausanias d. lib. 1. tradit iudicium ibi de his exerceri solitum, qui iustam se cædis causam habuisse contendebant, atque ibi Theseum absolutum fuisse, cùm Pallantem qui seditionem mouerat, & eius filios occidisset.

p *Palladium.*] Ælianus quoque vbi suprà. In eo autem iudicabantur cædes, quæ ab inuitis, aut ignorantibus, siue fortuitò commissæ erant, vt scribit Pollux vbi suprà. Pausanias autem d. libr. 1. Danophontem primum ibi causam dixisse.

q *Aliáque ignobiliora, vt Parabiston.*] Pausanias lib. 1. ait, Ab obscuro vrbis loco in quo situm erat, sic nuncupatum, in quo leuissimæ prorsus causæ cognoscebantur.

r *Et trigonum.*] Pausanias ibi, à forma dictum refert.

s *Ola ara.*] Quæ sit hæc Ola non satis mihi constat: reperio tamen apud Pausaniam in Atticis, in foro Athenis fuisse Misericordiæ aram, cuius Numini, quod magna habeat in tota hominum vita & casuum varietate maxima momenta, soli ex omnibus Græcis singularem quendam honorem habent Athenienses. Quamobrem legendum censuerim hoc loco, Eleas, pro Misericordia. Neque enim Olea ponendum est: quia in arce, non in foro Oleam Athenienses coluerunt.

t *Batrachium.*] Pausanias d. lib. 1.

u *Puniceum.*] Pausanias ibi.

x *In Thessalia.*] Sed & apud Persas erat forum, quod Liberum dicebatur, vt posteà dicetur.

y *Hippodromia.*] ἱπποδρομία, idem ac cursus equorum, ludi circenses, locus vbi equis concurritur. Nam & ἱππόδρομος circus est. & certamen erat Athenis in honorem Thesei, de quo vide Plutarchum in Theseo. Cuiusmodi etiam erat apud Cyrrham, in quo Pithiotum equestre certamen celebrabatur, apud Pausaniam lib. 10.

z *Capua Albanum.*] Ex Cicerone in 2. Oratione de lege Agraria, & Valerio Maximo lib. 9. cap. 1. vbi de Hannibale.

a *Argiuum forum.*] Hæc vsque ad clausulam, & Magnetum sunt Plutar. in vita Pyrrhi.

b *Themistoclis.*] Probus Æmylius in vita illius & Diodorus Siculus lib. 2. & Plutarchus eod.

c *Germanici.*] Cor. Tacitus lib. 2.

d *Et Megarensium.*] Plinius lib. 16. c. 39. in fi. vbi tamen nihil

dicit

chro Corœbi. in quo mirum proditur, vt oleaster longo ęuo suspensa diu arma intra corticem admiserit: mox incisa, ocreas & galeas peperit.[e] Et Celenarum, vbi Marsyę pellis detracta ab Apolline, appensa videbatur. Mirumque prodi de [f] Aricię foro ingenti chasmate in profundum hausto, magno & exitiali portento calamitatis futuræ. Tradunt [g] Thaletem in loco Milesij agri vili & contempto sepeliri voluisse, prędiuinantem animo, in illo Milesiorum forum celebre quandoque futurum. [h] Apud Persas verò fora duplicia fuere: vnum, quod liberum vocant in quo honorati & pręcipuę nobilitatis viri principem locum tenebāt, vbi regia erat: alterum, in quo mercenarij & negotiatores, aliaque humilis turba diuertebant.[i] Capuę quoque fora distincta fuere, alia plebeiorum, quum plebs à patribus dissentiret: alia nobilium. In quibus enim nobiles erant, ne essent in contubernio sordidissimorum, ad illa infimo ordini accedere non licebat.

Corœbi sepulchrũ. Oleaster peperit. Thaletis sepulchrũ. Fora duplicia apud Persas. Fora Capua.

ANNOTATIONES.

dicit de Corœbo, sed Pausanias libr. 1. scribit apud Megarenses fuisse Corabi sepulchrum.

e *Et Celenarum, vbi Mersia.*]De hoc inter nos non conuenit. Ouidius enim in Fabulis & Strabo in Phrygia. Plinius lib.5.cap.29.& Xenophon de Cyri minoris expedit. libr.1. aiunt vna voce, Apollinem à se in tibiarum certamine victo, Marsiæ autem detraxisse, eámque in antro, vbi Marsyæ fluminis fontes sunt, ex nympharum lachrymis suspendisse atque ex ea re flumini nomen inditum. Quod verum est: non autem in foro Celenarum Marsyæ pellis appensa, vt Alexander posuit.

f *Aricia foro.*] Liuius Decad. 3. lib. 10.

g *Thaletem.*] Plutar. in vita Solonis.

h *Apud Persas.*] Xenophon lib. 1. Pediæ Cyri, non multò post princ.

i *Capua quoque fora.*]Hæc vsque ad finem sunt Valerij Maximi lib.9.cap.5.in fine. Fuitque, vt id addas, Capuæ aliud forum Seplasia nuncupatum apud eundem eod. lib.cap. 1. vbi de Annibale. & Ciceronem in 2. Oratione de lege Agraria. Fuere & apud Thurios multa fora, quæ Diod. Siculus lib. 12. nominat Heira, Thuria, Thucinam. Adde præterea Syracusis forum Acradinæ, apud Liuium 3. Decad. libr.4. Fuere & alia plura, de quibus videndus Rhodiginus lib.18.c.37.& lib.28.c.9.

Quæ mulcta militares maiores, & quæ minores militibus, & ob quæ delicta inferri solebant.

Caput XIII.

MVLCTÆ[a] militares nonnullę maiores, quę capitis supplicio luebantur, plęręque minores, prout grauiter aut leuiter delictum esset facinorosis & delinquentibus militibus, necessario ad rem militarem exẽplo à ducibus inferri solitę sunt: quibus sanciuerunt militaris imperij disciplinam, vt ignauus & contumax miles prout segnis, negligénsque, aut affinis culpæ fuisset, ita acri & seuero iudicio, vel leuiori pœna notaretur. Nam [b] desertores, [c] seditiosos & [d] fugitiuos, aut si [e] loco, [f] statione vel [g] pręsidio cessissent, tergáve dedissent, aut [h] è castris effugissent tanquam pessimo facinore adstrictos, capitali pœna plectere solebant. Nonnumquam vbi multitudo obnoxia foret, authores turbarum [i] ad palum deligare, aut securi percutere: [k] reliquæ verò multitudinis decimum quemque sorte ductum ad supplicium petere, peruulgata pœna fuit. [l] Cęsar verò

Capitalia crimina militum. Punitio vbi multitudo peccasset. Cæsar.

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

a MVlctæ militares.]De his multa videbis in tit. ff. de re milit.

b *Desertores.*] De pœna desertorum l. non omnes in princ. & multis §. seq. d. tit.

c *Seditiosos.*]Modestinus in l.3.§.qui seditionem.d.tit. Qui: inquit, seditionem atrocem militum concitauit, capite punitur. Si intra vociferationem, aut leuem querelam seditio mota est, tunc gradu militiæ deiicitur.

d *Fugitiuos.*]Non est hoc verbum militare, sed potius seruilium literatũ, vt Senecæ verbis vtar. Per hoc fortasse, desertoribus iam expressis. alios vult hîc dicere, Tamen fugitiuorum nomine intellexit Alexander perfugas, transfugas & similes, quibus delictum capitale est. d. l. 3. §. is, qui ad hostem. Quòd si de militibus, qui fugam in acie fecerint, author loquutus est, non est verum fuga capitale eos admittere: prior enim dũtaxat, qui cęteris spectantibus fugam fecit, propter exemplum capite punitur, alij non item, quod æquius est, vt pluribus ostendit ad Menandrum l. omne delictum §. qui acie. ff. de re milit. Licet M. Furius Camillus in eos, qui à Veiis, pauore fugerant, more militari animaduerterit, teste Liuio Decad. 1. lib. 5 Remissior verò disciplina cum tempore facta solum fugæ principem, quique primus terga dedisset, puniendum exegit.

e *Loco.*] Sueton. in Augusto cap. 24 & Polybius lib. 6.

f *Statione.*] Sueton. ibid. [Centuriones statione deserta itidem, vt manipulares capitali animaduersione puniuit. Et Modestinus in l.3.§.qui stationis. eod. tit. Qui stationis munus relinquit, plus quàm emansor est. Itaque pro modo delicti, aut castigatur, aut gradu militiæ deiicitur.

g *Præsidio.*] Liuius 1. Decad. libr. 5. post princ. in oratione Appij Claudij ad fi. & iterum 3. Decad. lib. 5. Polybius lib. 6. M. autem Æmilius Scaurus filium suum: quia præsidium deseruerat, in conspectum suum vetuit accedere: illéque ad hoc dedecus mortem sibi consciuit, vt scribit Plinius Secundus, si is est, Virorum illustrium cap. 72. Vide Valerium Maximum lib. 5. cap. 8 9. & Frontinum Stratagematum lib. 19. cap. 3.

h *E castris effugissent.*] Polybius lib. 1. Apud Romanos, inquit, mors pœna est iis, qui in bello locum, in quo constituti sunt, reliquerint, aut aliquo modo è castris fugerint,

i *Ad palum.*]Sic enim Scipio, cui posteà Africano cognomen datum est, In seditione à militibus in castris ad Sucronem facta, authores eius seditionis ad palum deligari, virgísque cædi & securi percuti iussit, vt scribit Liuius 3. Decad. lib. 8.

k *Reliquæ verò multitudinis.*] Cicero in orat. pro Cluentio Habito. Statuerunt, inquit, ita maiores nostri, vt si à multis esset flagitiũ rei militaris admissum, sortitione in quosdam animaduerteretur, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret. Liu. 1. Decad. lib. 2. Cætera, inquit, multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti. Et Polybius libr. 6. Et de hoc quoque dicemus in nostro Tractatu, cui titulus est, Quibus ex causis pœnæ legum temperandæ sint.

l *Cæsar verò.*]Id ex Hirtio, aut, vt alij putant, Oppio in bello Africano, & Suetonio in vita ipsius Cæsaris cap. 67.

quum conniueret in cæteris, seditiosorum & desertorũ acerrimus inquisitor, & punitor dicitur fuisse maximus. Traditur [m] Alexander Macedo quendam castelli custodiæ præpositum, ob desertam stationem nece mulctauisse, alterum desciscentem sagitta confixisse. [n] Appius tamen Claudius humanius agens, ex his quos loco cessisse nouerat, decimum quenque in conspectu exercitus fuste percuti iussit. [o] Iuba rex asperior & durior, desertores qui loco amisso in castra aufugerant, cruci affixit. Inter cæteros [p] Auidius Cassius memoriæ proditur nouo exemplo multis desertoribus manus detruncasse & pedes, asserens maiori disciplinæ fore, miserabiliter criminosum viuere, quàm occidere. [q] Seuerus autem imperator, exactor alioqui grauis, vrbanas cohortes, quòd neci Pertinacis consenserant, satis habuit, militaribus insignibus exutos, nudos destituere & dimittere. [r] Antiqui tamen moris erat, vt qui aciem reliquissent, aut infrequentes ad signa conuenirent, fustuario plecterentur. [s] Præsidio verò decessisse, semper capitale fuit. Siquæ verò cohortes [t] signa fœde amisissent, nisi noxam cuius arguebantur, purgassent, in eas more maiorum quandoque capitali supplicio, plerumque leuiori pœna sæuitum est. Quare pro frumento [u] hordeum dare, vel [x] extra vallum siue tentoriis relinquere, nonnunquam milites [y] in prima acie inducere, aut [z] districtis gladiis discinctos destituere, variisque ignominiis afficere solebant: vt his contumeliis coerciti, intentius mandata exequerentur, deincepsque ad subeunda pericula paratiores forent. [a] Eos verò qui pugnam detrectassent, aut secessionem fecissent, quique erant fugæ & pauoris insimulati, quique segnes & cunctabundi arma cepissent leuissima nota erat iureiurando adigere, non aliter quàm stantes quoad stipendia facerent, cibum potúmque capturos: [b] aut traditio pugillarium, quos taciti statim legerent: quæ lenior censebatur nota. [c] Augustus tamen decimam legionem contumacius parentem, cum ignominia totam dimisit. Ob minora verò, & leuioris noxæ crimina, vel locum & ordinem [d] in acie mutare, [e] vel stipendium anni

Alexander. *Appius Claudius* *Iuba.* *Auidius Cassius.* *Seuerus.* *Antiqui moris punitiones.* *Minorum criminum punitio.*

ANNOTATIONES.

m *Alexander Macedo.*] Plutar. in vita ipsius, vbi primum Menandrum vocat, alterum Orsodatem.

n *Appius tamen Claudius.*] Dionysios Halicarnassæus lib. 9. cuius hæc verba sunt, Centuriones, quorum cohortes fugerant, & antesignani, quorum signa amissa fuerant, partim securi percussi sunt, partim occisi fustibus, reliquæ copiæ decimatæ sunt. Quæ pœna solemnis apud Romanos est eorum, qui ordines deseruissent, signáve amisissent. Liuius 1. Decad. lib. 2. Iulius Frontinus libr. Strategematôn 4. cap. 1. Sed & hic adde id ipsum fecisse alios multos, quos tibi sigillatim recensebimus in nostris Commentariis primigeniorum in 17 q. in 1. opin. nu, 52. incip. Tullius.

o *Iuba.*] Id ex Hircio in bello Africano.

p *Aufidius.*] Legendum est Auidius ex Volcatio in vita ipsius Auidij Cassij, cuius hæc verba sunt, Idem multis desertoribus manus excidit, aliis crura incidit & poplites dicens, Maius exemplum viuentis miserabiliter criminosi, quàm occisi semel.

q *Seuerus.*] Herodianus lib. 2. de eo loquens, Militibus, inquit, meis præcipuo, recingant vos, ac vestimentis exutos militaribus nudos dimittant, Et paulò pòst, His imperatis è vestigio milites Illyrici concurrunt, breuésque illos gladiolos detrahunt, quos auro argentóque ornatos in vsum pompæ suspensos habebant, tum zonis vestitúque & cæteris militiæ insignibus per vim ablatis, nudos ad vnum exautoratósque dimiserunt,

r *Antiqui tamen moris.*] Liuius 1. Decad lib. 5. post princ. in orat. Appij Claudij ad fi. nostris autem legibus miles à signis discedere sine periculo non potest. l. penult. ff. ex quibus cau. maio,

s *Præsidio verò*] Dictum est suprà, sub verbo, Præsidio.

t *Signa fœde amisissent.*] Vide infrà ad verbum, aut districtis gladiis. Aut ea reliquissent: nam & hos vel indemnatos & indicta causa occidendi leges potestatem dabat, vt scribit Dionysius Halicarnassæus lib. 11.

u *Hordeum*] Liuius 3. Decad. lib 7. Vbi Marcellus militibus, qui male pugnauerant, hordeum dari iussit. quod & idem de eodem scribit Plutar. in vita ipsius Marcelli. Sed & Suet. in Augusto c. 24. Cohortes, inquit, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pauit. Et Polybius in libello de castrametatione Ro. libr. 6. Hos ex omnibus illis, qui timidè se gesserint, sorte eximit, & fuste cædit, nulla deprecatione admissa: reliquos hordeo eis pro tritico demenso. Et Vegetius lib. Rei milit. 1. c. 13.

x *Extra vallum.*] Id quod Oracilium Crassum Consulem & Domitium Corbulonem fecisse tradit Iul. Frontinus lib. 4. Stratagematôn cap. 1. & M. Æmylium Paulum, Magistrum equitum aduersus cohortes, quæ signa amiserant, Liuius 1 Decad. lib. 10 Nam & Polybius ad ea, quæ iam ex eo adduximus, illud subiungit, Extra vallum munimentaque tendere iubet. & Frontinus quo loco citabimus infrà, vbi. & Oracilium Crassum Consulem & Domit. Corbulonem idem fecisse tradit.

y *In prima acie inducere.*] Vide infrà ad verbum, Marcellus.

z *Aut districtis gladiis.*] Liuius 3. Decad. libr. 7. Frontinus lib. 4. c. item 4. vbi de M. Curio loquitur. Herodianus lib. 7. Centurionesque manipulorum quorum signa amissa fuerant. districtis gladiis discinctos destituit. Sed & eos, qui signa reliquerant. Corbulo capite puniebat, apud Tacitum lib. 13.

a *Eos verò.*] Liuius 3. Decad. lib. 4. vt T. Sempronius Gracchus ita nonnullos milites puniuit.

b *Aut traditio pugillarium.*] Sueton. in Augusto cap. 39. Leuissimum, inquit, genus admonitionis fuit traditio coram pugillarium, quos taciti & ibidem statim legerent.

c *Augustus.*] Suet. in vita ipsius cap. 24.

d *In acie mutare.*] Iurisconsultus in l. 3. §. 1. ff de re milit. inter pœnas militares militiæ mutationem & gradus deiectionem reposuit, Sed in §. in bello eiusdem c. Qui, inquit, agmen excesserit: ex caussa, vel fustibus cæditur, vel mutare militiam solet. itémque in l. non omnes. §. qui in pace. eod. tit. Qui in pace deseruit, eques gradu pellendus est, pedes militiam amittat. & in l. milites. §. Saluio. ff. de cust. reo, ibi, castigandum eum & in deteriorem militiam dandum. & in l. vlt. ibi, Pro modo culpæ vel castigantur, vel militiam mutant. & iterum paulò post, vel capite punitur, vel in extremum gradum militiæ datur. Iul. autem Frontinus libr. 4. Stratag. c. 1. scribit, Senatum, ex Appij Claudij sententia, eos qui à Pyrrho capti & postea remissi erãt, equites ad peditẽ redegisse, pedites ad leuẽ armaturã, omnibus extra vallum tẽdere iussis, donec bina hostium spolia singuli retulissent.

e *Vel stipendium.*] Liuius 3. Decad. libr. 7. Val. Maximus lib. 2. cap. item 2. vbi de L. Martio, & Q Petilio loquitur. & Iul. Frontinus lib. 4. cap. 1. ad fi. Et quod de anno hîc dicitur, interdum de semestri legitur, vt scilicet semestre stipendium in annum differretur. apud Liu. 4. Dec. lib. 10. Húcque spectat illud Festi Pomp. lib. 16. Resignatum æs dicitur militi, cùm ob delictum aliquod iussu Tribuni militum, ne stipendium

differre militibus, [f] neque his æra procedere, qui [g] ære diruti dicebantur, [h] aut in politia [i] vel in frequentia notare, vel citra [k] commoda stipendiorum exauthorare, [l] vel locum in quo tenderent in castris, adimere: illósque [m] sine pellibus tabernacula habere, [n] vt humi & sub dio accubarent, [o] vel ne in oppidis hybernarent, inhibere solebant. In politia autem & infrequentia notabantur hi, qui rudibus & parum nitidis armis, vel [p] strigosiori equo & macie affecto vtebantur, [q] quique prædicto ad pugnam die, occasionibus quæsitis, contumacius parent: quæ [r] mora excusabat, si funeris paterni, vel sacrificij gentilis, auspiciíve, aut morbi sontici, vel feriarum causa, ad constitutam diem non adessent [s] Qui verò arma alienasset, aut illa amisisset, propter inertiæ turpitudinem, æquè ac desertor morte luebat. Apud Græcos verò, militari erat iure cautum, vt qui miles scutum in acie amisisset, capite lueret: qui verò gladium, leniori pœna notaretur: quia maioris disciplinæ, se ab hoste tueri & præstare incolumem, quàm cum sua pernicie hostem perdere, semper summi duces putauere. Quod [u] Scipionis Æmiliani verbum fuit, malle se ciuem seruare, quàm multos hostes perdere. Quare Lacedæmonij [x] Archilochum poetam vrbe exegere, quòd carmen scripserat, in quo suadere visus fuis, satius

Æra diruti.

Notari in politia

Græci.

Archilochus a Lacedæmoniis eiectus.

ANNOTATIONES.

dium ei detur in tabulas referebatur. & vide Iul. Frontinum, quo loco citabimus infra.

f *Neque his æra procedere.*] Valerius maximus vbi nuper citauimus. & Liuius 3. Decad. libr. 7. & Frontinus eodem loco.

g *Ære diruti.*] Festus Pompeius lib. 4. Dirutum ære militem dicebant antiqui, cui stipẽdium, ignominiæ causa, non est datum, quòd æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum. De ære autem dirutis Cicero in 7. in Verrẽ actione.

h *Aut in politia.*] Dispeream, nisi Alexander hîc, & paulo pòst in eadem dictione errauit, sitque legendum vna dictione, impolitia: ex A. Gellio lib. 4. cap. 12. cuius hæc verba sunt, Si quis eques Romanus equum habere gracilentum, aut parum nitidum visus erat, impolitiæ notabatur. Erat autem impolitia, vt ipse scribit, quasi tu dicas incuria, citátque in id M. Catonem. & Festo Pom. lib. 9. cùm scribit Impolitias facere dicebantur Censores, cùm equiti æs abnegabant ob equum malè curatum.

i *Vel in frequentia.*] Sic quoque leget paulò mox tanquàm sint duo vocabula, vt in politia vtrobique legit, cum legendum, Infrequentia. vna dictione composita, vt videri potest ex optimis authoribus, qui infrequentem peculiari appellatione vocant, qui abest à signis, vt etiam dicit Festus libr. 9. Vnde Plautus in Truculento act. 2. scena 1.

Nunquam amatoris meretricem oportet caussam dicere,
Quin vbi nil det, pro infrequente eum mittat militia domum.

Et Liuius 1. Decad. libr. 8. Sine commeatu vagi milites in pacato in hostico erant, immemores sacramenti, licentia sola se vbi velint exauthorent: infrequentia deserant signa. Plinius de Viris illustrib. vbi de Q. Fabio ait Manlium Statilium transfugere ad hostes volentem, equo & armis donatis retinuit & Lucano cuidam fortissimo ob amorem mulieris infrequenti eandem emptam dono dedit. Cintius de Re militari apud Gellium libr. 16. cap. 4. Miles cùm die, qui prædictus erat, aberat, neque excusatus erat, infrequens damnabatur. Iul. Frontinus lib. 4. Stratagemat. c. 1. in fi. Cùm ab Lygutibus (ait) in prælio Q. Petilius Coss. interfectus esset, decreuit Senatus, vti ea legio in cuius acie Coss. erat occisus, tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, æráque rescinderentur.

k *Citra commoda stip.*] Ex Suet. in Aug. c. 24. Item, ait, alios immodeste missionem postulantes, citra commoda emeritorum stipendiorum exauthorauit.

l *Vel locum in quo tenderent.*] Val. Maximus lib. 2. c. 2. vbi de Marcello.

m *Sine pellibus.*] In eod. loco.

n *Vt humi, vel sub dio accubarent.*] Non satis scio vbi stramenta militi intra tentoria vetita sunt. Quòd autem sub dio accubuerint, prædictus Valerij locus arguit, vbi tegere tabernacula pellibus prohibitum fuit. Sunt autem contraria in hyberna concedere sub pellibus esse: & item contraria sub pellibus durare & sub dio. Veget. lib. 1. c. 3.

o *Vel ne in oppidis hybernarent.*] Liuius 3. Decad. lib. 6. post princ. vbi & illud quoque addit, Neue hyberna propius vllam vrbem decem millibus passuum ædificarent, & rursus alibi in eodem lib. Exercitus, quòd in oppidis hybernare vetiti erant, segni fungebantur militia.

p *Vel strigosiori equo.*] Vide suprà in verbo, aut impolitia.

q *Quique prædicto.*] Gell. libr. 16. cap. 4. ex authoritate Cincij in lib. de Re milit.

r *Quæ mora excusabat.*] Hæ omnes excusationes sunt illius eiusdem loci his verbis, His additis exceptionibus. Nisi harumce aliqua causa erit, funus familiare, feriæ vindemiales, & paucis interiectis, morbus sonticus, auspiciúmve, quod sine piaculo præterire non liceat, sacrificiúmve anniuersarium, quod rectè fieri non posset, nisi ipsius eo die ibi sit ius. Ex quibus intelligis, non omnes ferias eius rei excusationem habuisse, vt Alexander hic simpliciter scribit, sed solas vindemiales. Sed & ei quoque quod de morbo dictum est, adstipulatur Liuius 3. Decad. libr. 4. Nomina, inquit, omnium ex iuniorum tabulis excerpserunt, qui quadriennio non militassent, quibus neque vocatio iusta militiæ, neque morbus causa fuisset. Quod de morbo sontico intelligi debet ex illa Cincij sententia. Nam nec aliàs morbus, nisi sonticus, excusationem habet nostris legibus, vt scribitur in l. quæsitum est. ff. de re iudi. quæ declarat quia dicatur morbus sonticus. Atque valetudinem militiæ laboribus soluere, hinc quæ causariam missionem fieri cauetur in l. a. §. est causaria ff. de his qui not. infra.

s *Qui verò arma.*] Ex l. desertorem. §. miles. & l. qui commeatus. §. arma. ff. de re milit.

t *Apud Græcos.*] Plutarch. in vita Pelopidæ. Græcorum, inquit, leges non qui ensem, aut lanceam, sed qui clypeum amisissent, mulcta damnabant. Idem in Prob. Laconicis vbi de Demarato loquitur. Apud Lacedæmonios, ait, qui scutum abiiciunt, ignominia afficiuntur, qui verò galeas thoracesve, minimè. Isocrates in oratione de pace scribit, infames olim habitos fuisse, qui clypeum abiecissent. Et Aristoteles libro Moralium 5. agens de iniustis, qui tamen πλεονέκται dici non possunt, quòd nihil inde lucri capiant Exempli loco ponit τὸν ῥίψασπιν διὰ δειλίαν. id est, qui ob metum & ignauiam cylpeos abiecerunt.

u *Scipionis Æmylianı.*] In eius apophthegmatis vbi de incruenta victoria. Nec absimiliter Lucullus dicebat, Se malle vel vnum ciuem ab hostibus Romanorũ eripere, quàm omnes sibi res hostium vendicare, authore Plutarcho in vita illius.

x *Archilochum poetam.*] Plutar. in apophthegmatis Laconicis, vbi & carmen ipsius in eam rem ascripsit, vti etiam Aristophanes in ea fabula, cui titulus est εἰρήνη; & Strabo li. 12. Sextus Empiricus lib. 3. Pyrrhoniorũ, quod huiusmodi est,

Ἀσπίδι μὲν Σαΐων τις ἀγάλλεται, ἣν παρὰ θάμνῳ
Ἔντος ἀμώμητον κάλλιπον οὐκ ἐθέλων.

Quod sic traduxit Erasmus Chilia. 2. cent. 2. c. 97.

Scuto aliquis gaudet Saiorum, ego quod bene pulchrum
Deserui nolens inter opaca rubi.

Sic autem interpres Strabonis,

Criminis expertem clypeum, non sponte reliqui,

Cum

esse arma quàm vitam in acie amittere.[y] Germanis quoque qui scutum amisisset in bello, à publico concilio & sacris arcebatur. [z] In transfugas verò velut maiori crimine obnoxios, & patriæ ac ciuium proditores, capitali pœna plerumque sæuitum est. Hi enim semper venia indigni fuere, sicut proditionis insimulati. [a] Quamuis Q Fabius Maximus illorum qui contra religionem iurisiurandi ad hostes transfugerant, dextras amputari mandauit, hoc animaduersionis metu sub disciplina & in officio fore arbitratus: [b] A Publio tamen Scipione in profugas & fugitiuos fuit acerbè consulrum. Siquidem ex Romanis qui rupto imperio ad hostes transfugerant, in crucem efferri: nominis verò Latini, securi percuti iussit. [c] Posterior Africanus transfugas bestiis obiecit, [d] Paulus Æmylius elephantis. [e] Germani arboribus suspendunt, ignauos & imbelles palude mergunt. [f] Qui verò captiui in hostium potestatem sua desidia venissent, his arma & ordo militandi mutatus fuit, vt equites in peditum, pedites in funditorum alas transferiberent: [g] vtque locum extra castra assignatum, valle & fossa non communirent. Quare Domitius Corbulo à Nerone in Armeniam missus, duas alas & tres cohortes, quod hosti cesserant, extra vallum sine munimento tendere iussit. [h] Artaxerxes Medum qui transfugerat, & rursus rebellarat, pro insigni ignominia iussit scortum capite circumferre nudum. [i] Qui etiam summis ducibus si quid deliquissent, ignominiæ loco detractas vestes flagellari, & pro capite depilando tiaram depilari iussit. Titus Vespasianus tam seueræ disciplinæ fuit, vt militem ab hostibus captum, qui solutis vinclis ad castra refugerat, vltra militare non siuerit, nec illi arma crediderit, quod viuus ab hostibus capi permiserit. [k] Sertorius verò, vt disciplinam exemplis stabiliret, cohortem propter obscœnitatem morum & immodicas rapinas ad vnum interfecit. Dacri cum male pugnassent, hac fuere ignominia notari, vt cubantes capita loco pedum ponere, & ministeria vxoribus præbere cogerentur. [l] Xerxes quoque vt Babylonios, quorum ductu defectiones ad hostes fiebant assiduè, reprimeret, cauit edicto vti arma ne ferrent, sed cauponæ indulgerent, tibiis psallerent, & scorta alerent, Sicut [m] Leontini, ne res nouas molirentur à Phalaride conuiuiis & vinolentiæ relicti sunt. [n] Cyrus quoque Lydis superatis, cum essent infidi & damnosi, imperasse fertur, vt dimissis armis, & iocis nequitiæ vacarent, talares que tunicas ferrent. Ideo [o] Lydius ornatus, mollis & parum virilis habitus: quod [p] de Aristodemo tyranno proditur, qui optimatum filios, ne quid contra se moliri possent, calamistratos incedere, & tortis crinibus ornari, talares pictásque tunicas induere iussit. Seuerius Romani: nam Cato [q] in Hispania contra continuas defectiones salubri remedio prouidit ne desciscerent, vt oppidorum mœnia sub idem tempus dirui iuberet. [r] Legionem autem licentia corruptam, quòd Rhegium in cuius præsidio erant, occupassent, Ge-

Germani. F. Maximus. P. Scipio. Africanus posterior. Paulus Æmylius. Domitius Corbulo. Artaxerxes. T. Vespasianus. Sertorius. Daci. Xerxes. Phalaris. Cyrus. Lydius ornatus. Cato.

ANNOTATIONES.

Cùm bene Thamneos dimico apud Saïos.

Lilius item Giraldus sic in historia poëtarum dialogo 9.

Atque aliquis Saion clypeo nunc latus abibit,
Quem liqui nolens in loca plena rubis.

Philostratus autem lib. 2. de vita Apollonij hanc fuisse sententiam Archilochi dicit, quòd abiicienti clypeum alius dari rursum potest nihilo priore deterior.

y *Germanis.*] Cor. Tacitus in libr. de Moribus Germanorum non multò post princ.

z *In transfugas.*] Liuius 3. Decad. lib. 4. Recepti, inquit, perfugæ, quos cùm Romam misisset Consul, virgis in comitio cæsi omnes ac de saxo deiecti. Et hi quoque nostris legibus capite puniri debent. l. proditores. ff. de re milit. Et alibi dicitur eos viuos exurendos in l. aut damnum. §. hostes. ff. de pœnis. Eósque, vbicunque inuenti fuerint, quasi hostes interficere licet. l. eiusdem. §. vlt. ff. ad l. Cornel. de sic. De quo Plutar. in Catone Censore. Sed & is, qui volẽs transfugere apprehensus est, capite punitur. l. 3. §. & is, qui. ff. de re milit.

a *Quamuis Q. Fabius Maximus.*] Valerius Maximus lib. 2. cap. item 2. & Frontinus Stratagematũn libr. 4. c. 1. Plut. in vita illius.

b *A P. tamen Scipione.*] Scilicet Africano priore, ex Liuio 3. Dec. lib. 10. ad fi. & Val. Maximo vbi nuper citauimus.

c *Posterior Africanus.*] Valer. vbi suprà, & L. Florus Epit. Liuij. lib. 51.

d *P. Æmylius.*] Idem ibidem.

e *Germani arboribus.*] Cornelius Tacitus, de Moribus Germanorum, cuius hæc verba sunt, Proditores & transfugas arboribus suspendunt, ignauos & imbecilles & corpore infames cœno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt.

f *Qui verò captiui.*] Valerius Maximus li. 2. c. 2. tum vbi loquitur de Calpurnio, tum vbi de L. Martio, tum denique vbi de Cotta. Frontinus libr. 4. cap. 1. vbi de ipso Cotta, & Liuius 3. Decad, lib. 5. eod. loco, quem adiiciemus infrà eod. cap. paulò ante fi.

g *Vtq; locum.*] Hæc vsque ad clausulam, Artaxerxes, sunt Corn. Taciti li. 13. & Iulij Frontini lib. Stratagematũn 4. c. 1.

h *Artaxerxes.*] Plut. in vita illius.

i *Qui etiam.*] Idem author in apophthegmatis ipsius Artaxerxis.

k *Sertorius verò.*] Plutarchus in vita illius.

l *Xerxes.*] Ex Plutarcho Cælius Rhod. lib. 8. c. r.

m *Leontini.*] Diogenianus in Collectaneis conattans illud adagium ἀεὶ λεόντινοι ἀεὶ τοὺς κρατῆρας. idest, Semper Leotini iuxta crateres. vide & Erasmum Chil. 1. cent. 3. c. 22. & Rhodiginum lib. 7. c. 10.

n *Cyrus.*] Herodotus libr. 1. Hincque Suidas refert natum adagium Λυδὸς καπηλεύει id est, Lydus cauponatur: quoniam etiam illis deuictis ex Crœsi consilio Cyrus imperauerat, vt cauponiam exercerent, neque tractarent arma, de quo Erasmus Chil. 2. cent. 6. c. 96. idémque Rhodiginus lib. 20. cap. 14.

o *Lydius ornatus.*] Nonius Marcellus de doctorum imagine, authoritate Plauti & Varronis.

p *De Aristodemo.*] Dionysius Halicarn. lib. 7. non adeò longè à principio, Plut. autem in lib. de Claris mulieribus tradit hunc Aristodemum suasisse ciuibus Cumanis vt optimates & potentiores omnes ex ciuitate pellerent.

q *Cato.*] Iul. Frontinus lib. 1. Stratage. c. 1. in princ.

r *Legionem autem.*] Liuius 3. Decad. lib. 8. in Oratione Scipionis, Rhegium, inquit, quondam in præsidium missa legio, interfectis per scelus principibus ciuitatis, vrbem opulentam per decem annos tenuit: propter quod facinus tota legio millia hominum quatuor in foro Romæ securi percussi sunt. Valerius Maximus lib. 2. c. 2. Sed cùm aliquoties Senatus pro militari disciplina seuerè excubuerit, nescio an tunc præcipuè, cum milites, qui Rhegium iniusto bello occupauerant, mortuóque duce Bubelio, M. Cæsium,

scribam

nutius cõſul millia hominum quatuor exauthorauit totam, & in foro percuſſit. [s] Sæpius vero exilium. vt relegati, & capite minuti procul à lare ſeneſcerent, & ita ignominiam finirent, ignauis & contumacibus datum comperimus. [t] Marcellus autem, milites à quibus orta eſſet fuga, quique pauore ſigna reliquiſſent, ſequenti pugna inter primas acies frequenter induxit, vt quòd ignominiæ acceperant, aliis præliis periculo expiarent. Fuit illa etiam nota ignominiæ non parua, quali [u] Calphurnius Piſo conſul & demum [x] Octauius Auguſtus affecit milites, vt tunicatos diſcinctóſque per totum diem eum decẽmpedis plerunque ceſpitem portantes, ante prætorium ſtare, vel obſoleta toga tunica diſcincta, nudis pedibus ante principia adeſſe iuberent, vel vt [y] foſſam fodere diſcincti cogerentur: vt eo habitu & ſpecie deformi in omnium cõſpectu præ ſe ferrent inſignem memoriam flagitij ignominiæque acceptæ. Eſt autem [z] decempeda, lignum quo latifundia mentiuntur, & in partes diuidunt, oblongum pedibus decem. Tametſi diuerſo quiſque more agros metiri ſoleat: quippe in [a] Ægypto æſtuaria & foſſas funibus mentiuntur, aut paſſibus in [b] Hiſpania, in [c] Campania verſibus, circa [d] Perſidem ſchœnis & [e] paraſangis: albi pertica, cui nomen [f] Acæna: [g] agricolæ iugeribus, nonnulli ſtadiis metiri ſolent agros, campóſque. Lucius verò [h] Calphurnius Conſul, haud abſimili exemplo præfectum equitum, quòd arma hoſti tradidiſſet, laciniis abſciſſis, diſcincta tunica, & nudis pedibus ad principia per omne tempus militiæ adeſſe iuſſit. Fertur [i] Piſcennius Niger, ob ſubtractum gallinaceum commanipulones hac effeciſſe ignominia, ne focum facerent, néve cocti quid obſonii ſumerent, ſed pane & frigidis veſcerentur. [k] Tiberius verò nimis ſeuerè: nam prætorianum militem ob ſubtractum pauonem capite puniuit. Militem verò militiæ gradu deiicere, aut [l] exauthorare, vel [m] equum illi adimere, ipſúmque [n] vitibus aut virgis cædere, vel [o] equo detrahere, vel [p] haſtas dare iubere, quę [q] cenſio haſtaria dicta eſt, hæc & eiuſmodi, non pro leui noxa, ſed

Genutius conſul.
Marcellus.
Ignominia.
Decempeda.
Agrorũ apud alios alia dimenſio.
L. Calphurnius.
Peſcennius.
Niger in furtũ militum.
Tiberius.
Cenſio haſtaria.

ANNOTATIONES.

ſcribam eius, ſua ſponte imperatorem delegerant, carcere incluſit, ac M. Furio Flacco Trib. plebis denunciante, ne in ciues Romanos aduerſus morem maiorum animaduerteret, nihilominus propoſitum executus eſt. Caterùm minore cum inuidia, vt id peragerentur, quinquagenos per ſingulos dies virgis cæſos, ſecuri percuti iuſſit, eorúmq; nullum ſepulturæ mandari, mortémque lugeri vetuit. Florus Epitomæ Liuij lib. 15. Legio Romana, quæ Rhegium occupauerat, obſeſſa, deditione facta ſecuri percuſſa eſt.

s *Sæpius tamen exilium.*] Vt de militibus, qui cladi Cannenſi ſuperfuerant, iiſque in Siciliam relegatis extat apud Liuium Decad. 3. lib. 5. Idémque de exercitu Cn. Fuluij, qui in Apulia fœdè cæſus fugatúſque erat, eiuſdem; Decad. lib. 6.

t *Marcellus.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. cuius hæc verba ſunt, Imperator (de Marcello loquitur) pronunciat eos, à quibus orta pridie fuga eſſet, cohortéſque, qui ſigna amiſiſſent, ſe in primam aciem inducturum. Plutarchus autem in vita illius, ita de hac re loquitur, vt illi ipſi milites, qui fugerant, in primam educi aciem ab ipſo Marcello impetrarunt.

u *Calphurnius Piſo.*] Valer. Max. lib. 2. cap. 2.

x *Octauius Auguſtus.*] Suet in vita illius cap. 24.

y *Foſſam fodere.*] Nam & Plutarch. in Lucullo tradit, Conſueta quædam eos, qui fugerant, ignominia affecit. Illos enim interioribus tunicis ſolutis induros, ſub oculis militum duodecim pedum foſſam cauare iuſſit.

z *Decempeda.*] De hac Cicero Philipp. 14. & Acad. 4. & in Orat. pro Milone: Acron ad Horat. Carmi. lib. 2. Ode 15. Decempeda, inquit, regula eſt decem pedum ad quos ab artificibus fabricæ menſura colligitur. Hincque Decempedator, qui ſcilicet decempeda metitur apud Ciceronem Philip. 13.

a *In Ægypto.*] Herodotus lib. 2.

b *In Hiſpania.*] Varro lib. 1. de Re ruſtica, c. 10. in princ.

c *In Campania.*] In eodem loco, vbi declarat quantum verſus contineat.

d *Circa Perſidem.*] Plin. lib. 6. cap. 26. apud quem vt & hoc loco Schænos funem, quo via metimur ſignificat, vt habet Athenæus lib. 3. c. 21.

e *Paraſangis.*] Vt ipſi Perſæ apud eundem. & Herod. lib. 6. & Feſt. Pomp. lib. 14.

f *Acæna.*] Acæna agros metiri in Ægypto incœpit primùm Theſſalus quidam, nomine ab re indito, quia cognoſcentibus ſingulis agri ſui modum, ſublatæ ſunt cædes, vnde nuncupata Acæna quaſi *σφῆτα αὐτῶν τῶν κάινων*. Hinc & Pelaſgida vocauit Acænam Apollonius Argonauticõn tertio, veluti ab Pelaſgis repertam, id eſt à Theſſalis. Cælius Rhodiginus lib. 7. c. 29.

g *Agricolæ.*] Intellige, Romani ex Varrone d. lib. 1. de Re ruſt. cap 10. vbi etiam declarat quid iugerum contineat.

h *Calphurnius.*] Valer. Max. lib. 2. cap. 2.

i *Peſcennius Niger.*] Spartianus in vita illius.

k *Tyberius.*] Ex Sueton. in vita ipſius cap. 60. Sed & Auidius Caſſius de quo ſuprà eodem cap. locuti ſumus, milites qui per vim aliquid prouincialibus tuliſſent, in illis ipſis locis, in quibus peccauerant, in crucem ſuſtulit, vt tradit Volcatius Gallicanus in vita ipſius. Polybius autẽ de Romana militia ſcribit eum fuſte cædi qui furto quippiam è caſtris ſuſtulerit. M. Cato memoriæ prodidit in furto comprehenſos inter commilitones dextras eſſe præciſas: aut ſi lentius animaduertere voluiſſent in principes ſanguinem miſſum. Quod & ex eo repetit Iul. Frontinus Strategematõn lib. 4. c. 1. Noſtris legibus qui aliena arma ſurripuit gradu militiæ pellendus eſt l. 3. §. 1. & §. qui aliena. ff. de re milit.

l *Exauthorare.*] Sueton. in Auguſto. c. 24. Vlpianus in l. 2. §. ignominiæ. ff. de his qui not. infa. & alij ſcriptores vbique.

m *Equum adimere.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. In equeſtribus quoque notis eadem ſeruata cauſa: ſed erant perpauci, quos ea infamia attingeret. Illis omnibus (& multi erant) ademti equi qui Cannenſium legionum equites in Sicilia erant. Et 4. Dec. lib. 9. Catonis & aliæ quidem acerbæ orationes extant in eos, quos aut ſenatorio loco mouit, aut quibus equos ademit.

n *Vitibus aut virgis cædere.*] Romanos milites vitibus, extraneos virgis cædebant ex militari diſciplina, vt obſeruauit Africanus minor. Florus Epito. Liuij 57. de quo & Plutar. in Galba. Tacitus lib. 1. & lib. 5. Plinius lib. 14. c. 1.

o *Vel equo detrahere.*] Suprà in verbo, Equum adimere.

p *Vel haſtas dare.*] Ex Feſto Pompeio lib. 3. vbi de Cenſione haſtaria. Adde vel etiam illorum haſtas diſtringere: ex Ammiano Marcellino lib. 25. loquente de Iuliano puniẽte Tertianos equites, quòd legiones deſeruiſſent prælio aduerſus Perſas cuius hæc verba ſunt, Ad indignationem iuſtam imperator erectus, ademptis ſignis haſtiſque diffractis, omnes eos, qui fuiſſe arguebantur, inter impedimenta & ſarcinas & captiuos agere iter impoſuit, ductore eorum, qui ſolus fortiter decertarat, aliæ turmæ appoſito, cuius tribunus turpiter prælium deſeruiſſe conuincebatur.

q *Cenſio haſtaria.*] Feſt. Pompeius vbi ſuprà.

Hastam dare vel adimere. Militi obesi. Agesilaus. Augustus. Emeritorum atas. Thurij. Spartani. Ignominia notati. Ægyptij. Syracusani. Xerxes. Cyrus. Agesilaus. Militibus præter modum audacibus vena soluebatur. Ordo animaduersionũ in milites. Ignominia solutio.

pro acri delicto magnę adnimaduersionis loco à ducibus inferri solita sunt. Hastas dare inbebantur milites, quibus propter probra ignauię & luxurię hasta adimebatur. Etenim sicut glorię causa fortes viri donabantur hasta pura, hi qui primùm victores in prælio fuissent: ita ignauis & contumacibus adimebatur. Hoc notabat, tanquam spes merendi stipendia illis adempta foret. Quinetiam[r] militi obeso & prępingui, quòd cutem nimis bene curasset, & nimia sagina granis esset, aliquando equum duces ademere: id quod magnum[s] Agesilaum fecisse legimus. [t] Augustus tamen his qui maiores quinque & quadraginta annis equum retinere nollent, reddendi equi gratiam fecit, illosque velut emerita militia dimisit. [u] Apud Thurios lex erat militaris vt contumax miles, desertor vel transfuga, muliebri veste amictus, ob ignominiam vinctus teneretur. Spartanis tam seuera militiæ disciplina fuit, vt miles qui in acie scutum amisisset, capite lueret. Iidem probro milites aut ignominia notabant. Qui probro notabatur, eum nemo igne,[x] nemo alloquio impertiuit.[y] Ignominia notabatur, qui fugax esset, desertor aut transfuga.[z] Apud Ægyptios qui milites ordines reliquissent, aut dicto non parerent, vel iniussi in castra rediissent, de gradu deiecti, ad inferiorem redibant statum.[a] Si verò ducis consilium hostibus palam fecissent, lingua mulctabantur. Fuitque moris[b] apud Syracusanos, vt hypparchi, hoc est, equitum præfecti, militum nomina in tabulis scriberent, illorum qui in acie ordines deseruissent, vt post prælium pœna notarentur. Quod &[c] Xerxes fecisse dicitur, vt virtutis & ignauiæ cuiusque testis & spectator esset.[d] Cyrus autem quem militem extra ordinem inuenit, quique proditionis causa dedisset terga, capite puniuit. Nec prætermittendus est[e] Agesilaus, qui quum in bello Peloponnesiaco quosdam Asiaticos in veste munda & nitida, corpore verò desides videret & ignauos, ea affecit ignominia, vt vestibus nudatos per castra incedere cogeret, illorumque amicula fortibus viris, quorum in bello virtus enituit, dono daret.[f] Hoc quoque loco pœnæ militaris fuisse traditur, iubere ignominiæ causa militibus audacioribus, qui nec animi nec consilij satis haberent, venam solui, quæ non tam pœna, quàm medicina fuit, vt superflua sanguinis parte defluxa, se magis intra gyrum rationis continerent.[g] Illud quoq; notandum, quòd inter animaduersiones militares leuissima est admonitio, castigatio minor, deprẽsa maior, ignominia maxima. Ideo milites in quos lege militari, castigatione aut admonitione animaduersum est, non propterea ignominia notati erant.[h] Quodq; milites quamuis graui ignominia affecti essent si tamen ad officium redeuntes, semel atque iterum bene nauatam reipublicæ operam præstitissent, singuláque aut bina ex hostibus spolia retulissent, aut digno aliquo facinore flagitij labem aboleuissent, tunc demum vno atque altero felici prælio priori culpa correcta, & obliterata memoria dedecoris, noxa atque ignominia soluti, & in eo quo prius erant gradu restituti, pristinam dignitatem, & honoris gradum, quibus

ANNOTATIONES.

r *Militi obeso.*] Gellius lib.7.cap.vlti. Nimis, inquit, pingui homini & corpulento Censores equum adimere solitos, scilicet minus idoneum ratos esse, cum tanti corporis pondere ad faciendum equitis munus. Et adde, à Gallis omnes qui iuuenis zonæ mensuram ventre excederent multari, scribit Strabo lib. 4.

s *Agesilaum.*] Agamemnon id primùm fecisse dicitur Plut. in Agesilao.

t *Augustus.*] Sueton. in vita illius cap. 38. in fin. vbi tamen in codicibus, qui circunferuntur, quinque & triginta legitur.

u *Apud Thurios.*] Diod. Siculus lib. 12. vbi recenset leges Charondæ, eorum legislatoris, & diximus in nostris ll. Connubialibus l. 3.c.62.

x *Nemo alloquio.*] Valer. Maximus lib. 2.c. 2. vbi de L. Calphurnio.

y *Ignominia.*] Hæc & superiora proximè posita sunt Plut. in Agesilao.

z *Apud Ægyptios.*] Diod. Siculus lib. 2.cap.3.

a *Si verò ducis.*] Ibidem paulò post.

b *Apud Syracusanos.*] Vide Thucydidem in bello Peloponnesiaco & Plut. in Nicia.

c *Quod & Xerxes.*] Herod. lib.7.

d *Cyrus autem.*] Cyrum quidem apud Xenophontem Pædiæ lib.5. legas: Milites laudauit, qui se ordine continerent: at illos qui sese gradu deiecerant punientem, non reperio: Sanè idem lib.6. inquit, Si quis auertatur volens excedere, morte plectatur.

e *Agesilaus.*] Agatharchides lib. rerum Europicarum 27. & ex eo Athenæus lib. 12.cap. 28. Xenophon lib. 3. Rerum Græcarum. & in ea de laudibus Agesilai. & Plutarch. in eiusdem vita.

f *Hoc quoque loco.*] Gellius li.10.cap.8. Sed & apud Iulium Frontinũ lib. 4. Stratagematũ cap. 1. memoriæ tradidit, in furto comprehensos inter cõmilitones dextras esse præcisas: aut si lentius, siue, vt ego lego, lenius animaduertere voluissent in principes sanguinem missum. de quo vide Plutarch. in Lucullo. Hincque alludit illud Cicer. lib. 1. epist. ad Attic. epist. 11. Nam & illud non nobis obest, videri nostrum testimonium non valuisse: missus est sanguis inuidiæ sine dolore. Et rursus lib. 6. epist. 11. totius operis, hic Appius, quem ἐξ αἱμαξάμενος prouinciam curarit, sanguinem miserit, quicquid potuit detraxerit.

g *Illud quoque notandum.*] Festus Pomp. lib.4. Deprehensa, inquit, dicitur genus militaris animaduersionis castigatione maior: ignominia minor. De admonitione autem Cic. lib.2. de Orat. Tum obiurgatio, si est authoritatis, tum admonitio, quasi lenior obiurgatio. Et Sueto. in August. c. 39. Atque ex improbatis alios pœna, alios ignominia notauit: plures admonitione, sed varia. Et huc referri potest quod idem scribit in Claudio cap.16. Ipsum Claudium in Censura, quam gessit, quempiam corruptelis adulteriisque famosum nihil amplius, quàm monuisse, vt aut parciùs ætatulæ indulgeret, aut certè cautiùs,

h *Quodq; milites.*] Liuius 3. Decad. lib. 5. non multò post princ. in oratione eius qui pro militibus Cannensis cladis reliquiis, Nunc deteriore conditione sumus, quàm apud patres nostros fuerant captiui: quippe illis arma tantum, atque ordo militandi, locúsque in quo tenderẽt in castris est mutatus, quæ tamen semel nauata Reipublicæ opera, & vno felici prælio recuperarunt. Valerius Maximus lib. 2. cap. item 2. scribit Romanos decreuisse, vt ex captiuis, qui à Phyrrho rege remissi fuerant, qui equo meruerant, peditum numero militarent: qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur: néve quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum, vallo aut fossa cingeret,

antea functi erant, quandoque reciperent. [i] Notatúmque & illud est, perrarò bis delictum imperatores venia dignum putasse: quia iuxta verbum [k] Lamachi summi ducis, non est in bello bis errare, vbi si quid offenditur perperam temeritate vel inscitia, emendari non potest: paruáque in bello offensa, magnarum sæpe rerum momenta facit.

Lamachi dictum.

ANNOTATIONES.

geret, néve tentorium ex pellibus haberet: recursum autem iis ad pristinum militiæ ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset. Et quod de binis hostium spoliis hîc dicitur, probatur ex Iul. Frontino Stratagematῶn lib 4. cap. 2. cuius verba attulimus supra.

i *Notatúmque.*] Nostris legibus licet tyroni adhuc disciplinam ignoranti ignoscatur l. 3. §. si plures. ff. de re milita. tamen si bis peccauerit, pœna competenti afficitur. Item desertor, si in vrbe inueniatur, capite puniri solet: alibi apprehensus ex prima desertione restitui potest: iterum deserendo capite puniendus est. l. non omnes. §. desertor. eod.

k *Lamachi.*] Plutarch. in Apophthegmatis imperatorum, Lamachus, inquit, quendam turmæ ducem in errorem lapsum obiurgabat, qui cùm dixisset, Se postea nunquam id esse facturum. Atqui non est in bello, inquit, bis peccare. ἁμαρτεῖν οὐκ ἔστι δὶς ἐν πολέμῳ. Sed & Catonis sententia est apud Vegetium de Re milit. lib. 1. cap. 3. In aliis rebus, si quid erratum est, potest postmodum corrigi. Præliorum delicta emendationem non recipiunt, cùm statim pœna sequatur errorem. Aut enim confestim pereunt, qui ignauè imperitéque pugnauerunt, aut in fugam versi, victoribus vltra pares esse non audent.

Quæ solemnia in Herculis sacro ad aram maximam seruabantur, & quæ apud exteros, quæue aræ Herculis Romæ fuerint. CAPVT XIV.

POST vrbem conditam [a] Romulum vrbis authorem sacra Græco Herculi ara illi erecta, quæ Maxima dicta est, vt ab Euandro constituta erant, fecisse, eáque posteris mansisse, literis proditum est. Quæ ara ante Romulum religiosissima fuisse traditur, eámq; ipsum Herculem [b] Ioui inuentori, si amissas boues reperisset, dedicasse fama vulgauit. Hoc enim sacrũ [c] Euander instituit primus post Marathonios, qui primi diuinos honores Herculi dedere: Potitiis & Pinariis, qui ex clarissimis familiis ea loca incolebant, ad sacrum adhibitis. Traditumq; memoriæ est, Potitios sacris præstò fuisse: & propitiato Deo, extis solemnibus depastos: Pinarios vero extis adesis ad reliquam dapem venisse. Inde institutum mansisse, ne extis solemnibus vescerentur in posterum ipsiq; Potitij, eorúmq; posteri, ab Euandro edocti, multis post tempestatibus antistites templi sacris & cæremoniis præfuere: [d] donec sublata Potitia gente, seruis publicis tradita sunt: [e] Appius enim Claudius censor, sublato Potitiorum genere, cui ad aram maximam familiare id sacerdotium fuit, seruis quos docuerat, sacra delegauit. In quo id traditur mirum, vt triginta puberes, qui reliqui Potitiæ familiæ manserant cum omni stirpe intra annũ extincti fuerint. Ipseq; Appius huius author facinoris, ob hoc admissum in extremum vitæ exitium penè lapsus sit: & siue casu, siue consilio deorum immortalium, luminibus orbatus, calamitosam vitam egerit. [f] Fuit autem hæc ara in Capitolij faucibus, iuxta Carmentalem portam, & forũ boarium: in qua propriũ erat, vt [g] iuuencus indomitus sua Herculi victima mactaretur: [h] cui, & Fauno, viã profecturi, sacrum facerent. [i] In qua propria quædam huic aræ debita solemnia, præter aliorum instituta mansere, quæ præterire non erat fas. Siquidem in ea prætor, aut

Ara maxima Herculis. *Iupiter inuentor.* *Marathonij.* *Potitij. Pinarij.* *App. Claudij facinus.* *Sacrificium.* *Caremonia solemnes in ara maxima Herculis obseruari solita.*

ANNOTATIONES IN CAP. XIV.

a R*Omulum*] Liuius 1. Decad. lib. 1. & de hac ara maxima Herculis Virgil. lib. 8. Æneid.

Et domus Herculei custos Pinaria sacri
Hanc aram luco statuit, quæ Maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima semper.

b *Ioui inuentori.*] Dionys. Halicarnass. lib. 1 & Lactantius lib. 1. cap. 11. eundem ex Ennio, vt puto, Deum hominúmque repertorem vocat.

c *Euander.*] Hæc vsque ad versic. Donec. sunt Liuij 1. Decad lib. 1. Valer Max. lib. 1. cap. 2. Macrobij lib. 3. Saturnal. cap. 6. Fest. Pompeij lib 24. vbi de Potitio loquitur.

d *Donec sublata.*] Liuius vbi suprà, & rursus eiusdem Decad 1. lib. 9. Et Lactant. lib. 2. cap. 8.

e *Appius enim Claudius*] Hæc vsque ad versic. Fuit autem. sunt Liuij d. lib. 9. Valerij Maximi lib. 1. cap 1. statim post princ: Lactantij vbi suprà. & Seruij in lib. 8. Æneid. enarrantis eum locum.

Tum lecti iuuenes certatim, aræq; sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum. ———

f *Fuit autem hæc ara.*] Scilicet Herculis, de qua dictum est suprà eod. lib. cap. 4. & 12.

g *Iuuencus indomitus.*] Virg quo loco mox citabitur author li. 8. Æn. promiscuè tauri & bouis meminit, vbi factũ Herculi ad Euandro rege sacrificiũ indicat. Ego reperio apud Liu. Dec. 1. li. 1. bouẽ eximia capta de grege sacrum Herculi ab Euandro rege institutũ: eam verò Seruius quinquennalem ait, id est, perfectæ ætatis: robur enim boui in quimatu asserit Plin. lib. 8. c. 45. Igitur cùm hic ait iuuencum indomitum victimã fuisse, vide id satis rectè positum sit. Dicitur enim iuuencus qui iam ad agrum colendum iuuare potest, vt Varro scriptum reliquit. Nihil tamen in hoc est periculi, postquàm ex lib ling. Lat. 5. idem Varro author fuit Alexandro iuuencũ scribendi: & si quinquennis bos capi solita est, ab ea iuocoæ non abhorret appellatio, cuius in fœmineo sexu mẽtio est apud Varr. de emendatione: ibi contendo: Est enim Gentiũ ritibus obseruatũ marem hostiam Deo masculo & fœminam Deæ fœminæ sacrum facere.

h *Cui & Fauno.*] Festus lib. 14. sic habere visus est quibusdam, Profecturi viam Herculi, aut Iano sacrificabant: vbi tamen sic aliàs legitur, Propter viam fit sacrificium quod est proficiscẽdi gratia Herculi aut Fauno, qui scilicet idem est Deus. Verùm ex priori scripto fecisse de Iano Fauno videtur Alexander: quod si non est, nescio quem in eo sequatur authorem. Sanè quod de Hercule proditur, ex eo est, quòd eùm equos nobilissimos haberet, pedes semper incesserit, vt ait Seruius ad illud Æneid.

Ipse pedes tegmen torquens immane leonis
Terribili impexum seta cum dentibus albis,
Indutus capiti. ———

i *In qua propria.*] Vt patet ex seq.

De hoc ea 19 & 21. huius lib.

pontifex qui rem diuinam facit, [k] sola lauro, nec alia coronatur fronde. Cúmque mulieribus adesse sacris, & rem diuinam facere omnibus ferè liceat, [l] Herculis tamen sacrificio adesse, vel exta tangere, aut vesci, atque admouere manus, aut solennia videre, religio non sinebat. Et quum in sacrificiis deorum, qui rem diuinam facit, [m] capite operto numina adire, adorantésque veste ad caput obducta sacris interesse debeant: apud [n] aram Herculis maximam, dum sacra fiunt, dúmque litatur, omnes capite aperto & inuelatos esse decet. [o] In qua præter aliorum morem, nec lectisternium fieri, nec puluinar suscipi poterat: [p] in quibus quoque sacris seruatū legitur, vt sedentes epulis vescantur solennibus, quum in cæteris stantes & saltabundi vesci soleant. Cúmque in omni precatione qui vota effundit sacerdos, [q] Vestam & Ianum, aliósque deos Præscriptis verbis, & composito carmine aduocare soleat: illos tamen qui ad aram maximam sacrum faciunt, alium [r] quàm Herculem deum aduocare non decebat: [s] quippe cum in Herculis templum deorum nemo admittatur, neque alterius Dei aram [t] effigiémve, sicut in cæteris phanis, videre fas est, ita [u] more tradito, vt manè simul & vespere ad aram maximam sacrum fiat, quum in cæteris matutinum tantummodo tempus hostiis immolandis dicatum sit. [x] Fuitq; obseruatum, vt ab eiusmodi sacris nedum serui & liberti, [y] sed & canis arceatur, sicut ab [z] arce Atheniensium, vbi Mineruæ, [a] & à Delo, vbi Dianæ templum fuit, arcebatur,

Canis sacris eiectus.

ANNOTATIONES.

k *Sola lauro.*] Lilius Gyraldus 17. Syntagmate sic ait, Ad aram Maximam Herculi sacra qui faciebant, sola lauro soliti coronari à quibusdam traduntur, qui tamen Virgilij authoritate conuincuntur, vbi sic ait lib. 8. Æneid.

— Herculea bicolor cùm populus vmbra
Velauitq; comas, foliisque innixa pependit.

Et paulò pòst.

Populeis adsunt euincti tempora ramis.

Solenne etenim in sacris omnibus erat se frondibus numini, cui fiebat, sacris, ornare. Populum autem sacram Herculi pueri sciunt. Verùm quòd hic Alexander posuit non sine authore scriptum est post Macrob. lib. Saturnal. tertio.

l *Herculis.*] Silius Italicus lib. 3. Punicorum describens sacra & templum Herculis Gaditani sic cecinit.

Tum quies fas & honos adyti penetralia nosse
Fœmineos prohibent gressus, ac limine curant
Setigeros arcere sues.

Vide Plut. problem. c. 60. Propertius lib. 4. Elegiarum ad Herculem.

m *Capite operto.*] Macrob. lib. 3. Saturnal. c. 12. ex Cornelio Balbo, Varrone & C. Basso ritus rationem excutit. Virgil. lib. 3. Æneid.

Et capita ante aras Phrygio velamus amictu.

Seruius in eundem eodem lib. 3.

Nequa inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.

Sacrificantes, inquit, omnibus diis soliti sunt caput velare, ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus, excepto tantùm Saturno, ne numinis imitatio esse videretur. Et lib. 2. in eum locum.

Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium. —

Plutarch. Problemat. c. 10. huius rei multas rationes affert. & c. sequen. alias quoque multas cur Saturno capite aperto immolabant. & iterum cur Honori capite quoque aperto rem diuinam faciunt. Fest. Pomp. lib. 17. vbi de Saturnia talia. Saturni, inquit, dicebantur, qui castrum in vno cliuo capitolino incolebant, vbi ara dicata ei Deo ante bellum Troianum videtur: quia apud eum supplicant apertis capitibus. Nam Italici, authore Ænea, velabant capita, &c. Fulgentius ad Chalcidium ait pallium quo sacerdores caput tegebantur, cùm sacrificium accessissent, Tutulum fuisse dictum: vnde Tutulati dicti fuere, de quibus Varro lib. 6. de lingua Latina.

n *Apud aram Herculis Maximam.*] Macrob. Balbi & Varr. authoritate lib. 3. Satur. c. 12. Quare autem maxima dicebatur disces ex Dionys. Halic. lib. 1. Et Seruio lib. 8. Æneid. ibi,

— Araq; sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum. —

Et hanc quoque ita vocatam scribit Liu. 1. Decad. lib. 9.

o *In qua præter.*] Seruius ad 8. Æneid. ibi,

— Gramineoq; viros locat ipse sedili.

Ait, in templo Herculis lectisternium esse non licuisse. Idémque Macrob. 3. ex Cor. Balbo.

p *In quibus quoque sacris.*] Plutarch. in Problem. & Virg. vbi suprà proximè.

q *Vestam & Ianum.*] Ex Cicerone 2. de Natur. deorum. Zenone lib. 1. Rerum Italicarum. & ex eo Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 9. post princ. & Seruio lib. 1. Æneid. enarrante hunc locum,

Cana fides & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt. —

r *Alium quam Herculem.*] Plutarch. eius rei rationem reddit Problem. cap. 90.

s *Quippe cùm in Herculis.*] Seru. quo loco infrà citabimus.

t *Effigiémve sicut.*] Patras trásfertur in aream Dianæ Limnatidis signū, quod Mesoæ reliquo tempore seruatur ipso eius festo die. Sunt autem in ea area & aliæ sacræ ædes in aperto, ad quas per porticus quasdam est aditus: licet Dianæ locus sacer sit: vt scribit Pausan. lib. 7. item in æde Portumni signa sunt tam ipsius quàm Mercurij & Maturæ. Pausan. lib. 2. Et in eodem lib. Templum Dianæ Orthiæ, signa Apollinis Latonæ & Dianæ habuit. Romæ in Iunonis æde fuere Æsculapius & Diana. In delubro Apollinis Diana, Musæ, Latona. Præterea in Iunonis æde cultus fuit qui Iouis esse debuit, signúmq; Iouis inibi, vt ad huius templum Iunonis signum, quod geruli dum inferre quódq; deberent, in ædem propriam dicantur, non sine religione, sedem signorum permutasse, vt habet Plin. lib. 36. c. 5.

u *Ita more tradito.*] Hercules Potitium & Pinarium senes qualiter se coli velit docuit, scilicet vt manè ei & vespere sacrificaretur, teste Seruio ad 8. Æneid. ibi,

Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

Quæ verba si docent familiam dictam Pinariam, non satis scio, cùm ἀπὸ τῆς πείνης. id est, à fame dictos Pinarios, & alio prius nomine nuncupatos fuisse, Gyraldus asseruerit Syntag. 17. aduersus Diodori & Liuij authoritatem.

x *Fuitq; obseruatum.*] Seruius enarrans eum locum Virgilij lib. 8. Æneid.

Tunc lecti iuuenes certatim.

Non vacat, inquit, lecti. In sacris enim Herculis liberi, nec serui intererant, nec liberti: adeò, vt Appius, qui sacra hæc transtulit in libertos, & caruerit oculis, & intra annum omnem familiam perdiderit Petitiorum, vt habet quoque Liuius Dec. 1. lib. 9. & Macrob. lib. 1. Satur. vbi de mense Maio. Sed & (vt id addas) ab æde Maturæ serui, seruæque arcèbantur, vt tradit Plut. probl. c. 15.

y *Sed & canis.*] Plutarch. problem. cap. 90. Plinius lib. 10. cap. 29. Non æditui alteriúsve diligentiæ, sed religioni tribuit, quod canis & musca Herculis templum non intrarent.

z *Ab arce Atheniensium.*] Plut. eiusdem operis c. 111. Pausanias lib. 1.

a *Et à Delo.*] Strabo lib. 10.

quòd impurum & procax animal esset. [b] Neque fas visum, sacra Herculis qui libertatem impartiuit, quique ex seruitute gentes eximit, nisi liberos attrectare. Quod [c] Platęensibus in vsu erat, vt dum manibus illorum qui pro Gręcię libertate ceciderant, parentant, & supremum exhibent officium, mancipia procul arceant. [d] Cuius exemplo Coi rem diuinam Iunoni exhibentes, à solenni epulo seruos abegere. [e] Traditum verò est, Rhodi, Lindi incolas nouo ritu Herculi immolare: nam maledictis ludibriisque verborum Herculi litant iunctis bobus. Si quid verò honesti probique in sacrificio prolatum dictúmve fuisset, tanquam ominosum spretę religionis crimen erat. Idem in [f] sacris Eleusinis, quę magna dicta sunt, factitatum comperimus, in quibus mulieres mutuis probris conuiciisq; se incessere, & maledictis solent conuitiari. Et in [g] festo quod Lenęum Athenienses vocant, fœda conuicia per risum & iocum inuicem poëtę iactitant, & contumeliis se lacessunt. [h] Apud Coos autem sacerdos muliebri veste amictus, & mitra caput ornatus, Herculi sacrum facit, & victimam cędit: sicut in [i] Artide viri ornatu muliebri, mulieres virili, Veneri rem diuinam faciunt. Cui persimile est, quod in [k] Mutinioi sacello, mulieres togis prętextatis velatę, Romę sacrificant. Nonnulli coturnice, [l] vt Phœnices, plerique humana victima, vt [m] Carthaginenses, Herculi litant. [n] In pantheo quoque statis diebus in sacris Herculis mactabatur homo, fœdo facinore & perniciali exemplo. Fuitque literis proditum, ab ignauis vota Herculi & preces effusas non exaudiri, quòd soli strenuo & peruigili prosperos successus faceret, & propitius foret. Sed prӕter hanc aram fuit alia [o] Victoris Herculis in foro boario, qui triumphalis dictus est, cuius statua ab Euandro sacrata triumphi die habitu triumphali ornabatur. Alia [p] ad circum maximum Cereris, & Herculis qui custos cognominatur à Sylla ex prędicto Sibyllinorum carminum, vt multi autumant, erecta & constructa. Templum quoque Herculi [q] iuxta Tiberim mirabili structura olim fuisse legimus, in [r] quo ex decimis factum sit, vbi duę [s] ęre éxque earum altera mulieres degustare, ex altera viros tantum vesci fas erat. Ad portam quoque [t] trigeminam Hercules Victoris cognomento fuit, atque in eodem [u] boario foro ędes Herculi rotunda pręcipuę admirationis, ad [x] quam nec canes nec muscas ingredi opinio est, sicut [y] Achillis ędem ante Borysthenem nulla ales ingreditur. Fuit prӕterea Hercules cognomento [z] Oliuarius, & Hercules [a] Cubans. [b] Fuisséque Herculi & Musis communem aram in circo Flaminio, à Fuluio Nobiliore ex censoria pecunia constructam, mox à Martio Philippo Augusti tem-

Platęenses in parentationib. mancipia arcebant. Coi. Lindorũ sacra maledica. Sacra Eleusina & Lenęa, maledica. Veneris sacrũ in Attide. Sacra alia & diuersa Herculis. Carthaginenses. Ara victoris Herculis. Ara Herculis custodis. Herculis templũ. Hercules victor. Herculis ędes rotunda. Ędes Achillis. Hercules oliuarius & cubans. Herculis & musarum ara communis.

ANNOTATIONES.

b *Neque fas visum.*] Suprà ad verbum fuit obseruatum.

c *Plateensibus.*] Siquidem bellum inituri vota publicè diis nuncupauerant, si vicissent Gręci prò libertate, certamen liberum, ludósque libertatis in plateis edituros, teste Diod. Siculo lib. 11. Vnde nulli seruo fas erat quicquam contrectare quod ad huiusmodi sacrum pertineret, vt refert Plutarchus in Aristide.

d *Cuius exemplo Coi.*] Plutarchus antiquus poëta versibus quos sic Latinè conuersos habes,

Surij soli quidem liberi sacrificant
Homines apud illos liberum diem habentes.
Seruorum nullus prorsus ingreditur, vel paulum.

Idem Machareus rerum Coarum 3. & illorum authoritate Athenęus lib. 14. cap. 17. qui & idem quoque scripserat lib. 6. cap. 7. post princ. Sed & Ęginę Monophagi Neptuno sacra facientes seruos non admittebant ex Plutarch. Probl. cap. 157.

e *Traditum verò.*] Hęc vsque ad clausulam, Idem in sacris sunt Lactantij lib. 1. cap. 21. Philostrati lib. 2. Imaginum. Zenodori in Collectaneis Adagiorũ, in illo adagio, λίνδιοι τὴν θυσίαν. Gregorij Nazianzeni prima στηλιτευτικῇ. & nonnihil ad Nonnium.

f *Idem in sacris Eleusinis.*] Hęc ex Diodoro Siculo lib. 6. c. 2. Sanè ab Eleusinis sacris profani & peregrini arcebantur, vt Lilius annotauit ex Calimacho Syntagmate 14.

g *Et in festo quod Lenaeum.*] Ex aliis idem Lilius syntagma. 17. vbi de Anthisteria celebritate.

h *Apud Coos.*] Plutarch. Problem. c. 171.

i *In Attide.*] Macro. lib. 3. Saturn. cap. 8.

k *In Mutinini sacello.*] Nullibi, vt erat hîc antè, legitur Mutininos: sed vbique Mutinios, siue Mutuninos, vt est apud Virgilium (si is est) in obscœno carmine,

Furi rubricato minare Mutino.

Tertullianum in Apologetico cap. 24. Arnobium aduersus gentes lib. 4. D. Augustinum de Ciuitate Dei, lib. 4. cap. 11. Sed vnde id acceperit Alexander non memini.

l *Vt Phœnices.*] Arrian. lib. 2. de Rebus gestis Alexandri.

m *Carthaginenses.*] Plinius lib. 36. cap. 5.

n *In Pantheo.*] Plinius scribit prędicto loco, Pœnos in Pantheo humana victima omnibus annis sacrificasse.

o *Victoris Herculis.*] Plinius lib. 34. cap. 7. in princ. & lib. 35. c. 4. & Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 6.

p *Ad circum maximum.*] Plin. lib. 34. c. 8. meminit quidem Herculis, qui fuit in ęde Pomp. Magni: sed fuit alia ędes ipsius Herculis Magni custodis circi Flaminij dedicata à L. Sylla, in nona vrbis regione, vt testis est P. Victor. Quo versus Ouidij in Fastis,

Altera pars circi custode sub Hercule tuta est.

q *Iuxta Tiberim.*] Diodor. Siculus lib. 5. cap. 2.

r *In quo ex decimis.*] Idem ibid. refert Herculem dixisse eos qui sibi ad deos translato, decimam bonorum dicarent, vitam felicem victuros. Decima verò eiúsmodi quòd iuxta legem fani Herculei daretur, Profanata dicta fuit Varroni lib. 5. de ling. Latina. Macrob. lib. 3. Saturn. c. 12. Quibus addito Marlianum in Topographia vrbis Romę lib. 4. c. 6.

s *Duę arę.*] Plutarch. in Problem. cap. 60.

t *Trigeminam.*] Solinus cap. 2. post princ.

u *Boario foro.*] Dionys. Halicarnass. lib. 1. Plinius lib. 16. cap. 29. & lib. 34. cap. 7. & lib. 35. cap. 4. Tacitus lib. 12. & Liu. 1. Decad. lib. 10. Ouid. Fastor. 1.

Constituitq; sibi, quę Maxima dicitur, aram,
Hîc vbi pars vrbis de boue nomen habet.

x *Ad quam.*] Plin. d. cap. 29. lib. 10. & Solinus cap. 2.

y *Sicut Achillis.*] Plin. d. cap. 29. lib. 10. Solinus c. 29. Gręci loca alitibus carentia ἄορνα vocant. id est sine auibus. Lucretius autem lib. 6. ea Auerna vocat, redditque eius rei rationem,

Principiò quòd Auerna vocantur, nomen id ab re
Impositum est: Quia sunt auibus contraria cunctis, &c.

z *Oliuarius.*] Petrus Victor in 11. vrbis regione.

a *Cubans.*] Idem author in 14. regione.

b *Fuisseq; Herculi & Musis.*] Plutar. Problem. c. 59. vbi eius rei rationem reddit, & Eumenius in Oratione ad Gallię Belgicę Prӕsidem de Scholis instaurandis.

Templũ Herculis à Iolao constructum. Hercules cultus apud Persas. Apud Athenienses. Hercules Iliensibus inuisus. Mulieres apud Thraces odiosa viris. Sic Venus apud Lemnios. Et Achilles apud Tenedios. Syracusani. Caucasij. Siba. Tyrij. Gaditani. Hercules plures.

pore sacratam fama vulgauit. Sed præter hæc templa, quæ in summa religione & cultu maximo fuere, fuit [c] Hercules Conor os apud Oetæos, ab Erythræis [d] Hippotonos, à Celtis [e] Ogmyos, ab aliis [f] Alexicacos, quasi :pulsor malorum cognominatus. Feruntque templum [g] Iolao nepoti ab Hercule constructum, tan.. maiestatis incolis fuisse, vt si à solitis deficerent sacris, muti euadesent: rursus si sacra se perfecturos vonerent, in pristinam restitui sanitatem. Præcipuæ verò admirationis [h] apud Persas colitur Hercules in monte cui nomen Sambulos, qui per quietem sacerdotes monere dicitur, vt equos venatui sistant ornatos: qui quum per nemora & saltus diu vagati fuerint, nullo rectore nocte sedeunt ad stabula vacuis pharetris, mox omnes saltus feris confossis constratos reperiunt, ita vt multo venatu incolæ ditentur. Apud Athenas vero [i] Cynosarges templum Herculis, [k] Gymnasium & Lucus maximi nominis erant, quæ Philippus impotenti ira deuastauit, & incendit. Hoc etiam licet animaduertere, [l] ab Iliensibus Herculi sacra celebrari vetitum, quòd Ilium Hercules olim depopulatus esset, eum propterea odio prosequuti perniciali. Sicut [m] apud Thraces, mulieres tanto flagrarunt odio, quòd Orpheum discerptum à mulieribus dicerent, vt viri vxoribus stigmata inurerent, in Orphei vltionem. [n] Et Lemnij cum Vulcanum colant, quòd apud eos enutritus foret, [o] Venerem quòd Marti se miscuisset, velut adulteram adeo contempserunt, vt nemo illi sacrum faceret. [p] Tenedij quoque Achillem, quòd Tenedum deuastasset, ita infensum habuere, vt supplicio afficeretur, si quis restituto templo Achillem nominasset. Contrà vero Syracusanis Herculem promptum numen, & maximi cultus fuisse, quòd ope Proserpinæ [q] Cerberum ex inferis eduxisse dicerent. [r] Caucasij etiam produntur Herculem summis percolere honoribus, quòd Prometheum vinculis exoluisset: Ioui & Mineruæ infensi, pleni persuasionis, tanquam Prometheo satisfaciant, quòd igniferis sagittis aquilas & illorum nidos incendant, fœtúsq; euastent & depopulentur. [s] Ferunt Sibas circa Indum, adeo Herculem velut gentis authorem coluisse, vt pellibus amicirentur vt Hercules, clauas gererent, illásq; bobus & equis inurerent. Sicut [t] Tyrij & [u] Gaditani Herculem magni numinis instar habuere. Fuitque memoriæ proditum, Herculem non vnum fuisse, sed plures. Nam præter [x] Tiryn-

ANNOTATIONES.

c *Hercules Conopios.*] Strabo lib.13. Aliis tamen Coroopios dicitus, vt habet Lilius Gyraldus Syntagmate 10.

d *Hippotonos.*] Alij legunt Ipoctonos à bestiola vineis infesta, quam Erythræi Ipon vocant, quia eos ab hac bestiola liberabit. Rhodiginus lib.6.c.7. ad fin.

e *Ogmyos.*] Lucianus in Hercule Gallico. Rhodigin. vbi suprà.

f *Alexicacos.*] Lactantius lib.5.c.3. Hunc Hesychius in insula Melita honoratum scribit.

g *Iolao.*] Diodor. Siculus lib. 5.cap. 2. ait, Apud Agrenæos templum sacratum ab Hercule qui præter cætera hîc relata, omnes eam incolentes vrbem ab ipsorum ortu, Iolao sacras nutrire comas docuit: quoad amplissimis victimis eum sibi Deum propitium reddant. Fuerat autem Herculis volútatios comes & auriga Iolaus, qui curru dicitur in Olympiis ludis vicisse. Pausan. lib:5.

h *Apud Persas.*] Eius verò cognomen est Sandes, vt Agathius ex Beroso & Athenoche scribit Histor. lib. 2. Monti verò nomen Sambulos, testatur Tacitos lib. 12.

i *Cynosarges.*] Liuius 4. Decad. lib.1. Plutarch. in Themistocle in princ. Pausan. lib. 1. vbi ita dicit vocatum ab alba cane. Stephanus, Suidas, Hesychius, & diximus supra eiusdem lib. cap.4.

k *Gymnasium & Lucus, maximi.*] Vide eodem cap.4.

l *Ab Iliensibus.*] Strabo lib.13.

m *Apud Thraces.*] Plutarch. in lib. de Sera numinis vindicta.

n *Et Lemnij cùm Vulcanum colant.*] Vnde & Lemnius dictus est Virgil. lib. Æneid.8.

Hoc pater Æoliis properat dum Lemnius oris.

Et Vulcania Lemnos Valerio Flacco lib. 2. Argonauticõn. & vide infrà lib.6.cap.4.

o *Venerem quòd Marti se miscuisset.*] Quod ita fuit, vt cùm spreta Venus à maritis tetrum odorem vxoribus immisisset, illæ eam ob rem viris infensæ, cum pellicibus coniurauerunt, vti eos è Thracio bello redeuntes ad vnum omnes interficerent: quæ dicta, facta sunt, nisi quòd Hypsipyle Regis filia Thoanti patri pepercit. Hæc cùm alij, tum Apollodorus in Argonauticis prodidit.

p *Tenedij.*] Plutarch. Problem.c.141. & ante eum Diodor. Siculus lib. 6. c. 86.

q *Cerberum ex inferis.*] Seruius ad 6. Æneid. ibi.

Tartareum ille manu custodem in vincla petiuit.

r *Caucasij.*] Ex Duridis Samij historiis Rhodiginus lib. 7. cap. 20,

s *Ferunt Sibas circa.*] Arrianus qui hos Sibastos appellat lib.8. de gestis Alexandri. Sed & posteà eodem lib. scribit Surasenos & ipsos quoque gentem Indicam maximè Herculem colere.

t *Tyrij.*] Cicero de Natura deorum lib.3. & Diodorus Siculos lib. 17. cap. 4. Herculis autem Tyrij meminit Quintus Curtius lib. 4. & Arrianus libro 2.

u *Gaditani.*] Pomponius Mela lib.3. eo capite, quo describit Hispaniæ & Septentronis insulas, post princi. Macrob. lib.1. Saturnal. cap. 24. Et Silius lib.3. Punicorum, inter cætera æditui & sacerdotes ab eius templo,

Fœmineos prohibent gressus, ac limine curant
Setigeros arcere sues. ———

x *Tirynthium.*] De quo Virgilius lib.7. Ænei.

——— *Postquam Laurentia victor,*
Geryone extincto, Tirynthius attigit arua.

Vbi Seruius, A Tirynthe, inquit, ciuitate Argis vicina, vbi nutritus est. & idem Virgilius lib.8. de eodem loquens,

Ecce furens animis aderat Tirynthius. ——

Vbi & ipse Seruius, à Tiriothe, in qua nutritus est ciuitate. Idem Seruius lib.8. eiusdem operis in eum locum,

Nascenti cui treis animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat: terna arma mouenda.

Iuuenalis Satyra 11.

Nam cùm sis conuiua mihi promissus, habebis
Euandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
Hospes. ———

Statius lib. 4. Thebaidos,

—— *Suus excit in arma*
Antiquum Tyrintha Deus, non fortibus illa
Infœcunda viris, famaq; immanis alumni
Degenerat. ———

Nam, vt ibi scribit Lactantius interpres, in vrbe Tirynthe natus est Hercules, vnde & Tirynthius dicitur. Vide tamen Herodotum lib.2. & Arrianum d.lib.8. ex quibus posset videri hic Tirium legendum esse: nisi cæteri authores repugnarent.

y *Argiuum.*]

thium, etiam [y] Argiuum, [z] Thebanum, [a] Libyeum, Cretensem & [b] Ægyptium legimus. Denique [c] Varro Hercules tres & quadraginta, ac [d] Ioues trecentos enumerat, [e] Cicero sex fuisse dicit. [f] Græci verò Orpheos quinque fecere, & [g] Veneres quatuor. [h] Sicut enim præstantissimos & summa prudentia viros Iouis filios, vt [i] Æacum & [k] Minoa, & [l] semideos qui à Ioue genus ducunt: ferocissimos Neptuni tamquam è mari genitos, [m] vt Cyclopes & Læstrygones: monstrosos verò & ignobiles è terra editos vetustas nuncupauit, vt [n] Tityum & [o] Antæum: [p] ita omnes qui vario & solerti ingenio, fortissimum aliquod facinus gessere, vel periculis subleuandis hominibus profuere, aut alicuius ingenuæ artis author vel princeps foret, à maioribus Herculis nomina tulere. Sed quod de Libyco Hercule dictum est, meminisse oportet, quòd hic Libycus, Ægyptios nuncupatur, [q] qui Nilo natus, Phrygias literas primus inuenisse, & per manus posteris dedisse traditur.

Ioues 300. Orphei 5. Veneres quatuor. Iouis filij. Neptuni. Monstrosi. Hercules qui appellati. Hercules Libycus.

ANNOTATIONES.

y *Argiuum.*] Varro de ling. Latina lib. 4. Cornelius Tacitus lib. 2. Arrianus lib. 1. illius ipsius operis. Seruius d. lib. 9.

ò *Thebanum.*] Herod. lib. 2. Arnobius aduersus Gentes ll. 2. Seruius vbi suprà. Philostratus in vita Apollonij lib. 2. Arrianus lib. 8. non semel. Nam & hinc Theocritus in Idylliis illum Βοιώτιον appellat, quòd esset ex Thebis Bœotiæ.

a *Libycum.*] Seruius vbi suprà.

b *Ægyptium.*] Cicero de natura deorum lib. 3. Diod. lib. 1. cap. 2 Pomponius Mela lib. 3. Arrianus lib. 3. & 8. Philostratus vbi suprà, atque etiam lib. 2. Herod. lib. 2.

c *Varro.*] Seruius vbi suprà. in verbo, Tirynthium. vbique tamen Lilius Gyraldus legit quatuor & quadraginta.

d *Ioues trecentos.*] Tertullianus Apologetic. cap. 14. Romanus, inquit, Cynicus Varro trecentos Ioues, siue Iupiteres dicendum, sine capitibus introduxit.

e *Cicero.*] Lib. 3. de Nat. deorum.

f *Græci verò Orpheos quinque.*] Author Suidas.

g *Veneres quatuor.*] Cicero de Natu deorum, Venus, Inquit, prima Cælo & Die nata, cuius in Elide delubrum videmus. Altera spuma procreata, ex qua & Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus. Tertia Ioue nata & Dione, quæ nupsit Vulcano. Sed ex ea & Marte natus Anteros dicitur. Quarta Syria, Tyróque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est.

h *Sicut enim.*] Idem Rhodiginus lib. 3. c. & lib. 20. cap. 28.

i *Æacum.*] Is fuit Iouis & Europæ filius, vt scribit Diodorus. Alij ex ipso Ioue & Ægina, vt Pindarus.

k *Minoa.*] Diodorus vbi suprà.

l *Semideos.*] De quibus Ouidius lib. 1. Metam. vbi ita facit Iouem loquentem,

Sunt mihi Semidei, & rustica numina Fauni.
Semideûmque pecus.

m *Cyclopes & Læstrygonas.*] De quibus ipsis duobus Strabo lib. 1. & Phurnutus addens Aloidas, quos omnes Neptuni filios vocatos fuisse tradit, quòd violenti & audacioris animi essent. Vide Plinium lib. 7. c. 2. post princ.

n *Tytium.*] Homerus lib. 7. Odysseæ,

ἤγον ἐποψόμενον Τιτυὸν γαιήϊον υἱόν.

Et lib. 11. eiusdem operis,

Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱόν.

Et Virgilius lib. 6. Æn.

Necnon & Tityum terra omnipotentis alumnum.

Id est filium, vt interpretatur Seruius. aliter Nonius Marcellus. & diximus in nostris commentariis in l. si vnquam. in verbo & susceperit liberos. n. 52. mox e diuerso.

o *Antæum.*] Nam & hunc terrigenam Libyæ vocat Statius. lib. 7. Thebaidos,

Terrigenam sudâsse Libys.

Sed tu vide Eusebium Chronographum, qui id fictum esse arbitratur.

p *Ita omnes.*] Cornelius Tacitus lib. 2. Annal. vbi de Canopo loquitur, scribit eius indigenas Herculem apud se ortum & antiquissimum perhibere, eósque qui posteà pari virtute fuerint, in cognomentum eius adscitos. Idémque de Moribus German. de eodem Hercule sic ait, Quidquid vbique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus. Seruius enarrans eum locum lib. 8. Æneid.

Nascenti cui treis animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat.

Mos, inquit, Herculis fuit, vt etiam non rogatus laborantibus subueniret. Tunc enim, sicut Varro inquit, omnes qui fortiter fecerant, Hercules vocabantur. Itemque l. 11. in eum locum,

Atrides Protei Menelaus adúsque columnae
Exulat. —

Inquit, omnes fortes Hercules dicebantur.

q *Qui Nilo natus.*] Cicero libro 3. de Natura deorum enumerans sex Hercules, Alter, inquit, traditur Nilo natus Ægyptius, quem aiunt Phrygias literas conscripsisse.

Quo tempore primùm prætores creari cœpere, & quod ius, quæue illorum potestas fuerit.

CAPVT XV.

PRODITVM [a] memoriæ est, ab ortu vrbis, ad annum ferè trecentesimum & nonagesimum, prætorem qui ius in vrbe diceret, nullum Romæ extitisse. Fuerat enim hoc consulis munus, & illorum qui in summo erant magistratu, super iure controuerso respõdere. Sed quia à iure dicundo, ingruente bellorum tumultu, persæpe eos auocari oportebat, prætore ac proprio magistratu qui ius in vrbe diceret, opus esse visum fuit. Igitur quo tempore tribuni militum consulari potestate esse desiere, quum iam de consulibus ex plebe creandis magnis contentionibus agitari cœptũ esset, eáque res inuisa patribus Infamisque haberetur, neque aliter sedari videretur posse: tum primùm leniendæ multitudinis causa, vt consul etiam de plebe fieret, à patribus est impetratum, inuicémque ipsa plebs vt prætor vnus ex patribus crearetur, qui ius in vrbe redderet, haud dubiè assensit. Fuit enim is Spurius Furius Marci filius primùm [b] prætor ex patribus, eique vt aliquibus honoris insignibus conspicuus foret, curulem sellam vt consuli dictatorique, & eadem auspicia esse voluere. Nec diu apud patricios honos iste mansit. Namque haud diu pòst [c] Quintus Publius Philo

Sp. Furius primus prætor.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

a *Proditum memoriæ est.*] Id initium vsque ad eam clausulam, Fuit enim is Spurius, est Liuij 1. Decad lib. 6. in fi. & lib. 7. in princip. & Pomponij Iurisconsulti in l. 2. §. cúmque consules. ff. de Origine Iur.

b *Prætor ex patribus.*] Liuius d. lib. 7. in princ.

c *Q. Publius Philo.*] Liuius eiusdem Dec. lib. 8.

primus de plebe, aduersante senatu prætor factus est: communicataque tam prætura, quàm consulatus cum plebe fuit. [d] Sed cum prætores magis ex vsu reipublicæ viderentur, ita breui illorum numerus auctus fertur, profectò vt mirum sit quàm facilè coaluerint. Quippe latius propagato & aucto imperio, quo tempore Attilius Calatinus primo Punico bello dictator, extra Italiam duxit exercitum, cum obire tantum munus solus non posset, duo prætores creati, exque his alter vrbanam, alter peregrinam iurisdictionem sortiti fuere. Et quia plerunque vsu veniebat, vt vrgentibus hinc inde hostibus, & multiplici bello ingruente, ferro & armis decernendum foret, prætores sicut consules [e] prouincias sortiri, hisque & exercitibus [f] cum imperio præesse cœpere, ibique non solum ius dicendo, sed armis imperitando imperium exercuere. [g] Ipsis enim licet ad ius dicendum creatis, non tamen à belli cura vacatio dabatur Qui tametsi in imperio essent, iura tamen prouinciæ sine decreto senatus aut populi iussu mutare non poterant. [h] Neque diu pòst, primo Punico exacto bello, cum Galli transalpini in Italiam irrumperent, quatuor prætores creati lege Bebia fuere: quæ iubebat, à ternis ad quaternos creari licere. [i] Mansitque hic numerus ad primum ferè Macedonicum bellum, quibus & belli summa commissa fuit, illorúmque auspiciis egregiæ res gestæ plerunque sunt. Tunc quoque additis prouinciis, & magno incremento rebus auctis, cum M. Cato Sardiniam obtineret, Siciliáque & Hispania imperio accreuissent, magisque indies prætores ex vsu forent, illorum numerus auctus fertur, vt seni crearentur. Post temporum verò curricula quibus [k] Cornelius Sylla rempublicam in dominationem vertit, cum plures de parricidiis, de sicariis, de falsis leges tulisset, vt essent qui eas tuerentur, quatuor qui de criminibus inquirerent, veteri numero adiecere, ita vt decem crearentur. [l] mox Iulius Cæsar numerum ampliauit. nam præter hos annonæ & rei frumentariæ præfecit duos, ad inuehendos commeatus, qui frumentarij seu Cereales dicti: quibus vt ne quid commeatus frumentique vrbi deesset, prouidere præcauereque negotium erat. [m] Et mox alios, qui ærarij curam agerent, adiecit. Diuus deinde [n] Augustus sedecim expleuit numerum, tametsi præturæ candidatos duodecim [o] ab Augusto editos, authores sint: quem numerum non excessurum Tyberius iureiurando firmauit. Demum [p] diuus Claudius alios constituit, qui deficientium voluntates tuerentur, & de fideicommissis ius dicerent, quos fideicommissarios vocauit: [q] quo tempore ad decem & octo prætores, quod nunquam antea factum, excreuit numerus. Et quum pupillis tutores [r] à consulibus ante poscerentur, [s] Marcus Antoninus philosophus, omni doctrina homo eruditus, cuius pleraque extant egregia facinora militaria, vt diligenti disquisitione tutores pupillis darentur, proprio magistratui eam curam demandauit, qui tutelaris dictus est. [t] Denique nullo præfinito numero tot fuere, quot expedire reipublicæ visi sunt: quod lege prætoria cauebatur, cuius verba subieci: IVRIS disceptator qui priuata iudicet, iudicarive iubeat, prætor esto: iuris ciuilis custos esto: huic potestati

Prætorum numerus auctus. l. 2. §. de inde. ff. de ori. iur. Prætor vrbanus & peregrinus. Prætores prouincias sortiti. Prætores iiij. Lex Bebia. Prætores vj. Prætores x. Prætores xij. Prætores xvj. Prætura candidati xij. Prætores decem & octo. Magistratus tutelaris.

ANNOTATIONES.

d *Sed cùm Prætores.*] Hæc vsque ad clausulam, Et quia plerunque. sunt L. Flori Epito. Liuij libro 19.

e *Prouincias sortiri.*] Tullius in 2. in Verrem Act. & alij plurimi, quos videbis in nostris commentariis Primigenio-rum in 17. q. in 1. opin. num. 44.

f. *Cum imperio.*] Apud Liuium 4. Decad. lib. 5. Minio Antiochi Regis Rom. legati: Cor, inquit, Syracusas atque in alias Græcas Siciliæ vrbes Prætorem quotannis cum imperio, & virgis & securibus mittitis?

g *Ipsis enim licet.*] Liuius 3. Decad. lib. 3. Ne prætoribus quidem (ait) qui ad ius dicendum creati erant, vacatio à belli administratione data est. Valerium Prætorem in Apuliam ire placuit, ad exercitum à Terentio accipiendum, cùm ex Siciliæ legiones venissent.

h *Neque diu pòst.*] Liuius 4. Decad. lib. 5. & L. Florus eiusdem Liuij Epitome lib. 20. Ipse autem Liuius 4. Decad. lib. 10. Prætores, inquit, quatuor post multos annos lege Bebia creati, quæ alternos quaternos iubebat creari. Ex quo loco haud dubiè accepit Alexander quod hîc scribit: sed ita vt quod Liuius dicit alternos quaternos, hicà ternis ad quaternos dicit.

i *Mansitque hic numerus.*] Liuius 4. Decad. lib. 2. Sardiniam, inquit, M. Portius Cato obtinebat, sanctus & innocens &c. Et paucis interiectis, Sex Prætores illo anno primùm creati, crescentibus iam prouinciis, & latiùs patescente imperio. Et Pomponius in l. 2. §. capta. ff. de orig. iur.

k *Cornelius Sylla.*] d. l. 2. §. deinde Cornelius.

l *Mox Iulius Cæsar.*] Hæc vsque ad clausulam, Et mox alios, sunt ex d. l. 2. §. deinde Cæsar.

m *Et mox alios.*] Transposita sunt hæc Alexandri verba, quæ C. Cæsari tribuunt, quod ille nusquam, sed primùm Diuus Augustus fecit: is enim author fuit, vt cura ærarij à Quæstoribus vrbanis, ad prætorios, Prætorésve transferretur, vti refert Suetonius in Augusto cap. 36. Prætorum autem ærarij meminit Tacitus lib. 1. 13. & 20.

n *Augustus.*] In d. l. 2. vbi suprà, versic. D. deinde Augustus, & Suet. in August. c. 37.

o *Ab Augusto.*] Cornelius Tacitus lib. 1. Candidatos (ait) præturæ duodecim nominauit, numerum ab Augusto traditum, & hortante senatu, vt augeret, iureiurando obstrinxit, se non excessurum.

p *D. Claudius.*] In d. l. 2. vbi suprà, versic. post deinde D. Claudius Nam & nostris legibus Prætores agnouisse de fideicommissis satis constat ex l. si etiam seruum. §. si quis. ff. de fideicommiss. libert. Suetonius autem de ipso Claudio in vita ipsius cap. 23. Iurisdictionem, inquit, de fideicommissis quotannis, & tantùm in vrbe delegari magistratibus solitum in perpetuum, atque etiam per prouincias potestatibus demandauit.

q *Quo tempore.*] Nam vt scribitur in d. l. vbi suprà, D. Claudius duos Prætores adiecit, qui de fideicommissis ius dicerent, ex quibus vnum D. Titus detraxit, & adiecit vnum D. Nerua, qui inter fiscum & priuatos ius diceret. Ita decem & octo prætores in ciuitate eius diciuntur. Hæc ibi.

r *A consulibus.*] Claudius, teste Suetonio. ca. 23. sanxit vt pupillis extra ordinem tutores à Coss. darentur. Modestinus quoque in l. 1. ff. de confir. tutor. meminit consularis potestatis in supplendo quod deficit tutori dato. Plinius quoque ad Quadratum lib. 9. Epist. scribit, Corootum à Coss. tutorem datum. cuius iuris processum exposui in libello, de iure Liberorum, c. 31.

s *M. Antoninus Philosophus.*] Iulius Capitolinus in vita illius.

t *Denique.*] Hæc vsque ad clausulam, Quàm lata. sunt

Ciceronis

parento: quotcunque senatus creuerit, populusque iusserit, tot sunto. & infra. Quàm lata autem in iure dicundo prætorum iurisdictio fuerit, multis documentis ostenditur. Nam & [u] bonorum possessionem dare, & ad defuncti bona hæredem admittere, [x] nonnunquam ius constituere, & vetus abrogare poterat: [y] seruos manumittere, [z] judices delegare, [a] tutores pupillis minime inuisos constiuere: [b] dolo vel metu lapsis, aut vi deiectis subuenire, [c] de fide, [d] déque iureiurando: [e] tutelæ, mandati, pro socio, fiduciæ [f] déque empto, vendito, [g] locato conducto ius dicere, suæ cognitionis erat. [h] Læsos quoque immatura ætate [i] vel sexu, in integrum restituere: [k] edicta proponere, [l] legem ad populum ferre: [m] néve probitas aut innocentia fraudi cuiquam esset, cauere debebat. Quinetiam [n] ferias concipere, [o] ludis præesse, quadrigis emittentis signum dare, [p] aquæductuum curam gerere, [q] ædem

Prætorum in iure dicundo iurisdictio, quàm lata fuerit.

ANNOTAITONES.

Ciceronis lib. 3. de Legibus. Cauendum autem hîc ab Alexandro, qui legem Ciceronis fictitiam de prætoris imperio viguisse existimat, vbi lege Prætoria cautum ait, quam scilicet ipse Cicero de imperio prætoris suæ Reip. vel alios complures ad instar Platonis confinxerat.

v *Bonorum Possessionem.*] Ex nostris ll. in l. sed cùm patrono, in princi. & l. bonorum, & l. seq. ff. de bon. poss. & alibi sæpe eod. tit. & in tit. de bono. poss. secund. tab. & ex Cicerone in 3. in Verrem act. & Vale. Maximo li. 7. cap. 7. vbi de Genutio quodam & Vetilio lenone loquitur.

x *Nonnunquam ius constituere.*] Sic Liuius, Penes quem (de Prætore loquitur) magistratum omnis publici priuatique iuris potestas, vt & nouum ius constituere, & vetera abrogare facultas esset. Ex quo Fenestella, si is est author, de magistratibus Romanorum cap. 19. Theophilus lib. 1. Institut. de bonor. possess.

y *Seruos manumittere.*] Ex l. 1. ff. de offic. præt. l. non est, & l. ego. & l. pater. ff. de manu. vindic.

z *Iudices delegare.*] Ex l. mandato. ff. offic. eius, cui mand. est iurisd. & l. solet. & l. prætor. ff. de iurisdict. omn. iud.

a *Tutores &c.*] Iul. Capitolinus in M. Antonino Philosopho, tradit illum prætorem primum tutelarem fecisse, cùm antè tutores à Consulibus poscerentur. Verùm longis antè temporibus id munus prætorum quoque fuisse constat ex eo quod scribit Liuius 4. Decad. lib. 9. Tutore, ait, à Tribunis & prætore petito, &c. Ex quibus etiam verbis intelligis id quoque munus Tribunorum olim fuisse. Id quod rarò alibi reperies. Nostris autem legibus & proconsul & Præses, & magistratus municipalis tutores dare possunt. l. 1. & 3. & aliis multis. ff. de tutor. & curat. dat. ab his. De Prætore autem minimè dubitatur l. prætor. & l. nec mandante. §. 1. & 2. eod. tit. & l. 1. C. offic. præto.

b *Dolo, vel metu lapsis.*] Nam quod ad dolum pertinet, peculiare edictum est prætoris, vt videre est ex l. 1. in princip. & per totum tit. ff. de dol. mal. De metu quoque in l. 1. & per totum titul. ff. de eo quod me. cau. De vi in l. 1. ff. de vi & vi arm. & apud Ciceronem in Orat. pro Cecinna, vbi loquens de Pisone prætore, Aut vim, inquit, fieri vetat, aut restitui factum iubet.

c *De fide.*] Ex l. 1. & l. iurisgentium. §. prætor. ff. de pac.

d *Deque iureiurando.*] In l. ait prætor si is. & ait prætor eius rei. ff. de iureiur.

e *Tutela &c.*] De tutela iam dictum est, sed & huius, & mandati, & pro socio, & depositi cognitionem, prætoria esse, satis constat ex l. 1. §. qui pro socio. ff. de his, qui notan. infa. & l. 1. §. 1 ff depos. Hîc autem fiduciæ Alexand. appellat, quam nostri depositi vocant. De quo tu vide omnino quæ scripsimus in Commet. retractuum num. 2. in præfatione.

f *Deque empto.*] Id edocent vel inscriptiones in l. 1. & 9. 30. & 34. ff. de contrah. empt. l. 5. & 11. & 13. cum simul. de action. empt. quæ ex lib. Pauli & Vlpiani ad edictum arguunt, etiam de contractibus iurisgentium prætorem edicta proposuisse.

g *Locato.*] Ex Gellio lib. 11. c. 17. adde epigraphes l. 1 5. 7. 9. 11. 13. & seq. ff. locati.

h *Læsos quoque.*] Ex l. 1. ff. de in integ. restit. & l. 1. & per totum tit. ff. de minor.

i *Vel sexu.*] Quod prætor de hac re se intermiserit, non constat ex tit. ff. & C. ad S. C. Maced.

k *Edicta poponere.*] Ex l. 1. in princ. ff. ne quis eum qui in ius voc. est. & l. 1. iuncta l. iurisgentium. §. prætor. ff. de pactis. & alibi sæpè. & ex Plin. lib. Epist. 5. epist. vlt. Idque fiebat in tabulis dealbatis, quæ album prætoris, dicebantur. In autheut. de litigiosis. §. iubemus. col. 8. quorsom etiam spectat locus, si quis album prætoris corrupisset. &c. Sed & alij quoque edicta proponebant, vt Censores ex Suetonio in Claudio c 16. ad fin.

l *Legem ad populum ferre.*] Scripsit forsan. Alexander, legenda ad populum ferre. de edictis locutus, quæ in tabulis dealbatis proponeret, & id erat Album prætoris § iubemus. Noue. de litigiosis. de quo dictum suprà eod. lib. c. 8.

m *Neue probitas.*] Alias, vt scriptum legitur, Scitum à maioribus magistratibus: quales fuere Consul, Prætor, Dictator & interrex, leges in veteri republica latas esse. vt obseruauit Paulus Manutius in lib. de Legibus.

n *Ferias concipere.*] Id patet ex toto tit. præsertim in l. 1. §. 1. & l. 2. in princ. ff. de feri. & ex Suetonio in Claudio c. 22. & Gel. lib. 10. c. 24.

o *Ludis praesse.*] Quod planè insinuat Liuius 1. Decad. l. 8. & 3. Decad. lib. 5. vbi ludis Apollinaribus. Iuuenalis saty. 8.

Nec dubitant celsi prætores vendere ludis.

Et Saty. 10. post prin.

Quid si vidisset prætorem in curribus altis
Extantem, & medio sublimem in puluere circi
In tunica Iouis.—

Et satyra 11. ad fi.

Interea Megalesiaca spectacula mappa
Idæum solenne colunt, similisque triumpho
Prædo caballorum prætor sedet —

Et satyra 14.

Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla æquare queas prætoris pulpita lauti.

Et Martialis lib. 12. Epigram. 29.

Cretatam prætor cum vellet mittere mappam
Prætori mappam surripit Hermogenes.

Mappa enim signum erat, quod Prætor, qui ludis præerat, ostendebat, vt quadrigæ emitterentur, vt constat ex Suetonio in Nerone cap. 22. & Quintiliano lib. 1. cap. 9. & Iuuenale d. Saty. 11. vbi suprà. vide in authent. de Consul. §. quantuncunque. Et huc quoque spectat quod scribit Vlpianus in l. si vt certo §. interdum. ff. commodati. vel si quis ludos edens prætor scenicis commodauit. Quo in loco Budæus tamen aliter intelligi voluit, ad id minimè respiciens quid sit proprium prætoris.

p *Aquæductuum.*] Vnde hæc transcripta coniectâne sint, non satis scio: at publicis aquis reperio præfectos fuisse S. C. qui cum eius rei causa extra vrbem forent, lictores binos, & seruos publicos ternos, architectos & scribas & librarios, accensos, præcones singulos haberent. Equidem hosce quandoque dici aquarum curatores, interdum aquarios apud Frontinum de Aquæductibus annotauit Cæl. Rhodig. lib. 18. c. 40.

q *Ædem dedicare.*] Confundit hoc loco Alexander munera prætorum, dum anteà de maiore & vrbano ageret. Quod autem ponit de ædis dedicatione, eius exemplum dedit Æmylius Regilius prætor è minoribus, qui, bello in

Antio

dedicare, de gestis cuiusque magistratus disquirere, [t] duumuiros & decemuiros creare, [f] bonis interdicere: quæque ad disciplinam publicam pertinerent, curare & prospicere: [t] tum criminosos reos facere, officij præturis erat. [u] Rei autem criminis fiebant, vt accusator criminosum in ius ducat, & apud prætorem reum agat, his verbis: Aio te prouinciam depeculatum fuisse, aut crimen aliquod admisisse. Tunc si reus tacuisset, tanquam in conuictum lis dabatur: si verò esset inficiatus, inquirendo crimini præfixo die, à prætore accusatio constituebatur, & tunc in reum, vt noxam cuius arguebatur, dilueret lege agrebatur. [x] Denique illud receptum est, absentibus consulibus, & in prouinciam profectis, habendi senatus prætori Romæ ius fuisse, [y] comitiisque præsidendi, de rebus quæ ad rempublicam pertinent, consultandi, vrbi præessendi: atque idem ferè iuris quod consules, habere, nulla controuersia est. [z] Nec me præterit, memoriæ datum esse, non modò super priuatorum causis, sed inferiorum quoque magistratuum, videlicet quæstorum & ædilium, prætori more prisco ius dicere licere. Itaque tam plebeios & humiles, quàm ædiles & quæstores, reliquosque magistratus, qui nec vocationem, nec præhensionem habent, apud prætorem in ius vocare cuiuis potestas est: quod in vincla duci iubere, pro imperio & potestate legitimis pœnis afficere poterat. Fertur quoque [a] Octauius Augustus hoc munus prætori vrbano dedisse, vt populariùm litigatorum appellationes cognosceret, prouincialium verò cognitionem consularibus viris ipse delegaret. Si tamen ipsi prætores prauè quid deliquissent, ex consulto senatus nonnunquam prætura deiecti fuere. Nam & [b] P. Lentulus prætor & alij magnis criminibus circunuenti, abdicato magistratu, de gradu exturbati, male administrati muneris pœnas dedere. Moris præterea fuit, [c] vt sicut dictatores, magistros equitum, [d] consules sub se legatos habebant, qui eorum vices gerere, & quoties oporteret, munia obire possent: [e] sic prætores quæstorum ope niterentur. [f] Itaque prætores quæstoribus parentis affectu, & coniunctissimorum loco esse, vetusti iuris fuit. Tametsi prætores sicut consules non modò quæstorem, [g] sed legatum vnum [h] pluresve

Rei criminis quomodo fiebant.

Prætoris potestas absentibus consulibus.

Prætor etiam minoribus magistratibus ius dicebat.

Prætores degradu deiecti.

Ordo magistratuum Rom.

ANNOTATIONES.

Antiochia confecto, quam vouerat ædem Laribus in Campo Martio dedicauit. Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 10.

t *Duumuiros & Decemuiros.*] Nam ab Æmilio prætore vrbis Cn. Pupius. & Cæsius Quintius Flaminius, apud Liuium 3. Decad. lib. 2. duumuiri, ad ædem Concordiæ in arce faciendam creati sunt. Duumuiros autem eos fuisse, quos & posteà decemuiros appellarunt, videbis infrà lib. 3. cap. 16. in princip. Sed & priuati in quod prætor Decemuiros creauerit ex S. C. testis est ipse Liuius 5. Decadis lib. 1. vbi loquitur de diuisione agri Ligustici & Gallici, ad quam rem prætor decemuiros creauit. Adde & Triumuiros à prætoribus creatos ad colonos ex S. C. deducendos ex eod. Liuio 4. Decad. l. 9. Hincque illud Horatij libro 1. Sermonum, satyra 3.

—Interdicto huic omne adimat ius
Prætor, & ad sanos abeat tutela propinquos.

e *Bonis interdicere.*] Paulus lib. 3 Sententiarum, tit. 5. Maritus, inquit, per prætorē bonis interdicitur hoc modo, Quando bona paterna tua nequitia disperdis, liberósque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi commercio interdico.

e *Tum criminosos.*] Vt videre licet apud Val. Maximum lib. 8. cap. 1. vbi de M. Pompilio prætore loquitur, & Gellium recitantem pœnas furum ex legibus 12. Tabul. lib. 11. c. 18. Adde autem superioribus adoptionem recipere ex Gellio lib. 5. cap. 19. non semel.

u *Rei autem criminis.*] Asconius in 1. in Ver. actio. non multò post princ. Quid est, inquit, reum fieri, nisi apud prætorem legibus interrogari? Cùm enim in ius ventum esset, dicebat accusator apud prætorem reo, Aio te Siculos spoliasse. si tacuisset, lis ei æstimabatur, vt victo: si negasset, petebatur à magistratu dies inquirendorum eius criminum, & instituebatur accusatio.

x *Denique illud receptum est.*] Liuius 1. Decad. lib. 8. post princip. & lib. 10. vbi de P. Sempronio prætore creato loquitur. & 3. Decad. lib. 5. vbi de senatu à prætoribus vocato post Cannensem cladem. & iterum lib. 3. vbi de senatu vocato à M. Æmylio prætore. & 4 Decad. lib. 5. vbi de L. Corn. Lentulo prætore. & eiusdem Decad. lib. 6 vbi de M. Catone, Is, inquit, ante lucem ingressus, à porta ad prætorem M. Iunium iter intendit. Is prima luce senatum vocauit. & lib. 8. vbi de senatu dato ab Sergio Sulpitio. Et 5. Decad. lib. 1. & iterum lib. 5. ad fi. Et Cornelius Tacitus lib. 17. vbi prætor vrbanus, quem non nominat, senatum vocauit.

Nam & Varro lib. 4. Epistolicarum quæstionum apud Gel. lib. 14. c. 7. inter eos, per quos, more maiorum, senatus haberi soleret, prætores ponit.

y *Comitiisque præsidendi.*] Nam & apud Liuium 4. Decad. lib. 4. Cn. Domitius, prætor vrbanus, bina comitia in Capitolio habuit. Sed & antè apud eundem 3. Decad. lib. 5. Comitia à prætore vrbano de Senatus sententia, plebisque scito sunt habita, quibus creati sunt quinqueuiri muris turribúsque reficiendis.

z *Nec me præterit.*] Hæc vsque ad versi. Fertur quoque. colliguntur ex Gellio lib. 13. c. item 13.

a *Octauius Augustus.*] Sueto. in vita illius c. 33.

b *P. Lentulus.*] Fortè intelligit de Corn. Lentulo Sura prætore, quem conuictum coniurationis Catilinæ, eo magistratu se abdicare coactum purpureámque vestem, qua amictus erat, deponere & atram fortunæ suæ congruam induere tradunt Plutarch. in vita Ciceronis, & ipse Cicero in 3. in Catilinam Orat. iterúmque in 4. Et adde quod C. Bebius Pamphilus prætor, quòd malè & temerè rem in Gallia gesserat, à C. Aurelio, Cos. multis probris increpitus prouincia decedere, ac Romam abire iussus est, apud Liuium 4. Deca. l. 5. & M. Furius prætor, cùm insontibus Cænomanis arma ademisset, Consul, ad quem eius rei cognitio reiecta fuerat, arma illis reddi statuit. & prætorem è prouincia decedere iussit, apud eundem eiusdem 4. Dec. lib. 9. post princ.

c *Vt sicut dictatores.*] De quo alibi, scilicet lib. 4 c. 23.

d *Consules sub se legatos.*] De quo etiam infrà lib. 3. c. 3.

e *Sic prætores Quæstorum ope.*] Nam & Cicero Quæstor in Sicilia fuit sub Sext. Peduceo prætore, vt tradit Asconius in 1. Ciceronis in Ver. actio. in argumento ipsius. Et Q. Cæcilius Niger Verris prætoris, vt etiam inibi dicitur. Strabo autem lib. 3. Ad Beticam, inquit, prætor mittitur, qui legatum habet & Quæstorem.

f *Itaque prætores.*] Cicer. in ea 1. in Vert. act. Sic enim, ait, à maioribus nostris accepimus Prætorem Quæstori suo parentis loco esse oportere, nullam neque iustiorem, neque grauiorem causam necessitudinis posse reperiri, quàm coniunctionem sortis. Quod & nos annotauimus in nostris Com. Primige. q. 17. in 1. opi. nom. 47. incip. hinc sortis.

g *Sed legatum vnum.*] Id patet ex Strabo. dicto. lib. 3.

h *Pluresve*] Nam L. Corn. Lentulus prætor vrbanus cum quinque legatis profectus est ad opprimendam coniurationem seruorum Setiæ apud Liuium 4. Decad. lib. 2.

i Ipse

in prouincia habuisse, ipsisque quoties abessent, legionum & exercitus curam demandasse, compertum fit. Illud quoque non ab re fuerit meminisse, prætorem vrbanum plus decem continuis diebus Roma abesse non licere: [l] ipsisque non duodecim, sicut consuli, sed vt inferior magistratus notaretur, sex tantummodo lictores cum fascibus Romæ: in prouincia verò sibi decreta pro maiestate imperij, etiam cum securibus præire. Paulum tamen Æmylium cum prætor in Hiberos duceret, cum duodecim lictoribus præturam gessisse authores tradunt. Credo equidem, vt dignitas consularis adiuncta prætoriæ videretur, vtque plus maiestatis inesset, ideo duodecim lictores præter præscriptum, Æmylium in prouincia habere senatum voluisse. Fuitque animaduersum, prætorio viro, & qui fuisset prætura functus, [k] toga prætexta vti licere: [l] eundémque Æmylium non in purpura modò prætexta, sed trabea candida & ministris dealbatis, atque in equo albo præturam gessisse. Neque præterierim, nomen prætoris & munus [m] non Romæ tantùm, sed apud [n] Latinos populos & [o] Siculos, atque in [p] Samnio, & [q] Campanos, [r] exterasque gentes præcipuum fuisse. [s] Namque Ægyptiis loco censoris erat, cui portoria exigendi munus impendebat. [t] Achæis bini prætores longo tempore imperitarunt, mox vnum accepere. Apud [u] Macedones, [x] Saguntinos [y] Syracusanos, domi forisque

Quæstores. Prætorum vicary. Prætori vrbano plus decem diebus vrbi abesse non licebat. Lictores prætoris. Toga Prætexta prætorum. Prætoris dignitas apud exteras gentes.

ANNOTATIONES.

l *Ipsisque non duodecim.*] Hæc vsque ad clausulam, Fuitque animaduersum, sunt Plutarc. in vita Pauli Æmylij. Et idem ex eo authore, cuius liber est de Magistratib. Romanis, sub nomine Fenestellæ. Sed hîc non omittendum quod scribit Cicero in 2. Orat. de lege agraria. Deinde ibant lictores non cum bacillis: sed vt hic prætoribus anteibant cum fascibus duobus. & quod scribit Censorinus de die natali cap. 19. M. Plectorium Trib. pl. scitum tulisse, quo scriptum erat, Prætor vrbanus, qui nunc est, quique posthac fuerit, duos lictores apud se habeto. Et quod Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. tradit Furium Bibaculum prætorem iussum à patre suo, collegij Saliorum magistro, sex lictoribus præcedentibus arma ancylia tulisse.

k *Toga prætexta.*] Cicero in Oratio. quam habuit post reditum suum.

l *Eundemque Æmylium.*] Plut in vita illius.

m *Non Romæ tantùm.*] Verendum hoc loco ne prætoris appellatio exteris ab Alexandro communicata periculosè videatur, qui secutus eos, qui de Græcis Latina facientes pro duce & militum præfecto στρατηγὸν, prætorem conuerterunt, vel qui propria nomina ad magistratus alienos accommodarunt, vt nomen Romanum alijs esse commune creuit, ita & munus non Romæ tantùm: sed & exteris idem fuisse significarunt. Sanè vt Lucilius apud Varronem, ait Prætorum est antè præire, & à præeundo, quasi præitor nomen datum est illi, qui præires iure & exercitu, inquit ille de lingua Latina lib. 4. Sed quod ius præfecto militum exterorum esset in suos, & an iuris dicendi facultas, id non satis literis proditum, vt minus asseuerari possit.

n *Latinos.*] Liuius 1, Decad. lib. 8.

o *Et Siculos.*] Idem Author 3. Decad. lib. 4. vbi de Syracusanis loquitur, & Diod. Sicul. lib. 15. vbi de Nymphio prætore.

p *In Samnio.*] Idem 1. Dec. lib 8. vbi de Nymphio prætore Samnitum, & iterum alibi ad fi. eius lib.

q *Campanos.*] Liuius 1. Deca. lib. 9. vbi de Mario Blasio prætore Campanorum. Adde & Marsos ex Seneca lib. 3. de Beneficiis cap. 23. dum mentionem facit Atreoi illorum prætoris. Et Lauinios ex Liuio 1. Decad. lib. 8. vbi de Milionio eorum prætore. Et Prænestinos ex eodem 1. Decad. lib. 9. & iterum 3. Decad. lib. 3. vbi loquitur de Manilio eorum prætore. Irpinos ex eodem 3. Decad. lib. 4. Lucanos eiusdem Decad. lib. 5. Nouocomenses ex Appiano lib. 2. bellorum Ciuilium.

r *Exterasque gentes.*] Vt Athenienses, teste Diodoro lib. 15. Liuio 4. Decad. lib. 1. & Plutarc. in Pericle non semel, & iterum in Solone, iterúmque in Demosthene, vbi de Charonda & Aristophante eorum prætoribus. Probo Æmylio in Miltiade & in Aristide, & in Thrasybulo, & in Conone, & in Timotheo. & Valerio Maximo lib. 3. cap. 8. vbi de Socrate loquitur. Paolo Orosio lib. 5. cap. 9. vbi memorat Heraclitum eorundem prætorem. Scribitque ipse Plutach. in Politicis hunc magistratum apud Athenienses summum fuisse. Lacedæmonios quoque prætores habuisse, testimonio est Probus Æmilius in Alcibiade, dum loquitur de Lysandro eorum prætore. Reperias tamen apud Pausaniam lib. 9. militum Lacedæmoniorum præfectos Harmostas ab illis dictos fuisse. Item & Epirotas Liuius 3. Deca. lib. vbi loquitur de Europo, & Darda & Philippo eorum prætoribus. Et Rhodios idem Liuius 4. Decad. lib. 3. post princip. vbi de Pausistrato eorum prætore. Adde & Acarnanes eiusdem Decad. lib. 6. vbi de Clyso eorum prætore. & ex eo loco intelliges summam fuisse potestatem eorum prætoris: quanquàm alius esset, qui princeps eorum dicebatur. Adde quoque Messenios eiusdem Decad. l. 9. vbi de Dinocrate eorum prætore. Item Thessalos ex Cæsare lib. 3. bell. Ciuilis vbi de Androphane prætore Thessaliæ, & Liuio 4. Decad. lib. 5. vbi de Eunemo eorum prætore. & 5. Deca. lib. 2. Vbi de Hippia eorum quoque prætore. Carthaginientes ex eodem. 3. Dec. lib. 8. vbi de Adherbale eorum prætore, & 4 Decad. li. 3. non procul ante fin. vbi de Annibale eorum item prætore. & L. Floro Epito. eiusd. Liuij lib. 50. Persas ex Cicerone de Finibus li. 5. paulò ante fi. vbi de Oronte prætore Darei. Q. Curtio lib. 3. vbi de Nabarzanne prætore Darij. & iterum posteà dum simpliciter loquitur de coniugibus & liberis prætorum ipsius Darij. & lib. 4. vbi de eiusdem prætoribus loquitur. Et Bactrianos ex eodem Curtio lib. 9. vbi de Oxiarte eorum prætore. Et in Mesopotamia ex ipso eodem lib. 10. Et Marrucinos Marsorum gentem ex L. Floro epit. Liuij lib. 73. Et alios de quibus infra dicemus num. seq.

s *Namque Ægyptiis.*] His prætores fuisse constat ex Curtio lib. 3. vbi loquitur de Sisene Persa misso à Prætore Ægypti ad Philippum. & iterum eodem libro vbi de Sabace eorum quoque prætore. & lib. 4. vbi de eod.

t *Achæis.*] Achæis prætores fuisse satis constat ex Liuio 3. Decad. lib. 8. vbi loquitur de Nicia prætore Achæorum. & 4. Decad. lib. 1. vbi loquitur de Cycliade Ætolorum prætore. & lib. 2. de Aristhone & de Nicostrate. & lib. 4. vbi & de ipso Aristhone, aut alio eiusdem nominis illorum quoque prætore. Et li. 6 vbi de Diophane. Simul autem duos habuisse colligi potest ex ipso Liuio 4. Decad. lib. 9. vbi scribit, quòd cùm Philopœmenon, eorum prætor, captus fuisset à Messeniis, illique missum & oblatum fuisset venenum, accepto poculo nihil aliud locutus fertur, quàm quæsisse, si incolumis Lycortas alter Achæorum imperator esset: quod cùm audisset incolumen esse, Bene, inquit, habet. & poculum impauidè exhausit.

v *Macedones.*] Apud eos prætores fuisse liquet ex Curtio lib. 3. loquente de Amynta prætore Alexandri Macedonis. Et lib. 4. de Antigono eiusdem prætore. Et Liuio 4. Decad. lib. 10. dum meminit Didæ vnius ex ipsius prætoribus qui Pæoniæ præerat. & Deca. 5. lib. 1 vbi de Xenarcho prætore.

x *Saguntinos.*] Ex Liuio 3. Decad. lib. 1. & 2.

y *Syracusanos.*] De his diximus suprà, vbi de Siculis dictum est. Quibus adde Plutarchum in Nicia id idem astruentem,

iura dabant. In quo magistratu cum esset [z] Dionysius, gradum ad tyrannidem fecit. [a] apud Thebanos summam imperij tenebat.sicut fuit [b] Epaminundas: & nisi præsente eo, magistratus eligi nequibant. Sardium prætor de bellis consultabat,& fedeta inibat. [c] Æiolis,cum de bello aut quouis negotio senatum consuluisset, dicendæ sententiæ ius non habebat. [d] Epirotis & [e] Atheniensibus prætor, thesmotheta, & belli dux, singulis annis sortitò creabantur. Is autem siquando bella mouenda,& armis decernendum foret, militum delectus habere, legionesque & turmas conscribere solebat.quam præturam [f] Nicias cum Pericle aliquando gessisse fertur. Nonnunquam Athenienses [g] decem prætores militiæ præfecere, qui per vices castris & legionibus imperitarunt. In quo magistratu cum esset [h] Aristides, Milciadi cessit:ne in pugna Marathonia aduersus Datym Darij præfectum in dissidium veniret, quum multitudine prætorum, patriæ discrimen impendêret.

ANNOTATIONES.

tem, vt pote qui memorat Eurylem eorum prætorem. Et Liuium 3.Decad.lib.5.vbi de Syracusanis loquens, Prætores,ioquit, priùs creari, quàm legatos nominati placuit. Ex ipsorum deiode prætorum numero missi otarotes ad Marcellum.

z *Dionysius.*] Videndos est Iostinus ex Trogo libro 21.

a *Apud Thebanos.*] Hos prætores habuisse videri potest ex Liuio 5. Decad.lib.2.vbi de Ismenia eorum prætore.

b *Epaminundas.*] Hunc Thebaoorum fuisse docem nemo nescit,quem στρατηγὸν tam Paosanias lib.1.quàm Xeoophon ἑλληνικῶν lib. 7. dicuot. De quo sic author ad Herennium, Epaminundas Thebanus imperarot, ei,qui sibi ex lege successerat prætor, exercitum non tradit. qua de re & vt imperium retinuit,consule Pausaniam lib.9.

c *Ætolis.*] Et his prætores fuisse constat ex Liuio 3.Decad. lib.6 vbi de Scopa eorum prætore.& lib.7. & 4.Decad.lib. 2.vbi de Damocrito.& lib. 2. vbi de Phania, quem primo loco principem Ætolorum, mox prætorem vocat.& lib.4. vbi de Thoa & lib.5.vbi iterum de Damocrito.& 5.Decad. lib.2.vbi de Lycisto.Apud eundem quoque 4.Decad.lib.5. Philopœmenes dicit, Bene comparatum apud Ætolos esse, oe prætor cum de bello consuluisset, ipse senteotiam diceret.Idque est quod noster Alexaoder hîc dicit.

d *Epirotis.*] Liuius 3.Decad 9.

e *Atheniensibus.*]De quibus suprà saris superqoe.Hos autem & Thesmotheras.& belli duces capi solitos tradit Plutarch. in Pericle. Et prætereà de ipsis Thesmothetis & Archontis idem author in lib.de Fort.Alexandri.& Pollux lib.8.ἀρχόντων ἀθήνησιν ὀνόματα.De quo & tu vide quæ oos scripsimus in commentariis Primigeniorum io 17.q.in 1.opi.num.60.incip.& apud Athenienses & seq.

f *Nicias cum Pericle.*] Plutar.in Nicia.

g *Decem pratores.*] Probus Æmylius io Milriade & in Thrasibulo. & Vale. Maximus lib. 3.c. 8. dum de Socrate loquitur.

h *Aristides.*] Hæc vsque ad fi.sunt Plutarchi in vita Aristidis. Nec omiserim hæc in fi. huius c. Veteres omnem magistratum,cui pareret exercitus,prætorem appellasse: vndè & prætorium taberoaculum eius dicitur, & in castris Porta prætoria.

Locus ex Ciceronis oratione pro Milone, quando delicta non consummata, ac si perfecta fuissent, puniri debeant.

CAPUT XVI.

CVM Ciceronis Orationem quam pro Milone magna cura & summo ingenio elaboratam,in foro dixit multo cum verborum pondere & nitore, quandoque legeremus, in qua ad exaggerandam inuidiam, Clodij seruum in æde Castoris cum sica,vt Pompeium trucidaret, deprehensum dicit,in hæc verba ipsum loquutum offendimus:Nisi quia res perfecta non est,ideo punienda non fuit:quasi exitus rerum,non hominum consilia, legibus vindicentur. Minus dolendum fuit,re non perfecta:sed tamen puniendum certe nihilominus. Hactenus Cicero. An semper inque omni negotio, praua hominum consilia,quæ exitum sortita non sunt,perinde legibus vindicanda sint,ac si cogitatum facinus esset admissum, in congressu æqualium tunc me præsente quærebatur: vt si quis cum telo hominis occidendi causa deprehensus,ipsum non occiderit:vel qui venenum parauit,hominem non necauerit,an tanquam necem intulerit, perinde mulctandus & coercendus pœna sit? Rursus,si extra cogitationis fines peccatum non excessit,vt quia mente conscelerata quis agitat facinus,illudque adhuc opere non inceptauit,neque actu executus est,an nihilominus pari supplicio afficiendus fuerit?Et quantum intelligi ex veterum monumentis dabatur,distingui oportere putant:vt si homo magnum aliquod scelus, aut extremum facinus patrare inceptat, vt quia deorum templa funestis facibus incendere,phana depeculari,sacra prophanare,patriam,parentes,Lares,focosque hostibus prodere,necem parenti aut principi parat,aut eiusmodi damnata crimina,in quibus magna calamitas, aut fœdum exitium futurum est, proculdubio leges inceptum facinus, ac si consummatum esset, puniri voluerunt:nec solum authores sceleris,sed facinoris conscios.Non enim secus censuere eum qui tam atrox dirumve facinus moliri ausus fuit, quique ad tam exitiale scelus animum induxit, perinde affici oportere,ac si illud opere consummasset.Idque exemplis patere,quòd lex Iulia in mœchos animaduertit,ac fures & proditores æquè punit,qui adulterium furtúmve patrarunt, quàm qui id incepta-runt,etsi crimen non perfecerunt.Ideo Græcis lege cauetur,vt tyrannorum filij velut facinoris conscij,

Græcorum lex.

parentum crimina luant, & haud secus morte exilioque mulctentur, fœdaque in eos exempla iræ inuidiæque exerceantur,tametsi Romana lege caueatur secus quod in leuioris noxæ criminibus, & vbi non est tanta sceleris magnitudo,aliter statutum est. Tunc enim delinquentes peccato nondum absoluto,non vsque adeò criminibus obnoxij fiunt,nec sceleri ita se obligant,ac si opere exequutum esset. Sed prætoris arbitratu pœna modò maiore, modò minore, pro noxa & quoad vsque ad facinus progressum fuerit,puniri oportet:vt nec à pœna immunes fiant, nec tam seuera legum disciplina,quàm qui

effecere,

effecere, puniatur. Idq; Ciceronem sentire nunc arbitrari, quum legibus hominum consilia, nō euentum, vindicari dicit: vt quia immanissimo reatu obnoxius fuit, qui cum sica Pompeij trucidandi causa deprehēsus fuerat, in quo totius reip. salus, & maiestas imperij periclitabatur, haud dubiè pœna detestabili dignus erat, tamen si illud non consummasset, tamquam eo casu foret, quo hominū consilia incepta, ac si exitum sortita fuissent, pœna coercētur. Non sic autem vbi cogitationis fines crimen non excessit. Tunc enim cogitato, necdum incepto facinore: quia intra cordis arcanum facinus retinetur, neque satis apparet nequitia, quoad vsque deducta est, etsi Deo obnoxius fiat, qui scelus quāuis minimum animo præsumit: tamen, crimen conceptum aut cogitatum facinus, legibus pœnam non meretur. quippe voluntates (vt Cato inquit) neque legibus, neque pœnis fiunt obnoxiæ. Huc pertinet illud Iuuenalis: Nam scelus intra se tacitus qui cogitat, vllum Facti crimen habet: scilicet Deo obnoxium inuisúmque fieri, qui læsa conscientia, infandum facinus animo agitauit. *Saty.13.*

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

TOtum id caput hoc tractat, An scelera vel cogitata tātùm vel etiam incœpta, nondum tamen perfecta, sint punienda: aut æquè, ac si perfecta fuissent, aut aliter. De qua re nos latissimè id exequuti sumus in nostris commentariis, An & quibus, aut ex quibus pœnæ legum temperandæ sint, Ideo hîc aliter tractandum non duximus.

Quòd Theophrastus sensit, quibusdam viperarum morsibus tibicines mederi, probatum experimentum.

CAPVT XVII.

THEOPHRASTVS Philosophus præstabili vir sapientia, Academiæ post Aristotelem successor in rebus physicis & mathematicis magna doctrina & æstimatione fuit, eum literis mandasse [a] accepimus, quibusdam viperarum morsibus cantus tibiarum aut fidicinum, atque alia organa artis musicæ modulatè adhibita, aptissimè mederi: quod & [b] Asclepiades medicus literis prodidit, qui phreneticos mente imminuta & valetudine animi affectos, nulla re magis quam symphonia & vocum cōcentu ac modulis resipiscere, & sanitati restitui cēsuit. Fertur quoque Ismenias Thebanus plures Bœotiorum ischiadicos, & coxendicum dolore laborantes intentione tibiæ bonæ valetudini restituisse. Tanta hominis naturæ cum harmonia consensio est. Quod cū credi vix posset, nuper id nobis quum casu ad id incideremus, pro explorato & comperto fuit. Siquidem à [c] tarantula, id est phalangio percussos, quos vulgo Tarantos dicunt, haud aliter ex ancipiti morbo conualescere vidimus, quàm si tibicen vel citharista iuxta eos diuersos modulos incinat, vt pro veneni qualitate, ita harmonia & audiendi illecebra capti, venenum illud vel ex intimo corpore dilapsum effundant, aut sensim per venas diffusum dilabatur. Tarātula enim aranei genus est, dirum animal, tactu pestilens, eam si casu species, futilem & sine noxa putabis. & sane reliquo anni tēpore minime perniciosa aut exitialis, vix aliquid neruorum aut virium ad nocēdum habet. Cum verò æstu anni flagrantissimo, assiduo sole Apuliæ campos, vbi peculiare hoc malum existit, torreri cœptum est, tum maxime seu afflatu noxio, seu æstu accensa, morsu virulento pestiferam perniciem affert. cui tanta malo vis est, vt quemcunque morsu percusserit, nisi celeri remedio succurratur, aut stupor exitialis primo, deinde certa nex subsequatur necesse est aut si qui forte vitæ damnum euaserint, veluti abalienati mēte & semiuiui, continuo stupore & hebeti sensu oculorum auriúmque affecti, vitam miserabilem ægerrimè ducant. Huic pesti & tam præsenti malo quantum prouideri humana deligentia valuit, vnum hoc salubri remedio esse compertum est, si protinus tibicen aut citharista varios concinat modos, tūc enim morbo eiusmodi percussus, qui moribundus, & sermonis & oculorum sensus amiserat, quique nec ingredi, nec fari, neque aliquo sensu frui valuerat, mox vbi tibiam aut citharam admotam propius audit, illo miti sono & concentu captus & demulsus, velut è graui somno excitus, oculos attollit parumper, mox se in pedes erigit, ac sese recipiens, paulatim pro modulo & pulsu sonorum, seruata psallendi lege ingreditur. tunc enim inaugescente sono, quasi permulsis animis & confirmatis, exultabundus maximo nisu atque impetu in saltus gestúsque, nec indecoros, neque à pulsu citharæ dissonos erumpit: ita vt etiam rudes & ignaui, psallendi modos docti in ludo videantur. Memoria repeto, dum per loca illa diutino situ squalida, & ardore solis feruentia, cum aliquot comitibus iter intenderem, vndique oppida & vicos, alia tympanis, nonnulla fistolis, pleraque tibicine circunsonantia audisse: cuius rei causam quærentibus nobis relatum est, tarantulæ morbo affectos vndique per oppida curari. Cúmque eius rei gratia in pagum quendam diuerteremus, inuenimus adolescentem morbo eiusmodi affectum, qui velut repentino furore ictus, & mente abalienatus, corporis motu non indecoro, & manuum pedúmque gestibus ad tympanum psallebat non inconcinniter, vtque vehementius modos acciperet, quasi illo pulsu demulceri animus & leniri dolor videretur, sensim & placide aures tympano admouere, mox caput, manus & pedes crebro motu concutere, & demum in saltum se at-

Phrenetici vocū concentu resipiscunt.

Tarantati.

Tarantula.

ANNOTATIONES IN CAP. XVII.

a *ACcepimus.*] Ex Plinio id referente lib.28.c.2.& Gell. lib.4. cap.13.

b *Asclepiades.*] Vt prodit Cælius Aurelianus lib. Chronicōn 1.c.5.& Mart. Capella lib.9. Tu omnino vide in nostris Commentariis de Nobilitate c.13. num.299. incip. Hincq; Pythagoras. cum 7.seq.

c *Tarantula.*] Consimilia scripsit Nic. Perotus ad Martialis epig.1. Ælian. de Animal. lib.9.c.35.

tollere videbamus. Quæ res quum ludo & risu prorsus digna visa foret, interim is qui tympanum pulsabat, sonitu parum per intermisso, pausam fecit. Atque illum morbo affectum, vbi præcentio illa quieuit, veluti attonitum, stupentiq; similé, repentè animo linqui, & omni sensu destitui cernimus. Rursus resumpto tympano, vbi primùm modulos audiuit, pristinas illum vires resumere, & acrius in choreas insurgere spectabamus. Creditum est, quod à vero non abhorret, vim illam veneni virulento morsu & sanie conceptam, harmonia & vocum concentu per totum corpus diffundi, acque inde fato nescio quo dilabi & exinaniri. Ideo illos qui morbo eiusmodi laborarunt, si quid reliquiarum residuum fuit, quod penitus curatum non sit, si quando sono extrinsecus vel concentu illorum aures affici contigerit, veluti mente consternatos, toto corpore & animo concuti, ac manibus pedibúsque gestire compertum est, donec vis illa tabifica penitus extincta fuerit. Nos etiam quadam aranearum genera & scorpionũ præcipue apud Albanos & Hiberos gigni, literis mandatũ legimus, letiferi morsus, quibus affectos homines tam dira inficiunt tabe, vt quosdã ridendo, nonnullos flendo, alios diuerso animorũ habitu mortem oppetere compellant. Illud tamen proditum memoriæ est, in [d] Arabia viperas minus esse lethales, nec morsus letiferi, quòd odoratis depastę, virulẽtæ nõ sũt. [e] In Phœnicia verò, & omni Africæ tractu truculentiores, & vel solo alitu afferre necem, & [f] in Syria angues ne lacessitos quidem, Syros attingere, in peregrinos autem, ictu perniciali itas acnere. [g] Contrà verò in Altenio Cariæ monte scorpiones aduenis innocuos esse: incolis verò, perniciosos & infestos.

Araneæ & scorpiones apud Albanos & Hiberos. Vipera in Arabia. In Phœnicia & Africa tractu. In Syria. In Altenio môte.

ANNOTATIONES.

d *In Arabia.*] Ælianus lib. 9. c. 34.
e *In Phœnicia.*] Idem ibid.
f *In Syria.*] Plin lib. 8. c. 59. eodémque vli. In Syria, inquit, angues, circa Euphratis maximè ripas, dormientes Syros non attingunt: aut etiam si calcati momordere, non sentiũtur maleficia: aliis cuiusque gentis infesti, auidè & cum cruciatu exanimaotes: quamobrem & Syri non necant eos. Idem Ælianus lib. 9. c. 6.
g *Contra in Altenio.*] Legendum Latino ex Plin. vbi suprà, cuius hæc verba sunt, quæ subdidit iis, quæ ibi ex eo adduximus. Contrà in Latino Cariæ monte Aristoteles tradit à scorpionibus hospites non lædi, indigenas interimi. Huius autem montis Latini meminit ipse Plin. li. 5. c. 29. & Pausanias lib. priore Eliacorum post princ.

Qui vici, viæ, vel cliui præcipui Romæ fuerint, & vnde nomina originis sumpserint.

CAPVT XVIII.

ADVERTI sæpe animum, sicut fora, ita & vicos vrbis præcipuos, partim à conditoribus, nonnunquam ex variis euentis nomina sumpsisse: plerunque qui loca vrbis incoluere, ad posteros denominationes ex suis nominibus transmisere. [a] Thuscum vicum ideo dictum ferunt, quòd cum Porsena rex vrbi castra admouisset hostiliter, & repentinas incursiones faceret, neque vt admitteretur efficere quisset, re infecta inde discedens, contra Aricinos admouit copias: vnóq; prælio fusi Hetrusci, lassitudine & vulneribus saucij Romam petiere: vbi maiore cura habiti & culti in calamitate, amore vrbis locum quem incolerent petiere: quibus in vrbe datus est, quem Thuscum vicum appellarunt. Sunt qui credant Cælium Iubenium Hetruscum bello egregium, cum expedita manu Romulo cõtra Latinos præsidio venisse: cúmque in mõte Cęlio loca editiora tenuisset, post Cælij obitũ, ne quid moliri possẽt, in æqua deducti, infima vrbis coluisse, à quibus Thusco vico, vt ait Varro, nomen datum. [b] Ea autem fuere inter Capitolium & palatium loca iuxta comitium stadiorum ferme quatuor, prope Velabrum, quantum à foro ad circum maximum latitudinis est. [c] Ex vico enim Thusco & Velabro per boarium forum [d] in cliuum publicũ flectebatur, atque in ædem Iunonis reginæ, ibiq; ædem Vertumni fuisse authores tradũt, qui Deus instar magni numinis apud Thuscos, & multo in honore fuit. In capite enim vici Thusci, inter circum maximũ & Auentinum, [f] Argiletum & [g] sepulchrum Argi visebatur. [h] Patricij autem vici nomen dictum acce-

Thuscus vicus. Vertũni. Argiletum. Vicus patricius.

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

a THuscum vicum.] Varro lib. 4. de lingua Latina. Liuius 1. Decad. lib. 2. Festus in verbo, Thuscus. & de hoc quoque vico Plautus in Curculione actus 4. scena 1. Propert. lib. 4. eleg. 2.

At tu Roma meis tribuisti præmia Thuscis,
Vnde hodie vicus nomina Thuscus habet.

Dionysius Halicarn. lib. 5. Cor. Tacitus lib. 8. Seruius in lib. 3. Æn. in eum locum.

Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores. ——

Vbi aliam eius nominis rationem reddit. Sed quod Alexãder paulò pòst memorat Cælium Iubenium, legendum est Vibeonium, ex maiori parte authorum, quos retuli.
b *Ea autem fuere.*] Iidem citati authores.
c *Ex vico enim Thusco.*] Liuius 4. Dec. lib. 7.
d *In cliuum publicum.*] Publicium vocat Liuius vbi suprà, & Ouid. lib. 5. Fastorum,

Parte locant cliuum, qui tunc erat ardua rupes:
Vtile nunc iter est, Publiciúmque vocant.

Neque enim publicum, carmen patitur. Verùm Liu. 3 Dec. li. 10. eum appellat Publicum, quem ibi dicit ad solum exustum fuisse. Et Plut. in Publicola & Var. lib. 2. de lingua Lat. vbi tamen nonnulli legunt Publicium.
e *Ædem Vertumni.*] Fabius Pictor, si is est, in lib. 1. de Aureo seculo. & P. Victor in 8. regione vrbis Romæ.
f *Argiletum.*] De hoc Fabius Pictor, Varro lib. 4. de lingua Latina, Virgil. lib. 8. Æn.

Necnon & sacri monstrat nemus Argileti.

Et ibi Seru. & Liu. 1. Decad. lib. 1. Martialis lib. 1. epig. 162.

Argi nempe soles subire letum.

Et lib. 2. epigramm. 17.

Argique letum multus obsidet sutor.

g *Sepulchrum Argi.*] Varro dicto libr. de lingua Latina, & Virg. eod. lib. 8.

----Et letum docet hospitis Argi.

h *Patricij autem vici.*] Fest. Pompeius lib. 14. & de hoc vico

Cornelius

pimus, quòd regnante Sreuio Tullio, quum timor incessisset patres, ne quid Romana nobilitas moliretur, locus in vrbe semotus, quem incolerent, datus fuit, quem patricium, quòd ea loca patricij tenerent vocatum ferunt. Præter quem fuit [i] angiportus patricius ad ædem Dianæ: ad quem viros ingredi religio non finit. k [k] Cyprium verò dictum autumant, quòd quum Sabini locum insedissent, boni omnis causa Cyprium, hoc est, bonum nuncuparunt, qui postea propter Tulliæ inhumanum scelus, quòd infando facinore carpentium supra defuncti patris corpus egetat, [l] Scelerati dixere nomen. Ex summo enim Cyprio vico eunti dextra in Vrbicum flectebatur: inde ad exquilias iter erat. Sic [m] vicus Africus, quòd in eo ex Africa diuertebant hospites, quique obsides dati erant, denominari cœpit. [n] Et Fregellæ, quòd ea loca Fregeæ ciuitatis hospites incolerent. [o] Iugarium verò dixere ab ara Iunonis iugæ, quæ præcipuo ibi honore colebatur. Iunonem enim iugam vocant, quòd iungere matrimonia & nuptiis præesse putarunt. [p] Hunc ingarium in infimo Capitolini montis prope Æquimelium & templum Fortunæ fuisse, iuxta ædes Matris magnæ, indubia argumenta sunt: quibus in locis etiam [q] Opis & Mineruæ ædes erant. [r] Sobrium autem vicum, vel quòd nulla ibi caupona foret, aut vinaria officina: vbi quia lacte, non vino, Mercurio litabatur, nomen vendicasse Pompeius author est. [s] Vicus verò longus, sicut via lata à latitudine, sic à longitudine nomen fecit. In eo enim [t] Febris phanum, & ara [u] Pudicitiæ plebeiæ, quam Virginia Auli filia nupta plebeio, templo sacrauit, esse traduntur. Namque aliam [x] patritiæ Pudicitiæ ad ædem Herculis rotundã in foro boario fuisse vulgatissimum est. [y] Cuius Pudicitiæ signum præterquam ab ea quæ vni nupsisset, castissima matrona attingi, aut in æde litari nulli permissum fuit. [z] In via verò lata, lacus Ganymedis, Solisq; & Spei

Angiportus patricius. *Cyprius vicus.* *De hoc c.6.huius li.* *Vicus vrbicus.* *Vicus Africus.* *Vicus Fregellæ.* *Vicus iugarius.* *Vicus sobrius.* *Longus vicus.* *Febris phanum.* *Ara pudicitiæ plebeiæ & patriciæ.* *Via lata* *Cliuus.*

ANNOTATIONES.

Cornelius Tacit.lib.4. & Martialis lib.7.epigr.72.

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ.
Et tua Patricius culmina vicus habet.

& Frontinus lib.1.

i *Angipertus patricius.*]Plutarch.Prob.cap.3.

k *Cyprium.*]Varro d.lib.4.de ling. Latina. Vicus, air, Cyprius à Cypro, quòd ibi ciues Sabini additi consederant, quia bono omne id appellarunt. Nam Cyprum Sabinè bonum.

l *Scelerati.*]Varro vbi suprà Ouid.lib.6. Fasto. vbi, post relatum huius Tulliæ facious, tandem hæc subdit,

Certa fides facti est, dictus sceleratus ab illa
Vicus, & æterna res ea pressa nota est.

Et in Ibin,

Infaméque locum sceleris, quæ nemine fecit,
Pressis & inductis membra paterna rotis.

Et Dionysius Halicarnassæus lib.4.Liuius 1.Decad. lib.1. & Festus Pomp.lib.17. Plio. Secundus, si is est, de Viris illustribus cap.7.

m *Vicus Africus.*] Varro vbi suprà, Vicus. inquir, Africus, quòd ibi obsides ex Africa bello Puoico dicuntur custodiri.

n *Et Fregella.*] Strabo lib.5.

o *Iugarium.*]Festus Pompeius lib. 9. Iugarius, inquit, vicus dicitur Romæ, quia ibi fuerat ara Iunonis Iugæ, quam putabant matrimooia iungere. Et huc spectat illud Virg.libr. 4. Æneid.

Iunoni ante omnes cui vincla iugalia curæ.

Et vide suprà libr. 1. cap.5. Et de hoc quoque vico Iugario Liuius I.Decad.lib.7.& 4.Deca.lib.5. & eo loco, quem statim citabimus.

p *Hunc Ingarium*] Hæc sumpta sunt ex Liuio 3. Decadis libr. 4. cuius hæc verba sunt, Romæ fœdum iocendium per duas noctes & diem vnum teouit. Solo æquata omnia inter Salinas, ac portam Carmentalem cum Æquimelio Iugarióque vico, in templis Fortunæ ac matris Matutæ & Spei extra portam latè vagatus ignis sacra profanaq; multa absumpsit.

q *Opis & Minerua.*] Imò Opis & Saturni ex P. Victore in 8. regione vrbis Romæ.

s *Sobrium autem vicum.*] Festus Pompeius lib.17.

s *Vicus verò longus.*]Valer.Maximus lib.2.cap.1.& Liuius 1. Decad. lib.10.

t *Febris phanum.*]Val.vbi suprà, Plinius lib.2.cap.7.Ælianus variæ historiæ lib.12.

u *Pudicitia plebeia.*]Liuius 1.Dec.lib.7.

x *Patricia Pudicitia.*] Idem ibid.

y *Cuius pudicitia signum.*]Liu.vbi suprà, & Festus Pompeius lib.14.Sed vt id addas fuere & alij vici hic non memorati, videlicet Thaurarius, Asconio Pædiano in 3.io Ver. act. & P.Victori in 8.regione vrbis Romæ.& Melius Liuio 4.Decad.lib.3.& Sulpitius Lampridio in Heliogabalo. Et is cui Malum punicum nomen erat, Suet.in Domitiano c.1. & P. Victori in 6.regione vrbis, & Vnguentarius vicus eid. Victori in 8.regiooe.vicus carinarum, vicus Drusianus: Vicus Sulpitij vlterioris. vicus Sulpitij citerioris. vicus Fortunæ obsequentis, vicus pulueratus, vicus Honoris, & virtutis. vicus trium ararum, vicus Fabritij eid. Victori in 1, Regione.vicus Bellonæ.vicus Mamuri eidem in 6.regione. vicus Ligurum, vicus Padi, vicus Curtarum, vicus Fortunę respicientis, vicus Apollinis, vicus Diei eid.in 10.regione, vicus Veneris almæ, vicus piscinæ publicæ, vicus Dianæ, vicus Ceios, vicus Triarij, vicus aquæ salientis, vicus laci recti, vicus Fortunę Mammosæ, vicus Colopeti pastoris, vicus portę Rudusculanæ, vicus portæ Neuiæ, vicus Victoris eidem in 12. regiooe. vicus fidij, vicus frumentarius, vicus trium viarum, vicus Caseti, vicus Valeri, vicus laci miliarij, vicus fortunati, vicus capitis Canteri, vicus trium alitum, vicus nouum. vicus Loreti minoris, vicus Armilustri, vicus colũnæ lineæ, vicus Materiarius. vicus mundiciei, vicus Loreti maioris, in quo erar Vortumnus, vicus Fortunæ dubiæ.eid. in 13. regione, vicus Censorij, vicus Gemini, vicus Rostrati, vicus longæ aquilæ, vicus statuæ Sincianæ, vicus Quadrati, vicus Raciliani maioris, vicus Raciliani minoris, vicus Ianiculensis, vicus Bructianus, vicus larum ruralium, vicus statuæ Valerianæ, vicus Salutaris, vicus Pauli, vicus Sex.Lucij, vicus Simi Publicij, vicus Patrarili, vicus laci restituti, vicus Saufei, vicus Sergij, vicus Plotij. vicus vibermi eid.in 14. regione, vt ioterim omittam alios septem vicos quos nõ nominat in 2.regione.& 8.in 3.regiooe, quos etiam non nomioat, vt nec alios 8.in 4.regione.nec 15, in 5. regione, nec 20.præter duos, quos solùm nominat in 6, regione, ne 10.in 7. regione. Nec 20. præter alios duos, quos etiam nominar. Nec 30.in 9.regione.nec 8.in 11.regione. Suot & qui vicum, Pyrum vocatũ volunt ex Martiali li.1. epig. 162.

Longum est, si velis ad pyrum venire:
Et scalis habitotribus, sed altis.

Arbores eoim vicis & regionibus nomina dedisse videntur ex eo quod iam diximus de malo Punico. Et alicubi Seoeca ad Pinum pro regione dicit.

z *In via verò lata.*]P.Victor in 7. regio. cui nomen iodidit viæ latæ, primo loco ponit locum Gaoymedis, & posteà templum Solis, & templum nouum Spei, & templum nouum Fortunæ.

Capitolinus Cliuus Publicius. *Cliuus vrbicus. Fagutal.* *Vicus Cosconius & Histrius.* *Vicus sandaliarius.* *Via Carina.* *Via suburra.*

ac Fortunæ tẽpla in magno fuere cultu. Præter quos erat [a] cliuus Capitolinus, ex quo ad æqua vrbis ex Capitolio [b] descensus patuit, iuxta quem [c] Saturni † & Concordię templa, haud longe ab ęde Iunonis Monetæ: & [d] alter Publicus seu Publicius [e] à Publicis ædilibus, qui locum statuerunt, vel quod publica impensa constratus foret sicut via publica, sita apparent. [f] Pérque hunc cliuum [g] vrbicũ ad Velabrum, & boarium ac piscarium forũ ex Capitolio atque arce descensum patuisse, & inde in exquilias iter esse tradunt. Nam cliuum vrbicum, iuxta quem Seruius Tullius habitauit, & Publicum vicum, ad quem lacus [h] Fagutalis, Fagutálque Iouis sacellum, in quo k fagus arbor sacra visebatur, pariter in exquiliis fuisse proditum est. [l] Fuit quoque cliuus proximus non incelebris, ad quem florales ludi celebrati plerunque sunt, & vicus [m] Cosconius & [n] Histrius, qui, vt multi autumãt, à cõditoribus nomen vendicarunt. In hoc vico Histrio, secundo Punico bello aquarum magnam vim erupisse. [o] T. Liuius memorat. Legimus quoque [p] Sandaliarum vicum ab [q] Apolline Sandaliario, cuius effigiem ornatam sandalio, quod est [r] calceamenti genus, in [s] quarta vrbis regione authores ponunt: Sicut in sexta regione [t] malum punicum fuisse memorant, & ad [u] Capita bubula, ad [x] Pirum & [y] Scalas anularias. Sed quod de vicis: idem de viis ductum accepimus. Nam [z] Carinas à Cicerone dictas Varro significat, iuxta quas [a] templum Telluris, & [b] Pompeij domus. Hæ enim & [c] Buburra celebres & primę viarum habitæ. Hanc verò ab agro Succussano, vel quòd sub muro Carinarũ foret

ANNOTATIONES.

a *Cliuus Capitolinus.*] De quo Alphenus in l. si ex plagis. §. in cliuo capitolino. ff. ad leg. Aquil. & Liu. 1. Decad. lib. 3. & 5 Decad lib. 1. & Cic. in epist. ad Attic. lib. 2. epist. omnium 16. & Philipp. 2. & in Orat. pro C. Rabirio, in fi. eorum, quæ ex ea oratione extant.

b *Descensus patuit.*] Nam cliuus est illa à vertice montis procliuitas, qua in plana descenditur. Virgil. ecloga 8.

---Quà se subducere colles
Incipiunt, mollique iugum demittere cliuo.

Et hinc descendere per cliuum Ouid. lib. 3. Fastor.

Inde velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in valles per fora cliuus erat.

c *Saturni.*] Seruius Æneid. lib. 1. Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 8.

† *Et Concordia.*] Seru. ibi, & longè antè Liu. 3. Decad. lib. 3. Ouid. lib. Metam. 1.

Candida te niueo posuit lux proxima templo,
Quà fert sublimes alta Moneta gradus.
Nunc bene prospicies Latiam Concordia turbam,
Nunc te sacratæ constituere manus.

d *Alter Publicus siue Publicius.*] Vtroque enim nomine vocabatur vt diximus suprà num. 4.

e *A Publicis ædilibus.*] Ouid. de ea re loquens lib. 5. Fastor.

Plebis ad ædiles perducta licentia talis
Publicios. animus defuit antè viris.

Varro autem lib. 4. de lingua Lat. hos publicos appellat, nisi Publicios legendum sit, quod multi putant.

f *Perque hunc.*] Liuius 3. Dec. lib. 6. & 7.

g *Cliuum vrbicum.*] Virbium vocat Liu. 1. Decad. lib. 1. Olbium autem Solinus c. 2. Habitauit, inquit, Seruius Tullius Exquiliis supra cliuum Olbium. Sed quod addas fuit Romæ cliuus suburbanus Martiali lib. 5. epig. 23.

Alta suburbani vincenda est semita cliui,
Et nunquam sicco sordida saxa gradu.

Et cliuus sacer Horatio & Martiali lib. 1. epig. 38.

Inde sacro veneranda petes palatia cliuo.

h *Lacus Fagutalis.*] Solinus dict. cap. 2. Tarquinius Superbus, inquit, Exquiliis supra cliuum Pullum ad Fagutalem lacum.

i *Fagutálque Iouis sacellum.*] Varro lib. 4. de lingua Latina, quo loco statim citabimus, & Festus Pomp. libr. 6. & vide infrà lib. 6. cap. 11.

k *Fagus arbor sacra.*] Plin. lib. 16. c. 10.

l *Fuit quoque cliuus proximus.*] Varro libr. 4. de lingua Lat. Cliuus, inquit, proximus ad Florales vsus (lusus fortè legendum est pro ludos) versus capitolium vetus, quod ibi sacellum Iouis, Iunonis, Mineruæ.

m *Vicus Cosconius.*] Varro, vbi suprà, Cosconium vocat, nisi ibi mendum sit.

n *Et Histrius.*] Vide seq. versu.

o *T. Liuius.*] Scilicet 3. Decad. lib. 4. vbi tamen hunc vicum Istricum vocat. Huius verba sunt, Et in vico Istrico frontem sub terra tanta vi aquarum fluxisse, vt serias doliáque, quæ in eo loco erant, prouoluta, velut impetus torrentis, tulerit.

p *Sandaliarium vicum.*] Gell. lib. 18. c. 4. In Sandaliario, ait, fortè apud librarios fuimus.

q *Apolline Sandaliario.*] Sueton. in August. cap. 57. Ex qua, inquit, summa pretiosissima deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat: vt Apollinem Sandaliarum, & Iouem Tragœdium &c. & P. Victor in 4. regione vrbis Romæ.

r *Calceamenti genus.*] Ex Donato in Eunuchum Teren. & latè diximus in nostris ll. Connubial l. 3. inter ornamenta muliebria.

s *In quarta vrbis regione.*] P. Victor in d. 4. regione.

t *Malum Punicum.*] Ex Suet. in Domitiano c. 1. Regione, inquit, vrbis sexta ad Malum Punicum, domo, quam postea in templum gentis Flauiæ conuertit. P. Victor in ea 6. regione dicit Domitianum in eo templum gentis Flauiæ dedicasse, & de eo supra diximus.

u *Capita bubula.*] Sueton. in Aug. c. 5.

x *Ad pirum.*] Nam & is vicus erat, vt suprà diximus ex Martiali.

y *Scalas anularias.*] Sueton. in Aug. c. 72.

z *Carinas.*] Varro lib. 4. de ling. Latina, & de his Virg. lib. 8. Æneid.

Romanóque foro, & lautis mugire carinis.

Sueton. in Tyberio. c. 15. Cicero in Paradoxis, Manlius habuit ædiculas in carinis. & ad Q. Frat. lib. 2 epist. 7. de Arusp. resp. Cùm diceret: Velle se in Carinis ædificare alteram porticum, quæ palatio responderet. P. Victor, qui eas ponit in 4. regione.

a *Templum Telluris.*] Seruius in eum locum Virgil. libr. 8. Æneid.

---Et lautis mugire carinis.

Carinæ sunt ædificia facta in carinarum modum, quæ erant intra Templum Telluris:

b *Et Pompeij domus.*] Sueton. aut quisquis est in libr. de Claris Grammaticis scribit Leneum Pompeij libertum docuisse Grammaticam in Carinis, in qua regione erat domus Pompeij. Idem in Tyberio cap. 15. Romam reuersus, deducto in forum filio Druso, statim è Carinis, ac Pompeiana domo Exquilias in hortos Mecænianos transmigrauit.

c *Suburra.*] Varro libr 4. de lingua Latina, vbi & eum dicit Succusam appellatum à pago Succusano. Et de hac Liuius 1. Dec. lib. 3. Martialis lib. 6. epig. 65.

Quales in media sedent Suburra.

Et lib. 10. epig. 19.

Alium vincere tramitem Suburræ.

Plutarc. Problem. c. 97. Suet. in Cæsare cap. 46. Festus Pomp. libr. 17.

d *Via*

denominari tradunt. Post quas [d] via sacra non minoris celebritatis & famæ adnominatur: siquidem per eam frequens in Capitolium iter erat, per quam triumphalis pompa, captiua præda, & hostium spolia, subactis gentibus & nationibus domitis, solemni apparatu triumphi die procedebant: [e] eamque sacram nuncupari, quod inter Romulum & Tatium ictum in ea fœdus fuisse tradunt. Quamuis in comitio inter Romanos & Sabinos percussum fœdus, atque ideò à conuentu Comitium veteres appellasse [f] contendant. [g] Nonnulli quòd per eam sacra in arcem quot mensibus deferri, indéque augures captare anguria solerent, dici opinati sunt. Cuius cognomenti etiam [h] Athenis viam fuisse legimus, quòd Eleusina sacra in ea peragerent. Et alia [i] Mylasæ in Caria eiusdem nominis proditur, ab vrbe ad Iouis templum stadiis sexaginta, per quam sacrorum pompa ferebatur. Inter vicos autem Athenis præcipuæ dignationis [k] Melita, vbi Phocionis ædes erant, & [l] Achæis Colonides memorantur. [m] Hæc quidem sacra Romæ à Carinis oritur, & ab Streniæ sacello, [n] ibi statua Clœliæ virginis insidens equo, ibíque ad [o] ædes Larium, & demum ad Scauri ædes procedebant, vbi templum [q] Cluacinæ Veneris situm memorant fuisse, quòd inibi Sabinæ mulieres infestas acies, & vsque accensum prælium inter Romanos Sabinósque diremissent. Cluere enim antiqui pugnare dixerunt. [q] In ea quoque regia fuit, vbi Ancus Martius primò, & post aliquot tempestates Iulius Cæsar habitasse fertur. Ibiq; [r] Fabius fornix arcus marmoreus, à Fabio censore extructus, qui quondam de victis Allobrogibus triumphauit. Et haud procul [s] Calphurnius fornix, apud quem C. Gracchus fragmento subsellij ictus occubuit. Præter quas fuit [t] via fornicata in campo, vbi flaminia & septa fuere. [v] Exquilinam verò & Cælimontanam, quòd in Cælium & Exquilinum montem ferrent, denominari ferè vulgatissimum est. [a] Septa verò, frequentia fuere in Martio campo loca, quibus olim Ouilia nomen, tabulatis cincta, æuo mox succedente, sumptu magnifico & excellenti cultu marmorea facta,

Via sacra. Sacra cur dicta. Comitium. Via sacra apud Athenienses & Mylasæ. Via Melita. Via Colonides. Clœlia statua. Cluacinæ Veneris templum. Cluo. Fabius fornix. Calphurnius fornix. Via fornicata. Via exquilina. Via cælimontana. Septa. Ouilia.

ANNOTATIONES.

d *Via sacra.*] De hac Varro rei rust. c.2. Dionysius Halicar. lib.5. Cic. in Orat. pro Plancio. Horat. Epod. Ode 4. & libr. 2. Ser. saty. 9. in princ. Ouid. lib.3. Tristium eleg 1. & Liuius 1. Dec. lib. 2. & 5. Dec. lib. 3. Ascon. Pædianus in 2. in Verrem act. Appianus lib. 2. bel. Ciuilium. Plin. lib. 19. c. 1. Sueton. in Cæsare c. 46. Iul. Capitolinus in Salonino. Dion in Adriano. P. Victor, qui eam ponit in 4. regione. & alij quos posteà citabimus.

e *Eámque sacram.*] Dionysius Halicarnassæus libr. 2. Antiquitatum Romanarum. Festus Pomp. lib. 17. non multò post princ.

f *Contendant.*] Varro libr. 4. de lingua Lat. Asconius in 3. in Ver. act. & Vide Plutarchum in Romulo.

g *Nonnulli.*] Ouid. lib. 3. Tristium eleg. 1.

Hoc est à sacris, qua via nomen habet.

Adde autem, & in hac sacra via fructus & poma vendi solita ex Ouidio lib. de Arte amandi,

Rure suburbano poteris tibi dicere missa
Illa, vel in sacra sint licet empta via.

h *Athenis.*] Nam & de sancta Athenarum via Herodotus lib. 6. Pausanias li. 1. & Isæus in Apologia. & Harpocratiun, & Dicæarchus in iis, quæ scripsit de Descensu ad Trophonium, & ex eo Athenæus lib. 13. c. 23.

i *Mylasa.*] Apud Strabonem lib. 14.

k *Melita.*] Ex Plutarcho in Phocione. Huius quoque meminit ipse Plutarchus in Themistocle. De alia Melita vide Cælium Rhodiginum lib. 20. c. 5. Fuit & apud ipsos Athenienses via, quam Tripodas vocabant apud Pausaniam lib. 1. vbi huius appellationis causam reddit. Fuit & apud Samios vicus augustus, Laura vocatus mulierum artificum, vt ex Clearcho tradit Athenæus libro 12. cap. 19. vbi subdit fuisse & apud suos Alexandrinos vicum huius nominis in quo vendebantur omnia, quæ spectant ad delicias.

l *Achæis colonides.*] Plutarch. in Philopœmene. Fuere & Colonides vrbs Coroneorum oppido finitima apud Pausaniam lib. 4.

m *Hæc quidem sacra.*] Redit ad sacram Romæ viam, idque est ex Varrone lib. 4. de lingua Latina.

n *Vbi statua.*] Scilicet in ipsa via sacra ex Liuio 1. Deca. lib. 2. & Seneca in lib. de Consolatione ad Martiam.

o *Ædes Larium.*] Ex Solino c. 2. Ancus, inquit, Martius in summa sacra via, vbi ædes Larium est.

p *Cluacinæ Veneris.*] Hæc vsque ad clausulam, In ea quoque sunt Plinij lib. 15. c. 29.

q *In ea quoque.*] Solinus in loco suprà, sub verbo, Ædes Latium.

r *Fabius fornix.*] Ascon. Pædianus in 2. in Ver. act. vbi Cicero Fabianum vocat. Sed & ipse lib. de Oratore 2. Fornicis Fabij meminit.

s *Calphurnius fornix.*] Plutarch. in vita Græcorum, ex quo intelliges non C. Gracchum, sed Tyberium ipsius fratrem illic fuisse interemptum.

t *Via Fornicata.*] Liuius 3. Dec. lib. 2.

u *Exquilinam.*] Nic. Perotus ad epigram. 19. Martialis scribit vicum exquilium, quo de agimus, dictum illum de quo Varro lib. 4. linguæ Latinæ scribit. Ab exquiliis vicus Africus, quod ibi obsidea ex Africa bello Punico, dicantur custodiri.

x *Septa verò.*] Seruius in Virgil. eglo. 1. enarrans illud,

Quamuis multa meis exiret victima septis.

Septa, inquit, sunt loca in campo Martio inclusa tabulatis. in quibus popul. Romanus suffragia fert: & quia sunt similia ouilibus, duo hæc inuicem ponuntur, vt hîc septa pro ouilibus. Contra Lucanus.

----Et misera maculauit ouilia Roma.

Id est septa. Et Iuuenalis saty. 6.

Antiquo, qua proxima surgit, ouili.

Hæc ille. Sed tu adde Ouidium lib. 1 Fastorum,

Est quoque, quo populum ius est includere septis.

Et Martialem lib. 9. epig. 60. in princ.

In septis Mamurra diu, multùmque vagatus
Hîc, vbi Roma suas aurea vexat opes.

Et Srabonem scribentem lib. 5. non procul à fine. Syllam Dictatorem Marianos ad tria, vel, vt alij, quatuor millia, qui arma proiecerant, in campo Martio ad Ouilia coactos, immissis militibus triduo iugulauit. Et Liuius 3. Decad. libr. 6. vbi, Citatis, inquit, centuriæ senioribus, datum secreto in Ouili cum his colloquendi tempus. Et Plinium lib. 16. cap. 4. Trabs fuit in porticibus septorum à M. Agripa relicta. Et Sueto. in Augustu cap. 43. Fecitque nonnunquam vicatim, ac pluribus scenis per omnium linguarum histriones: non in foro modò, nec in amphitheatro, sed in circo & in septis. Et Ausonius in Panegyrico, Non passus septa, non campum, non suffragia. Verùm generaliter septa sunt omnia loca munita & quodam sepimento vallata. Nam Varro Rei rusticæ libris vocat omnia septa, quibus sunt inclusa animalia. Indéque ab eo laudantur septa Fuluij Hirpini & Pompeij, quibus scilicet feræ conclusæ pascebantur. Idémq; lib. 1. cap. 11. In villa, inquit, ædificanda hoc potissimum, vt

quæ [y] excelsas porticus & ingentes ambulationes accepere: [z] in quibus populus ad comitia frequens conuenire, & de dandis honoribus, déque rep. decernere solebant, ibique res censu & æstimatione dignæ, & quæ magno parantur, venales exponi. [a] De noua autem via, quod supra ædem Vestæ, iuncta [b] Romano foro & Velabro fuerit, quódque ex Velabro ad eam iter esset, ibíque ante aduentum Gallorum, Gallos primùm aduentare auditum sit. [c] Propterreáque Aij dei aram & Alloquutionis templum illic à Furio Camillo extructum diu mansisse, à multis scriptum & memoratum est.

Via noua. Aij ara. Alloqutionis teplum.

ANNOTATIONES.

intra septa villæ habeas aquam. Est & apud eum eo lib. 1. c. 14. inscriptio de septis, quæ tutandi fundi causa fieri deberent, & qualiter, quo in loco ostendit esse quatuor horum genera. Ex quibus Beroaldus in notis Seruij arguit Seruiũ, vbi suprà, quód ouilia pro septis & contrà ponerentur. Sed tu de ea re ferto iudicium. Illud autem cõstat apud Vlpianum in l. 1. ff. de riuis. Septa sunt, quæ ad incile opponuntur aquæ deriuandæ compellendæue ex flumine causa: siue ea lignea sunt, siue lapidea, siue ex alia qualibet materia, ad continendam transmittendámque aquam excogitata.

y *Excelsas porticus.*] Quod cõstat ex loco Plin. nuper citato.

z *In quibus populus ad.*] Ex Liu. loco suprà citato.

a *De noua autem via.*] Val. lib. 4. de lingua Latina. Cuius, inquit, vestigia, quòd ea, qua tum itur Velabrum, & vnde ascendebant ad Rumam noua via locus sacellum. Liu. 1. Decad. lib. 1 & 5. M. Cædirius de plebe nunciauit Tribunis, se in Noua via vbi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audisse, &c. Huius quoque meminit Plutar. in Camillo Frontinus lib. 1. de Aquæductibus. Spartianus in Cracalla.

b *Iuncta Ro. foro.*] Ouid. 6. Fastoum,

Qua via Romano nunc noua iuncta foro est.

c *Propterreáque.* Liu. 1. Dec. lib. 5. ante fin. Iisúmque, inquit, templũ in noua via Locutio fieri. Et iterum postea in oratione Camilli, Locutio templum propter celestem vocem exauditam in noua via iussimus fieri. Plutarch. in Camillo & in lib. de fortuna Romanorum. Gell. lib. 16. c. 17. & ante hos Cicero lib. 1. iterúmque 2. de Diuinatione. Sed his viis, ab Alexãdro memoratis adde & alias plurimas vias: scilicet Æmyliam Straboni lib. 5. vbi duas vias Æmylias esse dicit, & lib. 15. & Plin. lib. 2. c. 85. & lib. 19. c. 1. Martiali lib. 3. epig. 4. & lib. 6. epig. 84. & Iulio Frontino Stratagem. lib. 2. c. 5. vbi de Antonio loquitur. Et Appiam Strab. lib. 5. non semel. & iterum lib. 6. Ciceronis in Orat. pro Milo. Horatio lib. epist. 1. epist. 6. & rursus 9. Statio lib. Sylua 1. syl. 5. & lib. 4. sylua 3. Corn. Nepoti in vita Pomponij Attici. & nostro Scæuolæ in l. vxorem. §. concubinæ. ff. de leg. 3. & Ardeatinam Festo Pompeio lib. 16. vbi de Retricibus loquitur. Et Asinariam eod. loco. & Aureliam Ciceroni in 12. Philip: & Sueton. in Galba c. 20. & Campanam Vitruuio lib. 8. c. 3. & Cassiam à Coss. stratam Fest. Pomp. lib. 3. & de hac etiam Cicero Phil. 12. & Claudianam Iulio Frontino lib. 1. de Aquæductibus. & Claudiam, siue Clodiam (nisi eadem sit) Iul. Capitolino in Ælio Vero. Et Collatiam Iul. Frontino d. lib. 1. de Aqued. & Collinam Tacito lib. 19. & Domitianam Statio lib. Sylnar. 4. syl. 3. & Fauentinam Plinio lib. 19. c. 1. & Flamminiam Ouid. lib. 1. de Ponto eleg. 9.

Nec quos pomiferis positos in collibus hortos.

Spectat Flaminia Claudia iuncta via.

Et Plin. lib. 15. cap. 3. cap. vlt. Cicer. Philip. 12. & lib. 1. ad Attic. & Straboni lib. 5. & Liuio 3. Dec. lib. 2. Sueton. in Augusto. c. 30. Corn. Tacito lib. 3. & lib. 13. & lib. 19. Martial. libr. 10. epigram. 6.

Totáque Flaminia Roma videnda via.

Festo Pomp. lib. 1. 5. 6. & 17. Iuuenal. satyra 1. in fi.

Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

Et Formicatam Liuio 3. Deca. lib. 2. Et Gabinam eid. 1. Decad. lib. 2. 3. & 5. Et Gallicam, quæ Gallis, per Pomptinum agrum fugientibus data est, ob idque Gallica dicta Iul. Frontino Strtagemat. lib. 2. cap. 6. in princ. Et Hostiensem Cornelio Tacito lib. 11. & Festo Pompeio lib. 14. non semel. Et Latinam Straboni lib. 5. Iuuenali vbi suprà. Liuio 1. Decad. lib. 10. Valerio Maximo lib. 1. cap. 1. vbi de Fortuna muliebri. Sueton. in Domitiano cap. 18. Fest. Pomp. lib. 14. vbi de pudicitiæ signo. & lib. 16. vbi de Retricibus & lib. 17. Eutropio de gestis Roma. lib. 3. & 5. Et Lauicanam Liuio 1. Deca. lib. 4. & Frontino eod. illo lib. de Aqued. & Spartiano in Iuliano. Hanc, ni fallor, Labicanam vocat Strabo libr. 5. hac scilicet ratione, quòd Græci v. literam non habeant, sed vice illius B. litera vtuntur, Et Laurentinam Val. Maximo lib. 8. tit. 5. ad fin. A. Gell. lib. 10. cap. 2. Estque de ea illud Ouidij lib. 2. Fastorum,

Est via quæ populum Laurentis ducit in agros,

Quondam Dardanio regna petita duci.

Ex quo intelligis quare ita vocabatur. & Nomentanã Straboni lib. 5. Liuio 1. Decad. lib. 3. vbi & hanc olim ficulensem vocatam dicit. & Columellæ lib. 3. c. 2. & Eusebio Chronographo vbi de fuga Neronis loquitur. & Posthumiam Tacito lib. 19. & Prænestinam Plin. lib. 31. c. 3. & Iulio Capitolino in Gordianis, & Iulio Frontino de Aquæd. lib. 1. & Publicam Liuio 3. Decad lib. 4. & Sabinam Plutar. in Camillo. Et Salinariam, quæ à sale dicta est, quòd illa sal in Sabinos deferri consueuerat. Plin. lib. 31. c. 7. Videtur tamen Salaria potius dicenda, vt in 19. Tacit. & 17. Festi lego. & ita quoque Varro lib. Rei rust. 1. & lib. 3. c. 1. & Strabo lib. 5. Liu. 1. Dec. lib. 1. Sueton. in Nerone c. 48. & in Vespasiano c. 12. & Fest. Pompeius lib. 17. & Sublacensem Frontino lib. 1. de Aquæductibus. Et Tusculanam Dionys. Halicarn. lib. 8. Valeriam eid. Frontino ibi. & Straboni lib. 5. Et Vitelliam Suetonio in Vitel. io cap. 1.

In quibus membris in homine insit religio quædam, propter quam illa sanctè coli debeant & obseruari,

CAPVT XIX.

QVIBVSDAM membris in homine religionem inesse, eáq; sanctè obseruari & coli decere, multi arbitrati sunt. Siquidem in [a] capite hominis tanquam in arce, vbi mens & sedes animæ credi-

Religio in capite.

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

a *Capite*] Caput, vt tradit Plato in Timæo. est membrum corporis diuinissimum, reliquorúmque membrorum princeps: cui totum corpus connexum dij subesse & parere iusserunt. Hinc ipse Plato Democritus. Hippocrates, Straton. Erasistratus & Herophilus apud Plutarc. in lib. de Placitis Philosophorum, & Theodericum Serenensem lib. 5. de Curatione Græcarum affectionum, animæ principatum alij in toto capite, alij in parte ipsius esse censuerũt. Quibus & assentitur Galenus lib. 1. de Regimine morborum acutorum. Sed & his adstipulatur Aristoteles li. Prob. 33. cap. 1. aliàs 7. Cur, inquit, sternutamentum pro numine siue sacro augurio habetur, non tussis, non grauedo? An quia de capite membrorum, præcipuè diuino, vnde cogitatio est, suum ducit principium. & iterum ca. 9. Cur, ait, sternutamenti eruptio sacra habita est, non etiam cæterorum, vt flatus aut ructus? Quoniam tres sunt partes principes nostri corporis caput thorax & aluus. Flatus alui respiratio est, ructus ventriculi, sternutamentum capitis, quæ pars

sacra

tur esse, quæ pars longè sanctissima homini est, quod inde originem sumunt sensus & nerui, religio & quoddam numen inesse fertur. Ideo si quem reuerebantur veteres, aut honore dignum putabant, ad omnem occursum [b] caput reuelare & assurgere, ac de via decedere solebant, scilicet existimãtes, nudo & aperto capite in exhibendis honoribus esse oportere, veluti omnia nostra patefaciamus: credo etiam valetudinis causa, vt [c] Varro significat, quod ad fidem proxime accedit: detecta enim capita, contra vim algoris calorisve haud dubiè firmiora esse, & ad valetudinem mirè proficere multi censuere. [d] Ideo Ægyptij, quòd detecto sunt capite, habentur firmiores: Persæ verò, quòd cùm mitra & pileo, debiliores, adeo vt leui ictu offendantur capita. Hinc Hannibal, [e] diuus Iulius, [f] & alij summi duces, detecto semper capite, seu sol, seu imber esset, velut contra frigora tempestatésque obdurato, incessere. [g] Masinissa quoque Numidiæ rex, nullo frigore aut imbre abduci potuit vt caput tegeret. Quod de [h] Hadriano [i] & Seuero principe traditur, tantæ firmitatis fuisse, vt hyeme sæua & gelida per niues & frigora aperto capite incesserit semper. [k] In quo quidem id longe præstantissimum fuit, suis nominibus quemque venerari & salutare, salutantibúsque reddere salutem. [l] Ideo nomenclatorem, qui nomina suggeret, iuxta veteres habuere. [m] Si autem nomen non succurreret, illum honoris causa dominum appellabant. [n] Græci verò non proprio, sed officij nomine aut muneris, quod gerebat, salutare, religiosius putarunt. [o] Defuncti verò corpus exanime, aut vrnam tangere, venerationis signum erat. [p] Si qui tamen præcipua dignitate & honoribus fulgerent, illos propriis salutare nomi-

Capite reuelare assurgere & de via decedere. Capite aperto esse, salubre. Suo nomine salutare. Nomenclator. Officij aut muneris nomine salutare. Defunctorum corpus aut vrnã tangere. Salutationes.

ANNOTATIONES.

sacra præcipuè est. Ideo spiritum hinc exeuntem vt sacrum veneramur & adoramus. Hucque spectat quod Hebræi Rosch, id est caput pro potentia, principatu & tyrannide accipiant. Ex quo illud Genesis 3. Ipsa conteret caput tuum. Et quod diuus Paulus sæpe inculcat, Christum esse viri & Ecclesiæ caput: virum autem mulieris, vt 1. ad Corinth. 11. & ad Ephæsios 5. & ad Colocens. 1. Sed & de excellentia & principatu capitis, vide Lactantium de Opificio Dei c. 5. Paulum Æginetam lib. 1.

b *Caput reuelare.*] Plutarch. Problem. cap. 10. Cur, inquit, deos salutantes caput operiunt, viris autem dignitate præditis & honore dignis, si etiam velati occurrerint, caput aperiunt? Cuius rei multas rationes adfert, quæ ad hunc locum pertinent.

c *Vt Varro significat.*] Apud Plinių lib. 28. c. 6. vbi ita scribit Capita aperiri aspectu magistratuum, non venerationis causa iussere, sed (vt Varro author est) valetudinis quo firmiora consuetudine ea fierent.

d *Ideo Ægyptij,*] Herodotus lib. 3. non longè à princ.

e *D. Iulius.*] Sueton. in eodem c. 45 huic pertinentia quædam, sed non expressim ponit.

f *Et alij summi duces.*] Vt Cato Vticensis ex Plutarc. in vita illius.

g *Masinissa quoque.*] Masanissam vbique illum appellat Liuius. Id autem quod hic de eo dicitur est Ciceronis libr. de Senectute.

h *Hadriano.*] Spartianus in vita illius. Adrianus, inquit, nudo capite peragrauit omnes orbis partes, & in summis plerumque imbribus & frigoribus.

i *Et Seuero.*] Herodianus de eodem.

k *In quo quidem.*] Vide princ. Consuetudinum Picta.

l *Ideo nomenclatorem,*] De his multa Cicero in Orat. pro Murena. & ad Atticum libr. 4. epi. omnium 70. & vide Festum Pompeium lib. 6. vbi eos Fartores dictos scribit, quòd clam, veluti infarcirent nomina salutatorum in aurem candidati.

m *Si autem nomen.*] Seneca in 3. ad Lucilium epistola, Obuios, inquit, salutari à nobis dominos solere, si nomen non succurrit. Ex quo doctis quibusdam videtur sensus Martialis, cum scrabit lib. 1. epig. 157. ad Priscum:

Cùm te non nossem, dominum regémque vocabam
Cum bene te noui, iam mihi Priscus eris.

Et lib. 5. epig. 58. ad Cinnam.

Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere,
Sæpe etiam seruum sic resaluto meum.

n *Græci verò.*] Alicubi Plinius, à quo hæc accepisse videtur Et aliqui, inquit, nomine quoque consalutare religiosius putant.

o *Defuncti.*] Neque verò tangere solùm, sed & salutare, species fuit venerationis & cultus, cuius index Virgilius lib. 5.

Salue sancte parens: iterum saluete recepti.
Nequicquàm cineres, animæque vmbræque paternæ.

p *Si qui tamen.*] Id quidem aliter atque aliter obseruatum est, Nam & apud Ciceronem in ea Oratione, quam habuit ad Pontifices pro domo sua, P. Claudius argumentatus est amoris fuisse signum, quòd cum Cæsar ad eum scripsisset, nominibus tantùm vsus esset, neque ascripsisset Proconsuli aut Tribuno plebis: sed in hæc verba, Cæsar P. Clodio salutem. Plutarchus quoque in Crasso illud humanitati assignat, quod ipse Crassus nemini occurrebat, cui salutatus ipse salutem non redderet, ac proprio nomine compellaret. Quo etiam pertinet illud Ouidij libr. 2. de Arte amandi,

Nomine quemque suo (nulla est iactura) saluta,
Iunge tuas humiles ambitiose manus.

Nam & Donatus enarrans illud Terentij in Hecyra act. 3. scena 5.

Phidippe ades, audi paucis.

Nomine, inquit, appellat, quod facere solemus, iratos mitigâre volentes. Verùm contrà est id quod scribit Cornelius Tacitus lib. 12. quòd cùm Germanicus & Nero obuij inter se facti essent, Nero Britannicum nomine, ille Domitium salutauere. Quod vt discordiæ signum Agrippina, Neronis mater, multo questu ad Claudium, Rom. Imperatorem detulit. At Tranquillus in Nerone c. 7. Nero, ait, Britannicum fratrem, quòd se post adoptionem Ænobarbum ex consuetudine salutasset, vt subditititiũ apud patrem arguere conatus est. Sed & Seneca libr. 2. eius operis, cui titulum fecit, Quomodo in sapientem non cadit iniuria, tradit C. Cæsarem Heremno Marco iratum fuisse, quòd eum Caium salutauerat, nec impunè id cessisse. Et Donatus in Virgil. lib. 1. Æneid, in eum locum,

Æole (namque tibi diuum pater, atque hominum Rex.
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.)

Incœpit, inquit à nomine, quod nec Iunonem humilem facit, & Æolo gratum est. Potior quippe si inferiorẽ suo nomine vocet, & si beneuolam monstrat, & illi vnde gaudeat subministrat. Pulchrum est enim si inferiore in loco positus cognitus sit potiori. Ex eod. lib. in eum locum.

Nate dea quæ nunc animo sententia surgit?

Achates licet, inquit, sit socius, tamen quia fuit inferior, non nomine suo eum appellauit: sed cum omni honorificentia: omisso vero nomine, natum dicit ex dea. Et lib. 7. illud interpretans Iunonis,

Vincor ab Ænea. ——

Nomen (inquit Donatus) proprium pro conuitio posuit, quasi dicat, ab vno eodémque vitiosissimo, quod admodum diuersum est ab eo quod suprà ex eo diximus. Et lib. 11. in eum locum.

Hactenus Acca soror potui, nunc vulnus acerbum

nibus haud decorum videbatur.[q] Fertur tamen Alexander Macedo postquam profligato Dario Magnus est cognominatus, nulli nisi Antipatro & Phocioni litteris dedisse salutem.[r] Et Demetrius præter se & Antigonum patrem, regem nec nominasse quenquam, nec salutasse,[s] Nero quoque Cæsar nedum salute, sed ne resalutatione quidem aliquem impertiuit.[t] Crassus contrà: nam infimi ordinis singulos propriis nominibus resalutauit.[u] Reges Numidarum pro maiestate habent, nulli mortalium impertiri osculum, nec salutem,[x] Pyrrhus verò in salutatione literarum, adulterinas Lysimachi literas deprehendit: nam quum Ptolemæus Pyrrhum epistolis filium salutaret, in adulterinis quas Ptolemæi nomine Lysimachus destinarat, regem nuncupauit.[y] Tigranes autem, quod à Lucullo non rex regum salutaretur, quasi coarguens imperitiam suam, ipsum pari modo retaxauit: namque ad eum vt imperatorem scribere contumaci epistola recusauit. Cui haud absimile est, quod[z] Menecrates Iupiter cognominatus, eum literas ab Agesilao hoc tenore accepisset, Menecrati Rex Agesilaus felicitatem: quasi conuicio affectus foret, rescripsit, Menecrates Rex Agesilao sanitatem.[a] Dario quoque, quum se regem ascripsisset neque idem nominis Alexandro impertiisset, Alexander rescripsit, vt de cætero meminisset se non tantum regi, sed & suo scribere. Cassander verò quum omnibus libellis & epistolis Rex salutaretur, tantæ moderationis fuit, vt nunquam sibi regium vsurparit nomen: sicut.[b] Porus Indorum Rex ab Alexandro victus, in posterum nunquam se Regē appellari sustinuit. Contrà,[c] Perses Philippi filius, quum rebus deploratis & euerso regno supplex ad consulem scriberet, tanquam in altiore fastigio positus, se Regem ascribere non dubitauit. Inter cæteros proditur Hannibal eò insolentiæ processisse post victoriam ad Cannas, vt nulli ciuium suorum nisi per interpretem responsum aut salutem dederit, Et[d] Pallas Claudij libertus, eius proteruiæ fuisse, vt non modò nulli ministrorum salutem impertiuerit, sed ne vocem quidem cum familiari communicarit. Fertur tamen[e] Sapor Persarum Rex, quum ad Constantium scriberet Imperatorem, Solis & Lunæ se fratrem dixisse. Et[f] Artaxerxes quum minacibus literis vrbium excidia, vastationes agrorum, cædes & incēdia Lacedæmoniis interminaretur: Spartanos Laconio more vnico verbo respondisse, scilicet, vt faceret. Cui haud absimile est, quòd quum[g] Lysander post multiplicia bella ad Ephoros scripsisset, Captæ sunt Athenæ. Ephori suo more paucissimis responderunt, Sat est capi. Philippo quoque Macedonum regi iniqua postulanti, Lacedæmonij rescripserunt, his tantum verbis, [illegible] De eo quod ad nos scripsisti, non.[h] Sicut iterum quum Spartanos fines ingressus quæsiuisset, vtrum vellent amicum an hostem se venire: iidem rescripserunt, [illegible], id est: neutrum. In qua quidem re[i] Atheniensium moderatio adnotanda succurrit, qui quum Philippi hostis literas, quas ad Olympiadem scripserat, intercepissent, eas inuiolatas reddiderunt, ne toti genialis & secreta coniugij panderent.[k] Verùm aliter quum diis immortalibus honores dabant, fieri seruatum est. Tunc enim capite operto & velato sacra facere & numina adire mos erat: vt deorum honores longè dispares ab his qui dantur homini-

Demetrius. Nero. Crassus. Reges Numid. Pyrrhus. Tigranes. Menecrates. Darius. Cassander. Porus. Perses. Hannibal. Pallas. Sapor. Artaxerxes. Laconum breuiloquentia. Honos in deos. De hoc sup. cap. 54. huius libr. & cap. 12.

ANNOTATIONES.

Conficit, & tenebris nigrescunt omnia circum.
Quid, inquit, benignius? quid his dictis dulcius? quàm vt in salutis fine posita nomine suo appellaret, quam charissimam præter cæteras habuit. Sueton. in Vespasiano cap. 15. volens ipsius Vespasiani clementiam ostendere, Heluidio, inquit, Prisco, qui reuersus ex Syria solus priuato nomine Vespasianum salutauerat, & in prætura omnibus edictis sine honore ac mentione vlla transmiserat, non antè succensuit, quàm altercationibus insolentissimis penè in ordinem redactis &c.

q *Fertur tamen Alexander.*] De literis ad Phocionem Ælianus Variæ historiæ lib.1.cap.25. de Antipatro nondum inueni.

r *Et Demetrius.*] Plutarc. in vita illius.

s *Nero.*] Suetonius in vita illius c. 37. Certè neque aduenniens, inquit, neque proficiscens quenquam osculo impertiuit, ac ne resalutatione quidem.

t *Crassus contrà.*] Plutarchus in vita illius, vt suprà diximus in verbo, Si qui tamen.

u *Reges Numidarum.*] Valerius Maximus lib. 2.cap.1. in fi. Ne Numidæ, inquit, Reges vituperandi, qui more gentis suæ, nulli mortalium osculum ferebant. Quidquid enim in excelso fastigio positum est, humili & trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse conuenit.

x *Pyrrhus.*] Ex Plutarcho in vita ipsius.

y *Tigranes.*] Plut. in Lucullo.

z *Menecrates.*] Id aliter referunt Plutarchus tum in vita Agesilai, tum in Apophthegmatis Imperatorum, tum in Laconicis: & Ælianus Variæ historiæ libr.12. Sed tu vide quæ de hac re scripserim in nostris Commentariis Nobilitat. capit. 31. in nomenclatura medicorum, vbi de ipso Menecrate.

a *Dario quoque.*] Q. Curtius lib.4. post princ.

b *Porus.*] Ex Philostrato in vita Apollonij libr.2.cap. 9. in fi. Postquam (ait) ex India decessit Alexander Macedo, nunquam se regem Porus appellauit: quanquam id sibi permisisset Alexander: neque sicut rex, sed tanquam satrapa dominabatur, modestè cuncta in honorem Alexandri & loquens ac faciens.

c *Perses.*] Liuius 5. Decad. libr. 2. Plutarch. in vita Pauli Æmilij.

d *Pallas Claudij libertus.*] Hic dicitur Tacito libr.13. initio tristi arrogantia modum liberti egressus, tædium sui mouisse. Qui posteà à Pæto delatus, nominatis libertis eius, quos conscios haberet, respondit, Nihil vnquam se domi, nisi nutu aut manu significasse: vel si plura demonstranda essent, scripto vsum, ne vocem consociaret. De quo vide Senecam in ludo de morte Claudij Cæsaris, cùm ad Inferos Claudio venienti Pallantem cum Narcisso & Felice occurrisse fingit. Hi verò omnes sub Nerone, non sub Claudio vitam cum morte commutauerunt.

e *Sapor Persarum Rex.*] Ammianus Marcellinus lib.17. Rex regum, inquit, Sapor, particeps Syderum, frater Solis & Lunæ, Constantio, fratri meo salutem plurimam dico.

f *Artaxerxes.*] Plutarchus in vita illius.

g *Lysander.*] Plutarc. in Apophthematis eiusdem, nec non in vita ipsius.

k *Verum aliter.*] Idem in Apophthematis Laconum ignotorum.

i *Atheniensium.*] Idem author in Demetrio atque etiam in Policis. & Apuleius in 2. Magiæ apologia.

k *Sicut iterum.*] Suprà eod. lib. cap.24. & infrà cap.22.

l *Regum*

bus, magnámque in eo vim diuinitatis ostenderent, quum semoto visu à rerum conspectu, religiose & venerabundi diuina peragerent. Ideo in sacris velare caput, & veste operiri, antiqui moris fuit. [l]Regum quoque capita insigni fascia ornari, sicut Imperatorum aurea corona vel lauro: quoniam ea pars corporis sanctior in homine est, propterea ibi insigne honorum & diadema esse voluerit. [m]Persarum mos erat, vt si pares essent, osculo impertirent quos honorabant: inferiores verò salutando potentiorum genas manu tangerent. [n]Cognatos tamen, reliquósque necessarios, vbi diutius abfuissent, aut longius essent abfuturi, se inuicem osculari frequens vsus erat: [o] quod à Romanis vsurpatum inuenimus, vt cognatis obuiam factis [p] frontem suauientur. [q] Apud Persas, [r] Medos [s] & Indos, Reges adorari, & in salutando homines toto corpore procidere, inuenimus. Quare Thebanus [t] Ismenias iussus Artaxerxem adorare, ne contra decus faceret, prolapsum annulum sustulisse, & ita adorãtis speciem præbuisse dicitur. Id quod Romanis longe est habitum nefas, nisi quod [v] C. Caligula cum Cæsares salutarentur prius, adorari se iussit capite velato vt deum. Mox [x] Diocletianus socordia intolerabili, contra instituta maiorum, idem exequi ausus fuit. Apud exteros verò [y] Cyro Persarum Regi, adorandi cultum primum delatum comperimus, cui proximum diis immortalibus honorẽ decreuere. [z] Quod mox Indi & posteri Reges exequi magno studio curauerunt. Id quod Octauius [a] Augustus [b] & Alexander Seuerus præcipuè detestati sunt. Nam si quis inter salutandum flexisset caput, aut assentaretur blandius, foras detrudi atque exigi iussere. [c] Frontem verò sacram Genio nonnulli tradunt, sicut enim [d] Iunoni brachia, [e] pectus Neptuno, [f] cingulum Marti, [g] renes Veneri: [h] pedes Mercurio, [i] digitos Mineruæ consecrauit antiquitas: ita frons Genio dicata: [k] quippe Deum venerantes, frontem tangere, & indita ad frontem manu, numina adire solebant. Quare [l] Pompeio magno frontis honorem, & os probum, velut maximũ naturę munus, tribuerunt. Ipsa enim [m] seueritatis & clementiæ index est. Ideo minorem frontem venustum facere & mitem, remissum & quietũ, multi censuerunt. [n] Contrà frons magna, segnes, parua, mobiles: rotunda, iracundos: lata, mente flexibiles designauit. Quod etiam carmine Homerus prosecutus fuit, vt singulos membris honestaret deos. [o] Namque Iunonem facit candidas vlnas habere, [p] Auroram roseos lacertos, [q] Mineruam oculos glau-

Caput sanctior pars in homine.
Osculũ impertiri.
Adorati reges.
Oct Aug & Alex. Seuerus adoratio nem repu diarunt.
From.
Frons minor.
Frons magna.
Frons parua.

ANNOTATIONES.

l *Regum quoque capita.*] Idem suprà lib. 1. cap. 28.

m *Persarum.*] Zenodorus in prouerbio σῶμα καὶ χώρα. & ante eum Xenophon in Oratione de laudibus Agesilai, Patrium morem Persis fuisse dicit, eos osculari, quos honoribus prosequi vellent. & Herodot. lib. 1. Ex quo intelliges non hîc genas, sed genua legendum.

n *Cognatos tamen.*] Sic Cyrus discessurus dicitur cognatos per osculum oris admisisse lege Persarum. Xenophon libr. 1. Pædiæ. Idémque Cyrus pro more osculatus est Cyaxarem, cum ad se venisset. lib. 5. Pædiæ.

o *Quod à Romanis*] Plinius lib. 14. c. 13.

p *Frontem suauientur.*] Plutar. in Proble.

q *Apud Persas.*] Herodotus libr. 7. Plutarch. in Alcibiade. Valerius Maximus lib. 7. cap. 3. vbi de Dario rege loquitur. Candidati (vt est mos Persarum) humi prostratis corporibus, Darium regem salutauerunt. Et constat exemplo, quod statim subiicitur. idem Iustinus lib. 6.

r *Medos.*] De Persis & Medis hæc dicta Arriani sunt. Ex quo Rhodiginus lib. 2. c. 33. Cyro, inquit, mortalium primo adorationis cultum fuisse delatum, scribit Arrianus, quam humilitatem Persæ posteà seruauerunt & Medi.

s *Et Indos.*] Philostratus in vita Apollonij.

t *Ismenias.*] Plutarchus in Artaxerxe. & Ælianus de Varia historia lib. 1.

u *C. Caligula.*] Suetonius in vita ipsius cap. 22. Dion quoque in eiusdem vita, vbi plura de ipso ridiculosissima, & Paulus Orosius lib. 7. c. 3.

x *Diocletianus.*] Eutropius de gestis Romanorum libr. 7. cap. 12.

y *Cyro.*] Rhodiginus ex Arriano vbi suprà in verbo, Medos. Sanè vbi primùm fuerit Cyrus adoratus à Persis, scribit Xenophon Pædiæ lib. 8.

z *Quod mox Indi.*] De quibus iam suprà diximus.

a *Augustus.*] Sueton. in vita illius c. 53.

b *Alexander Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita illius.

c *Frontem.*] Seruius in 6 Eclog. post. princ. ibi.

—— Cynthius aurem
Vellit & admonuit. ——

Et lib. 3. Æneid. in eum locum.

Dixerat & genua amplexus genibúsque volutans
Herebat. ——

Frontem, inquit, Genio consecratam Physici dicunt: vnde Deum venerantes tangimus frontem.

d *Iunoni brachia.*] Democritus in libr. Physiologumenων, & ex eo Fulgentius Mythologicῶν libr. 3. vbi de Peleo & Thetide loquitur.

e *Pectus Neptuno.*] Homerus lib. 2. Iliados paulò ante Catalogum.

ἄρει δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι. id est,
Marti autem cingulum, pectus verò Neptuno.

Et Fulgentius vbi suprà ex ipso Homero. Sed adde fel quoque ipsi Neptuno dicari ex Plinio lib. 11. cap. 37.

f *Cingulum Marti.*] Hoc & ipsum patet ex Homero & Fulgentio dictis locis.

g *Renes Veneri.*] Fulgentius vbi suprà. & vide in nostris legibus connubialibus lib. 15. nu. 40. incip. Ex his quoque.

h *Pedes Mercurio.*] Fulgentius ibi.

i *Digitos Mineruæ.*] Seruius d. eclo 6. ad princ.

k *Quippe Deum venerantes.*] Ex Seruio ad 3. Æneid. vbi suprà in verbo. Frontem.

l *Pompeio Magno.*] Plutarchus in eodem.

m *Seueritatis.*] Plinius lib. 11. c. 37.

n *Contrà frons magna.*] Hæc vsque ad clausulam, Quod etiam: sunt Aristotelis lib. 1. Animalium cap. 8. & Plinij authoritate Trogi lib. 11. c. 52.

o *Namque Iunonem.*] Homerus lib. 1. Iliados.

Τῷ γὰρ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη.

Et alibi sæpe, vt videre poteris in nostris legibus Connubialibus in 2. l. nu. 34. incip. idem Homerus.

p *Auroram roseos lacertos.*] Homerus non lacertis dicit, sed digitis scilicet ῥοδοδάκτυλος. ita enim illam vocat libr. 2. 4. non semel 5. 8. 9. & 7. Odysseæ & lib. 1. & vlt. & Iliados, & alibi sæpe,

ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς.

Quod nos annotauimus in d. legibus l. 2. nu. 37. incip. Idem quoque. Sunt autem lacerti aliud nihil quàm digiti, videlicet totum brachium à cubito vsque ad manus vertebram quæ carpus dicitur, vt omnibus notum.

q *Mineruam oculos glaucos.*] Nam eam γλαυκώπιδα vbique appellat, vt lib. 1. Iliados,

Oculorũ religio. *Physiognomia ex oculis.* *Ex naso.* *Ex superciliis.* *Ex genis.*

cos,[y] Thetidem argenteos pedes,† Heben verò talos pulcherrimos.[s] In oculis quoque religio fuit in quibus imago & natura hominis,ac tacitus sermo mẽtis maximè exprimitur. Vt enim[t] cauda leonibus,[u] aures equis animorum indicia præstant: sic oculis hominum, mentis imago apparet, nam cordis nuncij sunt. Ex his enim virtutes vitiáque agnoscimus, iratum vel propitium animum, lætum aut affectũ perpendimus. Dignitatémque oris exhibere cõsueuerunt,vitámque à morte distinxerunt. Hos osculari & amplecti,ac præcipua charitate prosequi solemus,[x] Refert verò Aristoteles,caprinos oculos,& modicè conuiuentes, aut paruos, morum præstare indicium optimorum : contra oblongos, pessimos notare:candidos & protentos, impudentes : carnosos, versipelles mobiles, inconstantes,[y] Nasum quoque morum facere indicium multi arbitrantur.[z] Ideo Persæ adunco naso (quos [a] grypos vocant) præcipuè honorant, quod talem fuisse Cyrum crederent. simos verò, mites facere & gratiosos.[b] In eo enim irrisionis sedes est:quare [c] nasuti,&[d] habere nasum irrisores dicti.[e] In superciliis autem notatur fastus, qua parte negamus vel annuimus.[f] Ea quidem porrecta, molles significant:nimis deflexa,austeros:inflexa, derisores:demissa,maleuolos: nam si quem fastidimus,truci supercilio designamus: [h] Ideo Romanæ mulieres supercilia Lucinæ consecrarunt,quia inde lux ad oculos fluit,In genis autem est sedes pudoris.Has enim quum pudet, primùm rubore suffundi videmus,

ANNOTATIONES.

Τὸν δ' αὖτε προσέειπε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.

Et sæpè alibi,vt & diximus vbi suprà nu. 35.

x *Thetidem argenteos pedes.*] Id est, ἀργυρόπεζαν : vt lib. 1. Iliados :

Μητέρ γὰρ τὸ μίμνει θεὰ, Θέτις ἀργυρόπεζα.

Et aliis locis,quæ videbis vbi suprà.nu.37.idem quoque.

† *Heben verò talos pulcherrimos.*] Id est, καλλίσφυρον, tanquam dicas pulchritalum libr. 11. Odysseæ, & in hymno Herculis leonini animi,

Καὶ καλλίσφυρον Ἥβην.

s *In oculis.*] Plinius lib. 11. cap. 37. de oculis loquens, Neque vlla,inquit,ex parte maiora animi indicia cunctis animalibus,sed homini maximè,id est,moderationis, clementiæ,misericordiæ,odij,amoris,tristitiæ, lætitiæ. Contuitu quoque multiformes,truces,torui,flagrantes,graues, transuersi,limi,summissi,blandi. Profectò in oculis animus inhabitat.Ardent, intenduntur,humectant, conniuent.Hinc illæ misericordiæ lachrymæ:Hos cùm osculamur, animum ipsum videmur attingere. Hinc fletus & rigantes ora riui. Quis ille humor est in dolore tam fœcundus & paratus, aut vbi reliquo tempore? Animo autem videmus, animo cernimus. Oculi, ceu vasa quædam, visibilem eius partem accipiunt atque trãsmittũt. Philostratus in vita Apollonij lib. 2.cap.12. Oculi (ait) mores hominum plerosque indicant.Quod si plura requiris adi Cælium Rhodiginum libr.5.c.28.

t *Cauda leonibus.*] Plinius lib.8.c.16.Leonum,inquit,animi index cauda.

u *Aures equis.*]Plinius ad id quod proximè diximus, addit,Sunt & equorum aures.Namque & has notas generosissimo cuique natura tribuit.

x *Refert verò Aristoteles.*] Libr. 1. de Historia animalium cap.10. & Plinius Trogi authoritate libr.11. cap. 52. Oculi quibuscunque sunt longi,maleficos esse iudicant. Qui carnosos à naribus angulos habent, malitiæ notam præbent. Candidi pars extenta,notam impudentiæ habet.Qui identidem operire solent,inconstantiæ. Seruius enarrans illud Virgilij lib.4. Æneidos,

—— Ille Iouis monitis immota tenebat
Lumina. ——

Physicum,inquit,est,vt qualitatem animi ex oculorum,aut corporis mobilitate ostendamus: Ergo modò vult ostendere Ænean à proposito non esse deuiatum.

y *Nasum quoque.*] Id patet ex seq.

z *Ideo Persæ.*] Plutarch. in Politicis, Persæ ad hanc vsque diem homines vnco naso & amant & pulchritudine præditos arbitrãtur,in honorem Cyri, qui eiusmodi naso fuisse traditur.Idem in Apophthegmat.Regum & Imperat.Vide Xenophontem in Pædia Cyri.

a *Quos grypos vocant.*] Plutarc.in Mario. Antiochus autem Syriæ Rex, Grypus cognominatus fuit, teste Possidonio Apanæo lib. 23.Historiarum.& ex eo Athenæus lib.6. cap. 5.& alibi ex eodem Possidonio lib.4.c.4.& 14.

b *In eo enim irrisionis sedes.*] Plin. lib. 11.c. 37. Et altior homini tantum,quem noui mores subdolæ irrisioni dicauere. nasus.Persius satyra 3.

Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.

c *Nasuti.* Martialis lib.13.epigr 2.

Nasutus sis vsque licet,sis denique nasus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas:

Hinc nasutulus diminut. Apuleio, nasutula mulier & dicacula dicitur.

d *Habere nasum.*] Martialis lib.1.epig.99.

Non cuique datum est habere nasum.

& epig 3.

Maiores nusquam rhonchi,iuuenésque senésque,
Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

e *In superciliis,*] Plinius libr.11.cap.37.In asceosu (inquit) eius supercilia homini & pariter & alternè mobilia, & in iis pars animi.Negamus,annuimus. Hæc maximè indicant fastum.Philostratus in vita Apollonij libr.2,cap. 12. Multa etiã in superciliis genísque posita sunt,ex quibus sapientes & natura periti homines imagines velut in speculo aspicientes,quę mens illis,quódque sit ingenium contemplantur.Quintil.Institu.Orat. lib.11.c.3. Multũ,inquit,& superciliis agitur.Nam & oculos formant aliquatenus & fronti imperant.His cõtrahitur,attollitur,dimittitur:vt vna res in ea plus valeat.Et paulò pòst:Vitium in superciliis:si aut immota sunt omnino, aut nimium mobilia, aut inæqualitate dissident:aut contra id quod dicimus finguntur. Ira enim contractis,tristitia diductis,hilaritas remissis ostenditur.

f *Ea quidem porrecta,*] Hæc vsque ad clausulam, Ideo Romanæ mulieres.sunt Aristotelis lib. de historia animalium 9.& Plinij ex Trogo lib.11.cap.52.Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles significant : quibus iuxta nasum flexa sunt,austeros:quibus iuxta tempora inflexa,derisores quibus in totum demissa,maleuolos & inuidos. Cæterum Cicero in Orat.pro Q.Roscio Comœdo scribit, Supercilia penitus abrasa olere malitiam & clamitare calliditatem: verùm id artis est, non naturæ.

g *Ideo Romanæ mulieres.*]Festus Pompeius lib.17.vbi de superciliis scribit ea esse in Iunonis tutela,quòd iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam tribuere putabant Iunonem,vnde & Lucina dicta est.Ante illum Varro libr. 4.de ling.Latina. Lucina (inquit) nascentium dux, quòd menses huius hoc vidisse antiquos apparet, quòd mulieres potissimum,supercilia sua attribuerunt ei deæ.

h *In genis autem.*] Plin.lib.11.cap.37.Infra oculos (inquit) malæ,homini tantùm quas prisci genas vocabant,12.tabularum interdicto radi à fœminis eas vitantes. Pudoris hæc sedes. Ibi maximè ostenditur rubor.Infra eas hilaritatem risúmque indicantes,buccæ.

i *Quare*

pudibundúmque animum ex illis pensitamus.[i] Quare in pueris rubere geoas,& ingenuo pudore affici, probitatis signum est:in his enim pudor,integritas, & virtus ostenditur. In [k] quo proditum memoriæ fuit,populum Romanum tantum pudori tribuisse,vt Philippo Regi Macedoniæ pluribus criminibus imperito, nihil æquè profuerit, quàm Demetrij filij pudor, in senatu obiecta minimè diluere valentis.[l] Domitiano verò Cæsari crebra oris confusio pro modestia putabatur, quum esset somma immanitas. Ideo qui podorem obiecere, [m] perfricuisse faciem dicti. Contrà [n] in auriculis rubor:nam læsæ conscientiæ & admissæ turpitudinis signum est. [o] Magnas tamen auriculas, stultum designare voluerunt,& loquacem: [p] mediocres verò, mores optimos præmonstrare. [q] In auribus mulieres binos ternósque vniones aut elenchos ferre, nobilitatis signum fuit: sicut in [r] Oriente viris gestare aurum. [s] Sylla tamen tunc maximè truculentus fuisse dicitur, & aspectu minaci, quum eius faciem rubor infestaret.[t] Plato verò homines rubicuodos dixit animosos:nigriores,viriles:albos,Deo deuotos:mellei coloris & decoloris vultus,nimium amatores.[v] Tametsi communi feratur adagio,iracundissimos esse flauos, robentésque.[x] In pectore autem sedem esse consilij, ea propter prætextatis [y] bullam peodere pro pectore,quod vbi sedes erat consilij,ibi cordis insigne maoeret. multi prodidere.Hominis præterea[z] genibus quandam esse religionem & pietatem nouimus.Etenim supplicantes

Ex auriculis. Platonis ex coloribus physiognomia. Pectus sedes consilij. Genua. Supplices gestus apud diuersos.

ANNOTATIONES.

i *Quare in pueris.*] Cato Censorius dicebat, sibi placere magis iuuenes,qui rubescerent,quàm qui pallescerēt,quod rubor arguat probam indolem, pallor non item. Plutarch. in Apophthegma.& in libello, Quomodo oporteat audire poëmata. Et ex eo Erasm.in Apoph.Catonis senioris. Scitúmque est illud Terentij in Adelphis actus 4.sceoa 5.Erubuit,salua res est. Et in Aodria act.5.sce. 3. Vide, num eius color pudoris signum vsquam indicat?Vide in nostro Repertorio in verbo Verecundia,vel io verbo,Pudor. Pudori etiam mulierum natura ipsa consultum voluit, vt testatur Plinius lib. 7.cap.17.

k *In quo proditum est.*]Id Liuij est 4.Decad.lib.9.Nonnihil hîc variar Iustinus lib.32.

l *Domitiano verò Cæsari.*] Suetoo.in vita illius cap.18. Vultu,ait,fuit modesto ruborisque pleoo. Et paulò post, Commendari se verecundia oris adeò sentiebat, vt apud Senatum sic quędam iactauerit,Vsque adhuc certè animū meum probastis & vultum. Cornelius Tacitus libr. Anoalium 20. Domitianus,inquit, decorus habitu & ignotis adhuc moribus, crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. & alibi in Iulij Agricolæ vita ad fin.ait. Cum deuotaodis tot hominum palloribus sufficeret sæuus ille vultus & rubor, à quo se contra pudorem muniebat.Plioius quoque in Panegyrico de eodem sic loquitur, Superbia in fronte,ita in oculis, fœmineus pallor in corpore, io ore impudeotia multo rubore suffusa.

m *Perfricuisse faciem.*] Aot, vt alij, frontem: alij item os. Quintilian.libr.11.cap.3.paulò ante fi. Vitiosa,ait, sunt illa intueri lacunaria,perfricare faciem,& quasi improbam facere.Plinius in præfatiooe Nat.historiæ, Perfricui faciem, nec tameo profeci. Idem libr.9. cap. 2. Vt Caluus Vatinio perfrica frontem,& dic te digniorē,qui prętor fieres qoàm Catonem.Seneca ad Lucilium li.5.epist.40.Perfrices frontem oportet,& ipse te non audias. De ore, Cicero Tuscul. Quæst.li.3.Quid tergiuersamur Epicure? nec fatemur eam nos dicere voluptatem,quàm tu idem, cùm os perfricuisti, soles dicere?Plura Eras.Chiliadis 1.ceot.8.c.47.

n *In auriculis rubor.*] Aoriculæ in fœmina rubentes & capilli vexati & incompti iudicio sunt recentioris cūcubitus quod Soetonius in Augusto notauit cap.69.his verbis, M. Antooius super festinatas Liuiæ nuptias obiecit fœminam cónsularem è triclinio viro coram in cubiculum abductam, rursus io conuiuium rubeotibus auriculis, incomptiorem reductam. Hoc idem indicat Iuuenalis saty. 11. paulò ante fin.inter signa & vestigia peractæ libidinis

> —— *Tacito bilem tibi contrahit uxor*
> *Humida suspectis referens multitia rugis,*
> *Vexatasque comas & vultum auremque calentem.*

o *Magnas tamen auriculas.*] Vt sunt asininæ. Cuiusmodi Midas Rex Phrygiæ fertur habuisse prouerbiôque locum fecisse,quod dicitur in stolidos & crassis auribus. De quo Erasm.Chiliad.1.cent.3.cap.67. Plato autem lib. 12. de Re-publ. τὰ ὦτα ἐπὶ τῶ ὤμων ἔχοντας,id est,auriculas super humeros habentes.proindéque magnas,de his dicit,qui sunt deiecto ac demisso animo.Has autem magnas auriculas indices esse stultitiæ & loquacitatis testis est Plinius,Trogi authoritate lib.11.cap. 52. Idem Aristot.Historiæ animal.libr. 1.cap.11.

p *Mediocres verò.*] Aristot. libr. 1. Histor. animal. cap. 11. Aurium (ait) aliæ læues, aliæ pilosæ, aliæ medium teuent, quæ quidem ad audiendum aptissimæ sunt. Huiusmodi Augustum habuisse tradit Sucton. in vita illius cap.79.

q *In auribus.*] Plinius lib.9.c.35.& & 11.c.37.

r *In Oriente.*] Plinius postremo illo loco.

s *Sylla.*] Seneca ad Lucilium episto. 11. Sylla (inquit) tunc erat violentissimus, cùm faciem eius sanguis inuaserat. Nam paulò aote dixerat, Quidam ounquam magis quàm cùm erubuerint,timendi sunt, quasi omnem verecuodiam effuderint.

t *Plato.*] Lib.qui Timæus,vel de natura,inscribitur.Aliter tameo Aristot.in libr.Physiognomicōn, si is liber eius est.

u *Tametsi.*] Aristot.in libello de Physiogoomia.

x *In pectore.*] Mactob.lib.1. Saturnal.cap.6. Hincque illud Plauti in Milite glorioso act.3.sce.1.

> *Quique sapit pectus.*

Et in Epidico act.2.sce.2.

> *Sapit hic pleno pectore.*

Illúdque Horatij epist.lib.1.epist.4.

> *Non tu corpus eras sine pectore.*

y *Bullam pendere pro pectore.*] Macrob.vbisuprà, Nonnulli (inquit)credunt ingenuis pueris attributum,vt cordis figuram in bulla ante pectus annecteretur: quam iospicientes ita se demum homines esse cogitarent,si corde præstareot. Festus Pompeius li.2.paulò ante fi. Bulla aurea insigoe erat puerorum prætextatorum, quæ dependebat eis à pectore. vt significaretur eam ætatem alterius regendam consiliō. Dicta est autem bulla à Græco sermone βουλὴ, quod consilium dicitur Latinè.Vel quia eam partem corporis bulla contingat,id est,pectus in quo oaturale manet consilium. Primus autem Tarquinij Prisci filius,quod in prætextæ annis hostem occidisset,aurea bulla donatus est, teste Plinio lib.33.c.1.

z *Genibus.*] Homerus lib.1.Iliados,

> Τῶν νῦν μιν μνήσασα, παρέζεο, καὶ λαβὲ γούνων.

Et lib.6.non multò post princ.

> ἄψορροι δ' ἄρ ἔπειτα λαβὼν ἐλίσσετο γούνων.

Et lib.Ω,siue vlt.

> Γούνων ἀψάμενοι λιτανεύομεν ἂψ ἐς ὄλεθρον.

Et iterum postea,

> χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας

Et lib.7. Odysseæ.

> ἀμφὶ δ' ἄρ' Ἀρήτης βάλε γούνασι χεῖρας Ὀδυσσεύς.
> Ζεῦ τε πάτερ, τά τε γούνατα ἱκάνω πολλὰ μογήσας.

Et

& qui piè exorare aliquid volunt, deorum hominúmque genua amplectuntur, manus apprehendunt, ad genua procumbunt, illáque tanquam sacra supplicit. r venerantur & colunt, in his numen & sedem misetationis esse arbitrati.[a] Quamuis apud Græcorum antiquissimos, in supplicando mentum attingi, & altera manu genua apprehendere, aut [b] oleæ ramum velamenta supplicum offerre, vsurpatum sit. [c] Et apud Molossos cum regis prole ad sacrarium confugisse, eúmque sedentem erexisse: [d] Spartanis, cruda exta in manus obtulisse: [e] Persis, per Solis iubar obtestari, vel manu ignem excipere, & si voto caderet, se in aquam iniecturum interminari: apud [f] Scythas & Latinos [g] populos supplicem in Lare sedere tacitum, abiurationis & maximum supplicandi genus notabatur: sicut [h] Græcis, humi inter cineres considere ad ignem.[i] Erátque Macedonum mos, si quid suppliciter exposce-

Mentum attingere.

ANNOTATIONES.

Et Virgil. lib. 3. Æneidos, vbi de Achemenide:

Dixerat & genua amplexus, genibusque volutans
Hærebat.

Vbi Seruius scribit Physicos genua misericordiæ consecrauisse. Plinius à quo maxima ex parte Alexander hunc locum accepit, lib. 11. c. 45. Hominis (ait) genibus religio quædam inest, obseruatione gentium: hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant, fortassis quia inest iis vitalitas. Ouid. 3. Metamorph.

Ex genibus pronus supplex, similisque roganti.

Claudianus de Raptu Proserpinæ lib. 1.

—— Genibúsque suas cum supplice fletu
Admouere manus.

Diodorus Siculus lib. 17. cap. 1. Thebanus, inquit, repertus est, qui Macedoni alicui, quò vitæ suæ parceretur, supplicaret, aut qui victoris genua humiliter amplecteretur. Liuius 3. Decad. lib. 6. de legatis Syracusanorum loquens. Ad genua se Marcelli consulis proiecerunt, obsecrantes. Et lib. 10. Sophonisba, Syphacis Regis vxor, Masanissam alloquens, Si genua, si victricem attingere manum dextram, precor quæsóque per maiestatem regiam, hanc veniam supplici des &c. Et 4. Decad. lib. 4. Legati vbi hæc audierunt, flentes ad genua Consulis prouoluuntur. Et iterum eod. lib. Deinde suppliciter orantem aduoluúmque genibus audiuit. Apuleius 2 Metamorph. Huius diu manus deosculatus est, & ipsa genua contingens, Miserere (ait) sacerdos. & lib. 8. Visusque nobis cum fletu maximo singulorum iuuenum genua contingens sic adorabat, Per fortunas, vestrósque genios &c. Et lib. 9. Ad commouendam miserationem genua eius velle contingere summissus atque incuruatus &c.

a *Quamuis apud Græcorum.*] Ex Homero lib. 1 Iliad os,

Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα. Id est,
Et ante ipsum sedit, & apprehendit genibus.
Sinistra, dextra autem mento apprehendens.

Apud Euripidem in Hecuba, ipsa Hecuba obiecit Vlyssi, tanquam inexorabili, quòd vultum auerterat ὡς μὴ ψαύσῃ γενειάδος, ne mêtem eius mulcere posset, reflexo capite, néve supplicem admittere cogeretur. Ex quo Plinius lib. 11. cap. 45. Antiquis Græciæ in supplicando mentum attingere mos erat.

b *Aut oleæ ramum.*] Liuius 3. Decad. lib. 4. à quo totus hic locus Alexandri desumptus est, tradit, Hippocratem & Epicidem ramos oleæ porrigentes hostes orare, vt se reciperent ac tutarentur. Et eiusdem Dec. libr. 9. Decem legatos Locrensium obsitos squalore & sordibus in comitio sedentibus Coss. velamenta supplicum, ramos oleæ, vt Græcia mos est, porrigentes antè tribunal cum flebili vociferatione humi procubuisse. Et 5. Decad. lib. 5. de legatis Rhodiorum loquens, Secundum talem orationem vniuersi rursus prociderunt, ramósque oleæ supplices iactauerunt, tandem excitati curia excesserunt. Et huc alludens Virg. 7. Æneid.

Centum oratores augusta ad mœnia Regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donáque ferre iubet, pacémque exposcere Teucris.

Et lib. 8. eiusdem operis.

Pacíferæque manu ramum prætendit oliuæ.

Et lib. 11.

Iámque oratores aderant ex parte Latini
Velati ramis oleæ veniámque rogantes.

Et Lucanus lib. 3.

—— Duránque viri deflectere mentem
Pacifico sermone parant, hostémque propinquum
Orant, Cecropia prælata fronde Mineruæ.

Diodorus Siculus libr. 16. cap. 10. de Sidoniis loquens, Aduenerant ex vrbe quingenti primarij viri, ramis oleæ prætensis ei supplicantes. Hinc Statius 12. Thebaidos, Oliuam supplicem vocat his verbis,

—— Et supplicis arbor oliuæ.

Lactantius interpres ita dicit vocatam, quod per eam supplicando pax fieri soleat. Et hinc quoque Eschylo ἱκτήριοι κλάδοι, supplices rami dicti. Nam Græci ἱκετηρίαν, ramum oliuæ à supplicando vocant. Dionysius Halicarnassæus lib. 1. Aduentantibus autem cum magno exercitu Aboriginibus occurrunt Pelasgi cum oleæ ramis, inermes & supplices. Et iterum de supplicis nauis, habitu loquens Liuius 3. Decad. lib. 10. Haud procul aberat cum velata infulis tamisque oleæ Carthaginēsium occurrit nauis. Idem paulò pòst, Qui cùm ad puppim prætoriæ nauis accessissent, velamenta supplicum porrigentes &c. Nonnunquam tamen oleæ ramus lana in supplicationibus coronabatur, authore Plutarcho in Theseo. Vide Rhodiginum lib. 12. c. 19.

c *Et apud Molossos.*] Thucydides de Themistocle loquens libr. 1. belli Peloponnesiaci non adeò longè à fi. & Plutarchus in Themistocle.

d *Spartanis.*] Herodotus in Clio.

e *Persis.*] Plutarch. in Commentario περὶ πρώτου ψυχροῦ. id est, de Primo frigido, scribit, apud Persas supplicandi modum grauissimum fuisse, & quem reiecisse maximum nefas haberetur, si ignem supplex excepisset: ac si voto excideret, in aquam se coniecturum interminatus fuisset. Proinde, vt subdit, quod petisset cōsequebatur quidem: sed interminationis nomine reposcebatur ad pœnam, quòd præter legem & naturæ rationem esset intentata. Vide etiam de his supplicandi modis Cælium Rhodigin. lib. antiquit. 15. c. 18.

f *Apud Scythas.*] Suidas autem scribit quòd apud Scythas maximum supplicandi genus erat, extenso humi corio bubulo, reiectis in dorsum manibus, desidere.

g *Et Latinos.*] Dionys. Halicarn. libr. 8. in princ. dum loquitur de Martio Coriolano, & Plutarchus in eodem tradunt Coriolanum exilio à populo mulctatum Tulli Actij, Volscorum principis domum ingressum, supplicis modo in foco tacitum aperto capite consedisse.

h *Sicut Græcis.*] Homerus libr. 7. Odysseæ de Vlysse loquens, sic ait,

ὡς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσι
πὰρ πυρί.

Et Apollonius Rhodius Argonauticōn lib. 4.

Τὼ δ' ἄνεω καὶ ἄναυδοι ἐφ' ἑστίῃ ἀΐξαντες
Ἱζανον, ἥτε δίκη λυγροῖς ἱκέτῃσι τέτυκται.

Vbi interpretes dicunt lege sancitum fuisse, vt supplices apud larem sederēt taciti. Húcque pertinet illud quod Plutarch. Problemat. cap. 150. 505. Hos supplices ἑστίους vocae, veluti in Vesta, hoc est lare sedentes. Rhodiginus libr. 15. c. 18. Supplicationis huius meminit.

i *Erátque Macedonum mos.*] Idem & Adrianus Iunius Animaduersorum libr. 2. cap. 11. verùm ipse nullum authorem citat, præter eius morem.

k Non

rent, feminudos, & interiori tantum amictos tunica, obtestari: quod à Romanis quoque vsurpatum meminimos, vt nudo pectore, & deiecta toga ab humeris, deprecentur genu nixi, [k] nonnunquam humi deiecti, quæ infima obtestatio putabatur.[l] Siculorum verò & Græcorum inoaluit mos, squalida veste, capillo & barba promissa, illuuie & squalore obsitos ad miserationem adducere: [m] pedibus quoque obuolui, [n] & humum verrere crinibus, [o] aut passis protensisq; [p] manibus obtestari, præcipuum supplicandi genus fuisse multi prodiderunt: [q] Sicut manus in cœlum tendere, à diis opem exposci, [r] vel puluerem crinibus spargere, intimum doloris signum notabatur. [s] Est quoque in dextra religio. Eam porrigimus, si quid data fide futurum pollicemur: in ipsa enim fidem sacratam Numa [t] Pompilius voluit, sacrúmque Fidei instituit, ad quod flamines curru arcuato manu ad digitos inuoluta, solemni pompa vehi iussit, magno argumento illam in dextris sanctam sacratámque, & propterea mi-

Dextra religio.

ANNOTATIONES.

k *Nonnunquam humi deiecti.*] Id luctus magnum signum erat, vt dicetur posteà lib.3.c.3.

l *Siculorum verò.*] Iustinus lib.4. de his loquens, Denuò legatos Athenas mittunt, qui sordida veste, capillo, barbáque prolixis & omnis squaloris habitu ad misericordiam commouendam, acquisito, concionem deformes adeunt.

m *Pedibus quoque obuolui.*] Auleius lib. 6. Metamorp. non multò post princ. Tunc Psyche pedes eius aduoluta, & vberi fletu rigans deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis multiiugis precibus editis veniam postulabat. Et huc quoque respicit illud Ciceronis in Oratione ad Pop. & Equites Rom. antequam iret in exilium, Oro atque obsecro, quibus sigillatim sæpe supplex ad pedes iacui, vt eum, quem singuli stratum atque abiectum subleuastis, nunc vniuersi conseruatum velitis. Et apud Curtium lib. 3. mater & vxor Darij prouolutæ ad pedes Alexandri, orant, vt sibi liceat patrio ritu Darium sepelire, quem rebantur in acie cecidisse. Cæsar lib. 2. belli Ciuil. de Massiliensibus loquens, Vniuersi, ait, se ad pedes proiiciunt, orant, &c.

n *Et humum verrere crinibus.*] Apuleius vbi suprà. Liuius 1. Decad. libr. 3. non adeò longè à princ. Stant passim matres crinibus templa verrentes, veniam iratum cælestiũ finemque pestis exposcunt. Et 3. Decad. lib. 6. Vndique matronæ in publicum effusæ circa deûm delubra discurrunt, crinibus passis aras verrẽtes, nixæ genibus, supinas manus ad cælum ac deos tẽdentes, orantésque, vt vrbem è manibus hostium eriperent, matrésque Romanas & liberos paruos inuiolatos seruarent. Et Silius lib. 13.

— Nunc perplexis pectora barbis
Verrere humum. —

Et Claudianus in laudem Senecæ paulò ante fi.

— Votisque vocas & supplice crine
Verris humum. —

o *Aut passis.*] Virgil. 3. Æneid.

At pater Anchises passis de littore palmis
Numina magna vocat.

p *Protensis manibus.*] Cæsar lib. 2. belli Ciuilis de Massiliensibus loquens, ad legatos atque exercitum supplices manus tendunt.

q *Sicut manus in cælum tendere.*] Liuius in loco postremo, & præterea Decad. 1. lib. 4. Alij manus ad cælum tendere. Et iterum, Supinas manus ad cœlum ac deos tendentes. Virgil. lib. 3. Æneidos,

— Tendoq; supinas
Ad cælum sine voce manus.

Et alibi sæpe apud authores.

r *Vel puluerem crinibus spargere.*] Tibullus in Argonauticis.

Sed primum multas exponam mente querelas,
Canitiem terra atque infuso puluere fœdans.

Vide omnino infrà lib. 3. cap. 7. Et adde superioribus, quòd apud Assyrios supplicantes membris incuruatis humum penè vultu contingebant, manibus post terga reiectis connexisque, apud Ammianum Marcellinum lib. 18. Et apud Iudæos supplices manum subiiciebant femori eius, cui supplicabatur. Quódque apud Sybaritas & Crotoniatas ad aras in foro erectas, supplicum more confugere ex Diodoro Siculo lib. 12.

s *Est quoque in dextra religio.*] Ex Plinio lib. 11. c. 45. Inest & aliis partibus quædam religio, sicut dextra osculis auersa appetitur, in fide porrigitur. Ex quibus intelligitur hinc locum Alexandri depromptũ. Ex quo & illud Virg. lib. 1. Æn.

— Cur dextra iungere dextram
Non datur. —

Vbi Seruius, Maiorum fuit hæc salutatio, cuius causam dicit Varro, Callimachum sequutus, asserens omnem eorum honorem dexterarum constitisse virtute, ob quam rem hac se venerabantur corporis parte. Hæc ille. Et idem Virgil. lib. 3. Æneid.

Iungimus hospitio dextras ac tecta subimus

Et iterum eod. lib. haud procul à fi. vbi de Achæmenide.

Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus
Dat iuueni: atque animam præsenti pignore firmat.

Id est, vt ibi dicit Seruius, manuum coniunctione, qua firmatur amicitia. Et lib. 4.

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido.

Et eod. lib. 4.

Tum decuit cùm sceptra dabas, in dextra fidesq;
Quem secum patrios aiunt portare penates.

Et lib. 6. de Palinuro,

Da dextram misero, & tecum me tolle per vndas:
Sedibus vt saltem placidis in morte quiescam.

Et libr. 8.

Accepitq; manu, dextramq; amplexus inhæsit.

Et iterum,

— Mihi mens iuuenili ardebat amore
Compellare virum & dextra coniungere dextram.

Et paulò post,

— Iuncta est mihi fœdere dextra.

Et Plautus in Mercatore,

Vxor tibi placita & placata est, date dextras nunc iam.

Ouid. in epist. Phyllidis ad Demophoontem,

Iura, fides, vbi nunc? commissaq; dextera dextra,
Quiq; erat in falso plurimus ore Deus?

Liuius 1. Decad. lib. 1. statim post princ. Dextra data fidem futuræ amicitiæ sanxisse. Et 3. Decad. lib. 5. Præsentisq; coniungere dextram, id pignus fidei secum ferre. Et lib. 6. Inde dimisso conuiuio dextris inter se datis &c. Et lib. 10. Data dextra in id quod petebatur obligandæ fidei. Et paulò pòst, Et Scipionem recordatio hospitij dextræque datæ. Et Statius lib. 1. Thebaidos,

Iam pariter coëant animorum in fœdera dextræ

Vbi & id Lactantius interpres annotat, Probus Æmylius in Themistocle. & Plutarch. in Scipione. Cicero Antoniana 11. Dextræ, inquit, quæ fidei testes esse solebant, perfidia sunt & scelere violatæ.

t *Numa Pompilius*] Liu. 1. Dec. lib. 1. scribit Numam soli fidei solenne instituisse. Ad id sacrarium flamines bigis curru arcuato vehi iussisse, manuque ad digitos vsque inuoluta rem diuinam facere: significantes fidem tutandam, sedemq; eius etiam in dextris sacratam esse. Dionys. autem Halicar. lib. 2. & Plutar. in vita Numæ tradiderunt fidei templum à Numa conditum fuisse: sed de reliquo nihil dicunt. At Seruius enarrans illud Virg. lib. 3. Æneid, supra citatum,

Ad dextram locari. *Dextra authoritas.*

nimè violandam ratus. [u] Apud Persas quoque, si quid firmum illibatúmque volebant, illud dextræ & fidei pignore sanciebant: itaque nihil apud eos fide antiquius fuit. Ad dextram verò locari, præcipuè [x] apud Ægyptios, magnus est honos habitus: in [y] medio vero, maximus. Quod æquè [z] apud Romanos seruatum est. Idem apud Afros, [a] Numidásque. [b] Etiam in dextra magnam viro inesse authoritatem maiestatemq; hoc argumento notari, quum tumultuantem multitudinem dextra compescimus, aut indicere silentium, pacémque manu protenta afferre significamus. [c] Inde nos principum statuas pedestres equestresque ad hoc æui dextra porrecta inspicimus. [d] Marius quoque quum in Romanos maxima clade sæuiret, quos seruare voluit, dextra porrecta, aut salute data, incolumes fecit.

Ad sinistram locabat Cyrus. *Manuum deosculatio.* *Pedum osculatio.*

Refert tamen [e] Xenophon, Cyrum singulari prudẽtia viros adhibitos conuiuas, quò honoratius exciperentur, in sinistra locare solitum, eámque partem velut cordi affinem, digniorem duxisse. [f] Legimus quoque victrices dextras imperatorum, ob fortia facinora milites deosculati, apud Romanos patrij moris fuisse: pedes verò nunquam, nisi quod de [g] Maximino proditur tantâ [h] perfidiâ regnasse, vt in salutationibus sibi pedes osculari siuerit. Tametsi Iulius Cæsar Pomptio Pœno agenti gratias, pedem cum socculo auratoosculandum dedisse legatur. Fuitq; [i] apud Lingones seruatum, vt dextræ effigies hospitij symbolum ferret, & incolumitatis tesseram. [k] Sinistram verò attigisse, ominosum erat, & infortunij loco habitum.

Memoria sedes in ima aure.

[l] In ima verò aure memoriæ sedes locabatur: ideo si quem facti alicuius admonebant, aut attestari in iudicio volebant, imam aurem veteres tangebant: propterea tinnitu ferunt aurium, absentium de nobis sermones præsentiri. Quare [m] Ægyptij qui per notas & figuras sensus effingunt, [n] si quem memorem significabant, leporem aut vulpem auritis auribus, quod summi essent auditus & insignis memoriæ, effingebant: [o] si verò malum, crocodilum: [p] si velocem, accipitrem: [q] si inuidum, anguillam, quod cum piscibus esset insociabilis: [r] si iustum, oculum: [s] si liberalem, dextram manu n digitis passis: si auarum, iisdem compressis marmori insculpebant. Etiam cum veniam sermonis à diis poscimus, proximo à minimo digito secus aurem locum Nemeseos

ANNOTATIONES.

Dixerat & genua amplexus. ——— scribit dextram fidei consecratam esse.

u *Apud Persas.*] Diodorus Siculus lib. 16. c. 10. Probus Æmylius in vita Datami non longè à fine. Fidémque, inquit, de ea re more Persarum dextra dedisset. Admonitionem eam, ait, Rex secum voluens resipuit, apparitoribúsque reuocatis, dimisso Thessalioni dexteram porrexit: quæ res apud Persas pro firmissima fide habetur.

x *Apud Ægyptios.*] Qui id, vt alia plurima, acceperunt ab Hebræis, quibus ad dexteram locari honoratius erat, vt latè probamus in nostris Cõmentariis Primigeniorum in præfatione nu. 13. & multis seq.

y *In medio verò maximus.*] Vide omnino quæ nos scripsimus in d. illa præfatione. nu. 116. incip. hoc intellige & seq.

z *Apud Romanos.*] De quo & nos latè diximus dict. num. 116. & seq.

a *Numidasq.*] Sallustius in Iugurtha tradit Hiempsalem dextra ad Adherbalem assedisse, ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret.

b *Etiam in dextra.*] Statius libr. 1. Syluarum de equo Domitiani,

Dextra vetat pugnas, leuam Tritonia virgo
Non grauat.

Ouidius lib. 1. Metamor. de Ioue loquens,

— Qui postquam voce manuq;
Murmura compressit, tenuere silentia cuncti.

Lucanus de Cæsare lib. 1.

Compositus vultum, dextraq; silentia iussit.

Persius satyra 4.

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus. ———

c *Inde nos.*] Inde est quod Dionys. Syracusanus victorias aureas & pateras, & coronas, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat. Val. Max. lib. 1. c. 2.

d *Marius.*] Vide Plut. in vita ipsius & Appianum.

e *Xenophon.*] In Pædia Cyri lib. 8.

f *Legimus quoque.*] Plutarch. in Catone Vticensi.

g *Maximino.*] Iuniore scilicet (duo enim fuere, pater & filius) ex Iulio Capitolino in eius vita.

h *Tantâ perfidiâ.*] Superbiâ, aut aliud simile dicendum est: neque enim nomen perfidiæ hic conuenit.

i *Apud Lingones.*] Cornelius Tacit. lib. 17. Miserat, inquit, ciuitas Lingonum vetere instituto dona legionibus dextras hospitij insigne. Sed & aliis gentibus id moris esse, satis declarat illud Virgilij libr. 3. Æneidos à nobis suprà citatum.

Iungimus hospitio dextras.

k *Sinistram verò.*] Eadem scribit Cælius Rhodiginus libr. 15. c. 19 sed nullum, more suo, citat authorem.

l *In ima verò aure.*] Plinius lib. 11. cap. 45. Seruius autem in Virgil. Ecloga 6. in princ. & lib. 3. Æneidos ibi,

Dixerat & genua amplexus &c.

Scribit aures memoriæ consecratas. Hinc autem prouerbium, Aurem vellere. de quo Erasmus chil. 1. centu. 7. c. 40. Cui adde illud Senecæ de morte Claudij Cæsaris, Ad hoc velle accessit Hercules & aurem ei tetigit.

m *Ægyptij.*] Cornelius Tacitus lib. 11. aliàs 14. Primi per figuras animalium Ægyptij sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur, & literarum semet inuentores perhibent. Et Lucanus lib. 3.

Nondum flumineas Memphis contexere byblos
Nouerat: & saxis tantum, volucresq; feræq;
Sculptaq; seruabant magicas animalia linguas.

Plin. lib. 36. c. 8. Etenim sculpturæ, aut, vt alij legunt, scalpturæ illæ effigiésque, quas videmus Ægyptiæ sunt literæ. Apuleius lib. Metamor. 11. eodémque vltimo. De opertis adytis profert quosdam libros literis ignorabilibus prænotatos: partim figuris huiuscemodi animalium concepti sermonis compendiosa verba suggerentes: partim nodosis & in modum rotæ tortuosis, capreolatimque condensis apicibus, à curiositate prophanorum lectione munita.

n *Si quem memorem.*] Orus autem Apollo scribit Ægyptios, si quod patens significare volunt, leporem pingere: id enim animal oculos semper apertos habet.

o *Si verò malum.*] Diodor. Siculus Ægyptios id ab Æthiopibus accepisse scribit lib. 4. c. 1.

p *Si velocem.*] Diodorus vbi suprà.

q *Si inuidum, anguillam.*] Idem propemodum Pierius in Hieroglyphicis lib. 29. sed nullo quoque authore comprobante.

r *Si iustum, oculum*] Diodorus vbi suprà.

s *Si liberalem, dextram.*] Hic, si liberum, videtur legendum ex Diodoro, vbi suprà, cùm scribit, Reliquarum corporis

partium

tangere, & os obſignare ſolemus, in eo [t] venam quandam tenuiſſimam vſque ad ima cordis penetrantem, peruagata opinione arbitrati. [u] Ideo in ſponſalibus & ſolemni die nuptiarum, digitum minimo proximum annulo excolebant, & velut pignus amoris præcipuum ducebant, vt is in ſummo honore foret, quo duce mutuus amor vſque ad cordis ima penetraret. Sed meminiſſe par eſt, [x] hunc annulum nuptialem, non ex auro, ſed ferro veteres coniugibus dono dare conſueſſe: quem quidem prior ætas [y] in ſiniſtra ferebat, crediderim, ne vſu attereretur, quod erat proprium nuptialis annuli: reliquos verò, ſiue ex ferro, ſiue auro, quacunque manu deferre licuiſſe, eiſque veteres non ornatus, ſed ſignandi cauſa vſos fuiſſe, [z] populúmque Romanum ſine hoc inſigni longo tempore ſtetiſſe: ſolitúmque primò legatis ad exteras gentes profecturis, annulum aureum velut inſigne munus dari: hique foris aureo, domi ferreo vtebantur. Poſtea iudicibus & equeſtri ordini, [a] hiſque quibus & auo paterno ſeſtertia CCCC. cenſus fuiſſet, ferreos [b] primùm annulos, deinde aureos dari cœptum: quo inſigni equeſter ordo à ſenatorio, diſcretus noſcebatur. Idémque Lacedæmoniis in vſu fuit, quibus ferrei annuli frequentes fuere. [c] Moriſque fuit aureos annulos in luctu & funeribus, funeſtiſque caſibus reipub. deponi, & ferreos ſumi. Scilicet arbitrati ſine auro in luctu eſſe oportere, in quibus Imperatorum & Principum, aliorúmque quos colebant, & præcipuo honore proſequebantur, aut maiorum imagines effictas exculptaſque habebant: [d] Primi enim, ſaxi fragmentum ferro incluſum gemmæ loco geſtaſſe feruntur: [e] ſuperior Africanus ſardonychem, quòd ſola gemmarum ceram non auferret, [f] Polycratis annulo celebratam. Lentulus aui figuram, Africani filius patris effigiem inſculpſit annulo. [g] Auguſtus Octauius Sphingis, mox imagine Magni Alexandri, nonnulli [h] Harpocrate & Ægyptiis diis vſi ſunt. Notaque eſt Pyrrhi [i] gemma, in qua Apollo & Muſæ cum ſuis inſignibus non efficta, ſed natiua ſpecie viſebantur. [k] Et annulus Syllæ, in quo traditus Iugurtha inſculptus. Celebratur quoque rana [l] Mecœnatis, & enſifer leo [m] Magni Pompeij in gemma: [n] & Seleuci annulus fatalis, in quo anchora effiGta viſebatur, cuius imago in femore poſteris familiæ natiua apparuit: [o] ſicut Thebis habere lanceam, genitiuis notis Satorum nomini & familiæ datum erat: Inter quos fertur in braechio [p] Dacorum, notam originis quarto quoque partu regenerari. [q] Et Auguſtus corpore maculoſo in modum & ordinem cæleſtis vrſæ notas habuiſſe. Præ cæteris autem magnis effertur laudibus [r] Nonij ſenatoris annulus gēma XX. millibus ſeſtertiis taxata, propter quam ab Antonio proſcriptus fuit. Proditúmque memoriæ eſt, [s] Macrianorum familiam hoc habuiſſe pro-

Digitus à minimo proximus. Annulus nuptialis.

Annulos qui initio geſtabant.

De hac re infra c.29. huius libri.

Gemmarum vſus in annulis vnde.

Notæ genitiuæ.

Nonij ſenatoris annulus.

ANNOTATIONES.

partium dextra manus, digitis paſſis libertatē deſignat. niſi ibi, liberalitatem legendum ſit. Subdit autem, Siniſtra verò compreſſis tenacitatem atque auaritiam. Ex quo intelligis non rectè Alexandrum accepiſſe ſenſum Diodori.

t *In eo venam.*] Gellius lib.10.c.10. Macrobius lib.7.cap.13.

u *Ideo in ſponſalibus.*] Ambroſius in lib. de patriarchis. & in can fœminæ.30.q.5. ad fin. Vnde, inquit, & quarto annulus digito inſeritur, ideo quia in eo vena quædam (vt fertur) ſanguinis ad cor vſque perueniat. Alia etiam ibidem datur ratio quare & velentur fœminæ dum maritantur, & cur annulus à ſponſo ſponſæ detur.

x *Hunc annulum nuptialem.*] Plin. lib.33.c.1.

y *In ſiniſtra.*] Plin. vbi ſuprà, non longè à princ. Manus & prorſus ſiniſtræ maximam authoritatem conciliauere auro, non quidem Romanæ, quorum more ferreum id erat & bellicæ virtutis inſigne.

z *Populumq́; Rom.*] Idem Plin. eod. c. non vno in loco.

a *Hisq́; quibus.*] Plin.lib.33.c.2. cuius hæc verba ſunt, Hac de cauſa conſtitutū, ne cui ius id eſſet, niſi cui ingenuo ipſi patri, auóque paterno ſeſtertia CCCC. cenſus fuiſſet & lege Iulia theatrali in 14. ordinibus ſedendi.

b *Ferreos primùm annulos.*] Ex Plin. d. lib.33.c.1.

c *Morisq́; fuit.*] Suetonius in Auguſto c. 100. Alij, inquit, exequiarum die ponendos annulos aureos ferreóſque ſumendos. Liuius 1. Decad. lib.9. tradit Romanos audito Cādinæ pacis nuncio aureos annulos poſuiſſe.

d *Primi enim.*] Lege, Primum enim. Idque Plinij eſt in fin. prooemij cuius hæc ſunt verba, Primúmque ſaxi huius fragmentum incluſum ferro ac digito circundatum, hoc fuiſſe annulum & hoc gemmam.

e *Superior Africanus.*] Plin. lib.37.c.6.

f *Polycratis.*] De qua Herodotus libr 3. & Plinius lib. 33. c. 1. & 37. c. 1. non ſemel.

g *Auguſtus Octauius.*] Plin.lib.37.c.1. Suet. in Auguſt. c.50.

h *Nonnulli Harpocrate.*] Plin.lib.33.c.3 Iam verò (inquit) etiam Harpocratem, ſtatuáſque Ægyptiorum numinum, in digitis viri quoque portare incipiunt.

i *Pyrrhi gemma.*] Plin.lib.37.c.1. & Solinus cap.11. Marbodæus Solinum imitatus, ſic ait,

Rex Pyrrhus digito geſſiſſe refertur Achatem,
Cuius plena nouem ſignabat pagina Muſas,
Et ſtans in medio cytharam tangebat Apollo,
Natura non artis opus, mirabile dictu.

k *Annulus Syllæ.*] Plin. d. lib. 37.c.1. Plutarch. in vita Syllæ & Marij & Val. Max. lib.8.c.15.

l *Mecœnatis.*] Plin. vbi ſuprà. Vide Leonicenum Variæ hiſtoriæ lib. 2. c. 20.

m *Magni Pompeij.*] Plutarch. in vita illius in fi. vbi machærophorum hunc, qua dictione Græca vſus eſt Cicero Epiſt. ad Q. Fratrem lib.2. epiſt.8. cùm dicit Machærophoris centum ſequentibus, miros riſus nos edere.

n *Seleuci.*] Clemens Alexandrinus Pædago c. 11. Iuſtinus libr. 15. Auſonius in vrbium catalogo vbi de Antiochia & Alexandria. Vide & noſtros Commentarios Nobilitatis c. 6. num.10. incip. nec illud.

o *Sicut Thebis*] Iuſtinus d. lib.15.

p *Dacorum.*] Plin. lib.7.c.11.

q *Et Auguſtus.*] Sueton. in vita illius c. 80.

r *Nonij ſenatoris*] Plin.lib.37. c. 6. Siquidem extat hodieq; huius generis gemma, propter quam ab Antonio proſcriptus Nonius ſenator eſt, filius Strumæ Nonij eius, quem Catullus poëta in ſella curuli viſum indignè tulit: auúſque Seruilij Noniani, quem conſulem vidimus illéque proſcriptus fugiens, hunc è fortunis ſuis omnibus annulum abſtulit ſecum, quem certum eſt ſeſtertiis viginti millibus æſtimatum. Sed mira Antonij feritas atque luxuria propter gēmam proſcribentis. Nec minor Nonij contumacia proſcriptionem ſuam amantis, cùm etiam feræ abroſas partes corporis relinquant, propter quas ſe periclitari ſciant. Quæ poſtrema verba dixit propter Caſtoreum, qui vrgente periculo teſtes ſibi amputat, non ignarus ob hoc ſe peti. idem Plin. lib.8.c. 30.

s *Macrianorum.*] Trebellius Pollio in vitis triginta tyrannorum, vbi Quieti vitam deſcribit.

prum, vt magni Alexandri imagines tam viri quàm fœminæ in annulis deferant, & reliqua supellectile effictas. [t] Ipse tamen, deuicto Dario, quas destinabat in Asiam literas, Darij annulo imprimebat: quas verò in Europam, suo. Quibusdam verò Epicuri [u] imagines non in annulis modò, sed & poculis habere, magnæ curæ fuit, hoc fausti ominis generi & nomini suo esse arbitrati [x] Claudij verò Cæsaris principatu compertum est, non gemma signare, sed auro: [y] quòd violare signis gemmas nefas ducerent. Quomodo [z] Commodus Imperator signo Amazoniæ signasse dicitur, donec secutis temporibus passim id insigne appeti cœpit. Annulorúmque frequens vsus fuit & promiscuus, ita vt Romani [a] milites sine delectu, & demum [b] libertinæ conditionis homines, [c] quinetiam fœminæ & extrema mancipia, quod antea non licuit, annulorum aureorum iure donarentur. [d] Qui enim libertus eo munere donatus erat, velut ingenuus censebatur, viuens ita vt haud secus quàm quiuis liber, [e] magistratus & honores gerere, & reliqua ingenuorum munia obire posset: [f] morte autem obita, hæreditatis & bonorum partem, vt quilibet libertus & seruitute exemptus patrono dare cogebatur. Erátque constitutum, vt qui libertus annulo donaretur, exploso veteri nomine, equestre assumeret. [g] Apud Persas verò donari annulo à rege, amicitiæ signum erat, eo argumento illos in intimam sodalitatem, & vinculum maximi fœderis admittere significantes. Atheniensibus autem, etiam seruis nequissimis ferreo annulo signare permittitur: sicut [h] Babyloniis, qui annulo signatorio vtuntur omnes. [i] Apud Cattos licet fortissimus quisque annulum ferret, ignominiæ hoc ducebatur loco tanquam vinculo nexus foret, nisi aliqua hostili cæde eo se exoluisset. [k] Carthaginenses pro numero expeditionum milites donabant annulis pluribus. Nec fuerit alienum meminisse, [l] Heliogabalum singulis diebus nouos variasse annulos, eundémque nunquam bis induisse. Atque [m] Apollonium Tyaneum annulos ab Iarcha dono datos, instar numinis habuisse, ita vt singulis diebus per vices variatis, maximorum secretorum particeps fieret, Sed quia [n] de Harpocrate mentio facta est, non omittendum, hunc Deum inter numina Ægyptiorum reputari, qui ex Isi & Osiride natus, quoniam præmaturo partu editus erat, tanquam mutus & elinguis, præsul silentij & taciturnitatis habitus est: ideo digito obsignante ora effingebatur. [o] Fuitque animaduersum, hunc Harpocratem, Serapidem, & Isim, Pisone & Gabinio consulibus, quum reliquos in capitolium admisissent Deos, euersis illorum aris Romanos exegisse, illosque diuinis coli honoribus vetuisse: sæpeque actum in senatu fuisse, de [p] Ægyptiorum & [q] Iudæorum sacris cæremoniisque vrbe pellendis, quòd turpium religionum & nouarum superstitionum causa & seminarium forent. [r] Athenienses verò Serapidem à Ptolemæo acceptum, non solum in vrbem introduxere, sed magnis percoluere honoribus, cuius [s] templa in Memphi vetustissima visuntur, ad quæ nec peregrino, nec sacerdoti, prius quàm Apim sepelissent, ingredi fas erat.

Epicuri imago in annulis.

Annulorum aureorum iure donatus libertus habebatur ingenuus, ac nomen mutabat.

Apud Persas à rege donari annulo.

Heliogabali in annulorum vsu luxus.

Harpocrates.

ANNOTATIONES.

t *Ipse tamen &c.*] Hæc superiùs sunt dicta fusè.

u *Epicuri*] Plin.lib.35.c.2. Idem (ait) palæstras athletarum imaginibus & ceromata sua exornant & vultus Epicuri per cubicula gestant ac circumferunt seruum. Adde autem supradictis Clearchi Lacedæmonij signo incisas fuisse Cariatides saltantes, vt tradit Plutarchus in Artaxerxe. Et Athenionis Atheniensis tyranni annulo Mithridatis apud Athenæum lib.5.c.11.

x *Claudij.*] Plinius lib. 33. c.1.

y *Quod violare.*] Idem Plinius ibid.

z *Commodus.*] Iulius Capitolinus in vita Claudij Albini post princip. vbi inserit literas quibus ad ipsum Albinum Claudius scripsit signo Amazoniæ, vt dicit, signo signatas. Ante hunc tamen Nero Amazoneum signum detulit, & paulò ante C. Sestius, consularis vt refert Plin.lib.34.cap. 8. post princ. Superioribus autem adde Ptolemæum, tertium Ægypti Regem, Vlyssis imaginem in sigillo gessisse, vt tradit Euphantes lib.4. Historiarum, & ex eo Athenæus lib. 6. c. item 6. Et Aristomenem Agathoclis imaginem in annulo apud Polybium gessisse lib.15.

a *Romani milites.*] Herodianus tamen lib.3. tradit Septimiũ Seuerum Imperatorem omnium primum militibus permisisse aureis annulis vti.

b *Libertinæ conditionis.*] Papinianus in l.1.ff.de iure aureor. annulorum.

c *Quinetiam fœminæ.*] Vlpianus in l.etiam fœminæ.eodem titul.

d *Qui enim libertus.*] Paulus in l.qui ius.eod.tit.& Vlp.in l. vlt. eod quinque tit: Vide tamen l.2.C.eod.tit.

e *Magistratus & honores.*] Vt scribitur in l.1. in princ. C. ad l.eg. Visel.

f *Morte autem obita.*] Vt cauetur in d.l.qui ius.

g *Apud Persas.*] De hoc dictum est supra lib.1. c.26.

h *Babyloniis.*] Herodot.lib.1. qui Clio inscribitur.

i *Apud Cattos.*] Tacitus in lib.de Morib.Germanorum.

k *Carthaginenses.*] Aristo.lib. 7.Politicõn c 2.

l *Heliogabalum.*] Lampridius in vita illius

m *Apollonium Tyaneum.*] Philostratus in vita Apollonij lib.3.cap.13.

n *De Harpocrate.*] De hoc Catullus epig.59.& alibi Ouid. lib. 9 Metam.inquiens de Ægyptiorum diis,

Quiq; premit vocem digitoq; silentia suadet.

Plutarch.in lib.de Iside & Osiride, cuius maxima ex parte hæc sunt. Ausonius epist.9.ad Paulinum. Harpocrates Deus ita apud veteres fingebatur, vt digito admoto ori silentium indiceret, qualis & apud Romanos dea Angerona.

o *Fuitque animaduersum.*] Ex Tertulliano in Apologetico cap. 6.

p *Ægyptiorum.*] Seruius in illud Virgilij libro 7. Æneidos,

Necdum etiam geminos à tergo respicit angues,
Omnigenumq; deûm monstra. —

Idem, inquit, monstra dicit, quia sub Augusto necdum Romani Ægyptia sacra susceperant. Et vide versu seq.

q *Et Iudæorum.*] Idem Seruius super eum locum Virgil. libr. 8.

— *Veterúmne ignota deorum.*

Cautum (ait) fuerat apud Athenienses & Romanos ne quis nouas introduceret religiones. nam & ideo Socrates damnatus est Athenis, & Chaldæi & Iudæi vrbe expulsi sunt.

r *Athenienses verò.*] Pausanias lib.1. qui de Atticis est.

s *Cuius templa.*] Totum id Pausaniæ est vbi suprà.

Quibus

Quibus finibus, quaq; mensura iter, actus. aut via constent, & quid pes, cubitus, palmus, iugum. diplethrum, stadiúmue sit. CAPVT XX.

PRÆDIORVM rusticorum seruitutes apud iureconsoltos, qoi iura finium, possessionum, aquarum, itinerúmque notanetunt, has esse nonimnsa: Iter, Actum, Viam, & Aquæductū, Iter esse constitit ius eundi per fundum alienum hominis tantùm: Actum, hominis & iumenti: Viam verò, hominis, iumenti, & vehiculi. Sed qoa mensura, quáque finitione iter, actus, aut via constet, nec expositè, nec satis apertè illorum documentis traditur. Quum verò in nonnullorum authorom lectione versaremur, qui hæc compertius tradiderunt: inuenimus lege duodecim tabularum, viam in porrecto, octo: in anfractu, pedum sexdecim constitui: illiusque dimidium, hoc est pedes qoatuor, actui tribui debere. siquidem actus latitudinis [a] pedum quatuor, longitudinis pedum viginti [b] supra centum definitus est: [c] iter verò, dimidium quod actus, hoc est, pedes duos tantum latitudinis habet: etenim quum [d] palmus ex quatuor digitis constet, proot Sidonius & alij metiti fuere: isq; quater multiplicatus pedem efficiat, ex quatuor palmis, hoc est digitis sedecim, pedem constare nemo dubitauit. Nonnulli [e] licham quatuor digitorum, palmum verò (qui spithama dicitur) duodecim effecerunt. [f] Est autem spithama, mensura manus expansæ à magno digito ad minimum, quantum protenditur palma. Sed si pollicem tantum explices & indicem, lichas nuncupatur. Maior verò spithama in doodecim partes diuisa, duos efficit pedes & quadrantem. [g] Passum verò nonnulli quinque, alij sex pedum, siue quatuor cubitorum descripsere. Pes autem cum dimidio, cubitum facit: illum namque ex sex palmis, hoc est, quatuor & viginti digitis confici, [h] ægyptiúmque cubitum Samo parem esse, consentiunt omnes. [i] Regius verò cubitus, quàm commonis, tribus digitis habetur, maior. Si aotem ambas explices manus, & in longum protrahas à pectore linea deducta, [k] vlna dicitur. Rursus qui mensuras & interualla scrutati sunt, duos actus quadratos [l] iugerum efficere volont. Iugerum enim dixerunt, quod iugo boum vna die exarari posset: qui iugeri modus in longitudinem 40. & 200. pedibus: in latitudine vero, centum viginti definitur. [m] Actus verò quadratus ita præfinitus est, vt ex quoquo latere pedes centum viginti efficiat. Hunc nonnulli [n] plethrum, nam duo plethra singulis iugeribus tributa sunt: duo iugera, [o] diplethrum: diplethrúmque, stadij tertiam partem esse, atque ex sex iugeribus [p] stadium effici voluerunt. Quod quidem plethrum nonnulli longitudinis pedum centum definiere. Iugerique partem minimam, [q] scrupulum dici, qui decem pedum longitudinis simul & latitudinis habet. Communi tamen dimensione, stadium passibus centum vigintiquinque: [r] diaulon vero mille, & ducentis pedibus longitudinis metiri solent. Græci tamen curricula stadiorum, ducentis passibus in tertis Græciæ communiter fecere. Sunt qui

Inst. de seru. in princ. Iter. Actus. Via. Alciat. in l. Mille passus & l. quantū. ff de verb. sig. Actus. Iter. Palmus. Lichas. Palmus. Lichas. Spithama maior. Passus. Pes. Cubitus. Cubitus Ægyptius. Cub. regius. Vlna. Iugerū. Iugum. Actus quadratus Plethrum. Diplethrum. Stadium Scrupulus. Diaulus

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

ID initium vsque ad clausulam, Sed qua mensura. est ex §. 1. Instit. de seru. rust. præd. Seruius autem in lib. 4. Æneid. enarrans eum locum,

Castigatq; moras opere omnis semita feruet.

Semita (inquit) est semis via. via autem actus dimidius, qua potest ire vehiculum. nam actus duo capit, præter euntiū & venientium & vehiculorum occursus. Vide Varro. lib. 4. de ling. Lat. Quà (inquit) agebant, actus: qua vehebant, viæ dictæ: quò fructus conuehebant, villæ: quà ibant, ab itu iter appellarunt: quà angustè, semita, vt semiter dictum. & l. si ex plagis. §§. tabernarius. ff. ad leg. Aquil. & l. 1. & inter actum. ff. de ser. rust. præd. & l. 2. ff. ne quid in loc. pub. & Alciatum nostrum in l. quantum. ff. de verb. sign.

a *Pedum quatuor.*] Fest. Pompeius lib. 1.

b *Viginti supra centum.*] Idem io eod. loco & ante eum Plinius lib. 18. c. 3. statim post princ.

c *Iter verò.*] Rectè quidem secundum hanc computationem. Verùm hoc pacto via, non tam ex præsumpta mente paciscentium quàm ex vi & proprietate verbi sese latius extendit actu: quod non tantùm defioitioni Vlpiani repugnat, sed. & Modestino in l. inter actum. de ser. rust. præd.

d *Palmus.*] Loquitur de minori, quem Græci παλαιστὴν appellant. In mensuris verò hoc modo progredi solemus, vt omnium mensurarum minimam faciamus latitudinē grani hordei: hoc autem quater sumptum confirmat digitum: tres digiti, vnciam: quatuor palmum minorem, de quo hîc agitur.

e *Licham.*] Pollux Onomasticon libro 2. ἀπὸ τ̃ διὰ χειρὸς μέτρων.

f *Est autem spithama.*] Plin. lib. 7. c. 2. hanc dodrantem appellat. Supra hos, inquit, extrema in parte montium spithamei Pygmæi narrantur, ternas spithamas longitudine, hoc est ternos dodrantes non excedentes. Vide Pollucem vbi suprà. Budæum de Asse lib. 5. Erasmum Chil. a centu. 2. c. 69. Marcellum Virg. in Diosco. lib. 3.

g *Passum.*] Herod. lib. 2.

h *Ægyptiumq; cubitum.*] Herod. ibi non multò ante fi.

i *Regius verò cubitus.*] Idem Herodot. lib. 1. in descriptione Babylonis.

k *Vlna dicitur.*] Seruius in 3. Eclo. Virg. Alij tamen aliter apud eundem lib. 3. Georg. ibi,

— *Septemq; assurgit in vlnas.*

l *Iugerum.*] Varro de Re rust. lib. 1. c. 10. & de ling. Lat. lib. 4. Columella lib. 5. c. 1. Plin. lib. 18. c. 3. in prin. vt tamen non omittas Varrooem vbi suprà primo loco noo iugerum, sed iugum vocare.

m *Actus verò.*] Plinius vbi supra proximè & Varro libr. 4. Actus finem minimum in latitudinem scribit esse pedum quatuor. Vide latius Franc. Hotomanum Iuriscon. in tit. 3. lib. 2. Inst. § 1.

n *Plethrum.*] Suidas id dicit esse mensuram centum pedum, quod statim dicet Alexander. Laurentius autem Valla apud Herodotum lib. 2. Plethrum vertit iugerum.

o *Diplethrum.*] Strabo lib. 7.

p *Stadium.*] Herodot. lib. 1. & 4. dicit ducena stadia esse iter vnius diei. & lib. 2. Centum autem (inquit) iusti passus sunt stadium vnum. Vide Plin. lib. 2. c. 23. in prin. & Gell. li. 1. c. 1.

q *Scrupulum.*] Varro lib. 1. c. 10. Columella lib. 5. c. 1.

r *Diaulon verò.*] Vitruuius lib. 5. c. 11. in princ. dicit δίαυλον habere duorum stadiorum ambulationis circuitum. Interpres Aristophanis δίαυλον nomine locum intelligit duo stadia continentem aut ducentorum cubitorum mensuram.

Hippicũ. Mille passus. Attica siticulosa. Dolichus. Scrupulus. Sextula. Siciliquum. Semũcia. Vncia. Parasanga. Stathmus. Chœnix. Medimnus. Modius. Modiolus. Culleus. Vrnariũ. Amphora. Cadus. Metreta.

tradant stadium quater multiplicatum, [s] hippicum: octies vero, † mille passus efficere. Tametsi hippicum, mensuræ genus esse multi contendant: quippe quum omnis fere Attica siticulosa sit, & effossis vtatur puteis, [t] Solon lege sanxit, vt ex publico puteo, ne homines sitirent, ad hippicum haurire liceret. In spatiis verò, sicut quatuor hippicum, sic duodecim stadia [u] dolichum efficere haud dubiè liquet. Ex hoc igitur tanquam ex fonte si quis metiri volet, & vlterius progredi contin ua spatia addendo, in infinitum vsque procedet. Siquidem ex scrupulo ad sextulam, & à sextula ad siciliquum, & inde ad semunciam, & demum ad vnciam, & vltra progredi posset. Etenim decem pedes quum vndique quadrant, [x] scrupulum efficiunt. Ex tribus vero scrupulis, hoc est, pedibus triginta, [y] sextulam effici. eam vero sextam partem opinantur vnciæ, est enim æris minima pars. Sex autem scrupulos [z] siciliquum conficere, qui vnciæ quartam efficit partem, drachmas scilicet duas: & ex duobus siciliquis, id est, duodecim scrupulis, semunciam: necnon ex quatuor & viginti scrupulis vnciam effici volunt. Sed præter hæc fuerunt [a] parasanga & [b] stathmus. Hanc parasangam multi sex triginta conficiunt stadiis. Stathmum vero, quatuor parasangas penè conficere, haud dubium esse, ita vt ex centum viginti stadiis stathmu n effici dicerent, & hunc quindecim milliarium spatij efficere. Persæ vero schœnos & parasangas diuersis efficiunt modis: quippe Persicam parasangam alij sexaginta stadiorum, nonnulli ex trecentis quadraginta efficere, prout cuique commodum fuit, & pro voluntate. Mensurarum vero alius modus est. Nam quatuor [c] chœnices modium faciunt, chœnica [d] semodium. [e] Medimnus autem ex sex modiis constat, [f] Atheniensis vero ex septem, qui duas amphoras & nonaginta sextarios parit: [g] Modius, duo & viginti sextertia: [h] modiolus, quartam modij habet. [i] Culleus viginti amphorarum capax est: [k] vrnarium, quadraginta: octo [l] autem congij, amphoram efficiunt, Sed tamen [m] amphorarum aliæ minoris mensuræ, vt Italicæ: aliæ duplo maioris, vt Antiochicæ censentur. Italica enim vrnarum duarum fuit, Attica trium, quæ [n] cadus & [o] metreta dicitur. Cadum

ANNOTATIONES.

Vide Pausaniam lib.2.& 4. & Pollucem lib. 3. ἐπὶ δ᾽ ἱππικῶ γυμνικῶ.& infra lib. 3.21.Budæum in annotat. in Pand.

s *Hippicum.*] Plutarch. in Solone & in Fab.Max.

† *Mille passus efficere.*] Plutarch. in Gracchis dicit paulò minus.

t *Solon.*] Idem Plutarch. in vita illius.

u *Dolichum.*] Suidas 24.stadiorum esse dicit. Budæus in annota. in Pand. in tit. de iis qui not. infa & si mensor fal. mod. dix. dicit dolichum longissimum cursum esse stadiorum 12. vnde dolichodromi qui sexies, vt quidam putant, stadium curriculo obibant, Vide Marc. Virgilium in Dioscoridem lib. 2.

x *Scrupulum efficiunt.*] Varro Rei rust. lib.1.c.10.

y *Sextulam.*] Cicero in oratione pro Cecinna non obscurè ostendit sextulam esse tertiam partem semunciæ & sextam vnciæ, cum diuidit hæreditatem, id est assem in deuncem, semunciam & tres sextulas. Facit, inquit, hæredem ex deunce & semuncia, Cecinnam ex duabus sextulis, M. Fulcinium libertum superioris viri, Ebutio sextulam aspergit. hoc hæreditatis totius partem 82. Columella lib. 5.c.1. Pars 72. pedes 400. hoc est sextula in qua sunt scrupula quatuor.

z *Siciliquum.*] Vide Plin. lib.13.cap.13. Budæus in de Asse. l.1. Post hæc, ait, sequitur drachma, octaua pars vnciæ, quæ ipsa geminata siciliquum efficit. Scæuola in l. liberto suo. §. filiũ. ff. de an. leg. Cùm nouerca, ait, vniuersæ hæreditatis habeat dodrantem, semiunciam & siliquam.

a *Parasanga.*] Budæus Herodoti testimonio lib.2. post prin. probat fuisse triginta stadiorum. Vide Xenophon. Pædiæ Cyri lib.2.& eundem Herod. lib.5. iterúmque 6.

b *Stathmus.*] Mensuræ Geometricæ genus, apud Persas maximè vsitatum, vt videre est apud Herod. lib.5. Plin. lib.6.c. 25. non multò ante fi. Strab. lib.11. Fest. Pomp. lib.14.

c *Chœnices.*] Bud. in de Asse li.5. Chœnix sextarios quatuor continet, de quo est illud Pythagoricum ænigma, Super Chœnice non sedendum. quo significatur de crastino cogitandum esse, & ociosam vitam esse eliminandam.

d *Semodium.*] Herod. lib.6.& 7. Columel. lib.2. c.11. Quòd eadem quatuor modis, nonnunquam & tribus, interdum etiam duobus ac semodio iugerum occupat. Iuuen. saty.14.

Semodio scobis hæc emundat seruulus vnus.

e *Medimnus.*] Budæo teste senos capit modios. Herod. vbi suprà. Priscianus, siue is est Rannius Fannius Palemon, siue alius, in bello de Mensuris,

Amphora fit cubus, quam ne violare liceret,
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte quirites.
Huius dimidium fert vrna, vt & ipsa medimnum.

f *Atheniensis.*] Cornelius Nepos in vita Pomp. Attici.

g *Modius.*] Varro lib.2. de Re rustica. & Budæus in Asse.

h *Modiolus.*] Pro Vase potorio posuit Plautus in Cistellaria actu 6.

Quia ei promisi modiolum vini dare.

Et Scæuola noster in l. Seiæ. ff. de auro & arg. leg. interdum etiam ponitur pro vasculo ad hauriendam aquam ex puteo, aut lacu, aut flumine. vt in l. damni infecti. 2. ff. de damno infecto.

i *Culleus.*] Plin. li.14.c.14. Priscianus in libello de mensuris,

Est & bis decies quem conficit amphora nostris,
Culleus, hoc nulla est maior mensura liquoris.

Vlpianus de fun. instr. l. quæsitum. & Scæuo. in l. legatum. ff. de ann. leg. Est præterea culleus mensura frumentaria tantundem capiens. Scæuola ff. de pignoribus. l. vlt. vide Budæum de Asse lib. 5.

k *Vrnarium*] De vrnario Varro ταφὴ μενίππου apud Nonium Marcellum. Idque est, vt nonnullis placet, quam alij vrnam vocant, quæ amphoræ dimidium facit, vt suprà diximus ex Prisciano. Ab vrnis autem vasa vrnalia dicta Catoni de Re rust. c.13. Plin. lib.9. cap.30. Labeo in l. vlt. ff. de trit. vino & oleo leg. Aliter autem recipitur Vrnarium à Varrone lib.4. de ling. Lat.

l *Octo congij.*] Plin. libr.14. cap.10. Libram & quadrantem in congios duos musti macerant. Mensuræ liquidæ genus est capiens sex sextarios: Rhodiginus lib. 29.c.1. Lect. antiq; dicit Congium decem libras capere.

m *Amphorarum.*] Priscianus in dict. libello de Mensuris. & vide Budæum lib.5. de Asse. Non tamen interim omittamus Iulium Capitolinum in vita Maximi non adeo longè à principio. mentionem fecisse amphoræ Capitolinæ. Notum est autem illud quod de Bonoso illo bibacissimo, quã cùm à Probo superatus laqueo vitã finiuisset, iocus extitit, Amphorã pendere non hominẽ, vt Fla. Vopisc. in vita illius.

n *Cadus.*] De hoc Dioscorides lib.5.

o *Metreta.*] Quod (inquit Budæus lib. 5. de Asse) Dioscorides metretam dixit, Plinius cadum transtulit. Est autem congiorum decem, vt est author Dioscorid. eod. lib. 5. his verbis, [Greek, illegible]. & Columella libr. 12. cap. 22. & Caius Iureconsultus in l. quod sæpe. §. pen. ad fin. ff. de contrah.

tamen à Græcis pro amphora sæpè accipi legimus. Namque Antiochius cadus amphoram capiebat Italicam. ᵖ Artabarum verò vna Medica est, altera Ægyptiaca, capiens modios tres Italos, & tertium alterius. Singuli tamen congij sex ᵠ sextarios habent, heminas scilicet duodecim, quippe duæ ʳ heminæ sextarium complent. ˢ Quadrantal autem octo & quadraginta sextarios capit, quod amphoram Italicam nonnulli dicunt esse, cuius dimidium ᵗ vrna dicitur, quæ ex quatuor & viginti sextariis fit. ᵘ Italus verò sextarius, viginti vnciarum fuit, cotylarum scilicet duarum: quippe decem vnciæ ˣ cotylam efficiebant. Apud Arabes verò sextarius medium continet vnciæ: est enim nomen ponderis: quià Græcis stater dicitur: is enim Latinis semunciam facit. ʸ Scutula septem habet vncias, cotula quandoque sex: ea enim sex recipit cyathos, siquidem vncia & cyathus eiusdem æstimationis fere. ᶻ Cyathus verò Atticus, decem drachmis appendebat: communis duodecim, qui efficit vnciam & semissem, quæ est sextarij pars duodecima. Alij sextam partem sextarij, cyathum capere dixerunt. ᵃ Chus verò, qui Græcè χοῦς, cotulas octo habet. In ponderibus autem ᵇ drachma sex obolos facit, obolus sex siliquas. ᶜ Siliqua verò & ᵈ scrupulus idem æstimatur. Ea enim apud Romanos minimum habuit. Drachma ex tribus scrupulis, hoc est, decem & octo siliquis constat. Post drachmam nummus erat argenteus, qui fit ex scrupulis quatuor, hoc est drachma & scrupulo, qui etiam ᵉ denarius dicitur. Post hunc vncia ex octo drachmis vel sex denariis prodiit. Et post vnciam libra Italica, quæ ex duodecim vnciis, hoc est, denariis duobus & septuaginta, siue drachmis nonaginta sex constare dicitur. ᶠ Heminam verò ex sexaginta drachmis fieri voluere: est enim dimidium sextarij: habet enim cyathos sex, sicut cotula. Acetabuli autem mensura, heminæ quartam efficit partem, hoc est, drachmas quindecim. Communis tamen habet opinio, heminam dimidium sextarij esse, & acetabulum ex octo & decem drachmis constare. Sed tametsi mensurarum & ponderum pro gentibus & nationibus varia dimensio sit, eáque nec definiri, nec explicari satis valeat: tamen sextarium minoris mensuræ

Artaba. Congy. Sextarius. Quadrantal. Vrna. Cotyla. Stater. Scutula. Cotula. Vncia. Cyathus. Chus. Pondera. Drachma. Obolus. Siliqua. Scrupulus. Drachma. Nummus argenteus. Denarius. Vncia. Libra. Hemina. Acetabulum. Sextarius.

ANNOTAITONES.

contrah. emptio. Illud autem non prætermiserim Xenarchum Rhodium ob bibacitatem Metretam fuisse nuncupatum apud Athenæum lib. 10. cap. 12. vbi de bibacibus.

p *Artabarum verò.*] Herod. libr. 1. dicit Artaba mensuram esse Persicam & capaciorem Atticomedymno tribus chœnicibus Atticis. Polybius verò libr. 5. dicit mensuram esse modicam. Vide Rhodig. libr. 8. c. 9. & Georgium Agricol. in lib. de Mensuris & ponderibus.

q *Sex sextarios habent.*] Columel. lib. 5. c. 9.

r *Duæ heminæ.*] Vide paulò infrà.

s *Quadrantal.*] Festus Pompeius libr. 15. Vide Budæum in 4 lib. de Asse. & Alciatum in l. vinaria vasa ff de verb. signifi.

t *Vrna.*] De quo iam supra diximus ex Prisciano.

u *Italus verò sextarius.*] De sextario in vniuersum vide Budæum in lib. 5. de Asse. & Priscianum num. seq.

x *Cotylam.*] De Cotyla meminit Aristophanes in Cocalo. Aliæ, inquit, vetulæ feniores in suum corpus nulla ex parte in ornatum vinum Thasium ex plenis mistis cotylis effuderunt, vini nigri puri amore coactæ. Et ex eo Athenæus dipnosophista. libr. 11. cap. 8. Priscianus in eo libr. de Mensuris,

At cotylas, quas (si placeat) dixisse licebit,
Heminas recipit geminas sextarius vnas,
Qui quater assumptus fit Graio nomine chœnix.
Adde duos, chus fit vulgò qui est congius idem,
A quo sextarij nomen fecisse priores
Crediderim.

De Cotyla Plutarch. in vita Niciæ in fi. & Georgius Agricola in lib. de Mensuris & ponderibus.

y *Scutula.*] Bessalem scutulam vocat Martialis l. 8. epig. 71.

Bessalem ad scutulam sexto peruenimus anno,
Post hunc in cotyla vasa selibra data est.

Vbi Domitius interpres Bessalem scutulam, id est, octo vnciarum. Scutula enim vasculum est, quod mensura par est octo vnciis. Pal adius lib. 1. c. 19. Tesseras & scutulas lo pauimento dixit, pro frustis quadratis & rotundis à scuti figura, à qua etiam scutulatum equum appellant authores, qui vulgò, pomulatus vocatur: & scutulatum aranearum tete nominatur Plinio libr. 11. cap. 23. Nam scutulas idem author libr. 17. cap. 16. intelligit cortices qui in amplastratione ex arboribus scuti figura eximuntur & qui eadem forma ponuntur.

z *Cyathus.*] Plinius lib. 21. c. 34.

a *Chus.*] Plinius suprà

b *Drachma.*] Vitruuius lib. 3. cap. 1. Illa, inquit, æreos signatos vti asses, ex æquo ses, quos obo os appellant, quadrantésque obolorum, quæ alij dichalca, nonnulli trichalca dicunt, pro digitis viginti quatuor in drachma constituerunt. Iulius Pollux libr. 9. scribit drachmam obolos sex habere, dichalcos verò oboli esse quadrantem, id est quartam partem. Idem obolum octo chalcos habere vult. Plinius autem libr. 21 cap. vlt. dicit decem, Diodorus apud Suidam sex: Cleopatra in fragmento, quod extat, octo: Dioscorides quidem sex. sed puto chalcos apud eos diuersi fuisse pôderis.

c *Siliqua.*] Budæus in lib. de Asse. Constat autem siliquam grana quatuor pendere, granum lentem vnam & semissem. Vide Philandri annotationes in Vitruuium.

d *Et scrupulus.*] Scrupulum, siue scrupulus, qui & scriptulus dicitur à Frontino libr. 1. de Aquæductibus, est drachmæ tertia pars, vt docet Priscianus in d. lib. de Ponderibus. Volusius Metianus scrupulum scribit, seu sit à Græco γράμμα nam idem significare Priscianus indicat hoc versu,

Gramma vocat, nostri scrupulum à xere priores.

Scrupulus etiam mensura est in metiendis agris. Colum. lib. 5. c. 1.

e *denarius.*] Ante Pyrrhum Regem Epirotarum deuictum, vt scribit Plinius lib. 33. cap. 3. libralis æs & dupondius appendebatur assis. Postea signatum argentum, & placuit denarius pro decem libris æreis, quinarius pro quinque, sestertius pro dupondio & semisse. Flauius Sosipater Charisius libr. 1. Institutionum Grammaticarum prodit sestertium quod de tribus assibus semis deficiat, denariique quartam partem dupondium esse, quod denarius decem asses habuerit. Vitruuius lib. 3. cap. 1. Nostri autem, ait, primò decem fecerunt antiquum numerum & in denario denos æses constituerunt, & ea te compositio nummi ad hodiernum diem denarij nomen retinet: etiámque quartam eius partem, quod efficiebatur ex duobus assibus & tertio semisse, sestertium vocitauerunt. Budæus in libr. de Asse scribit denarium ad Gallicam pecuniæ æstimationem redactum, valuisse solidos Turonenses tres cum dimidio.

f *Heminam.*] Plinius libr. 21. cap. 34. Priscianus vbi suprà. Festus Pompeius lib. 8. Athenæus lib. 11. c. 9. scribunt heminam, quæ & cotyla dicitur, capere quartarios duos, id est, vncias decem: quartarius acetabula duo, id est, vncias quinque; acetabulum sesquicyathum, & vncias duas cum dimi-

fuiſſe, argumento, quod [g] Hannibalem Italia pulſum, poſt acciſas Carthaginenſium res, tantæ abſtinentiæ dicunt fuiſſe, vt nunquam ſextario vini indulſerit. parciſſimo enim vini poculo contentus erat. Et quia ſingulas menſurarum ſpecies exequi longum eſſet, ne pluribus morer, de his hactenus dixiſſe abundè fuerit. [h] Illud tamen annotare ſuccurrit, quod licet ſchœnum ex duobus & viginti ſtadiis, nonnulli ex triginta, varia opinione, conſtare dicant: & Herodotus ſchœnum ſexaginta ſtadiorum ſcribat, & ex dimidio paraſangam: tamen ex ſtadiis quadraginta, hoc eſt, paſſibus quinque millibus, ſchœnum verum confici, communi opinione, quæ longè præſtantior fuit, receptum eſt.

Schœnus.

ANNOTATIONES.

dia, Cyathus ligolas quatuor, id eſt, ſeſeonciam, drachmam & ſcrupulum. Rhodiginus libr. 13. c. 32 acceptabula vocat. Gellius lib. 3. cap. 14. Contrà autem ſi è ſextario hemina fuſa eſt, dimidium non dimidiatum ſextarium fuſum dicendum eſt.

g *Annibalem.*] Plutarchus in vita illius.

h *Illud autem.*] Hæc vſque ad fin. ſunt. Herodoti lib. 2. poſt princ. Plinij lib. 12. c 14. Vide tamen Strabonem lib. 11. dum citat Teophanem. & libr. 15. non multò poſt princ. & Plin. lib. 6. c. 26. Sed & poſtremò de illis omnibus & aliis ponderum & menſurarum generibus, vide Vegetium in Veterinaria cap. Priſcianum, Pollucem d. lib. 9. c. 6. Et ex recentioribus Angelum Politianum Epiſt. lib. 11. epiſt. 13. Budæum in toto illo nobili opere de Aſſe, præſertim lib. 13.

Miraculum de homine, qui plus in mari quàm in terris degebat, maximàque æquora velociſſimè tranabat.

CAPVT XXI.

QVI Syderum motus, ſtatúſque & interualla ac certos conſtitutóſque curſus & recurſus, illorúmque vires & qualitates, menſuráſque ſolis ac terræ animo metati ſunt: inter quos apud Græcos Beroſus, Eudoxus Gnidius, Ariſtoteles, & Empedocles: apud noſtros, Aratus, Iulius Firmicus, M Manilius, & alij clari ſapientiæ authores, quos fama vulgauit, periti cæleſtium, qui diuinas prædictiones, decreta ſtellarum, ac vim fati, poteſtatémque ſubtili inquiſitione collegere, [a] hoc inter cætera adnotarunt, illos qui ſub delphini Sydere in lucem editi fuiſſent, petaminarios eſſe, hoc præcipua pedum pernicitate valere: prorſus vt admirabile videatur, quàm pernici curſu, & quàm volucri meatu magna ſpatia terrarum breui interuallo emenſi fuerint. Quamuis plerique phyſici rerum non ignari, quòd his ſplen [b] deficiat propterea curſu valere contendant. Conſtat enim, quanto minor in corporibus ſplen foret, tanto perniciores homines eſſe. Hinc [c] Ladas ille curſor apud authores tantopere celebratus, memoria dignus fuit: qui longum itineris ſpatium curſu tam citatiſſimo emenſus eſt, vt nulla pedum veſtigia extarent, ita vt ſæpè viſum falleret. Quod verum falsúmne fuerit, [d] nonnullis ambiguum eſt. [e] Philonides quoque Alexandri Magni curſor, qui [f] ἡμεροδρόμος dictus eſt, pernici curſu valuiſſe fertur: cui adnumeratus eſt [g] Laſthenes Thebanos pernicitatis eximiæ, ita vt ab Choromo Thebas vſque cum equo curſore contenderit, & victor fuerit. Inter quæ nimirum maiori miraculo viſum eſt, quod [h] Plinius notauit, annos nouem genitum puerum, à meridie ad veſperam quinque & ſeptuaginta paſſuum millia præcipiti celeritate confeciſſe. Quod penè à fide deuium, & dictu mirabile, quantum vix credi dicíque poſſit, pleriſque viſum eſt. Inter

Nati ſub delphino.

Ladas.

Philonides.

Laſthenes.

Pueri nouem annorum miraculoſa celeritas.

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

a HOc inter cætera.] Vide Iulium Firmicum libr. 8. Matheſeos c. 15.

b *Splen deficiat.*] Pulmo dicere debuit ex Plinio lib. 11. cap. 37. Plutarchus autem in Demoſthene, tradit Orochomenium Laomedonta ob vitandum ſplenis morbum conſilio medicorum longiſſimis curſibus vti ſolitum.

c *Ladas.*] Solinus c. 6. in princ. Iouenalis Saty. 13. ex perſona auari de Lada hoc,

Et phthiſis & vomica putres, & dimidium crus
Sunt tanti? pauper locupletam optare podagram
Ne dubitet Ladas, ſi non eget Anticyra, nec
Archigene. quid enim velocis gloria plantæ
Præſtat, & eſuriens Piſææ ramus oliuæ.

Meminerunt non ſolùm Catulus ad Camerum,

Non Ladas ego, pennipéſue Perſeus,
Non Rhœſi niuea, citaque biga.

Pauſanias in Corinthiacis & in Arcadicis. ſed & Martialis lib. 10. epig. 100.

Habeas, licebit, alterum pedem Ladæ,
Inepte, fruſtra crure ligneo curres.

Et lib. 2. epig. 86.

Quid ſi per graciles vias Petauri
Inuitum iubeas ſubire Ladam.

Nominat eum & Cornificius lib. 4. ad Herennium. Ex Ladæ pernicitate non inelegans ſumetur adagium, Lada pernicior.

d *Nonnullis ambiguum.*] Simile tamen refert Heſiodus de Iphielo Phylaci & Climenes, aut, vt alij vocant, Periclymenes filios, quòd tantæ pernicitatis erat, vt excurreret ἐπὶ πυρίνων ἀθέρων. hoc eſt ſuper triticeas ariſtas, eas non oblædens. Huius Iphicli Higinus meminit poëticōn aſtronomicon libro ſecundo, quo loco de Orione diſſerit: dictione deprauata. Quemadmodum, inquit, Phyclo datum dicitur, vt ſupra ariſtas curreret, nec eas comminueret. Hæc. Cælius Rhodiginus Lect. anti. lib. 5. c. 5.

e *Philonides.*] Plinius lib. 2. cap. 71. & libr. 7. cap. 20. & Solinus d. lib. 6.

f Ἡμεροδρόμος.] Ea vox ſignificat diurnum curſorem, qui ſcilicet tota die currit. Solis epitheton, tabellarius. Ariſtoteles in lib. de Mundo ἡμεροδρόμοι, καὶ σκοποὶ, καὶ ἀγγελιαφόροι, &c. id eſt, curſores, exploratores, nuncij & ſtatores. ἡμεροδρόμος καὶ τοῦτο μελετῶν, tabellariam operam factitans. Herodot. 8.

g *Laſthenes.*] Vide Athenæum. Fit etiam Laſthenis cuiuſdam proditoris mentio apud Cælium Rhod. libr. 8. c. 3. verùm an is fuerit de quo hic, non ſatis mihi conſtat.

x *Plinius.*] Libr. 7. cap. 20. His adde Polymeſtorem Mileſium puerum, qui cùm à matre locatus eſſet ad caprarios paſtus ludens leporem conſecutus eſt, & ob id ſtatim productus à gregis domino Olympiade ſexta & quadrageſima (vt Bocchus author eſt) victor in ſtadio meruit coronam. Compoſitum nomen, vt videtur, ex πολὺ multum & μήστωρ

valens

Marsi. Troglodytæ Æthiopes. Nati sub piscibus. Ichthyophagi. Scillis. Sicyonius.

cæteros produntur Marsi populi, singulari sydere seu fato geniti, vt præcipua pedum leuitate cæteris præstent, ingentiáque spatia vix credibili celeritate peragrent. Tradunt quoque [i] Troglodytas & extimos Æthiopes natiua quadam pernicitate tantum valuisse, vt fugacissimas feras rapido cursu assequi non dubitarent. [k] Eos quoque qui sub piscis astro, certo cursu stationibúsque syderibus constitutis editi essent, nando plurimum valuisse, & præcipuos natatu nonnulli tradunt. In his quoque [l] lienis defectus multum profuisse creditor: namquibus deesset lien, natatu plurimum valere contendunt. Horum præcipui sunt [m] Ichthyophagi, Troglodytis proximi, ceu maris belluæ, immensos tractus natatu peragrantes. Inter quos [n] Scillis quidam Sicyonius proditur apud Græcos, omnium ea tempestate maximus [o] vrinator, qui ex Aphetis Artemisium vsque, octogiota ferè stadia natatu breui spatio peregit. [p] Nostra verò ætate nonnulli extitere memorandi & multi nominis, qui nando ingens maris interuallum & maxima æquora emensi fuere. Ex omnibus autem quos nostra vidit ætas, recentiore memoria nouimus quempiam haud sanè ingenitæ nobilitatis, sed extremæ sortis hominem, qui nauticam operam exigua stipe locare solitus, sæpissime piscatu victum quæritabat, qui ab Enaria (quæ inter Pithecusas è conspectu Neapolis insula sita est) Prochytam vsque, quod intermedij pelagi est stadiorum ferme quinquaginta, naufrago nonnunquam & fluctuante pelago, ac tempore anni difficillimo, eadem die nando measse, & nonnunquam remeasse inuentus est. Quod quum vix credibile videretur, eundem pluribus ad spectaculum effusis, quo res testatior esset, promptissimum sui periculum fecisse: & quum in Enaria se præcipitem in mare dedisset, lembum post sequentem longius ipsum nantem obseruasse, donec terræ appulsus, ad Prochytam incolumis elapsus est. Sed super omnia quæ post hominum memoriam vnquam audita, quæque ab authoribus prodita sunt, quod à Iouiano Pontano relatum audiuimus, dictu mirabile, & supra omne miraculum fuit: siquidem patrum nostrorum memoria, Catanæ homo fuisse traditur, cui nomen Colan inditum ferunt, cognomento piscis, singulari fato seu fortuna genitus, qui plus in aquis degere quàm in terris victitare solebat, eúmque diebus singulis mare & aquas petere necessum habuisse: ibique naturæ vi & necessitate coactum diutius degere consuesse: alioqui dicebat fore, vt si ab aquis abesset diu, quasi respirare, & ducere vitam nequiret, idque sui exitij mox causam fore asseueraret. Quod illi quo fato aut sydere euenerit, in ambiguo pleriqué omnes reliquere, eúmque tantum nando profecisse, vt haud secus quàm marina bellua, maxima pelagi interualla, spatiáque immensa quingentorum & vltrà stadiorum, fœda tempestate & reluctantibus aquis, excellenti vi & velocitate, natatu peragraret. Notumque & illud est, dictu mirabile, quum medio cursu naues plenis velis per æquora ferrentur, violentissimis interdum tempestatibus, per vastum & apertum mare, intérque agitationes fluctuum & turbines, huic natanti obuiam fuisse, ipsúmque natantem ab vndis nautas suis nominibus aduocare solitum: & quia omnibus notus erat, nautas subitæ rei miraculo percitos, lætissimis animis illum in naui excipientes, vnde veniret, quóve iter intenderet, & quantum pelagi nando emensus foret, quantásque tempestates tulerit, sciscitari consuesse, ipsúmque Colan singulis omnia significasse: mox cum sociis in naui pransum aut potum, postquam acquieuisset, mandata ad suos, quid illis dici referríque vellent, & quid faciundum arbitrarentur, à singulis accepisse, nudúmque vt erat, è naui medio iam pelago cursum tenente, se præcipitem in mare dedisse: mox Caietam, modò in Salentina, Brutia & Lucana littora, modò in Siculos fines, & natale solum,

Colan vrinator.

ANNOTATIONES.

valens vel bellicosus. Adde & ex eodem Solino A Plinio vbi nuper citauimus, & iterum libr. 2. cap. 71. Anistium, aut, vt alij legunt, aut, si mauis Canistium Lacedæmonium, qui à Sycione Elin vsque mille ducenta stadia vno die transiit.

i *Troglodytas & extimos Æthiopes.*] Herodot. lib. 4. Plinius lib. 6. c. 29. vbi idem dicit de Therothuis, & libr. 7. c. 2. idem dicit de Pandoris. Solinus cap. 60. aut aliorum computatiune 70. scribit ita, Habitari etiam Æthiopiæ adusta Troglodytarum & Ichthyophagorum nationibus, quorum Troglodytæ tanta pernicitate pollent, vt feras, quas sagittant, ipsi cursibus persequantur. Martianus Capella lib. 6. & Iuuenalis saty. 11.

Et Mauri celeres & Mauro obscurior Indus.

Mauri autem pro Æthiopibus, & Æthiopes pro Mauris à Poëtis indifferenter nominantur: nec mirum, cùm Æthiopes ad Occidentem versi Mauritaniam attingant. De his etiam scripsimus in 2. l. Connubiali nu. 60. incip. quin Plura. Sed his adde Autololes, de quibus Silius lib. 3.

Nécnon Autololes leuibus gens ignea plantis,
Cui sonipes cursu, cui cesserit incitus amnis,
Tanta fuga est, certant pennæ, campúmque volatu
Cùm rapuere, pedum frustra vestigia quæras.

Adde & Ocypodes, gentem Indicam, equos cursu præuertentes, vnde & nomen illis inditum Straboni lib. 15.

k *Eos quoque.*] Iul. Firmicus lib. 8.

l *Lienis.*] Imò pulmonis ex Plinio lib. 11. cap. 37. vt & nos suprà diximus.

m *Ichthyophagi.*] Plinius lib. 6. c. 29. Solinus vbi suprà, scribit Ichthyophagus nó secus quàm marinas belluas in aquis valere. Hieronymus ad Iouinianum eos esse accolas maris Rubri scribit. Diodorus Siculus libr. 4. eos littus Carmanium Gedrosiúmque habitare tradit. Addit Strabo libr. 15. non solùm ipsos vesci piscibus, sed etiam eorum pecora, aquásque pluuiales & fossiles potare, & pecorum carnes piscibus præbere. De Ichthyophagorum origine Arrianus lib. 8. fabellam quandam, non illepidam narrat.

n *Scillis.*] Herodotus libr. 8. post princip. Scilliam hunc vocat.

o *Vrinator.*] Is ita dicitur qui subtus aquam natans tempore multo continet spiritum, ex Varr. lib. 4. de ling. Lati. à verbo vrinandi, quod significat in aquam mergi & natando emergere. Plinius libr. 11. cap. 37. Eadem est causa quare sub aqua diu ranæ & phocæ vrinantur. & lib. 23. cap. 25. eodémque vltim. Naufragis hæc deprehensa vrinatoribúsque. Et de huiusmodi vrinatoribus meminit Callistratus in l. nauis onustæ. §. nam si nauis. ff. ad legem Rhodiam. de iactu.

p *Nostra verò ætate.*] Hæc omnia vsque ad fi. huius c. sunt ipsius Alexandri authoris.

a Siqui

ad quod fræquens ventirabat, incolumem nando peruenisse: mandata quæ à nautis acceperat, singulis necessariis & affinibus significasse. Idque non semel facere consuesse, donec festo annua solenniq. die in Siculo freto effusa multitudine ad spectaculum, in portu Manassæ, vt aiunt, experiri credo volens, quantum præ cæteris vrinando valeret: dum pateram auream munus natantibus tunc à rege in mare deiectam, ab imo eripere, conatur, quum se in mare mersisset, dum illius studio profunda exquirit vada, diu expectatus, ab imo maris fundo, in quod se deiecerat, nunquam emersit, neque postea inuentus apparuit. Creditur in concauas illius pelagi cauernas, quibus totus ille sinus refertus est, incidisse: ipsúmque in imas voragines vorticibus rapidis semel delapsum, quum se recipere vellet, & ad superiora niti, reuerti nequisse: cúmque diutius reluctatus, respirare nequiret, inter occursantes scopulos vndique inundantibus aquis oppressum, vitam exuisse.

In quibus deorum sacrificiis victimas aut hostias antiquo more cadere non licebat.

Capvt XXII.

Sacra sine cade. Termini sacrum incruentum. Numa institutum. Farina horna. Sacra ex herbis apud sæculum prius. Lycurgi sacra frugalia. Imagines à Lycurgo prohibitæ.

IN deorum sacrificiis seruatum est, vt non omnibus diis victimas aut hostias cæderent. Nam in quibusdam sacris cæde victimarum abstinetur. [a] Siquidem in Termini sacro nihil animatum sacrificari olim mos habuit, quia eum deum veluti pacis custodem, à cæde immunem esse voluere. Primus enim Numa Pompilius Terminum & [b] Fidem templo sacrauit, incruentúmque sacrum instituit, [c] ac lege sanxit, vt qui Terminum exarasset, ipse & boues deo sacri fierent. [d] Libo ergo, & farina, ac fruge, & mola salsa, vt ferè omnia [e] Numæ sacra fuere, Termino apud priscos litabatur sub dio. Fuit enim Numæ institutum, vt sine farina quæ [f] horna esset, id est, huius anni, sacrum nullum fieret. [g] Apud prius verò sæculum, herbas aut fructus manu excerptos, quo holocausto diis consecrabant, illarumque exhalatione & fumo superis litabant. Quo exemplo [h] Pythagoras nihil animatum diis immolandum censuit: sed vsque ad farinam & mel, teriæque fructus & flores offerendum. [i] Quod etiam Lycurgum fecisse legimus, qui tenuissima & nullo paratu Lacedæmoniis sacrificia instituit, ex herbis & his quæ parabilia in promptu sunt, nequando difficultate parandi omitterentur sacra. [k] Nulláque ficta apud eum vel picta imago fuit, quippe hominum aut animalium species diis tribui vetuit. [l] Templo verò in quo colebatur, desuper patens foramen habuit, quia nefas

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

a *Siquidem.*] Dionysius Halicarnassæus lib. 2. Plutarchus in Numa & Probl. cap. 14 quibus locis eius rei rationem reddit, vt inibi videre potes.

b *Fidem.*] Ex eod. Plutar. in Numa.

c *Ac lege sanxit.*] Festus Pompeius l. 18. de Termino loquẽs.

d *Libo ergo.*] Dionysius Halicarnassæus libr. 2. non procul à fi. Deos, inquit, putant terminos eísque sacra faciunt, non hostias cædentes, quòd nefas sit cruentari hos lapides, sed liba cerealia frugúmque offerentes primitias. additque paulò post rationem.

e *Numæ sacra.*] Plutarchus in vita illius. Halicarn. d. lib. 2. Plinius lib. 18. c. 2.

f *Horna esset.*] Horna, id est vnius anni. Nam & hac vtebantur in sacrificiis. Horatius Carminum lib. 3. Ode 23.

Si thure placaris & horna
Fruge lares.

g *Apud prius verò sæculum.*] Vt patet ex exemplis, quæ subiungit.

h *Pythagoras.*] Laërtius in vita illius, non vno in loco. & Philostratus in vita Apollonij lib. 1. cap. 1. in princ. ita scribit, Vestitum præterea ex morticina materia confectum renuisse Pythagoram dicunt: & ab animalium omnium esu abstinuisse: nec tale quicquam omnino sacrificandum putasse, quòd nefas esse diceret deorum aras sanguine fœdari: sed libaminibus, thuréque & laudationibus magis erga deos vtendum esse putabat. Talia enim ab hominibus in deorum conspectum peruenire. Vide Ouid. Metamorphoseôn lib. 15. vbi Pythagoræ dogma describit.

i *Quod etiam Lycurgum.*] Plutarchus in vita illius, vbi Lycurgus interrogatus à quopiam, Cur in sacrificiis adeò parua ac vilia statuisset: Ne vnquam, inquit, deficiat nos, quo numen honoremus. Quod & ipsum repetit in Apophthegmatis. Significabat, numen magis delectari frugalitate, quàm opimis victimis, ne sub religionis obtentu luxus irreperet, aut certè rerum penuria. Erasm. in Apoph. eiusdem Lycurgi.

k *Nulláque apud eum.*] Intellige Numam Pompilium, de quo nuper locus erat, ex Plutarcho in vita illius: neque enim quicquam tale de Lycurgo legitur. Et idem propemodum de Mose scribit Strabo lib. 16. cuius hæc ferè verba sunt, vti translata sunt. Moses vnus ex Ægyptiis sacerdotibus, cum partem quandam regionis haberet, ac moleste ferret eorum instituta, hinc eò commigrauit. Discessere cum eo multi, quibus diuina curæ erant. Docebat enim ille quomodo Ægyptij non rectè sentirent, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, nec Libyes, nec Græci, qui Deos hominum figuris insignirent. Et quòd id solum Deus esset, quod nos contineret, terram ac mare, quod cælum & mundum & rerum omnium naturam appellamus, cuius profectò imaginem nemo sanæ mentis nostræ similem audeat effingere. Oportere itaque relicta omni simulachrorum effigie & digno ei fano ac templo constituto sine forma colere, & vel pro se quemque indormire, vel alios, qui boni insomniatores essent pro aliis, ac semper bonum aliquod & donum & signum à Deo expectare: eos præsertim qui castè integrèque & cum iustitia viuerent, cæteros verò nequaquam. Ille hæc dicens hominibus bonis non sanè paucis id persuasit, in eum locum deduxit vbi nunc condita sunt Hierosolyma, quem facilè obtinuit, cùm maximè esset inuidiosus, nec pro quo quisque studiosius contenderet. Hæc partim vera, partim falsa, vt videre licet ex sacris Bibliorum libris. Id autem quod de imaginibus dictum est, posset videri depromptum, ex eo quod scribitur Exodi c. 20. Ne feceris tibi statuam, nec vllum simulachrum eius quod est in cælis supernè, nec quod est in terra subtus, nec quod in aquis est sub terra, non adorabis ea, neque coles ea. Sed quomodo is locus intelligendus sit, disces ex Theologis.

l *Templum.*] Intelligit de Templo Termini, de quo suprà paulò antè.

duxerunt, Terminum deum pacis & iustitiæ custodem, sub tecto conspici. [m] Sic Ioui, Soli, Lunæ & [n] Diofidio, in aperto mundo tẽpla hypæthra & [o] sub dio veteres extruxere. Quod à Græcis sæpè factitatum nouimus, vt his diis hypæthra templa constituẽt, sicut ædes Iouis Puluerij in Attica semper sine tecto erigebatur. Græci verò Mineruæ in summa parte ædium sine victima sacrificant, [p] Æsculapio in montibus. [q] Apud Persas nulla dicabantur templa diis, quia cum Solem [r] præcipuũ numen & deorum maximum colant. mundum vniuersum illi templum esse dixerunt. [s] A Bithynis vsurpatum legimus, vt adoraturi, montium cacumina conscendant, & sine templis Iouem Pappam salutent, sicut [t] Scythæ Papæum, quæ etiam [u] Diogenis opinio fuit, qui mundum phanum dei sanctissimum existimauit. [x] Ægyptiis verò, licet templa marmore & auro essent elaborata, luxu ingenti & mira arte, tamen deorum Imago erat deridicula. Nam [y] Simia, [z] Ibis, vel Crocodilus, aut aliæ id genus pestes magorum, & Ægyptiorum portẽta, pro diis colebantur. Fuere autem [a] Termini & [b] Fidei templa iuxta ædem Iouis optimi maximi, in Capitolio primum à Numa constructa, cui sacrum festis [c] Terminalibus in agris, sexto ab vrbe milliario sub patẽti cœlo fieri solebat: cui [*] festi nomen: in quibus [d] ex lapide silice vel molari, nonnunquam ex truncis oleagineis sacrificalibus Terminus erigebatur. [e] Ægyptiorum quoque erat iste mos, non pecudibus & sanguine victimarum, sed precibus & thure placare deos. Ideo [f] Serapin non cæde animalium, sed verbenis, coronisque & panificiis placabant. Quod Numam Pythagoræa præcepta sequentem, in suis sacris instituisse non abre fuit: quamuis procedente tempore [g] agnam aut [h] fucm, intermisso more prisco, in sacris Terminalibus cædi seruatum sit, [i] Palilibus quoque incruentiori

Termini templum apertum. Templi Iouis sine tecto. Mineruæ & Æscul. sacra. Apud Persas nulla templa. Bithyni. Iupiter pappa. Diogenes. Deorum imagines ridicula apud Ægyptios. Festa Terminalia. Ægyptiorum sacra incruenta. Palilia.

ANNOTATIONES.

m *Sic Ioui.*] Varro Iouis templa, quòd omnium rerum semina is Deus patefacere crederetur, tecto esse perforato oportere dicit. Vitruuius lib. 1. cap. 2. Ioui, inquit, fulguri & cælo & soli & lunæ ædificia sub dio hypætráque constituuntur. Horum enim deorum & species & effectus in aperto mundo, atque lucenti præsentes videmus. & lib. 3. c. 1. in fi. Medium autem sub dio est sine tecto, aditúsque valuatum ex vtraque parte in pronao & postico. Huius autem exemplar Romæ est, sed Athenis octastylos, in templo Iouis Olympij

n *Diofidio.*] Varro lib 4. de lingua Latina. Vnde, ait, sub dio & Diusfidius. Itaque inde eius perforatum tectum, vt videatur diuum. id est cælum. Qui negant sub tecto per hunc deierare oportere.

o *Sub dio.*] Festus Pompeius libr. 18. & Seruius in libr. 9. Æneidos in eum locum.

Dum domus Æneæ Capitolini immobile saxum
Accolet, imperiúmque pater Romanus habebit.

Terminus Dei loco habitus est, quòd post Saturnum exactum cædes ac lites rusticorum de diuidendis agris sustulisset. Sacrificabant ei mense Februario ad octauum Calendas Mart. in æde, qua super eum foramen in tecto patebat, quòd nefas esse putarent Terminum intra tecta consistere & vt quia solus non cesserat Ioui, reliquis diis cedentibus, libero cælo frueretur. Lactantius Diuinarum instit. lib. 1. c. 20. ad fi. Ouid. Fast. 2.

Nunc quoque se supra, ne quid nisi sydera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.

De Termino extat lepidum ænigma apud Gellium lib. 12. cap. 6. & Politianum in Miscellaneis cap. 36. quòd Ioui solus omnium deorum cedere noluerit. De Termino deo & Terminalibus meminit diuus Augustinus lib. 7. c. 7. de Ciuitate Dei.

p *Æsculapio.*] Plutar. Prob. c. 94.

q *Apud Persas.*] Herodotus lib. 1. Strabo lib. 15. Asconius in 3. in Verrem act.

r *Præcipuum.*] Strabo d. lib. 15. dicit eos solum ipsum solem colere. Sed posteà eodem lib. scribit eosdem colere cælum, quem Iouem putant: Lunam, Venerem, ignem, Tellurem, ventos. Adde & Vestam ex Xenophonte lib. 1. Pædiæ Cyri.

s *A Bithynis.*] Arrianus in Bithyniacis.

t *Scythæ Papæum.*] Herodotus lib. 4. ita scribit, Sed qui regij Scythæ vocantur, etiam Neptuno sacrificant, appellantes Vestam lingua sua Tabiti, Iouem Papæum, mea sententia rectissimè.

u *Diogenis.*] Laërtius in vita eiusdem.

x *Ægyptiis.*] Herodotus lib. 2. Plinius lib. 19. c. 5. & alibi Iuuenalis saty. 15. in princ.

Quis nescit Volusi Bithynice qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pauet saturam serpentibus ibim,
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci.

Strabo lib. 18. Apuleius lib. 11. & li. Beroaldus. Lactant. Firmianus. Instit. diuin. lib. 1. cap. 10 lib. 2. c. 14 & 5. c 21. Virgi. lib. 8. Æneid ad fi. de diis Ægyptiorum loquens, ait,

Omnigenúmque Deûm monstra & latrator Anubis.

Vide Cælium Rhodiginum lib. 16. Lect. antiq. c. 5. & lib. 21 cap. 17.

y *Simia.*] Lucianus in lib. de sacrificiis ad fi.

z *Ibis.*] Diodorus lib. 2. c. 4. & Strabo lib. 17. Iuuenal. & Lucianus vbi suprà.

a *Termini.*] Plut. in Numa, & paulò antè diximus.

b *Et Fides.*] Huius templum in Capitolio fuisse, testes etiam sunt Cicero lib. 3. Offic. Plinius lib. 35. c. 10. Dion. Halicar. libr. 2.

c *Terminalibus.*] Cicero meminit de his Phil. 12. Horat. apud. 2. Ode 9. Liuius 5. Decad. lib. 3. & 5. Varro de ling. Latin. lib. 5. Ouid. Fast. 2.

d *Ex lapide.*] Tibullus lib. 1. Eleg. 1.

Nam veneror seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triuio florida serta lapis.

Et Ouid. lib. 2. Fast.

Termine, siue lapis, siue es defossus in agris,
Stipes ab antiquis tu quoque nomen habes.

e *Ægyptiorum.*] Macrob. lib. 1. c. 7.

f *Ideo Serapin.*] Apuleius libr. Metam. 11. & ibi Beroaldus. Diodorus l. 1. c. 2. Apis rex Argiuorum transuectus in Ægyptum, cùm ibi mortuus esset, factus est Serapis omnium maximus Ægyptiorum deus. Cur autem non Apis post mortem, sed Serapis appellatus sit, M. Varro, August. & Eusebius hanc reddiderunt rationem: nam quia arca, in qua mortuus ponitur σορὸς Græcè dicitur, primò Sorus Apis: deinde litera vna, vt fieri solet, commutata Serapis dictus est. Idem M. Varro Serapin & Isim Ægypti deos eosdem esse censet, cælum & terram, qui & Samothracum initia docent, sunt dei magni, multisque nominibus nuncupantur.

g *Agnam.*] Horat. Epod. Ode 2.

Vel agna festis cæsa Terminalibus.

h *Aut fœtum.*] Prægnantem ex Ouid. Fastorum lib. 2.

Spargitur & cæso communis terminus agno.
Nec queritur, lactens cùm sibi porca datur.

i *Palilibus.*] Plutarchus in Romulo, vbi tamen non omninò idem dicit: & Solinus c. 2 Et obseruatum, inquit, deinceps, ne qua hostia Parilibus cæderetur, vt dies iste purus à sanguine esset. Palilia, vel Parilia l. in r, mutata, Palis deæ festa erant, quæ pastoribus in agris fiebant 11. Calen. Maij, quo

die

cura custoditur nequa mactetur hostia: quòd eum diem qui patriæ [k] natalis erat, à cæde & sanguine decet esse purum. [l] Fuit enim is dies 12, Calend. Maij, quo fausto & felici omine vrbis fundamenta iacta sunt primum: [m] quo die mos erat ouilia purgare, [n] transilire flammas, [o] sapa & milio sacrum facere, [p] Geniales dies agere, [q] cœnas apparare, à litibus abstinere, quæ prosperos successus decernebant. [r] Deum verò in cuius tutela vrbs foret, nec nominare, nec quærere licebat: eúmque nominasse, aut quæsiuisse, noxæ futurum erat. Ideò Valerius Soranus mortis supplicio pœnas dedit, quòd numinis nomen in cuius præsidio vrbs esset, efferre in publicum ausus fuisset. [s] Idque ideò cautum, ne euocationes quæ ab hostibus ad placandos deos qui vrbibus præsunt, fieri solent, contra deos præsides vrbis Romæ fierent. Festa tamen Palilia etiam [t] ante vrbem conditam, à pastoribus qui proxima vrbis incolebant, celebrari solita inuenimus. [u] Pales enim dea pabuli & pastorum est, [x] quam plerique Vestam, alij Matrem deûm nuncupant, cui pro partu & prouentu pecorum, lacte & libo sine victima litabatur, eíque Palilia dicauere, [y] qua die vrbem à Romulo conditam fuisse tradunt. Nec solum vrbis natalem, sed singulorum [z] dies natalitios, pulte, fritillo, mero, libis, floribus & thure, sacra [a] Genio, sine animali hostia, læti libentésque concelebrarunt: quibus diebus effudisse cruorem, aut animal mactasse, mali portenti erat, & fœdi auspicij: namque erant hilaritatis & lætitiæ pleni dies. [b] Terræ quoque

Deum vrbis nominare nefas.

Pales.

Natalitia festa.

Terra sacrum.

ANNOTATIONES.

die Romulus vrbem fundauit ad lupos arcendos morbúsque à pecore pellendus, sed pro partu pecoris. Festus Pompeius lib. 14. Propertius lib. 4. eleg. 4. ad fin.

Vrbi festus erat, dixere Palilia Patres:
Hic primus capit mœnibus esse dies.

Censorius lib. 1. de die Natali, & Eusebius de Temporibus.

k *Natalis erat.*] Varro de Re rust. lib. 2. c. 1. Cic. 2. de Diuin. Ouid. lib. 14. Metamor.

—— Festísque Palilibus vrbis
Mœnia conduntur.

Et lib. 4. Fastor.

Per flammas saliisse pecus, saliisse colonos.
Quod fit natali nunc quoque Roma tuo.

&c. quæ sequuntur. Sueton in Caligula cap. 16. in fi. Probus interpres Virgilij libr. 3. Æneid. in princ. Flauius Vopiscus in Aureliano.

l *Fuit enim is dies.*] Seruius lib. 3. Georg. in princ.

m *Quo die mos erat.*] Scilicet Paliliorum ex Pompeio suprà & Ouidio Fasto. 4.

Pastor oues saturas ad prima crepuscula lustret,
Vnda prius spargat, virgáque verrat humum.

& quæ seq.

n *Transilire flammas*] Ouidius de ipsis Palilibus loquens lib. 4. Fastorum.

Certè ego transilij positas ter in ordine flammas,
Virgáque rorales laurea misit aquas.

& non adeò longè post,

Móxque per ardentes stipulæ crepitantis aceruos
Traiicias celeri strenua membra pede.

Et Tibullus de eisdem lib. 2. eleg. 6.

At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet, à stabulis tunc procul este lupi.
Ille leuis stipulæ solenneis potus aceruos
Accendet flammas, transiliétque sacras.

Propertius lib. 4. eleg. 4. de fabula Tarpeiæ,

Cúmque super raros fœni flammantis aceruos
Traiicit immundas ebria turba dapes.

Palilia ideo fumosa à Persio satyra prima appellantur: quia eo die sub noctem ignes à rusticis ex stipula solerent excitari Paliliorum etiam meminit Dionysius Halicar. libr. 1. paulò antè fi.

o *Sapa & milio.*] Ouid. eodem lib. 4. Fast.

Libáque de milio milij fiscella sequatur,
Rustica præcipuè est hoc dea læta cibo.

p *Geniales dies agere.*] Id fortè dicit quòd is dies genialis siue natalis fuit vrbis Romæ, vt dictum est.

q *Cœnas apparare.*] Ouidius ibid. verso seq.

Adde dapes, mulctrámque suis: dapibúsque refectus
Syluicolam tepido lacte precare Palem.

r *Deum verò.*] Plinius lib. 3. cap. 5. & lib. 28. c. 2. Plutarchus Problemat. c. 61. Seruius lib. 1. Æneid. in eum locum,

——Mauortia condet
Mœnia, Románósque suo de nomine dicet.

Romanus, inquit, non Romam. Vrbis enim illius verum nomen nemo, vel in sacris enunciat. Vnde Trib. Pleb. vt ait Varro, id ausus nominare in crucem sublatus est. Hoc nec Hyginius de situ vrbis loquens, exprimit. Et libr. 1. Georgi. ad fin. idem dicit, ibi.

Dij patrij, Indigites & Romule, Vestaque mater.

Solinus c. 1. non multo post princ.

s *Idque ideo cautum.*] Macrobius lib. 3. c. 9.

t *Ante vrbem conditam.*] Id enim festum pastorum erat. Dionysius Halicarn. lib. 1. non procul à fi. & omnes vbique.

u *Pales.*] Nam & hanc inuocat Virgil. de pecoribus dictus statim initio lib. 3. Georg.

Te quoque magna Pales. ——

& Ouid. 4. Fasto.

Alma Pales faueat pastorum sacra canenti,
Prosequor officio si tua facta pie.

Nam & eam pastorum deam vocat idem Ouid. eod. lib.

Quæ precor, eueniant: & nos faciamus ad annum
Pastorum dominæ grandia liba Pali.

Quod & nos nuper ad aliud adduximus. Sed & eam pastoriam appellat Lucius Florus gestorum Romanorum lib. 1. c. 20. in bello Salentino.

x *Quam plerique Vestam.*] Seruius in Virg. lib. 3. Georg.

y *Qua die.*] De qua vide, quæ suprà diximus, & Plutarc. in Romulo.

z *Dies natalitios.*] Plinius lib. 18. cap. 8. Hodie, inquit, sacra prisca, atque natalium pulte fritilla conficiuntur. Antè autem Varro in eo lib. cui titulus est Atticus, siue de Numeris. & ex eo Censorinus de Die natali, Id moris, inquit, institutíque maiores nostri tenuerunt, vt cùm die natali munus annale Genio soluerent, manum à cæde & sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent. Sed & lacte ei libari tradit Probus in princip. libr. 3. Georg. vide nom. seq

a *Genio.*] Iam de eo diximus num. præced. sed præterea Tibullus lib. 2. eleg. 2.

Ipse suos adsit Genius visurus honores,
Cui decorent sanctas florea serta comas.
Illius è puro distillent tempora nardo:
Atque satur libo sit madeatque mero.

Horatius lib. Epistol. 2. epist. 1.

Floribus & vino Genium memorem breuis æui.

Ante hoc Plautus in Aulularia introducit Genium hæc dicentem,

Huic filia vna est, ea mihi quotidie thure aut vino supplicat.

Quoquàm Horat. lib. 3. Car. Ode 17.

—— Cras Genium mero
Curabis & porco bimestri,
Cum famulis operum solutis.

b *Terra quoque.*] Horatius l. Epist. 2. epist. 1. scribit, Telluri (eadem autē est ac terra, vt plerique volunt) porcam immolari,

Tellurem

ſacrum fieri non victima,ſed frugibus,floribus & lacte,plerique decere putant.[c] Etiam ſolenne Fidei ſacrum, ſine cæde & ſanguine victimarum idem Numa inſtituit, [d] eíque albo panno velatos ſacra facere, & ad id ſacrum [e] flamines curru arcuato, manu ad digitos iouoluta vehi iuſſit ſolenni pompa, magno argumento, quo fidem tutandam & in dextris ſacratam ſanctámque oſtenderent. ídque propterea aſſerunt,quòd [f] dextra iuncta, denarium numerum [g] qui ſacratiſſimus eſt, efficiat. [h] Suffimenta quoque ex faba milióque aſperſa mulſo .diis offerri abſque victima,quo tempore vuæ calente prælo premuntur,ſæpe notatum eſt.[i] Et Carnæ deæ,quæ viſceribus humanis præeſſe,& vitalia fouere credebatur,ſacrum à Bruto inſtitutum poſteri ſeruauerunt.vt pulte fabacea & lardo abſque victima ſacrificetur. hic enim quum excors putaretur, latentem animum nimium diu reconditum, ſuo tempore detexit. Quas [k] quidem fabas, niſi poſt Iulias Calend. adultæ forent, ſacris adhibere non licebat: vires namque corporis his maximè augeri confirmaríque opinari. [l]. Quam deam in monte Cælio ſedem habere, illíque Calend. Iulij ſacrum fieri voluere. [m] Saturno quoque & [n] Maniæ humanis victimis, quod luit antea, poſtea [o] admonitu Herculis, animali hoſtia ſacrificari deſitum eſt: ideo ad [p] aram Saturni accenſis luminibus ſacrum fieri cœpit,vnde cereis miſſitãdis in Saturnalibus, mos inoleuit, qui apud [q] Cyrenenſes aliter ſeruabatur. Nam Saturno rem diuinam facturi, ficis ornantur: placentáſque miſſitant, quod mellis repertorem eſſe ducerent. [r] Maniæ verò,quæ mater Larium fuit.in compitalibus à Bruto inſtitutis,vt omnis antiquitas fabulata eſt, non humana victima vt olim, (nam pro familiæ incolumitate antea pueros mactabant)ſed alliorum & papauerum capitibus ſupplicari cœptum fuit: in [s] quibus ſacris ſerui intereſſe, & exæquato omnium iure, ſublato diſcrimine liber an ſeruus eſſet, vt in Saturnalibus, vnà cum liberis ſacrificia in compitis facere, & comeſſari, ac largiori potui indulgere aſſueuerant, vt hac comitate obſtricti, in dominorum obſequiis paratiores forent, odiáque inuicem offenſioneſque dimitterent. Quippe feſtis Saturni diebus ſeruos

Decem. — Carna. — Saturni & Mania. — Cerei in Saturnalibus miſſi. — Cyrenenſes. — Serui in Saturnalibus.

ANNOTATIONES.

Tellurem porco, Syluanum lacte placabant.
Vbi Porphyrion interpres, ſcribit porcum pro porca poſitum, vt è contrario Virgil.lib.Æneid.8.ibi,

——Et caſa iungebant fœdera porca.

De quo Virgilij loco dicemus infrà lib.3. c.3. Seruius quoque enarrans eum locum eiuſdem lib.8.

---Viridique in littore conſpicitur ſus,
Quam Pius Æneas, tibi enim tibi maxima Iuno
Mactat ſacra ferens, & cum grege ſiſtit ad aram.

Scribit Iunonem eſſe matrem deûm. quæ Terra dicitur. Vnde etiam ei porca ſacrificatur.

c *Etiam Fidei ſolenne ſacrum.*] Liuius 1.Decad.lib.1.

d *Eique albo panno.*] Horat.lib.1.Carm.Ode 35.

Te Spes, & albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat.

Vbi Acron,Poſſet,inquit,videri vili verbo vſus, panno:niſi hoc ſermone intelligi voluiſſet à pauperibus magis coli Fidem.Aut certè quia albo panno caput velabant fidei ſacrificantes:ſiue propter ipſam Fidem,quòd pura eſt & alba: vel quod in canis hominibus inuenitur,vt Virgil. lib.1.

Cana Fides.& Veſta,Remo cum fratre Quirinus.

e *Flamines.*] Liuius d.1. Decad.lib.1.

f *Dextra iuncta.*]Cælius Rhodiginus Antiq. lect. lib.22. c. 14. Lilius Gregorios Syntagmate primo de Diis Gentium eadem dicunt. ſed nullum citant authorem.

g *Qui ſacratiſſimus eſt.*] Vide noſtras Conſuetudines in tit. de præſcript.

h *Suffimenta quoque.*]Feſtus Pompeius lib.17.vbi & de ſuffimentis loquitur, quo in loco non prælo legitur, ſed pilo: niſi ibi mendum ſit.

i *Et Carnæ dea.*]Macrobius Saturna. lib.1. cap.12. non procul à fin.in tractatione menſis Maij. Et de hac quoq; Carna Ouid.lib.6.Faſt.

Prima dies tibi Carna datur: dea cardinis hæc eſt.
Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.

Vide Lilium Greg. Gyraldum Syntagmate.7.

k *Quas quidem fabas.*]Macrobius vbi nuper citauimus.

l *Quam deam.*]Scilicet Carnam ex Macrobio in eod. loco.

m *Saturno quoque.*] Lactantius lib.1. c.12. authoritate Varronis & Ouidij,& Macrobius lib.1. Saturnal.c.7. & dictum eſt alibi plenius.

n *Et Mania.*] Lactantius vbi ſuprà. & Macrobius lib. Saturnal.1. cap.7, Reſtituti, inquit,ludi à Tarquinio Superbo Laribus & Maniæ, ex reſponſo Apollinis: quo præceptum eſt,vt capitibus pro capitibus ſupplicaretur,ídque aliquandiu obſeruatum, vt pro familiarum ſoſpitate pueri mactarentur Maniæ deæ matri Larium. Quod ſacrificij genus Iunius Brutus Conſul Tarquinio pulſo, aliter conſtituit celebrandum. Nam capitibus allij, & papaueris ſupplicari iuſſit:vt reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine capitum remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis. Factúmque eſt vt effigie Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus periculum,ſi quod immineret familiis, expiarent: ludóſque ipſos ex viis compitorum, in quibus agitabantur, Compitalia appellitauerunt. Arnob.lib.3. aduerſus Gentes.

o *Admonitu Herculis.*] Macrb.d.c.7.lib.1.Saturnal.

p *Ad aram Saturni.*] Idem in eo loco & prætcrea c. 11. ad fin. & nonnihil Feſt. Pompeius li.3. vbi de Circis loquitur.

q *Cyrenenſes.*] Macrob.d.c.7.lib.1.Saturn.

r *Mania verò.*] Diximus paulò antè in verbo,Et Maniæ.ex eodem Macrob. Sed vide Feſt.Pompeium lib.12.

s *In quibus ſacris.*] Horatius Sermonum lib. 2. Satyr. 7. in princ.

Iamdudum auſculto, & cupiens tibi dicere ſeruus
Pauca, reformido. Dauúſne? ita, Dauus, amicum
Mancipium domino, & frugi, quod ſit ſatis. hoc eſt.
Vt vitale putes. age, libertate Decembri
(Quando ita maiores voluerunt) vtere, narra.

Id eſt, vt interpretatur Acron, Habeas licentiam & libertatem dicendi,quæ velis: quia Saturnalibus libertas ſeruis concedebatur, & omnes exequebantur, ſæculi aurei, quo Saturnus regnauit,fieret imitatio. Decembri autem menſe Saturnalia celebrabantur,& immutatio fit conditionis;nam & liberi ex ſeruis,& ſerui ex liberis fiũt.Solinus c.3. Mẽſe Martio matronæ ſeruis ſuis cœnas ponebant, ſicut Saturnalibus domini.Illæ vt honore promptius obſequium prouocarent:hi quaſi gratiã rependerent perfecti laboris.Quę iiſdem propè verbis repetiit Macrobius lib. 1. Saturna. cap. 12. Sed & de hac quoque re nonnihil Plutarchus in comparatione Numæ & Lycurgi. & Lucianus in Cronoſolo, ſiue Saturnalibus. & Atheneus libro 14. cap. 17. in principio vbi ſcribit morem eſſe apud Romanos, vt in Saturnalibus domini ſeruis conuiuium exhibeant, ipſique ſeruorum officio fungantur. Et hoc quoque ſpectát verſus L. Acij,antiqui poëtæ,relati à Macrob.li.1. Saturnal.c.7.in fi.

Maxima pars Graiûm Saturno: & maximè Athena

ingenuorum ministeria occupare, pileos sumere, & à liberis nullo discrimine differre, stipésque inuicem dare, & munera missitare, seruatum est.[t] Regna quoque sortiri inter æquales, & tanquam Reges imperitare, magistratus purpuram induere, reliquos in veste candida diem concelebrare. Qui etiam mos cum Græcis & exteris communis fuit. Namque [u] apud Babylonios Sacra appellantur festa, quibus quinque dies serui dominis imperitabant: ex quibus vnus, stola sumpta dominabatur. [x] Apud Thessalos Peloria, [y] Cretenses Hermea, anniuersarios dies festos habent, quibus exæquato iure serui domini'que socij & penè pares, communi libertate fruuntur. Sicut [z] Troezenis panagyra, in quibus serui cum dominis pari exemplo viuunt. [a] Thebanis verò ludi musici Saturno dicati erant Saturnaliorum loco. [b] Ideo in compitalibus manet constitutum, ne humano sanguine sacra polluerent, vtque pilas & effigies viriles & muliebres ex lana in compitis suspenderent. Laribúsque tot pilas, quot essent seruorum capita, & tot effigies quot essent liberi, noctu pro victimis darent: vt si quod periculum familiæ imminetet, aut triste fatum, hoc sacrificij genere expiarent. [c] Sicut mense Maio, quum prius de ponte sublicio in Tyberim homines mitterent, qua de causa flaminicam tristem esse, & animo afflicto conuenit, quæ nec eo mense lauat, nec aliquo cultu vtitur: postea ab Hercule admonitas, non homines sed hominum effigies Vestales abiicere cœpisse, quæ triginta numero fuere. Casta quoque mola, ssi sale tuso, & in ollam fictilem cum aqua immisso, eædem virgines sine victima sacrum facere solebāt, cæteri farre & vino,[d] in quibus sacris asellum panibus coronatum adhibuere. [e] Lari quoque familiari Calendis, Idibus, & Nonis, corona in foro indita, pro aris focísque, próque familia non sanguine victimarum supplicatur. Quæ [f] quidem sacra ex hordeacea pulte, [g] libo, [h] farre, vino [i] & thure,[k] & cum sale & salino sunt fieri solita: cui etiam particulàs cœnarum & [l] singulorum

Sacra festa. Peloria. Hermea. Panagyra. Thebanorum. Saturnalia.

Laris.

ANNOTATIONES.

Conficiunt sacra, qua Cronia esse iterantur ab illis,
Cúmque diem celebrant, per agros, vrbésque ferè omnes
Exercent epulas læti, famulósque procurant
Quisque suos: nostríque itidem & mos traditus illinc
Iste, vt cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

t *Regna quoque sortiri.*] Athenæus d.lib.14.cap.17.

u *Apud Babylonios Sacra.*] Berosus lib. 1. rerum Babylonicarum. & Ctesias lib.2.rerum Persicarum, & eius authoritate Athenæus lib. 14. cap. 17. de sacris autem solemnibus Persarum Strabo lib.11.

x *Apud Thessalos Peloria.*] Baton Synopæus orator in oratione de Thessalia ac Haminonia, & eius authoritate Athenæus vbi nuper citauimus.

y *Cretenses Hermea.*] Carystius in Historicis Commentariis & eius authoritate Athenæus, vbi suprà in princip. sic scribit, Est autem Græca hæc consuetudo, nam per Mercurialia festa hoc ipsum fit in Creta, Conuiuantibus seruis domini illis seruiunt atque ministrant. Hermæorum meminit Cælius Rhod. Antiq. lect. lib.13.c.23. in fi.

z *Troezenis Panagyra.*] Idem Athenæus dicto li. 14. cap. 17. In Troezeoe, inquit, Geræstiones mense per multos dies fit conuentus quorum in vno serui cum ciuibus vnà ludunt astragalis: & seruis domini conuiuium præbent, vt asserit Carystius. Cælius vbi suprà.

a *Thebanis verò.*] Plutarchus in Homero, Longo, inquit, tempore pòst, Thebas ad Saturnalia, qui ludi apud Thebanos musici erant, profectus est.

b *Ideo in compitalibus.*] id totum vsque ad versic. Sicut mense Maio. est Festi Pompeij lib. 14. vbi de pilis loquitur, & nonnihil Macrobij libro 1. Saturnal. cap.8.

c *Sicut mense Maio.*] Dionysius Halicarnassæus Originum Rom. libro 1. horum sacrificiorum meminit in hæc verba, Nunc quoque Romani idem factitant paulò post vernum æquinoctium, Idibus Maiis, quo die lunam volunt esse dimidiam. tunc enim peractis sacris Pontifices (id summum est sacerdotium) & cum his custodes immortalis ignis virgines, prætorésque & alij ciues, quos fas est interesse illi sacrificio, simulachra hominum triginta numero de sacro ponte mittunt in Tyberim fluuium, quæ Argeos nominant. Gellius lib.10. cap.15. ad fin. de Flaminicæ ceremoniis loquens, ita scribit, Atque etiam cum it ad Argeos, quòd neque comit caput, neque capillum depectit. Varro lib.6. de ling. Lat. Argei, inquit, fiunt è scirpeis virgultis, simulachra sunt hominum triginta: ea quotannis à ponte sublicio à sacerdotibus publicè iaci solent in Tyberim.

d *In quibus sacris.*] Ouid. lib.6. Fastorum vbi de Vestæ sacrificiis.

Ecce coronatis panis dependet asellis.
Et velant scabras florida serta molas.

Coronabantur asini Vestalibus: quia Vesta focorum domina est, vbi olim panes cineri suppositi coquebantur, cùm in furnis tantum farra torrerent. Et nos quoque alibi diximus.

e *Lari quoque familiari.*] Laribus coronas impositas fuisse, testis est Tibullus lib.2. eleg.1.

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, & antiquis imposuit Laribus.

Plinius lib.21.cap.3. Coronæ, inquit, deorum honos erant, & Larium publicorum priuatorúmque ac sepulchrorum ac Manium.

f *Quæ quidē sacra ex hordeacea pulte.*] Dionysius Halicarnassæus li.2. Vidi ego in sacris Laribus hordeaceas pultes, &c.

g *Libo.*] Dionysius vbi suprà, vbi frugalitatem sacrificiorum describit, sic inquit, Ipse certè spectaui in sacris ædibus cœnas diis appositas in mensis ligneis antiqui operis, pultémque in canistris, sic item & liba, fructuúmque quorundam primitias & huiusmodi cætera exilia, paratúque facilia, omníque morosa curiositate carentia &c. & Tibullus lib.1. eleg.10. eadémque vlt. de Laribus loquens,

Atque aliquis voti compos liba ipsa ferebat,
Postquè comes purum filia parua fauum.

h *Farre.*] Virgilius lib.5. Æneid.5.

Pergameúmque larem & cana penetralia Vestæ
Farre pio & plena supplex veneratur acerra.

i *Vino & thure.*] Plautus in prologo Aululariæ,

Huic filia non est: ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliquo semper supplicat.

Iuuenalis saty. 9. ad fi.

O parui nostríque lares, quos thure minuto,
Aut farre & tenui soleo exornare corona.

Et idem satyra 12. cuius verba citabimus infrà lib.3.cap.12. Tibullus lib.1. eleg.3. ad Messalam,

At mihi contingat patrios celebrare penates,
Redderéque antiquo menstrua thura lari.

k *Et sale & salino.*] Dionysius vbi suprà.

l *Et singulorum fructuum primitias.*] Afferebantur & Laribus frugum primitiæ, quod Horatius (Ephod.lib. Ode 2. vbi rusticæ vitæ laudes & commoda describit) aliique poëtæ significant: sed ante alios Tibullus lib.1. eleg.1. istis carminibus, cùm inquit,

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri

Custo

frugum primitias sacrarunt. [m] Ignem enim familiarem fauilla & cineribus excitatum, sanctissimis cæremonijs tacitis adorabant, Fuitque antiquorum mos, vt profecturi viam, simulachrum Dei, tanquam Larem familiarem & Fortunæ comitem secum ferant, [n] cui festis diebus thure & melle vota effunderent & supplicarent. [o] Etiam in Quinquatriis Mineruæ, prima dies sine victima aut cæde fuit, quòd illa in lucem primum editam fuisse putant. [p] quinquatrúmq; ideo dixere, quod diem quintum, post Idus festum haberent, [q] sicut Triatrum, Sextatrum, Septemmatrum, & Decemmatrum. [r] Quidam, quod quum quinque diebus operarentur sacris, & reliquis omnibus victimas cæderent, atque exertis ensibus pugnas committerent & digladiarentur: prima die velut pacata & festa, à victimarum cæde abstinerent. Vltima verò [s] Tubulustrium dicta, qua in atrio Sutorio tubæ lustrabantur agna, [t] Iano quoque libo & placenta, ac mola salsa, [u] nonnunquam thure & mero: [x] Cereri autem lacte, vino & melle, sine victima sæpe litatum est. [y] Hoc quoque adnotare non pigebit, quod quum in reliquis sacris qui rem diuinam facit, veteri instituto capite velato immolet, & adorantes vestem ad aures vsque attollant, vt se humiliores exhibeant diis, vel ne quid inter sacrificandum triste auribus aut oculis accipiant: [z] Saturno tamen sacra facientes, velut veritatis cultori capite aperto immolant &

Minerua. *Tubulustrium.* *Iani.* *Cereris.* *Caput in sacris velare* *Sacrificia capite aperto.*

ANNOTATIONES.

Custodes, fertis munera vestra Lares.

rum maxime seq. Diony. d. li. 2. dicit quorundam fructuum. Aristophanis autem interpres in σωρῷ authoritate Aristocratis dicit frugum & vuarum.

m *Ignem enim familiarem.*] De ignis cultu apud diuersas gentes, vide Cælium Rhodiginum lib. 15. c. 15. & Lilium Gregorium de Diis Gentium Syntagmate 4.

n *Cui festis diebus thure & melle.*]De thure suprà dictum est. de melle autem est illud Tibulli d. lib. eleg. 10. loquentis, vt iam diximus, de Laribus.

Postque comes purum filia parua fauum.

o *Etiam in Quinquatriis Mineruæ.*] Idem dicit Lilius Gyraldus de Diis Gentium. Syntagmate 17. sed nullo citato authore. Est autem Ouidij lib. 3. Fastor.

Vna dies media est, fiunt cum sacra Mineruæ,
Nomina, quæ à iunctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro:
Causa, quòd est illa nata Minerua die.
Altera tresque super strata celebrantur arena,
Ensibus exertis bellica læta dea est.

A quo haud dubiè id illi acceperunt, quamuis ex victoria non intelligat Ouid. vt patet ex verbis sequentibus. Idem Ouid. Tristium lib. 4. eleg. 9. eadémque vlt.

Hæc est armigeræ festis de quinque Mineruæ,
Quæ fieri pugna prima cruenta solet.

De his autem Horatius lib. Epist. 2. epist. item a.

Ac potius, puer vt festis Quinquatribus, olim
Exiguo gratóque fruaris tempore raptim.

Quem versum enarrans Porphyrius, sic inquit, Quinquatres à quinque diebus, qui dies ad ferias Mineruæ pertinent, propterea quòd festæ solennitates eius deæ per hoc spatium temporis celebrabantur. Fuerunt & alteræ Quinquatrus, vt scribit Varro lib. 4. de ling. Lat. Minusculæ dictæ Iuniæ Eidus, ad similitudinem maiorum, quia tibicines tum feriati per vrbem vagantur, & conueniunt ad ædem Mineruæ. & Ouid. d. lib. 3. Fast. his versibus,

Iam steterant acies ferro mortique paratæ,
Iam lituus pugnæ signa daturus erat, &c.

Vbi describit horum originem. Minorum festorum etiam meminit idem Ouid. 6. Fasto.

Et iam Quinquatrus iubeor narrare minores,
Nunc ades, ô cœptis flaua Minerua meis?
Cur vagus incedit tota tibicen in vrbe?
Quid sibi persona, quid toga longa volunt?

Liuius 5. Decad. lib. 4. Sueton. in Augusto cap. 71. in Nerone cap. 34. & in Domitiano cap. 4. Celebrabantur hæc festa 13. Calend. Aprilis hoc est 20. die Martij.

p *Quinquatrúmque ideo.*]Varro lib. 5. de ling. Lat. ita scribit, Quinquatrus hic dies vnus à nominis errore obseruatur, proinde vt sint quinque quartus siue quintus, dictus ab Tusculoneis post diem sextũ Eidus similiter vocatus Sexatrus: & post diem septimum, Septimatrus: sic ait, quod erat post diem quintum Eidus Quinquatrus: Atrus verò nihil significat, éstq; tantum nominis supplementum. Ouid. vbi nuper. Gell. lib. 2. c. 21.]Festus Pompeius li. 15. Quinquatria, inquit, dicta sunt à Quinquatro die, quòd post diem quintum celebrentur: vt Triatrus, Sexatrus & similia. Primus enim dies Quinquatruum quintus post Idus inuenitur.

q *Sicut Triatrum.*] De Sexatro & Septimatro Varro vbi suprà. Ex quo intelligis hic legendum esse Septimatrum. & de duobus illis prioribus Festus Pompeius vbi suprà. Et de Decimatro idem Varro lib. 4. eiusdem operis, & idem Pompeius eodem lib. alio loco, vbi & Decumatrum appellatum esse tradit. Et de his omnibus vide infrà lib. 3. c. 18.

r *Quidam quod cum.*] Ouid. vbi suprà, in verbo, Etiam in Quinquatriis: vbi tamen nihil de victima dicit, sed de gladiatoriis certaminibus.

s *Tubulustrium.*] Varro illo lib. 5. de lingua Latina. Tubilustrium, inquit, appellatur, quòd eo die in atrio Sutorio sacrorum tubæ lustrantur. Festus Pompeius lib. 18. ait, Tubilustria dies vocati, in quibus agna tubas lustrabant. Et hinc quoque. Ouid. lib. 3. Fastor.

Summa dies è quinque tubam lustrare canoram
Admonet, & forti sacrificare deæ.

& lib. 5. eiusdem operis ad fi.

Proxima Vulcani lux est, quam Lustria dicunt:
Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ.

Quanquam hic posterior locus aliò spectare videtur. Sed hic vide, quæ dicam infrà lib. 3. cap. 22. & lib 5. cap. 6.

t *Iane quoque.*] Idem propemodum Gyraldus de Diis Gentium Syntagma. 17. Neuter autem dicit vnde id acceperit. Id autem ex Catone de Re rustica cap. 134. in princ. Priusquam hasce fruges condantur fat, &c. Thure, vino Iano, Ioui, Iunoni præfato, & ad finem eiusdem cap. Item Iano vinum dato. Et Ouidio lib. 1. Fastorum.

Inde vocor Ianus, cui cum cereale sacerdos
Imponit libum, farráque mixta sale,
Nomina ridebis, modò namque Patulcius idem,
Et modò sacrifico Clusius ore vocor.

v *Nonnunquam thure & mero.*] Idem Ouid. lib. 1. Fastorum, vbi maiorum morẽ & institutum scribit, qui diuinam rem diis immortalibus facturi. Ianũ & Iouem præfari solebant.

---*Cur quamuis aliorum numina placem*
Iane tibi primùm thura merúmque fero?

x *Cereri.*] Idem Gyraldus d. 17. syntag.

y *Hoc quoque adnotare.*] Moris fuisse apud veteres in sacris velare caput testatur ex Vergilio & Plutarcho Problem. cap. 11. Cælius Rhodiginus Lectio. antiq. lib. 19. cap. 12. & Liuius lib. 1. Decad. 1. his verbis, Legatus vbi ad fines eorum venit vnde res repetuntur capite velato (filum lanæ velamen est) Audi Iupiter, inquit, audite fines (cuiuscunque gentis nominati) audiat fas.

z *Saturno tamen.*] Plutarchus Problematum cap. 11. vbi eius rei rationem reddit. Verùm Macrobius lib. Saturnal. 1. cap. 8. post princip. dicit, Illic Græco ritu capite operto res diuina fit, nisi ibi sit mendum, quod magis puto. Nam idem

Honoris & Opis.

inuelato. [a] Honori quoque & Opi ex vetere instituto dum sacrum fit, semper aperto capite & sine velamento sunt. [b] Apud aram quoque Herculis maximam, omnes aperto capite supplicare vetusto more seruatum est: vel quia ipsius Dei, qui capite aperto est, habitum imitari non liceat: vel quod magis adducor vt credam, vt ante Æneam, qui ritum velandi capitis inuenit primus, aram maximam fuisse, vetustissimásque illius cæremonias signarent.

ANNOTATIONES.

eiusdem lib. cap. 10. ad finem. Hinc est, inquit, quòd ex instituto peregrino, huic Deo (Saturno scilicet) sacrum aperto capite facimus.

a *Honoris.*] Idem Plutarch. eiusdem operis cap. 12. vbi item rationem reddit.

b *Apud aram Herculis.*] Plutarchus Problem. cap. 10. & dictum est suprà hoc eodem lib. cap. 14. vbi alia quoque adduximus.

Nunquid quod lege Falcidia cautum est de quarta bonorum hæredi debita, possit voluntate testatoris comminui vel tolli. CAPVT XXIII.

tex. ex l. 1. §. quicunque. ff. ad l. falcidiã.

VERBA [a] legis Falcidiæ, quibus modus legatorum præfinitus est, hęc fuere: [b] Quicunque ciuis Romanus post hanc legem rogatam, testamentum faciet: is quantã cuique ciui Romano pecuniã iure publico dare, legare volet, ius potestásque esto, dum ita detur legatũ, ne minus quam [c] quartam partem hæreditátis eo testamento hæredes capiant. eis quibus ita datum, legatúmve erit, eam pecuniam [d] sine fraude sua capere liceto: ísque hæres qui eam pecuniam dare iussus, damnatus erit, eam pecuniã debeto dare, quam damnatus est, & infra: Cùm ea legis verba in conuentu iurisperitorum legerentur, præsente me, quærebatur, nunquid quod hac lege sancitum est, vt non minus quarta hæreditatis parte, testamento hæres capiat, possit voluntate testantis ita comminui vel tolli, vt si omne patrimonium & totum assem legatis distribui iusserit, ita vt nihil, aut minus quarta parte scriptus hæres ex bonis capiat, an id contra legem factum, ius ratúmque foret? Cúmque nonnulli è grege patronorum censerent ex Scæuolæ sententia licere cuiuis non insano, præter legum solennitatem, ita vt volet testari, si modò id vellet haberi legitimè factum, palamque id antea testatus esset, plurimúmque in eo momenti fore: quippe quum ipsa decedentis voluntas lex planè censeatur: & hoc Pomponium iureconsultum, hanc legem interpretatum, censuisse, contenderent, decernentem testatoris voluntatem, [e] qualiscunque foret, ad omnem successionis speciem extendi oportere: multique in eius sententiam irent, & velut cunctis obuium id palam faterentur, nos contrà sentire visi fuimus. Nam Papiniani responsa legentes, hoc ipsum improbasse animaduertimus, atque respondisse in hæc verba: [f] Priuatorum pactionibus, legi refragari non decere. Itaque trienti quæ per legem ex defuncti bonis debetur, neque per testatorem æstimationem minui, neque ius quod debetur, auferri posse, ne videlicet testator scriptos hæredes aditione ludificatus foret. Quæ sententia quum diu nobis insedisset, tamen refutari & dilui potuit: quippe quum in eandem lectionem, vt fit, incideremus, animaduertimus minus probabili, nec vero iudicio, sed falsa nos duci opinione, nouissimóque iure multis post sæculis edito, contra priscorum decreta secus cautum fuisse: atque abrogata Papiniani sententia, ex placito principum lege edita sancitum esse, vt si testator trientem dari hæredi inhibeat, totúmque assem legatis absumi volet, vt pro voluntate de bonis disponere, illáque sicut libitum est, & quantam partem volet, cuiuis legare ius potestásque foret: libetum

l. quod de bonis. §. 1. ff. ad leg. falcid.

Auth. sed cum testator. C. ad leg. falcid.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIII.

a LEgis Falcidiæ.] De hac lege Falcidia, & quid à lege Voconia & Furia differat pulchrè infra traditur ab ipso eodem authore lib 6. cap. 15. Cæterùm Eusebius in Chronicis scribit Latã ita fuisse legem, vt quarta pars tum demum hæreditatis superesset, si quatuor aut minus essent. Quod equidem in Iurisconsultorum libris nusquam legitur. Tulit autem hanc legem C. Falcidius Tribonus plebis, iis temporibus, quibus Triumviri reipublicæ constituendæ Augustus Cæsar, M. Antonius & Lepidus dominabantur, authore eodem Eusebio & Isidoro cap. 15. lib. 5. & secunda dist. c. quædam etiam leges. in prin. decret. vbi tractatur de iure Quiritum & partibus eiusdem. Huius etiam legis meminit Dion. li. 48. his verbis. Lex Falcidia à P. Falcidio Trib. plebis lata, quæ nunc quoque plurimum valet in hæreditatibus adeundis: ea autem permittit, vt hæres, si adire hæreditatem grauetur, quadrante accepto, reliquum dimittat.

b *Quicunque.*] Quatuor fuerunt legis Falcidiæ capita. Primum liberam legandi facultatem dat, quo abrogantur leges Furia & Voconia, quæ non permittebant ciuibus quicquid vellent legare, vt ex Theophilo & Vlpiano instit. lib. 2. & tit. de leg. Falc. quamuis lex 12. tabu. vtraque longè antiquor, liberam legandi potestatem concederet. Secundum caput modum legatis præfinit, de quo hic agitur. Tertium translatitium est, & ad confirmationem secundi pertinet in his verbis, Eis, quibus &c. Quartum licet in Pandectis desideretur) ita conceptum videtur, Si quis aliter quàm hac lege liceat, pecuniam dederit legaueritue, hæredi quartam partem eius pecuniæ quæ data legata erit, ex eo testamento retinere liceto. Quod confirmat Caius lib. 2. instit. de lege Falcidia.

c *Quartam partem hæreditatis.*] His verbis datur intelligi quid intersit inter has quatuor leges, scilicet 12. tabu. Furiam, Voconiam & Falcidiam. Nam lex 12. tab. neque modum, neque finem legatis imponebat. Furia & Voconia modum quidem faciebant, finem non faciebant. Falcidia verò & modum & finem imposuit, quod constat ex §. superest. instit. ad legem Falcid.

d *Sine fraude.*] Quod magis interpretandum videtur de pœna quadrupli legis Furiæ. Vlpia. instit. lib. 1. & Theophilus institu. tit. de adim. leg. quamuis quidam non ineruditi de periculo æris alieni hæc verba intelligant.

e *Qualiscunque.*] Modò cautum non sit, ne leges in testamento locum habeant. idem Pomponius in l. nemo. de leg. 1. Vide Platonem dial. 11. de legibus.

f *Priuatorum pactionibus.*] Idem Papinianus in l. ius publicum. & Vlpianus in l. iurisgentium. §. si pacifica. ff. de pactis.

a *Vbi*

esset hæredi scripto, si nimium tenuiter sibi consultum esset, minúsque commodi, tot legatis distribuendis, hæreditatem allaturam putaret, aditione abstinere, & ius succedendi abnuere. In quam sententiam, quæ notior & probabilior fuit, nouissimæ iurisconsultorum opiniones postea concessere.

Loci ex Iuuenale parum ab interpretibus diligenter habiti, contra nonnullorum opinionem explanantur.

CAPVT XXIV.

DEFESSVS ego à forensium causarum contentione, & iudiciorum strepitu, aliquando vacuus cura & labore, ad hæc mitiora studia nostratia, velut in aliquod opportunum diuersorium, me recipiebam: & quotiescunque, aut veteres, aut nostri æui libellos nactus eram, in his legendis perscrutandísque, aut verborum & sententiarum viribus pensitandis, exercebar. Cúmque, vt fit, in cuiuspiam non equidem indocti, nec spernendi authoris commentarios super Iuuenalis satyris, quos nuper ediderat, & posteritati tradēdos curauerat, fortè incidissem, super his versibus Sæptimæ: Rara tamen merces, quæ cognitione tribuni Non egeat: in hanc sententiam ipsum locutū offendimus, vt diceret, apud tribunos plebis agi necesse fore, & post impensos labores erudiēdis pueris ludi magistrū in iudicio experiri oportere, vt mercedem laboris & impensæ doctrinæ assequatur, idque Iuuenalem in fine satyræ apertius sentire, dum inquit: Et quum se verterit annus, Accipe victori populus quod postulat aurum. tanquam post lites iudiciu à tribuno plebis diffinitas, tandem populus aurum quod petebatur, victori magistro & mercedem tradi postularet. Qui sensus etsi à multis mira persuasione receptus, quàm absonus sit, quámque pudendo errore coarguat imperitiam interpretis, nemo mediocris solertiæ vir ignorarit. [a] Vbi enim, quæso, apud authores compertum fuit, tribunum plebis iuris cognitionem, aut in ius vocationem, apud suum tribunal Romæ habuisse, ita vt an stipendium magistro debeatur, suæ cognitionis & arbitrij fuerit? Non enim vt de controuerso iure cognosceret, aut super eo diiudicaret: sed vt à maiorum magistratuum iniuria tenuem plebem defenderet in re præsenti, tribunitiam potestatem inuentam veteres voluere. Prehendere enim licebat tribuno, & in carcerem mittere, nō autem super controuerso iure diiudicare, quod omnes annales & omnia monumenta vetustatis percalluere. Prætetea quid imperitius dici potuit, aut tam præposterum, quàm vt in exactione vilis stipendij populus, tanquam si plebs aut plebiscitum aliquod rogaretur, interesse debeat, ita vt rogatione promulgata, an stipendium magistro debeatur, decernat? Sed quod est vero propius, quódque ab authoris sensu non absonum putamus, profecto sic est, vt poeta non de tribuno plebis, qui iuris non habet cognitionem, sed de [b] tribuno ærario, apud quem leuiores expenduntur causæ, intellexisse credatur. Etenim liquere arbitror, leues & nūmarios iudices, tribunos fuisse ærarios, causarúmque cognitionem habuisse in minimis: quippe ab [c] Aurelio tribuno plebis rogatione promulgata, iudicia in tres ordines diuisa fuere: senatores, equestrem ordinem, & tribunos ærarios, quorum cognitio in minoribus fuit causis, ideo in subselliis non pro tribunali ius dicebant. Raram dicit ergo mercedem, quæ cognitione non egeat tribuni, non plebis, apud quem nulla erat iuris cognitio: sed ærarij, qui de minoribus causis ius reddebat, intellexisse probabile est: quod & nos sentire salua fide possumus. Rursus quod dicitur in fine Satyræ, Accipe victori populus quod postulat aurum: neque de rogatione populi aut scito plebis, quod illi asseverant, intelligi arbitramur, sed vetustum potius morem præsignari, qui apud Romanos in sacris certaminibus inoleuit frequens. Fuit enim antiqui moris, vt qui in theatro præstabant munera, multitudini effusæ ad spectaculum [d] stipem spargerent, victorésque certaminum, & multarum palmarum gladiatores, ære collato & stipe donarent. Quinetiam non ludiones modò, sed elephantos, & eos qui in certaminibus fortiter quid aut dignum laude gessissent, à populo collatione stipis & assibus donari legimus. [e] Constátque populum Romanum Spurio Posthumio, & Quinto Mattio consulibus, primúm stipem in ludis spargere cœpissime. Nam drachma grandinis in morem, atque odorati imbres instar pluuiæ, & alia missilia effusè spargebantur. Quod sequuti Cæsares, opulentius vberiúsque ad leniendam multitudinem factitarunt. Siquidem [f] C. Cæsar nummos non mediocris summæ effudit in po-

Iuuen. locus in fine satyra septima.

Versus postremus eiusdem satyræ.

Stipis sparsio in populū.

Populi in ludiones.

Cæs. in pop. pecunias sparserunt.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIV.

a *VBi enim quæso.*] Hic omnino vide Gellium lib. 13. cap. 12.

b *Tribuno ærario.* [Hunc enim fuisse ex iudicibus constat ex Asconio Pædiano in oratione Ciceronis pro M. Scauro & C. Cornelio, & dicetur posteà lib. 5. cap. 2.

c *Aurelio tribuno plebis.*] Idem Asconius pro Cornelio, maiestatis reo, scribit, Aurelia lege communicata iudicia inter senatores & equestrem ordinem & tribunos ærarios. & paulò antè scribit L. Cottam lege sua iudicia inter tres ordines communicasse, Senatum, Equites, Tribunos ærarios. Ex quo facilè intelligis hunc vocatum fuisse. L. Aurelium Cottam. Suetonius autem in Cæsarè cap. 41. Iudicia ad duo genera iudicum redegit, Equestris ordinis, ac Senatorij: Tribunos ærarios, quod erat tertium, substulit. Vnde à Cicerone in epistolis ad Atticum, per quandam annominationem, non tam ærarij Tribuni quàm ærati nuncupantur: quoniam pecunia corrupti Clodium absoluerunt.

d *Stipem spargerent.*] Hic vide quæ scripsimus in tractatu Nobilitatis cap. 37. num. 44. incip. húcque spectant. Hæc præterea sunt Britannici interpretis Iuuenalis.

e *Constátque pop. Romanum.*] Id Plinij est lib. 33. cap. 10. ad fin. vbi ità scribit, populus Romanus stipem spargere cœpit, Spurio Posthumio, Q. Marcio Coss. tanta abundantia pecuniæ erat, vt eam conferret L. Scipioni, ex qua is ludos fecit.

f *C. Cæsar.*] Id est Caligula ex Suetonio in vita illius c. 38.

 & Iose

pulum.[g] Nero tesseras frumentarias, aurum, argentum, gemmas, margaritas, naues, insulas, agros, vestes, tabulas pictas, mancipia & iumēta missilia dedit. [h] Domitianus cum omne genus rerum in theatro sparsisset, & pars maior inter popularia decidisset: ne indonati abirēt senatorius & equæster ordo, per singulos cuneos quinquagenas tesseras pronuciauit. [i] Heliogabalus verò aurea & argentea pocula, ac vestes magni census in plebem sparsit munuscula. Multi quoque ex theatro missas è sinu columbas fecere, quæ cum per caueam diu volassent, reuertebantur ad dominos. Fertur tamen [k] Scipio infamiæ notam subiisse, quòd pecuniam in populum ludis publicis iecisset, velut istis muneribus auram popularem aucuparetur. quæ quidem cum in diripientium manus mittebantur, non sine discrimine & rixa in concursatione & tumultu assequi poterant. Itaque optimus quisque cum primùm missilia induci viderent, ne quid discriminis in conflictu turbæ elisi paterentur, è ludis excedebant, quæ apud authores monumentis testata clarissimis comperta sunt. Post emensum ergo annum. & edocendis pueris labores impensos, Accipe, poëta inquit, mercedem, qualem victori in ludis populus postulare solet: ac si dicat, vilem assem, & nimis tenuem mercedem, qualis est stips exigua quæ à populo in ludis postulatur, cum ære collato victor à plebe donatur, consequeris. Quod nos quantum ingenij captu assequi possumus, lectioni magis conuenire, & vero consui congruere putamus.

Scipio infamia notatus.

ANNOTATIONES.

& Iosepho lib. 19. cap. 1.

g *Nero.*] Suetonius in vita illius cap. 11. ad fin. Sparsa, inquit, & populo missilia omnium rerum per omnes dies, singula quotidie millia auium cuiusque generis, multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta, atq; etiam mansueræ feræ, nouissimè naues, insulæ, agri.

h *Domitianus.*] Suetonius in vita illius cap. 4.

i *Heliogabalus.*] Lampridius in vita illius. Sic etiam Herodianus scribit, Heliogabalum sacris iam celebritatibúsque peractis, maximas, altissimásque turres, ad id ipsum extructas conscendit. Indéque scilicet in plebem missilia sparsitus, aurea videlicet argenteaque pocula, vestésque & lintea omne genus: bestias præterea cicures omnes, exceptis suibus, quibus ipse (vt mos est Phœnicibus) abstinebat.

k *Scipio.*] Tuditanum auum M. Antonij (vt opinor) dicere voluit ex Cicerone in 3. Philipp. & Valer. Maximo lib. 7. cap. 8.

Variæ apud diuersas gentes puerorum institutiones, & infantibus Romanis quæ documenta fuerint.

CAPVT XXV.

QVAM variè apud nationes exteras & gentes vltimas pueri postquam in lucem editi essent, educarentur, quæq; institutio fuerit, à nonnullis literis memoriæ proditum est. Siquidē apud [a] Thraces, [b] Trausósque, ac [c] Cesias & [d] Causianos, assuetum erat, vt puero in lucem edito circundati cognati affinésque, puerū lamententur, & afflicti iaceant, ac recensentes calamitates & vitæ incōmoda, cui tantum restet malorum, quæ mox ille passurus aduenit, pectora plangant. Iidem in funere exultantes iubilant, scilicet cui defuncto omnibus incōmodis & infortuniis quæ vita fert, ex hac luce & imminentibus malis, atque omni sæuitia fortunæ tandē excedere datum sit. [e] Quod ab Indis quoq; seruari meminimus. Nam [f] Gymnosophistæ & [g] Brachmanes, castè & piè viuētibus mortis diem natalem vitæ ducebant. [h] Spartanos Lycurgi legibus institutos, infantes primùm editos, vt labore firmentur, ridigissima aqua fouere, nudósq; in patientia laboris enutrire, nihilque somni causa sternere, proditum est, Necnon cibi potionísque modo præfinito, cum æqualibus in sobrio conuictu, inque eodem sodalitio & societate studiorum, humili cultu educare, duràque &

Thraces, Trausi. Cesia. Causiani.

Indi. Spartiani.

ANNOTATIONES IN CAP. XXV.

a THraces.] Ex Herodoto in Thelesphore. Pomponio Mela lib. 2. Valer. Max. lib. 2. c. 1. Quintil. lib. 5. c. 11. quo de exemplis tractat. Archia poëta in epigrāmatis Græcis Hunc ipsum morem explicat Solinus c. 15. his verbis, Apud plurimos luctuosa sunt puerperia. Denique recentem natum fletu parens excipit. Controuersum læta sunt funera, adeò vt exemplis gaudio prosequantur. Et late diximus in tractatu Nobilitatis c. 31. nu. 468. incip. Nec si quidem. vbi ipsius Archiæ epigramma Græcum adscripsimus.

b *Trausósque.*] Herodotus lib. 5. paulò post princ. Trausi populi sunt, quos Græci Agatyrsos nominant Steph.

c *Ac Cesias.*] Zenodotus in collectaneis prouerbiorum in eo prouerbio Νόμοι τῆς χώρας, vbi & idem dicit de Heniochis.

d *Causianos.*] Plutarchus & ex eo Stobæus Sermone 119.

e *Quod ab Indis.*] Pompo. Mela lib. 3. Ioannes Boëmus lib. 2. de Morib. legibus & ritibus gentium.

f *Gymnosophistæ.*] Cælius Rhodiginus lib. 13. cap. 25. ex Porphyrio, sic scribit, Gymnosophistatum apud Indos duo produntur genera, auctore Porphyrio: alterum Brachmanas dicunt, Samaneos alterum: quos adeò continentiæ studiosus prædicant, vt pomis modò, modò oryza aut farina tantum alantur. Additur rei miraculum, vbi eos adierit Rex, veneratur vt Deos illorum precibus pacem regno conciliari opinatus. Digna porrò relatu quæ insuper de Samaneis idem scribit Porphyrius, eos huius vitæ tempus, tanquam necessariam quandam seruitutem naturæ ministrantem, inuitos tulisse, studuisséque animas à corporibus soluere: ac cùm prosperè corpus se habere sentirent, sæpe nihilo ad hoc vrgente, è vita solitos egredi. Hos domesticū obitu beatos existimant: quique illis superessent, deflebant, vt infelices. Q. Curtius lib. 8. Apud hos, inquit, occupare diem fati, pulchrum: & viuos se cremari iubent. Quibus aut segnis ætas, aut incommoda valetudo est, expectatam mortem pro dedecore habent. Nec vllis corporibus, quæ senectus soluit, honos redditur. Inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit, &c.

g *Brachmanes.*] Strabo lib. 15. de ipsis Brachmanis loquens, Item, inquit, multa eos de morte dicere & hanc vitam putandam esse, quasi quendam viuidum hominum conceptum: mortem verò natiuitatem ad veram illam & felicem vitam, iis, qui rectè philosophati sunt. Idcirco eos multa exercitatione vti ad mortis præparationem. De quo & tu vide quæ scripsimus in nostris commentariis Nobilitatis cap. 31. num. 469. incip. Ex nostris.

h *Spartianos.*] Hæc sunt Plutarchi in antiquis Lacedæmoniorum

horrida disciplina seuerissimis moribus assuefacere, nequa vitia mentem adhuc rudẽ inficerent, néve moribus incompositi euaderent, illis magnæ curæ fuit. Quare prouerbio increbuit, solas [i] Lacænas viros parere.[k] Quod à Cretensibus &[l] Germanis vsurpatum fuit, vt pueri ab ineunte adolescentia calores & frigora pati assuescerent, vtque vilibus tecti amiculis, hyeme pariter atque æstu eodem cultu incederent: & postquam satis virium assequuti videbantur, vt militiæ per ætatem patientes forent, non in munditiis, ne langueret animus, sed in laboriosis exercitationibus, currendo, algendo, æstuando, famem sitimque tolerando, arduasque & perdifficiles vias peragẽdo, exercerent: ac pugnæ simulacris, in quibus verbera & plagas dare & accipere cogebant. Quinetiam fuit [m] Lacedæmoniorum mos solemnis, vt agrestes quos [n] Hilotas vocant, quàm maximè possent vino ingurgitent, ad potumque & crapulam appellent, illosque vino madidos & distentos, in cœtum adolescentium iuuenum introducant, vt iuxta [o] Anacharsis & [p] Platonis consilium, temulentiæ turpitudinem intuentes quasi pertæsi ignauiam, à vino & luxu promptius abstinerent: ac tam tetri aspectus, tamque dedecoris non solum pigeret, sed puderet. Tantáque disciplina fuit, vt iuuenum corpora ne lasciuirent, statis diebus apud Ephoros exhiberent, nudosque inspicerent, vt si quid insolitæ pinguedinis contraxissent, parsimonia & victus abstinentia emendarent.[q] Ad aram verò sic verbere afficiebantur, vt plerisque sanguis manaret ad necem.[r] Apud Gallos quoque & Iberos zonæ mensuram habent magistratus, quam si capere non posset mulier succi plena, aut puer obesus, magno afficitur probro. [s] Quibus amatores, imitatoresque virtutum & adolescentium bonæ indolis permissi fuere, vt laudati & donati, facilius ad res magnas & magno viro dignas se accingerent: [t] qui etiam Cretensium fuit mos, quibus non fuisse amatos iuuenes, est ignominiæ datum: ex quibus amantem φιλήτορα dixere, amatum verò κλεινόν. Quorum exemplo [u] Lucani liberos à prima infantia sine veste aut ministerio seruili, in duritie & parsimonia educabant in syluis, quibus præda venatica erat cibus, potus verò fontium li-

Prouerbium. *Cretenses & Germani.* *Lacedæmonij. Hilota.* *Galli. Iberi.* *Cretenses.* *Lucani.*

ANNOTATIONES.

morum institutis, quæ inter Apophthegmata posuit, & in vita Lycurgi.

i *Solas Lacænas viros parere.*] Plutarch. tum in Apophthegmatis Laconicis non semel, tum in vita Lycurgi. Nam, vt ibi refert, cum peregrina quædam fœmina Gorgoni Leonidæ vxori dixisset, μόνας τῶν ἀνδρῶν ἄρχετε ὦ λάκαιναι. id est, Solæ viris imperatis ô Lacænæ: illa respondit, μόνας γὰρ τίκτομεν ἄνδρας. id est, Solæ enim viros parimus. Refert Erasmus Chiliadis 4. centuria 3. c. 17. Quod nos retulimus in legibus Connubialibus l. 1. n. 11 incip. quanquam illud.

k *Quod à Cretensibus.*] Strabo lib. 10. Cicero lib. 2. Tuscul. quæst. Cretum, inquit, leges laboribus erudiunt iuuentutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. ex quo Alexander sumpsit magnam horum partem, Ephorus & reliqui prodiderunt, Cretenses ab ineunte pueritia armis ac laboribus exerceri solitos, calorem & frigus & aspera viarum facilè contemnentes, in pugnis plagas toleranter ferre, ab arcu sagittas excutere, saltationem armatam (quæ imago erat rei bellicæ) frequenter saltare, quam Pyrrhicam vocant.

l *Et Germanis.*] Cornelius Tacitus in lib. de Moribus Germanorum.

m *Lacedæmoniorum mos.*] Plutarchus in Lycurgo & Demetrio, & in lib. de Cohibenda iracundia. & in Laconicis inter vetera eorum instituta.

n *Hilotas.*] De quibus, præter ea loca Plutarchi, Xenophon Pædiæ Cyri lib. 4. Aristoteles lib. 2. Politic. cap. 7. Dionysius Halicarnassæus lib. 2. Heraclides in Politicis, vbi de Lacedæmoniis tradit. Herodotus lib. 8. non longè post. princip. vbi pro Hilotis Valla vertit seruos, Liu. 4. Dec. lib 4. vbi hos agreste genus vocat. Strabo lib. 6. 8. 12. & 15. Pollux lib. 3. 6. 8. ad fi. Plutarchus in Lycurgo.

o *Anacharsis.*] Laërtius in vita illius: Interrogatus, inquit Anacharsis, quo pacto quis abstemius fieret, Si quis turpes, inquit, ebriosorum motus sibi ante oculos ponat.

p *Et Platonis.*] In libro de Legibus primo & sexto.

q *Ad aram verò.*] Cicero Tuscul. quæst. lib. 2. Spartæ, inquit, pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, vt multus è visceribus sanguis exeat, nonnunquam etiam, vt cùm ibi essem, audiebam ad necem: quorum non modò nemo exclamauit vnquam, sed ne ingemuit quidem. Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis, Pueri, ait, apud Lacedæmonios cæsi scuticis per totum diem in ara Orthiæ Dianæ vsque ad mortem sæpe verbera tolerant hilares ac gestientes, inuicémque de victoria contendentes, quisnam ipsorum diutius ac magis tolleret dum verberatur & qui superior fuerit inter præclaros habetur. Certamen autem ipsum Flagellatio vocatur, quæ per singulos annos celebratur. De puerorũ verberatione copiosissimè scribit Pausanias in Laconicis his verbis, Sacris præest fœmina, ea tantisper dum cæduntur pueri, signum præfert, quod est alioqui propter breuitatem leuissimum. Verùm si, quibus cædendi negotium datum est, cum quopiam eorum, qui cæduntur epheborum, vel ob speciem, vel ob natalium claritatem agant parcius, tunc eo vsque signum aiunt graue fieri, vt sacerdos illud sustinere nequeat. Quod vbi animaduertit, in cædentes scilicet causam confert, seque eorũ culpa quæritur onere opprimi. Ita retinet simulachrum Tauricæ deæ sanguinis cupiditatem. Vocatur autem illa non Orthia tantum, sed & Lygodesma, quòd in Lygorum (viticis id genus) fruticeto reperta sit.

r *Apud Gallos.*] Idem scribit Ioannes Boëmus Aubanus lib. 3. de Moribus, legibus & ritibus omnium gentium, sed nullum citat authorem.

s *Quibus amatores.*] De Lacedæmoniis intelligit, de quibus paulò antè locutus fuerat. Nam & Plutarchus in antiquis eorum institutis, Proborum, inquit, puerorum ingenium amare permissum erat, sed coire cum ipsis, turpissimum, lege prohibebatur, tanquam corpus nõ animus amaretur, Qui ergo foret accusatus, tanquam ad dedecus congrediens, per totam vitam infamis habebatur.

t *Qui etiam Cretensium.*] Hæc sunt Strabonis libro 10. vbi ea multis verbis exequitur. Et id quoque in vniuersa Græcia obseruatum fuisse videri potest ex Cic. libro 5. Tuscu. quæst. loquente de Dionysio Syracusano, Haberetque, inquit, etiam more Græciæ quosdam adolescentes amore coniunctos.

v *Lucani.*] Iustinus libro 23. post principium Lucani, inquit, iisdem legibus liberos suos, quibus & Spartani, instituere soliti erant. Quippe ab initio pubertatis in syluis inter pastores habebantur, sine ministerio seruili, sine veste, quam induerent, vel cui incubarent: vt à primis annis duritiæ parsimoniæque, sine vllo vsu vrbis, assuescerent. Cibus his præda venatica, potus mellis & lactis & fontium liquor erat. Sic ad labores bellicos indurabantur.

quor : [x] Colchis, [y] Æsiopibus & [z] Troglodytis atque [a] Ægypsiis. [b] Syris & [c] Phœnicibus, pudenda edisorum infantium circuncidere in vsu erat, hoc non mediocriser visæ commodis conducere ar bitrati : quo commenio labes curporum & eluuiones dilui putabans, seu quod multi putant, vt diuersitate noti fierent, velut omne arcanum & pudendum facinus inuelatum fieri ostenderent. In Arabia genus est, [d] Creophagos vocant, quibus nondum viri, sed mulieres Iudaicè excindi solebant, [e] sicut de Andramite Lydorum Rege, qui primus eunuchas fecit mulieres, sermo proditus est: quo exemplo [f] in Ægypto aliquando mulieres excindebantur. [g] Arcades verò pueri, tum [h] Lacedæmonij & Thraces, quanquam ferum genus, à teneris insuescuns inser prima rudimenta in modulis & cantibus versari, musicasque artes & vocum concensus ediscere ad annum srigesimum, velut hoc amplissimum iuuentuti munus darent : qui non didicisses, rudis & ignauus, atque infamiæ nota inustus putabasur. Græci verò adolescentes, musicæ & poeticæ, liberalibusque potius vacabant, disciplinis : in quibus excellere pulchrum putabant. In his enim tribus artibus, quas liberales vocant, literis, palæstra, & musica, plus operæ & studij conterebans Nec minore studio primæ adolescensiæ iuuenes imbuebant vt præter liseras & gymnasticas disciplinas, iuxta Aristotelis præceptum, quò ad reliqua munia firmiores essent: etiam [i] natare discerens. Et tametsi canendi ad tibiam ars, libero homine indigna prius visa foret, ad eamque sola mancipia admitscrensur: æuo mox succedente, tanti fuit honoris, vt ad illam nisi liber & ingenuus admitteretur nemo. [k] Sicut pingendi ars primum Sicyone, mox per omnem Græciam tanti fuit studij, vs pueros ingenuos picturam sanquam præcipuam liberalium artium in primis edocerent magistri, perpesuo interdicto, ne ad illam mancipia admitterentur : indoctúsque & omnium postremus habebatur, quisquis huius arsis nescius aut expers foret. [l] Platonis quoque institutum erat, vt iuuensus musicæ disciplinis inter primas artes instruatur, vt grauiora studia honesta voluptate lenirent. Id quod [m] Pythagoras censuit, qui repentinos motus animi, & mensis perturbationes, nulla re magis quam vocum concensu mulceri putauit. [n] Cuius tanto studio Græci affecti fuere, vt etiam ad myrtum canerent, cantórque cantorem, myrto tradiso, inuitaret, quod postea prouerbio increbuit. In qua [o] Timotheus tibicen multum floruisse proditur, qui duplicem mercedem exigebat ab his quos ab aliis magistris male institutos acciperet, quod hi prius dedocendi quam erudiendi erant: à rudibus verò & ignaris, simplicem. [p] Pœnorum verò mos patrius erat, editorum infantium venas capitis lana succida inurere, defluentémque pituitam hoc modo sistere, quod salutare experti aduersus morbos, hoc tãquam peculiari remedio se muniuere. Æthiopes quoque ab ipso natali die, editos infantes in fronte inurunt, & stigmate notant, quo capitis & oculorum humor exsiccetur. Quine iam in [q] Hibernia, quæ in penisissimo Oceano extra terras insula sita est, cultu indomito & fero, pueri ita aliti educatique sunt, vs inter arma & cædes versentur assiduè, matrésque natura immites, ingenio barbaro, primos cibos edito infanti gladio admouere ferantur. Tenet fama, apud Baleares [r] matres infantes pueros ab ipsis vitę incunabulis his disciplinis assuefacere, vt nisi oblatum cibum baculo aut funda peticrint prius, cibo vesci prohibeant. Quem vsum vetustissimum apud [s] Cadur-

Colchi. Æthiopes. Troglodytæ. Ægyptij. Syri. Phœnices Arabes. Andramis. Lydorum rex castrauit mulieres. Arcades. Lacedæmonij. Traces. Græci. Artes liberales. Gymnastica disciplina. Natare. Canere ad tibiã. Pingendi ars. Musica. Ad myrtum canere. Timotheus tibicen. Pœni. Æthiopes. Hyberni. Baleares.

ANNOTATIONES.

x *Colchis.*] Herod.lib.2. Diodorus Siculus lib.2.c.1. & iterum lib.4.c.3.

y *Æthiopibus.*] Herodotus d.lib.2.

z *Troglodytis.*] Diodor.lib.4.c.3.& Strabo lib.16.

a *Ægyptiis.*] Herodotus d.lib.2. Diodorus lib.2.c.1.& lib. 4.c.3. Strabo lib.17. Philo Iudæus in libello de Circuncisione, vbi & huius circuncisionis quatuor causas reddit non contemnendas, quas inibi videre potes.

b *Syris.*] Non de omnibus, sed de his qui sunt in Palæstina, id tradit Herodotus d.lib.2.

c *Phœnicibus.*] Idem eodem li. sed & ex eo ibi adde Macrones & Lygdos ex Martiale li.6.epig.39.

Quartus cinœda fronte, candido vultu
Ex concubino natus est tibi Ligdo:
Pracide, si vis filium: nefas non est.

d *Creophagos.*] Strabo lib. 16. vbi hæc eadem verba scribuntur.

e *Sicut de Andramite.*] Xanthus lib. 1. rerum Lydarum, & ex eo vide Athenæum lib. 12. cap. 4. & Polydorus Vergilius Vrbinas de Inuentoribus rerum lib.1 c.4.

f *In Ægypto.* Strabo lib.17.

g *Arcades.*] Polybius lib.4.

h *Lacedæmonij.*] Plutarchus in vita Lycurgi.

i *Natare.*] Vide suprà lib.1.c.20.

k *Sicut pingendi ars.*] Plinius lib.35.c. 10. Huius, ait, authoritate effectum est Sycione primùm: deinde & in tota Græcia vt pueri ingenui ante omnia graphicen, hoc est picturam, in Buxo docerentur, reciperetúrque ars ea in primum gradum liberalium. Semper quidem honos ei fuit, vt ingenui eam exercerent, mox vt honesti perpetuo interdicto ne seruitia docerentur.

l *Platonis quoque.*] De legibus, dialogo 7.

m *Pythagoras.*] Ex Quintiliano Orator. instit. lib.1.c.17. vbi laudat cognitionem rationis Musicæ, quæ ad mouendos leniendósque affectus plurimum valet. Nam & Pythagoram, inquit, accepimus concitatos ad vim pudicæ domui afferendam iuuenes, iussa mutare in spondeum modos tibicina composuisse.

n *Cuius tanto studio.*] Id Plutarchi est libro 1. Symposiacôn. de quo vide Erasmum Chiliadis 2. cent.6.c.21.

o *Timotheus.*] Quintil.lib.2.c.3.

p *Pœnorum verò mos.*] Herodor. lib. 4. vbi & illud addit, Quod si pueris inurendis spasmus existat, inuenta est ab eis medicina. vrina enim hirci aspersa eos liberant.

q *In Hybernia.*] Solinus capit. 35. de his loquens, Puerpera, inquit, siquando marem edidit, primos cibos gladio imponit mariti, inque os paruuli summo mucrone auspicium alimentorum leuiter infert, & gentilibus votis optat, non aliter quàm in bello & inter arma mortem oppetat.

r *Apud Baleares.*] Strabo lib.3. de Balearibus loquens sic scribit, A puerilibus hoc pacto ad fundas exercebantur annis, vt alioqui ne panis quidem pueris exhiberetur, nisi funda quicquam prius attingerent. & Vegetius de Re militari lib.1.c.16.

s *Cadurcos.*] Cadurchos legendum ex Xenophonte expe-

ditionis

cos, [t] Acarnanes,atque Æthiopes inualuisse legimus,vt saxa ingentia fundis intorquere,aut sagittas & iacula ingentis ponderis vibrare à teneris edi(cant. Idoneos authores habeo, [u] Ægyptios impuberes filios apud se alitos & educatos,his disciplinis exercere,vt nisi centum octoginta stadia prius cõfecerint cursu, vesci cibo nullo modo sinerent:quos à pueritia & primis annis, nudis pedibus ingredi iubebant,ne delicatior cultus corpora emolliret, eneruarétque. [x] Indi & Brachmanes edito infanti curatorem & vitæ magistrum custodémque adhibent,vt sub legibus & magistratibus,bonis disciplinis formatus, salutaribus exemplis erudiatur. [y] Apud quos infans in lucem editus,post menses duos in medium producitur : & cuius indolis & formæ sit publico concilio decernitur:vt ex faciei & corporis specie, si pace vel bello bonus,& an vita sit vel morte dignus,iudicetur.Et si cuius indoles probaretur,bonis ille formabatur doctrinis:qui verò minus,morte afficiebatur.Id quod [z] apud Spartanos erat Lycurgi lege sancitum,vt speciosus puer & forma liberali,publice educari:mācus vero & deformis in loca vasta & prerupta exponi,vel in vltimas terrarum oras ablegari deberet. [a] Idē legibus Romuli à primo ortu vrbis constitutum feruntur,vt si mancum quid editum,aut monstrificum fuisset,statim à partu in flumen aut mare exponatur. [b] Produnt Æthiopes editos pueros,quum paulum processere,super aues quas diuersi generis educant,sublimes imponere,eósque cuius spei futuri sint,periculo internoscere : nam si volantes intrepidi manent, velut generosos & se dignos, magna educant cura:si verò consternantur animo, & trepidi pauent,tanquam degeneres in loca deserta exponunt & abiiciunt. [c] Quod de Psyllis quoque proditum est,qui partus obiiciendo serpentibus, si illæsi maneant an suæ originis sint, experimenta internoscunt. [d] Nonnullæ Indorum gentes pueris adolescentibus,etiam si magnæ fortunæ & amplis opibus forent, pro seruis vtebantur : vt eam sortem experiri, quantum decus libertatis foret, agnoscerent. Quod cum Cretensibus & [e] Laconibus commune asseuerant fuisse,vt ingenuos filios seruilia exhibere cogerēt.Phrygibus verò familiare fuit,proprios vendere filios in eximio ætatis flore,& seruilem in modum educare. [f] Nabathæis quoque adolescentes ingenuos, seruilia præstare officia sanguineis , assidua exempla sunt. [g] Persæ autem editum infantem ante septennium in conspectu parentum non adducunt. Alij , [h] nisi post pubertatem filios à parentibus conspici non sinunt : quimos apud Heduos , plurimásque Gallorum & Germanorum gentes frequens fuisse traditur. [i] Quod ita institutum non ab re fuit : scilicet vt si quid grauius accidisset,aut si qua calamitas & aduersi casus puero euenturi forent,illos parentes qui ipsorum conspectu tam diu cauerunt,facilius ferant. [k] Eosdémque Persæ apud se educatos tam sanctis moribus imbuebant,vt illorum disciplinæ nihil addi videretur posse:siquidem per omnes ætatis gradus hæc illis rudimenta fuere,iustitiam colere,& æquum ab iniquo dignoscere:tum iaculari,equitare,arcu & cursu contendere,& præcipuè vera loqui. [l] Cibus verò tam frugalis & modestus,aduersus famem & sitim tantummodo paratus,vt iuuentus nasturtio, pane, aqua & sale velut exquisitis valde obsoniis vesceretur. [m] Tantique pudoris fuere,vt pro lege seruarent,ne in publico aut spuerent,aut nasum emunge-

Cadurci. Acarnanes. Æthiopes Ægyptij. Indi. Brachmanes. Spartani Romulus Æthiopes. Psylli. Indi. Cretēses. Lacones. Phryges. Nabathæi. Persæ. Hedui. Galli. Germani Persæ.

ANNOTATIONES.

ditionis Cyri Minoris lib.4.

t *Acarnanes.*] Hos in hoc armorum genere excellere tradidit Thucydides lib.2.bel.Pelopo.

v *Ægyptios impuberes.*] Diodorus Siculus lib.2.cap.1.

x *Indi & Brachmanes.*] De vtrisque promiscuè scribit:nam & Brachmanes sunt Indorum philosophi,id quod Alexander hîc scribit,tradit Strabo li.15.

y *Apud quos infans.*] Strabo eodem lib.

z *Apud Spartanos.*] Plutarchus in vita Lycurgi. & vide Ælianum Variarum historiarum li.14.c.7.

a *Idem legibus Romuli.*] Dionys.Halic.lib.2.& Bald in ll.Romuli in 18.l.in princip.& per totam eam legem.

b *Produnt Æthiopes.*] Diod.Siculus lib.3.c.13.vbi de insulis versus meridiem in Oceano inuentis.

c *Quod de Psyllis.*] Plinius lib.7.c.2.de illis loquens,inquit, Mos liberos genitos protinus obiiciendi sæuissimis serpentibus,eóque genere pudicitiam coniugum experiendi, non profugientibus adulterino sanguine natos serpentibus.Solinus cap.40.de iisdem quoque loquens,Recens,ait, etiam editos serpentibus offerebant. Si essent partus adulterini, matrum crimina plectebantur interitu paruulorum:Si pudici ,probos ortus à morte paterni sanguinis priuilegium turbatur.Sic originis fidem venenis probabāt.Et hoc quoque ipsum carminibus cecinit Lucanus lib.9.

-----Fiducia tanta est.
Sanguinis,in terram paruus cùm decidit infans,
Nequa sit externa Veneris mixtura timentes,
Letifica dubios explorant aspide partus.

Silius Italicus lib.1.

Necnon serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atir,tactuque graues sopire chelydros,
Ad dubiam admoto sobolem explorare ceraste.

d *Nonnullæ Indorum gentes.*] Strabo d.li.15.

e *Et Laconibus.*] Strabo ibid.

f *Nabathæis.*] Strabo lib.16.non multò ante fi.

g *Persæ.*] Valerius Maximus l.2.c.1.huius rei rationē reddēs vt scilicet patres paruulorum amissionē æquiore animo sustinerent. Strabo autem li.15. paulo antè fi.dicit antè quartum annum,Ante hos Herodotus lib.1 tradit ante quinquēnium puerum in conspectum patris non venire , sed apud fœminas degere:eamque tradit rationem quam Valerius.

h *Alij nisi post pubertatem.*] Cæsar in vniuersum de Gallis loquens lib.6.belli Gallici,In reliquis,inquit,vitæ institutis hoc ferè à reliquis differunt, quòd suos liberos , nisi cum adoleuerint, vt munus militiæ sustinere possint,palàm ad se venire non patiuntur:filiúmque puerili ætate in publico in conspectu patris assistere turpe ducunt.

i *Quod ita institutum.*] Ex Vale.Maximo,& Herodoto quo loco suprà proximè citauimus in verbo,Persæ.

k *Eosdemque Persæ.*] Strabo lib.15.non multò ante fi.Et ante illum Herodo. lib.1.

l *Cibus verò.*] Xenophō in Pædia Cyri l.1.& Strabo vbi sup.

m *Tantique pudoris.*] Xenophon d. lib. 1. sed alio in loco. Sed & eiusdem operis lib. 8.scribit ipsum Cyrum Maiorem ita Persas ipsos exercuisse, vt apud eos neque spuere, neque mucum emittere appareret. Et alibi posteà eodem libro : Lex erat apud eos,neque spuere, neque mucum facere.Est autem manifestum hæc eos lege sanxisse,non quia

parce

Vini abstinentia. Nudum vidisse hominem capitale. Scythæ. Amici. Romani. Postuerta Prosa. Egeria. Iuno Fluonia. Tibarenorum maritorũ mos. Thraces. Scythæ. Cãtabri. Celtiberi. Atheniẽses. Cyrnæi. Ligures. Illyrici. Romanorum mos & ceremonia post editũ infantẽ. Syluanus pueris infestus. Spartani. Galli. Thraces. Scythæ. Cato Cẽsorius. Quoto die infãti nomen dabãt Romani. Dies lustricus.

rent:néve in conspectu parentum, nisi iussi considerent. Et [n] quum natalem diem festum singuli & præcipuum habeant, illis tamen etiam indulgentissimi parentes vino abstinere velut immani scelere præcipiebant.[o] Vtque nullis errorum maculis notarentur, nudos conspici viros, nec fas, nec ius esse dicebant. Itaque nudum conspicere hominem, ac si immane scelus admissum foret, capite luebatur. Scythis verò à patribus traditur mos non improbandus, vt iuuenes ephebos plurimos sibi amicos cõparare, velut firmissima vitæ præsidia, iuberent. Is enim habebatur affluens & beatus, qui pluribus familiaritatibus fultus foret, pro certo arbitrati, in rebus deploratis & afflictis, nulli vnquam satis fuisse amicorum. [p] Romanis verò præualuit vsus, vt quæ veterum ferunt, antequam ederetur partus, Postuertæ & Prosæ, quibus duæ aræ dicatæ erãt, ne partus peruersi nerent, neve fœtus præposterè exiret, immolarent, [q] Egeriæque nymphæ, & [r] Fluoniæ Iunoni sacra facerent: quia putabant illarum ope conceptum egerere, & fluorem sanguinis cohibere. Cuius rei causa [s] apud Tibarenos inoleuit mos, vt mariti post vxoris puerperium, capite obuoluto tanquam ipsi enixi fuissent, in lectulo decumbant, ea accubatione vxoris labores & ventris profluuia cohiberi arbitrati. Fuere autem Tibareni iuxta Cappadoces, qui in risu & iocis atque indulgentia fortunæ versari solebant. Idem [t] Thracibus & Scythis Cantabris & Celtiberis proprium, vt puerperæ viris ipsarum vice decumbentibus ministrent & famulentur. Apud Athenienses præcipuum edulium puerperæ brassica dabatur, velut parturienti commodissimum: mox stolis initiatorum infantem obuoluere, ad valetudinem mirè proficere putantes. [v] In Cyrno mulier puerpera editę prolis nullam curam gerit, sed vir domi abditus, infantilis educationis curam atque onus fert. In Lyguria quoque & Illyrico mulieres tam patientes laborum sunt, vt post puerperium minimè decumbant: pręgnantésque inter opus enixas pueros domum referre tradunt: quos non peperisse, sed inuenisse credas. [x] Cumque infans editus primam lucem hausisset, Romanis erat in vsu, vt ab obstetrice exceptus, humi sterneretur, quasi diuinationem futuri exitus inde auspicaturi: lectóque Pilumno & Picumno in ędibus parato, ita augurabantur, vt his pręsidibus diis vitalis foret: neve [y] Syluanus in domum irrepere valeat, quem vexare pueros opinio erat, ad fores ædium tres viros qui peruigiles domum circuirent, aduocabant, quorum primus limen securi, alter pilo feriebat, tertius verò scopis euerrebat: [z] mox nomen & tempus editorum filiorum apud præfectos ærarij publicis actis testarentur & scriberent. Quæ quidem in [a] Saturni æde tanquam publica monumenta seruari proditum est. Deinde cùm cibo & potu eum initiarent, [b] Edusæ & Potinæ sacra facerent. Eodémque Adolescente [c] Maię, quę fatua dicta est, ac [d] Statano & Fabulino more patrio immolarent. Fuitque receptus mos, vt in testudineis alueis, aut ex tergore marinarum testudinum factis calida pueros abluerent, mox oleo & butyro perungerent. [e] Spartani quandoque mero abluebant, quod vino admoto resolui ęgritudines putarent, [f] Nonnulli sale & aqua. [g] Galli pręgelido amne, vt à teneris calores & frigora pati ediscerent. Idem [h] Thraces [i] Scythæque. Fertur tamen [k] Cato Censorius tam accuratè procurandis liberis studuisse, vt nisi se spectante nunquam infantem ablui, aut velamentis obuolui siuerit: néve pueri recens editi è cunis forte deciderent, & terra corpuscula affligerentur, culcitras iuxta cunas vndique sternerent, vt inde excepti innoxij fierent. [l] Maribúsque nono die postquam in lucem editi fuissent, fœminis verò octauo, nomina imponerent, nonnunquam septimo, qui dies lustricus nomen habet. Quod teste [m] Aristotele ideo cau-

ANNOTATIONES.

parcerent corporis humori: sed quoniam vellent per labores ac sudoré reddere corpora solidiora. Herodotus lib.1. scribit, eisdé nec vomere corãm, nec vrinã facere licuisse.

n *Et cum natalem.*] Idem Herod.d.lib.1.

o *Vtq; nullis.*] Herod.lib.4.

p *Romanis verò.*] Id est ex Gellio lib. 16. c. item 16. Huius, inquit, periculi deprecandi gratia aræ statutæ sunt Romæ duobus Carmentibus: quarum altera Postuerta nominata est, Prosa altera, à recti peruersique partus & potestate & nomine.

q *Egeriæq;.*] Festus Pomp. lib.15.

r *Et Fluoniæ Iunoni.*] Idem lib.6.& Bocatius in genealogia Deorum.

s *Apud Tibarenos.*] Apollonius Rhodius lib.2. Argonauticõn, Nymphodorus & Xenodorus in collectaneis.

t *Thracibus.*] Idem de his atque Scythis, Cantabris, & Celtiberis tradit Cælius lib.18.cap.22.& idem Diodorus Siculus lib.6.de Corsicis.

v *In Cyrno.*] Ea Corsica est, vt videre licet ex Strabone lib. 5.

x *Cumq; infans.*] Varro lib.2. de vita populi Romani, & ab eo Nonius de doctorum indagine & diximus in Commẽtariis l.si vnquam.in verb.susceperit liberos.nu.154. incip. cui adde &c.

y *Neve Syluanus.*] Varro, & eius authoritate D.Augustinus de ciuitate Dei lib.6.c.9.

z *Mox nomen.*] Vide Budæum in priot.annot.in Pandectas in l.cum de ætate.ff.de probat. in dict.professio liberorum.

a *In Saturni æde.*] Plutarchus prob.c.41.

b *Edusæ & Potinæ.*] Varro, & ex eo Nonius Marcellus & Donatus in Phormionem Terentij, vbi has Eduliam & Poticam vocat. Arnobius contra Gentes lib. 4. Victam & Potuam, nisi ibi Victuam legendum sit. Diuus Augustinus de Ciuitate Dei lib.6.ca.9.post princip.Educã & Potinam. Lilius Gyraldus Historiæ Deorum Syntag.1.

c *Maia, quæ fatua dicta est.*] Macrobius lib.1.Saturnal.ca.12.

d *Statano & Fabulino.*] Var.lib.1.de pueris educand & eius authoritate Nonius Marcellus de doctorum indagine in fi. Lactantius.

e *Spartani quandoque.*] Plutar.in vita Lycurgi.

f *Nonnulli sale & aqua.*] Cælius Rhodiginus Lect. antiq. lib. 6.c.2.

g *Galli.*] Galenus περὶ ὑγιείας lib.

h *Idem Thraces.*] Vide ibi.

i *Scytaq;.*] Vide ibi.

k *Cato Censorius.*] Plutarchus in vita illius.

l *Maribusq;.*] Plutarchus Prob.c.102.Macrob. lib. 1. Saturnal.ca.16.Festus Pompeius lib. 10. vbi de Lustricis diebus loquitur.

m *Aristotele.*] lib.7.de natura animalium,

n Ab

tum,quòd ante septimum pluribus infans casibus expositus manet. Ab[n] Atheniensibus verò & omni ferè Græcia, decima à natali die infanti nomen indere seruatum est. Apud Troglodytas fuit patrij moris.vt non hominum,sed arietis, pecoris aut ouis imponant infanti nomina.quod bruta,quorum ope victitabant,suos genitores ducerent.[o] Atlantes verò Africæ populi, nulla infantibus indere nomina cōsueuere: sed velut bruta anonymi fuere. Diuus autem[p] Antoninus philosophus,natos liberos apud præfectos ærarij profiteri, & tertio die à partu nomina ferre iussit. Nono vero die nomina infantibus indere, antiqui moris fuisse, illud exemplo est, quod[q] Nundina dea Apud Romanos magnæ religionis erat:[r] ipsumque infantem editum in gremio & sinu matris,ac ipsius lacte educari potius quàm apud coemptas nutrices ali permitterent,cum ingenuitas à matre sola,non patre proficiscatur: aut si permisissent, magna cura præcipuas illi nutrices[s] Laconicas, velut educationis magistras, admouerent: cum propter lactis & educationis vitia sæpe infantes degenerasse compertum sit.Quod æquè[t] Germanis est habitum nefas, apud quos mater filium suo lacte alit,nec nutrici educandum delegare licet.Græcorum verò inualuit mos, vt quinto die à partu, mulieres comites puerperij,manus abluant, & puerum laribus circunferant, polypósque & sepias munuscula à cognatis ferant: deinde cum puer paululum processisset,[u] prætexta illum donabant Romani ,[x] & bulla. ea enim erat aurea,Insigne nobilitatis,figuram cordis habens,vt significarent,eam ætatem alterius consilio regendam,qua primùm à Prisco Tarquinio donatum eius filium tradunt,quem in prætextæ annis hostem dicunt occidisse.Hac Romani pueri honestè geniti & liberaliter educati patricij,aut illorū qui equo meruissent, filij, postea vsi fuere.[y] Lorum verò erat insigne libertorum, plebeiorum & pauperum.[z] Propius vero est, quod fœdere icto cum Sabinis & Tatio , cautum fuit, vt bulla prætextáque per eas tempestates Sabinorum ornatu , raptarum filij vterentur.Fuitque antiqui moris, vt parentes bonis exemplis artibúsque honestissimis liberos educarent,[a] plerunque apud patruos,ne nimia parētum indulgētia lasciuirent.Maximáque dabatur opera,ne quid insolens aut perniciosum,néve quidquam quod minus esset decorum,coram infante pater faceret aut diceret:néve vir mali exempli,qui seruilibus vitiis imbueret animos,in conuictu esset:[b] magni enim interest,quos quisque audiat domi, quibus cum loquatur puer.[c] Quare Cato censor tanti exempli fuit,vt Manlium senatu mouerit,quòd interdiu præsente filia vxorem suauiasset:asserens se à sua nūquam nisi cum tonaret præ timore complexum esse. Et Hieron[d] Epicharmum comicum mulctasse & pœna affecisse dicitur, quod coram filia lasciuos edidisset versus.[e] Tum vt socij consiliorum , magistrique & comites pueto probatissimi darentur, qui acuerent iuuentutem ad studia & bonas artes. Nam prauis impulsoribus multos degenerasse compertum est.Quod etiam à Græcis summo studio seruatum meminimus,vt dum puerilis ætas prona esset ad vitia,magistros adhiberent probatissimos, magnæ & expertæ virtutis, quorum conuictu & domesticis disciplinis exemplisque formarentur.[f] Sic Achilles Chirona[g] & Phœni-

Athenienses. Troglodytæ. Atlantes. Nundina. Matres ipsæ nutrices suorum infantum. Laconicæ nutrices. Germani. Græci. Romani pueros bulla donabāt & prætexta. Bulla qualis,& quorum insigne. Lorū quorum insigne fuerit. Educatio. Exempla parentū corā pueris. Cato Censor. Hieron. Magistri & cōsortia puerorum.

ANNOTATIONES.

n *Ab Atheniensibus.*] Vide nostros Commentarios in l. si vnquam. in verb.susceperit liberos.n. 168.nec hinc longe.

o *Atlantes.*] Herodotus lib.4.Pomponius Mela lib.1. Plinius lib.5.c.8.Solinus c.44.

p *Antoninus Philosophus.*]Iulius Capitolinus in vita illius.

q *Nundina dea.*]Macrob.lib.1. Satur. cap. 16. Festus Pompeius.

r *Ipsumq; infantem.*] Vide hîc omnino quæ scripsimus in nostris Commentariis Nobilitatis ca.20.nu.78.incip. licet mater.cum multis seq.

s *Nutrices Laconicas.*] De huiusmodi Laconicis nutricibus vide Plutarchum in vita Lycurgi.

t *Germanis.*] Cornelius Tacitus in lib.de moribus Germanorum.

u *Prætexta.*]Macrobius lib.1.Satur.c.6.

x *Et bulla.*] Asconius in 3. in Verrem act.Plutarchus Problem.c.101 Macrob.d.c.6.lib.1.

y *Lorum verò.*] Asconius & Macrobius vbi suprà , & præterea Plinius lib.33.c. 1. & diximus in nostris Commentariis Nobilitatis c.37.

z *Propius verò est.*] Vide Macrob.vbi suprà.

a *Plerunque apud patruos.*] Vide nostrum Rerpertorium in verbo,Patruus.

b *Magni enim interest.*] Plato nutrices admonuit,vt ne friuolas ac turpes pueris fabulas mandent,ne illorum animos ab initio stultitia & corruptis imbuant moribus : quod & ex eo repetit Plutarchus in lib. de liberis educand. vbi & illud citat Phocylidis,

Dum tener est natus,generosos instrue mores.

Et vide quæ scripsimus in ll. Connubiali.l.16.nu. 26.incip. tertium.cum 3.seq.

c *Quare Cato censor.*] Plutarch. in vita ipsius , & in præceptis Connub.c.12.

d *Et Hieron Epicharmum.*] Plutarchus in Apophtheg. Imperatorum.

e *Tum vt socij consiliorum.*]Hæc patent ex exemplis quæ sequuntur.

f *Sic Achilles Chirona.*]Homerus li.11.Iliad.in fin.de Achille loquens,

ὃν Χείρων ἐδίδαξε δικαιότατος Κενταύρων.

Et Claudianus in panegyrico de tertio consulatu Honorij.

---- Non ocyus hausit Achilles
Semiferi præcepta senis. ----

Et Sidonius Apollinaris de eodem loquens.

Venatu,fidibus, palæstris & herbis
Sub Saturingine sene institutus.

Et Vindicianus.

Quod natum Phœbum docuit,quod Chiron Achillem.

Et diximus in nostris Commentariis de Nobilitate c.31. n. 113.incip. de Achille.

g *Et Phœnicem.*] Homer.lib.9 Iliad. vbi introducit ipsum Phœnicem hæc de ipso Achille pronunciantem,

Τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Cuius loci authoritate Cicero lib.3. de Oratore.Iidem, inquit , erant viuendi præceptores atque dicendi , vt ille apud Homerum Phœnix, qui se à Peleo patre Achilli iuueni comitem esse datum dicit ad bellum , vt illum efficeret oratorem verborum, actorémque rerum. Et Quintilianus lib.2.orator.instit.cap.1. in fin. eiusdem loci Homeri

Carbilius primus ludi magister Romæ. Cato Cẽsorius filium instruxit. August. Octauius filios ascititios edocuit. Virgines ludum literarium adibant. Ordo instituendi in literis apud Romanos. Quo instrumento vapulârit negligentiores.

cem, [h] Agamemnon Nestorem. [i] Hector Polydamanta, [k] Telemachus Menelaum, [l] Alexander Aristotelem, [m] Antigonus Zenonem, atque alij vitæ magistros habuere non pœnitendos, [n] sicut Augustus Apollodorum Pergamenum, Tiberius [o] Theodorum Gadareum, [p] Homerus Prognopidem, [q] Virgilius Silonem, Cicero [r] Diodorum, qui illos egregiis artibus instructos, ad bonam frugem prouexere: quorum doctrina, integritate & fide, magni postea viri euasere Primus enim Carbilius proditur, qui iuuentuti Romæ ludum aperuit: eius Carbilij libertus, qui vxorem repudiauit [s] primus. [t] Cato verò Censorius tam sanctè filium edocuit, vt non alium quæsiuerit magistrum, sed seipsum quia pater erat, filiis exhibuerit præceptorem. [u] Augustus quoque Octauius, Caium & Lucium, quos sibi filios asciuerat, non alterius, sed sua ipsius doctrina imbuit: itaque literas & natare illos scientissimè docuit. Vtque in ludum literarium non solum ingenui pueri, sed & virgines nondum adultæ, literis & bonis disciplinis formandæ ventitarent. Eligebatúrque aliqua matrona insignis, spectatæ virtutis, toto generi propinqua, aut vir grauissimæ disciplinæ, cuius sanctitate & moribus tota familia & infantilis cognatio, bonarum artium cupiens imbueretur. Apud eúmque in domo honestissima Hetruscas primùm literas, mox Græcas, & haud multo post circunscriptas sententias, quas [x] chrias Græci vocant, ediscebat: deinde studia liberalia & animi cultum. A quibus si quid esset offensum, prætextati [y] anguillatum tergore, [z] pueri ferula, à parentibus verò leuioribus flagris vel plagis, aut puerili verbere plectebâtur, quibus exciti disciplinis, ad virtutem vegetabant animos cor-

ANNOTATIONES.

meri authoritate suadet dandum esse iunioribus præceptorem, qui tam eloquentia quam moribus sit præstantissimus, qui ad Phœnicis Homeri exemplum dicere ac facere doceat. Et Plutarchus de liberis educandis, Frugi pædagogum talem natura esse oportet, qualis Achillis pædagogus Phœnix erat, quem idcirco Peleus, vt est apud Homerum Achillis curæ præfecisse dicitur, vt ei dicendi pariter ac faciendi ductor & magister foret.

h *Agamemnon Nestorem.*] Ex Homero lib. Iliad. 13. Et Cicer. episto. famil. lib. 9. epistol. 14. ad Dolabellam.

i *Hector Polidamanta.*] Ex eodem lib. 13. Iliad. & alibi.

k *Telemachus Menelaum.*] Vnde id acceperit nescio, nisi fortè ex ipso Homero Odys. lib. 4. Vbi Menelaus multa docet & admonet Telemachum. vide Philostratum de Iconibus.

l *Alexander Aristotelem.*] Plutarchus in vita ipsius Alexandri. Gellius lib. 20. c. 4. Adde & Anaximenem ex Valerio lib. 7. c. 3.

m *Antigonus Zenonem.*] Scilicet Citticum ex Laërtio in vita illius, Fuit enim & alter Zeno Eleotes, de quo & ipse Laërtius. Sed adde & Cleanthem ex eodem in vita ipsius Cleanthis.

n *Sicut Augustus Apollodorum.*] Suetonius in vita illius ca. 89 Strabo li. 13 Lucianus in Macrobiis, & Suidas & Quintilianus lib. 3. cap. 1. Et Eusebius Chronographus. Sed & adde Arrium Philosophum Alexãdrinum cuius opera vsus est ipse Augustus in studio philosophiæ, vt tradit Dion Nycæus in historia illius. Et Athenodorum Tarsensem authore ipso Luciano.

o *Tiberius Theodorum.*] Suetonius in Tiberio, cap. 57. Adde & Trasullum ex Cornelio Tacito lib. 5. & Nestorem Tarsensem Stoicum ex Luciano in Macrobiis.

p *Homerus Prognopidem.*] Quidam autem tradunt Creophylum Homeri magistrum, alij Aristeum Proconnesium tradunt, apud Strabonem lib. 12. Herodotus verò in vita illius illi præceptorem fuisse Phemium Smyrnæum ipsius vitricum scribit. de quo & ipse Homerus mentionem fecit lib. 1. Odyss.

> *Κῆρυξ δ' ἐν χερσὶν κίθαριν περικαλλέα θῆκε*
> *Φημίῳ, ὃς πολλὸν ἐκαίνυτο πάντας ἀοιδῶν*

Et de hac re nonnihil apud Plutarchum in vita ipsius Homeri post princ.

q *Virgilius Silonem.*] Donatus in vita ipsius Virgilij. At hûc Sironem vocat Seruius tum eglo. 6. in ipsum Virgilium, tum lib. 6. Æneid. in eum locum,

> *Dij quibus imperium est animarum.* ——

r *Cicero Diodorum.*] Scilicet in Dialecticis, teste item Cicerone in Bruto, vide eundem lib. 1. de natura deorum. Adde & eundem præceptorem habuisse Antiochum Ascalonitam ex Plutarcho in vita ipsius. Et M. Pupium Pisonem ex Asconio Pediano, in orat. Cic. contra L. Pisonem, & Philonem ex ipso Cicerone lib. 2. Tuscul. quæst. post princip. Et Apollonium Milonem ex Quintiliano lib. 12. cap. 6. Adde inquam, quod Theseus Conidam præceptorem habuit, ex Plutarcho in vita illius. Zoroastes Azonacem ex Plinio lib. 30. cap. 1. Pompeius Aristodemum, ex Strabone lib. 14. Cæsar Antenodorum Sandonis filium ex eod. eo ipso lib. 14. Cato Vticensis Sarpedonem ex Valerio Maximo lib. 3. cap. 1. Et Antipatrum (vide Ciceronem in lib. de fin. bon. & mal & Plutarchum in vita illius) Germanicus Cassium Syllanum auunculum suum. Plinio lib. 34. cap. 7. Hannibal Silam & Sasilam Lacedæmonios (Vide Silium Italicum & Plutarchum) Themistocles Anaxagoram Milesium. (Vide Plutarchum & Laërtium in vitis vtriusque.) Marcus Antoninus Philosophus Imperator Heredem Atticum, Frontonem Cornelius & alios plurimos recensitos à Iulio Capitolino in vita illius post princ. Et Gordianus Iunior Imperator Satinum Hammonicum ex Iulio Capitolino in vita illius. & Alcibiades Zopyrum apud Plutarchum in vita ipsius. & Scipio Africanus Iunior qui Carthaginem euertit, Polybium ex Appiano ex bello Libyco. Et Ptolemæus Euergetes Aristarchum Grammaticum ex Athenæo lib. 2. capit. 33. Et Attalus Rex Simachum ex eodem lib. 6. cap. idem 6. Demosthenes Platonem & Chalistratum ex Gellio lib. 3. c. 3.

s *Repudiauit primus.*] Valerius Max. lib. 2. cap. 1. & Gellius lib. 4 c. 3.

t *Cato verò Censorius.*] Plutar. in vita illius,

v *Augustus quoque Octauius.*] Suetonius in vita ipsius Augusti cap. 64. Nepotes, (loquitur de Caio & Lucio suis nepotibus ex Iulia ipsius filia & Agrippa) & litteras, & natare, & alia rudimenta per se plerumque docuit. De his autem Tacitus lib. 1. post princip. & iterum postea. Dion in vita ipsius Augusti. Et Tacitus lib. 1.

x *Chrias.*] Quintilianus lib 1. cap. 9. & lib. 2. cap. 4. Seneca ad Lucilium Epist. 1. lib 5. epist. omnium 33. Priscianus lib. quo loco de Rhetoricæ præexercitamentis tractat.

y *Prætextati anguillarum tergore.*] Plinius Varronis authoritate lib. 9 c. 23. in fi.

z *Pueri ferula.*] Horatius lib. 1. Sermo. saty. 3.

> *Nam vt ferula cædas meritum maiora subire*
> *Verbera non verear.*

Et Columella lib. 10. post princ.

> *Nec manibus mites ferulas.*

Et rursus eodem lib.

> *Capparis & tristes inulæ, ferulæq; minaces.*

Iuuenalis saty. 1. post princ.

> *Et nos ergo manum ferulæ subduximus.*

Martialis lib. 10. epig. 62.

> *Ferulæque tristes sceptra pædagogorum.*

Et lib.

poráque. Quod [a] apud Thurios & omnem ferè Græciam lege cauebatur, vt pueris cum primum adolescerent, magistros studiorum, doctos ætate & vsu in primo tyrocinio publica impensa præficerent. Vtque plures vnius curæ & disciplinæ mandarentur, qui magister esset & comes, sicut de Thuscis & Massiliensibus traditur. Idem apud Iberos [b] Sertorius fecit, vt magistris scientissimis, qui artes docerent liberales, ingenuósque educarent, stipendium de publico daret. [c] Alexander Macedo multis millibus puerorum ex Perside magistros dedit, qui Græca instituta, mores, militarémque disciplinam præciperent. Quod de [d] Vespasiano proditum est, vt Græcis Latinisque rhetoribus annua centena daret: & de [e] Antonino Pio, qui rhetoribus per omnes prouincias annua salaria constituit. [f] Traianus quoque adolescentes ad quinque millia bonæ indolis, ex omni imperio selectos, publice ali, & pa-rentis affectu paribus disciplinis erudiri curauit, [g] ex præcepto Lycurgi, qui ingenuis adolescentibus virum præesse voluit peritum ac vigilantem, ex his qui summi eliguntur magistratus, quem pædonomum nuncupauit. Persarum vero pueri non literas, quemadmodum consuetudo fert, sed iustum ab iniquo secernere, & qua pœna improbus homo dignus, qui pace vel bello bonus, & quæ sit turpis & honesti distinctio, in scholis edilcebant. [h] Ægyptij geometriam & arithmeticam: puerum vero regium magicas artes edocebant in primis, tanquam studia sanctiora. Ea enim erat diuinorum scientia, qua imbui regum filios voluere, quoniam ad magnæ fortunæ cultum ingenia excitaret: Qui [i] mos Persarum regum frequens fuit, vt magicis artibus imbuerentur: [k] Spartanæ vero virgines nondum adultæ, in discorum iactu, cursibus & palæstra exercentur omnes nudæ: quod studium à Laconibus, qui summi palæstritæ fuerunt, excolebatur in primis: id quod [l] Plato non improbauit, censuítque vt non modò puellæ, sed & anus luctarentur cum viris, vt patientes laborum, facile res arduas subirent: quorum studio in posterum adeò affecti sunt, vt gymnasia & palæstras, quibus tota Græcia dedita erat, ita occupasse animos tradant, vt pro fortibus militibus se bonos palæstritas & athletas dici potius exoptarint. [m] Apud Pythagoræos, discipuli licet disciplinis imbuantur bonis, illis tamen annis quinque obstinato silentio tacendum erat: quippe primum rudimentum erat tacere & meditari. [n] Cretensium pueros cogebant magistri in primis leges, mox deorum hymnos, atque egregia ducum facta modulatis vocibus mandare memoriæ. [o] Apud Siginnos, qui Persicé viuunt, quadrigas agitare, erat puellare studium. Nondum enim adulta virgo quadrigas flectere & circumagere magna facilitate callebat, quibus hoc erat priuilegio datum, vt quem vellet ex iuuentute in virum diligere liceret. [p] Tanta porrò Romanæ verecundiæ obseruatio & morum exempla fuere, vt nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lauaret. nudósque conspicere parentes, ducerent nefas. Hoc tamen ad memoriam insigne est, quòd quamuis pueri tam castigatæ disciplinæ forent, vt omnis esset vita plena grauitatis: calculum tamen ediscere, & cōputationibus dare operam, in vsu fuit Romæ non improbando, tanquam inde redundaret ingenij ratio, exactissima. In quo id fuit animaduersum solos [q] Thraces ad quatuor vsque numerare didicisse, [r] Græcos & Barbaros ad decem. [s] Albani vero vltra centum computare non nouerunt. Mirúmque prodi, [t] Meleridem adeò vecordem fuisse, vt vix toto ingenij captu ad quinque numerare disceret. [u] Veteres verò Romanorum vltra centum millia numerare nesciuisse, multi asseuerant. Tum saltationis genera, † & motus Ionicos

Stipêdia professoribus cōstitutum. Thusci. Massilienses. Iberi. Sertorius. Alexander. Vespasianus. Anton. Pius. Traianus. Pædonomus. Persæ. Regum pueri apud Ægyptios. Magicæ ars. Reges Persarũ. Spartanæ virgines. Gymnasia, palæstra. Græci. Pythagoreorũ discipulorũ silentiũ. Cretenses. Siginni. Romanorũ pudor. Arithmeticā discebāt pueri Romani, & quare. Thracũ numerus. Græcorũ, barbarorum, Albanorum. Meleridis stupiditas. Romani. Iones.

ANNOTATIONES.

Et lib. 14. epig. 85. de his quoque loquens.

Inuisæ nimium pueris, grataq; magistris.

Et Vlpianus noster in l. 1. §. impuberes. ff. de Senatuscon. Silla. Aristoteles autem Proble. lib. c. 15. scribit ictum ferulæ dolorem maiorem mouere, quàm vllum aliud duriorum cùm tamen acriùs feriat quod est durius. Cuius rationem reddit, quoniam ferula propter ponderis leuitatem percusit & repercutit, ita vt ictus duplicet.

a *Apud Thurios.*] Diodorus Siculus libr. 12. in recensione legum Charondæ Thuriorum legislatoris.

b *Sertorius.*] Plutarchus in vita illius.

c *Alexander Macedo.*] Plutarch. in vita illius. Triginta, inquit, Puerorum Persarum millibus delectis, eos Græcarum disciplina instrui. Et Macedonico more armorum vsibus versari præcepta, compluribus ad eam rem magistris instructis. Quod & postea iterum repetit.

d *De Vespasiano.*] Suetonius in vita illius c. 18.

e *Antonio Pio.*] Iulius Capitol. in vita illius.

f *Traianus.*] Id vbi scriptum sit nescio, neque enim Aurelius Victor, neque Eutropius, neque Paulus Orosius quicquam dicunt. Dion autem statim post principium vitæ illius scribit illum ciuitatibus Italiæ multa largitum fuisse ad educationem liberorum, in quos magna beneficia contulit, nec aliter declarat.

g *Ex præcepto Lycurgi.*] Plutarch. in Lycurgo.

h *Ægyptij.*] Diodorus Siculus lib. 2. c. 3. paulò ante fi.

i *Qui mos Persarum.*] Plato lib. de repub. & ex eo Apuleius Apol 1.

k *Spartanæ verò virgines.*] Xenophon in repub. Lacedæmoniorum. Plutarch. in vita Lycurgi. & in Apophth. Laconicis. Propertius lib. elegant. 3. eleg. Et Ouidius in epistola Paridis ad Helenam, & latè diximus in ll. Connubial. lib. 4. nu. 29. incip. ego verò.

l *Id quod Plato.*] Scilicet lib. 6. de ll & lib. 3. de rep.

m *Apud Pythagoræos.*] Laërtius in vita illius. Plutarchus in lib. de Curiositate Philostrati in vita Apollonij lib. 1.

n *Cretensium.*] Strabo lib. 10. & Ælianus in varia historia lib. 2.

o *Apud Siginnos.*] Strabo lib. 11.

p *Tanta.*] Valerius Max. lib. 2. c. 1.

q *Thraces.*] Aristoteles proble. lib. 15. c. 3. in fi.

r *Græcos & Barbaros ad decem.*] Vide ipsum Aristotelem in eod. loco.

s *Albani.* Strabo lib. 11.

t *Meletidem.*] Melitidem legendum ex Zenodoto in Collectaneis, quo loco tractat illud Prouerb. μωρότερος μελιτίδου, de quo Erasmus Chilia. 4. cent. 4. c. 69.

u *Veteres verò Romanorum.*] Plin. lib. 33. c. 10. in princ. Non erant, inquit, apud antiquos (de Romanis loquens) vltra cētum millia. Itaque & hodie multiplicabantur hæc, vt decies centena millia aut sæpius dicuntur.

† *Et motus Ionicos.*] Horat. lib. 3. Carminum Ode 6.

Q *Motus*

Ludus saltatorius. Persa. Lacedæmonij.

Romanam iuuentutem ediſcere, quandóque in vſu fuiſſe. [x] Siquidem Iones pſallendi normam, & molles ſaltus primi inueniſſe traduntur. Itaque [y] ingenuos pueros, etiam ſenatorum filios, ſchola egreſſos, ad ludum ſaltatorium frequentes commeare, & cum crotalis, neruorúmque & tibiarum cantibus ad numerum certo motu pſallere, antiquæ diſciplinæ fuit. Quod [z] apud Græcos, [a] Perſas, atque [b] Indus, dignum laude & exquiſitæ artis fuiſſe, Homero teſte probatur, qui inter cætera ludicra liberalia ſaltationem ponit. Quippe [c] ſaltare habent Perſæ & equitare præcipuum. [d] Lacedæmonij quoque ſaltationem tanquam ad bella vtilem, vt greſſu compoſito incederent, inter quotidianas diſciplinas habuere. Et vt concinna fieret motio in congrediendis hoſtibus, pueri nudi ſaltare didicerunt.

Epaminundas. Modi & ſaltandi genera.

Quare [e] Epaminundas & ſaltaſſe & cantaſſe dicitur probe. quas etiam per genera & modos diſtinxere: [f] vt podiſmus, & ſophiſmus [g] modus, [h] comus & [i] tetracomus in hoſtium congreſſu fierent. [k] Aſcoliaſmus verò Baccho dicatus erat, vbi in theatro ſuper vtres obunctos vno pede ſaltant: [l] Colabriſmus, [m] Phalicus, [n] Bactriaſmus, Strobilius, Apocinus, & Apoſiſis, aliáque ſaltationum genera, diuerſo quæque geſtu & modo erant in quotidiano magis vſu frequentia. Ea tamen ſaltatio non vbique & paſſim, ſed in tempeſtiuo conuiuio deliciarum cauſa ſiquando præſtabatur, laudi fuit. Quippe cantus & ſaltatio, [o] Homero teſte, conuiuij appendices ſunt, modeſta tamen, nō imprudens, qualis fuit [p] Hippoclidis, qui apud Cliſthenem futurum ſocerum dum intempeſtiue ſaltat & geſticulatur, illum deſaltaſſe matrimonium Cliſthenes dixit.

Hippoclidis de ſaltatio. Fidibus diſcebāt veteres.

[q] Appius quoque Claudius vir triumphalis, & [r] Gabinius, [s] M. Cæcilius & [t] Licinius Craſſus optime ſaltare gloriæ duxerunt: ſicut fidibus ſonare. [u] Diſcebant enim fidibus antiqui apud magiſtros & artifices. nam Decius

ANNOTATIONES.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo.

x *Siquidem Iones.*] Acron & Porphyrion interpretes Horatij in eum locum.

y *Itaque ingenuos pueros.*] Macrobius lib. 3. Saturnal. c. 14. ex oratione Scipionis Africani contra legem Iudiciariam Tiberij Gracchi.

z *Quod apud Græcos.*] Homeri teſtimonio quem hic citat, loco tamen non deſignato, ſed is locus eſt Odyſſ. lib. 8.

ἀλλ' ἄγε φαιήκων βητάρμονες ὅσοι ἄριστοι
παίσατε, ὥς χ' ὁ ξεῖνος ἐνίσπῃ οἷσι φίλοισιν
οἴκαδε νοστήσας, ὅσσον περιγιγνόμεθ' ἄλλων
ναυτιλίῃ καὶ ποσὶ, καὶ ὀρχηστυῖ, καὶ ἀοιδῇ.

Et id quoque videre poteris in Xenophonte in conuiuio.

a *Perſas.*] Vide Lucianum in lib. de ſaltatione, & Athenæū lib. 14. c. 12. & alibi.

b *Atque indos.*] Lucianus in lib. περὶ ὀρχήσεως, id eſt, de ſaltat. ſcribit Indus poſteaquam manè è ſtrato ſurrexerint, Solem non vt alij, verùm ad Orientem conuerſos ſaltatione tūc conſalutare & venerari. Hos autem Dionyſius Bacchus ſaltationem docuit, quæ apud Græcos Cordaca ſiue κόρδαξ appellatur, vt ſcribit Arrianus Geſtorum Alexandri libr. 8.

c *Quippe ſaltare.*] Vide Lucianum vbi ſuprà.

d *Lacedemonij*] Quintilianus li. 1. c. 19. Et Lucianus in lib. περὶ ὀρχήσεως de ſaltatione. Athenæus lib. 14. c. 13.

e *Epaminundas.*] Probus Æmylius in vita illius. Et vide Athenæum lib 4. c. 15. eodemque vlt. Adde quòd & Socrates ſaltaſſe legitur apud Xenophontem in conuiuio. & Athenæum lib. 1. c. 16.

f *Vt podiſmus.*] Vide Pollucem, Athenæum, Lucianum. Aliud tamen eſſe Podiſmum tradit Vegetius de re militari lib. 3. cap. 15.

g *Siphiſmus.*] Legendum eſt Xiphiſmus ex Athenæo libr. 14. c. 12. & Polluce libr. 4. c. 14. vbi hunc dicit dictum quòd gladiis perageretur, & de huiuſmodi ſaltatione & quomodo fieret, declarat Xenophon lib. 6. de Cyri minoris expeditione poſt princ.

h *Comus.*] Pollux vbi ſuprà, vbi dicit hanc delicatam quādam ſaltationem corpus emollientem. & Philoſtratus in 3. Imagine.

i *Tetracomus.*] Pollux in eodem loco, vbi dicit hanc Herculi eſſe ſacrum: ſed miror cur Alexander omiſit Dycomum, cuius & ipſe Pollux ibi meminit, dicítque eam ſuauiorem eſſe.

k *Aſcoliaſmus.*] Pollux libr. 9. cap. 7. In Aſcoliaſmo, inquit, Græcè quidem, ſed in hanc ſententiam, Vno ſubleuato pede ſaltare oportet, quod ἀσκωλιάζειν vocauerunt. Et paulò poſt ἀσκωλιάζειν quoque vocatur, vtri vacuo, ſed ſpiritu inflato, & inuncto inſilire, vt propter vnguentum laberentur. Et ad hoc genus ſaltationis alludens Virgilius lib. 2. Georg.

Mollibus in pratis unctos ſaliere per vtres.

Quem locum omnes interpretes non intellexiſſe videntur. Sed & de hoc quoque Heſiodi interpres in opere cui titulus eſt ἔργα καὶ ἡμέραι. Et interpretes Ariſtophanes, Suidas & Theophilus.

l *Colabriſmus.*] Pollux d. lib. 4. c 14. poſt princ. vbi dicit hanc ſaltationem eſſe Thraciam & Caricam. Athenæus autem lib. 14. c. 12. hunc vocat Calabriſmum.

m *Phalicus.*] Id eod. loco Pollucis, vbi dicit & hanc in honorem Bacchi fieri.

n *Bactriaſmus.*] Idem Pollux inibi vbi & hanc & Apocinum & Apoſiſin de quib. continenter loquitur Alexander, dicit eſſe laſciuas ſaltationum ſpecies per lumborum circumuolutionem. Athenæus autem lib. 14. c. 12. authoritate Nemeſis Cephiſodori in Amazonibus & Ariſtophanis in Centauro tradit Apoſinum poſtea Mactrocinium fuiſſe vocatum. Idque genus ſaltationis mulieres ſaltaſſe, Poſteàque hanc ipſam ſaltationem inter ridiculas poſuit. De Strobilo autem Pollux & Athenæus vbi ſuprà. Sed & in illis locis alias multas ſaltationum ſpecies videbis, ex quibus & Cælius Rhodiginus multas accepit lib. 5. c 4. Quibus adde & Tyrium, cuius meminit Quintilianus lib. 11. c. 3. vbi de pronunciatione tradit. Et nos multa de ſaltationis laude at vituperio diximus in Commentariis Nobilitatis c. 34. nu. 22. incip. quod autem de ſalatoribus, & multis ſeq. Sed & tu vide Lucianum in libr. de ſaltatione.

o *Homero teſte.*] Lib. 8. Odyſſeæ, loco ſuprà citato.

p *Hippoclidis.*] Id Herodoti eſt in Erato, & diximus d. c. 34. num. 30. incip. id quod etiam.

q *Appius quoque Claudius.*] Macrobius lib. 3. Satur. cap. 14. ad finem.

r *Gabinius.*] Macrobius eod. in loco.

s *M. Cæcilius.*] Macrobius lib. 3. Saturnal. c. 14. qui & ob id ſcribit Catonem Cenſorium Spatiatorem & Feſcennium vocaſſe, niſi potius hîc ſcribendum ſit M. Cælius, quod magis credo ex eod. c. ad finem.

t *Licinius Craſſus.*] Macrobius ibid. in fi.

u *Diſcebant enim fidibus.*] Quintilianus lib. 1. ca. 17 de Muſica loquens. Ariſtophanes autem non vno lib. ſic inſtitui pueros antiquitus ſolitos eſſe demonſtrat. Et apud Menandrum in Hypoboli meo ſenex qui repoſcenti filium patrizationem impendiorum quam in educationem contulerat,

Sylla optime cantasse dicitur, & [x] Cato Censorius simpliciter cantare, non seruile duxit opus. [y] In tantúmque honoris culmen apud veteres musica processit, vt illam sacris & publicis cæremoniis adhiberent, cum in deorum puluinaribus & epulis magistratuum fides præcinerent. Et [z] apud Græcos iidem musici vates & sapientes erant. Apud quos post cœnam circunferebatur lyra, quam cum recusasset [a] Themistocles, est indoctior habitus, [b] Cimonque & [c] Epaminundas, quòd fidibus scirent, antelati fuere. [d] Canebant enim veteres ad tibiam clarorum virorum laudes & virtutes, tametsi principibus hoc fuerit probro datum. Quare verbum Philippi [e] fertur in Alexandrum, debere ipsum pudere, quod tam pulchre caneret. [f] Et Pyrrhus, an Caphias vel Python melior musicus videretur interrogatus, Polypercontam meliorem ducem respōdisse fertur. [g] Scipio tamen Æmylianus Romanæ iuuenturi, quod in ludum histrionū ingenui pueri venirent, & cum sambuco & psalterio canerent & psallerent: & [h] Cicero Gabinio consulari studium saltandi, vt probrum obiectauit. [i] Domitianus quoque in censura ciuem Romanum senatu mouit, quòd choreis plus nimio indulgeret. Id quod [k] Ægyptiis seuera fuit lege inhibitum, apud quos pueri nec palæstræ vacant, nec musicæ. [l] Quod de Alcibiade proditur, qui musicam tanquam ingenuo indignam, odio prosequutus fuit. [m] Contra Pythagoræi: nam tanti musicam fecere, vt excitarentur ad lyram, & quietem capturi, sono inuitarentur. Inter puerilia vero rudimenta, hastilia iacere, sudem torquere, equum agitare, arma tractare, Romanæ iuuentutis peculiare fuit. [n] Cur autem citius fœminis, serius vero masculis inderent nomina, credo propterea visum, quia fœminas cito pubertatem assequi compertum est. Ideo veteri lege cauetur, vt mulieres duodecimo, mares verò quartodecimo anno ætatis, pubertatem assequi censerentur. Eo enim tempore iura publica masculis pubertatem definiere.

Musices honos. *Lyra post cœnam.* *Themistocles.* *Cimon.* *Epaminundas.* *Musica vituperata à quibus.* *Musica laudata.* *Exercitamenta puerorum.* *Fœminis cur citius quam masculis inderentur nomina.*

ANNOTATIONES.

letat, opponens se psaltis & Geometris multa dicit dedisse.

x *Cato Censorius.*] Vide Plutarchum in vita ipsius, & ipsum Catonem de re Rustica.

y *In tantúmque.*] Molti de laudibus Musices scripserunt, & inter cæteros Polybius lib.4. Quintilianus lib.1.c.17. Athenæus li.14. c.10. & seq. & alij multi quos tibi congessi in nostris commentariis Nobilitatis c.34.n.10.incip.non quòd Musicam.

z *Et apud Græcos.*] Quintilia.d.lib.1.c.17.in princ.

a *Themistocles.*] Cicero, & ex eo Quintilianus lib.1.cap..7. Vide in nostro Repertorio.

b *Cimónque.*] Probus Æmylius in eius vita nihil de hac re dicit. Plutarchus autem in vita eiusdem scribit Stesimbroti Thasij authoritate eum neque musicam didicisse, neque aliam ex liberalibus disciplinam, quibus Græci nauare operam consueuerant.

c *Epaminundas.*] Probus Æmilius in vita ipsius, & dictum est suprà, in verbo, Epaminundas.

d *Canebant.*] Quintilianus d. lib.1. c.17, non longè à princ. vide item alios.

e *Philippi.*] Vide quæ scripsi in Commentatis nostris Nobilitatis c.34.num.11. incip. sed in hac re &c.

f *Et Pyrrhus.*] Plutarch. in vita ipsius Pyrrhi.

g *Scipio tamen Æmylianus.*] Apud Macrobium lib. Saturn. 3.cap.14.

h *Cicero.*] In Oratione contra Pisonem.

i *Domitianus.*] Sueton. in vita illius c.13.

k *Ægyptiis.*] Diodor. Siculus de his loquens lib.2.c.3 Palæstræ, ait, aut Musicæ non vacant, existimantes quotidianum illius exercitium inutile esse & periculosum, ex eóque breuiores viros effici. Musicam autem non solùm inutilem, sed nociuam dicebāt, tanquam virorum animus effœminātem.

l *Quod de Alcibiade.*] Gell. lib.15. c.17. Alcibiades, inquit, Atheniensis, cùm apud auunculum Periclem puer artibus ac disciplinis liberalibus erudiretur, & accersi Pericles Antigenidem tibicinem iussisset, vt eum canere tibiis, quod honestissimum tum videbatur, doceret, traditas sibi tibias cùm ad os adhibuisset, inflassetque, pudefactus oris deformitate, abiecit, infregítque. Ea res cùm increbuisset omnium Atheniensium consensu disciplina tibiis canendi deserta est. Id quod dicit scriptum esse in Commentario Pamphilę 29. Quamquam Duris in lib. de Euripide & Sophocle apud Athenæum lib.4.& vltimo, dicit ipsum Alcibiadem tibiarum artem non ex vulgari quouis magistro, sed ex Pronomo, qui celeberrimus tunc erat, didicisse. Vide Plutarchum in vita illius.

m *Contra Pythagorai.*] Quintilianus lib.9.4. quod de compositione est non adeò longè à princ.

n *Cur autem citius.*] Hic omnino vide quæ scripsimus in nostris ll. Connubial l.6.num.38.inc.p.& ideo quamuis.

An inter auguria sternutamenta sint, & offensiones pedum, & quæ illorum prædictio fuerit.

CAPVT XXVI.

ESSE inter auguria sternutamenta & offensiones pedū, in naturali historia [a] Plinius notauit, quæ symbola dicta sunt. Plerique contrà: nam sternutamenta nō facere auspicium censent: sed cū captatis auguriis superueniunt, illa rata facere, siue boni prænuncia sint, siue mali: qualiáque prædicta, præuisáque fuerant, affirmare & probare sermonis veritatē putauerunt, [b] Homeri exemplo, qui Penelope malum procis futurum ab Vlysse referente, Telemachum facit sternutasse. [c] Et Xenophonte ad milites concionante, sub idem tempus sternutans quidam, omen fecit felicissimum, ita vt totius dux militiæ crearetur. [d] Themistocle verò ad aras sacrificante, à dextra

ANNOTATIONES IN CAP. XXVI.

a *Plinius notauit.*] Libr. 2. cap. 7. & iterum libro 28. cap.2.

b *Homeri exemplo.*] Lib.17. Odyss. cuius in eam rem hi versus sunt non longè à fi. eius lib.

ὣς φάτο, τηλέμαχος δὲ μέγ' ἔπταρεν ἀμφὶ δὲ δῶμα.
σμερδαλέον κονάβησε γέλασσε δὲ πηνελόπεια
αἶψα δ' ἄρ' εὔμαιον ἔπεα πτερόεντα προσηύδα
ἔρχεό μοι τὸν ξεῖνον ἐναντίον ὧδε κάλεσσον
οὐχ ὁράᾳς ὅ μοι υἱὸς ἐπέπταρε πᾶσιν ἔπεσσι.

c *Et Xenophonte.*] Ex ipso Xenophonte, vide lib.6.

d *Themistocle.*] Plutarchus in vita illius. Sed tu interim vide illud Catulli epig.42. de Acme & Septimio.

sternutans homo augurium fecit,quo præcipui captiui immolarentur.[e] Hippiæ quoque dum sternutat,excussus dens,magnum augurium fecit calamitatis futuræ.Inde [f] apud veteres incussa fuit religio in sternutamentis bunum omen & salutem precari : quod [g] Tiberium Cæsarem mirifice exegisse dicunt,vt si quid infandi dirique immineat,ea precatione & salute auertatur. [h] Aristoteles autem,quod è capite hominis tanquam ex arce ducunt originem,quæ pars diuina,& sanctior homini est,propterea prodeuntem inde spiritum , tanquam signum augurale & diuinum numen, nos venerari decere censuit. [i] Ea quidem apud eos qui ista peruestigare adorti sunt , miræ obseruationis fuere. nam si essent matutina,nefanda ominari,& rei inceptandæ initios conatus facere : si vero meridiana,firmissimi auspicij esse,præcipuè à dextris,arbitrati sunt.Sæpe tamen [k] symbolum veritatis, & prognosticum liberationis facere ab insidiarum metu voluere. [l] Fuitque animaduersum , inter epulas medio accubitu, sternutamento reuocari ferculum:si non postea gustetur aliquid, inter dira, & certissimo exitio haberi. Sed tametsi de [m] sternutamento variata opinio sit , [n] offensiones tamen pedum infausti semper ominis fuisse, ac portenti & prodigij mali, vulgo proditum est. [o] C. Gracchus qua die ciuili seditione oppressus fuit, domo egrediens , ita pede limen offendit , vt non parua vis sanguinis efflueret. [p] Neroni quoque in expeditionem Alexandriam profecturo, lacinia surgenti adhæsit. [q] Crassi etiam filius contra Parthos proditurus in aciem,ita pedem offendit,vt humi prostratus concideret:quos omnes vehementi discrimine & immani strage oppressos,atque indignissimam fortunam expertos satis constat. Patentque abundè exempla,quæ singula exequi longum esset. Illud tamen annotare succurrit,adeò Romanos olim in magnis minimisque rebus auspiciorum euentus atque omnia obseruare solitos.vt ab inceptandis prosequendisque negotiis leui suspicione auguriorum, velut tristia portenderent,& magna infortunia facerent,auocarētur.Nec modò auspicia,sed sacrificia,ludosq; solennes ita obseruarunt.vt ob minimas sæpe causas illos instaurarent & reficerent.Sacrorū vero ceremonias tā sanctè coluerunt,vt ex leui offensione idem sacrificiū trigesies instauratū, & denuò ac sępius procuratū fuerit.

Salutem precari in sternutamentis.

Obseruatio omnis ex sternutatione.

Omen ex pedum offensione.

ANNOTATIONES.

Hoc vt dixit, amor sinistra, vt antè
Dextra, sternuit approbatione.

Quos versus alij sic distingunt,

—Amor sinistra , vt antè
Dextra sternuit approbatione.

Et sequitur.

Nunc ab auspicio bono profecti
Mutuis animis amant , amantur.

e *Hippiæ quoque.*] Herodotus lib. 6.

f *Apud veteres.*] Plin.lib.28. cap.2. Et Apuleius Metam.lib. Adde & veteres ipsos existimasse sternutamentum medium quoddam omne esse, quo scilicet nunc boni aliquid,nunc mali portenderetur, vt annotarunt interpretes Theocriti in eum locum ex Talysiis,

Σιμιχίδᾳ μὲν ἔρωτες ἐπέπταρον , ἦ γὰρ ὁ δειλὸς
Τόσσον ἐρῇ Μυρτοῦς, ὅσον εἴαρος αἶγες ἔρανται.

Hucque etiam spectat illud ipsius Theocriti in Epitha. Helenes.

ὄλβιε γάμβρ' ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι
ἐς σπάρταν.

Et illud quoque Propertij lib. 2. eleg. 3.

Nunc tibi nascenti primis (mea vita) diebus.
Aridus argutum sternuit omen amor.

g *Tyberium Cæsarem.*] Plinius d.lib. 28.c.2.

h *Aristoteles.*] Proble. sectio. 33. c.7.& 9.

i *Ea quidem.*] Hæc & ipsius Aristotelis sunt eiusdem sectionis c. 11. vbi eius rei rationem reddit.

k *Symbolum veritatis.*] Albertus Magnus vbi tradit, Augurum scientia contineri , sternutamentum esse veritatis signum , & liberationis Prognosticon ab insidiarum discriminibus.

l *Fuitque animaduersum.*] Plinius d. lib.28.c.2

m *De sternutamento.*] Vide Ciceronem libr. 2. de Diuinat. Cuius hæc verba sunt , Quæ si suscipiamus, pedis offensio nobis, & abruptio corrigiæ , & sternutamenta erunt obseruanda. & Plin. lib. 2.c.7.Ecce fulgurum monitus,oraculorum præscita, aruspicum prædicta, atque etiam parua dicta in auguriis sternutamenta,& offensiones pedum.

n *Offensiones tamen pedum.*] Cicero & Plinius locis proximè citatis, & præterea Plutarchus in Demetrio & in Crasso, & in Tiberio Graccho. Et Valerius Max.lib.1. c.4.vbi de ipso Graccho loquitur. Et Tibullus lib. 1.eleg. 3.

O quoties ingressus iter , mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem.

Et Ouidius in epist. Laodamiæ ad Protesilaum,

Hunc fateor volui reuocare, animusque ferebat:
Substitit auspicij lingua timore mali.
Cùm foribus velles ad Troiam exire paternis,
Pes tunc offenso limine signa dedit.
Vt vidi , ingemui , &c.

o *C. Gracchus.*] Imo Tiberius eius frater ex Plutarcho & Valerio vbi suprà.

p *Neroni.*] Suetonius in vita ipsius c.19.

q *Crassi.*] Plutarchus in Crasso , quem & suprà citauimus

Qua potestas proconsulis foret , quiue erant proconsules , & an idem iuris quod consules haberent.

CAPVT XXVII.

QVOTIES instantibus curis mihi animus laxatus fuit,sæpenumero quæsiui quę potestas proconsulum foret,illorum quibus finito consulatu,prorogatum esset imperium.Et dum quæro,ab authoribus traditum memoratumq; inueni,quòd vbi [a] finito magistratu annuo,non expediret consulem prouincia decedere : illi,ne sine honore esset,imperium sæpe prorogari,vt eam prouinciam proconsul,non vt consul administraret. Continuabat prorogabatque illi senatus imperium, nonnunquam populus sine senatu,ex authoritate tribunorum plebis.Nam si in decernenda prouincia senatus auersaretur, [b] tribunus ad populum ferebat,plebsq; sciebat, & ex scitu plebis &

Proconsul.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVII.

a *Finito magistratu annuo.*] Liu.1. Dec.lib. 8.& alibi sępe.

b *Tribunus.*]Nam & Sulpitius Tribunus plebis Mariū proconsulem

suffragatione populi proconsulatum decernebat: idque quòd à populo scitum erat, ratum firmúmque manebat. His ergo à populo vel senatu prorogabant sæpe imperium ad sex menses, modò ad annum, aut donec debellati hostes, vel reuocati à senatu forent, prout ex republica esse videbatur. Publius [c] enim Philo consul narratur primus cui prorogatum imperium fuisset, & ex eo proconsulare officium cœpit pro munere dari. [d] Scipioni deinde Africano in Africam profecto, ne finito consulatu, incommodo reipublicæ prouincia decederet, imperium consulare, donec debellatum esset, prorogatum fuit. Nonnunquam stantibus consulibus, si qui in prouincia tumultus aut motus orirentur, plurèsque prouinciæ oporteret præesse: nouos proconsules senatus, nunc iisdem nunc aliis decretis prouinciis creauit, ipsisque plerunque legiones & exercitus commisit & mandauit: [e] poteratque non modo consuli, sed prætori proconsulare munus dari: sicut exemplis pluribus extat. Sempronio enim Graccbo, & Quinto Fabio Maximo consulibus, quum Hannibal Italiam omni clade belli peruastasset, [f] Claudius Marcellus ex prætore proconsul designatus, vires Hannibalis multis prælijs ita fregit & comminuit, vt facile vinci posse documentum daret. Quin & illud animaduersum est, easdem legiones atque exercitus quibus antea consules præfuissent, ipsis proconsulibus prorogato imperio demandari, vel nouos comparari contra repentinos motus, quibus hostibus obuiam ire, & magnis opibus rem gerere possent. [g] Habebátque proconsul proconsulatus insignia eadem, quæ & consulatus. Nam & lictores, fasces, secures, prætextam, curulemque sellam in prouincia sibi decreta velut consul retinebat, quibus insignibus pro imperij maiestate, proque splendore dignitatis conspicuus erat: [h] nisi eam adiret prouinciam, in qua consul præsens foret, aut è prouintia decedens, Romam aduentaret. Tunc enim finito honore, sine imperio aut insignibus erat, proconsuli enim [i] portam Romæ ingresso, minuebatur honor, priuatúsque & sine imperio censebatur. [k] Neque enim proconsulem habere imperium, vbi vnà esset consul, consentaneum erat, [l] nisi par illi imperium delegatum fuisset. Tunc enim & consularia ornamenta, & potestas vtrique erat par. Hoc tamen intererat, quòd proconsules aut proprætores auspicia non habebant: quippe inauspicati erant, quum consules prętorésque auspicia haberent maxima. Si tamen consul in prouinciam veniret, in qua proconsul degeret: ipso sine lictoribus & fascibus consuli obuiam ire, & velut priuatus equo descendere, & obsequium præbere debebat. Quòd [m] vero æquatum imperium proconsuli vnà cum consule fuerit, pluribus patet exemplis. [n] Nam & cum T. Claudio consule, qui Africam prouinciam sortitus erat, P. Cornelij Scipionis, qui illam proconsul administrabat, æquatum imperium fuit. Et quum vrbs ab [o] Hannabile admotis hostiliter legionibus premeretur, metúsque de summa rerum esset, Q. Fuluium proconsulem Capua profectum, ne ei minueretur imperium, quòd vrbem inisset, exęquato cum consulibus imperio, vrbi pręfuisse legimus. In vrbem tamen reuersus proconsul, poterat absentibus consulibus eorum vices gerere, vrbi pręesse, senatum habere, comitia futuris consulibus indicere, & [p] si in prouincia sibi decreta quid triumpho dignum gesserat, etiam de victis hostibus triumphare. [q] P. Philo proconsul, & cui prorogatum imperium sępe fuit, Gręcis in Campania debellatis, quo rupto imperio desciuerant, de Palępolitanis simul & Gręcis triumphum egit. [r] Et Seruilius proconsul de Cilicibus & Isauris, quòd indomita ingenia debellasset, triumphasse fertur: [s] tametsi proconsulem non gerere magistratum legitimum, & ideo triumphare minimè posse, plerique asseuerent. Fuit tamen animaduersum, proconsulem sine prouincia nonnunquam, vt milites in officio haberet, & obsequentes imperio, à senatu creatum, exercitui pręfuisse. [t] Qui etiam legatum & quęstorem, quorum consilio niti, quibúsque adiutoribus & ministris tam in administranda prouincia, quàm gerendo bello vti posset, sicut consul habebat. [u] Illud etiam non prætermiserim, proconsuli sex tantum modo fascium insignia præire, apud nonnullos scriptis mandatum fuisse, licet alij duodecim fasces, lictoresque, & eadem insignia honorum proconsuli sicut consuli apparere argumentis asseuerēt. Quæ quidem insignia statim [x] atquo vrbem ingressus est, proconsul accipit: contentiosam [y] vero iurisdictio-

Proconsulis insignia.

Proconsul & proprætor auspicia non habebant.

Æquatum imperium proconsuli cum consule.

Proconsulum potestas in vrbe consulibus absentibus.

Proconsulum triumphus.

Proconsul sine prouincia.

Fasces proconsulum sex tantum. l. 1. & 2. ff de off. proc. & lega. & l. obseruare eod. titul.

ANNOTATIONES.

consulem cōtra Mithridatem declarauit apud Plutarchum in vita ipsius Marij.

c *Publius enim Philo.*] Liuius 1. Dec. lib. 8.

d *Scipioni.*] Idem 3. Decad. lib. 30. post princ. P. (loquit) Scipioni nō temporis, sed rei gerendæ fine, donec debellatum in Africa foret, prorogatum imperium est.

e *Poteratq́, non modo.*] Quod patet exemplo sequenti.

f *Claudius Marcellus.*] Liuius 3. Decad. lib. item 3.

g *Habebatq́, Proconsul.*] Vide tamen infrà per totum hoc c.

h *Nisi eam adiret prouinciam.*] Vide infrà.

i *Portam Romæ ingresso.*] Id est ex l. vlt. ff. de off. procons.

k *Neque enim proconsulem.*] Vbi suprà.

l *Nisi par illi imperium.*] Vide infrà.

m *Quod verò æquatum.*] Probat exemplis seq.

n *Nam & cum T. Claudio.*] Liuius 3. Decad. lib. 10.

o *Et quum vrbs ab Hannibale.*] Idem eiusdem 3. Dec. lib. 6.

p *Et si in prouincia.*] Hoc patet exemplis seq.

q *P. Philo.*] Liuius Decad. 1. lib. 8.

r *Et Seruilius.*] Sextus Ruffus in historia Romanorum, vbi de Silicia & Isauria loquitur.

s *Tametsi proconsulem.*] Vide alibi suprà lib. 1. c. 22.

t *Qui etiam legatum.*] Proconsulem habuisse legatū, vt consulem, intelligas ex infinitis locis Liuij & præterea ex Cic. in Orat. in Vatini. Et Cor. Tacit. lib. 12. vbi loquitur de Tarquinio Prisco legato Tauri proconsulis Africæ, & ex l. 2. & l. obseruans. §. post hæc, & l. aliquando. & l. solet. in pr. & §. legatos. & l. meminisse. §. 1. & l. si quid erit. & l. legati. & l. & legati. ff. de offic. procons. & legat. & l. si quis forte. §. si quis comitum. ff. de pœnis. & l. cum prætor. §. is quoque. ff. de iud.

u *Illud etiam non prætermiserim.*] Id est ex l. procons. ff. de offic. procons.

x *Statim atque vrbem ingressus.*] Legendum, egressus ex. l. 1 & 2. ff. eod. tit. vide Florentinum.

y *Contentiosam verò.*] Ex d. l. 1. & 2.

Cōsul in quo à proconsule differat.

nem, nisi in decreta prouincia non exercet: voluntariam autem, vbique: quippe maoumitti apud eos tam liberi quàm serui vbique possunt: [z] apud legatum vero proconsulis, oon possuot. [a] Hoc tamen interest, quòd procoosul in decreta staturáque sibi prouincia ius tantùm dicit: consul verò, etiam extra prouiociam & vbique dicit: quódque [b] aote successoris aduentum, legatum dimittere non decebat proconsulem. Id eoim lege Iulia repetuodarum, vetabatur. Fuitque memoriæ proditum, noo coosulibus modò prorogaro imperio vltra tempus finiri honoris, proconsularem iurisdictionem fuisse: sed & consulem designatum, ante consulatum proconsulare imperium gessisse. Siquidem Nero Cæsar & alij designati coosules ante ioitum hooorem sæpe proconsulare imperium gessere. [c] Et prætores prætura functi, [d] & quæstores post qoæsturæ muous ex senatus decreto prouinciæ præfuere vltra perscriptum, qui non prætores, aut quæstores, sed [e] proprætores [f] proquæstorésque dicti nominatique suot. Eundemq; proprætorem & consulis legatum fuisse simul: quæstoremque coosulis, pro prætore prouiociæ præfuisse, ibique insigoia prætoria, aut quæstoria habuisse, multiplici exemplo probatum est. Illud quoque admooitu noo inutile duxerim, quasdam [g] prouincias proconsulares fuisse, ad quas soli mittebantur procoosules: quasdam coosulares, nooo ullas præsidiales, plerasque prætorias, quibus consules, præsides, prætorésque præfecti erant. Nam [h] Carthago proconsularis erat proniocia. [i] Numidia, Libya, & [k] Asia citra Taurum, & [l] Cyreoæ, [m] consulares. [n] Tripolis, & vtraque [o] Mauritaoia, atque [p] Ægyptus, sub præsidibus fuere. [q] Cyprus, [r] Iberia, [s] Sardioia, [t] Sicilia,

Proprætores Proquæstores. Prouinciæ proconsulares, consulares, præsidiales & prætoriæ.

ANNOTATIONES.

z *Apud legatum verò proconsulis.*] d. l. 2.

a *Hoc tamen interest.*] d. l. 1. eod. tit.

b *Quodq; ante successoris aduentum.*] d. l. meminisse. §. 1. eo. tit.

c *Et prætores.*] Liuius 3. Decad. lib. 6. In Hetruriam, inquit, C. Calphurnius post Præturam prorogato in annum Imperio missus. Et 4. Decad. lib. 1. M. Valerio Falconi, qui prætor priore anno fuerat, Campaniam prouinciam habuerat, prorogatum in annum imperium, vti proprætor in Sardioiam traiiceret.

d *Et quæstores.*] Vide infrà, in verbo, proquæstores.

e *Proprætores.*] Vt patet ex illo loco Liuij 4. Decad. lib. 1. & præterea ex Cicerone lib. 1. de Diuinat. Quam multi anni sunt, cùm bella à proconsulibus, & proprætoribus administrantur. Et in orat. de prouinciis Consul. Res in Sardinia cum mastricatis Latrunculis à proprætore vna cohorte auxiliaria gesta. Et Philip. 5. de Augusto loquen. Proprætorem facimus, & in Epistolis ad Atticum li. 8. & ipso quoque Liuio 3. Decad. lib. 3. vbi de Octauio proprætore Siciliæ, & de Cornelio Mammula Proprætore Sardiniæ, loquitur, & C. ireio Terentio proprætore Hetruriæ. & lib. 9. vbi de proprætoribus Tarenti, & Capuæ, & rursum vbi Co. Octauio proprætore Sardiniæ. & Suetonio io Augusto cap. 25. & Tacitus libr. 2. vbi de Latino Paude proprætore Mœsiæ dicit.

f *Proquæstoresq;.*] Cæsar lib. 5. belli Ciuilis, Ipse ait omnibus rebus diligentissimè constitutis, liberis suis L. Cæsari, qui tum proquæstor fuerat commendatis &c. Et Cice. lib. 4. Acad. quæst. Cùm Alexandriæ proquæstor essem. & io 2. in Verrem actio. eum cui legatus & proquæstor fuisset, & in iouidiam suis maleficiis adduxit, &c. Extantque eiusdem Cice. epistol. ad Apuleum proquæstorem lib. epistol. famil. 13. epist. 21. & seq. Sed & adde prolegatos ex Cornelio Tacito lib. 1. vbi loquitur de Vioiano Anoio prolegato quintæ legionis.

g *Quasdam prouincias.*] Id Strabonis est li. vlt. ad fi. & Ruffo in epitemate. Sed hic illud est notandum, oihil in hac re certi fuisse, neque enim prouincias perpetuò easdem mansisse, sed quæ primo consulares erant, postea factas fuisse procōsulares aut prætorias, & è diuerso, vt patebit ex multis, quæ mox dicemus, & ex infinitis scriptorum locis, præsertim Liuij, & Corne. Taciti: & videbis amplissimè Apud Vulgangum Lazium virum meæ diligentiæ, Commeotariorũ Reipub. Romanæ lib. 2. cap. 5. Vt interim noo omittam M. Antoninum Imperatorem prouincias, ex proconsularibus consulares aut prætorias pro belli oecessitate fecisse, vt io eius vita scribit Iulius Capitolinus.

h *Carthago.*] Sextus Ruffus in lib. de historia Romanorum. Tacitus libr. 3. Annalium: vbi in Africam tradit delectum fuisse proconsulem, & paulò post. Nominati sunt M. Lepidus, Iunius Blæsus ex queis proconsul Africæ legeretur. & lib. 12. memorat Taurum Africam imperio consulari regentem. & lib. 17. memorat Galbum proconsulem Africæ. Sed & Macedonia proconsularis fuit sub Adriano. Iunius Ruffus ex Callistrato iurisconsulto. Quanquam & proprætor eius quoque fuit. M. Valerius Leuinus apud Luciaoum 4. Decad. lib. 1.

i *Numidia.*] Hanc enim consularem fuisse tradit Ruffus vbi suprà.

k *Asia.*] Et hanc quoque Tacitus lib. 2. verùm idem libr. 13. in princ. memorat Iuoium Syllanum proconsulem Æsiæ, & lib. 12. Seruium & ipsius Asiæ proconsulem. & lib. 19. scribit Fonteium Agrippam proconsulem eam annuo imperio tenuisse. Et Seneca lib. 12. de ira cap. 1. io fi. Vosesum sub Augusto proconsulem Asiæ. Sed aliquando prætorem fuisse videri potest ex Suetonio in Cæsare c. 2.

l *Cyrena.*] Eam tameo proconsularem tradit Tacitus lib. 1.

m *Consulares.*] Adde & Histriam ex Liuio 5. Dec. lib. 1. vbi eam prouinciam sortitus est C. Claudius pulcher. consul. & Syrtam ex Suetooio in Vespasiano c. 4.

n *Tripolis.*] Sextus Ruffus vbi suprà.

o *Vtraque Mauritania.*] Ibidem. Verùm fuit aliquando sub procuratoribus, vt ex Tacito videre licet lib. 17. vbi & de aliis etiam loquitur.

p *Ægyptus.*] Et tameo aliquando sub equitibus Romanis fuit ex D. Augusti instituto, vt colligi potest ex Tacito libr. 12. in paruis, & clarius lib. 17. in paruis, quòd & dicetur infrà eo. lib. c. 29. Adde & Galliam, hoc argumento, quod Valerianus Imperator Posthumum & Galliæ præsidem fecit, authore. Trebellio Pollione in vita ipsius Posthumi. Et Dalmatiá ex Flauio Vopisco in Carino vbi ita scribit: Tunc autem Præsidatum Dalmatiæ administrabat &c.

q *Cyprus*] Hanc prætoriam fuisse tradit Strabo libr. 14. ad finem.

r *Iberia.*] Id est Hispania, ita dicta ab Ibero amne, ob quem, vniuersam Hispaniam Græci appellauere Iberiã, teste Plin. lib. 3. c. 3. Solino c. 36. Nam ex ipsa Hispania Romani duas fecere prouincias, scilicet Hispaniam anterionem, & vlteriorem, & vtramque prætoriam, vt patet ex infinitis locis Liuij, & maximè 4. Decad. lib. 2. & lib. 3. & lib. 9. & ex Strabone lib. 3. Et simpliciter Hispaniam prætoriam fuisse tradit Iurisconsultus Pomponius in l. 2. §. capta. ff. de orig. iur. Appianus autem li. 2. bellorum Ciuilium meminit Q. Cassij prætoris Iberiæ.

s *Sardinia.*] Et hanc quoque Prætoriam fuisse testatur Liuius 3. Decad. lib. 5. io fin. & lib. 6. & 7. & 4. Decad. lib. 1. & 4. & 8. & Pomponius Iurisconsultus in l. 2. §. capta. ff. de origin. iur.

t *Sicilia.*] Sed hanc prætoriam tradit Cicero in omnibus

propè

[u] Illyticus, Achaia, Creta, & [x] Bithynia, [y] prætotiæ. [z] Sardiniam & Corſicam, olim prætorias, poſtea ſub prætidibus fuiſſe comperimus. Soli verò Maſſilienſes & Nemauſenſes ab onere prouincialis prætoriæ feruntur immunes. Cúmque omnis [a] Hiſpania in ſex prouincias diuidatur, ex his [b] Bœthica & Luſitania conſulates fuetunt, [c] reliquæ ſub præſidibus. [d] Ea verò in quatuor conuentus diuiſa fuit, in quibus dabantur iura: Gaditanum, Cotdubenſem, Actiſatanum, & Hiſpalenſem. [e] Luſitania verò in Emeritenſem, Pacenſem, & Scalobitanum. [f] Norici & Pannonij in quatuot prouincias, Valetiam, Sueuiam, Dalmaticam, & Meſiam. [g] Cappadocia in decem præturas, poſtea in ſatrapeas diuiſa fuit. Armeniæ magna pars in duodecim gubernationes. [h] Chatramotitæ qui iuxta ſinum Arabicum incolunt, in quatuor monades. [i] Paphlagonia in tettarchias, Miſia in adminiſtrationes, [k] Ægyptus in præfecturas & regiones, Sytia in toparchias, Thracia [l] in ſtratageas, Treas in nouem principatus: Indi in ſex quintetniones, ſingulas præfecturas diniſere. [m] Nonnulli in ſatrapeas, ſicut Laodiceam, [n] Alij in ethnarchias, [o] multi in tribus, plerique in claſſes ant centurias partiti fuere. [p] Gallia, Aquitania, & Britannia, prouinciæ decem & octo numerantur, ad quas præſides mittebantur, quas Cæſar in prouinciæ formam tedegit primus. [q] Macedonia ſeptem prouincias habuit, [r] totidem Illyticus, [s] Thracia ſex. Auguſtus Galliam & [t] Ægyptum, Claudius [u] Cappadociam, [x] Cæſar Arche-

Hiſpania prouincia. Norici & Pannonij. Cappadocia. Armenia. Chatramotita. Paphlagonia. Myſia. Syria. Treas. Indi. Gallia. Aquitania. Britannia. Macedonia. Illyrici. Thracia.

ANNOTAITONES.

propè actiooibus in Verr. & Lioius 3. Deca. lib. 5. poſt principium, & iterum in fine. & lib. 7. & alibi ſæpè, & 4. Decad. lib. 8. & 9. Et Pomponius vbi ſuprà, verùm Sextos Ruffus in d. lib. de hiſtoria Romanorum ſcribit eam primùm Marcelium conſulem obtinuiſſe, deinde à prætoribus rectam eſſe, poſteà commiſſam fuiſſe præſidibus. Sed & etiam aliquando fuiſſe proconſnlarem ex eo conſtat, quod ſcribit Ælios Spartiaous in vita Septimij Seoeri eum Siciliam procoſulatem ſorte metuiſſe.

y *Illyricus.*] Ex Liuio 5. Decad. libr. item 5. Ex quo etiam intelliges Macedoniam fuiſſe prætoriam. Eam tamen proconſularem dicit Tacitus libr. 1. Sed eam etiam præſidialem foiſſe argumeoto eſt, quòd Decios Imperator ſcripſit Meſſalæ præſidi Achaiæ, apud Trebellioro Pollionem in vita Claudij Secundi. Proconſolarem tamen aliquando fuiſſe conſtat ex eo. Tacito libr. 3. vbi Cæſius Cordus procooſol Cretæ fuit. & Seneca lib. decla. 9. decla 4. vbi loquitur de Appio proconſule Cretæ.

x *Bithynia.*] Catullus Appianus lib. 4. bellorum Cioilium, dom loquitur de Apuleio prætore in Bithynia ſub Broto. Idque etiam videre licet ex Catulli epig. 10. de Varro. Sed & ea aliquando ſub præſidibus fuit, vt patet ex l. generaliter. §. ſputios. de pecun.

y *Pretoria.*] Adde & Hetroriam quæ & ipſa prætoria fuit, ex Lioio 3. Decad. lib. 6. poſt princ. & lib. 7. vbi dicit C. Calphurnium proprætorem eam prooinciam obtinoiſſe. Nam & ibi prætoram egit Hadtianus, vt tradit Spartianus in vita illius. Et Apuliam ex Lioio 3. Decad. libr. 5. in fi. & 4. Decad. lib. 10. Et Africam ex Aſcooio in 3. in Verrem act. vbi meminit C. Fabij Hadriani prætoris Africæ. Et Syriam ex Appiano lib. 4. bellorom Ciuilium io doobos locis. Et primo qoidem dum loquitur de Eobulo Syriæ prætore ſub Antonio ſecundo, vbi loquitur de Cicerone Ciceronis illius filio Syriæ etiam prætore. Et lib. 5. vbi loquitur de Scauro etiam eius gentis prætore. Et Narbonenſem prooiociam Pomponius Iuriſconſultus in d l. 2. §. capta. ff. de orig. iur. Et Galliam ex eodem eioſdem 3. Decad. lib. 6. poſt princ. & libr. 7. Ex quo facilè intelligis verum eſſe quod ſoprà diximos prouiocias ooo ſemper eaſdem fuiſſe, modò eoim conſulares, modò proconſulares, modò prætorias, modò præſidiales. Soprà enim docoimos Galliam aliquando ſub præſidibos eſſe, quæ nunc prætoria eſt.

z *Sardiniam & Corſicam.*] Sextus Roffus in hiſtoriam Romanorum dicit, quòd primùm ſuos prætores habuerint, nonc verò ſingolæ à ſois præſidibos reguntur. Sed & ipſam Sardiniam ex prætoria cooſularem factam propter belli magnitudinem ſcribit Lioius 5. Decad. 5. lib. 1.

a *Hiſpania in ſex prouincias.*] Sextus Ruffus vbi ſopra, verùm Liuius & Strabo io duas, vt ſuprà diximus. At Pomponius Mela lib. 3. Solinus cap. 36. poſt princ. & Ptolemæos lib. 2. cap. 4. in tres prouincias diuidunt, vt apud ipſos videre poteris.

e *Ex his Bœthica & Luſitania.*] De vtraque Sextus Roffos vbi ſuprà. Verùm Strabo lib. 3. ita de Bœthica loquitur tanquam ſit prætoria, cùm dicit. Ad Bœthicam prætorem mitti qui legatum habet, & qoæſtorem, quod & oos alibi diximus.

c *Reliqua ſub præſidibus.*] Roffus in eod. lib.

d *Ea verò.*] Scilicet Bœthica. Plinius lib. 3. cap. 1. Idem tamen eioſdem libr. cap. 3 poſt priocip. dicit vniuerſam Hiſpaniæ prouinciam diuidi in ſeptem cooocntos, quos & ipſe nominat, vt etiam facit Martianos Cappella libr. 6. de Gaditano autem conuentu leqoitor etiam Soetooios in Cæſare cap. 7.

e *Luſitania verò.*] Plinius lib. 4. & 22.

f *Norici & Pannonij.*] Sextus Roffus vbi ſuprà. Hic autem Mœſiam non Meſiam ſcribeodum eſt, cuios proprætorem fuiſſe Latiniom Pandum ſoprà diximus ex Tacito.

g *Cappadocia.*] Strabo lib. 12. poſt princ.

h *Chatramotita.*] De his Plinius libr. 6. cap. 28. non ſemel, ſed nihil tale de his dicit.

i *Paphlagonia.*] Strabo lib. 12.

k *Ægyptus.*] Strabo lib. 17.

l *Thracia.*] Plinios lib. 4. c. 11. in princ. vbi dicit Thraciam in Strategias qoioquaginta diuiſam. Adde & Armeniam ex eod. Plinio lib. 6. c. 9.

m *Nonnulli in Satrapeas.*] Herodotus lib. 1. vbi loqoitur de Babyloniis. & lib. 3. vbi ſcribit Darium illum primom Perſarom Regem, regnum in 20. ſatrapeas conſtituiſſe. Et Plinios lib. 6. cap. 20. in fi. Q. Curtios lib. 5. vbi dicit Alexandrum donaſſe Mazæum ſatrapia Babyloniæ, & iterom eod. lib.

n *Alij in ethnarchias.*] Vt videre licet ex Epiſtola Claudij Imperatoris apod Ioſephom libr. Antiquitatum Iudaicarum 19. cap. 4. & libr. 2. de bello Iudaico cap. 5. & 8. in princ.

o *Multi in tribus.*] Vt Romani, & Athenienſes, & alij de qoibus ſuprà lib. 1. c. 17.

p *Gallia, Aquitania, & Britannia.*] Id eoim de his tribus dicit Sextos Ruffus in lib. ſuprà ſæpius citato.

q *Macedonia.*] Sextus Ruffus in d. lib. Verùm Liuius 5. Decad. libr. 5. ſcribit Paulum Æmylium diuiſiſſe in 4. partes, quas inibi declarat.

r *Totidem Illyricus.*] Imò 7. & 10. ex Ruffo c. 11. quo de Traiano loquitur.

s *Thracia ſex.*] Sextus Roffus d. c. 11.

t *Et Ægyptum.*] Suetonios io vita ipſius Aogoſti cap. 18. Vide Sextum Ruffum vbi ſuprà, vbi de Cirenaica regione.

u *Claudius Cappadociam.*] Cornelius aotem Tacitus libr. 2. ſcribit ſob Tyberio Cappadoces in formam prouinciæ redactos.

x *Cæſar Archelao.*] Strabo lib. 10. non multo poſt princ. & vide Hegeſippum lib. 2. hiſtoriarum.

lao vita functo, maiorem Cappadociam Romanorum prouincias fecit. Proditur tamen [y] Ciaxares primus Asiæ populos in prouincias distribuisse, & in suum quemque ordinem distinxisse, hastatos, sagittarios, & equites. [z] Nero Cæsar Pontum Polemoniacum & Alpes Cottias, Polemone rege vita functo, prouincias fecit: & [a] nationes alpium maritimas in ius Latiis transtulit. Fertur verò de [b] Cappadocia mirum, quod cum liberi essent, libertatem à Romanis deprecati sunt: asserentes illam se ferre non posse, & sub regibus esse maluere. [c] Vespasianus Achaiam, Lyciam, Thraciam, Ciliciam, Comagenem, Rhodum, Byzantium, & Samum libertate adempta prouincias fecit: [d] Traianus Daciam, Mesopotamiam, Assyriam, Arabiam, & Armeniam. [e] Fuitque hæc dignitas apud Romanos in vsu frequens, maximíque splendoris: donec temporis interuallo, [f] post Hadrianum imperatorem & ordo & honor proconsularis desiere. Siquidem [g] M. Antoninus imperator, prouincias ex proconsularibus, consulares aut prætorias pro belli necessitate fecit: [h] ipse Augustus, pacatas imperij prouincias & ab hostili tumultu otiosas, populo Romano regendas dedit, sibíque tumultuantes & operosas, aut hostium incursionibus inquietas desumpsit: ad quas modò proconsules, præsides, aut præfectos cum imperio, modò præsidia & exercitus, nonnunquam legiones & auxilia destinauit. [i] Tiberius quoque Achaiam, & Macedoniam onera deprecantes, proconsulari imperio exemit, sibíque illas regendas asciuit.

Cappadoces libertatem deprecati.

Proconsulum dignitas quando desiit.

ANNOTATIONES.

y *Ciaxares.*] Herodotus lib. 1.

z *Nero Cæsar.*] Suetonius in vita illius c. 18. Sextus Aurelius Victor in vita quoque ipsius. Eutropius de gestis Romanorum libr. 7. cap. 6. Eusebius in Chronicis, Olympi. Et Cassiodorus in Consulibus Romanis.

a *Et nationes alpium*] Cornelius Tacitus lib. 19.

b *De Cappadocia.*] Strabo lib. 12. & Iustinus lib. 38.

c *Vespasianus.*] Suetonius in vita illius cap. 8. Eutropius de gestis Roma. lib. 7. cap. 10. & Paulus Orosius lib. 7. c. 6.

d *Traianus.*] Dion in vita illius. Eutropius lib. 8. c. 2 Sextus Ruffus in d. lib. c. 1?. & cap. 16. Eusebius in Chronicis. Sed quantum ad Assyriam priuatim pertinet, Plutarchus in vites Pompeij, tradit eum Syriam quæ & ipsa Assyria est, in prouinciam redegisse.

e *Fuitque hæc dignitas.*] Scilicet proconsulis, vt paulo post declarat, nam ad eam longo veluti postliminio reuertitur.

f *Post Hadrianum Imperatorem.*] Appianus lib. 1. bellorum Ciuilium. Erant Italiæ proconsules per partes præsidentes, quos multo deinde tempore Hadrianus cum Imperator extitisset Romanis innouare instituit, qui ordo post illum paruo tempore permansit.

g *M. Antoninus.*] Iulius Capitoli. in vita illius.

h *Ipse Augustus.*] Suetonius in vita ipsius c. 47. ante illum Strabo. lib. vlt. in fi.

i *Tiberius.*] Suetonius in Claudio c. 25. Sed hic non omittendum præter prouincias Consulares, proconsulares, prætorias, & præsidiales, de quibus Alexander locutus est, fuisse Quæstorias & equestres. De Quæstoriis videbis apud Viulgangum lib. 2. c. 3. De equestribus videbis infra eodem libr. hic nostro c. 29.

Licere vti accusatiuo casu nonnunquam in verbis localibus, contra regulas grammaticorum.

CAPVT XXVIII.

ADHIBITVS sum in consilium, magis quàm in consilio: & in causam discendi potius, quàm in causa, dici eùm frequentibus tum ornatius, sæpenumero videmus: fuitque hic sermo veteribus non frequens modò, sed concinnus & elegans. Titus Liuius de Macedonico bello: Si ex quo traiicimus in Græciam, adhibitus essem in consilium. Idem: Si semel, inquit, in causam descenderit, nihil integrum futurum sit. Et alibi: In euentum eius vrbis positum, sperni ab vniuersa gente Thessalorum, aut timeri. Et rursus: In quæ consilium dedi. Et de Macedonico octauo: In ædem Herculis signum ipsius Dei positum, & seiuges equi. Quem dicendi modum habuisse proprium & perpetuum ausim contendere. Quinetiam illud animaduertimus, verbis localibus per accusandi casum, eundum frequenter vsum, contráque grammaticas regulas nouo exemplo multa vsurpasse, vbi minime conuenire putaretur, quæ oratio à regula Latinitatis procul abesse visa est: sed tamen rectè & probabiliter dici, in eáque magnum fuisse orationis ornatum, cuiuis patere potest, quippe de Macedonico bello: Lucius Cornelius consul, inquit, relicto ad exercitum Claudio legato, Romam venit. Idem: Quæ pro Chalcidensibus ad Euripi fretum dicta erant. Cæsar commentario quinto: Allobroges, inquit, crebrò ad Rhodanum dispositis præsidiis. Cicero ad Catonem: Cum ad Cibistra quinque dies essem commoratus. & pleraque quæ frequenti lectione obuia sunt, ex quibus satis exemplorum colligi potest: cum in exercitu, in castris, in Cibistris, grammatici omnes dicendum consentirent. Quod tamen non ineleganter dici sæpenumero videmus. Nam præter euphoniæ sonum, qui aptior conuenientiórque fuit, cum præpositionem ad, accusandi casui adiicimus, eius eam vim virtutémque animaduertimus, vt prope locum rem agi, certissima obseruatione designet, vt proximis modo authoritatibus ostensum est. Quod enim Cæsar ad Rhodanum disposita præsidia habuit, aut Cicero ad Cibistra fuit commoratus, vel quod T. Liuius ad exercitum dicit legatum reliquisse: id signa, iuxta Rhodanum, exercitum, vel Cibistra: vel per solœcismi modum dici grammatici volunt, & in primis Diomedes, vt è celo descendere in terris. Aut quandam magnis intentionem, ac vim, & penitus atque alte

Verba localia cum accusatiuo.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVIII.

ID caput ex iis est quæ aduersus Laurentium Vallam ex composito prodita sunt. Locus autem illius est Elegantiarum lib. 3. cap. 18. Quod autem citat Plinium Iuniorem ad Traianum, id est in Panegyrico ipsius Plinij ad Traianum,

fuisse penetratum in rem de qna agimus, exprimere contendimus, & tunc In, præpositio, accusatiuo apposita, expressius id significauit, vt superiore exordio & primis probatorum authoritatibus percensuimus. Huius rei admonuit me liber obseruationum grammatici cuiuspiam, quæ in manus meas venete, in quibus ita scriptum legimus: In marmore incisæ sunt literæ, in gemma, in lapide, in ligno: non in marmor, gemmam, lapidem, vel lignum: contrà verò, in æs incisas literas dicimus, non in ære: com longe secus contra istius grammatici opinionem, crebrò apud authores vsurpatum inueniamus. Nam in lapide vel ligno, aut lapidem vel lignum, & in ære vel in æs incisas literas passim dici licere, plusculis exemplis apparet, maiorémque vim per accusandi casum exprimi, & penitus atque alte fuisse penetratum, demonstrari. Plinius iunior ad Traianum: Quæ vos, inquit, patres conscripti, nequa interciperet obliuio, & in publica acta mittenda, & incidenda in ære censuistis. Plinius item naturalis historiæ quarto & trigesimo: Vsus, inquit, æris ad perpetuitatem monumentorum iampridem translatus est tabulis æreis, in quibus publicæ constitutiones inciduntur. Cicero quoque actione sexta in Vertem: Id non modò tunc scripserunt, inquit, verùm etiam in ære incisum nobis reliquerunt. Ex quibus apparet, per accusandi & auferendi casum in marmor & in æs, ac in marmore & ære incisas esse literas, Latine dici licere: sed quum accusandi casum ponimus, videri expressius atque altius rem fixam designari: quum verò ablatiuo vtimur, leuiter & in superficie, & non penetrari funditus, siguificati.

Laurentius Valla taxatus libr. 3. c. 18.

ANNOTATIONES.

num. Et his addere potes illud Taciti libr. 12. Et fixum est ære publico Senatusconsultum.

Equestris ordo quando primùm cæptus fuit, quaque ipsius ordinis potestas & officium atque insignia fuerint.

CAPVT XXIX.

Recte [a] & condignè quidam existimauerunt, quum duo ordines, plebis scilicet & senatorius, Romæ à principio editi fuissent: equestrem ordinem, [b] qui medium teneret locum, postea adiici cœptum esse: quibus purpura, vt patriciis & senatoriis, vti non licebat: ius tamen annulorum aureorum, quo insigni à plebe secernebantur, & medius ordo notabatur, publice tributum ferunt. Quod quidem ius non equitibus modò, tanquam bellicæ virtutis insigne, sed & senatoribus & militiæ primoribus datum fuit. Is tamen ordo etsi senatorio minor, magnæ tamen amplitudinis vigorisque habitus est: quippe erat auctus amplissimis honoribus, & senatorio penè par. Nam cum à principio originnm, eiecto Tarquinio, & depulso metu regio, in libertatem se vrbs vendicasset, [c] Brutus primus ex equestri ordine senatum suppleuit, trecentósque delegit senatores, quorum consilio & authoritate niterentur. Lapsis deinde temporibus, [d] Caius Gracchus Tiberij frater, & haud maltò pòst [e] Liuius Drusus tribunus plebis, vberiori compendio eum aliquando ordinem cum senatorio confundere decreuerunt: [f] vtque plus dignitatis ferret, vt in senatum venire, & sententiam dicere liceret, lege sacrata, deinde plebiscito sanxerunt. [g] Quibus etiam equitibus tributum est, vt tametsi à censoribus in senatum allecti non essent, pro eo tamen quòd magistratus & honores gesserant, in senatum venire, & suffragari, ac sententiæ ius habere possent, qui sunt Pedarij appellati. [h] Quinetiam equites supra senatores extulerunt, & velut longe principes plerumque anrelati sunt. Néve iudicia quæ penes senatores erant, illius tantum ordinis forent, idem M. Liuius, vt æqua parte penes senatum & equestrem ordinem diuiderentur, legem promulgasse fertur: quæ diu sancta & incorrupta mansit: quæ res magnarum sæpè dissentionum & dimicationis perniciosæ causa & seminarium fuit. [i] Ipsæque decuriæ iudicũ, quæ ex origine equestri deligebantur, mox pluribus discretæ nominibus fuere Quippe alij tribuni æris, alij selecti, nonnulli appellati sunt iudices: quibus postea * nongenti additi, ab omnibus secreti: [k] qoibus scita suffragiorum in comitiis custodire negotium erat: qui tametsi iudicum, non equitum nomina ferrent, tamen equestris fuisse ordinis, & inter equites adnumerari, haud dubium est. namque & annulo vt equites vtebantur, & eadem habebant honoris insignia, iisdemque fungebantur muneribus. Ad quos aliquem ex nouis ciuibus, & cui haud multo tempore ciuitas data esset, admitti non decebat, quia nefas duxere ciuem nouitium inter equites adnumerari. [l] Tametsi Hannibalis tempore, quod Italiam omni clade belli peruastabat, ius annulorum

*Ius annulorum quibus initio concessum. Amplitudo ordinis equestris. Senatus ex equestri ordine à Bruto suppletus. Senatores pedarij. Equites antelati senatoribus. Decuriæ iudicum variis modis nominata. * al. decem. Liu. Ius annulorum promiscuũ.*

ANNOTATIONES. IN CAP. XXIX.

a *Rectè & condignè.*] In hoc princip. vide omnino Plinium lib. 33. c. 1. & 2.

b *Qui medium teneret locum.*] Appianus lib. 2. bellor. Ciui.

c *Brutus.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. statim post princ.

d *Caius Gracchus.*] Plutarchus in vita illius. & L. Florus Epito. Liuij lib. 60.

e *Liuius Drusus.*] Idem Florus eiusdem operis lib. 70. & seq.

f *Vtque plus dignitatis.*] Plutarchus in vita C. Gracchi.

g *Quibus etiam equitibus.*] Gellius libr. 3. c. 18. ex Varronis sententia in Satyra Menippea quæ *ἱππικὸς* inscripta est. Quo etiam in loco aliter declarat ex aliis qui Pedarij dicerentur De quo etiam Festus Pompeius libr. 14. De quibus etiam fit mentio Ciceroni ad Atticum lib. 1. epistol. 14. & 15. & Tacito lib. 3.

h *Quinetiam equites.*] Florus Epitom. Liuij lib. 71.

i *Ipsæque decuriæ.*] Hæc sunt Plin. lib. 33. c. 2. in princ.

k *Quibus scita suffragiorum.*] Legendum cistas ex Plinio vbi suprà.

l *Tametsi Hannibalis.*] Plinius lib. 33. c. 1. verùm quod alibi retulimus, scribit Herodianus libr. 3. Septimium Seuerum

Imperat.

Equester ord. diuisus.

aureorũ fuisse promiscui vsus Plinius asseueret. Hic etiam ordo quandoque diuisus in plures species fuit, nominibus variis, ex quibus qui ampliori prærogatiua illustres erant, Petræ cognomentum tulere, plerique Fabiani, aliique alio nomine censi. [m] Denique Nero Cæsar ordinẽ Augustanorum equitum instituit primos, reliquis perenim ordinibus offensis, & ferè destitutis, quóque plus dignitatis ferrent, seruatum est, vt multæ prouinciæ per solos equites Romanos præsidum loco regerentur. [n] Nam & Cappadociæ, & [o] Ægypto, & aliis pluribus diu equites Romani præfuere. Inter quas Ægyptus hoc proprium tulit & peculiare, vt ad eam nemo senatorij, sed equestris tantum ordinis præses accederet quorum [p] decreta diuus Augustus perinde haberi iussit, ac si Romæ magistratus, aut reges, consules, prætorésve, illa censuissent. Cúmque imperatores ius populo dicerent, fuit constitutum, vt equites cum senatoribus vnà diiudicandis causis consilio adessent, ita vt eorum arbitratu iura & controuersias diffinirent. [q] Tantíque splendoris fuere, vt præfecturam prætorij amplissimum munus continua serie ad Titum vsque ab ordine equestri administratam legamus: quinetiam res Cæsarum & negotia procurare, iam diu equestris nobilitas censebatur. [r] Et quum defluxis moribus, equites Romani magno abusu pantomimis aggregarentur, illorúmque latera cingerent: Tiberius Cæsar equestrem splendorem illorum contagio pollui arbitratus, ne equites Romani prodeuntes eorum latera tegerent, edicto vetuit. Tametsi legamus [s] Augusti tempore equites Romanos ad scenicas operas prodiisse, & [t] Neronem equites, vt operas arenæ promitterent, præmiis donísque adegisse. Contrà verò [v] Caligulam, nam equestrem ordinem, vt scenæ deuotum, assidue proscidit, & conuitiis affecit. [x] Cœpitque mox in senatusconsultis post populum Romanum equester ordo adiici, ita vt senatus populúsque Romanus & equester ordo, publica decreta edictáque testarentur. Eóque dignationis ordo processit, [y] vt Mæcenas equestri gradu velut amplissimo fastigio contentus, ad senatorium transire non curauit. [z] Cui postea sequuti Cæsares, laticlauum, distinctum tamen à senatorio, velut honoris ornamentum tradidere. [a] Cautúmque fuit, ne quis huic ordini ascisceretur, néve ius annulorum aureorũ daretur, nisi ipse ingenuus, pater & auus ingenui forent: cuíque sestertia quadringenta, quod peculium equestre habitũ est, census fuisset: quod etiam Tiberij edicto cauebatur. Fuere qui crederent, auri ornamenta fœminis medium quandoque ordinem fecisse: stolásque à plebeiis diuisisse, vt sicut annulus equitibus, ita auri cultus fœminis medium ordinem designaret. Apud Romanos verò flos ordinis equestris [b] Fabius Rutilianus inter ornatissimos fuisse proditur, qui magister equitum cum Papirio Cursore aduersus Samnites militauit: Quo tempore, perpetuo senatusconsulto cautum fuit, ne cui pater, auus, aut maritus eques Romanus fuisset, quæstũ sui corporis faceret, aut indignis artibus se pollueret. [c] Et tametsi publicani antea huic ordini asciti essent (siquidem principes equestris ordinis olim publicani fuere: [d] flósque equitum Romanorum, publicanorum ordine continebatur) postea deprauatis moribus, paulatim

Equites degenerarunt.

Laticlauus. Quadringenta sestertia peculium equest. Fœminis auri ornamenta quod equitibus annuli. Fab. Rutilianus. Publicani equestris ordinis. Plura c. 19 huius libri.

ANNOTATIONES.

Imperat. primùm omnium militibus vti aureis annulis permisisse.

m *Denique Nero.*] Cornelius Tacitus lib. 14. Dion autem in vita ipsius Neronis tradit illum quinque milia militum qui Augustales nominabantur, instituisse.

n *Nam & Cappadocia.*] Cornelius Tacitus libr. 12. & iterum lib 7. Et Sueton. in Vespasiano c. 8.

o *Et Ægypto.*] Tacitus in illis locis.

p *Quorum decreta.*] Ibidem.

q *Tantique splendoris.*] Suetonius in Tito c. 6. Præfecturam quoque prætorij suscepit, nunquam ad id tempus nisi ab equite Romano administratam. Et Plinius in præfatione Naturalis Historiæ, non longè à prin. Et quod his nobilius fecisti, dum illud patri pariter & equestri ordini præstas, præfectus prætorio eius. Ex quibus intelligis eam præfationem non Vespasiano patri, quod quidam tamen contendunt, sed Tito Vespasiano eius filio nuncupatam fuisse, nam & paulò ante in eadem præfatione alia multa ei tribuit quæ Tito assignauit Suetonius vbi suprà.

r *Et quum defluxis moribus.*] Cornelius Tacitus libr. 18. & Suetonius quo loco statim citabimus.

s *Augusti tempore.*] Suetonius in vita ipsius Augusti cap. 45. Ad scenicas quoque & gladiatorias operas etiam equitibus Romanis aliquando vsus est, verùm priusquam Senatusconsulto interdiceretur. Et vide quæ scripsi in tractatu Nobilitatis c. 34. incip. Asinius.

t *Et Neronem.*] Cornelius Tacitus lib. 18.

u *Caligulam.*] Suetonius in vita illius c. 30.

x *Cœpitque mox.*] Plinius lib. 33. c. 2.

y *Vt Mæcenas.*] Hinc enim illud Propertij lib. 3. eleg. 8.

Mæcenas eques Hetrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam.

Et paulò post,

Cum ibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere iura foro.
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes
Atque onerare tuam fixa per arma domum.
Et tibi ad effectum vires det Cæsar, & omni
Tempore, tam faciles insinuentur opes.
Parcis, & in tenues humilem te colligis vmbras
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.

Et Martialis lib. 11. epig. ad Priscum.

Quod Flacco, Varióque fuit, summóque Maroni
Mæcenas atauis, regibus ortus eques.

Et lib. 10. epi. 73.

Qua non Fabricius, sed vellet Apitius vti,
Vellet Mæcenas Cæsarianus eques.

z *Cui postea sequuti Cæsares.*] Cui igitur, id est ordini equestri. Nam ei ordini Laticlauum tribuisse.

a *Cautúmque fuit.*] Plinius lib. 33. c. 21. Suetonius in Cæsare cap. 33. vbi scribit millia quadrigenis, quod idem significat, vt sextertia quadringenta, qui census erat equestris. Vnde & illud Horatij epist. lib. 1. epist. 1.

Si quadringentis sex, septémque millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores & lingua fidesque.
Plebs eris &c.

Et Martialis lib. 5. epi. 26.

Quadringenta tibi non sunt, Cherestrate, surge.

b *Fabius Rutilianus.*] Liuius 1. Decad. lib. 8. Valer. Maximus lib. 2. c. 2.

c *Et tametsi publicani.*] Ex Tullio in oratione de Prouinciis Consularibus. & in 3. in Verrem act.

d *Flosque equitum Romanorum.*] Verba sunt Ciceronis in Oratione pro Cn. Planco.

e *Fuere*

mancipes & scribæ pro concione ab imperatoribus:velut præcipuo munere,aureis annulis donari cœpere:Deinde libertinos hoc iure donari,& ordini aduocati cœptum.[e] Fuere enim mancipes,qui prærogatiuam inter publicanos habebant.[f] Qui verò vectigalia redimebant,publicani dicti. Demum vilissima mane pia,seruitute exempta,in hunc ordinem asciscere, & equestri dignitate ac prætoriis ornamentis honestare,vsus inualuit.In qua re seruatum est,vt sublatis explosisque veteribus nominibus, quos ad equestrem splendorem aduocabant,ingenuorum veterúmque Romanorum nominibus nuncuparent,ne quid nota nominis obsoleti,collato honori officeret.[g] Apud Chalcidenses verò tanta ratio peculij habita est, vt qui essent locupletes, equitum nomina ferrent. Cretenses quoque equitum ordinem, & vetustate & dignitate longe præcipuum,in magno pretio habuere.Achæis equester honor velut præcipuo semper munere præcelluit, sicut Germanis qui [h] Bataui dicuntur. [i] Et Capuæ equitibus plerumque est honos habitus,quibus ciuitas data est,quòd bello Latino à Romanis non desciuissent.Maximæ verò celebritatis apud Gaditanos hic ordo fuisse traditur.Siquidem vno censu quadringenti Gaditani bello egregii huius ordinis censi traduntur. Qui etiam numerus in equestri dignitate Patauij fuisse proditus est.Illud tamen præcipiendum non negauerim, non cuicunque militi annulos aureos passim deferre licuisse: quia nisi ex primoribus militum, aut re magna & æstimatione forent, aut præfectus,centurio,decurio,aut tribunus,exercitui præessent,vel à principio aut prætore aureo annulo donati fuissent,illis impune vti nō licebat.[k] Ferreo enim militibus passim vti permittitur. Quem morem Persæ vsurparunt:quibus neque aurum zonámve,aut monile,neque annulum nisi regii munere collatum deferre licet. [l] Post temporum verò interualla non modo annuli aurei, sed diuersi generis munera vel ut ampla pretia,militibus dari cœpere. Quippe [m] Aurelianus imperator gregariis militibus,vt per omne tempus militiæ fibulas haberēt aureas,priuilegium dedit.[n] Seuerus vltra aureos annulos,etiam domesticas concubinas largitus fuit:quibus delinimentis militum animos emolliuit & enteruauit. Apud Macedones chlamys & apex aureus munera regia fuere, [o] Sertorius pictas chlamydes militi dona impertiuit. Alexander Macedo vsum Persicæ stolæ. [p] Vetusto tamen more in Romanis legionibus solis tribunis aureas fibulas habere: gregario verò,aut manipulari, [q] baltheos au phaleras argento decoras ferre permittitur.Fertúrque [r] Iulius Cæsar milites tam cultos habuisse, vt etiam auro & argento politis armis ornaret. Tametsi [s] Brutus in Philippis, tribunis fibulas aureas vt probrum obiectauit.[t] Non sic Spartacus, qui dum contra Romanos molitur arma, omnem auri argentique vsum militi interdixit. [u] Præ cæteris Fabricius censor tantæ abstinentiæ, & iam castigatæ disciplinæ fuit, vt summos duces plus quàm pateram & salinum ex argento in castris habere, edicto inhibuerit: & [x] Pescennius Niger tantæ seueritatis, vt summoto omni argento, in vasis ligneis milites vesci iussere.Contrà verò de [y] Antiocho proditum est,qui iam prodigæ luxuriæ exercitum duxit, vt præter frena & monilia, phaleras & armillas atque ephippia galeas & arma, etiam clauos aureos crepidis subiectos,& argentea vasa ad spurcissimos vsus, reliquamque supellectilem ex argento auróque intertextam, militibus ferre permiserit.

Mancipes. Publicani. Nominis mutatio. Chalcidenses. Cretenses. Achæi. Germani. Capuani. Gaditani. Patauini. Quibus militibus annulos aureos gestare concessū. Persæ. Macedonum regum munera. Fibula aurea. Iulij prodigalitas. Bruti. Spartaci. Fabricij & Pescenny frugalitas. Antiochi luxus.

ANNOTATIONES.

e *Fuere enim mancipes.*] Asconius Pædianus in 1. in Verrem act.

f *Qui verò vectigalia.*] Id patet ex toto tit. præsertim ex l. quantæ.§.vlt.ff.de publi. & vectig. & ex Cicerone ad Q. Fratrem lib.1.epistol.1. non semel. Tu autem vide quæ dixi de laude & vituperio horum publicanorum in tractatu Nobilitatis c. 34. nu. 32. incip. Publicam. & seq.

g *Apud Chalsidenses.*] Herodotus lib.5.

h *Batani dicuntur.*] Plutarchus in Othone hos inter Germanos esse optimos equites dicit.

i *Et Capua equitibus.*] Liuius 1 Dec. lib. 8.

k *Ferreo enim.*] Vide Plinium lib.33.c.1.

l *Post temporum verò internalla.*] Quod ex seq. ostendetur.

m *Aurelianus.*] Flauius Vopiscus in vita illius paulò ante finem.

n *Seuerus vltra.*] Non quidem Septimus ille Seuerus, qui sine alia adiectione appellari solet Seuerus, sed Alexander Seuerus,nam id quod dicit Alexander author noster, de eo refert Ælius Lampridius in vita illius. Nam post alia multa quæ is præsidibus prouinciarum largiebatur (de his enim non simpliciter de militibus loquitur.) Et si,ait, vxores non haberent, singulas concubinas, quod sine his esse non possent.

o *Sertorius pictas.*] Plutarchus in vita illius.

p *Vetusto tamē more.*] At Liuius 4.Decad.lib.7. Tum puero, inquit, annulum aureum, tunicam lato clauo, cum Hispano sagulo, & aurea fibula equúmque donat ornatum: & Flauius Vopiscus in vita Aureliani scribit eum concessisse gregariis militibus fibulas aureas habere, & vide nostras leges Connubiales l.3. inter ornamenta muliebria.

q *Baltheos.*] Teucro Telamonij cuius tam sæpè meminit Homer.in Iliade,baltheus aureus erat, & videre licet apud Philostratum in vita Apollonij lib. 5.

r *Iulius Cæsar.*] Plutarchus in vita illius, quo loco loquitur de Alesiæ,aut vt alij volunt, Alexiæ vrbis obsidione.

s *Brutus in Philippis.*] Plutarchus in vita illius.

t *Non sic Spartacus.*] Plinius lib.33.cap.3.

u *Præ cæteris Fabricius.*] Plinius eod.lib.33.c.12.

x *Pescennius Niger.*] Spartianus in vita ipsius.

y *De Antiocho.*] Vide vbi Annibal ei dicit satis esse,etiam si Romani multum auari essent, Valerius Max.lib.9.cap.1. & Gellius lib.5.c.5. & vide præterea Plutarchū in Hannibale.

Quid sit charta opisthographa apud Iureconsultos, de qua Vlpianus mentionem fecit, & quot chartarum genera fuerint, & quid chartarius apud eundem Vlpianum.

CAPVT XXX.

QVIDAM inter causidicos patronus disertissimus,& in literis non postremi nominis adiuit me, atque alterum cum quo in foro deambulabam,iurisperitum non paruæ æstimationis virum, natura

Vlpianus

tristi admodum & recondita, cuius nomen libens prætereo, ne quem videar incessere: & petiit ab eo edoceri, quid sibi vellet [a] Vlpianus de bonorum possessione secundum tabulas, vbi loquitur chartæ appellationem etiam ad nouam chartam referri, & ad deletitiam: proinde si in opisthographo quispiam testatus sit, posse hinc peti bonorum possessionem. Quid esset opisthographum, significari sibi postulabat. Cúmque ille respondere cunctaretur, & incertus animo fluctuaret, putare se nihilominus dixit, ex interpretis authoritate, opisthographam dici chartam, in qua descriptæ impensæ ad calculos referuntur, vnà cum tributis & debitis: afferens quandam verbi deriuationem deridiculam, & alia nugalia, quæ quum sint perspicuæ falsitatis, referre non necesse habeo. Nec multo post, quæstione deposita, quum ad alios sermones diuertisset, quasi tacita confessione victus, non sine pudore digressus est. Quo digresso, quid ego sentirem de opisthographo, petiit à me ille seriò explanari. Dixi ego satis liquere, verbi originem è Græco deductam, & quantum assequi poteram, opisthographam dici chartam, quæ vtraque facie & diuerso latere scripturæ admouebatur, hoc est, intus & à tergo: quæ plerumque non specie libelli erat, sed voluminis instar torquebatur, quo more prisci scripta edidisse feruntur, deductum nomen ἀπὸ τοῦ ὄπισθεν, quod post & retro significat, καὶ γραφή, quod est scriptura. Qui igitur tam à facie quàm à tergo scripta exarabant, in opisthographo scripsisse ferebantur. [b] Plinius iunior. Electorum commentarios centum sexaginta mihi reliquit opisthographos, hoc est, etiam [c] à tergo scriptos, vnde morbum [d] opisthotonicum dici voluit illorum, qui ceruicem retro flexam habuere: sicut opisthocomæ, qui comas retroferre consueuere, qualis Hectoris coma dicitur fuisse. Fuere enim apud veteres chartarum diuersa genera. Nam & syngrapha, & opisthographa edebantur scripta. [e] Syngrapha enim vno, opisthographa vtroque exarantur latere. Quod verò testatoris manu scriptum erat, [f] holographum: quod priuatim, [g] Chirographum: quod autem quisque sua manu scripsit, [h] authographum. Præter quæ fuit [i] hieratica ex biblo in Ægypto frequens, sacris tantum voluminibus dicata. Hæ fuere à principio ex cortice platani, fraxini, aceris, populi albæ: item fagi & vlmi, aut (sicut [k] Vlpianus censuit) ex tilia, philyra, & papyro. [l] Liber enim, interior pars est corticis quæ ligno cohæret, in quo ante vsum chartarum exarabantur scripta, vel in palmarum foliis, [m] vt Plinius notat. Fuítque antiquissimi moris, publica monumenta plumbeis voluminibus, priuata autem linteis describi: in quibus nonnunquam publica. In papyro autem perrarò publica, frequentius priuata edebantur. Is enim in palustribus Ægypti frequens erat, qui intextus farina glutinabatur. [o] Erant quoque tabellæ cera

l. Charta. ff. de bono poss. secun. tabul.

Opisthographū.

Opisthocomæ. Chartarum genera. Syngrapha. Holographum. Chirographū. Autographū. Hieratica papyrus. Liber. l. librorum ff. de lega. 3. Tabellæ ceratæ.

ANNOTATIONES.

a *Vlpianus de bonorum.*] In l. chartæ. ff. de bono. pos. secun. tab.

b *Plinius Iunior.*] Lib. Epistolar. 3. ad Marcum epist. eiusdem libri 5. cuius initium est, pergratum est mihi.

c *A tergo scriptos.*] De quibus ni fallor, intelligit Iuuenalis Saty. 1. statim post princ.

Scriptus & in tergo, necdum finitus Orestes.

De quo loco Sidonius Apollinaris ad Constantinum epist. 7. lib. vlt. Iam, inquit, copiosum, ni fallor, pulsat exemplar. Iam venitur ad margines vmbilicorum. Iam tempus est, vt Satyrus ait, Orestem nostrum vel supra terga finiri. Et de huiusmodi quoque opisthographis loquitur Lucianus in vitis Philosophorum. Húcque etiam spectat illud Martialis lib. 4. epig. 42.

Inuersa pueris aranda charta. Et lib. 8. epig. 61.

Scribit in auersa Picens epigrammata charta,
Et dolet auerso, quòd facit illa Deo.

Quasi diceret Picentem adeo multa epigrammata conscribere, vt vtramque paginam chartæ impleret, sed auerso, id est non aspirante Deo Apolline.

d *Opisthotonicum.*] Plinius libr. 28. c. 12. vbi eum morbum vocat dolorem inflexibilem: & de hoc morbo idem sæpius scilicet lib. 20. c. 5. in duobus locis, & iterum cap. 9. & 14. & 18. 21. 22. & lib. 21. c. 18. & lib. 22. c. 8. & 22. & 23. & lib. 24. c. 7. 12. item lib. 26. cap. 11. & cap. 12. in duobus locis, & lib. 27. cap. 10. lib. 31. c. 10. in fin. & lib. 32. c. 8. Et cæteri Medici vbique.

e *Syngrapha enim vno.*] Vnde & cur id dixerit Alexander non video. Ea enim dicta sunt ἀπὸ τοῦ σὺν, id est, simul καὶ γράφω, id est scribo quòd scilicet simul scripta sunt à pluribus, vel etiam quòd manu eorum qui simul contrahunt scripta sint vel subscripta: quod & videre licet apud Asconium in 3. in Verrem act. Cuius hæc verba sunt, Cæteræ tabulæ ab vna parte seruari solent. Syngraphæ signatæ vtriusque manu, vtrique parti seruandæ traduntur. Vide quæ infrà in verb. Chirographum.

f *Holographum.*] Ego potius dixerim id dici quòd per integras dictiones sine notis, aut, vt vulgo loquimur, abbreuiationibus scriptum est. Id enim significat ὁλογραφεῖν, id est, literis integris scribere, vt ait Budæus noster in commentariis linguæ Græcæ.

g *Chirographum.*] Id esse putamus quod propria manu scriptum est. χεὶρ enim manus dicitur. Et de hoc sæpè fit mentio Ciceroni & nostris Iurisconsultis. De his autem Asconius in 3. in Verrem actio. Inter syngraphas & cætera chirographa hoc interest, quòd in cæteris tantùm quæ gesta sunt, scribi solent, in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit, & non numerata quoque pecunia, aut non integrè numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solent, more institutóque Græcorum.

h *Autographum.*] Idem dicit Nicolaus Sipontinus, in suis in Martialem Commentariis à quo hic accepisse videtur, & plerique omnes. Autographæ epistolæ fit mentio Suetonio in Augusto cap. 71. Licet in nonnullis codicibus antigrapha legatur. Sed Sabellicus & Beroaldus interpretes priorem lectionem agnoscunt, fit & mentio quoque in Appiano bellorum Ciuilium lib. 5. Has enim eam pridem per Cecinnam scripsi, quarum si cupis antigrapha vltro accipe.

i *Hieratica.*] Plinius libr. 13. cap. 12. in princ. Et de papyro Ægyptia Apuleius lib. 1. Asini aurei. In prin. Modo, inquit, si papyrum Ægyptiam argutia Nilotici calami inscriptam non spreueris.

k *Vlpianus.*] In l. librorum. in princ. ff. de leg. 3.

l *Liber enim.*] Seruius in Virgilium ecloga 10. ad fi. & lib. 2. Georg. non admodum longe à princ. & lib. 11. enarrans eum locum,

Huic natam, libro & syluestri subere clausam.

Vnde, inquit, liber dicitur in quo scribit, quia ante vsum chartæ vel membranæ de libris arborum volumina compaginabantur.

m *Vt Plinius vocat.*] Lib. 13. c. 11.

n *Fuitque antiquissimi moris.*] Quod & ipsum dicit Plinius d. c. 11. & c. 12.

o *Erant quoque tabellæ.*] Vide suprà lib. 1. cap. item. 1.

p *Græci.*]

illitæ, in quibus monumenta literis nonnunquam mandari legimus, aliquando duplices, plerunque triplices, aut quincuplices colore diuersæ. Nam luteæ erant, virides, croceæ, purpureæ. In triplicibus epistolas, in quincuplicibus honores & magistratus: in duplicibus si quid esset arcanum & subticendum, interioresque animi notas magis adnotabant. Philyram verò corticem esse tiliæ [p] Græci assueuerant, in qua notas verborum & censa mandari literis sæpe proditum est. [q] Post quas chartæ hœdinæ (quas pergamenas vocant) fuere, Pergami vrbe Troadis primum inuentæ: vbi quum Attalus & Eumenes imperitarent, nobilem illam omnium sermone celebratam bibliothecam, conquisitis vndique exemplaribus, hœdinis chartis construxisse feruntur. Nam aliam Ptolemæus [r] Philadelphus, plus ducentorum millium voluminum in Alexandria disposuit. Quam [s] M. Antonium Cleopatræ largitum fuisse, nonnulli ad primum durasse bellum cum Augusto, asseuerant: quæ [t] mox incẽdio absumpta fuit. Romæ autem [u] Asinius Pollio vatum libris conseruãdis bibliothecam dicauit primus: in qua M. Varronis imaginem adhuc viuentis, pro cumulo magnæ gloriæ posuisse fertur: sicut [x] Victorino ob doctrinæ magnitudinem, viuenti statuam populus in foro posuit. Apud Athenas [y] Pisistratus illius exemplo bibliothecam fecit. Meminitque [z] Herodotus, prisca consuetudine, hœdinas pelles biblos nuncupasse veteres, quòd aliquando biblorum inopia einsmodi pelles scripturæ admouerent. Brachmanes literas non ceris, nec libris, sed in sindonibus fullatis coloribus effinxere. [a] Babylonij verò coctilibus laterculis mores, leges, atque instituta tradidere. [b] Quare Cleantes quòd à Zenone audierat, in tegula osse adnotauit. [c] Phœnices animalium figuras literarum loco insculpebant lapidibus; Ab his enim profectus [d] Cadmus literas Græciæ intulit, quæ eædem mansere semper, & cum literis sermo, licet Pelasgica lingua sæpe mutata & abscissa fuerit. [e] Sicut Assyriis Rhadamanthus, [f] Ægyptiis Memnõ & Anubis, Phrygibus Hercules, Latinis verò Carmeota [g] & Pelasgi, aut ab Corinthio Demaratho profecti, vel (vt putãt alij) [h] Simonides & Berosus primos characteres edidere. [i] Quamuis Ægyptios per animalium figuras primùm sensus mentis effinxisse: & antiquissima monumenta man-

Philyra. Charta hœdina. Attali & Eumenis bibliotheca. Ptole. bibliotheca. Asinij Pollionis bibliotheca. Pisistratus. Brachmanum scriptura. Babyloniorum. Literarũ inuentores. Ægyptij animaliũ figuris sensa exprimebant.

ANNOTATIONES.

p *Græci.*] Et Plin. lib. 16. c. 14. Tu autem omnino vide Politianum Miscellaneorum c. 72.

q *Post quas.*] Plin. lib. 13. c. 11. Mox, ait, æmulatione circa bibliothecas Regum Ptolemæi & Eumenis, supprimente chartas Ptolemæo. Idem Varro membranas Pergami tradidit repertas. Sed quod ad has Bibliothecas attinet, vide eundem Plinium lib. 35. cap 2. Strabonem lib. 13. non semel, & Plutarchum in Antonio.

r *Ptolemæus Philadelphus.*] Strabo lib. 17. Sed vide Gellium lib. 6. c. 16. eodémque vlt.

s *M. Antonium.*] Plutarchus in vita illius.

t *Incendio absumpta fuit.*] Gell. vbi suprà. Plutarchus in Cæsare eam dicit absumptam fuisse à Cæsare coacto periculum igne propulsare. Orosius scribit ex bibliotheca absumpta fuisse incendio librorum 400. millia.

u *Asinius Pollio.*] Plin. lib. 7. c. 30. & lib. 35. c. 2. Nam moris fuit antiquorum suas bibliothecas adornare imaginibus doctorum virorum, quod satis colligitur ex eo quòd Cicero lib. epistu. fam. epist. ad Fabium siue Fabianum Gallium, scribit vt is emat statuas quas in sua bibliotheca ponat. Martialis in epistola liminari lib. 9. ad Toranum, scribit Stertinum Auitum virum clarissimum imaginem suam in sua bibliotheca ponere voluisse. Cui quidem imagini dedicauit primùm illum lib. epig.

x *Victorino.*] Diuus Hieronymus in adiectione Chronicon Eusebij Olymp. 284. Victorinus etiam statuam in foro Traiani meruit.

y *Pisistratus.*] Gellius dict. lib. 6. cap. vlt. & Athenæus Dipnosophistarum libr. 1. non multò post princip. vbi & aliàs multas bibliothecas celebres memorat.

z *Herodotus.*] In Terpsicore, qui est lib. 5. Et de his biblis Lucanus lib. 3. Pharsalicæ,

Nondum flumineas Memphis contexere biblas
Nouerat, &c.

a *Babylonij.*] Plinius lib. 7. c. 56.

b *Quare Cleantes.*] Diogenes Laërtius in vita ipsius Cleãtis, Τῦτον φασὶν εἰς ὄστρακα καὶ βοῶν ὠμοπλάτας γράφειν ἅπερ ἤκουεν, ἀπὸ αὐτοῦ ζήνωνος ἀπορίᾳ κερμάτων ὡς τι ὠνήσασθαι χαρτία.

c *Phœnices.*] Lucanus de figuris simpliciter loquens,

Phœnices primi (fama si credimus) ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Vide Cornelium Tacitum lib. 11. & quod de his scribit Plinius lib. 5. cap. 12. Ipsa gens Phœnicum in gloria magna literarum inuentionis &c. Sed vide Diodorum quibus locis citabimus num. seq. & in verbo, proditumque est memoriæ.

d *Cadmus.*] Plinius lib. 7. c. 56. & Tacitus d. lib. 11. & ante illos Diodorus Siculus lib. 6. cap. 15. quem tu super hæc omnino vide. Sunt tamen vt refert Seruius lib. 2. Æneidos in eum locum: *Belida nomen Palamedis.* Qui dicunt ipsum Palamedem Græcas literas inuenisse. Certum est autem (inquit) literam χ. Plinius autem dicto lib. 7. cap. 56. tradit cum Troiano bello has reperisse θ. ξ. φ. χ. Apollonius Tyanæus in vita Apollonij libr. 4. dicit simpliciter illum literas inuenisse, non scribendi tantùm causa, sed vt cognoscere etiam quisque posset, quæ scribenda non essent. Herodotus lib. 5. scribit Phœnices, qui cum Cadmo aduenerant literas in Græciam introduxisse. Quod ipsum tradit Diodorus Siculus lib. 6. cap. 18. Eupolemius, & ex eo Eusebius præparationis Euangelicæ libr. 10. cap. 1. & iterum lib. 18. scribit Mosen literas Iudæis primùm tradidisse, & à Iudæis Phœnices accepisse. Græcos verò postremos à Phœnicibus accepisse.

e *Sicut Assyriis Rhadamanthus.*] Plinius d. lib. 7. cap. 56. statim post princ. Ceres prima leges dedit, vt alij putant, Rhadamanthus, literas semper arbitror Assyrias fuisse, ex quo loco, sed malè distincta videtur Alexander accepisse quod hic dicit.

f *Ægyptiis Memnon.*] Sed vt & alij tradunt, Mercurius, vt etiam scribit Plinius vbi suprà Gellium authorem laudans. Et Diodorus Siculus lib. 1. c. 2. Lactantius qui hunc Quintum Memnonem fuisse dicit: Ipse autem Diodorus alibi lib. scilicet 4. Scribit nonnullos huius esse sententiæ, vt Æthiopes omnium primi vsi sint literis, & ab illis Ægyptios didicisse.

g *Et Pelasgi.*] Plinius d. lib. 7. c. 56. & Solinus c. 8. Item Dionysius Halicar. lib. 1.

h *Simonides.*] Ipse Plin. vbi suprà scribit Simonidem Melicum 4. literas inuenisse ζ. η. ψ. ω.

i *Quamuis Ægyptios.*] Diodorus Siculus lib. 4. c. 1. & Tacitus lib. 11. vbi ita scribit: Primi per figuras animalium Ægyptij sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur. Ex quo loco hæc deprompsit Alexander.

Pherecydes prosa inuentor. Ægyptiis duo genera literarū. Æthiopes. Indi. Carthag. Græcas literas discere prohibitum. Lectores apud Romanos. Latini sermonis vsus pro munere datus. l.item quæritur. in pr. ff. locati. Cisiarius. Vehiculorū genera diuersa.

dasse literis nonnulli ferant.[k] Alij Assyrios, qui notas literarum docuerint, arbitrantur primos.[l] Nonnulli Ionum characteres à primis originibus editos, omnis vetustatis nuncios fuisse putant: sicut [m] Pherecydem Syrum prosam orationem inuenisse. [n] Proditúmque memoriæ est, Ægyptios literas habuisse vsitatissimas, quas singuli discunt: quas verò dicunt sacras, interiores & recooditas, soli sacerdotes norunt à parentibus traditas, qui etiam ex omni æternitate rerum gestarum sensa effinxere. Atque Æthiopes perplexo scripturæ genere vsos, non ex lateribus digestis ordinibus, (vt mos communis habet) sed à summo ad imum literarum ductus exararent, quod [o] tæpocon Græci appellant, qui cum septem characteres habeant, illorum singuli quatuor recipiunt significatus. Atque [p] Ægyptios à dextra in sinistram, contra Græcorum morem, ductus disponere. Atque [q] Indos absque vsu literarum, omnis æui res gestas & memoratu dignas, Pythagorico more, memoria tenuisse: illásque à parentibus traditas per manus posteris dedisse, qui tamen haud multò pòst in sindonibus scribere inceptarunt, totásque paginas monumentis rerum gestarum impleuerunt. Fuitque apud [r] Carthaginenses vetus constitutum, ne quis Græcas literas, aut idioma edisceret, cùm arcana illorum consilia, & abditos sensus linguæ commercio, & per occulta colloquia Dionysio prodita intelligerent. [s] Romanis quoque per signa ac paruas breuésque notas, multarum literarum sensa colligere per notarios vsus inualuit, adeò vt quamuis citato sermone, editas in foro orationes per notas facilè actuarij exciperent, ac sensa & verba intelligerent. [t] Quinetiā Romani principes lectores apud se habebant, quos ἀναγνώστας dixere, cum ipsi occupari, lectioni vacare non valerent, qui etiam vsum Latini sermonis nonnullis coloniis pro munere impertiuerunt. [u] Quippe Cumanis à populo Ro. tributum fuit, vt publicè Latinè loqui liceret, vtq; præconibus Latinè vendendi auctionandíque facultas foret. Rursus quæsiuit sibi explanari, qui esset cisiarius, de quo apud [x] Vlpianum & legum peritos frequens mentio fit. Dixi ego cisiarium dici, qui vehiculum duceret, & quasi aurigaret. [y] Cisium enim vehiculi genus esse, aperte liquet. Cicero in Antonium secūda Philippica: Inde cisio celeriter ad vrbem venit, capite inuoluto. Etenim vehiculorum curruúmque diuersa fuisse genera, non vna facie, apud authores legimus. [z] Nam

ANNOTATIONES.

k *Alij Assyrios.*] Plinius lib.7.c.56.

l *Nonnulli Ionum characteres.*] Nescio an id velit dicere quod scribit Plin.lib.7.c.57. Gentium consensus tacitus primos omnium conspirauit, vt Ionum literis vterentur.

m *Pherecydem Syrum.*] Plinius d.cap.56. & Apuleius lib.2. Floridorum. Sed quem Syrum Alexander dicit, hic Syrum fuisse tradit Plinius vbi supra, atque etiam eiusdem lib.7.c.51. itémque Diogenes Laertius in vita illius in prin. authoritate Alexandri in successionibus. Quæ quidem appellationes nihil defetre videntur. Sed Scyrum esse legendum vbique videtur, quòd is ex Scyra Insula oriundus erat, vt tradit Apuleius vbi suprà. Cuius quidem insulæ meminit Strabo lib. 9. Assyria autem non insula, sed continens est, quam describit idem Strabo lib.16.& Solinus c.48 & Plin. lib.5.c.12.& Pomponius Mela lib.1.c.11.

n *Proditúmque est memoria.*] Herodotus libr.2. & Diodorus Siculus lib.4.c.1.

o *Quòd Tæpocon Græci.*] Festus Pompeius lib.18. Tæpocon, inquit, appellant Græci genus scribendi deorsum versus, vt nunc dextrorsum scribimus.

p *Atque Ægyptios à dextra.*] Herodotus lib.2. Ægyptij, inquit, à dextra in sinistram scribunt, & hoc facientes aiunt se in dextram, Græcos facere in sinistram. Pomponius Mela lib.1. c.9. tradit eos suis literis peruersè vti.

q *Atque Indos.*] Vide Philostratum in vita Apollonij, alicubi & alios.

r *Carthaginenses.*] Iustinus lib.20.ad fi.

s *Romanis quoque.*] Plutarchus in vita Catonis Vticensis scribit orationem ipsius Catonis, & eam quidem solam exscriptam seruatámque fuisse Cicerone Consule velocissimos scriptores deponente atque docente, vt per signa quædam & paruas breuésques notas multarum literarum vita habentes, ita quidem vt literæ (sicuti etiam scribit Seneca) dictiones referrent, Catoniana dicta colligerent. Nondum enim vt subiungit Plutarchus reperti erant hi qui Notarij appellantur, sed tunc primùm huius rei vestigium ferunt extitisse. Verbū Eusebius Chronographus huius rei inuentum tribuit Tyroni Tullio ipsius Ciceronis liberto. Dion autem Nicæus in historia Augusti scribit Mæcenatem primùm quasdam notas literarum inuenisse ad sceleriter scribendum, eósque cōplures per Aquilam libertum docuisse. Sed vtcunque sit, constat notarios ab ipsis notis fuisse dictos, quod & Ammonius tradit, & D.Augustinus lib.2. de doctrina Christiana c.26.& non obscure innuit Paulus Iuriscoosultus in l.Lucius.ff. de milit.testam. cuius hæc sunt verba: Lucius Titius miles notario suo testamentum scribendum notis dictauit. Et de huiusmodi quoque notis Modestious in l.inter eos.§.1.ff.ex quibus causis maio. Eos qui notis scribunt acta præsidium. & Seneca lib.14.epist. Quid verborum notas, quibus quæuis excipitur citata oratio, & celeritas manus linguæ sequitur: & Suetonius in Cæsare c.56 Extant & ad Ciceronem, item ad familiares domesticis de rebus, in quibus, si quæ occultius præferenda erant, per notas scripsit. Et in Tito c.3. E compluribus comperi notis quoque excipere velocissimè solitum. Et è poëtis Manilius, vel vt alij, Manlius, poëta Astronomicus ad Augustum lib.4.cap.4.

> *Ille scriptor erit fælix, cui litera verbum est,*
> *Quique notis linguam superet cursúmque loquentis,*
> *Excipiet longuas noua per compendia voces.*

Et Ausonius epig.150.

> *Puer notarum præpetum*
> *Solers minister aduola:*
> *Bipatens pugillar expedi.*

t *Quinetiam Romani principes.*] Cicero epist. ad Atticum lib.1.epist.7.ad fin. Quid præterea ad te scribam, non habeo, & mehercule eram conturbatior, nam puer festiuus anagnostes noster Sosithenes decesserat. Et Vatinius inter epistolas familiares ipsius Ciceronis epist.eiusdem lib. 9. Dicitur mihi seruus tuus anagnostes fugitiuus Vardaci esse. Et Gel. lib.18.c.5. Atque ibi tunc nunciatur ἀναγνώστην quendam non indoctum hominem voce admodum scita & canora Ennij annales legere, &c.

u *Quippe Cumanis.*] Liuius 4.Dec.lib.10.

x *Apud Vlpianum.*] in l.item quæritur.in prin.ff.locat.

y *Cisium enim vehiculi genus.*] Nonius.Marcellus authoritate Ciceronis hic citati, cuius locus in id est apertissimus, vt & ille apud eundem in Oratione pro S. Roscio decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisio peruolaui. & Plinius lib.28.

z *Nam & essedum.*] Cicero Philippi.2. Vehebatur in essedo Tribunus plebis, & in epistol.ad Atticum lib. 6. epistol.

eiusdem

& essedum [a] & petoritũ, cisium, [b] carruca, [c] carpentum, [d] pilentum, [e] arcera, [f] plaustrum, [g] rheda & [h] sarracum, [i] epiredium, quod barbarum est, k carri, [l] couinum, & [m] arcirma, licet diuersi generis,

ANNOTATIONES.

eiusdem lib.2. Hîc Vedius venit mihi obuiam cum duobus essedis & rheda equis iuncta. Horatius epist.lib.2. epistol.1. ad Augustum.

Esseda festinant, pilenta, petorita, naues.

Martialis lib.12.epig.24.

O Iucunda, Couine, solitudo,
Carruca magis, essedóque gratum.

Hincque essedarij, qui scilicet esseda regunt, vti Cisij qui Cisia. Cæsar lib.2.belli Gallici Equites hostium, essedariiq; acriter prælio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt. Et Cicero episto.fam.lib.7. episto.6. Tu qui cæteris cauere didicisti in Britannia, ne ab essedariis capiaris caueto. Et rursum epist.10. Qui neque in Oceano natare volueris, studiosissimus homo natandi, neque expectare essedarios, &c. & Plinius lib.34.c.17. Cœpere deinde & esseda & vehicula & petorita exornare. Et vide suprà.

a *Petoritum.*]Et ex Horatio vbi suprà, & vide infrà, in verbo Petoritum enim Gallicum,

b *Carruca.*] Diminutiuum à Carro quod & vehiculi genus est. Cæsar lib.1:belli Gallici. Alteri ad impedimenta & carros suos se contulerunt. Et alibi eodem lib. pro vallo carros obiecerant, quod & nos alibi ad aliud adduximus. Idémque eodem libr. Vix qua singuli carri ducerent, Rursúmque iumentorum & carrorum quam maximum numerum coëmere. & Hirtius lib.6. siue de bello Hispaniensi, Ea die per viarum angustias carra complura, multósque lanistas retraxit. & lib.8. belli Gallici. Magna enim multitudo carrorum etiam expeditos sequi Gallos consueuit. Liuius 1.Deca. lib. 10. Hinc igitur carruca dicta est, veluti paruus carrus. Martialis lib.5.epig.94.

Nec feriatus ibat ante carrucam.

Et lib.12. quod citauimus suprà in verbo. Nam & essedum. Plinius lib.33.c.11. At nos carrucas ex argento cælare inuenimus. Suetonius in Nerone c.30. Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur. & Paulus Iurisconsultus in l. incommodato. §.duabus. ff. commod. Nam eum qui carrucam vel lecticam commodauit. Iterómque in l. si id quod. §.si ex decem. ff. de donat inter vir. & vxo. Quemadmodum si vna res empta deterior facta esset, vel carruca, & aliqua pars inde periisset. Et Scæuola in l.vxori. ff. de auro & arg. leg. Quæsitum est, an carruca dormitoria, cum mulis, qua semper vxor vsa sit, ei debeatur. Et Imperator in l.1.Cod.de honor.vehic.lib.11. Omnes Honorati vehiculis dignitatis suæ, id est, carrucis intra vrbem Sacratissimi nominis vtantur. Et interpretes Bibliorum Esa.66. eodémque vlt. Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus domum Domino, in equis, & quadrigis, & in lecticis, & mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem. Hinc autem carrucarius qui carrucam ducit, in l. item quæritur. in prin. ff. loca. S. Cisiarius, id est, Carrucarius, dum cæteros transire contendit, cisium euertit, quæ verba, id est, Carrucarius, nonnulli abundare contendunt, veluti ab aliis addita expositionis gratia, ideo nonnulli in suis impressionibus ea eraserunt, tamen ea sunt in Pandectis Florentinis inscripta. De mulis autem carrucariis fit mentio in l. Ædiles aiunt. §. iumentorum, ff. de ædil. edict.

c *Carpentum.*] Ouidius lib.1.Fastor.

Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant.

Liuius 1.Decad.lib.1.de Tullia loquens. Carpento certè in forum euecta, & paulò pòst, Flectente carpentum dextra in virbium cliuũ restitit, pauidus is qui iumenta agebat. Itémque paulò pòst, Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur. Et Plin. in viris illustribus c.7. de eadem re loquens. Cùm domum rediret, viso patris corpore, mulionem euitantem super ipsum corpus, carpentum agere præcepit. Cornelius autem Tacit lib.1. scribit Agrippam carpento in Capitolium vehi voluisse. Hincque velum carpentum dicunt Iuuenali saty.8.

Præter maiorum cineres atque ossa, velum
Carpento rapitur pinguis Damasippus.

Nam & illud fuisse velux vehiculum satis declarat illud Apuleij lib.11.Meta. Ac hinc carpento peruolaui. Id autem fuisse Gallorum proprium, videre est ex Liuio 4.Decad.lib. 1.& 3.ac 6. Et vide infrà vbi de pilentis.

d *Pilentum.*]Vide infrà, in verbo, Pilentum.

e *Arcera.*]Vide & tu infrà, in verbo, Arcera Britannorum.

f *Plaustrum.*] Varro lib.4.ling.Lat. Plaustrum ab eo, quòd non, vt in iis quæ suprà dixi, sed ex omni parte palam est, quæ in eo vehuntur quòd perlucet, vt lapides, asseres. Virgilius lib.1.Greg.

Tardáque Eleusinæ matris voluentia plaustra.

Vbi Probus interpres, Plaustra, ait, sunt vehicula, quorum rotæ non sunt radiatæ, sed tympana cohærentia axi, & iuncta cantho ferreo. Axis autem cum rota voluitur, nam rotæ circa eiusdem cardinem adhibentur. Ouid.lib.2.Metam.

Quamuis tardus eras, & te tua plaustra tenebant.

Quintilianus lib.5. cap.13. Nam cùm Scauri columnas per vrbem plaustris vectas esse dixit. Et alibi sæpe apud probatissimos scriptores.

g *Rheda.*] Nonius Marcellus. Rhedam vehiculum esse dicit, citatque illud Ciceronis in epist.ad Varronem. Quod si heri tuam rhedam non habuissem, varices haberem. Sed in id sententia est clarior eiusdem Cic. ad Atticum epist.lib.5. epist.17. post princ. Hanc epistolam dictaui sedens in rheda, cùm in castra proficiscerer, à quibus aberam bidui. Et iterum lib.6. loco suprà allegato in verbo, Cisium enim vehiculi genus. & in Oratione pro Milone, Obuiam ei fit Clodius, expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis. Martialis lib.5. epig.94.

Faustina plena Bassus ibat in rheda.

Quintilianus lib.1.c.5. Plurima Gallica voluerunt, vt rheda & petoritum Eiúsque etiam fit mentio in nostris legib. videlicet in l. cùm in plures. §. vehiculum. ff. locat. vehiculum conduxisti, vt onus tuum portaret, & secum iter faceret, & cum pontem transiret, redemptorem eius pontis portorium ab eo exigebat, quærebatur an etiam pro ipsa sola rheda portorium daturus fuerat. Vides eum ibi apertè rhedam vehiculum esse. Atque etiam in l.4. ff. de supel. leg. Hincque etiam Rhedarius ipsius rhedæ ductor Ciceroni pro Milone. Et Rhedarius mulus lib.3. de re rust. c.17.

h *Sarracum.*] Iuuenalis saty.3.

Longa coruscat
Sarraco veniente abies.

E saty. 5.

Frigida circumagunt pigri Sarraca Boetæ.

Et Quintilianus lib. 8. cap.3. An cùm dicit in Pisonem Cicero, Cùm tibi tota cognatio in sarraco aduehatur, incidisse videtur in sordidum nomen. Is autem locus Ciceronis est in Oratione aduersus Pisonem ipsam. Sidonius Apollinaris, Mille graues sarcinæ ad prædium ex oppido ductæ, nulla sarraca, nulláque esseda, subuehendis oneribus attrahebantur. Et Vitruuius ante hos. Festus autem Pompeius libro 17. scribit Sarracum esse quo ornamenta scenicorum portantur.

i *Epiredium.*] Epirrhedum scribendum ex Quintiliano lib. 1. c.10. vbi dicit compositum ab ἐπὶ præpositione Græca & Rheda dictione Gallica, nec tamen Græcum nec Gallum vti hoc composito. Romanos suum ex vtroque fecisse. Nam & hac dictione vsus est Iuuenalis saty.8.

Tritóque trahunt epirrhedia collo.---

k *Carri.*] Vide suprà in Carrus.

l *Couinum.*] Vide Paulò infrà in verbo, Couinum Britannorum.

m *Arcirma.*] Arcirma, inquit Fest. Pompeius lib. 1. genus

Petoritũ. Pilentũ. Couinũ. Thensa. Arcera.

omnes tamen vehiculorum numero fuere. [n] Petoritum enim gallicum fuit, rotarum quatuor. [o] Pileorum veneti coloris, quo matronæ vectabantur castæ, quas postea basternas dixere, [p] couinum Britannorum, [q] esseda Belgarum, [r] thensa deorum rex argento, [s] carrucæ Germanorũ & Gallorum, [t] arcera infirmorum: erat enim plaustrũ tectum vndiq;. Eas quidem currucas etiam in Italia frequen-

ANNOTATIONES.

est plaustri modici, quod homo gestare possit, aut vt alij legunt, quo homo gestari possit. Nec recordor me alibi de his legisse.

n *Petoritum enim Gallicum.*] Vt authoritate Varronis lib.14. rerum diuinarum scribit Gellius lib.17.c.30. Et de hoc Horatius, quem iam suprà citauimus, sed hic quoque citandus fuit epist.lib.2.epist.1.

Esseda festinant, pilenta, petorita, naues, &c.

Quo in loco Acron interpres scribit petorita esse vehicula famularum captiuarum, Porphyrion autem alter interpres dicit ea esse quibus vehitur familia regum. Sed & idem Horatius Ser.lib.1.sat.6.

----Vti ne solus rusue peregréue
Exirem plures calones atque caballi
Pascendi, ducenda petorita.

Vbi Acron ipse, Petorita, inquit, genus vehiculi, alij carpenta intelligunt, nonnulli carrucas. Porphyrion autem: Petoritum, ait, genus vehiculi, quòd vulgo carrum dicitur. Et Festus Pompeius lib.14. Petoritum, inquit, & Gallicum vehiculum esse, & nomen eius dictum existimant ad numerum quatuor rotarum.

o *Pilentum.*] Virgilius lib.8. Æneid.

---Castæ ducebant sacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus.---

Vbi Seruius à quo Alexander id accepit, quod hic dicit. Pilenta, inquit, sunt vehicula, sicut nunc Basternas videmus, erant etiam tunc veneti coloris, non vt nunc fuscati, quibus nisi castæ vtebantur. Eiúsque loci Virgiliani idem Seruius lib.11. eiusdem operis in eum locum.

Necnon ad templum summásque ad Palladis arces,
Subuehitur magna matrum comitante caterua.

Subuehitur, inquit, propriè, matronæ enim pilentis vtebantur ad templa pergentes, vt,

Pilentis matres in mollibus.

Cæterùm Liuius 1.Decad.lib.5. Grata, inquit, ea res, vt quæ maximè, senatui vnquam fuit, honorémque ob eam beneficentiam ferunt matronis habitum, vt pilento ad sacra ludósque, carpentis festo profestóque vterentur. Et Claudianus de nuptiis Honorij & Mariæ.

Ante fores iam pompa sonat, pilentáque sacra
Præradiant ductura nurum. --

Porphyrius autem in eum locum Horatij citatum nu. præced dicit pilenta vehicula esse, quibus regina capta duceretur. Festus Pompeius lib.14. de eodem is loquens de qua Liuius nuper citatus Pilentis & carpentis per vrbem vehi à matronis concessum est, quòd cùm aurum non reperiretur ex voto quòd Camillus vouerat Apollini Delphico contulere. Sed & idem eo.lib. Pilentum, inquit, vehiculi genus, quo matronæ ferebantur.

p *Couinum Britannorum.*] Couini fit mentio à Martiale loco suprà citato de Essedo. Et Silio lib.17.

Agmina falcifero circumuenit arcta couino.

Et Sidonio Apollinari in laude vrbis Narbonensis.

Iámque & pectora prona de couino
Extensi rapiuntur, &c.

Id autem esse proprium vehiculum Britannorum atque etiam Gallorum ostendit Pomponius Mela lib.3.c.4. de Britannis loquens. Dimicant non equitatu modo aut pedite, verùm & bigis, & curribus Gallicè armati, couinos vocant, quorum falcatis axibus vtuntur. Et Diodorus Siculus lib.6. Et Lucanus lib.5. Phars.

Et dociles rector monstrati Belga Couini.

Hincque Couinarius rector couini Tacito in vita Agricolæ non semel. Et couinarius eques in eodem lib. qui scilicet ex couino pugnabat.

q *Esseda Belgarum.*] Virgilius lib.3. Georg.

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

Et Claudianus de mulis Gallicis,

Esseda concordes multisonora trahunt.

Nam & Acron & Porphyrion in Horat. lib.2. epist.1. loco à nobis suprà citato hæc dicunt Gallorum esse. Sed & adde Britannorum ex Propertio lib.2.eleg.1.

Esseda cælatis siste Britannia iugis.

Et Cicerone quo loco suprà citauimus cùm de essedis locuti sumus (vide commentaria in Persium fol.154.) Et præterea eiusdem lib.7.epist.fam.epist.7. In Britannia nihil esse audio neque auri, neque argenti. Id si ita est, essedum aliquod suadeo rapias, & ad nos quamprimùm recurras.

r *Thensa Deorum.*] Asconius Pædianus in 3. in Verrem actio. Thensæ, inquit, sunt sacra vehicula, pompa ordinum & hostiarum. Subditque Thensas alias à diuinitate dici putare alios, quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere qui eas deducunt. Seruius in libr.1. Æneidos.

Hîc illius arma,
Hîc currus fuit.

Aut verè, ait, currus, quo ipsa in cœlo vtitur, vel Thensa, quæ dicitur ἀπὸ τ θεοῦ, id est, à re diuina, & ea est, qua Deorum simulachra portantur. hæc ille. Quæ confirmantur testimonio Ciceronis in Oratione de Aruspicum responsis, Te appello Lentule, cuius sacerdotij sunt Thensæ, & in 7. eadémque vlt. in Verrem act. Omnes dij qui vehiculis Thensarum solemnes cœtus ludorum initia. Et Suetonij in Cæsare cap.76. Sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in curia, & pro tribunali Thensam. Et rursum in Vespasiano c.5. Nunciabantur & ex vrbe præsagia, Neronem diebus vltimis monitum per quietem, vt Thensam Iouis O.M. è sacrario in domum Vespasiani in circum deduceret. Et huc quoque pertinet illud Liuij 1.Decad.lib.5. Quæ augustissima vestis est Thensas ducentib. triumphantibúsve, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedent. Sed & aliàs Thensarum mentio est apud Ciceronem, præter illam in Verrem act.3. Vbi Asconius id scribit quod suprà ex eo diximus, etiam in 5. in eundem Verrem act. & in Oratione pro Plancio. & Suetonius in Augustum. Nec interim omiserim quòd à Festo Pompeio scriptum est libro 18. Thensa, inquit, vehiculum argenteum, quo exuuiæ deorum ludis Circensibus per circum ad puluinar vehebantur.

s *Carrucæ Germanorum & Gallorum.*] Vnde id acceperit ignoro, nisi forte ex Cæsare lib.1. belli Gallici, vbi loquens modò de Gallis, modò de Germanis, eos carris vsos fuisse scribit in multis locis, à quibus vt iam suprà diximus diminutiuæ Carrucæ dictæ sunt.

t *Arcera infirmorum.*] Gellius lib.20. cap.1. Arcera vocabatur Plaustrum tectum vndique & munitũ, quasi arca quædam magna vestimentis instructa, qua nimis ægri, aut senes portari cubantes solebant. Nonius Marcellus. Arcera plaustrum est rusticum tectum vndique, quasi arca, vt apud Varronem & M. Tullium inuenitur. Hoc autem vehiculi genere senes & ægroti vectari solent. Varro γέροντ@ διδασκάλῳ: vehebatur enim cum vxore vehiculo semel aut bis in anno cum arcera, si non vellet, si non sterteret. Idem tamen Varro lib.4. de lingua Latina. Vehiculum, ait, in quo faba aliudue quid vehitur, quod est ex viminibus, vehiculum dictum est, ab aliis dictum arcera, quæ etiam ex 12. tabulis appellatur, quod ex tabulis vehiculum erat factum, vt arca arcera dictum. hæc ille. Verba autem 12. tabularum reperies apud Gellium dicto lib. 20. cap.1. Si in ius vocat, si morbus æuitasve vitiũ escit, qui in ius vocabit iumentum

res fuisse comperimus: quippe [y] Nero Cæsar nunquam minus mille carrucis iter fecisse proditur longo semper agmine impedimentorum incedente. Censuitque iureconsultus titulo locati, quòd si cisiarius, dum præterire contendit cæteros, cisium euertit, & seruum quassauit vel occidit, culpa non liberari, sed in eum ex loco ius dari & agi licere.

Vlpianus loco præscripto.

ANNOTATIONES.

rum dato. Si uolet, arceram ne sternito. Hincque occasione sumpta Gellius exponit quid sit arcera, vti supra citauimus. Vide Baldum in 12. tab.

n *Quippe Nero.*] Suetonius in vita ipsius c. 30. Verùm Ælius Lampridius in vita Heliogabali tradit ipsum Heliogabalum sexcenta vehicula duxisse, asserentem decem millibus Camelorum Persarum regem iter facere. Et Neronem quingentis carrucis iter iuisse.

Solere magnos successus ex infima fortuna, & futuras calamitates plerunque signis præmonstrari.

CAPVT XXXI.

VT omnis antiquitas fabulosa est, his qui in magnis discriminibus positi, admirabiles exitus habuere, aut ex inopi calamitosáque fortuna, regium fastigiū & imperia quæsiuere, quo res admirabilior videretur, commenta miraculi non semel effinxit, vt qui ex grauibus periculis postea erepti forent, maiestate & cura numinum, non casu aut fortuna, seruati viderentur. [a] Romulum & Remum ex Rhea Syluia, & Marte genitos cum exponi in profluentē Amulius iussisset, à lupa distentis vberibus altos plerique omnes tradiderunt. Quod commentum fabulæ ab exteris nostri mutuati sunt. Nam [b] Cyro Persarum Regi, cuius latè imperium valuit, cum ab Astyage expositus & pulsus infans foret, canem vbera præbentem, illúmque à feris defendentē, pastor gregis inuenisse traditur: quæ res futuram ipsius magnitudinem haud dubiè portendere visa est. Nec vana prædictio fuit: quippe qui rerum gestarum magnitudine paruo imperij spatio omnes Reges antecesserit. Hieronem [c] Syracusanum, quòd ex ancilla editus fuerat, in syluis expositum apes congesto in os melle aliquandiu aluere: qui mox omnes asperitates supernadens, tantum ingenio & virtute valuit, vt ob multa rei militaris facinora, regnum Syracusis, & omnia ornamenta virtutū paulo post assecutus sit. [d] Hic est enim ille Hiero, qui præcipua & constanti fide rem Romanam iuuit, vnóque tenore amicus populi Romani & fidissimus cultor perpetuo mansit. Pari exemplo traditur [e] Semiramis circa Syriæ stagnum infans exposita, ab auibus diu alita & educata, magno præsagio futuræ felicitatis, quæ mox sublata à pastoribus, post varios casus, regia coniux fieri, & latè imperitare meruit. [f] Midæ quoque regi Phrygiæ quum obdormisceret, formicæ, quæ tritici grana in os congessere, diuitias & opes immodicas illi futuras euidentissimis ostentis adnotarunt. [g] Habis Tartessiorum Rex, magnis difficultatibus infans agitatus, tandem inter feras à cerua alitus, & haud multò post laqueo captus, post subactas gentes & domitas, sæuientis fortunæ minas experiri desiit: qui deinde regnum assequutus, documenta egregij principis dedit, summóque iustitiæ temperamento illis gētibus præfuit. Quod commentum de [h] Telepho Herculis filio, qui aui iussu in syluis expositus fuerat, veteres prodidere: Sicut [i] Peliam ab equa, Paridem ab vrsa, Ægysthum à capra enutritos fabulati sunt. Adeo ex grauibus periculis ereptis, futuræ signa felicitatis quandoque fuere prænuncia. Rursus

Fabulosa antiquorum historia.
Romulus & Remus à lupa nutriti.
Cyrus à cane.
Hiero ab apibus.
Semiramis ab auibus.
Midas.
Habis à cerua.
Telephus.
Pelias ab equa.
Paris ab vrsa.
Ægysthus à capra.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXI.

a ROmulum.] Virgilius lib. 8. Æneidos his versibus,

Fecerat & viridi fœtam Mauortis in antro
Procubuisse lupam, &c.

Strabo lib. 5. Liuius 1. Deca. lib. 1. Plinius lib. 8. c. 17. vbi hæc & similia arbitratur. Fatorum magnitudini acceptam ferri æquius, quàm ferarum naturæ. Iustinus libr. 43. post princ. Plutarch. in vita Romuli, & in lib. de fortuna Romanorum, & plerique qui de origine vrbis Romæ locuti sunt.

b *Nam Cyro.*] Iustinus libr. 1. & iterum lib. 44. & Lucianus in lib. de sacrificiis. Ælianus de varia historia lib. 12. Aliter Herodotus lib. 1. vbi dicit illum fuisse educatum à Mitridatis vxore nomine Cyno Græca lingua, Canis: Medico Sparu: nam canem Medi Spara vocant, eo quòd parentes ipsius, vt diuinitus videretur Persis eorum filius fuisse seruatus, diuulgarunt à cane Cyrum, cùm esset expositus, fuisse educatum, hincque eam fabulam emanasse.

c *Hieronem Syracusanum.*] Iustinus libr. 23. Longo quoque tempore (vt id addam) Iupiter ab apibus quoque nutritus fuisse dicitur. Vt tradit Seruius enarrans illud Virgilij lib. 3. Æneid.

Creta Iouis magni, &c.

d *Hic enim ille Hiero.*] Liuius 3. Decad. libr. 2. & 4. & alibi sæpe.

e *Semiramis.*] Diodorus Siculus libr. 3. c. 2. qui de columbis dicit quod hîc Alexander de auibus dicit.

f *Midæ quoque.*] Cicero lib. 1. de Diuinat. Valerius Maxim. lib. 1. c. 6. Ælianus de varia historia lib. 12. c. 45. Idem autem Animalium lib. 13. c. 1. scribit, Gordium ex Aquilæ significatione filium suum Midam Regem fore coniecisse, cùm supra caput ipsius arantis primò volasset, deinde totum in diem in iugo sessitare non priùs destitisse, quàm is ad vesperam arationem dimisisset.

g *Habis.*] Iustinus lib. 44. eodémque vlt.

h *De Telepho.*] Ælianus vbi nuper citauimus. Et Lucianus in d. libello de sacrificiis.

i *Sicut Peliam.*] De his tribus scilicet, Pelia, Paride, Ægystho, Ælianus vbi suprà. Sed & idem lib. 13. post prin. Athalantem ab vrsa quoque nutritum tradit. Vt & Strabo lib. 8. Diodorus Siculus lib. 6. c. 15. Et Lucianus vbi suprà. Iouem à capra, quæ vt dicit idem Diodorus Amalthea nuncupata est. Et Ouidius lib. 5. Fast.

Stat quoque capra simul, nymphæ pauisse feruntur
Cretides, infanti dat, dedit illa Ioui.

Et hinc Hesiodus in Theogonia in fi. illum vocat *αἰγίοχον*, id est, à capra nutritum, vti etiam Pausanias libr. 3. (vbi de Plegia loquitur) scribit Æsculapium à caprâ quoque nutritum. Et ipse Diodorus Siculus lib. 4. c. 5. Cybelen à pardis & aliis feris.

Sandrocottus.

[k] Sandrocotto, qui haud multo post Indorũ Rex fuit, quum Alexandro inuisus infestusque, sæuitiam fugiens, per vastas solitudines curis & insomniis fatigatus, languente corpore iaceret afflictus, solúsque obdormisceret, leo horribilis & perumescendus, sudorem dormienti detersit lingua: quod ostentum ex omni sæuitia fortunæ illum emersurum, & mox imperij præpotentem designauit. [l] Sicut

Gordius. Lysimachus.

Gordium dum conductis bubus agrum coleret, aues omnis generis circumuolantes, illum ex infima fortuna ad summum honoris culmen processurum ostenderunt. [m] Mitto Lysimachum, & alios quos referre multũ operæ esset, qui sæuientes fortunæ minas & miserabiles casus, ac vim fati potestatemque mira virtute superarunt. Sed sicut post calamitates magnis præsagiis multi fœlices euentus sortiti fuere, ita ancipitem fortunam, & infandas strages ac præsens excidium veluti magna sortis humanę

Portenta infelicitatis futuræ.

documenta, nonnullis præmonstrare fata voluerunt. Quo tempore [n] Crœsus Lydorum rex à Cyro subactus, regno pulsus fuit, semestris filius in crepundiis articulate loquutus fertur, magno ostento & pernicioso. [o] Xerxe expeditionem in Græciam parante, equa leporem enixa, & mula quæ incertæ naturæ partum edidit, cruenta bella stragésque, & memorandum illud excidium, quæ postea præcipitantibus fatis secuta sunt, præmonstrarunt. [p] Sagunti quoque, quo tempore Hannibalis excidium passa est, inter magna & assidua monstra, satis constat, infantem è matris vtero penè editum, in ipsum matris aluum reuertisse. Quod prodigium, quasi diuinatio futuri esset, teterrimum bellum & fatale excidium ac imminens fatum quo ad internecionem funditus euersa est, haud dubiè ostẽdit. Est quoque in exemplo, excisos panes [q] Syllæ temporibus, manantis sanguinis guttas fudisse, canésque & alia id genus animalia rugitu miserabili lugubres voces dedisse, bellum ciuile & intestinas clades, tantúmque cædis, quantum postea effusum est, denotasse. [r] Inter quæ ancilla quę serpentẽ enixa est, Marsicum portendisse bellum dicitur. Multáque eiusmodi in medium afferri possent, vt taceam Tarquinium, aliósque innumerabiles, ac mille portenta, quibus maxima & cruenta bella, ac inuidentis fortunæ casus, euentúsque tristissimi variis prodigiis prædictionibúsque præscita fuere. Ita profectò est, vt quæ futura quandoque sunt, multis signis quasi multo antè præuisa, monitu impulsúque Dei declarentur. Et quod fatis debetur, siue anceps malum, & aliqua temporis atrocitas, siue certa spes & indubia salus futura sit, nobis portentis signísque denuntietur, quibus fata imminentia & tempestates sedulò vitari possunt & caueri. [s] Sed quod de Gordio legimus, cui aues circumuolantes auspicium fecere, id nimirum [t] Vitellio principi exitio fuit. Nam Viennæ pro tribunali sedenti, supra caput & humeros residens gallinaceus, tantúmque fœdarum auium superuolans, vt tenebras penè afferrent, præsens periculum & futuras calamitates quibus ad internecionem diis hominibúsque infensus redditus est, non cæca existimatione præmonstrauit.

ANNOTATIONES.

k *Sandrocotto.*] Iustinus lib.15.

l *Sicut Gordium.*]Idem author lib.11.

m *Mitto Lysimachum.*]Vide eundem lib.15.

n *Crœsus Lydorum Rex*]Plinius lib.11.c.51. & li. 15. Similiter quoque Liuius 3. Decad. lib.1. paulò antè fi. tradit Romæ infantem semestrem in foro olitorio triumphum clamasse. Quin & ipse eiusdem Deca. lib.4. infantem in vtero matris Io triumphe clamasse.

o *Xerxe.*]Herodotus lib.7. Valerius Maximus lib.1.c.6.

p *Sagunti quoque.*]Plinius lib.7.cap.3. in fi. & Eutropius de gestis Romanorum lib.3.

q *Sylla temporibus.*] Paulus Orosius Historiarum lib.5. cap. 17. Iulius obsequens Prodigiorum c.114.

r *Inter quæ ancilla.*] Iulius Obsequens de prodigiis cap. 118.

s *Sed quod de Gordio.*] Iustinus lib.11.

t *Vitellio Princip.*] Suetonius in vita illius c. 9. & iterum omnium postremo. Et Cornelius Tacitus lib.19.

Par exemplum Tarquinij superbi, & Thrasybuli Milesiorum tyranni, ac Sexti Tarquinij, & Zopyri Assyrij.

CAPVT XXXII.

QVOD [a] de Tarquinio superbo scriptum legimus, aliquando, qui odio inexpiabili diis hominibúsq; infensus, regno pulsus fuit, quum Gabios olim opprimere vellet dolis, quia nuncius filij dubiæ fidei videbatur, ne secreta sui consilij panderet, in hortos quibus deambulabat, illum adduxisse. Et quum nihil responderet, summa papauerũ capita baculo decussisse: quo ænigmate quid vellet pater, filius intellexit. Idem de [b] Thrasybulo Milesiorum tyranno, non mitioris perfidiæ, scriptum accepimus. Quum enim à Periandro Corinthio nuncio consultus foret, quid sibi agendum putaret, vt omni suspicione procul & metu vacuus imperitaret, quasi elinguis foret, nihil aliud retulisse fertur, præterquàm quòd nuncium Periandri haud exploratæ fidei virum, in segetem messi maturam adduxit, summásq; frumenti aristas baculo decussit, nullo verbo reddito, eodem nuncio anxiè prosequẽte, & quid vellet Periandro referri expectante. Quo facto intellexit sagacis vir ingenij, vt si ciuibus dominari, & tyrannide potiri cuperet, principes ciuitátis & summa capita rerum,

ANNOTATIONES IN CAP. XXXII.

a *QVod de Tarquinio superbo.*]Dionysius Halicarnassæus lib.4. Liuius 1.Dec.lib.1. Valerius Maximus lib.7. c. 4. Plinius lib.19.cap.4. post princip. & iterum c.8. paulò ante fi. Iulius Frontinus Stratagematum libr. 1. cap.1. Seruius in libr.6. Æneid. enarrans eum locum,

Vos & Tarquinios Reges animámque superbam.
Victoris Regis &c.

b *De Thrasybulo.*]Aristoteles Polit. lib.3.c.9. & lib.5. c.10. & Herod.

quibuscunque modis posset, è medio tolleret, tacitísque ambagibus sublatis potioribus, illum regno potiturum depulso metu, affirmauit.[c] Atque hic Periander fuit, qui tyrannos, si diutius dominari cuperent, amore potius ciuium & charitate, quàm armis stiparentur, monuit & suasit. Non enim parua duxit munimenta, beneficentiam & studia hominum ad perpetuitatem.[d] Sed in hoc stratagemate, quod de Sexto Tarquinio legitur, cuius fœda vitia, & fœdiores libidines fuere, quòd odio & dissidio patris simulato, ob suorũ morum difficultatem, superbúmque ac immedicum imperium, fugam fecisset, Gabiósque infestam Tarquinio gentem petiisset, ab illisque exercitui præfectus fuisset, vno atque altero prælio prospere rem egisset tunc demũ creditam sibi vniuersam rem Gabinam, sublatis de medio primoribus patrum, haud difficulter nec magno certamine in manus Tarquinij tradidisse. Haud absimile factum, sed pari exemplo, eisdémque confictis dolis, rem gestam apud Persas inuenimus.[e] Namque Assrij quum à Dario desciuissent, Babyloniámque vrbem præualidam occupassent, difficilísque expugnatio foret: in magna rerum difficultate Zopyrus quidam ex optimatibus, homo callidus & veterator, ex omni barbarie ad omne facinus promptissimus, animo inuerecundo & astu barbarico, truncis auribus & naso, lacero corpore, & facie deformata fœdum in modum, singulare genus fraudis commentus fuit. Quippe simulans se à Dario tam fœdè cæsum, quum illo oris dehonestamento conspicuus foret, Assyrios & Babyloniam petiit, asserens sibi nullũm nisi apud Darij hoster receptum tutum putasse. Inde ab Assyriis benignè exceptum, turmis equitum præfectum dicunt fuisse, vno atque altero prælio contra Darium prosperè rem gessisse: & cum ex composito victor fuisset, tunc postquam dux totius militiæ constitutus fuit, vniuersum sibi creditum exercitum, ipsámque Babyloniam valido præsidio munitam, in Darij manus haud multo negotio dedisse.[f] Pisistratus quoque memoratur callido astu & vafro ingenio, vt Athenarum dominio potiretur, lacero & deformato corpore, pluribus sibi illatis vulneribus & plagis, in forum prodiisse, & clamore querulo, magnísque fletibus, incensam multitudinem aduocasse, ea sibi vulnera ab inimicis illata palam vociferatus & cũ custodes corporis, manus unenum audacissimorum accepisset, tyrannidem Athenis magno scelere & perfidia inuasisse.[g] Neque absimili exemplo Dionysium, qui Syracusas flagitiosius occupauit, pari audacia & astu idem factitasse accepimus. Namque dolosis cõsiliis se multorum insidiis appeti asseuerans, prope concionantis in modum per iusimas obiestationes apud populum, perulcit, vt sexcentos circa latera armatos sumeret: quo agmine stipatus, graui & superbo dominatu patriam occupauit. Adeò perniciosis exemplis & vesana cupidine mouentur homines, vt quod virtute nequeunt, callido astu & malo facinore assequantur.[h] Proditur memoriæ iuuenis inter cæteros non ignaui spiritus ex optimatibus quos Aristodemus tyrannus extorres fecerat, hoc consilio vsus, vt patriam ab impotenti seruitute liberaret, Non corpore plagis afflicto, vt fides haberetur, ad Aristodemũ venit: & quos fidissimos habebat, exciuit illósque in saltus inuios & inaccessos vbi dispositæ erant insidiæ, adduxit quibus debellatis, & tyranno occiso, Cumas seruili iugo liberauit.[i] Sossis vero Syracusanus, homo versuti ingenij, nouandi res occasionem nactus, quum similibus dolis sanguine fœdatus, & veste lacera, lamentabili voce contra Dionem multitudinem exciret, consilio parum celato, postquam diluxit fraus, tanquam molitor nouatum rerum, & vulgi turbator, Athenis iudicium subiit, & intestinæ fraudis pœnas luit.

Imperij stabilo. Tarquinij iunioris stratagema. Zopyri facinus. Pisistrati dolus. Dionysij in occupandis tyrannide ars. Sossis.

ANNOTATIONES.

Herod libr. 5. & Dionys. Halicar. d. lib. 4. & Laërtius in vita Periandri, vbi ascribit epistolam ipsius Thrasybuli in eam rem.

c *Atque hic Periander.*] Laertius in vita illius.

d *Sed in stratagemate.* Hæc sunt Liuij 1. Decad. lib. 1.

e *Namque Assyrij.*] Herod. lib. 3. non longé à fi.

f *Pisistratus quoque.*] Herodotus lib. 1. Iustinus lib. 2. Laërtius in Solone in epistola ipsius ad Epimenidem. Plutarchus in eodem Solone, vbi hos Satellites dicit fuisse vocatos Coryniphoros, ab armis quibus vtebantur sic dictos. Et vide Ælianum de varia historia lib. 8.

g *Neque absimili exemplo Dionysium.*] Vide Aristotelem lib. 3. Polit. cap. 9. in fi. & iterum in lib. 5. cap. 5. Et Isocratem in Oratione ad Philippum 1.

h *Proditur memoria iuuenis.*] Hæc Dionysius Halicar. lib. 7. sed ipsius Aristodemi necem aliter describit Plutarchus in libro de claris mulieribus cap. 25.

i *Sossis verò Syracusanus.*] Plutarchus in vita Arati.

Libri secundi Genialium dierum finis.

ALEXANDRI AB ALEXANDRO IVRISPERITI NEAPOLITANI GENIALIVM DIERVM LIBER TERTIVS.

Quid dicatur idem apud Philosophos, & quid idem à Iureconsultis, discussum cum Hermolao in conuiuio familiari.

Caput I.

Hermolavs Barbarus amicus meus summus, perquam fuit literis homo ornatissimus, bonisque disciplinis & ingenuis artibus excultus, ac præter ingenij amœnitatem, quæ plurima in homine fuit, doctrina quoque curiosa, eleganti. Ad eum quotidie, dum Romæ ageret, complures viri bene literati, atque in studiis doctrinarum magistri sapientiæque doctores facundissimi, exercendi animi causa frequentes ventitabant. Accipiebátque singulos ille, aut noua lectione authoris nõ vulgaris, nõnunquam quæstiunculis ex philosophia minimè procacibus, & petulantibus, sed placidis & ingeniosis, ac pro æstimatu cuiusque festiua quadam argutia animum lacessentibus: ita vt ipsius consuetudine & sermone quotidiano semper quisque doctior & lepidior fieret. Forte verò cùm festa solennique die ad cœnam ab eo inuitati nõnulli ex nostratibus boni adolescentes studia humanitatis professi, & nos vnà transactis negotiis conueniremus, excepit nos ille cœnula admodum lauta & frugi, non prodigis epulis, & paratu magno, sed parco, breui, & parabili cibo, & vt tenui conuictu, ita summa voluptate comitatéque mutuos ipse sermones mistos conniualibus iocis, in longum protrahebat. Cũ inque inter cœnandum, sicut solebat in conuiuio familiari, iuuenis quispiam lætæ indolis, & haud illiteratus, Thesei res gestas nuper è Plutarcho in Latinũ versas, scitè admodum & venustè lectitaret, quóque pacto in Cretam delatus, Labyrinthi errores, & Minotauri monstra superarit, reuersóque vt Athenienses ob res fortiter gestas, dies festos dedicarint: & alia permulta vt ingenium facundiáque eius fuit in extollendis vendicandísque Græcorum rebus, plusquam satis est, profusi. Hoc quoque legebat, nauim qua in Cretam Theseus delatus fuerat, ad Demetrij Phalerei tempora Athænis seruatam custodiri. Et quia longo æuo absumpta materia fuit, lignis antiquioribus detractis, nouísque coaptatis, diu mansisse. Eáque cum eadem Thesei nauis diceretur, apud philosophos alióśque physicæ studiosos, an eadem esset nauis, an verò altera, ancipitem quæstionem incidisse. Cúmque hæc & pleraque ex Plutarcho in hanc sententiam ille legisset: Morosa, inquit Hermolaus & quæ nihil habeat controuersiæ, quæstio hæc inter philosophos agitari cœpta fuit. Cui enim non explicatum est, vbi materia non eadem subest, quæ prius erat, etsi loco illius altera suffecta sit, minime eandem rem dici oportere? Constat enim, nauim quæ demptis tabulatis & tignis, ex noua materia coaptata est, non eandem esse. Siquidem eum quid idem esse dico, illud ita demum esse idem putandum est, si nihil ei additum detractúmve sit. Nauis ergo quæ veteri dempta, & noua coaptata materia facta est, quia non eadem materia nunc est quæ olim fuit, eadem omnino dicenda non est. Cúmque me, qui vnà aderam, quid de istiusmodi re iudicij haberem, potissime interrogaret: respondi, meminisse me in complurium iurisconsultorum libris secus longe atque ipse censeret, scriptum legisse, quos omnes contrà sentire, atque isti opinioni aduersari haud dubium fuit: Namque [a] Alphenus iuris ciuilis & veterum literarum impensè doctus, haud immerito existimauit, vbi iudicium coram vno pluribúsve agitari cœptum fuit: si illis fato perfunctis alij suffecti sint, idem iudicium censeri: & populum eundem esse qui nunc est, & qui ab hinc centum annis fuit: Nauim quoque, quæ mutata veteri materia, noua suffecta est, non aliam, sed eandem dicere existimari. Quod si aliter dicimus, vtique foret vt nos qui immutamur quotidie, iidem non essemus, qui ab hinc anno fuissemus. Quin etiam, si longius euagari liber, inueniemus [b] Vlpianum magna virum authoritate, qui ob excellentem doctrinam Aurelij Alexandri imperatoris sacri scriniorum [c] magister fuit, & Pomponium [d] pariter iuris scientem & peritum, literis prodidisse: Si grex mihi testamẽto legatus esset, isque adeo immutatus est, vt ne

Idem.

Idē apud iureconsultos. l. proponebatur ff. de iudiciis & est textus Pauli.

l. grege. & l. si grege. ff. de leg. 1

ANNOTATIONES IN CAP. I.

a *Alphenus.*] In l. proponebatur. ff. de iudiciis.

b *Vlpianum.*] In l. grege. ff. de legat.

c *Scriniorũ magister.*] Ælius Lãprid. in vita ipsius Alexandri.

d *Et Pomponium.*] In l. si grege. ff. de lega. 1.

omis quidem quæ fcripti legati tempore fuit, hodie fuperfit, fed omnis ex fobole poftea nata fuffectus fit, eundem gregem dici, atque ideò legatum teftamento deberi: quia cum quid loco alterius fufficitur, idem exiftimari haud dubium eft. Atque hoc, inquam, apud veteres iurifperitos ita in confeffo fuit, vt exploratius nihil effe poffit. Cúmque Hermolaus me fuiffet intuitus, veluti fateretur quod afferebam: Effe, inquit, arbitror vt dicis, etfi mihi hæc fententia omnino non probatur, cui prorfus non accedo: & cùm ifta fit veterum iurifperitorum opinio, vt modo dixi, aliquid obniti non auderem, fi penitus vera foret. Nam quod affeueras Vlpianum & iureconfultos fentire, facilis eft & expedita diftinctio, id quod afferunt cenferi in cafibus per te modò explicatis, non tamen vt in omni re, omnífque negotio idem ftatuendum cenfeam. Nam fi altius rem intueri volumus, profectò referre arbitror, cum quid idem effe dicimus, an illud eiufdem fubftantiæ & formæ, an verò alterius dicamus. Formã vero à fubftantia abeffe nõ ignoras, quas à veftris iureconfultis materiam & fpeciem appellari audio, quam Aristoteles εἶδος nuncupat, [e] Plato ἰδέαν: nonnulli materiam, plerique caufam & formam. Cum ergo aliquid idem effe dico, hoc apud phyficos ita receptum eft, quod eft vero propius, tunc demum illud idem dici oportere, fi eadem materia fubeft quæ prius fuit, & forma feu fpecies immutata non eftidque poffe internofci, quòd mutatio formæ vel fubftantiæ diuerfam, non eandem rem facit. Nauis ergo quæ tignis detractis ex alia materia coaptata eft, & grex noua fobole fuffectus, fic populus & alia hoc genus, quia materia, feu nauis fubftantia, non eadem eft, quæ olim fuit: quippe quia illa dempta, alia fuffecta eft: licet forma vel fpecies nauis, gregis, populi, eadem fubfit, eandem rem non effe haud dubie efficit: quum diuerfa materia vel forma diffimilem rem, non eandem efficiat: alioqui dicendum foret, eafdem nunc Athenas effe, quæ quondam fuere, eandem Carthaginem, eandem denique Romam, vrbes prævalidas olim & populos præpotentes: nunc (vt vides) ita incendiis & ruinis deformatas, vaftas, & infrequentes, vt illarum vix memoria aut veftigium extet. Veftri verò iureconfulti rem aliter intuentes, licet materia rei mutata, fi altera illius loco fuffecta fit, dummodo eadem fpecies maneat, eandem rem dici putant: credo quia nihil officit aut repugnat, quare illud ex conftitutione iuris idem cenferi non debeat. Etenim fi in demortui loco fuffectus eft iudex, vel fi teftamento quifpiam gregem legauit, feu quid aliud arbitrere, licet quod prius erat, mutatum fit, & aliud illius loco fuffectum: quia non propterea mutata teftantis voluntas probatur, ex qua iuris conftitutio pendet, eandem rem cenferi proculdubio facit. Vbi enim ratio legis ineft, ibi idem effe iudicium, bonum & æquum eft. Quod apud phyficos, qui rem acutius intuentur, & magis hæc ad viuum refecant, cum fint rerum fcientiffimi, & artium periti, non ita receptum eft. Leges enim quod probabile eft, quantúmque æquitas & ius fuadet, fequuntur: phyfici verò, quarum veritas & ratio neceffario conuincit, efficiunt. Ex hoc igitur effici cogique poteft id de quo difceptabatur, nauim quæ mutata veteri materia, ex altera coaptata eft, quia non eadem fubftantia fubeft quæ pridem fuit, licet veftri iurifconfulti aliter fentiant, tamen fecundum phyficas rationes eandem non effe, nec cenferi. quia mutata materia vel fubftantia diuerfam, vt dixi, non eandem rem facit. Hæc Hermulaus admodum facundo, vt erat, ingenio, multaque cum elegantia verborum, apud complufculos qui aderamus, dum cœnulam nobis daret, fcitè fubtiliterque differebat.

Idë apud philofophos & phyficos.

ANNOTATIONES.

e *Plato ἰδέαν.*] Ipfe Plato lib.6. de Repub. & in Timæo. & alibi fæpe. Et ex eo Cicero libr.1. Tufcul. Quæft. itémque lib.1. Academicarum quæftionum, & in lib. de Orat. & Diogenes Laërtius in vita ipfius Platonis non femel. Tu autem de huiufmodi ἰδέαν vide D. Auguftinum in lib. octoginta trium quæftionum. & D. Thomam quæftio.15. ar.1.

Gentium diuerfarum mores in condendis humandifque corporibus defunctorum, & qui Romanorum vfus fuerit.

CAPVT II.

ROMANOS olim ab ortu vrbis, defuncta corpora humi [a] condere neque cremare confueuiffe, illud argumento eft, quod [b] Numæ Pompilij corpus in arca lapidea poft multa fœcula à Cneo Terentio in Ianiculo inuentum, vetuftiffimi authores tradunt. Poftea [c] quum longinquis bellis defunctos erui cognouiffent: vt igni cremarentur, decreto fanxerunt. Primus ex patriciis Cornelius Sylla traditur, qui decedens igni fe cremari voluit, veritus talionem: nam ipfe corpus Marij & eruta offa fubuertit, & in Anienem mifit. Inde manfit diu defunctos cremandi confue-

Romanì initio humi condebant, non cremabãt corpora.

Cornelius Sylla primus crematus.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

a *HVmi condere.*] Quod & Græci quoque faciebant. vnde fepulchra illis ἠρία dicebantur παρὰ τὸ ἐγχωννύειν τοῖς νεκροῖς ἔρα. Id eft ab ea quæ mortuis iniiciebatur terra, vt fcribit Theocriti interpres in Pharmaceutria.

b *Numæ Pompilij.*] Liuius 4. Decad. libr. 10. vbi non Ianiculo inuentum fuiffe dicit, fed in agro L. Petilij fcribæ fub Ianiculo. Valerius Maxi. qui idem dicit libr. 1. cap. 1. vbi de Pub. Cornelio loquitur, & Plinius authoritate Caffij Heminæ vetuftiffimi authoris libro 13. capit. item 13.

c *Poftea quum longinquis.*] Hæc vfque ad claufulam, à qua

fequentis

Roma. Thaletis mos sepeliendi. Heracliti. Carthaginensiũ Syrorum & Ægyptiorum. Syrorum & Ægyptiorum. Condita corpora. Succus cedri. Tæda. Pythagoræorum sepeliẽdi mos. Lycurgi sententia de sepultura. Albanerum. Taxilorũ Brachmanum. Iberorũ.

tudo: à qua sequntis temporibus dum Antonini Cæsares impetitarent, desitum fuit. Tunc enim illo more abrogato, denuo corpora humi concedete cœpere, ex instituto [d] Thaletis, qui cum omnia ex aquis constare dicat, defunctos terræ mandare iussit, vt humore dissoluantur. [e] Heraclytus verò igni, tanquam ad originem suam reuertantur, quippe cum omnia ex igne constare diceret. [f] Carthaginenses verò cum prius terra obruerenr fato defunctos, postea à Dario admoniti, mutato consilio, igni tradidere. [g] Apud Syros [h] & Ægyptios condendi & non cremandi corpora, medicatáque cadauera asseruandi in loeulis, vetustum morem inualuisse accepimus. Condiebant enim cadauera myrrha, aloe, cedro, melle, sale, cera, bitumine & resina, odoribus & vnguentis delibuta. [i] Ex succo enim cedri exanimnm corpus seruari, sicut viuentia corrnmpi, haud dubie perspectum est. Sudore quoque ligni tedæ concisæ & furnis adactæ, apud eosdem mortuos delibutos, seruari prodiderunt, ita lineamentis integris, vt viui apparerent: quod ab exteris regibus vsurpatum accepimus, vt eornm corpora non cremarent, sed differta odoribus tumulo inferrent, aut hnmi conderent. In tantúmque odores ad defunctos pertinere creditum est, vt quamuis cremarentur, [k] vnguenta tamen [l] & odores flammæ iniicerent. [m] Pythagoræi non vnguentis, sed foliis populi, myrti, & aloes stipati, humi mandabant, sicut M. Cato condi & hnmari voluit. [n] Lycurgum legimus nihil cum mortuo sepeliri mandasse, sed puniceo amictu velatum, & oleæ fronde circundatum, terræ mandari voluisse. [o] Albanis pecuniam cũ mortuis sepelire in loculis mos erat. [p] Taxilis, Brachmanis, [q] & Iberis, vulturibus defuncta corpura

ANNOTATIONES.

sequntis &c. sunt ex Tullio lib. 2. de legibus. & ex Plin. lib. 7. c. 54. Sed & Pyrrhus Aliensis apud Laërtium in eius vita dicit Romanos suorum corpora incendere solitos.

d *Ex instiuuto Thaletis.*] Tullius libr. 1. de natu. Deor. & Vitruuius libr. 2. cap. 2. & alij plurimi quos tibi cógessi in Commentariis Nobilitatis c. 31. nu. 586. incip. fuerunr enim.

e *Heraclytus.*] Vterque tam Ephesinus quàm Metapontinus, vt videbis in dictis nostris Commentariis vbi suprà n. 571. incip. fuerúntque plurimi.

f *Carthaginenses verò.*] Iustinus lib. 19.

g *Apud Syros.*] Strabo de Assyriis loquens qui iidem sunt libr. 16.

h *Et Ægyptios.*] Herodot. libr. 2. aliàs 3. Diodorus Siculus lib. 2. c. 5 Strabo lib. vlt. Pomponius Mela libr. 1. c. 9. vbi de his. Mortuos, inquit, nec cremare, nec fodere fas putant, verùm arte medicatos intra penertalia collocant. Plinius lib. 11. c. 37. vbi dicit eos assernare cadauera medicata. Lucianus item in libello de Luctu. Stobæus serm. 120. aut aliorũ computatione 121. Seruius enarrans illud Virgilij lib 5. Æneid.

Sanguine & sacri patrias &c.

Et de his etiam illud est Silij Italici lib. 13.

Ægyptia tellus
Claudit ederuto post funus stantia saxo
Corpora, & à mensis exanguem haud separat vmbram.

De illis quoque tradit Nicolaus in Collectaneis de motibus gentium, & post eum Stobæus Ser. 120. vel aliorum computatione 122. Quod nefas esse putant homines mortuos eemburere, nam persuasum habent ignem animatam quandam esse belluam, quæ, quæcumque nanciscitur, deuorat ac consumit. At cùm est expleta, ipsam & quæ ab ipsa vorata sunt, vnà emori, & propterea nec cremare, nec belluis offerre corpora, vt aliæ pleræque nationes, Ægyptij statuerunt, sed ea condire, ne à vermibus consumi possent. Sed & tradũt vterque Persas quoque nefas ducere mortuos cremare. Ignem enim Deum esse existimant, quare non iustum esse humanum cadauer Deo offerre.

i *Ex succo enim cedri.*] Vitruoius libr. 2. cap. 9. Nam reliquæ res, cùm sunt vnctæ vti etiam libri oleo cedreo à tineis & à carie non læduntur. Et anteà dixerat opera quæ ex cedro construuntur permanere ad æternam diuturnitatem. Nam & Plinius d. lib. 13. c. 13. in prin. scribit illos Numæ libros tã diu durasse quòd cedrati essent. Sed & idẽ lib. 13. c. 5. scribit æternitatem esse materiæ cedrinæ. Itaque & simulacbra Deorum ex ea veteres factitasse. Ante eum autem Theophrastus de historia plantarum scribit cedri naturam esse perpetuam. Ex poëtis autem lege Virgilium libr. 7. Æneid.

Quin etiam veteram effigies ex ordine auorum.
Antiqua ex cedro, &c.

Vbi Seruius, Quod lignum, inquit, non facilè consumitur vetustate. Hoc genus ligni tineæ nescit corruptionem, quod ex antiquitate non sentit, vt cedria peruncta, ligna custodit ac seruat. Vnde Persius saty. 1.

Et cedro digna locutus.

Ante illum autem Donatus ibi, Aut, inquit, ex cedro factæ: quia hoc genus ligni tineam nescit, corruptionémque ex antiquitate non sentit, aut cedri oleo perunctæ: quoniam ligna custodit ac seruat. Vide Codices emendatiores. Et Ouidius lib. 3. Tristium eleg. 1.

Quòd neque sum cedre flauus.

De libro enim loquitur. Et iterum,

Nec titulus minio, nec cedro charta notatur.

Et Horatius in arte poëtica,

—— Speramus carmina fingi
Posse, linenda cedro, & leui seruanda cupresso.

Quo in loco Acron & Porphyrion interpretes scribunt hanc arborem tineas submouere.

k *Vnguenta tamen.*] Plinius de vnguentis loquens lib. 13. c. 1. honósque is & ad defunctoa pertinere cœpit. In quam etiam sententiam & illud Virgilij lib 6. Æneid.

---- Et aliena vndantia flammis
Expediunt, corpúsque lauant frigentis & vngunt.

Quo loco Seruius illud simile Ennij adducit,

Tarquinij corpus bona fœmina lauit & vnxit.

Sed & Homerus loqueus de funere Achillis lib. 24. Odyss. non multo post princ.

Καίο δ' ἐν τ' ἐσθῆτι θεῶν, καὶ ἀλείφατι πολλῷ, &c.

l *Et odores.*] Vnde illud Propertij lib. eleg.

Cur nardo flamma non oluere mea.

Et Iuuenalis saty 4.

Et matutino sudans Crispinus amomo
Quantum vix redolent duo funera.

Et Persius saty. 3.

Compositus lecto, crassisque litatis amomis.

Et saty. 6.

Sed cœnam funeris heres
Negliget iratus, quod rem curtaueris, vrna
Ossa inodora dabit.

Et Statius.

Ver Arabum Cilicúmque fluit floréśque Sabæi.

Hinc Iurisconsultus in l. & ideo. §. 1. ff. de in rem ver. scribit, quòd si seruus ordores emerit & ad funus erogauerit, quod ad dominum suum pertinebat, videri in dominum versum. Et vide infrà eod. lib. c. 7. vbi de Sylla agimus.

m *Pythagoræi non.*] Plinius lib. 35. c. 12. vbi tamen non aloes dicit, sed oleæ.

n *Lycurgum.*] Plutarchus in vita illius.

o *Albanis.*] Strabo lib. 11.

p *Taxilis.*] Idem lib. 15.

q *Et Iberis.*] Silius Italicus lib. 13.

Tellure, vt perhibent, is mos antiquus Iberis

Exanima

obiicere. [r] Barchæis quæ apud Colchos & Iberos gens est, agnatos morbo extinctos, velut ignauos & degeneres, igni tradere: in bello autem absumptos, tanquam fortes & strenuos, obiicere vulturibus. [s] Parthi [t] & Magi procul à nostro orbe siti, honestissimam sepulturam vulgo auium aut canum laniatus putauere, nudáque tantum ossa quæ supererant, terræ mandare assuerant: [u] Sicut apud Hyrcanos, quorum horrida & inculta vita est, aliásque gentes indomitas, canes pro sepulchro fuere, [x] qui sepulchrales dicti. Hos affluenti cibo nutriebant, & suos quisque canes parabant in vita, à quibus mortuus laceraretur, atque hoc eximium & solenne putabatur funus. [y] Persæ fato defunctos, cera circunlitos, vt maxime diuturni essent, domi condebant. [z] Assyrij in melle, regum vero in paludibus. [a] Humi vero tradere, aut igne cremare, capitale fuit. [b] Essedonum traditur mos, vt parentum funera cantibus prosequantur, mox cœtibus propinquorum aduocatis, quod dictu auditúque fœdum est, ipsis cadaueribus immistis ouillis carnibus vescantur. Id quod [c] ab Indis [d] & Massagetis vsurpatum ferunt, quorum prodigiosa, immanisque natura est: nam senio confectos in frusta cædere, illorúmque carnibus, immistis pecudibus, vesci assuenere. Id quoque apud [e] Derbices Persicam gentem, & cum [f] Hybernis efferatis hominibus commune fuit, vt parentes & affines qui succubuere, comesse pietatis maximæque honestatis munus putarent: quod [g] Chrysippus philosophus probauit, & literis prodere non dubitauit. Fuitque proditum, eosdem [h] Derbices in more habuisse, viros etiam progressos ætate, more hostiarum immolare ad aras, mulieres vero senescentes præfocare. Tradunt [i] Hyperboreos illos penitissimos, qui in extimo orbis tractu siti sunt, homines rigentis barbariæ, & omni humano generi insociales, eos qui longo æuo vixerunt, post epulas & familiare conuiuium sertis redimitos, ex rupe abrupta in mare dare præcipites: quæ lex in [k] Co insula ad Hellespontum fuisse traditur, vt supra 60. annos nati, aconito vitam finire cogantur, ne ipsi desides & ignaui, fortium virorum cibaria absumerent, locúmque & partes aliorum occuparent. Quod de [l] Caspiis quoque memoriæ proditum est: nam filij parentes septuagenarios domi clausos, aut in loca inculta & deserta intimásque solitudines expositos, vel fame enectos, siti & inopia conficere, celebre funus putarunt. [m] In Scythia gens

Barchæorum. Parthorum. Magorũ Hyrcanorum canes sepulchrales.

Assyriorũ Essedonũ. Indorum. Massagetarum.

Derbi cũ & Hybernorum.

Hyperboreorum.

Lex in Co de mortis irroganda senibus.

Caspiorũ Scythiæ.

ANNOTATIONES.

Examina obscœnus consumit corpora vultur.

Propterea dicebat Diogenes si vultures suum cadauer lacerarent, liberam fore sepulturam. testis est Stobæus Ser. 120. aut aliorum comparatione 122.

r *Barchæis.*] Ælianus de Animalibus lib. 10. cap. 22. vbi tamen non eos Barchæos, sed Barcæos appellat.

s *Parthi.*] Iustinus lib. 41.

t *Et Magi.*] Cicero lib. 1. Tusculanarum Quæst. Strabo lib. 15. ad fin. Agathius de bello Gothorum libr. 2. Adde & in vniuersum Persas apud quos mortuos non priùs humatur quàm ab alite, aut à cane trahatur, vt tradit Herodotus lib. 1. & D. Hieronymus lib. 11. & Agathius lib. 2. Historiarum, vbi de sepultura Mermerces Regis Persarum disserit. Et quòd de auibus hic dicitur; idem Bactrianos factitasse ex lege, vt scilicet mortuorum cadauera volucribus deuoranda traderent, tradit Plutarchus in libello quo disserit, num improbitas, sufficiat ad infœlicitatem. Et Diuus Hieronymus Iouinianum lib. 2. Quòd eum, inquit, Alexandri præfectus emendare voluisset, penè amisit prouinciam. Strabo autem lib. 11. dicit ab Onesicrito scribi, sed minimè verum esse se putare.

u *Sicut apud Hyrcanos.*] Cicero d. lib. 1. Tusc. Quæst. Plutarchus & D. Hieronymus vbi suprà. & Sextus Empericus, & Silius Italus d. lib. 13. id tamen Regum cadaueribus priuatim tribuens.

Regia cùm lucem posuerunt membra, probatum est
Hyrcanis adhibere canes, &c.

Hyrcanos dicebat, si canes suum cadauer laniarent, Hyrcaniam sepulturam fore, ὑρκανία ἔσαι ἡ ταφή. Apud Stobæum d. Ser. 120. quem alij 122. faciunt. Sed & adde apud Caspios idem obseruari quoque, vt scribit Eusebius lib. 1. præparat. Euangelicæ, c 3. Vide item infrà hac de re.

x *Qui sepulchrales dicti.*] Strabo lib. 11.

y *Persæ.*] Cice. d. libr. 1. Tuscul. quæst. & Herodotus libr. 1. Strabo lib. 15. vbi postea subdit eos dimittere magos insepultos vulturibus comedendos.

z *Assyrij in melle.*] Herodotus lib. 1. non longè à fi.

a *Humi verò tradere.*] Procopius vbi suprà. Neque enim, a it, aut vrna condere, aut terra obruere defunctorum cadauera fas est Persis. Et Diogenes Laërtius in proœmio scribit Magos Persarum Philosophos impium ducere in igne sepelire, nam & ignem vice numinis colebant, quod & ipsum anté tradiderat, de Persis in vniuersum loquens Herodotus libr. 3. vbi & idem dicit de Ægyptiis. Et nos quoque de Persis diximus in nostris commentariis Nobilitatis c. 41. nu. 576. incip. vnde & Apollo. Sed & quod ad eorum funera & sepulturas pertinet, Sextus Empiricus scribit Persarum morem esse vita functos, in cruce tollere, nitro salire, & post modum corio contegere.

b *Essedonum.*] Herodotus in Melpomene, qui est lib. 4. Strabo lib. 11. Pomponius Mela lib. 2. ad princ. Solinus cap. 25. Sed & Sidones quoque parentes deuorabant, excepto capite quòd inaurabant. Vt testis est Zenodotus in Collectaneis in prouerbio, νίκ@ ἡ χώρα.

c *Ab Indis.*] Herodotus in Thalia non semel loquens priuatim de Indis qui Callatiæ vocantur, & qui item Padæi, & in Melpomene. Strabo lib. 15. Pomponius Mela lib. 3. c. 7. Solinus c. 65.

d *Massagetis.*] Herodotus lib. 1. Strabo libr. 11. Chrysostomus in D. Matthæum homilia 10. Eusebius de præparatione Euangelica lib. 1. c. 3. D. Hieronymus in Iouinianum lib. 2. Tertullianus quoque aduersus Marcionem, idémque dicit gentem Ponticam facere.

e *Derbices.*] Strabo, Chrysostomus, Eusebius, Hieronymus, vbi suprà citauimus.

f *Cum Hybernis.*] Strabo lib. 4.

g *Chrysippus.*] In lib. de Iure apud Laërtium in vita illius.

h *Eosdem Derbices.*] Strabo lib. 11. & Ælianus de varia histor. lib. 2. post princ.

i *Hyperboreos.*] Pomponius Mela lib. 3. c. 5 vbi de Scythia. Plinius lib. 4. c. 12. Solinus cap. 26. Sed & Tybarenos viros suos seniores præcipitasse tradit Eusebius d. lib. 1. præparationis Euangelicæ cap. 3.

k *In Co insula.*] Strabo lib. 10. Ælianus variæ Historiæ lib. de Politiis. Sed & apud Sardos ex lege filij patres senio confectos fustibus cædebant, & vnà cum eo interemptorem sepeliebant. Ex Æliano de varia Historia libr. 4. post princip.

l *Quod de Caspiis.*] Strabo libr. 10. non semel. Eusebius & D. Hieronymus vbi suprà.

m *In Scythia.*] Silius lib. 13.

At gente in Scythica suffixa cadauera truncis

Lenta-

Phrygia. Nasamonum. Thracii. Indorum. Aliorum quorundam Æthiopũ Paeonum. Ichthyophagorũ. Troglodytarum. Gymnesiarum incolarum mos. Arabum Panebiorum. Saitarum. Lotophagorum. Atheniensium. Phrygum Megarensium. Phœnicũ Afrorum Atheniensium in sepeliendis corporibus cura. Nicias.

est, quæ parentum cadauera inter niues & glaciem truncis affixa arboribus detineãt, illa terræ mandare, pro scelere próque flagitio arbitrati.[n] In Phrygia mortuos sacerdotes non defudiunt, sed super lapidibus decem cubitis erectos, sublimes coostituunt:[o] sicut Nasamones, qui sedentes mortuos statuebant. Thraces quoque fama est [p] & Indos, ætate confectos, illos præcipue quibus studium sapientiæ fuit, incensis rogis mortem oppetere, & sine aliquo funerum apparatu, lætos se in flammas ioiicere non refugere nec formidare.[q] Alios inibi homines in alio tractu orbis intonsos & incultos, vltra Arabes &[r] Ætiopes, parentes & sibi coniunctissimos, in littoribus, ita vt fluctibus operiantur, sepelire: ipsósque[s] Æthiopes ad certos annos vitam producere, qua exacta, diuerso quisque fungatur fato, exanimáque corpora vel in flumen deiicere, vel vitro operta, ita vt integra spectentur, & posteris spectaculo sint, asseruare.[t] Pæones in stagna,[u] Ichthyophagi in mare defunctos abiiciunt.[x] Troglodytæ paliuri virgis, mortui ceruicem cum pedibus alligantes, efferunt: deinde cadaueri lapides aggerentes, cornu capræ inibi ridentes apponũt, hoc pro exequiali pompa, próque funere existimantes. Quod à[y] Gymnesiarum incolis vsurpatum legimus, incisa & desecta cadauera in vrnam imponant, desuperque ingentia saxa accumulent.[z] Arabum verò mos proditus est, vt Regum & summorum ducum elata cadauera, in loca tetra & inculta stercore obruant, ac cœno & fimo aggesto, terræ imponant. Paoebij, siquando rex moritur, corpus quidem defodiunt, caput verò auratum in templo augustissimo consecrant dicáorque. Sicut Saitanis Reges qui imperitarunt, intra septa templi sepelire assuetum erat, hoc sepulturæ genus optimum, & pietatis vltimum officium æstimantes.[a] Lotophagis nulla sepulchrorum habetur cura, sed defunctos in mare deiiciunt, parum referre arbitrati, igni, terra, vel aqua dissoluantur.[b] Apud Athenienses &[c] omnem ferè Græciam corpora non cremare, sed terræ condere, & sepelire cum funebri veste: Phrygibus verò igni imponere, antiquissimus mos fuisse proditur. Sed in humandis corporibus[d] Athenienses orientem versus,[e] Megarenses & Phœnices ad occidentem vertere solebant.[f] Afri verò vt Græci sepeliunt. Maxima autem sepeliendorum cadauerum cura[g] Atheniensibus fuisse fertur, præcipue bello[h] peremptorum, ita vt qui illos inhumatos relinquerent, quouis supplicio dignos putarent.[i] Idcirco summos duces quia cæsos nauali pugna in mare deiecerant, grauibus pœnis & capitis supplicio affecere: quibus[k] cum peremptorum corpora assequi nequirent, illorum ossa & disiecta membra passim strata exquirere, & humo tegere defunctósque in acie, tumulo publicè extructo quotannis pro concione laudare, magnæ curæ fuit: adeo[l] vt Nicias cum exercitu iter faciens, ne duorum militum inhumata cadauera relin-

ANNOTATIONES.

Lenta dies sepelit putri liquentia tabo.

Lucianus autem in libello de lucta, scribit Scythas mortuos deuorare.

n *In Phrygia.*] Nicolaus Damascenus apud Stobæum Ser.120. aut aliorum comput.122.

o *Sicut Nasamones.*] Herodotus in Melpomene. Sed aliter Silius d. lib.13.

—— Quid? qui sano sepelire profundo
Exanimes mandant Libycis Nasamones in oris?

p *Et Indos.*] Herodotus in Thalia. Pomponius Mela lib. 3. c.7. Q. Curtius lib.8. cuius verba hæc sunt: Vnum agreste & horridum genus est, quos sapientes vocãt, apud hos occupare fati diem, pulchrum, & viuos se cremari iubent. Quibus aut segnis ætas, aut incommoda valetudo est, expectatam mortem pro dedecore habent vitæ. Nec vllus corporibus quæ senectus soluit, honos redditur. Ex quo intelligis non omnes Indos id facere, sed genus eorum quos sapientes vocant, quod quidem genus quintum erat. Primum enim tellurem exornat. Secundum militiam capessit. Tertium merces suas euehunt, & res externas inuehunt. Quartum respub. temperant, iudicia reddunt, regibus assident. Quintum celebratę illic & propriè in religionem versæ sapientiæ deditam, voluntaria semper morte vitam accenso prius rogo. Hæc enim propemodum sunt verba Plinij libr.6.c.19. quæ vsurpauit Solinus c.65. aut vt alij computant.55. vbi tamen corruptè legitur, quietum genus pro quinto. Philo autem Iudęus in lib. de Abrahamo scribit Iudæorum Gymnosophistas senectutis, morbi longi & incurabilis, priusquam inualescat, accenso rogo seipsos exurere quamuis possent ad tempus fortè diuturnum resistere.

q *Alios inibi homines.*] Vide an loquatur de aliis Indis.

r *Et Æthiopes.*] Diodorus Siculus lib 4.c.1. Strabo lib. 16. vbi tamen non de omnibus Æthiopibus loquitur.

s *Ipsósque Æthiopes.*] Herodotus lib.3. Diodorus Siculus lib.3.c.5. vbi authoritate Ctesiæ Cnidij reprehendit ipsum Herodotum. & lib.4.c.1.

t *Pæones.*] Diogenes Laërtius in Pyrrhone.

u *Ichthyophagi.*] Diodorus lib.4.c.3. Strabo lib.16.

x *Troglodytæ.*] Diodorus lib.4. Strabo item d.lib. 16. Sextus Pyrrho, qui tamen de ramis Paliuri non loquitur.

y *Gymnesiarum.*] Diodorus Siculus lib.6.c.5.

z *Arabum.*] Scilicet Nabateorũ ex Strabone lib.16. ante fi.

a *Lotophagis.*] Idem Grægorius Gyraldus in libr. de sepulchris, vbi tamen nullum authorem citat.

b *Apud Athenienses.*] Lucretius lib.6. ad fi. Cice. libr. 2. de Legibus. Laërtius in Solone. Verùm de illis hæc scribit Silius Italicus lib.13.

Cecropidæ ad patriam Mauortis forte peremptos,
Decreuere simul communibus vrere flammis.

c *Et omnem ferè Græciam.*] Plutarchus in Solone, & Ælianus variæ historiæ lib.5. & lib.7. paulò ante fi.

d *Athenienses orientem versus.*] Plutarchus in Solone, & Laërtius in Thalete Milesio, verùm Ælianus d. libr. 5. dicit ad occasum.

e *Megarenses & Phœnices.*] Plutarchus vbi suprà. Sed Ælianus vbi etiam suprà dicit ipsos Megarenses temerè ac sine discrimine mortuos sepelire.

f *Afri verò.*] Herodotus lib.4.

g *Atheniensibus.*] Lex enim apud eos erat. Si quis in insepultum cadauer hominis incidat, omni parte id terra obruat. apud Ælianum d.lib.5.

h *Præcipuè bello peremptorum.*] Vt patebit ex iis quæ mox dicentur.

i *Idcirco summos duces.*] Valerius Maximus lib.9.c.8.

k *Quibus cum peremptorum.*] Nam ipsi Athenienses ossa illorum qui in Cheronia ceciderant, tumularunt, & publica oratione per Demosthenem laudarunt, vt tradit Plutarchus in vita ipsius Demosthenis.

l *Adeò vt Nicias.*] Idem Gyraldus in suis sepulchris, sed nullo quoque authore citato. At id est Plutarchi in vita illius. Cuius in eam hæc sunt verba in Latinum versa. Cúmque illuc discedens & iam aliquantum itineris progressus,

amico

quoret, totum subsistere agmen, donec humarentur, iusserit. [m] Et Cimon Milciadis filius, vt pater sepulchro conderetur, captiuum se præbere non dubitauit. Traditum quoque est, [n] Cares morte sublatos milites, armatos sepelire: [o] & Sindos tot pisces in sepulchris mittere, quot hostes confecisset qui humaretur. Sicut Iberi pro hostium interfectorum numero tot obeliscos apponunt, hoc insigne testimonium virtutis & expetitissimum decus arbitrati. Condebant enim prisci corpora vel arcis [p] lapideis, [q] vel fictilibus cum funebri tunica: quia nudum iacere cadauer pro flagitio erat. [r] Reges vero externis differtos odoribus, in montibus sepeliunt: vnde deductum, vt illorum sepulchris pyramides apponant, aut columnas. [s] Romani vero in domibus quas singuli incolebant, doliis aut vasculis: qua ex causa lares, quos domesticos vocant deos, colere cœperunt. [t] Postea lege duodecim tabularum, ne in vrbe sepelirentur, néve vrerentur, graui fuit documento sancitum, cuius verba sunt: In vrbe ne sepelito, néve vrito. [u] Cineres tamen eius qui triumphasset, [x] aut imperatoris qui hostes bello domuisset, vel armis remp. auxisset, in vrbem ferre licebat: quibus hoc honoris causa, vt foro conde-

Cimon. Carum mos, Sindorum Iberorũ. Corpora quo condebantur. Romanorum Lex de mortuis in vrbe non sepeliendis. Spartanorum.

ANNOTATIONES.

smicorũ duo cadauera insepulta reliquisse meminisset, agmen vniuersum sistere iussit, atque ad hostes præconem misit, qui mortuorum cadauera ad sepulturam repeteret, neque illam seu legem, seu consuetudinem veritus est, qua communiter ab omnibus iudicatur illos hostibus victoriam tacito consensu tribuere, qui corpora ad sepulturam repetere coguntur. Vide Thucydidem & Plutarchum in vita illius.

m *Et Cimon.*] Idem Gyraldus vbi suprà nullo item authore citato. Id autem est Probi Æmilij in vita ipsius Cimonis, & Valerij Max.

n *Cares morte.*] Thucydides lib. 1. belli Peloponnesiaci in præfatione. Siquidem, inquit, cum expiaretur ab Atheniensibus hoc bello Delos, destructis sepulchris eorum quicunque in ea Insula decessissent, suprà dimidium Cares agniti sunt genere armorum, cum quibus sepulti erant.

o *Et Sindos.*] Nicolaus de moribus Gentium, & Stobæus vbi suprà. Adde autem supradictis ex ipso Nicolao & Stobæo vbi supra. Quod Chij combustis cadaueribus & ossibus collectis in mortario ea contundunt, deinde nauigio impositis in altum nauigant, eaque per cribrum ad ventorum flatus dispergunt, donec omnino dissipentur & aboleantur. Et Thauri gens Scythica cum regibus extinctis gratissimos eorum amicos vnà sepeliunt. Si verò amicus quispiam regis interierit, pro illius dignitate & merito auriculam, vel totam vel eius partem amputat. Colchi defunctos non sepeliunt, sed ex arboribus suspẽdunt. Quòd & postremum scribit Ælianus variæ historiæ lib. 4. post princip. vbi eos dicit in pellibus sepelire, & ita insutos in arboribus suspendere. Vide in nostris Commentariis Consuetudinũ, & Lelium Gyraldum de sepulchralibus. Garamantes nuda corpora mortuorũ in arena infodiũt. Ex Silio Italico li. 13.

Quid qui reclusa nudos Garamantes arena
Infodiunt, &c.

Et de Celtis statim posteà.

At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas) auro & mensis ea pocula seruant.

Et de Ponticis.

Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro
Ora virûm, & longum myrrhata reponit in æuum.

Et de Nasamonibus,

Quid qui fano sepelire profundo
Exanimes maneant Libycis Nasamones in oris.

Eruli qui Danubij sunt accolæ, senibus & morbo male affectis, fas non æstimabant esse diutiùs viuere, sed ij propinquos rogare cogebantur, vt se quam citissimè interimerent qui ingentem pyram struebant, & super eam tanquam fastigium quoddam hominem morti destinatum collocabant, tum quispiam nulla ei necessitudine coniunctus pugione illum conficiebat, cognati autem ignem rogo iniicere, crematí ossa legere, terra condere legibus obligabantur. Defuncti autem vxor si non multò pòst iuxta viri sepulchrum laqueo vitam finiisset, perpetuæ ignominiæ nota inurebatur, vt tradit Procopius. Tibareni gens Scythica, quos senes diligebant patibulis affigebant, Id quòd etiam Persas facere scribit Sextus Empiricus. Vide quoque Stobæum serm. 120. alias 122.

p *Vel arcis lapideis.*] Plinius lib. 13. cap. 13. vbi de Numa loquitur.

q *Vel fictilibus.*] Idem Plinius lib. 35. cap. 12. Vbi dicit M. Varronem sese ita condi iussisse.

r *Reges verò.*] Virgilius lib. 11. Æneid.

—— Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum, &c.

Vbi Seruius. Apud maiores, inquit, nobiles aut sub montibus aut in montibus sepeliebantur. Vnde natum est, vt supra cadauera, aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur Columnæ. citárque illud Lucani,

Et Regum cineres extructo monte quiescunt,
Cui Ptolemæorum matres seriemque pudendum.
Pyramides claudant.

s *Romani verò.*] Seruius enarrans illum locum lib. 5. Æneid.

Præterea si nona diem mortalibus almum
Extulerit, &c.

Et rursus in eum locum lib. 6. eiusdem operis.

Ædibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro.

Vt, inquit, suprà diximus omnes homines in suis domibus sepeliebantur, vnde ortum est, vt Lares colerentur in domibus, vnde etiam vmbras laruas vocamus.

t *Postea lege duodecim tabularum.*] Tullius lib. 2. de legibus, vbi verba ipsa legis ascribit. Idque etiam postea nostris legibus cautum est, l. mortuorum ff. de relig. & sumpti. fune. & l. prætor. §. D. Adrianus. ff. de sepul. vio. Ex quo etiam Paulus lib. 1. sententiarum. Corpus in ciuitatem inferri non licet, ne funestentur sacra ciuitatis. At qui contra ea fecerit, extra ordinem punitor. Verùm Tullius vbi suprà subdit. In vrbe sepultos fuisse claros viros, aut eos quibus hoc ante eam legem virtutis causa tributum est, vt Publicolæ, vt Tuberto, aut eos, si qui hoc, vt Fabritius virtutis causa solum legibus consecuti sunt. Sed quod ad Publicolam attinet. Dionysius Halicarnassæus lib. 5. senatum illi decreuisse in sepulturam impensas operariis locúmque rogo & sepulchro intra vrbem prope forum, qui honor, inquit, huic soli ex illustribus viris ad hanc diem contigit. Id quasi sacrarium gentis pater ad sepulturam eius posteris. Sed adde quòd etiam apud Sicyonios lege neminem intra mœnia humari licebat, vt tradit Plutarchus in vita Arati in fi.

u *Cineres tamen eius.*] Plutarchus Probl. c. 79.

x *Aut Imperatoris.*] Ex Seruio lib. 11. Æneid. in eũ locum,

—— Aliâque partim
Finitimos tollunt in agros, vrbique remittunt.

Eutropius lib. 8. de gestis Romanorum, scribit Traianum solum Imperatorum omnium intra vrbem fuisse sepultum, ossaque eius collocata in vrna aurea in foro quod sibi ædificauit, columna ibi posita, quod & post eum tradit Aurelius Victor in vita illius. Adde autem Vestales in vrbe habuisse sepulchra, quia legibus non reuerentur, vt tradit Seruius in d. lib. 11. in locum antea citatum. Vbi & illud addit, eas quoque nocentes licet viuas, tamen intra vrbem in campo scelerato obrutas fuisse.

rentur, tributum est. licet [y] apud Spartanos ſecus longe ſeruatum ſit Lycurgi lege, quibus & in vrbe, & ſecus deorum templa ſepelire permiſſum. [z] Non ſic Athenis: nam in campo extra vrbem tumulus erat, in quo columnæ extabant, in quibus defunctorum nomina per ſingulas tribus, qui illic conditi erant, continebantur.[a] Corinthi quoque extra vrbem maximorum virorum monumenta fuere. Inter quæ [b] Diogenis Synopenſis, quem canem Græci cognominarunt, ſepulchrum viſebatur. [c] Reliqui vero in [d] agris quiſque ſuis, aut in fundo [e] ſuburbano, ſeu auito & patrio ſolo [f] ex Senatuſconſulto Cneo Duillio conſule, Romæ humari conſueuere: [g] In quibus ſepeliendi licet toto generi & familiæ ius eſſet à principio, poſtea vt in familiam ius ſepulchri non deſcenderet, recentiore cura prouiſum fuit. Frequentius [h] in Flaminia, [i] aut Latina via, ac ſuburbiis & anfractibus viarum, Romanorum gentilia ſepulchra fuere: Ibique [k] Calatini, Scipiones, Seruilij, & Metelli, aliorúmque honeſtiſſimæ familiæ condebantur: [l] ad quæ vaſa figulini operis, nonnunquam arma militaria, enſéſque & libellos, aliáque quæ defuncto cordi in vita fuerant, quorúmque efficaci ſtudio tenebatur, ferre, & eodem ſepulchro regere aſſuerant, vt ea quæ viui dilexerant, vnà conderentur. Memini dum Romæ agerem, in vetuſtis ſepulchris, quæ in via Appia plurima viſuntur, inter ædificia hortóſque, intérque coagmenta lapidum, erutum cadauer fuiſſe, multo æuo vetuſtum, adoleſcentulæ mulieris, facie, capillo, oculis, naribus, & reliquis lineamentis prorſus integris & incorruptis: niſi quòd veſtigia liquaminum & vnguentorum quibus delibutum fuerat, apparebant: recenti ſpecie, inſcriptione nulla, qua nomen defunctæ innoteſceret. Pomponius tamen vir, vt in ea ætate, veterum literatum impenſe doctus, Tulliolam Marci Tullij Ciceronis filiam, de cuius obitu ad Seruium Sulpitium ſunt epiſtolæ, aut Priſcillam Abaſcantij, de qua Sylua Papinij extat, fuiſſe augurabatur, Id quibus argumentis aſſeueraret, cùm nulla inſcriptionis veſtigia extarent, prorſus neſcimus.

Athenienſiũ. Corinthiorum. Diog. Cinici ſepulchrũ.

Loca gẽtilitiorũ ſepulchrorum Romanorum.

Tulliolæ corpus inuentum

ANNOTATIONES.

y *Licet apud Spartanos.*] Plutarchus in vita Lycurgi, & in antiquis inſtitutis Lacedæmoniorum.

z *Non ſic Athenis.*] Thucydides lib. 2. belli Peloponneſiaci, vbi tamen arcis dicit fuiſſe diſtinctas tribus: lege autem Solonis prohibitum erat, ne intra vrbem ſepelirentur, vt ſcribit Cicero 2. de legibus Ex quo Seruius inter epiſtolas familia. Ciceronis lib. 4. epiſt. Ab Athenienſibus locum ſepulturæ intra vrbem, vt darent impetrare non potui, quòd religione impediri ſe dicerent; neque tamen id cuiquam antea conceſſerant. De his autem Silius lib. 13.

Cecropidæ ob patriam Mauortis ſorte peremptos
Decreuere ſimul communibus vrere flammis.

Sed adde quòd ipſis Athenienſibus ſingulis ſingula erant ſepulchra. Megarenſes autem tres & quatuor vno ſepulchro ſepeliebant, authore Plutarcho in Solone.

a *Corinthi.*] Quod probat exemplo, quod ſequitur.

b *Diogenis Synopenſis.*] Pauſanias libro 2. Corinthum (ait Græcè quidem, ſed in hunc ſenſum) proficiſcentibus monumenta in itinere cum alia apparẽt, tùm ad portam Diogenes Synopenſis, quem Græci canem cognomento appellarunt, ad portam ſepultus.

c *Reliqui verò.*] Ad Romanos redit.

d *In agris quiſque ſuis.*] Vide quos in eam rem cito infrà lib. 6. cap. 19.

e *Aut in fundo ſuburbano.*] In quam rem vide locum Suetonij citatum infrà in verbo, aut Latina via.

f *Ex Senatuſconſulto.*] Cuius meminit Seruius in libro 11. Æneid. loco ſupra citato in verbo, aut Imperatoris.

g *In quibus.*] Vide infrà lib. 6. cap. 14.

h *In Flaminia.*] Strabo lib. 5. Vnde Martialis lib. 6. epig. 28.

Hoc ſub marmore Glaucias humatus
Iuncto Flaminiæ iacet ſepulchro.

Et lib. 11. epigr. 14. in Epitaphio Paridis,

Quiſquis Flaminiam teris viator,
Noli nobile præterire marmor.

Et Iuuenalis Satyr. 1. in fin.

— Experiar quid concedatur in illos
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

i *Aut Latina via.*] Iuuen. vbi paulò antè. Et rurſum Saty. 5.

Clinoſa veheris dum per monumenta Latina.

Et Suetonius in Domitiano cap. 17. Cadauer eius populari ſandapila per veſpillones exportatũ. Philix nutrix in ſuburbano ſuo Latina via, loco à Pontifice dato funerauit. Ex quo & illud vides, ſolere Pontifices locum ſepulturæ dare, quod & Strabo inſinuat lib. 5. Cæterùm Abdias ille qui Apoſtolorum vitas deſcripſit, tradit corpora D. Petri & D. Pauli in via Latina fuiſſe ſepulta.

k *Ibiq; Calatini.*] Cicero lib. 1. Tuſcul. quæſt. non longè à princip. An tu, inquit, egreſſus porta Capena, cùm Calatini, Scipionum, Seruiliorum, Metellorum ſepulchra vides, miſeros putas illos. Sed & de ſepulchro & monumento Scipionum Liuius 4. Decad. lib. 8. non multò antè fi. Sed adde in campo quoque Martio corpora magnatum & Imperatorum, qui de repub. bene meriti fuerant, Populi Romani beneficio in campo Martio tumulabantur, quod hinc videre licet, quòd cùm Pompeius funus Iuliæ vxoris ſuæ eiuſdémque filiæ Cæſaris apud Albanum tumulare appararet à plebe coactus eſt, in Campum Martium efferre, vt tradit Plutarchus in vita ipſius Pompeij, vbi & ipſe quoque ſcribit, quòd cum Lepidus, & alij nonulli obſtarent ne in campo ipſo Martio Sylla tumularetur, Pompeius præſidio ſuo gloriam defenſionémque attulit. Et Appianus lib. 1. bellorum Ciuilium, funus Syllæ deſcribens. Iidémque, inquit, campo Martio intulere, quo in loco Reges duntaxat humari conſueuerant. Suetonius in Cæſare cap. 84. ſcribit ipſius Cæſaris corpus in Campo Martio iuxta Iuliæ tumulum fuiſſe crematum. Et in Auguſto cap. 101. Corpus item ipſius Auguſti fuiſſe delatum in campum Martium & crematum. Sed & quod ad cæteras gentes pertinet, adde ſuperioribus quod apud Sicyonios intra mœnia neminem humari licebat. Et Plutarcho in vita Arati ad fi. Apud Troianos autem corpora ſepeliebantur ante portas ciuitatis, vt tradit Dares Phrygius, ſi is eſt, in lib. de excidio Troiæ, dum dicit Priamum ſuorum more Herculem & Hectorem ante portas ſepeliuiſſe. Contrà Tarentini mortuos omnes iuxta vetus quoddam oraculum intra mœnia ſepeliebant. Nam Deum illis per oraculum ſignificaſſe ſatius illis fore, ſi cum pluribus habitarent: illos verò ſic ſe quam optimè iuxta oraculum habitaturos putare, ſi mortuos quoque intra mœnia ſecum retinerent.

l *Ad quæ.*] Vide hic omnino quæ dicentur infrà cap. 7. incip. quæque defuncto, &c.

Conſularia comitia per quos fiebant, quæue poteſtas conſulis, quantumq; ius & quæ dignitas foret.

CAPVT III.

Comitia consularia per quos fiebant.

COMITIA [a] consularia nouis consulibus creandis, [b] non modo per consules haberi, sed per [c] interregem, nonnunquam absentibus consulibus, alterum consulem, cuius erat sors, vt comitiis præesset, ex prouincia euocari, aut si morbo vel necessitate impediti, commodo reipublicæ auocari non possent, [d] dictatorem dici, qui comitiis præesset, sæpe tescriptum est. Dicebat enim dictator consulem ex patrum decreto, nonnunquam ex opinione sua, illum cui militares & ciuiles artes, ac imperatoria consilia forent, quíque è republica magis esse videbatur. Tametsi dictatorem cemitiorum causa aliquando [e] se consulem creasse, & in magistratu fuisse legamus, qui comitiis habitis dictatura se abdicabat. Eadem vero comitia consularia, non solum cùm vtrunque consulem fieri, sed cùm altero defuncto collegam coaptari oporteret, sæpe indici haud dubium est. Ipsisque comitiis plebem interesse, ac centurias & tribus in campum aduocari frequenter inuenimus. [f] quamuis sine plebe per patres clientésq; patrum plerunque habita legamus. [g] In quibus etiam absentes non modo patricios, [h] sed plebeios consules nominari licuit. [i] Tametsi æuo succedente ex longo interuallo nobilitas adeo consulatum inuasit, vt soli patricij penes quos maximæ diuitiæ fuere, electa plebe, ad consulatum assumerentur. Adeóque plebs obnoxios summisit animos, vt nulli plebeio ad capessendos consulatus, & interissum honorem vendicandum animus fuerit, à qua impotentia nobilitatis post aliquot annos, vrgente belli discrimine, patriciis desiuere, tunc quum periculo nobilitate, Caius Marius nouus homo bello Iugurthino consul factus, plebi Romanæ intermissum diu consulatum restituit: [k] Et tametsi nisi quæsturam, ædilitatem, & prætoram per gradus antea gessissent, ad consulatum nulli admmitterentur: plerunque tamen eos qui nullos antea curules gesserant magistratus, quibúsque mandatus honor non fuisset, consules creatos inuenimus. [l] Caius Claudius Cento comitiorum causa dictator dictus, Publium Seruilium Quinti filium Galbam, [m] qui nullum antea honorem gesserat, consulem creauit. [n] Et Pompeius Magnus ex senatuscōsulto legibus solutus priusquam alicui magistratui præfuisset, consul factus est. Quorum nomina, postquam comitiis relati erant consules, in fastis & annalibus (vnde tempora & annos Romani designabant) in primis annotare soliti sunt, ex quibus turpissimorum consulum propter flagitia & dedecora sæpe nomina inducebantur: id quod actis testabatur, [o] Is vero qui consul dictus designatúsq; fuerat, antequam magistra-

Consulatus ad plebem reuolutio

Consules sine magistratu alio præcedente creati.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

a *COmitia consularia.*] De Comitiis consularibus Cicero in Orat. pro Murena, non vno in loco. & in epist. ad Atticum liu. 6. & Suetonius in Domitiano cap. 10. & Cornelius Tacitus lib. 1. in fin.

b *Non modo per consules.*] Id prope perpetuum est apud Liuium & cæteros.

c *Per interregem.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. In creatione Lucretij Tricipitini, & T. Veturij Gemini consulum, & lib. 4. in creatione L. Papyrij Mugilani, & L. Sempronij Atratini consulum, & iterum eodem lib. in creatione A. Cornelij Cossi, & L. Furij Ledullini consulum, & lib. 6. non semel in creatione Tribunorum militum. & lib. 7. in creatione C. Sulpitij Petici, & M. Valerij Publicolæ consulum, & iterum in creatione M. Valerij Coruini, & A. Cornelij Cossi, & lib. 8. in creatione Manlij Torquati, & P. Decij Muris consulum: rursúmque in creatione C. Petilij & L. Papyrij Mugillani consulum, & alibi sæpe.

d *Dictatorem.*] Liuius 1. Decad. lib. 8. & aliis multis locis citatis suprà lib. 1. cap. 6. in duobus locis.

e *Aliquando se consulem creasse.*] Cæsar dictator & Consulem se & P. Seruilium Isauricum designauit, & intra 11. diem Dictaturam deposuit, vt perhibet ipse Cæsar lib. 3. belli Ciuilis in princ. Et Plutarchus in vita illius. Sæpe autem aliàs Dictatores ipsi sunt creati consules. Cuiusmodi fuit Q. Fuluius, apud Liuium 5. Decad. lib. 7.

f *Quamuis sine plebe.*] Nam & sic creati sunt consules T. Quintus, & Q. Seruilius per patres Clientésque patrum, cùm plebs irata voluisset consularibus comitiis interesse, vt tradit Liuius 1. Decad. lib. 2. non longè à fi.

g *In quibus etiam absentes.*] Nam & M. Claudius Marcellus, & M. Valerius absentes dicti sunt consules apud Liuium 3. Decad. lib. 6. Et alij sæpe apud eundem. Plutarchus tamen tum in Cæsare, tum in Catone Vricensi scribit legem fuisse apud Romanos, vt qui magistratus peterent (loquitur autem de consulatu) comitiis præsentes adessent. Ideo cùm Cæsar petiuisset, vt sibi per alium petere consulatum liceret, non id obtinuit. Ob ídque omissa petitione triumphi vrbem intrauit.

h *Sed plebeios consules.*] Vide infrà lib. 6. c. 24. Et Plutarchum in Camillo ad fi.

i *Tametsi æuo succedente.*] Hæc vsque ad clausulā. Et tametsi, sunt ex Plutarcho in vita Marij.

k *Et tametsi.*] Liuius 4. Decad. lib. 2. tradit, quod cum M. Fuluius & M. Curius, tribuni plebis impedirent T. Quintium Flaminium ex quæstura consulatum petere. Iam enim Ædilitatem, Præturámque fastidire, nec per honorum gradus documentum sui dantes nobiles homines tendere ad Consulatum, sed transcendendo media, summa imis continuare. Cùm autem ea res ex Campestri certamine in senatum venisset, patres censuerunt, qui honorem quem sibi capere per leges liceret, peteret: in eo populo creandi quem velit, potestatem fieri æquum esse. In authoritate patrum fuere Tribuni. Hæc ibi. Appianus Alexandrinus lib. 1. bellorum Ciuilium. Sylla, inquit, neque aliquem prius Prætorem quàm quæstorem esse voluit, nec consulem antequam attingere. Et rursus eodem lib. ad fin. Pompeius & Crassus ad consulatum petendum descenderunt. Crassus quidem iam prætura functus, iuxta Syllæ legem. Pompeius verò neque præturam, neque quæsturam adeptus. Nostris autem legibus, vt gradatim honores deferantur, edicto, & vt à minoribus ad maiores perueniatur, epistola D. Pij ad Titianum exprimitur. Hæc enim sunt verba l. vt gradatim, in princ. ff. de munerib. & honor. Et alibi in l. scilicet, honor. §. gerendorum, eod. tit. ita scribitur: Gerendorum honorum non promiscua facultas est, sed ordo certus huic adhibitus est. Nam neque prius maiorem magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere non potest. Et huc pertinet l. 1. C. eod. tit. & vide suprà lib. 2. cap. 2.

l *Caius Claudius Cento.*] Liuius 3. Decad. lib. 5. in fi. Sed vt ibi videre est, non hic fuit C. Claudius, sed Appius Claudius Pulcher.

m *Qui nullum antea honorem.*] Et vt loquitur Liuius vbi suprà, nullum curulem magistratum.

n *Et Pompeius Magnus.*] Appianus loco suprà citato in verbo, Et tametsi. & Plutarch. in vita illius.

o *Is verò qui consul.*] Nam apud Liuium 5. Decad. libro. 7.

Collega ... Consules bini apud Rom. Reges bini apud Iberos & Carthag. Præfecti & Reges bini apud Lacedæmon. Lycurg. per ordines. Achæi. Athenienses. Prytanes. Rhodii. Bœotii. Megistanes. Cosmi. Magi. Caramanges. Fasces vicissim apud alterum dūtaxat consulē. Vire prius darentur fasces. Consulatus insignia.

tum iniret, collegam sibi sæpe nominabat, quòd è republica videbatur: vt positis simultatibus, vna mente, consilio ac virtute, nec fœdo certamine, & per dissidium, quod praua ambitio solet, respublica ageretur, vtque ex voluntate sua consul quem maxime appeteret, collegam haberet. Nonunquam senatus collegam dixit. [p] Sæpius vero ipsis comitiis duo fuere creati consules communi studio votóque. Erant ergo Romæ bini consules potestate pari, sicut apud Iberos bini deliguntur reges: alter qui iura daret, alter qui populis præesset: & Carthaginensibus duo annui reges præfuere, [q] qui Suffetes dicti. [r] Aliquando iudicum ordo præfuit, qui rerum & personarum ius habebant. [s] Et Lacedæmoniis bini præfecti, mox bini reges nomine magis quàm imperio, ex Procli & Heristhenis familia primò, postea ex Eurytionis & Agidis: demum ex Heraclidarum genere, pari iure & imperio non dissimili imperitarunt, tametsi Lycurgus reipublicæ curam per ordines diuiserit: quod [t] apud Achæos simile accepimus, vt binos prætores annuos sibi præficerent: qui publicas res simul & iudicia curarent: aliquando decem, [u] quos δημιουργὸς vocabant. Athenienses vero post eiectos triginta tyrannos, qui plures quàm mille quingentos indemnatos necauerunt, neque sinebant cognatos funeribus adesse: decem qui qui præssent, per [x] Thasybulum accepere: mox ipsis à Pausania eiectis, [y] Prytanes numero quinquaginta præfuere: quæ pars decima senatus erat, quorum numerus quingentorum fuit. In quo obseruatum est, vt nemo ex genere Athamantis natu maximus prytanes fieret: qui etiam [z] Rhodi summus erat magistratus. Apud Chaones autem annui magistratus ex primoribus ciuium deliguntur. [a] Armeniorum Megistanes, [b] Cretensium Cosmi dicti sunt: [c] sicut Persarum Magi & Caramanges, qui loco prætoris erant. [d] Bœotiis vndecim summæ rerum præerant, qui pacis bellique temporibus ius dicebant. [e] Qui quidem consules, etsi pari honore essent, non tamen simul insignia consulatus aut imperium habebant. Nam postquam Iunius Brutus, eiecto Tarquinio, & regibus exterminatis, cum Collatino consul creatus est, licet omnia iura & insignia quæ apud reges erant, populus consulibus concessa voluerit, tamen ne duplicatus terror videretur, si apud vtrunque consules fasces videret, cautum fuit vt apud alterum, eum videlicet qui imperium haberet, fasces essent. [f] Ideo alternis mensibus, modo ad vnum, modo ad alterum consulem fasces transire voluere. Idémque sequntis temporibus, dum imperium & respublica stetit, seruatum est. [g] Sed tamen quo mense fasces non habebat, accensus apparebat consuli, lictores vero sequebantur: quod intermissum diu, postea Cæsar reuocauit denuò. Et quamuis [h] consuli antiquiori fasces darentur prius, veluti caniciem & annos venerantes: postea [i] lege Iulia cautum fuit, vt ei qui plures liberos quàm collega haberet: aut si numero pares essent, qui maritus foret, præferretur: aut si omnia essent paria, antiquior fasces acciperet: eos tamen qui secundum gererent consulatum, alteri nouum ineunti, præferri haud dubium est. Erant ergo consulatus insignia, [k] duodecim fasces, lictores totidem, [l] purpurea prætexta, [m] curulísque

ANNOTATIONES.

M. Fuluius Nobilior consul creatus, cùm cæteri candidati Centurias non explesseor, postero die Cn. Maulium collegam dixit.

p *Sæpius vero.*] Id videre licet apud Liuium, & Dionysium Halicarnass. vbique, & cæteros rerum Romanarum scriptores.

q *Qui Suffetes dicti.*] Liuius 3. Decad. lib. 8. & iterum lib. 10. non multò post princip. & 4. Decad. lib. 4. ad fi. quibus locis non reges eos appellat, sed primo loco dicit illos summum Pœnis fuisse magistratum, secundo dicit eos fuisse velut consulare Imperium apud Carthaginenses. Tertio simpliciter eos nominat sine alio vllo titulo.

r *Aliquando iudicum ordo.*] De Carthaginensibus intelligit.

s *Et Lacedæmoniis.*] Hæc vsque ad clausulam, Quòd apud Achæos. est Plutarchi in vita Agidis & Cleomenis. Et vide infrà lib. 4. c. 23.

t *Quod apud Achæos.*] Vide suprà lib. 2. c. 15.

u *Quos δημιουργὸς vocabant.*] Liuius 4. Decad. lib. 2. & lib. 8.

x *Per Thrasybulum.*] Probus Æmilius in vita illius. Et vide Xenophontem.

y *Prytanes.*] De hisce magistratibus vide Suidam & Pollucem li. 8. c. περὶ ἱππάρχων φυλάρχων, γεωμετρικῶν, καὶ πρυτανείων. & Demosthenis interpretem, & nouissimè Budæum nostrum in commentariis linguæ Græcæ.

z *Rhodi.*] Liuius 5. Decad. lib. 2. & Plutarch. in Politicis. & Appianus Alexandrinus bellorum Ciuilium lib. 4.

a *Armeniorum Megistanes.*] Cornelius Tacitus lib. 15. & vide etiam in nostris Commentariis Nobilitatis cap. 37. num. 31.

b *Cretensium cosmi.*] Aristot. lib. 2. Politicôn cap. 8.

c *Sicut Persarum.*] Vide infrà lib. 4 cap. 13.

d *Bœotiis.*] Vide Pausaniam.

e *Qui quidem consules.*] Ad Romanos redit. Id autem est ex Liuio 1. Decad. lib. 2.

f *Ideo alternis mensibus.*] Hîc omnino vide quæ scripsimus in nostris Commentariis Primigeniorum, in 17. quæst. nu. 10. & 11.

g *Sed tamen quo mense.*] Suetonius in Cæsare cap. 20. Antiquum, inquit, retulit morem, vt quo mense fasces non haberet, accensus ante illum iret, Lictores ponè sequerentur.

h *Consuli antiquiori.*] Plutarchus in Publicola, & Gellius lib. 2. cap. 15. Valerius Max. lib. 4. cap. 1. post prin.

i *Lege Iulia.*] Gellius vbi suprà.

k *Duodecim fasces.*] Valerius Max. lib. 2. cap. item 2. vbi de Lucio Quintio Cincinnato. & lib. 6. c. 11. post principium. vbi de Cn. Cornelio Scipione. Liuius 1. Decad. lib. 3. vbi loquitur de decemuiris. Plutarchus in Paulo Æmylio, & Martialis, ex quo intelliges & id quoque fuisse obseruatum tempore Imperatorum lib. 8. epig. 66. quo loco loquitur de Silio consule,

Augusto pia thura victimásque
Pro nostro date Silio Camœnæ,
Bissenos iubet en redire fasces
Nato consule, &c.

l *Purpurea prætexta.*] Nam & ad L. Quintium Cincinnatum consulem absentem citatum in agro arãtem repertum, purpurea missa est, apud Dionysium Halicarnasseum lib. 10. Idque etiam tempore Imperatorum, vt etiam diximus de 12. fascibus. Nam vt Martialis ad id, quòd nuper ex eo adduximus, paucis interiectis subdit,

Gaudenti superest adhuc quod optet.

Et vide nu. seq.

m *Curulisq. sella.*] Dionysius Halicar. lib. 3. inter insignia

regum

sella. [n] Quin etiam eum qui antea consul fuisset, iterum & sæpius consulem creari: [o] & qui dictaturam gessisset, in consulem assumi posse, nemo dubitauit. [p] Quintus tamen Fabius Maximus legem tulit ad populum, [q] ne intra annos decem eundem consulem refici liceret, quam legem consensu tacito abrogatam, [r] Sylla iterum promulgauit. Creatis ergo consulibus prouinciæ nominabantur, vt eas vel ipsi inter [s] se compararent, [t] sortirentúrve: quos ire ad bellum, quos præesse exercitibus oporteret: vel si in deligendis prouinciis non conueniret, [u] extra sortem senatus decerneret. [x] Quod lege curiata cauebatur, vt senatus contra legem curiatam sine sorte prouincias designaret: aut si senatus aduersaretur, per populum agi poterat, [y] vt extra ordinem consuli prouincia daretur: [z] tametsi vtrunque consulem in eandem prouinciam cum exercitu profectum quandoque legamus. Optionem tamen deligendæ prouinciæ extra ordinem collegæ dari, [a] aut suam sortem permutare cum collega absque decreto senatus, antiquo more non licebat. [b] Ad quas profecturi consules, si cæsis hostiis & sacrificio perfecto, non facile litarent, sæpe diffuso tempore ire supersessum est. Inter quas fuere minores prouinciæ, pauci momenti, & ferè desamatissimæ, [c] vt syluarum colliúmque, ne compingendis nauibus materia deesset, & frequens ad omne genus operum materia suppeteret. Consules vero nominatos, ab ipso inito magistratu legiones cum collega partiri, [d] ac Iouis opt. max. templum adire, [e] senatum habere, eúmque de prouinciis, déque omni statu reipub. consulere, [f] Latinas ferias indicere, Iunoniq; Sospitæ, [g] & Ioui Latiali solenne sacrũ in Albano facere: & [h] in quo carnẽ Latinis populis diuidere mos erat, sæpe perspectum est, [i] indéque auspicato ad vota nuncupanda [k] in Capitolium

Lex à Fabio lata.
Prouinciarum sortitio inter consules.
Lex curiata.
Prouincia minores.
Consules statim à creatione quid agerent.
Paludamentum & trabea vestis consulares.

ANNOTATIONES.

regum Romanorum fuit eburnea sella, & alia pleraque, quibus post reges exactos vsi sunt consules, præter coronam auream, togámq; pictam, postea tamen triumphantibus ex S.C. permissum auro vti, & togis pictis purpureis.

n *Quin etiam eum.*] Id ex infinitis locis Liuij, & cæterorum scriptorum intelligitur cùm dicitur iterum, & 3. & 4. consul, &c. Nam & fuere qui 5. & 6. Consules fuere. M. autem Crassus, quod nemini alteri contigit (præter Cæsares) 7. consul fuit, vt omnes testantur.

o *Et qui dictaturam.*] Quòd & nos suprà diximus.

p *Quintus tamen Fabius.*] At non eam legem tulit Fabius, sed eam non latam recitari iussit, cum illum consulem nominasset apud Liuium 1. Decad. lib. 10.

q *Ne intra annos decem.*] Hîc omnino vide quæ scripsi in l. si vnquam. in præfatione num. 24. Et hæc sanè.

r *Sylla.*] Appianus lib. 1. bellorum Ciuilium.

s *Inter se compararent*] Id sæpe faciebant, vt videre poteris apud Liuium. Sed vnum tantùm locum citabo, qui ad nu. seq. pertinet qui est 3. Decad. lib. 10. in princ. Cn. Seruilius Cepio, & Cn. Seruilius Geminus consules, cùm de republ. bellóque, & prouinciis ad senatum retulissent, censuerunt patres vt consules inter se compararent sortirentúrq; vter Brutios aduersus Hannibalem, vter Hetruriam ac Ligones haberet prouinciam.

t *Sortirentúrve.*] Quod & sæpissimè obseruabant apud eundem. Et vide in nostris Commentariis Primigeniorum quæst. 17. 101. epist.

u *Extra sortem senatus.*] Apud Liuium 3. Decad. lib. 8. Cùm P. Cornelius Scipio, & P. Licinius Crassus consules creati essent, Sicilia extra sortem concedente collega Scipioni delegata est. Et id quoque sæpissimè apud eum factitatum est.

x *Quod lege curiata.*] Cicero lib. 1. epist. fam. epist. 10. incip. quod rogas, &c.

y *Vt extra ordinem.*] Sic Q. Fabio extra ordinem Volscorum prouincia data est, apud Liuium 1. Decad. lib. 13. post princ. Sic M. Popilio Lanati eiusdem Decad. lib. 7. Et M. Valerio Coruino lib. 8. & Fabio Maximo lib. 10 & Cn. Pisoni Hispania, apud Suetonium in Cæsare. cap. 10.

z *Tametsi vtrunque consulem.*] Sic enim idem Q. Fabius, & T. Quintius consules ambo aduersus Æquos cum suis exercitibus processere. ibi paulò pòst. Et similiter T. Romulus, & Q. Veturius cùm exercitu missi aduersus eosdem, in eod. lib. 3. Item T. Quintius Capitolinus, & Agrippa Furius in eosdem alio loco eiusdem lib. 3. & Pub. Sulpitius Auerrio, & P. Sempronius Sophus consules missi aduersus Æquos eiusdem 1. Decad. lib. 9. paulò antè fin. Et Fabius Maximus, & P. Decius Mus consules aduersus Samnites eiusdem 1. Decad. lib. 10. & Q. Fabio Max. & Q. Fuluio Flacco decreta est eadem prouincia Italia, scilicet 3. Decad. lib. 7. Atque etiam M. Marcello, & T. Quintio Crispino eadem prouincia, in eodem lib. Et L. Veturio Philoni, & Q. Cecilio Metello consulibus eadem quoque prouincia aduersus Hannibalem decreta eiusdem 3. Decad. lib. 8. Et M. Æmilio Lepido, & C. Flaminio consulibus. Senatus vtrique Ligures prouinciam decreuit. Cui S.C. cùm Lepidus intercederet ob ea quæ illic sunt declarata. His auditis senatus in sententia perseuerauit, vt consulibus ambobus Ligures prouincia esset, apud eundem 4. Decad. lib. 8.

a *Aut suam sortem permutare.*] Id videre licet apud Liuium 3. Decad. lib. 7. Senatus, inquit, liberam potestatem fecit consulibus, & supplendi vbi vellent s & eligendi de omnibus exercitibus quos vellent, permutandique, & ex prouinciis quos è republica censerent esse traducendi. Et 4. Decad. lib. 3. Sed de his, inquit, duobus primum S. C. Plebis etiam scito permutatæ prouinciæ sunt.

b *Ad quas profecturi consules.*] Neque enim in prouincias ire solebãt, nisi prius factis sacrificiis. Liuius Decad. 5. lib. 4. de Paulo Æmilio loquens: Ab hac concione, Latinis, quæ pridie Calendas Aprilis fuerunt, in monte sacrificio ritè perpetrato, protinus inde & Coss. & Prætor. Cn. Octauius in Macedoniam profecti sunt.

c *Vt syluarum colliumq;.*] Ex Suetonio in Cæsare cap. 9. vbi interpres id minimè intellexisse videtur, quãtumlibet oculatissimus. Hincque illud Virgilij eclog. 4.

Si canimus syluas, syluæ sunt consule dignæ.

d *Iouis opt. max. templum adire.*] Liuius 3. Decad. lib. 1 ad fi.

e *Senatum habere.*] Liuius 3. Dec. lib. 6. in princ. Cn. Fuluius Centimalus P. Sulpitius Galba cõsules, cùm Idibus Martiis magistratum iniissent, senatu in Capitolium vocato, de repub. de administratione belli, de prouinciis exercitibúsque patres consuluerunt, & eiusdem Decad. lib. 10, in princ. Cn. Seruilius Cepio, & Cn. Seruilius Geminus consules, cùm de repub. bellóque, & prouinciis ad senatum retulissent, quod nos alibi supra ad aliud retulimus. Et huiusmodi multa similia leges apud eundem.

f *Latinas ferias indicere.*] Liuius 3. Decad. lib. 1. paulò ante fi. & etiam eiusdem Decad. lib. 2. post princ.

g *Et Ioui Latiali.*] Liuius in vtroque loco citato suprà in verbo, Latinas ferias.

h *In quo carnem.*] Cicer. in Oratione pro Plancio. Quibus in municipiis vix iam qui carnem Latinis petant inueniuntur.

i *Indeq; auspicato.*] Liuius 3. Decad, lib. 2. post. princ. & aliàs sæpe.

k *In Capitolium ire.*] Liuius eiusdem 3. Dec. lib. 7. in princ.

Consules, dictatores & praetores in bellum profecturi.
Athenienses duces in bellum prodituri.
Consulis officium.

ire, [l] votisque nuncupatis, [m] paludatos vel [n] trabeatos in veste regia, prosequentibus primoribus patrum, in prouincias quasque suas proficisci: [o] & prius quàm ad hostes ducerent legiones, ad populum concionari de prouinciis, de administratione belli, & quam spem de se polliceri possint, referre solitos inuenimus. Ex omnibus quoq; magistratibus solos consules, dictatores, prætorésque, consularibus auspiciis creatos, antequam adeant magistratus, Lanuuij Vestæ & penatibus rem diuinam facere tradunt. [p] Quibus in bellum profecturis, militaris supellex consulari maiestate digna, scribæ, librarij, præcones, apparitores, muli & tabernacola publice dabantur. Quæ quidem paludamenta mox sequuti Cæsares sibi desumpsere. [q] Diuus vero Augustus proconsulibus profecturis in prouincias, pro mulis & tabernaculis certam pecuniam subtaxari iussit. [r] Alexander vero Seuerus Iuris præsidibus in prouincias, mulos, equos, vestes & coquos publice dabat: in quadruplum illa redditaris deposita administratione, vbi male se gessissent. Athenienses verò duces in bellum proditari, sertum ex olea sacra sumere, & vas aquæ ferre iubebantur. [s] Erat igitur consulis officium, domi forisque, ac belli pacisque temporibus toti reipubl. consulere, inque custodienda regendáque republica totis incumbere viribus, omni denique studio, consilio fide, grauitate, & robore animi, pro commodis reipub. pugnare. Itaque in exercitu si quæ obeundæ essent expeditiones, legionibus præerant, & summi Imperatoris officio fungebantur. Et in vrbe tam de prouinciis quàm de magistratibus, de fœdere, pactionibus, gerendisque bellis, militibus scribendis, comparandísve: déque statu, dignitate, commodisque reipub. de communi salute ciuium, & spe bonorum, déque legatorum postulatis, senatum consulere debebat: déque omnibus his singulorum sententias rogare. Sed citra senatus aut populi authoritatem, soli decernere non licebat. Ipsorum tamen consilio, magistratu amouere poterat, & de gradu deiicere etiam prætorem, censorémque: vel aqua & igni interdicere, aut exulem esse iubere, bella suscipere, supremum ius habere. Quod lege magistrali cauebatur in hæc verba: Consules regio præsunto imperio, hisque præeunto, iudicando, consulendo, prætores, iudices apparento, militiæ summum ius habento, nemini parento, iussa his populi suprema lex esto, eundémque magistratum, nisi interfuerint decem anni, ne quis capito, ciuitatem annali lege seruanto, duella iusta iustè gerunto, sociis parento, se & seruos continento: populique sui gloriam augento, domum cum laude redeunto. & infra: Nonnunquam sine consulto senatus, consul magistratu amouisse compertum est: siquidem Flaccus consul Thermum prætorem inconsulto senato honore priuauit & fascibus. [t] Dictatorem quoque dicere tribuno plebis & reliquis magistratibus pro imperio poterat. Eundémque ab omnibus magistratibus comitia tum & concionem habere, déq; consilio senatusconsultum facere, & ne fierent inhibere, atque si è republica videbatur, dictatorem dicere posse, nulla cõtrouersia est. [u] Cúmque honorum finis sit consulatus, totiúsque imperij maiestatem gerat, legatis vndecunque in curiam admissis, solus ex authoritate senatus responsa dabat, legémq; ad populum ferebat. [x] Is tamen quum de capite ciuis agebatur, pœnam, capitalémve noxam inferendi ius non habebat, lege edita qua cauebatur, vt à consulibus (ne per omnia regiam potestatem sibi vendicarent) impunè [y] prouocatio esset,

Consulis potestas.

ANNOTATIONES.

l *Votiq; nuncupatis.*] Liuius 4. Decad. lib. 1. Tum, inquit, P. Sulpitius secundum vota in Capitoliu nuncupata paludatus cum lictoribus, &c. Et ipse in Capitolium descenderem, vnde votis rite nũcupatis profectus sum. Et 5. Decad. lib. 1. Increpat C. Claudium pulchrum consulem, cui Histria prouincia sorte obtigerat, quod votis non nuncupatis, non paludatis lictoribus, in eam prouinciam abiisset, ob quod milites ei parere noluissent, coactus est Romam redire. Indéque votis ex more nuncupatis, & paludatis lictoribus in prouinciam ire. Et eiusdem 5. Decad. lib. 2. Per hos fortè dies P. Licinius consul votis in Capitoliu nuncupatis, paludatus ab vrbe profectus est. Et Cæsar li. 1. belli Ciuilis non multò post princ. Paludatíque votis nuncupatis exeunt.

m *Paludatos.*] Liuius 1. Decad. lib. 9. dum dicit Consulibus in pace Caudina paludamenta fuisse detracta, & 4. Decad. lib. 1. vbi suprà nu. præced. & lib. 7. vbi loquitur de L. Cornelio consule. & 5. Decad. lib. 2. vbi etiam suprà. Et Cæsar vbi item supra. Et adde quòd non solùm ipsi, sed & ipsorum lictores paludati erant, vt vides ex ipso Liuio 5. Decad. lib. 1. vbi suprà, & nu. etiam præced. Et eiusdem 5. Decad. lib. 5. in Oratione M. Seruilij. Consul, inquit, proficiscens prætorve paludatis lictoribus in prouinciã ad vota in Capitolio nuncupat.

n *Vel trabeatos.*] Trabeam enim fuisse etiam consulum patet ex Dionysio Halicarnasseo lib. 5. & Marcellino lib. 25. haud dubiè autem regum Romanorum fuisse intelliges infrà lib. 5. cap. 18.

o *Et prius quàm ad hostes.*] Vide suprà in verbo, Votisque nuncupatis.

p *Quibus in bellum profecturis.*) Cic. in 7. in Verrem act. vbi muli, vbi tabernacula, vbi tot, & tanta ornamenta magistratibus, & legatis à senatu, populóque Rom. permissa & data. Et vide infra in verbo, Diuus verò Augustus.

q *Diuus verò Augustus.*] Sueton. in vita ipsius c. 36. vt proconsulibus ad mulos & tabernacula quæ publicè locari solebant, certa pecunia constitueretur.

r *Alexander verò Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita illius.

s *Erat igitur consulis officiũ.*] Hæc ferè omnia vsque ad clausulam, Nonnunquam sine consulto senatus, Ciceronis lib. 3. de legibus sunt.

t *Dictatorem dicere.*] Plutar. in Marcelli vita. Liuius 1. Decad. lib. 8. de L. Æmilio Mamerco dictatore loquens. Et paulo pòst de L. Papyrio Cursore. Sed tamen aliquando non à consule sed à populo dictator eligebatur. Vide Plutarchum in vita Camilli. & Liuium Decad. 3. lib. 2. vbi de Q. Fabio Maximo dictatore loquitur.

u *Cumq; honorum finis.*] Exactis enim regibus Romani eorum loco consules instituerunt, qui fasces & cætera regiæ maiestatis insignia haberent, in eo tantum differentes quòd consulum annua erat potestas, regis autem perpetua. Liuius 1. Dec. lib. 2. & Fenestella de Magist. Ro. & L. Florus li. 1. c. 9.

x *Is tamen cùm de capite ciuis agebatur.*] Vide infrà in verbo, Néve in caput ciuis.

y *Impunè prouocatio esset.*] Plutarchus in Publicola, & vide Plinium, si is est, in libro de viris illustribus, cap. 15. vbi

de eod.

[z] néve in caput ciuis Romani, nisi populi iussu, animaduertere possent. Tunc enim qui noxæ capitis reus, sceleris coarguitur, ad populum produci debebat, & dicta causa, ex populi iudicio de capite ciuis cognitio dabatur. [a] Nam soli dictatori & populo ius de nece ciuium datum est. Tametsi legamus [b] Opimium consulem, contra instituta maiorum, primum dictatoriam sibi vim vsurpasse, Caiúmque Gracchum & Fuluium Flaccum aliósque ciues, absque iudicio populi necasse. Si tamen consuli senatus permitteret (quod in summis reipublicæ casibus, & magna mole periculorum fiebat) vt caueretur, [c] ne quid respublica detrimenti caperet, tunc de nece ciuium decernendi, illósque omnibus modis coercendi, belli gerendi, domi forísque summum imperium habendi ius dari censebatur: [d] Ipsi tamen consuli Romanum ciuem, etiam senatorem, in carcerem duci iubere, & mulctam irrogare facultas erat. Quod si quis parum iusto iudicio mulctam irrogatam, aut indigno iniuriam factam querebatur, alterius consulis opem implorare, ad eúmque prouocare licebat, ipsique collegæ intercedendi, inhibendique ne quid secus fieret, ius erat atque potestas. Quod si quæ causæ prætoriam excederent cognitionem, de his quoque apud consulem iudicium esse perspicuum est. [e] Et quamuis tanta potestas consuli foret, eóque excellentiæ & felicitatis creuerit, vt totius reipublicæ & imperij summam gereret: si quid tamen impotenti animo contra rempublicam molitus fuisset, poterat ei ante tempus finiti honoris consulatus abrogari, & de gradu deiici, sicut multis exemplis prespicuum extat. Q. Cincinnatus dictator, L. Minutium consulatu abire iussit, & imperium illi abrogauit, quod eius ignauia castra hostes obsederant, & penè expugnarant. Fuitque litteris memoriæ proditum, quòd in prouinciam profectus consul cum exercitu, inde decedere, aut præsidium dimittere, vel in aliam prouinciam ducere iniussu senatus minimè poterat, idque lege Iulia sub gradi documento vetabatur, ne consul sua sponte bella gerere, aut in regionem prouinciámque sibi non decretam, sine auctoritate patrum & iussu populi accedere liceret. [f] Quod tamen apud Spartanos reges secus fuisse constat. Illis enim in quamcunque prouinciam regnúmve suo arbitratu bellum gerere, copiásque deducere permittitur, etiam sine consulto senatus. [g] Hoc quoque memoriæ datum est, post binos consules, quos ab initio exactis regibus continua serie creatos nouimus, semel apud vnum imperium consulare stetisse, tunc cum vrgente dissidio Pompeij & Cæsari, senatus ne quid respublica detrimenti caperet, vnicum consulem Cneum Pompeium dicere coactus fuit: [h] Iterum Syllæ temporibus, Cinna interempto, solus Carbo gessit consulatum. Quinetiam illud proditum est, [i] consulem initio creatum, ne magistratum iniret, præterquam religione, etiam senatusconsulto vetari: & si inisset, vi atque imperio se consulatu abdicare, donec alter ritè suffectus esset, iubebatur: quódque consul abiturus magistratu, peracto honoris tempore concionatus ad populum solemnissimum iusiurandum se in magistratu contra leges nihil egisse, & quantum ratione prouideri potuit, ex sui animi sententia nihil deliquisse, conceptis verbis publicè præstabat. Quod quidem ne quid præposterè dicatur, aliquo præeunte sæpe exhibebatur: concioneque dimissa, cum ingenti comitatu & gratulatione ciuium stipatus patrum frequentia domum deducebatur. Illud quoque non omittendum, quòd licet imperium consulare annuum esset, nullique nisi exacto quadragesimo & tertio ætatis anno consulatum capere antea licuerit: [k] pluribus tamen citra eam ætatem, si quod dignum operæpretium reipublicæ præstitissent, consulatum gerere permissum fuit. Nam & Valerium [l] Coruinum in tertio & vigesimo ætatis anno ante legitimum tempus ad consulatum promotum legimus: [m] & Mario iuniori,

Consulum de capite ciuis animaduersio.

Consules in ordinem redacti, et qui de gradu deiecti.

Consulibus iniussu senatus prouincia discedere non licebat.

Spartanorum reges.

Pompeius vnum consulem imperij consulatus.

Iusiurandum consulis quum magistratu defungeretur.

Ætas consulum.

ANNOTATIONES.

de eod. Publicola.

z *Néve in caput ciuis Romani.*] Vide Plutarchum in vita Cæsaris, & Catonis Vticensis, in quibus locis loquitur de his qui cum Catilina coniurauerant. Vide Salustium in Catilinam.

a *Nam soli dictatori & populo.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. Dionys. Halicar. lib. 5. circa fin. Fenestella de Magist. Rom.

b *Opimium consulem.*] Plutarchus in Gracchis ad fi. Appianus lib. 1. bellor. Ciuil.

c *Ne quid respublica detrimenti caperet.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. Vbi Hernici, inquit, & malè pugnatum, & consulem exercitúmque obsideri annunciauerunt, tantúmquam terrorem incussere patribus, vt (quæ forma senatusconsulti vltimæ semper necessitatis habita est.) Posthumio alteri consulum negotium daretur, videret ne quid detrimenti resp. caperet. Et eiusdem Decad. lib. 6. vbi de seditione Manlij Capitolini loquens, decretum fuisse dicit, vt videret magistratus, ne quid ex perniciosis consiliis M. Manlij respub detrimenti capiat. Cæsar lib. 1. belli Ciuil. non multò post princ. Plutarchus in Cicerone.

d *Ipsi tamen consuli.*] Suetonius in Cæsare cap. 20. M. Catonem interpellantem extrahi curia per lictorem, ducique in carcerem. Sallust. in bello Catilinario. Plutarch. in Cicerone, & in Catone minore,

e *Et quamuis tanta potestas.*] Id probat exemplo seq. Q. Cincinnati Dictatoris, & L. Minutij consulis, quod est Liuij 1. Dec. lib. 3. & Valerij Max. lib. 2. cap. item 2.

f *Quod tamen apud Spartanos reges.*] Plutarc. in Agesilao, & in Agide.

g *Hoc quoque memoria datum est.*] Valerius Maximus libro 8. cap. 16. Plutarchus, tùm in Pompeio, tum in Catone Vticensi. L. Florus epitome Liuij lib. 107. Appianus lib. 2. bell. Ciuil.

h *Iterum Sylla temporibus.*] Appianus lib. 1. bellorum Ciuilium. Et L. Florus epitome Liuij lib. 83. Sed & adde eiusdem quoque temporibus Rutilio consuli interempto in bello sociali, neminem fuisse substitutum, sed solùm Sextum Cæsarem illius collegam reliquo anni tempore permansisse, vt tradit Appianus libro 1. bellorum Ciuilium.

i *Consulem initio creatum.*] Hìc legendum est, vitio creatum, idque ex infinitis locis Liuij probatur.

k *Pluribus tamen.*] Vt patet exemplis sequent.

l *Valerium Coruinum.*] Liuius 1. Decad. lib. 7. non vno in loco, & Valerius Max. lib. 8. c. 16.

m *Et Mario iuniori.*] Marij scilicet filio. Plinius Secundus, si is est, de viris illustribus capit. 68. vbi illum dicit viginti annorum consulatum inuasisse, eúmque honorem tam immaturum matrem fleuisse. Florus autem Epitome Liuij

[n] Scipioni Africano, [o] Pompeio Magno, [p] & Octauio Augusto, aliisque ducibus, ob singularem rei militaris disciplinam, & ob candorem ingenij, [q] ante tempus, consulatus, aliósque honores delatos comperimus. Neque enim ætatis magnam habebant rationem Romani, quo minus suffragantibus meritis, dictaturas & consulatus, aliosque honores meritis ciuibus demandarent. Quos enim amplissimis ornamentis dignos putarunt, satis annorum & ætatis habere duxerunt: tametsi [r] L. Iulius tribunus plebis, Q. Fuluio Flacco & Manlio Acidino consulibus rogationem ad populum tulerit, qua declarauit, qui, & quibus annis nati, quémque magistratum peterent caperéntque. Foit præterea literis proditum, eos qui suo anno consulatum peterent, perrarò sine repulsa ad præscriptos honores admissos. Qui verò seriùs quàm per ætatem liceret, sine repulsa plerunque ad consulatum promotos. [s] Consulibúsque in prouinciam profectis, & cum hostibus bella gerentibus, etiam vltra annum, & donec debellatum cum hostibus, aut à senatu reuocati forent, imperium sæpe prorogari, quos tamen non esse consules, sed velut perfunctos magistratu, proconsules nominari, ipsósque interim fasces & lictores habere, quoad sibi proconsulare duraret imperium, satis compertum & cognitum est.

Notandum hoc.

Consulare imperium prorogatum.

ANNOTATIONES.

lib. 86. dicit eum ante 20. annum per vim creatum fuisse Vide Plutarchum in Mario & Sylla, & Appianum vbi loquitur de bello Ciuil. Ipsius Syllæ & Marij.

n *Scipioni Africano.*] Cicero Philipp. 5. vbi de aliis. Valerius Max. lib. 8. ca. 16. post princ. & Plutarchus in Politicis.

o *Pompeio Magno.*] Plutarchus in vita illius.

p *Et Octauio Augusto.*] Suetonius in vita illius c. 26. vbi de 20. annis loquitur, sed ita vt vi consulatum inuaserit. Plutarchus in vita Bruti, vbi & illum dicit 20. annum agentem consulem factum, vt ipsemet Augustus scripsit in suis commentariis. & Solinus cap. 2. & L. Florus Epitome Liuij lib. 119. Adde quòd & Neroni 20. quoque ætatis anno consulatus delatus est apud Cornelium Tacitum lib. 12. item Suetonium consule hac de re.

q *Ante tempus consulatus.*] Nam & Vlpianus in lib. 1. ff. de offi. cons. Si euenerit, inquit, vt minor 20. annis consul sit, apud se manumittere non potest, &c. Quorsum igitur Vlpianus hæc dixisset, nisi etiam minor 20. annis consul fieri posset? Et vide alicubi in præfatione Primigeniorum.

r *L. Iulius.*] Liuius 4. Decad. lib. 10. Eo, inquit, anno rogatio primum lata est, ab L. Iulio tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent caperéntque. Inde cognomen familiæ, vt Annales appellarentur. Vide in d. præfatione Primigeniorum.

s *Consulibusque in prouinciam profectis.*] Vide suprà libro. 2. cap. 27.

Quæ sint sigillaria, verbum sæpius repetitum apud Scæuolam iureconsultum, tertio de legatis.

CAPVT IV.

L. penult. §. pater. ff. de leg. 3.

VERBA [a] Scæuolæ iureconsulti libro iuris ciuilis responsorum tertio de legatis, hæc fuere: Paterfamiliàs ita legauit, lances numero duas leues, quas de Sigillaribus emam dari volo. Is de Sigillaribus leues quidem non emerat: lances autem emptas habebat, & dictauerat testamentum ante triduum quàm moreretur. Quæsitum est, an hæ lances quas emptas de Sigillaribus habuit, legato cederent, quum nullas alias de Sigillaribus emerit, nec legauerit? Respondi secundum ea quæ proponerentur, deberi eas quas de Sigillaribus emisset. Hactenus Scæuola. Quæsiuerat ego à viro docto, multi nominis inter causidicos, quid esset dicere, lances, quas de Sigillaribus emam dari volo: isque de Sigillaribus leues quidem non emerat, ac sæpius repetitum nomen de Sigillaribus, quid designaret. Atque ille quum Sigillaria, vasa esse diceret ad vsum nescio quem præparata informia & impolita & quædam nugalia, ex authoritate interpretis, demum post multa deblaterata verba, quum se quoque in controuersia verborum, & eruendo sensu abstruso dubitare diceret, haud multo post nactus nescio quam occasionem, & caulatus sibi negotium esse, non aliter explicato dubio quod quærebam, discessit atque abiit. Cuius illecebra admoneor, vt pessimè cum his actum magnopere censeam, qui prætermisso Latinæ linguæ nitore, & cultu verborum, se protinus ad legum interpretamenta præcipites tradunt, magno errore nimis properæ festinationis. Siquidem hoc primùm docendi sunt, quonam modo vim ac sensa verborum, & iurisconsultorum mentem planè percipiant, vt si quid in controuersiam venit, non præposteros sensus, sed proprios assequantur significatus. [b] Sigillaria enim vicum esse Romæ celebrem, vbi venum res venales exponebantur, ibique vasa præcipua, signáque exquisitæ artis ex ære argentóque fabrefieri solebant, vnde nomen factum loco, notum ferè & peruulgatum est. Suetonius in Claudio: Essedum argenteum, inquit, sumptuosè fabrefactum, & venale ad Sigillaria redimi, concidique coram imperauit. Idem in Nerone: Sporum Romæ circa Sigillaria comitatus est. Aulus Gellius lib. 5. Noctium Atticarum: Apud Sigillaria fortè in libraria ego & Iulius Paulus poëta consedebamus. & pleraque eò pertinentia exempla, ne exequar singula, quæ omnium sermonibus celebrati sunt. [c] Huc pertinet quod dies Sigillariorum Saturnalibus adiectos legimus, quibus imagunculæ & simulacra venalia in Sigillaribus proponebantur: quæ pro suis capitibus

Legum studiosi relicto linguæ latinæ nitore, inepti plerumque. Sigillaria.

Cap. 4.

Dies Sigillariorum.

ANNOTATIONES. IN CAP. IV.

a *Verba Scæuolæ*] Ea sunt in lib. penult. §. paterfamilias. ff. de leg. 3.

b *Sigillaria enim vicum.*] Id intelliges ex Gellio lib. 2. c. 3. & iterum lib. 5. c. 4. in prin.

c *Huc pertinet quod dies Sigillariorum.*] Ex Macrobio libro 1. Satur. cap. 7. & cap. 10. in fi. & cap. 11. Et huc pertinet illud

Sueto

in ſacellum Ditis Romani deferebant. Fuit ergo Scæuolæ opinio, teſtatorem qui lances quas leues de Sigillaribus ſe empturum promiſerat, legaſſe, & morte præuentus non emiſſet, ſed emptas de Sigillaribus antea habuiſſe, licet leues ſe empturum promiſiſſet: tamen ne teſtatoris voluntas irrita fiat, illas quas de Sigillaribus prius emiſſet, qualeſcunque forent, legato accedere voluiſſe.

ANNOTATIONES.

Suetonij in Claudio capite 5. Quadraginta aureos in Saturnalia & Sigillaria miſiſſet ei. vide interpretes. & Senecæ libri. 1. epiſtolarum 1. epiſtolam. Ego ſum felicior, cui ſoles Sigillaria afferre. Spartiani in Hadriano, Saturnalicia & Sigillaria amicis inopinantibus miſit, & ab his libenter accepit. Et rurſum in Caracalla, Quæ à parentibus gratia Sigillariorum acceperat, ea vel clientibus, vel magiſtris ſponte donauit. Flauij autem Vopiſci in Aureliano dum ſcribit illum inſtituiſſe vxori & filiæ annum ſigillarinum.

Quæ delictorum pœna maiorum criminum apud diuerſas gentes more & legibus fuerint conſtituta, & quæ minorum. CAPVT V.

PLATO [a] in Gorgia, & philoſophi plerique non ignobiles, duplicem puniendis peccatis putant eſſe cauſam, vnam commonitionis, alteram animaduerſionis. [b] Commonitio delinquentis cauſa fit, quum ei qui peccauit, vel pecunia, vel leui coercitione mulcta dicta eſt: quod eò fit, vt deinceps qui deliquit, ad bene honeſtéque viuendum promptior & emendatior fiat. Ea pœna per leges inferri ſolet, quum leuiter delictum fuit: vt ſi iudici aliquid præcipienti contumacius paritum eſt, vel ſi prætoris dicto quis audiens non fuit. Animaduerſio verò, non ipſius qui pœna afficitur, ſed reliquorum qui ſuperſunt, gratia adhibetur: vt metu pœnæ ne ſimili exemplo fiant, reliqui eadem noxa deterreantur. Nam delictum quo impunitius, eo effrenatius fit, quia niſi fuerit vindicatum in noxios, propoſita impunitatis ſpes mortalium animos criminibus inuitat. Ea animaduerſio infertur in viros facinoroſos, & magnis criminibus obnoxios, vt in reos ſacrilegij, maieſtatis, parricidij, peculatus, alióſque nefarios & conſceleratos, qui propter, aliquod inauditum facinus pœnas ſcelerum iure & lege perſoluunt. Hinc eſt quod pro exceſſu, pœnæ à legibus conſtitutæ ſunt, aliæ bonorum, aliæ religionis, nonnullæ membrorum, pleræque capitales: vt pro criminis qualitate, legum iudiciorúmque pœnis coerceantur: aliquando exquiſitis tormentorum ſuppliciis in aliquos publicè ſæuitum eſt. Etenim qui in Deum aut Principem, parentes aut patriam delinquit, vt qui patrios Lares focóſque, & deos penates, quíſque deorum delubra, ſepulchra maiorum prodere, phana peculari, parentes occidere non verentur, non vulgari pœna, ſed nouis exemplorum modis afficiendos, iura diuina & humana voluere, poſteris documento futuros, vt qui ita affectos viderint, ne ipſi pari crimine obnoxij fiant, deterreantur. Indicant hoc Romanorum [c] ſecures faſcibus alligatæ: quippe qui leuiter peccantes, flagris & fuſtibus: qui verò grauius deliquere, capitali pœna plectere ſoleant. Hæc enim Romanis peruulgata pœna fuit, vt leuiter delinquentes, nudatos virgis cæderent, aut in [d] latomias darent, qui locus erat cuſtodiæ deſtinatus iuxta Tullianum & forum Piſcarium, à Tarquinio ſuperbo primùm inſtitutæ. Vel ſi grauioribus criminibus obnoxij, capitalia auſi fuiſſent, tergo & capite luerent, vel [e] de ſaxo [f] & robore deiicerent. Erat enim rupes vaſta in Tarpeio foro

Duplex puniendi peccati cauſa.

Commonitio.

Animaduerſio.

Alia atque alia pœna pro facinoris magnitudine.

Romani, Latomiæ.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

a *Plato in Gorgia.*] Hic omnino vide quæ ſcripſimus in noſtris legibus Connubialibus, in l. 9. numero 224. incipien. Propterea cum Plato.

b *Commonitio.*] Vide ſupra lib. 2. cap. 13. vbi de admonitione.

c *Secures faſcibus alligatæ.*] Plutarchus Problema c. 82.

d *Latomias.*] De quibus Plautus in captiuis. Varro de lingua Latina lib. 1. aut aliorum computatione 4. Cicero in Oratore, & in Oratione de ſuppliciis. Saluſtius in Catilina, Liuius 3. Decad. lib. 6. Comprehanſæ Latomiæ forumque piſcatorium, & 4. Dec. lib. 2. & 6. Cuius hæc verba ſunt, Triumuiri carceris Latomiarum cuſtodiam habere iuſſi. & lib. 7. poſt princip. Per eos dies principes Ætolorum tres & 40. à duobus cohortibus miſſis à M. Acilio Romam deducti, & inter Latomias coniecti ſunt. Et Suetonius in Tiberio. Iuriſconſultus ff de pœnis. Seneca l 9. declamatorum. Feſtus Pompeius lib 10 Plutarchus in Nicia, & in Dione. Vide item infrà in verbo, Syracuſa quoque.

e *Vel de ſaxo.*] Qua pœna ll. 12. tabularum puniebantur, qui falſum teſtimonium dixiſſe conuicti eſſent, vt videre eſt apud Gellium lib. 20 cap. 1. ad fin. Sed & ea punitus eſt Manlius Capitolinus apud Liuium 1. Decad. lib. 6. Et Plinium Secundum, ſi is eſt, de viris illuſtribus ca. 24. Et Pituanius apud Cornelium Tacitum lib. annalium 2. Sp. Caſſius apud Dionyſium Halicarn. lib. 8. vbi dicit hoc tum vulgare fuiſſe apud Romanos ſupplicium. Et transfugæ quidam apud ipſum 3. Decad. lib. 4. Et Phileas Tarentius, & obſides Tarentini qui aufugerant, eiuſdem 3. Decad. lib. 5. Vbi & tradit huius pœnæ atrocitatem quorundam animos irritaſſe. Nam & hoc genus ſupplicij horribile vocat Lucretius li. 3.

Carcer & horribilis de ſaxo iactus eorum
Verbera, carnifices, robur ac lamina, tæda.

Vt non abs re è noſtris legibus, ea pœna ſit ſublata l. ſi diutino. §. vlt. ff. de pœnis. Inter leges autem declamatorias illa eſt. Inceſta ſaxo deiiciatur apud Senecam lib. Declamat. 2. Decla. 2. & de hac quoque pœna Horatius l. 1. Ser. ſaty. 6.

Tu ne Syro Dama aut Dionyſi filius audes
Deiicere è ſaxo ciues, &c.

f *Et robore.*] De hoc genere pœnæ Lucretius vbi nuper citauimus. Plautus in Curculione act. 5. ſcæna 3.

At ego vos ambo in robuſto carcere,
Vt pereatis, &c.

Et in Pœnolo,

Ego iam detrudam ad molas
Inde porro ad puteum atque robuſtum codicem.

Nam codex, vide Pompeium. & Liuius 4. Decad. lib. 8. in fi. Vt in carcere inter fures nocturnos vir clariſſimus Scipio includatur, & in robore, & in tenebris expiret. & Apuleius Apologia. Scelus dignum robore & carcere. Erat autem robur, vt tradit Feſtus Pompeius lib. 16. locus in

carcere

Rupes in foro Tarpeio. Coruus. Lethe. Latomia. Thesaurus. Barathrum. Domus. Decas. Ceadas. Tullianum. Ancon. Ceramon. Heliotrapeza.

superstans. aut si ita essent nefarij & conscelerati, resoluto [g] plumbo necarent, vel vnco [h] tractos in scalas [i] Gemonias darent præcipites, exemplo [k] Thessalorum, quibus locus supplicio destinatus erat, cui nomen corui, ex quo noxij agebantur in præceps, vnde frequens illud apud Aristophanem, *ἐς κόρακας*. Persis verò carcer fuit nomine Lethes, & domicilium cineribus refertum, ad quod nisi moriturus accedat nemo. [l] Syracusis quoque latomiæ, opus ex solido saxo in mirandam altitudinem depressum, & omni aditu obsepto munitissimum. [m] Apud Messenios carcer Thesaurus nomine, locus sub terra quadrato saxo, in quo Philopœmenes necatus fertur, tam immanis fuit & sæuus, vt neque ventum, neque auram acciperet. Romæ [n] barathrum dixere noxiorum custodiam. [o] Athenienses sæuissimum carcerem, Domum nuncuparunt, [p] sicut tributorum exactionem ciuitatis regimen, mitinomine indignitatem rei temperantes: [q] quo exemplo Appius decemuir carcerem quem constituit, domicilium plebis nuncupauit: alij promptuariam [r] cellam, [s] nonnulli publicum hospitium dixerunt. [t] Spartæ Decas erat locus in carcere ad pœnam ædificatus, vbi damnatos mortem oppetere cogebant. [u] Et spelunca quam Ceadas vocarunt, quasi pallorem & lachrymas, terræ caliginis & duri aspectus, sicut apud Romanos [x] Tullianum. Carthaginensibus [y] verò Ancon teterrimum fuit domicilium, & apud Cyprios [z] Ceramon. Sicut Æthiopibus Macrobiis Heliotrapeza noxiorum locus erat

ANNOTATIONES.

carcere quo præcipitabatur quoddam malefactorum genus, quod antea arcis robustis, aut vt alij legunt areis robustis includebatur.

g *Resoluto plumbo.*] Horat. carm. lib. 1. Ode 35.

Nec seuerus
Vncus abest, liquidúmve plumbum.

Quia vt ibi dicit Acron interpres, resoluto plumbo rei puniri consueuerunt.

h *Vel vnco tractos.*] Horatius vbi suprà. Seneca in libro de Tranquillitate vitæ, vbi de Seiano loquitur. Et Iuuenalis de eodem saty. 10.

—Seianus ducitur vnco
Spectandus. —

Et multi ex his quos statim citabimus.

i *In scalas Gemonias.*] Valerius Maximus lib. 6. cap. 3. Cornelius Tacitus lib. 5. & lib. 19. ad fi. Suetonius in Augusto, cap. 75. & in Tiberio. cap. 53. & cap. 61. & in Vitellio, cap. 17. Plinius lib. 7. de Sabino. Aurelius Victor in vita ipsius Vitellij. Vide Rhodig. lib. 20. c. 5. in princ.

k *Exemplo Thessalorum*] Zenodotus in Collectaneis authoritate Menandri. Vide item Erasmum Adagiorum Chil. 2. cent. 1. c. 96.

l *Syracusis quoque latomiæ.*] Cicero in 7. in Verrem act. Carcer ille qui est à crudelissimo tyranno Dionysio factus, Syracusisque latomiæ vocantur, in istius imperio domicilium Romanorum fit. Asconius Pedianus in 3. in Verrem actio. Latomiæ, inquit, carcer Syracusis &c. subdit autem: latomiæ autem lingua Siculorum Lapidicinæ dicuntur, id est loca cæsis lapidibus exacta. Plutarchus in libro de fortuna & virtute Alexandri, vbi refert Dionysium coniecisse Philoxenum poëtam *εἰς τὰς λατομίας*. vide suprà in verbo, Latomias.

m *Apud Messenios.*] Plutarchus in Philopœmene, & Liuius 4. Decad. libro 9. vbi non simpliciter thesaurum appellat, sed thesaurum publicum, & ita de eo loquitur, vt possit videri eum locum fuisse in quo asseruabatur thesaurus publicus.

n *Romæ barathrum.*] Plutarchus in Mario, vbi dicit Iugurtham captiuum post triumphum Marij in barathrum detrusum, ibique fame interemptum (vide Salustium in Iugurtha.) Hammonius autem dicit barathrum masculino genere eum significare qui digna barathro perpetrarit. Neutro genere, locum in quem noxij coniiciebantur. Et ita quoque carcerem vocabant Athenienses, vt scribit Diomedes Grammaticus. Et videre licet ex Plutarcho in Aristide, quòd cum Themistocle authore commodum & necessarium quippiam deliberatum esset, & Aristides frustra contradixisset, non sibi temperauit, qui cùm ex concione discederet, clara voce testatus sit nisi Themistoclem & seipsum in barathrum coniicerent, rem Atheniensium saluam esse non posse. Et ex Herodoto lib. 7. dum scribit, Legatos Darij, qui ab Atheniensibus aquam & terram peterent, fuisse in barathrum coniectos, vbi vide Græcum textum. Et Xenophon de rebus Græcanicis lib. 1. dicit apud Athenienses legem esse iubentem, si quis populum Atheniensem iniuria affecerit, vinctum coram populo in barathrum proiici, ac interfici. Vide item Pollucem. Aliud autem est Ægyptiis apud Diodorum Siculum lib. 1. cap. 3. post princ.

o *Athenienses.*] Plutarchus in Solone, & Pollux libro 9. capit. *περὶ τῶν κατὰ θανάτων μερῶν*. Plato verò de Legibus carcerem publicum domicilium appellauit, vt & ex eo annotauit Pollux vbi suprà. Et huc alludit locus Ciceronis in 7. in Verrem actione à nobis adductus suprà in verbo, Syracusis.

p *Sicut tributorum exactionem.*] Plutarchus in Solone.

q *Quo exemplo Appius.*] Liuius 1. Decad. lib. 3.

r *Alij promptuariam cella.*] Vt Plautus in Amphitruone actu. 1. cen. 1. post prin.

Quid faciam nunc si tres viri me in carcerem compegerint,
Inde cras è promptuaria cella depromar ad flagrum?

Ex quo intelligis ita vocatam, quòd ex ea vincti depromerentur ad pœnam.

s *Nonnulli publicum hospitium.*] Nam & Græci carcerem *δεσμωτήριον*, id est, ligaculum ac vinculum vocant, à verbo, *δεσμῶ*, quòd significat ligo, Latini autem publicam custodiam. Cicero lib. 1. de Diuinat. Socrates, inquit, cùm esset in publica custodia &c. Apuleius lib. 7. Metamor. post princi. Per magistratus in publicam custodiam receptum. Vide Tacitum lib. 3.

t *Sparta Decas erat.*] Plutarchus in Agide.

u *Et spelunca quam Ceadas.*] Strabo autem lib. 8. Spelunca, inquit, quædam pro carcere apud Lacedæmonios est, quam Cæadam nominant. Lexicon verò Græcum *καιάς, ἄδος, ὁ*, locus est apud Lacedæmonios quo noxij atque malefici coniiciuntur. Alij *καιάδας* dicunt locum profundum fuisse apud Athenienses, in quem coniici solebant noxij, & extremo supplicio afficiendi. Vide Lexicon, Pollucem, Rhodiginum, Commentarios Græcæ ling. Budæi.

x *Tullianum.*] Varro lib. 4. ling. Lat. vbi dicit ita vocari, quod à Tulio rege Romanorum additum fuerit carceri. Salustius in Catilinam: Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Liuius 3. Decad. lib. 9. patefacto deinde scelere delegatum in Tullianum &c.

y *Carthaginensibus verò Ancon.*] Suidas scribis Anconem præter alias eius significationes Carthaginensibus vocari domicilium obscurum & profundum, in quo coniici solebant, quibus tyranni indignarentur.

z *Et apud Cyprios Ceramon.*] In quam sententiam nonnulli trahunt illud Homeri Iliados lib. 5.

χαλκέῳ δ' ἐν κεράμῳ δέδετο τρισκαίδεκα μῆνας.

Id est, Æneo siue robosto autem in Ceramo ligatus est tredecim menses. Loquitur autem de Marte, quem Otus & Ephialtes ligauerunt forti vinculo in carcere. Sunt tamen qui eo verbo ollam significari volunt.

a *Fuere*

[a] Fuere autem Scalæ Gemoniæ in Auentino, iuxta templum Iunonis reginæ, quod Veiis captis [b] Camillos dedicauit. Vnde autem damnatos suppliciis afficiebant, Sextriciom [c] vocarunt: præter quas Latomias, [d] Albæ quoque custoditi noxios tanquam loco munitissimo sæpe notatum est. Et quamuis à principio otigioum seuerissimum de [e] Metio Suffetio sumptum supplicium legamus, qui quadrigis distentus, in diuersa discerptus fuit, tamen illud velut immite præterque legum humanitatem, in exemplum deductum non est. [f] Quinetiam mulctæ pecuniariæ certus fuit modus præfinitus, quem transcendere minimè fas erat: quippe de mulctarum æstimatione, tam à consulibus quàm à tribunis plebis, sæpe Senatusconsulto, sæpe populi rogatione cautum fuit, quibus [g] maxima erat mulcta trium millium & viginti assium, quia plus triginta bobus & duabus ouibus quempiam mulctari non decebat, æstimabatúrque bos centussibus, ouis verò decussibus, minima verò, oue taxabatur vna. [h] Sæpius verò Romani reges, homicidij conscios, arietis damno mulctabant, quam in sacrificijs deorum expendere consuere. Siquidem prisca paupertas ex noxiorum bonis sacra diis exhibuisse fertur: quare supplicia dicta: [i] cautúmque fuit, ne quis, mulctam indicendo, bouem prius quàm ouem nomioaret: vt innotesceret, Romanis mitiores semper placuisse pœnas. [k] Apud Athenienses verò seruatum innenimus, vt mulctas in aram Iouis Seruatoris dedicarent: [l] quam semel illatam remittere non decebat, licet [m] pœnas iure debitas, pecunia redimere fas foret, [n] Platonis exemplo, qui singulis delictis denariam mulctam constituit, vt pro criminis excessu decuplum pœnæ penderetur. [o] Germanis quoque homicidium certo pecorum numero luebatur: leuiora verò crimina, pecoris vel equi damno. In [p] metallum vel ad iosulas in perpetuum, vel præfinito [q] relegare, aut [r] aqua & igni interdicere, seu [s] ad bestias damnare, frequens etiam Romanis pœna fuit. [t] Illis enim aqua & igni interdicebatur, puibus commercium societásque hominum, ne quis eos vrbe, mensa, tecto, aut lare reciperet, vetabatur. Ad bestias damnabantur nequissimi serui, aut hostes infestissimi, plerumque hominos perni

Scalæ Gemoniæ. Sextricium.

Mulcta pecuniaria summa apud Romanos.

Homicidij mulcta.

Mulcta apud Athenienses.

Platonis de mulcta constitutum.

Germani.

Aqua & igni interdicere quid. Bestiis obijci.

ANNOTATIONES.

a *Fuere autem scala Gemonia.*] De quibus Suetonius in Augusto, ca. 75. & in Tiberio, c. 53. & in Vitellio c. 17.

b *Camillus dedicauit.*] Liuius 1. Decad. lib. 5. Pub. Victor in 13. regione vrbis, & Plutarchus in vita ipsius Camilli.

c *Sextricium.*] Plutarchus in vita Galbæ, its enim reperitur in Latina traductione. In Græcis tamen Codicibus *σεσσώριον* scribitur.

d *Alba quoque.*] Strabo lib. 5. Et superioribus adde apud Cretenses carcerem fuisse Labyrinthum nomine, qui nihil aliud incommodi haberet, nisi quòd ex eo effugere qui asseruarentur non possent, vt Philocori authoritate tradit Plutarc. in Theseo. Apud antiquos autem vna è ianuis carceris Charon appellabatur, vnde prouerbium, *χαρώνειος θύρα*. Apud Zenodotum in Collectaneis, Hesychium, & Suidam, de quo Erasmus chil. 2. cent. 8. cap. 210. Sed & adde Spoliarium à quibusdam vocari locum in quo noxij necabantur. Seneca lib. epistol. ad Lucilium 14. Nunquid, ait, aliquem tam cupidum vitæ esse putas, vt iugulari in Spoliario quàm in arena malit? Lampridius item in vita Commodi. Fortè its dictum quòd ibi vita spoliabantur, siue quòd ibi spoliati laniarentur. Alias autem dicitur spoliarium locus vbi spolia ciuium vel hostium reseruarentur, eadem forma qua dicimus armarium. Plinius in Panegyrico. Quàm iuuat cernere ærarium silens & quietum, & quale ante delatores erat, nunc templum illud (de templo enim Saturni in quo ærarium seruabatur) nunc verè Deus, nó spoliarium ciuium, cruentarúmque prædarum sæuum receptaculum.

e *De Metio Suffetio.*] Dionysius Halicarn. lib. 3. Liuius 1. Decad. li. 1. vbi dicit primùm vltimúmque illud supplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuisse. Alexarchus lib. 3. rerum Italicarum. & ab eo Plutarchus paral. lib. 1. c. 14. Plinius Secundus, aut quisquis est de viris Illustr. c. 4. in fi. Gellius lib. 20. c. 1. in fi. Paulus Orosius lib. 2. c. 5. Ex poetis Virgilius lib. 8. Æneidos.

Non procul inde cita Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant.

Et ibi Seruius.
Et Claudianus in bello Gildonico.

Etsi non cupidis essem præreptus ab astris
Exemplum sequerer Tulli, laniandaque duris
Impia diuersis aptarem membra quadrigis.

f *Quin etiam mulcta pecuniaria.*] Liuius 1. Decad. lib. 4.

g *Quibus maxima erat.*] Hæc vsque ad vers. Sæpius verò Romani &c. sunt Dionysij Halicarn. lib. 10. Festi Pompeij lib. 11. vbi de mulcta loquitur, & Seruij in 3. Geog. Virgilij in eum locum,

Continuoque greges villis lege mollibus albos.

Vide item nostras consuetudines, & Gellij lib. 11. cap. 1. Et ipsius Dionysij Halicar. lib. 9. vbi dicit Menenium Agrippæ Menenij filium ob parum feliciter administratum Imperium damnatum fuisse in duo millia æreorum assium, & subiungit id nummisma librale fuisse, vt tota mulcta sedecim talenta æris conficeret. Inuidiosum hoc visum eo sæculo, ac proinde mitigatum fuisse abrogatis mulctis pecuniariis, & translatis ad boues pecoráque taxato numero, vltrà quem non liceret magistratui à priuatis mulctam exigere.

h *Sæpius verò Romani.*] Seruius vbi suprà, & in eum locum 1. Æneid.

— Simul Diuûm templis indicit honorem.

i *Cautumque fuit.*] Plinius lib. 18. c. 3.

k *Apud Athenienses.*] Plut. in Demosthenem.

l *Quam semel illatam.*] Idem eod. loco.

m *Licet pœnas.*] Iure nostro id certè non licet. Vide tamen Gellium lib. 20. c. 1.

n *Platonis exemplo.*] In libris de Republica.

o *Germanis quoque homicidium.*] Tacitus in lib. de moribus Germanorum. Leuioribus, inquit, delictis, pro modo pœnarum, equorum, pecorumque minorum conuicti mulctantur, pars mulctæ Regi vel ciuitati, pars ipsi qui vindicatur, vel propinquis eius exoluitur.

p *In Metallum.*] §. 1. versus capitalia. Institutionib. de publi. iudi.

q *Relegare.*] De qua pœna in §. cum autem. Instit. quib. mod. ius patr. pot. sol. vbi videbis quid intersit inter deportationem & relegationem. Et vide etiam per totum tit. ff. de interd. & releg.

r *Aut aqua & igni interdicere.*] d. vers. Capitalia, & l. 1. in fi. ff. de bono. poss. contra tab. Et hac quidem pœna punitam fuisse Lepidam suppositi partus, adulterij, ac veneficij conuictam tradit Tacitus lib. 3. Annalium, & Antistium veterem, Clutorium priscum. Et de hac pœna est illud Ouidij lib. 4. Fastor.

Iunxerunt elementa patres, aptumque putarunt
Ignibus & sparsa tingere corpus aqua.
An quod in his vitæ causa est? hæc perdidit exul.

s *Seu ad bestias damnare.*] Vide l. penult. ff. de pœn. alias de pub. iudic.

t *Illis enim aqua.*] Cuiusmodi pœna irrogata est.

u Qui

Ad auri. fodinas & lapicidinas c ndemnati. Parricidij pœna commissa Rom.

cioſi & immanes, qui ob multiplicia crimina defectionéſque, indigni venia fuere: quibus in theatro, vt cum immaniſſimis belluis d pugnarent, negotium datum eſt: [u] qui beſtiarij dicti. Nonnunquam ob crimen damnatos, [x] auro effodiendo aut lapidicinis [y] veteres deſtinabant, vt vincti opus facerent perpetuo, vel præfiniro. [z] Illi verò qui flagitiis, vel tam efferis moribus cooperti fuere, quique eam capitalem noxam auſi, vt his legum vulgaris pœna non ſatis foret, vel [a] ad beſtias damnabantur, vel exquiſitis tormentorum ſupplicijs, & vltimis cruciatibus puniebantur. [b] M. Maleolus, matre interempta, Romanorum primus parricidij damnatos, inſutus culeo, in mare præcipitatus fuit. [c] L. deinde Hoſtius, poſt ſecundum Punicum bellum, parricidij inſimulatus, pari ſupplicio necatus & concruciatus, pœnas dedit. [d] Manſitque hæc pœna in parricidas ad hæc tempora. culeo enim gallus gallinaceus, ſimia, & vipera cum homine inſuitur, & in flumen vel mare detrudirur: vt in rixa infenſorum animalium, & fœda laceratione corporis, ob tanti ſceleris immanitatem diro cruciatus volnere interimatur: vtque ab omni elemento repudiatum cadauer, irrequieto labore & perpetuis fluctibus agitetur. [e] Ægyptij adeò parricidas inſectati ſunt, vt eos per ſingula membra acutis calamis impeterent, mox minutiſſimis ictibus conſauciatos, ſuper ſpinarum aceruos comburerent. [f] Si verò pater filium occidiſſet, vt continuo triduo circa defuncti corpus genitor aſſiduus filij ſpectator eſſet, ſanciuerunt: nulla iuſtiore pœna, quàm facinoris conſcientia ipſum puniri arbitrati. [g] Luſitani parricidas finibus eiectos ſaxis opprimunt. [h] Perſæ patris occiſorem nothum putant. [i] Iulius verò Cæſar præter præſcriptas legibus pœnas parricidas bonorum omnium damno mulctauit. [k] Solon [l] & Romulus nullam in parricidas ſtatuère pœnam, quòd neminem tam nefarium & conſceleratum æſtimarent, qui tantum facinoris admitteret. Apud Græcos pœna in ſacrilegos ſtatuta fuit ſeueriſſima, vt præcipitati vel immerſi aut combuſti pœnas darent: [m] Macedones verò parricidas & maieſtatis reos, qui in principem aliquid moliti eſſent, obruunt ſaxis, [n] nec modo facinoris reos, ſed omnium ſunt deuota capita, qui illos quouis gradu contigiſſent. [o] Quod ſi quis in rempub. hoſtilia molitus eſſet, vetus erat mos, vt furca ceruici inſerta, nudum per compita & vicos ducerent, virgíſque ad necem cæderent, [p] mox de ſaxo præcipitem agerent, aut vnco tractum in Gemonias deiicerent. Apud exteros autem in animad-

Ægyptij. Vt pater filium occidiſſet. Luſitani. Perſæ. In facinoroſ. Græci. Macedones. Qui in Rempub. hoſtilia moliti eſſent. Exteros.

ANNOTATIONES.

u *Qui beſtiarij dicti.*] Cicero in Epiſtola ad Q. Fratrem lib. 2. epiſtol. 6. Nam ille vindex gladiatorum & beſtiariorum emerat à Conſconio & Pompeio beſtiarios. & in Orat. pro Sextio. Præclara ædilitas, vnus leo, ducenti beſtiarij &c. Seneca epiſt. lib. 10. Nuper in ludo beſtiariorum vnus ex Germanis cùm ad matutina ſpectacula pararetur, ſeceſſit ad exonerandum corpus &c. Suetonius in Claudio, cap. 34. Beſtiariis, meridianiſque adeo delectabatur, vt iam prima luce ad ſpectaculum deſcenderet. vide Beroaldum. Tertullianus in Apologetico tradit morem eſſe beſtiariis, vt in ſupremam cœnam cœnantes liberalius epulentur.

x *Auro effodiendo.*] Vide apud Iuriſconſ. tit. de pœnis. & C. de metall.

y *Aut lapidicinis.*] Varro lib. 4. de lingua Latina. Vocantur latomiæ, & de latomia tranſlatum, quòd hîc quoque in eo loco lapidicinæ fuerunt. Ibi autem loquitur de carcere. Plautus in Capt.

In lapidicinis facite deductus fiet.

z *Illi verò.*] Id probat examplis ſequentibus.

a *Ad beſtias damnabantur.*] De hoc ſupra dictum eſt.

b *M. Maleolus.*] Lucius Florus epitome Liuij l. 68. vbi non prænomen M. ſed P. tribuit. Paulus Oroſius eum Publicium Maleolum vocat lib. 5. c. 16. in princ.

c *L. deinde Hoſtius.*] Errat hîc Alexander in tempore, & in modo pœnæ. Nam hic Hoſtius omnium primus apud Romanos poſt Annibalis bellum, ſexcentis poſt annis ab vrbe condita patrem interemit, vt ſcribit Plutarchus in vita Romuli, nec tamen hanc pœnam paſſus, vtpote nondum reperſam, ſed primus omnium ea punitus fuit ille Maleolus longo pòſt tempore, ſcilicet poſt bellum Cimbricum & Marij victoriam, vt videre eſt ex Floro & Oroſio vbi ſuprà.

d *Manſitque hæc pœna.*] Vt videbis in l. 1. & l. vlt. ff. de pœn. & l. 1. C. eod. tit. & §. alia. Inſtit. de publ. iudi. Et hinc illud Iuuenalis de Nerone, qui matrem occiderat ſaty. 6.

Cuius ſupplicio non debuit vna parari
Simia, nec ſerpens vnus, nec culeus vnus.

Et ruſum ſaty. 13.

Et deducendum corio bouis in mare, cùm quo
Clauditur aduerſis innoxia ſimia fatis.

Cicero autem, ſi is eſt, Rhetoricorum ad Herennium lib. 1. Lex eſt, qui parentem necaſſe iudicatus erit, vt is obuolutus & obligatus corio deuehatur in fluentem. & in Orat. pro Roſcio Amerino, vt optet vtrum malit, ceruices Roſcio dare, an inſutus in culeum ſupplicium parricidarum per ſummum dedecus vitam amittere. Et Apuleius lib. 10. Meta. de quopiam qui fratrem veneno interemiſſe dicebatur. Nec quiſquam, inquit, Decurionum tam æquus remanſerat iuueni, qui eum euidenter noxæ compertum inſui culeo pronunciaret. Vide catalogum legum antiquarum folio 118. pag. paruo rubeo qui eſt in 16. Et de hac pœna Ouidius libro 8. Metam. loquens de Scylla, quæ Niſum patrem detracto illi capillo purpureo occidendum Minoi præbuerat.

Dij te ſubmoueant ô noſtri infamia ſecli,
Orbe ſuo, telluſque tibi, pontuſque negetur.

e *Ægyptij adeò.*] Diodorus Siculus lib. 2. c. 3.

f *Si verò pater.*] Idem author vbi ſuprà.

g *Luſitani.*] Strabo lib. 3.

h *Perſæ.*] Herodotus lib. 1. & Nicolaus περὶ ἐθῶν. Cuius hæc verba ſunt apud Stobæum. cap. 42. ἐὰν δέ τις πατέρα κτείνῃ, νομίζεσθαι αὐτὸν ὑποβολιμαῖον.

i *Iulius verò Cæſar.*] Sueton. in vita illius c. 42.

k *Solon.*] Plutarchus in vita illius, item Laërtius, & Paulus Oroſius lib. 5. c. 16.

l *Romulus.*] Plutarchus in vita illius, & Cicero in Orat. pro S. Roſcio, & Paulus Oroſius vbi ſupra. Aliam autem videbis ſacrilegii pœnam infrà. Sed quibus addes ex communi Græcorum lege, Sacrilegos inſepultos abiici ſolere, teſte Diodoro Siculo lib. 16. ca. 6. quòd & nos alibi diximus. Legem quoque eſſe Declamatorum. Sacrilego manus præcidatur, apud Senecam decla. 8. decla. 2.

m *Macedones.*] Q. Curtius lib. 6.

n *Nec modo facinoris reos.*] Ibi, non multo poſt, & iterum lib. 8. non ſemel, ſed in poſtremo loco ſcribit Alexandrum hunc morem ſoluiſſe.

o *Quòd ſi quis in rempub.*] Vide Suetonium in Vitello, cap. 17. & vide ibi interpretem.

p *Mox de ſaxo.*] Sic enim punitum fuiſſe Manlium Capitolinum ſupra diximus, & Sex. Marium quòd filiam inceſtaſſet, ſcribit Tacitus. lib. 5.

q Tacit.

uertendis facinoribus dispares mores ritusque fuere. Nam quos Areopagitæ capitis agebant, [q] tacentes ipsi & nulla truci oratione aut efferati odio sententiis afficiebant: ipsique litium controuersias [r] noctu & obscura luce, nunquam die iudicabant, vt procul ab omni affectu, qui animos in diuersum agit, tantummodo facta cognoscerent, personas non viderent. [s] Quare Thebani vt incorruptam iustitiam signarent, nec variari gratia, iudicum imagines sine manibus: principis verò, sine oculis in foro proposuere: vt signis ostenderent, iudices affectibus capi non oportere, [t] causâque definita, damnatos vndecim viris pœnis afficiendos tradebãt: [u] quibus publica pœna frequens, cicuta erat, aut venenum. Is verò [x] Areopagus, Athenis vicus cum Templo Martis, in quo primum capitis iudicium latum fuisse dicitur. [y] Apud quos fuit lege cautum, vt qui causam dicit, nec proœmio vteretur, nec ad miserationem aut inuidiam adducar: quippe mouere affectus per præconem prohibebatur orator, ne cui plus in misericordia, quàm in causa spei esset. Bithynis è conspectu Solis tribunal erat, quòd illum tanquam sacrosanctum, causæ diiudicandæ præesse dicerent. Apud Babylonios vbi reges iura dabant, quaruot aues è tecti culmine pendere dicunt: quæ fortunæ varietatem & ne se supra hominem efferret, admonerent. [z] Cambyses verò in sede vbi iudex per sordes iniustè iudicarat, ipsius detractum corium in lora concidit, & tribunal ornauit. [a] Fertur Darius Sandocem Acolidis præfectum, quòd pecunia corruptus iniustè iudicarat, cruce affecisse. Nero [b] quoque edicto cauit, ne patroni causarum mercede aut muneribus patrociniis adesset. [c] Tantique Areopagus fuit, vt Heroas & semideos illuc in iudicium aduocatos dicerent, & [d] Pisistratus in eo iudicium subire non dubitarit. [e] Qui post aliquot ætates quum propter continuas clades & belli mala ferè destitutus esset, Cimon Atheniensis in pristinum illum splendorem lucémque restituit. [f] Lacedæmonij quoque, quos mortis supplicio dignos putarunt, noctu, non die plectere consueuerunt. [g] Causas verò iudices occlusi, neminem videntes, ex clamore concionis iudicabant. Quod æquè apud Romanos ferè comperimus, quibus ante horam decimam de absente iudicate ius non erat, neque intra trigesimum diem sortiri dicam, quod lege Rupilia vetabatur. Tametsi noctu sumere suppliciũ de nocente non liceret, quia nota esse supplicia ad aliorum emendationem publicè censuere, [h] Macedonibus saxis opprimere delinquentem antiqui

Areopagitæ. *Iudicum & principis imago apud Thebanos.* *Areopagum.* *Bithyni. Babylonij.* *Animaduersio in corruptos iudices.* *Areopagi æstimatio.* *Lacedæmonij noctu sontes plectebant.* *Romanorum consuetudo.* *Macedones.*

ANNOTATIONES.

q *Tacentes ipsi.*] Macrobius lib. 7. Saturn. c. 7. apud Athenas, inquit, Atticas Areopagitæ tacentes iudicant. Hincque illud Iuuenalis Satyr. 12.

Commissãue teges vt curia Martis Athenis.

Nam curia Martis idem est quòd Areopagus, vt paulò post dicemus.

r *Noctu & obscura luce.*] Quod ipsum tradit Lucianus in Hermotino. ὡς ἐν νυκτὶ καὶ σκότῳ δικάζουσιν, ὡς μηδὲ εἰς τοὺς λέγοντας, ἀλλ' εἰς τὰ λεγόμενα ἀποβλέποιεν. id est: Qui nocte & obscuro iudicant, vt non ad dicentes, sed ad ea quæ dicerentur respicerent.

s *Quare Thebani.*] Plutarchus in libr. de Iside, cuius in eam rem hæc verba sunt, ἐν δὲ Θήβαις εἰκόνες ἦσαν ἀνακείμεναι δικαστῶν ἄχειρες, ἡ δὲ τοῦ ἀρχιδικαστοῦ μύουσα τοῖς ὄμμασιν, ὡς ἄδωρον ἅμα τὴν δικαιοσύνην καὶ ἀνέντευκτον οὖσαν. Id est: Apud Thebas iudicum imagines visuntur sine manibus, & principi oculi conniuent, ob id quòd iustitia, nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. Ante hunc Diodorus Siculus loquens de Thebis Ægyptiis, lib. 2. c. 1. In ea, inquit, statuæ ligneæ positæ haud paruo numero repræsentantes tum eos qui de re dubia disceptarent, tum respicientes eos qui in iudiciis sententias ferrent. Hi ab vna muri parte sculpti, triginta numero erant, & in medio iudicandi princeps, cuius à collo suspensa veritas penderet, & oculis esset subclausis, librorum cumulo circumstante. Hæ imagines præ se ferebant iudices integros esse debere, Pretorem solam inspicere veritatem.

t *Causâque definita.*] Ad Areopagitas siue Athenienses refertur (puto Areopagitas) quibus vndecim viri, &c.

u *Quibus publica pœna.*] Scilicet ipsis Atheniensibus, ex Plinio libr. 25. cap. 13. Laërtio in Socrate, & plerisque omnibus.

x *Is verò Areopagus.*] Nam Areopagus peræque est, ac si dicas, Martis Cliuus, siue pagus aut curia, ἄρης enim Mars est, πάγος locus eminens. Pausanias autem lib. 1. dicit Areopagum inde nomen accepisse, quòd ibi ab initio Mars capitis causam dixerit.

y *Apud quos.*] Apuleius lib. 10. Metam. Tunc demum clamatus, ait, introducitur reus, & exemplo legis Atticæ, Martiique Iudicij causæ patronis denunciat præco, neque principia dicere, neque miserationem cõmouere Martium enim Iudicium est Areopagus, vt ex his patet quæ diximus. Et ante illum Quintilianus libr. 2. c. 17. Eóque, inquit, & Lacedæmoniorum ciuitate expulsam eloquentiam, & Athenis quoque vbi actor mouere affectus vetabatur. Et lib. 6 c. 1. Id sensisse Atticos credo, quia Athenis affectus mouere etiam perpræconem prohibebatur orator. Et Pausanias lib. 1. cap. 22. Cuius verba in Latinum versa hæc sunt. Vbi Hyperides oraret pro Phryne, nihilque se proficere intelligeret, quia clarissimum videbatur, quod iudices in eam calculos essent daturi, eam lo medium adducens vestes lacerauit illius, pectúsque nudum ostendit, postea cùm epilogi commiserationem ex aspectu orauit: ita vt omnes iudices in Hypophetis & Zachori superstitionem induxerit. Et cùm dimissa hæc fuisset, lex postea lata est, ne quispiam dum diceretur, de aliquo misereatur, aut accusatum accusatamve aspiciens iudicaret.

z *Cambyses verò.*] Herodotus lib. 5. & Valerius Maximus lib. 6. cap. 3.

a *Fertur Darius.*] Herodotus libr. 7. vbi tamen subdit eum in crucem suspensum soluisse, reputantem plura peccaris beneficia ab eo fuisse in domum regiam collata. Sed & ll. 12. tab. Iudicem arbitrúmve, qui ob rem iudicatam pecuniam accepisse esset conuictus, capite puniuerunt, vt tradit Gell. lib. 20. cap. 1.

b *Nero.*] Suetonius in eius vita. ca. 17. Et vide quæ scripsimus in nostris Commentariis Nobilitat.

c *Tantique Areopagus fuit.*] Imo Deos ipsos, vt patet ex iis quæ suprà diximus in verbo, Is verò Areopagus.

d *Et Pisistratus.*] Plutarchus in Solone, vbi tradit ipsum Pisistratum cædis in Areopagum accersitum modestè & temperatè in ius venisse, vt se defenderet.

e *Qui post aliquot ætates.*] Plutarchus in Cimone.

f *Lacedæmonij quoque.*] Herodot. lib. 4. Quoscunque, inquit, Lacedæmonij morte plectendos censent, eos noctu plectunt, interdiu neminem. Et Valerius Max. libr. 4. c. 6. in fin. vide Polyenum lib. 7 Stratagematum.

g *Causas verò iudices occlusi.*] Hoc iam dictum est de Atheniensibus, de quibus forsan hæc intelligit.

h *Macedonibus.*] Q. Curtius.

Homicidã apud Memphitas in Meroe rex supplicio affecti apud Ægyptios. Æthiopes.

moris erat. Apud Memphitas homicidij reos, ab oppidis & commercio hominum exterminabatur: donec à Gymnosophistis expiatus in patrium solum & lares proprios restitui merebatur. In [i] Meroe verò si quid rex deliquit, nulla afficitur pœna, sed conctis auersantibus, & quotidianum congressum negantibus, mœrore & tabe conficitur, [k] Ægyptiis fuit in more, vt hi de quibus sumendum erat supplicium, ceruices fune ionixas tenerent, & freoata ora, vt eo iosigni pœnas luituri notarentur: [l] pridiéque quàm darentur neci, munuscula & cœnã ex regis mensa acciperent. Quem vsum [m] Cæsarum temporibus inualuisse legimus, vt quos morte afficere volebant, illis exquisita obsonia, & partem cœnæ mitterent. Si verò indicta causa supplicium sumẽdum foret, tradito libello, supplicium cædémque demandarent, vt hoc imperatę necis prętextus & signum foret. [n] Æthiopum traditur mos, vt delinquentes aureis catenis vinciant, & quos [o] morti destinassent, per lictorem signum mortis illis rex mitteret: ipsíque accepto signo, protinus mortem sibi consciscerent eo genere lethi, quod quisque delegerat: quod apud Romanos quandoque inoleuit, vt in capitis iudicio. per [p] θ seu κ in vrnã coniectas literas, signum mortis & capitis supplicio afficiendum notarent: per τ & α, absolutionis, per λ verò & ν, prolationis, & diem diffundi, quum parum sibi liquere de causa significarent, quæ ampliationis tabella dicta est. Z [q] quoque in sortibus inauspicata fuit, & mali euentus. [r] Nonnulli in nomenclatura militum per τ superstites, per θ defunctos in acie tribunos annotare prodiderunt. [s] Alij calculo cretæ, absolutionis: carbone verò, condemnationis symbolum indicarunt: tametsi iudi-

Z in sortibus. Per cretam & carbonẽ.

ANNOTATIONES.

i *In Meroẽ verò.*] Id non in Meroẽ, sed in Taprobane ex Plinio lib.6.cap 22. Solino c. 66. aut aliorum computatione 56. & Martianus Capella li 6. Hic autem author noster, non hîc tantum sed & alibi. Meroem pro Taprobane posuit, cum tamen sint diuersæ insulæ.

k *Ægyptiis fuit in more.*] Vide Plutarchum in Cleomene.

l *Pridiéque quàm darentur.*] Plutarchus in vita Cleomenis.

m *Cæsarum temporibus.*] Suetonius in Domitiano c. 11. Authorem summarum pridie quàm crucifigeret, in cubiculum vocauit: assidere in toro iuxta coegit, securum hilarémque dimisit, partibus etiam de cœna dignatus est.

n *Æthiopum traditur mos.*] Pomponius Mela lib.3.c.10. de illis loquens. Apud hos plus auri quàm Persis est. Ideo quod minus est, pretiosius censent. Ære exornantur, auro vincula sontium fabricant. Solinus c.33. de Marobiis loquens, qui & ipsi Æthiopes sunt. Ornantur, inquit, ære, auro vincula faciunt noxiorum.

o *Et quos morti destinassent.*] Diodorus Siculus lib.4. c.1. de ipsis Æthiopibus loquens: Mos est illis, inquit, neminem subditum etiam damnatum morte punire: sed quidam ex lictoribus præferens mortis signum ad reum mittitur, quo accepto, reus domum abiens sibi mortem consciscit.

p *Per θ.*] Persius satyr.4.

Et potis es vitio nigrum præfigere theta.

Et Martialis lib.7.epig.36.ad Castricum,

Nosti mortiferum quæstoris Castrice signum,
Est operæ precium discere theta nouum.

Ex quo etiam est illud Ausonij in Pædagogum liguritorem, carmine Choriambico,

Misselle doctor κ tibi sit obscœno,
Tuúmque nomen theta sectilis signet.

At Asconius Pedianus in 3.in Verrem actio. scribit, vt nonnulli legunt, θ notam fuisse condemnationis. T. absolutionis. N.L: ampliationis, quo significabatur non liquere. Verùm in Codicibus quos hactenus vidimus, scribitur A fuisse notam absolutionis, C. condemnationis. Id quòd voluit dicere noster author hic in verbis sequentibus, cum dicit (seu κ.) Nam κ Græcorum, est C. Latinorum. Sed siue θ siue κ signum condemnationis fuerit, Tullius in Orat. pro Milone vtramuis tristẽ vocat, & T. siue A salutarem, Liuius autem illam tristiorem. Porro apud Hebræos litera Thau signum erat saluationis, vt patet Ezech.c.9. Signa Thau super frontes virorum gementium, &c. Et paulò post, Omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis, vbi D. Hieronymus eius rei rationem reddit. De quo & eundem vide c.59. eodémque vlt. Nec omiserim Iurisconsultum Vlpianum, sine vlla nota, sed extensis literis in illa ampliatione dequa ex Pediano locuti sumus vsum fuisse. In l. idem Pomponius, ff. de arbitr. proinde si fortè vrgetur à Prætore ad sententiam, æquissimum erit, si iuret sibi de causa nondum liquere, spatium ei ad pronunciandum dari & Paulus in l. Pomponius, ff. de re iudic. Si vni ex pluribus iudicibus de liberali causa cognoscenti, si is iurauerit sibi non liquere, &c. Et Cicero pro Aulo Cluentio Habito. Deinde homines sapientes ex veteri illa disciplina iudiciorum, qui neque absoluere hominem nocentissimum possent, neque eum de quo esset orta suspicio, pecunia oppugnatum, re illa cognita primò condemnare vellent, non liquere dixerunt. Et rursus, Eorum verò qui non liquere dixerunt, sapientiam laudo, qui absoluere eum quem nocentissimum cognorant. & quem ipsi iam bis antea condemnarant, nullo modo poterant condemnare, cùm tanta consilij infamia, & tam atrocis rei suspicio esset iniecta, paulò posterius patefacta re maluerunt.

q *Z. quoque in sortibus.*] Suidas authoritate Menandri ex Mesonia. At Martianus Capella in nuptiis Philologiæ & Mercurij, scribit hanc litteram inuisam fuisse Appio Claudio, quòd dentes mortui dum exprimitur, imitetur.

r *Nonnulli.*] Videlicet Isidorus lib.1. Ætymol.

s *Alij calculo cretæ.*] Horatius lib.2.ser.saty.3.

Quorsum habeam sani? an creta, an carbone notandi?

Et Persius satyr. 5.

Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.

Vbi vide interpretes. Hincque etiam illud Ouidij libr. 15. Metam.

Mos erat antiquis, niueis atrísque lapillis
His damnare reos, illis absoluere culpa.

Antiqui enim per cretam album & candidum significant, vt per carbonem atrum & nigrum. Ex quo creata ambitio candidatorum Persio sat.5.

Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio, &c.

Et cretatus bos, pro albo. Iuuenalis saty. 10.

Duc in Capitolia magnum
Cretatumque bouem, ——

Et cretata Mappa pro alba. Martialis libr. 12. epigram. 29.

Cretatam prætor cùm vellet mittere mappam,
Prætori mappam surripit Hermogenes.

Huc quoque pertinet quod de Alcibiade scribit Plutarchus tum in vita, tum in Apophthegm. illius quòd cùm ad iudicium capitale ab Atheniensibus è Sicilia vocaretur, seipsum abscondit, quòd diceret eum stultum esse, qui accusatus, cùm liceat fugere, quærat absolui & liberari. Et cùm quidam dixisset. Non credis patriæ de te ipso iudicium? Ego quidem, ait, ne matri quidem, ne fortè ignorans pro calculo albo nigrum feras. Denique Aristoteles Problem. tradit

hunc

ces [t] Romæ per tabellas plerunque ferre iudicia inueniamus, [u] quæ semel definita reuocare non licebat. [x] Apud Græcos autem, alba faba in sortibus auspicata fuit, & boni euentus: nigra verò mali. [y] Lusitani destinatos neci lapidibus obruunt. Nonnullæ circa [z] Causacum gentes, etiam pro criminibus maximis, nullum morte afficiunt, sed exilio mulctant, vrbéque & agro exterminant: quod in Seripho insula fieri adnotatum est. [a] Apud Indos qui maximi criminis reus agitur, hanc luit noxam, vt à rege tonderi iubeatur, qua pœna nulla insignior fuit, sicut Hebræis vino abstinere, maxima censebatur mulcta: fuitque [b] Atheniensibus quandoque lege sancitum, vt qui maximi criminis reus agitur, si fateretur admissum, impunitate donaretur. [c] Atque [T]rallianis, vt qui Minyam aut Lelegem occidisset, si leguminis modium defuncti cognatis exoluisset, è cæde expiatus foret. [d] Alij pro leui excessu mortis pœnam inferebant. Quare occidisse [e] ciconiam in Thessalia [f] aut ibim, vel accipitrem in Ægypto, capitale fuit. In [g] Cyrenaica lex erat, vt desertoris pœna teneretur, qui ingentem vim locustarum, aut earum fœtus non debellaret. Nam plerunque illarum tanta exoritur vis, vt quicquid herbidum est, absumant. Vaccæis quoque si quis vel minimũ ex alterius agro eripuisset, capite luebat: sicut [h] Phrygibus rastrum aut vomerẽ subtrahere. [i] Et Indis qui vectigal furatus esset, capite plectebatur: [k] Derbices quoque Persarum gens, in rebus diiudicandis adeò seuerissimi fuere, vt pro nimis sæpe causis iugularent: apud quos fœda supplicia & inhumana delinquentibus sunt dari solita, præsertim supplicij genus quod [l] dis[p]heodomena vocant. vt proceris curuatis arboribus, & criminoso in deflexis cacuminibus alligato, illis repente laxatis, lacerum corpus in diuersa distraherent. [m] Aliúdque non minus calamitosum & vltimum humanorum, vt duabus scaphis fabrefactis. ibíq; homine occluso, ita vt manus & caput extarent, tetro odore, & immunda tabe, ac longo cruciatu hominem conficerent. Apud Græcos quoque innoxios sæpè fædè sæuitum est. [n] Nam ignis & rota, nouissima

Græci per fabã albam & nigram. Lusitani. Seriphij. Indi. Hebræi. Athenienses. Tralliani. Ob leue crimen capitis supplicia. Cyrenaici. Vaccæi. Phryges. Indi. Derbices. Disphendomena. Græci.

ANNOTATIONES.

hunc morem fuisse, vt reos albis calculis absoluerent, nigris condemnarent. Et vide infrà lib.4.c.20.

t *Roma per tabellas*]Id quoque videre licet ex Cicerone in 1. in Verrem act. & ibi Asconio Pediano. & iterum act.4. & 6. De quo vos sententiam per tabellam fertis, & alibi sæpe, & Suetonio in Augusto, cap.33. non tantùm duas tabellas damnatoriam & absolutoriam simul cognoscentibus dedit, sed tertiam quoque, &c. Et Propertio lib.4. eleg.12. eodémque vlt.

Mi natura dedit leges, à sanguine ductas
Nec possum melius Iudicis esse metu.
Qualibet austeras de me ferat vrna tabellas,
Turpior assensu non erit vlla meo.

u *Quæ semel definita.*]Apuleius lib 10. Asini aurei. Cum iam sententiæ pares cunctorum stilis ad vnum sermonem congruentibus ex more perpetuo in vrnam æream deberent coniici, quo semel conditis calculis iam cum rei fortuna transacta. nihil postea commutari licebat, sed mancipabatur potestas capitis in manum carnificis. Vide & apud Dionysium Halicarnassæum. Cum Martianus Coriolanus exilio perpetuo mulctatus fuisset resistente senatu, tamen cùm postea Tribuni parati essent de mutanda mulcta referre ad populum, Patricij noluerunt quicquam de re semel iudicata mutari. Et nostris legibus sententiam definitiuam reuocare non licet. l. quod iussit. ff. de re iudic.

x *Apud Græcos autem.*]Plutarc. in Pericle.

y *Lusitani.*]Strabo lib 3.

z *Circa Causacum.*]Idem lib.11.

a *Apud Indos.*]Nicolaus περὶ ἐθῶν, cuius in eam rem hæc verba sunt: τὸν τὰ μέγιστα ἀδικήσαντα, ὁ βασιλεὺς κελεύει κείρασθαι, ἐσχάτης οὔσης ταύτης ἀτιμίας, quæ à Stobæo repetita sunt Collectaneorum serm. 42. Et Isidorus Etymologiarum lib. 1.

b *Fuitque Atheniensibus.*]Plutarchus in Alcibiade, vbi scribit eius legis perfugio Andocidem qui Mercurij statuam fregerat, liberatum esse. Et vide nostrum tractatum in & quibus ex causis pœnæ temperatæ sint in 30. causa.

c *Atque Trallianis.*]Plutarchus probl. c 159.

d *Alij pro leui.*]Vt constat ex sequentibus.

e *Ciconiam in Thessalia.*]Aristoteles, si is est, lib. Mirabilium auscultationum c.23. & Plinius lib.10.c.23.

f *Aut ibim, vel accipitrem.*]Herodotus lib.2. Diodorus Siculus lib.2.cap.4. Quanto autem in honore essent apud Ægyptios accipitres, videre est apud Ælianum lib. de Animal.7. cap.9.

g *In Cyrenaica.*]Plinius lib.11.c.29.

h *Sicut Phrygibus.*]Nicolaus περὶ ἐθῶν. & ex eo Stobæus c. 42. vbi addunt & bouem aratorem.

i *Et Indis.*] Strabo libr.15. An autem nostris legibus liceat fraudare vectigal, & qua pœna qui id fecerint puniendi sunt, vide eos quos tibi longo ordine recensuimus in nostris Commentariis vtriusque retractus cap. 1. in præfatione num.18.

k *Derbices.*] Strabo lib. 11.

l *Disphendomena vocant.*]Lege Diasphendomenem ex Plutarcho in Alexandro, vbi tradit Bessum qui Darium interfecerat, ita ab Alexãdro pecatum, vt proceris in vnum curuatis arboribus, cum vtrisque corporis Bessi partes fuissent alligatæ, eas tanto impetu remissas, vt laniata passim membra disiecerint. Eius enim in eam rem hæc verba sunt: ἀπερείδοντες ὀρθίων δένδρων εἰς ταυτὸ καμφθέντων, ἑκατέρῳ μέρος περιαρτήσαντες τοῦ σώματος, εἶτα μεθεὶς ἑκάτερον ὡς ὥρμητο ῥύμῃ φερόμενον τὸ προσῆκον αὐτῷ μέρος τείνασθαι.

m *Aliudque non minus.*]Idem Plutarchus in Artaxerxe, vbi tradit Mithridatem quempiam ea pœna affectum fuisse.

n *Nam ignis & rota.*] Hæ erant apud Græcos tormentorum species. Apuleius lib.5. Meta. & res ad hoc deducta est, vt per quęstionem sceleris sui participes iudicet. vt tam diræ factionis formido funditus perimatur. Nec mora cum ritu Græciensi ignis & rota tum omne flagitiorum genus inferuntur. & lib.10. Nec rota vel aculeus more Græcorum tormentis eius apparatu iam deerant, sed obfirmatus mira præsumptione, nullis verberibus. ac ne ipsi quidem igni. Et de rota quoque est illud Iuuenalis saty.13.

Nec rota, nec furia, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna, &c.

Vbi vide interpretes. Et Ammianus Marcellinus lib.21. Alij, inquit, rotarum pœna consumpti sunt. Hæc pœna Græcis τροχὸς dicitur, quo scilicet serui rotis illigati flagris verberabãtur. Aristophanes ἐπὶ τροχοῦ γ᾽ ἕλκοιτο μαστιγούμενος. Id est, in rota trahatur flagellandus. idem & alibi. ἐπὶ τοῦ τροχοῦ στρεβλούμενον δεῖ σ᾽ εἰπεῖν ἃ πεπανούργηκας. id est, oportet te rota extortum flagitia tua profiteri. Cuius loci authoritate, Suidas rotam ponit pro fidiculis aut aculeo quo sontes extensi in quæstione habebãtur. τροχός, ait ὄργανον βασανιστικὸν καὶ διατεῖνον τὰ σώματα, &c. Cuiusmodi autem fuerit id ignis tormentum, vix possum dicere, nisi de tunica illa molesta intelligatur, de qua & nos infrà eodem ca. dicemus. Scio autem pœnam ignis, vt scilicet noxius igni tradatur cremandus, quibusdam nostris ll. irrogari.

Leges Draconis sæuissima Atheniensium. *Druidæ & Cerceter.* *Æthiopes elephantini.* *Ophiusa herba.* *Venefici in Perside.* *Sabatus.* *Mezentius.* *Ro. ciuis prærogatiuum.* *Diem dicere aliis quibus concessum.* *Reorum sordes.*

fuere exempla, & frequens supplicium noxiorum. [o] Leges etiam Draconis tam seueræ disciplinæ fuere, vt pro leuissimis causis, mortis pœna m inferrent. [p] Quare verbum Demadis proditur, Draconem non atramento scripsisse leges Lacedæmoniis, sed sanguine: [q] qua seueritate tantum contraxit inuidiæ, vt in theatro apud Æginam, populari tumultu omnium conspiratione iniectu multæ vestis, præfocaretur. Athenienses quoque olim damnabant reos, non si totam simul legem, sed vel si vnam syllabam träsgressi fuissent. Neque prætereundum, quod quidam [r] Æthiopum rex fecisse proditur, vt delinquentium crimina non mortis pœna, sed nasi mutilatione puniret, vt eam oris turpitudinem veriti, circumspectius à criminibus abstinerent. Inter cæteros proditus est [s] Persarum rex quidam, qui cum ciuili tumultu, fœdo esset conuicio iactatus, adeò exarsit, vt totius populi nares rescinderet. Apud [t] Druidas verò & [v] Cercetes Galliarum populos, sacrificio interdicere, grauissima pœna notabatur, eos enim quibus ita interdictum erat, inter impios consceleratósque habebant. Fertúrque in [x] Elephantina Æthiopia sacrilegos hac pœna mulctari, vt ophiusam herbam bibere cogantur, qua pota, ita terroribus & falsis imaginibus afficiebantur, vt mortem sibi consciscerent. Et in [y] Perside veneficos plecti, vt in amplo lapide caput impingerēt, rursúsque alio superinducto illud effringerent, Apud quos fama est, delinquentes ante regiam expectare iudicium, ibíque pro criminis excessu supplicium pati. Neque prætermittendus Sabatus [z] Æthiops, qui criminis reos non morte, sed vinctos compedibus operi delegando plectebat: aut [a] Mezentius qui viuum corpus putrido cadaueri colligando, immanissimo cruciatu necabat homines. [b] Apud priscos verò Romanorum, vbi quis noxium & exitiale crimen admisisset, nisi die ad populum dicta, & reo de crimine accusato & conuicto, diéque constituta causæ dictionis, causáque populi iudicio probata legitimè, suppliciū capitis de Romano ciue sumere non licebat. [c] Dicebatur enim dies ad populum à magistratibus aut à tribunis plebis, quibus ius dicendi diem data facultas fuit: [d] nonnunquam à priuatis, Siquidem [e] Lucullus quum nullum magistratum gessisset antéa, Seruilio auguri peculatus diem dixit: & M. [f] Cotta, virili toga assumpta, Cn. Carbonem reum postulauit. Eóque producto ad populum, accusatoribus, testibúsque adductis, si noxæ capitali & vero crimini locus erat, de reo supplicium sumebatur iudicio populi. [g] In qua re mos erat, vt tam ipse reus qui capitis accersitur, quum ad populum producitur ad iudicij diem, quàm amici & necessarij, quíque proximi aderant, priusquam in suffragia tribus irent,

ANNOTATIONES.

o *Leges etiam Draconis.*]Plutarc. in vita Solonis τοὺς λάχανα κλέψαντας ἢ ὀπώρας ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις. Et Gellius lib. 11. c. 18. eodémque vlt.

p *Quare verbum Demadis.*]Plutarchus in vita Solonis: sed quod paolò post Lacedæmoniis dicit, scribendum est Atheniensibus.

q *Qua seueritate.*]Idem Rhodiginus lib. 10. c. 6.

r *Quod quidam Æthiopum.*]Diodorus Siculus lib. 2. cap. 1. in fin. Actisanes, inquit, aut vt alij legunt, Artisanes, Æthiopum Rex latrocinia more nouo compescuit, sontes, neque morte plectens, neque linquens impunitos. Eorum iudicio constituto, reos omnes in vnum cogēs, miti sententia damnauit: amputatis enim naribus in vltima deserti ire compulit, ibíque ciuitatem ab excisis naribus Rhinoceram appellatam condidit. Strabo lib. 16. Postea, ait, sunt Rhinocolura ab his dicta, qui Rhinas habitauere. Nam Æthiopum quidam Ægyptum inuadens, non interitu, sed nasi mutilatione maleficia coercens, vt propter oris deformitatem peccare deinceps non auderent, in his locis habitauit. Hæc ille, à quo Alexander hunc locum haud dubiè accepit. Seneca autem de Ira lib. 3. Hunc Regem Persarum fuisse vult, dum scribit, Sicut Rex Persarum totius populi nares recidit in Syria. Inde Rhinocolura nomen loci est. Pepercisse illum credas quòd non tota capita præcidit, nouo genere pœnæ delectatus est.

s *Persarum Rex quidam.*] Id certè est, quod ex Seneca diximus in præcedentib.

t *Apud Druidas.*] Cæsar libr. 6. Commentariorum belli Gallici, Et vide nostros Commentarios Retractuum, tit. 1. §. 1. glo. 9 num. 271. incip. Est & aliud, & seq.

v *Et Cercetes.*]Hoc vnde Alexander desumpserit, incertum est. Cæterùm Cercetas populos esse ad Pontum Euxinum, Heniochis & Colchis finitimos, testantur Plinius lib. 6. c. 5. & Strabo lib. 11.

x *In Elephantina Æthiopia.*]Plinius lib 24. cap. 17.

y *Et in Perside.*]Plutarchus in Artaxerxe.

z *Sabatus Æthiops.*] Herodotus lib. 2. vbi illum Sabacum vocat, & Diodorus Siculus qui Sabaicum appellat, lib. 2. c. 2. vbi illum dicit fuisse Ægyptiorum Regem, tametsi genere Æthiops esset.

a *Aut Mezentius.*]Virgilius lib. 8. Æneid. de eo loquens,

> *Quid memorem infandas cædes? quid facta tyranni*
> *Effera? Dij capiti ipsius, generique reseruent.*
> *Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,*
> *Componens manibúsque manus, atque oribus ora:*
> *Tormenti genus: & sanie, tabóque fluentes*
> *Complexu in misero, longa sic morte necabat.*

Adde autem superioribus apud Thurios ex legibus Charondæ, si qui illatæ à se calumniæ crimine dolóque cōuicti in manus venissent per vrbem myrica circumvectari coronatos, & cunctis sic circum ciuibus passim palam ostentatos innotescere vulgato supplicij probro, veluti perniciosissimo supplicij genere contaminatos mores gererent exagitati: fuisséque nonnullos hac culpa tum iudicatos, quibus manus sibimetipsis sponte adferre, quàm in tanta probri ignominia vsquam conspici iucundius visum est.

b *Apud priscos verò Romanorum.*] Plutarchus in vita Græcorum. & vide infrà eod. lib. c. 20. in princ.

c *Dicebatur enim dies.*]Id minimè dubium, sunt enim eius rei exempla infinita apud Liuium & cæteros authores.

d *Nonnunquam à priuatis.*]Quòd probat exemplis seq.

e *Siquidem Lucullus.*]Plutarch. in vita Luculli.

f *Et M. Cotta.*]Valerius Maximus libr. 5. cap. 4. M. (inquit) Cotta eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus vt è Capitolio descendit, C. Carbonem, à quo pater eius damnatus fuerat, postulauit, damnatúmque rerum iudicio afflixit, & ingenium & adolescentiam præclaro opere auspicatus.

g *In qua re mos erat.*] Tacit. li. 2. de Libone accusato loquens: Libo, inquit, interim veste mutata cum primoribus fœminis circumire domos, orare affines, vocem aduersum pericula poscere. Et Plutarchus in Cicerone, tradit illum à Clodio accusatum vestem atram sumpsisse. Et vide Dionysium Halicarnassæum lib. 7. in accusatione Marci Coriolani, & infrà in verbo, Cicero.

h *Barbam*

squalida obsoletáque veste, flentes & sordidati, [h] barbam capillúmque summittant, & pœnam deprecentur, vt eo squallore & habitu deformi populum ad miserationem, pietatémque adducerent. Legimus in iudicio M. [i] Manlij, quum causam ad populum diceret, ne coniunctos quidem sanguine in capitis dimicatione & dubiis rebus vestem mutasse. Et inter clara nomina reorum, Appium [k] Claudium, quum à tribunis plebis dicta illi dies esset, non modò facie reorum non fuisse, sed tanto spiritu & tam cõtumaci vultu causam egisse, vt manente ferocia animi tribunos perterrefaceret. Contrà verò, quum in exilium Cicero [l] ageretur, præter senatum vniuersum, vltra viginti millia hominum sordidas vestes, & fœdum corporis habitum induisse, vt ob illius calamitatem se quoque fonestos, & in ignauo dolore esse ostenderent. Fertur tamen Scipio Æmylianus, quum esset sibi dies dicta ad populum à Claudio Asellio tribuno pleb. & reus causam diceret, in discrimine morris præter reorum morem, barbam rasitauisse, & nitida veste fuisse: & Cato [m] Censorius amplissimum innocentiæ testimonium tulisse, quòd ab inimicis qoinqnagies criminis postulatus in foro causam dixit, & iudicum votis absolutus semper. Sicut [n] Aristophonies Athenis nonagies & quinquies causam dixit, & victor fuit. [o] Herodes verò quum apud Hyrcanum accusaretur, ad causam dicendam purpuratus, & armatorum septus præsidio in forum venit, & iudiciom euasit. Primúmque populi Romani iudicium post exactos reges de Martio [p] Coriolano fuisse traditur, & C. [q] Galba, qui quum in collegio sacerdotum esset, iudicio populi condemnatus fuit inde [r] vt iudicio populi de capite Romani ciuis decerneretur, consuetudo mansit. Quinetiam non solùm de ciuis Romani capite, sed nec de bonis, nisi ex decreto senatus, & populi placito, aut eorum qui ius dicunt, omnibus sententiis statutum fuisset, decerni lege nihil poterat. [s] Ipsi tamen qui reus agebatur, ne imparatus & insciens accederet ad causam, cuncta quæ ab accusatore mouenda erant, per custodem debent innotescere & significari, vt diluendi criminis & obiecta purgandi facultas foret. [t] Accusatori verò subscriptores aderant, qui ea quæ accusationi conferrent, summissius suggerebant, & præibant. Reo [u] quoque laudatio iudicialis seruabatur, vt si crimen obiectum diluerent, aut merita præualerent, amici ad miserationem populum flecterent & circumagerent. [x] Quod deinde Pompeius lege lata fieri vetuit, laudationésque solitas pro reis vsurpari prohibuit: qui quum Numatium Plancum in iudicio laudaturus postea accessisset, [y] Cato qui iudex aderat, aures manibus obserasse fertur, dicens laudationem quam lege à se lata fieri prohibuerat, lege auersante audire nolle, quòd legum ipse lator & euersor esset. [z] Lacedæmoniis quoque Lycurgi lege cauetur, vt nisi in conuictum, & prætoris iudicio condemnatum nulli pœna noxæ merita inferatur. Quam legem Agesilaus, cum de reo omnium neqnissimo sumendum supplicium foret, quod in patriam coniurarar, abrogauit: ne diu negociom discutiendo, pœnam iore de-

M. Manlius. *App. Claudius.* *Cicero reus.* *Scipio Æmylianus.* *Cato Censorius.* *Aristophontes.* *Herodes.* *Primum pop. Ro. iudicium.* *Reus præmonitus.* *Subscriptores.* *Laudatio iudicialis.* *Lo m Vi qu su gi ab ba*

ANNOTATIONES.

h *Barbam capillúmque summittant.*] Plutarchus vbi suprà.

i *M. Manlij.*] Cognomento Capitolini ex Liuio 1. Dec. libr.6.

k *Appium Claudium.*] Liuius 1. Dec. lib.2. non multo ante fi. & Dionysius Halicarn. lib.9.

l *Cicero.*] Plutarchus in vita illius. Cum Cicerone, inquit, quamplurimi, omnis ferè multitudo equestris ordinis vestes commutauit, prætetea viginti propemodum millia iuuentutis Romanæ præmissis etiam comis passim per vrbem preces effundere. Senatus erat frequens vt decerneret populum vestem veluti ex publica mæstitia mutare, sed consules, cum diuersa sentirent, prætetea Clodius cùm circa Curiam armatis satellitibus omnia terrore repleret, à senatu nonnulli ordinis senatorij protupere qui laceris vestimentis tumultus speciem præbuere. Sed & ipse Cicero io ius vocatus à Clodio videlicet, in Iudicio apparuit, nam sordidam vestem indutus squallore & sorde obsitam, ad quosque obuius etiam sibi ignotos se prosternebat, quod ei vitio tribuit Appianus libr. 2. bellorum Ciuil. Vide Plutarchum in vita illius.

m *Et Cato Censorius.*] Plutarch in vita illius, & Plin. lib.7.c. 27. vbi quadragies ter. Alter Plinius Secundus, si is est, de viris illustribus, c. 47. vbi dicit 44. vbi etiam Solinus c. 7. Et vide Valerium Max. lib.3.c.7. qui dicit sæpius.

c *Sicut Aristophontes.*] Vide Æschinem in Oratione contra Demosthenem.

o *Herodes verò.*] Iosephus de bello Iudaico lib.1.c.8. Et vide Ægesippum belli quoque Iudaici lib.1.c.32.

p *De Martio Coriolano.*] De quo Liuius 1. Decad. labr. 2.

q *Et C. Galba.*] Tacitus lib.5. tradit C. Galbam consularem virum accusatum voluntario exitu cecidisse, sed hic non est, vt puto, de quo loquitur Alexander.

r *Inde vt iudicio populi.*] Vide l.2.§. exactis. ff. de orig. iur.

s *Ipsi tamen qui reus agebatur.*] Plutarchus in Catone Vticensi, vbi loquitur de accusatione ipsius in Murenam.

t *Accusatori verò.*] Asconius Pædianus in 1. in Ver. act. vbi subscriptores, ait, dicuntur qui adiuuare accusatorem causidici solent, quos oportet submissiùs agere quàm dicat ille quem sequuntur. de his sæpe Cicero vt in ea 1. actio. in Ver. non semel, & in Orat. pro Fonteio, & epistol. ad. Q. F. libr.3. epist.1. non semel, & Cælius inter epist. famil. ipsius Ciceronis lib. 8. epist. quoque 8.

u *Reo quoque laudatio.*] De laudatione iudiciali aliquid F. Quintilianus libr. 11. c.3. & Cicero in 7. in Verrem act. vbi ita de ea re loquitur, vt possit videri decem laudatores ex consuetudine fuisse in id adhibitos. Eiúsque hæc sunt verba: Primùm vi in iudiciis qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei nullum dare, quàm illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere.

x *Quod deinde Pompeius.*] Plutarchus in vita illius, iterúmque in vita Catonis Vticensis.

y *Cato.*] Scilicet Vticensis, ex illis ipsis locis quæ nunc citauimus.

z *Lacedæmoniis quoque.*] Plutarchus in Agesilao, Detecta, inquit, est alia maior etiam coniuratio conciliabulúmque hominum Spartiatarum, qui de rebus nouis quandam in domum clam conuenerant, quos iudicio sistere in tanta rerum perturbatione aut insidiis dissimulare difficile fuit. Igitur habito primo cum Ephoris consilio, & hos Agesilaus indicta causa necauit, cum nemo prius Spartiata mulctatus fuisset. Valerius autem Maximus lib. 7. cap. 2. Nihil etiam, inqoit, Agesilai facto sapientius, siquidem aduersus rempub. Lacedæmoniorum conspirationem ortam noctu comperisset, leges Lychurgi continuò abrogauit, quæ de indemnatis supplicium sumi vetabant. Deprehensis autem & interfectis sontibus, casdem è vestigio restituit

Thucydides in cortio. Romanorum supplicia crudelia.

bitam frustraretur. [a] Fuitque constitutum, vt æqualibus votis super vindicando facinore in diuersa trahentibus, pro reo iudicium staret, quod videbatur æquissimum: id [b] quod sæpè ab Atheniensibus factitatum est. Nam quum de extinguendis Mitylenis suffragatores paribus votis dissentirent, [c] Diodori sententia peruicit, quia lenior. Et quamuis veteribus Romanorum mitissimas placuisse pœnas legamus, lapsis postea temporibus, à principibus quos nulla satietas pœnarum cœpit, multa iræ atque inuidiæ fœda exempla edita inueniuntur, vltimisque cruciatibus & crudelibus suppliciis sæpè in noxios vindicatum. [d] Nam & tunica fomentis igneis illita, ad palum deligati adurebantur, vel [e] grandi stipite à summo ad imum adigebantur, vt igne accenso, crudeli cruciatu excarnificati interirent, prætereaque [f] equuleos, [g] fidiculas, ergastula, & cruces, [h] circundatósque corporibus ignes, [i] lacerationes membrorum, & [k] incursus bestiarum, aliósque enectos veneno & fame, & dictu [l] fœdiora exem-

ANNOTATIONES.

stituit, atque vtrumque simul præuidet, ne salutaris animaduersio, vel iniusta esset, vel iure impediretur. Itaque vt semper esse possent, aliquando non fuerunt.

a *Fuitque constitutum.*] Aristoteles libr. Probl. c. 30. c. 13. & 15. vbi huius rei rationes reddit. Et ita quoque nostris legibus constitutum est, l. inter pares. ff. de re iudi. cum si.

b *Id quòd sæpe ab Atheniensibus.*] Diuus Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 18. c. 26. scribit quòd cum Mars apud Athenienses homicidij reus esset, iudicantibus 12. Diis in eo pago qui postea Areopagus dictus est, sex sententiis absolutus est. vbi enim pares essent sententiæ absolutio condemnationi præferebatur.

c *Diodori sententia.*] Vide eundem Aristotelem eod. loco.

d *Nam & tunica.*] De hac pœna Seneca ad Lucillum epist. lib. 2. epist. 14. Cogita hoc loco illam tunicam alimentis ignium & illitam & contextam, & quicquid aliud præter hæc commenta secutum est. Et de ea intelligi potest illud Iuuenalis Satyr. 1. paulò ante fi.

Pone Tigillinum, tæda lucebis in illa.

Et saty 8. paulò etiam ante fi.

Ausi quòd liceat tunica punire molesta.

Et Martialis lib. 4. epig. 41.

Nec scombris tunicas dabis molestas.

Et lib. 10. epig 25. de Mutio Scæuola.

Nam cùm dicatur tunica præsente molesta
Vre manum, plus est dicere, non facio.

e *Vel grandi stipite.*] Vulcatius Gallicanus in vita Auidij Cassij. Primus etiam id genus supplicij inuenit, vt stipitem grandem ponerent pedum octoginta & centum, id est materiam, & à summo vsque ad imum damnatos ligarent, & ab imo focum apponerent, incensisque aliis alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret. & Seneca lib. 3. de Ira, & libr. de consolatione ad Martiam, inter genera cruciatuum. Alij, inquit, per obscæna stipitem egerunt, alij brachia patibulo explicuerunt, & dict. epistol. 14. Et adactum per medium hominem qui per omnes artus emergere possit stipitem.

f *Equuleos*] De quibus Seneca lib. 3. de Ira, vbi de C. Caligula Cæsare loquitur: Torserat, ait, per omnia, quę in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, tabularibus, equuleo, igne, vultu suo. & d. epist. 14. & Apuleius lib. 10. Metam. vbi dicit id genus tormenti è more Græcorum. Ante hos Cicero lib. 4 de finibus. Nec si ille sapiens ad torturis equuleum à tyranno ire cogatur, similem habeat vultum, ac si ampullam perdidisset. & lib. 5. Tuscul. q. Hæc etiam in equuleum conijciuntur, quo vita non aspirat beata.

g *Fidiculas, ergastula, & cruces.*] De his tribus Seneca libr. 3. de Ira. & præterea de fidiculis idem Seneca lib. de consolatione ad Martiam. Sueton. in Tiberio cap. 62. Excogitauerat autem inter genera cruciatus, etiam vt larga meri potione per fallaciam oneratos reperire veretris deligatis, fidicularum simul vtrinque tormento distenderet. Et Valerius Maximus li. 3. c. item 3. vbi Theodoro loquitur. & Quintil. lib. 6. c. 8. & in nostris legibus, in l. nullus. C. ad leg. Iul. maiest. Sueton. in Caligula, c. 33. Quin & subinde iactabat, exquisiturum semel fidiculis de Cæsonia sua, cur tam tantopere diligeret. & de Ergastulis Iuuenalis saty. 8.

Quid facias talem sortitus Pontice seruum,
Nempe in Lucanos, aut Thusca ergastula mittas.

Cicero in Orat. pro Aulo Cluentio habito M. Aurius adolescentulus bello Italico captus apud Asculum, in Q. Sergij Senatoris eius, qui inter sicarios damnatus est, manus incidit, & apud eum fuit in ergastulo. Et de crucibus Seneca in d consolatione ad Martiam vbi dicit eos non fuisse vnius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatos, capite conuersos in terram suspendere. Vulcatius Gallicanus tradit Auidium Cassium in cruces sustulisse eos qui aliquid prouincialibus per vim tulissent, & eo inscio hostes Sarmatas deuicissent, quod & nos alibi retulimus.

h *Circundatósque corporibus ignes.*] Apuleius libr. 10. Asini aurei, & vide suprà alibi.

i *Lacerationes membrorum.*] Cuius pœnę exemplum præbuit Marius Iunior, frater scilicet Marij maioris, de quo Iulius Firmicus lib. 1. cap. 1. Prætorio, inquit, viro, minori scilicet Mario, Syllana iussione elisa sunt prius crura, deinde deiecta de statu corporis brachia humerum tenus dissoluta reciderunt, tertio amputata lingua necem reliquit in faucibus: ad postremum omni parte corporis mutilata, oculi qui fuerant spectatores & superstites eruuntur, & vix anima tantis vulneribus erogata est, cum hinc inde membris fluentibus minutatim spiritus carperetur. Et de hoc quoque loquens Valerius libr. 9. cap. 2. Quin porrò crudeliter se in M. Mario prætore gessit, quem per ora vulgi ad sepulchrum Luctatię gentis pertractum non prius vita priuauit, quàm oculos infœlicis erueret, & singulas corporis partes confringeret. Et Florus lib 3. cap. 21. Marium ipsius ducis fratrem apud Catulli sepulchrum oculis, cruribus manibusque defessis seruatum aliquandiu, vt per singula membra moreretur, & Seneca libr. 3. de Ira. M. (inquit) Mario cui vetanti populus statuas posuerat, cui thure & vino P. R. supplicabat, P. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus iussit, & quasi toties occideret, quoties vulnerabat, paulatim & per singulos artus lacerauit. Idem de consolatione ad Martiam, Video verbera, & membris & singulis articulis singula docuerunt machinamenta. Et ex Poëtis Lucianus lib. 1.

----Quid sanguine manes
Placatos Catuli referam? cùm victima tristis
Inferias Marius, forsan nolentibus vmbris
Pendet inexpleto non fanda piacula busto?
Cum laceros artus, æquatáque vulnera membris
Vidimus, & toto quamuis in corpore cæso
Nil animæ letale datum, morémque nefandæ
Dirum sæuitia, pereuntis parcere morti:
Auulsæ cecidere manus, exectáque lingua
Palpitat, & muto vacuum ferit aëra motu.
Hic aures, alius spiramina naris aduncæ
Amputat, ille cauis euoluit sedibus orbes,
Vltimáque effodit spectatis lumina membris.

k *Incursus bestiarum.*] Vide suprà de damnatis ad bestias, & huc quoque spectat illud Senecæ d. epist. 14. Et turbam ferarum quam in viscera immittat humana.

l *Fœdiora exempla.*] Vt illud quod à Seneca vbi suprà positum est, & quo hodie quoque (vt ferunt) Turcæ vtuntur, scilicet

pla, quæ exequi longum esset, conspectius sumptum fuisse supplicium de regibus authores memorant: namque Antigonum Iudæorum regem [m] Antonius indicta causa, quod ante id tempus nulli regum contigit, securi percussit: [n] & Agrippa Bogum Maurusiorum regem, Antonij partes sequutum, supplicio affecit. Fuitque propterea magistratus apud [o] Cumæos, quem Phylactum vocant, cuius erat munus, in frequentem senatum venire, regésque manu apprehensos, de quorum iudicio agebatur detinere: donec de illorum præmio aut pœna patrum decreto statueretur. [p] Quod si is qui reus agitur, & capitis accersitur, prædicta die in iudicium non venit, vel domo abest, mos Romanus erat, vt ante fores ædium nomenclator tubâ illum ad causam dicendam quatuor diffinitis in locis citaret: neque ante fas erat in eum capitis iudicium dari, aut de noxio supplicium sumi, quàm discussa causa, crimine probato, & reo conuicto, ne inauditi & indefensi perirent. [q] Iudices verò, qui pro excessu criminis litem daturi erant, conceptis verbis se nihil habere, nihil precibus dare, solennissimum iusiurandum præstare cogebantur, quod mox deprauatis iudiciis fieri desitum est. Hoc quidem iusiurandum apud Ægyptios sanctius præstabatur, in hæc verba: Vt ne regis quidem minæ, aut iussa, à recto bonóque illos deducerent, aut transuersos agerent. [r] Apud Athenienses iusiurandum iudices præstant, se secundum leges sententiam daturos, & causam diffinituros. [s] Iudicium verò de nocente sic fiebat, vt prætor tribunal in primis ascenderet, [t] noxio post terga ligarentur manus, misso præconio silentium fieret, legitima deinde prætoris proferrentur verba: classicum ad spectaculum postea canerent, suppliciúmque de noxio sumerent. Quod plerumque non statim sumebatur: quippe senatusconsulto Tiberij tempore, & per alias constitutiones actum fuit, vt damnatorum pœna in decimum semper differretur diem.

Supplicia de regibus sumptum.
Phylactus.
Reus non comparens in iudicio.
Iudicium iuramentum solenne ante sententiam definitiuam.
Iudicium de nocente quo pacto fiebat.

ANNOTATIONES

scilicet adactum stipitem per medium hominem, qui per omnes artus emergere possit. Et illud quoque de quo Cato loquens de Carthaginensibus apud Gellium lib.3.c.14. Hominem defoderunt in terram dimidiatum, ignémque circumposuerunt, & ita interfecerunt. Atque etiam illud quo vsi sunt Carthaginenses in Attilium Regulum descriptum à Tuberone in lib. Historiarum apud Gellium lib.6.c.1. In atras, inquit, & profundissimas tenebras eum claudebant, ac diu pòst vbi sol erat visus ardentissimus, repente adducebant & aduersus ictus solis oppositum continebant, atque intendere in cælum oculos cogebant, palpebras quoque eius ne conniuere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant. Tuditanus autem, vt scribit Gellius somno diu prohibitum, atque ita vita priuatum refert. Eam rem ita tefert Cicero, lib 3. Offic. Itaque tum cùm vigilando necabatur, erat in meliore causa, quàm si domi senex captiuus, periurus & consularis remansisset. Alij autem dicunt eum alio nouo ac crudeli supplicio interemptum, videlicet clausum fuisse in dolio ligneo ferreis clauis confixo. Et de his quoque & aliis tormentorum generibus videbis apud Tertullianum in Apolog. & lib. de coron. mil. & Cyprianum lib. de duplic. martyrio. & Eusebium historiæ Ecclesiasticæ lib. 8.c.3.6.7.8.& 9.10.& 17. Valerium Maximum lib.3.c.item 3. vbi de Theodoro loquitur. Eutropium de gestis Romanorum, c.10. & Rhodig. lib.10.c.5.

m *Antonius.*] Plutarchus in vita illius.

n *Et Agrippa.*] Strabo lib. 8. Sed quem Bogum hic appellat, Bogudem Liuius vocauit lib.128. ad vrbe condita apud Priscianum libr.6. Castra quoque diuersis partibus Cassius & Bogud adorti. Item, Quo tempore firmandi regni Bogudis causa exercitum in Africam velociter traiicere conatus sit, vti etiam Asinius Pollio inter epist. fam. Cicer. libr. 10. epist. 31. post prioc. Traiecit sese in regnum Bogudis. Eum verò Bochum vocat Appianus li.5. bellorum Ciuilium.

o *Apud Cumæos.*] Plutarchus Probl. c.115.

p *Quod si is qui reus agitur.*] Plutarchus in vita C. Gracchi verùm dein in vita Bruti dicit morem fuisse Romanis, accusatos absentes per præconem è tribunali ad iudicium vocari solitos. Dionysius autē Halicar. lib.4. tradit Seruium Tullium iussisse insidiatores vitæ tantum vocari in populi iudicium, & si comparerent, eos capite plecti, sin causam desererent, bonis mulctari, & exilio perpetuo, quod & factum fuit.

q *Iudices verò.*] Asconius Pedianus in 2. in Verrem act. scribit iudices iurare solitos in leges antequam iudicarent. vide l. prouidendum. ff. de iudic. Verùm si id non fuisset factum, nemini vnquam fraudi fuit, vt scribit Cicero in Orat. pro Aulo Cluentio.

r *Apud Athenienses.*] Pollux libr.8.c 6. capitis 7. & Heraclides in Polit. post princ.

s *Iudicium verò de nocente sic fiebat.*] Sic enim Pilatus vt Christum tanquam nocentem, qui tamen omnium innocentissimus erat, condemnaturus sedit pro tribunali, vt scribitur apud Ioan. c.19.

t *Noxio post terga.*] Inde est quod cum Horatius propter sororis cædem perduellionis reus damnandus esset, Duumuir dixit, Lictor, colliga manus. Liuius Decad. 1. lib. 1. Cicero in Orat. pro C. Rabirio: I lictor, inquit, colliga manus.

Locus ex Ciceronis oratione pro Milone explanatur, & quæ regia, quæque atria Romæ fuerint.

CAPVT VI.

CVM Romæ in gymnasium literarium, quò plerique eruditorum conuenerant, nos quoque laxandi animi causa quandoque ventitaremus, doctor ibi quispiam, Tullianæ lectionis, vt ipse aiebat, professor, ingenio alioqui exculto, sed suæ laudis, plusquàm satis esset vendicator, multo auditore circundatus, Ciceronis orationem quam pro Milone inscripsit, magno ingenio elaboratam, publicè apud complusculos lectitabat: eiúsque dispositionem & constitutionem, communésque locos singulásque partes & colores, aliáque oratoriæ artis documenta, disciplinasque rhetorum, per numeros nouis & exquisitis modis ex intimo artificio adnotabat. Cúmque verba ex ea lectione percenseret, quibus Cicero, quantum potest maximè Clodium in inuidiam crimenque adducit, cúmque infesta oratione insectatur, his verbis: Hæc sica longo interuallo conuersa rursus in me est: nuper me quidem, vt scitis, ad regiam penè confecit. Sic ipse explicabat, vt diceret

hanc regiam fuisse in colle Quirinali, vbi Numam Pompilium habitasse [a] authores tradunt, quódque in eo sedem habuerat, ideò regiam & atrium Numæ ibi fuisse, & de hac Ciceronem intelligere asserebat. Atque hæc & pleraque in hanc sententiam quum ille dixisset, tenuit nos admiratio istius doctoris, tam inconsideratè & perperam loquentis, id quod errore manifesto procul à vero esse liquidò constat: siquidem non vbicunque Romani reges belli pacisque temporibus habitarunt, illic regias aut atria construxerunt. [b] Tullus Hostilius primò in Velia, mox in Exquiliis ædes habuit: & [c] Tarquinius Priscus supra Nouam viam, Seruius [d] Tullius etiam Exquilias incoluit: & tamen nullas iisdem in locis regias habuisse feruntur, sex enim aut ad summum septem Romæ fuisse regias, compertum habemus: vnam [e] ad ædem Vestæ iuxta forum, quam Numa incoluit, ibique [f] atrium regium fuit: eámque regiam longo tempore præcipuam fuisse quum religione, tum antiquitate, multi prodiderunt: quæ [g] postea incendio Neronis vnà cum æde Vestæ deflagrauit. Alteram in Cælio monte, vbi [h] Tullus Hostilius, quò frequentius incoleretur, regiam ædificauit. Tertiam in Sacra via, in qua [i] Ancus Martius sedem habuisse fertur: de qua Ciceronem nunc intelligere [k] Asconius sentit: quippe inter seruos Hipsei & Milonis pugnam inibi commissam, & Ciceronem opera Clodij vitæ periculum adisse tradunt: quamuis Acron perperam aliter sentire visus sit. [l] Aliámque in Pompeij theatro, quod in campo fuit, fuisse memorant. Iuxta theatra enim regias sitas persæpe inuenimus, sicut Marcelli theatrum, quod regiam habuit, ad quam quatuor columnas magnitudinis miræ ex theatro Scauri translatas [m] Plinius notauit: & [n] Pauli regiam ad Curtium lacum, & aliam in Sacrario. Fuit enim theatrum Marcelli ab [o] Augusto, sed alieno nomine conditum, quo tempore à M. Agrippa plura & egregia Romæ constructa fuere. Hic enim fuit ille Marcellus Augusti nepos, ex Octauia sorore & Marcello genitus: cui filiam Augustus paucis ante diebus quàm morte sublatus esset, despõsauit. Neque assentior his qui atrium in colle Quirinali vnà cum regia conditum fuisse dicunt: siquidem omnes ab Asinio Pollione [p] atrium Libertatis in primis constructum volunt, quod in templo Libertatis, conspicuæ magnitudinis erat. Postea interiecto tempore, Gracchorum [q] pater in Auentino ex mulctaticia pecunia illud amplius erexit: in quo [r] bibliotheca Græca Latináque visebatur: quod intercursu temporum penè collapsum Sex. [s] Helius Pætus & C. Cornelius censores restaurarunt. Ea [t] quidem atria ædificij genus fuere continens mediam aream, in quam ex omni tecto pluuia recipitur, columnis quadrifariam per singulos angulos dispositis, & epistyliis. Fuit [u] quoque atrium publicum in Capitolio, & atrium [x] Scauri, in quo maximæ columnæ ex præruptissimis saxis collocatæ feruntur: & [y] alind Pompeij, quæ postea ipsius curia facta est. [z] Legimus quoque atrium regium iuxta forum piscarium &

Regiæ 6. aut 7 Romæ.

Cicero explicatus. Acronis error.

Atrium Libertatis. Atria quod genus ædificiorum. Atria diuersa. Romæ.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

a *Authores tradunt.*] Scilicet Solinus c.2.

b *Tullus Hostilius.*] Liuius 1. Decad. lib 1. & Solinus cap.2.

c *Tarquinius Priscus.*] Solinus d.c.2.

d *Seruius Tullius.*] Ibidem.

e *Ad ædem Vestæ.*] Ouidius lib.6. Fastorum,

Hic locus exiguus qui sustinet atria Vestæ,
Tunc erat intonsi regia magna Numæ.

Et de Tristibus lib.3. eleg.3.

Hic locus est Vestæ qui Pallada seruat, & ignem,
Hic fuit antiqui regia parua Numæ.

Horatius lib.1. Carmi. Ode 2.

Vidimus flauum Tyberim retortis
Littore Hetrusco violenter vndis,
Ire deiectum monumenta Regis
Templáque Vestæ.

Quo in loco Acron & Porphyrion ea verba, monumenta Regia intelligunt, de Numæ Pompilij regia. Solinus cap.2. Numa, inquit, primùm in colle Quirinali, deinde propter ædem Vestæ in regia, quæ adhuc ita appellatur.

f *Atrium regium.*] De quo Liuius 3. Dec. lib.6.

g *Quæ postea incendio Neronis.*] Cornelius Tacitus lib. 15.

h *Tullus Hostilius.*] Liuius 1. Dec. lib.1.

i *Ancus Martius.*] Solinus d.c.2.

k *Asconius.*] In illam Ciceronis pro Milone orationem, in expositione eius loci, de quo hic agitur.

l *Aliámque in Pompeij theatro.*] De Pompeij theatro P. Victor in nona regione vrbis.

m *Plinius notauit.*] Lib.36. c.2.

n *Et Pauli regiam.*] P. Victor in 6. regione vrbis.

o *Ab Augusto.*] Hæc vsque ad clausulam, Neque assentior, sunt Plutarchi in Marcello & Sueto. in Augusto, c.29. Et de hoc quoque Marcelli theatro Plinius libr.8. c.17. ad fi. & P. Victor in 19. regione vrbis.

p *Ab Asinio Pollione.*] Suetonius vbi suprà. Verùm Liuius 3. Decad. lib.4. scribit, ipsum atrium Libertatis à Sexto Ælio Pæto, & C. Cornelio Cethego Censoribus refectum ampliatúmque fuisse, vt hinc intelligas non solùm ante Augusti & Asinij Pollionis tempora, sed & ante illos Censores, qui eos præcesserunt annis prope 166. id atrium constructum fuisse, sed & eiusdem 3. Dec. lib. 5. non adeo longè à princ. tradit quòd obsides Tarentini in atrio Libertatis custodiebantur. De hoc atrio sæpe aliàs fit mentio apud authores, vt Tacitum lib.17.

q *Gracchorum pater.*] Liuius 3. Decad. lib.4. sed id non fuit postea, vt hic dicit Alexander, sed longè antè, videlicet tempore 2. belli Punici, quòd fuit ante Imperium Augusti, & ætatem ipsius Pollionis annis plus minus 170.

r *In quo bibliotheca.*] Nescio vnde id sumpserit Alexander, scio autem Augustum templum Apollinis ea parte Palatinæ domus excitasse, quam fulmine ictam desiderari à Deo, Aruspices pronunciauerant, addita porticu cum bibliotheca Latina Græcáque, ex quo loco, ni me coniectura fallit Alexander id accepit, vt magnam partem eorum quæ scripsit in verbo, Ab Augusto.

s *Sex. Helius Pætus.*] Liuius 4. Dec. lib. 4.

t *Ea quidem atria.*] Gellius libr.16. cap. 5. Festus Pompeius libr. 1. Sed vide & Seruium in 1. libr. Æneid. in eum locum,

Fit strepitus tectis, vocémque per ampla volutant
Atria. ——

u *Fuit quoque atrium publicum.*] Liuius 3. Decad libr. 4. Tacta, inquit, de cælo atrium publicum in Capitolio, &c.

x *Et atrium Scauri.*] Plinius lib.36. c.2. & c.15.

y *Et aliud Pompeij.*] P. Victor in 4. regione Vrbis.

z *Legimus quoque atrium regium.*] Liuius 3. Decad. libr. 6. Comprehensæ latomiæ, forúmque piscatorium, & atrium regium, & de eo quoque mentionem facit eiusdem Dec. 3. lib.7.

duo [a] atria, Menium & Titium: quæ Porcius Cato in Latomiis fecit. Et [b] atrium Vestæ: & [c] Saturium, in quo sacrorum tubæ agna lustrabantur. In colle [d] vero Quirinali, quod regia aut atrium fuerit, nec traditur quicquam, nec inuenitur, Neque omittendum, plures regias velut regalis opulentiæ monumenta, apud plerasque gentes laudibus celebrari: nam [e] Cirtha [f] & Vtica Massæsylorum regum regiæ fuere: sicut [g] Sybaris Colchorum, Libs [h] Antæi: Iol [i] Iubæ & Zama, [k] Pergamus Eumenis, Cynatæ [l] Byblus, Gnosos Minois. [m] Deiotari Blutium, [n] Halicarnassus Cariæ principum, [o] Eleusa Archelai. Nepatia [p] Candacis, regiæ fuere: Darij [q] verò regia fertur Sadracæ in Assyria. [r] Parthorum Susa, vbi hyemem agunt: Ecbatana & Persæpolis, vbi æstatem: quam Alexander iniectis facibus incendit. [s] Indorum regum Taxila: In Ægypto [t] Abydus. [u] Tigranis Artaxata olim Medorum, nunc Parthorum. [x] Memnonis regia Sosis, [y] Attali Trallibus, & Sardis [z] Crœsi regia visebatur, quam [a] Gerusiam fecere. [b] Cyri autem regia Babylon fuit, quam Sosis antefetre statuerat. [c] Tametsi Persarum mos foret, in montibus regias facere, [d] in quibus thesauros & antiquissimas gazas congerebant: vt illas velut amplissimum virtutum monumentum posteris relinquerent. [e] Mithridatis autem erat Ga-

Regia apud externas gentes.

Persarum regia in montibus Vide supr. lib. 2. cap. 2.

ANNOTATIONES.

lib. 7. vbi de censura Cornelij Cethegi, & Sempronij Tuditani, & Spartianus in vita Septimij Seueri in fi.

a *Et duò atria, Menium & Titium.*] Liuius 4. Decad. libr. 9. Cato, ait, duo atria Meuium & Titium in latomiis, & quatuor tabernas in publicum emit.

b *Et atrium Vestæ.*] De quo Ouidius libr. 6. Fastorum quo loco citauimus supra à princip. capitis in verbo, Ad ædem Vestæ.

c *Et Saturium.*] Varro lib. 2. aut vt alij supputant 5. Tubulustrium, inquit, appellatur quòd eo die in atrio Sutorio, siue vt alij legunt, Suturio, sacrorum tubæ lustrantur. Festus Pompeius lib: 18. Tubulustria appellabant, quibus agna tubis lustrabant. Ex quibus duobus locis simul iunctis Alexander id confecit quod hic scripsit, nisi quòd Saturium id atrium appellat, quod nusquam ni fallor reperies. De huiusmodi autem lustratione tubarum videbis suprà libr. 2. c. 22. ad fi. & infrà lib. 5. c. 6. in quibus etiam locis Alexander id atrium Saturium vocat, sui in hoc semper similis.

d *In colle verò Quirinali.*] Vide num huic aduersetur quòd suprà ex Solino c. 2. diximus Numam Pompilium in colle Quirinali habitasse, fuere autem & præter ea atria hîc commemorata, atria Licinia apud Ciceronem in orat. pro P. Quintio, in quibus scilicet, vt ex eo coniectare licet, fiebant auctiones, vnde & ipsa auctionaria dicta apud eundem im Orat. pro L. Agraria, vt in atriis auctionariis potius quàm in triuiis aut in compitis auctionentur.

e *Nam Cirtha.*] Liuius 3. Decad. lib. 10. vbi de Syphace loquitur. Pomponius Mela lib. 1. cap. 6. vbi hanc dicit regiam fuisse Iubæ. & ipsius Syphacis. Appianus lib. 2. bellorum Ciuilium vbi ipsius Iubæ. Paulus Orosius libr. 5. c. 14. vbi Masanissæ. Strabo lib. 7. vbi hanc dicit Sanassæ & successorum regiam fuisse. Hanc autem Crytham vocat Plutarchus in Scipione, vide item Salustium in Iugurtham.

f *Et Vtica.*] Strabo lib. 17.

g *Sybaris Colchorum.*] Diodorus Siculus lib. 7. c. 4.

h *Libs Antæi.*] Plinius lib. 5. c. 1. Solinus c. 57.

i *Iol Iuba & Zama.*] Strabo vtriusque testis lib. 17. & præterea de priore Pomponius Mela lib. 1. cap. 6. vbi eam dicit nunc vocari Cæsarem, & Plinius lib. 5. c. 2.

k *Pergamus Eumenis.*] Strabo lib. 13. Liuius 4. Decad. libr. 5. & iterum lib. 7. & 5. Dec. lib. 2.

l *Cynara Biblus.*] Strabo lib. 16. vbi tamen non Cynaram, sed Cinyram vocat.

m *Deiotari Blutium.*] Strabo lib. 12. vide item Ciceronem in Orat pro Deiotaro.

n *Halicarnassus Caria principum.*] Strabo lib. 15. & 14. Diodorus Siculus lib. 17. c. 2. Plinius lib. 35. c. 14. dum inter regias ponit Halicarnassum. Mausoli fuit eius Mausolus Cariæ Rex vel teste Herodoto lib. 7. Plinio lib. 36. cap. 15. & aliis qui de eo loquuntur.

o *Eleusa Archelai.*] Strabo lib. 14.

p *Napatia Candacis.*] Strabo lib. 17. & Dion in Augusto, vbi eam Tenapen vocat.

q *Darij verò regia.*] Strabo lib. 16. post princ. & Plinius lib. 35. c. 14. dum loquitur de Mausolo qui fuit Cariæ Rex. Sed & Darij postremi qui ab Alexandro victus fuit, Macedoniæ, regia vrbs Hioconiæ fuit, apud Q. Curtium lib. 6.

r *Parthorum Susa.*] Strabo libr. 11. Mediæ, ait, metropolis sunt Ecbatana magna ciuitas, & Medij imperij caput, qua nunc etiam Parthi regia vtuntur, nam reges ibi æstatem agunt, frigida enim est Media, hyemem verò Seleuciæ, quæ secus Tigrim est prope Babylonem, & paulò pòst dicit, eorum quoque regiam æstiualem esse Gazam. Verùm idem libr. 16. scribit Parthorum Reges in Ctesiphonte vico maximo Seleuciæ degere solere in hyeme propter aëris temperiem. Æstatem verò in Hiocsnia & Ectabana agere. Q. Curtius lib. 5. dicit Ecbatana caput Mediæ, eámque vrbem nunc tenere Parthos eamque æstiua agentibus sedem esse. Diodorus Siculus libr. 2. cap. 1. ita de Persæpoli & Susis loquitur, vt videatur dicere eas regias fuisse. Iustinus libr. 11. scribit Persæpolim fuisse caput regni Persici, vti & ipse Curtius lib. 4. sed & libr. 5. dicit fuisse regiam totius orientis. Herodianus libr. 3. tradit Ctesiphontem regiam fuisse Parthorum. Polybius libr. 10. scribit Ecbatanam primùm fuisse regiam Medorum, deinde Persarum. Et sanè Athenæus lib. 12. c. 3. scribit ipsos Persarum Reges in Susis hyemare, æstatémque in Ecbatania & per autumnum in Persæpoli ac reliquam totius anni partem in Babylonia. Parthorum verò Reges in Flyagis vere commorari, hyeme in Babylonia.

s *Indorum Regum Taxila.*] Philostratus lib. 2. de vita Apollonij, vbi hanc dicit fuisse regiam Mandri tunc regnum Indiæ obtinentis quod olim Porus obtinuerat.

t *In Ægypto Abydus.*] Nam & ea Memnonis Regis, vt multi dicunt, Ægyptij regia fuit, vt tradit Strabo libr. 17. Plinius lib. 5. c. 9. & Solinus c. 45. Hunc autem alij Æthiopiæ Regem fuisse tradunt, vt ipse Plinius lib. 6. c. 29. & lib. 10. c. 26. vide infrà in verbo, Memnonis regia.

u *Tigranis Artaxata*] Cornelius Tacitus lib. 13. & Plutarchus in vita Luculli.

x *Memnonis regia Susis.*] Diodorus Siculus lib. 3. c. 6. tradit Memnonem in Susis loco excelsiori ædificasse regiam, quæ vsque ad Persarum Imperium permansit, Memnoniam ab eo denominatam. Vide suprà in verbo, In Ægypto. Plinius lib. 6. c. 27. scribit veterem regiam Persarum fuisse Susam à Dario Hystaspis filio conditam.

y *Attali Trallibus.*] Plinius lib. 35. c. 14.

z *Sardis Crœsi regia.*] Herodotus libr. 1. Strabo libr. 15. Plinius lib 35. c. 14. Plutarchus in Solone.

a *Quam Gerusiam fecere.*] Plinius vbi nuper citauimus.

b *Cyri autem.*] Strabo lib. 15. Solinus autem c. 50. & iterum 70. in princ. scribit Babylonem fuisse Chaldeorum caput.

c *Tametsi Persarum mos foret.*] Strabo lib. 15. ad finem.

d *In quibus thesauros.*] Idem Strabo authoritate Scepsij li. 13.

e *Mithridatis autem erat Gabiis.*] Gabiris legendum ex Strabone id recensente libr. 12. Sed & eiusdem quoque regia fuit, vt ex Diodoro tradit Eustatius Dionysij Alexandrini interpres in lib. de Situ orbis.

f Et

biis, [f] & Oenotriorum Regum Pandosiæ: [g] Macedonum Demetrias, [h] Ilion Priami, [i] Scepsis Æneæ, [k] Tolgus Pyrthi, [l] Alexandria vero tres habuit regias: vnam Lochian promontorium, alteram Timonium appellauit Antonius, Museum quoque pars regiarum erat. [m] Etiam in Antiochia Assyriorum Regum regia ferebatur. [n] sicut Sogdianæ gentis in Maracanda: Sami, [o] Polycratis. [p] Alexander autem Macedo præcipuè Arabiam, quam sedem imperio delegerat, totius imperij regiam destinauit.

ANNOTATIONES.

f *Et Oenotriorum Regum Pandosia.*] Strabo lib.6.

g *Macedonum Demetrias.*] Strabo lib. 9. & Liuius 4. Decad. lib.5. sed & Pella quoque aliquando eorum regia fuit, ex eodem 5. Decad. libr. 2. & 4. Vode & Pomponius Mela lib.2.c.3. in princ. Pellam, inquit, maximè illustrem alumni efficiunt. Philippus Græciæ domitor. Alexāder etiam Asiæ. Nam & hinc vterque Pellæi dicti sunt. Ille quidem Lucano lib.10.

Illic Pellæi proles vesana Philippi.

Hic Iuuenali saty.7.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

h *Ilion Priami.*] Nicolaus Perotus in 3. Martialis, Ilium regia fuit Priami. Ennius.

Tu vt Hector ab Ilio nunquam recedis.

Virgil. lib.3. Æneid.

Postquam res Asiæ, Priamique euertere gentem
Immeritam visum superis, ceciditque superbum
Ilium. ——

i *Scepsis Æneæ.*] Strabo authoritate Scepsij lib. 13.

k *Tolgus Pyrrhi*] Strabo libr. 7. Sed & Ambrasia quoque ex Liuio 4. Decad. libr.7. & Lucius Florus. qui Ambrasiam appellat epit.2. in bello Ætholico.

l *Alexandria verò.*] Strabo lib.17.

m *Etiam in Antiochia.*] Tacitus lib. 18. & Herodianus lib. 2. & vide Strabonem lib.15.

n *Sogdianæ gentis in Maranda.*] Q. Curtius lib. 7.

o *Sami, Polycratis.*] Nam & is Samiorum rex, siue mauis tyrannus erat, vt videre licet Herodoto lib.3. & aliis.

p *Alexander autem Macedo.*] His autem adde Syphacis regiam Sigam fuisse apud Strabonem lib. 17. & Plinium lib. 5. c. 2. Maleoti Pelasgi Regis villam apud Strabonem lib. 5. Et Cocali filij Minois Camicem apud eundem lib.6. Marobudi Bubienum, apud eundem libr.7. post princ. Sisini qui imperium Cappadocum adortus est. Cadenam apud eundem lib. 12. Et Regioæ Pithoridis Cabiram siue Diopolim, quam Augustam appellauit eod. li. 12. Et Castoris, Saocondarij, Gorbeum eod. quoque lib.12. Amyntæ, Isauram, ibidem. Asij Arisbam eod. lib. 13. Theram primùm Lydorum, postea Persarum regiam eod. lib. 13. Lysimachiam Seleuci, apud Liuium 4. Decad. libr. 5. Cæsariam Bochi apud Solinum, c.38. Saim Apriis primùm, moa Amasis Regum Ægyptij, apud Herodotum libr. 2. Midæ antiqui Gordium ex Plutarcho in vita Alexandri, & Q. Curtio lib.3. post princ. Laurentium Pici Regis, ea Virgilio lib.7. Æneid.

—— *Laurenti regia Pici.*

Scodram Regum Illyricorum. Liuio 5. Decad. lib. 5. Sabam Sabæorum Diodoro Siculo lib.4. c.3. non adeò longè à fi. Pylon Nestoris. Pausaniæ lib.4. Syringem Hircaniæ Polybio lib.10. Ambranam Pyrrho. Vide autem Florum libr. 2. epit.c.9. & epitome. Liuij lib.19.

Quo apparatu, quibúsque cæremoniis apud veteres defuncta corpora igni tradebantur, qualisque pompa exequiarum foret. CAPVT VII.

QVo ritu, quibúsque cæremoniis defuncta corpora efferri consueuissent qualisque funerum apparatus & exequiarum pompa fuerit, à multis sæpè authoribus interceisè perscriptum est, [a] In primis obseruatum fuit, vt proximus sanguine, morientis corpus dum trahit animam, amplexus, exhalantis spiritum osculo exciperet, flatúmque hauriret. [b] mox decedentis oculos & ora clauderet, vsque [c] ab Homeri temporibus vsitatum: nefas existimantes, à viuentibus decedentium oculos spectari, [d] tametsi lege Meuia (vt Varro significat) ne filij paren-

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

a IN *primis obseruatum fuit.*] Tullius in 7. in Verrem act. Matrésque, inquit, miseræ pernoctabant ad hostium carceris ab extremo complexu liberûm exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi vt filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret, & Virgilius lib.4. Æneid. ad fi. vbi Anna plangens mortem Didonis sororis sic loquitur.

—— *Et extremus si quis super halitus errat,*
Ore legam. ——

Vbi Seruius illum quoque Tullij locum citat in vltimis verbis Et huc quoque respicit illud Ouidij in consolatione ad Liuiam,

Sospite te saltem morior Nero, tu mea conde
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

Illúdque Statij lib.12. Thebaidos,

—— *Ignem misera post vltima quærunt*
Oscula. ——

b *Mox decedentis oculos.*] Plinius lib.11.c.37. Morientibus inquit, oculos operire, rursúsque in rogo patefacere Quiritium magno ritu sacrum est, ita more condito, vt neque ab homine supremum eos spectari fas sit, & cælo non ostendi nefas, hæc Plinius, & eò spectat illud Virgilij de matre Euryali ipsius cædem deplorantis lib.9. Æneid.

—— *Nec te tua funera mater*
Produxi, pressíve oculos, aut vulnera laui.

Vbi Donatus interpres dicit id moris fuisse. Illúdque Ouidij in epistola Penelopes ad Vlyssem Deos rogantis, vt Telemachus vtriusque filius, vtriusque oculos claudat.

Dij precor hoc subeant, vt euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos,

Et in epistola Ariadnæ ad Theseum,

Ergo ego nec lachrimas matris moritura videbo,
Nec mea qui digitis lumina condat, erit.

Et in ea consolatione ad Liuiam, illis verbis.

Tu mea condas lumina &c.

Quibus post ea omnia quæ supra ea eo adduximus, subdit,

Atque vtinam Drusi manus altera, & altera fratris
Formarent oculos, comprimerêntque meos.

Scribitque Plutarchus eos vulgo infelices vocari, quorum oculos propter absentiam non potuerunt parentes obtegere.

c *Ab Homeri temporibus.*] Ex lib.24. Odyss.

οὐδ' ἄλοχος πολύδωρος ἐχέφρων πηνελόπεια
κώκυσ' ἐν λεχέεσσι φίλον πόσιν ὡς ἐπεῴκει
ὀφθαλμοὺς καθελοῦσα, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Et iterum lib.11. Iliad.

ἆ δείλ' οὐ μὲν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
ὄσσε καθαιρήσουσι θανόντι περ. &c.

d *Tametsi lege Meuia, vt Varro.*] In Geminis apud Nonium Marcellum in verbo, Sugillare. Contra, inquit, lex Meuia est in pietate, ne filij patribus luci claro sugillent oculos, id

est

tibus oculos sigillarent, cautum fuerit. [e] Nasamones verò præcipuè curant, vt morituros, quum agere incipiunt animam, sedentes constituant, ne cubantes spiritum exhalent. Post quæ defuncti corpus [f] per interualla conclamatum, propiores affines [g] calida abluere, deinde vnguentis vngere, [h] candidóque amictu inducere, [i] ac diebus septem seruare solebant, ara constituta, vbi odores incenderent, [k] quæ acerra dicta est. [l] Græcis verò septemdecem diebus corpora antequam cremarentur, totidemque noctibus seruare mos erat. [m] Qui quidem amictos non ex lana, sed lino intexebatur, Ægyptiorum exemplo, apud quos laneæ vestes, nec cum cadauere sepeliuntur, neque in ædes

Nasamones.

ANNOTATIONES.

est, occludant, vt interpretatur ipse Marcellus. Alij autem Manlia legunt apud Varronem, & in his Antonius Volscus in suis Commentariis in eum locum Ouidij nuper citatum. Alij Mania, vt Gregorius Gyraldus in sepulchralibus.

e *Nasamones verò.*] Herodotus in Melpomene. Silius autem de eorum sepultura quoque hæc scribit lib. 13.

—— Quid qui saxo sepelire profundo
Exanimes mandant Libycis Nasamones in oris.

f *Per interualla conclamatum.*] Id sumptum est ex Seruio enarrante eum locum Virgilij lib. 6. Æneid.

Pars calidos latices. ——

Cuius verba huc integra adferam, quoniam ad multas huius cap. clausulas pertinet. Plinius, inquit, in naturali historia hanc dicit causam esse, vt mortui aqua calida abluantur, & per interualla conclametur, quòd solet plerumque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere. & subdit, Denique refert quendam suppositum pyræ adhibitis ignibus erectum esse, nec potuisse liberari: vnde & seruabantur cadauera septem diebus, & calida abluebãtur aqua, & post vltimam conclamationem comburebantur. Vnde traxit Terentius,

Desine, iam conclamatum est.

Hæc ille ex Plinio, vt dicit, sed nihil tale reperitur in nostris Codicibus Plinij. Locus autem eius rei dicendæ, si dicere voluisset, erat lib. 7. c. 52. vbi loquitur de Auiola consulari, qui, vt dicit, in rogo reuixit: & quoniã subueniri non poterat præualente flamma, viuus crematus est. Illud autem Terentij in Eunucho est, vbi Donatus in id quoque eum locum expendit, atque etiam illud Lucani lib. 2. non multò post princ.

—— Sic funere primo
Attonitæ tacuere domus, cum corpora nondum
Conclamata iacent. ——

g *Calida abluere, deinde vnguẽtis vngere.*] Homerus 24. Odyssex post princ. loquens de corpore Achillis mortui,

κάτθεμεν ἐν λεχέεσσι, καθήραντες χρόα καλὸν
ὕδατί τε λιαρῷ καὶ ἀλείφατι. Id est,
Deposuimus in lectis purgantes corpus pulchrum,
Aquaque calida, & vnguento.

Et lib. 18. Iliad. de funere Patrocli loquens:

αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ ζέσσεν ὕδωρ ἐνὶ ἤνοπι χαλκῷ,
καὶ τότε δὴ λοῦσάν τε καὶ ἤλειψαν λίπ᾽ ἐλαίῳ.

Id est,
At postquam calefacta est aqua in sonante lebete
Et tunc iam lauarunt, & vnxerunt pingui oleo.

Et Ennius in hoc citatus Seruio lib. 6. Æneid. in eum locum quem statim adducemus & Donato in Hecyra Terentij,

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Virgilius d. lib. 6. Æneid. loquens de funere Miseni,

Pars calidos latices & ahena vndantia flammis,
Expediunt, corpúsque lauant frigentis, & vngunt.

Vbi Seruius ipse rationem reddit cur calida aqua abluerentur, vt iam suprà diximus in præcedentib. De hac quoque lotione idem Seruius lib. 4. Æneid. in eum locum.

Date vulnera lymphis
Abluam

Lauare, inquit, cadauera dabatur proximis. Citátque etiam illud eiusdem Virgilij suprà in verbo, Per interualla adductum. Nec vulnera lauit. Et Apuleius lib. 8. Metam. Tunc properè familiares miseræ Charites accuratissimè corpus, ablutum munita sepultura ibidem marito perpetuam coniugem reddidere. Et de hia quoque Lucianus in lib. de Luctu. Sed & de vnguentis & illud eiusdem Apuleij libr. 4. Floridorum. Iam miseri membra omnia aromatis aspersa, iam & ipsius vnguine odoro delibutum. Cur autem vngerentur docet Donatus in locum eum Æneid. vt scilicet celerius arderent, nec tamen prætermittendum legibus 12. tab. prohibitum cadauera vngi, vt scriptum est à Cicerone lib. 2. de legibus.

h *Candidóque amictu induere.*] Homerus lib. 18. Iliad. de cadauere Patrocli loquens,

ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν,
ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, καθύπερθε δὲ φάρει λευκῷ.

Id est,
In lectis autem ponentes tenui panno operuerunt
In pedes ex capite, desuper amictu albo.

Plutarchus in Arato ad fin. Continuò, inquit, ex Ægeo cadauer veste alba coronísque exornantes cum Pæana & Choris in vrbem intulerunt. Suetonius in Nerone, cap. 50. Funeratus est impensa ducentorum millium stragulis albis auro intextis, quibus vsus Calendis Ianuariis fuerat. Huius autem rei rationem si quis scire cupit, legat eundem Plutarchum probl. c. 25.

i *Ac diebus septem.*] Id iam diximus ex Seruio suprà in verbo, Per interualla. Sed & idem lib. 5. dicit, cuius verba infrà adducemus.

k *Quæ acerra dicta est.*] Id est ex Festo Pompeio lib. 1. Acerra, inquit, ara quæ ante mortuum poni solebat, in quo odores incendebant. Et subdit alios dicere acerram esse arculam thurariam, vbi scilicet thus reponebant. Huius autem acerræ siue in priore, siue in posteriore significatione mentio est apud Ciceronem in legibus funebribur lib. 2. de legibus. Ne longæ coronæ, nec acerræ prætereant. In posteriore autem Horat. lib. Car. 3. Ode 8. in princ.

Martiis celebs quid agam calendis,
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena miraris, &c.

Vbi Acron interpres scribit Acerram thuribulum dici, & lib. 5. Æneid.

—— Et plena supplex veneratur acerra.

Id est, vt scribit Seruius, arca thurali per Metonymiam, id quod continet pro eo quod continetur. Et Ouidius libr. 8. Meta.

Muneribúsque datis, & acerris thuris honorant.

Et lib. 13. eiusdem operis,

Dantque sacerdoti custodem thuris acerram.

Et lib. 4. Fastorum,

Cúmque meri patera thuris acerra fuit.

Et Plinius lib. 35. cap. 10. Pinxit sacerdotem, astante puero cum acerra & corona. Et Martialis lib. 10. epig. 14.

—— Septimamque
Vestris addimus hanc focis acerram.

l *Græcis verò.*] Id est ex Homero qui libr. 24. Odyss. tradit Achillis mortui corpus 17. diebus & noctibus defletum, & 18. die crematum.

ἑπτὰ δὲ καὶ δέκα μέν σε ὁμῶς νύκτας τε καὶ ἦμαρ
κλαίομεν, ἀθάνατοί τε θεοὶ θνητοί τ᾽ ἄνθρωποι
ὀκτωκαιδεκάτῃ δ᾽ ἔδομεν πυρί ——

m *Qui quidem amictus.*] Quo scilicet corpora mortuorum operiebantur. Et id quidem Herodoti libr. 2. vbi scribit de Ægyptiis loquens, vestibus amiciuntur lineis. Et paulò post,

Græci.

deorum importantur, Id quoque à Græcis vſurpatum fuit,[n] vt veſte alba cadauer [o] coroniſque ornarent,[p] & pæana canẽtes, ſepulchro inferrent[q] Die verò octauo per præconem Indicto funere, ne fraudarentur ſolenni honore ſupremi dies, vt homines ad honeſtandas exequias conuenirent: his verbis O L L V S letho datus eſt, proclamabatur. [r] Apud Spartanos erat conſtitutum, vt rege defuncto, equites obitum regis enunciantes curſitent, fœminæque crinibus paſſis & libero conqueſtu . tionitu ollas pulſent æneas, quibus nec nocte nec die quies, Tunc audito regis obitu, in omnem formam luctus concedi permiſſum erat : mulieréſque proxima affinitate, [s] in veſte candida [t] & capite aperto, ritu Romano eiulantes, funus celebrare. [v] Filij verò tecto [x] capite, [y] in veſte pulla parentes efferre conſueuere. Apud Græcos fœminæ viriſque in cãdida veſte cum coronis, ampliſſimi viri exequias proſequuntur, & velut in publico luctu complorant promiſcue. Quod fuit in more[z] Syracuſanis, qui candido amictu velati, & fronde coronati, Timoleonem extulere, cui perpetuos honores, atque in foro ſepulchrum decreuere: [a] ſicut Sicyonij Aratum in veſte alba & coronis ſepulchro intulere. [b] Argiui quoque in luctu albas veſtes aqua ablutas induunt, & in candido amictu funus comitantur, [c] Ægyptij [d] atque Aſſyrij funera obſiti ſquallore & ſordibus, ac cœno obliti, capillum ſummittentes, & barba detonſa : [e] Mileſij verò, eraſis capitibus, plangere conſueuerunt : [f] qui mos apud barbaros inoleuit frequens, vt in funere & caſibus aduerſis iuuenes tonderent comam, barbam ipſi ponerent, & vxorum capita deglabrarent.[g] Perſæ quoque detonſis coniugibus & liberis, lacera veſte, [h] lugubri vlulatu, corpora efferebant:[i] qui etiam in funere clarorum virorum ſeipſos, equos, & iumenta tondebant.[k] Apud Græcos conuenit, in luctu viros comas alere, barbam capillúmque ſummittere, mulieres

Spartanorum ritus rege defũcto.

Filij parentes efferebant.

Alba veſtis lugubris apud quos.

Luctus indicia coma detonſa & barba.

ANNOTATIONES.

poſt, Laneæ veſtes neque in ædes ſacras geſtantur, neque vnà cum cadauere ſepeliuntur, prophanum enim eſt. Quæ conſentanea ſunt his quæ Orphica & Barchica appellantur, ab Ægypto & Pythagora ortum ducentibus. Nam his cæremoniis participantem laneis indutum veſtibus humari religioſum. De quibus ſacra redditur ratio. Et vide infrà lib.4.c.17.

n *Vt veſte alba.*] Vt iam dictum eſt ſuprà in verbo, Candidóque amictu.

o *Coroniſque ornarent.*] Plinius loquens de coronis libr.21. c.3. Quia ergo honos, vt ipſi mortuo parentibúſque eius, dum intus poſitus eſſet foriſve ferretur, ſine fraude eſſet impoſita. Et Plutarchus in Arato, quo loco ſuprà citauimus in verbo, Candidóque &c. & Lucianus in libello de luctu.

p *Et paana canentes.*] Plutarchus in eod. loco.

q *Die verò octauo.*] Varro lib.5. aut aliorum computatione 6. de ling. Lat. Olli, inquit, valet dictum illi ab olla & ollo quod alterum comitiis, cũ recitatur à præcone, dicitur olla centuria. non illa. Alterum apparet in funeribus indictiuis, quo dicitur ollus letho datus eſt, quod Græcus dicit λήθῃ id eſt. obliuioni. Sed ad id quòd hic dicit de die octauo vide infrà.

r *Apud Spartanos.*] Herodotus lib.6.

s *In veſte candida.*] Plutarchus probl. c. 25. vbi eius rei rationem reddit.

t *Et capite aperto.*] Idem author eiuſdem operis, c.13.

u *Filij verò.*] Nam & Q. Metellum Macedonicum quatuor eius filij rogo intulerunt, vt tradit Plinius libr.7. cap.44. in princ. & ad hunc morem reſpiciens Iuuenalis ſaty. 10. ſcribit.

Incolumi Troia Priamus veniſſet ad vmbras
Aſſaraci magnis ſolennibus, Hectore ſimul
Portante, ac reliquis fratrum ceruicibus.

x *Tecto capite.*] Plutarchus Problem. d. c. 13. vbi rationem reddit cur filiæ capite aperto, filij recto id facerent.

y *In veſte pulla,*] Magna ex parte lugentium, & aliorum qui funus ſequebantur veſtitus pullus, id eſt, niger erat. Varro de vita patrum, Amiculo nigello, capillo demiſſo ſequerentur luctum. Homerus lib. 18. tradit Thetim aditu ram Iouem, cum Achillem filium breui ad Troiam periturum deploret, ſeſe velo nigerrimo operuiſſe. Et Craſſus ille diues murenam in piſcina domus mortuam atratus tanquam filiam luxit, vt ſcribit Macrobius lib. 3. Satur. c.15. De quo & tu vide Ælianum de natu. animalium lib. c. 4. Apud Apuleium lib.3. Metam. Quædam mulier per medium theatrum lachrimoſa & flebilis, atra veſte contecta, &c. Et libr. 7. Mater pueri mortem deplorans fletu & lachrymoſa, fuſcáque veſte contecta.

z *Syracuſanis.*] Plutarchus in vita Timoleonis.

a *Sicut Sicyonij Aratum.*] Idem in vita Arati ad fin.

b *Argiui quoque.*] Plutarchus authoritate Socratis, aut ve alij legunt, Iſocratis, probl. c.25. in fi.

c *Ægyptij.*] Herodotus lib.2. Ægyptij, inquit, in funeribus ſinunt capitis crines augeſcere, barbam tamen tondent. Vide Diodorum Siculum libr. 2. c.3. & c. 5. Pomponius Mela lib.1. c.9. Mortuos, inquit, fimo obliti plangunt. & Cicero lib.1. Tuſc. quæſt. & Plinius lib.11. c.37.

d *Aſſyrij.*] Strabo lib.16.

e *Mileſij verò.*] Herodotus lib. 6. vbi tamen de puberibus tantùm loquitur.

f *Qui mos apud Barbaros.*] Id procul dubio eſt Suetonij in Caligula c.5. Cuius hæc verba ſunt de morte Germanici loquentis, Quin & Barbaros ferunt, quibus inteſtinum, quibúſque aduerſus nos bellum eſſet, velut in domeſtico communique mœrore conſenſiſſe ad inducias. Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & vxorum capita raſiſſe ad indicium maximi luctus.

g *Perſa quoque.*] Q. Curtius lib.10. Perſæ, inquit, commiſſo more detonſis in veſte lugubri coniugibus ac liberis, non victorem & modò hoſtem, ſed vt gentis ſuæ iuſtiſſimum regem lugebant. Et quod de liberis hic tradit apud alios quoque ſeruatum eſt, vt in luctu filios tonderent, vt intelliges ex Seneca lib. 5. de beneficiis, vbi Archelao loquitur.

h *Lugubri vlulatu.*] Nec hi quidem ſoli. Nam & idem Virgilius teſtatur de funere Pallantis lib.11. vbi ait :

—— *Vlulatúſque ore dedere, &c.*

i *Qui etiam in funere.*] Hoc certè eſt Herodoti lib. 9. vbi de morte Maſiſtij, quem Græci Maciſium vocabant, loquitur, cuius hæc ſunt verba : Vbi in caſtra rediere, ingens luctus cùm omnem exercitum, tum verò Mardonium cœpit extincti Maſiſtij, viri ſecundum Mardonium honorariſſimi, tam apud Perſas, quàm apud Regem, ita vt eiulatus eorum omnem Bœotiam peruaderet, & ſeipſos & equos & iumenta totonderint. Plutarchus in vita Alexandri, tradit eum in luctu Hephæſtionis mortui, equos mulóſque totondiſſe, & finitimarum vrbium pinnacula diruiſſe.

k *Apud Græcos.*] Plutarchus probl. cap. 13. Apud Græcos ſi quid aduerſi acciderit, vt mulieres tonderi: ſic viri comas alere conſueuerunt, & huius rei rationem reddit, quam inibi videre poteris, quod & hoc exemplo comprobatur. Nam cum Athenienſes in Æginam exercitum miſiſſent, qui occidione deletos ab Æginetis viſis Laconum auxilio.

vero tonsis crinibus esse: quem morem à Romanis vsurparum legimus, vt sorores defunctis fratribus, & marres filiis orbatæ, in acerbo funeris luctu, cum flebili vociferatione detonsos [l] crines corpori imponerent: qui mos antiquissimus vsque [m] ab Homero traditur: apud quem Patrocli cadauer pectum amicorum capillis superiectis fuit: & Achilles flauam comam in defuncti Patrocli funere manibus secuit. [n] Quippe ea lugenti aptissima putantur, quæ indecora nec vsitata sunt. Cuius rei causa, [o] in Lycia affines & propinqui in funere muliebres vestes induunt, vt eam vestibus deformitatem pertæsi, citius à lachrymis abstineant. [p] Macedonibus assuetum erat, vt crines tonsi, defunctos lugeant. Namque Archelaus Macedoniæ Rex, Euripidem tragicum intimum familiarem, crinem tonsus luxit. In quo facetissimum illud [q] Bionis proditur, perinde lugentes capillum euellere, quasi caluitij mœror leuaretur. [r] Carthaginenses in luctu comas & ora lacerant, & vbera plangunt. Idem Græcis in vsu fuit, vt in luctu capillum manu discindant, & comam vellant, vtque defuncti vxor in fletu oculos corrumpat, quasi hoc munus morientis foret. [s] Ægyptiis quoque traditur mos, vt in obitu Regis singuli capita luto deturpent, & nudatis mamillis mulieres, viriq; pectora plangant.

Iliad. N.

Lycij.
Macedones.
Bionis dictum.
Carthaginenses & Græcis.
Ægyptij in obitu regu.

ANNOTATIONES.

viri ob eam causam comam alere iussi, mulieres verò tonderi contra naturæ leges, vt proditum est ab Euripidis interprete. Romani in aliis luctibus quàm funerum capillum barbámque promittebant, ex Liuio 1. Decad. libr. 6. vbi de Manlij Capitolini vinculis loquitur. Et 3 Dec. lib. 7. vbi de M. Lucio. Sed erat, inquit, veste obsoleta capillóque & barba promissa præferens, in vultu habitúq; insignem memoriam ignominiæ acceptæ. Varro ille qui cædis Cannensis causa fuit, post eam barbam capillúmque submisit, honoribúsque cum ei deferrentur, renuociauit, vt scribit Iulius Frontinus Stratagematon lib. 4. cap. 5. Apud Statium lib. 6. Thebaidos Lycurgus in funere Archemori filij comam & barbam totondit,

—— Tergoq; & pectore fusam
Cæsariem ferro minuit. ——

Quo loco interpres intelligit Cæsariem pro barba & coma, vt scilicet coma ad tergum, & barba ad pectus respiciat. Sisenna libr. 4. apud Nonium Marcellum, quo loco de distinne vicatim loquitur. Cùm complures menses barba immissa, intonso capillo, lugubri vestitu populum vicatim flens vnà cùm liberis circuiret. Apud Virgilium lib. 9. Æneidos. Euryali mater audita morte filij comam sibi scidit:

— Euolat infælix, & fæmineo vlulatu
Scissa comas, &c.

l *Detonsos crines corpori imponerent.*] Propertius libro 1. eleg. 17.

Illa meos charos donasset funere crines.

Et Catullus in Argonauticis,

Illius egregias virtutes, claráque facta
Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres,
Cùm in cinerem canos soluent à vertice crines.

Et Ouidius lib. 3. Metam. de sororibus Narcissi,

— Planxere sorores
Naiades, & sectos fratri imposuere capillos,

Et 10 epist. Canaces ad Macraeum,

Non mihi te licuit lachrymis perfundere iustis,
In tua non tonsas ferre sepulchra comas.

Et Seneca in Phœdra act. 5. sce. 1.

Placemus vmbras, capitis exuuias cape,
Laceręq; frontis accipe abscissam comam.

Et Statius lib. 7. Thebaidos,

— Tergoq; & pectore fusam
Cæsariem ferro minuit, sectisq; iacentis
Obnubit. —

Dionysius Halicar. loquens de funere Virginiæ. Exiliebant ex ædibus mulieres & virgines deflentes hunc casum, flores aliquæ & coronas aduersus lectulum iniicientes, aliæ zonas & baltheos, aliæque vittas virginalis comæ, & quædam etiam retortos crinium dependentes capillos.

m *Ab Homero*] Scilicet libr. 23. Iliad. loquens de Myrmidonibus.

θριξὶ δὲ πάντα νέκυν καταείνυον, ἃς ἐπέβαλλον κειρόμενοι, &c.

Et paulò post de Achille,

στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην
τήν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν.

Et hunc morem exemplo Achillis obseruauit Antonius Bassianus Caracalla in funere Festi, apud Herodianum libr. 4. Sed & idem Homerus libro 4. Odyss. de morte Antiochi,

τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι
κείρασθαί τε κόμην βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.

Et eiusdem operis lib. 24. statim post princ. de funere ipsius Achillis,

δάκρυα θερμὰ χέον δαναοί κείροντό τε χαίτας, &c.

Quem locum imitatus est Q. Calaber, facit etiam Myrmidones in funere ipsius Achillis comas circum tondere,

ἀμφὶ δὲ χαίτας μυρμιδόνες κείροντο.

Et Briseidem quoque *κεκαρμένη πλοκάμους*. id est, tonsis crinibus eodem officij genere prosequi. hic vide Hadrianum Iunium in Commentario de Coma c. 5.

n *Quippe ea lugenti.*] Plutarchus probl. c. 13.

o *In Lycia.*] Idem Gregorius Giraldus in libr. de sepulchris nullo quoque authore citato, sed id est Valerij Max. lib. 2. c. de institutis antiquis, & Plutarchi in Oratione consolatoria ad Apollonium.

p *Macedonibus.*] Cicero vbi statim citabimus nu. seq. Solinus cap. 14 aut aliorum computatione 15. vbi & illud de Archelao tradit. Sed & id quoque fecit Alexander Macedo in funere Ephæstionis apud Arrianum lib. 7. Et alus quoq; Nam apud Theocritum Idyllio, Cupidines mortem Adonidis lugent *κεράμενοι χαίτας*, detonsis crinibus. Et Iob quoque cap. 1. nunciata nece liberorum caput totondit, quo in loco Diuus Hieronymus dicit eum morem fuisse lugentium, licet aduersetur Origenes non admodum probabiliter. Nam & Ieremiæ 7. scribitur, Tonde capillum tuum & proiice, & sume in directum planctum: quia proiecit Dominus, &c. Apud Plutarchum in Lysandro. Barchiadæ Corintho exules squalidi detonso capillitio Lacedæmona profugerunt. Herodotus lib. 1. tradit Argiuos ob amissam victoriam in campis Thyreaticis lege cauisse ne quis comam nutriret ante pristinæ gloriæ decus recuperatum. Lacones verò victores contrà sanxisse, ne quis comam tonderet contra morem eorum. Cuius rei etiam nonnihil meminit Plato in Phœdone.

q *Illud Bionis proditur.*] Apud Ciceronem lib. 3. Tuscul. q.

r *Carthaginenses in luctu.*] Virgilius lib. 4. Æneid. loquẽs de Anna Didonis sororis mortem deplorante,

Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.

Vbi pectora ille vocat, quæ hic vbera appellat, sunt enim vbera in pectoribus. Apud Q. Curtium lib. 10. Darij mater audita morte Alexandri laceratis crinibus humi corpus abiecit.

s *Ægyptiis quoque.*] Herodotus lib. 2. Diodorus libr. 2. c. 3. & Pomponius Mela lib. 1. c. 9. quo Ægyptum describit. Sed & his adde quòd ignem extinguebant, donec funus esset absolutum ex eodem Diodoro lib. 17.

Lacedæmonij.

atque in deformi illuuie septuagintaduos dies cibis animantium, vino & omni apparatu abstineãt: ac recensentes Regis virtutes, crebris eiulatibus luctum renouent. [t] Si vero feles moriatur, in luctus & mœroris signum, sola supercilia eradant, [u] Apud Lacedæmonios obitu Regis enunciato, Spartiatæ serui & mulieres, ingenti coacta manu, laceratis crinibus abscissa veste, cum vocibus & vlulatu frontes manu plangunt, & capite conuerberato, interitum miserantes, eum fuisse optimum regum, voce significant: quem morte sublatum, omni genere bonorum velut diuinum cumulari Lycurgus lege sanxit. Idem præualuit mos, regum & optimatum in funebri pompa, vbi dolore intestino premuntur, vt decoris immemores, [x] cinere caput aspergant, faciem [y] deturpent, [z] tunicam discindant, [a] humi iaceant, [b] comam vellant. [c] Contrà verò Thraces: nam defunctos cum cantu & luxu, lasciuáque gesticulatione patrium carmen canentes, efferre soliti sunt. [d] Massilienses quoque nullo dolori indulgentes, funera cum necessariis adiecto conuiuio celebrant. [e] Cimbri & Celtiberi, si qui in acie mortem oppetunt, gaudio exultant: si autem morbo affecti decedunt in squallore & luctu sunt. Pellibus quoq; vestiri Romanos diebus luctus, & qui funus facerent, cuiusq; cura & procuratio funeris erat, [f] prætextam pullam induere, apud multos inuenio. [g] Solitos etiam illorũ corpora qui magistratus & honores gesserat, in prætexta purpura, togaq; consulari vel senatoria, [h] virosq; triumphales in tunica Iouis, [i] plebeiorum verò in toga plebeia aut pallio efferre, & [k] cum eisdem illa cremare, sæpe compertum est. [l] Lecto

Thraces. Massilienses. Cimbri Celtiberi. Romani. Qui magistratus aut honores gesserant.

ANNOTATIONES.

t *Si verò feles moriatur.*] Herodotus d. lib. 2.

u *Apud Lacedæmonios.*] Herodotus lib. 6. Sed & de his præterea tradit Heraclides in Politicis, quòd Lacedæmoniorum Rege mortuo per totum triduum nihil venditur, atque forum paleis conspergitur.

x *Cinere caput aspergant.*] Lucianus in libello de luctu, & probatur testimonio Homeri apud quem Achilles audita morte Patrocli, cinere caput aspersit, lib. 18. Iliad. post prin.

ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
χεύατο κὰκ κεφαλῆς, &c.

Et etiam satyr. lib. 13.

Nunc propexis in pectore barbis
Verrere humum, nunc fœdantes in puluere crinem
Canentem, &c.

Idque solenne erat Iudæis, vt in luctu cinere & puluere capita spargerent, vt videre licet 2 Regum 13. Quæ aspergens cinerem capiti suo, &c. & Iudicum 4. Et erat cinis supra capita ipsorum. & Esther 4. in princ. Quæ cum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua & indutus est sacco, spargens cinerem capiti, & Ieremiæ 6. Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere, luctum vnigeniti fac tibi amarũ, &c. & rursum c. 5. Vlulate pastores, & clamate, & aspergite vos cinere, &c. & Machab. 1. c. 3 Et induerunt se ciliciis & cineres imposuerunt capiti, & diruperunt vestimenta sua. Id autem alibi puluere faciebant. Iosue 7. Miseruntque puluerem super capita sua, & 1. Reg. 4. Currens autem vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa scissa, veste, & conspersus puluere caput. & 2. Reg. 1. in princip. In die autem tertia apparuit homo veniens in castris Saul veste concissa, & puluere conspersus caput. & Iob. 2. ad finem. Et exclamantes plorauerunt, scissisq; vestibus sparserunt puluerem super caput suum. Apud Catullum autem in Argonauticis,

Canitiem terra, atque infuso puluere fœdans.

Et Virgilium lib. 10. Æneid.

Canitiem multa deformat puluere.

In Cyri Charme,

— Clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat puluere crines.

Et aliquid etiam diximus suprà lib. 2. c. 19.

y *Faciem deturpent.*] Lucianus in d. libello de luctu.

z *Tunicam discindant.*] Lucianus ibi. Hincque illud Iuuenalis satyr. 10.

— Vt primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissaq; Polyxena palla.

Idque in omni luctu & dolore fieri consueuit. Suetonius in Nerone, cap. 42. Vtque resipuit veste discissa, capite conuerberato actum de se pronunciauit, & Iob cap. 1. audita filiorum nece scidit vestimenta. & 2. Reg. 3. Scissa talari tunica, &c. 1. Reg. 4. 2. Reg. 1. Iudith. 4. Iob. 2. 1. Machab. 3. quibus locis nuper citauimus, & Iosue 7. Iosue verò scidit vestimenta sua, &c. Ex quo & illud Virgilij libro 5. Æneidos,

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem.

Vbi Donatus dicit id signum fuisse maximi doloris. Apud Dionysium Halicarnassæum libr. 7. Mater & vxor Marcij Coriolani ob ipsius condemnationem laceratis vestibus pectora plangebant.

a *Humi iaceant.*] Lucianus vbi antea citatus, & Q. Curtius libro 10. vbi eum citauimus suprà in verbo, Carthaginenses.

b *Comam vellant.*] Lucianus in eod. loco, hæc autem omnia Alexander ab eo accepisse videtur.

c *Contrà verò Thraces.*] Herodotus lib. 5. Pomponius Mela lib. 2. c. 2. Quintilianus lib. 5. c. de Exemplis. Solinus cap. 16. aut aliorum computatione 17. Valerius Maximus lib. 2. c. 1. Sed præterea ipse Herodotus dicto libr. 5. scribit apud eosdem Thraces tales sepulturas optimatibus fuisse, prolato triduum cadauere, mactatisque omnifariis hostiis conuiuantur, illúdque defletum prius, deinde combustum sepeliunt, aut aliter humo contegunt, aggestóque tumulo, cum alia omnis generis certamina, tum præcipuè cum certa ratione monomachiam, id est, singulare certamen.

d *Massilienses quoque.*] Valerius Maximus d. lib. 2. c. 1.

e *Cimbri & Celtiberi.*] Vtrotumque testis Valerius eodem loco. Vide autem an sit de antiquis institutis.

f *Prætextam pullam induere.*] Festus Pompeius lib. 14. Prætexta, inquit, pulla nulli alij licebat vti, quàm ei qui funus faciebat.

g *Solitos etiam.*]
h *Vtroq; triumphales.*]
i *Plebeiorum verò.*]
k *Et cum eisdem.*]
De his quatuor locis vide infrà in verbo, Constrato.

l *Lecto igitur.*] Antiquum est in lecto funera ponere & deferre, vt patet ex iis locis quæ tibi ex Homero citauimus suprà annota. 3. 7. & 8. Et ex eo scribit Virgil. de funere Miseni loquens lib. 6. Æneid.

Tum membra toro defleta reponunt, &c.

Et Appianus libr. 2. belli Ciui. de funere Cæsaris loquente. Hæc, inquit, referés vestem à pectore quasi lymphatus quidam abscidit, sóq; ea accingens manum dexteritate lectum sub tentorio posuit. Et Valerius Maximus lib 4 de moderatione animi loqués de Metello Macedonico, qui filios suos monuit, vt funebri eius lecto humeros subiicerent. Et Suetonius de funere quoque in vita ipsius, c. 85. Intráque lectus eburneos auro & purpura stratus. Et paulò post. Lectum pro rostris in forum, magistratus & honoribus functi detulerunt. Plinius quo loco citabimus infrà in verbo, Tibicine præcedente.

m *Constrato*

igitur [m] constrato purpura aut [n] linteis splendentibus, & in eo defuncti corpore locato, post [o] vltimam conclamationem, tibicine [p] præcedente, qui [q] nænlam funebrem, qua laudes defuncti & facta recensebar, tum pudorem, integritatem & fidem, non saltabundus, vt olim, sed stans [r] Phrygio modulo caneret, funus procedebat. Is enim modus erat ad mœrorem accommodatior: quod ideo institutum ferunt, quasi in illas æternas amœnitates, ac in sedes & concilia piorum post funera recepti videantur: [s] tametsi multi hoc funeris solenne, & omnem apparatum prætermitti iusserint. Quippe M. [t] Æmylius Lepidus princeps, senatus decedens, præcepit filiis, vt sine linteis, sine purpura & tibicine funus sibi facerent. Et [u] Atticus Pomponius, multique elati viri sine pompa funeris efferri voluere: [x] præficásque quæ luctui præessent, aduncare, vel pretio conducere solebant, quæ cantu & funebri carmine lamentarentur, vitámque & præclara gesta, summásque virtutes non sine miseratione laudarent. Nonnunquã mimos qui personas effingerent, ac facta dictaq; repræsentarent, adhibebant. [y] Quas quidem nænias Græcis in luctu sæpe decantari inuenimus, qui apio coronati, defuncti laudes recen-

Nænia.

Qui funeris pompam contempserint.

Præficæ.

Nænia.

ANNOTATIONES.

m *Constrato purpura.*] Ex Suetonio nuper citato, & hinc illud Tullij loquentis de funeribus, lib. 2. de legibus. Extenuato sumptu tribus riciniis, & tunicula purpurea, &c. Et Valerius Tribunus plebis in illa eleganti Oratione apud Liuium 4. Decad. lib. 4. Purpura viri vtemur, magistratibus in coloniisque municipiisque togæ prætextæ habendæ ius est: nec id vt viui solùm habeant tantùm insigne, sed etiam vt cum eo cremeotur mortui. Ante hos Virgilius lib. 6. Æneid. in funere Miseni,

Tum membra toro defleta reponunt

Purpureasque super vestes, &c.

n *Aut linteis splendentibus.*] Vide suprà in verbo, Candidóque amictu.

o *Post vltimam conclamationem.*] De qua suprà in verbo, Per interualla conclamatum.

p *Tibicine præcedente.*] Sine etiam Tibicinibus. Nam Tullius ad ea quæ ex eo nuper adduximus 2. de legibus, addit & decem Tibicinibus. Ouid. lib. 6. Fast. de his loquens ait,

Adde quod ædilis pompa qui funeris irent,

Artifices solos iusserat esse decem.

Nam & paulò ante dixerat,

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Appianus lib. 1. bellorum Ciuilium, scribit tibicinum copiã adfuisse funeri Syllæ. Plinius lib. 10. c. 43. loquens de corui exequiis, qui more hominum tumulatus est. Funúsque, ait, innumeris aliti celebratum exequiis, constratúmq; lectum super Æthiopum duorum humeros præcedente tibicine (sunt verba Alexandri nostri) ad rogum vsque &c. Festus autem Pompeios libr. 6 non longè à fi. Funebres, inquit, tibiæ dicuntur, cum quibus io funere canitur. & vide infrà num. seq. Sed non omiserim apud Iudæos id quoque obseruatum fuisse, vt in funeribus tibicines canerent; vt videre licet ex D. Matthæo ca 9. in resuscitatione filiæ mortuæ cuiusdam Principis.

q *Qui næniam funebrem.*] Festus Pompeius lib. 12. in princ. Nænia, inquit, est carmen quod io funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. Diomedes Grammaticus, Apud Romanos, ait, id carmen, quod cum lamentatione extremum atq; vltimum mortuo adcanitur, nænia dicitur. Nonius Marcellus. Nænia ineptum & inconditum carmen, quod adducta mulier quæ præfica dicitur, iis, quibus propinqui non essent, mortuis exhiberent, citátque illud Varronis libr. 4. de vita populi Ro. Ibi à muliere, quæ obtura à voce esset, per quam laudari, deinde næniam cantari solitam ad tibias & fides. Acron & Porphyrion interpretes Horatij libr. 2. Car. Ode 1. enarrantes eum locum,

Ceæ retractes munera næniæ, &c.

Scribunt autem næniam esse carmẽ lugubre, quod in mortuos cantabatur, quod nunc, vt addit Acron, Græcis Epitaphium appellatur, quod Simodines Græcus poeta Lyricus primus instituit à Cæa Insula oriundus, vnde & Horatius Cæam næniam eo loco vocat. Et alibi Car. lib. 3. Ode 28. hunc enarrans versum,

Dicetur meritò vox quoque nænia.

Nænia, ait, carmen est, qood mortuis cantabatur, in honorem Inferorum. Sed bene nocti hoc carmen accommodat propter tenebras & somnum, quæ morti sunt proxima. At Cicero 2. lib. de legibus: Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, eásque etiam cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen næniæ, quo vocabulo etiam Græco cantus lugubres vocantur. Quintilianus lib. 8. c. 2. Tertius hinc est diuersus translationis modus, cum res communis pluribus in vno aliquo habet nomen eximium, vt carmen funebre, propriè nænia. Húcque etiam illud Ouidij Fastor. 6.

Ducit supremos nænia nulla choros.

De puerorum autem næniis Horatius lib. epist. 1. epist. 1.

Roscia dic sodes melior lex an puerorum

Nænia, quæ regnum rectè facientibus offert.

Vbi & Acron scribit næniam esse laudem mortuorum, sed ibi quoque cantilenam esse. Sed & de Nænia Dea diximus suprà lib. 2. cap. 4.

r *Phrygio modulo caneret.*] De hoc vide infrà lib. 4. c. 1. vbi intelliges & hunc ad religionem spectare.

s *Tametsi multi.*] Hoc probat exemplis seq.

t *M. Æmylius Lepidus.*] Lucius Florus epito Liuij lib. 48.

u *Et Atticus Pomponius.*] Cornelius nepos in vita ipsius in fin. Et id quoque nostris temporibus testamento suo fieri prohibuit Budæus ille Gallorum decus.

x *Præficasq.*] Quod satis patet ex his quæ suprà dicta sunt in verbo, Qui næniam funebrem. Sed quibus addes Nonium Marcellum, cuius hæc verba sunt. Præficæ dicebantur apud veteres quæ adhiberi solent funeri, mercede conductæ, vt & flerent, & fortia facta laudarent, vtiturque in eam rem testimonio Plauti in duobus locis, Lucilij libr. 22. & Varro de vita patrum, libr. 4. vt inibi videre poteris, & Fest. Pompeius. Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ, citátque Næuium poëtam. Seruius enarrans illud Virgilij lib. 6. Æneid.

Et ferales ante cupressos,

Appellat præficam planctuum principem. Et alibi libr. 9. in eum locum,

Nec te tua funera mater

Produxi.

Præficæ, inquit, vt suprà diximus, sunt planctus principes non doloris. Ante hos Varro lib. 4. de ling. Lat. idem propemodum ferè scribit, vbi item laudat authorem Aristotelem in libr. qui inscribitur, nomina Barbarica, ipsum Næuium, Aurelium nescio quem, & Claudium vti videbis.

y *Quas quidem nænias Græcis.*] Id accepisse videtur ex deprauata lectione Tullij libr. 2. de legibus, vbi sic olim legebatur in eo loco quem suprà in verbo, Qui næniam, citauimus. Honoratorum virorum laudes memorentur, eásque etiam cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen næniæ, qoo vocabulo etiam Græci cantus lugùbres nominant. Verùm Adrianus Tornebus lector regius vir vtique litterarum Græcarum & Latinarum scientissimus, in suis, in eum librum, Commentariis admonnit legendum esse vt suprà adduximus. Hi enim lugubres cantus apud

ἰάλεμος. Senatores. Patricij. Plebeij. Imperatores. Feretrū qui ferebant.

sere carmine, [z] quod Ialemon vocant, & res memoratu dignas, claro præconio celebrare assuerant. [a] Senatoribus verò & patriciis, atque summis ducibus, tuba: minoribus & plebeiis, exequialitibia canebant siticines. Quam tibiam non in funeribus modo, [b] sed in sacris, in ludis, & [c] conuiuijs adhibebant. Imperatoribus etiam pluribus tubis mœstum plangentibus, quòd à Caribus & Phœnicibus deductum autumant, qui in funebri pompa breuibus tibiis lugubre canentibus, vti consueuere. [d] Deferendi verò feretrum, propinquioribus virilis sexus dabatur munus. [e] Itaque filij parentes, & fratres sorores elatos funere deferebant: [f] nonnunquam serui libertate donati, [g] plerunque senatorij, prætorij & consulares, quiq; amplissimis honoribus functi erant, imperatorū & consularium virorum feretrum detulere. [h] Quare Pauli Æmylij, qui de Macedonia triumphauit, legati Macedonum: [i] & Syllæ

ANNOTATIONES.

Græcos ἰαλέμοι dicuntur, non, næniæ, quæ dictio merè Latina est. Scio autem Ioannem Grammaticum scripsisse Ialemum & Hymenæum creditos fuisse Clius filios, quoniam ille flebiles cantus excogitasset, hic Epithalamium & Iambicos. Porro ἰάλεμον pro eiulatione & cantu posuit Euripides in Troid.

οἴοις ἰαλέμοις, οἵαισι τ' ᾠδαῖς
λακρύοις τ' ἐν δακρύων κατακλύεσθαι
ὑμετέροισι δόμοισι.

Et Aristophanes apud Athenæum Grammaticum, vt nonnulli putant in dictionibus Atticis

ἐν γάμοις ὑμέναιος, ἐν δὲ πένθεσιν ἰάλεμος.

z *Quod Ialemon vocant.*] Vt iam diximus in præcedentib.

a *Senatoribus verò.*] Ex Lactantio Grammatico Statij interprete lib.6. Thebaidos in enarratione eius loci,

Cum signum luctus cornu graue mugit adunco
Tibia, &c.

Ad id quoque referens illud Persij satyr. 3.

Hinc tuba candelæ, tandemq; Beatulus alto
Compositus lecto, &c.

Húcque etiam spectat illud Virgilij loquentis de funere Pallantis Regis Euandri filij, lib.11. Æneid.

It cœlo clamorq; virûm, clangorq; tubarum.

Vbi Seruius simpliciter dicit, mortuos ad tubam deduci solitos, citátque Persium vbi suprà. Spectat item illud Ouidij lib.5. de Tristibus eleg.1.

Tibia funeribus conuenit ista meis.

Seruius autem in eum locum lib.5 Æneid.

Laudumq; immensa cupido.

Aliter de hac re loquitur, ita scilicet vt maioris ætatis funera ad tubam proferre solerent, ex eod. illo loco Persij. Minoris verò ætatis ad tibias ex alio Statij loco loquentis de Archemoro,

Tibia cui teneros solitum deducere manes.

Illud autem minimè dubium, in cuiuscunque ordinis & ætatis funeribus tibicines, vel tubicines canere solitos, quòd vel constat ex illis locis Propertij lib.2. eleg.7. ad fi.

Ah mea tum quales caneret tibi Cynthia cantus
Tibia, funesta tristior illa tuba.

Et iterum eleg.14.

Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei.

Et lib.4. eleg.12. eodémque vlt.

Sic mœstæ cecinere tubæ, cùm subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica rogos.

Atque etiam ex eo quod scribit Plutarchus in libr. de industria animalium. Tonsor, inquit, quidam officinam Romæ habens, picam habebat admodum loquacem, humana verba, ferarum sonos reddere. Instrumentorum omnium garritus, & strepitus effingere, nullo cogente, sed sponte sua assuefacientem sese, ac nihil indictum, animatúmque relinquere gestientem. Accidit autem vt illac diues quispiam ingenti tibicinum strepitu efferretur. Pica postridie muta elinguisque fuit, adeo vt nec quam inter quotidianas necessitates vocem emittere solita esset, mitteret, vnde suspicati sunt alij per eiusdem opificij homines venenum ei datum, alij tubarum voce auditum stupefactum, sed neutrum fuisse postea constitit: verùm eam interim omni ingenij studio intrò reuocato, vocem sic vt organum aptasse atque instituisse. Subitò enim rediisse, non consueta veteráque imitamenta, sed tubarum tantum iisdem prorsus periodis sonantem transitus omnes, omnésque numeros eodem pacto seruantem. Hæc ille, quæ mihi non indigna visa sunt, quæ hoc loco adscriberem. Et vide etiam infrà in verbo, Et Syllæ. Macrobius autem lib. 2.3. in Somnium Scipionis. Scribit ideo mortuos ad sepulturam cum cantu prosequi solere, quoniam animæ ipsæ post corporis vincula ad originem dulcedinis musicæ, id est, ad cœlum ipsum redire creditum antiquis fuisse, quanquam alij ideo id factum putant, quòd anima ipsa à plerisque harmonia existimata est, quod & ipsum credidit inprimis Herophilus. Et qui eius fuerint opinionis tradit Cicero. lib.1. Tusc. quæst.

b *Sed in sacris, in ludis.*] Ouidius lib.4 Fasto.

Temporibus veterum tibicinis vsus auorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis
Cantabat mœstis tibia funeribus.

Et paulò post,

Quæritur in cœna cantus tibia, quæritur aris.

Sed & quòd sacris adhiberentur tibicines, notissimum est ex ea historia, quam de illis narrat Liuius 1. Decad. lib 9. & Valerius Maximus lib. 2. cap.1. & Seneca quo loco infrà citabimus, vbi de Xenophonte loquemur. Ludis quoque idem Liuius 1. Decad. libr. 7. post principium. Sed & ipsis ludis tubarum vsum fuisse probat illud Virgilij libr. 5. Æneidos,

Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

Vbi Seruius dicit id Romano more fuisse.

c *Et conuiuiis.*] Cytharam, & alia instrumenta musica adhibita fuisse conuiuiis, docebimus infrà lib.5. c.21.

d *Deferendi verò.*] Ex Seruio libro 6. Æneidos in eum locum.

— Pars ingenti subiere sepulchro
Triste ministerium. ———

Vbi scribit propinquorum virilis sexus hoc dari officium.

e *Itaque filij parentes.*] Quod probat exemplis quæ paulò post subiiciet.

f *Nonnunquam serui libertate donati.*] Vide interpretes in eum locum Persij satyr. 3.

——— At illum.
Hesterni capite induto subiere Quirites,

Vide etiam quæ dicemus infrà in verbo, Nonnunquam illos.

g *Plerumque senatorij.*] Suetonius in Cæsare, cap.85. lectum pro rostris in forum, magistratus & honoribus functi detulerunt. & in Augusto, c.100. Ac senatorum humeris delatus in campum crematúsque. Appianus Alexandrinus libr. 1. belli Ciuilis funus Syllæ describens Lecticam, inquit, subiere potentiores ex omni senatu.

h *Quare Pauli Æmylij.* Valerius Max. lib.2. c.5. Vide item Plutarchum in vita illius in fi.

i *Et Sylla.*] Appianus libr. 1. bellorum Ciuilium de funere eius loquens. Corpus denique accurrente exercitu sacerdotes, sacræque virgines per vices detulere. Ex quo intelligis non senatores hic legendum sed sacerdotes. Quanquam etiam senatores idipsum quoque subiere, vt idem paulò pòst scribit. Lecticam, inquit, subiare potentiores ex omni senatu, &c.

diſtatori feretrum, ſenatores & ſacræ virgines extulerũt. [k] Et Metello filij tres conſulares, duo triumphales, vnus cenſorius, & alter prætor lectum ſubiere. Dúmque effertur, inſignia honorum quos geſsiſſet, vt [l] faſces, ſecures, lictores, [m] armáque & dona [n] militaria, coronáſque [o] omnis generis quas in vita meruisſet, vexilla, atque [p] vrbium dona & [q] legionum, [s] ſpoliáque hoſtium, ac munera quæ quis daturus erat, [t] expreſſóſque cera vultus, & decora maiorum totiúſque familiæ longo ordine ſimulacra, & gentile ſtemma præferebant ab vltima origine, quanto cum poterant apparatu: [t] Quare C. Cæſar in amitæ funere, Matij ſtatuas pro decore familiæ detuliſſe fertur. [u] Et Tiberius in Druſi funere originem Iuliæ gentis, Ænean, omnéſque Albanorum reges, Romulum, & Appium Clauſum cæteráque Appiorum effigies longo ordine produxit. [x] Ferunt quoque Iuniam quæ Caſsio nupta fuit, viginti clariſsimarum familiarum imagines, velut indicium ſplendoris & vetuſtatis familiæ, in funere præceſsiſſe: inter quos Manlios & Quintios, Caſsiúmque & Brutum. [y] Nonnunquam, vt ampliore efferrentur funere, plures defuncto ſtrauere lectos, qui inſtrati in pompa funeris antelbant, ſicut de Sylla, cui ſex millia, & Marcello, cui ſexcentos prælatos legimus. [z] Tum ſi qui ab eo ſerui manumiſsi & libertate donati fuerant, illi præcipuè, qui fide inſignes à domino cogniti forent, herilem interitum miſerantes, pleni lachrymarum, elatum corpus præcedebant pileati, aut alba lana capitibus velatis: quo quanto plures erant, tanto plus nominis laudisque dedere, quòd familiam totam decedens dominus, tantis muneribus cumulaſſet, ac libertatis pretio affeciſſet. [a] Nonnunquam illos qui raſis capitibus triumphantis currum fuerant proſequuti, eiuſdem defuncti corpus pileatos in pompa funeris præceſsiſſe inuenimus. Q. [b] Terentium Culleonem, quem Scipio Africanus ſeruitio exemerat, [c] quíque triumphantis currum capite raſo fuerat proſequutus, eiuſdem elatum corpus pileatum præiſſe memorant: [d] poſt ſequente proximiorum affinium & amicorum turba, lugentis habitu, capillo demiſſo, [e] in veſte pulla aut [f] cærulea, vt Cato ſignificat. Quum enim adoleſcentis funus facerent, cæruleum frequentes induebant. [g] Apud exteros verò phæus color ſumebatur in luctu. Namque Antiochus, audito fratris obitu, purpura depoſita, phæum induit, qui inter album & nigrum fuiſſe color traditur. [h] Nonnunquam ſenatu vniuerſo & magiſtratibus cum vexillis, interdum equitum turmis, ſi quando regum aut imperatorum funus efferrent, comitantibus. [i] Funeris enim lex erat, vt præcedente pompa funebri, viui ſequantur, tanquam haud multo pòſt morituri. Interim

Imperatorum & conſularium virorum feretrum à quibus ferebatur. Pompa funebris.

Lecti defuncto ſtrati. Liberti in funere herili.

Veſtium lugubrium color. Apud exteros. Phæus color. Lex funeralis: interdum non efferebant mortui.

ANNOTATIONES.

k *Et Metello.*] Valerius Max. lib. 2. c. 5. & Plinius lib. 7. c. 44. in princ. & Plutarchus in lib. de fortuna Romanorum.

l *Faſces, ſecures, lictores.*] Appianus libr. 1. belli Ciuil. vbi deſcribit pompam funeris Syllæ. Præcedebant ſigna, ſecuréſque, quibus cùm eſſet Dictator, vtebatur.

m *Armaq́.*] Vt dictum eſt. Et vide Seruium in eum locum Virgilij lib. 11. Æneid.

Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis
Coniiciunt igni, galeas, enſesq́ decoros.

Et lib. 6. Æneid. in funere Miſeni,

—— Decorantq́ ſuper fulgentibus armis.

Vbi Donatus ſic ait: Fortium, inquit, virorum cum ipſis funeribus arma apud veteres conſumebantur.

n *Dona militaria.*] Virg. lib. 11. Æneid in funere Pallantis,

—— Pars munera nota
Ipſorum clypeos, &c.

o *Coronasq́ omnis generis.*] Appianus vbi ſuprà de funere Syllæ. Coronæ ex auro ad duûm milliûm nummûm pluréſque ſumma cura fabricatæ.

p *Atque vrbium dona.*] Ex eod. in eo loco.

q *Et legionum.*] Ibidem.

r *Spoliaq́ hoſtium.*] Virgilius lib. 11. Æneid.

Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis
Coniiciunt igni, &c.

s *Expreſſosq́ cera vultus.*] Plinius lib. 35. cap. 2. Expreſsi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera. ſemperque defuncto aliquo totus aderat familiæ eius qui vnquam fuerat populus. Stemmata verò lineis diſcurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magiſtratu geſtarum. Ex quo & Statius,

Exin magnanimum ſeries antiqua parentum,
Inuehitur, &c.

t *Quare C. Cæſar.*] Plutarchus in vita illius.

u *Et Tiberius.*] Cornelius Tacitus lib. 4.

x *Ferunt quoque Iuniam.*] Idem author lib. 3. quo in lib. non multò poſt princ. ſcribit. In funere quoque Germanici circumfuſas fuiſſe lecto ipſius Claudiorum Iuliorúmq; imagines. Et vide hic quæ ſcripſimus in noſtris Commentariis Nobilitatis.

y *Nonnunquam, vt ampliore.*] Hæc ſunt Seruij enarrantis eum locum Virgilij ad fi. lib. 6. Æneid.

Egregium forma Iuuenem.

Ad funeris, ait, huius (de Marcello filio Octauiæ ſororis Auguſti loquitur) honorem Auguſtus ſexcentos lectos intra ciuitatem ire iuſsit. Hoc autẽ apud maiores glorioſum fuerat: etiam dabatur pro conditione fortunæ. nam & Sylla ſex millia habuit.

z *Tum ſi qui ab eo ſerui manumiſsi.*] Id quod ſignificat Perſius ſatyr. 3. ad fi.

—— At illum
Heſterni capite induto ſubiere Quirites, &c.

Vbi vide interpretes.

a *Nonnunquam illos.*] Quod probat exemplo ſeq. Nam & hic illud ſciendum & ſeruos pileatos funus domini antecedere ſolitos, idque facientes voluntate teſtatoris vel hæredis libertatem conſequi, vt ſcribitur in l. 1. §. ſed & qui, C. de lat. libert. tol.

b *Q. Terentium Culleonem.*] Liuius 4. Dec. lib. 8. Valerius Maximus lib. 5. c. 2. Plutarchus in Scipione.

c *Quiq́ triumphantis currum.*] Liuius 3. Dec. lib. 10. in fi. & vide infrà lib. 6. c. item 6.

d *Poſt ſequente proximiorum.*] Vide infrà in verbo, Funeris enim, &c.

e *In veſte pulla.*] Vide in verbo, In veſte pulla.

f *Aut Cærulea.*] Hic Catonẽ in hac re citat, vti etiam Cælius Rhodiginus, qui & Varronem quoque adducit lib. 17. Loca tamen eorum aut libros non deſignant.

g *Apud exteros.*] Vide Plutarchum in Hannibale, vbi de Antiocho loquitur.

h *Nonnunquam ſenatu vniuerſo.*] Vide Herodianum lib. 3. ad finem. vbi de funere Septimij Seueri, & Appianum in funere Syllæ, lib. 1. bellorum Ciui.

i *Funeris enim hæc lex erat.*] Id ſumptum videtur ex Terentio in Andria,

Funus interim procedit, ſequimur.

Pompa funebris Imperatoru aut ducu qui in bello occubuisset. Cremandi corpora mos & caremonia. Triens in os impositum. Lethe. Acherusius specus Os Plutonium. Inferni ostia.

lectulo [l] plerique flores & corollas iacere, noonulli [m] voguenta & odores, alij dona eumolare; idque [n] noctu & obscura luce: ideo ardentes faces adhibebaot. Nam die funus efferre, vetusto more oon licuit: quod [o] Demetrios rex cauit edicto, vt aote lucem vel post crespuculum efferantur corpora: die verò noo liceret. [p] Sæpè tameo imperatoris aut ducis, qui occubuisset in acie, funus milites quantum poterant militaribus studiis calebrarunt. Ea pompa fuit, vt armatæ instructæque legiones in turmas & ceoturias cum vexillis, militaribus inuersis, aut abiectis militiæ insignibus, defunctum comitentur: [q] phalerásque equis detrahant, [r] ensium mucrones, & laocearum cuspides humi deiectos feraot, [s] & rogum lustrent. Id [t] quod apud Græcos etiam seruari meminimus. [u] Rogo igitur extructo, & pyra cupresso circundata, propter grauem cremati corporis nidorem, oe tetro odore abigerentur proximantes, ac desuper defuncto corpore locato, illius [x] oculos antequam cremaretur, patefacere, & cœlo osteodere mos erat. [y] Apud alios trientem io os defuncti, tanquam naulum imponere: quem apud inferos dari pro portorio opinio fuit, & vana superstitione creditum: quod [z] apud Hermionenses vetabatur, quia proous inde ad inferos desceosus erat, quasi naulo non iodigerent obituri: sicut circa exitum Syrtium fuit Lethe [a] amois, & in Epiro atque [b] Heraclea pontica [c] Acherusius specus, quem vsque ad ioferna patere dixerunt, & contra [d] Laodiceam os Plutonium, [e] in quo omne animatum moritur, & in [f] Tænaro Laconiæ inferni ostia, & spelunca per quam Cerberum edu-

ANNOTATIONES.

Vbi Donatus. Beoe, inquit, funus procedit, nos sequimur, dixit, quasi post eam morituri, vnde exequiæ dicuntur. Et huc quoque spectat illud Apuleij lib. 8. Metam. Fuous verò toto feralem pompam prosequeote populo deducitur ad sepulturam. Et quod scribit Callistratus Iurisconsultus in l. 3. ff. in ius vocati. eos scilicet qui funus prosequuotur, in ius vocare oon oportet. Quamquam id postea desitum esse atque è diuerso pompam præcedere, & funus sequi videri potest ex D. Hieronymo ad Paulam de dormitione Blesillæ, vbi ita scribit. Ex more parantur exequiæ, & nobilium ordioe præeunte aureum pbretro velameo obtenditur, vbi vide scholia.

l *Plerique flores.*] Id quod ostendit Virgil. lib. 6. Æneid. ad fi. de Morte Marcelli,

— Manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores, animamq; nepotis
His saltem accumulem donis: —

Quem locum io id expendit Lactaotius Grammaticus interpres Statij in eum locum lib. 6. Thebaidos,

Si pariter virides nati libare dedisses
Ad tua templa genas.

m *Nonnullis vnguenta & odores.*] Vide suprà eod. lib. 3. cap. 2. versu 10. & 11.

n *Idq; noctu & obscura.*] Virgilius lib. 6. Æneid. de funere Miseni,

— Et subiectum more parentum
Auersi tenuere facem. —

Vbi Seruius, De fune, ait, vt Varro dicit, vnde & funus dictum. Per noctem autem vrebatur, vnde permansit vt mortuos faces aotecedaot. Et iterum lib. 11.

Et de more vetusto
Funereas rapuere faces, lucet via longo
Ordine flammarum, &c.

Vbi & ipse Seruius: Quia, ioquit, antè per noctem cadauera profunerabant cum facibus. Et Tacitus lib. 3. post princ. de funere Germanici, Dies quo reliquiæ tumulo Augusti, modò per sileotium vastus, modò ploratibus inquies, plena vrbis itinera, comburentes post campum Martis faces.

o *Quod Demetrius Rex.*] Idem dicit Cælius Rhodiginus li. 17. c. 19. vbi nullum quoque citat authorem.

p *Sæpe tamen.*] Cornelius Tacitus lib. 3. ad princ. de funere Germanici. Igitur Tribunorum Centurionúmque humeris cineres portabantur. præcedebant incompta signa, versi fasces, &c. Et paulò post, Illic miles cum armis, sioe insignibus magistratus. Et vide Appia. lib. 1. bellorum Ciui. io funere Syllæ.

q *Phalerasq; equis detrahant.*] Virgilius libr. 11. de funere Pallantis,

Post bellator equus, positis insignibus.

Id est, sine phaleris, vt bene aunotat Seruius ibid. Sed & in luctu publico, id nonnunquam fiebat, quod videre licet ex Liuio 1. Decad. lib. 9. ad fin.

r *Ensium Mucrones.*] Virgilius eod. lib. 11. statim post ea quæ proximè ex eo adduximus,

— Et versis Arcades armis.

Vbi ipse Seruius Lugeotium, ait, more mucronem hastæ nō cuspidem cootra terram tenentes, scuta etiam inuertentes propter numina illic depicta, oe eorum simulacra cadaueris polluerentur aspectu, vt nonoullis frustra placet. Nam lugentium mos est prioris habitus immutatio.

s *Et rogum lustrent.*] Virgilius in illo ipso libr. de funere Troianorum,

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter mæstum funeris ignem
Lustrauere in equis, &c.

Quod & alibi quoque dicitur.

t *Id quod apud Græcos,*] Homerus libr. 23. Iliad. loquens de funere Patrocli.

u *Rogo igitur extructo.*] Hæc vsque ad clausulam, Illius oculos, sunt Seruij Varronis authoritate enarrantis illud Virgilij lib. 6. Æneid.

Ferales ante cupressos
Constituit, &c.

x *Illius oculos.*] Plinius libr. 11. cap. 37. Cuius verba citauimus suprà initio huius cap. in verbo, Mox decedentis oculos.

y *Apud alios trientem.*] Iuuenalis satyr. 3.

— Nec habet quem porrigat ore trientem.

Vbi vide interpretes. Græci autem nummum quempiam quem δανάκην vocabant deotibus mortui indebant, vt Charonti porrigeret pro Stygiæ paludis transmissione, apud Aristophanem in Psyches fabula. Plutarchum in Collectaneis, & Apuleium Metam. lib. 6. Lucianum io Charonte, & lib. de luctu. Diodorum Siculum circa fin. lib. 2. & Plautum in Truculento.

z *Quod apud Hermonienses.*] Strabo libr. 8. Rumor est, inquit, apud Hermonienses compendiosum esse inferorum desceosum, quocirca oullum ibidem mortuis naulum imponunt.

a *Lethe amnis.*] Plinius lib. 5. c. 5.

b *Heraclea pontica.*] Plinius lib. 27 c. 2.

c *Acherusius specus.*] De quo etiam Pomponius Mela libr. 1. Et Solinus cap. 45. aut aliorum computatione 55. Ammianus Marcellinus libr. 22. Valerius Flaccus lib. Argooauticon 4.

Inde premente noto tristes Acherusidos oras
Præterit, &c.

d *Contra Laodiceam os Plutonium.*] Strabo libro. 13. non adeo longe à fioe.

e *In quo omne animatum moritur.*] Strabo eodem loco iam citato.

f *Et in Tænaro Laconiæ.*] Strabo li. 8. de Laconia loqueos: In ipso

ctum, & Furiarum templum esse ferebatur. [g] Gallis verò mutuam inuicem pecuniam dare, quam apud inferos post obitum redderent, in vsu erat. [h] Præfica assistente, & lamentabili carmine populum rogo circundatum ad complorationes & lachrymas prouocante, populo etiam largis fletibus, & pari comploratione respondente. [i] In quo luctu quædam ad miserationem canebantur carmina, & versus ad tibiam cum laudibus & lachrymis, pietatem, humanitatémque, & defuncti interitum miserantes. [k] Eam verò pyram pro dignitate & honoribus, quibus in vita functus erat, & prout amplissimos magistratus & imperia gesserat, modò maiorem, modò minorem extruxere. [l] Fuitque lege duodecim tabularum cautum, ne de lignis politis extruerent: donec per funerum ministros qui [m] pollinctores dicti sunt, corpus igne supposito cremabatur. In qua extruenda id seruatum est, vt præter arida ligna, papyrum quoque, quo facilius crementur, [n] nonnunquam crocum & vinum [o] affatim apponant. Germanis [p] struem rogi, nec veste, nec odoribus cumulare licet, sed sua cuique arma, & suus equus adiicitur rogo. Corpora verò clarissimorum virorum, nisi ex lectissimis lignis certi generis, concremari fine vllo funeris solenni permittitur. [q] Dúmque igne accenso corpus ardebat, pro dignitate, próque opibus, quibus quisque potens erat, ita amici, & affines, quíque coniunctissimi aderant, quæ chara habebant, & præcipui cultus, cum gemitu & questu miserabili, in luctus & grauissimi doloris signum, ignibus iaciebant. [r] Itique multi vestes triumphales, [s] ensésque & balteos, nunnulli

Pollinctores. *Pyra apud Germanos.* *Cum corpus ardebat.*

ANNOTATIONES.

ipsa littoris inflexu Tænarus ripa eiecta est, propinquáque spelunca est, per quam Cerberum ab inferis superius reductum ab Hercule ferunt. Apuleius lib. 6. Metamor. Lacedæmon Achaiæ nobilis ciuitas non longè sita est, huius conterminum deuiis abditam locis: quære Tænarum, inibi spiraculum Ditis, & per portas hiantes monstrant iter inuium, cuius te limine transmeatam simul commiseris, iam canale directè pergis ad ipsam Orci regiam. Ex Poëtis Virgilius lib. 4. Georg.

Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis.

Vbi Probus. Tænarus, ait, est Laconiæ littus, in quo specus est, per quem Hercules existimatur descendisse ad inferos & Orpheus. & Seruius alter interpres, Tænarus Laconiæ promontorium, vbi inferorum dicitur esse descensus. Ouidius lib. 10. Meta. post princ. de Orpheo loquens:

Ad Styga Tænaria est ausus descendere porta.

Et Statius lib. 2. de eod. loquens:

Hoc, vt fama, loco palantis deuius vmbras
Trames agit, nigríque Iouis vacua atria ditat
Mortibus. Arcadij perhibent si vera coloni,
Stridor ibi, & gemitus pœnarum, &c.

Seneca item in Herc. Furente. & Valerius Flaccus lib. 1. Argonauticôn. & Palephatus fabulosarum narrationum lib. 1. vbi de Cerbero loquitur. Vide item Lactantium Grammaticum in Statium lib. 1. Thebaid. ibíque Statium: sed & adde superioribus in Sicilia iuxta Ætnam speluncam esse prægrandem, quæ hiatum sub terra habeat ad arctum spectantem, per quem Plutonem cum curru raptam Proserpinam ad inferos deduxit, vt author est Diodorus Siculus lib. 6. c. 2. post princ. Cicero in Verrem act. Et aliam quoque speluncam inter Lucrinum & Auernum per quam ad inferos descendebatur, vt dicit Seruius enarrans illud Virgilij 6. Æneid.

Inferníque lacus, &c.

g *Gallis verò mutuam.*] Valerius Maximus lib. 2. c. 1. Vetus ille mos Gallorum occurrit quos memoria proditum est pecunias mutuas, quæ his apud inferos redderentur, dare, quia persuasum habuerunt, animas hominum immortales esse. Sed & de his Pomponius Mela lib. 3. c. 2. Ex his vnum, quæ præcipiunt in vulgus effluit, videlicet vt forent ad bella meliores, æternas esse animas, vitámque alteram ad manes. Itaque cum mortuos cremant ac defodiunt, apta viuentibus olim negotiorum ratio, etiam & exactio crediti deferebatur ad inferos.

h *Præfica assistente.*] Ad Romanos redit, sed de hoc satis dictum est supra.

i *In quo luctu quædam ad miserationem.*] Suetonius in Cæsare, c. 84. vbi de funere ipsius Cæsaris. Cantata sunt quædam ad miserationem, & inuidiam cædis eius accommodata.

k *Eam verò pyram.*] Virgilius libr. 4. Æneid. de morte Didonis,

Sic fata, gradus euaserat altos.

Vbi Seruius. Ascenderat, inquit, rogum, qui pro qualitate fortunatum fiebat, vnde in 6.

Congerere arboribus cœlóque educere certant.

Sed & huc quoque spectat illud eiusdem eod. lib. loquentis de funere Miseni,

Ingentem struxere pyram.

& paulò post,

Postquam collapsi cineres, & flamma quieuit.

Vbi & ipse Seruius. Quasi, inquit, pyræ ingentes, quia (vt in 4. diximus) pro qualitate personæ pyræ fiebant, sepulchra etiam vel maiora vel minora fiebant.

l *Fuitque lege duodecim tabularum cautum.*] Verba eius legis sunt apud Ciceronem libr. 2. de legibus, Rogam asciа ne polito.

m *Pollinctores.*] Nonius Marcellus Plauti & Varronis authoritate, & Flugentius ad Calcidium de vocum antiquarum interpretatione, eiusdem Plauti & Apuleij authoritate. Sed quibus adde ipsum Plautum in prologo Penuli. Martialem lib. 10. epig 95. & Iulium Firmicum lib. 2. c. 5. vbi sic scribit, In tertio loco Mercurius cum Saturno ab horoscopo partiliter constitutus pollinctores faciet ac funerarios, mortuorum cadauerum custodes, aut sepulchrorum ianitores. Et Vlpianus in l. quicumque. §. idem an. ff de inst. act. Item Ezechielis c. 39.

n *Nonnunquam crocum.*] Scilicet in funere nobiliorum ex Papinio,

Ver Arabum, Cilicúmque fluit, floréssque Sabæi
Coriciaque coma, &c.

Nam Coriciæ comæ crocum significant, quòd in Corico Ciliciæ monte erat laudatissimum, vt tradit Plinius lib. 21. c. 6. Ex quo etiam illud Martialis lib. 3. epig. 23.

Quod de Coricio quæ venit aura croco.

o *Et vinum.*] Virgilius lib. 6. in funere quoque Miseni,

Reliquias vino, & bibulam lauere fauillam.

Et Lucianus in libr. de luctu, de funeribus loquens. Aut quid valet, quod merum infunditis?

p *Germanis.*] Hæc vsque ad versiculum, Dúmque igne, sunt Cornelij Taciti in lib. de moribus Germanorum.

q *Dúmque igne accenso.*] Vt ex multis constat quæ sequuntur, atque etiam ex Statio libr. 6. Thebaidos, vbi Lycurgus sacerdos sceptrum, quo sacerdotes vtebantur, & infulas sacerdotales in rogum filij Archemori iniecit,

At genitor sceptrísque decus, cultúsque tonantis
Iniicit ipse rogis. ———

r *Itaque multi vestes triumphales.*] Nam & Virgilius lib. 6. Æneid. in funere Miseni,

Purpureásque super vestes velamina nota
Coniiciunt &c.

s *Ensésque & balteos.*] Virgilius libr. 11. Æneid. in funere Pallantis,

 Conciciunt

arma [t] militaria: mulieres verò, ne studio vincerentur, ornamenta sua, armillas, zonas, mundúmque muliebrem, vittásque virginalis comæ: alij retortos cincinnos & torques, ac bullas prætextásque liberorum flammæ indidere: [u] thuráque, [x] vnguenta, & [y] odores omnium generum, quos [z] lancibus ferebant. Quare multos copia odorum ad pyram exanimatos, & præter infinita odoramenta, in funere [a] Syllæ, statuam iustæ magnitudinis ex odoribus absumptam competimus. [b] Quæque defuncto charissima, & cordi fuisse arbitrabantur in vita, quarúmque rerum mirum & efficax studium fuerat, vt [c] scuta, [d] gladios, & [e] arma, [f] canes, dilectos [g] equos, [h] luscinias, auésque ad eundem rogum trucidatos, vt vnà cum defuncto cremarentur, igni tradebant: [i] plerique verò seipsos. [k] Vnde exemplis palam factum nouimus, multos accensis dominorum rogis, doloris impatientes, vel violentas sibi manus intulisse, aut igni pariter absumptos esse. Quod etiam de canibus, qui charitate dominorum in flammas se iniecere memoriæ proditum est. Nam [l] Hieronis & Lysimachi [m] canes, accensis rogis dominorum, in flammas se iniecisse, & vno incendio arsisse tradunt. [n] Qui etiam erat Græcorum & [o] Æthyopum præcipuus mos, vt comas ad rogum dissecent, corporíque & igni imponant [p] boues & pecora,

Odoramenta igni iniecta.

Coma rogo iniecta.

ANNOTATIONES.

Coniiciunt igni galeas, ensésque decores,
Frenáque, feruentésque rotas, pars munera nota
Ipsorum clypeos, & non fœlicia tela.

t *Arma militaria.*] Quod patet ex eo loco Virgilij nuper citato, atque ex lib. 6. in funere Miseni.

Decorántque super fulgentibus armis.

Vbi & Donatus expendit. Fortium, inquit, cum ipsis funeribus arma apud veteres consumebantur.

u *Thuráque.*] Virgilius lib. 6. Æneid. de funere Miseni,

— Congesta cremantur
Thurea dona. —

x *Vnguenta*] Vide suprà hoc eod. lib. 3. c. 2. versu 50.

y *Et odores.*] Vide quoque ibi. versu 11. & quod dicam in seq.

z *Quos lancibus ferebant.*] Quod planè indicat illud Propertij de suo funere loquentis lib. 2. eleg. 14.

Desit odoriferis ordo mihi lancibus, adsint
Plebeij parua funeris exequiæ.

a *In funere Syllæ.*] Plutarchus in vita illius ad fi. Vbi scribit in huius funere tantam è matronis vim odorum oblatam fuisse, vt præter eos qui in lecticis decem & ducentis comportabantur, quædam iustæ magnitudinis imago formaretur, & thure cinamomóque ingentis pretij lictor formaretur.

b *Quæque defuncto charissima.*] Vt tradit Donatus enarrans illud Virgilij lib. 6. Æneid.

Decorántque super fulgentibus armis.

Virorum, ait, fortium cum ipsis funeribus arma apud veteres consumebantur: nec solum hæc, sed & cætera, quæ habuissent charissima.

c *Vt scuta.*]
d *Et arma.*] } De his iam diximus in Virgilio suprà in verbo, Arma militaria.
e *Gladios.*]

f *Canes.*] Seruius enarrans illud lib. 6. Æneid.

Ossaque lecta cado texit, &c.

Ideo, ait, quia nobiles nunquam soli comburebantur, sed cum dilectis equis, vel canibus, vel famulo. Et vide infrà in verbo, Dilectos equos: & iterum in verbo, Equósque & canes.

g *Dilectos equos.*] E Seruio vbi suprà, & præterea lib. 5. Æneid. in eum locum,

Famulúmne parentis
Esse putet.

Vbi ita scribit, Consueuerant prisci, vt quoties Reges moriebantur, cum his dilecti equi, vel serui incendebantur. Et de hoc quoque Lucianus in libello de luctu. Et vide etiam in seq. & in verbo, Equósque & canes.

h *Luscinias.*] Plinius libr. Epistolarum 4. epist. 2. vbi de funere filij Reguli. Habebat, ait, puer mannulos multos, habebat canes maiores minorésque, habebat luscinias, psittacos, merulas, omnes Regulus circa rogum trucidauit. Mannuli autem siue etiam Manni, equi pusilli qui sunt pueris & adolescentibus in deliciis. De quibus Horatius lib. 3. Car. Ode 27.

Si per obliquum similis sagitta
Terruit mannos.

Vbi Acron interpretatur mannos, id est, burdos. Manni ideò dicti, quòd mansuetudine manum familiarius sequantur. Porphyrion autem alter interpres. Manni equi dicuntur pusilli, quos vulgo burdos vocant. Et idem Horatius epo Ode 4.

Et Appiam mannis terit.

Vbi Porphyrius ipse, Mannos, inquit, equos vulgo burrichos appellant, quos habere nimiarum diuitiarum affluentia est. Sed & idem Horatius Epistol. lib. 1. epist. 7.

Manè cliens, etiam certus conuiua: iubetur
Rara suburbana indictis comes ire Latinis,
Impositus mannis, &c.

Et Propertius lib. 4. eleg. 8.

Huc mea detonsis euecta est Cynthia mannis.

Et Martialis lib. 12. epig. 24.

Nusquam est mulio, mannuli tacebunt.

Et ante hos omnes Lucretius lib. 3. de rerum natura ad fin.

Currit agens mannis ad villam præcipitanter.

i *Plerique verò seipsos.*] Nam id aliquando factum fuisse memorat Plinius lib. 7. c. 53. paulò ante fi. Sed & D. Hieronymus in Iouinianum libr. 2. tradit Scythas, eos qui à defunctis amarentur viuos infodi cum ossibus mortuorum.

k *Vnde exemplis.*] Apud Plinium lib. 7. c. 36. vbi de Philotimo, Suetonium in Othone c. 10. & vltim. & Plutarchum in vita eiusdem atque etiam Dionem in vita item ipsius. Et scribit Xenophon Pædiæ Cyri lib. 7. Mortuo Atradata Susiorum rege, non solùm Panthea eius vxor, sed & Spadones seipsos iugulasse.

l *Hieronis.*] Plinius lib. 8. c. 40.

m *Et Lysimachi.*] Plinius ibi, & præterea Plutarchus in politicis. Iterúmque in lib. de industria animalium. & Solinus c. 25. & Ælianus de animalibus lib. 6. cap. 25. vbi & de aliis quoque loquitur, quem & tu vide loquentem de cane Erigones quæ dominæ superstes esse noluit, eiusdem operis lib 7. c. 28. & rursus cap. 40. eiusdem libr. loquentem de canibus Poli tragœdi & Mantoris & Theodori psaltes qui in ignes & sepulchrum dominorum se iniecerunt. Et Melitensem quoque catellum qui vltro seipsum in cadaueris domini thecam iniiciens pariter cum eo humatione & sepultura affici voluit, & quod idem scribit Ælianus eiusdem operis libr. 10. cap. 41. loquens de Eupolidis poëtæ comici cane nomine Antia, qui post mortem domini mœrore ac inædia extabuit. & lib. 11. c. 13. vbi loquitur de quinque canibus Daphnis Syracusani qui propter domini calamitatem mori voluerunt.

n *Qui etiam erat Græcorum.*] Vt suprà de coma probauimus Homeri testimonio lib. 23. Iliad.

o *Et Æthyopum.*] Diodorus Siculus libr. 4. c. 1. paulò ante medium.

p *Boues & pecora.*] Ex Homero d. libr. 23. Iliad. in funere Patrocli,

ἐν δὲ πυρῇ ὑπάτῃ, νεκρὸν θέσαν ἀχνύμενοι κῆρ.
πολλὰ δ' ἴφια μῆλα καὶ εἰλίποδας ἕλικας βοῦς

πρόσθε

equósque, [q] & canes in ignem mittant, [r] vinumque [s] & oleum fundant. [t] Vtque rege morte sublato, familiares, & qui cum eo coniunctissimè vixerant, charitate principis vim vitæ sibi ad rogum afferant, vnáque morte intereant. [u] Indorum peruulgata historia est, vt viro defuncto, quæ charissima coniunx in vita fuerat, eodem igne absumatur, vnáque concremetur. [x] Thracibus & [y] Getis erat iste mos, vt viro defuncto, præcipuè dilecta coniunx, maximo cultu ornata, ad tumulum duci, & à propinquiore mactari, eodémque tumulo humari debeat. [z] Gallis verò, vt serui clientésque cum dominis patronísve vnà crementur viuentes, eadémque pyra intereant. [a] Gerri Scythica gens, defuncto rege, in tumulo vbi cadauer odoribus delibutum erat, præcipuam concubinarum, pincernam, coquum, agasonem, ac ministrum, vnà tumulare, equósque & L. ex ministris ad rogum præfocare assuerant. [b] Græcis verò vsurpatur, vt imperatore aut duce fato perfunctis, funus efferatur solenni pompa, & apparatu regio: [c] captiuíque & milites circa rogum digladientur, [d] ouésque & boues mactentur. Vtque in omnem formam luctus concedatur, [e] equi viríque tondeantur, [f] propugnacula è mœnibus diruantur, [g] templa lapidentur, [h] aræ subuertantur, Lares [i] abiiciantur, [k] partus exponantur, cibo abstineant, ignis extinguatur, [l] atque in pompa funeris, magistratus, sacerdotes, pueri, atque iuuenes cum trophæis, coronísque, & armis militaribus funus prosequantur. [m] Cœnas quoque ferales apparari, & [n] crateres lacte, [o] vino & sanguine, [p] necnon mella, & [q] crocum ad rogum inferri solita inue-

Indi. Thraces. Galli. Gerri. Græci in funere ducis aut imperatoris. Ad rogum ado ferri solita.

ANNOTATIONES.

μεγάλη πυρῆς.

Et lib. 24. Odyss. in funere Achillis,

—πολλὰ δ' ἐπ' αὐτῷ
μῆλα κατεκτάνομεν μάλα πίονα καὶ ἕλικας βοῦς.

Et Virgilio lib. 11. Æneid.

Multa boum circa mactantur corpora morti,
Setigerósque sues, raptasque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes, &c.

q *Equósque & canes.*] De his suprà diximus, quod autem ad Græcos attinet, de quibus hic primarim loquitur, adde illud ipsius Homeri d. lib. 23. paulò post ea quæ antea ea eo adduximus,

πίσυρας δ' ἐριαύχενας ἵππους
ἐσσυμένως ἐνέβαλλε πυρῇ μεγάλα στεναχίζων
ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν.
καὶ μὲν τῶν ἐνέβαλλε πυρῇ δύο δειροτομήσας.

s *Vinúmque.*] De hoc dictum est suprà in verbo, Nonnunquam crocum.

s *Et oleum.*] Homerus d. lib. 23. in funere ipsius Patrocli,

ἐν δ' ἐτίθει μέλιτος, καὶ ἀλείφατος ἀμφιφορῆας.

Et Virgilius lib. 6. in funere Miseni,

Congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres oliuo.

t *Vtque rege morte sublato.*] Intelligit de Æthiopibus, id enim de illis dicit Diodorus Siculus lib. 4. cap. paulò ante medium. Idque etiam facere Tauros gentem Scythicam diximus suprà eodem lib. 3. cap. 2. in fi. Et alios quoque fecisse constat ex his, quos citauimus suprà in verbo, Plerique verò seipsos.

u *Indorum.*] Cicero lib. 5. Tuscula. quæst. Strabo lib. 15. Valerius Maximus lib. 2. c. 1. Philo Iudæus in lib. de de Abrahamo. Solinus c. 65. Plutarchus in eo lib. cui titulus est. Cum improbitas sufficiat ad infœlicitatem. Eusebius præparationis Euangelicæ lib. 6. c. 8. & alij quos citauimus in nostris legibus Connubialibus l. 7. num. 20. incip. sed vt ad institutum, ea quibus tamen nolui hîc prætermittere Propertium id graphicè describentem lib. 3. eleg. 7.

Fœlix Eois lex funeris vna maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque vbi mortifera iacta est fax vltima lecto,
Vxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habens leti, quæ viua sequatur
Coniugium, pudor est non licuisse mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,
Imponúntque suis ora perusta viris.

Et de his vt opinor intelligit Seneca, cùm scribit declamationum lib. 2. decla. 2. Quædam se maritorum amore rogis ardentibus miscuerunt.

x *Thracibus.*] Herodotus id tantùm tribuens Thracibus qui suprà Crestoneos incolunt lib. 5. post princ. Pomponius Mela lib. 2. c. 2. Solinus c. 15.

y *Et Getis.*] Nusquam quod meminerim legi tale quid de Getis. Et fortè de Catheis loqui voluit, de quibus idem scribit Strabo lib. 15. Et Diodorus Siculus qui hos Catheros vocat (nisi & hi alij sunt) lib. 17. quo res Alexandri Magni describit Sed his adde & alios qui idem facere consueuerunt, scilicet Erulos ex Procopio libr. 2. de bello Gothorum, & Venedos Germanorum populos ex Vunnefredo Anglo, Bonifacio vocato in epi. ad Eduardum Principem Anglorum.

z *Gallis verò.*] Id Cæsaris lib. 6. belli Gallici, cui astipulatur Pomponius Mela lib. 3. c. 2. vbi de his loquens. Erant, ait, qui se in rogos suorum velut vnà victuri libenter immitterent.

a *Gerri.*] Hæc vsque ad clausulam, Græci verò, sunt Herodoti lib. 4.

b *Græcis verò.*] Hoc videre licet apud Homerum in funere Achillis lib. 24 Odyss. & Patrocli, lib. 23. Illiad.

c *Captiuique.*] Spartacus ille trecentos ex captiuis Romanos Crasso vni ex ipsius ducibus, ab ipsis Romanis interempto, mactauit, vt tradit Appianus Alexandrinus bellorum Ciui. lib. 1.

d *Ouésque & boues.*] De his diximus suprà in verbo, Boues & pecora.

e *Equi virique tondeantur.*] Id sumptum est ex Herodoto lib. 9. vbi ob mortem Masistij viri apud Persas honoratissimi, Persæ ipsi seipsos, & equos, & iumenta totonderunt, & alibi etiam diximus.

f *Propugnacula è mœnibus diruantur.*] Hoc fecisse Alexandrum in funere Hephæstionis, author est Plutarchus in Alexandri vita.

g *Templa lapidentur.*]
h *Aræ subuertantur.*]
i *Lares abiiciantur.*]
k *Partus exponantur.*]
} De his Suetonius, loquens de morte & funere Germanici in Caligula c. 5.

l *Atque in pompa funeris.*] Herodianus libr. 4. non multo post princ. loquens de funere Seueri imperatoris.

m *Cœnas quoque ferales.*] Iuuenalis saty. 5.

Ponitur exigua feralis cœna patella.

Vbi vide interpretes, & Apuleium libr. 4. Floridorum. & Persius saty. 3. hanc vocat cœnam funeris,

Sed cœnam funeris hæres
Negliget, iratus quòd rem curtaueris.

Vide interpretes. & Apuleium lib. 4. Floridorum.

n *Et crateres.*] Ex Virgilio lib. 6. Æneid suprà citato in verbo, Et oleum.

o *Vino.*] De hoc etiam vide suprà in verbo, Et vinum.

p *Necnon mella.*] Ex Homero lib. 23. Iliad. & Odyss. lib. 24. post princ. vbi de funere Achillis,

καίεο δ' ἔν τ' ἐσθῆτι θεῶν, καὶ ἀλείφατι πολλῷ
καὶ μέλιτι γλυκερῷ.

q *Crocum.*] Vbi suprà in verbo, Nonnunquam crocum.

r *Galatarum.*]

Galatæ. Funebris laudatio. Valerius Publicola primus orationis funebris vsus. Ægyptij rege defuncto.

nimus, vt vnà cum defuncto cremenrur, Fuitque moris [r] Galatarum, vt defuncti familiares & affines, inscriptas epistolas ad rogum coniiciant, velut apud inferos mortui illas mox lecturi forent, [s] Funebrémque laudationem, optimates & grandes natu, aut proximi necessarij in honore positi, de laudibus defuncti habere, ac solenni laudatione illius facta dictáque, & totius vitæ cursum, maiorúmque laudes recensere assuerant. Primus enim [t] Valerius Publicola, mortuo Bruto, supremas ipsius laudes acurata ratione prosequutus fuit. Inde institutum, vt clarorum virorum in funeribus solennis laudatio esset. Nam & [u] Appij decemuiri defuncti laudationem sequntis temporibus plebs æquis auribus audiuit. Et Scipionem in funere supremo, vt hominem diuinum, Maximus commedauit. Fuitque in vsu apud [x] Ægyptios, rege defuncto, antequàm iusta dentur, per sacerdotem qui proximam tenebat dignitatem, omnem vitæ seriem, & ipsius dicta factáque, & an fuerit fortissimè præliatus, an verò segnis & deses, ex alto suggestu, in maximo omnium conuentu perlegi & recenseri: & si vitia præualebant, honore funeris priuari, atque insepultum cadauer abiici. Si verò virtutes præcellerent, omni honore cumulari, vnguentis deliniri, & laudibus celebrari. Reliquos verò cuiusque sortis homines, ita laudari, vt sine vlla opum fortunarúmve mentione, solam religionem, iustitiam, pietatémque commendarent. Apud Indos verò multa secula viguit mos, vt quum moritur quispiam, pro foribus domus, magistratus cui hoc munus impendebat, anteactam vitam moresque describat, vt vitia laudésque innotescant omnibus, & palàm fiant. Fertúrque Fabius [y] Maximus præ cæteris vnus, qui in funere filij intestino dolore affectus, oratione non infracta ad populum ipsius laudes magno spiritu disseruit. [z] Quod à Græcis simile quoddam accepimus, vt defuncti laudes solenni oratione & longè petito proœmio prosequantur. Proditúrque primus [a] Pericles fuisse, qui carmine & laudibus eos qui in bello Peloponnesiaco pro patria occubuerant, prosequutus fuit. [b] Alij verò Solonem Græcis funebrem orationem primum inuecisse ferunt. Et [c] quamuis à principio virorum tantum gesta, nec mulieres laudare consuessent: quia tamen Camilli tempore collatum aurum, vt se populus Romanus à Gallis redimeret, dederunt: cautum fuit, vt in earum funeribus, sicut in virorum, solennis laudatio esset. [d] Nono verò die reliquias defuncti & cremati cineres, mater, soror & proinqui, & affinésque [e] nigra in veste & effusis comis, aut pontifices & sacerdotes, [f] nonnunquam primores patrum perfuncti honoribus, tunicati & discincti, lotis manibus & nudis pedibus, [g] ossa à cinere separare & colligere, eaque lacte [h] & vino lauare, & deos manes aduocare: Græci [i] vino & vnguento inspergere solebant,

Indi. Laudatio funebris apud Græcos. Orationem funebrem quis primùm habuerit apud Græcos. Cineres colligendi mos.

ANNOTATIONES.

r *Galatarum.*] Diodurus Siculus lib. 6. c. 9.

s *Funebrémque laudationem.*] Plutarchus in vita Fabij Maximi. Nam & Q. Metelius orationem funebrem habuit in supremis laudibus L. Metelli patris sui apud Plinium lib. 7. cap. 43. Tiberiúsque ac Drusus Augustum mortuum laudarunt, ille pro æde Diui Iulij, hic pro rostris veteribus, vt scribit Suetonius in ipso Augusto, cap. 100. Idem Tiberius nouem annos natus defunctum patrem pro rostris quoque laudauit, vt tradit idem Suetonius in eius vita, c. 6.

t *Valerius Publicola.*] Dionysius Halicar. libr. 5. Plutarchus in vita ipsius Publicolæ.

u *Appij decemuiri.*] Non hic quidem decemuir, sed alter superior ex Liuio 1. Decad. lib. 2. non multò ante fi. & Dionysio Halicarnass. libr. 9. Nam Appius & alij Decemuiri fuere postea creati vt est apud Liuium 1. Decad. libr. 3. & ipsum Diony. Halic. lib. 10.

x *Apud Ægyptios.*] Hæc vsque ad clausulam, Apud Indos, sunt Diodori Siculi lib. 2. c. 3.

y *Fertúrque Fabius Maximus.*] Plutarchus in vita illius.

z *Quod à Græcis.*] Dionysius Halicarn. lib. 2.

a *Primus Pericles.*] Plutarchus in vita illius. Et ante illum Thucydides lib. 2. belli Peloponnesiaci.

b *Alij verò Solonem.*] Scilicet Anaximenes orator apud Plutarchum in vita Publicolæ.

c *Et quamuis.*] Hæc vsque ad clausulam, Nono verò die. Liuij sunt 1. Decad. lib. 5. Plutarchi in Camillo, & in lib. de virtutibus mulierum, in princ. At idem Plutarchus in Cæsare scribit grandiores natu matronas defunctas laudare morem patrium Romanis fuisse, qui in iunioribus obseruari non solebat. Primum autem Cæsarem mortuæ vxoris laudes edidisse.

d *Nono verò die.*] Vnde Virgilius lib. 5. Æneid.

Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, &c.

Vbi Seruius. Est, inquit, sciendum, quia apud maiores vbicumque quis fuisset extinctus, ad domum suam referebatur, & illic septem reseruabatur diebus, octauo die incendebatur, nono sepeliebatur. Vnde, vt subdit Horatius.

Nouendiales dissipare pulueres.

Qui locus est in Epodi Ode 17. Vbi Porphyrion, Cineres, ait, reliquiarum vult intelligi, nam nouendiale dicitur sacrificium, quod mortuo fit nono die quàm sepultus est. Addit autem Seruius ludos, qui in mortuorum honorem celebrabantur, nouendiales dici, apud Cornelium Tacitum lib. 5. Contra Messalinos cum celebrarentur natalitia Augustæ, nouendialem eam cœnam appellauit, tanquam perniciosa reipub. De alio nouendiali sacro videbis infrà lib. 5. cap. 27.

e *Nigra in veste.*] Vide suprà hoc eodem cap. non longè à principio, in verbo, In veste pulla.

f *Nonnunquam primores.*] Id ex Suetonio desumptum est in Augusto, c. 100. quo de exequiis eius loquitur. Reliquias, ait, legerunt primores equestris ordinis tunicati & discincti, pedibúsque nudis: vnde autem Alexander illud acceperit, lotis manibus, ignoro.

g *Ossa à cinere separare.*] Hinc illud Homeri lib. 23. Iliad. de funere Patroeli,

κλαίοντες δ' ἑτάροιο ἐνηέος ὀστέα λευκὰ,
ἄλλεγον ἐς χρυσέην φιάλην, καὶ δίπλακα δημόν.

Et lib. 24. eiusdem operis de funere Hectoris,

ὀστέα λευκὰ λέγοντο κασίγνητοι, ἕταροί τε.

Et libr. 24. Odiss. in funere Achillis non adeò longè à princip.

ἠῶθεν δή τοι λέγομεν λεύκ' ὀστέ' Ἀχιλλεῦ.

Atque etiam illud Virgilij libr. 6. Æneid. de funere Miseni,

Ossáque lecta cado texit Chorynæus aheno.

h *Et vino lauare.*] Suprà in verbo, Et vinum.

i *Græci vino & vnguento.*] Nam & Homerus d. lib. 23. Odyss. paulò ante illud quod ex eo suprà in verbo. Ossa à cinere, citauimus.

οἴνῳ ἐν ἀκρήτῳ καὶ ἀλείφατι, &c.

k Et

cúmque odoribus effusi in lachrymas, in vrna condere, [k] & linteo ventilare. [l] Fuitque seruatum apud Indos & Ægyptios, regum funebres tunicas, quò cineres cremati à reliqua fauilla distincti iaceant, ex licio, quod igni non absumitur, & conficere, easque ad rogum defunctum corpus induere. [m] Quippe in Carysto lapis nascebatur, qui velut lana intextus, nullo igne adurebatur. Tunc postquam defuncto conclamato & nomine deplorato, satis lachrymarum luctúsque fuerat, [n] ipsísque ter aqua aspersi & lustrati erant: omni munere absoluto, [o] supremum Salue & Vale, tanquam nunquam eos visuri vltra, conclamabant: & à [p] præfica feralibus officiis iustísque persolutis, post lamenta & conclamationes, [q] ILICET dicebatur, [r] qua voce missum populum faciebat. Quique [s] funus prosequuti, quique comites fuerant, velut supremo functi officio, ad proprios lares reuersi, [t] aqua aspersi, ignem supergradiebantur, hoc se piaculo ex funere expiari arbitrati, quod expiationis genus [u] suffitionem dixere: cuius rei causa ferias sæpe indixerunt, quæ [x] Denicales dictæ. Græci verò aqua lustrantur pura, eadémque expurgan-

Tunica funebres regum Indorum & Ægyptiorum. Licium. Ilicet. Lustratio post iusta funeris absoluta. Suffitio. Denicales feriæ.

ANNOTATIONES.

k *Et linteo ventilare.*] Quid vellr hic diecre nescio, ausimque sanctè deierare mendum esse, & pro ventilare legendum esse velare. Nam Homcrus in illis duobus locis Iliad. suprà citatis docet ossa Patrocli, & Hectoris de quibus in illis locis loquitur. Confestim quàm in vrnam siue phialam fuerunt collecta, velis operta fuisse, siue velata. Sic enim priore loco.

ἐν κλισίῃσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν.

Posteriore autem sic,

πορφυρέοις πέπλοισι καλύψαντες μαλακοῖσιν.

l *Fuitque seruatum.*] Hæc vsque ad clausulam, Quippe in Caristo, sunt Plinij lib. 19. c. 1. sed quod hic dicitur, ex licio, corrige, ex lino, vt videbis in eo loco Plinij, qui in toto illo cap. scribit de lino, generibus, & natura ipsius:

m *Quippe in Carysto.*] Strabo lib. 10. & Solinus c. 17.

n *Ipsique ter aqua aspersi & lustrati.*] Virgilius lib. 6. Æneid. in funere Miseni,

Idem ter socios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliua,
Lustrauitque viros.

o *Supremum Salue & Vale.*] Nam & Virgilius ad ea quæ suprà proximè ex eo adduximus confestim subiungit,

Dixitque nouissima verba.

Id est, vt dicit Seruius, Ilicet, nam vale dicebatur post tumuli peracta solennia. Qui & ipse lib. 2. eiusdem operis in eum locum,

Sic ô, sic positum, &c.

Tradit mortuis dicere solitum, Vale, Vale, Vale, Alibi autem eod. lib. enarrans illud,

Iámque vale, & nati serua communis amorem.

Vale, ait, de mortuis dicitur. Sed & lib. 5. in eum locum,

Salue sancte parens.

Salue & Vale secundum Varronem in Logistoricis synonyma sunt. Vnde his & in salutationibus & in execrationibus vtimur. Terentius,

Valeant qui inter nos dissidium volunt.

Qui locus est in Andria. Vbi & ipse Donatus scribens, quod discedentibus & mortuis, Vale dicitur, & subdit Seruius ex ipso Varrone, Vnde hæc etiam mortuis dicimus, non quòd eis optemus salutem, in quibus nulla esse potest, sed vt significemus, ita nos digredi, vt ostendamus illos nunquam in nostram communio[nem] esse venturos, sed & rursus addit. Distinguit etiam, nam quo tempore sepeliit, dixit salue & vale. Quo etiam respicit illud ipsius Virgilij lib. 3. Æneid. de funere Polydori,

Animámque sepulchro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.

Nam vt ibi dicit Seruius, Dicebant vale: nos te omnes ordine quo natura permiserit, cuncti sequemur. Et illud lib. 11. Æneid.

—Salue æternum mihi maxime Palla
Æternúmque vale &c.

Vbi & idem Seruius ex Varrone repetit, qui scripserat d. lib. 5 Sed & huc alludit illud Ouidij lib. 10. Metam.

Iámque iterum moriens, non est de coniuge quicquam
Questa suo, quid enim nisi se quereretur amatam,
Supremúmque vale, quòd iam vix auribus ille
Acciperet, dixit.

Illúdque etiam Catulli epig. 816.

Accipe, fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuum frater aue, atque vale.

In quo notandum, quòd aue posuit pro salue, fortè metri causa. Ex Græcis autem Artemidorus Daldianus libr. 1. ὀνειροκριτικῶν. cap. περὶ τοῦ ἔῤῥωσο καὶ ὑγίαινε, quod ex eius lib. vel. ἔῤῥωσο δὲ καὶ ὑγίαινε, οὔτε λέγειν, οὔτε ἀκούειν ἀγαθόν, οὐ γὰρ προσιόντες ἀλλήλοις, οὔτε μέλλοντές τι πράττειν, ταῦτα λέγουσιν ἄνθρωποι, ἀλλὰ ἀπαλλαττόμενοι ἀλλήλων, καὶ πρὸς ὕπνον τρεπόμενοι. διὸ καὶ κοινωνίας διΐστησι, καὶ τοὺς νοσοῦντας ἀναιρεῖ. Quorum hic sensus est: Vale autem & salue, neque dicere, neque audire bonum, non enim se inuicem accedentes, neque quicquam facturi, hæc dicunt homines, sed ab inuicem discedentes, & ad somnum se conuertentes. Quare & nuptias & societates dirimunt, & ægrotantes perimunt.

p *Et à præfica.*] Hæc sunt Seruij lib. 6. Æneid. in eum locum Virgilij de funere Miseni loquentis:

Et ferales ante cupressos,
Constituunt.

Corona populi circunstantium tandem stabat respondens fletibus præficæ, quandiu consumpto cadauere & collectis cineribus dicebat nouissimum verbum, Ilicet, quod ire licet significat. Vnde & illud,

Dixitque nouissima verba.

Quod est eiusdem lib. 6. vbi & ipse Seruius idem propè dixit.

q *Ilicet.*] Vide suprà in verbo, Supremum salue & vale.

r *Qua voce.*] Sæpe eam vocem vsurpauit Terentius cum finem rei significare vellet, proinde abire licere, re omnino peracta. Vt in Eunucho,

Actum est, ilicet.

& in Phormione,

Hoc nihil est, ilicet.
Quid conterimus operam frustra? quin abeam?

Vbi Donatus Ilicet, inquit, semper finem rei significat. Sed & idem in Andriam enarrans eum locum,

Quid ego audio? actum est.

In summa, ait, rerum desperatione ponitur, actum est, ilicet.

s *Quique funus prosequuti.*] Festus Pompeius lib. 1. non multò post princ. Funus, inquit, prosequuti redeuntes ignem supergrediebantur aqua aspersi, quod purgationis genus suffitionem vocabant.

t *Aqua aspersi.*] Ex quo etiam illud Virgilij libr. 6. post peractum funus Miseni,

Idem ter socios pura circumtulit vnda
Spargens rore leui.

u *Suffitionem dixere.*] Festus vbi suprà in verbo, Quique funus, & de ea suffitione Columella lib. 1. c. 6. & lib. 12. cap. 50. Plinius lib. 25. c. 2. & nonnihil etiam diximus in Commentariis Nobilitatis c. 31. num. 289.

x *Denicales dictæ.*] Festus Pompeius lib. 4 Denicales, inquit, feriæ dicebantur cùm hominis mortui causa familia purgabatur. Græci νεκρὸν mortuum dicunt. De his autem Cicero in hac significatione libr. 2. de legibus. Nec verò tam Denicales, quæ à nece appellatæ sunt, quia residunt mortui

quàm

Viscerationes & ludi funebres. Emere ad pollinctum. Pollinctura.

tui,in qua torrem ex altari extinxissent prius.[y] Scythæ post funus amicos excipientes,epulum præbebaot cadauer comitantibus. Peracto igitur funere, vbi à luctu quieuit animus, [z] viscerationem & ludos [a] funebres, plerumque [b] gladiatorios,muneráque,Græcis [c] Gymoica certamioa & equestria in defuncti memoriam populo dari seruatuo est : nooounquam nauium cursus,& naumachiam.Inqua viscetatione fuit institutum,vt omnia carius veoirent : quare ad polliuctum [d] emere,sermo percrebuit. [e] Fertúrque Numæ edictum,ne pisces qui squamosi non esseot,ad pollinctum emere fas foret:scilicet oe oimis magno in fuoeralibus cœnis mercarentur obsonia : quam cœnam pollincturam dixere : In qua, etsi oibil deesset,omoiáque affatim suppeterent, lætari tamen minimè decebat. Fuítque institutum, vt per vini cibíque lenimeo, defuncti desiderium leuaretur. Prætcr quam erat [f] cœna exequialis, quæ seoibus & his multùm ætate processerant, dabatur : in qua pransi, discedentes post supremum officium, alter alteri vale dicebat : [g] quam Siliceroiom vocant. Athenis [h] per funeris præfectos epulum apud defuocti maximè necessarium dari coosueuit. [i] Argiuorum verò institutum fuit, vt defuocti affines, statim ab excessu Apollioi sacrificent, & trigesimo pòst die Mercurio, Apollinísque sacerdoti hordeum dent, ignémque extinguant, & rursus accendant, carnésque victimarum percoquaot, quibus postea vesceotur. [k] Eos quidem ludos apparatu magnifico, [l] continuis IX. diebus, in hísque gladiatorum paria, qui venalem sanguinem habebant, Romani exhibuere : [m] ad quos iotromitti matronas nefas habitum.Idque adeo vsu & moribus interdictum fuit, vt [n] P. Sempronius vxori,

Silicernium. Athenienses. Argiui. Ludorum funebrium apparatus.

ANNOTATIONES.

quàm cæterorum,&c.Columella lib.x.c. xx & vlt. & Gellius lib.16.cap 4. vbi etiam iu nounollis codicibus legitur Vindenicales.

y *Scythæ.*] Herodotus libt.4.Alios autem Scythas (à regibus sob.) cùm decesserunt,proximi quique in plaostris collocatos ad amicos circumferunt. Eos singuli amicorum excipieotes,epulum cadauer comitantibus præbent,tam propinquis, quàm cæteris.

z *Viscerationem.*] Liuius 1. Decad. lib. 8.Populo visceratio data à Marco Flauio iu fuuere matris. & 4 Decad. lib.9.P. Lucinij funeris causa visceratio data est,& 5.Decad. lib. 1. in fi.vt videbis infrà in verbo,Plerumque gladiatorius.Dionysius Halicar.libr.5.Plinius de viris illustribus c. 32.Mortuo huic tantum æris populi liberalitate cougestum, vt inde filius visceratiouem & epulas poblicè daret. Sed & de viscetatione loquitur Cicero lib. 2. Officiorum. Tertullianus in lib.aduersus Iudæos & Gentiles. Iurisconsultus in ff. de leg.3.Quid autem esset visceratio videbis infrà lib. 5.c. 7.post princ.

a *Et ludos funebres*] Liuiut d.4 Decad.lib.9.vbi ad ea quæ ex illo proximè adduximus subiungit, Et iudi funebres per triduum facti, & eiusdem Decad.lib.1.ad fi.Ludi funebres eo anno perquatriduum in foro matris M. Valerij Leuini causa à P.& M. filiis eius facti. & 3.Decad.lib.8.Postquam locutus est de monere gladiatorio quod Scipio causa mortis patris & patrui edidit,non multò post subdit,Huic gladiatorum spectaculo ludi funebres additi & vide vers. seq.

b *Plerumque gladiatorios.*] Liuius d.4.Decad.lib.1.& 9.quibus locis suprà citauimus, & prætetea 5.Decad. lib. 1.in fi. Munera gladiatorum eo anno aliquot parua alia data, vnum ante cætera insigne fuit T. Flaminij quod mortis causa patris sui cum visceratione & ludis scenicis dedit qoatriduum. Et L. Florus epitome Liuij lib. 16. D.Iunius Brutus munus gladiatorium iu honorem defuncti patris edidit primus, qood & ipsum tradit Valerius Maximos lib.2.cap.1.vbi de Claudio Pulchro. Apud Suetonium iu Tiberio, c.37.cum Potentina plebe funus cuiusdam primipilaris non prius ex foro misisset, quàm extorta pecunia per vim hæredibus ad gladiatorium munus eam grauissimè puniuit, veluti id monus gratuitum foret, non necessarium.

c *Græcis Gymnica certamina.*] Vide Plutarchum in Theseo, paulò post princ.

d *Ad pollinctum emere.*] Legendum Polluctum emere ex Plinio quo ioco statim citabimus. & Macrobio libr. 3. Saturn.cap. 16. à polluceo verbo quod ad sacra pertinet apud Catonem de re Rustica, cap.132.Iuui dapali culignam vini quantumuis polluceto,& sæpe aliàs eod.cap.Plautus in Stycho,

Hac venisse mihi iam est opus, quantam potest
Vt decumam partem ex voto Herculi polluceam.

Hincque pollucibilis cœna pro lauta, splendida, opipara, Macrobio lib. 3.cap.17.Vide Budæum alicubi.Et obsonare pollucibiliter Plauto iu Mostellaria.

e *Fertúrque Numæ edictum.*] Plinios authoritate Cassij Heminæ lib.32.c.2. Numa constituit pisces qui squamosi non essent,nisi pollucerent patrimonia,commentus,vt conuiuia poblica & priuata, cœnáque ad puluinaria facilius compatentur, ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent, eáque præmercarentur.

f *Cœna exequialis.*] Vide suprà in verbo, Cœnas quoque ferales, vbi de cœna ferali ex Iuuenali loquimur.

g *Quam Silicernium vocant.*] Varro in Meleuge apud Nouium Marcellum, funus exequuti, laute ad sepulchrum antiquo more silicernium confecimus. Id est conuiuium in quo pransi discedentes dicimus aliis alij,Vale.Nam vt dicit ipse Marcellus, Silicernium est propriè conuiuium funebre quod senibus exhibetur. Festus autem Pompeius libr. 17. dicit id fuisse genus farciminis, quo familia in luctu à fletu purgatur, ita dictum, quia cuius nomine ea res instituebatur, is iam silicem, aut vt alij legunt, silentium cerneret. Citátque illud Cæcilij. Credidit Silicernium me eius esse. At Donatus enarrans illud Terentij in Adelphis,

I sanè, ego te exercebo hodie,
Vt dignus es, Silicernium.

Est, inquit, Silicernium cœna quæ infertur Diis Manibus, quòd eam silentes cernant vmbræ.Id est vmbræ possideant, vel quòd qui hæc inferant,cernant,neque degustent.Nam de his quæ libantur inferis, quisquis comederit aut biberit funestatur. Aut erit Silicerniom senex qui iam iàmque silentibus vmbrísque cernendus sit. Fulgentius iu vocum antiquarum interpretatione ad Calcidium. Silicernius dici voluerunt senes iam incurnos,quasi iam sepulchrorum suorum silices aspicientes. Vnde & Ciucius Alimetus in historia de Gorgia Leontino scribit. Qui dum iam silicernius sui finem temporis expectaret, si mori non potuit, tamen infirmitatibus exultat.

h *Athenis per funeris præfectos.*] Vide Pollucem.

i *Argiuorum verò.*] Plutarchus probl. c. 137.

k *Eos quidem ludos.*] Ad Romanos redit.

l *Continuis IX. diebus.*] At id tempus non semper idem fuit,vt patet ex his quæ suprà diximus in verbo, Denicales dictæ.

m *Ad quos intromitti matronas.*] Id quod dicit propter exemplum sequens, & vide quæ scripsimus iu nostris legibus Connubialibus l. 16. num. 37. incip. Et ob hæc.

n *P. Sempronius.*] Valerius Maximus lib. 6.c.3. Plutarchus probl. c.13.

o *Plerum*

quòd ludis funebribus interfuisset repudium dederit. Domi quoque, & in loco celebri, defuncti imagines in memoriam posteritatis, plerunque [o] cereas, aut marmoreas, vel æneas columnas [p] quoque cum trophæis & titulis, ac magnificentissimis decretis, publico consilio erigere, & res gestas monumentis insculpere leuandi desiderij causa antiquo more seruatum est. [q] Quas etiam iniuria cæsis ciuibus sempiterno æuo duraturas, publico decreto erexerunt, vt gratiam bene meritis ferrent. [r] Apud Lacedæmonios, his qui in re militari facinora gesserãt fortia, statuas & columnas pariter cum elogiis post obitum dedere. Rege verò defuncto, ipsius simulacrum, ita vt viuus appareret, in toro purpura & auro instrato effinxere. [s] Tempus verò luctus, vt erat à Numa constitutum, posteri seruauere: qui puerum trimo minorem, nec lugeri, nec plangi voluit. Id quod in Thera vna ex Cycladibus seruatum legimus: in qua pueri citra septennium, aut homines vltra quinquagesimum annum indefleti fuere: quòd illi rapti immaturo funere, vix primum vitæ limen attigissent, isti autem satis diu vixissent. [t] Neque vltra menses decem, filios parentum, aut vxores virorum mortem deflere statuit. Quod [u] lugendi tempus, patri & filio, æquè fratri & sorori commune esse voluit, [x] vltra verò non licuit, ne luctu indefesso, & lachrymis nunquam desinentibus domus & familia funestarentur: itaque post annum parentes filiorum, & fratres sororum funera deflere vetuit: ab eo enim tempore lamentis parcere iussum est. [y] Tametsi nullum lugendi tempus viris legitimum fuisse nonnulli credant, annúmque fœminis tantum præfinitum ad deplorandum: masculis non item, intra quem alteri nubere non licebat, & concepto necdum edito partu, vetabantur. [z] Marcus tamen Antoninus philosophus, ne vltra quinque dies lugerent Romani filium sibi morte sublatum, summæ spei adolescentem, edicto inhibuit. Quintus [a] verò Maximus filio consulari, [b] & Lucius Paulus duobus paucis diebus amissis, & Marcus [c] Cato, mortuo prætore designato filio, non luxerunt. Marcus [d] quoque Bibulus consul, quum toto consulatu domi delituisset, quo die de obitu duorum filiorum certior fuit, in senatum venit, & munus consulare obiuit. [e] Quod de Anaxagora & [f] Xenophonte traditur, [g] & Asinio Pollione, qui

Imagines & colũna in memoriam defuncti erecta.

Lacedæmonij.

Tẽpus luctus, & qua ætate defuncti indefleti erãt, aut contrà.

Qui non lugerint filios viua defunctos.

ANNOTATIONES.

o *Plerumque cereas.*] Ad quod alludens Laodemia ad Protesilaum apud Ouidium.

Qua referat vultus est mihi cera tuos, &c.

p *Columnas quoque.*] Suetonius in Galba, cap. 23. eodémque vlt. Senatus vt primum licitum fuit, statuam ei decreuerat rostratæ columnæ superstantem in parte fori qua trucidatus est. Sed & Plin. lib. 34. cap. 5. scribit Caio Menio qui priscos Latinos deuicerat statuam supra columnam fuisse dicatam. Trebellius Pollio in vita Claudij Secundi refert ipsi Claudio totius orbis iudicio positam fuisse columnam palmatam statuam superfixam librarum argenti mille quingentarum.

q *Quas etiam iniuria.*] Vide vbi de Socrate, Milciade, &c. Ex Cicerone Philipp. 9. videre est statuæ honorem fuisse decretum his qui in legatione cæsi essent. Cúmque Lar Tolumnius Rex Vientum, quatuor legatos populi Rom. Fidenis interemisset, statuas illis in rostris fuisse positas. Eundémque honorem præstitum iis, qui ob rempub. obiissent, vti Cn. Octauio Laodiceæ in Gymnasio à quodam Leptine interfecto, & Tullo Clinio, & L. Roscio, & Sp. Antio, & C. Fulcinio, qui vt modò dictum est, à Vientum Rege cæsi fuissent.

r *Apud Lacedamonios.*] Ælianus variæ historiæ lib. 6.

s *Tempus verò luctus.*] Plutarchus in vita ipsius Numæ. Sed & is in consolatoria ad vxorem in fin. scribit leges vetare infantes lugere.

t *Neque vltra menses decem.*] De Numa intelligit ex Plutarcho vbi suprà. Aliquando tamen scilicet post Cannensem cladem censuit Senatus ne fœminæ vltra 30. dies in luctu essent. Vt scribit Liuius 3. Decad. lib. 2. Valer. Maxi. lib. 1. cap. 1.

u *Quod lugendi tempus.*] Ibid. Sed hos non necessario lugendos esse scribitur in l. parentes. ff. de his qui not. infa.

x *Vltrà verò non licuit.*] Id quoque ex legibus Numæ, vt tradit Plutarchus vbi suprà.

y *Tametsi nullum.*] Seneca ad Lucilium epist. 64. & vide infrà in verbo, Sed nec vxores.

z *Marcus tamen Antoninus.*] Iulius Capitolinus in vita illius.

a *Quintus verò Maximus.*] Plutarchus in vita illius. Sed & Cicero de hoc & duobus seq. epist. famil. lib. 4. epist. 6. ad Seruium Sulpitium loquens de morte Tulliæ filiæ suæ. Sed opprimor, inquit, interdum, & vix resisto dolori, quòd ea solatia me deficiunt, quæ cæteris quorum mihi exempla propono simili in fortuna non defuerunt. Nam & Q. Maximus qui filium consularem clarum virum & magnis rebus gestis amisit, & L. Paulus qui duos septem diebus, & Marcus Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, vt eos tum ipsorum dignitas consolaretur, quam ex repub. consolarentur, & cætera quæ sequuntur.

b *Et Lucius Paulus.*] Imo Paulus Æmilius illius filius ex Plutarcho in vita illius. Verùm hunc defendit Cicero citatus in præcedenti loco. Et de hoc quoque Seneca in libro de Consolatione ad Martiam.

c *Marcus Cato.*] Scilicet Censorius ex Plutarcho in vita illius.

d *Marcus quoque Bibulus.*] Seneca in d. lib. de Consolatione. Bibulus, inquit, qui toto honoris sui anno ob inuidiam collegæ (is erat Iulius Cæsar) domi latuerat, postero die quàm geminum filiorum funus renunciatum est, processit ad solita in publicum officia.

e *Quod de Anaxagora.*] Laërtius in vita illius. Ælianus de varia historia lib. 3. vbi & idem de Antigono Secundo scribit.

f *Et Xenophonte.*] Laërtius & Ælianus vbi suprà, & prætera Laërtius in vita ipsius Xenophontis. Et de eo intelligit Seneca scribens de Consolatione ad Martiam. Nec nimis admiretur Græcia illum patrem, qui in ipso sacrificio nunciata filij morte tibicinem tantùm tacere iussit, & coronam capite detraxit, cætera ritè perfecit.

g *Et Asinio Pollione.*] Hîc puto mendum esse in verbo luxit, ciúsque loco substituendum vixit, aut aliud simile, neque enim aliter conueniret præcedentibus neque sequentibus, & quod id certũ facit, Seneca in lib. 4. Declamationem post princip. hæc de illo scripsit. Memini intra quartum diem, quàm Herinum filium amiserat, declamare cum nobis, sed tanto vehementius quàm numquam, vt appareret hominum naturã contumacem cùm fortuna sua rixari: nec quicquam ex ordine remisit vitæ solito. Itaque cum mortuo in Syria Cæsare, per codicillos questus esset diuus Augustus, vt erat illi mos, illi clementissimo viro non ciuiliter tantùm, sed etiam familiariter, quod in tam magno & recenti luctu suo homo charissimus sibi pleno conuiuio cœnasset, rescripsit Pollio, eo die cœnam quo Herinum meum amisi. Superioribus autem adde Demosthenem, qui

Periclis luctus de filio. Luctus tempore ornatus omnis abijciebatur. Picea & cupressus arbores ferales.

quo die filium amisit, in conuiuio luxit. [h] Contrà Pericles, quum animo infracto semper fuisset, amisso Paralo filio, magnitudine doloris victus, lachrymas vberes dedit, & eiulatus nunquam desinentes. [i] Filios verò minores decennio, tot mẽsibus quot annis vixissent, à parentibus lugeri statuit. [k] Sed nec vxores à viris, nec sponsas lugeri fas putauit. Tempore verò luctus, matronæ purpuram aurúmque deponunt, [l] atrásque vestes induunt, & in pellibus degunt: nec illa resumere, donec eluxerunt, licet. Viri autem senatorij laticlauum & annulos aureos exuentes, [m] pullas vestes sumunt, [n] barbam capillúmque summittunt. [o] Piceas quoque [p] & cupressos, veluti ferales arbores, & Diti [q] sacras,

ANNOTATIONES.

septimo die post filiæ mortem processit corona & splendida veste ad sacra quæ Diis fiebant ob mortem Philippi Macedonis, ob quod reprehensus ab Æschine veluti duritiem & odium filiorum accusans. Contrà verò à Plutarcho id recensente in eius vita laudatus. Et Tynnichum Lacedæmonium qui Thrasybuli filij sui mortem fortiter tulit, in quem vt scribit idem Plutarchus in Apophthegm. Laconicis huiusmodi epigramma scriptum fuisse tradit, quod Raphaël ita in Latinum conuertit.

Exanimis Pitanen clypeo Thrasybulus in acri,
Confossus septem vulneribus rediit.
Passus ab Argiuis, quæ tergo nulla gerebat.
Tynnichus hunc igni cum daret, hæc loquitur.
Flere decet timidos, oculis te nate sepulchro
Condo meum siccis ac Lacedæmonium.

Ex his autem quæ dicta sunt, ostenditur verum esse, quod Seneca scripsit lib. 6. epist. ad Lucillum epist. omnium 93. Innumerabilia exempla sunt eorum, qui liberos iuuenes sine lachrymis extulerunt. Qui in Senatum, aut in aliquod officium à rogo redierunt, & statim aliud egerunt.

h *Contrà verò Pericles.*] Plutarchus in vita illius ad finem. Aliter autem Ælianus lib. 9. variæ historiæ, nempe quòd cum grassante pestilentia liberos amisisset, fortissimè tulit. Sed adde quod & Solon ille ex septem sapientibus viris filium suum defunctum luxit: cúmque à quopiam ei diceretur, Nihil proficis, respondit, At propter idipsum lachrimor, quia nihil proficio, vt scribit Laërtius in vita illius ad fin. Sed & de eo illud tradit Plutarchus in vita ipsius, Hermippi authoritate, quod cùm ipse ad Thaletem in Miletum venisset, admiratúsque fuisset, quòd ille nuptias & liberorum procreationem penitus contempsisset, Thales autem tunc quidem tacuisset, sed paucis diebus interpositis, peregrinum quendam subornasset, qui se Athenis nuper decimo post discessum die aduenisse diceret, qui rogatus à Solone, numquid noui Athenis esset? is (vt doctus erat) nihil aliud respondisset, nisi quòd adolescentis cuiuspiam funus efferretur, ac ciuitas tota consecuta esset, quòd eius pater in virtute & existimatione primas inter ciues obtineret, quem tunc iam diu ab vrbe abfuisse dicerent. Væ illi misere, Solonem dixisse. Sed quomodo ille vocabatur? Audiui, inquit, nomen, sed memoria excidit, nisi quòd ob eius iustitiam ac sapientiam omnibus in ore esset. Postremò iam turbato animo ac sollicito, ipsum peregrino nomen subiecisse, contendisséq; ab eo num illi ciui Soloni nomen esset. Annuente autem homine, cæpisse Solonem caput cædere, atque alia facere & dicere, quæ ab hominibus afflictis fieri solent. Tum Thaletem ridentem his hominem dictis aggressum esse; Hæc me, ô Solon à nuptiis & procreandis liberis dehortantur, quæ te hominem fortissimum infringunt. Hæc ille. Miror autem eam rem excidisse Laërtio in vtriusque descriptione vitæ.

i *Filios verò minores.*] Idque Numæ Pompilij est, apud Plutarchum in vita illius.

k *Sed nec vxores.*] Ibid. Sed & id nostris legibus receptum est l. vxores à viris. ff. de his qui nota. infam.

l *Atrásque vestes.*] De hoc suprà dictum est in verbo, In veste pulla.

m *Pullas vestes.*] Vide suprà in verbo, In veste pulla.

n *Barbam capillúmque summittunt.*] Vide Varronem citatum in dict. verbo, In veste pulla.

o *Piceas quoque.*] Plinius lib. 16. cap. 10. Hinc illud Virgilij lib. 6. Æneid, Miseni funus describentis.

Procumbunt piceæ, &c.

Vbi Seruius dicit has ad funus pertinere.

p *Et cupressos.*] Plinius lib. 26. cap. 31. Vnde etiam illud Virgilij eod. loco.

Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt. ——

Vbi Seruius eius rationem reddit, quam & nos alibi adduximus. Illúdque ipsius Virgilij lib. 3. Æneid. de funere Polydori,

Aggeritur tumulo tellus, stant Manibus aræ
Cæruleis mæstæ vittis, atráque cupresso.

Vbi & ipse Seruius interpretatur, atra, id est, nigra, funesta: nam inferis consecrata est, quæ cæsa nunquam renascit. Moris autem Romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam Pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus. Illud item Ouidij idem Epitheton illis tribuentis lib. 1. Trist. eleg 13.

Funeris ara mihi ferali cincta cupresso.

Et Horatij Epod. Ode 5.

Iubet sepulchris caprificos erutas,
Iubet cupressos funebres, &c.

Et lib. 2. Car. Ode 14.

Neque harum quas colis arborum
Te præter inuisas cupressos,
Vlla breuem dominum sequetur.

Inuisas (inquit Acron) id est, rogis & luctibus consecratas. Et vt dicit Porphyrion: quia funeribus cupressus adhibetur. Illud item Statij lib. 4. Thebaidos,

—— *Superat tamen ager in aruis*
Pineus hunc iuxta cumulo minor ara profunda,
Erigitur Cereri, frondes atque omne cupressus,
Intexit plorata latus, &c.

Et ipse Seruius enarrans illud Virgilij lib. 2. Æneid.

Iuxtáque antiqua cupressus. ——

Cupressum, ait, arborem funebrem bene ante templum Deæ lugentis esse confirmat. Et illud lib. 4. Æneid.

Et fronde coronat *Funera.*

Id est, cupressu, inquit. nam & superiora ligna ad funus pertinent. Húcque pertinet fabula Cyparissi filij Telephi in cupressum arborem luctibus aptam conuersi. De qua Seruius enarrans illud Virgilij lib 3. Æneid.

----*Quales cum vertice celso*
Aëriæ quercus, aut Conifera Cyparissi
Constiterant.

Et paulò post ipse Seruius tradit hanc arborem Proserpinæ dicatam propter luctus morientium, de quo & tu vide quæ dicam infrà lib. 4. cap. 17. Quare autem hæc arbor sit, & dicatur luctuosa, disces ex Probo Virgilij interprete lib. 2. Georg. in eum locum.

Nec salici lotóque, nec Idæis Cyparissis.

Vide etiam num. seq.

q *Diti sacras.*] Plin. lib. 16. c. 33. Et Festus Pompeius lib. 3. Cuius hæc verba sunt: Cupressi mortuorum domibus ponebantur. Ideo, quia huius generis arbor excisa non renascitur, sicut ex mortuo iam nihil est sperandum: quam & ob causam in tutela Dei patris esse putatur. Aliam tamen rationem, quare ante domum funestam poneretur, addunt. Seruius in lib. 3. Æneid. in eum locum suprà citatum.

Atráque cupresso, &c.

r Patri

in lugubri domo [r] patriciorum, amissis fratribus, liberis & propinquis, apponere mos erat. [s] Græcis verò funesti, & qui exequias duxissent, vt lapide lesbio extructas domos incolant, quòd subtristi esset aspectu [t] Atheniensibus Solon flebiles lamentationes, & cætera dolorem testantia, velut inania, & nihil viræ proficientia, sustulit. [u] Lycurgus verò Lacedæmoniis vndecim dierum spatio luctum terminauit. [x] Quod à Thracibus & [y] Massiliensibus vsurpatum legimus: qui quotidianas lachrymas & funesta omnia, ac sordes lugubres in funere inhibuere: [z] Luctus autem & mœror patrius intra lugendi tempora ob plurimas minuitur causas: vt si liberi nascerentur, si pater aut filius, frater aut vir, ab hostibus capti reuertissent: aut cum propior affinis, quàm qui lugeretur, domi natus foret: vel si puella dabatur nuptui. [a] Publicus verò, si lustrum fieret, [b] aut vota soluerentur, [c] vel sacra Cereris instarent. His enim casibus domum aut familiam in squallore & sordibus esse nõ decebat. Hoc quoque notare contentus sum, neque [d] puerum minorem septennio, priusquam omnes geniti dentes forent: [e] neque fulmine ictos, qui vita functi essent, rogis imponere, [f] aut corpora cremare: neque hominum vita sublatum, feriis publicis efferre licuisse. [g] Quódque quoties plura cadauera & aceruata corpora vrerent, aut incendi curarent, solitos esse funerum ministros, denis virorum corporibus singula muliebria adiicere, vt vnius adiumento cætera facilius deflagrarent.

Græci. Athenienses. Lacedæmonij. Thraces. Massilienses. Luctus patrij minuendi causa. Publici. Notandum hoc.

ANNOTATIONES.

r *Patriciorum.*] Lucanus lib.3.

Et non plebeios luctus testata cupressus.

Ex quo id annotat Lactantius Placidus Statij interpres lib. 4. Thebaidos. Seruius autem tum lib. 3. Æneid in eum locum suprè citatum,

Atráque cupresso. ——

Moris, inquit, Romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam Pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus. Citátque illud Horatij libro Carm. 2. Ode 14.

—— *Neque harum quas colis, arborum*
Te, præter inuisas cupressos.

a *Græcis verò Funesti.*] De his iam diximus suprà.

t *Atheniensibus Solon.*] Plutarchus in vita illius, vide tamen quæ de eo dicta sunt suprà in verbo; Contrà verò Pericles.

u *Lycurgus.*] Plutarchus etiam in vita illius. Idem autem in Apothegmatis Laconicis, quo loco antiqua eorum instituta describit, tradit Lycurgum ipsum sustulisse & luctus & lamentationes & inscriptiones monumentorum, præterquam eorum qui in bello occidissent.

x *Quod à Thracibus.*] Herodotos in Terpsichore, id est, lib. 5. Valerius Maximus libro 2. cap. 1. Pomponius Mela lib. 2. cap. 2. Quintilianus lib. 5. cap. de exemplis.

y *Et Massiliensibus.*] Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. vbi de ipsis Massiliensibus loquitur. Adde & Locris, apud quos etiam luctu mortuos prosequi vetitum erat, vt prodit Heraclides in Politicis.

z *Luctus autem & mœror.*] Festus Pompeius lib. 11. Minuebatur, inquit, luctus priuatis, cùm liberi nascerentur, cùm honos in familiam veniret, cùm pater aut liberi, vir aut frater ab hoste capti domum redirent, cùm puella desponsaretur, cùm propior quis cognatione, quàm is qui lugeretur, natus esset.

a *Publicus verò, si lustrum.*] Festus Pompeius lib. 11. Minuebatur, inquit, populo luctus ædis dedicatione, cùm à Censoribus lustrum condebatur.

b *Aut vota soluerentur.*] Festus vbi suprà ad id addens quod proximè ex eo adduximus, cùm votum publicè susceptum soluebatur.

c *Vel sacra Cereris instarent.*] Liuius 3. Decad. lib. 2. Tum priuatæ quoque per domum clades vulgatæ sunt: adeóque totam vrbem impleuit luctus, vt sacrum anniuersarium Cereris intermissum sit, quia nec lugentibus fas est id facere nec vlla in illa tempestate (loquitur autem de clade Cannensi) matrona expers luctus fuerat. Itaque ne ob eandem causam alia quoque sacra publica aut priuata desererentur, Senatusconsulto diebus 30. luctus est finitus. Quod & ipsum repetit 4. Decad. lib. 4. in Oratione Valerij Trib. pleb. pro lege Oppia abroganda. Cùm, quia Cereris sacrificium lugentibus omnibus matronis intermissum erat, Senatus finiri luctum 30. diebus iussit. De qua re etiam Valerius Maximus lib. 1. cap. 1, Quanto, ait, nostræ ciuitatis Senatus Venerabilior in Deos: qui post Cannensem cladem decreuit, ne matronæ vltra trigesimum diem luctus suos extenderent, vti ab his sacra Cereris peragi possent.

d *Puerum minorem septennio.*] Hæc accepisse videtur à Plinio lib. 7. cap. 16. qui id tamen non ita dicit, sed sic. Hominem priusquam genito dente cremari mos gentium non est. Ad quod referendum est illud Iuuen. saty. 15.

---*Vel terra clauditur infans*
Et minor igne rogi.---

Quem locum interpretes non intellexisse videntur.

e *Neque fulmine ictos.*] Erat autem lex Numæ. Hominem fulmine occisum, ne supra genua tollito. Et alibi: Homo si fulmine occisus est, ei iusta nulla fieri oportet. Testis vtriusque Festus Pomp. lib. 12.

f *Aut corpora cremare.*] Quod & nos nuper ex Plinio diximus.

g *Quódque quoties plura.*] Macrobius libro Saturnal. 7. cap. 7.

Miraculum Tritonum & Nereidum, quæ variis in locis tempestate nostra comperta fuere.

CAPVT VIII.

TRITONEM & Nereidas, hominésque mari genitos, quos marinos appellant, præter quàm quòd apud Plinium naturalis historiæ nono legeramus, nostra quoque tempestate conspicuos fuisse, multa documenta sunt. In memoria mihi est, cum adolescentulus ego in porticu nostra Portanonensi Neapoli quandoque diuerterem, Draconettum Bonifacium Neapolitanum, patriciæ generis & inclytæ familiæ virum, vt in homine militari, facundiæ florentis, & multarũ rerum cognitione clarum, tunc senecta venerabilem, & debilitate pedum inualidum, in conuentu maximo, præsente atque audiente me, referre solitauisse, se dũ in Hispania militaret, marinum

Homo marinus. hominem vultu & corpore prorsus humano, absoluta similitudine pube tenus, postremis verò in piscem desinentibus vidisse, in melle ex vltima Mauritania & Oceani finibus ad regulos sub quibus stipendia faciebat, & honestum ordinem duxerat, pro monstro allatum. Fuisse autem facie hominis vetusti, capillo & barba hispido atque hirto, colore cæruleo, statura procera, & maiore humana. Alis quoque tenui cartilagine, quibus marinos fluctus secabat, & membrana passim interlucente munitum. Et hanc rem non sibi tantùm, sed plerisque summæ nobilitatis viris, notam & conspicuam fuisse, dicere. Sed ne quis hoc vanum aut commentitium fortasse putet, Theodorus Gaza vir Græca facundia clarus, & philosophiæ præceptis imbutus egregiè, apud Iouianum Pontanum, ad quem frequens ventitabat, compluresque nostrates, scitè admodum & luculenter ratiocinabatur, se dum in Peloponneso ageret, & fœda maris tempestate oborta durissimo tempore anni, nonnulla piscium monstra procellæ ad litus illisissent, inter cætera vidisse Nereidem in littore, fluctibus expositam, viuentem iam & spirantem, vultu haud absimili humano, facie quoque decora, neque inuenusta specie, corpore squamis hirto ad pubem vsque nisi quòd cætera in locustæ caudam desinebant: ad quam properè visendam cum frequens concursus fieret, ipséque & nonnulli è propinquis oppidis vicini affinésque eò se contulissent, illam frequenti turba circundatam, mœstam & animo consternatam, vt ex vultu coniectari erat, in littore iacêtem, crebróque suspirio fatigatam conspexisse: mox cum à tam frequenti corona inspiceretur, séque in sicco destitutam videret, præ dolore gemitus spirantes, & lachrymas vberes dedisse: cuius misericordia motus ipse, vt erat mitis placidúsque, cum turbam decedere de via iussisset, ipsam interim † brachiis & cauda, quo maximè modo poterat, humi reptantem, paulatim ad aquas peruenisse. Cúmque se præcipitem magno nixu in mare dedisset, ingenti impetu fluctus secare cœpisse, momentóque temporis elapsam ex oculis, nusquam apparuisse. Georgius quoque Trapezuntius vir multi nominis, & magnæ eruditionis, aperta professione referebat amicis, se cum haud procul à litore in fonte quodam spatiaretur, puellam conspexisse eleganti forma vndis extantem pube tenus & quasi lasciuiret, subinde emergentem summergentémque se, quoadusque se conspectam intelligens, haud amplius apparuit. Sed super omnia in nostro æuo haud absimile factum accepimus in Epiro, profectò exemplum inter pauca memorabile, quod nonnulli prodendum posteris putarunt, & actis quoque publicis testatum est, ad fontem iugis aquæ, ad quem mulieres ex oppidulo aquatum ventitabant, Tritonem seu marinum hominem è spelunca, quam fortè ibi nactus fuerat, obseruare solitum, si quando solam ad aquas accedentem, aut per litus obambulantem mulierem videret, ipsum ex vndis & spelunca leni gressu tacitúsque vestigiis desilire, & à tergo accedere, ac vi compressam mulierem in insidiis adoriri, & ad mare concubitus causa arripere, arreptámque sub vndis deferre consueuisse. Quod cum apud loci incolas percrebuisset, diligentius marinum monstrum obseruasse, & cum diutule laqueos illi intendissent, haud multò pòst dolo captum, & laqueis vinctum cœpisse, cúmque cibo abstineret, extra aquas diutius viuere nequisse, squaloréque tandem & tædio ad extremam tabem venisse. Tenet fama, Venereos eos & flagrantissimè mulierum amasios esse: propterea oppidi incolas edicto inhibuisse, neque deinceps ad fontem mulier, nisi viris comitata, accederet. Hæc nos & eiusmodi ab his qui diuersa maria penetrarant, & eadem monstra placidis aquis colludentia vidissent, & in occursum nautis, exertis capitibus ab vndis occurrisse, & voces audisse referebant, plerunque accepimus.

Nereis à Theodoro Gaza visa.

† brachiis.

Geo. Trapezun tius.

Triton.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

De Tritonibus & Nereidibus visis loquitur Alexander hoc cap. Locus autem plinij hîc citatus est lib. 9. cap. 5. vbi & de Nereidibus quoque loquitur. De quibus etiam Ouidius lib. 11. Metam. Et de vtrisque idem Plinius lib. 34. cap. 11. eodemque vlt.

Qui xystici, quíve thymelici apud iureconsultos dicti sint, quódve officium, & quid nomina designarint. Item qui intelligantur per aqua aspersores in sacris certaminibus apud iurisconsultum, & quid pancratiastes & pancratium.

CAPVT IX.

Ioan. Platina.

CVm Ioanne Platina viro docto & antiquitatum studioso pro familiari consuetudine sæpe deambulabamus, & omnes antiquitates, veterúmque monumenta, atque ruinas vrbis explorabamus. Dúmque in veteri sepulchro inter semiruta vestigia in Quirinali, literis, mirandæ vetustatis situ & senio obliteratis, epitaphium legeremus insculptum his verbis: L. THENODORVS XYSTICVS, PARIDI THYMELICO BENE MERENTI FECIT. Quærebat Platina, [a] qui xystici essent, quíve thymelici, nunquid artis nomina vel cognomenta forent. Cúmque

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

a QVi xystici, quíve thymelici.] De vtrisque fit mentio in l. Athletas. in princ. ff. de his qui not. infa. Vide ibi Florentin. Pandect. Vbi Budæus omnium optimè declarat qui ij sunt.

b Xystos

meminiſſe me apud authores,qui xyſtici dicerentur,legiſſe,quódque in xyſtis velut in gymnaſiis nudi exercebantur,athletas xyſticos dici reſpondiſſem: [b] xyſtos autem longas fuiſſe porticus ampla latitudine, & gymnaſium vbi ambulationes eſſent, & arbores plerunque digeſtæ: in quibus Athletæ hybernis ſæpe temporibus luctabantur: [c] quas Græci hypæthras ceu paradromidas dicunt, inſtar illorum quæ in Attica fuere gymnaſia: quæ tria vel maximè memorantur, [d] Lyceum, Cynoſarges, & [f] Academia: qui autem thymelici eſſent, mihi non ſuccurrere, neque in mentem venire aſſeuerarem: tum Platina quaſi admirans, ait: nunquid noſtro ciuili iure aliquam de thymelicis mentionem fieri adnotaſſem. Nam de xyſticis ſatis ſibi liquere, pugiles fuiſſe, vel ex eo quòd in xyſtis & longis porticibus exercebantur: vel quòd haſtis decernerent, à Græco verbo ξυστὸν, quod eſt haſta: quare xyſticos ludiones, quòd haſtis depugnarent velut gladiatores, & xyſtarchum qui gymnaſio præeſſet, nuncuparunt: thymelicos verò, eiuſdem generis pugiones ſeu hiſtriones fuiſſe ſe arbitrari. Siquidem Græci hiſtrionicam, thymelen nuncupant: θυμέλην enim ſcenam dixerunt: θυμελικοὺς, ſcenicos & hiſtriones: & niſi qui ſe fallat, de his apud iureconſultos in edictis prætorum mentionem fieri aiebat. Fuere, inquit, athletarum & hiſtrionum ſpecies multifariæ: nam gladiatores, & pugiles, & thymelici, & pancratiaſtæ, xyſtici, pantomimi, palæſtritæ, & arenarij, ſicut Thraces, mirmillones, ſequutores & retiarij: omnes athletarum, hiſtrionum, & comœdorum numero habentur: licet pantomimos [g] à Domitiano ſublatos, mox [h] à Nerua reſtitutos, [i] demum à Traiano eiectos: hiſtrionéſque à [k] Tiberio, [l] & deinde Nerone, ob plurima flagitia Italia pulſos legamus. thymelicum verò [m] choragium apparatum eſſe ſcenarum & hiſtrionum, quos omnes inter artifices adnumerari, neminem fugit. Et pleraque hoc genus memoriter & expeditè, vt ſuus mos erat, veterum teſtimoniis exempliſque referebat. Cum vero nos hac admunitione attentiores facti, in legum commentariis verſaremur, deprehendimus apud Vlpianum titulo de infamibus, thymelicorum, xyſticorum & athletarum, quod nunc non commemineramus, mentionem haud dubiam fieri: thymelicóſque & xyſticos inter athletas, & eos qui in theatrum prodirent ad edendas in ſcena operas, adnumerari: id quod Platina fuerat præclarè arbitratus, cenſuiſſéque iureconſultos, quòd pugnandi cauſa in arenam prodirent, & ludicram facerent, non propterea infamiæ crimen aut notam incurrere. Cuius verbis admoneor, vt verum eſſe cenſeam, quod [n] apud Ciceronem refert Æmilianus, artē ludicram & ſcenas quandoque Romanos probro duxiſſe, genúſque hoc hominum tanquam ſcurras improbiſſimos tribu amouere voluiſſe. Quare ſub Tiberio, in opera ſcenæ prodiiſſe, famoſa nota cenſebatur. [o] Quod etiam ſenatuſconſulto fuit vetitum, cautúmque ſeuerè, ne equites Romani ludo & arena polluerentur. [p] Tametſi feratur Auguſtus athletis conſeruaſſe priuilegia & ampliaſſe, [q] coërcitionémque in hiſtriones magiſtratibus inhiboiſſe, ita vt in eos animaduerſionem non haberent. [r] Græcis verò prodiiſſe in ſcena inter athletas, honori fuit, nec probro datum eſt: quippe [s] cùm Plato ſummus fuiſſet athleta, poſt multiplices

Xiſtici. Xiſti.
Hypæthra.
Paradromida.
Gymnaſia tria in Attica.
Thymelici.
Athletarum & hiſtrionū ſpecies varia.
Thymelicū choragium.
Ciceronis locus.
Scenici infames apud Romanos.
Scenicorū honos apud Græcos.

ANNOTATIONES.

b *Xiſtos autem.*]Vitruuius lib.5.cap.11.& lib.6.cap 9.

c *Græci hypæthras.*]Idem Vitruuius in illis locis.

d *Lyceum.*]De quo Liuius 4.Dec.lib.1. Xenodotus, Suidas, & Pauſanias lib.1.

e *Cynoſarges.*]Liuius eod. libr.1. Plutarchus in Themiſtocle in princ. & Laërtius in Antiſthene, Stephanus, Suidas, Heſychius Didymi, aut vt nonnulli appellant Diomi Athenienſis, & diximus in noſtris Commentariis Nobili. cap. 15. num.31.

f *Academia.*]Laërtius in Platone, Pauſan. lib. 1. & omnes vbique. Sed adde fuiſſe quoque Athenis aliud Gymnaſium non procul à foro, quod à conditore Ptolemæum vocabatur, apud Pauſan.lib.1.cuius etiam meminit Cicero Toſcul: quæſt.lib.5.in princ. Item aliud quod Adriani nominatur eod. lib.1.

g *A Domitiano ſublatos.*]Sueton.In eius vita cap.7.

h *Mox à Nerua reſtitutos.*] Plinius in Panegyrico ad Traianum.

i *Demum à Traiano eiectos.*]In eod.loco, & nos quoque de iis diximus in noſtris Commentariis Nobilitatis cap.34. cap.17. incip. Quamquam, vbi videre poteris.

k *Tiberio.*] Tacitus lib.4.

l *Nerone.*]Idem lib.13. & Suet. in eius vita, cap.16.

m *Choragium.*] Feſtus Pompeius. Choragium, inquit, inſtrumentum ſcenarum. Sed tu vide omnino Budæum in l. ſi vt certo.§.interdum.ff.commod. Sed & Choragij & Choragi præter eos quos ille citat, mentionem facit Valerius Maximus lib.2.cap.1. vbi de Inſtitutis antiquis. & Plinius lib.36. cap. 35, vbi de Theatro M.Scauri, alias autem Fulgentius de vocibus antiquis ſcribit Choragium dici virginale funus authoritate Apuleij li.1. Metamorph. cuius hæc verba adfert, Choragio itaque perfecto, omnes dormitionem parant. Vide alicubi, & ibi Beroaldum.

n *Apud Ciceronem.*]Vti refert D.Auguſt. de Ciuit.Dei.lib. 2. cap.13. neque enim nunc extat liber Ciceronis tale quid dicens: Idque credo fuiſſe in libris de Repub. qui magno reipub. damno interierunt, ex quibus ſæpe illum citat ipſe Auguſtinus. Sed & idem propè recenſuit Probus Æmilius in præfatione vitarum illuſtrium virorum.

o *Quod etiam ſenatuſconſulto.*] Apud Cornelium Tacitum lib. 18. cuius hæc verba ſunt, Cautum ſeuerè, ne equites Romani ludo & arena polluerentur. Cuius etiam ſenatuſconſulti mentionem fecit Suetonius in Auguſto, cap. 43. his verbis: Ad ſcenicas quoque & gladiatores operas, & equitibus Romanis aliquando vſus eſt, verùm priuſquam ſenatuſconſulto interdiceretur.

p *Tametſi feratur Auguſtus.*] Sueton. in vita ipſius, cap.45. Athletis, ait, & conſeruauit priuilegia & ampliauit.

q *Coërcitionémque in hiſtriones.*] Suetonius ibi paucis verbis interiectis coërcitionem in hiſtriones magiſtratibus in omni tempore & loco lege vetere promiſſam, ademit. & Tacitus libro primo non multò ante fin. Dum, inquit, Auguſtus immunes verberum hiſtriones quondam reſponderat. Sed tu vide de his quæ ſcripſimus pleniſſimè in tractatu Nobilitatis cap. 34. num.13. incip. Igitur ad eos, & multis ſeq.

r *Græcis verò.*] Probus Æmylius in ea præfatione vitarum excellentium Imperatorum, & D. Auguſtinus de Ciui. Dei, lib.1.cap.12.

s *Quippe cùm Plato.*]Laërtius in vita illius. Apuleius lib. 1. de Dogmate Platonis poſt princ. & Seruius lib.6.Æneid. in eum locum.

victorias se philosophiæ dedit. [t] Verba verò Vlpiani ex responsis Sabini & Cassij hæc fuere. Athletas omnino artem ludicram non facere, virtutis enim gratia hoc facere, & vtile videtur: vt neque thymelici, neque xystici, neque agitatores, neque qui aquam equis spargunt, cæteráque eorum ministeria qui certaminibus præsunt sacris, aut deseruiunt, ignominiosi. Ex quibus liquet, thymelicos & xysticos à iureconsulto inter athletas adnumerari. Sed quia [u] de pancratiaste, & his qui in sacris certaminibus aquam [x] equis spargunt, mentio fit, qui fuerint hi, & an inter ludiones recepti, adhuc ambigi dubitaríque potuit: cum præsertim nullam de his qui aquam in certaminibus spargunt, mentionem fieri apud veteres, quod meminerim, sciam: nisi eos dicamus fuisse, qui in stadio dispositi, equis sponte currentibus, quò velocius metam contingerent, aquam per vices spargere, itaque illos ad cursum impellere solerent. Pancratiasten verò eum dici volunt, qui luctator simul & pugil foret: quippe cum alij pugiles, alij luctatores forent, is qui vtroque teneretur studio, pugna scilicet & lucta, pancratiasticus nuncupatur: & vbi exercentur, pancrarium. Censuítque [y] Vlpianus ad legem Aquiliam, illum qui dum exercetur, in colluctatione vel pancratio aut pugilatu aliquem oppressit vel occidit, Aquilia teneri. Verbo verò Vlpiani ex ea lege, hæc sunt: Si quis in colluctatione, vel pancratio, aut pugilatu, dum exercentur, alius alium occiderit, Aquilia tenetur.

l. Athletas. ff. de his qui not. infa. — *Qui in sacris certaminibus aquam aspergerét.* — *Pancratiastes.* — *Pancratium.* — *l. qua actione § si quis ff. ad legem Aquil.*

ANNOTATIONES.

Atque humeris extantem suscipit alius.

t *Verba verò Vlpiani.*] In d. l. Athletas ff. de his qui not. infa.

u *De pancratiaste.*] Vide Robertum Stepha. & Budæum in annotationibus in duobus locis, & Cælium lib. 13. c. 30. in princ.

x *Aquam equis spargunt.*] Accursius ibi. Frigidam, inquit, vt citius currant: fiebat enim olim Romæ ludus in quo hoc fiebat, & adhuc fit Constantinopoli. Hæc ille. Verùm nonnullis placet ludis Circensibus & aliis quibus equi currebant, cum ij cucurrissent aqua spargebantur, vt membris refocillatis alacrius cursum repeterent. In ídque trahunt quod Festus Pompeius lib. 12. scribit Nasiternam genus vasis ansati & patentis, quale est quo equi perfundi solent. Cuius quoque vasis meminit Fulgentius de obscuris veterum verborum significationibus ad Calcidium.

y *Vlpianus.*] In l. qua actione. §. si quis. ff. ad leg. Aquil.

Locus ex Iuuenale de Trulla, quid designet, ex authoritate Iurisconsultorum, & aliorum testimonio explanatur. CAPVT X.

TRVLLAS pocula esse & vasa potoria censeri, haud immerito [a] plerique existimarunt. Idq; quod [b] à Iuuenale dictum est de trulla, de quo apud eruditos controuersia est: non id credi dicere, quod vulgo putarunt: vt de vase in quo alui proluuies effunditur, intelligatur, cum id aliud sortitum nomẽ sit, & à doctissimis [c] scaphium [d] & lasanum dicatur, veróq authoris sensui non satis conueniat: sed de vase potui parato, intelligi oportere constat, illúdque quàm syncerissimè à poëta dictum fuisse:

Laudare paratus
Si bene ructauit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inuerso crepitum dedit aurea fundo.

Trulla. — *Scaphium.* — *Lasanum.*

ANNOTATIONES IN CAP. X.

a *PLerique.*] Ex quibus nonnullos postea citat, sed quibus adde Catonem de re Rustica, c. 10. vbi scribit Villicum habere oportere vrnam quinquagenariam vnam, trullas tres, &c. & cap. 13. vbi etiam scribit in Torcularium vsu opus esse Trullas æneas tres, amphoras olearias duas. Et paulò post eod. cap. Vrceos fictiles vrnales duos, trullas ligneas duas. Plautum in Amphitruone act. 4. sce. 4.

Interea dum illi certant, in popinam diuertendum est mihi.
Lances detergam omnes, omnésque trullas hauriam.

Ciceronem in 6. in Verrem act. Erat etiam vas vinarium ex vna gemma prægrandi, trulla excauata cum manubrio aureo. Varronem lib. 4. de ling. Lat. Plinium lib. 34. cap. 2. Sunt ergo vasa tantùm Corinthia quę isti elegantiores nunc æs sculpendo transferunt modò in lucernas, modò in trullas, modò munditiarum respectu. Et Paulum in l. 3. ff. de supel. leg. & l. Pomponium. ff. de auro & arg. leg. in l. & si non sunt. §. argento ff. de aur. & arg. lega. Et vt id verum sit, trullam scilicet esse vas potorium. Tamen negari non potest quin & id pro vase, in quod alui proluuies aut lotium deiicitur, apud bonos authores quoque reperiatur. Ita enim vsus est Martialis lib. 9. epigr. 98.

b *A Iuuenale.*] Saty 3. cuius carmen postea relatum est. Vbi consule interpretes.

c *Scaphium.*] Apud Vlpianum in l. Quintus. §. vlt. ff. de aur. & arg. leg. Cuius hæc verba sunt. Argento legato non puto ventris causa habita scaphia contineri. Súntque qui ad hanc significationem trahunt illud Iuuenal. saty. 6.

Et vnde scaphium, positis cum sumitur armis.

Sed Baifius tradit illic significari instrumentum rusticum τῷ σκάπτειν, id est, fodiendo. Erasmus legionem intelligit. Sed quod magis ad hanc Alexandri significationem Pollux lib. 10. cap. 9. dicit id esse matulam in quam meiunt mulieres, verum & id esse vas potorium satis indicat Plautus in Stycho.

Quibus diuitiæ domi sunt, scaphio, cantharis, batiociis
Bibunt. ——

Et in Persa,

Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium
Marsupium habent. ——

Cicero in 6. in Verrem actione. A pupillo Hero, cui Marcellus tutor est, à quo pecuniam grandem eripueras, scaphia cùm emblematis. Lilybei vtrum empta esse dicis, an confiteris erepta? Nam & hanc quoque significationem vasis potorij atque etiam escarij scaphio tribuit Athenæus. Cæterùm Plutarchus in vita Numæ Pompilij σκάφιον appellat, quo Vestæ ignis sacer extinctus, solis tantum radiis accendebatur, vt etiã annotat Hermolaus in Plinium. Sed & apud Aristophanem in Vespis, est calua siue cranium, à scaphæ figura. Et apud Suidam tonsuræ genus, & Vitruuio quoque lib. 8. satis intelligitur schapium non solùm ad vsum ventris esse, sed & ad alios vsus aptum, cùm ita scribit: Scaphium æreum aut plumbeum aut peluis ex his quod erat paratum idque intrinsecus oleo vngatur. Denique Martianus Capella in lib. de Geometria 4. cap. 1. scribit scaphia esse rotunda ex ære vasa, quæ horarum ductus stylo in fundo posito discriminant. Vide autem Alciatum in Parergis lib. 6. cap. 26.

d *Et lasanum.*] Horatius lib. 1. Sermo. saty. 6.

Te pueri lasanum portantes, œnophorúmque:

Et ibi Acron interpres & Pollux lib. 10. cap. 9.

e Corre

In quo illum significare haud dubiè putamus, qui postquam calicem exhausit, in ipso fundo, ructu aut sibilo crepitum facere more detestabili non fuit veritus, vbi idem crimen bis arguere satyricæ dignita fuit. Vel de eo, qui postquam vini calicem hausit, id quod remansit, ita elidit in pauimento, vt resonaret. Quod insolentissimi animi, audacis & petulantis, nimiæque securitatis fuisse liquet: quem abusum apud compotores & helluones impuros, quiscortis vinóque madidi & epulis distenti erant Græcis inualuisse multi adnotarunt: ita vt ludus inde conuiualis foret, quem [e] cottabisim appellarunt, cum residuum potum in æneas phialas iactarent: qui si sonantior creperet, se ab amica redamari, & mutuo affectu teneri putabant. Quod esse probabile, & ab authoris sensu non alienum ex contextu verborum liquere putamus. Id verò quod de trulla diximus, inter pocula censeri, scitè admodum [f] à Scæuola libro tertio de legatis definitum est in hæc verba, Seiæ dulcissimę poculum aureum quod elegerit, fidei hæredum commisso vt darent: quæro cum in hereditate non sint nisi trullæ, scyphi, modioli phialę, an Seia de his speciebus eligere possit? Respondi, eum omnia potui parata, pocula dicantur, posse. [g] Plinius libro septimo & trigesimo historiæ naturalis: Titus Petronius, inquit, vir consularis, inuidia Neronis, myrrhinam trullam CCC. sestertiis emptam fregit, vt mensam eius exhęredaret. Cicero in Verrem sexta actione: Erat, inquit, vas vinarium ex vna gemma pręgrandi, trulla excauata. [h] Horatius quoque in satyris:

Qui Veientanum festis potare diebus.
Campana solitus trulla, vapàmque profestis,

Cottabisim.

Ex quibus licet ęstimare, trullam inter pocula & vasa potui destinata censeri: sicut [i] scyphus, [k] modiolus, [l] & phiala, & quam [m] Varro dixit depestam. tametsi [n] scyphum Herculis, [o] cantharum Liberi poculum legamus: [p] quo Marius post Cymbricam victoriam potasse assiduè dicitur. Fuit quoque

Depesta.

ANNOTATIONES.

e *Cottabisin.*] Vide Cælium Rhodiginum lib. 27. cap. 27. item li. 28. c. 5. Erasmum Chil. 4 cent. 6. cap. 66. Robertum Stephanum in verbo κότταβος, Dictionarium Græcum in verbo κότταβος, Athenæum lib. 10. c. 8. in princ.

f *A Scæuola.*] In l. Seiæ. ff. de aur. & arg. leg.

g *Plinius libro septimo & trigesimo.*] Cap. 2.

h *Horatius.*] Lib. 2. Sermo. saty. 3. Vbi Acron dicit hanc esse deformem calicem vel rusticanum. Sed & his Alexandri exemplis adde Plautum in Amphitruone.

Lances detergam omnes, omnesque trullas hauriam.

i *Sicut scyphus.*] Nam & hic reponitur inter vasa potoria à Scæuola in l. Seiæ: ff. de aur. & arg. lega. & Polluce lib. 6. cap. 2. & 16. vt hinc intelligas esse Græcam dictionem qua etiam vtitur Home. Odys. lib. 14.

καὶ οἱ πλησάμενος δῶκε σκύφος ᾧπερ ἔπινεν
οἴνου ἐνίπλειον, &c.

Latini autem sæpissimè, vt Plautus in Asinaria,

Scyphos quos vtendos dedi Philodamo, retulitne?

Cicero in 6. in Verrem actio. Hinc illa Verrea nata sunt, hinc in conuiuium Sextum Conuiuium protrahi iussit, in quē scyphō de manu iacere conatus est, Virgil. lib. 8. Æneid.

Et sacer impleuit dextram scyphus.

Et Tibullus lib. 1. eleg. 10.

Diuitiis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus astabat cùm scyphus ante dapes.

Et Horatius lib. 1. Ode 27. in princ.

Natis in vsum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est.

Et Epodi Ode 9.

Capaciores adfer huc puer scyphos
Et Chia vina aut Lesbia.

Et Valerius Flaccus lib. Argonautic. 2. & Martialis quo loco citabimus infrà in verbo, Sicut Nestorida. Suetonius in Nerone, cap. 47. Duos scyphos gratissimi vsus, quos Homericos à cælatura carminum Homeri vocabat, solo elisit. In quo id notandum quòd quos Suetonius ibi vocat scyphos, Plinius libro 37. cap. 2. Calices appellat. Nero inquit, amissarum rerum nuncio accepto duos calices crystallinos in suprema ira fregit illisos. Hæc fuit ratio seculum suum puniendis ne quis alius ex his biberet. Tu autem de scypho vide omnino Athenæum lib. 11. cap. 17.

k *Modiolus.*] Et hic quoque ponitur inter pocula potoria à Iurisconsulto in d. l. Seię: Et ita accipit Plaut. in Cistellaria,

—— Vix exculpsi vt diceret
Quia ei promisi modiolum vini dare.

Celsus autem posuit pro instrumento chirurgico lib. rei medicinæ 8. ca. 3. Sed & aliter Plinius lib. 9. c. 4. in prin.

l *Et phiala.* Quę etiam inter eadem pocula annumerata est in d. l. Seiæ. & in l. etsi non sint. §. perueniamus. ff. eod. tit. de auro & argen. leg. & Pollux d. lib. 6. cap. 16. Ex quo item intelligis esse dictionem Græcam, qua tamen passim vtuntur authores Latini, vt præter Iurisconsultos in dictis locis videre licet apud Iuuenalem saty. 5.

Virgo tenet phialas, tibi non committitur aurum.

Et Martialem lib. 8. epig. 45.

Quis labor in phiala &c.

m *Et quam Varro dixit depestam.*] In lib. 1. aut vt alij numerant, 4. Sed vereor ne hic in hac dictione mendum sit atque etiam in Varrone, à quo Alexander accepit, vbi ita vulgo scribitur. Apud antiquos scriptores Græcos inueni appellari poculi genus depestam. Et fortè vtrobique legendum est, depastrum. Est enim δέπαστρον apud Athenæum lib. 11. cap. 5. authoritate Sileni, & Clitarchi in linguis Antimachi Colophonij li. 5. Thebaidos, poculi genus, vel etiam depastum, siue δέπαστρον, est enim Græcis δέπας poculum. Homerus lib. 1. Iliad.

νώμησαν δ' ἄρα πᾶσιν ἐπαρξάμενοι δεπάεσσιν.

Et lib. 4.

—— σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ
ἕστηχ' ὥσπερ ἐμοὶ πιέειν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

Et alibi sæpe. Pollux autem libro 6. capit 16. dicit Poëticum esse.

n *Scyphum Herculis.*] Plutarchus in vita Alexandri sub fi. Q. Curtius lib. 10. de ipso Alexandro loquens: Nondum, inquit, Herculis scypho epoto, &c. Seneca ad Lucillum epist. lib. 12. epist. omnium 84. Alexandrum, inquit, intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis scyphos condidit. Macrobius lib. 5. Satur. cap. 21. & vide infrà in verbo, Heracleum.

o *Cantharum Liberi.*] Macrobius ibi. & ante eum Plinius li. 33. cap. 11. in fin. Ideóque vt subdit Macrobius, Maro aptissimé id poculum Sileno assignat, nec etiam locum Virgilij assignat qui est æglo. 6. Vbi de ipso Sileno loquens.

Et grauis attrita pendebat cantharus ansa.

De eo autem Pollux lib. 6. cap. 26. Et Nonius Marcellus inter genera poculorum, & Athenæus lib. 11. cap. 7. testimonio Amipsiæ, Alexidis in Cratia, Eubuli in Pamphilo, Xenarchi in Priapo, Epigenis in Herema, Sosicratis in Philadelphis & aliorum.

p *Quo Marius.*] Plinius ibi. Vide item Plutarchum in vita

illius,

diuersorum generum : [i] & cymbium nauis instar : propterea [k] dactylotum,ex projecturis digitorum nuncupatum, [l] gyala, [m] dynos, [n] cyborium, [o] cotyle, [p] encotyle, [q] cadus, [r] & cadiscus [s] & thericlia non incelebres, [t] quibus Dionysius libasse fertur. Id autem quod popolari sermone de trulla secus dictum est, ab eruditis haud immerito perperam iudicari. Succurit tamen in hac re notare, quod [v] Pomponius Iureconsultus de auro & argento legato, memoriæ prodidit, legatis vasis etiam scutelas & promulsidaria contineri : in quo animaduertimus, promulsidaria, vasa quibus mulsum continetur, nuncupari. [x] Et licet Græci ὀινόμελι & μελίκρατον mulsum vocent, [y] Vlpianus tamen de vino & oleo legato, vini appellatione putat mulsum non contineri, ὀινόμελι verò contineri.

Promulsidaria, vasa. οἰνόμελι, μελίκρατον.

ANNOTATIONES.

rom, & vide alicubi de supell. legat.

i *Cymbium nauis instar,*] Macrobius lib. 5. Satur. cap. 21. Festus Pompeius lib. 3. & pollux lib. 6. cap. 16. & Athenæus lib. 11. cap. 10. vbi multorum antiquorum authoritate probat ac declarat cuiusmodi id sit poculi genus. Et Isidorum lib. Ætymologiarum 20. cap. 5. Et de hoc Virgilius lib. 5. Æneid.

Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.

Vbi Seruius, pocula, inquit, in formam cymbæ. Et Varro apud Nonium Marcellum, in generibus vasorum & poculorum. Item, inquit, erant vasa vinaria sicut cymbia.

k *Dactylotum.*] Vereor primùm ne Alexander deceptus hîc fuerit ex eo quòd scribit Pollux lib. 6. cap. 16. post princ. καὶ τὰς φιάλας ἐπὶ τῶν δακτύλων ἄκρων ἰχέτωσαν, προσφέροντες τοῖς συμπόταις 'ἀνα ζῶ.. Id est, & phialas summis digitis sustineant, offerentes compotoribus commodè. Tametsi Cælius Rhodiginus libro 27. cap. item 27. inter poculorum genera etiam Dactylotum ponat, Alexandrum puto secutus, vt sæpe aliàs, dicitque id intelligi digitorum formis per ambitum insigne, nullumque citat authorem. Verùm Athenæus d. libro 11. capit. 5. scribit Dactylotum poculi genus esse apud Iunem in Agamemnonem & Philemonem in Atticis nominibus, refertque Epimonem intelligere auritum vtrinque poculum, in quod ex vtraque parte digitos diuidere possumus. Alios tamen arbitrati, quòd formas habeat in circulum tanquam in digitos diuisas, vel quia quandam eminentiam habeat & cætera quæ sunt illis omnibus obuia.

l *Gyala.*] De his Gyalis poculis Philetas in Inordinatis, Parthenius libro 1. dictionum apud historicos quæsitarum Apud Athenæum lib. 11. cap. 5. Euripidea ἐυκρατῆρος γυάλοις. Aliàs γύαλον significat concauitatem siue profunditatem apud Etym.

m *Dynos.*] Dienos legendum est scilicet δῖνος. Is enim & inter pocula recensetur apud Athenæum vbi supra authoritate Dionysij Sinopei in Hemanse, Cleantis Philosophi in lib. traosumptionum Seleuci ex Medea Stratridis, Archedici in errante Philothe io Atticis.

n *Cyborium.*] Ciborium legendum est. Horat. Car. libro 2. Ode 7.

Oblinio læuia Massico
Ciboria exple. ——

Vbi Acron & Porphyrion interpretes scribunt hæc esse folia colocasiorum, in quorum similitudinem facta pocula Ciboria eod. nomine dicuntur. Alij tamen aliter. Porro Athenæus lib. 3 post princ. dicit Ciborium genus poculi esse. Aliud autem est apud Dioscoridem lib. 2. cap. 96. quo de faba Ægyptia loquitur, & Plinium lib. 21. c. 15. & aliud item apud ipsum Dioscoridem lib 3.

o *Cotyle.*] Pollux lib. 6. ca. 16. Athenæus d. lib. 11. c. 8. vbi declarat cuiusmodi id fuerit, &c. 9. ac 10. Idque apud Homerum reperitur lib. 15. Odys.

πλάγξομαι, ἄνευ τῆς κοτύλην καὶ πύρνον ὀρέξῃ.

Vide autem Rhodiginum, & Lexicon Græcum. Ita autem dictum videtur à concauitate, nam cotyle dicitur quicquid cauum est. Ex hinc Palladius rei rusticæ, thecas cotulas vocat.

p *Encotyle.*] Vide hic Lexicon Græcum. Aliàs autem Encotyle lusus est genus, de quo infrà eod. lib. cap. 21.

q *Cadus.*] Pollux d. lib. 6. ca. 16. & Athenæus d. lib. 11. cap. 7. authoritate Simmiæ, Epigenis, Hedyli in Epigammatibus Clitarchi in linguis.

r *Cadiscus.*] Pollux ibi. & Athenæus d. cap. 7. authoritate Philemonis, Anticlidis, & Stratonis Comici, vide item Commentaria Budæi.

s *Tericlia.*] Pollux ibi, & Athenæus lib. 11. cap. 6. non semel, vbi declarat quid & vnde dicatur, idque multorum testimoniis. Cui adde Theophrastum in Plantarum historia, scribentem Thericlia pocula ex termintho tornari, vt à figlinis discerni non sit, eorúmque primum videri authorem Corinthium Thericlem figulum. De aliis autem multis poculorum generibus vide Athenæum & Pollucem suprà locis hoc c. citatis, & præterea eundém Athenæum d. lib. 11. cap. 9. 11. 12. 14. 15. 16. 17. 18. 20. Macrobium li. 5. Satur. cap. 21. ex recensioribus Cælium Rhodiginum lib. 27. c. item 27.

t *Quibus Dionysius.*] Athenæus d. c. 6. authoritate Pamphili Alexandrini.

u *Pomponius.*] In l. & si non sunt. §. argento. ff. de aur. & arg. leg.

x *Et licet Græci.*] Vide Pollucem vbi suprà libro scilicet 6 cap. 16.

y *Vlpianus.*] In l. si quis vinum. ff. eod. tit. de vino & oleo legat.

Exempla frugalitatis priscorũ, & quàm parco victu contenti fuerint, & quãdo luxus primùm vrbẽ inuaserit.

CAPVT XI.

PRISCÆ frugalitatis & abstinentiæ, qua veteres vsi fuere, multa & magna nobis documenta sunt. Siquidem & vini vsus adeo [a] mulieribus interdictus fuit, vt vinum bibisse perinde esset, ac si in adulterio aut graui crimine deprehensa, capitali iudicio plectenda foret. Inoleuitque vsus, vt cognati affinesque mulieribus osculum ferrent : scilicet, an vinum bibissent, vt [b] ore explorarent. Idem [c] Massiliensibus & Milesiis, pluribusque Græcorum & Barbarorum

Vini vsu mulieribus interdictus.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

a *MVlieribus interdictum fuit.*] Dionysius Halicarnasseus lib. 2. Polybius lib. 6. Cicero in lib. de natura Deorum, & alij quos infrà citabimus, & etiam diximus in nostris legibus Connubialibus l. 9.

b *Ore explorarent.*] Plinius Catonis authoritate lib. 14. c. 13. Plutarchus in proble.

c *Massiliẽsibus & Milesiis.*] Theophrastus & eius authoritate Ælianus de varia historia lib. 10. c. 9. & Athenæus li. 10. c. 9.

d Tro-

Troglodytæ.

Vxores necatæ ob vini potum.

Ebrietas.

Ægyptiorum lex.

Mossynœci.

Seleucus.

Indorum constitutum.

Persarū milites abstemij.

Inebriandi ratio absque potu apud Scythas.

gentibus,apud quos hydropotæ fuere mulieres:nec mulieres modo,sed & viri abstemij. Apud[d] Troglodytas licet Reges mulsum bibant priuilegio honoris, vulgus tamen abstemium est, & aquam potat cum paliuro. [e] Quod & viris æquè Romæ criminosum fuit,ad annum vsque trigesimum: [f] seruo verò interdictum penitus, nisi sacrorum causa solemnibus festisque diebus. Quem osculandi quotidianum vsum postea [g] Tiberius Cæsar edicto inhibuit. [h] Legimus Romulum vrbis conditorem, quòd in conuiuio vinum non biberet, à conuiuis increpitum. [i] Et Quintum Copnium, quod vini amphoram ei cuius suffragio magistratum petebat,dono dedisset, ambitus fuisse condemnatum. Prodituque memoriæ [k] Egnatius Metellus vxorem, quòd vinum biberat,fuste necasse.[l] Et Cneus Domitius mulierem,quæ visa est plus vini bibisse, quàm valetudinis causa deceret, dote mulctasse. [m] Et matrona magna natu, quòd claues cellæ vinariæ resignasset, inedia mori coacta. [n] Lucius quoque Papyrius Imperator aduersus Samnites dimicaturus, victori Ioui pocillum mulsi pro re magna votum fecisse dicitur. Bibebant enim mutinum aut passum sapā aut defrutum, aliáque eius generis potu dulcia. [o] Adeóque eos qui se vino ingurgitarent, osos habebant, vt sequutis temporibus censores tanquam indignos qui honores & publica munera gererent, senatu amouerent, notaque & ignominia perstringerent. Indignū enim videbatur, illos qui ingenio temulento & marcido forent, quique libidinum maculis notarentur, ad rempublicam accedere, aut de publicis consultare. Quod etiā [p] Cretenses, Lacedæmonios, & Carthaginenses factitasse nouimus, qui militibus, ne efferos militia animos insolentiæ assuescerent, in omni militia vini potum interdixere ex [q] instituto Platonis, qui etiam magistratibus, donec in honore essent, vinum inhibuit. [r] Id quod penes Athenienses criminosum erat, quibus ebrius princeps morte mulctabatur.[s] Et Pittacus temulentos, si quid deliquissent, duplici pœna puniri curauit, vt formidine supplicij à vino promptius abstinerent. Quinetiam[t] Ægyptiorum lex erat, vt certa vini subtaxata mensura Regi quotidianis ferculis daretur, vltra quam excedere non licebat, ne sui impos, per occasionem & licentiam turpitudini & sordibus vacaret, sicut proditur de [v] Mossynœcis vltra Carambin flumen, qui Regem quem delegere, si quid praue deliquisset, totius diei inedia mulctabant.[x] Apud Locrenses Seleucus vinum vsque adeo auersatus fuit, vt etiam morbo affectis dari inhibuerit, cauitque vt qui vinum biberet, capite lueret.[y] Indi adeo abstemij fuere, vt nisi sacrorum causa, vinum bibere nulli fas foret:[z] quibus erat constitutum, vt si temulentum Regem mulier occidisset, hoc donaretur munere, vt successori nuberet.[a] Persarum quoque milites adeo abstemij traduntur, vt pane & aqua sæpius victitarint, panis condimentum & obsonium, famem esse dictitantes: quibus tamen semel annis singulis inebriari permissum erat.[b] Proditumque est, Scythas, cum inebriari

ANNOTATIONES.

d *Troglodytas.*] Strabo libro 16. & Diodorus Siculus libro 4. cap.3.

e *Quod & viris.*] Aelianus & Athenæus locis nuper citatis.

f *Seruo verò.*] Vide rei rusticæ scriptores. Vereor autem ne hic fuerit Alexander memoria lapsus: neque enim tale quippiam de seruis comperimus, sed de mulieribus idem quòd hic de seruis tradit Seruius enarrans illud Virgilij loquentis de Didione lib.1. Æneid.ad fi.

Dixit,& in mensa laticum libauit honorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore.

Et verecundiam, inquit, Reginæ ostendit & morem Romanum, nam apud maiores nostros fœminæ non vtebantur vino, nisi sacrorum causa, certis diebus. Et idem iisdem verbis repetit Hieronymus de virginitate conseruanda, & ex eo Isidorus Etymologiarum lib. 20. cap. 3. Illud autem reperi apud Ahtenæum lib.10.ca.9. Seruos apud Romanos non bibisse vinum.

g *Tiberius Cæsar.*] Suetonius in vita ipsius, cap.34.

h *Legimus Romulum.*] Vide Gellium lib.11.c.14. & Macrobium alicubi.

i *Et Quintum Coponium.*] Plinius libro 35.cap.12.

k *Egnatius Metellus.*] Idem Plinius lib.14.c.13.

l *Et Cneus Domitius.*] Io eodem loco.

m *Et Matrona magna natu.*] Ibi authoritate Fabij Pictoris.

n *Lucius quoque Papyrius.*] Idem Plinius vbi suprà, & Liuius 1.Dec.lib. 3.

o *Adeoque eos.*] Hæc vsque ad versiculum. Quod etiam Cretenses, sunt Plutarchi in vita Ciceronis.

p *Cretenses, Lacedæmonios, &c.*] Hic, ni fallor, falsus est Alexander existimans Platonem libro 2. de legibus ad fi. id de his tribus dixisse, quod de postremis tantùm Carthaginensibus scilicet dixit, contrarium autem de prioribus, nempe se multò magis Carthaginensium legem, quàm Cretensium & Lacedæmoniorum morem se probare, vt scilicet nunquam in castris Carthaginensis quispiam vinum gustare audeat, sed toto illo tempore aquam bibat: neque vsquam alibi id apud Cretenses aut Lacedæmonios obseruatum fuisse. At Carthaginensium eam legem fuisse præter Platonem tradidit Aristoteles Oeconomicorum lib. 1. cap. 5. Galenus & Eusebius præparationis Euangelicæ lib.1. aliàs 12.cap.17. Vide item in nostro repertorio in verbo. Vinum, & etiam in verbo, Aqua.

q *Ex instituto Platonis.*] Vbi nuper citauimus. Et id quoque Salomon statuit Prouerb.c.31.

r *Id quod penes Athenienses.*] Diogenes Laërtius in Solone.

a *Et Pittacus.*] Idem Laërtius in vita ipsius Pittaci, & longè ante Aristoteles lib.2.polit.c.10.

t *Ægyptiorum lex erat.*] Apud Diodorum Siculum lib.2.ca.3.vri & idem dicit de sacerdotibus.

o *De Mossynœcis.*] Pomponius Mela lib. 1. c. 21. vbi Chalybes describit. At Nicolaus περὶ ἐθῶν apud Stobæum cap. 42. tradit illos Regem suum si quid malè consuluisset, fame necare.

x *Apud Locrenses.*] Ælianus de varia historia lib. 2. cap. 33. Scilicet eum qui vinum iniussu medici bibisset, capitali pœna plectendum, Cuius hæc verba sunt: παρὰ Λοκροῖς τοῖς Ἐπιζεφυρίοις εἴ τις ἄκρατον ἔπιε μὴ προστάξαντος ἰατροῦ θεραπείας ἕνεκα, θάνατος ἦν ζημία, Ζαλεύκου τὸν νόμον θέντος. Ac idem quoque retulit Athenæus lib.10.c.9.

y *Indi adeò.*] Strab. Onesicriti authoritate lib. 15. & Philostratus in vita Apollonij lib. 3. Contrà autem Moses sacerdotibus sacrificij tempore vino interdixit Leuiti. 10. & Num.6.

a *Quibus erat constitutum.*] Strabo d. lib. 15. sed alio loco. Neque enim licebat apud Indos Regem fieri ebrium, vt authoritate Ctesiæ scribit Athenæus lib.10.c.11.

a *Persarum quoque milites.*] Xenophon lib.1. Pædiæ Cyri.

b *Proditumque est, Scythas.*] Maximus Tyrius ser. 11. At Ari-

stotelea

gaudeant,& abstemij sint:siquando ebrietatis dulcedine capi vellent,ne contra constitutum facerent in ignē coniectis herbis & fumo hausto,haud aliter quàm vino e poro,madidos fieri.[c] Quod de Thracibus traditur,qui epulantes,focos ambiunt,herbarū semine ignibus iniecto,cuius nidore capti,ebrios imitantur,& tanquam vino affecti temulenti iacent, sicut [d] nepenthes succo delibutis tristitiam discuti putarunt [e] Babylonij quoque incenso arborum fructu,& fumo hausto,ita ebrij redduntur, vt tripudijs & cantibus exultent.[f] Indos ferunt ex fructu arondinum quę mel gignunt,aut vino ex dactylis [g] atque Ægyptios potu è frugibus inebriari:Quinetiam [h] populum Romanum multa secula nō pane sed pulte victitasse:[i] pistorésque per annos fere sexcentos vsque ad Persicū bellū, nullos Romæ fuisse satis constat.[k] Fiebat enim puls ex aqua frumenti & fabarum aut hordei farina,[l] qua in sacris & oblationibus deorum pro victima adhibuere:[m] qui quidē pistores tostum panem lautioribus coquere solebant,reliquæ multitudini far,ideo quòd far pinsebāt,pistores dicti. Quippe cum veteribus [n] molarum nullus vsus foret, sed fruges igne tostas in pilas coniectas pinserent:vnde &[o] Pisones dictos volunt:id enim molarum instar erat.[p] Fuitque vetus mos,vt iidem essēt coqui & pistores.Lapsis mox temporibus haud longo interuallo,panes facere,[q] opus fuit mulierum,Ante vero fruges cognitas, [r] gentibus plurimis glandes fuere frumenti loco:sicut [s] pyra Argæis [t] & Tirynthiis, ficus [v] Atheniensibus,quibus [x] Cares adeo abundant, vt illis enutriant pecora : [y] milium Mæoticis & [z] Lotometra , ex cuius semine [a] conficiunt panes: [b] Medis amygdalæ, [c] Ichthyophagis pisces, [d] Æthiopibus locustæ [e] &

Thraces & Babylonios. Romanorum frugalitas. Pistores. Pisones vnde dicti. Panis mulierū. Glandes Argæi. Tirynthij Athenienses Cares. Mæotici. Medi. Ichthyophagi. Æthiopes.

ANNOTATIONES.

stoteles lib.politi.3.cap.7.scribit Scythas vinosos esse,quod & videri potest ex Platone libr. 11. de legibus. vbi & illud dicit illis studium esse, idque felix & pulchrum arbitratur, si vinum per vestes effuderint, quod & ex eo repetit Athenæus libr. 10. cap. 10. qui & de eorum vinositate loquitur etiam d.lib.10.c.8.& iterum lib.11.c.17.

c *Quod de Thracibus traditur.*] Pomponius Mela libr.2.cap. item 2.vbi vide interpretem.Solinus c.15.

d *Sicut nepenthes succo.*] Plinius libr.25. cap. 1. & Homerus Odys.lib.4.

e *Babylonij.*] Herodotus lib.1. non multò ante fi.

f *Indos ferunt.*] Strabo lib. 15.

g *Atque Ægyptios.*] Plinius lib. 14. cap.22. eodémque vlt: Athenæus Dipno.lib.1.cap.30. eodémque vlti. scribit Dionis Academici authoritate Ægyptios vinum ex hordeo factum bibere : sic autem eos hoc bibentes oblectari, vt cantent,saltent & omnia faciant quæ temulenti facere solent. Et adde quod Leontius refert Barbaricum potum inebriandi vim habentem è tritico & hordeo, atque etiam ex aueis & olyris. Et hordeum inebriare satis affirmat Aristoteles in libello de Ebrietate ; & Tacitus de moribus Germanorum.

h *Populum Romanum.*] Valerius Maximus lib.2.c.1. Plinius lib.18.c.8.

i *Pistorésque.*] Idem Plinius eod.lib.18.c.11.

k *Fiebat enim puls.*] Idem Plinius lib.18.c.8.

l *Quam in sacris.*] Plinius d.lib.18.c. 8.

m *Qui quidem pistores.*] Plinius d.lib.18. ca. 11. Et vide quæ scripsimus in nostris Commentariis Nobilitatis c.34.

n *Molarum vsus nullus foret.*] De huiusmodi tamen molis versatilibus, transatilibus, Ouidius libro 6. Fastor. & libro 3.de arte amandi,& Iuuenalis saty. 8. & Plinius lib. 15. cap. 6.& lib.36.c.18. & Gellius lib. 3. ca. 3. vbi loquitur de tempore Plauti.

o *Vnde & Pisones.*] Plinius d.lib.18.c.3.Et vide suprà lib.1:c. 9.in princ.

p *Fuitque vetus mos.*] Festus Pompeius lib.3.Coquum,inquit, & pistorem apud antiquos eundem fuisse accepimus:citatque in eam rem Neuium antiquum poëtam.

q *Opus fuit mulierum.*] Plinius d.lib.18.c.3.

r *Gentibus plurimis glandes.*] Vt Arcadibus ex Æliano de varia historia lib.3. cap.39. & Pausanias libro 8. & in vniuersum priscis hominibus,vt ait Plinius lib.7.c.56.ad prin. & lib.16.in proœmio.cap.4. & Plutarchus in Coriolano,& Seruius in lib.6.Aeneid.in eum locum,

Atque vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.

Vbi hanc reddit rationem cur corona ciuilis quercea erat, vti & nos alibi quoque diximus.Hincque illud etiam ipsius Virgilij lib.1.Georg.

Cum iam glandes,atque arbuta sacræ

Deficerent sylua.——

Vbi vide Seruium interpretem vnà cùm aliis,& eundem in eclo.1.Virgilij in princ.Atque etiā Iuuenalis saty.6.in prin. loquentis de priscis ipsis hominibus,

Et sæpe horridior glandem ructante marito.

s *Sicut pyra Argæis.*] Imo Appij, ex Aeliano vbi suprà.

t *Et Tirynthiis.*] Idem Aelianus ibi dicit syluestria pyra.

u *Ficus Atheniensibus.*] In eodem loco.Nam vt & ipse scribit cap præced.Athenis primùm reperta est ficus.

x *Cares.*] De quibus illud epigram. Græcum Palladis libro epigr. 2.ca. 17. quo indicatur Cyprios ficubus porcos alere. Id huiusmodi est,

βρώματά μοι χοίρων σκυζομένων αἰγίδυνας
ξηρῶν, δισφαλέων, κυνοῦδεν ἐρχομένων.

Etc. quæ sequuntur. De Caribus autem vide Galenum & reliquos medicos.

y *Milium Mæoticis.*] Aelianus eo.c.39.vbi & idem dicit de Sauromatis.

z *Lotometra.*] Herodotus lib.2.& Plinius in vniuersum loquens de Aegyptiis li.22.ca.21.vide an & Herodotus etiam de omnibus loquatur.

a *Conficiunt panes.*] Plinius vbi suprà,& vide an Herodotus etiam dicat de Aegyptiis lib. 2.

b *Medis amygdala.*] Strabo lib. 15. Ex malis siccis ac tritis massas conficiunt,ex amygdalis tostis panes. Hoc autem de iis qui septentrionalem & montanam Mediæ partem incolunt, accipiendum est, cùm cætera Mediæ regio summè opulenta sit.

c *Ichthyophagis pisces.*] Herodotus lib. 3. Diodorus Siculus lib.4.Strabo lib.2.Diuus Hieronimus in Iouinianum lib.2. Arrianus rer.gestarum Alexandri lib.8.Nam & hinc ita dicti sunt quòd piscibus vescantur, tanquam dicas piscinori. At eos Alexander vetuit piscibus viuere, vt scribit Plinius lib.6.cap. 23. & Solinus cap.67. Sed & his qui in Mæotide habitant,caro magnorum piscium sole siccata, & in puluerem vsque contusa pro farre est,vt scribit Pomponius Mela lib.2.cap.7.quo de mediterranei maris insulis disserit.Et idem propemodum de tribus Babyloniorum familiis tradit Herodotus lib. 1. & de Oricis Plinius Clitarchi authoritate lib.7.c.2.

d *Æthiopibus locustæ.*] Plinius vbi suprà proximè, & rursus libro 6. capit.30. Strabo qui non generaliter de omnibus, sed de his qui Silli vocantur, libro. 16. & Solinus capit.43. Sed & his adde Parthos iisdem vescentes ex Plinio libro 11. capit.29.& Pandoros ex eod.d. libro 7. cap. 2. Et Orientales & Libyæ populos ex Diuo Hieronymo d.lib. 2.in Iouinianum.Cęterum Diuus Matthæus cap.3.& Diuus Marcus cap.1. scribunt Ioannēm Baptistam locustis vesci solitum.

e *Et arundinum fructus.*] Vide authores supradictos. Sicut etiam

Getuli. Chelonophagi. Persæ. Carmani Babylonij Ægyptij. Alani. Nomades. Indi. Epicuri frugalitas.

atundinum fructus, [f] Getulis ferina caro & pabulum pro pulmentario cesſere, [g] Chelonophagis testudines, [h] cardamum vero Persis, [i] palmulæ autem Carmanis & [k] Babyloniis. [l] Ægyptij ex loto diu victitarunt: Alani carnibus, non pane vesc. uotur. [m] Nomades & [n] Getarum pars, lacte. [o] Iodis autem calistiæ semen cibarium fuit: [p] quotum reges oleribus & palmulis pleurunque victum quæsiuerunt, ciborum affluentiaam velocinuitameota ignauiæ auersari. [q] Epicurus quoque summus voluptatis assertor, victu frugali & modesto contentus, aqua & poleota, aut pane hordeaceo victum quæsiuit, contraque paupertatem inuictum animum gessit, non quòd voluptates aduersaretur, sed quòd in tenui victu se plus voluptatis experiri aiebat: cuius rei argumeotum est, quòd oleribus & pomis ac vilibus cibis, quibus viuendum censuit, libros refarsit. Ioter quos proditoi [r] Philinus quidam tantæ abstinentiæ, vt nullo cibo nisi lacte victitarit, [s] & Moschus Antimolus sophista solis caricis vesci solitus. [t] Pueris quoque & iuuenibus, vt verecuodiores essent, io magistrorum & affinium coolpectu foris cœnitare: [u] viris autem, vt frugalitatis & parsimoniæ documeota dareor, propalam cibum capere, coosuetudo fuit, [x] torusque illis ex vlua palustri fiebat, aut strameoto: hyemeque ad focum, æstate vero io propatulo & sub dio. neque [y] vltra oouem singulis lectis cœoitabant, illósque lautioribus vesci cibis non sioebaor. [z] nam carnis aridæ, aut lardi pondo tria, & salsameotorum librā quotidianis ferculis apponere criminosum erat. Siquis vltra appooeret, lege plectebatur. [a] C. Fanij

ANNOTATIONES.

etiam Indi, vt prodit Ælianus vbi suprà. Sed adde Æthiopum Macrobium, cibum esse carnem coctam, & lac potum ex Herodoto lib 3.

f *Getulis.*] Sallustius in Iugorrha. Afrlcam initio haboere Getuli, & Libyes asperi incultique, queis cibus erat caro ferina, atque humi pabulum, vti pecoribus.

g *Chelonophagis testudines*] Nam & hinc illis id nomen inditum est: Chelonophagus enim idem est ac si dicas testudinum comestor siue vorator. De his autem vide Strabonem lib.16.

h *Cardamum verò Persis.*] Ælianus lib. 3. c.30. dicit Therebinthum & Nasturtium. Videndum autem nom idem sit, numque hic legendum potius sit, Cardamomum.

i *Palmulæ autem Carmanis.*] Ælianos quoque vbi suprà.

k *Et Babyloniis.*] Strabo lib. 15. qui & ipse eodem loco non moltò post princ. tradit eosdem Babylonios vespertilionibus vesci, vti & Borsippeos.

l *Ægyptij ex loto.*] Herodotus libro 2. & Diodorus Siculus cap.3. post princ. Verùm idem libro 2. cap. 1. etiam post prin. tradit ipsis Aegyptiis victum fuisse herbas, ac palustres caules, radicésque quas gustu experti comprobassent, imprimisque herbam agrosim dictam. Et non multò post dicit, Post quædam sæcula aliis fructibus vsos fuisse, in quibus panis erat ex loto factus. At Hecatæus, & ex eo Athenæus libro 10. cap.2. scribunt Aegyptios panis esse voraces, quippe qui cyllastas edant, hordeúmque in potum conterant.

m *Nomades.*] Columella libro 7. capit. 2. Plinius libro 6. capit. 28. & capite 30. & Pomponius Mela libro 1. capit. 8. Sed & ipsi equinis carnibus vescebantur ex Pausania libro 1.

n *Et Getarum pars.*] Columella vbi suprà. Cuius hæc verba sunt, Ex lacte Nomadū Getarúmque plurimi γαλακτοπόται dicuntur.

o *Indis autem.*] Herodotus lib. 3. noo Calistiæ sed Calandiæ semine (vide Græcum, item Philostratum & Dioscoridem.) Sed & hi harundinum fructibus vescebantur, vt suprà etiam ex Aeliano, Arrianus autem lib.8. Gestorum Alexandri scribit antiquos Indos arborum foliis vesci solitos, Talaque id genus arboris vocare, circa summitates pingue quiddam in palmarum modum gignere. Carnes quarundam ferarum iis cibum fuisse, & eas quidam crudas antequam eorum fines fuisset ingressus. Sed & postea tradit Sophistas Indorum vesci foliis & fructibus quarundam arborum, quæ prædulcia sunt, & multum nutrimenti non secus ac palmarum caricæ afferūt. Et quod de carnibus crudis dicit, idem antè dixerat de Indis quos Padeos vocat. Herodotus lib.2. illos crudis piscibus vesci scribit At Strabo libro 16. tradit cibum Indorum magna ex parte Orizam esse sorbilem. Herodotus quoque vbi suprà de his in voiuersum loquens, dicit eos herba victitare, esséque eis semen quodda milij instar, sua sponte nascensè terra in suo calyce, quod cum ipso calyce lectum coquunt & edunt.

p *Quorum Reges*] Vide Philostratum. Sed & his adde Troglodytas vesci sanguine admixto lacte. Straboni lib.15. & serpentibus Plinio libr.5. cap.8. vbi & Candacas, qui ob id Ophiophagi dicuntur Pomponio Melæ lib. 3. cap. 6. & Plinio lib.6. ca.29. Et aliquando Lacedæmonios, quos & ob id Pythia vocauit φοινιδοφάγους. Aristoteli, si is est, in mirabilibus auscultatiooibus cap.24. Borsippeos vespertilionibus vt iam diximus, atque etiam Chalibes Straboni lib.16. post princip. Hos qui Rhinoceratu ciuitatem habitant, coturnicibus Diodoro Siculo lib.2. cap. 1. in fi. Scythas carnibus humanis, qui ob id ἀνθρωποφάγοι dicuotur Straboni libr. 4. & Pomponio Melæ lib.3. cap.6. vbi Britanniam describit. Vti etiam Scotos Diuo Hieronimo lib. 2. in Iouinianum, quo loco scribit etiam Arabes & Sarracenos Camelorum lacte & carnibus viuere. Phryges & Ponticos vermibus albis & obesis, qui nigello capite sunt, & nascuntur in lignorum carie, quos Cossos appellant. Syros Crocodilis terrenis. Afros lacertis viridibus. Nomades, Troglodytas, Scythas, Hunnos semicrudis carnibus. Quados, Vuandalos equorum ac vulpium carnibus. Hæc ibi. Thraces qui Strymona habitant, tribulorum nucleo, quo panem conficiebant prædulcem, & qui contrahit ventrem Plinio li.4. c.13. Parthos cicadis eidem lib.11. c.26.

q *Epicurus.*] Laërtius io vita illius, Dioclis & aliorum authoritate, Aelianus de varia historia lib.4. Hincque illuc Iuuenalis saty.14.

Quantum Epicure tibi paruis suffecit in hortis.

r *Philinus.*] Aristoteles & Philostratos, & eorum authoritate Athenæus lib.2. c. item 2.

s *Moschus.*] Hic aberrauit Alexander. Nam Moschus & Anchimolus (sic enim scribendum est) diuersi fuere, quos Hegesander Delphus, & ex eo Athenæus quo loco nuper citauimus dicunt semper dum vixerunt aquam bibisse, solásque ficus edisse, fuisse tamen robustis corporibus. Adde Protagoram, dum Ialysum pingeret, madidis lupinis vixisse quoniam simul famem sustinerent & sitim, ne sensus nimia dulcedine obstruerent, ex Plinio lib 35. c.10.

t *Pueris quoque & iuuenibus.*] Plutarchus probl. c.32.

u *Viris autem.*] Valerius Max. lib.2. ca.1.

x *Torusque illis &c.*] Plutarchus in vita Lycurgi.

y *Neque vltra nouem.*] Gellius lib.13. cap. 11. Macrobios lib. 1. Satur. c.7. ambo Varronis authoritate, & dicemus quoquè infrà lib.5. c.22.

z *Nam carnis aridæ.*] Macrobius lib 3. Saturn. c.17. & nonnihil Gellius lib.2. c.24.

a *C. Fannij.*] Plinius libro 10. cap. 50. Gellius libro 2. cap. 24. Legis autem Faoniæ meminit Athenæus li.6. cap. 8. eodemque vlt. quæ prohibebat ne plures conuiuæ externi quàm tres adhiberentur, idque quioquies tātùm singulis mēsibus

consulis lege ante tertium Punicum bellum introductum est, ne quid volucrum præter vnam gallinam, quæ altilis non esset, apponeretur: [b] vtque modus cœnarum luxuria non diffluerent, singulis diebus præterquam Saturnalibus, & Romanorũ ludis, vel plebeijs, denos asses, qui domesticis cœnis impenderentur præfiniuit. [c] Tantæque frugalitatis fuere, vt mensam quamuis paruam, omnino vacuam tolli non sinerent: sed ad cohibendum appetitum semper aliquid reliquiarum, quod postera die cœnam iuuaret, superesse voluerunt. Ouúmque & mel initio conuiuij ministrari, in [d] secundis vero mensis poma simul & mel dari consueuere. Quam victus parsimoniam [e] Athenis quoque seruari tradiderunt. [f] Nam Dioscuris in Prytaneo prandium parabatur: in quo nisi oliuæ, caseus & porrum debatur obsonium [g] & a Platone in lautissimis cœnis, sal, oliuæ, caseus, porrum, atque olera tantum ex agris iubentur apponi. [h] Ac festis diebus pueri modesti, cum verecunda grauitate, maiorum laudes carmine decantare, grandioresque natu summo obsequio vereri, illósque à conuiuiis domum reducere solebant, militiæ & colendis agris adeo intenti, vt [i] illustria inde cognomenta ferrent. [k] agrúmque malè colere, aut minus arare quàm verrere, censoria nota putabatur. Cúmque octo dies culturæ agrorum impenderent, nonum vrbanis rebus & [l] nundinis destinarunt: tametsi priori æuo, frequentiores Romanis nundinas, & tertio quoque die [m] mercatu frequenti nonnulli conuenisse dicant. Q. [n] Cincinnatus ab aratro ad dictaturam vocatus, postquam domitis hostibus triumphans vrbem iniit, licet non ex imperij maiestate, aratrum tamen sumere, & agrum colere non dubitauit. [o] Curius Dentatus cum à Samnitum legatis adiretur, rapa sibi parare obsonium inuentus est, cui [p] duos calones in castris fuisse asserunt, cum summam imperij gereret. [q] M. verò Antonio consulari VIII. seruos, [r] Carboni VII. & [s] M. Catoni cum in Hispaniam consul duceret, III. solum ministrasse. [t] Fertur quoque Ælius Catus consul, cum in fictilibus cœnaret, legatos Ætolorum vasa aurea offerentes repulisse. [u] Atque Epitus poëta, qui primus Latinorum heroica attigit, adeo victu fuisse tenui, vt in Auentino domuncula & vnius ancillæ ministerio contentus fuerit: nec tamen id sibi turpe quisquam aut

Lex Fannia. Saturnalia.

Ratio administranda mensa.

Dioscuri.

Cœna Platonica.

Agricultura apud veteres.

Frugalitatis exempla apud Romanos.

ANNOTATIONES.

sibus facere licebat. Prohibebátque obsonium ploris emere duabus drachmis cùm dimidia. Atque carnis fumigatæ quindecim talenta absumere concessit, tum quæcunq; olera fert tellus.

b *Vtq; modus.*] Gellius d. lib. 2.c.24.

c *Tantæq; frugalitatis fuere.*] Hæc sunt Plutarchi probl.c.64.

d *In secundis verò mensis.*] Et hic quoque eodem loco.

e *Athenis.*] Quod probat exemplis seq.

f *Nam Dioscuris.*] Erant autem Dioscuri Castor & Pollux, quibus tale prandium parabatur. Athenæus Dipnosoph. lib. 4. cap. 3.

g *Et à Platone.*] Libr. 2. de Repub. hoc etiam refert Athenæus lib. 4. cap. 3.

h *Ac festis diebus.*] Ad Romanos redit. Id autem est Catonis in Originibus. & ex eo Ciceronis lib. 1. Thuscu. q. post princ. Solitos, inquit, esse in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum virorum virtutibus.

i *Illustria cognomenta inde ferrent.*] Id videre potes lib 1.c. 9. post princ. & lib 2. cap. 11. etiam post princ. Sed nescio quid hæc res & aliæ non paucæ quæ sequuntur ad id caput pertineant.

k *Agrumq; malè colere.*] Plinius lib. 18. cap. 3. & c. 6. ex quo intelliges hic non vertere, sed verrere legendũ esse & Gellius lib. 4. cap. 12.

l *Nundinis.*] Dionys. Halicarn. lib. 2. & iterum lib 7. & Plutarchus in Coriolano, & probl. cap. 40. & Macrobius lib. 1. Saturn. c. 16. & Columella in præfa. lib. 1. Cuius verba quia maximè huc spectant, ducimus subscribenda. Nundinarum etiam conuentus manifestum est propterea vsurpatos, vt nouis tantummodò diebus vrbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rusticæ.

m *Mercatu frequenti.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. Tullus ad Feroniæ fanum mercatu frequenti negotiatores Romanos comprehensos querebatur.

n *Q. Cincinnatus.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. & Columella vbi supra, & Dionysius Halicarn. lib. 10. Plinius, aut quisquis is est, de viris illustribus cap. 17.

o *Curius Dentatus.*] Plin. lib. 19. c. 5. & Plutarch. in Catone Censorio, non longè à prin. Megacles in lib. de viris illustr. & ex eo Athenæus lib. 10. c. 3. vbi pro Samnitibus Sabinis dicit, & vide Valerium Maximum li. 4. c. 3. vbi de M. Curio, & Senecam in lib. de consolatione ad Albinam matrem. Et huc quoque pertinet illud Iuuenalis saty. 11.

Hæc olim noster iam luxuriosa senatus
Cœna fuit, Curius paruo quæ legerat horto
Ipse focis breuibus ponebat oluscula, &c.

p *Cui duos calones.*] Apuleius Apologia 1. vbi subdit pauciores eum seruos habuisse quàm triumphos. Is enim de Sabinis, Samnitibus & Pyrrho triumphauit.

q *M. verò Antonio.*] Apuleius in eod. loco:

r *Carboni.*] Idem in eod. loco:

s *Et M. Catoni.*] Idem ibi. Et præterea Valerius Maximus lib. 4. c. 3. Plutarchus autem in vita illius scribit eum in castris 5. seruos habuisse. Is autem fuit ille Censorius omnium primus. At Catonem Vticensem tunc Tribunum militum proficiscentem in Macedoniam XV. serui secuti sunt, vt tradit ipse Plutarch. in vita illius: Sed adde quod Scipio Africanus à senatu missus, vt res, imperiáq; totius orbis componeret, quinque domesticos tantùm secum duxit, ac vno mortuo in itinere, domum scripsit, vt alius sibi in locum illius mitteretur, vt authoritate Polybij & Posidonij testatur Athenæus, & vbi subdit authoritate etiam Cotæ, qui tunc secondum locum in castris obtinebat, in suo Commentario de Repub. Rom. quod Iulius Cæsar, qui primus omnium in insulas Britannicas cum mille scaphis penetrauit, tres domesticos secum duxit. Sed quod ad Scipionem pertinet, Plinius Secundus, si is est, de viris illustribus scribit P. Scipionem Æmylium (is est qui & Africanus inferior dictus est) ad Reges adeũdos missum duos secum præter eum seruos duxisse.

t *Fertur quoque Ælius Catus.*] Plinius lib. 33. cap. 11. & Valerius Maximus qui hunc vocat Q. Tuberonem Catelium lib. 4. cap. 3.

u *Atque Epitus poëta.*] Hîc manifestus error est vel Alexãdri, vel Librarij, quòd magis crediderim: nam Ennius legendum est, non Epitus ex Eusebio Chronographo in Olymp. 134. vbi ita scribitur ex interpretatione Diui Hieronymi. Q. Ennius poëta nascitur, qui à Catone Quæstore Romam translatus habitauit in monte Auentino, parco admodum sumptu contentus & vnius ancillæ ministerio. Et idem propemodum scribit Eutropius de gestis Roma. lib. 2. c. 3. ad fi. Vide autem Paulum Orosium vbi de Scipione vel Catone loquitur.

x *Quod Æliorum familiam.*] Valerius Max. lib 4. c. item 4.

dedecori putabat: siquidem paupertas tunc solida laus censebatur, & vera virtus. Quam rem æstimare licet, quod [x] Æliorum familiam, & [y] Tuberonum, quum decem & septem eiusdem cognominis forent, modicis ædibus cum vxoribus & liberis eosdem lares incoluisse, eundémque agrum Veieratium arasse, exque eius fructu victitasse legimus. Modúmque agrorum [z] vltra septem iugera excedere, [a] aut denas argenti libras viro triumphali in supellectili esse, perniciosum erat. [b] Intra bina enim iugera possidere satis visum, ita vt [c] decem millia grauis æris, maximas putarent diuitias. Quinetiam adeò parci fuere & tenues, vt non minus crimini darent, indomitas cupiditates non refrenasse, aut paternam non seruasse paupertatem, quam ingentes maiorum facultates largitionibus abligurisse: multíque [d] oleribus leguminibúsque contenti, absque esu carnium sæpe victitarint, documenta frugalitatis & abstinentię insignem memoriam posteritati exhibentes. [e] Quam etiam Gręcis solidę laudis & verę commendationis fuisse multi adnotarunt. [f] Legimus Thebanum Epaminundam tot victoriis clarum Imperatorem, adeò diuitiarum abstinentissimum, vt vnica veste contentus, siquando vetustate collapsam resarcire opus foret, domi clausum se teneret, [g] quem Thebani publica impensa & ęre collato ob inopiam extulerunt. [h] Aristides se magis gloriari paupertate publice testabatur, quàm reliqui diuitiis. [i] Hippias quoque philosophus Elæus, ad id inopię deuenit, vt vestem, annulum, crepidas & soccos; quęque cultui erant necessaria, ne quid temporis deperiret, suis manibus elaboraret. [k] De Lamacho fertur, quoties ab Atheniensibus dux creabatur, pro pallio & crepidis mutuam ab amicis pecuniam sumere, quum vnde compararet non esset. [l] Crates, [m] Diogenes & Antisthenes, aliique produntur philosophi, abiectis diuitiis, [n] pera & baculo contenti vixisse. [o] Phocion, [p] Pelopidas, [q] Socrates atque [r] Ephialtes, pauperrimi & in cultu tenuissimo vixere, omnium tamen optimi atque iustissimi. Adeóque luxuriam & molliorem cultum detestati fuere, [s] vt Thebis columna in templo statuta fuerit, in qua diræ execrationes in Regem Menim, qui molliorem vitę cultum

Paternæ paupertatis conseruatio. Explatratu frugalitatis apud Græcos.

ANNOTATIONES.

& Plutarchus in vita Pauli Æmylij.

y *Et Tuberonum.*] Vide num Plutarchus de his quoque dicat, Valerius vbi suprà loquens de Ælio Tuberone genero Pauli Æmylij. & Seneca epist. ad Lucilium lib. 15. epist. vlt. in fin. Tuberonis ligneos lectos cùm in publicum sternerentur, hœdinásque pro stragulis pelles, & antè ipsius Iouis cellam proposita comminus, vasa fictilia. Et iterum lib. 16. epist. eiusdem 3. Tubero paupertatem se dignam & capitolio indicauit, cum fictilibus in publica cœna vsus ostẽdit hominem his debere esse contentum, quibus Dij etiam nunc vterentur.

z *Vltra septem iugera.*] Illud autem certum est Curium illum Dentatum domitis Sabinis accepisse ex captiuo agro qui viritim diuidebatur, septem tantùm iugera ex Columella, in præfatione lib. 1.

a *Aut denas argenti libras.*] Plinius lib. 18. cap. 3. Præcipiebant, ait, ista qui triumphali denas argenti libras in supellectili crimini dabant.

b *Intra bina enim iugera.*] Id intelligendum secundum ea quæ scribit Liuius 1. Decad. lib. 6. vt scilicet bina iugera singulis ex plebe, patriciis verò non nisi quingenta habere liceret. Et de quingentis vide etiam Valerium Maximum li. 8. c. 6. Columellam lib. 1. rei rusticæ c. 3. Plinium lib. 18. c. 3. & alterum Plinium, aut quisquis is fuit, in lib. de viris illustrib. vbi de Licinio Stolone. Plutarchum in Camillo, atque etiam in Tiberio Graccho, & quæ nos scripsimus in l. si vnquam. in præfatione num. 22. incip. Cæterum, ad fi.

c *Decem millia grauis æris.*] Vide Plinium & alios loquentes de ære graui Et Budæum de Asse. Vt mirum videri possit quòd M. Posthumus tribunus militum ob rem male gestam in Veios, decem millibus æris grauis damnatus fuit, vt tradit Liuius 1. Decad. lib. 4. & alij plerique quos tibi designabo lib. 4. c. 15.

d *Multiq. oleribus.*] Apponebantur Heroibus comedentibus olera etiam, authore Athenæo Dipnosoph. lib. 1. cap. 21. qui ait etiam harum rerum vsum antiquiorem quàm res Troianas fuisse.

e *Quam etiam Græcis.*] Quod probat exemplis sequentibus.

f *Thebanum Epaminundam.*] Ælianus de varia historia lib. 2. c. 5. & lib. 5. c. item 5. & lib. 12. Apuleius autem Apologia 1. dicit paupertatem in Epaminunda fuisse strenuam. Vide item Athenæum lib. 10. c. 3. post princ.

g *Quem Thebani.*] Plutarchus in Fabio Max. ad fin. Iustinus lib. 6. Idemque de Valerio Publicola Regum exactore, & Menenio Agrippa populi reconciliatore tradit Apuleius d. Apologia 1. Vide item Valerium Max.

h *Aristides.*] Et de eius paupertate Apuleius vbi suprà, vbi dicit paupertatem in eo iustam fuisse. Philostratus in vita Apollonij lib. 6 Ælianus variæ historiæ lib. 2. & 11. Athenæus lib. 11. c. 3. post princ.

i *Hippias.*] Cicero lib. 3. de Orat. Quintilianus lib. 8. cap. 6. Apuleius lib. 2. Floridorum, vbi id non paupertati, sed ingenio ipsius adscribit. Alter verò Hippias purpureis vtebatur vestibus, apud Ælianum de varia historia lib. 12.

k *De Lamacho.*] Plutarchus in vita Niciæ, & in Politicis. Ælianus item lib. 2.

l *Crates*] Laërtius in vita illius.

m *Diogenes.*] Idem quoque in vita illius.

n *Pera & baculo.*] Ea enim erant insignia eorum ex Æliano vbi suprà.

o *Phocion.*] Probus Æmylius & Plutarchus, vterque in vita illius. Ælianus de varia historia libr. 2. & 11. Apuleius d. Apolog. 1. vbi dicit eius paupertatem fuisse benignam.

p *Pelopidas.*] Ælianus d. lib 2. 11. & 13.

q *Socrates.*] Ælianus d. lib. 2. Plutarchus in commentario, quo pacto se quispiam circa virtutem sentiat profecisse, non multò ante fin. Apuleius d. Apollo. vbi ipsius paupertatem sapientem appellat. Gellius autem lib. 2. cap. 1. scribit ipsum Socratem temperantia tanta fuisse, vt omnia ferè vitæ suæ tempora valetudine inoffensa fuerit, neque in illa magna Atheniensium pestilentia communi omnium clade obnoxius fuerit.

r *Ephialtes.* Ælianus d. lib. 2. & 11. Sed adde superioribus C. Fabricium, C. Scipionem, Manium, de quo suprà, adeò pauperes fuisse, vt eorum filiæ de publico ob paupertatem dotibus dotatæ fuerint, ferentes ad maritos gloriam domesticam, & pecuniam publicam, vt scribit Apuleius d. Apolog 1. & præterea Valerius Max. lib. 4. c. 4. vbi de paupertate agit. Et Attilium Regulum, cuius agellus ob similem penuriam pecunia publica cultus, vt & ipse Apuleius subdit (vbi cõsule Græcum.) Et Paulum Æmylium, qui Hispaniam & Macedoniam subegit, quo mortuo vix ex auctione bonorum eius redactum est, vnde vxori dos redderetur, teste Iulio Flo epi. Liuij lib. 46.

s *Vt Thebis.* Sed paulò aliter Diodorus Siculus c. 1.

t *Poste*

inuenit, continebantur. [t] Postea paulatim frugales mores defluxere, paupertásque probro haberi cœpit, luxuriæque peregrinæ inuictum malum ad effœminandos animos, ab exercitu Asiatico in vrbem primum inuectæ, mores infecerunt: sicut aurum Persicum, fugato Mardonio Atheniensium animos labefactauit, & dira tabe infecit. Inde illecebræ libidinum, & rerum secundarum luxus, in omnem licentiam grassati. [u] Primiq; Iones, vnguenti coronarúmque & secundæ mensæ consuetudinem innenere: Tum vestis stragula, [x] mensæq; ac citharæ eburneis pedibus insidentes, inæstimabili censu comparatæ, pulæque lautiores, & præter epulas psaltriæ, ludiones, & alia conuiuiis oblectamenta inuenta sunt. [y] Hinc peregrina obsonia remotorúmque littorum pisces, & magno censu comparatæ dapes, ferculáque sestertium millies æstimata, & gulæ nouissima irritamenta, aliáque exquisitissima condimenta, & ventris prodigia inuenta sunt, vt nisi quis illa apponeret, sordidus & parum lautus haberetur. Adeóque luxus excreuit, & eò processit luxuria, affluentibus diuitiarum copiis, vt obsonia lautiora, maiorésque epularum sumptus, & magnas effusiones edicto coercere, & luxuriosos apparatus pluribus legibus inhibere necesse fuerit. [z] Hinc Fannia, Orchia, Didia, Oppia, Cornelia, Ancia & Iulia, leges ad cohibendam luxuriam victus vestitúsque, & cœnarum immodicos sumptus, latæ sunt. [a] Hinc censorum edictis, vuluæ, vertina, abdomina, & [b] glires, epulis & conuiuiis inhibita. [c] Quod & Lycurgum factitasse nouimus, qui conuiuiorum apparatus & mensas lautiores velut cupiditatum inuitamenta sanctionibus inhibuit: sæpiúsque abrogatis legibus nouæ postea editæ fuere. [d] Et quamuis Antiocho Rege victo, P. Licinius Crassus & Iulius Cæsar censores, nequis vnguenta exotica venderet, pœnis inhibuerint, exemplo [e] Lacedæmoniorum qui vnguentarios vrbe exegere: & quamuis [f] M. Antonius, & L. Flaccus, quòd legem de coercendis epularum sumptibus antea latam, Duronius tribunus plebis abrogasset, senatu eum amouerint: tamen [g] Q. Ælius Tubero prætura deiectus fuit, & despectui habitus, quòd in funere Africani populum Romanum publico epulo hœdinis pellibus & tectis Samiis, ac lectis ligneis excepisset, quòd incultam parsimoniam in rebus publicis non exhorruisset. [h] Sicut de Cleomene fertur, qui amicorum cuidam subiratus fuit, quòd hospites iure nigro & pane igni durato, Laconico more ad epulas admisisset. [i] Licet Cato senior quòd pellibus hœdinis in publico epulo pro stragulis vsus esset, non mediocrem laudem tulerit, quòd frugales mores & cōtinentissimos exemplo iuuaret. [k] Fertur tamen Tiberius Cæsar, quum de coercendo luxu legē ferre vellet, nec coerceri immodicos sumptus videret posse: satius duxisse omittere quod assequi nequiret, quam tentare turpiter quod postea non efficeret. Sisti deinde res non potuit, quo minus tacito consensu destitutis moribus, sumptuariæ omnes leges abrogatæ [l] fuerint, quum nullus esset sumptibus modus, luxúsque & ignauia nullis præscriptis finibus, in voraginem & gurgitem vitiorum ad nefas omne vsque adeo processerint, vt diuina & humana prophanarint, populóque simul & plebe grauem perniciem attulerint.

Vnde corrupti mores primùm.

Leges ad cohibendam luxuriam.

Vnguentary à Lacedæmonis eiecti.

Leges sumptuariæ paulatim abrogatæ.

ANNOTATIONES.

t *Postea paulatim.*] Plinius lib.33.c.11.& libr.34.c.7. & ante illum Liuius 4. Decad.lib.9. non multò post princ.

u *Primiq; Iones.*] Valerius Max. lib. 2. c. 1.

x *Mensæq; ac citharæ eburneis.*] Iuuenalis saty. 11.

—— Putere videntur
Vnguenta atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur. ——

Et infrà lib. 5. cap. 21. num. 17.

y *Hinc peregrina obsonia.*] Quod ex sequentib. satis probat.

z *Hinc Fannia, Orchia, &c.*]De his legibus Gellius libr.2 c. 24.& Macrobius lib.3 Satur.c.17. Præterea de Fannia Athenæus lib.6.c. vlt. vbi suprà diximus.

a *Hinc censorum edictis, vuluæ.*]De his tribus prohibitis restis est Plin.lib.8.ca.51. vbi & ipse addit glandia, testiculos, syncipita. Sed & de glandiis idem author lib. 36. c.1.

b *Et glires.*] Idem Plinius lib.8.c.57.vbi & idem dicit de cōchyliis, & auibus ex alio orbe conuectis. Sed & de ipsis gliribus idem quoque Plinius lib. 36 c. 1.

c *Quod & Lycurgum.*] Plutarchus in vita illius.

d *Et quamuis Antiocho.*]Id ex Plinio est lib.13.c.3.& Solino c. 48. aut aliorum computatione 58.

e *Lacedæmoniorum.*] Seneca lib.4. Naturalium quæstionum non longe ante fi.

f *Et quamuis M. Antonius.*] Valerius Maximus lib.5.c. 4.

g *Q. Ælius Tubero*, Idem Valerius lib.7.c.5 post princ.

h *Sicut de Cleomene.*] Plutarch. in vita illius.

i *Licet Cato senior.*] Vide Plutarchum in vita illius.

k *Fertur Tiberius.*] Tacitus lib. 2. Vide item Suetonium.

l *Leges abrogatæ fuerint.*] Ammianus Marcellinus. Plinius li. 10.c.50. super istis legibus sumptuariis.

Quæ sint pura & lecta hostia in deorum sacrificiis, & quæ victima quibus Diis dicata fuerint.

CAPVT XII.

IN [a] sacrificiis deorum fuit pontificalis obseruatio, vt duobus hostiarum generibus diis sacra fiant: vno, in quo cum litabatur, voluntas Dei per exta exquirebatur: altero, in quo sola anima

Duo hostiarum genera.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

a IN *sacrificiis.*]Hæc vsque ad clausulam. Hæc frequentes, sunt Macrobij libr. 3. cap. 5. vbi ea purgat ex Virgilio (vide loca Virgilij & ibi Seruium.) Plutarchus autem in Romulo loquens de Natali die vrbis Romæ, quem festum agebant Romani, tradit ab initio nihil animatum ad sacrificia adhibere solitos, æstimantes diem ipsum patriæ originī consecratum purum & sine sanguine conseruari debere.

Deo consecrabatur, quæ hostia animalis dicta. [b] Hæ frequentes fuere: ouis, sus, capra, bos, gallina, & anser: [c] quas cum immolabant, nisi puræ essent & lectæ, ad rem diuinam non proficere putabant. [d] Fuitque opinio, potius ex hœdis & agnis, quia mites sunt, quàm ex gallinaceis, suibus & tauris, quoniam animo abundant, deos consuli, & futura prænosci, [e] Ideo ouilis pecoris hostiam non ab amplitudine, sed quia animi est placidioris, pontifices maximam duxerunt. [f] Lectæ autem dicuntur hostiæ, maiores & vberius depastæ, quæ [g] claudæ, morbosæ, aut vitiosæ non sunt, (quia pernosci, nisi ex sana victima, futura non possunt) [h] quæve fixam aurem, vel [i] caudam aculeatam, [k] aut linguam nigram non habent. [l] Numa Pompilius deos fruge coli, & mola salsa supplicari instituit, [m] quam molam ex farre, sale & aqua composuit, [n] sine qua nullum sacrificium ratum fieri censuit. [o] Atque id far, nisi tostum esset, ad rem diuinam non esse purum statuit. [p] Ideo Fornicalia & religiosos dies, ac ferias quibus far in fornacibus torrebant, seruari iussit, [q] Græci vero non far, sed hordei primitias, libúmque & placentas ex hordeo diis offerri, hordeúmque sale inspersum, in primis aræ infundi satius duxere, sine quo, saluis cæremoniis, nullum sacrum fieri poterat, illique qui primitias eiusmodi colligebat, crithologo dixere nomen. [r] In quibus Fornicalibus qui non fuerant feriati, quique in sua tribu, vt erat constitutum, sacrum non fecisset, in Quirinalibus sacrificio expiare cogebatur: idcirco Quirinalia [s] stultorum ferias dixere. [t] Atque omnibus ferè diis suæ victimæ, & sua sacra constituta sunt, quæ præterire & transgredi non erat fas. [u] Namque aliena hostia dij non placantur. Quippe Ioui tauro, verre & ariete sacra facere non licet: quia soli Neptuno, [x] Apollini & Marti taurus immolatur. [y] tametsi flaminis vxor omnibus nundinis Ioui arietem mactet, & [z] triumphi die Ioui taurus hostia dicata sit. Et apud Homerum Vlysses immolauit Ioui arietem. [a] Iupiter vero prodigialis mola salsa & thure placa-

Lecta hostia. *Sacrificium à Numa constitutum.* *Fornicalia.* *Græci.* *Crithologus.* *Quirinalia.* *Sua cuique deorum victima & sacra.* *Iup. prodigialis.*

ANNOTATIONES.

b *Hæ frequentes fuere.*] Gyraldus nullo quoque authore citato Syntag. 17.

c *Quas cùm immolabant.*]
d *Fuitq́ opinio.*]
e *Ideo ouilis pecoris.*] } Idem quoque Gyraldus eod. loco.

f *Lectæ autem dicuntur hostiæ.*] Donatus in Hecyram Terentij.

g *Quæ claudæ.*] Plinius lib. 8. c.45. ad fi.

h *Quæve fixam aurem.*]
i *Vel caudam aculeatam.*]
k *Aut linguam nigram.*] } De his tribus Seruius in eum locum 6. Æneid.

Lectas de more bidentes.

l *Numa Pompilius.*] Plinius li. 18. c. 2. Sed & eundem vide in prologo, & lib. 31. ca. 7. & ad id quod de sale dicitur spectat illud Virgilij quod statim citabimus in seq.

m *Quam molam.*] Plinius d. lib. 18. ca. 2. Valerius Maximus lib. 2. c. 1. Seruius 4. Æneid. in eum locum,

Ipsa mola manibusq́ piis. —

Hincque illud Ouidij lib. 1. Fastor. de eo loquentis:

Ante deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.

Et illud quoque Tibulli lib 3. eleg. 4. non longè à princ.

— Omnia noctis.
Farre pio placant, & saliente sale.

Hucque spectat illud Virgilij lib. 2. Æneid.

Iamq́ dies infanda aderat mihi sacra parari
Et salsæ fruges. —

Vbi Seruius. Sal, inquit, & far quod dicitur mola salsa, qua & frons victimæ & foci aspergebantur, & cultri, fit autem de horna fruge & horno sale.

n *Sine qua nullum.*] Scilicet atqua ex Plinio d. lib. 31. c. 7.

o *Atque id far, nisi tostum esset.*] Plinius dicto lib. 18. cap. 2. & Festus Pompeius lib. 6. Hincque etiam illud Ouidij libr. 2. Fastorum,

— Torrida cum mica farra.

p *Ideo fornicalia.*] Plinius lib. 18. c. 2. Festus Pompeius libr. 6. Ouidius item lib. 2. & 6. Fast.

q *Græci verò non far.*] Vide Plut. probl. c. 119.

r *In quibus fornicalibus.*] Ad Romanos redit. Hæcque sunt Plutarchi eiusdem operis c. 89.

s *Stultorum ferias.*] Plutarchus ibi Festus Pompeius lib. 15. vbi de Quirinalibus & lib. 17. in verbo, Stultorum. Varro lib. 5. de ling. Lat

t *Atque omnibus ferè diis.*] Quod indicat illud Virgilij lib. 9. Æneid.

Ipse tibi ad tua templa feram solennia dona.

Vbi Seruius tradit singulis numinibus certa esse dona quæ offerantur. Vnde est & illud lib. 1.

— Strueremq́ suis altaria donis,

Id est, inquit, congruis. Sed & idem in 2. lib. Æneid. in eum locum,

Solennes taurum ingentem mactabat ad aras.

In sacrificiis, ait, certis numinibus certæ ætatis animalia mactantur.

u *Namque aliena hostia.*] Plinius lib. 8. c. 45. ad finem.

x *Neptuno, Apollini.*] Nam de his duobus Virgilius lib. 3. Æneid.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Nam & ipsi Neptuno taurum immolari solitum, videre licet ex Homero lib. 11. Iliad. vbi sic ait,

ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι.

Id est,

Taurum autem Alphæo, taurum & Apollini.

Quod & ipsum astruit Arrianus lib. 1. Gestorum Alexandri. quod verò Apollini taurus immolatur testis est Homerus lib. 1. Iliad.

ἢ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα
ταύρων, ἠδ' αἰγῶν, τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ.

Id est,

Vel si quando tibi peregrina crura cremaui
Taurorum, & caprarum, hoc tu mihi perfice votum.

Verba sunt Chrysis sacerdotis ad Apollinem. Et iterum eodem libr.

ἔρδον δ' Ἀπόλλωνι τεληέσσας ἑκατόμβας
ταύρων, ἠδ' αἰγῶν. —

Id est,

Sacrificabat autem Apollini perfectas Hecatombas
Taurorum & caprarum. —

Vide etiam infrà in verbo, Græci de cruribus. Sed adde Neptuno Thynnum piscem mactari, vt tradit Antigonus Carystius in lib. de Dictione, & ex eo Athenæus lib. 7. c. 20.

y *Tametsi flaminis vxor.*] Macrobius lib. 1. c. 16. Siquidem Flaminica omnibus nundinis in regia Ioui arietem soleat immolare, &c.

z *Et triumphi die.*] Virgilius lib. 2. Georg.

— Et maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa Deum duxere triumphos.

Vbi Seruius. Quia triumphantes, inquit, de albis tauris sacrificabant.

a *Iupiter verò prodigialis.*] Plautus in Amphitruone act. 2. scœn. 2.

Sed

tur. [b] Neptuno pleraque gens de nigro tauro, [c] Troezenij de fructuum primitiis sacrificant, [d] Græci de cruribus taurorum: [e] Vlysses ariete, apro & tauro litauit Athenis autem licet octauo die mensis cuiusque Neptuno sacrum fiat, non tamen de tauro semper. Neque Apollini semper Græci tauro, sed multiplicis generis victimas sacrificant. Namque Homero [f] teste, alius tauro, alter ariete, aliquis hirco sacrum facit. [g] Ex bobus vero, vitulis & pecudibus, laudatissimæ vitulæ ad eorum placamenta habentur. [h] Ideo Ioui à flamine omnibus Idibus bos candidus, & ex agro Falisco vel Meuania immolatur. Namq; illos ad victimas faciũt, & deorum seruant supplicio. [i] Bos tamen iugo subactus, sacrificio non est purus. [k] Fœtus vero bouis trigesimo die, pecoris septimo, suis verò nisi decimo à partu die puri habentur: ideo [l] sacres dicti. Creditumq; est, [m] bouem quinquennalem, insignem Ioui victimam: [n] & pe-

Sacra Neptunalia.

Vitula.

Bos iniugalis.

Victima tempestiua.

ANNOTATIONES.

Sed mulier postquam experrecta es, prodigiali Ioui
Aut mola salsa hodie, aut thure comprecatum oportuit.

Quis autem Prdigialis Iupiter esset, disces ex Gyraldo & Ahodigino.

b *Neptuno pleraque gens.*] Nam Homerus libr. 3. Odyss. princip.

—ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον
ταύρους παμμέλανας ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ.

Id est,

— Hi in littore maris sacra faciebant,
Tauros totos nigros Neptuno cæruleo capillicio.

c *Troezenij.*] Plutarchus in vita Thesei.

d *Græci de cruribus taurorum.*] Homerus lib. 1. Iliad. loco suprà citato in verbo, Neptuno, Apollini. prætetea lib. Iliad. 3. post princ.

ἐν δ' ὅς σπλάγχν' ἐπάσαντο, θεῷ δ' ἐπὶ μηρία καῖον.

Et iterum postea,

—Ποσειδάωνι δὲ ταῦρον
πόλλ' ἐπὶ μηρί' ἔθηκαν. —

e *Vlysses.*] Apud Homerum lib. Odyss. 23.

f *Namque Homero teste.*] Quod satis suprà probatum est ex ipso Homero.

g *Ex bobus verò.*] Plinius lib. 8. cap. 45. de bobus & tauris loquens. Hinc, inquit, victimæ opimæ & laudatissima Deorum placatio.

h *Ideo Ioui.*] Ouidius lib. 1. Fastor.

Colla rudes operum præbent ferienda iuuenci,
Quos aluit campus herba falisca suis.

Vbi vide eius interpretem. Et de Ponto lib. 4. episto. item 4. ad Sextum Pompeium,

Colla boues niueos certæ præbuere securi,
Quos aluit campis herba falisca suis.

Et Lucanus lib. 1.

Et qui turrigeros vbi se Meuania campis
Explicet.

Et Claudianus in 6. Consulatu Honorij,

Quin & Clitumni sacras victoribus vndas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Visere cura fuit. ——

Plinius autem lib. 2. cap. 103 In Falisco, inquit, omnis aqua potata candidos boues facit. Meuania enim erat in agro falisco: vbi & fons Clitumnus erat. Sed quod Alexander hîc dicit, Ioui à flamine omnibus Idibus bouem immolari, à vero aberrauit, neque enim bos, sed ouis Ioui omnibus Idibus immolabatur, vt tradit Macrobius lib. 1. Satur. c. 15. Ante hos verò Virgilius lib. 2. Georg.

Hinc albi clitumne greges, & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.

Vbi vide interpretes.

i *Bos tamen iugo subactus.*] Virgilius lib. 6. Æneid.

Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos.

Cuius loci authoritate Macrobius lib. 3. Saturn. c. 5. Quædam sunt, inquit, hostiæ quæ iniuges vocantur, id est, quæ nunquam domitæ ac iugo subditæ sunt. Harum meminit sic Virgilius,

Nunc grege, &c.

Et subdit, & vt iniuges euidentiùs exprimeret, adiecit.

— Et intacta totidem ceruice iuuencas.

Verùm nulla talis adiectio est in d. lib. 6. Æneid. sed verba ea sunt eiusdem lib. 4. Georg. ex quo integrum sensum huc repetam,

Sed modus orandi qui sit, primò ordine dicam.
Quatuor eximios præstanti corpore tauros
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi,
Delige, & intacta totidem ceruice iuuencas.

Quo in loco Seruius, Intacta id est, indomita. Sed & huc spectat quod scribit Ouidius lib 3. Metam.

Bos tibi Phœbus, ait, solis occurret in aruis
Nullum passa iugum. ——

Et quod Manlius Orestes in lib. de Deorum hymnis & ab eo Fulgentius in vocum antiquarum interpretatione ad Calcidium, scribunt Mineruæ iniuges boues sacrificari, id est, iugum nunquam ferentes, illa videlicet de causa, quod virginitas iugum nescit maritale, & virtus nunquam sit iugo prementi subiecta. Sed & Festus lib. 9. tradit iniuges boues dici, qui sub iugo non fuerunt. Vide infrà.

k *Fœtus verò bouis.*] Hæc sunt Plinij lib. 8. c. 5.

l *Ideo sacres dicti.*] Varro de re rustica lib. 2. c. 1. & 4.

m *Bouem Quinquennalem.*] Homerus lib. 2. Iliad.

αὐτὰρ ὁ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων,
πίονα, πενταέτηρον ὑπερμενέϊ Κρονίωνι.

Id est,

Sed hic bouem sacrificauit rex virorum Agamemnon
Pinguem, quinquennem, valde potenti Saturnidæ.

Et iterum libro 7. eiusdem operis, verbis nonnihil immutatis,

τοῖσι δὲ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
ἄρσενα πενταέτηρον ὑπερμενέϊ Κρονίωνι.

Id est,

His autem bouem sacrificauit Rex virorum Agamemnon
Marem quinquennem, valde potenti Saturnidæ.

Quos versus non designato tamen libr. citat Seruius lib. 8. Æneid. in eum locum,

Perpetui terga bouis, & lustralibus extis.

Quem locum intelligit ipse Seruius de boue quinquennali, id est, perfectæ ætatis. Et præterea lib. 14. Odyss. loquens de sacrificio,

οἱ δ' ὗν εἰσῆγον μάλα πίονα πενταέτηρον.

Id est,

Hi autem duxere valde pinguem quinquennem.

n *Et pecudes cum bimæ sunt.*] Quas scilicet bidentes vocant, quasi biennes, vt authoritate P. Nigidij in lib. quem de extis composuit, voluerunt Gellius lib. 16. cap. 7. & Macrobius lib. 6. Saturn. c. 9. eodémque vlt. Bidentes sacrificiis maturas esse. quod autem Alexander hîc dicit, probat Virgil. lib. 4. Æneid.

Principio delubra adeunt, pacemq; per aras
Exquirunt, mactant lectas de more bidentes.

Vbi & Seruius, Bidentes, ait, dictæ sunt, quasi biennes, quia neque maiores neque minores licebat hostias dare, sunt enim in ouibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non nisi circa bimatum apparent, nec in omnibus, sed in his quæ aptæ sacrificio inueniuntur. Et idem Virgilius lib. 6. Æneid.

Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos
Præstiterit: totidem lectas de more bidentes.

Vbi & ipse Seruius, Bidentes oues sunt circa bimatum ha-

Lex Solonis de boue non sacrificando. *Heroibus quibus animalibus litabatur.* *Hostia solida.* *Ambaruale sacrum.*

cudes cum bimæ sunt, sacrificio maturas fieri. [o] Lege autem Solonis de boue nulli Deo sacrificari licet: quia cum animal sit innocuum, & agrorum cultui deditum, in sacris mactari vetuit: quippe veteribus tantæ venerationis erat, vt [p] æquè capitale esset bouem quàm ciuem necasse. [q] Ægyptij boues rufas Typhoni mactant, Arabes pingues camelos in ara ignoti Dei: [r] sicut nupturæ virginibus camelis sacrificant, Heroibus verò tauro, capro & ariete litant. [s] Fertur tamen Pythagoras præter à se instituta & præscripta quandoque bouem Musis, Ioui autem Gallum albis plumis immolasse. [t] Solida vtilia, nisi cæsis tribus hostiis, tauro, ariete & verre, pura non habentur: sed tamen vt hi omnes, solidi firmíque sint: [u] nam vitulos ad aras humeris hominum allatos, [x] & claudicantes, [y] & cuius cauda ad articulum suffraginis non pertingit, non litare animaduersum est. [z] Idque apud Ægyptios seruari tantis cæremoniis, vt linguam boui exerendo, & caudæ pilos explorando, si vel vnum pilum nigrum repererint, hostiam tanquam impuram non admittant. Græcis autem tauri an puri sint, farina explorantur, caper ciceribus, capra frigida aqua. [a] Ruminales quoque hostias nisi bidentes fiant, non esse puras consentiunt omnes. [b] Ambaruale vero sacrum, nisi de porca fœcunda & grauida, aut vitula, fieri non consueuit. [c] Est autem sacrum ambaruale, cum arua & segetes solenni victima lustrantur. [d] Eam victimam maturis frugibus ter circum arua ducere conuenit, omnesq; post eam clamantes sequi, ex quibus vnus querna ornatus fronde, cum solenni saltatu, composito carmine Cereri decantabat laudes: ac postquam lacte, vino & fauo libassent, [e] antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabant:

ANNOTATIONES.

bentes duos dentes eminentiores: quę erant aptæ sacrificiis. Cæterùm de bidentibus vide præter illos Nonium Marcellum de proprietatibus rerum. Et infrà in verbo, Ruminales.

o *Lege autem Solonis.*] Plutarchus in vita illius. Sed ea lex, vt tradit Ælianus libr. 5. variæ historiæ, non de omni boue loquebatur, sed de boue aratore, qui iugum trahit in aratro vel in plaustro. Quoniam, inquiebat, ille etiam agricola est, & humano generi laborum socius. Idem quoque Ælianus de animalibus lib. 12. cap. 34. scribit, quòd apud Phryges, si quis aratorem occiderit, morte moriatur. Philochorus autem apud Athenæum libr. 9. cap. 5. scribit, quòd cum per tempus quoddam boues defecissent, lege sancitum fuit, vt omnes à bobus abstinerent propter eorum penuriam.

p *Æquè capitale.*] Varro rei rusticæ lib. 2. cap. 50. Columella lib. 6. in præfatione. Plinius lib. 8. cap. 45. Neque tamen omiserim id quod retulit D. Hieronymus, Valentem, Imperatorem legem per Orientem dedisse, ne quis vitulorum carnibus vesceretur, vtilitati agriculturæ prouidentem.

q *Ægyptij.*] Diodorus Siculus lib. 2. 4. & 6.

r *Sicut nuptura.*] Illud quoque videre poteris apud Seruiũ enarrantem, & ad id referentem illum locum Virgilij lib. 4. Æneid.

Legifera Cereri, Phœboq; patrique Lyæo.

s *Ferturq; tamen Pythagoras.*] Arithmeticus, & ex eo Athenæus lib. 10. c. 3. in princ. scribit ipsum Pythagoram bouem mactasse, cùm reperisset quòd trianguli latus, quod recto angulo subtenditur, æquiualet lineis reliquis triangulum comprehendentibus, adfertque carmen ipsius Arithmetici in eam rem,

Inclyta Pithagora cùm primùm inuenta figura est,
Inclyta propter quam victima bos cecidit.

Consule autem Græcum Athenæum. Alterum de albo Gallo magis mirandum, quia inter ipsius Pythagoræ symbola illud est, ἀλεκτρυόνος μὴ ἅπτεσθαι λευκοῦ. Albo gallo ne in manũ admonliaris. Vide item Laërtium.

t *Solida vtilia.*] Non dubito quin id Alexander deprompserit ex eo quod scribit Festus Pompeius lib. 17. Solitaurilia hostiarum trium diuersi generis immolationem significant. Tauri, arietis, verris, quòd omnes eæ solidi integríque corporis sint: & paucis interiectis dicit, solum esse significare totum & solidũ. Sed nescio quo pacto id totum obscurum reddidit Alexander. Cæterùm de huiusmodi Solitaurilibus videbis infrà lib. 5. c. 27.

u *Nam vitulos.*] Eadem dicit Gyraldus de Diis Gentium syntag. 17. nullum tamen, vt nec hîc, authorem eius rei laudat. Sed id est Plinij lib. 8. c. 45. ad fi.

x *Et claudicantes.*] Dictum est suprà in verbo, Quæ claudæ in princip.

y *Et cuius cauda.*] Plinius d. lib. c. 45. ad fi.

z *Idq; apud Ægyptios.*] Herodotus lib. 2.

a *Ruminales.*] Verba sunt Plinij ex Coruncano lib. 8. cap. 51. Sed & de bidentibus satis diximus suprà in verbo, Et pecudes cum bimæ sunt.

b *Ambaruale verò.*] Seruius in lib. 1. Georg. illud enarrans,

Terq; nouas circum fœlix erat hostia fruges.

Fœlix, inquit, id est, fœcũda, & dicit Ambaruale sacrificium quòd sæpe de porca fœcunda & grauida fieri consueuerat. Vide etiam in seq.

c *Est autem sacrum ambaruale.*] Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 5. Ambarualis, inquit, hostia, vt ait Pompeius Festus, est quæ rei diuinæ causa circum arua ducitur ab his qui pro frugibus faciunt. Huius sacrificij mentio fit in Bucolicis, vbi de Apotheosi Daphnidis loquitur, ea autem est in 5. ecloga.

Hæc tibi semper erunt, & cùm solemnia vota
Reddemus Nymphis, & cùm lustrabimus agros.

Vbi lustrare significat circuire. Hinc enim nomen hostiæ acquisitum est ab ambiendis aruis. Festus autem Pompeius, siue ille quem citat Macrob. siue alius, quòd facilè crediderim, lib. 1. Ambaruales, ait, hostiæ appellabantur, quæ pro aruis à duobus fratribus sacrificabãtur; Seruius autem eclog. 3. in eum locum,

Cùm faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

Dicitur, inquit, hoc sacrificium ambaruale quòd arua ambiat victima. Amburbium in quo victima ambit vrbem. De hoc autem ambaruali sacro aliquid per Strabonem lib. 5. & vide in præcedent. De Amburbio alibi diximus.

d *Eam victimam.*] Id probat illud Virgilij suprà citatum in verbo, Est autem sacrum.

e *Antequam fruges meterent.*] Cato rei rusticæ c. 134. Priusquam messem facias, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet, Cereri porca præcidanea, &c. quæ seq. Varro de vita populi Romani lib. 3. Apud Nonium Marcellum in verbo, Præcidaneum. Quòd humatus non sit, hæredi porca suscipienda Telluri & Cereri, aliter familia pura non est. Gellius lib. 3. c. 6. Præcidaneæ hostiæ dicuntur, quæ ante sacrificia solemnia pridie cæduntur, porca etiam præcidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges fieri cæptas immolari Cereri mos fuit. Festus lib. 14. Præcidaneam, inquit, porcam dicebant, quam immolare erant soliti antequam nouam frugem inciderent. Et rursum alio loco eiusdem lib. Præcidanea porca vocabatur, quæ Cereri mactabarut ab eo qui mortuo iusta non fecisset, id est, glebam non obiecisset, quia mos erat eis facere, priusquam nouas fruges gustarent.

f Fuit q;

quæ præcidanea dicta est. [f] Fuitque memoriæ proditum, à suilli pecoris genere immolandi initium Romæ primùm factum, eo argumento, quòd sus fœderibus & sponsalibus adhibetur, & in initiis Cereri mactatur. [g] Et quamuis in sacris Cereris vinum adhibere nefas sit, in hoc tamen sacro de vino libasse pontificales libri non vetarunt: [h] quam quidem immolari ab eo qui mortuo iusta fecisset, crimen admitti putabatur. [i] Deorum quoque matri nullum sacrum, nisi de porca, fieri permissum. [k] Et lustrari exercitum nisi sue, oue & tauris qui puri essent non erat fas: qui postquam ter circum instructas acies ducti erant, præcedente pompa, & gressu composito, Marti immolabantur. In sacris deæ Phrygiæ, quæ Matuta & mater deûm dicta est, cui [l] Galli execti membra secabant, cymbala pulsantes, porcam tanquam impuram hostiam Romani non admisere: apud cuius ædem supplicantes, filiis bona exoptare vetantur matres, nepotibus non vtique. [m] Bellonæ sacerdotes non animali hostia, nec victima, sed suo cruore sacrificant. gladios enim districtos vtraque manu tenentes, humeros sibi & lacertos tanquam phanatici dissecant, hoc sanguine litari & crimina expiari putantes, ita vt pro vulneribus stipes recipiant. [n] Ægyptij Lunæ tantum & Libero suem, reliquis diis boues mares, vitulósque & anseres immolant: capram tamen aut hircum nullo modo. [o] Contrà verò Britanni, quibus leporem, gallinam & anserem in cœnis apponere, aut diis offerre lege vetabatur. [p] In Mysia Abretani Iouis templum est, in quo suem comesse aut mactasse, scelus erat infandum & piaculare. [q] Idem apud Phœnices, quibus per omne tempus suibus abstinere præcipitur. [r] Fertur verò in Thessalia Castniensis Veneris phanum fuisse, & aliud in Sida Pamphyliæ, & in Aspendo Argiuorum, & Argis, in festo quod Hysteria dicitur: in quibus præter instituta moresque aliorum, sues mactare licet, cum in cæteris nullo modo fas sit. [s] Solum apud Tussas in Ægypto, vbi Venus cornuta colebatur, vacca Veneri immolabatur, & in [t] Nitriotica præfectura, ouis. [u] In Æsculapij sacris nisi capræ & [x] gallinæ immolantur: [y] hæque ad rem diuinam luteo rostro & pedibus, puræ non sunt: [z] nigræ vero & impa-

porca præcidanea. Immolandi initium. Rom. à genere suillo. Cybeli porca immolabatur. Exercitus lustratio. Galli. Sacerd. Bellonæ. Ægyptij. Britanni. Iupiter. Abretanus. Hysteria. Æsculapio. Animalia alia aliis diis dicata.

ANNOTATIONES.

f *Fuitque memoria proditum.*] A Varrone scilicet libr. 2. rei rusticæ c. 4.

g *Et quamuis in sacris Cereris.*] Seruius enarrans eum locum lib. 1. Georg.

Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho.

h *Quam quidem immolari.*] Vide suprà in verbo, Antequam fruges. vbi Festum citaui in posteriore loco.

i *Deorum quoque matri.*] Seruius in eum locum libro 8. Æneid.

Tibi enim maxima Iuno. ———

Et Macrobius loquens de porca prægnante libr. 1. cap. 12. Satyr.

k *Et lustrari exercitum.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. & vide infrà lib. 5. c. 27.

l *Cui Galli execti.*] Vide Plinium lib. 11. cap. 49. & libr. 31. cap. 12.

m *Bellona sacerdotes.*] Lactantius libr. 1. cap. 21. Lucanus libr. 1.

Diráque per populum Cumana carmina vatis
Vulgantur, tum quos sectis Bellona lacertis
Saua mouet. ———

Vide Beroaldum hac de re. Hincque illud quòd de Commodo Imperatore scribit Ælius Lampridius. Bellonæ seruientes vere exsecare brachium præcepit studio crudelitatis. Et de his quoque intelligitur illud Senecæ in lib. de vita beata. Cùm aliquis secando lacertos suos artifex brachia atque humeros suspensa manu cruentat. Et fortè de his sacris aut aliis non absimilibus intelligit Prudentius in vita Romani Martyris,

Sunt sacra quando * * *excidistis*
Votiuus, & cùm membra detruncat dolor,
Cultrum in lacertos operit phanaticus,
Sectisque matrem brachiis placat Deam, &c.

n *Ægyptij.*] Herodotus lib. 2. sed vide tamen Ælianum de varia historia.

o *Contrà verò Britanni.*] Cæsar de his loquens lib. 5. de bello Gallico. Leporem, inquit, gallinam & anserem gustare fas non putant. Hæc tamen alunt animi, voluptatísque causa.

p *In Mysia Abretani Iouis.*] Strabo libr. 12. non longè à fin.

q *Idem apud Phœnices.*] Scythæ quoque (vt id addas) sues pro nihilo putant, neque omnino alere in sua regione volunt, testis Herodotus lib. 4. Et Ægyptij suem non gustant, vt idem tradit libr. 4. sed & legibus Moysis interdicebatur Iudæis esu suis, vt scribitur Leuit. 11. Deute. 14. Cuius rationem si scire cupis, lege Aristeam.

r *Fertur verò in Thessalia*] Hæc omnia vsque ad clausulam, Solum apud Thussas, sunt Strabonis libr. 9. Vide insuper num hæc omnia sint ipsius.

s *Solum apud Tussas.*] Idem Lilius Gyraldus syntag. 13. & iterum 17. sed nullo autore citato, vt nec hîc quoque. Verùm id est ex Æliano de Animalibus lib. 10. c. 27. vbi tamen hos non Thussas vocat, sed Chusas. Sed & hanc Venerem non cornutam κεράστην vocat, sed οὐρανίαν, id est, Vraniam siue cælestem, nec alicubi reperies Venerem cornutam nisi apud ipsos Alexandrum & Gyraldum. Cælestem autem siue Vraniam sæpissimè.

t *Et in Nitriotica præfectura.*] Idem Gyraldus in iisdem locis, sed ipsi Veneri Cypriæ thure tantùm & floribus sacrificabant, vt tradit Seruius lib. 1. Æneid. ibi,

Tum Venus, Haud equidem tali me dignor honore.

Et probant illud ipsius Virgilij eod. lib. 1. de Venere loquentis,

Ipsa Paphum sublimis abit, sedésque reuisit
Læta suas, vbi templum illi, centúmque Sabæo
Thure calent aræ, sertísque recentibus halant.

Paphus enim est Cypri ciuitas.

u *In Æsculapij sacris nisi capræ.*] Seruius in 2. lib. Georg. in eum locum,

Non aliam ob culpam. ———

Vbi rationem reddit, quòd Æsculapius est Deus salutis: cùm capra nunquam sine febre sit.

x *Et gallinæ.*] Adde & gallum quandoquidem Socrates moriens ipsi Æsculapio gallum vouit apud Platonem in Phædone, de quo tu omnino vide nostros Commentarios Nobili. c. 31. num. 26. incip. Plato, &c.

y *Hæque ad rem diuinam.*] Scilicet gallinæ ex Plinio lib. 10. cap. 56.

z *Nigræ verò & imparibus digitis.*] Hæc quoque videtur sccepisse ex Plinio in illo eo. cap. vbi tamen id non dixit, huius enim hæc verba sunt: Gallinarum generositas spectatur crista erecta, interdum & gemina, pennis nigris, ore rubicundo & digitis imparibus.

tibus digitis, idoneæ. [a] Astris & stellis volucres dicatæ fuerunt, [b] Isidi anser, [c] gallus Nocti, [d] & Laribus, nonnunquam [e] porcus: sicut [f] equus Soli [g] & Marti, [h] Lunæ taurus, [i] Iunoni agna, [k] Veneri columba, & capra Pani [l] & Mineruæ, [m] Dianæ verò cerua. [n] Quanquam Libero vino, melle & lacte, [o] interdum capro & [p] hirco sacrum fieri nouimus. [q] Mineruæ verò nihil caprini generis, sed vaccam,

Libero. Mineruæ.

ANNOTATIONES.

a *Astris & stellis.*] Et id quoque repetit Gyraldus eo. loco nuper citato.

b *Isidi anser.*] Herodotus lib. 2. Lactantius lib. 1. Sed adde & Inacho quoque immolari ex Ouidio lib. 1. Fasto.

Nec defensa iuuant Capitolia, quo minus anser
Det Iano in lances Inache laute tuas.

Et Marti, ex Martiali lib. 9. epigr. 32.

Dum comes Arctois hæreret Cæsaris armis,
Vrbius, hanc Marti pro duce vouit auem:
Luna quater binos non tot a peregerat orbes,
Debita poscebat iam sibi vota Deus.
Ipse suas anser latus properauit ad aras,
Et cecidit sanctis hostia parua focis.

c *Gallus Nocti.*] Ouidius libr. 1. Fastor. eius rei rationem reddens,

Nocte Deæ Nocti cristatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili prouocet ore diem.

d *Et Laribus.*] Ex quo illud Iuuenalis sat. 13. paulò ante fi.

Et Laribus cristam promittere galli
Non audent. ——

Vbi omnino vide interpretes.

e *Nonnunquam porcus.*] Horatius lib. Ser. 2. saty. 3.

— *Immoles aquit*
Hic porcum Laribus. ——

Hic consule Adrianum Iunium Animaduersorum, lib. 4. cap. 7.

f *Sicut equus Soli.*] Xenophon Pædiæ Cyri libr. 8. non semel, & Strabo lib. 15.

g *Et Marti.*] Strabo lib. 3. Plutarchus probl. cap. 97. Festus Pompeius lib. 5. & 13. vbi de Octobri loquitur. Idquè maximè Persæ faciunt. & Ouidio lib. 1. Fastor.

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Et Massagetæ Herodoto libr. 1. Sed adde quòd & eidem Lacedæmonij gallum sacrificabant, cùm aperta vi hostes vicissent, & bouem, cùm arte, vt tradit ipse Plutarchus in antiquis institutis Lacedæmoniorum.

h *Lunæ taurus.*] Lactantius lib. 2. c. 21.

i *Iunoni agna.*] Atque etiam porca, vt Virgilius testatur lib. 8. Æneid.

Candida per syluam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in littore conspicitur sus:
Quam pius Æneas, tibi enim, tibi maxima Iuno
Mactat sacra ferens. ——

Et ibi Seruius rationem reddit. Et etiam ouis, vt idem Virgilius lib. 4. Æneid. affirmat,

—*Mactant lectas de more bidentes*
Frugiferæ Cereri, Phœbóque patrique Lyæo
Iunoni ante omnes. ——

k *Veneri columba.*] Virgilius libr. 6. Æneid. de Ænea loquens,

Vix ea fatus erat, geminæ cùm fortè columbæ
Ipsa sub ora viri cælo venere volantes,
Et viridi sedere solo, tum maximus heros
Maternas agnoscit aues. ——

Vbi Seruius, Sunt enim, inquit, Veneri sacræ propter frequentem fœtum & coitum. Et Propertius,

Sed cape torquatæ genus è regina columbæ,
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.

Et Martialis lib. 13. epig. 66.

Ne violes teneras perdudere dente columbas,
Tradita sed Gnidia sint tibi sacra Dea.

Et huc quoque trahi potest illud Ouidij lib. 1. Fast.

Ergo sæpe suo coniunx abducta marito
Vritur in calidis alba columba focis,

Sed & adde Argiuos Veneri suem mactare. Idquè festum quo fiebant, Hysteria vocari, quòd ex Xenodoto in suis Commentariis tradit Athenæus lib. 3. c. 9.

l *Et Mineruæ.*] Vide infrà in verbo, Mineruæ verò.

m *Dianæ verò cerua.*] Ouidius lib. 1. Fastor.

Quod semel est triplici pro virgine cæsa Dianæ,
Nunc quoque pro nulla virgine cerua datur.

n *Quanquam Libero.*] Hæc vsque ad versiculum, Interdum capro, sunt Seruij enarrantis illud Virgilij libro 2. Georg.

Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho.

o *Interdum capro.*] Virgilius huius rei rationem reddens lib. 2. Georg. sic ait:

Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, & admorso signata in stirpe cicatrix,
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur. ——

Vbi Seruius, Victimæ, inquit, numinibus, aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolantur. Per similitudinem, vt nigrum pecus Plutoni. Per contrarietatem, vt porca quæ obest frugibus, Cereri: & caper qui obest vitibus, Libero. Item capra Æsculapio, qui est Deus salutis: cùm capra nonnquam sine febre sit. Quod autem hîc de febre capræ scribit, idem dicit Plinius lib. 8. cap. 50. Sed & idem Seruius enarrans eum locum iam suprà citatum lib. 2.

Taurum Neptune, &c.

Hostiæ, ait, immolantur pro qualitate numinis, nigra pecus hyemi, Zephyris alba. Aut per contrarium, vt porcus Cereri, quia nocet frugibus. Caper Baccho quia nocet vitibus. Vide autem nostras Consuetudines, & in seq.

p *Et hirco.*] Varro lib. 1. rei rusticæ c. 2. Capræ, inquit, omnia nouella sata carpendo corrumpunt, non minimùm vites atque oleas. Itaque propterea institutum diuersa de causa, vt ex caprino genere, ad aliùs Dei aram hostia adduceretur, ad aliùs non sacrificaretur, cùm ab eodem odio alter videre nollet, alter etiam videre pereuntem vellet. Sicque factum, vt Libero patri repertori vitis hirci immolarentur, proinde vt capite darent pœnas. Contrà, vt Mineruæ caprini generis nihil immolarent, propter oleam, quòd eam quam læserit, fieri dicunt sterilem. Virgilius libr. 2. Geor.

Ergo ritè suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancésque & liba feremus,
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Et Ouidius lib. 1. Fast.

Rode caper vitem, tamen hinc cùm stabit ad aram,
In tua quod spargi cornua possit erit.

Quod ab Eueno poëta Græco accepisse videtur, cuius in eam rem versus vide apud Politianum in Miscellaneis. Martialis item lib. 3. epig. 71.

Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras,
Hircus Bacche tuis victima grata sacris.

Prudentius contra Symmachum,

His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
Caditur, & virides discindunt ore chelydros.

Item & hi versus incerti authoris,

Vite caper morsa Bacchi mactatus ad aras
Dicitur vltores, &c.

Vide in nostris Consuetudinibus. Sed & superioribus adde & ipsi Baccho quoque suem immolari, ex Iuuenali & Virgilio lib. 4. Æneid.

—*Mactant lectas de more bidentes*
Frugiferæ Cereri, Phœbóque, patrique Lyæo.

q *Mineruæ verò*] Varro vbi suprà, & Plinius libr. 8. cap. 50. in fi. vbi de capreis loquens: Oliuam, inquit, lambendo sterilem

aut boues [s] iniuges : [s] & Innoni apud Lacedæmonios capram immolari , quare & αἰγοφάγο dicta [t] Græci verò Mineruæ iuuencam sæpe indomitam auratis cornibus mactarunt. [u] Pyrrhus tamen dum splene laborantibus medetur, albo semper gallo sacrificauit. [x] Soli verò in Appollonia oue, Pani & Syluano porco, [y] nonnunquam [z] lacte litabatur : [a] Fauno agna [b] vel hœdo, [c] Priapo asino. Obseruatumque à [d] Massagetis est, vt reliquis diis posthabitis, Soli equũ immolent: ficut à Souromatis,. vt equas diis patriis mactent. C. tamen [e] Caligula eò vesaniæ processit, vt sibi tanquam numini sacro, fasianos, phœnicopteros & pauones mactari iusserit. [f] Athenienses tamen annua solennia Mineruæ, non capra, nec boue, sed tauris & agnis exhibere solent: [g] Persicæ vero Dianæ boue lampadis charactere notata: Tempestati autem, pulla. Tradunt quoque in parte Africæ Mineruæ sacrum fieri , vt fine victima puellæ inuicem fustibus decernant. [h] Persæ quoque equum Marti , [i] Carmani asinum , [k] Lusitani hircum, [l] Latini picum, [m] Lacedæmonij equum, frequentius [n] canem, [o] Sabelli taurum immolabant, [p] Romani equum dexteriorem bigæ, [q] Galli cisalpini verrem, diuerso quisque consilio ritúque: [r] ita vt à Phaselitis, quæ in Panphylia gens est, piscibus salsis Marti & diis immoletur, & à [s] Bœotiis copaide coronata, [t] ab

Soli. Pani. Syluano. Fauno. Priapo. Massagetæ. Sauromatæ. Athenienses. Persica. Dianæ. Tempestati. Mineruæ. Africæ. Mineruæ.

ANNOTATIONES.

sterilem faciant , eáque ex caosa Mioeruæ non immolantur. & Atheuæus libr. 13. c. 19. Et in nostris Consuetudinibus , vbi de capris.

r *Aut boues iniuges.*] Fulgentius suprà à nobis relatus in verbo, Bos tamen iugo subactus , & præterea Homerus lib. 6. Iliad.

ἤνις ἠκέστας, ἱερευσέμεν, αἴ κ' ἐλεήσῃ
καὶ οἱ ὑποσχέσθαι δυοκαίδεκα βοῦς ἐνὶ νηῷ,
ἤνις ἠκέστας ἱερευσέμεν.

Id est.

Ponere Mineruæ in genibus pulchricomæ
Et ei promittere duodecim boues in templo
Iuuencas indomitas. ——

Quos versus postea eod. lib repetit primo tantùm vocabulo immutato. Et lib. 11 , eiusdem operis,

αὐτὰρ Ἀθηναίῃ γλαυκώπιδι βοῦν ἀγέλαιην.
Sed Minerua glaucocutæ bouem indomitam.

s *Et Iunoni apud Lacedamonios.*] Pausanias in Lacouicis. Est autem αἰγοφάγος , tanquam dicas caprivora.

t *Græci verò.*] Iam diximus suprà , Aut, boues iniuges, de iuuenca indomita , sed quod hic præterea dicit de auratis cornibus.

u *Pyrrhus tamen.*] Plutarchus in vita illius non longè post princip.

x *Soli verò in Apollonia.*] Adde & Cereri , Appollini, Baccho , Iunoni ex Virgilio lib. 4. Æneid.

—Mactant lectas de more bidentes
Legifera Cereri , Phabóque , patrique Lyæo,
Iunoni ante omnes.—

adde item Ioui lib. 2. Fast.

—Inquè Iouis summa caditur arce bidens,

Sed quod de Cerere diximus astruit Porphyrius in lib. Responsorum, & ab eo Eusebius de præparatione Euangelica lib. 4. cap. item 4.

y *Et Syluano porco.*] Iuuenalis saty. 6.

Cadere Syluano porcum. ——

Cato autem de re rustica. Marti, inquit, Syluano in sylua interdio in capita singola boum votum faciabant, &c.

z *Nonnunquam lacte.*] Intelligit de Syluano cuius testis est Horatius lib. epist. 2. epist. 1.

Tellurem porco : Syluanum lacte piabant.

Vide item Apoleium lib. 6 Meta.

a *Fauno agna.*] De hoc infrà dicetur.

b *Vel hœdo.*] Horatius lib. Carmin. 3. Ode 13. ad Faunum,

Si tener pleno cadit hædus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina cratere, , vetus ara multo
Fumat odore.

Quibus ostendit ipsi Fauno hœdo & vino sacrificari.

c *Priapo asino.*] Vide Ouidios lib. 1. Fastorum,

Caditur & rigido custodi ruris asellus.

Cuius rei caosam versibus sequentibus declarat. Et Arnobius contra Gentes lib. 4. Lactantius item lib. 1. c. 21.

d *A Massagetis.*] Herodotus libro 1. in fin. Strabo. libro. 11.

e *Caligula.*] Suetonius in vitæ illius c. 22. Nam & is templom Hierosolymitanum repleri statuis simulachrisque iussit , sequè ibi vt Deum coli præcepit , vt scribit Paulus Orosius lib. 7. c. 5.

f *Athenienses*] Id ex Homero est lib. 2. Iliad. in Catalogo post princ.

ἔνθα δέ μιν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖς ἱλάονται
κοῦροι Ἀθηναίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν.

Id est.

Illic enim ipsam (de Minerua loquitur) tauris & agnis placant,
Pueri Atheniensium circumuoluentibus annis,

Quòd autem apud ipsos Athenienses capra Palladi non immolabatur, tradit Athenæus lib. 13. c. 19. Sed quod hîc dicitur de agnis, idem Athenæus lib 9. c. 5. scribit suo tempore inter Palladis sacra (ea & Minerua dicitur) neque agnum mactari , neque caseum gustari.

g *Persica verò Dianæ boue.*] Plutarchus in Lucullo.

h *Persæ quoque equum Marti.*] Herodotus lib. 1. & Ouidius, vt diximus suprà in verbo, Et Marti. Arnobius autem lib. 4. aduersus Gentes tradit Marti à Caribus canes, & è Scythis asinos immolari.

i *Carmani asinum.*] Strabo lib. 15. Vide num hi sint è Scythis, propter ea quæ dixi in præcedenti versu.

k *Lusitani hircum.*] Strabo lib. 3. vbi addit captiuos hostes & equos.

l *Latini picum.*] Strabo lib. 5. Nonius Marcellus de doctorum indagine , vbi de Picunno loquitur, aliorum authoritate. Plutarchus in Romulo, & proble. c. 20. Et Porphyrion in Horatium.

m *Lacedæmonij equum.*]
n *Frequentius canem.*]
o *Sabelli taurum immolabant.*]
} De his vide libro de animalib.

p *Romani equum dexteriorem bigæ.*] De his superius.

q *Galli cisalpini verrem.*] Transalpini dicere debuit ex Pomponio Attellanarum poëta apud Gellium lib. 16. c. 6. & Macrobium lib. 7. Saturn. c. 9. Mars, inquit, tibi voueo facturum si vnquam rediero bidente verre, &c.

r *Ita vt à Phaselitis.*] Athenæus lib. 7. cap. 17. non semel authoritate Dorionis in libr. de Piscibus , & Hiropythi in Montibus Colophoniorum & Philostephani lib. de Ciuitatibus , præterea Suidas & Xenodotus in Collectaneis, qui hinc natum adagium scribit Φασηλιτῶν θῦμα.

s *Et à Bœotiis copaide.*] Idem Athenæ libr. 7. c. 17. in princ: authoritate Dorionis in lib. de Piscibus.

t *Ab aliis thynno.*] Idem scribit apud ipsos Bœotios piscatores sub thynorum piscationem , quo sibi eò fœlicius succederet , Neptuno ex thynnis , quem Maximum cepissent immolare consueuisse , eàque sacra à Græcis Thynnea fuisse cognominata. Vide autem hac de re Lexicon Græcum.

Opertanea sacra. Baccho. Veioui. Herculi. Fordicidia. Ordicalia. Lares. Sacra Larium. Proteruia. Domesticis. Laribus. Gynæcia

aliis thynno[u] Ad Opertanea verò sacra, nigræ gallinæ non videntur puræ. [x] Fuere autem sacra Opertanea, quæ seorsum ab hominum conspectu in operto fiunt. Cereri, [y] Apollini [z] & Baccho capris sacrum fieri debere nonnulli putant: [a] sicut Veioui, quem Apollinem dicunt, ritu Romano capra immolatur. [b] Herculi [c] & Cereri duodecim Calend. Ianuarias, sue, panibus, & mulso sacrum fit, si tamen sus prægnans sit, aliter non habetur pura. [d] Et in Fordicidiis, nisi prægnante boue pontifices litare non solent, qui etiam dies in fastis [e] Ordicalia dicuntur. [f] Lares canum pellibus ideò ornantur, quia domus fidi custodes sunt, & alienis formidolosi, domesticis verò blandi, atque nocturnos strepitus soliciti, sicut canes, [g] qui floribus & sertis, thure & fruge coluntur: quorum ædes in campo Martio ab Æmylio Regillo prætore dicata fuit. In quorum sacris id custoditur, vt libertini sacerdotes sint, [h] qui Augustales dicti, nihilque de sacrificio extra ædes mittatur foras, sed intra domesticos Lares omnia absumant: sicut cum sacrum Vulcano fit, [i] quod Proteruiam dixerunt, nisi victima, & quodcunque superest, igni detur, sacrificium pollui putabant. Domesticis verò Laribus rerum dabantur [k] primitiæ, sæpe etiam [l] porcus, tametsi hostilibus. [m] Laribus, quòd ab his hostes arcerentur, sæpe immolauit antiquitas: [n] Gynæciæ Romani pro his qui domi nascuntur, canem immolant: [o] sicut Græci Proserpinæ, & [p] Dianæ Sabæi. Est autem Gynæcia, quam [q] Romani Bonam deam vocant, [r] quæ ex corruptibilibus generationes facit: cui quum res diuina fit, optant nemini bonum euenire qui domi nascatur. [s] In

ANNOTATIONES.

u *Ad Opertanea.*] Plinius lib. 10. c. 56.

x *Fuere autem sacra Opertanea.*] Vt verbum ipsum satis declarat. Et de his Apuleius lib. 9. Meta. loquens de solemnibus quæ in operto sunt.

y *Apollini.*] Vt patet ex Homero in duobus locis suprà in verbo, Athenienses. Et lib. 1. Iliad. vbi de ipso Apolline loquens:

αἴκεν πως ἀρνῶν κνίσης, αἰγῶν τε τελείων
βούλεται ἀντιάσας ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι.

Id est,

Si fortè ouium nidorem caprariúmque perfectarum
Vult assecutus, nobis pestem auertere.

Ex quo intelligis & ei quoque oues immolari.

z *Et Baccho.*] Seruius lib. Æneid. in eum locum,

——— *Taurum Neptuno.* ———

a *Sicut Veioui.*] Gellius lib. 5. c. 12. Sed adde & capram Ditis patris propriam esse hostiam: quia semper febriculosa sit, vt Seruius scribit enarrans eum locum Virgilij libr. 7. Æneid.

Tum verò ad vocem celeres, &c.

b *Herculi.*] Macrobius lib. 3. Satur. c. 11. in fi.

c *Et Cereri.*] Macrobius in eod. loco. Plinius lib. 14. Seruius de sue lib. Georg. ibi,

Non aliam ob culpam. ———

d *Et in Fordicidiis.*] Varro libr. 5. linguæ Latinæ. & Festus Pompeius lib. 5.

e *Ordicalia.*] Varrò lib. 2 rei rusticæ cap. 5. Quæ prægnans est vacca, horda appellatur. Ab eo enim festi dies hordicalia nominantur: quod tunc hordæ boues immolantur.

f *Lares.*] Ouidius lib. 5. Fast.

Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat, quæ standi cum Lare causa fuit?
Seruat vterque domum, domino quoque fidus vterque est,
Compita grata Deo, compita grata cani.
Exagitant & Lar, & turba Dianiæ fures,
Peruigilántque Lares, peruigilántque canes.

Plutarchus problem. cap. 51. Laribus, quos propriè præsides vocant, canes assistere, & ipsos canum pellibus amiciri, quoniam qui præsides sunt, eos alienis formidolosos esse oportet, vti canes videmus: domesticis verò mites ac mansuetos. Vel quod Lares quidam furiales sunt, & exactores vitæ nostræ, atque operationum speculatores, quibus assidet canis, quem nouimus ad inuestigandum sagacem esse. Et Apuleius in lib. de dæmonio Socratis.

g *Qui floribus.*] Scilicet Lares ex Plauto in Aulularia in prologo, vbi ita larem familiarem loquentem facit,

Huic filia vna est, ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliquo semper supplicat,
Dat mihi coronas. ———

Et alibi in eadem fabula,

Nunc Tusculum emi, & hasce coronas floreas
Hac imponentur in foco nostro, Lari.

Et Tibullo lib. 1. eleg. 10. loquente de Laribus,

His placatus erat, seu quis libauerat vuam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.

Et Iuuenali saty. 9. ad fi.

O parui nostrique Lares, quos thure minuto
Aut farre, & tenui soleo exornare corona.

Et saty. 12.

——— *Laribúsque paternis*
Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores.

h *Qui Augustales dicti.*] De his Tacitus libr. 1. 2. 3. & 18. Suetonius in Claudio, cap. 6. & in Galba, c. 8. & alibi de hus dictum est.

i *Quod Proteruiam dixerunt.*] Sacrificium, inquit, apud veteres fuit, quod vocabatur Proteruia: in eo mos erat, vt si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. Hinc Catonis iocus est. Namque Albidium quendam, qui sua bona comedisset, & nouissimè domum, quæ et reliqua erat, incendio perdidisset, Proteruiam fecisse dicebat, quia quod comedere non potuisset, id combussisset. Simile autem sacrificium in agno Paschali erat ex Moysis legib. ne scilicet quid ex sacris epulis relinqueretur, & si quid reliqui esset, id igni traderetur, vt scribitur Exod. 12. Proteruiæ quoque mentionem facit Ausonius in Mosella.

Capripedes agitat cùm læta Proteruia Panes.

k *Primitiæ.*] Aristophanis interpres in [illegible] Aristocratis authoritate, sunt qui huc trahunt illud Tibulli libr. 1. eleg. 1.

Vos quoque fœlices quondam, nunc pauperis agri
Custodes fertis munera vestra lares.

l *Sæpe etiam porcus.*] Quod & iam suprà dictum est ex Horatio lib. ser. 2. saty. 3.

m *Tametsi hostilibus, &c.*] Festus Pomp. lib. 14.

n *Gynæcia.*] Plutarc. c. 52. probl. vbi corruptè legitur Genætæ pro Gynæcia, & iterum c. 68.

o *Sicut Græci Proserpinæ.*] Plutarchus d. c. 52. verùm cap. 68. dicit catulos.

p *Et Dianæ Sabæi.*] Id accepit ex Ouidio lib. 1. Fastor.

Exta canum Triuiæ vidi libare Sabæos.

Nam & Diana dicta est Triuia Varroni, Phurnuto, & aliis. Verùm sunt qui eo loco non Sabæos legunt, sed Saphæos, vt illic videre licet apud Paulum Marsum vnum ex interpretibus Ouidij.

q *Romani Bonam Deam vocant.*] Vt videbis in nostris legibus Connubialibus, l. 10. n. 26. incip. Et huc quoque, & præterea apud Plutarchum probl. cap. 19. vbi tamen corruptè Flora legitur pro Gynæcia in Latino Codice, vt etiam videre poteris ex Græco Plutarchi Codice.

r *Quæ ex corruptibilibus.*] Hæc vsque ad versiculum, In lupercalibus, sunt eiusdem Plutarchi proble. c. 52.

s *In Lupercalibus.*] Plutarchus in Romulo, & probl. 68. & cap. 111. in fi.

Lupercalibus canem immolari mense Februario, quia lupo canis infensus est, & in expiationibus cane licari legimus, atque [t] ad placandum caniculæ sydus frugibus inimicum, etiam mactari canes: quas, si ruffæ non sunt, puras non putarunt: quod sacrum, canarium augurium nuncupant. [u] Pro frugibus quoque & pecoribus, vt rubigo auertatur, lactenti catulo sacrum fieri conuenit. [x] Idqué Rubigalibus per [y] Quirinalem flaminem sacrum extra vrbem fieri, in quo super exta canis thus & merum infundere mos erat: [z] quos etiam catulos recens editos, tam in adiicialibus quàm deorum cœnis sæpe adhibuere. [a] Apud Lacedæmonios Matri immolabatur canis. [b] Et Bœotiis, cane in duas partes dissecto per medium, itæ expiatio fuit: [c] idem & Caribus, vt exta canis, diis offerre in vsu haberent. [d] Viuas etiam canes cruci affigi, atque inter ædes Iuuentutis & Sumani, singulis annis ansere insidente, deferri vulgo proditum est: quæ crux nisi ex sambuco fieret, sacrum ritè fieri minimè putarunt. [e] Isidi anser propria victima dicata est, [f] Plutoni taurus, Proserpinæ [g] iuuenca, & bos fuluus Auerno, Vlysses verò apud Homerum ariete & oue nigra Erebo sacrificauit. [h] Sed nec sementem administrari, nec oues tondere, nisi catulitio prius fieret, vllo modo licuit. [i] Vinum in sacris Cereris adhibere nefas est. [k] Primitias verò frugum Cereri, [l] vinum vero nouum Baccho dare conuenit: quibus vesci, priusquam sacerdotes illa libassent, minime fas erat. [m] In sacris deæ Ruminæ inferre vinũ, expiatione

Lupercalia. Canicula fru- deri. Pro frugibus. Matri. Boeotij. Caris. Isidi. Plutoni. Proserpinæ. Auerno. Erebo. Sacra absque vino. Ruminæ.

ANNOTATIONES.

t *Atque ad placandum.*] Festus Pompeius lib. 3. vbi de Catularia porta loquitur, & lib. 16. vbi de Rutulis canibus loquitur authoritate Atteij Capitonis.

u *Pro frugibus quoque.*] Columella lib. 10. rei rusticæ,

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactantis catuli placantur & extis.

x *Idqué Rubigalibus.*] De his Plinius lib. 18. c. 29.

y *Per Quirinalem flaminem.*] Totum id depromptum est ex Ouidio lib. 4. Fastor. non longè à fin.

Flamen in antiqua lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ouis.

Et cætera quæ multis versibus sequuntur. Ex quibus hos non prætermittendos duximus ad hunc locum maximè pertinentes,

Dixerat, à dextra villis mantile solutis,
Cúmque meri patera thuris acerra fuit.
Thura focis, vinúmque dedit, fibrásque bidentis,
Turpiáque obscœna vidimus exta canis.

Eiúsque rei causam reddit versibus sequentibus, vt inibi videre poterit.

z *Quos etiam catulos.*] Plinius lib. 29. c. 4. post princ.

a *Apud Lacedamonios.*] Pausanias in Laconicis, Plutarchus probl. c. 111. ante fi.

b *Et Bœotiis.*] Plutarchus ibid.

c *Idem & Caribus.*] Arnobius contra Gentes, lib. 4. & Hesichius, hincque natum adagium καρικὴ θύμα. Caricum sacrificium, de quo Erasmus Chil. 3. cent. 2. c. 31.

d *Viuas etiam canes.*] Id vsque ad clausulam, Isidi anser, est Plinij lib. 29. c. 4. in princ.

e *Isidi anser.*] Id suprà dictum est eod. cap. in verbo, Isidi anser.

f *Plutoni taurus.*] Horatius Car. lib. 2. Ode 14.

Non si tricenis quotquot eunt dies,
Amice places illacrymabilem
Plutona tauris. ——

g *Proserpina iuuenca.*] Et ea quidem sterili ex Virgilio lib. 6. Æneid.

—Sterilémque tibi Proserpina vaccam
Et nigra. ——

Vs etiam dicetur infrà lib. 4. c. 17.

h *Sed nec sementem.*] Columella libr. 2. c. 22. Sed nec sementem quidem administrare, nisi prius catulo feceris, nec fœnum secare, aut vincire, aut vehere. Ac ne vindemiam quidem cogi per religiones pontificum feriis licet: nec oues tondere, nisi si catulo feceris. Ex quo loco apertè vides Alexandrum hunc locum accepisse: & catulo facere pro catulitione intelligere, sed vereor ne is deceptus sit. Quid enim catulitio sit declarat Plinius lib. 16. c. 25. Catulitionem, inquit, rustici vocant gestiente natura femina accipere, cóque animam inferente omnibus satis. Nam & catulire propriè dicitur de canibus venerem expetentibus. Varro de illis loquens libr. 2. de re rustica, cap. 9. De fœtura, principium admittendi faciunt veris principio: tunc enim dicuntur catulire, id est, vt ille subdit, ostendere se velle maritari, quòd & ac cætera bruta trahitur. Nam & Laberius catulientem lupam, id est, coitus appetentem dicit. Catulo autem facere plerique omnes intelligunt pro sacrificare caniculæ.

i *Vinum in sacris Cereris.*] Plautus in Aulularia,

STA. *Cererin? Strobile has facturi nuptias?*
STRO. *Qui?*
STA. *Quia temeti nihil allatum intellige.*

Macrobius lib. 3. Saturn. c. 11. in princ. facit alium sciscitantem, quòd cum Cereri vino libari omnibus vetitum sit ex sententia Plauti, vbi suprà, quem ille citat. cur Virgilius scripserit lib. 1. Georg.

Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho.

Cui rei ita respondet in fi. eiusdem cap. Poëta, inquit, sciens Cereri mulso libari, adiecit, miti Baccho dilue, mitescere scilicet vinum dicens cùm, mulsum cœperit fieri. Nam mite vinum hic ita dixit, vt alibi (lib. scilicet 4. eiusdem operis) ait domitum,

Et durum Bacchi domitura saporem.

Verum Seruius enarrans eum locum,

Cui tu lacte fauos. ——

Aliter id diluit, Cui, inquit, tu liba de lacte, melle & vino. Nam superfluum est quod quidam dicunt contra religionem dixisse Virgilium, licere Cereri de vino sacrificari, pontificales namque hoc non vetant libri. Subditque, illud Plauti non esse ei loco contrarium: nam aliud est sacrificium, aliud nuptias Cereri celebrare, in quibus reuera vinum adhibere nefas erat, quæ Orci nuptiæ dicebantur, quas præsentia sui pontifices ingenti solemnitate celebrabant. Alij, vt subiicit, hunc locum aliter accipiunt, vt miti Baccho sit datiui casus, & duo numina intelligamus Liberi & Cereris: nam suprà quoque ait, Imprimis venerare deos, vt sit sensus, Cui Cereri, & miti Baccho fauos lacte dilue, id est, eis sacrifica melle & vino permixtis.

k *Primitias verò frugum Cereri.*] Ouidius lib. 10. Metam.

Festa pia Cereris celebrabant annua matres,
Illa quibus niuea velata corpora veste.
Primitias frugum dant. ——

Et lib. 2. Fastor.

Farra tamen veteres iaciebant, farra metebant,
Primitias Cereri farra resecta dabant.

Et Calphurnius eclog. 4.

Ille dat, vt primas Cereri dare cultor aristas
Possit. ——

Et è Græcis Theocritus Idyll. 7.

—ἦ γὰρ ἑταῖροι
ἀνέρες ἐν πέπλῳ Δαμάτερι δαῖτα τελεῦντι
ὄλβω ἀπαρχόμενοι.

l *Vinum verò nouum Baccho.*] Plinius lib. 18. cap. 2.

m *In sacris dea Rumina.*] Varro rei rusticæ libr. 2. cap. 11.

vbi

Flora. Vesta.

dignum fuit: quippe illi sacrum facientes, hostiæ lac, non vinum inspargebăt.[n] Et in sacris Floræ, quam Bonam deam nuncupant, eum vinum libant, lac fuisse dicunt.[o] Vestæ quoque non vino, sed de Numicio flumine libatur, [p] quibus diebus mense Iunio molæ frumentariæ & asini sertis & pane coronantur: [q] ad cuius templum iuxta forum nisi nudo pede accedere non conuenit: [r] sicut in ædem Dianæ apud Cretenses, quam Britomartem nominant. Proditúmque memoriæ est, [s] Romulum nunquam vino in sacris, sed lacte libasse. [t] Athenienses quoque Menemosynæ, Auroræ, Soli, Lunæ & Vraniæ, non vino, sed aqua melle diluta sacrificant. Vino verò in sacris vina libare diis necessum erat, [u] ex Græca & imputata vite, seu fulmine tacta, aut que vulneraris pedibus calcara, vel immunditie polluta fuerat, aut iuxta quam homo laqueo pependerat, quæqué circuncisis vinaceis profluxerat, vina libare diis, infaustum erat.[x] Thasiis verò, nisi vino libaneo odore thuris diis prolibabatur, & in Asopo in [y] æde Eumenidum nisi mulso libare, & pro coronis floribus vti permissum. [z] Victimæ maiores dum immolantur, auratis cornibus procedunt:[a] minores, coronatæ offerunrur. Est quoque obseruatum, vt si cum vinum hostiæ [b] fundendum foret, potius molam aut fruges in caput spargerent ordine præpostero: [c] aut si cùm hostia ad aras ducitur, vehementius fuisset reluctata, ostendisséque se inuitam altaribus admoueri, vel ab ara aufugisset, [d] vel percussa mugitum dedisset,[e] aut in aliam corporis partem quàm oporteret, cecidisset, piaculare sacrum & triste auspicium faceret, quasi inuitis diis offerri videretur. In qua re animaduertere licet, apud [f] Hermionenses, boues præferoces facili ductu à ministra sacrorum peruetusta muliere, sponte ad sacrificium duci & immolari: Iones tamen contra instituta moréfque sa-

Qualia vina libabantur diis. Thasij. Eumenides. Maiores & minores victimæ. Signa tristis auspicij. Hermionenses. Iones.

ANNOTATIONES.

vbi eam deam Rumam vocat, & Plutarchus proble. c.57. qui Ruminam illam appellat.

n *Et in sacris Floræ.*] Id vtique accepit ex Latino Plutarchi codice problem. cap. 19. sed ibi non Floræ vertendum erat, sed potius Gynæciæ ex Græco codice, vt diximus suprà, adhibe tamen Græcum textum.

o *Vesta quoque non vino, sed de Numico flumine.*] Seruius lib. 6. Æneid. in eum locum,

Hæc fontis stagna Numici. ——

Verum Iuuenalis saty. 6.

Quadam de numero Latinarum ac nominis alti,
Cum farre & vino Ianum Vestámque rogabat.

p *Quibus diebus.*] Ouidius lib. 6. Fasto.

Ecce coronatis panis dependet asellis,
Et velant scabras florida serta molas.

q *Ad cuius templum.*] Scilicet Vestæ.

r *Sicut in ædem Dianæ.*] Solinus cap. 17. Cretes, inquit, Dianam religiosissimè colunt, βριτόμαρτιν gentiliter nominantes, quod sermone nostro sonat virginem dulcem. Ædem ominis præterquam nudus vestigia nullus licitè ingreditur. ibi vide interpretes. Strabo item libr. 10. Diodorus Siculus lib. 6. cap. 15. Pausanias lib. 9. Phauorinus testimonio Callimachi [Greek illegible] βριτόμαρτιν [Greek illegible].

s *Romulum.*] Plinius libr. 14. c. 12. Plutarchus in eius vita.

t *Athenienses.*] Sed his adde Nephalia Bacchi sacra memorata Plutarcho in præceptis bonæ valetudinis, vbi scribit ea sic appellata à sobrietate, quòd in his vinum bibere nefas esset.

u *Ex Græca.*] Hæc omnia vsque ad vers. Thasiis, sunt Plinij lib. 14. c. 19. Sed huic, quod de imputata vite dicitur, adda quod Seruius in Virgilium eclog. 2 ad fin. scribit, quòd qui de vino ex vite imputata sacrificabant furore corripiebantur.

x *Thasiis verò.*] Plinius eo lib. 14. c. 18.

y *In æde Eumenidum.*] Pausanias lib. 2 Et templum, inquit, Dearum quas Sicyonij Eumenides appellant. His singulis annis vnum diem festum agunt, & grauidas oues sacrificant libamina mulso, & floribus coronarum loco vti consuerunt. Sophocles autem in Oedipo Epicolono, Id sacrum Eumenidibus fieri tradit, vt manus ac digitos ex aqua profluente ablueret qui sacra facturus erat, & in cratere assato ouis nouellæ vellere obtecto, aquam mellitam ad choas & libamina reponeret, quæ prima aurora sobriis humi ter fundebat, térque insuper nouem ramos oliuæ ibi deponeret, tum demum preces verbis conceptis ipsis Eumenidibus effunderet.

z *Victimæ maiores.*] Plinius libr. 33. cap 3. in princp. Deorum verò honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quàm vt auratis cornibus hostiæ maiores duntaxat immolarentur. & Athenæus libr. 9. Hincqué illud Iuuenalis satyr. 6.

Et auratam Iunoni cæde iuuencam.

Vbi vide interpretes. Et Martialis lib. 9 epig. 43. ad Apollinem,

Felix tunc ego debitórque voti,
Casurum tibi rusticas ad aras,
Ducam cornibus aureis iuuencam.

Macrobius lib. 3. Satur. c. 5. Húcque etiam spectat illud Virgilij lib. 9. Æneid.

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum.

Vbi Donatus, Consuetudo, inquit, permansit, vt vacca & taurus auratis fronte & cornibus Ioui Capitolino mactentur. Seruius autem, Ita enim, ait, ornari consueuerat.

a *Minores, coronatæ.*] Ex quo & illud eiusdem Iuuenalis satyr. 13.

Quæqué coronata lustrari debeat agna.

Vbi vide interpretes. Semper autem victimæ coronari solebant, vt dicit Plinius lib. 16. c. 4.

b *Fundendum foret.*] Quod quomodo faciendum erat, videbis inferius lib. 4. c. 17.

c *Aut si cùm hostia.*] Hæc vsque ad vers. Vel percussa, sunt Liuij 3. Decad. lib. 1. ad finem. Plinij lib. 18. c. 45. Suetonij in Galba, cap. 18. Cornelij Taciti lib. 19. cuius hæc verba sunt: Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus disiecto sacrificij apparatu, longè quàm vbi feriri hostias mos est, confossus. Festus Pompeius lib. 14. vbi de piacularibus auspiciis loquitur. Seruius enarrans illud Virgilij libr. 9. Æneid.

Et statuam ante aras.

Quoties, inquit, victima reluctabatur, ostendebat se improbari. Lucanus,

—Discussa fugit ab ara
—Taurus.

Et vide infrà lib. 4. c. 17.

d *Vel percussa mugitum dedisset.*] Virgilius libro secundo Ænied.

Qualis mugitus fugit cùm saucius aram
Taurus. ——

Vbi vide Seruium. & Ouidius lib. 7. Meta.

—Mugitus victima diros
Edidit. ——

Vide item Senecam in Hercule Oetæo 7. 12. & Festum Pompeium loco nuper citato.

e *Aut in aliam.*] Festus Pompeius in eod. loco.

f *Apud Hermionenses.*] Aristocles poëta in epigrammate tradit quòd in sacrificio Cthoniæ Hermionensis, à vetula imbecilli

erorum, tunc maximè hostiam litare, & diis gratiam fieri putabant, cum inter immolandum taurus mugitus daret. [g] Funestámque familiam, aut hominem funere pollutum, nec ædes deorum dedicare, nec publica sacra facere posse liquet, nisi in Lemuralibus & Parentalibus: in quibus inferis diis dare inferias vsus obtinuit: quo tempore ædes deorum clausæ iacent. [h] In Lemularibus fabam noctu iacere vsurpatum est, Lemures se ex domo eiicere clamantes: quam nigram esse conuenit: ipsámque lotis [i] manibus, & pede nudo per ora versare, & post terga reiicere, æríSque tinnitum facere, vtque Lemures fabis redempti, domo abirent, nouies orare. [k] Idque Maio mense tribus noctibus fieri, donec solutis religione animis, manes expiatos ducerent. In Parentalibus assumere fabas vsus obtinuit, sicut [l] in peruigiliis cicer. [m] Ac ferales cœnas lentésque & offas ad sepulchra illorum ferre, quibus parentare ius erat: quæ etiam [n] Feralia à ferendis epulis dicta sunt, quas in defunctorum sepulchris super nudum silicem apponebant. [o] Notatúmque fuit in omnibus sacris fœminini generis victimas esse potiores: itaque si per marem litari non poterat, fœmina succidanea dabatur, non è contrà. Nam si per fœminam hostiam minimè periclitatum foret, succidaneam adhiberi non licebat: [p] Apud Ægyptios secus, quibus fœminam hostiam immolare est habitum nefas. [q] Barbaris quoque circa montem Caucasum, & apud Derbices Persicam gentem, fœmininum animal victimam dare, aut eius carnibus vesci, sub graui documento vetabatur. Si tamen primis hostiis non litassent, aut si primum negligentia vel casu non recte initum aut curatum sacrum foret, illas denuo augeri & sæpius ad expianda numina permittitur, donec rite perlitatum animaduerterent. Illud [r] quoque non omittendum, consueuisse Romanos pro rebus quas cito expediri cuperent, ætate grandioribus hostiis: vbi vero rem augere vellent & produci, iuniori victima sacrificare. [t] Vnámque hostiam nunquam duobus diis aut incertis, sed certo numini immolare, [v] superísque impares, inferis vero pares. Quotiésque [x] aliquid inuentu

Lemuralia.

Parentalia.

Cœna ferales.

Fœminini generis victima potiores.

Ægyptij.

Romanorũ mos.

ANNOTATIONES.

imbecilli ad aram ex armento bos immolandus cornibus adducebatur, quem quidem bouem decem quantumuis robusti ac fortes viri attrahere non poterant, & idem repetit Ælianus li. de Animalibus 11. c. 4. ex Aristocle, cuius & ipse carmen in eam rem adscribit. Sed inter cætera vide hac de re Pausaniam lib. 2.

g *Funestámque Familiam.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. non longè à princ. Nondum dedicata erat in Capitolio Iouis ædes, Valerius. Horatiúsque Consf. sortiri vter dedicaret: Horatio sorte euenit. Ægriùs quam dignum erat tulere Valerij necessarij dedicationem iam inclyti templi Horatio dari: Id omnibus modis impedire conati, posteaquam alia frustra erant tentata, postem iam tenenti consuli fœdum inter precationem deûm nuncium incutiunt, mortuum eius filium esse funestáque familia eum templum dedicare non posse. Non crediderit factum, an tantùm animo roboris fuerit, nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. Nihil aliud ad eum nuncium: proposito auersus, quàm vt cadauer efferri iuberet tenens postem, precationem peragit, templúmque dedicat. Hincque illud Virgilij lib. 11. Æn. in pr.

Æneas quanquam socios dare tempus humandi
Præcipitant curæ, turbatáque funere mens est,
Vota deûm primò victor soluebat Eoo.

Quo in loco Seruius, Consuetudo, inquit, Romana fuit, vt polluti funere minimè sacrificarent, si tamen contingeret, vt vno eodémque tempore & funestaretur quis, & cogeretur operam dare sacrificiis, laborabat, vt ante sacra compleret quàm funus agnosceret. Subdítque illud exemplum Horatij Puluilli supra citatum. Et tandem subiungit, Secundum quem ritum Æneas hìc inducitur antè operam dare sacrificiis, & sic ad sociorum & Pallantis sepulturam reuerti.

h *In Lemuralibus fabam.*] Idem Gyraldus de Diis Gentium syntag. 17. nullo quoque authore citato, sed hæc sunt Varronis de vita populi Romani lib. 1. apud Nonium Marcellum loquentem de Lemuralibus, Quibus, ait, temporibus in sacris fabam iactant, noctu. & dicunt se Lemures domo extra ianuam eiicere. Et Festi Pompeij lib. 6. Faba, ait, Lemuralibus iacitur laruis, & parentalibus adhibetur sacrificiis, in flore eius luctus literæ apparere videntur. Ante illum Plinius lib. 18. cap. 12. Mortuorum, inquit, animæ in ea sunt, qua de causa parentando vtique assumitur. Et paulò post, In flore eius literæ lugubres reperiuntur. Ex Poëtis autem Ouidius lib. 2. Fast. de his loquens.

Tum cantata tenet cum plumbo licia fusco,
Et septem nigras versat in ore fabas.

i *Ipsámque lotis manibus.*] Idem Gyraldus vbi suprà,

k *Idq; Maio mense.*] Idem quoque Gyraldus ibi, sed id est Porphyrionis interpretis Horatij lib. epist. 2. epist. 2. ad fin.

l *In peruigiliis Cicer.*] Idem Gyraldus in eod. loco. Est autem Plinij lib. 18. c. 12. ante fi.

m *Ac ferales cœnas.*] Vide suprà hoc lib. eod. c. 7.

n *Feralia à ferendis epulis.*] Varro de lingua Lat. lib. 5. Ouidius lib. 1. Fast.

Hanc quia iusta ferunt, dixere feralia lucem,
Vltima placandis manibus ista dies.

Festus Pompeius lib. 6.

o *Notatumq; fuit.*] Hæc vsque ad clausulam, apud Ægyptios, sunt Seruij in lib. 8. Æneid. in hunc locum,

Et cæsa iungebant fœdera porca.

p *Apud Ægyptios.*] Herodotus lib. 2.

q *Barbaris quoque.*] Et hæc sunt Strabonis lib. 11.

r *Si tamen primis hostiis.*] Tullius lib. 2. de Diuinatione, Suetonius in Cæsare c. 81. & in August. c. 97. Seruius lib. 2. aliàs 3 Æneid. in eum locum,

Rursum in secessu. ———

Et latè diximus in nostris Commentariis, ad l. boues §. hoc sermone. ff. de verb. sig.

s *Illud quoque, &c.*] Idem Gyraldus de Diis gentium, syntag. 27. sed id Seruij est lib. 12. Æn. in eum locum,

Setigeræ fœtum suis. ———

t *Vnamque hostiam.*] Liuius 3. Dec. lib 7.

u *Superísque.*] Idem Gyraldus syntag. 17. nullo item authore citato, sed id Seruij est enarrantis illud Virgilij eclog. 8.

Numero Deus impare gaudet. ———

Et lib. 3. Æneid. in eum locum,

Et geminas, causam lachrymis, sacrauerat aras.

Et lib. 9. ibi.

Idem ter socios pura circumtulit vnda.

Solinus autem c. 3. tradit propter dies impares Diis superis Ianuarium dicari, & propter pares Februarium, quasi abominosum Diis inferis deputari, vbi vide interpretes.

x *Quoties aliquid inuentu rarum.*] Seruius lib. 2. Æneid. in eum locum.

Sanguine placasti ventos & virgine cæsa.

Non verà, inquit, sed vt videbatur, nam vt paulò ante dixerat, Iphigenia, quæ immolanda venerat, numinis miseratione subrepta est, & ceruа supposita. Ex quo illud Ouidij libr. 3. Fastor.

tarum aut difficile sacrificio adhiberi opportreret, illud cera vel pane effectum apponere satis, simulacráque eiusmodi ficta & commentitia, ac si ipsa res repræsentaretur, eandem vim vigorémque habuisse: id quod à Græcis obseruatum comperimos. Cum enim [y] Cyziceni nigram bouem Palladi quotannis immolarent, & pressi obsidione, bouem comparare nequirent, ex frumento illam effinxere, eóque pacto persoluto voto, numen expiarunt. [z] Athenienses quoque in festis Iouis Milichij, quæ Dialia vocant, extra vrbem sæpe non veras victimas, sed commode effictas obtulere. [a] Vtque si pro infantibus immolandum foret, non grandis, sed minor hostia mactetur. [b] Notatúmque & illud est, in deorum Manium sacris auersa & tristia auspicia, aut dira & nefanda, magis fausta & felicia esse, itaque in his sacris potius est non litare. quàm litare.

Victima fictitia. *Thucydides lib. 1.*

Dij manes.

ANNOTATIONES.

Quod semel est triplici pro virgine casa Diana,
Nunc quoque pro nulla virgine cerua datur.

Illúdque item Martialis lib. 3. epig. 49.

Suppositam fama est quondam pro virgine ceruam,
At nunc pro puero mensula supposita est.

Subditque Seruius, vt ad eum redeamus ad ea quæ nuper ex eo adduximus, quòd simulatio in sacris pro veris accipitur. Vnde cùm de animalibus quæ difficile inueniuntur, est sacrificandum, de pane vel cera fiunt, & pro veris accipiuntur. In idque etiam refert illud eiusdem Virgilij libr. 4. Æneidos.

Sparserat & latices simulatos fontis Auerni,

Quo etiam in loco idem Seruius annotauit, qui & ipse in priori loco, subdit quòd in templo Isidis aqua sparsa esse dicebatur. Cui & tu adde illud Virgilij (si eius sit) in Priapeis,

Lætus Aristagoras natis bene villicus vuis,
De cera facta dat sibi poma Deus.
At tu sacrati contentus imagine pomi,
Fac veros fructus ille, Priape, ferat.

Festus Pompeius libr. 3. scribit quòd si aliquando cerua immolari deberet, si nulla inueniri poterat, eius loco ouem immolabant, quæ ideo ceruaria dicebatur. Suidas autem tradit, quòd cùm rustici quidam Herculi bouem essent immolaturi; isque rupto fune profugisset, nihilque esset quo res sacra fieret, malum suppositis quatuor ramis, pro pedibus, & duobus loco cornuum, bouem vtcumque imitati sunt, idque ridiculum fictitiúmque simulacrum pro victima obtulerunt. Vnde natum sit adagium μῆλος ἡρακλῆς, id est, pecuarius Hercules. Cuius etiam ex Apollodoro Xenodotus in Collectaneis meminit, sed eam historiam paulò aliter recensuit Pollux lib. Onomasticon 1 c. 1. sub hoc tit. περὶ τ[illegible] ἱερείων, hoc quidem sensu. Circa Bœotiam μῆλα Herculi sacrificant (non autem vt poëtæ per μῆλα oues, sed fructus arboris) hac de causa. Stata quædam erat publica ipsius Dei solemnitas, instabátque sacrificandi tempus victima autem aries erat, quem adducebant, qui cum serius adduceretur ob id quod Asopus Fluuius ita repentinis exundationibus excreuisset, vt transiri non posset, pueri qui sacris, intererant, nihilominus sacrificij ritum peregerũt: maturum enim malum accipientes, quatuor stipulas, vice pedum subdiderunt, & aliàs duas vice cornuum apposuerunt, nec Herculi ingratam fuisse victimam. Proptereáque mansisse apud Thebanos, Bœotiósque hunc sacrificandi ritum. Hûcque pertinet alia Herculis historia. Nam cùm olim in Italia Saturno homines sacrificarent, Hercules ex Hispania rediens primus eum ritum reuocauit. & ne quasi patrio ritu neglecto, superstitione incolæ turbarentur, simulachra pro viuis hominibus, quos antè in Tyberim è ponte Miluio, aut vt alij dicunt Sublicio, proiiciebant, hostiarum modo ornata in Tyberim proiicere docuit, quæ res quoque à Romanis idibus Maiis fieri cepta est. Cuius rei testes sunt Dionysius Halicarnassæus lib. 1. Plutarchus problem. Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 7. Eusebius præparationis Euangelicæ lib. 4 Lactantius lib. 1. cap. 21. qui & in id citat Ouidium lib. 5. Fastor.

Tum quoque priscorum virgo simulachra virorum,
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

Et cætera quæ sequuntur multis versibus.

y *Cum enim Cyziceni.*] Appianus in Mitridatico de vrbe Cyzico loquens: Dicitur (inquit Græcè, sed in hunc sensum) ea vrbs dotalis esse, & à Ioue Palladi filiæ attributa, quam Cyziceni summo honore præ cæteris Diis venerantur. Solemnibus itaque instantibus, in quibus bouem nigram sacrificare mos fuit, cùm ea carerent, ex frumento sacrificia fecerunt. Sed continuò subdit: Interim bos nigra è pelago ad eos occurrit, quæ claustra aditus ingressa & in vrbem delata, vltro in templum venit, ibique ad altare constitit, quam Ciziceni summa spe Deæ immolarunt.

z *Athenienses quoque.*] Thucydides lib. 1. belli Peloponnesisci, quo loco de Cylone Atheniensi loquitur, vt à Valle, translatus est in hæc verba. Siquidem sunt apud Athenienses Dialia, maximus dies festus, quæ Iouis Milichij vocantur, extra vrbem, vbi totius populi conuentu plerique non veras victimas immolant, sed commodè assimulatas. Quamquam in antiquo Græco Thucydidis codice ita legatur, ἐν ᾧ πανδημεὶ θύουσι πολλοὶ οὐχ ἱερεῖα μόνον, ἀλλὰ καὶ θύματα ἐπιχώρια. id est, in quo totius populi celebritate multi non victimas tantùm sacrificant, sed & sacrificia sine ludibrio indigenarum. Sed & his adde quòd Pythagoræ in Olymp. [illegible] πέμμα [illegible] θύεται, id est, bos quem ex mellè & farina consecerat immolatus est, vt à Philostrato in vita Apollonij lib. 1. post principium relatum est. Vide item Laërtium.

a *Vtq; si pro infantibus.*] Idem Gyraldus syntag. 17.

b *Notatúmque & illud est.*] Idem quoque Gyraldus ibi.

Quæ origo censorum, quæue potestas, & ex quàm paruis initiis in quantùm magnitudinis deuenerit.

CAPVT XIII.

CENSORVM [a] origo licet à paruis initiis orta, eò tamen creuit, ad tantúmque fastigium deuenit, vt morum disciplinæque Romanæ, decoris dedecorísque discrimen, vectigaliáque, & publicorum locorum priuatorúmque arbitrium sub illius cura & potestate foret: totiúsque reipublicæ circa morum disciplinam supremum ius ha-

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

a *Censorum origo.*] Hæc vsque ad clausulam, Tametsi Seruium, sunt Liuij 5. Decadis libro 4. & authoris libri (quisquis est) cui titulus est, Fenestella de magistratibus.

b *Tametsi*

beret Fuere enim M.Geganio Macerio iterum, & T.Quintio Capitolino quintùm consulibus, primi censores suffragiis populi creati Papyrius Semproniúsque, [b] tametsi Seruium Tullium, à quo iura militiæ constituta sunt, primum censorem fuisse nonnulli credant, quòd populum Romanum primus censuisset. [c] Qui magistratus etsi à principio quinquennalis, postea à Mamerco Æmylio dictatore cautum fuit, vt annua & semestris censura foret. Cuius rei causa ipse Æmylius, quòd veterem cẽsuræ statum citra præfinitum minuisset, à proximis censoribus tribu motus, & ærarius factus est. Ad quam licet à principio admitterentur patricij solum, postea [d] P.Philone dictatore alter censorum, [e] deinde Q.Pompeio & Metello consulibus, vterque ex plebe censores creati. [f] Demum eò dignationis venit, vt nisi clari illustrésque, post triumphos & consulatus illam experterent. Hi ergo censendi populi & lustri faciendi causa ab initio creati, eò processere, vt maximarum minimarúmque rerum, præcipuè † circa morum disciplinam, cognitionem animaduersionémque haberent, [g] Nam de iuramento cognoscere, & in periuros animaduertere [h] epularum sumptus cohibere, [i] senatores legere & cooptare, summotis indignissimis, & honestissimis allectis: [k] principem senatus constituere, immeritósque propter turpitudinem sordésque vitæ, senatu [l] vel tribu [m] amouere, [n] notísque & ignominiis [o] afficere,

Censores primi.

Censura initio quinquennalis, postea annua.

Censoris munus.

ANNOTATIONES.

b *Tametsi Seruium Tullium.*] Hunc censum primum omnium egisse scribit Liuius 1.Decad. lib.1. Vide autem Halicarnasseum.

c *Qui magistratus.*] Hæc vsque ad clausulam, Ad quam licet, sunt Liuij 1.Deca. lib.4. vbi dicit ipsum Mamercum ob id postea tribu motum, quòd magistratum popul.Rom. minuisset, & rursum libr.9. vbi loquitur de creatione P. Sempronij Tribuni plebis.

d *P.Philone dictatore.*]Dispeream, nisi hic Alexander lapsus sit, quod vt intelligas, Liuius 1. Decad.lib. 7. scribit C.Martium Rutilium, primum de plebe dictatorem dictum fuisse. Postea autem eod.libr.tradit eundem qui primus dictator de plebe fuerat, cum Manlio Næuio censorem fuisse creatum. Deinde lib 8.eiusdem Decad.scribit. Q.Pub.Philonem Dictatorem legem tulisse, vt alter ex plebe censor crearetur, vides igitur ante eam legem ex plebe Censorem creatum fuisse C. Martium illum Rutilium, sed postea ea lege cautum fuisse, vt alter ex censoribus ex plebe crearetur. De quo & nos dicemus infrà lib.6.c.26. Verùm Lucius Florus epitome Liuij libr. 13. tradit P. Domitium primum ex plebe lustrum condidisse.

e *Deinde Q.Pompeio.*] Lucius Florus epito. Liuij lib.59.

f *Demum eo dignationis.*] Plutarchus in Catone Censorio. Propterea apud Liu 4.Deca.lib. 2.multis claris viris petentibus Censuram, citati Censores fuere P. Cornelius Scipio Africanus, & P.Ælius Pætus, qui ipsi consules antè fuerant. Scribit tamen Liuius 3.Decad.lib.7.M. Cornelium Cethegum, & P.Semprooium Tudiranum, qui nondum consules fuerant, Censores creatos fuisse.

† *Circa morum disciplinam.*]Proprium id munus Censorum fuit ex Liuio 4.Decad.lib.10.in Oratione Q.Cæcilij Metelli alloquentis Censores. Non obliti sumus Censores vos ab vniuerso populo Rom. moribus nostris præpositos esse. Asconio Pediano in 1. in Verrem act.Plutarch.in vita Pauli Æmylij, & Catonis Censorij, ac probl. cap.98. & Trebellio Pollione in vita Valeriani, & ante hos, Cicerone in Orationem Pisonem. & in Oratione pro Aulo Cloentio.

g *Non de iuramento*]Gellios lib.7:c.18.

h *Epularum sumptus cohibere.*] Plinius lib.14. c.item 14. Valerius Maximus lib.2 cap.4.vbi scribit M.Antonium, & L. Flaccum Censores Duronium senatu amouisse, quòd legem de coërcendis conuiuiorum sumptibus latam Tribunus plebis abrogasset, & C. Fabricius Censor senatu mouit P. Cornelium Rufinum, quòd in conuiuio habuisset decem libras argenti. Vide Ciceronem in Oratio.pro Cluentio. & Fenestellam.

i *Senatores legere.*]Cicero in Orat.peo Aulo Cluentio. Hoc eo idem facies Censor in Senatu legendo. Liuios in d.Oratió. Q.Cæcilij Metelli, vno consilio legam senatum, equites recenseatis, agatis censum, lustrum condatis. Author eius libri qui vulgò circunfertur nomine Fenestellæ de Magistratibus Rom.c.1.& 17.Trebellius Pollio in vita Valeriani. Nam vt alios plurimos omittam, M. Sempronius Sophus, & Valerius Maximus Censores cùm senatum legerent, 13. senatu mouerunt, vt scribit Florus epitome Liuij lib. 18. Et vide infrà in clausula sequenti.

k *Principem Senatus constituere.*]Liuius 3.Deca.lib.7. vbi & iterum 9.vbi & 4.Decad.lib. item 4. vbi Censores, inquit, principem senatus P.Scipionem consulem, quem & priores Censores legerant, legerunt. & lib.8.eiusdem Decad.vbi & eundem tertium delegerunt, in qua re notãdum ipsos Censores potuisse alterum ipsorummet Principem senatus legere. Nam apud euodem Liuium eiusdem 4.Decad.libr.10. M.Æmilius Lepidus, & M. Fuluius Nobilior Censores ipsum Æmylium Principem senatus elegerunt, & 5. Decad. lib.3.tradit eundem Æmylium tertiò à Censoribus Principem lectum fuisse. Et Lucius Florus epitome Liuij lib. 48. M.(inquit) Æmilius qoi Princeps senatus sæpius iam à Censoribus erat lectus. Ex quibus intelligis eam dignitatem non fuisse perpetuam, sed in noua quaque censura nouum Principem, aut electum, aut continuatum, vt ipsis Censoribus videbatur. Sed adde præcedentibus Ceosores in patritios adsciscere solere ex Iulio Capitol.io M. Antonio Philosopho, in princ. Auus ascitus in patritios à Principibus Vespasiano, & Tito Censoribus.

l *Senatu.*]Dictum est suprà io verbo, Senatores. Et prætereà videre licet ex Ciceronis Oratione pro Aulo Clueotio, Asconio Pediano in 1. io Verrem actione. Plutarcho in Catone Censorio, vbi illum dicit senatu amouisse L. Quintiũ Flamioium. quod & ipsum retulit Valeriùs Maximus lib.2. c.4. Liuius 4.Decad.lib.9.vbi dicit eum cum collega senatu mouisse 7. & ex iis Flaminium ipsum. Nec prætermittendum vnum ex aliis multis notatu dignum, C. scilicet Fabritium Censorem senatu mouisse P. Cornelium Rufinum antè consulatu & dictatura functum, ob luxuriæ notam, quòd decem pondo argenti perfecerat, vt scribit author libro de Magistratibus Rom.pop. qui Feoestellæ vulgò tribuitur ca. 17. Gellius autem lib.17.c 21.tradit C. Fabricium Luciniuni & Q. Æmilium Censores, ipsum P. Cornelium Rufinum qui bis consul & Dictator fuerat, senatu mouisse quòd argenti facti cœnæ gratia 10. pondo haberet.

m *Vel tribu amouere.*] Cicero in Oration.pro Aulo Cluentio. Nam M. Attilius Regulus, & P. Furius Philus Ceosores eos tribo amouere, qui post Cannensem cladem Italia excedere voluerunt, & alios apud Liuium 33. Decadis libr.4.

n *Notisque.*] Liuius 4.Decad. lib.9. Patrum memoria institutom fertur, vt Censores motis à senatu ootas adscriberent.

o *Ignominiis afficere.*]Id proprium Censorium erat, vt ignominiam irrogarent. Cicero lib.4. de Repub. apud Nonium Marcellum, vbi de ignominia loquitur, Censoris, ioquit, iudicium nihil ferre damnato, nisi ruborem. Itaque vt omnis ea iudicatio versatur tantummodo in nomine, animaduersio illa ignominia est. Ex quo ipse Nooius dicit igoomioiam dici quasi nominis notam.

aut [p] in Ceritum tabulas referre, etiam ædilem quæstorémque, tum illos [q] qui agrum male colerent, aut incuriosè haberent, perditósque & profusos nepotes, parúmque honestis moribus viuentes, aut [r] verbis inciuilibus loquentes, ærarios facere, censoriæ potestatis erat. In quo id fuit obseruatum, vt [s] motis è senatu notas ascriberent, & demerita notarent, quod lege censoria cauebatur, [t] cuius verba asscripsi: Censores populi soboles familiásque censento, pecuniásque vrbis, templa, vias, ærarium, vectigalia tuento: populúsque partes in tribus distribuunto, & [u] pecunias in ciuitates ordines partiunto, equitum peditúmque prolem distribuunto, cœlibes esse prohibento, mores populi regunto, probrum in senatu ne relinquunto, bini sunto, magistratum quinquennium habento, reliqui magistratus annui sunto, eáque potestas semper esto. Et infrà: Referebant enim censores in [x] Ceritum tabulas illos quos ignominiæ causa suffragiis priuabant: qui quidem [y] censores ciues sic notabant, vt qui senator esset, ob crimen eiiceretur senatu: qui eques, equum publicum venderet: qui vero plebeius, in Ceritum tabulas referretur. [z] Obseruatúmque, vt quem censores senatu amouerent, nota quoque & ignominia perstringerent: eáque quæ ad publicam disciplinam pertinerent, lege edita statuerat. [a] Denique eò dignationis venere, vt omnium magistratuum principem locum tenerent: ad eámque [b] nisi viri consulares & maximis functi honoribus, admitterentur nulli. Quinctiam vitam singulorum & [c] mores inquirere, [d] exceptísque consulibus, præfecto vrbis, rege sacrorum & Vestalibus virginibus, circa disciplinam morum in omnes magistratus censere & animaduertere poterant. Quæ censura apud Siculos quoque magni nominis fuit: nam quum omnes Siculi ex censu tributa conferant, omnis potestas æstimationis faciendæ censori permittitur. Hinc etiam institutionem [e] Carthaginensibus fuisse accepimus, vt illi præfectum morum & vitæ magistrum habeant: quem ferunt in Hamilcarem animaduertisse: congressúmque cum Hasdrubale tunc in primo flore ætatis vetuisse, quia multi obloquebantur, quòd parum integra fama essent. [f] Apud Argos verò, si quis in re quærenda negligens foret & remissus, aut si desidiosum & segnem viderent, rationem vnde victum quæreret, apud magistrum qui loco censoris erat, reddere cogebatur. [g] quod Areopagitæ Athenis sæpe exequuti sunt, vt quid quisquis Atheniensium ageret, & quo quæstu viueret, magna cura inquirerent. [h] A Nabathæis seruatum legimus, vt negligens & remissus, qui opes paternas minuisset, pœna mulctaretur: cui verò res esset auctior, daretur præmio. Id quod [i] Draconis lege cauebatur, vt qui otij damnatus esset, capite lueret: [k] Amasis quoque Ægypti Rex, inter cetera constituta, præcipua lege cauit, vt vitæ rationem prætor à quocunque exquirat, vt si quis turpi quæstu viueret, velut facinorosus noxam lueret. [l] Quam legem Solon imitatus fertur, præcipuè cauendo, vt qui malis artibus degeret, cuique otio periret

Censores in quos magistratus censebant.
Siculi.
Carthaginenses.
Argi.
Negligentes mulctantur.

ANNOTATIONES.

p *Aut in Ceritum tabulas referre.*] Gellius lib. 16. cap. 13. Tabulæ, inquit, Cerites appellatæ in quas Censores referri iubebant, quos notæ causa suffragiis priuabant. Et vide infrà.

q *Qui agrum malè colerent.*]Plinius lib. 18. cap. 3. non longè à princ. Agrum, inquit, malè colere Censorium probrum iudicabatur. Gellius lib 4. cap. 12. Si quis agrum suum passus fuerat sordescere, cúmque indiligenter curabat, ac neque arauerat, neque pugnauerat, siue quis arborem suam vineámque habuerat derelictui, non is sine pœna fuit, sed erat opus Censorum, Censorésque ærarium faciebant. Sed hic adde Censoriam castigationem fuisse minùs arare quàm verrere, ex ipso Plinio eodem libro 18. cap. 6. post princip.

r *Aut verbis inciuilibus.*]Gellius lib. 4. c. 20. author illius lib. de Magistratibus Romanis.

s *Vt motis è senatu.*]Suprà in verbo, Senatu.

t *Cuius verba.*]Ex Cicerone lib. 3. de Legibus.

u *Pecunias in ciuitatis ordines.*]Lege, pecunias, æuitates ordines partiunto, ex Cicerone vbi suprà.

x *In Ceritum tabulas.*] Suprà in verbo, Aut in Ceritum tabulas.

y *Qui quidem censores.*] Id totum vsque ad clausul. Obseruatúmque, est Asconij in 1. in Verrem actione, nisi quòd ibi scribitur, equum publicum perderet, quòd hic dicitur venderet, verùm etiam venderet dicit Liuius 3. Decad. lib. 9. item 5. Decad. lib. 5.

z *Obseruatumque.*]Vide suprà in verbo, Notísque.

a *Denique eò dignationis.*] Plutarchus in Catone Censorio, & in T. Q. Flaminio.

b *Nisi viri consulares.*] Dictum est suprà in verbo, Domini eo dignationis.

c *Mores inquirere.*] Suprà in verbo, Circa morum disciplinam.

d *Exceptísque consulibus.*]Hæc vsque ad clausulam, Quæ censura, sunt Trebellij Pollionis in vita Valeriani, vbi tamen non simpliciter de Consulibus, sed de Consulibus ordinariis, nec item simpliciter de Vestalibus, sed de maxima virgine Vestalium.

e *Carthaginensibus.*]Id vsque ad clausulam, Apud Argos, est Probi Æmilij in vita Hamilcaris.

f *Apud Argos.*] Vide in nostris Repertoriis in verbo, Otium.

g *Quod Areopagitæ Athenis.*]Valerius Maximus li. 2. cap. 2. Laërtius autem in Solone tradit ipsum Solonem hanc inter alias legem edidisse. Vt eum, qui sectatur otium omnibus accusare volentibus ius esset, vt scribit Plutarch. in vita illius. Subdit tamen Lysiam in Oratione, quam contra Niciam scripsit, Draconem eam legem scripsisse, Solonem autem tulisse.

h *A Nabathæis.*] Strabo lib. 16.

i *Draconis lege.*]Plutarchus in Solone.

k *Amasis.*] Herodotus in Euterpe. Diodorus autem Siculus lib. 2. c. 3. tradit Ægyptios omnes ex lege, scripta sua nomina ad præsides regionum, & simul quo exercitio viuerent, deferre debere: qua in re si quis mentiretur, aut si iniusto quæstu viueret, in mortis pœnam incidebat, subdítque eam legem à Solone, cùm ad Ægyptios penetrasset ad Athenienses traductam fuisse.

l *Quam legem Solon.*] Herodotus & Diodorus vbi suprà. Plutarch. autem in Solone tradit Theophrastum scripsisse hanc legem, non Solonis, sed Pisistrati fuisse (vide Diodorum lib. 1. cap. 2.) Sed hic addes, quod Lucani otij quoque causas agunt vt Athenienses, vt tradit Nicolaus ἐν ἔθεσι, & ex eo Stobeus Serm. 41. Et Lacedæmonij adeò otium deuitandum putarunt, vt ne quidem deambulationes illis permitterentur. Cuius testimonium præter alia etiam illud est, quòd cùm nunciatum esset eorum Ephoris, eos qui

Deceleiam

dies, pœna affi erretur. Cuius rei causa [m] Massilienses, vates sacrificulos, qui quæstus causa sacra circumferebant, suis oppidis exegere, ne religionis prætextu otium sectarentur & luxum. [n] Quinetiam de paupertate, orbitate & [o] cœlibatu quærere, & contumaces plectere, censorum munus erat. [p] Furius Camillus quum censuram ageret, vt exhaustæ ciuitati propter assiduas bellorum clades, ciues suppeterent, legem de maritandis ordinibus tulit, qua inter cætera, pœnis coercuit illos qui viduarum nuptias, quarum viri bello ceciderant, deuitarent. [q] Eos verò qui ad senectutem cœlibes peruenerant, æra pœnæ nomine ad ærarium ferre iussit. Quam legem Q. etiam [r] Metellus Numidicus iterum in censura promulgauit. [s] Ædes quoque sacras, [t] vias, [u] aquæductus, [x] & loca publica facienda locare, aut aquarum fluxus dare & inhibere poterant, [y] Siquidem Cato Censorius aquam publicam, quæ in priuatas domos & hortos deriuabatur, inhibuit, & [z] porrecta in publicum ædificia demolitus fuit. [a] Vectigalia quoque [b] & portoria noua statuere, & vetera exigenda mandare, illáque [c] publicanis & [d] conductoribus locare non vetabantur. [e] Ea tamen proscribere, nisi Romæ & accito populo, eiúsque placito & assensu, ac publico præcone consulto, [f] & nisi Cal. nd. Martiis, quibus vectigalia locantur, censori facultas non erat. In quo fuit animaduersum, [g] post pauli Æmylij triumphum, quem de omni Macedonia habuit Perse deuicto, vsque ad Hircium & Pansam consules, populum Romanum vectigalium collatione & tributo vacasse. Is enim tantum auri & argenti ex manubiis in ærarium tulit, vt tributorum collationem & onera leuarit. [h] Etiam de ære alieno cognoscere, cēsoriæ potestatis erat. Animaduersum tamen est, de nulla re censores quàm [i] de iureiurādo seuerius iudicare consuesse, [k] quodque posteriores priorum decretis plerunque non stetere, sæpiusq; illa rescin-

Sacrificuli à Massiliensibus eiecti. Lex Camilli de maritandis ordinibus. Cœlibatus mulctatus.

De ære alieno. De iureiurando.

ANNOTATIONES.

Deceleiam tenebant, deambulationibus pomeridianis vti, miserunt ad eos qui dicerent. Ne deambuletis vt genio indulgeatis potius quàm vt corpus exerceatis. Nam oportere Lacedæmonios non deambulationibus, sed exercitiis bonam valetudinem comparare & tueri, vt est author Ælianus de varia historia lib. 2.

m *Massilienses.*] Valerius Max. lib. 2. cap. 1. Massilia, inquit omnibus qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærunt, clausas portas habet, & mendacem & fucosam superstitionem submouendam esse existimans.

n *Quinetiam*] Ad Censores Romanos redit.

o *Et cœlibatu.*] De quo paulò post, sed vide quæ de cœlibatu dicentur infrà lib. 4. 8.

p *Furius Camillus.*] Plutarchus In vita illius post princ.

q *Eos verò qui ad senectutem.*] Valerius Maximus libro 2. cap. 4.

r *Metellus Numidicus.*] Gellius lib. 1. cap. 6. & L. Florus epit. Liuij lib. 59.

s *Ædes quinque sacras.*] Liuius 1. Decad. lib. 9. paulò ante fi. vbi loquitur de C. Iunio Censore. & 3. Decad. libr. 9. ad fin. vbi de M. Liuio & C. Claudio censoribus loquitur, & 4. Decad. lib. 4: & 6. Plutarchus item probl. c. 68.

t *Vias.*] Liuius d. 1. Dec. lib. 9. ad finem, vbi de Appij Claudij, & C. Plantij censura loquitur, & iterum eodem lib. non multò ante fin. vbi de C. Iunio Bubulco Censore loquitur, & 3. Decad. lib. 9. ad fi. & 4. Decad. lib. 8. vbi T. Quintius Flaminius, & M. Claudius Marcellus Censores viam silice sternendam à porta Capena ad templum Martis locauerunt. Et 5. Decad. lib. 1. vbi etiam Q. Fuluius Flaccus, & Aulus Posthumius Albinus Censores vias quoque silice sternendas in vrbe, & glarea extra vrbem substruendas marginandásque primi omnium locauerunt, & alia multa quæ inibi videbis.

u *Aquaductus.*] Liuius eodem illo priori loco. Et vide infrà in verbo, De iureiurando. Adde quoque Cloacas ex Dionysio Halicar. lib. 3.

x *Loca publica.*] Liuius 3. Decad. libr. 7. vbi scribit Cornelium Cethegum, & Sempronium Tuditanum Censores locasse reficienda quæ circa forum incendio consumpta erāt, 7. tabernas, macellum, atrium regium. Et lib. 9 ad fin. vbi M. Liuius, & C. Claudius Censores multa loca publica facienda locauerunt. Et 4 Decad. lib. 8. vbi T. Quintius Flaminius, & M. Claudius substructionem super Æquimelium in Capitolio locauerunt. Et eiusdem lib. 10. Q. Æmilius Lepidus, & M. Fuluius Nobilior Censores postulāt, vt pecuniæ summa sibi, qua in publica opera vterentur, attribueretur, vectigal annuum decretum est. Et 5. Dec. lib. 4. Tiberius Sempronius censor Tabernas coniunctas in publicum emit, basilicámque faciendam curauit, quæ postea Sempronia appellata est.

y *Siquidem Cato Censorius.*] Plutarchus in vita illius. Et Liuius 4. Decad. libr. 9. Aquam, inquit, publicam omnem in priuatum ædificium, aut agrum fluentem ademerunt. Loquitur autem de ipso Catone, & L. Valerio eius collega.

z *Et porrecta in publicum.*] Liuius enim vbi supra proximè ad ea quæ ex eo diximus subdidit. Et quæ in loca publica inædificata, immolitaue priuati habebant, intra dies 30. demoliti sunt.

a *Vectigalia quoque.*] Liuius 3. Decadis libro 9. ad finem. vbi de M. Liuio, & C. Claudio Censoribus loquens: Vectigal nouum ex Salaria annona statuerunt. Id vectigal commentum alterum ex Censoribus satis credebant populo iratum, quòd iniquo iudicio quondam damnatus esset.

b *Et portoria.*] Quod satis constat ex l. in lege Censoria. ff. de verb. sig.

c *Illáque publicanis.*] Liuius 4. Deca. lib. 9. Vectigalia summis prælijs vltrò tributa infimis locauerunt, quas locationes cum senatus precibus & lachrymis victus induci, & de integro locari iussisset, Censores edicto submotis ab hasta qui ludificari priorem locationem erant, omnino paululum eadem imminutis pretiis locauerunt.

d *Et conductoribus.*] Apud Liuium 4. Decad lib. 2. non adeò longè à princ. Scipio Africanus & P. Ælius Petus quædam portiosa fruenda locauerunt.

e *Ea tamen proscribere, nisi Romæ.*] Cicero in 1. Orat. pro Agraria. Censoribus, ait, vectigalia locare, nisi in conspectu pop. Rom.

f *Et nisi Calendis Martij*] His enim Calend. Martiis pensiones rerum locatarum inferri solebant, vt iudicat Scęuola in l. defuncta. in prin. ff. de vsufr. Macrobius autem lib. Saturn. 12. tradit mense Maio vectigalia locari solita, sed & Idibus quoque Iuniis ex Cicerone in Orat. pro Sex. Roscio Amerino. Vide item Solinum c 16.

g *Post Pauli Æmilij triumphum.*] Plutarchus in vita illius. Valerius Max. lib. 4. c. 3 Plinius lib. 33. c. 3.

h *Etiam de ære alieno.*] Valerius Max. lib. 2. c. 4.

i *De iureiurando.*] Suprà in verbo, Aquæductus. Sed adde superioribus sartorum tectorum exigendorum munus quoque proprium Censorium fuisse ex Cicerone, & Asconio Pediano in 1. in Verrem act. & Liuio 3. Dec. lib 9. ad fin. vbi de censura M. Liuij, & C. Claudij loquitur.

k *Quódque posteriores.*] Cicero pro Aulo Cluentio, Censores

Censoria potestas diminuta. derunt & antiquarunt. Post [l] aliquot verò ætates Romani nimiam potestatem esse rati, mucronem censorium multis remediis retuderunt, & ne impunè insolescerent, censuræ extenuatis viribus, grauibus edictis coerciri sunt. [m] Quare P. Clodius in tribunato plebiscito sanxit, ne quem censores notarent, nisi antea legitimè accusatus, & vtriusque censoris iudicio damnatus foret: in tantum, vt Metello censori, quod minus iustè pœnam irrogasset, aqua & igne interdictum fuerit. Dious [n] verò Claudius, dum censuram ageret, nullum nisi sua voce & sine patrocinio vitæ rationem reddere passus fuit. Claraquoque censura fuit [o] Appij Claudij & Claudij Plancij, qui viam Appiam è Roma Brundusium *Censura clari.* strauit, & aquam quæ Appia dicta est, inuehendam curauit. Tametsi C. [p] Gracchum in tribunatu vias perpurgasse, & itinera imperuia muniuisse, singulisque miliaribus lapideas columellas statuisse, & Scaurum [q] Æmylium vsque Sabatios, [r] M. q; Lepidum, & C. Flaminium in consulatu Ariminum vsque, & deinde in Aquileiam, Flaminiam strauisse legamus, Iulius quoque Cæsar commissa sibi Appiæ cura, dum illius refectioni vacat, magnas opes effudisse fertur: quam postea collapsam [s] Augustus sibi muniendam desumpsit, reliquis triumphalibus viris delegatis, quas præcipuis operibus ornarunt. [t] M. verò Æmylius consul pacatis Liguribus, viam à Placentia, vt Flaminiæ committeretur, Ariminum vsque strauit: & [u] Flaccus in censura viam per Formianum montem perduxit. [x] Fuit quoque inter celebres Latina & Valeria, altera vsque Sinuessam, altera ad Marsos. [y] Nam Salaria & Nomen- *Indi.* tana haud multæ longitudinis, per Sabinos constratæ sunt. [z] Indis fuit in vsu, vt per consiliarios purgentur viæ, quibus per dena stadia singulos lapides locare & diuerticula ac distantias adnotare nego- *Athenienses.* tium erat. Athenis verò viarum curatores, vniuersæ ferè ciuitatis administrationem habebant. Magni quoque exempli censura fuit [a] Fabij Gurgitis, qui licet desamatissimus, postea ætate grauis, censuram seuerissimis moribus egit: sicut [b] L. Lentuli, qui repetundarum accusatus, haud multò post censor factus est. [c] Præ cæteris M. Catonis censura apud omnes ordines plus nimio tristis & vehemens *Censoris munus & potestas.* habita est: quare præcipua flagrauit inuidia, quòd inuicto animo esset, & inflexibili. [d] Illud quoque notatum est, solere censores nouos milites, & eos qui supra septimum & decimum annum, equo merere debuissent, nec militassent, ærarios facere. [e] Quare M. Attilij Reguli, & P. Curij Philonis præclata cen-

ANNOTATIONES.

sores, inquit, ipsi sæpenumero superiorum censorum iudiciis (si ista iudicia appellari vultis) non steterunt. Atque etiã ipsi inter se censores tanti esse arbitrantur, vt alter alterius iudicium non modò reprehendat, sed etiam rescindat: vt alter de senatu mouere velit, alter retineat, & ordine amplissimo dignissimum existimet: vt alter in ærarios referri, aut tribu moueri iubeat, alter vetet. Quare quî nobis in mẽtem venit, hæc appellare iudicia, quæ à pop. Rom. rescindi, ab iuratis iudicibus repudiari, à magistratibus negligi, ab his qui eandem potestatem adepti sunt commutari, inter collegas discrepare videatis? Sed & paulò ante in eadem Oratione: Itaque non solùm (iudices) illud ostendam quòd iam videtis populi Rom. suffragiis sæpenumero censorum descriptione esse deletas, verùm etiam iudiciis eorum qui iurati statuere maiore cum religione & diligentia debuerunt. Et alia quoque multa in eam sententiam in ea Oratione scripta reperies.

l *Post aliquot verò ætates.*] Id ipsius Ciceronis est in d. Orat. pro Cluentio. Ne censorium stylum cuius mucronem multis remediis maiores nostri retuderunt, æquè posthac ac illum gladium Dictatorium pertimescamus.

m *Quare P. Clodius.*] Asconius Pedianus in Ora. Ciceronis in Pisonem.

n *Dious verò Claudius.*] Suetonius in vita ipsius. c. 17.

o *Appij Claudij.*] Liuij hæc verba sunt. Dec. lib. 9. Et vide Ciceronẽ in Oratione pro Milone, & Horatium epist. lib. 1. epistol. 6. & 19. & Plinium Secũdum de viris illustribus, c. 34. (Sed hic non Plantij, verùm Plautij scribendum est ex Liuio ibi, & vbique.) Et Pomponium in l. 2. §. post hunc Appius ff. de orig. iur.

p *C. Gracchum.*] Plutarchus in vita illius.

q *Et Scaurum Æmylium.*] Strabo li. 5. vbi & hinc eam viam dictam Æmyliam scribit. Nam & Plinius Secundus. si is est, virorum illustrium, c. 72. scribit ipsum Scaurum censorem viam Æmyliam strauisse.

r *M. que Lepidum, & C. Flaminium.*] Strabo lib. 5. non adeò longè à princ. Liuius 4. Dec. lib. 9. post princ. scribit C. Flaminium consulem, ne in otio militem haberet, viam à Bononia perduxisse Aretium. Et paulò post, M. Æmylius Lepidum eius collegam pacatis Liguribus in agrum Gallicũ exercitum duxisse, viamque à Placentia, vt Flaminiæ committeret, Ariminum perduxisse.

s *Augustus.*] Suetonius in vita illius. c. 30. scribit eum sibi Flaminiam viam desumpsisse Ariminio tenus muniendam, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternẽdas distribuisse. Ex quo intelligis Alexandrum hîc memoria lapsum, & Appiam pro Flaminia Augusto tribuisse.

t *M. verò Æmylius.*] Iam id diximus suprà in verbo, M. que Lepidum.

u *Et Flaccus.*] Liuius. 4. Dec. lib 9. Flaccus, inquit, molem ad Neptunianas aquas, vt iter populo esset, & viam per Formianum montem faciendam locauit. Hic autem fuit L. Valerius Flaccus collega Catonis in censura.

x *Fuit autem inter celebres Latina & Valeria.*] Strabo lib. 5. Præclarissimæ, inquit, sunt viæ, Appia, Latina, Valeria. vna quidem ad mare Latinæ partes separans, vsque Sinuessam protenditur. Altera in Sabinam vsque ad Marsos. Inter has media Latina est, quæ ad Callium oppidum coniungitur Appiæ, &c. Ex quibus intelliges hîc Alexandrum nonnihil aberrasse.

y *Nam salaria.*] De his duabus Strabo eodem lib. 5. sed alibi. Per ipsos via Salaria, non magnæ longitudinis strata est in quam & Nomentana incidit apud Heretum Sabinorum vicum. Et de his quoque diximus suprà libro 2. cap. 18.

z *Indis fuit in vsu.*] Strabo lib. 15.

a *Fabij Gurgitis.*] Macrobius lib. 3. Satur. c. 13.

b *L. Lentuli.*] Valerius Maximus lib. 6. c. 11. in princ. vbi illum non accusatum solùm, sed condemnatum dicit. Sed his adde Getam a Lucio Metello, & Cn. Domitio censoribus senatu motum, postea censorem factum, & M. Valerium Messalam censoria nota perstrictum, postea censoria potestate imperasse, vt vtriusque testis est Valerius Maximus lib. 2. cap. in fin.

c *Præcæteris M. Catoni.*] Plutarchus in vita illius, & Liuius 4. Decad. lib. 9.

d *Illud quoque notatum est.*] Id probat exemplis sequentibus.

e *Quare M. Attilij Reguli.*] Liuius 3. Decad. lib. 4. sed aliter Valerius Max. lib. 2. c. 4.

f Equum

sura numeratur, quòd iuuenum Romanorum duo millia, qui Hannibale Italiam peruastante, quadriennio militiam detrectassent, inter ætarios retulerunt, suffragióque & comitiis priuarunt. Eis quoque qui parùm idoneè militatent, minúsve facerent, [f] equum adimete, [g] illinsque atma & equum vendere: alios ætate & viribus habiles ad militiam cogere, & saeramento adigere, aut [h] equum publicum dare, officij censoris erat: [i] quod à Solone olim constitutum ferunt, qui eadem pœna afficiendum putauit eum qui militare nollet, & qui aciem desereret, quíve in acie timidus & ignauus esset. [k] Etiam equitatum recensere, alios qui legitima stipendia fecissent militia missos facere, aut numeratis stipendiis cum laude missionem date, vel [l] equum defetre illis qui militaria muriera obiuissent: nonnunquam si crimen exposceret, [m] reum capitis agere poterant: quippe [n] M. Fabius censor seuerior & durior, Fabium Buteonem filium futti insimulatum, capitis reum egit, & vltimo affecit supplicio. Et quamuis qui consulatus, dictaturas, & alios gesserant magistratus, ad censuram admitti solerent, [o] plerumque tamen ex ædilitate, qui nec prætor, nec consul fuisset, gradum ad censuram fecisse comperimus, præcipuè quom anteacta vita plena grauitatis foret. [p] Crassus Licinius, qui nec præturam antea, nec consulatum gesserat, ad censuræ honorem ex ædilitate euectus fuit, quam vnà cum pontificatu gessit. Ac licet, ex duobus consulibus altero defuncto, collegæ subrogando haberentur comitia alterque consul in defuncti locum cooptaretur: tamen [q] ex duobus censoribus altero desito, alium subrogari non licebat. [r] Quòd C.Iulio censore mortuo, L. Papyrius Cursor, ne abiret magistratu, M. Cornelium Maluginensem collegam sibi subrogaret, religio inuasit, & piaculare fuit, quia eo lustro à Gallis vrbs capta est, ne in demortui locum censor subrogaretur. Itaque censore vita functo, collegam magistratu abire oportebat. [s] Quamuis Appius Claudius Cæcus, cõtra mores institutáque maiorum, collega se magistratu abdicante, solus censuram gerere non dubitauit. Hoc quoque adnotasse non pigebit, quòd licet omnibus magistratibus circa motum disciplinam censura pręemineret [t] tamen tribunatui plebis & ædilitati illam quandoque cessisse constat. [v] Ideo P. Furio & M. Atilio censoribus, ab Appio Metello tribuno plebis, quòd quæstorem eum proximo anno tribu amouerant, & ætarium fecerant, diem dictam. ipsósque in vincula duci iussisse competimus. [x] Nec minus de P. Sempronio plebis tribuno, qui Appium Claudium cẽsorem, nisi collega intercessisset, in vincla duci iussetat, compertum est: quod profecto non fecisset, si id sibi iure sacrosanctæ potestatis facere non liceret. [y] Quamuis postea consensu senatus res discussa fuerit, ne tribunitio furori censura obnoxia foret. Fertur tamen [z] Domitius Nero, Neronis auus, dum ædilitatem gereret, adeo procax & animi immodicus fuisse, vt L. Plancum censotem via sibi cedere coegerit. Illud quoque non prætericrim, quòd inter opera censoria in primis [a] cibaria anserum, qui peruigilem curam gerunt in Capitolio, quod olim fuere vrbis custodes & imperij, [b] Iouémque miniandum: ex vectigalibus verò [c] lacus Lucrinus eruẽdus boni ominis causa, locari consueuit: quibus cẽsoribus incumbebat locationis leges dicere. [d] Sicut Athenis apodectæ, qui collationibus & vectigalibus præerant, quorum iudicio quicquid controuersiæ erat in publicis collationibus, decernebatur. [e] Quódque cura horologij inter opera cen-

De hoc item lib. 2. c. 13.

Censoris ante consulatum.

Nota Edili hoc.

Appius Claudius solus censuram gessit.

Tribunorum plebis & ædilium in censores potestas.

Neronis in ædilitate procacitas.

Censoria munera præcipua.

Apodectæ.

ANNOTATIONES.

f *Equum adimere.*] Liuius 3.Decad.lib.4.& 9.circa fi.4. item Decad.lib.4.& lib.9.Plutarchus in Paulo Æmylio, Gellius lib.7.cap.vlt.& Valerius Max.lib.2.cap.4.vbi de M.Attilio Regulo, & L.Furio loquitur.

g *Illinsque arma & equum vendere.*] Liuius 3.Dec.lib.9. ad fi & suprà etiam dictum est.

h *Aut equum publicum dare.*] Liuius 4. Decad. lib. 9. Vt ad plebem primo quoque tempore ferrent, vt P.Ebutio emerita stipendia essent, ne inuitus militaret, néve censor ei equum publicum assignaret.

i *Quod à Solone.*] Plutarchus nihil tale in eius vita refert.

k *Etiam equitatum recensere.*] Suprà in verbo, Senatores legere, ex Liuio. Vide Cicer.lib.3.de legibus.

l *Vel equum deferre.*] Vide quæ diximus suprà ex Liuij autoritate in verbo, Aut equum publicum dare.

m *Reum capitis agere.*] Quod demonstrat exemplo sequẽti.

n *M.Fabius.*] Paulus Orosius Historiarum lib.4. cap.12. in fin. Emergit, inquit, hic paululum antiquius ille Romanorum improbæ laudis etiam de Parricidiis appetitus. Nam Fabius censor Fabium Buteonem filium suum furti insimulatum interfecit, dignum se facinus, quod paret vel parricidium plectendum duceret, quòd ne leges quidem, nisi mulcta pecuniæ, aut ad summum exilij circa quemlibet hominum censuerunt.

o *Plerumque tamen.*] Quod constabit satis ex sequenti exemplo.

p *Crassus Licinius.*] Liuius 3.Decad. lib.7. Apud quem etiam reperies eodémque lib.M.Cornelium Cethegum, & Pub. Sempronium Tuditanum, qui nondum consules fuerant, censores fuisse creatos.

q *Tamen ex duobus censoribus.*] Liuius 1.Decad.lib. 5. & iterum lib.5.rursúmque lib.5.& lib.9.in Oratione P.Sempronij Tribuni plebis, Plutarchus autem probl. cap. 50. tradit, quòd altero ex cẽsoribus mortuo, alterum se a magistratu abdicare oportebat. Mortuo enim Liuio Druso collega eius Scaurus Æmylius magistratu se abdicare minimè volebat, donec Tribunorum iussu in carcerem ductus est.

r *Quod C.Iulio.*] Id vsque ad clausulam. Quamuis Appius, est Liuij 1.Decad.lib.9.in Oratione P.Sempronij.

s *Quamuis Appius Claudius.*] Liuius eod.lib.9.

t *Tamen tribunatui plebis.*] Hæc duo confirmat exemplis seq.

u *Ideò P.Furio.*] Liuius 3.Decad. libr. 4. & vide Valerium Max.lib.2.c.4.vbi de his loquitur.

x *Nec minus.*] Liuius 1.Decad.lib. 9.

y *Quamuis postea.*] Ibid.eo.loco.

z *Domitius Nero &c.*] Suetonius in Nerone, c.4.

a *Cibaria anserum.*] Plinius lib.10.cap.22. Plutarchus probl. cap.98.

b *Iouémque.*] Plinius lib 33.c.7. Plutarchus probl.d.c.98.

c *Lacus Lucrinus.*] Festus Pomp.lib.10.ante fi.

d *Sicut Athenis.*] Pollux lib.Onomasticõn 8.

e *Quódque cura.*] Plinius libr.7. cap. 60. Sed & inter opera censoria erat, si quis senatusconsultum curasset fieri ante exortum aut post occasum solis, vt scribit Gellius libr. 14.cap.7.

soria non in postremis erit [f] atque in delectu, censionéve, primi Valerij, Silirini & Btatorij priuilegio honoris nominantur. [g] Quódque hi qui censoria nota antea notati fuere, licet cēsores possent creari & quo minus crearentur, censoria nota minus officiat: tamen hi qui censuram gessissent, quamuis laudabiliter, iterum [h] censores creari, aut ad munus censorium admitti, nullo modo poterant. [i] Idq; e exēplo C. Getæ, qui à L. Metello & Cn Domitio censoribus senatu motus, & ignominia notatus, haud longo post interuallo, oblita memoria dedecoris, & permulsis ciuium animis, ad cēsuram euectus fuit. Illud quoque non ab re fuerit dixisse, [k] Tiberij tempore magnis contentionibus actum in senatu, vt non modò censura, sed reliqui magistratus quinquennales forent, & nisi quinquennio singulo comitia magistratuum fierent, quæ res primum dilata, mox perpetuo silentio obliterata fuit.

Censorem bis eundē creare nō fas erat.

ANNOTATIONES.

f *Atque in delectu*.] Pompeius lib. 10. ad fi. sed pro Silitini illic scribit Saluini in quibusdam codicibus, in aliis Salini. Fuisse autem Romæ Salinos testimonio est Cicero epistol. famil. libr. 10. epist. 10. ad Dolabellam, vbi meminit Salini cuiuspiam. Et Pomponius Iurisconsultus in l. 2. in fi. ff. de orig. iur. dum etiam meminit Salini Iuliani Iurisconsulti, de quo item Spartianus in vita Didij Iuliani in princ. Et Eutropius lib. 8. c. 9. & Salini cuiuspiam Tribuni plebis Appianus lib. 4. bellorum Ciui.

g *Quod hi qui &c*.] Quod statim probat exemplo Getæ, sed cui adde alterum exemplum M. Valerij Messalæ, qui censoria primùm nota perstrictus, tamen censoria potestate postea imperauit, vt testatur Valerius Maximus lib. 2. c. 4. in fin. Sed adde non hos tantùm censores creari, sed & Dictatores, qui omnium summus magistratus. Nihil enim Mamerco Æmylio obfuit censoria animaduersio, qua ante mulctatus fuerat, quin dictator crearetur apud Liuium 1. Dec. lib. 4.

h *Iterum censores*.] Nam apud ipsum Valerium lib. 4. cap. 1. M. Rutilius iterum censor creatus ad côcionem populum vocatum grauissima oratione corripuit, quòd eam potestatem sibi bis contulisset, cuius maiores, quia nimis magna videretur, tempus coarctandum iudicassent. Sed & de eo Plinius Secundus de viris illustribus, c. 32. Iterum, ait, censor fieri noluit, dicens: Non esse ex vsu Reip. eosdem censores sæpius fieri.

i *Idque exemplo C. Getæ*.] Valerius Max. lib. 2. c. 4. ad fin. & ante illum Cicero in Oratione pro Aulo Cluentio.

k *Tiberij tempore*.] Cornelius Tacitus. Adde autem quòd apud Corinthios erat quispiam magistratus quinquennalis apud Apuleium lib. 10. Met. Sed & idem lib. 11. in fi. loquitur de Decurionibus quinquennalibus. & illud adde ad id caput, fuisse & censores in coloniis Romanorum, vt videre est ex Liuio 3. Decad. lib. 9. vbi loquitur de 12. coloniis Latinis, & apud Bithynios ex Plinio lib. epist. 10. epist. 84. quæ incipit, Cautum est. Et quod tradit Seruius lib. 8. Æneid. in eum locum,

Et lustralibus extis. ——

Morem fuisse, vt censores completo lustro, pingues victimas offerrent.

Quid sit appud iureconsultos cœnaculariam exercere, quid catadromus, quid cloaca, quid sphæristerium, & quid hypocausta.

CAPVT XIV.

L. si verò. §. sed si quis ff. de his qui deiec.

IN circulo iurisperitorum mutuò sermocinantium, præsente me, quæsitum est à notæ facúdiæ viro, quid sit cœnaculariam exercere. Siquidem [a] ab Vlpiano, titulo de his qui deiecerunt, dictum fuit: Si quis cœnaculariam exercens, modicum sibi hospitium retinuerit, residuū verò pluribus locauerit, si ex eo cœnaculo deiectum effusúmve quid fuerit, omnes teneri, quum ex mediano cœnaculo deiectum probaretur. Et tametsi nonnulli diuersa sentirent, ancipiti contentione distracti, dixi ego, quantū comminisci potui ex Varronis [b] authoritate, cœnaculum, superiora ædium, [c] ad quę scalis ascenderetur, dici: [d] quę pars inquilinis, & his qui domos conducerent, locabatur. Fuitque moris prisci, vt plerique ex ędibus modicum quid sibi reciperent, superiora verò domus inquilinis locarent. Fuisse enim Romę ędificia frequentia, pluribus cœnaculis constru-

Cœnaculum.

ANNOTATIONES IN CAP. XIV.

a *Ab Vlpiano*.] In l. si verò. §. sed si quis. ff. de his qui deiec. vel effud.

b *Varronis authoritate*.] Lib. 5. de ling. Lati. cuius hæc verba sunt, Vbi cubabant, cubiculum: vbi cœnabant, cœnaculum vocitabant. & statim post, Posteaquam in superiore parte cœnitare cœperunt, superioris domus vniuersa cœnacula dicta. Plautus quoque in Amphytruone. In superiore qui habito cœnaculo. & Paulus Iurecconsultus in l. si duo §. sed si suprà. ff. vti possid. Sed suprà, inquit, ædes quas possideo, cœnaculum sit, sed & cœnaculum fuisse in editiore loco ædium, intelliges ex historia relata à Macrobio lib. 1. Satur. c. 6. ex Verrio Flacco.

c *Ad quæ scalis ascenderetur*.] Id Festi Pompeij est lib. 3. Idque satis probatur ex Vitruuio lib. 2. cap. 8. & Cicerone in Orat. de l. Agraria, & specialius ex Liuio 4. Deca. lib. 9. Cœnaculum super ædes datum est scalas ferentibus in publicum obseruaris. & Apuleio Meta. libr. 9. Méque per scalas complicitis pedibus in superius cœnaculo attracto, &c.

d *Quæ pars inquilinis*.] Vt noster Paulus docet in l. nam salutem. §. vltim. de offic. præf. vigil. vbi ita scribitur, Præterea vt aquam vnusquisque inquilinus in cœnaculo suo habeat, iubetur admonere. Et Iuuenalis satyr. 10. post princip.

—— *Obsidet ædes*

Tota cohors, rarus venit ad cœnacula miles.

Quo quidem significat rarò mitti à Principibus milites interfectorea ad inquilinos & pauperes, qui in cœnaculis conductis habitare solebant. Hincque etiam meritorium cœnaculum, quod scilicet quæstus gratia meretrici locatur, apud Suetonium in Vitellio cap. 7. qui & ipse in Augusto, cap. 45. in princip. scribit ipsum Augustum ex Libertorum cœnaculis Circenses spectasse. De cœnaculis autem fit mentio à nostris Iurisconsultis sæpe præter ea quæ iam citauimus, vt in l. si verò. ff. de his qui deiec. vel effud, & in l. æquissimum. §. item si domus. ff. de vsufru. & quemadmodum quis nota. & in l. si merces. §. si vicino. & in l. habitatores. in princip. & in l. qui insulam. in princip. ff. locati. & in l. saccularij. ff. de extraord. crimi. & in l. si duo §. sed si supra.

cta, edita in altum, quæ postea ab [e] Augusto certa taxata mensura cohibita sunt, multis testimoniis probatur. Cœnaculariámque exercere eum dici, qui eiusmodi negotium agerer, locaréque inquilinis domorum cœnacula consuesset. Græcis verò contrà: nam superiora domus & alta penetralia sibi reci-piebant: ad inferiora autem vestibula, & sub porticu, Homero teste, hospites diuertebant. Censuit ergo Vlpianus, si cœnaculariam exercens, hoc est, eam gerens eiusmodi cœnacula locandi, modi-cum quid ex hospitio sibi retinuerit, residuúmque pluribus locauerit, si ex cuius cœnaculo deiectum quid esset, in notitiam non venit, omnes qui incolerent, vna actione teneri, contráque singulos agere licere: dicique cœnaculariam à cœnaculis, sicut sagariam è sagis, [f] de qua iureconsultus sexto & de-cimo digestorum libro mentionem fecit, quando scilicet saga & id genus vistimenti mercatur quis-piam: quò pluris distrahendo lucrum faciat. [g] Sic camelariam dixere camelorum curationem, & ca-melarios camelorum curatores, quod munus personale est: de quibus apud iureconsultos de muneri-bus fit mentio frequens: & qui vecturis victum quæritabant, [h] vecturam facere dixerunt. Rursus quæ-rebatur quid signent [i] illa Labeonis verba de actionibus empti, dum inquit: Quòd si periculosam rem antea seruus facere consuêrat, vt si per catadromum curreret, vel in cloacam se dimitteret, tuque vē-dito à te seruo id imperasti, quod sine periculo exequi nequibat, censuit Paulus teneri venditorem ob necem damnúmve, siquam in perniciem seruus incurrisset. Quid catadromus & quid esset cloa-ca, quærebatur. [k] Respondi, catadromum decursionem dici, spatiúmve in quo agitarentur præcipiti cursu, ἀπὸ τοῦ δρόμου, per quem seruus currendo, vel in cloacam se demittendo nimirum vitæ peri-culum adibat. Quippe curru vel equi impetu, dum incautius subit, obteri, vel in cloacam mergi pote-rat. [l] Fuisse enim cloacas Romæ in ingentem altitudinem depressas, receptaculum omnium purga-mentorum vrbis, à Prisco Tarquinio primùm, mox à Superbo, & demum interiecto tempore [m] à M. Agrippa profusis sumptibus, & magna mole constructas, authores tradūt: per quas septem amnes qua-si sub vrbe pensili solida structura raperent omnia, & auferrent: ad quas non sine vitæ periculo descē-sus erat. Neque dubium quin seruus vix sine noxa per catadromum currere, vel in cloacas descendere poterat. Tertia fuit quæstio, quid signent illa [n] Vlpiani verba, titulo mandati, quibus Aurelium hospi-ti suo medico mandasse dicit, vt in hortis suis sphæristerium & hypocausta, suæ valetudinis causa, Ra-uennæ construat. Quid esset sphæristerium, & quid hypocausta, ambigebatur. Cúmque censerent ex interpretis authoritate, locum amœnum dici sphæristerium, hypocausta verò subterraneum, & alia imperitissimè: tandem quum certaretur sententiis, ex Plinij [o] & aliorum authoritatibus compertum est, sphæristerium locum fuisse circularem, qui plures capiebat circulos, & spatia variis lusibus di-stincta, à sphærica figura dictum, demulcendi laxandique corporis, & animi remittendi causa, à

Cœnaculariam exercere quid. Cœnacularia. Sagaria. lib. 17 ff. pro socio l. cū duobus. §. quidam. sagariam. Camelaria. Camelarij. Vecturā facere. l. munerū § Camelaria. ff. de muneri. & hono. ſūt verba Pauli allegata per labeo-le. in l. pe-nult. ff. de actio. furti. Catadromus. Cloaca Romana. l. si quis mihi. ff. manda. Sphæristerium.

ANNOTATIONES.

suprà. ff. vti poss. & in aliis quamplurimis locis. Ab hoc au-tem fit cœnacularius, apud Vlpianum in l. solutum. §. planè ff. de pigno. act.

e *Ab Augusto.*] Strabo lib. 5. Quod & ipsum postea fecit Nero, vt refert Sueton. in Neron. c. 39.

f *De qua iurisconsultus.*] In l. procuratoris. §. si plures ff. de tribut. actio. & in l. cùm duobus. §. quidam sagariam. ff. pro socio.

g *Sic camelariam.*] In l. munerum. §. camelaria. aut vt alij le-gunt camelasia, alij verò camelelasia. ff. de mune. & honot. Nebrissensis in Lexico iuris Ciuilis, vtrumque agnoscit. Camelasiam scilicet & camelariam, Budæus in Annotatio-nibus eius loci camelasiam. Vide etiam Alciatum, & Catel. Cottam.

h *Vecturam facere.*] Iisdem verbis vsus est Quintilianus, si is est, in Declamatione 12. cui tit. est, Pasti cadaueris. Classis nostra vecturam facit, & vicinarum ciuitatum copias in-troducit. His autem adde Lintrariā exercere, id est, ex lin-treis quæstum facere in d. l. procuratoris. §. si plures. ff. de tri-butaria actio. Et Furnariam apud Suetonium in Vitellio, capit. 2. & nauiculariam facere apud Tullium in Verrem act. 7. & argentariam facere in ea. act. non semel. & apud Plinium Secundum, si is est, de viris illustribus, ca-pit. 71.

i *Illa Labeonis verba.*] In l. si seruus. quæ est penultim. ff. de act. empt. Cuius verba hæc sunt, Nam si periculosam rem ante venditionem facere solitus est, culpa tua id fa-ctum esse videbitur, puta enim eum seruum fuisse qui per catadromum descendere, aut in cloacam dimitti solitus esset, &c.

k *Respondi, catadromum.*] Hæc dictio peræque valet ac si dicas decursorium. De quo & tu vide Budæum in Anno-tationibus in d. l. si seruus, & Alciatum (vide an de ea re loquatur) Suetonium item in Nerone, & ibi Beroaldum.

l *Fuisse enim cloacas Romæ &c.*] Liuius primæ Decad. lib. 1. non semel, & Plinius lib. 36. c. 15.

m *A M. Agrippa.*] Strabo libr. 5. & Plinius vbi suprà, item Liuius vbi suprà.

n *Illa Vlpiani verba.*] In l. si quis mihi. in fin. ff. manda.

o *Plinij.*] Is in epistolis vtriusque vocabuli mentionem facit. Primum lib. 2. epistol. eius lib. 17. ad Gallum. Adiacet, inquit, vnctuarium hypocaustum. Et paucis interiectis, Nec procul sphæristerium quod calidissimo soli, inclinata iam die occurrit. Rursúmque lib. 5. epist. eius libr. 6. ad Apolli-narem. Cohæret hypocaustum, & si dies nubilus, immisso vapore, solis vicem supplet: Inde Apodyterium, & paulò post, Apodyterio superpositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit. Et de sphæristerio est quoque illud Suetonij in Vespasiano, cap. 20. Valetudine prosperrima vsus est, quamuis ad tuendam eam nihil amplius quàm fauces cæteráque membra sibi-met ad numerum in sphæristerio defricaret. Satis autem constat ex illis locis, præsertim Plinij, locum fuisse in bal-neis, & eum quidem rotundum variis exercitationibus ac-commodatum, præsertim verò ludo pilæ, quam Græ-ci σφαῖραν vocant, vnde σφαίρισις ludus pilæ, σφαιρίζειν, & σφαιρομαχεῖν pila ludere apud Suidam. Et σφαιριστὴς eius lu-di peritus, vel studiosus, cuiusmodi tradit Athenæus Lyco-nem Philosophum peripateticum fuisse, qua etiam dictio-ne vsus est Sidonius Apollinaris. Ecce sphæristarum con-trastantium paria. rursus; Et Sphæristarum se turmalibus constanter immiscuit. Lampridius autem in vita Alexandri non pro loco quo pila luditur, sed pro ipso ludo vsus esse videtur, cum dicit: Post lectionem palæstræ, aut sphæriste-rio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus operam dabat. Et de eo quoque mentionem facit ipse Sidonius epistola-

rum

Trigon. ſummis viris & magnis honoribus functis, intra ædes nonnunquam in thermis extructum. Erant enim loca deambulationi, quieti & curſui, tum luctæ, iaculationi & palæſtræ accommoda. [p] Sicut trigon locus triquetro ſimilis, vbi pila exercebantur & ludo, Græcis frequens erat. In hoc enim ad valetudinem tuendam diuum Veſpaſianum remiſſo à negociis animo membra defricare ſolitum [q] Suetonius memorat: & Alexandrum Seuerum, teſte [r] Lampridio, in ſphæriſterio luctari & currere, ac molliter exerceri accepimus. *Hypocauſta.* [s] Hypocauſta verò cubiculum dici vndique occluſum, in quod aër non admittitur, ſed igne accenſo, feruore atque æſtu vaporat intus, nec foras diffunditur calor, dictum ἀπὸ τοῦ ὑποκαίειν, quod eſt ſuccendere, quaſi vaporarium, quod caloris aſſeruandi cauſa fit. cenſuitque [t] Vlpianus tertio de legatis, *Ligni § lignis. ff. de lega. 3.* quicquid comburendi cauſa, ſiue ad balnæi calefactionem, ſiue ad diætatum hypocauſta paratum foret, ligni appellatione contineri. His enim hypocauſtis propter frigora, quibus maximè obnoxij ſunt, Germanos, & eos qui gelidiſſimam plagam incolunt, ac loca aſſiduo niuis caſu inacceſſa, vti frequenter inſpicimus: in illiſque verſari duro tempore anni, ibique epulari, ac ſeria & iocos agere. Hodiéque huiuſmodi hypocauſta in noſtro orbe, Germanorum more, in dificultate hyemis, ac gelida & niuali die à multis incoli videmus.

ANNOTATIONES.

rum libr... epiſtola item ſecunda.

p *Sicut trigon.*] Apud Martialem lib.4 epig.19.

Seu lentum ceroma teris, tepidúmve trigona,
Siue harpaſta manu puluerulenta rapis.

Et lib.12.epig.83.

Captabit tepidum dextra, læuáque trigonem,
Imputet exceptas vt tibi ſæpe pilas.

Hincque pila trigonalis, de qua extat eiuſdem Martialis apophoretum lib.14.

Si me mobilibus ſcis expulſare ſiniſtris,
Sum tua ſi neſcis, ruſtice redde pilam.

q *Suetonius memorat.*] Loco allegato ſuprà in verbo, Plinij.

r *Teſte Lampridio.*] In eo quoque loco allegato.

s *Hypocauſta verò*] Iam diximus de hypocauſtis illo quoque loco. Sed & Cicero in epiſtolis ad Q. Fratrem lib. 3. epiſt.17. & Vitruuius libr. 5. cap. 10. Silius Italicus libr. 1. ſyl.5.

t *Vlpianus.*] In l.ligni.§.lignis.ff.de leg. 3.

Solere futuras calamitates multo antè ſignis præmonſtrari, & miraculum quo vaſtitas regni Neapolitani prædicta fuit.

CAPVT XV.

SOLERE Deum immortalem quum aliquid diri vel aduerſi immineat, id portentis & prodigiis futurum oſtendere, venturaſque calamitates ſignis, miniſque cœleſtibus præmonſtrare, & ipſi nouimus, & à non contemnendis authoribus relatum accepimus. Quo tempore [a] Tarquinius regno pulſus fuit, ſatis conſtat imminens exitium canem loquutum fuiſſe, ſerpentémque latraſſe, quo portento perniciem & exilium ſibi mox futurum oſtenſum eſt. [b] Crœſo Lydorum regi, quando id concidit regnum, natum filium ſemeſtrem articulatè loquutum, diro & prodigioſo euentu, fatalem calamitatem quæ poſtea ſequuta eſt, præſignaſſe dicitur. [c] Gallis etiam Senonibus ad vrbem properantibus, in noua via vbi Allocutionis poſtea templum fuit, vocem auditam quę Gallos aduentare diceret inter exempla relatum eſt. [d] Sed ne infinitas ſpecies, & nimis vetera ab vltima origine percenſere videar, patrum noſtrorum memoria euidentiſſimis oſtentis, antequam in Pōto Byzātium ab immaniſſimis Turcis terra maríque oppugnaretur, quo excidio quanta calamitas, quantúmque vulnus Chriſtianæ reipublicę illata fuerit, nemo ignorauit: *Viſio belli Turcici.* compertum eſt, apud Comum citerioris Gallię vrbem, vergente ad occaſum die, ingentem canum multitudinem per aëra ferri: póſtque diuerſorum pecorum armenta, ſpecies peditum primò leuis armaturæ, deinde haſtatos ſcutatóſque ſubſequi, equiteſque in turmas diuiſos ingēti inſtructa acie proſequutos, horis ferme tribus imaginem aduentantis exercitus præbuiſſe. Demum corpore procero immanem & formidabilem hominem ſuprà quam dici poteſt, veluti exercitus ductorem, terribili equo inſidentem, proceſſiſſe, aliáque ludibria oculorum per inane apparuiſſe, ingentium malorum prænuncia: donec nocte appetente, viſio omnis illa dilapſa eſt. Quæ oſtenta futurum excidium, cædem & calamitatem, quę poſtea vrgentibus fatis ſequuta ſunt, pręſignaſſe nemo dubitauit. Sed quos nos recenti exemplo experti vidimus, profecto haud minus eſt. *S. Cataldus.* Quum florente fortuna Ferdinandi primi Regis Aragonij, vrbs Neapolitana & regnum, nullis adhuc belli calamitatibus præmeretur, ſatis conſtat Cataldum ſanctum virum, qui ab hinc annis mille pontifex vrbi Tarentinæ præfuit, quémque patronum Tarentini ciues venerantur & colunt, nocte intempeſta miniſtro ſacrorum cuipiam tunc ſacris initiato, & in caſta religione educato, ſemel atque iterum in ſomniis apparuiſſe, ac monuiſſe, vt libellum à ſe conſcriptum, quem in

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

a *TArquinius.*] Liuius 1. Decad. libr. 1. ſcribit tantùm anguem ex columna lignea elapſum, nec aliud quicquam. Et Iulius Obſequens prodigiorum 17. & illud quoque Liuij, & præterea hæc quæ Alexander hîc dicit, retulit.

b *Crœſo Lydorum Regi.*] Plinius lib.11.c.51.

c *Gallis.*] Liuius 1.Decad.lib.5.& alibi dictum eſt, lib. ſcilicet 2.c.18.ad fin.

d *Sed ne infinitas ſpecies.*] Hæc omnia vſque ad fi. ſunt prodigia, quæ circa tempora Alexandri facta ſunt.

abdito loco viuens abdiderat, in quo diuina arcana scripta erant, effodere, & protinus ad Regem deferri curaret, qui quum parum fidei somnio dedisset, eadem sibi per quietem sæpius obseruata specie, quum primo diluculo solus moraretur in templo, ipsum Cataldum qualis erat olim dum in vita ageret, pontificia veste & infula amictum, eidē ministro planè vigilanti apparuisse, & prædixisse, vt postera luce quum primum posset, libellum à se conscriptum, in abdito loco quem in somniis prædixerat, conditum, effodere & Regi deferre ne cunctaretur, pœnam, nisi fieret, grauiter comminatus. Posterà luce solemni pompa ministrum cum populi comitatu ad latebram, in qua longissimo æuo libellus latuerat, processisse: eumque plumbeis tabellis obsignatum, & clauis obseratum inuenisse, satis constat. In eo certum est, futurum regni excidium, miserias, calamitates, & luctuosa tempora, atque instātia mala quæ postea sequuta sunt, Regi prædixisse. Id quòd experimēto docti, magna mercede persolutum vidimus: Siquidem tanta vis diuinæ prædictionis fuit, vt haud multo pòst, ipsum Ferdinandum seu deum ira, seu fato insuperabili, quod vitari non potuit, in primo belli apparatu è vita cōsset excessisse, Carolúmque Gallorum Regem ingenti coacta manu, innumeris copiis Neapolitanū omne regnum inuasisse: Alfonsúmque Ferdinandi primogenitum, post patris obitum vix regno assumptum, regno orbatum, turpi fuga velut in exilio diem suum obiisse. Mox ipsius filium Ferdinandum iuniorem summæ spei adolescentem, miri erga omnes studij & fauoris, cui rursus regnum debebatur, misero & fatali bello implicitū: in ipso ætatis flore immatura morte præuentum, occubuisse. Postea Gallos & Hispanos communicato imperio, & æquato regni iure, fugato Frederico altero prioris Ferdinandi filio, qui mox regno successerat: admotis hostiliter legionibus, & ampliore exercitu, denuò regnum inuasisse, sacra prophanáque occupasse, bonorum direptiones fecisse: vrbes, villas, vicósque omni belli clade peruastatos, multa fœda & indigna passos. Oppida quoque & municipia cædibus & rāpinis plena, prouinciásque hostilem in modum conquassatas, & in extremum discrimen adductas, incendiis & stupris, ac siquid vltra malorum est patuisse, eundémque Regem nondum functum fatalibus malis, post euersam domum, & tot vrbium clades, cum coniuge & liberis regno depulsum, domo & fortunis relictis, in inimicorum manu supplicem venisse, ibíque morbo & tabe confectum, è vita tandem excessisse: donec ad hæc tempora, in quibus formidare non desinimus, & an satis piamenti & pœnarum adhuc pensum sit ignoramus, peruentum est.

Qui duumuiri, triumuiri, quartumuiri, quinqueuiri, septumuiri, decemuiri, quindecimuiri, & centumuiri fuerint.

CAPVT XVI.

Duumuiri.

DVVMVIROS [a] sacris faciundis, qui carminum Sibyllæ & fatorum populi Romani, placandæque & auertendæ deûm iræ, antistites erant: quique quoties prodigia nunciarentur, adiri solebant: à principio binos fuisse accepimus, à Tarquinio institutos, quorum alterum [b] M. Attilium, quòd arcana Sibyllæ promulgare & palam facere ausus fuerat, velut parricidam insutum culeo, proiecit in mare. Lapsis deinde temporibus, [c] à Sextio & Licinio tribunis plebis cautum fuit, vt pro duumuiris sacrorum decemuiri crearentur, quinque patrum, quinque plebis: mansitque hic numerus [d] ad Cornelium ferè Syllam, quo tempore quin-

Decemuiri.

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

a *DVumuiros sacris faciundis.*] Id principium est Liuij 1. Decad. libr. 10. in Oratione P. Decij Muris, sed qui loquitur de decemuiris, his verbis, Decemuiros sacris faciundis, carminum Sibyllæ, ac fatorum populi huius interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri, cæremoniarúmque aliarum plebeios vidimus, nec tum patriciis vlla iniuria facta est, cùm duumuiris sacris faciundis adiectus est propter plebeios numerus. Sed & præterea quantum ad libros Sibyllinos Liuius eiusdem 1. Decad. libr. 3. vbi post multa prodigia relata, Libri, inquit, per Duumuiros sacrorum aditi, & lib. 5. in Tribunatu Mi-itum, T. Titinij, & P. Menenij Rutilij & collegarum, & Dionysius Halicarn. lib. 4.

b *M. Attilium.*] Tullium legendum videretur ex Valerio Maximo lib. 1. cap. 1. Cuius hęc verba sunt, Tarquinius Rex M. Tullium Duumuirum, quòd librum, secreta ciuilium sacrorum continentem custodiæ suæ commissum corruptus patrono Sabino, describendum dedisset, culeo insutum in mari abiici iussit. Idque supplicij genus nec multò post parricidis lege irrogatum est iustissimè quidem, quia pari vindicta parentum & Deorum violatio expianda est. Verùm Dionysius Halicarnasseus eandem historiam referens libr. 4. illum M. Attalium appellat.

c *A Sext. & c.*] Liuius 1. Decad. libr. 6. non vno in loco, & de his decemuiris idem Liuius eiusdem 1. Decad. lib. 10. in Oratione P. Decij Muris, & 3. Decad. lib. 1. post princ. & iterum lib. 5. 6. & alibi sæpe.

d *Ad Cornelium.*] Seruius aliter libro 6. Æneid. in eo loco,

— Lectósque sacrabo
Alma viros. —

Nempe duos fuisse primùm horum librorum Sibyllinorum custodes, deinde decem, inde quindecim vsque ad tempora Syllana, posteà creuit numerus. Nam sexaginta fuerunt, sed remansit in his quindecim virorum vocabulum. Et de his quindecim viris Horatius loquitur de ludis secularibus,

Quæque Auentinum tenet, Algidúmque
Quindecim Diana preces virorum
Curet. —

Et Papinius,

Solemus prece quindecim virorum.

Et Ausonius in Gryppo ternarij numeri,

Quos Ter quinorum seruat cultura virorum.

Liuius 5. Dec. lib. 1. vbi de Tib. Sempronio, E longo quindecimuiro sacrorum. Valerius Maximus lib. 1. c. 1. non multò post princ. Cornelius Tacitus lib. 3. & lib. 5. vbi de Caninio Gallo quindecimuiro. item libr. 11. c. 15. Suetonius in Cæsare, cap. 79. Plinius lib. 28. cap. 2. Gellius lib. 1. cap. 19. in fin. Ælius Lampridius in vita Alexandri Seueri, Lactantius

ex Fe

decimuiti, qui [e] sacris faciundis, [f] supplicationibus [g] & lectisterniis præessent, [h] quique placamenta deûm [i] & expiationes edíscerent, [k] officiáque cæremoniarum exequerentur, [l] librorúmque & carminum Sibyllæ curam agerent, primùm creati sunt. Qui quidem libri [m] à Tarquinio superbo ære magno coempti, ad Cornelium vsque Syllam mansere incolumes, tunc enim [n] incenso Capitolio, quum omnia perflagrarent, ipsi pariter absumpti fuere. Siti enim erant in Capitolini Iouis templo, [o] in arca lapidea, loco subterraneo, magna cura studióque seruati. Tametsi ad Augusti tēpora superfuisse, eósque sub palatini Apollinis basi conditos stetisse, [p] Suetonius author sit, [q] vbi vnà cum [r] Martiorum carminibus, & [s] Bagoes nymphæ, quæ Thuscis artem scripserat fulguritarum, seruabantur. Eam verò Sibyllam putant Erythræam, cui nomen Herophila. Alij post Herophilam [t] Erythræam vixisse arbitrati sunt, quæ mulierum prima cecinit oracula. Fuit enim Alexandri tēpore. Nam Delphicam ante Troiana bella vaticinatam, & pleraque Homerum operi suo carmina accommodasse ferunt. Alij Cumanam, quæ [v] Amalthæa dicta est, dicūt fuisse. Præter quas fuere vaticinio insignes mulieres, vna [x] Athenais nomine, [y] apud Hebræos Sabba, [z] apud Chaones Phaennis, [a] Dodoneis Pellæ, licet Sibyllarum nomen non assequutæ: [b] Nam Sibyllarum quatuor præcipuè nomen vendicarunt, Erythræa, Samia, Ægyptia, & Sardiana: quibus postea adiectæ, Iudæa Cumęáque: quę mente concita & numine afflatæ euentorum consequentiam carminibus prædixere Eratque mos vaticinandi, [c] vt ex primis litteris cuiusque versus vaticinium connecterent: quod Plautum & Ennium in quibusdam versibus fecisse memorant. [d] Quibus postea libris Gabinius, M. Octacilius, & Lucius Valerius legati ex consulto senatus Erithras prof. cti, mille versus eiusdam Erithrææ summa cura conquisitos, in eodem sacrario collocarunt qui vnà religiosè culti concelebratique sunt. [e] Mox Augustus, incenso Capitolio, bello sociali dato sacerdotibus negotio, per omnem Samum, Ilium, & Erythras, Africam, Siciliam & Italiam conquiri omnia Sibyllæ carmina, & quantum humana ope fieri posset, vera discerni & interpretari iussit Et demum quum de libro Sibyllæ relatum ad patres fuisset, quem [f] Caninius Gallus recipi inter cæteros eiusdem vatis iusserat, summa ope Tiberius restitit, & ne reciperetur effecit. [g] Et quamuis decemuiris sacrorum alij superadditi sint, ita vt ad sexaginta excreuisse dicantur, semper tamen quindecim viri dicti nominatique sunt. Creabat enim eos senatus, [h] vel, quando oportere videbatur, consul. Quin etiam ex scito plebis, duumuiros populum creasse, plerumque compertum est: [i] qui nisi patritij essent, in numero eligi nequibant, & nisi post obitum, aliam mutari aut cooptari non

Quindecimuiri. Sibyllæ libri.

Athenais. Sabba. Phaennis. Dodoneis.

ANNOTATIONES.

ex Fenestella libr. 1. c. 6. Et hinc quindecimuirale sacerdotium Tacito d. libr. 11. 15. & 16. De aliis autem (ni fallor) quindecimuiris Plinius lib. 7. cap. 43. vbi loquitur de L. Metello pontifice quindecimuiro agris dandis.

e *Sacris faciundis.*] Apuleius Apolog. 1. Quindecimuiri sacris faciundis creati, & alij sæpe quorum multos in hoc capite citabimus.

f *Supplicationibus.*] Plinius lib. 28 c. 2.

g *Et lectisterniis.*] Liuius 1. Decad. libr. 5. cuius verba adferemus infra in verbo, Et obsecrationes.

f *Quique placamenta deûm.*] } Ibid.
g *Et expiationes.*]

k *Officiáque caremoniarum.*] Tacitus lib. 11.

l *Librorúmque.*] Tacitus lib. 5. & Suetonius in Iulio Cæsare, dum de L. Cotta quindecimuiro loquitur. Lactantius authoritate Varronis lib. 1. c. 6.

m *A Tarquinio.*] Plinius lib. 13. c. 13. Gellius lib. 1. cap. 19. Solinius cap. 8. Lactantius lib. 1. cap. 6. qui id tamen non tribuit Tarquinio superbo, sed Prisco. Seruius lib. 6. Æneid. in eum locum,

Hic ego námque tuas sorteis.

n *Incenso Capitolio.*] Plinius & Solinus vbi supra citati.

o *In arca lapidea.*] Credo hic lapsum fuisse Alexandrum, neque enim aliquid tale reperitur de libris Sibyllinis, verū de libris Numæ Pompilij apud Liuium 4. Decad. libr. 10. & Plinium lib. 13. c. item 13. Et de ossibus Sibyllę Cumeæ quæ in lapidea vrna in templo Apollinis recondita demonstrāt Cumani, vt scribit Pausanias lib. 10. qui de Phocaicis est.

p *Suetonius.*] In vita ipsius Augusti, c. 31.

q *Vbi vnà &c.*] Seruius in lib. 6. Æn. vbi suprà.

r *Martiorum.*] De quibus omnino vide Liuium 3. Dec. lib. 5. & de his quoque Seruius in eo. loco.

s *Bagoes.*] Lege Begoes ex Seruio libr. 6. Æn. vbi suprà, à quo hic locus est depromptus.

t *Erythream.*] Vide Seruium ibid. Et Varronem in libris rerum diuinarum, vbi hanc inter decem Sibyllas recenset.

u *Amalthea.*] Vide Seruium vbi suprà. hanc enim Tarquinio obtulisse hos libros, ac ingentem summam pecuniæ postulasse pro ipsis libris, testatur in eod. loco Seruius.

x *Athenais.*] Strabo lib. 14. & 17.

y *Apud Hebræos Sabba.*] Pausanias lib. 10. Iustinus libr. 36. 3 Reg. 10. Paralip. 2. c. 9. Matt. 12. Luc. 11.

z *Apud Chaones Phaennis.*] Pausanias lib. 10. & Tzetzes Historiarum Chil. 9. c. 288. Eiúsque meminit Politianus.

a *Dodoneis Pella.*] Id quoque Pausaniæ est libr. 10. vbi tradit Peleas apud Dodoneos fuisse, quas columbas fuisse fabulati sunt, & eas quoque vaticinatas esse: nec tamen Sibyllas vocatas fuisse.

b *Nam Sibyllarum.*] Vide omnino quæ scripsimus in nostris legibus Connubial. de Sibyllis, l. 11. inter doctas fæminas, & quæ ibi à nobis citata sunt.

c *Vt ex, &c.*] Hæc sunt Ciceronis libr. 2. de Diuinatione, cuius hæc verba sunt, Tum verò quæ acrostichus dicitur, cùm deinceps ex primis versuum litteris aliquid connectitur, vt in quibusdam Ennianis quos Ennius fecit, id sanè magis attenti animi quàm furentis. Atqui in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiæ primis litteris illius sententiæ carmen omne prætexitur. Vide autem Gyraldum in histo. poëtarum pag. 241.

d *Quibus postea libris.*] Ex Lactantio lib. 1. c. 6. & iterum in lib. de ira Dei, c. 22. authoritate Varronis & aliorum. Item Fenestella.

e *Mox Augustus.*] Suetonius in vita illius, c. 31. & Cornelius Tacitus lib. 5.

f *Caninius Gallus.*] Cornelius Tacitus eodem lib. 5.

g *Et quamuis.*] Id iam suprà dictum est in, verbo, Ad Cornelium fere Syllam. ex Seruio lib. 6. Æneid.

h *Vel quando.*] Notandum tamen quòd iussu senatus M. Iunius prætor vrbis, decemuiros creauit, vt veteranis Scipionis militibus agrum metirentur ac diuiderent. teste Liuio 4. Decad. lib. 1.

i *Qui nisi &c.*] Seruius vbi suprà sæpissimè, & colligi etiam potest ex Paulo Iurisc͞o sulto in l. honores. § is qui. ff. de Decurio. Is qui non sit Decurio Duumuiratu, vel aliis hono-

ribus

decebat, ab omníque vrbano munere & belli cura immunes erant [k] Hi ergo & sacras [l] ædes dedicabant, & [m] obsecrationes expiationésq; ad placandas auertendásq; deorum iras procurabant. [n] Tum si tetra prodigia nunciarentur, aut monstra in dubiis reipub. casibus, iussu senatus ad libros tanquam adytum adibant, illorúmque iussu quæ decreta erant aut præscripta, velut ex oraculo monita, fiebant. [o] Etiam lectisternia curare, & ex præscripto librorum, ludis Apollinaribus aut secularibus præesse, templa dedicare, ludos celebrare, vota concipere, supplicationibus sacrificiísque solennibus præfici solebant. Præter quos fuere duumuiri, quibus hoc munus incumbebat, [p] vt sacras ædes dicarent authore senatu, [q] aut facerent, [r] faciendásve locarent, aut reficerent. Hos quoque ex scito plebis nonnunquam à consule, [s] sæpe à prætore creatos comperimus: eóque absoluto negotio, ab iniuncti muneris cura quiescebant [t] Et duumuiri municipiorum, [u] & alij nauales, quibus naualium populi Romani, quotiésque instrui classem vel refici oportebat, vtque naualibus sociis implerentur, commeatúque & armamentis instruerentur, negotium dabatur, necnon aquæductuum deriuandarúmque aquarum, [x] coloniæq; deducendæ qui curam agerent, quique id muneris exequerentur, sæpe duumuiros fuisse comperimus, [y] Et alios capitales, qui perduellionis diem ad populum dicerent, & in facinorosos animaduerterent, à principio originum creatos. [z] Diem verò perduellionis ad populum dicere, erat aliquem capitis accusare, vel mortis pœna reum agere. Hos quoque leuiori pœna coercere, vel fustibus cædere posse: aut in carcerem duci iubere, nulla cõtrouersia est. Præter hos fuere [a] trium-

Duumuirorum munus.

Duumuiri electi. A plebe. A consule. A prætore. Duumuiri municipiorum & naualis. Capitales duumuiri. Diem perduellionis dicere ad populum.

ANNOTATIONES.

ribus fungi non potest: quis Decurionum honoribus plebeij fungi prohibentur.

k *Hi ergo &c.*] Scilicet Duumuiri, vt constat ex sequentibus.

l *Sacras ædes dedic.*] Liuius 1. Decad. lib. 5. Eodem anno ædes Martis Gallico bello vota dedicata est, à T. Quintio Duumuiro sacris faciundis. Et 3. Deca. lib. 2. In religionem etiam venit ædem Concordiæ, quam per seditionem militarem biennio ante L. Manilius prætor in Gallia vouisset, locatam ad id tempus non esse. Itaque Duomuiri ad eam rem creati ab Æmylio prætore vrbis. Et postea eiusdem 3. Decad. lib. item 3. Duumuiri creati ædem Concordiæ dedicauerunt. Et sæpe aliàs, ve dicetur infrà in verbo, vt sacras ædes dicarent.

m *Et obsecrationes*] Liuius 1. Decad. lib 5. Grauis pestilénsque omnibus æstas excepit, cuius insanabili pernicie: quando nec causa, nec finis inueniebatur, libri Sibyllini ex S.C. aditi sunt Duumuiri sacris faciundis lectisternio tum primò in vrbe Romana facto per dies octo, &c.

n *Tum si tetra prodigia.*] Id infinitum est apud Liuium, quo vnum aut alterum locum demonstrasse sufficiet, vt 1. Decad. lib. 5. sub. L. Titinio & P. Menenio Rutilio, & aliis tribunis militum, item 3. Decad. lib. 1. paulò ante fi.

o *Etiam lectisternia curare.*] Ex Liuio suprà in verbo, Et obsecrationes.

p *Vt sacras.*] Suprà id dictum est in verbo, Sacras ædes. sed quibus addere potes Liuium 1. Decad. lib. 2. vbi de dedicatione ædis Castoris. & 3. Decad. lib. 3. vbi de ædibus Mentis & Veneris Erycinæ, & 4. Decad. lib. 4. vbi de dedicatione Fortunæ Primigeniæ loquitur.

q *Aut facerent.*] Liuius. 1. Dec. li. 7. vbi creati sunt Duumuiri ad ædem Iunoni Monetæ faciendam.

r *Faciendásue locarent.*] Liuius 3. Decad. lib. 2, cuius verba adducta sunt suprà in verbo, Sacras ædes dedicabant.

s *Sæpe à prætore.*] Iam suprà dictum est ex Liuio 3. Decad. lib. 2. Duumuiros ab Æmylio prætore vrbis creatos.

t *Duumuiri municipiorum.*] Nam & hos fuisse per Latina oppida constat ex Ælio Spartiano in Adriano. Apuleius autem Apolog. 1. dicit patrem suum in suo oppido Duumuiralem cunctis honoribus loco principis fuisse perfunctum. Et hoc quoque colligi potest ex loco Pauli Iurisconsulti in l. honores. §. is qui non sit ff. de Decor. quem suprà citauimus, & in l. in honorariis §. vlt ff. de act. & obl. In Duumuiros & in tempubl. etiam post annum actio datur ex contractu magistratuum municipalium. Et Vlpiani in l. 1. ff. de alb. scrib. vt scribantur eo ordine, quo quisque eorum maximo honore in municipio functus est, veputa qui Duumuiratum gesserunt, &c. Et in l. 4. §. si fortè, iuncto §. præcedenti. ff. de damn. Infect. & Papiniani in l. vlt. in princ. ff. ad municip. & Imperator in l. vlti. ibi Duumuiros municipales. C. de iud. & in l. 1. C. de em. lib. & in l. duumuiris. C de decur. lib. 10. & in l. si ita. C. quo quis ord. con. lib. 11. Spartianus autem scribit in Adriano ipsum Duumuirum fuisse per Latina oppida, & de Duumuiratu Viennensium Plin. li. 4. epist. epist. 22. ad Sempronium. Et de his quoq; intelligit, vt opinor, ipse Vlpianus in l. 1. in prin. ff. si quis ius dicens. nõ obtem. vbi Alberi. multùm laborat in declaratione huius magistratus, & in l. iniuriarum. §. si quis. ff. de iniur. & in l. si quis vxori. §. si fugitiuum. ff. de furt.

u *Et alij nauales.*] Liuius 1. Decad. lib. 5. vbi de C. Furio Duumuiro nauali. Rursúsque eodem lib. Tumultus, inquit, eius causa Duumuirum nauales cùm classe Pisas ire iussit. & lib. 9. Alterum, vt Duumuiros nauales classis ornandæ reficiendæque causa populus iuberet, & 4. Decad. li. 10. non semel, vbi loquitur de L. Cornelio Dolabella Duumuiro nauali, & 5. Decad. lib. 1. in princ.

x *Coloniæq; deducendæ.*] Sæpius tamen ea cura triumuiris mandabatur, vt postea dicetur.

y *Et alios capitales.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. In historia Horatij qui sororem interemit, & lib. 6. vbi de accusatione & dãnatione Manlij Capitolini. & Vlpianus in l. si quis vxori. §. si fugit. ff. de furt. vbi ita scribitur. Si fugitiuum meũ quis quasi suum à Duumuiris, vel ab aliis qui potestatem habent de carcere, vel custodia dimittere acceperit, &c.

z *Diem verò perduellionis.* Vide l. vlt. ff. ad leg. Iul. ma: & ibi Budæum in suis Annotationibus.

a *Triumuiri etiã capitales.*] De his Plautus in Amphitryone

Quid si nunc tresviri me in carcerem compingerent?

Cicero in lib. de Oratore. Planéque duorum virorum iudicium, aut triumuirorum capitalium, aut decemuirorum litibus iudicãdis dico nunquam. Et alio quoque loco quem infrà adferam, cùm de Monetalibus loquar. Et in Orat. pro Cluentio Habito, vbi de Q. Manlio triumuiro. Varro de ling. Lat. lib. 1. Quæstores a quærendo, qui conquirerent publicas pecunias & maleficia, quæ Triumuiri capitales nunc conquirunt. Salustius in Catilinario. Triumuirósque ad supplicium postulabat. Horatius Epod. Ode 4.

Sectus flagellis hic triumuiralibus.
Præconis ad fastidium.——

Liuius 3. Decad. lib. 5. post princ. Asconius Pedianus in 1. in Verrem act. vbi dicit hos apud columnam Meuiam reos punire solitos. Plin. item lib. 21. cap. 3. & Pomponius Iurisconsultus in l. 2. §. eod. temp. ff. de orig. iur. vbi ita scribitur, Triumuiri capitales, qui carceris custodiam haberent, vt cùm animaduerti oporteret, eorum interuentu fieret. Et Valerius Maximus libro 5. cap. 4. Sanguinis, inquit, ingenui mulierem prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatam triumuiro in carcere necandam tradidit.

Triumuiri capitales. Præfectus vigilum. Triumuiri conquirendæ pecuniæ causa creati. Triumuiri legendæ iuuentutis & militiæ idoneorũ. Triumuiri sacris requirendis & ædibus reficiendis. Triumuiri recognoscendis turmis equitum.

uiri etiam capitales, postquam [b] Curius Dentatus de Samnitibus triumphauit, tunc primùm Romæ creati, qui de criminibus pariter cognoscerent, & in facinorosos siquid scelere & perfidia deliquissent, animaduerterent: [c] qui vigilias per vrbem disponere, & ne quid nocturni cœtus fierent, obseruare: neu qui molitores nouarum rerum hostilia auderent, prospicere debebant: [d] quæ cura, lapsis temporibus, ad præfectum vigilum translata est. [e] His quoque vt carceribus Latomiarum intentior cura ageretur, carcerisque custodiam haberent, vtque neci destinatis mensa laniona, machæra, & supplicij instrumenta præsto forent, cura procuratióque impendebant: vt quum in reos animaduerti oporteret, ipsorum interuentu fieret. Qui tametsi facinorosos capitis agere & punire possent, [f] virgines tamen, aut immaturas puellas, licet maximorum criminum reas, & pœnæ capitali obnoxias, triumuirali iudicio afficere non poterant: quorum cura consilióque [g] non modo incendia, sed coniurationes clandestinæ, & intestina vrbis mala sæpe depulsa sunt. Nec me præterit, post Cannensem cladem, propter ingruentem ærarij & militum inopiam, [h] triumuiros conquirendæ pecuniæ [i] monetales seu [k] mensarios creatos fuisse, æris, argenti, atque auri flatores: quorum munus erat, numismata probi auri & argenti, iustique ponderis examinare: [l] & alios legendæ iuuentutis, qui militiæ idoneos per oppida conquisitos adscriberent: quod quidem ingruente bellorum tumultu sæpe fieri animaduertimus. [m] Quo enim tempore ad Cannas magna clade pugnatum est, consternata republ. triumuiris datum negotium fuit, vt non ingenuos modò, sed seruos ære coemptos, & mancipia ad quatuor & viginti millia sacramento adigerent. [n] Etiam sacris requirendis, [o] & ædibus reficiendis, quandoque triumuiros præfuisse accepimus, [p] sicut reipublicæ constituendæ, [q] & legendi senatus: aliósque recognoscendi turmas equitum cum fide curáque, [r] ab Augusto institutos, [s] plerumque assignando agro [t] in coloniis & municipiis [u] quique vigilias circuirent, & incendiis occurrerent, [x] qui nocturni appellati, quòd noctu per vrbem excubias agerent, triumuiros creari animaduer-

ANNOTATIONES.

Et lib. 6. cap. 1 vbi de L. Fescennio, & lib. 8. c. 1. vbi de Alexandro seruo Fannij. Corn. Tacitus in vita Agricolæ scribit sæuitum fuisse in Aurelium Rusticum & Senecionem, & in libros eorum delegato Triumuiris ministerio, vt monumenta clarissimorum virorum in foro exurerentur. Et de his fortè intelligit Ouid. de se loquens, lib. 4. Trist. eleg. 9. eadémque vlt.

> *Cepimus & teneræ primos ætatis honores,*
> *Deq; viris quondam pars tribus vna fui.*

b *Curius.*] Iulius Florus epitome Liuij lib. 11. non continenter quidem, sed paucis quibusdam interiectis.

c *Qui vigilias.*] Liuius 4. Decad. lib. 9. Triumuiris capitalibus mandatum est, vt vigilias disponerent per vrbem, seruaréntque ne qui nocturni cœtus fierent, vtque ab incendiis caueretur. Et vide infrà in verbo, Non modo incendia.

d *Quæ cura.*] Vt videre licet ex toto prope tit. ff. de offic. præfect. vig.

e *His quoque.*] Id est Triumuiris capitalibus ex Liuio 4. Decad. lib. 2. Triumuiri carceris Latomiarum intentiorem custodiam habere iussi. Iterúmque lib. 6. & suprà quoque in verbo, Triumuiri etiam capitales. docuimus nostri Iurisconsulti Pauli verbis hos carceris custodiam habuisse, vt cùm animaduerti oporteret, ipsorum interuentu fieret. quibus verbis Alexander hîc vtitur.

f *Virgines tamen.*] Tacitus lib. 5. Tradunt eius temporis authores, quia triumuirali supplicio affici virginem inauditum habebatur, à carnifice laqueum iuxta, compressam, exin oblisis faucibus id ætatis corpora in Gemonias abiecta: loquitur autem de puella Seiani filia. De qua re etiam loquens, sed aliter Suetonius in Tiberio, cap. 61. Nemo punitorum & non in Gemonias abiectus, vncóque tractus viginti vno die abiecti, inter eos pueri & fœminæ, immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius à carnifice, deinde strangulatæ.

g *Non modo.*] De qua re suprà in verbo, Qui vigilias ex Liuio, sed cui adde Valerium Maxi. lib. 8. c. 1. & Paulum in l. 1. ff. de offic. præfect. vig.

h *Triumuiros.*] Hoc accepisse videtur ex Varrone lib. 4. ling. Lat. cuius verba posuimus suprà in verbo, Triumuiri etiam capitales.

i *Monetales.*] Ita enim eos appellat Pomponius in l. 2. §. eo. temporis. Triumuiri, inquit, monetales æris, argenti, auri flatores. Et ad hos alludere videtur Cicero epist. fam. lib. 7. epist. 13. ad Trebatium. Treuiros, inquiens, vites, censeo: audio capitales esse. mallem auro, argento, ære esset, sed aliàs iocabimur.

k *Seu mensarios.*] Et ita eos quoque vocat Liuius 3. Dec. lib. item 3. Et Romæ, inquit, propter penuriam argenti Triumuiri mẽsarij rogatione Minutij Tribuni plebis facti. & lib. 4. Accersitósque se ab Triumuiris mensariis esse dixerunt & lib. 6. Cæterùm omne aurum, argẽtum, æs signatum ad Triumuiros mensarios extemplò deferamus. Sed & quinque viros mensarios dictos legimus. vt postea dicetur.

l *Et alios legendæ.*] Liuius 3. Decad. lib. 5. Senatus Triumuiros binos creari iussit, alteros qui citra, alteros qui vltra quinquagesimum lapidem in plateis forísque & in conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent: & si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondũ ætate militari essent, milites facerent, & paulò post, Ex hoc senatusconsulto creati triumuiri bini conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt.

m *Quo enim tempore.*] Valerius Maximus libro 7. cap. 6. in princ.

n *Etiam sacris.*] Liuius 3. Decad. lib. 5. Creati sunt Triumuiri bini, vni sacris conquirendis, donísque persignandis.

o *Et ædibus.*] Nam & Liuius ad ea quæ proximè ex eo adduximus, confestim subdit, Alteri reficiendis ædibus Fortunæ & Matris Matutæ intra portam Carmentalem, sed Spei extra portam, quæ priore anno incendio consumptæ fuerant.

p *Sicut reipub.*] Gellius libr. 14 cap. 7. authoritate Varronis tradit, Triumuiros reipubl constituendæ causa creatos ius consulendi senatus habuisse.

q *Et legendi.*] Nam & Augustus Triumuiratum legendi senatus creauit, vt scribit Suetonius in vita ipsius. cap. 37.

r *Ab Augusto.*] Vbi nuper citauimus.

s *Plerumque.*] Vide infrà in verbo, Ager dandus &c.

t *In coloniis.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. post princ. & iterum ad fin. rursúmque. lib. 4. & 4. Decad. lib. item 4. & lib. 10. ad fi. & 5. Decad. lib. 1. & alibi sæpe.

u *Quiq; vigilias.*] Valer. Maxi. lib. 8. cap. 1. P. Bilius Triumuir nocturnus à P. Aquilio Tribuno plebis accusatus, populi iudicio concidit, quia vigilias negligentius circumierat. Et vide suprà in verbo, Qui vigilias.

x *Qui nocturni.*] Valerius vbi suprà, & Paulus in l. 1. ff. de offic. præf. vig. & Liuius 1. Decad. lib. 9. vbi de Marco Licinio, & Tacitus lib. 5. vbi mox citabimus.

sum est, [y] In qua re prodirum memoriæ fuit, M. Milirium, Cn. Lollium, & L. Sextium triumuiros nocturnos, quòd in sacra via ad extinguendum incendium præsto non fuissent, à tribunis plebis increpitos, mulctam exoluisse, qui etiam [z] supplendi senatorum numerum, immeritósque amouendi plerunque ius habuere. [a] Et sequendo iusdicebant, non in tribunali sella curuli, sicut consules prætorésve, sed in subselliis velut tribuni & quæstores, iura dabant. Quotiésque per senatũ populumq; [b] ager dandus vel diiudicandus, [c] aut coloniæ deducendæ forent, triumuiros [d] qui agrarij dicti sunt, plerunque præfuisse compertum est, tametsi agrum [e] Pomptinum quinqueuiros diuisisse, & per vigintiuiros ad decemuiros [f] agrum Capuæ [g] & Samnij diuisum, ac veteranis præmia assignata legamus. [h] Proditum tamen memoriæ est, cum tribuni pleb. ferrent ad populum de decemuiris cum imperio creandis, vt quicquid agri publici per Italiam, Syriam, vel Asiam esset, plebi diuideretur, legémque promulgare contenderent. Ciceronem summa ope restitisse, & velút rem pestiferam rogationem antiquasse, eósque magnifica oratione sic fregisse, vt victi obmutescerent. Quartumuiros vero creatos accepimus illus, quibus deducendarum coloniarum, aut si quid nouum nunciatum foret, vt curarent ne damno respubl afficeretur, obque varia negotia munus mandatum erat. Præter quos fuere [i] quinqueuiri agris diuidundis: muris [k] turribúsque reficiundis, sæpius vt plebem fœnebri [l] pecunia leuarent: vtque æs alienum pro his qui soluendo non essent, de publico soluerent: qui mensarij nuncupati. quæ res quantum ad patrum plebisque cociliandos animos profuerit, difficile dictu est. Quippe quum esset plebs obruta fœnore, pecuniis in foro positis, vim ingentem æris alieni dissoluerunt. Post quos vsu exigente, [m] quinqueuiri creati cis Tiberim & vltra Tiberim, qui possent vespertinis horis vices magistratuum gerere, quum magistratus ad id temporis in foro esse non deceret. [n] Denique quoties aliquod munus factu difficile reipu. impendebat, in quo præcipua aliquorum opera fidésque exqirebatur, vbique multum studij curæq; opus erat: modò duumuiros, nunc triumuiros, aut quartumuiros, quinqueuiros, sexuiros, aut decemuiros creauere: quorum ope consilióque iniuncta munera sæpe exequuti sunt, ipsiq; negorio absoluto, pro quo dicti creatique erant, ab iniuncto munere quiescebant. Fuitque animaduersum, quòd si decemuiros locandis vectigalibus (quod plerunque

Triumuiri nocturni. Triumuiri ius supplendi senatorũ numerum habuere. Iura in subselliis dabant agrarij triumuiri. Quartumuiri. Quinqueuiri. Quinqueuiri cis Tiberim. Quinqueuiri vltra.

ANNOTATIONES.

y *In qua re.*] Valerius Max. lib.8.cap.1.& Tacitus lib.5.vbi antea proximè citati,

z *Supplendi.*]Liuius 4.Decad.lib.2.post prin. Et adde etiam supplendi numerum colonorum ex eodem eiusdémq; Decad. lib. 1. ad fin.

a *Et si quando.*] Asconius Pedianus in 1. in Verrem actione. Sunt, inquit, subsellia Tribunorum, Triumuirorum, Quæstorum, & huiuscemodi minima iudicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus: sed in subselliis considebant. Hæc ille.

b *Ager dandus.*] Fortè diuidendus legendũ est ex Varrone libr. rei rosticæ 1. cap. 2. Alterum collegam tuum, Triumuir qui fuit ad agros diuidendos Campanos &c. Cicerone in Orat. de lege Agraria. & Liuio 1. Decad. lib.8. vbi de Colonia Cales deducenda, & 5. Decad. lib.5. & Valerio Maximo lib.7.cap.2. vbi de senatu. Idem vt secundum legem eius per Triumuiros ager populo viritim diuideretur, egregiè censuit, & L. Floro epitome Liuij lib. 59. Seditiones à Triumuiris de agro diuidundo creatis excitatæ, & eodem aut altero eiusdem nominis epitomate 3. vbi de seditione Tiberij Gracchi, Sic, Triumuir creatus diuidendis agris. Et Plinio Secundo, si is est, de viris illustribus, cap. 65.

c *Aut coloniæ.*] Liuius 1. Decad. lib.3. sub fin. & lib 4. vbi de colonia Ardeam deducta, & lib.5. de colonia in Volscos deducta, & lib.6. de Nepete colonia deducenda, & lib. 8. de Calabris, & 4. Decad. lib. 7. de Cremonensibus & Placentinis, & 5. Decad. lib. 1. vbi de Luca colonia deducenda loquitur.

d *Qui Agrarij.*] Ab agro scilicet diuidundo. Ita enim Liuius 3. Decad. lib. 7. aepellat. Seruilium negabant iure aut Tribunum plebis fuisse, aut ædilem esse, quòd patrem eius, quem Triumuirum agrarium occisum à Boiis circa Murinam esse, opinio per decem annos fuerat, viuere constabat. Cicero autem agrarios sæpe vocat fautores legis agrariæ, vt in Philip. 7. & in Oration. in Catilinam, & in Oratione contra Rullum.

e *Tametsi agrum.*] Lege Pomptinum ex Liuio qui id tradit 1. Decad. lib. 6.

f *Agrum Capuæ.*] Vide Suetonium in Cæsare, cap. 20. & Apianum, vbi de Cæsare loquitur.

g *Et Samnij.*] Liuius 4. Decad. lib. 1. Exitu eius anni cùm de agris veterum militum relatum esset, decreuerunt patres vt M. Iunius prætor vrbanus, si ei videretur, decemuiros agro Samniti, Apulióque, quod eius publicum populi Rom. esset, metiendo diuidendóque creauit.

h *Proditum tamen est.*] Hæc vsque ad clausul. Quartumuiros, sunt Ciceronis de lege Agraria Plutarchi in vita ipsius Ciceronis. Et adde quoque quartumuiros cõstitutos fuisse, vt curam viarum agerent, ex Pomponio in l.2. §. eod. tempore. ff. de orig. iur. De quartumuiratu Asinius Pollio inter epistolas familiares Ciceronis li. 10. epist.31. Quatuoruiratum sibi prorogauit fuerúntque apud Larinates quatuoruiri, vt testis est Cicero in Orat. pro Aulo Cluentio Habito.

i *Quinqueuiri.*] Liuius 1. Decad. lib. 6. vbi de Pomptino agro diuidundo loquitur, quod & suprà dictum est.

k *Muris.*] Liuius 3. Decad. li.5. Comitiis creati sunt quinqueuiri muris turribúsq; reficiendis. Adde etiam minuendis sũmptibus publicis, ex Plin. lib. epist.2. epist.1. & qui de finibus agnoscerent Liuio 5 Decad. lib. 5.

l *Fœnebri.*] Liuius 1. Decad. lib.7. Noui cõsules fœnebrem quoque pecuniam quæ destituere vnanimes videbatur, leuare aggressi, solutionem æris alieni in publicam curam verterunt, quinqueuiris creatis, quos mensarios à dispensatione pecuniæ appellarunt, &c. Sed suprà docuimus triumuiros quosdam mensarios fuisse vocatos.

m *Quinqueuiri.*] Liuius 4. Decad. lib.9. Vtque ab incendiis caueretur, adiutores Triumuiris quinqueuiri vti cis Tiberim suæ quisque regionis ædificiis præessent. Pomponius in l. 2. §. & quia. ff. de orig. iur. Et quia magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconueniens erat, quinqueuiri constituti sunt cis Tiberim & vltra Tiberim, qui possent pro magistratibus officio fungi.

n *Denique quoties.*] Id totum vsque ad clausulam, Fuitque animaduersum, colligitur ex præcedentibus atque etiam sequentibus. Nam de cæteris scilicet duumuiris, triumuiris, quartumuiris, quinqueuiris, & decemuiris iam dictum est, & rursus postea dicetur. De sexuiris autem quicunque ij fuerunt, nonnihil Plutarchus in Camillo, post princip.

Septemuiri epulonum. Tresviri inter sacerdotes asciti. Adiiciales cœna. Epulones vnde dicti. Quindecimuirorum epulonū filia. Decemuiri. Decemuiri litibus diiudicandis loco prætorum. Vigintiuiratus. Centumuiri. Centumuiralia iudicia. Centumuirorum iudicia.

vsu veniebat) Romani præfecissent, his vbiqne vectigalia distrahendi potestas erat, quum aliter nisi Romæ à censoribus vectigatia locarentur. [o] De septemuiris epulonum traditum accepimus, quòd hi à principio tresviri fuere, asciti inter sacerdotes, quibus togæ prætextæ ius datum vt pontificibus. Hi fuere C. Licinius Lucullus, T, Romulius, & P. Porcius Lecca, qui legen de creandis primum tulere, quos propter sacrorum multitudinem, vt ludorum epulare sacrificium conficerent, pontifices sacris præesse voluere. Qui tempore procedente, septem creati fuere Et quia sacris epulis præerant, cœnarúmque pontificum, quæ [p] adiiciales dictæ sunt, curam agerent, ipsique [q] epulas Ioui principi deorum, cæterísque diis indicerent, epulones appellati: qui siqua iusta & solemnia sacris deessent, ad pontifices referebant: déque illorum consilio sententiáque, sacra & omissas cæremonias decernebant. [r] Horum filiæ, ne inuitæ Vestæ sacerdotes fiant, sicut auguris & potificis maximi, aut quindecimuiri sacrorum, veteri priuilegio immunes erant. Præter hos fuere [s] deeemuiri sub titulo æquandarum legum à principio sine prouocatione creati, [t] mox alij litibus diiudicandis, qui loco prætorum in vrbe ius dicebant. Quippe quum belli munia prætoribus deferrentur, & ob id, vrgente armorum tumultu, ab vrbe auocarentur: ne iudicia Romæ deessent, illis in expeditionem profectis decemuiros qui litibus diiudicandis, & noscendis singulorum postularis præsto forent, præfecerunt prætorum loco: cui magistratui [u] Adtiaous ante imperium præfuisse dicitur. [x] Post quos fuit vigintiuiratus caussis diiudicandis, quod munus magnæ indolis iuuenibus conferri solebat. Illinc enim gradum ad reliquos honores auspicabantur viri exculti ingenio & doctrina. [y] Ad quod Tiberius Neronem Grrmanici filium promoturus, quòd quinquennio maturius peteret quàm per leges liceret, illum senatui commendauit, & veniam petiit. [z] Et centumuiri amplissimum iudicium qui iura populo aliquandiu dixere à quibus nulla erat prouocatio, quorū [a] iudicia cētumuiralia dicta. Ex [b] singulis enim tribubus terni iudices selecti, populo ius dicebant. Et quamuis ex quinque & triginta tribubus, supra centum superessent quinque: vsus obtinuit, vt ipsi centumuiri, eorúmque iudicia centumuiralia dicta sint: qui omnes quum iura daturi erant, hasta posita in vnum coibant, illorúmque iudicia [c] in duas hastas diuisa erāt: ideo [d] centumuiralis hasta sermonibus celebratur: qui [e] de hæreditatibus, testa-

ANNOTATIONES.

o *De septemuiris.*] Id Liuij est 4. Decad. lib. 3. Romæ, inquit, eo primùm anno triumuiri epulones facti C. Licinios Lucullus, T. Romulius qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Lecca. His triumuiris item, vt pontifici lege datum togæ prætextæ habendæ ius. & eiusdem 4. Decad. lib. 10. Idem meminit P. Manlij triumuiri epulonis. De his autem videndus est Cicero lib. 3. de Oratore. Vnde etiam illud Lucani lib. 1. Septemuírque epulis festis. Cæsarem autem Epulonem fuisse constat ex Plinio lib. 14 c. 15.

p *Adiciales.*] Varro de re rustica, lib. 3, cap. 6. Plin. lib. 10. cap. 20. & lib. 29. cap. 4. sunt qui aditiales leguot. Has pontificales vocat Macrobius lib. 3. cap. 13.

q *Epulas Ioui.*] Festus Pompeius lib. 5. Epolonos, inquit, dicebant antiqui, quos nunc Epulones dicimus. Datum autem est his nomen, quod epulas indicendi Ioui cæterísque diis potestatem haberent.

r *Horum filia.*] Gellius lib. 1. cap. 12. Præter illos autem septemuiros sacrorum, vt id addas, fuere alij septemuiri capitales apud Cic. Philip. 5. Et de hoc aut altero Epulonum Cicero ad Atticum, lib. 15. epist. 9. Dic mihi, C. Antonius voluit ne fieri septemuir? fuit certé dignus. De decemuirali authoritate Cicero Philip. 12.

s *Decemuiri.*] De his vide amplam historiam, & quomodo creati sunt, apud Liuium 1. Decad lib. 3. & Dionys. Halicar. & Pomponium in l. 2 §. & cum placuisset. ff. de orig. iur. Ab his 12. tabulæ perscriptæ sunt, vt in illis locis abunde videre poteris.

t *Moxa lij.*] Cicero in lib. de Oratore 1.

u *Adrianus*] Spartianus in vita illius post princ. Nec multò post decemuir litibus iudicandis datus. Sed & de aliis decemuiris præter illos Plutarchus in Cicerone. Iam autem suprà diximus de decemuiris creatis ad diuidendos agros Samnij, ex Liuio, qui & ipse 5. Dec. lib. 2. Eodémque, inquit, anno cum agri Ligustici & Gallici, quod bello captū erat, aliquantulum vacare: S. C. factum, vt is ager viritim diuideretur. Decemuiros in eam rem ex S, C. creauit prætor. Et apud Cic. in Orat. 1. pro lege Agraria, sæpe fit mentio decemuirorum & lib. 11. epist. famil. epist. 13. 19. & 20.

x *Post quos.*] De vigintiuiratu Cicero ad Atticum libro 9. epist. 2. Repudiari se totum, magis etiam quàm olim in decemuiratu: sunt tamen qui ibi legunt quinqueuiratu. Idem quoque de vigintiuiris, etiam ad Attic. lib. 2. epist. 2. vbi nemo sit præter me, qui quenquam ex vigintiuiris vnum esse saluum velit, vbi etiam nonnulli legunt quinqueuiri.

y *Ad quod Tiberius.*] Tacitus lib. 3. Per idem tempus Neronem liberis Germanici iam ingressum iuuentam commendauit patribus, vtque munere capessendi vigintiuiratus solueret, & quinquennio maturius quam per leges quæsturam peteret.

z *Et centumuiri.*] De his centumuiris nihil omnino in nostris legibus legitur, præterquam quod scribitur in l. 2. §. deinde cum esset. ff. de orig. iur. in hæc verba, Deinde cùm esset necessarius magistratus qui hastæ præesset, centumuiri litibus iudicandis constituti sunt. Cicero autem sæpius horum meminit, vt in lib. 1. de Oratore, & in Oratione pro Cecinna. Valerius Maximus lib. 7. cap. 8. in princ. Plinius epist. lib. 1. epist. 5. & li. 5. epist. vlt. & Ouid. lib. 2. Trist. eleg. vnica.

Nec male commissa est nobis fortuna reorum,
Vsque decem decies inspicienda viris.

Decem enim decies centum efficiunt, & Martialis lib. 10. epig. 19.

Dum centum studet auribus virorum.

a *Iudicia centumuiralia dicta.*] Varro de re rustica. Cicero in Oratione pro Cecinna, & lib. 1. de Oratore, & Plin. li. 5. epist. 5. & 17. in fine. item lib. 5 epist. vlt. vbi dicit quòd his vnus ex prætoribus præsidebat.

b *Singulis enim tribubus.*] Hæc vsque ad clausulā, Qui omnes, sunt Festi Pompeij libro 3. quo loco de centumuiralibus iudiciis loquitur. Et huc pertinet quod scribit Varro de re rustica. Centumuiralis iudicij numerus non fuit ad amussim, vti cum dicimus mille naues iuisse. ad Troiam.

c *In duas &c.*] Quintil. lib. 5. cap. 2. Et de partibus centumuiralium quæ in duas hastas diuisæ sunt.

d *Centumuiralis.*] Suetonius in Augusto, cap. 36. Martialis lib. 7 epigr. 62.

Hunc miratur adhuc centum grauis hasta virorum,

Hincque hastæ Iudicium vocat Valerius Maximus lib. 7. c. 8. in princ. & rursus vbi de Pompeio Rhegino loquitur.

e *Qui de hæreditatibus.*] Hæc omnia sunt Ciceronis lib. 1.

de

mentis, vſucapionibus, tutelis, gentilitatibus, agnationibus, alluuionibus, nexis mancipiis, & ſtillicidiis, quam maximè ius dicebant. Qui cum propter turbulentam confuſionem in longiſſimùm lites traherent, perraróque cauſas deciderent, diuus [f] Veſpaſianus ex tot iudicibus ſelegit quoſdam, qui breui curriculo, nec longo circuitu cauſas definirent. [g] Domitianus quoque centumuiralia decreta & conſtituta velut ambitioſè edita, reſcidiſſe fertur. [h] Tantique exempli fuere, vt Romani adoleſcentes primæ indolis experimenta à cauſis centumuiralibus auſpicarentur. [i] Et cum antea ne nobiliſſimis quidem pateret aditus, niſi à conſulari viro magno fauore producerentur in foro viri præclari, magnæque eruditionis: poſtea deprauato vſu, obtentum eſt vt ad declamandum tranſirent pueri extremæ ſortis, nullo diſcrimine aut delectu, in quibus nec facundia eſſet, nec eruditio. Præterque haſtam centumuiralem, mos erat militaris, vt ſi qua ciuitas vi ſubacta, hoſtili incurſu diripienda foret, à duce exercitus edito in loco haſta poneretur, qua ſignificatione illam non deditione & pacto, ſed tanquam vi captam diripi licere, & in bona & perſonas graſſari deſignabat, quæ haſta [k] cruenta nuncupatur. [l] Nam captas, non deditas vrbes diripi veteres voluere. [m] Tum ſi quando bona proſcriptorum, [n] hoſtiúmve manubiæ aut præda venales forent, [o] vectigaliáve locarentur, vſus obtinuit, vt haſta poſita venirent, quæ [p] publica dicta eſt: [q] ſicut bello capti, quod [r] coronati & ſerui ære comparari, quòd ex edito lapide enunciabantur venales, ſub corona & [s] de lapide empti dicebantur, & [t] qui turmatim veneunt in cataſta. [u] Fuitque moris vetuſti, vt his qui trans mare aduecti venales forent, quo à reliquis mancipiis dignoſcerētur, alba creta pedes illinirent. [x] Obſeruatúmque, vt de ſeruis

Centumuiralis haſta.

Zaſius in l. 2. ff. de ori. iur.

Inuenti in cauſis centumuiralibus primum ſe exercebat.

Haſta cruenta.

Trans mare aduecti illiniti.

ANNOTATIONES.

de Oratore. Sed & quod de hæreditatibus & teſtamentis hic dicitur, probatur etiam ea Valerio Max. 7. c. item 7. ſtatim poſt princ. & iterum vbi de filio M. Anci Carſeolani, rurſumque cap. 8. in illis duobus locis. Plin. lib. epiſt. 6. epiſt. 33. od Romanum.

f *Diuus Veſpaſianus.*] Suetonius in vita illius, cap. 10.

g *Domitianus.*] Idem Suetonius in vita illius, cap. 8. ad princ.

h *Tantique*] Plinius enim Iunior adoleſcētulus cauſas egit in centumuiralium iudicio, quod & quadruplex iudicium vocat lib. epiſt. 1. epiſt. 18 ad Tranquillum, ſed vide omnino in ſeq.

i *Et quum antea.*] Idem Plin. eiuſdem operis lib. 2. epiſt 14. ad Maximum, loquens de centumuiralibus iudiciis. Atque etiam, inquit, magna ea parte adoleſcentuli obſcuri ad declamandum huc tranſeunt tam irreuerenter & temere, vt mihi Attilius noſter expreſſe dixiſſe videatur, hic in foro pueros a centumuiralibus cauſis auſpicari, vt ab Homero in ſcholis: Nam hic quoq; vt illis primum cœpit eſſe quod maximum eſt. At Hercule ante memoriam meam maiores natu ita ſolebant dicere, ne nobiliſſimis quidem adoleſcentibus locus erat, niſi aliquo conſulari producente: tanta veneratione pulcherrimum opus celebrabatur. Nunc refractis pudoris & reuerētiæ clauſtris, omnia patent omnibus: nec inducuntur, ſed irrupunt. Et huc ſpectat quòd Auguſtus Imperator, Caium & Lucium nepotes deduxit in forum, vt ſcribit Suetonius in vita illius, cap. 26. Et Tiberius Romam reuerſus Druſum filium, eodem Suetonio teſte in vita etiam ipſius Tiberij, cap. 15. in princ. Ex quo & Cornelius Tacitus in eo lib. cui tit. eſt, An ſui ſeculi oratores antiquioribus, & quare concedant. Ergo, ait, apud maiores noſtros iuuenis ille qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iam domeſtica diſciplina, & refertus honeſtis ſtudiis, deducebatur à patre vel à propinquis ad eum Oratorem, &c.

k *Haſta cruenta.*] Sic eam appellat Cicero 2. Offi. de bonorum tantùm proſcriptione loquens, Dum homines perdiri haſtam illam cruentam, & meminerunt & ſperabunt.

l *Nam captas.*] Vide infrà eod. lib. cap. 20.

m *Tum ſi quando.*] Cicero d. lib. 2. Offic. & Philip. 2. 4. & 7. & lib. epiſt. famil. 15. epiſt. 17.

n *Hoſtiúmve.*] Valer. Max. lib. 5. c. 1. vbi de Africano poſteriore loquitur, & lib. 6. c. 5. vbi de populo Romano.

o *Vectigaliáve.*] Nam de his Liuius 4 Decad. lib. 9. Vectigalia ſummis pretiis Vltrò tributa infimis locaueruut, quas locationes cùm ſenatus precibus & lachrymis, victus in duci, & de integro locari iuſſiſſet, cēſores edicto ſubmotos ab haſta, qui ludificati priorem locationem erāt, omnia eodem paulatim imminutis pretiis locauerūt, quem locum nos ſuprà cap. 13. ad aliud adduximus, Columella in præfatione libr. 1. de re ruſtica de his loquens. Itaque in hoc Latio & Saturnia terra, vbi dij cultus agrorum progeniem ſuam docuerant, ibi nunc ad haſtam locamus, &c. Vnde illud Ouidij lib. 4. de Ponto epiſt. 5. ad Pompeium,

Aut populi reditus poſitam componet ad haſtam,
Et minui magna non ſinet vrbis opes.

Et epiſt. 9. ad Græcinum,

Nunc longi reditus haſta ſupponere luſtri
Credet, & exacta cuncta locare fide.

p *Qua publica.*] Nam vt ſcribit Feſtus lib. 7. Haſtæ ſubiiciebant ea quæ publicè veoundabant, quorū ſignū præcipuum eſt haſta. Et huius haſtæ cui res venales ſubiiciebantur, ſæpe fit mentio in noſtris legibus.

q *Sicut bello.*] Valerius Maximus duobus illis locis ſuprà in verbo, Hoſtiúmve manubiæ citatis.

r *Quod coronati.*] Cælius Sabinus Iuriſconſultus, & Cato, & cum eis Gellius lib. 7. cap. 4. Feſtus Pōpeius lib. 17. authoritate ipſius Catonis & Plauti. Sub corona, ait, venire dicuntur, qui captiui coronati venire ſolent.

s *De lapide.*] Cicero in Oratione in Piſonem. De me cùm omnes magiſtratus promulgaſſent, præter vnum prætorem, à quo non fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, præterquam duos de lapide emptos. Columella lib. 3. cap. item 3. de ſeruo vilioris precij loquens. Quem vulgus, ait, quidem parui æris, vel de lapide noxium comparari poſſe putat. De cuius tamen loci intellectu lege Beroaldum in Annotationibus Columellæ, in littera L. & Cælium Rhodiginum lib. 25. cap. 22. Pollux autem Onomaſticôn 3. cap. 20. ea Herodoto. Lapidem hunc vnde quondam ſerui vendebantur πρατήριον καὶ πωλητήριον vocat.

t *Qui turmatim.*] Id eſt venduntur. Cataſta autem locus eſt vbi ſerui venales exponebantur. Vt Tibullus libro 2. eleg. 3.

Nota loquor, regnum ipſe tenet, quem ſæpe coëgit
Barbara gypſatos ferre cataſta pedes.

Nam olim ſerui venales habebāt pedes gypſo, id eſt argentea creta illitos, vt dicetur in ſeq. Ex quo etiam illud Ouidij lib Amorum, eleg. 1.

Nec tuſi quis erit capitis mercede redemptus,
Deſpice gypſati crimen inane pedis.

u *Fuitq. moris.*] Plinius lib. 35. c. 17. ad fi. vide & illud Iuuenalis ſaty. 1.

Vincant diuitiæ, ſacro nec cedat honori,
Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

x *Obſeruatúmque.*] Gellius Cælij Sabini authoritate lib. 7. cap. 4.

Sub pileo venditis. Hasta salutis. Quaestura functi. Centumuiri apud Carthaginenses. Triginta indices Aegyptii. Quindecemuiri. Areopagita. Decemuiri apud Athenienses. Decaduchus. Astynomi. Nouemuiri. Archontes. Athenienses ab archontibus, Romani à consulibus, Lacedaemonij à tribunis numerabant annos & tempora. Polemarchus apud Aetolos.

sub pileo venditis, emptori venditor nihil praestaret, neque euictionis iure teneretur, tanquam insignia forent mancipia & probatissima. Vtque praecones & qui bona proscribunt, [y] bona regis Porsenae venalia singulis auctionibus proclament, ex eo deductum, quod discedens ab vrbe Porsena, castra commeatibus referta populo diripienda dedisset. Praeter quas fuit [z] hasta salutis, vbi in summa inopia ad leuandam famem hasta posita publicè frumentum venit. [a] Graecis verò vbi venalia producuntur mancipia, cycli: vbi verò conscendunt, vt essent conspicua omnibus, trapezae dictae sunt. [b] Ac licet à principio quaestura functi, centumuiros aduocare, & ad iudicia cogere consueuerint, Augustus tamen censuit, vt postpositis quaestoriis vitiis, decemuiri designarentur, qui illos in vnum cogerent, & ius dicere iuberent. Illud ego non praeterierim, apud Carthaginenses centumuiros de numero senatorum fuisse scitos: qui rerum gestarum & bellicae administrationis rationem à ducibus exigerent. Et ab Aegyptiis triginta iudices ex praecipuis ciuitatibus eligi solere, ex quibus optimum eligebant, qui totius collegij caput & princeps foret. [c] Et in Algido in templo Dianae quindecimuiros, tam diuinis mysteriis & sacrificiis solennibus, quàm responsis dandis praeesse. Et Atheniis areopagon religiosissimum & summum iudicium haberi: in quo senatus & populus vnà coibant, quo tempore à triginta tyrannis penè in extremum discrimen adductae sunt. [d] Deinde exactis tyrannis, decemuiri rempubl. administrarunt, quorum cuique decaduchο nomen erat. [e] Post hos astynomi praefuere numero decem, quinque in Pyraeo, totidem in vrbe: quibus cura psaltriarum imminebat & tibicinum. Mox [f] nouemuirorum magistratum praecipuum fecere, [g] qui sortito creabantur annis singulis, quos archontes nuncupabant: inter quos [h] primarius archon, primarius archontum & longè princeps erat: à quo [i] Athenienses, sicut Romani à consulibus, [k] & Lacedaemonij à tribunis, annos & tempora dinumerabant. Eum honorem, qui summus erat magistratus, [l] Hadrianus Caesar, dum Athenis ageret, & mox [m] Galenus gessisse fertur. Secundus à regia dignatione [n] βασιλεὺς: tertius à belli ductu [o] πολέμαρχος: reliqui à legum latione [p] θεσμοθέται dicti sunt, aetate & vsu docti, qui domi iura dabant, querelas accusationésque cognoscebant, déque controuersiis aequo examine decernebant. [q] Aetolis verò polemarchus, claudendarum portarum & vrbis curam gerebat, clauésque noctu detinebat: interdiu autem custodiis portarum assidebat.

ANNOTATIONES.

y *Bona Regis.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. & Plutarchus in Publicola.

z *Hasta salutis.*] De qua Quintilianus, si is est, in declam. Sed si semel posuis hastam salutis, & redemptores vitae admittis, & nos admoue, melius vendes.

a *Graecis verò.*] Id sumpsisse videtur ex Polluce lib. 19. cap. 29. vbi tamen aliter videtur scripsisse. At omnibus in confesso est prius vocabulum in noua comoedia accipi pro loco in quo vendebantur mancipia, sic dictum quòd in orbem & coronam circumsteterunt vendentes κύκλῳ, ἐν κύκλῳ πωλεῖν. Posterius autem apud Aristophanem pro pulpito aut loco editiore, in quo mancipia venalia exponebantur.

b *Ac licet.*] Suetonius in vita Augusti, cap. 36. Vt centumuiralem hastam quam quaestura functi consueuerant cogere, decemuiri agere.

c *Et in Algido.*] Fuere item quindecimuiri apud Romanos agris dandis, apud Plinium lib. 7. cap. 43.

d *Deinde exactis.*] Isocrates ad Callimachum. Et de his quoq; decemuiris loquitur Probus Aemylius in vita Thrasybuli, qui eos praetores vocat. Sed & aliquando Ephesij decemuiros crearunt apud Plutarchum in Lysandro.

e *Post hos Astynomi.*] Caelius Rhodig. lib. 24. cap. 5. qui nullum quoque authorem citat, fuit autem & hoc nomen cuiuspiam memorati Pausaniae lib. 10. Adde & alios fuisse Athenis decemuiros, qui pecunias in arce Palladis positas seruabant, quas sacras & publicas appellabat authore Suida. Et alij item qui rei bellicae praeerant, vt satis constat ex eo quod scribit Plutarchus in Apophthegm. Philippi Macedonis qui dictitabat Athenienses beatos, vt qui singulis quibusque annis decem inuenirent, quos Imperatores eligerent. Nam se vnum duntaxat Imperatorem per multos annos inuenisse Parmenionem. Consule autem Graecum, vt scias quomodo hos appellet.

f *Mox nouemuirorum.*] Laërtius in Solone, Plutarchus in Pelopide, Pollux lib. 8. ἀρχόντων Ἀθήνησιν ὀνόματα, in princ. Et de his puto intelligit Heraclides in Politicis loquens de nouem Atheniensium Principibus legislatoribus, qui cùm cooptati sunt, iurant se iustè facturos: néque munera accepturos, aut etiam statuam erecturos. Pollux autem lib. 8. quo loco de nominibus Atheniensis magistratus tractat, non aeream, sed auream statuam dicit.

g *Qui sortitò.*] Plutarchus in lib. de Fortuna Alexandri.

h *Primus Archon.*] Trebellius Pollio in vita Galienorum.

i *A quo Athenienses.*] Vt videre licet ex Diodoro Siculo lib. 11. & caeteris sequentibus in infinitis locis.

k *Et Lacedaemonij.*] Imo verò Ephoris, teste Xenophonte lib. 2. rerum Graecanicarum, cùm dicit sequenti anno in quem incidit Olympias, qua vicit in stadio Circinus Thessalus Euchio Spartae Ephoro, praesidente Athenis Pythodoro, &c. Et paulò post, Exeunte vere quo debellatum est anno 28. mensésque sexto quo tempore Ephori numerantur, &c. Sed Alexander hic eos tribunos vocat, quoniam Ephori apud Lacedaemonios eum propemodum locum tenebant, quem Tribuni apud Romanos, vt etiam scribit Valerius Max. lib. 4. c. 1. vbi de Theopompo Rege Spartanorum loquitur, & nos quoque alibi dicemus.

l *Hadrianus Caesar.*] Spartianus & Dion vterque in vita illius.

m *Galenus.*] Galienus legendum est ex Trebellio Pollione, qui id de illo dicit in vita ipsius.

n *Βασιλεύς.*] De hoc Pollux lib. 1. c. 10. περὶ ὀνομάτων, & lib. 8. ὅσα ὁ βασιλεὺς ποιεῖ.

o *Πολέμαρχος.*] Nam ea voce significatur belli Dux vel Princeps, & huius quoque meminit Pollux illo eod. lib. 1. vbi suprà, atque etiam illo lib. 8. ὅσα ποιεῖ ὁ πολέμαρχος. Et ante illum Herodotus lib. 6. vbi dicit hunc fuisse magistratum Athenis, qui per suffragia electus in danda faba, hoc est in declaranda sententia vndecimus erat. Nam in dicenda sententia parem ducibus vnà faciebant.

p *Θεσμοθέται.*] Hi sex fuere ex Polluce d. lib. 8. Sed vt id addas, fuere quoque Athenis vndecim viri quibus ad supplicium damnati tradebantur, ex Plutarcho in Phocione, quibúsque eorum qui in vinculis tenebantur.

q *Aetolis.*] Polybius lib. 4. Fuit & id nomen Lacedaemonio cuipiam apud Pausaniam lib. 3.

Quoties

Quoties contra ambitum illorum qui appetunt magistratus, pluribus legibus à Romanis obuiam itum sit.

CAPVT XVII.

POST [a] vrbem conditam longo tempore, nullam de ambitu legem fuisse latam, multorum literis proditum est: scilicet quia in dandis magistratibus, & conferendis honoribus, prisci Romani non largitione & ambitu, sed vera virtute nitebantur: propterque res egregie gestas domi militiæque, meritos ciues prætura, ædilitate & consulatu, amplissimisque honoribus honestabant. [b] Prima lex contra ambitus illorum qui magistratus appetere nt, per tribunos plebis lata fuit, quo tempore post decemuiros tribuni militũ consulari potestate reip. præfuere, qua ne cui album in vestimentum petitionis causa quenquam adire liceret, cauebatur. [c] C. deinde Petilius tribunus plebis legem tulit ad populum, qua largitiones illorum qui honores pecunia mercarentur, graui damno & pœna mulctauit: fuitque seuerissima disciplina & sub graui censura lex seruatá, qua ambitioni & cupiditati obuiam sæpe itum est: ita vt inter exempla relatum sit, Q. [d] Coponium, quod vini amphoram ei cuius suffragio magistratum petebat, dono dederat, ambitus condemnatum pœnas luisse. [e] Cincius deinde legem tulit muneralem, qua grauissimis pœnis affecit eos, qui à quouis candidato munus suffragij causa donúmve acciperent. [f] Inde cautum, vt in petendis honoribus candidati sine toga ad comitia descenderent: ne pecuniis in sinu reconditis tribuum suffragia mercarentur. Sed quum quotidie hoc malum serpere videretur magis, & ambitus petentium coerceri oporteret, Paulus Æmylius consul legem tulit ad populum, qua, ne cui suffragij causa munus dare liceret, multiplici pœna interdixit. [g] Postea lege Calphurnia his qui mercede corrupti, aut munere deliniti, candidatis obuiam issent, quique precio illos sectarentur, aut si prandium ad captandos animos, aut quid muneris exhibitum foret, præter pœnas legibus constitutas, etiam pecuniaria mulcta dicta fuit Id [h] quod Fabia lege cauebatur, qua præfinitur numerus sectatorum prosequentium in comitiis candidatos, pœna adiecta si quis plures aduocaret: quam legem [i] Marius etiam in suo tribunatu contra illos qui tribuum suffragia ambirent, seuerissime tulit. In tantumque ambitus honorum inhibitus fuit, vt [k] Licinia lex & [l] Ebutia, non modo illi qui de nouo creando magistratu ad populum ferret, sed nec ipsius collegæ & affini curationem potestatémve demandari, graui documento sanciuerunt. [m] Demum Marius in consulatu denuò ita ambitum osum habuit, vt aduersus Cottam collegam, & Metellum tribunum pleb. legem promulgarit, nequis largitione aut donis magistratum honorésve assequeretur. [n] Mox Pompeius Magnus quum vnicus esset consul, aliam pertulit, qua peruicax illorum cupido, qui magistratus appeterent, graui censura mulctauit. Mansitque diu Romæ hæc vitæ integritas & obseruantia disciplinæ, vt procul ambitione officium & virtus pluris quàm census æstimaretur: adeò vt post longa tempora [o] Catonem ambitus diem dixisse illis qui largitiones fecerant, pro miraculo fuerit: qui vt obuiam effrenatis cupiditatibus iret, se quibuscunque qui honores mercarentur, pecuniáque aut pollicitationibus ambirent, diem ad populum dicturum iureiurando firmauit. [p] Postea vsque adeò mores degenerarunt, itaqué ambitio hominum mentes peruasit, vt sine discrimine, nullo pudore aut modestia in assequendis honoribus propalam [q] largitiones fierent: neque præturas, consulatus,

Prima Romæ lex contra ambitum. *C. Petilij lex.* *Cincij lex muneralis.* *Alia lex.* *Pauli Æmylij lex.* *Lex Calphurnia.* *Lex Fabia.* *Lex Marij.* *Lex Licinia & Ebutia.* *Marij lex alia.* *Pomp. Magni lex.* *Morum degeneratio.*

ANNOTATIONES IN CAP. XVII.

a *POst vrbem.*] Quòd ex eo probatur, quod de prima lege ambitus in seq. scribitur. Et de huiusmodi legibus Tullius in Oratione pro Murena, & in Oratione in Vatinium, Plinius Iunior epist. lib. 6. epist. 19.

b *Prima lex.*] Hæc vsque ad clausulam, C. deinde, sunt Liuij 1. Decad. lib. 4.

c *C. deinde Petilius.*] Idem Liuius 1. Dec. lib. 7.

d *Q. Coponium.*] Plinius lib. 35. c. 12.

e *Cintius deinde.*] Cicero libro 2. de Oratore, & in libro de Senectute, Liuius 3. Decad. libro 4. Tacitus libro 11. Festus Pompeius libro 11. vbi de Munerali lege loquitur, & latè diximus in nostris Commentariis Nobilitatis, cap. 29. num. 19.

f *Inde cautum.*] Plutarchus in vita Coriolani, & proble. cap. 48. vbi hanc eandem & aliam item eius rei rationem reddit.

g *Postea lege Calphurnia.*] Asconius Pedianus in Oratione, in toga candida contra C. Antonium & Catilinam competitores, & in Oratione pro C. Cornelio maiestatis reo.

h *Id quod.*] Cuius meminit Cicero de petitione Consulatus ad Q. Fratrem, & in Oratione pro Murena.

i *Quam lege Marius.*] Vide infrà in verbo, Demum Marius.

k *Vt Licinia lex.*] De qua Cicero in Oratione pro Cn. Plancio, & lib. 8. epist. fam. epist. illius lib. 2. & in 2. Oratione de lege Agraria.

l *Et Ebutia.*] Cicero in Oratione posteriore de lege Agraria. Fueréque aliæ leges de ambitu. Nam Tacitus scribit Candidatorum ambitus Iulias leges peperisse, & etiam apud Iurisconsultos titulo ad leg. Iulia. de ambit. Tradítque Florus epitome Liuij libro 47. legem de ambitu latam fuisse, & legem ambitus memorat Plinius libro epist. 6. epist. 5.

m *Demum Marius*] Hic, ni fallor, falsus est Alexander, neque enim legitur Marium in Consulatu legem de ambitu promulgasse, sed solùm in Tribunatu resistentibus ipso Cotta Consule & Metello, teste Plutarcho in vita ipsius Marij, non longè post princip. Neque vsquam legitur Cottam fuisse Marij collegam in consulatu, sed tantùm L. Cæcilij Metelli.

n *Mox Pompeius Magnus.*] Cæsar l. 3. belli Ciuil. post princap. & Asconius Pedianus in Orat. 2. de lege Agraria. Appianus item lib. 2. bello. Ciu.

o *Catonem.*] Scilicet Vticensem ex Plutarcho in vita illius, vbi & ipse dicit eundem Catonem Murenam inter cæteros ambitus accusasse.

p *Postea.*] Vide Plutarchum vbi suprà.

q *Largitiones.*] Plutarchus in Cæsare. Nam qui honores, inquit, petebant omni abiecta prorsus verecundia epulum publicè largitionésque distribuebant in populum.

aut potestates mercari turpe ducerent: palamqué candidati quum ad comitia descenderent, [r] diuisores haberent, & [s] magistros curiarum, proqué assequendis honoribus [t] nummos in tribus pronunciare, & [u] pecunias deponere, ac per [x] sequestrem spargere in turbas non formidarent. Et ne quid turpitudinis deesset, manus & operas clientum & comitum audacissimorum ad vim & seditionem paratas haberent, ita vt seditiosissimo cuique temeritatiqué & audaciæ præcipuus locus foret, quum populus mercede corruptus, atque alij potentia amicorum fulti, per cædes & dimicationem, perqué omnem licentiam & audaciam, fasces, imperia, sacerdotia & triumphos darent: & non iusto suffragio, sed armis lapidibusqué pro largitore certarent. [y] Tantaqué exarsit ambitio, vt ex hac turbulenta confusione, octo fere mensibus vrbem inter populares procellas patrum, & plebis certamina, dum seditionibus vacant, sine lege, sine imperio, sine honoribus, diu caruisse magistratibus legamus: quæ quidem res non mediocri damno dedecoriqué fuit. qui morbus Athenas quoque peruasit: nam quum antea incorrupti mores fuissent, [z] primus Anytus Anchemeonis filius, largitionibus immodicis pecunias erogasse, & suffragia mercatus fuisse dicitur perniciali exēplo magnæ turpitudinis & dedecoris inde subsequuti. [a] Deinde Lycurgus ambitiosæ largitionis maius testimonium fecit: nam donato singulis magistratibus talento, rex Spartæ creatus fuit: [b] donec M. Tullius, & mox diuus [c] Iulius, deinde [d] Augustus, nequa occasio fraudi pateret, inter cæteras quas tulerunt leges, seuera correctione ambitus illorum qui largitionibus suffragia captabant, inhibuere. Et deinde à [e] Lurcone tribuno pleb. vt qui nummos in tribus pronunciasset & dedisset, quoad viueret, annua sestertia pœnæ nomine singulis tribubus pendere cogeretur salutari edicto cautum fuit. Sed quum effrenatæ cupiditati nondum obuiam irent, corruptionesqué suffragiorum nihilo minus immodicæ fierent, [f] Senatusconsulto prouisum est, vt candidati ante inita suffragia nec conuiuentur, nec munera mittant, neque pecunias deponant. Quibus edictis, legibus & senatusconsultis, vix tandem ambitus illorum qui honores peterent, postquam diu peruagati sunt, compressere.

Vrbs sine magistratibus ob seditiones. Atheniensis.

Senatusconsultum in candidatos.

ANNOTATIONES.

r *Diuisores.*] Hi dicuntur pecuniarum redemptores, quæ tributim diuidebantur à candidatis ad corrumpenda suffragia, Ciceroni lib. 2. de Oratore: vbi loquitur de Mummio diuisore in campo Martio, & ad Atticum lib. 1. epist. 12. & in Oratione pro Cn. Plancio, quo loco paulò post citabimus, & in 2. in Verrem actione, non vno in loco, Suetonius item in Augusto, cap. 3. Vide autem Beroaldum in suis Annotationibus.

s *Et magistros.*] Ita enim hos appellat Plautus in Aulularia,

Nam noster nostra qui est magister curia,
Diuidere se ait argentum in viros.

Quem locum in id expendit Asconius in 2. in Verrem actio.

t *Nummos.*] Cicero in d. epistol. 1. ad Atticum, postquam de diuisoribus locutus est, hæc paulò post subdit, Noui est in lege hoc, vt qui nummos in tribus pronunciauerit, si non dederit, impunè sit: sin dederit, vt quoad viuat singulis tribubus sextertia 435. debeat. vide infrà in verbo, Et per sequestrem spargere.

u *Et pecunias.*] Cicero in 2. actio. contra Verrem, Qui aut deponere, aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrumpendi iudicij solent esse.

x *Et per sequestrem.*] Cicero in Orationem pro Cn. Plancio. Quam tibi commodum est vnam tribum delige: tu doce id quod debes, per quem sequestrem, quo diuisore corrupta sit. Et rursum ibi, loquens de lege ambitus, Decuriatio tribuum, descriptio populi, suffragia largitione deuincta, securitatem senatus, & bonorum omnium vim ac dolorem excitauerunt. Hæc doce, hæc profer, huc incumbe Lateranensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronunciasse, diuisisse.

y *Tantaqué.*] Appianus lib. 2. scribit tantum Romæ ambitum exarsisse, vt insanientibus candidatis, ferróque & igni inter se depugnantibus, populo verò corrupto, ac in diuersa studia scisso, comitia haberi non potuerint, atque ipsa vrbs octo mensibus magistratu caruerit.

z *Primus Anytus.*] Plutarchus in Coriolano.

a *Deinde Lycurgus.*] Non ille quidem legislator, sed alius multò posterior, de quo hæc eadem scribit Polybius lib. 4.

b *Donec M. Tullius.*] Ipse Tullius epist ad Q. Fratrem 18. Et in Oratione in Vatinium. In Oratione pro Murena statim post princip. in Oratione item pro Sestio.

c *Et mox diuus Iulius.*] Suetonius in vita illius.

d *Deinde Augustus.*] Suetonius in vita illius, cap. 34. & 40.

e *Deinde &c.*] Cicero in d. epist. 12. lib. 1. ad Atticum, cuius verba suprà adduximus.

f *Senatusconsulto.*] Plinius Iunior Lepistu. 6. epist. 19 ad Nepotem. Tu hîc denique vide Ciceronē in Oratione pro Murena, & Modestinum Iurisconsultū in. 1. ff. ad le. Iu. de ambi.

Idus cuiusque mensis apud veteres Romanos maximè festas & feriatas fuisse, & quid apud exteros.

CAPVT XVIII.

Idus solemnes.

INTER festos celebratosqué dies, quos in honore deorum vetus religio sanxit, [a] Idus præcipue solemnes semper fuisse accepimus. nam præterquam quòd omnes Idus [b] Ioui feriatas, & à flamine diali bouem [c] immolari singulis Idibus perspectum sit: tamen præcipuæ quædam erant feriæ Idibus dicatæ, quas veteres coli obseruariqué iusserunt, vt illas prætermittere & insolemnes relinquere, ducerent nefas, namque idibus [d] Ianuariis tibicines festum diem agere multa licentia, & las-

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

a *IDus præcipue.*] Plutarchus proble. capit. 23. authoritate Iubæ scribit Idus diem religiosum veteribus putatum fuisse.

b *Idus Ioui feriatas.*] Macrobius lib. 1. Satur. c. 15. vnde illud Ouidij lib. 1. Fast.

Vendicat Ausonias Iunonis cura Calendas,
Idibus alba Ioui grandior agna cadit.

c *Bouem.*] Ouem dicit Macrobius vbi suprà. Cui conuenit illud Ouidij loquentis de agna grandiore.

d *Namque.*] Hæc vsque ad clausulam, Qua die, sunt Liuij 1. Decad.

cima, muliebrique habitu per vrbem vadere solebant. Causa vero traditur, quòd quum honoribus amplissimis essent honestati, his postea exuti, vno agmine Tibur concessere: quibus reuocandis Libertus operam dedit, qui apparatis epulis, quasi rem diuinam facturus, illos muliebri ornatu, ita vt compti paratique erant, vino & epulis madidos carpento Romam reportauit: mansitque ad posteros festa dies annua, vt eo habitu triduo vagantes per vrbem pérque forum cum cantu & tibia incederent.[e] Qua die, ob Augusti victoriam, quodque Augusti cognomen Octauio delatum fuit, in templo Iouis opt. max. veruex à flamine immolabatur. Idibus [f] Februarij in Tiberis insula, vbi Fauni ædes erat, Romani rem diuinam & sacrum annuum fecerunt:[g] Idus vero Martias ad Annam Perennam, quò commodè annare & perannare liceret, festas genialesque obseruarunt, largioribus poculis indulgentes. Ea enim nympha [h] soror Didonis credita, in Aricino seu Lauiente sedem habuisse fertur, quam à perpetuitate Perennam nuncuparunt:[i] quæ Idus infaustæ & ominosæ postea fuere: placuitqué illas parricidium vocari, quòd illis diuus Cæsar coniuratorum manibus cæsus occubuit. Idibus [k] Aprilis victori Ioui Q. Fabius ædem, quam bello Sabino vouerat, cum quibus cruento Marte & intestinis sæpe cladibus dimicatum fuerat, dedicauit: eaqué dies festa in posterum haberi cœpta.[l] Hæc enim ædes in palatio fuit magno sumptu & mole constructa. [m] Maiis verò Idibus mercatorum festus agebatur dies, quòd ea Mercurio, qui mercimoniis præest, natalis foret:[n] quodqué Appio Claudio & P. Seruilio consulibus ædes illi dicata fuerat,[o] qui mensis mercimoniis sacer in posterum semper habitus. Quippe eo mense mercatores Maiæ [p] Mercurioqué sacrum facere, & suem prægnantem immolare, seque & merces ex Mercurij fonte ad Capenam lustrare assuerant, ita magnos & vberes quæstus facere opinati. [q] Hanc ædem ad Circum maximum constructam dicunt fuisse, præcipuo opere, & magno impendio: [r] quo etiam die scirpeas effigies de ponte Sublicio Vestales in Tiberim deiicere produntur, cum prius homines consuessent. Idibus [s] Iuniis alter tibicinum dies anniuersarius agebatur festus: qua die tibicines qui sacris præcinunt, per vrbem vadere feriatos, & ad ædem Mineruæ conuenire solemne fuit:

Feria Idibus dicata. Idibus Ianuarij.

Idibus Februarij.

Idibus Martij.

Idibus Aprilis.

Idibus Maij.

De hoc lib. 2. cap. 22.

Idibus Iuniis.

ANNOTATIONES.

1. Decad. lib 9. & Valerij Max. lib. 2. c. 1. & Plutarchi in probl. cap. 55.

e *Qua die.*] Ouidius lib. 1. Fast.

Idibus in magni castris Iouis æde sacerdos,
Semimaris flammis viscera libat ouis.
Redditaqué est omnis populo prouincia nostro,
Et tuus Augusto nomine dictus auus.

Auus enim Germanici, cui Ouidius illud opus dedicauit, fuit Augustus Tiberij adoptione pater, qui Tiberius pater Germanici etiam adoptione fuit.

f *Idibus Februarij.*] Ouidius de his loquens lib. 2. Fastor.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hîc vbi discretas insula rumpit aquas.

g *Idus verò Martias.*] De his Ouidius libro 3 Fastorum,

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Non procul a ripis aduena Tybri tuis.
Plebs venit, ac virides passim disiecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quisque sua.

Macrobius autem Saturna. libr. 1. cap. 12. hoc mense Martio sine vlla mentione Iduum publicè & priuatim ad Annam Perennam sacrificatum iri, vt annare & perennare commodè liceat. Ex quo tamen loco id desumptum esse videtur.

h *Soror Didonis.*] Non satis constat quæ ea dea Anna Perenna fuerit, variæ enim erant eius opiniones: sed vna ex his erat, hanc fuisse Annam Didonis sororem frequentissimè Virgilio memoratam libro 4. Æneid. Et eam opinionem tangit Ouidius de hac ipsa re loquens d. lib. 3. Fast. his versib.

Quæ tamen hæc Dea sit, quoniam rumoribus errat
Fabula, proposito nulla tenenda meo.
Arserat Æneæ Dido miserabilis igne,
Arserat extructis in sua fata rogis.

Et quæ sequuntur.

i *Quæ Idus infaustæ.*] Suetonius in Cæsare, ca. 89. eodémque penult. Curiam, inquit, in qua occisus est obstrui placuit, Idúsque Martias parricidium nominari, ac ne vnquam eo die senatus ageretur. Adde autem his Idibus Martiis consules & prætores magistratum inire solitos, vti videbimus infrà hoc eod. lib. c. 24.

k *Idibus Aprilis.*] Ouidius eod. lib. 3. Fast.

Occupat Aprilis Idus cognomine victor
Iuppiter, hac illi sunt data templa die.

Vide item Liuium 1. Decad. lib. 10.

l *Hæc enim.*] Id est in Palatino monte ex P. Victore, si is est in 10. regione vrbis.

m *Maiis verò Idibus*] Ouidius lib. 5. Fastorum Mercurium alloquens,

Clare nepos Athlantis ades, quem montibus olim
Edidit Arcadiis Pleias vna Ioui.

& paulò post,

Templa tibi posuere patres spectantia circum
Idibus, ex illo est hæc tibi sacra dies.
Te quicunque suas profitentur vendere merces
Thure dato, tribuas vt sibi lucra rogant.
Est aqua.—

Et Festus Pompeius libro 11. vbi de Maiis Idibus loquitur. Macrobius item lib. 1. Satur. c. 12. vbi de mense Maio.

n *Quodqué Appio Claudio.*] Liuius 1. Decad. libro secundo. Cornelius autem Labeo apud Macrobium vbi nuper citauimus dicit, Calendis Maiis hanc ædem dedicatam fuisse.

o *Qui mensis mercimoniis.*] Macrobius vbi suprà.

p *Maiæ Mercurioqué.*] Idem ibi. Sed adde has Idus Maias aliquando solemnes fuisse ineundis magistratibus, vt videbitur infrà c. 24.

q *Hanc ædem.*] Scilicet Mercurij, ex loco Ouidij suprà citato.

r *Quo etiam &c.*] Ouidius lib. 5. Fastor.

Tum quoque priscorum virgo simulacra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

Et nos quoque diximus suprà eo. lib. cap. 15. vbi & alios authores in id citauimus.

s *Idibus Iuniis.*] Hæc sunt ipsius Ouidij libro sexto Fastorum,

Nulla mora est veniente die, quin dicere possis,
Idibus inuicto sunt data templa Ioui.
Et iam quinquatrus iubeor narrare minores,
Nunc ades ô coeptis flaua Minerua meis.
Cur vagus incedis tota tibicen in vrbe,
Quid sibi persona, quid toga longa volunt?

Et cætera quæ sequuntur multis versibus. Festus quoque Pompeius libro 11. Minusculæ, inquit, quinquatrus appellabantur Idus, quòd is dies festus erat tibicinum qui colunt

Mineruam

Minuscula quinquatrus. Idibus Iuly.

ipsasque minusculas quinquatrus. quod diem quintum post Idus feriatum habetent, appellarunt: sicut [t] triatrus, [u] sexatrus, septimatrus, [x] & decimatrus: quo etiam tempore [y] inuicti Iouis ædes dicata fuit. [z] Idus autem Iulias equitum turmæ festa fronde & olea ornatæ, in campo Martio instructæ, tanquam qui congredi acie parant, trabeati celebrant magnis cæremoniis, vt fuit à Fabio institutum. Nam prætoriæ cohortes instructæ tanquam in hostes tenderent, & eques compositus per turmas, in armis stabant: in qua pompa Germanici imagine præcedente, equitum turmæ sequebantur instructæ, cum militaribus donis, quibus in testimonium virtutis ob fortia facinora donati fuerant: [a] eademque dies, quòd populus Romanus ducens contra Latinos mira felicitate potitus fuerat, Castori & Polluci sacra fuit & celebris: fertturque origo antiquissima, quod tunc Castoris ædem votam Latino bello, L. Æmilio & Cæsone consulibus, in foro vbi visi fuerant, senatus dedicauit [b] Et ex illo traditum, vt solenni apparatu pompa à templo matris deûm extra vrbem, ad forum vsque procederet: inde trabeati & olea coronati equites, ab æde Honoris ad capitolium irent. [c] Quem transfectionis morem diu intermissum Octauius reuocauit, cauitque ne quis in transuehendo (quod antea licuerat) ab accusatore detraheretur. Qui mensis Atheniensibus quoque festus erat: quippe [d] Nonis Iulij oschophoria celebrant: in quibus oleæ ramum, pane fici, cotyla mellis & fructuum primitiis onustum, per ingenuos pueros foribus appendunt ciuitatis. [e] Et mensis munychionis vndeuigesimo die, equester ordo pariter Ioui solenni more prodibat cum pompa. [f] Idus vero Augusti, serui & ancipia atque omnis famulatus festas obseruabant, quòd Seruius Tullius ancilla genitus, in lucem tunc editus fuisset: [g] quo tempore vxoribus caput lauare felix faustumque putabatur, (sicut apud Indos quum rex capillos abluit, festum celebrant diem) donaque inuicem mittitant, & diuitias ostentant: [h] qua die serui & seruæ æquato iure, & nullo discrimine liber an seruus esset, cum dominis colludere, & festos dies Romæ agere solebant: quod etiam pro natali [i] Magni Alexandri apud plerosque esse censebatur, [k] propterea religiosus & facet Dianæ habitus. Nam facibus accensis, in nemus Aricinum, vbi erat Dianæ templum, ab vrbe discurrebant. [l] Quo etiam mense res celebrata sermonibus proditur, vt matronæ virilis menbri figuram diuinis percolerent honoribus, quam extra portam Collinam ad ædem Veneris cum pompa sacrorum deferebant, [m] Ægyptiorum more: mox à castissima & spectatæ pudicitiæ matrona,

Athenis oschophoria Nonis Iulij. μουνυχιὼν Idibus Augusti. Indi.

Membrum virile à matronis honoratum.

ANNOTATIONES.

Mineruam. Cuius Deæ propriè festus dies est quinquatrus mense Martio. Aliter minusculæ quinquatrus appellantur Idus Iunij, & vide eundem l. 15. in duobus locis. Quòd autem quinquatrus sit quinque ab Idibus dierum numerus, ex Varrone est lib. 5 ling Lat & Gellius lib. 2. cap. 21. Porro Porphyrion enarrans illud Horatij li. epist. 2. epist. 2. eademque vlt. non longè ante fin.

At potius puer, vt festis quinquatribus olim.

Scribit quinquatres à quinque diebus dici, qui dies ad ferias Mineruæ pertinet, propterea quòd festæ solennitates eius Deæ per hoc spatium celebrantur. Sed & de quinquatru Liuius 3. Dec. lib. 6. in consulatu M. Marcelli.

t *Sicut triatrus.*] De hoc Festus Pompeius dicto libr. 15. in duobus locis.

u *Sexatrus.*] De his duobus, Varro lib. 5. de ling. Lat. & Festus Pompeius vbi suprà citatus.

x *Et decimatrus.*] Idem Varro eiusdem operis libro 4. & Pompeius libro 15. vbi etiam id scribit dici decenatrum & decimatrum. Et de his omnibus vide suprà libro 2. cap. 22.

y *Inuicti Iouis.*] Id iam diximus ex Ouidio suprà in verbo, Idibus Iuniis.

z *Idus autem Iulias.*] Hæc sumpta sunt partim à Liuio 1. Decad. lib. 9 in fin. partim à Valerio Maximo lib. 2. ca. 1. vbi de ordine equestri loquitur, partim item ex Plinio libr. 15. cap. 4. sed maxima ex parte ex Dionysio Halicar. lib. 1. non longè à prin.

a *Eademque dies.*] Id vsque ad clausulam, Et ex illo, est Liuij 1. Decad. lib. 2. & Dionysij Hali. lib. 6.

b *Et ex illo traditum.*] Vide quos citaui suprà in verbo, Quodque Appio. Et præterea Plinium Secundum de viris illustribus, cap. 32. vbi id dicit fuisse institutum Q. Fabij Rutiliani.

c *Quem transfectionis morem.*] Suetonius in Augusto, cap. 39. Equitum turmas frequenter recognouit post longam intercapedinem reducto more transuectionis, sed neque detrahi quemquam in transuehendo ab accusatore passus est. Eiusque rei est aliquod vestigium in lib. 2. ff. de in ius voca. vbi scribitur, In ius vocare non oportere eum qui equo publico in causa publica transuehetur. vbi Budæus id scienter, vt cætera alia, expendit.

d *Nonis Iulij.*] Suidas dicit ὀσχοφόρια festum ramorum quæ ὄσχαι vocantur, Latine sic dictum, & ὀσχοφόρους duos iuuenes ingenuos & diuites, qui scilicet Mineruæ sacria eos ramos ferebant, tanquam ramigeros. Et de his quoque multa Plutarchus in Theseo, vbi & inter cætera scribit Nonis Iulij Theseum Apollini persoluisse. Et interpres Nicandri, & Etymol.

e *Et mensis.*] Nescio quare hunc mensem hoc loco interposuerit, sed quisnam is fuerit, disces infrà eod. lib. cap. 24. Id autem quòd hic dictum est, vnde acceperit Alexander, vide Gyraldum de annis & mensibus.

f *Idus verò Augusti.*] Plutarchus probl. cap. 100. & Festus Pompeius lib. 17. vbi de seruorum die festo loquitur.

g *Quo tempore.*] Plutarchus vbi suprà.

h *Qua die serui.*] Ad Romanos redit, sed hoc vide suprà, lib. 2. c. 22.

i *Magni Alexandri.*] Plutarchus in vita illius post princip. scribit eum natum fuisse circa Idus Augusti.

k *Propterea religiosus.*] Propertius lib. 2.

Cum videt accensis deuotam currere tædis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre Deæ.

& Ouidius lib. 3. Fast.

Sæpe potens voti frontem redimita coronis,
Fœmina lucentes portat ab vrbe faces.

Et Statius lib. syluar.

Iamque dies aderat, profugit cum regibus altum
Fumat Aricinum Triuiæ nemus, & face multa
Conscius Hyppolytæ splendet nemus.

l *Quo etiam mense.*] Vide Christophorum Landinum In Georgi. Virgilij fol. 47. pag. 2. & quos ibi allegat, & Diuum Augustinum de Ciuitate Dei lib. 7. cap. 21. & ibi interpretem: Gyraldum item de Diis Gentium pagin. 404 vbi de Phallo Priapo. & Arnobium, & Tertullianum, & Lucanum, & Lactantium.

m *Ægyptiorum more.*] Nam de his Herodotus lib. 2. Diem, inquit, festum Baccho Ægyptij agunt sine porcis, fere per omnia Græco festo similem. Sed loco phallorum, id est, ficolneo

præter matronale decus, in sinu Veneris locaretur. [n] Idus quoque Octobres festas fuisse tradunt, quo tempore in Martio campo equum qui October diceretur, immolari seruatum est: cuius caput, vt ex eo sanguis manaret, protinus in regiam deferre, mox cauda desecta, illius cruore aram spargere, & in Reginorum locum deportare, illudque panibus redimere assuerant: de quo inter Suburranos & Sacranienses magnis contentionibus non sine discrimine certabatur. [o] ab Atheniensibus verò seruatum est, vt mense Octobri, magnorum mysteriorum decimoquarto calend. Nouembris solennis agatur dies, & Liber pater in Eleusinam ex vrbe transmittatur. Nouembri verò parua, Iunio autem rursus magna celebrentur mysteria, quæ Cereri sacra erant: parua Proserpinæ. in quibus maximè cognitum est, vt quam quis inquit vestem initiatus, eam ne amplius exueret, donec lacera & pertrita foret. In aliis mysteriis traditur mos, vt vestem in qua quispiam initiatur, templis & numinibus dicarent. Quæ quidem mysteria quum alieno tempore intueri nefas esset, Demetrius rex, vt illorum particeps fieret non suo tempore, Ianuarium & Iunium menses Nouembrē appellauit. [p] Idus verò Decembres solennes fuisse nonnulli tradunt, quòd in cursu equorum victorem dexterioris bigæ sacrum Marti immolarent. [q] Nonis Faunalia & Fauni festa peruigili anniuersario colebantur Romæ. Athenis verò decima & octaua ipsius mensis die Æsculapij erant sacra & festa. [r] Quod autem dictum est Idus Ioui, calendas Iunoni sacras esse, scire licet [s] certis authoribus traditum esse, Epicureos singulis mensibus statos dies habere feriatos, quas Icadas nominant, hoc est vigesimam euiusque mensis lunam, quod ea natus Epicurus furet, quem tam sanctè habuere, vt illius imaginem non modo annulis, sed poculis ferrent insculptam. [t] Et ab Atheniensibus octauam euiusque mensis Neptuno festam coli & feriari: à [u] Græcis vero, singulis Calendis deos venerari: sequentem post Calendas diem, semi deis & heroibus tribuere: qui etiam statos dies mensium certis numinibus consecrarunt. [x] Siquidem neomenia quæ apud nos Calendæ sunt, & septima mensis Phœbo, quarta Mercurio, octaua Theseo dicatæ fuere. [y] Apud Lacedæmonios autem singulis Calendis totius anni, vini quartarius, & farinæ medimnus, ac singula pecora regibus velut ministris sacrorum, Apollini mox immolanda, dabantur.

Idibus Octobris. Magnorum & paruorum mysteriorum solennis dies apud Athenienses Calend. Nouembris. Idibus decemb. Nonis. Æsculapij sacra. Eicadas Epicureorum. Athe. Neptuno Græci. Lacedæmonij.

ANNOTATIONES.

ficulneorum veretrorum à collo pendentium sunt ab eis excogitatæ statuæ cubitales, à neruis compactæ, quas fœminæ per pagos, mentula, quæ propemodum instar reliqui corporis in ventre, & tibia præeunte, quam fœminæ Bacchum canentes sequuntur. Cur autem mentulam habeat insto maiorem statuta, & vnum corporis membrum agiter, redditur ab eis ratio, quam & confestim subdit. Sed & Diodorus Siculus.

n *Idus quoque Octobres.*] Hæc vsque ad clausulam, Ab Atheniensibus, sunt Festi Pompeij lib. 13. quo loco de Octobri equo loquitur, qui & ipse lib. 14. non longè à princip. nonnihil de hacre dicit.

o *Ab Atheniensibus.*] Et hæc vsque ad clausulam, Idus verò Decembres, sunt Plutarchi in Demetrio.

p *Idus verò Decembres.*] Plutarchus proble cap. 97.

q *Nonis Faunalia.*] Horatius lib. Car. 3. Ode 13. ad Faunum;
Ludit herboso pecus omne campo
Cùm tibi nona redeunt Decembres.

Nam vt ibi Acron & Porphyrion interpretes dicunt, nonis Decembribus Faunalia, id est, Fauni festa celebrabantur.

r *Quod autem.*] Suprà in verbo, Idus Ioui feriatas.

s *Certis authoribus.*] Scilicet Plinio lib. 35. c. x.

t *Et ab Atheniensibus.*] Gyraldus syntag. 17. qui & nullum authorem citat.

u *A Græcis verò.*] Vt patet ex sequentibus.

x *Siquidem neomenia.*] Gyraldus lib. 7. cap. 23.

y *Apud Lacedæmonios.*] Vide Plutarchum in Lycurgo.

Defensio Vlpiani definientis instratum quid esset, & quid differt pulsare à verberare; contra grammaticum illum falsò accusantem.

CAPVT XIX.

HESTERNO [a] die familiaris meus in dicendo promptus & audaculus, arguebat Vlpianum iureconsultum, ex authoritate doctoris grammatici, cuius libelli vulgo innotuere, quòd male definiuisset instratū quid esset, quum omne vestimētum esse diceret quod iniicitur, quod Vlpianus ex authoritate Labeonis affirmat. Non enim vestimentum esse instratum dixit ille, neque stragulam vestem pro hominis vestimento, sed pro lecti operimento tantū apud authores inueniri: & pleraque in hāc sententiā adduxerat. Cuius dicta quum percupide legeremus, mirum in modum authoris incuriam admirati fuimus, qui licet abūde multa disseruisset non ineptè, in nonnullis tamen perlicenter profatus est, quippe quum stragulam non modo pro lecti operimento accipi, sed pro hominis vestimento apud authores sæpe legi inspiciamus, Vlpianúmque signate & vere loquutum, qui instratum, omne vestimentum quod iniicitur, definiuit. Tranquillus in Nerone. Funeratus est, inquit, Nero impensa CC. millium stragulis albis auro intextis, quibus vsus Calendis Ianuariis fuerat. Pompeius Festus grammaticorum longe eruditissimus, qui verborum proprietates viresque admodum pensitauit, Vestis, inquit, generaliter dicitur, vt stragula, vt pallium, tunica, vel penula. T. Liuius tertio de

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

a HEsterno die.] Hoc caput vnum est ex iis, quibus Alexander Laurentium Vallam vellicat ex libro Elegant. 6. cap. 46. corripientem Vlpianum nostrum in lib. instratum. ff. de verborum significatione, & in l. lex Cornelia. §. inter

Macedonico bello: Et quũ tibi viro liceat purpura in veste vti stragula.[b] Paulus quoque Iureconsultus ex pellibus vestes confici dicit, cum & tunicam, & stragulam pelliceam nonnulli habeant. Ex quibus, stragulam vestem hominis designare, indubitata exempla sunt. Rursus eundem Vlpianum taxauit, quod ex authoritate Officij Iurisconsulti censuit, pulsare & verberare eò differre, quia verberat quis cum dolore, pulsat vero sine dolore: propterea Vlpiani definitionem inuidiose criminatur, tanquam possit aliquis cum dolore pulsari, & sine dolore verberari, additque verberare esse verbere cædere, quod est instrumentum longum & exile, qualis est virga, & pleraque eò pertinentia. Sed cum istius authoris venia dixerim, Vlpiani mens aliò spectat: quippe si mentem ipsius pensitamus, proculdubio intelligemus illum verberare dici proprie, qui animale corpus verbere affligit: ipsumque signatè & appositè loqui, qui hominem vel pecus verberatum dixit, non pulsatum. Quum vero ad rem sensu carentem ictus inferuntur, tunc pulsare dicimur, non verberare, vt pulso ostium, lanam, aut vestem: verbero hominem vel pecus. Neque illi assentior, qui dixit, verberare esse verbere cædere, hoc est, fuisse longo affligere: nam & pugnis & lapide verberatum quempiam latinè dicimus, sicut fuste vel baculo: idque Terentij testimonio vel maximè apparere. Leno enim in Adelphis quum se verberatum dixisset, mox designauit quo verbere esset afflictus. Vsque adeo, inquit, mihi pugnis os fregit.[c] Aul. Gellius noctium Atticarum, Pro delectamento, inquit, habuit manu sua verberare. Tametsi verberari rem anima & sensu carentem, apud authores plerunque vsurpatum legamus. [d] Plinius decimoquarto historiæ naturalis: Campaniæ vina, inquit, exposita in cadis sub dio verberari Sole, Luna, imbre ac ventis, aptissimum. [e] & alibi, Carthago in Affrica exercetur halitu maris, & verberatur imbri. Et pulsari rem animatam, & sensu participem quandoque comperimus.[f] Suetonius in Galba: Vt inter conuentum matronarum correcta iurgio, inquit, & manu pulsata sit. Quod non propriè & signatè, sed quasi per metaphoram accersitum crediderim. Si tamen certis verbis & vera finitione signatis eloqui volumus, [g] pulsatum illud verè dici, quod sensu carens crebro ictu percutitur, siue ostium, aut pallium, siue quid aliud dixeris: verberatum verò hominem, aut animal quod verbere afficitur, dici conuenire, prout Vlpianus præclarè censuit, apud authores probatissimos certum atque confessum est,

In eundem Valliam proximo capite. Vide Alciatum lib. 4. de ver. sig.

Verbero. Pulso.

ANNOTATIONES.

inter pulsationem. ff. de iniuriis.

b *Paulus quoque.*] In l. cùm & tunicam. ff. de auro & argento leg. Adde autem quòd Asconius Pedianus in 3. in Verrem actio. ad fi. scribit stragulam vestem pictam esse.

c *Aulus Gellius.*] Lib. scilicet 10. cap. 6. Sed his exemplis adde Propertium lib. 2. eleg. 10.

Necnon exanimem amplectens Briseis Achillem,
Candida vesana verberat ora manu.

d *Plinius lib. 14. historie naturalis.*] Scilicet c. 21. in fi.

e *Et alibi.*] Scilicet lib. 6. cap. 24. Sed his testimoniis adde Virgilium 5. Æneid.

— Et verberat ictibus auras.

Et lib. 2. de aquila loquens,

— Simul æthera verberat alis.

Et Horatium lib. 3. Car. Ode 1.

Non verberatæ grandine vineæ.

f *Suetonius in Galba.*] Scilicet cap. 5. cui adde Ciceronem in Verrem act. 5. Videtis pendere alios ex arbore, pulsari autem alios & verberari, & in 7. Sex lictores circunsistunt valentissimi, & ad pulsandos verberandósque homines exercitatissimi. Et Senecam Declam. libro 9. decla. 4. Qui patrem pulsauerit, manus ei præcidatur. Nec denique omittendum, id verbum pulsandi etiam ad ius & iudicium referri: vt videre licet ex l. 2. §. ei quoque. ff. de iudic. & l. de ætate. §. qui interrogatus. ff. de inter. actio. & l. quæro. §. inter. ff. locati.

g *Pulsatum id verè dici.*] Nam & pulsare fores dicitur Plauto in Amphitryone, & in Pœnulo, & Ouidio lib. 5. Metam. Et villam Plauto in Rudente. & postes ipsi Ouidio lib. 2. Meta. & muros lib. 3. de Ponto eleg. 1. Limina Statio, syl. lib. 1. syl. 2. Et alia id genus similia vbique reperies. Sed illud nolui prætermittere, vt res inanimata & sensu carens dicitur pulsari, ita etiam pulsare. Sic enim ventum & imbrem Virgilio lib. 4. Æneid. Ligones Ouidio lib. 3. Amorem eleg. 9.

Quibus legibus Romano ciui data immunitas fuerit, ne vapularet: & quæ iura competant dominis in seruos, & patronis in libertos. Item in exilium mittendi ratio apud diuersos.

CAPVT XX.

SERVILIVS [a] consul traditur primus, qui legem tulit ne quis ciuem Romanum vinctum clausumque teneret, quominus edendi nominis ei potestas foret. Et quum primò in ciues Romanos verberibus animaduerteretur, sæpiúsque innocentes ob factionem & gratiam propius inuidiæ forent, & pœnas luerent immeritas, [b] Porcius Cato pro tergo ciuium ne

Seruilij lex. Lex Catonis pro tergo ciuium.

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

a *Seruilius consul.*] Liuius 1. Decad lib. 2. Et vide suprà eod. lib. 5. super verbo, Apud priscos verò Romanos.

b *Porcius Cato.*] Vt id condonem Alexandro, Porcium quempiam hanc legem, quæ Porcia dicta est tulisse: non possim tamen illi assentiri, vt is Cato dictus sit, neque ante Porcium Catonem illum Censorium, qui longo post tempore fuit, Romanus quispiam fuit, qui Porcius Cato appellaretur. Huius autem legis Porciæ meminit Cicero in Oratione pro C. Rabirio perduellionis reo. Salustius in illa eleganti oratione, quam aduersus ipsum Ciceronem. Cæsar in illa Oratione, quam habuit apud eundem Salustium, de Catilina & aliis coniuratoribus. Liuius. 1. Dec. lib. 10. Asconius Pedianus in 2. in Ver. (aliàs 3.) & vide ipsum Cicero 7. in Ver. act.

c *Quam*

cui impunè insultare liceret, legē tulisse fertur: qua si quis verberasset necassétve Romanū ciuē, graui iudicio mortis cruciatus, bonorūmq; & exilij pœnis mulctari sanxit: quā legem [c] Sempronius consul aliis latis nouísq; additis pœnis confirmauit, quæ [d] Porcia & [e] Sempronia dictæ: quibus legibus de ciue Romano si quis capitis anquiretur, populi iudicium erat, [f] quod fuerat duodecim tabularum lege sancitum, vt de capite ciuis nisi centuriatis comitiis decerni nihil posset: sed [g] nec tolli de ciuitate, vel è solo patrio relegari, aut in exilium agi, nisi dicta causa, & cēturiatis comitiis poterat, quod quidem triplicis generis erat, [h] autore Martiano. aut enim omnium locorum interdicebatur accessus præter vnum, vel in insulam deportabatur: [i] aut sicut Claudius Cæsar quosdam mulctasse dicitur, vt vltra tertium lapidem ab vrbe egredi vetaret: qui etiam sanxit, vt hi quibus prouincia interdictum esset, vrbe quoque summonerentur. [k] Cúmque apud exteras gentes solū vertere, & in exilium agi, pro supplicio minimè dari soleret, quia nō pœna exilium erat, sed supplicij diffugium, ne pœnas iure debitas luerēt solis [l] Romanis pro maleficio exilij pœna fuit: [m] quas postea leges Cornelius Sylla, oppressa republica, quam in dominationem vertit, abrogauit: quippe inter grauia & acerba plurima, primus Romanorum sine populi iudicio ciues morte mulctauit. [n] Atheniensibus verò Clisthenes exilij legem tulit primus, qui haud multò pòst sua lege damnatus, pœnas fuit. Deinde exilio quindecēnali, aut decennali, nouarum rerū molitores mulctare; inualuit mos, quod genus [o] ostracismō dixerunt, ab ostraco siue testula, per quā suffragia ferebāt: qui mos talis erat, vt in testulis nomen audacis & perniciosi ciuis, cuius potentiam formidabant, comitiis inscriberent: & cuius plures erant testæ in vrnā coniectæ, is de concilij sententia ab aris focísque proiectus, vt à ciuium arceretur aspectu, quindecim aut decem annorum exilio solum vertebat. Fuitq; constitutum, vt ita damnati [p] Argiuam exulatum irent, vbi bos erat æneus magnitudine visenda: quare qui illic exulabāt, seruare bouem dicebantur. [q] Quæ comitia nisi supra sex millia ciuium concilio ad iudicij diem conuenirent, nulla atque irrita erant. [r] Ea quidem ostraca, non plebeiorum atq; ignobilium causa, sed ad retundendam nobilissimorum potētiam commenti fuere, vt extorres lare & patria, quasi in exilio consenescerent. Quare Athenienses egregios ciues & benemeritos sæpius ob virtutem, ne quis amplius emineret, testula ablegarunt. siquidem [s] præter Theseum, quem in Scytum exegerunt, [t] Solon lator legum, [u] Aristides, quo nemo iustior, & [x] Themistocles, [y] aliíque ob illorum magnitudinem, in exilium acti sunt, [z] Milciadem verò mori coegerunt. [a] Id enim optimo cuique Athenis vsu veniebat, vt in exilium ob eminentiam virtutis pellere-

Lex Sempronia & Porcia.
Lex 12. tabularum.
Triplex genus exilio plectendi.
Corn. Sylla legē Rom. euersor.
Exilij lex apud Athenienses.
Ostracismos.
Atheniensium in benemeritos condemnationes.

ANNOTATIONES.

c *Quam legem Sempronius.*] Is fuit C. Sempronius Gracchus, de quo etiam loquitur Cicero in dict. Oratione pro C.Rabirio.

d *Quæ Porcia.*] Apud Ciceronem & alios citatos suprà in verbo, Porcius Cato.

e *Et Sempronia.*] Apud Ciceronem in 4. Oratione in Catilinam.

f *Quod fuerat duodecim tabularum lege.*] Cuius legis verba hęc sunt apud Ciceronem lib.3. de legibus, De capite ciuis, nisi per maximum comitiatum, ollósque, quos Censores in partibus locassint, ne ferunto. Idem Cicero in Oratione pro P.Sextio, Cur cùm de capite ciuis, (non disputo cuiusmodi ciuis) & de bonis proscriptio ferretur: cùm & sacratis legibus & 12. tabulis sancitum esset, vt neque priuilegium irrogari liceret, neque de capite, nisi comitiis Centuriatis rogari; nulla vox est audita Consulum? Et vide in seq. & quæ dicam infrà lib.4.c.6. post princ.

g *Sed nec tolli.*] Cicero in Oratione pro P.Sestio, Non posse quenquam de ciuitate tolli sine iudicio: de capite non modò ferri, sed ne iudicari quidem posse, nisi comitiis Centuriatis.

h *Authore Martiano.*] Marcellum, ni fallor, voluit dicere, ex l. exilium triplex. ff. de interdict. & releg.

i *Aut sicut.*] Id vsque ad clausulam. Cúmque apud, est Soetonij in Claudio, c.23.

k *Cúmque* &c.] Cicero loquens de libertatis amissione, in Oratione pro Aulo Cecinna. Exilium non supplicium est, sed profugium portúsque supplicij: nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem, eò solum vertunt.

l *Solis Romanis.*] Id apud Romanos pœnam fuisse satis intelligitur ex tit. ff. de interdict. & releg. & præsertim in l. exilium. & ex aliis infinitis locis iuris ciuilis.

m *Quas posteà leges.*] Scilicet de verberibus & nece ciuis Romani, quas ipse Sylla violauit, vt videre licet ex Plutarcho in vita illius. & Appiano libro 1. bellorum Ciuilium, & alij multis.

n *Atheniensibus verò Clisthenes.*] Idem Cælius Rhodiginus, qui nullum quoque authorem citat lib. 21. c. 41. Sed huius rei author est Phalaris in epistolis, si eius sit opus legitimum. Et Ælianus variæ historiæ lib. 13. cap.21. Vide Aristot. lib.3. Politicōn in cap. 9. & Philostratum in vita Apollonij, lib.6.

o *Ostracismon.*] Aristoteles lib, 3. Politicōn c. 9. Probus Æmilius in Aristide. Plutarchus in ipso Aristide, & in Nicia, & in Pericle, & in Themistocle & alij, quos citabimus in verbo, Ea quidem Ostraca.

p *Argiuam.*] Menander in Phasmate apud Hesychium, & Plutarchus in Collectaneis.

q *Quæ comitia.*] Plutarch. in Aristide Magistratus primùm testarum numerum inibat: nam nisi essent sex millia testarum, ostracismus non erat perfectus.

r *Ea quidem Ostraca.*] Vt scripserunt magna ex parte ij, quos tibi citauimus ibi, Ostracismon, & præterea Diodorus Siculus libr. 2. non semel. & Philostratus in vita Apollonij libro 6.

s *Præter Theseum.*] Plutarchus in vita illius.

t *Solon.*] Idem in vita quoque illius.

u *Aristides.*] Cicero lib. 5. Tuscul. quæstio. vbi ob id illum patria pulsum fuisse dicit, quòd præter modum iustus esset. Plutarchus item in vita illius, & Niciæ, & Themistoclis.

x *Themistocles.*] Probus Æmylius in vita illius, & Plutarch. vterque in vita illius, & Diodorus Siculus lib.11.

y *Aliíque.*] Vt Thucydides, ex eodem Plutarcho in Pericle, & Plinio libr, 7. cap. 30. & Cimon, ex eodem Plutarcho, & Probo Æmylio in vita illius, & Damon Periclis præceptor, eodem Plutarcho in Aristide non adeo longe à princip.

z *Milciadem verò.*] Probus Æmil. in vita illius.

a *Id enim optimo.*] Vt patet ex superioribus. Sed adde & Argis quoque hunc ostracismum in vsu fuisse, teste Aristotele lib.4. Politic.c.3.

tur. [b] Syracusanis verò petalismus exilij genus fuit, quo efferentis se ciuis audaciam virtutémq; comprimerent. Hi enim non testula, sed in oleæ frondibus suspecti ciuis nomen inscribebant: & cuius folia plura existerent, illius conspicuam magnitudinem quinquennali exilio mulctabant. Fuitque finis ostracismi in [c] hyperbole ignobili, & minimæ sortis viro, qui vltimus hoc exilij genere exterminatus fuit. Postea [d] C. Gracchus incolumitati ciuium consulens, nequid in eos grauius consuleretur, alia sacrata lege sanciuit, vt qui in magistratu & honore positus, ciuem absque populi iudicio necasset, in eum populi animaduersio foret. Quam legem secuti principes, sempiterna constitutione sanxerunt. Insuper statuerunt, vt citra Senatus authoritatem, de nece Romani ciuis decernendi nulli facultas foret. [e] In eos verò qui Romani non sunt, ne impunè insultare liceret, pluribus legibus sanctionibúsque obuiam itum est: vt lege Iulia de vi, Cornelia de sicariis, & Aquilio plebiscito pœnis multifariam constitutis: quibus singulorum indemnitatibus salubriter consultum fuit. [f] Super seruis quoque, ne in eos grauius æquo domini animaduerterent, pœnæ sunt constitutæ: siquidem nequam & contumax seruus, vt plaustri lignum cui affigitur temo, quæ furca dicta est, in collo ferat, & eo quasi iugo subactus, manibus post terga reuinctis, per ora omnium circumferatur, à singulísque furcifer appelletur, velut vincti pedes & manus incedant: [g] nonnunquam pansicape, qua ori manus admouere prohibentur, opus faciant, [h] aut candenti lamina, vel litteris frontem & ora inurantur, & vultus inscribatur: vtque [i] neruo compedibus coerceantur, hac deformi nota velut insigni animaduersione affici solebant, vt ea ignominia affecti, maior illis verecundia esset ad facinus. [k] Pistrino quoque detrudi seruos, & damnari mancipia infida, vel notis barbaricis inuri, vt ob improbitatem insignes forent. [l] Tum post verbera & cruciatus vinculis, nuditate, fame, siti. & compedibus, numellísque, catenis, neruis, pedicis, boiis, & si crimen exposceret, cruce & lamina seruilem in modum affici, vetus peruulgata pœna fuit. [m] Apud Persas verò consuetum erat, vt si seruus ære coemptus aufugisset à domino, vinctus compedibus opus faceret: si autem sponte reuertisset, & fateretur admissum, flagellis cæderetur. Ipsis enim nimiam fuisse seruitutem, authores produnt: quippe cum nulli manumittantur apud Parthos, nullàque mancipia dempto seruitutis iugo libera fiant. [n] Contrà apud Indos & Taprobanæ incolas, quibus nulla fuit seruitus, omnésque vna ingenuitate tenentur. Babyloniis facinorosi serui & contumaces per crines trahebantur, vt facinoris admissi pœnas darent. [o] Germanis verbere seruum afficere, aut vinclis coercere habetur nefas: apud quos laxior seruitus erat, & libertinis pænè par: quippe sibi aquirunt serui, & peculium habent. [p] Proditum tamen est, Hilotas à Spartanis bello subactos, cum rebellassent, ab Agyde perpetua seruitute damnatos, vt dominis illos manumittere, aut extra Spartanos fines venundare non liceret. [q] Diogenes verò Cynicus Manem seruum, cum aufugisset, non modo verbere non affecit, sed liberè ire iussit, ac dimisit: turpe existimans Manem sine Diogene viuere posse, non autem Diogenem sine Mane. [r] Contra Lycurgus apud Spartanos seruorum petulantiam tam seuerè cohibuit, vt facinorosos seruos dominis interficiendi ius daret. [s] Deinde tam

Syracusani. Petalismus. Finis ostracismi. C. Grac. ebi lex. Alia lex. Lex de iis qui Ro. ciues necassent. Domino. rum in seruos potestas & animaduersio. Furca. Furcifer. Pausicape. Nota ſtigmatis. Pistrinum. Persarũ serui. Indis & Taprobanis nulli serui. Babylonii. Germani. Agis in Hilotas. Lycurgus.

ANNOTATIONES.

b *Syracusanis.*] Id vsque ad clausulam, Fuitque finis, est Diodori Siculi lib. 11.

c *In hyperbole.*] Plutarchus in Aristide.

d *Postea C. Gracchus.*] Asconius Pedia in 3. in Ver. act. Cic. autem in Orat. pro C. Rabirio, perduellionis reo, scribit ipsum C. Gracchum legem tulisse, ne de capite ciuium iniussu Quiritium iudicaretur. Sed & Pomponius in l. 2. §. exactis. ff de orig. iur. dicit, Regibus exactis, duos consules, constitutos fuisse, qui tamen, ne per omnia regiam potestatem sibi vendicarent, lege lata factum est, ne possent in caput ciuis Romani animaduertere iniussu populi.

e *In eos* &c.] Id totum est nostri iuris ciuilis tit. hic designatus: nisi quòd hic dicat, Aquileio plebiscito. intelligi de tit. ad legem Aquil.

f *Super seruis.*] Plutarchus in Coriolano & problem. cap. 70. & Donatus in Andria Terentij actio, 3. scena 5. in eum locum,

Oh, tibi ego, vt credam furcifer?

g *Nonnunquam pausicape.*] Pausicapem appellant machinulam collo seruorum circumpositam & orbicularem, qua ori manus admouere prohibebantur, ne farinam vorarent, quod παύσικα vocant, intus dum operarentur, vt etiam scribit Cælius Rhodiginus lib. 22. c. 22. nullo tamen authore citato, sed id est Eustatij Iliados lib. 22.

h *Aut candenti.*] Vide infrà in verbo, Tum post verbera.

i *Vtque neruo.*] Vide infrà ibidem.

k *Pistrino.*] Terentius in Andria act. l. scen. 2.

Verberibus cæsum te in pistrinum
Daue dedam vsque ad necem.

Verba sunt Simonis domini, id minantis Dauo seruo.

l *Tum post verbera.*] Hæc magna ex parte sunt Plauti in Asinaria act. 3. scena 2.

Perfidiæ laudes, gratiásque habemus meritò magnas
Cum nostris sycophantiis, dolis, astutiisque.
Scapularum confidentia, virtute vlmorum freti,
Aduersum stimulos, laminas, crucésque, compedésque,
Neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas: boias,
Tortorésque acerrimos, &c.

m *Apud Persas.*] Iostinus lib. 41.

n *Contrà apud Indos.*] Strabo libro 15. Idem (Megasthenes sub.) dicit neminem Indorum seruis vti. & eodem lib. paulò antè, dicit Indos iuuenibus pro seruis vti, dum adolescunt.

o *Germanis.*] Id vsque ad clausulam, Proditum. est Taciti in lib. de moribus Germanorum.

p *Proditum.*] Strabo lib. 8. Et de his dicemus alibi plenius. Sed tu interim vide eundem Strabonem libr. 6. Liuium 4. Dec. lib. 4. Plutarch. in Lycurgo.

q *Diogenes verò Cynicus.*] Laertius in vita illius.

r *Contra Lycurgus.*] Plutarchus in vita illius, & Heraclides in libello de Politiis c. 2. In seruos autem quatenus sæuire liceat, est in l. 1. C. de emenda. seruor. & in tit. Instit. de iis qui sui vel alieni iuris sunt.

s *Deinde tam Diuus Pius.*] Ex l. 1. ad fin. & l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur. & §. sed hoc tempore. & §. seq. Instit. eod. tit. & vide Macrobium lib. 1. Satur. cap. 2. post princip. Sed hic prætereundum non duximus, quod olim Romæ contigit, quòd cùm quidam paterfamilias (eius nomen non dicitur) seruum sub furca cæsum medio egisset Circo tum, cùm ludi magni pararentur: ob quod ingens pestilentiæ

Romæ

diuus. Pius quàm sequuti principes super dominorum potestate in seruos, salubriter consuluerunt, ne dominis plus æquo sæuire liceret, néve iniusta imperia dominorum noxæ forent, néve domini seruos quotidianis verberibus afficerent, sed loris cæderent. Quibus constitutionibus cauetur, vt in eum qui suum occidisset seruum, haud secus pœna diceretur, quàm qui alienum necasset. [t] Diuus quoque Hadrianus seruos à dominis occidi vetuit: sed si quid deliquissent, prætoris iudicio pœna affici præcepit, ita vt Vmbriciam matronam, quòd in ancillas supra modum sæuiret, in quinquennium relegasse ferant: quòd magis è republica duceret, permulcendo tractandóque seruorum animos * mites fieri quàm verbere. [u] Et tam ab his qui mancipio addicti aut ære coempti sunt, quàm his qui manu emissi libertatem meruerunt, debita iura dominis patronísque assertoribus constituit: nam iura patronatus post libertatem impensam seruo, dominis incolumia esse voluit, quæ ex certis causis patronus dominúsve amittebat siquidem si libertum seruúmve optimè meritum, dum famis periculum adiret, [x] patronus non aluit, aut si [y] inuitus libertatem dedit, lex [z] Ælia Sentia & diuus Pius ius patronatus patrono, & dominium domino ademit. Quod & [a] Claudius Cæsar sanxit, vt ægra & affecta mancipia si exponerentur, ab omni famulatu & seruitio immunia forent. [b] Item si ad iusiurandum libertum patronus adegit, ne nubat, néve vxorem ducat: eum ad ius patronatus lex pariter non admisit. [c] Tametsi lege Iulia de maritandis ordinibus, hæc iuraměta postea inducta & remissa fuerint. Fertur propterea Cato [d] senior malè audisse, tanquam asperior & durior, quòd ægra & affecta mancipia velut bruta animalia senio debilitata, domo exigeret, & victum negaret. [e] Contrà verò aduersus malè meritos, impuros & flagitiosos libertos, aut [f] si delatorem summisissent, [g] vel patroni nomen detulissent, [h] seu manifesti criminis rei forent, patrono ius reuocandæ libertatis, & vniuersa promerita abrogandi lege donabatur. [i] Quod ab Atheniensibus decretis edictísque cautum erat, vt contumax ingratúsque libertus sub mancipio esse, & seruire cogeretur, quoniam liber esse nescisset, quod [k] apostasium nuncuparunt. Seruos verò libertate donatos, [l] Lacedæmonij aphetas, [m] & adespotas, atque [n] eritheras dixerunt. [o] Massiliensibus libertus ter doli admissi reus aduersus patronum, velut mancipium seruire cogebatur, per singulas vices libertate rescissa: si quam veró offěsam quartò admisisset, domino imputabatur, & inultus ibat. quòd toties deceptus patronus, quartò se ei credidisset. [p] Claudius verò Cæsar libertinos qui se pro ciuibus agerent, publicauit: illos autem qui ingrati notarentur, reuocauit in seruitutem: qui etiam libertum, quòd patrono delatorem summiserat, vt de statu faceret, quæstionem. seruituti addixit. [q] Quod Nerone quoque imperante seruatum est: & frequenti senatu obtentum, de manumissis propter ingratitudinem in seruitutem reuocandis. [r] Nerua

*Diuus Pius. Hadrianus. * prosequi. Patronorum ius in clientes. Catonis in mancipia asperitas. Patronus in libertum ingratum. Edictum apud Athenienses in libertos ingratos. Apostasium. Apheta. Adespota. Eritheræ. Massilienses. Clau. Cæsar. Nero. Nerua.*

ANNOTATIONES.

Romæ oborta est, ad quam auertendam senatus decreuit, vt hi ludi quàm amplissimi fierent. Apud Dionysium Halicarnassæum lib.3. & iterum 7. & Liuium 1. Decad. libr. 2. & quod legibus Mosaicis non licebat in seruos sæuire, vt scribitur Exod. 21. & Deut. 15. de qua re etiam Plato in libr. de Specialibus legibus.

t *Diuus quoque Hadrianus.*] In d.l.2.§.vlt.eo.tit. vide l.1. C. de emend. seruo.

u *Et tam ab his.*] Hæc omnia videbis latissimè comprobata in nostris Commentariis in l. si vnquam, in verbo, Libertis. num. 31. incip. tum postremo. C. de reuo. donat.

x *Patronus non aluit.*] Ex l.D.Claudius.§.Imperatores. ff. de iur.patro. & l.alimenta. in princ. ff. de lib. agno. & l.si patronus non aluerit. ff. de bonis libert.

y *Si inuitus libertatem dedit.*] Ex l.si quis hac lege. ff. qui & à quib. manu.

z *Lex Ælia Sentia.*] In dict. l. si patronus aluerit. ff. de bonis libert.

a *Claudius Cæsar.*] Suetonius in vita illius, c.25. & Modestinus Iurisconsultus in l.2. ff. qui sine manu. ad libert perr.

b *Item si ad iusiurandum.*] Ex l.adigere. in princ. & propè per totam eam l. ff. de iure patrona.

c *Tametsi lege Iulia.*] In d.l.adigere.§.vlt.

d *Cato senior.*] Plutarchus in vita illius, & ipsemet Cato rei rusticæ. cap. 2. fin.

e *Contrà verò aduersus malè meritos.*] Tacitus libr. 13. quem posteà citabimus in verbo, Si manifesti criminis.

f *Aut si delatorem summisissent.*] Ex l.1. in fi. & d.l. D. Claudius. in princ. ff. de iure patron.

g *Vel patroni nomen detulissent.*] In d.l.1. in fin. Nam & idem è diuerso si patronus nomen liberti detulerit. l. eum patronum. §. 1. ff. de iur. patron.

h *Seu manifesti criminis rei forent.*] Ex Tacito lib. 13. At criminum manifestos meritò ad seruitutem retrahi, vt metu coërceantur, quos beneficia non commutassent.

i *Quod ab Atheniensibus.*] Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. & vide nostros Commentarios in d.l. si vnquam. vbi suprà citauimus.

k *Quod Apostasium.*] Aristoteles libr. politic. 3. cap. 8. quo Atheniensium Rempub. describit, & Lysias ad Aristodemum.

l *Lacedæmonij aphetas.*] Idem Cælius Rhodiginus libr. 25. cap. 20. sed nullo authore citato. vide eundem libr. 11. cap. 39. in antiquo. verùm id est Athenæi libr. 6. dipnosophistarum, cap. 7. ex Mycone Prianeo libr. 2. rerum Messanicarum.

m *Et adespotas.*] Id est sine dominio, nullius dominio subiectos ac veluti mancipatos apud Lysiam & ex eo Pollucem lib. 3. onomasticon, c. 8 & Athenæum vbi suprà ex ipso Mycone. Nam & hũc librum ἀδέσποτον vocat Diuus Hieronymus ad Euagrium, qui nullũ authoris, aut domini titulum præfert. Misisti, inquit volumen ἀνώνυμον καὶ ἀδέσποτον, & nescio vtrum tu de titulo nomen subtraxeris, an ille qui scripsit, vt periculum fugeret disputandi. Et ἀδέσποτον ὑπόμνημα, apud Plutarchum in vita Ciceronis in qua scriptoris nomen nullum est. Et tumores ἀδέσποτοι, sine authore apud ipsum Ciceronem lib. epist. fam. 15. c. 17. Et sic de similibus.

n *Atque Eritheras.*] Ericteras scribit Cælius Rhodiginus vbi nuper citauimus, nec alium quempiam citat, sed id est Myconis & Athenæi vbi suprà.

o *Massiliensibus.*] Valerius Max. lib. 2. c. 1.

p *Claudius verò Cæsar.*] Sueto. in vita illius, c. 25.

q *Quod Nerone quoque imperante.*] Cornelius Tacitus lib. 13. Cuius hæc verba sunt, Per idem tempus actum in Senatu de fraudibus libertorum, efflagitatúmque vt aduersus malè meritos reuocandæ libertatis ius patronis daretur. & reliqua quæ sequuntur.

r *Nerua Cæsar.*] Dion. in vita illius, past princ.

Sylla. *D. Seuerus.* *Liberti qui leuiter peccassent.* *Taciti Cæsaris edictum.* *Tiberius.*

Cæsar seruos à quibus dominos accusatos reperit, velut ingratos iussit occidi. [s] Quod in seruo Attetij proscripti populus Romanus fecisse proditur, quem velut ingratum in seruitutem reddidit denuò, quòd proscripto domino buna & liberos occupauit: [t] sicut Sylla de saxo deiecit seruum Sulpitij domini proditorem, vt sibi gratificaretur. [v] Diuus autem Seuerus cauit edicto, ne serui delatores dominorum audiantur, sed pœna mulctentur seueriori. Si verò leuiter offendissent, aut contumeliam conuiciúmque fecissent, vel dicto minus audientes forent, vltra vigesimum lapidem in tertiam oràmve Campaniæ relegandi, domini arbitrium erat, vel vt ferrum traderet:tum vt amplexos hominum vitarent & à foribus domini arcerentur: fuitque [x] aliquando in vsu, vt de seruis in dominos nec quæstio haberi, nec iudicium dari posset. [y] quod Tacitus Cæsar cauit edicto, vt ne maiestatis quidem causa contra dominorum capita serui admitterentur, aut per eos inquirerent magistratus. Nec solum serui in dominos, [z] sed nec patroni in clientes testimonium valuit: quod à Romulo primùm edita lege cautum. [a] Propterea Tiberius, vt contra Libonē per seruorum quęstiones inquireret, fraudem legi fecisse dicitur, quòd illos emancipari, & deinde per tormenta inquiri iussit, donec post temporum curricula [b] Caius imperator seruis, siquid quererentur de dominis, passim accusandi, & contra eos lege agendi facultatem dedit. Est tamen obseruatum, vt si quem ex seruis dominus de ergastulo aut vinclis relaxaret, eateoas à manibus pedibúsque quibus vinctus fuerat, quandoque incideret, vt vinclorum pars in corpore maneret quo argumento signabant seruúm minus iuste vinctum fuisse, neque iustam seruitutem seruisse, nullúmque ius patroni domino competiisse, illúmque pristinæ libertati, ac si nunquam vinctus fuisset, restitutum. [c] Et tametsi seruos profugos leges suscipi vetarent inuitis dominis, tamen qui capti bello [d] ad imperatorum regúmque statuas confugissent velut ad asylum, nexu soluebantur, & immunes erant: in eos enim manus iniectio non erat. [e] Nàmque Ephesi templum Dianæ id iuris habuit, vt ad illud confugientes, mancipio soluerentur: quod Alexander ad stadium produxit: postea ab Augusto sublatum, ne proposita impunitatis spes, facinoribus causam daret. Primùm enim Cadmus dum Thebas conderet, asylum aperuisse fertur, ad quod fugientes sine discrimine serui aut liberi, ab omni pœna tuti erant. [f] Nonnulli à prognatis Herculis asylum Athenis primò instit[u]tum ferunt, ad quod à partibus oppressis confugere fas erat. Post [g] quod in Rhetæo littore fuit Aiacis asylum, & in Sigæo [h] Achillis: [i] quorum exemplo Romulus & alij asylum

Serui capti ad regum imperatorumque statuas confugissent. *Dianæ Ephesiæ templū Asylum.*

ANNOTATIONES.

s *Quod in seruo Artetij.*] Legendum est Atetij ex Appiano, qui id retulit libro 4. bellorum Ciuilium, pagina 416. vnde Græcum.

t *Sicut Sylla.*] Plutarchus in vita illius. Cæterùm Sulpitius, seruo prodente, cæsus est: quem Sylla, prius libertate donatum, præcipitauit è saxo.

u. *D. autem Seuerus.*] Vide in vita illius, & alicubi in nostris legibus. Verùm id aliquando fallit, vt nostri loquuntur, vt in l. in certis. ff. de iudic. l. mulierem. §. vlt. ff. de accusar. & l. 1. ff. ad leg. Iul de anno.

x *Fuitq; aliquando in vsu.*] Vt videre licet prope per totam eam l. sed maximè in §. Antoninus. & alibi sæpe not. eo. tit.

y *Quod Tacitus Cæsar.*] Flauius Vospicus in vita illius, verùm nostris legibus aliter cautum est. l. meminisse. in fin. C. ad leg. Iul. maiest. nam & audiuntur serui deferentes dominos & liberti patronos. in hoc communis l. famosi. versic. serui quoque. ff. eodem titul. & l. penult. in fin. C. qui accus. non possunt.

z *Sed nec patroni in clientes.*] Dionysius Halicarnassæus libr. 2. Plutarch. in vita ipsius Romuli. Cato Censorius in oratione, quam dixit apud Censores in Lentulum, & ex eo Gellius lib. 5. c. 13.

a *Propterea Tiberius.*] Cornelius Tacitus lib. 2.

b *Caius Imperator.*] Athenien. quoque legibus, seruorum iniuriæ & accusationes audiebantur, vt & liberorum, vt patet ex Hiperidis Oratione contra Mantitheum, & Lycurgi in prima Oratione contra Lycophrontem, & Demosthenis contra Mediam, & ab his Athenæi lib. 6. c. 7.

c *Et tametsi seruos profugos.*] Apuleius lib. 6. Metam. Legibus, ait, quæ seruos alienos profugos inuitis dominis vetant suscipi, prohibeor. Vide ibi Beroaldum.

d *Ad Imperatorum Regúmq; statuas.*] Nostris legibus non semel fit mentio eorum, qui ad statuam Cæsaris, vel ad statuam sacram confugiunt, vt in l. quis sit fugitiuus. §. apud Labeonem. versic. nec eum quidem. ff. de ædil. edict. & in l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur. Vide ibi gloss. & l. 1. C. de his qui adstat. confug. & §. vlt. Inst. de his qui sui vel alie iur. sunt. Et apud alios quoque: nam Seneca, Licet, inquit seruis ad statuam confugere, quanto magis licere debet liberis & ingenuis? Et Sueton. in Tiberio, Nouissimè calumniatus, modò ad statuam Augusti, modò ad exercitus confugere velle, Pandatariam relegauit. Hæc ille. Sed quod postremo loco dicit de exercitu, intelligit interpres alter de exercitu Germanici mariti Agrippinæ, de qua ille loquitur, vt imploraret auxilium militare aduersus Tiberium & seditionem concitaret. Quæ quidem interpretatio minimè repudianda est: sed tamen aliter intelligi potest, vt, scilicet, ad militaria signa confugeret, veluti ad asylum. Ea enim asylē vim habebant, vt statuæ Augusti, vt colligitur ex Cornelio Tacito libr. 1. cuius hæc sunt verba, Planco maximè, quem dignitas fuga impediuerat, neque aliud periclitanti subsidium, quàm castra primæ religionis, illic signa & aquilam amplexus, religione se tutabatur. Et Ammianus Marcellinus lib. 25. Qui fraudum conscius & nexorum ad militaria signa confugit.

e *Namque Ephesi.*] Id vsque ad clausulam, Primum omnium. est Strabonis lib. 14. Sed & quòd ibi asylum fuerit, planum est, ex Cicerone in 3. in Verrem actio.

f *Nonnulli à prognatis Herculis.*] Seruilius lib. 2. Æneidos in eum locum,

Et iam porticibus vacuis Iunonis asylo.

Et iterum lib. 8. ibi,

----Quem Romulus acer asylum
Retulit.

Et vtrobique authoritate Statij lib. 7. cuius in eam rem hi versus sunt,

Fama est defensos acie post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.

g *Post quod in Rethæo littore.*] Seruius lib. 6. Æneid. in eum locum,

Tunc egomet tumulum Rhetæo in littore inanem
Constitui.----

h *Et in Sigæo Achillis.*] Strabo li. 3. & Seru. d. lib. 6. vbi suprà.

i *Quorum exemplo Romulus.*] Virgilius lib 8. Æneid.

Hunc

aperuere, quò accedentes impunitate donabantur. [k] Apud Molossos, [l] Samothraces, [m] Crotoniatas & [n] Messenios ac [o] plerosque ad deorum aras confugisse, pro asylo habitum est, velut libacensibus Iouis Seruatoris ara. Delictis enim non voluntariis refugium esse eras putauere: [p] Atheniensibus Thesei sepulchrum id iuris habuit, vt serui ad illud confugientes, nexu soluerentur. [q] Et Spartæ Chalciœcum Mineruæ templum, ad quod [r] Pausánias fugiens, obstructo aditu, morte mulctatus fuit: & [s] aliud Chalcicon, ad quod Agis confugit. Et [t] in Tænaro Neptuni phanum, ad quod Cleombrotus & in [u] Calauria insula in Ægæo etiam Neptuni templum, ad quod Demosthenes cum aufugisset, ab omni violenta incursione Archiæ mansit illæsus: atque [x] in Thracia Dianæ templum inter Clitoriom & Cynætham: & in [y] Aspendo Pamphyliç, Tiberij statuæ pro asylo fuere. [z] Sicut Dianæ Leucophrienæ oppressis perfugium inuiolabile fuit [a] Palladis quoque templum velut asylum Lacedæmonij venerantur, in quo nocentes etiam capitis damnati, incolumes fiunt. Et in [b] Aphrodisio & Papho Veneris, [c] apud Stratonicenses Iouis & Triuiæ templa, [d] Siculis Palisciara, [e] in Peloponneso Hermoniæ phanum sacrum Cereri & Proserpinæ, [f] in Ephelo Artemisium, Pergami [g] ædes Æsculapij, in Gręcia Calydonię Palladis templum, tantæ dignationis fuere, vt capitalem fraudem ausi, aut pecunia iudicati, qui ad illa confugissent, noxa pecuniâque exoluerentur. [h] Apud Scythas qui ad Riphæos confugissent, tanquam sacrosanctos, sui iuris & arbitrij erant: sicut [i] in Ægypto in Osiridis asylo iuxta Saim: & in [k] Conopo Herculis templo, ad quod serui confugientes, si initiari forent, opprimi aut vi cogi non poterant. Traditúmque memoriæ est, in Libya oppidum fuisse. ad quod siquis

Iouis Seruatoris. Thesei sepulchrum.

ANNOTATIONES.

Hunc locum ingentem, quem Romulus acer asylum
Rettulit. ——

Strabo lib 5. Dionysius Halicarnassæus lib.2. Liuius 1. Dec. lib. quoque 1. Ouid. lib.3. Fast.

Romulus vt saxo lucum circundedit alto,
Cuilibet, Huc, dixit, confuge, tutus eris.

Propertius lib.4. eleg.1.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
Centum illi in prato sæpe Senatus erat, &c.

Iuuenalis satyr.8.

Et tamen, vt longè repetas, longéque reuoluas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.

Plinius Secundus, aut quisquis is est, de viris illustrib. ca. 2. vbi de Romulo. Plutarch in vita Romuli, Macrobius lib.1. Saturn. c 6. Seruius suprà d. lib. 2. Lactantius lib.2. c.7. Horatius lib.1. Car. Ode 12.

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili Regum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile lethum.

Eutropius lib.1. cap.4.

k *Apud Molossos.*] Plutarch. in vita Themistoclis, & Diodorus Siculus lib.11.

l *Samothraces.*] Plutarch. in Paulo Æmylio non semel, & in Pompeio.

m *Crotoniatas.*] Diodorus Siculus libro 12. non multò post princip.

n *Et Messenios.*] Pausanias lib.4. qui de Messeniacis est.

o *Ac plerosque.*] Vt Corcyreos ex Diodoro Siculo lib. 12.

p *Atheniensibus Thesei sepulchrum.*] Plutarch. in vita illius ad finem.

q *Et Sparta Chalciœcum.*] Thucydides lib. 1. Probus Æmylius in vita Pausaniæ, Diodo. Siculus lib.11. Plutarch. Parallelorum c.21. Ælianus de varia historia, lib.9. ad fi. Id autem templum ęreum fuisse tradit Liuius 4. Decad. lib 5. quod & satis nomen ipsum indicat.

r *Pausanias.*] Probat Æmylius, & Plutarchus vbi suprà.

s *Aliud Calchicon.*] Plutarchus in vita Agidis. vide Gręcum, & an sit id quod Calaurium alibi vocatur.

t *Et in Tenaro Neptuni.*] Thucydides libr. 1. & Plutarch. in Pompeio.

u *Et in Calauria* &c.] Strabo lib. 8. & Plutarchus in vita ipsius Demosthenis, vbi paulò aliter id recenset, & in vita Pompeij.

x *In Thracia Diana.*] Polybius lib.4. Adde & in Samo eiusdem Dianæ, secundùm Herodotum lib.3.

y *Et in Aspendo Pamphylia, Tiberij.*] Philostratus in vita Apollonij lib.2.

z *Sicut Diana Leucophriena.*] Cornelius Tacitus libro 3. Huius autem Dianæ meminit Pausanias libr. 1. & 3. sed de asylo nihil dicit. Meminit item Appianus Alexandrinus bellorum ciuilium libro 5. non adeò longè à princip. vbi Cleopatram, Ægyptij reginam sororem suam Arsinoëm supplicem Mileti in Leucophryenæ templo interimi iussisse refert.

a *Palladis quoque templum* &c.] Non memini me legisse aliud fuisse Palladis templum, quod asylum esset, præter illud Chalciœcum, id est, æreum, de quo suprà in verbo, Et Sparta Chalciœcum.

b *Et in Aphrodisio & Papho Veneris.*] Vtriusque testis est Tacitus dict. lib.3.

c *Apud Stratonicenses.*] Tacitus in eodem lib. vbi etiam de vtroque loquitur.

d *Siculis Palisci ara.*] Palici legendum est ex Virgilio lib.9.

Pinguis vbi placabilis ara Palici.

Et ibi Seruio & Diod. Sicu. lib.11. paulo ante fi. Macrob. lib. Saturn. 5. ca.19. Lactantio Grammatico in Statium libr. 12. Thebaid. & Stepha. in lib. de Vrbibus.

e *In Peloponneso Hermiona.*] De hoc nihil comperi, nisi quod scribam infrà in verbo, Qui tamen Samiæ, &c.

f *In Epheso Artemisium.*] Artemisium idem est ac si dicat, Diuinum. Nam Diana Græcis ἄρτεμις dicitur, cuius appellationis causam tradunt Plato in Cratylo, Macrobius libr. 7. Satur. c. 6. eodémque vlt. Templum autem Ephesiæ Dianæ asylum fuisse, scribit Strabo lib.14.

g *Pergami ædes Æsculapij.*] Cornelius lib.3.

h *Apud Scythas, qui ad Riphæos confugissent.*] Legem Arimphæos ex Solino, cuius id est cap.27. aut aliorum computatione 21. Pomponio Mela libr.1. cap. vlt. ad fin. Plinio lib.6. cap.13. post principium. Hos autem Herodotus in Melpomene Argippæos vocat, quos sacros esse dicit, & ad quos (inquit) quisquis confugit, is à nemine læditur. At Martianus Capella libro 6. Aryphæos hos nuncupat, ad quos, ait, velut ad quoddam asylum confugiunt metuentes.

i *Sicut in Ægypto.*] Strabo lib. 17. Duobus schoenis à flumine distat Sais, & paulò supra eam est Osyridis asylum, in quo Osyrim iacere arbitrantur.

k *Et in Conopo Herculis templo.*] Herodor. lib.2. Erat (inquit) ad hostium Nili Herculis templum quod vocatur Conobicum, àd quod siquis cuiuscumque hominis seruus confugiens, capiat sacras notas, sese deo tradens, eum nefas est tangere. Ex quo intelligis hîc legendum Conobo, siue Conobico, non Conopo. Vide tamen Græcum. Quanquam & ipse Hercules dictus sit Conopæus, & Conopion, & Conopius, vt iam alibi diximus.

Cinna.

Immunitas asylorũ per Tiberium abrogata.

Seruorũ nomina.

seruus lapidem importasset, liber & sui potens erat: & Dulopolin in eadem id iuris habuisse, vt qui seruus ad eam aufugisset, omni nexu solueretur. [l] Cinna verò ciuili manente bello, eum per præconem edixisset, vt serui ad eum confugientes velut ad asylum liberi forent, illósque ad pileum vocasset, magnas seruorum & perditissimorum manus coegisse fertur.[m] Sed cum propter asylorum impunitates, multa facinora admitterentur magna licentia, Tiberius Cæsar, ne impunita essent crimina, immunitates asylorum abrogauit, & exoletũ morem antiquauit: qui [n] tamen Samiæ Iunoni & Æsculapij delubro ius veteris immunitatis ob religionem restituit. Neque omittendum, seruis [o] apud Romanos Statij, [p] Dionysij, necnon [q] Stychi, & Heræ frequens nomen fuisse: sicut [r] Athenis Dauus & Geta. cum enim Daci antea Daui dicerentur, ad Istri fontes bello subacti, Atheniensibus seruierunt, inde seruile nomen Daui & Getæ posteris reliquerunt. [s] Apud Syros Dama, [t] in Paphlagonia Tybius, apud Phryges [u] Manes & Mida [x] seruile nomen fuit, Lacedæmoniorum serui peculiari nomine [y] Helotæ, Argiuorum [z] Gymnetæ, [a] Cretensium Epharmiotæ, [b] Clarotæ [c] & Mnotæ dicuntur: [d] Thessalorum Penestæ, Syracusanorum Eustatoni, [e] Mariandynorum serui Do-

ANNOTATIONES.

l *Cinna verò.*] Appianus lib.1. bellorum ciuilium.

m *Sed cum propter*, &c.] Suetonius in Tiberio, c.37. Cornel. Tacitus non vno in loco.

n *Qui tamen Samia Iunoni.*] Tacitus de his duobus libr. 4. Sed præter asyla suprà memorata, fuere alia plurima scilicet Phanum Æaci in Ægina, ad quod cùm aufugisset Hyperides ille orator celeberrimus, Demosthenis æmulus, per vim detractus est, teste Plutarcho in Demosthene. Et templum Iunonis Troiæ Virgilio memoratum lib.2. Æneid. non longè ante fin.

Etiam Porticibus vacuis Iunonis asylo.

Et Phanum Telluris in Hermione, apud Plutarchum in Pompeio, vbi & ipse tradit asyla fuisse in Epidauro Æsculapij: in Isthmu, Neptuni: in Actio & Leucade, Apollinis. Et in Samo, Argis, & Lucania, Iunonis. Et in Clario & Didymeio. Quibus item adde Iunonis Luciniæ delubrum apud Brutios, vt scribit Liuius 3. Decad. lib.10. Et templum Apollinis Delij quinque millia passuum à Tanagra distans, ex eodem Liuiò 4. Decad. lib.5. ad fin. Et Alexandriæ asylum damnatorum capitis & exulum apud Cæsarem libr. 3. belli ciuil. Aliud Corinthi ex Strabone libro 10. Et in delubro Iouis apud Tanium emporium ex eodem libro 12. Et Romæ Palladia templum Plutarcho parallelorum cap. 22. Item Athenis in templo Misericordiæ, vt tradit Seruius lib.8. Æneid. Et astruit Statius lib. 12. Thebaidos illis versibus.

Vrbe fuit media nulli concessa potentum.
Ara Deûm, mitis posuit clementia sedem,
Et miseri fecere sacram &c.

Aliud etiam Mineruæ in ipsis Athenis asylum fuisse ex eo videri potest, quod scribit Pausanias lib.1. Syllam, quia Aristionem, qui in Mineruæ templum aufugerat, vi extractum interimi iussisset in illius tetertimi morbi genus incidisse, quem Phthiriasim Græci, Pedicularium Latini vocant.

o *Apud Romanos Statij.*] Gellius lib.4 c.vlt. author eius libri de Magistratibus Romanis, qui Fenestellæ vulgo tribuitur, cap.17.

p *Dionysij.*] Horatius inter nomina seruorum Dionysium posuit Serm.lib.1. Satyra 6.

Túne Syri Dama, aut Dionysi filius audes
Deijcere è saxo ciues, aut tradere Cadmo?

Et Cicero lib. episto. familiarium 13. epist. antepen. Dionysij sui serui meminit.

q *Stychi.*] Apud Plautum in Stycho, seruus est nomine Stychus, qui illi fabulæ nomen dedit.

r *Sicut Athenis Dauus & Geta.*] Hæc vsque ad clausulam, Apud Syros, est Strabonis libr. 7. Est autem Dauus nomen serui apud Terent. in Andria, & Phormione. Et Geta etiam apud eundem in Adelphis, atque etiam in Phormione, & Plautum in Truculento.

s *Apud Syros Dama.*] Horatius suprà in verbo, Dionysij. posuit & id nomen Daui inter nomina seruorum, vt & Syri. Pomponius in l. in vulgari. §.1. de verb. sig. Si quis, inquit, in testamento scripserit, Si quid filio meo acciderit, Dama seruus meus liber esto. Sed an id Syriæ esset non exponit. At ex eo satis constat Daman serui nomen fuisse apud quosdam populos. Syros autem seruorum natos diceinus inferius lib.4. c.13. ex Liuio 4 Decad. lib.6.

t *In Paphlagonia Tybius.*] Strabo d. lib.7.

u *Apud Phryges manes.*] Strabo d. lib.7. Erat autem Diogeni Cynico seruus eo nomine. qui cùm ab eo aufugisset. consulerentque amici, vt illum quæreret, Ridiculum est (inquit) si Manes absque Diogene viuat, Diogenes absque Mane viuere non possit: author Laërtius in vita illius. Id autem nomen est à furore inclinatum, vnde ad æneam statuam translatum, quem cottaborum lusui adhibebant. Aristophanes, μαχαιρεῖ@ ὁ μανης, id est, ἀναιδὴς καὶ μανικὸς, vt continuò declaratur.

x *Et Mida.*] Idem Strabo d. lib.7.

y *Helota.*] Aristoteles lib.2. Politicõn, c.7. & 8. Heraclites in Politicis vbi de Lacedæmoniis loquitur. Herodotus libr. 9. Liuius 4. Deca. lib.4. Strabo lib.6. & 8. & 15. Dionysius Halicarn. lib.2. Plato lib.6. de legibus Plutarchus in Lycurgo. Pollux lib.3. Onomasticon lib.8. ad fin. vbi ita de his loquitur, vt apud Lacedæmonios fuit medij inter liberos & seruos, μεταξὺ δὲ ἐλευθέρων καὶ δούλων λακεδαιμονίων εἵλωτες. Quòd & idem dicit de cæteris, in quibus illum statim citabo. Et de his quoque alibi diximus. Id autem nomen duxerunt à Laconiæ ciuitate, quam Heles vocant, vt tradit Thucydidis interpres.

z *Arginorum Gimneta.*] Pollux vbi suprà ἀργείων γυμνῆτες.

a *Cretensium Epharmota.*] Arist. lib. polit. 2. c.3. Vide Græcum, & Strabo libr.15. vbi tamen eos Ephamiotas vocat, nisi ibi mendum sit, sed vide Græcum.

b *Clarota.*] Pollux vbi suprà κλαρῶται. Callistratus Aristophanis, & Ephorus lib.3. historiarum, & Athenæus lib.6. c.7. vbi eius nominis rationem reddit, quòd scilicet ex sorte in bello seruiebant.

c *Et Mnota.* Pollux vbi suprà ex quo intelliges hîc scribendum esse Mnoitæ μνῶται. Nam & publicam seruitutem Cretenses dicebant Mnoem. vt in secundo rerum Cretensium scribit Sosicrates, & ex eo Athenæus vbi suprà. Hiq; appellabantur Minœus cœtus, vt tradit Strabo lib.12. Quanquam Hermo in linguis Creticis apud ipsum Athæneum Cretenses senes nobiles Mnotas appellat. Stephanus autem Cretensium seruos δμωίτας vocat.

d *Thessalorum Penesta.*] Πενέσται. Plato lib.6. de legibus, vbi de seruis loquitur. Aristoteles lib.2. politicon c. 7. Strabo libr. 12. Dionys. Halicarn. lib.2. Philippus Thengellensis in Commentariu de Caribus & De legibus, & Diostadæ li.4. rerum Creticarum, & ex iis Athenæus Dipnosophistarum 6. & 7. vbi & alios quoque citat.

e *Mariandynorum serui Doryphori.*] Pollux vbi suprà. sed de his ita loquitur Strabo dict. lib.2. vt videatur velle Milesios subegisse & in seruitutem redegisse Mariandynos, quasi serui ipsorum Milesiorum, Mariandyni dicti sunt: vt Penesti

Thes

ryphori, [f] Sicyoniorum Corynephori appellati ſunt.[g] Pelatæ verò & Thetes liberorum quidem nomina fuere illorum, qui coacti inopia, ſeruilia præſtabant, ſicut [h] Callicyrij in Creta, & Syracuſanis[i] Arotæ & Callyrij. Præ cæteris [k] autem Iones præcipui inter ſeruos habiti, & velut inſignia mancipia nobilitati ſunt.[l] Quare Callicratidis Lacedæmonij verbum fuit, qui interrogatus cuiuſmodi ſibi viderentur Iones, faceciſſimè reſpondit, frugi ſeruos, liberos vtique malos.[m] Quod Ageſilaus de Aſiaticis iudicauit: & [n] vulgo de Caligula proditum eſt, nec ſeruum meliorem, nec deteriorem dominum fuiſſe.[o] Athenienſes verò Harmodij & Ariſtogitonis, qui Hippiam interfecerunt, velut deuota nomina libertati, tanti fecerunt, vt lege ſanxerint, ne illa ſeruis indere liceret.[p] Quo exemplo Domitianus Metium Pompoſianum, quod nomina Magonis & Hannibalis ſeruis indidiſſet, ſupplicio affecit, tanquam clariſſimorum virorum nomina ſeruili contagio polluiſſet: [q] præter quæ conſtans obſeruatio Romanis fuit nimium diu ſeruata, ne ciuis Romanus quouis crimine obnoxius relegaretur, donec haud magno interuallo id ſeruare deſiere. Primus enim L. Lamia Romanus ciuis à Gabinio conſule relegatus fertur, & poſt eum plures legum iudiciorúmque pœnis affecti: fuitque animaduerſum, ciuilibus bellis captos, velut hoſtes in prædam verti, & venum ire non licuiſſe, [r] ſemperque leuius ſeruitium apud Romanos deditis, quàm captis fuiſſe. [s] Græcóſque perraro ſeruitutem ſeruiſſe: quare illorum nullus mercatoribus dabatur locus: [t] ſicut Perſarum, qui nunquam Romæ ſeruiere, niſi ſub Alexandro Seuero imperatore, licet mox adhibito precio ad ſuos redditi ſint.[u] Ponticóſque & Lydios ſeruos, aut Phrygios gregatim Romæ venire.[x] Thracibúſque peculiare eſſe ſale coempta mancipia habere, ſicut [y] Lemniis vino mercari.

Iones ſerui præcipui.

Callicratidis facetu reſponſio.

Romani ciues non relegati.

Lenius ſeruitium deditis, quàm captis.

Sale & vino empta mancipia.

ANNOTATIONES.

Theſſalorum. Sed vide Athenæum aliter in ceferentem ex aliis quo loco nuper citauimus. Doryphori autem liberti meminit Suetonius in Nerone, cap. 29. Et trium ſimulacrorum Doryphororum Plinius libr. 34. cap. 8. Primom Polycleti Sicyonij, alterum Creſilai, tertium Ariſtodemi. Porrò id vocabulum peræque eſt ac ſi dicas haſtigeri ſiue haſtiferi.

f *Sicyoniorum Corynephori.*] Pollux vbi ſuprà, ſed aliter Plutarch. in Solone, vide eundem in Arato. Ea autem vox ſignificat clauigeros, ſiue clauam gerentes, vel claua pugnantes. At Theopompus libr. 33. hiſtoriarum & Menæthmus lib. 2. rerum Sicyoniarum. Apud Athenæum d. libr. 6. cap. 7. ſcribunt ſeruos catanophoros apud ipſos Sicyonios vocari & id quoque tradit Stephanus. Et adde ſeruos Strotas vocari ex Plutarcho in Pelopida. Et Gallos Ambactos ex Cæſare lib. 6. Commentariorum. Nam & Feſtus lib. 1. ſcribit apud Ennium lingua Gallica Ambactum ſignificare ſeruum licet in nonnullis codicibus Ampactum legatur. Vide Robertum.

g *Pelatæ verò & Thetes.*] Pollux d. libr. 3. cap. 8. paulo ante eum locum ex quo illum ſæpe citauimus, πελάται δὲ καὶ θῆτες ἐλευθέρων ἐστὶν ὀνόματα διὰ πενίαν ἐπ' ἀργυρίῳ δουλευόντων. Hoc eſt, Pelatę autem & Thetes liberorom ſunt nomina ob paupertatem mercede, ſiue pecunia, vel argento ſeruientium. Plutarch. autem in Romulo tradit Romaoos clientes appellare, quos Græci vocant πελάτας. At Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. Athenienſes clientes θῆτας à ſeruitute, Theſſalos verò πενέστας, exprobrantes eis ſtatim in appellatione ipſa fortunam.

h *Sicut Callicyrij in Creta.*] Cælius Rhodiginus lib. 25. c. 18. hos vocat Cillicyras.

i *Et Syracuſanis Arotæ & Callyrij*] Arotras illos appellat Cælius vbi ſuprà.

k *Præ cæteris autem Iones.*] Apud Herodotum Scythæ non abs re iudicarunt Iones tanquam non liberos, ſed peſſimos & ignauiſſimos omnium hominum, déque eis, tanquam de ſeruis loquentes, maocipia dominos amantia eſſe aiunt, & inſectatione digniſſimos.

l *Quare Callicratidis.*] Plutarc. in Apophtheg. Laconum, vbi de ipſo Callicratide loquitur.

m *Quod Ageſilaus.*] Hæc enim illius verba ſuot, τοὺς δὲ Ἰωνίαν κατοικοῦντας ἐλευθέρους μὲν κακοὺς [illegible] δούλους δ' ἀγαθούς. Teſtis idem Plutarch. in Apophthegmatis Imperatorum, vbi de eo loquitur in princ.

n *Et vulgò de Caligula*] Id dictum fuit Paſſieni Oratoris apud Cornelium Tacit. lib. 5.

o *Athenienſes verò.*] Idem Beroaldus in Suetonium, quo loco ſtatim citabimus, ſed nullo authore citato, verùm id proditum eſt à Gellio lib. 9. c. 2.

p *Quo exemplo Domitianus.*] Suetonius in vita illius cap. 10 Aliter Dion: nempe quòd præter cætera haberet orbem terræ pictom in parietibus cubiculi, quodque conciones Regum & cæterorum Principom, quæ ſunt apud Liuium ſcriptæ, euolueret & ſtodioſè legeret: quódque Veſpaſianus acceperat ex aliqoo reſponſo eum regnaturum.

q *Præter quæ.*] Totus hic locus vſque ad verba, Fuitque animaduerſum. ſumptus eſt à Tullio libr. epiſtol. familiarium 11. epiſtol. 16. Cuius hæc verba ſunt loquentis de ipſo L. Lamia: Nam Clodianis, inquit, temporibus cùm equeſtris ordinis Princeps eſſet, próque mea ſalute accerrimè propugnaret, à Gabinio conſule relegatus eſt: quod ante id tempus ciui Romano contingit nemini: Quod & ipſum magna ex parte repetit idem Cicero eiuſdem operis epiſtol. penult. & in Oratione ipſius Ciceronis in Piſonem.

r *Semperque leuius ſeruitium.*] Vide infrà lib. 4. c. 7.

s *Græcóſque perraro.*] Vide Apophthegmata Laconica.

t *Sicut Perſarum.*] Ælius Lampridius in vita Alexandri Seueri.

u *Ponticóſque & Lydios.*] Appiaous libr. 2. bellorum Ciuilium.

x *Thracibúſque peculiare.*] Ex quo Comicus quiſpiam à Zenodoto in collectaneis relatus,

θρᾷξ ἀνητὸς ἐν ἁλσὶν ἠγορασμένος.

Geocroſus es Thrax ſale redemptus ſcilicet.

y *Sicut Lemniis vino mercari.*] Id ſumptum eſt ex Homero lib. 7. Iliados ad finem, vbi ſcribit Lemnios magnā vini copiam in exercitum Græcorum duxiſſe: ex quibus Græci ipſi vinum emebant, alij ęre, alij ferro, alij bobus, alij mancipiis alij aliis rebus. Carmen Homeri eſt huiuſmodi,

νῆες δ' ἐκ Λήμνοιο παρέστασαν οἶνον ἄγουσαι
πολλαί

Et paucis interiectis,

ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί,
ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῇσι βόεσσιν,
ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι.

Qui ludi apud Romanos frequentes fuerint, qui apud exteros, quave sint nuces ocellata apud Tranquillum.

CAPVT XXI.

Latrunculorum ludus. LVDVS [a] calculorum veteribus præcipuus fuisse traditur, qui [b] & latrones dicti. hi enim in duas diuisi turmas erant, colore diuersi, quorum alij milites alij hostes: horum lusus erat, vt turmis instructis velut qui congredi acie parant, hinc inde sub hostium imagine procederet, ac præscripto fine, quoad quisque progredi debeat: ita cauere oportebat, vt dum hostem quisque inuadere nititur, alterius nō pateat incursibus: [c] qui etiam ex gemma fuere, viris & mulieribus frequens, à melioribus & summis honoribus vel maximè cultus & celebratus, [d] quem Palamedes inuenisse proditur, ad comprimēdas otiosi exercitus seditiones. [e] Post quos fuere tali eburnei sex angulorum æquali latitudine, tesseræ [f] verò [g] quatuor: namque erant figuræ ex omni latere quadratæ quas [h] Græci κύβους vocant. [i] Sed tamen in iactu tesseris vtebantur tribus, talis verò quatuor: in quibus figuræ effictæ vicem numeri habebant, sed quinarius numerus non erat in talis sicut in Tesseris. Tali autem, [k] astragali Græcè dicti: [l] & astragalizontes, talis ludentes. Geminum verò quadratum,

Tali. Tessera. κύβοι. Astragali.

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

a *LVdus calculorum.*] Extat Martialis apophoretum calculorum libr. 14. cap. 20. quo hunc ludum belli describit,

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

Quin & Ouidius lib.3. de Arte amandi non minus aptè,

Cautáque non stulte latronum prælia ludat,
Vnus cùm gemino calculus hoste perit.
Bellatórque suo prensus sine compare bellet,
Æmulus incœptum sæpe recurrat opus.

b *Qui & latrones.*] Quod patet ex illis Ouidij & Martialis locis. Hinc ita dicti, quòd latrones antiqui vocabantur cóductitij milites ἀπὸ τοῦ λατρεύειν. quod inseruire significat quòd scilicet mercede bellis seruiebant. Quanquàm Varro de lingua Latina lib.6. eos dictos à latere, quasi laterones, vt qui circum latera erant Regi, atque ad latera ferrum habebant. Ab eóque, inquit, veteres Poëtæ nonnunquam milites appellant latrones: aut, vt posteà subdit, quòd latent ad insidias faciendas. Quò etiam pertinet illud Plauti in Milite,

Nam Rex Seleucus me opere orauit maximo,
Vt sibi latrones cogerem & conscriberem.

Sed & huiusmodi calculi diminutiuè latrunculi dicuntur Senecæ epist. ad Lucilium lib.18. epist. 106. & alijs scriptoribus.

c *Qui etiam ex gemma fuere.*] Vt ostendit Martialis vbi suprà.

d *Quem Palamedes.*] Sophocles in Palamede,

οὐ λιμὸν οὗτος τοῦδ' ἔπαυσε, σὺν θεῷ
εἰπεῖν, χρόνου τε διατριβὰς σοφωτάτας
ἐφηῦρε φλοίσβου μετὰ κόπον καθημένοις
πεσσοὺς κύβους τε τερπνὸν ἀργίας ἄκος.

Quos versus ita vertit Hadrianus Iunius.

Nam ille (dicam enim) procul famem. Deo
Iuuante, abegit, otiúmque fallere
Docuit sedentes littore in sicco, mare
Vbi murmurat, ludo reperto tessera
Vita iucundo desidis solatio.

Pausanias lib.2. itémque 10. Et Seruius authoritate Varronis lib.2. Æneid. ibi,

Belida nomen Palamedis.

Philostratus in Heroicis, Gregorius Nazianzenus in 1. inuectiua στηλιτευτικῷ. Plato autem in Phœdro tradit Theuth priscum quendam Deum Ægyptiorum talorum & alearum ludos inuenisse. At Herodotus lib.1. scribit Lydos primos aleæ, tesserarúmque ludum, & pilæ cæterorúmque ludorum omnium genera, præterquam talorum excogitasse.

e *Post quos fuere tali eburnei.*] Extat & Martialis apophoretum tali eburnei lib.14. c. item 14.

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi

Nam & quòd ex ebore essent, probat idem Martialis libr. 13. cap.1. cuius carmen afferemus infià. & Ouid. libr. 1. de Arte amandi.

Seu ludet, numerósque manu iactabit eburnos,
Tu male iactato, tu bene iacta dato.

f *Tessera.*] De his tesseris Tullius in Catone Maio. Nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant & tesseras. & libr. 1. de Diuinat. Quid enim est sors? idem propemodum quod micare, quod talos iacere, quod tesseras, quibus in rebus temeritas & casus, non ratio & consilium valet. Et Ouid. lib.3. de Arte amandi,

Parua monere pudet, talorum dicere iactus,
Vt scias, & vires tessera missa tuas.
Et modò tres iactet numeros, modò cogitet apte
Quam subeat partem callida, quámque vocet.

Et Liuius 1. Decad. lib.14. Leuant quidam Regis facinus in tesserarum prospero iactu. Martia. lib.14. c.15.

Non sim talorum numero par tessera: dum sit
Maior, quàm talis alea sæpe mihi.

Ibidem cap.17.

Nec mihi bisseno numeratur tessera puncto,
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Sed illud videtur pertinere ad illum ludum celebratum, de quo suprà in princ.

g *Quatuor.*] Quod nomen ipsum declarat. Nam & tessera dictio Græca est, quæ quaternio Latinis dicitur.

h *Quas Græci κύβους vocant.*] Gellius ex Varrone lib.1. c.20. Macrobius in somnium Scipionis lib.2. c.2. Vide Dictionarium Græcum. Et hoc quidem Græca dictione significatur tam tessera, quæ iacitur, quàm punctus, & nota insculpta reddens numerum iactorum, ac præcipuè vnionem, qui ὄνος quoque asini nomine dicitur. Nam priore illo modo accipitur scoarius ille prouerbiali. Ἀεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι. Semper cadunt feliciter Iouis cubi, id est, taxilli siue tali. Posteriore verò illud Euripidis in Myrmidonibus, vbi tesseris ludentes Heroas facit,

Βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέτταρα.
Iecit Achilles duas vniones & quatuor.

Quem & ipsum versum vsurpauit Aristophanes in Ranis. Cuius etiam rei alia testimonia videbis apud Hadrianum Iunium, multiiugæ lectionis virum, Animaduersorum lib. 2. c.4. vbi & alia multa non contemnenda de his ludis scribit. Vide Cælium Rhodiginum.

i *Sed tamen in iactu.*] Cicero de Diuinatione libr.2. & huc illud Martia. suprà citatum lib.14. c.15.

k *Astragali.*] Pollux lib.2. περὶ σφυροῦ, ἀστράγαλον, σχέλος καὶ κόνη. & lib.9. c.7. περὶ τῶν ἐν συμποσίοις παιδιῶν, &c, & alibi sæpe Hinc & hic ludus talorū Astragalisis dicitur Aristoteli. Vide omnino Hadrianum Iunium lib.2. Animaduersorū c.4.

l *Astragalizontes, talis ludentes.*] Plinius de Polycleto loquens libr.34 cap. 18. Duósque pueros, item talis nudos ludentes, qui vocantur Astragalizontes. Apollonio Rhodio libr.

hoc est, octo laterum, dixere [m] Asphalum. [n] Taxillorum ludus ex octo punctis vel figuris constabat: inter quos vnus [o] Stesichorius nomine, hoc est, octonarius, præcipuus erat. [Qui quidem [p] turricula, seu quæ dicebatur [q] orea vel [r] fritillus, [s] super patenti tabella punctis distincta iactabantur, ne lusoris manus iactum falleret, & non casu, sed fraude consisterent. Talorum verò [t] eanis damnosus, senin [u] medius & anceps: siquidem modò lucra, nonnunquam damnum afferebat: is verò quaternarium numerum facit, [x] chius verò ternarium, [y] Venus autem quæ [z] summum continet numerum, multum lucri affert, sempérque fœlici exitu ludum terminauit. Hæc enim cani opposita, [a] colias dicebatur: [b] tricenariumque absoluebat numerum, [c] Euripides verò quadragenariũ. [d] In talis quoque legimus Vulturium & [e] Hereulem basilicum, quæ an signa fuerint vel numeri, dubitatur adhuc. [f] In tesseris Midas fortunatissimus erat. [g] In taxillorum iactu ter sex summam Græcis afferunt victoriam: tria verò, sum-

Asphalus. Taxillorum ludus. Stesichorius. Canis. Senio. Chius. Venus. Colias. Euripides. Vulturius. Herculis Midas.

ANNOTATIONES.

libr. Argonauticõn. συναστραγαλίζειν dicti sunt Cupido & Ganymedes talis ludentes ἀμφ' ἀστραγάλοισι ἢ τῶγε χρυσείοις, ἃ τε κοῦροι ὁμηθέες ἑψιόωντο hinc quoque ἀστραγαλομάντεις, Artemidoro Daldiano libr. 2. qui scilicet ex talorum iactu futurorum euẽtuum sortem diuinabant. Vide Hadrianum Iunium Animaduersorum lib. 4.

m *Asphalum.*] Vide Lexicon Græcum.

n *Taxillorum ludus.*] Vnde natam esse hanc parœmiam scribit Pollux de hoc ludo loquens lib. 9. c. 7. Ἀπαντοκτώ. id est, omnia octo.

o *Stesichorius.*] Pollux ibi. & Erasm. in Chilia. in prouer. omnia octo.

p *Turricula.*] Cuius apophoretum est Martialis [libro 14. cap. 16.

Quærit compositos manus improba mittere talos?
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Idque imitatione Græcorum, qui Pyrgum id appellant, id est turrim. Ea enim dictione Græca in hac significatione vsus est Horatius lib. Serm. 2. saty. 7.

Mitteret in pyrgum talos.

Vbi interpretes interpretantur fritillum, de quo mox dicetur. Et Sidonius Apollinaris, Quo, veluti classico, ad pyrgum vocabat aleatores.

q *Orca.*] De qua intelligi potest illud Persij sat. 3.

— Angusta collo non fallier orca.

Quanquam alij aliò trahunt, scilicet ad vas, in quod pueri ludentes iniiciebant nuces. Sed Pomponius Bononiensis, antiquus poëta, huic talorum ludo tribuere videtur,

Iterum dum contemplor orcam, taxillos prodidi.

r *Vel fritillus.*] De quo Iuuenalis, loquens de alea, saty. 14.

—— Paruóque eadem mouet arma fritillo.

Et Martial. lib. 4. epig 14.

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis.

Et lib. 5. c. 125. eodemque vlt.

Iam tristis nucibus puer relictis,
Clamoso reuocatur à magistro,
Et blando malè perditas fritillo.

Et lib. 13. epig. 1.

Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
Senio nec nostrum cum cane cassat ebur.
Hæc mihi charta nuces: hæc est mihi charta fritillus:
Alea nec damnum nec facit illa lucrum.

s *Super patenti tabella.*] Cuius est & apophoretum Martialis lib. 14.

t *Canis damnosus.*] Propertius lib. 4. eleg. 9.

Me quoque per talos Venerem quærente secundos.
Semper damnosi subsiluere canes.

Et Ouid. lib. 2. de Arte amandi,

Seu iacies talos, victam ne pœna sequatur;
Damnosi, facito, sint tibi sæpe canes.

Et Persius saty. 3.

Scire erat in voto, damnosa canicula quantum
Raderet.

Suetonius in Augusto, cap. 71. Talis iactatis, vt quisque canem, aut senionem miserat in singulos talos, singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat. Vide in sequentib.

u *Senio medius & ancept.*] Dextrum senionem d. saty. 13.

Iure etenim id summum quid dexter senio ferret.
Sine erat in voto.

Quod aduersari videratei, quod numero præcedenti adduximus ex Suetonio. Ideo sunt qui dicunt eum locũ Suetonij esse corruptum, & ita legendum ex antiquis exemplaribus, Talis iactatis. vt quisque canem miserat in singulos talos, singulos denarios conferebat in medium, quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat aut senionem.

x *Chius verò ternarium.*] De chio Aristoteles lib. 2. de mundo, & Pollux libr. 9. quo loco suprà citauimus vbi hunc dicit χῖον & χῖον appallari.

y *Venus autem.*] Suprà in verbo, Senio medius. Quibus adde illud vetus prouerbium, Si sæpe iacies, aliquando Venerem iacies. de quo Tullius lib. 2. de Diuinat. Quid est, inquit, tam incertum? tamen nemo est, quin sæpe iactans, Venerem iaciat aliquando, nonnunquam etiam atque iterum. Et vide Aristot. libr. 1. de cælo & mundo, & libr. 2. de Animal.

z *Summum continet numerum.*] Acron & Porphirion in Horatium lib. 2. Carm. Ode 7. in eum locum,

Quem Venus arbitrum
Dices bibendi?

a *Colias dicebatur.*] Hîc error est vel authoris, vel librarij. & Chias scribendum, quam oppositam cani scribit Pollux vbi suprà, eandémque chion appellari, vt suprà diximus, subditque plurimos chiam canem appellati putare.

b *Tricenariúmque absoluebas numerum.*] Porphyrion vbi supra.

c *Euripides verò quadragenarium.*] Pollux lib. 9. c. 7.

d *In talis quoque legimus Vulturium.*] Apud Plautum in Curculione act. 2. scen. 3.

Postquàm cœnati atque appoti, talos poscit in manum.
Prouocat me in aleam, vt ego ludam, pono pallium:
Ille suum annulum opposuit, inuocat Planesium.
P. H. *Meósne amores?*
C. V. *Tace parumper, iacit volturios quatuor.*
Talos arripit, inuoco almam meam nutricem Herem.

e *Herculem basilicum.*] Plautus vbi suprà ad ea, quæ ex eo suprà adduximus,

Iacto basilicum, propino magnum poculum: ille ebibit.

f *In tesseris Midas fortunatissimus.*] Quod significat proprium illud à Suida relatum,

Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν εὐβολώτατος.
Midas qui in tesseris consultor optimus.

Erasmus autem Chil. 2. cent. 9. c. 87. monet perpendendum num εὐβολώτατος legi oporteat, vt versus sit iambicus trimeter, sic.

Μίδας γὰρ ἐν κύβοισιν εὐβολώτατος.
In tesseris iactus Midas prosperrimus.

g *In taxillorum iactu.*] Id est ex Platone libr. de legibus vlt. Polluce lib. 9. quo loco suprà iam citauimus, Suida ex Æschylo in Agamemnone his versibus,

τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι
τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας.

Id est,

Nam res herorum faxo, vt optime cadant

Tri

Macedonico bello: Et quũ tibi viro liceat purpura in veste vti stragula.[b] Paulus quoque Iureconsultus ex pellibus vestes confici dicit, cum & tunicam, & stragulam pelliceam nonnulli habeant. Ex quibus, stragulam vestem hominis designare, indubitata exempla sunt. Rursus eundem Vlpianum taxauit, quod ex authoritate Officij Iurescon sulti censuit, pulsare & verberare eò differre, quia verberat quis cum dolore, pulsat vero sine dolore: propterea Vlpiani definitionem inuidiose criminatur, tanquam possit aliquis cum dolore pulsari, & sine dolore verberari, additque verberare esse verbere cædere, quod est instrumentum longum & exile, qualis est virga, & pleraque eò pertinentia. Sed cum istius authoris venia dixerim, Vlpiani mens aliò spectat: quippe si mentem ipsius pensitamus, proculdubio intelligemus illum verberare dici proprie, qui animale corpus verbere affligit: ipsúmque signatè & appositè loqui, qui hominem vel pecus verberatum dixit, non pulsatum. Quum vero ad rem sensu carentem ictus inferuntur, tunc pulsare dicimur, non verberare, vt pulso ostium, lanam, aut vestem: verbero hominem vel pecus. Neque illi assentior, qui dixit, verberare esse verbere cædere, hoc est, fuisse longo affligere: nam & pugnis & lapide verberatum quempiam latinè dicimus, sicut fuste vel baculo: idque Terentij testimonio vel maximè apparere. Leno enim in Adelphis quum se verberatum dixisset, mox designauit quo verbere esset afflictus. Vsque adeo, inquit, mihi pugnis os fregit.[c] Aul. Gellius noctium Atticarum, Pro delectamento, inquit, habuit manu sua verberare. Tametsi verberari rem anima & sensu carentem, apud authores plerunque vsurpatum legamus.[d] Plinius decimoquarto historiæ naturalis: Campaniæ vina, inquit, exposita in cadis sub dio verberari Sole, Luna, imbre ac ventis, aptissimum.[e] & alibi, Carthago in Affrica exercetur halitu maris, & verberatur imbri. Et pulsari rem animatam, & sensu participem quandoque comperimus.[f] Suetonius in Galba: Vt inter conuentum matronarum correcta iurgio, inquit, & manu pulsata sit. Quod non propriè & signatè, sed quasi per metaphoram accersitum crediderim. Si tamen certis verbis & vera finitione signatis eloqui volumus,[g] pulsatum illud verè dici, quod sensu carens crebro ictu percutitur, siue ostium, aut pallium, siue quid aliud dixeris: verberatum verò hominem, aut animal quod verbere afficitur, dici conuenire, prout Vlpianus præclarè censuit, apud authores probatissimos certum atque confessum est,

In eundem Vlpianum proximi capite. Vide Alciatum lib. 4. de ver. sig.

Verbero. Pulso.

ANNOTATIONES.

inter pulsationem. ff. de iniuriis.

b *Paulus quoque.*] In l. cùm & tunicam. ff. de auro & argento leg. Adde autem quòd Asconius Pedianus in 3. In Verrem actio. ad fi. scribit stragulam vestem pictam esse.

c *Aulus Gellius.*] Lib. scilicet 10. cap. 6. Sed his exemplis adde Propertium lib. 2. eleg. 10.

Necnon exanimem amplectens Briseis Achillem,
Candida vesana verberat ora manu.

d *Plinius lib. 14. historia naturalis.*] Scilicet c. 21. in fi.

e *Et alibi.*] Scilicet lib. 6. cap. 24. Sed his testimoniis adde Virgilium 5. Æneid.

— Et verberat ictibus auras.

Et lib. 2. de aquila loquens,

— Simul æthera verberat alis.

Et Horatium lib. 3. Car. Ode 1.

Non verberatæ grandine vineæ.

f *Suetonius in Galba.*] Scilicet cap. 5. cui adde Ciceronem in Verrem act. 5. Videtis pendere alios ex arbore, pulsari autem alios & verberari, & in 7. Sex lictores circunsistunt valentissimi, & ad pulsandos verberandósque homines exercitatissimi. Et Senecam Declam. libro 9. decla. 4. Qui patrem pulsauerit, manus ei præcidatur. Nec denique omittendum, id verbum pulsandi etiam ad ius & iudicium referri: vt videre licet ex l. 2. §. ei quoque. ff. de iudic. & l. de ætate. §. qui interrogatus. ff. de inter. actio. & l. quæro. §. inter. ff. locati.

g *Pulsatum id verè dici.*] Nam & pulsare fores dicitur Plauto in Amphitryone, & in Pœnulo, & Ouidio lib. 5. Metan. Et villam Plauto in Rudente. & postes ipsi Ouidio lib. 2. Meta. & muros lib. 3. de Ponto eleg. 1. Limina Statio, syl. lib. 1. syl. 2. Et alia id genus similia vbique reperies. Sed illud nolui prætermittere, vt res inanimata & sensu carens dicitur pulsari, ita etiam pulsare. Sic enim ventum & imbrem Virgilio lib. 4. Æneid. Ligones Ouidio lib. 3. Amorem eleg. 9.

Quibus legibus Romano ciui data immunitas fuerit, ne vapularet: & quæ iura competant dominis in seruos, & patronis in libertos. Item in exilium mittendi ratio apud diuersos.

CAPVT XX.

SERVILIVS[a] consul traditur primus, qui legem tulit ne quis ciuem Romanum vinctum clausumque teneret, quominus edendi nominis ei potestas foret. Et quum primò in ciues Romanos verberibus animaduerteretur, sæpiúsque innocentes ob factionem & gratiam propius inuidiæ forent, & pœnas luerent immeritas,[b] Porcius Cato pro tergo ciuium ne

Seruilij lex. Lex Catonis pro tergo ciuium.

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

a *SEruilius consul.*] Liuius 1. Decad lib. 2. Et vide suprà eod. lib. 5. super verbo, Apud priscos verò Romanos.

b *Porcius Cato.*] Vt id condonem Alexandro, Porcium quempiam hanc legem, quæ Porcia dicta est tulisse: non possim tamen illi assentiri, vt is Cato dictus sit, neque ante Porcium Catonem illum Censorium, qui longo pòst tempore fuit, Romanus quispiam fuit, qui Porcius Cato appellaretur. Huius autem legis Porciæ meminit Cicero in Oratione pro C. Rabirio perduellionis reo. Salustius in illa eleganti oratione, quam aduersus ipsum Ciceronem. Cæsar in illa Oratione, quam habuit apud eundem Salustium, de Catilina & aliis coniuratoribus. Liuius. 1. Dec. lib. 10. Asconius Pedianus in 2. in Ver. (aliàs 3.) & vide ipsum Cice. in 7. in Ver. act.

c Quum

cui impunè insulrare liceret,legē tulisse fertur:qua si quis verberasset necassétve Romanū ciuē,graui iudicio mortis cruciatus,bonorūmq; & exilij pœnis mulctari sanxit:quā legem [e] Sempronius consul aliis latis nouí:q; additis pœnis confirmauit, quæ [d] Porcia & [e] Sempronia dictæ:quibus legibus de ciue Romano si quis capitis anquiretur, populi indicium erat, [f] quod fuerat duodecim tabularum lege sancitum,vt de capite ciuis nisi centuriatis comitiis decerni nihil posset:sed [g] nec tolli de ciuitate,vel è solo patrio relegari,aut in exilium agi,nisi dicta causa,& cēturiatis comitiis poterat,quod quidem triplicis generis erat, [h] autore Martiano. aut enim omnium locorum interdicebatur accessus præter vnum,vel in insulam deportabatur: [i] aut sicut Claudius Cæsar quosdam mulctasse dicitur, vt vltra tertium lapidem ab vrbe egredi vetaret:qui etiam sanxit,vt hi quibus prouincia interdictum esset,vrbe quoque summouerentur. [k] Cúmque apud exteras gentes solū vertere,& in exilium agi,pro supplicio minimè dari soleret,quia nō pœna exilium erat,sed supplicij diffugium, ne pœnas iure debitas luerēt solis [l] Romanis pro maleficio exilij pœna fuit: [m] quas postea leges Cornelius Sylla,oppressa republica,quam in dominationem vertit,abrogauit:quippe inter grauia & acerba plurima,primus Romanorum sine populi indicio ciues morte mulctauit. [n] Atheniensibus verò Clisthenes exilij legem tulit primus,qui haud multò pòst sua lege damnatus,pœnas fuit. Deinde exilio quindecēnali,aut decennali,nouatum rerū molitores mulctare,inualuit mos,quod genus [o] ostracismō dixerunt, ab ostraco siue testula,per quā suffragia ferebāt:qui mos talis erat, vt in testulis nomen audacis & perniciosi ciuis,cuius potentiam formidabant,comitiis inscriberent:& cuius plures erant testæ in vrnā coniectæ, is de concilij sententia ab aris focísque proiectus,vt à ciuium arceretur aspectu,quindecim aut decem annorum exilio solum vertebat. Fuitq; constitutum,vt ita damnati [p] Argiuam exulatum irent,vbi bos erat æneus magnitudine visenda:quare qui illic exulabāt,seruare bouem dicebantur. [q] Quæ comitia nisi supra sex millia ciuium concilio ad iudicij diem conuenirent,nulla atque irrita erant. [r] Ea quidem ostraca,non plebeiorum atq; ignobilium causa,sed ad retundendam nobilissimorum potētiam commenti fuere, vt extorres lare & patria, quasi in exilio consenescerent. Quare Athenienses egregios ciues & benemeritos sæpius ob virtutem,nequis amplius emineret,testula ablegarunt. siquidem [s] præter Theseum,quem in Scyrum exegerunt, [t] Solon lator legum, [u] Aristides,quo nemo iustior,& [x] Themistocles, [y] aliíque ob illorum magnitudinem, in exilium acti sunt, [z] Milciadem verò mori coegerunt. [a] Id enim optimo cuique Athenis vsu veniebat, vt in exilium ob eminentiam virtutis pellere-

Lex Sempronia & Porcia.
Lex 12. tabularum.
Triplex genus exilio plectendis.
Corn: Sylla legū Rom. euersor.
Exilij lex apud Athenienses. ὀστρακισμός.
Atheniensium in benemeritos condemnationes.

ANNOTATIONES.

c *Quam legem Sempronius.*] Is fuit C. Semprónius Gracchus, de quo etiam loquitur Cicero in dict. Oratione pro C.Rabirio.

d *Qua Porcia.*] Apud Ciceronem & alios citatos suprà in verbo,Porcius Cato.

e *Et Sempronia.*] Apud Ciceronem in 4. Oratione in Catilinam.

f *Quod fuerat duodecim tabularum lege.*] Cuius legis verba hęc sunt apud Ciceronem lib.3.de legibus,De capite ciuis, nisi per maximum comitiatum, ollósque,quos Censores in partibus locassint,ne ferunto. Idem Cicero in Oratione pro P.Sextio,Cur cùm de capite ciuis,(non disputo cuiusmodi ciuis)& de bonis proscriptio ferretur:cùm & sacratis legibus & 12.tabulis sancitum esset, vt neque priuilęgium irrogati liceret,neque de capite,nisi comitiis Centuriatis rogari,nulla vox est audita Consulum? Et vide in seq. & quæ dicam infrà lib.4.c.6.post princ.

g *Sed nec tolli.*]Cicero in Oratione pro P.Sestio,Non posse quenquam de ciuitate tolli sine iudicio:de capite non modò ferri, sed ne iudicati quidem posse, nisi comitiis Centuriatis.

h *Authore Martiano.*]Marcellum,ni fallor,voluit dicere,ex l.exilium triplex.ff.de interdict.& releg.

i *Aut sicut.*] Id vsque ad clausulam. Cúmque apud, est Suetonij in Claudio,c.23.

k *Cúmque* &c.] Cicero loquens de libertatis amissione, in Oratione pro Aulo Cecinna. Exilium non supplicium est, sed profugium portúsque supplicij: nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem, eò solum vertunt.

l *Solis Romanis.*] Id apud Romanos pœnam fuisse satis intelligitur ex tit. ff. de interdict.& releg. & præsertim in l. exilium.& ex aliis infinitis locis iuris ciuilis.

m *Quas posteà leges.*] Scilicet de verberibus & nece ciuis Romani,quas ipse Scylla violauit,vt videre licet ex Plutarcho in vita illius. & Appiano libro 1. bellorum Ciuilium, & alij multis.

n *Atheniensibus verò Clisthenes.*] Idem Cælius Rhodiginus, qui nullum quoque authorem citat lib. 21.c.41. Sed huius rei author est Phalaris in epistolis, si eius sit opus legitimum. Et Ælianus variæ historiæ lib. 13. cap.21. Vide Aristot.lib.3. Politicōn in cap. 9. & Philostratum in vita Apollonij,lib.6.

o *Ostracismon.*]Aristoteles lib, 3. Politicōn c. 9. Probus Æmilius in Aristide. Plutarchus in ipso Aristide, & in Nicia, & in Pericle, & in Themistocle & alij, quos citabimus in verbo, Ea quidem Ostraca.

p *Argiuam.*] Menander in Phasmate apud Hesychium, & Plutarchus in Collectaneis.

q *Qua comitia.*] Plutarch.in Aristide Magistratus primùm testarum numerum inibat:nam nisi essent sex millia testarum,ostracismus non erat perfectus.

r *Ea quidem Ostraca.*]Vt scripserunt magna ex parte ij,quos tibi citauimus ibi, Ostracismon, & præterea Diodorus Siculus libr. 2. non semel. & Philostratus in vita Apollonij libro 6.

s *Præter Theseum.*]Plutarchus in vita illius.

t *Solon.*]Idem in vita quoque illius.

u *Aristides.*]Cicero lib. 5. Tuscul. quæstio. vbi ob id illum patria pulsum fuisse dicit, quòd præter modum iustus esset. Plutarchus item in vita illius,& Niciæ,& Themistoclis.

x *Themistocles.*]Probus Æmylius in vita illius, & Plutarch. vterque in vita illius,& Diodorus Siculus lib.11.

y *Aliíque.*] Vt Thucydides, ex eodem Plutarcho in Pericle, & Plinio libr, 7.cap. 30.& Cimon, ex eodem Plutarcho, & Probo Æmylio in vita illius, & Damon Periclis præceptor, eodem Plutarcho in Aristide non adeo longe à princip.

z *Milciadem verò.*]Probus Æmil.in vita illius.

a *Id enim optimo.*]Vt patet ex superioribus. Sed adde & Argis quoque hunc ostracismum in vsu fuisse, teste Aristotele lib.4.Politic.c.3.

Syracusani. πεταλισμός. Finis ostracismi. C.Gracchi lex. Alia lex. Lex de iis qui Ro. ciues nō essent. Dominorum in seruos potestas & animaduersio. Furca. Furcifer. Pausicape. Nota frōti inusta. Pistrinum.

tur. [b] Syracusanis verò petalismus exilij genus fuit, quo efferentis se ciuis audaciam virtutémq; comprimerent. Hi enim non testula, sed in oleæ frondibus suspecti ciuis nomen inscribebant: & cuius folia plura existerent, illius conspicuam magnitudinem quinquennali exilio mulctabant. Fuitque finis ostracismi in [c] hyperbole ignobili, & minimæ sortis viro, qui vltimus hoc exilij genere exterminatus fuit. Postea [d] C. Gracchus incolumitati ciuium consulens, nequid in eos grauius consuleretur, alia sacrata lege sanciuit, vt qui in magistratu & honore positus, ciuem absque populi iudicio necasset, in eum populi animaduersio foret. Quam legem secuti principes, sempiterna constitutione sanxerunt. Insuper statuerunt, vt citra Senatus authoritatem, de nece Romani ciuis decernendi nulli facultas foret. [e] In eos verò qui Romani non sunt, ne impunè insultare liceret, pluribus legibus sanctionibúsque obuiam itum est: vt lege Iulia de vi, Cornelia de sicariis, & Aquilio plebiscito pœnis multifariam constitutis: quibus singulorum indemnitatibus salubriter consultum fuit. [f] Super seruis quoque, ne in eos grauius æquo domini animaduerterent, pœnæ sunt constitutæ: siquidem nequam & contumax seruus, vt plaustri lignum cui affigitur temo, quæ furca dicta est, in collo ferat, & eo quasi iugo subactus, manibus post terga reuinctis, per ora omnium circumferatur, à singulísque furcifer appelletur, velut vincti pedes & manus incedant: [g] nonnunquam pausicape, qua ori manus admouere prohibentur, opus faciant, [h] aut candenti lamina, vel litteris frontem & ora inurantur, & vultus inscribatur: vtque [i] neruo compedibus coerceantur, hac deformi nota velut insigni animaduersione affici solebant, vt ea ignominia affecti, maior illis verecundia esset ad facinus. [k] Pistrino quoque detrudi seruos, & damnari mancipia infida, vel notis barbaricis inuri, vt ob improbitatem insignes forent. [l] Tum post verbera & cruciatus vinculis, nuditate, fame, siti. & compedibus, numellísque, catenis, neruis, pedicis, boiis, & si crimen exposceret, cruce & lamina seruilem in modum affici, vetus peruulgata pœna fuit. [m] Apud Persas verò consuetum erat, vt si seruus ære coemptus aufugisset à domino, vinctus compedibus opus faceret: si autem sponte reuertisset, & fateretur admissum, flagellis cæderetur. Ipsis enim nimiam fuisse seruitutem, authores prodūt: quippe cum nulli manumittantur apud Parthos, nullâque mancipia dempto seruitutis iugo libera fiant. [n] Contrà apud Indos & Taprobanæ incolas, quibus nulla fuit seruitus, omnésque vna ingenuitate tenentur. Babyloniis facinorosi serui & contumaces per crines trahebantur, vt facinoris admissi pœnas darent. [o] Germanis verbere seruum afficere, aut vinclis coercere habetur nefas: apud quos laxior seruitus erat, & libertinis pænè par: quippe sibi aquirunt serui, & peculium habent. [p] Proditum tamen est, Hilotas à Spartanis bello subactos, cum rebellassent, ab Agyde perpetua seruitute damnatos, vt dominis illos manumittere, aut extra Spartanos fines venundare non liceret. [q] Diogenes verò Cynicus Manem seruum, cum aufugisser, non modo verbere non affecit, sed liberū ire iussit, ac dimisit: turpe existimans Manem sine Diogene viuere posse, non autem Diogenem sine Mane. [r] Contra Lycurgus apud Spartanos seruorum petulantiam tam seuerè cohibuit, vt facinorosos seruos dominis interficiendi ius daret. [s] De inde tam

Persarū serui. Indis & Taprobanis nulli serui. Babylonij. Germani. Agis in Hilotas. Lycurgus.

ANNOTATIONES.

b *Syracusanis.*] Id vsque ad clausulam, Fuitque finis, est Diodori Siculi lib. 11.

c *In hyperbole.*] Plutarchus in Aristide.

d *Postea C. Gracchus.*] Asconius Pedia in 3. in Ver. act. Cic. autem in Orat. pro C. Rabitio, perduellionis reo, scribit ipsum C. Gracchum legem tulisse, ne de capite ciuium iniussu Quiritium iudicaretur. Sed & Pomponius in l. 2. §. exactis. ff de orig. iur. dicit, Regibus exactis, duos consules, constitutos fuisse, qui tamen, ne per omnia regiam potestatem sibi vendicarent, lege lata factum est, ne possent in caput ciuis Romani animaduertere iniussu populi.

e *In eos* &c.] Id totum est nostri iuris ciuilis tit. hîc designatus: nisi quòd hîc dicat, Aquileio plebiscito. intelligi de tit. ad legem Aquil.

f *Super seruis.*] Plutarchus in Coriolano & problem. cap. 70. & Donatus in Andria Terentij actio. 3. scena 5. in eum locum,

Oh, tibi ego, vt credam furcifer?

g *Nonnunquam pausicape.*] Pausicapem appellant machinulam collo seruorum circumpositam & orbicularem, qua ori manus admouere prohibebantur, ne farinam vorarent, quod *πάσσειν* vocant, intus dum operarentur, vt etiam scribit Cælius Rhodiginus lib. 22. c. 22. nullo tamen authore citato, sed id est Eustatij Iliados lib. 22.

h *Aut candenti.*] Vide infrà in verbo, Tum post verbera.

i *Vtque neruo.*] Vide infrà ibidem.

k *Pistrino.*] Terentius in Andria act. 1. scen. 2.

Verberibus cæsum te in pistrinum
Daue dedam vsque ad necem.

Verba sunt Simonis domini, id minantis Dauo seruo.

l *Tum post vbera.*] Hæc magna ex parte sunt Plauti in Asinaria act. 3. scena 2.

Perfidiæ laudes, gratiásque habemus meritò magnas
Cum nostris sycophantiis, dolis, astutiísque.
Scapularum confidentia, virtute vlmorum freti,
Aduersum stimulos, laminas, crucésque, compedésque,
Neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas: boias,
Tortorésque acerrimos, &c.

m *Apud Persas.*] Iustinus lib. 41.

n *Contrà apud Indos.*] Strabo libro 15. Idem (Megasthenes sub.) dicit neminem Indorum seruis vti. & eodem lib. paulò antè, dicit Indos iuuenibus pro seruis vti, dum adolescunt.

o *Germanis.*] Id vsque ad clausulam, Proditum. est Taciti in lib. de moribus Germanorum.

p *Proditum.*] Strabo lib. 8. Et de his dicemus alibi plenius. Sed tu interim vide eundem Strabonem libr. 6. Liuium 4. Dec. lib. 4. Plutarch. in Lycurgo.

q *Diogenes verò Cynicus.*] Laërtius in vita illius.

r *Contra Lycurgus.*] Plutarchus in vita illius, & Heraclides in libello de Politiis c. 2. In seruos autem quatenus sæuire liceat, est in l. 1. C. de emenda. seruor. & in tit. Instit. de iis qui sui vel alieni iuris sunt.

s *Deinde tam Diuus Pius.*] Ex l. 1. ad fin. & l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur. & §. sed hoc tempore. & §. seq. Instit. eod. tit. & vide Macrobium lib. 1. Satur. cap. 2. post princip. Sed hîc prætereundum non duximus, quod olim Romæ contigit, quòd cùm quidam paterfamilias (eius nomen non dicitur) seruum sub furca cæsum medio egisset Circo rum, cùm ludi magni pararentur: ob quod ingens pestilentiæ

Romæ

diuus. Pius quàm sequuti principes super dominorum potestate in seruos, salubriter consuluerunt, ne dominis plus æquo sæuire liceret, néve iniusta imperia dominorum noxæ forent, néve domini seruos quotidianis verberibus afficerent, sed lutis cæderent. Quibus constitutionibus cauetur, vt in eum qui suum occidisset seruum, haud secus pœna diceretur, quàm qui alienum necasset. [t] Diuus quoque Hadrianus seruos à dominis occidi vetuit: sed si quid deliquissent, prætoris indicio pœna affici præcepit, ita vt Vmbriciam matronam, quòd in ancillas supra modum sæuiret, in quinquennium relegasse ferant: quòd magis è republica ducerent, permulcendo tractandóque seruorum animos * mites fieri quàm verbere. [u] Et tam ab his qui mancipio addicti aut ære coempti sunt, quàm his qui manu emissi libertatem meruerunt, debita iura dominis patronisque assertoribus constituit: nam iura patronatus post libertatem impensam seruo, dominis incolumia esse voluit, quæ ex certis causis patronus dominúsve amittebat. siquidem si libertum seruúmve optimè meritum, dum famis periculum adiret, [x] patronus non aluit, aut si [y] inuitus libertatem dedit, lex [z] Ælia Sentia & diuus Pius ius patronatus patrono, & dominium domino ademit. Quod & [a] Claudius Cæsar sanxit, vt ægra & affecta mancipia si exponerentur, ab omni famulatu & seruitio immunia forent. [b] Item si ad iusiurandum libertum patronus adegit, ne nubat, néve vxorem ducat: eum ad ius patronatus lex pariter non admisit. [c] Tametsi lege Iulia de maritandis ordinibus, hæc iuramēta postea inducta & remissa fuerint. Fertur propterea Cato [d] senior malè audisse, tanquam asperior & durior, quòd ægra & affecta mancipia velut bruta animalia senio debilitata, domo exigeret, & victum negaret. [e] Contrà verò aduersus malè meritos, impuros & flagitiosos libertos, aut [f] si delatorem summisissent, [g] vel patroni nomen detulissent, [h] seu manifesti criminis rei forent, patrono ius reuocandæ libertatis, & vniuersa promerita abrogandi lege donabatur. [i] Quod ab Atheniensibus decretis edictísque cautum erat, vt contumax ingratúsque libertus sub mancipio esse, & seruire cogeretur, quoniam liber esse nescisset, quod [k] apostasium nuncuparunt. Seruos verò libertate donatos, [l] Lacedæmonij apheras, [m] & adespotas, atque [n] eritheras dixerunt. [o] Massiliensibus libertus ter doli admissi reus aduersus patronum, velut mancipium seruire cogebatur, per singulas vices libertate rescissa: si quam veró offēsam quartò admisisset, domino imputabatur, & inultus ibat. quòd toties deceptus patronus, quartò se ei credidisset. [p] Claudius verò Cæsar libertinos qui se pro ciuibus agerent, publicauit: illos autem qui ingrati notarentur, reuocauit in seruitutem: qui etiam libertum, quòd patrono delatorem summiserat, vt de statu faceret quæstionem, seruituti addixit. [q] Quod Nerone quoque imperante seruatum est: & frequenti senatu obtentum, de manumissis propter ingratitudinem in seruitutem reuocandis. [r] Nerua

Diuus Pius. *Hadrianus.* * *proferri.* *Patronorum ius in clientes.* *Catonis in mancipia asperitas.* *Patronus in libertum ingratum.* *Edictum apud Athenienses in libertos ingratos.* *Apostasium.* *Apheta.* *Adespota.* *Eritheræ.* *Massilienses.* *Claud. Cæsar.* *Nero.* *Nerua.*

ANNOTATIONES.

Romæ oborta est, ad quam auertendam senatus decreuit, vt hi ludi quàm amplissimi fierent. Apud Dionysium Halicarnassæum lib.3. & iterum 7. & Liuium 1. Decad. libr. 2. & quod legibus Mosaicis non licebat in seruos sæuire, vt scribitur Exod. 21. & Deut. 15. de qua re etiam Plato in libr. de Specialibus legibus.

t *Diuus quoque Hadrianus.*] In d.l.2.§.vlt.eo.tit. vide l.1. C. de emend. seruo.

u *Et tam ab his.*] Hæc omnia videbis latissimè comprobata in nostris Commentariis in l. si vnquam. in verbo, Libertis. num.31. incip. tum postremo. C. de reuo. donat.

x *Patronus non aluit.*] Ex l.D.Claudius.§.Imperatores. ff. de iur.patro. & l.alimenta.in princ.ff.de lib.agno. & l.si patronus non aluerit.ff.de bonis libert.

y *Si inuitus libertatem dedit.*] Ex l.si quis hac lege.ff.qui & à quib.manu.

z *Lex Ælia Sentia.*] In dict.l.si patronus aluerit.ff. de bonis libert.

a *Claudius Cæsar.*] Suetonius in vita illius, c.25. & Modestinus Iurisconsultus in l.2.ff. qui sine manu.ad libert pert.

b *Item si ad iusiurandum.*] Ex l.adigere.in princ. & propè per totam eam l.ff.de iure patrona.

c *Tametsi lege Iulia.*] In d.l.adigere.§.vlt.

d *Cato senior.*] Plutarchus in vita illius, & ipsemet Cato rei rusticæ.cap.2.fin.

e *Contrà verò aduersus malè meritos.*] Tacitus libr.13. quem posteà citabimus in verbo, Si manifesti criminis.

f *Aut si delatorem summisissent.*] Ex l.1. in fi. & d.l. D. Claudius.in princ.ff.de iure patron.

g *Vel patroni nomen detulissent.*] In d.l.1.in fin. Nam & idem è diuerso si patronus nomen liberti detulerit. l. eum patronum. §.1. ff. de iur. patron.

h *Seu manifesti criminis rei forent.*] Ex Tacito lib.13. At criminum manifestos meritò ad seruitutem retrahi, vt metu coërceantur, quos beneficia non commutassent.

i *Quod ab Atheniensibus.*] Valerius Maximus lib.2. cap.1. & vide nostros Commentarios in d.l.si vnquam. vbi suprà citauimus.

k *Quod Apostasium.*] Aristoteles libr. politic. 3. cap. 8. quo Atheniensium Rempub. describit, & Lysias ad Aristodemum.

l *Lacedæmonij aphetas.*] Idem Cælius Rhodiginus libr. 25. cap. 20. sed nullo authore citato. vide eundem libr. 11. cap. 39. in antiquo. verùm id est Athenæi libr. 6. dipnosophistarum, cap.7. ex Mycone Prianeo libr.2. rerum Messanicarum.

m *Et adespotas.*] Id est sine dominio, nullius dominio subiectos ac veluti mancipatos apud Lysiam & ex eo Pollucem lib.3.onomasticon, c.8 & Athenæum vbi suprà ex ipso Mycone. Nam & hūc librum ἀδέσποτον vocat Diuus Hieronymus ad Euagrium, qui nullū authoris, aut domini titulum præfert. Misisti, Inquit volumen ἀνώνυμον καὶ ἀδέσποτον, & nescio vtrum tu de titulo nomen subtraxeris, an ille qui scripsit, vt periculum fugeret disputandi. Et ἀδέσποτος ἐπιστολή, apud Plutarchum in vita Ciceronis in qua scriptoris nomen nullum est. Et rumores ἀδέσποτοι, sine authore apud ipsum Ciceronem lib.epist.fam.15.c.17. Et sic de similibus.

n *Atque Eritheras.*] Ericteras scribit Cælius Rhodiginus vbi nuper citauimus, nec alium quempiam citat, sed id est Myconis & Athenæi vbi suprà.

o *Massiliensibus.*] Valerius Max. lib.2.c.1.

p *Claudius verò Cæsar.*] Sueto.in vita illius, c.25.

q *Quod Nerone quoque imperante.*] Cornelius Tacitus lib.13. Cuius hæc verba sunt, Per idem tempus actum in Senatu de fraudibus libertorum, efflagitatúmque vt aduersus malè meritos reuocandæ libertatis ius patronis daretur. & reliqua quæ sequuntur.

r *Nerua Cæsar.*] Dion.in vita illius, post princ.

Sylla. D. Seuerus. Liberti qui leuiter peccassent. Taciti Cæsaris edictum Tiberius.

Cæsar seruos à quibus dominos accusatos reperit, velut ingratos iussit occidi. [s] Quod in seruo Artetij proscripti populus Romanus fecisse proditur, quem velut ingratum in seruitutem reddidit denuò, quòd proscripto domino bona & liberos occupauit: [t] sicut Sylla de saxo deiecir seruum Sulpitij domini proditorem, vt sibi gratificaretur. [u] Diuus autem Seuerus cauit edicto, ne serui delatores dominorum audiantur, sed pœna mulctentur seueriori. Si verò leuiter offendissent, aut contumeliam conuiciúmque fecissent, vel dicto minus audientes forent, vltra vigesimum lapidem in terram oràmve Campaniæ relegandi, domini arbitrium erat, vel vt ferrum traderēt: rum vt amplexus hominum vitarent & à foribus domini arcerentur: fuitque [x] aliquando in vsu, vt de seruis in dominos nec quæstio haberi, nec iudicium dari posset. [y] quod Tacitus Cæsar cauit edicto, vt ne maiestatis quidem causa contra dominorum capita serui admitterentur, aut per eos inquirerent magistratus. Nec solum serui in dominos, [z] sed nec patroni in clientes testimonium valuit: quod à Romulo primùm edita lege cautum. [a] Propterea Tiberius, vt contra Libonē per seruorum quæstiones inquireret, fraudem legi fecisse dicitur, quòd illos emancipari, & deinde per tormenta inquiri iussit, donec post temporum curricula [b] Caius imperator seruis, siquid quererentur de dominis, passim accusandi, & contra eos lege agendi facultatem dedit. Est tamen obseruatum, vt si quem ex seruis dominus de ergastulo aut vinclis relaxaret, catenas à manibus pedibúsque quibus vinctus fuerat, quandoque incideret, vt vinclorum pars in corpore maneret quo argumento signabant seruúm minus iuste vinctum fuisse, neque iustam seruitutem seruisse, nullúmque ius patroni domino competiisse, illúmque pristinæ libertati, ac si nunquam vinctus fuisset, restitutum. [c] Et tametsi seruos profugos leges suscipi vetarent inuitis dominis, tamen qui capti bello [d] ad imperatorum regúmque statuas confugissent velut ad asylum, nexu soluebantur, & immunes erant: in eos enim manus iniectio non erat. [e] Nàmque Ephesi templum Dianæ id iuris habuit, vt ad illud confugientes, mancipio soluerentur: quod Alexander ad stadium produxit: postea ab Augusto sublatum, ne proposita impunitatis spes, facinoribus causam daret. Primùm enim Cadmus dum Thebas conderet, asylum aperuisse fertur, ad quod fugientes sine discrimine serui aut liberi, ab omni pœna tuti erant. [f] Nonnulli à prognatis Herculis asylum Athenis primò institutum ferunt, ad quod à partibus oppressis confugere fas erat. Post [g] quod in Rhetæo littore fuit Aiacis asylum, & in Sigæo [h] Achillis: [i] quorum exemplo Romulus & alij asylum

Serui capti ad regum imperatorumque statuas confugientes. Dianæ Ephesiæ templū Asylum.

ANNOTATIONES.

s *Quod in seruo Artetij.*] Legendum est Ateiij ex Appiano, qui id retulit libro 4. bellorum Ciuilium, pagina 416. vnde Græcum.

t *Sicut Sylla.*] Plutarchus in vita illius. Cæterùm Sulpitius, seruo prodente, cæsus est: quem Sylla, prius libertate donatum, præcipitauit è saxo.

u *D. autem Seuerus.*] Vide in vita illius, & alicubi in nostris legibus. Verùm id aliquando fallit, vt nostri loquuntur, vt in l. in certis. ff. de iudic. l. mulierem. §. vlt. ff. de accusat. & l. 1. ff. ad leg. Iul de anno.

x *Fuitq; aliquando in vsu.*] Vt videre licet prope per totam eam l. sed maximè in §. Antoninus. & alibi sæpe not. eo. tit.

y *Quod Tacitus Cæsar.*] Flauius Vospicus in vita illius, verùm nostris legibus aliter cautum est. l. meminisse. in fin. C. ad leg. Iul. maiest. nam & audiuntur serui deferentes dominos & liberti patronos. in hoc communis l. famosi. versic. serui quoque. ff. eodem titul. & l. penult. in fin. C. qui accus. non possunt.

z *Sed nec patroni in clientes.*] Dionysius Halicarnassæus libr. 2. Plutarch. in vita ipsius Romuli. Cato Censorius in oratione, quam dixit apud Censores in Leutulum, & ex eo Gellius lib. 5. c. 13.

a *Propterea Tiberius.*] Cornelius Tacitus lib. 2.

b *Caius Imperator.*] Athenien. quoque legibus, seruorum iniuriæ & accusationes audiebantur, vt & liberorum, vt patet ea Hiperidis Oratione contra Mantitheum, & Lycurgi in prima Oratione contra Lycophrontem, & Demosthenis contra Mediam, & ab his Athenæi lib. 6. c. 7.

c *Et tametsi seruos profugos.*] Apuleius lib. 6. Metam. Legibus, ait, quæ seruos alienos profugos inuitis dominis vetant suscipi, prohibeor. Vide ibi Beroaldum.

d *Ad Imperatorum Regúmq; statuas.*] Nostris legibus non semel fit mentio eorum, qui ad statuam Cæsaris, vel ad statuam sacram confugiunt, vt in l. quis sit fugitiuus. §. apud Labeonem. versic. nec eum quidem. ff. de ædil. edict. & in l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur. Vide ibi gloss. & l. 1. C. de his qui adstat. confug. & §. vlt. Inst. de his qui sui vel alie iur. sunt. Et apud alios quoque: nam Seneca, Licet, inquit seruis ad statuam confugere, quanto magis licere debet liberis & ingenuis? Et Sueton. in Tiberio, Nouissimè calumniatus, modò ad statuam Augusti, modò ad exercitus confugere velle, Pandatariam relegauit. Hæc ille. Sed quod postremo loco dicit de exercitu, intelligit interpres alter de exercitu Germanici mariti Agrippinæ, de qua ille loquitur, vt imploraret auxilium militare aduersus Tiberium & seditionem concitaret. Quæ quidem interpretatio minimè repudianda est: sed tamen aliter intelligi potest, vt, scilicet, ad militaria signa confugeret, veluti ad asylum. Ea enim asyli vim habebant, vt statuæ Augusti, vt colligitur ex Cornelio Tacito libr. 1. cuius hæc sunt verba, Planco maximè, quem dignitas fuga impediuerat, neque aliud periclitanti subsidium, quàm castra primæ religionis, illic signa & aquilam amplexus, religione se tutabatur. Et Ammianus Marcellinus lib. 25. Qui fraudum conscius & nexorum ad militaria signa confugit.

e *Namque Ephesi.*] Id vsque ad clausulam, Primum omnium. est Strabonis lib. 14. Sed & quòd ibi asylum fuerit, planum est ea Cicerone in 3. in Verrem actio.

f *Nonnulli à prognatis Herculis.*] Seruilius lib. 2. Æneidos in eum locum,

Et iam porticibus vacuis Iunonis asylo.

Et iterum lib. 8. ibi,

----Quem Romulus acer asylum
Retulit.

Et vtrobique authoritate Statij lib. 7. cuius in eam rem hi versus sunt,

Fama est defensos acie post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.

g *Post quod in Rethæo littore.*] Seruius lib. 6. Æneid. in eum locum,

Tunc egomet tumulum Rhetæo in littore inanem
Constitui.----

h *Et in Sigæo Achillis.*] Strabo li. 3. & Seru. d. lib. 6. vbi suprà.

i *Quorum exemplo Romulus.*] Virgilius lib 8. Æneid.

Hunc

aperuere, quò accedentes impunitate donabantur. [k] Apud Molossos, [l] Samothraces, [m] Crotoniatas & [n] Messenios ac [o] plerosque ad deorum aras confugisse, pro asylo habitum est, velut Ithacensibus Iouis Seruatoris ara. Delictis enim non voluntariis refugium esse eras putauere: [p] Atheniensibus Thesei sepulchrum id iuris habuit, vt, serui ad illud confugientes, nexu soluerentur. [q] Et Spartæ Chalciœcum Mineruæ templum, ad quod [r] Pausanias fugiens, obstructo aditu, morte mulctatus fuit: & [s] aliud Chalcicon, ad quod Agis confugit. Et [t] in Tænaro Neptuni phanum, ad quod Cleombrotus. & in [u] Calauria insula in Ægæo etiam Neptuni templum, ad quod Demosthenes cum aufugisset, ab omni violentia incursione Archiæ mansit illæsus: atque [x] in Thracia Dianæ templum inter Clitoriom & Cynætham: & in [y] Aspendo Pamphyliç, Tiberij statuæ pro asylo fuere. [z] Sicut Dianæ Leucophrienæ oppressis perfugium inuiolabile fuit [a] Palladis quoque templum velut asylum Lacedæmonij venerantur, in quo nocentes etiam capitis damnati, incolumes fiunt. Et in [b] Aphrodisio & Papho Veneris, [c] apud Stratonicenses Iouis & Triuiæ templa, [d] Siculis Palisci ara, [e] in Peloponneso Hermoniæ phanum sacrum Cereri & Proserpinæ, [f] in Epheso Artemisium, Pergami [g] ædes Æsculapij, in Gręcia Calydonię Palladis templum, tantæ dignationis fuere, vt capitalem fraudem ausi, aut pecunia iudicati, qui ad illa confugissent, noxa pecuniâque exoluerentur. [h] Apud Scythas qui ad Riphæos confugissent, tanquam sacrosanctos, sui iuris & arbitrij erant: sicut [i] in Ægypto in Osiridis asylo iuxta Saim: & in [k] Conopo Herculis templo, ad quod serui confugientes, si initiari forent, opprimi aut vi cogi non poterant. Traditúmque memoriæ est, in Libya oppidum fuisse. ad quod siquis

Iouis Seruatoris. Thesei sepulchrum.

ANNOTATIONES.

Hunc locum ingentem, quem Romulus acer asylum
Retulit. ——

Strabo lib 5. Dinoysius Halicarnasseus lib. 2. Liuius 1. Dec. lib. quoque 1. Ouid. lib. 3. Fast.

Romulus vt saxo lucum circundedit alto,
(Quilibet, Huc, dixit, confuge, tutus eris.

Propertius lib. 4. eleg. 1.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
Centum illi in prato sæpe Senatus erat, &c.

Iuuenalis satyr. 8.

Et tamen, vt longè repetas, longéque reuoluas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.

Plinius Secundus, aut quisquis is est, de viris illustrib. ca. 2. vbi de Romulo. Plutarch in vita Romuli, Macrobius lib. 1. Saturn. c. 6. Seruius suprà d. lib. 2. Lactantius lib. 2. c. 7. Horatius lib. 1. Car. Ode 12.

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili Regum memorem, an superbos
Tarquini fasceis, dubito, an Catonis
Nobile lethum.

Eutropius lib. 1. cap. 4.

k *Apud Molossos.*] Plutarch. in vita Themistoclis, & Diodorus Siculus lib. 11.

l *Samothraces.*] Plutarch. in Paulo Æmylio non semel, & in Pompeio.

m *Crotoniatas.*] Diodorus Siculus libro 12. non multò post princip.

n *Et Messenios.*] Pausanias lib. 4. qui de Messeniacis est.

o *Ac plerosque.*] Vt Corcyrens ea Diodoro Siculo lib. 12.

p *Atheniensibus Thesei sepulchrum.*] Plutarch. in vita illius ad finem.

q *Et Sparta Chalciœcum.*] Thucydides lib. 1. Probus Æmylius in vita Pausaniæ, Diodo. Siculus lib. 11. Plutarch. Parallelorum c. 21. Ælianus de varia historia, lib. 9. ad fi. Id autem templum ęreum fuisse tradit Liuius 4. Decad. lib. 5. quod & satis nomen ipsum iodicat.

r *Pausanias.*] Probat Æmylius, & Plutarchus vbi suprà.

s *Aliud Calchicon.*] Plutarchus in vita Agidis. vide Gręcum, & an sit id quod Calaurium alibi vocatur.

t *Et in Tænaro Neptuni.*] Thucydides libr. 1. & Plutarch. in Pompeio.

u *Et in Calauria &c.*] Strabo lib. 8. & Plutarchus in vita ipsius Demosthenis, vbi paulò aliter id recenset, & in vita Pompeij.

x *In Thracia Dianæ.*] Polybius lib. 4. Adde & in Samo eiusdem Dianæ, secundùm Herodotum lib. 3.

y *Et in Aspendo Pamphylia, Tiberij.*] Philostratus in vita Apollonij lib. 2.

z *Sicut Diana Leucophriena.*] Cornelius Tacitus libro 3. Huius autem Dianæ meminit Pausanias libr. 1. & 3. sed de asylo nihil dicit. Meminit item Appianus Alexandrinus bellorum ciuilium libro 5. non adeò longè à princip. vbi Cleopatram, Ægyptij reginam sororem suam Arsinoëm supplicem Mileti in Leucophryenæ templo interimi iussisse refert.

a *Palladis quoque templum &c.*] Non memini me legisse aliud fuisse Palladis templum, quod asylum esset, præter illud Chalciœcum, id est, æreum, de quo suprà in verbo, Et Sparta Chalciœcum.

b *Et in Aphrodisio & Papho Veneris.*] Vtriusque testis est Tacitus dict. lib. 3.

c *Apud Stratonicenses.*] Tacitus in eodem lib. vbi etiam de vtroque loquitur.

d *Siculis Palisci ara.*] Palici legendum est ex Virgilio lib. 9.

Pinguis vbi placabilis ara Palici.

Et ibi Seruio & Diod. Sicu. lib. 11. paulo ante fi. Macrob. lib. Saturn. 5. ca. 19. Lactantio Grammatico in Statium libr. 12. Thebald. & Stepha. in lib. de Vrbibus.

e *In Peloponneso Hermiona.*] De hoc nihil comperi, nisi quod scribam infrà in verbo, Qui tamen Samiæ, &c.

f *In Epheso Artemisium.*] Artemisium idem est ac si dicat, Dianium. Nam Diana Græcis ἄρτεμις dicitur, cuius appellationis causam tradunt Plato in Cratylo, Macrobius libr. 7. Satur. c. 16. eodémque vlt. Templum autem Ephesiæ Dianæ asylum fuisse, scribit Strabo lib. 14.

g *Pergami ædes Æsculapij.*] Cornelius lib. 3.

h *Apud Scythas, qui ad Riphæos confugissent.*] Legem Arimphæos ex Solino, cuius id est cap. 27. aut aliorum computatione 21. Pomponio Mela libr. 1. cap. vlt. ad fin. Plinio lib. 6. cap. 13. post principium. Hos autem Herodotus in Melpomene Argippæos vocat, quos sacros esse dicit, & ad quos (inquit) quisquis confugit, is à nemine læditur. At Martianus Capella libro 6. Arymphæos hos nuncupat, ad quos, ait, velut ad quoddam asylum confugiunt metuentes.

i *Sicut in Ægypto.*] Strabo lib. 17. Duobus schoenis à flumine distat Sais, & paulò supra eam est Osyridis asylum, in quo Osyrim iacere arbitrantur.

k *Et in Conopo Herculis templo.*] Herodot. lib. 2. Erat (inquit) ad hostium Nili Herculis templum quod vocatur Conobicum, àd quod siquis cuiuscumque hominis seruus confugiens, capiat sacras notas, sese deo tradens, eum nefas est tangere. Ex quo intelligis hic legendum Conobo, siue Conobico, non Conopo. Vide tamen Græcum. Quanquam & ipse Hercules dictus sit Conopæus, & Conopion, & Conopius, vt iam alibi diximus.

seruus lapidem importasset, liber & sui potens erat: & Dulopolin in eadem id iuris habuisse, vt qui seruus ad eam aufugisset, omni nexu solueretur. [l] Cinna verò ciuili manente bello, cum per præconem edixisset, vt serui ad eum confugientes velut ad asylum, liberi forent, illósque ad pileum vocasset, magnas seruorum & perditissimorum manus coegisse fertur. [m] Sed cum propter asylorum impunitates, multa facinora admitterentur magna licentia, Tiberius Cæsar, ne impunita essent crimina, immunitates asylorum abrogauit, & exoletũ morem antiquauit: qui [n] tamen Samiæ Iunoni & Æsculapij delubro ius veteris immunitatis ob religionem restituit. Neque omittendum, seruis [o] apud Romanos Statij, [p] Dionysij, necnon [q] Stychi, & Heræ frequens nomen fuisse: sicut [r] Athenis Dauus & Geta. cum enim Daci antea Daui dicerentur, ad Istri fontes bello subacti, Atheniensibus seruierunt, inde seruile nomen Daui & Getæ posteris reliquerunt. [s] Apud Syros Dama, [t] in Paphlagonia Tybius, apud Phryges [u] Manes & Mida [x] seruile nomen fuit, Lacedæmoniorum serui peculiari nomine [y] Helotæ, Argiuorum [z] Gymnetæ, [a] Cretensium Epharmiotæ, [b] Clarotæ [c] & Mnotæ dicuntur: [d] Thessalorum Penestæ, Syracusanorum Eustatoni, [e] Mariandynorum serui Do-

Cinna.

Immunitas asylorũ per Tiberium abrogata.

Seruorũ nomina.

ANNOTATIONES.

l *Cinna verò.*] Appianus lib.1. bellorum ciuilium.

m *Sed cum propter*, &c] Suetonius in Tiberio, c.37. Cornel. Tacitus non vno in loco.

n *Qui tamen Samiæ Iunoni.*] Tacitus de his duobus libr. 4. Sed præter asyla suprà memorata, fuere alia plurima scilicet Phanum Æaci in Ægina, ad quod cùm aufugisset Hyperides ille orator celeberrimus, Demosthenis æmulus, per vim detractus est, teste Plutarcho in Demosthene. Et templum Iunonis Troię Virgilio memoratum lib.2. Æneid. non longè ante fin.

Etiam Porticibus vacuis Iunonis asylo.

Et Phanum Telluris in Hermione, apud Plutarchum in Pompeio, vbi & ipse tradit asyla fuisse in Epidauro Æsculapij: in Isthmo, Neptuni: in Actio & Leucade, Apollinis. Et in Samo, Argis, & Lucania, Iunonis. Et in Clario & Didymeio. Quibus item adde Iunonis Luciniæ delubrum apud Brutios, vt scribit Liuius 3. Decad. lib.10. Et templum Apollinis Delij quinque millia passuum à Tanagra distans, ex eodem Liuiò 4. Decad. lib.5. ad fin. Et Alexandriæ asylum damnatorum capitis & exulum apud Cæsarem libr. 3. belli ciuil. Aliud Corinthi ex Strabone libro 10. Et in delubro Iouis apud Tanium emporium ex eodem libro 12. Et Romæ Palladis templum Plutarcho parallelorum cap. 22. Item Athenis in templo Misericordiæ, vt tradit Seruius lib.8. Æneid. Et astruit Statius lib. 12. Thebaidos illis versibus.

Vrbe fuit media nulli concessa potentum,
Ara Deùm, mitis posuit clementia sedem,
Et miseri fecere sacram &c.

Aliud etiam Mineruæ in ipsis Athenis asylum fuisse ex eo videri potest, quod scribit Pausanias lib.1. Syllam, quia Aristionem, qui in Mineruæ templum aufugerat, vi extractum interimi iussisset in illius teterrimi morbi genus incidisse, quem Phthiriasim Græci, Pedicularium Latini vocant.

o *Apud Romanos Statij.*] Gellius lib.4. c.vlt. author eius libri de Magistratibus Romanis, qui Fenestellæ vulgo tribuitur, cap.17.

p *Dionysij.*] Horatius inter nomina seruorum Dionysium posuit Serm. lib.1. Satyra 6.

Tune Syri Damæ, aut Dionysi filius audes
Deijcere è saxo ciues, aut tradere Cadmo?

Et Cicero lib. episto. familiarium 13. epist. antepen. Dionysij sui serui meminit.

q *Stychi.*] Apud Plautum in Stycho, seruus est nomine Stychus, qui illi fabulæ nomen dedit.

r *Sicut Athenis Dauus & Geta.*] Hæc vsque ad clausulam, Apud Syros, est Strabonis libr. 7. Est autem Dauus nomen serui apud Terent. in Andria, & Phormione. Et Geta etiam apud eundem in Adelphis, atque etiam in Phormione, & Plautum in Truculento.

s *Apud Syros Dama.*] Horatius suprà in verbo, Dionysij. posuit & id nomen Daui inter nomina seruorum, vt & Syti. Pomponius in l. in vulgari. §.1. de verb. sig. Si quis, inquit, in testamento scripserit, Si quid filio meo acciderit, Dama seruus meus liber esto. Sed an id Syriæ esset non exponit. At ex eo satis constat Daman serui nomen fuisse apud quosdam populos. Syros autem seruorum natos dicemus inferius lib.4. c.13. ex Liuio 4. Decad. lib.6.

t *In Paphlagonia Tybius.*] Strabo d.lib.7.

u *Apud Phryges manes.*] Strabo d.lib.7. Erat autem Diogeni Cynico seruus eo nomine, qui cùm ab eo aufugisset, consulerentque amici, vt illum quæreret, Ridiculum est (inquit) si Manes absque Diogene viuat, Diogenes absque Mane viuere non possit: author Laërtius in vita illius. Id autem nomen est à furore inclinatum, vnde ad æneam staruam translatum, quem cottaborum lusui adhibebant. Aristophanes, μαμαίνεται ὁ μάνης, id est, αἰσθάνεται ἡ μανίας, vt continuò declaratur.

x *Et Mida.*] Idem Strabo d.lib.7.

y *Helota.*] Aristoteles lib.2. Politicõn, c.7. & 8. Heraclites in Politicis vbi de Lacedæmoniis loquitur. Herodotus lib. 9. Liuius 4. Decs. lib.4. Strabo lib.6. & 8. & 15. Dionysius Halicarn. lib.2. Plato lib.6. de legibus Plutarchus in Lycurgo. Pollux lib.3. Onomasticon lib.8. ad fin. vbi ita de his loquitur, vt apud Lacedæmonios fuit medij inter liberos & seruos, μεταξὺ δὲ ἐλευθέρων καὶ δούλων λακεδαιμονίων εἵλωτες. Quòd & idem dicit de cæteris, in quibus illum statim citabo. Et de his quoque alibi diximus. Id autem nomen duxerunt à Laconiæ ciuitate, quam Heles vocant, vt tradit Thucydidis interpres.

z *Argiuorum Gimneta.*] Pollux vbi suprà ἀργείων γυμνῆτες.

a *Cretensium Epharmota.*] Arist. lib. polit. 2. c.3. Vide Græcum, & Strabo libr.15. vbi tamen eos Ephamiotas vocat, nisi ibi mendum sit, sed vide Græcum.

b *Clarota.*] Pollux vbi suprà κλαρῶται. Callistratus Aristophanis, & Ephorus lib.3. historiarum, & Athenæus lib.6. c.7. vbi eius nominis rationem reddit, quòd scilicet ex sorte in bello seruiebant.

c *Et Mnota.* Pollux vbi suprà ex quo intelliges hîc scribendum esse Mnoitæ μνῶται. Nam & publicam seruitutem Cretenses dicebant Mnoem, vt in secundo rerum Cretensium scribit Sosicrates, & ex eo Athenæus vbi suprà. Hiq; appellabantur Minœus cœtus, vt tradit Strabo lib.12. Quanquam Hermo in linguis Creticis apud ipsum Athæneum Cretenses senes nobiles Mnoas appellat. Stephanus autem Cretensium seruos ἀφαμιώτας vocat.

d *Thessalorum Penesta.*] Πενέσται. Plato lib.6. de legibus, vbi de seruis loquitur. Aristoteles lib.2. politicon c. 7. Strabo libr. 12. Dionys. Halicarn. lib.2. Philippus Theugellensis in Commentario de Caribus & De legibus, & Diostadæ li.4. rerum Creticarum, & ex iis Athenæus Dipnosophistarum 6. & 7. vbi & alios quoque citat.

e *Mariandynorum serui Doryphori.*] Pollux vbi suprà, sed de his ita loquitur Strabo dict. lib.2. vt videatur velle Milesios subegisse & in seruitutem redegisse Mariandynos, quasi serui ipsorum Milesiorum, Mariandyni dicti sunt: vt Penesti

Thes-

ryphori, [f] Sicyoniorum Corynephori appellati sunt. [g] Pelatæ verò & Thetes liberorum quidem nomina fuere illorum, qui coacti inopia, seruilia præstabant, sicut [h] Callicyrij in Creta, & Syracusanis [i] Arotæ & Callyrij. Præ cæteris [k] autem Iones præcipui inter seruos habiti, & velut insignia mancipia nobilitati sunt. [l] Quare Callicratidis Lacedæmonij verbum fuit, qui interrogatus cuiusmodi sibi viderentur Iones, facetissimè respondit, frugi seruos, liberos vtique malos. [m] Quod Agesilaus de Asiaticis iudicauit: & [n] vulgo de Caligula proditum est, nec seruum meliorem, nec deteriorem dominum fuisse: [o] Athenienses verò Harmodij & Aristogitonis, qui Hippiam interfecerunt, velut deuota nomina libertati, tanti fecerunt, vt lege sanxerint, ne illa seruis indere liceret. [p] Quo exemplo Domitianus Metium Pompusianum, quod nomina Magonis & Hannibalis seruis indidisset, supplicio affecit, tanquam clarissimorum virorum nomina seruili contagio polluisset: [q] præter quæ constans obseruatio Romanis fuit nimium diu seruata, ne ciuis Romanus quouis crimine obnoxius relegaretur, donec haud magno interuallo id seruare desiere. Primus enim L. Lamia Romanus ciuis à Gabinio consule relegatus fertur, & post eum plures legum iudiciorúmque pœnis affecti: fuitque animaduersum, ciuilibus bellis captos, velut hostes in prædam verti, & venum ire non licuisse, [r] semperque leuius seruitium apud Romanos deditis, quàm captis fuisse. [s] Græcósque perraro seruitutem seruisse: quare illorum nullus mercatoribus dabatur locus: [t] sicut Persarum, qui nunquam Romæ seruiere, nisi sub Alexandro Seuero imperatore, licet mox adhibito pretio ad suos redditi sint. [u] Ponticósque & Lydios seruos, aut Phrygios gregatim Romæ venire. [x] Thracibúsque peculiare esse sale coempta mancipia habere, sicut [y] Lemniis vino mercari.

Iones serui præcipui.

Callicratidis facetæ responsio.

Romani ciues non relegati.

Leuius seruitiũ deditis, quàm captis.

Sale & vino empta mancipia.

ANNOTATIONES.

Thessalorum. Sed vide Athenæum aliter id referentem ex aliis quo loco nuper citauimus. Doryphori autem liberi meminit Suetonius in Nerone, cap. 29. Et trium simulacrorum Doryphororum Plinius libr. 34. cap. 8. Primum Polycleti Sicyonij, alterum Cresilai, tertium Aristodemi. Porrò id vocabulum peræque est ac si dicas hastigeri siue hastiferi.

f *Sicyoniorum Corynephori.*] Pollux vbi suprà, sed aliter Plutarch. in Solone, vide eundem in Arato. Ea autem vox significat clauigeros, siue clauam gerentes, vel claua pugnantes. At Theopompus libr. 33. historiarum & Menæchmus lib. 2. rerum Sicyoniarum. Apud Athenæum d. libr. 6. cap. 7. scribunt seruos catanophoros apud ipsos Sicyonios vocari & id quoque tradit Stephanus. Et adde seruos Stratas vocari ex Plutarcho in Pelopida. Et Gallos Ambactos ex Cæsare lib. 6. Commentariorum. Nam & Festus lib. 1. scribit apud Ennium lingua Gallica Ambactum significare seruum licet in nonnullis codicibus Ampactum legatur. Vide Robertum.

g *Pelatæ verò & Thetes.*] Pollux d. libr. 3. cap. 8. paulo ante eum locum ex quo illum sæpe citauimus, πελάται δὲ καὶ θῆτες ἐλευθέρων ἐστὶν ὀνόματα διὰ πενίαν ἐπ' ἀργυρίῳ δουλευόντων. Hoc est, Pelatę autem & Thetes liberorum sunt nomina ob paupertatem mercede, siue pecunia, vel argento seruientium. Plutarch. autem in Romulo tradit Romanos clientes appellare, quos Græci vocant πελάτας. At Dionysius Halicarnasseus lib. 2. Athenienses clientes θῆτας à seruitute, Thessalos verò πενέστας, exprobrantes eis statim in appellatione ipsa fortunam.

h *Sicut Callicyrij in Creta.*] Cælius Rhodiginus lib. 25. c. 18. hos vocat Cillicyras.

i *Et Syracusanis Arotæ & Callyrij*] Arotræas illos appellat Cælius vbi suprà.

k *Præ cæteris autem Iones.*] Apud Herodotum Scythæ non abs re iudicarunt Iones tanquam non liberos, sed pessimos & ignauissimos omnium hominum, déque eis, tanquam de seruis loquentes, mancipia dominos amantia esse aiunt, & insectatione dignissimos.

l *Quare Callicratidis.*] Plutarc. in Apophtheg. Laconum, vbi de ipso Callicratide loquitur.

m *Quod Agesilaus.*] Hæc enim illius verba sunt, τοὺς δ' Ἴωνας κατοικοῦντας ἐλευθέρους μὲν κακοὺς, δούλους δ' ἀγαθούς. Testis idem Plutarch. in Apophthegmatis Imperatorum, vbi de eo loquitur in princ.

n *Et vulgò de Caligula.*] Id dictum fuit Passieni Oratoris apud Cornelium Tacit. lib. 5.

o *Athenienses verò.*] Idem Beroaldus in Suetonium, quo loco statim citabimus, sed nullo authore citato, verùm id proditum est à Gellio lib. 9. c. 2.

p *Quo exemplo Domitianus.*] Suetonius in vita illius cap. 10. Aliter Dion: nempe quòd præter cætera haberet orbem terræ pictum in parietibus cubiculi, quodque conciones Regum & cæterorum Principum, quæ sunt apud Liuium scriptæ, euolueret & studiosè legeret: quódque Vespasianus acceperat ex aliquo responso eum regnaturum.

q *Præter quæ.*] Totus hic locus vsque ad verba, Fuitque animaduersum. sumptus est à Tullio libr. epistol. familiarium 11. epistol. 16. Cuius hæc verba sunt loquentis de ipso L. Lamia: Nam Clodianis, inquit, temporibus cùm equestris ordinis Princeps esset, próque mea salute acerrimè propugnaret, à Gabinio consule relegatus est: quod ante id tempus ciui Romano contigit nemini. Quod & ipsum magna ex parte repetit idem Cicero eiusdem operis epistol. penult. & in Oratione ipsius Ciceronis in Pisonem.

r *Semperque leuius seruitium.*] Vide infrà lib. 4. c. 7.

s *Græcósque perraro.*] Vide Apophthegmata Laconica.

t *Sicut Persarum.*] Ælius Lampridius in vita Alexandri Seueri.

u *Ponticósque & Lydios.*] Appianus libr. 2. bellorum Ciuilium.

x *Thracibúsque peculiare.*] Ex quo Comicus quispiam à Zenodoto in collectaneis relatus,

> Θρᾷξ εὐγενὴς εἶ πρὸς ἅλας ἠγορασμένος.

Generosus es Thrax sale redemptus scilicet.

y *Sicut Lemniis vino mercari.*] Id sumptum est ex Homero lib. 7. Iliados ad finem, vbi scribit Lemnios magnã vini copiam in exercitum Græcorum duxisse: ex quibus Græci ipsi vinum emebant, alij ære, alij ferro, alij bobus, alij mancipiis, alij aliis rebus. Carmen Homeri est huiusmodi,

> νῆες δ' ἐκ Λήμνοιο παρέστασαν οἶνον ἄγουσαι
> πολλαί

Et paucis interiectis,

> ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες ἀχαιοὶ,
> ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
> ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῇσι βόεσσιν,
> ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι.

hoc est, octo laterum, dixere [m] Asphalum. [n] Taxillorum ludus ex octo punctis vel figuris constabat: inter quos vnus [o] Stesichorius nomine, hoc est, octonarius, præcipuus erat. Qui quidem [p] turricula, seu quæ dicebatur [q] orca vel [r] fritillus, [s] super patenti tabella punctis distincta iactabantur, ne lusoris manus iactum falleret, & non casu, sed fraude consisterent. Talorum verò [t] canis damnosus, senio [u] medius & anceps: siquidem modò lucra, nonnunquam damnum afferebat: is verò quaternarium numerum facit, [x] chius verò ternarium, [y] Venus autem quæ [z] summum continet numerum, multum lucri affert, sempérque fœlici exitu ludum terminauit. Hæc enim cani opposita, [a] colias dicebatur: [b] tricenariumque absoluebat numerum, [c] Euripides verò quadragenariũ. [d] In talis quoque legimus Vulturium & [e] Herculem basilicum, quæ an signa fuerint vel numeri, dubitatur adhuc. [f] In tesseris Midas fortunatissimus erat. [g] In taxillorum iactu ter sex summam Græcis afferunt victoriam: tria verò, sum-

Asphalus. Taxillorum ludus. Stesichorius. Canis. Senio. Chius. Venus. Colias. Euripides. Vulturius. Herculis Midas.

ANNOTATIONES.

libr. Argonauticõn. 3. ἀστραγάλοισι dicti sunt Cupido & Ganymedes talis ludentes ἀμφ' ἀστραγάλοισι δὲ τώγε χρυσείοις, ὡς τε κοῦροι ὁμήθεες ἑψιόωντο hinc quoque ἀστραγαλομάντεις, Artemidoro Daldiano libr. 2. qui scilicet ea talorum iactu futurorum euẽtuum sortem diuinabant. Vide Hadrianum Iunium Animaduersorum lib. 4.

m *Asphalum.*] Vide Lexicon Græcum.

n *Taxillorum ludus.*] Vnde natam esse hanc paræmiam scribit Pollux de hoc ludo loquens lib. 9. c. 7. Ἀ'παντ' ὀκτώ. id est, omnia octo.

o *Stesichorius.*] Pollux ibi. & Erasm. In Chilia. in prouer. omnia octo.

p *Turricula.*] Cuius apophoretum est Martialis libro 14. cap. 16.

Quæris compositos manus improba mittere talos?
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Idque imitatione Græcorum, qui Pyrgum id appellant, id est turrim. Ea enim dictione Græca in hac significatione vsus est Horatius lib. Serm. 2. saty. 7.

Mitteret in pyrgum talos.

Vbi interpretes interpretantur fritillum, de quo mox dicetur. Et Sidonius Apollinaris, Quoq; veluti classico, ad pyrgum vocabat aleatores.

q *Orca.*] De qua intelligi potest illud Persij sat. 3.

— *Angustæ collo non fallier orcæ.*

Quanquam alij aliò trahunt, scilicet ad vas, in quod pueri ludentes iniiciebant nuces. Sed Pomponius Bononiensis, antiquus poëta, huic talorum ludo tribuere videtur,

Iterum dum contemplor orcam, taxillos prodidi.

r *Vel fritillus.*] De quo Iuuenalis, loquens de alea, saty. 14.

— *Paruóque eadem mouet arma fritillo.*

Et Martial. lib. 4. epig 14.

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis.

Et lib. 5. c. 125. eodemque vlt.

Iam tristis nucibus puer relictis,
Clamoso reuocatur à magistro,
Et blando malè perditus fritillo.

Et lib. 13. epig. 1.

Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
Senio nec nostrum cum cane cassat ebur.
Hæc mihi charta nuces: hæc est mihi charta fritillus:
Alea nec damnum nec facit illa lucrum.

s *Super patenti tabella.*] Cuius est & apophoretum Martialis lib. 14.

t *Canis damnosus.*] Propertius lib. 4. eleg. 9.

Me quoque per talos Venerem quærente secundos:
Semper damnosi subsiluere canes.

Et Ouid. lib. 2. de Arte amandi,

Seu iacies talos, victam ne pœna sequatur;
Damnosi, facito, sint tibi sæpe canes.

Et Persius saty. 3.

Scire erat in voto, damnosa canicula quantum
Raderet.

Suetonius in Augusto, cap. 71. Talis iactatis, vt quisque canem, aut senionem miserat in singulos talos, singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat. Vide in sequentib.

u *Senio medius & anceps.*] Dextrum senionem d. saty. 13.

Iure etenim id summum quid dexter senio ferret,
Sine erat in voto.

Quod aduersari videtur ei, quod numero præcedenti adduximus ex Suetonio. Ideo sunt qui dicunt eum locũ Suetonij esse corruptum, & ita legendum ex antiquis exemplaribus, Talis iactatis. vt quisque canem miserat in singulos talos, singulos denarios conferebat in medium, quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat aut senionem.

x *Chius verò ternarium.*] De chio Aristoteles lib. 2. de mundo, & Pollux libr. 9. quo loco suprà citauimus vbi hunc dicit κῷον & χῖον appallari.

y *Venus autem.*] Suprà in verbo, Senio medius. Quibus adde illud vetus prouerbium, Si sæpe iacies, aliquando Venerem iacies, de quo Tullius lib. 2. de Diuinat. Quid est, inquit, tam incertum: tamen nemo est, quin sæpe iactans, Venerem iaciat aliquando, nonnunquam etiam atque iterum. Et vide Aristot. libr. 2. de cælo & mundo, & libr. 2. de Animal.

z *Summum continet numerum.*] Acrõn & Porphirion in Horatium lib. 2. Carm. Ode 7. in eum locum,

Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi?

a *Colias dicebatur.*] Hîc error est vel authoris, vel librarij, & Chias scribendum, quam oppositam cani scribit Pollux vbi suprà, eandémque chion appellari, vt suprà diximus, subditque plurimos chiam canem appellari putare.

b *Tricenariúmque absoluebat numerum.*] Porphyrion vbi suprà.

c *Euripides verò quadragenarium.*] Pollux lib. 9. c. 7.

d *In talis quoque legimus Vulturium.*] Apud Plautum in Curculione act. 2. scen. 3.

Postquàm cœnati atque appoti, talos poscit in manum,
Prouocat me in aleam, vt ego ludam, pono pallium:
Ille suum annulum opposuit, inuocat Planesium.
PH. *Meósne amores?*
CV. *Tace parumper, iacit volturiòs quatuor.*
Talos arripit, inuoco almam meam nutricem Herem.

e *Herculem basilicum.*] Plautus vbi suprà ad ea, quæ ex eo suprà adduximus,

Iacto basilicum, propino magnum poculum: ille ebibit.

f *In tesseris Midas fortunatissimus.*] Quod significat proprium illud à Suida relatum,

Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν εὐβολώτατος.
Midas qui in tesseris consultor optimus.

Erasmus autem Chil. 2. cent. 9. c. 87. monet perpendendum num εὐβολώτατος legi oporteat, vt versus sit iambicus trimeter, sic.

Μίδας γὰρ ἐν κύβοισιν εὐβολώτατος.
In tesseris iactus Midas prosperrimus.

g *In taxillorum iactu.*] Id est ea Platone libr. de legibus vlt. Polluce lib. 9. quo loco suprà iam citauimus, Suida ex Æschylo in Agamemnone his versibus,

τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι
τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας.

Id est,

Nam res herorum faxo, vt optime cadant.

Ter

Ludi illustriū & doctorum virorū post seria negocia. vt la ludum.

mum damnum. Qua quidem alea [h] Porcius Cato lusisse fertur animi laxandi causa, & [i] Augustus effusè, [k] Domitianus & [l] Claudius, qui etiam lusorium conscripsit opus, Inter reliquos [m] Theodoricus Gothorum rex, cum in alea vinceret, fertur indulgentissimus fuisse, eâque momenta domesticos promerendis gratiis captare solitos, [n] sicut cum Vespasianus in balneum transiret. Quibus quidē tesseris aptissima fuisse ligustra [o] Plinius notauit. Fuit quoque apud veteres ludus pilæ & folliculi [p] præcipuæ commendationis, & magni studij, quo & [q] Iulius Cæsar, & [r] Octauius & [s] alij clari viri illustrésque, exercendi corporis, & animi vegetandi causa, studiosissimè lusere. [t] Quo etiam Scæuola iureconsultus, remisso à negotiis animo, lusisse proditur, nonnunquam tesseris aut calculis. [u] Quod de Dionysio tyranno traditur, vt pila & folliculo assiduè luderet. Reliqui verò clarissimi duces, aut sapiētiæ professores non improbandi, animum diuersis studiis iocisque remisere. [x] quippe Socrates dum animo vacaret, cum pueris minutis & facie liberali, iocari assuerat: [y] & Scipio Africanus conchas mari legendo sæpe remisit curas: & Cato Censorius cum verna & famulatu animum relaxauit: [z] qui etiam qua die tulit repulsam, in conuiuio lusit: [a] quod de Archita Tarentino proditur, vt cum pueris & seruitiis lusus agitaret. [b] Heraclitus quoque Ephesius cum à negotiis quiesceret, astragalis lusisse fertur. [c] Et Attalus Asiæ rex hortum pro deliciis coluit, [d] nonnunquam fundendis statuis otium

ANNOTATIONES.

Ter sex vbi phryctoria iaciam mea.

Zenod. in Collectaneis ex Pherecratis fabula, cui titulus Myrmecanthropi. Et vide Erasmum Chi.2. cent. 3. cap. 66. Si autem plura scire cupis de his ludis superioribus, vide Pollucem d.lib.9. vbi suprà. Et ex recentioribus Beroaldum in Annotationibus, Erasm. Chiliad.2.cent.7. c. 68. Cælium Rhodiginum libr.20.cap.27.& Hadrianum Ionium libr. 2. Animad.c.4.

h *Portius Cato.*] Catonem quoque Vticensem, illius pronepotem & alea quoque lusisse satis probat quod scribit Plutar. in eius vita, quòd in cœnis partes sortiebatur, etsi non obtineret, amicis ipsum priùs recipere iubentibus, dicebat, Non bene se habere, inuita Venere. Nam suprà ostensum est Venerem fuisse in talis omnium felicissimam. Sed vide an hic non sit Portius Cato, de quo Alexander loquitur, &. hic etiam Portios vocabatur.

i *Et Augustus effusè.*] Suetonius in vita illius, c.71. vbi illum aleæ indulgentem fuisse dicit. Et Eutropius, & Aurelius Victor etiam in eiusdem vita.

k *Domitianus.*] Suetonius in vita illius, c.21.

l *Et Claudius. qui etiam lusorium conscripsit opus.*] Sueton. in vita illius, cap.33. Alea studiosissime lusit, de cuius arte librum quoque emisit solitus etiam in gestatorio ludere, ita essedo, alueóque adaptatis, ne lusus confunderetur. Vidéque etiam illud Senecæ in ludo de morte ipsius Claudij,

Vosque poëta lugete noui, vos in primis,
Qui concusso magna parastis lucra fritillo.

Et posteà ad finem, Tum Æacus iubet illum alea ludere, percusso fritillo. Et iam cœperat fugientes tesseras semper quærere & nihil proficere,

Iam quoties missurus erat resonante fritillo,
Vtraque subducto fugiebat tessera fundo.
Cúmque recollectos auderet mittere talos,
Lusuro similis semper, sempérque petenti
Decepere fidem, refugit, digitósque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.

m *Theodoricus.*] Sidonius epistol. libr.1. epist.2. ad Agricolam. Adde & tu Artaxerxem ex Plutarc. in vita illius. & Verum Imperatorem ex Iulio Capitolino in vita illius, c.21.

n *Sicut cum Vespasianus.*] Suetonius in vita illius, c.21.

o *Plinius notauit.*] Scilicet lib.16.cap. 18.

p *Pracipua commendationis.*] Adeò vt illi Galenus Medicorum princeps librum dicauit, in quo longè latéque hunc ludum commendat, veluti salubrem & corpori maxime idoneum. Idémque libr.2. περὶ ὑγιείας, reponit hunc ludum inter celeres exercitationes. Húncque ludum olim à S. C. fuisse approbatum tradit Iureconsul. in l.2. ff. de al. lusu, & aleat. Ex legum autem interpretibus Ang. ita cons. 397. exorditur, Ludus pilæ antiquissima res est, & omni iure permissa, per l. item Mella. ff. ad leg. Aquil. Cui & tu adde l. si ex plagis. eod. tit. Idque Canonistę admittunt in c. clerici. de vit. & honest. cleric. & in c. inter dilectos. de excessi. prælat. Et laté Paris Pute. in tract. quem nuncupatim in materia ludi edidit col.2. vers. vsus pilæ. vbi id temperat, modò id fiat causa recreationis, & pro modica pecūnia. Quanquàm scio Martialem lib.7. epigr.31. laudare Atticum iuuenem quòd ludum pilæ deuitaret,

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Preparat, aut nudi stipitis ictus hebes.

Et de hoc quoque ludo item libr.14.cap.45. & seq. & Manilius lib.5. Astronomicon illis versibus, Septima pars &c. Et Firmicus Maternus lib. eiusdem materiæ 8.cap. item 8. & Athenæus lib.1. Dipnoso.cap.8.

q *Iulius Casar.*] Vide in nostro repertorio in verbo, Alea.

r *Et Octauius.*] Scilicet Augustus Imperator ex Sueton. in vita illius, c.83.

s *Et alij clari viri.*] Vt Alexander Magnus ex Plutarc. in vita illius, & Athenæo libr. 1. cap. 13. vbi scribit Athenienses Aristonicum Carystium, qui cum Alexandro pila ludere solebat, ob artem pilæ ciuem fecisse & statuam ei erexisse, Lycon Troadensis, vir admodum eloquens atque in dicendo suauissimus & inclytissimus philosophus ex Laërtio in vita illius, & Athenæus libr. 12.cap.25. Et Marcus Antoninus Philosophus Imperator, qui omnibus Imperatoribus sanctitate vitæ antecelluit, pila lusit, vt apprimè tradit Iulius Capitolinus in vita illius. & Alexāder Seuerus ex Ælio Lampridio in vita illius. Demoteles Theognidis Chij, sapientis frater, Ctesibius Chalcidens. Philosophus & alij apud Athenæum d.lib.1. Dipnosophist.cap. 8. Indignus autem est Domitianus, qui inter hos numeretur, quem & alea se oblectarum, cùm otium esset, scribit Suetonius in vita illius, cap.21.

t *Quo etiam Scauola.*] Val.lib.8.c.8.

u *Quod de Dionysio tyranno.*] Cicer. Tusc. quæst. lib. 5. cuius hæc sunt verba, de eo loquentis, Atque cùm pila ludere vellet (studiosè enim id factitabat) tunicámque poneret &c.

x *Quippe Socrates.*] Valer. Max. d.lib.8.c. 8. & Ælianus libr. 12.c.15.

y *Et Scipio Africanus.*] Val. Max. ibid.

z *Qui etiam qua die.*] Plutarc. in Catone Minore. Vide autem num idem sit cum Censorio.

a *Quod de Archita Tarentino.*] Athenæus Dipnosophist. lib.12.cap.6. Architam Tarentinum scribit virum cum vrbanum, tum etiam philosophum, multos habentem seruos his gaudere solitum.

b *Heracletus quoque Ephesius.*] Diogenes Laërtius in vita illius.

c *Et Attalus Asia Rex.*] Iustinus lib.36. Omissa deinde regni administratione, hortos fodiebat, gramina seminabat, &c.

d *Nonnunquam fundendis statuis.*] Idem ibid. post pauca. Ab hoc studio æratiæ artis fabricæ se tradidit, cæterisque fingendis,

occupauit. Memoratur [e] Alexander Seuerus imperator per dies festos perdicum & catulorum pugna se oblectasse, & [f] Amasis Ægypti rex post seria motionem egisse, & magnus ille [g] Agesilaus cum infante filio arundinem ascendisse. Neque prætereundum quod [h] de Demetrio proditum est Poliorcete, qui post negotia bellicas machinas: & de [i] Europo Macedoniæ rege, qui in otio lucernas fabricauit. Parthorum [k] quoque reges cum otium superaret, cuspides acuisse feruntur. Et Dionysius iunior cura belli solutus, plaustella, mensas & sedes mira arte compinxit. [l] Attalus verò Philomator pro oblectamento habuit, elleborum, aconitum & cicutam, venenosásque herbas plantare, vt fructum inde legeret. Sed [m] tamen pila iuuenum lusus erat, frequens in Martio campo fieri solitus, [n] exque his altera paganica, [o] trigonalis altera, in qua sinistræ vsus præcipuus traditur. Namque illius impulsu magis quàm dextræ ludus agebatur, cuius erat vsus vel maximè in corporis motu & agilitate, vt sciret aptè pilam iacere atque excipere, modò incurrere, modò recurrere. [p] Armis quoque & equis, tũ hasta, claua & pila, lucta, venatione & cursu exerceri Romanam iuuentutem vetus consuetudo fuit: pariter sudem torquere, equum agitare, arma tractare, [q] sicut iactu disci, cursu, saltu, iaculatione vel cæstu: quos ludos [r] pentathlum dixere, [s] & ludiones pentathlos [t] seu quinquertiones. [v] Erátque senatusconsulto cautum, vt nisi his ludis pecuniam ludere liceret. Græcis [x] verò octo fuere ludi, quibus iuuentus exercebatur impunè: [y] stadium, [z] diaulus, [a] dolichus, [b] hoplite, [c] pygme, [d] pancratium, [e] pale, & halma, [f] hoc est saltus. [g] Præter quos fuit harpastum quod volubili rotunditate in solo iactatur.

Pila iuuenũ ludus.
Exercitia Romanorum iuuentutis.
περὶ ...
Ludi quis haspecunia ludere liceba[t].
Græca iuuentutis ludi.

ANNOTATIONES.

fingendis, & ære fundendo, procudendóque obiectabatur.

e *Alexander Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita illius.

f *Et Amasis.*] Herodot. lib. 2. ad fi.

g *Magnus ille Agesilaus.*] Plutar. in vita illius, & in Apophtheg. eiusdem, & Ælianus variæ historiæ lib. 12.

h *De Demetrio.*] Plutar. in vita illius.

i *Et de Europo.*] Lege Æropo ex Plutarcho qui id de illo tradit in vita ipsius Demetrij.

k *Parthorum quoque Reges.*] Plutarc. in eodem loco.

l *Attalus verò Philomator.*] Plutarc. ibidem, & Iust. libr. 36.

m *Sed tamen pila iuuenum.*] Plautus in Bacchide;

Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugillatu,
Pila, saliendo se exercebant magis.

Et ibi vide interpretes.

n *Exque his altera paganica.*] De qua Martia. libr. 7. epig. 31. quod nos suprà adduximus. & lib. 14. c. 45.

Hæc quæ difficili turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, & minus arcta pila

Nonnulli pro arcta legunt apta.

o *Trigonalis altera.*] De qua etiam ipse Martialis, qui huic dedicauit id apophoretum. eodem lib. c. 46.

Si me mobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis rustice, redde pilam.

p *Armis quoque &c.*] Silius Italicus libr. 8. declarans quomodo Scipio iuuenes milites exerceret, & ad bellum formaret.

Lectos rectores formabat Scipio bello:
Ille viris pila & ferro circundare pectus
Addiderat: leuiora domo de more parentum
Gestabant tela, ambustas sine cuspide cornos.
Ipse inter medios ventura ingentia laudis
Signa dabat: vibrare sudem, transmittere saltu
Murales fossas, vndosum frangere nando
Indutus thoraca vadum: spectacula tanta
Ante acies virtutis erant.

q *Sicut iactu disci.*] De his quinque ludis, & nos quoque post Alexandrum diximus suprà libr. 1. cap. 2. vbi videre poteris, & quæ nos præterea dicemus inferius lib. 5. cap. 20.

r *Pentathlum*] A numero scilicet quinario horum ludorum. Festus Pompeius lib. 14. statim post prin. Pentathlum, inquit, antiqui quinquertium dixerunt. Id autem genus exercitationis his quinque actibus constat, iactu disci, cursu, saltu, iaculatione, luctatione.

s *Et Ludiones pentathlos.*] Plinius loquens de Myrone statuario lib. 34. c. 8. Hic fecit Delphicos pentathlos.

t *Seu quinquertiones.*] Nam & pentathlon antiqui quinquertum, siue vt alij legunt, quinquertium dicebant, vt tradit Festus Pompeius, quo loco nuper citauimus, & iterum lib. 15. Hicque vt scribit Liuius Andronicus, ipsos athletas vocant quinquertiones.

u *Erátque senatusconsulto cautum.*] Vt scribitur in l. 2. ff. de aleat.

x *Græcis verò octo fuere ludi.*] Quæ mox declarat.

y *Stadium.*] Quid id sit omnibus planum est: tametsi dictio Græca est, quæ curriculum significat: pro genere autem cursus posuit Plato libr. 1. de legibus.

z *Diaulus.*] De hoc Pollux libr. 3. c. 30. quo loco περὶ δρόμου γυμνικοῦ. Idque interpretantur cursum reciprocum siue duplicem, scilicet obeundi stadium, & confestim redeundi. Et de hoc quoque Vitruuius lib. 5. cap. 11. In palæstris, inquit, perystilia quadrata siue oblonga ita sunt facienda, vti duorum stadiorum habeant ambulationis circuitionem, quam Græci vocant δίαυλον. Nam & Aristophanis interpres ita vocat locum, qui duo stadia continet, atque etiam Pausanias lib. 1.

a *Dolichus.*] Pollux vbi suprà in princ. quem cursum plenum interpretantur. Suidas dicit eum fuisse 24. stadiorum, alij 12.

b *Hoplite.*] Cursum armatum significat, quod & nomen indicat.

c *Pygme.*] De hoc idem Pollux lib. 2. περὶ χειρῶν, καὶ τῶν ἀπ' αὐτάς. Et Plutarc. in Lycurgo πυγμὴν δὲ καὶ παγκράτιον ἀγωνίζεσθαι ἐκώλυσεν. id significat cæstum, pugnum, pugillatum, id est certaminis genus, quòd cæstibus exercebatur. De quo Virgil. lib. 5. Æneid.

d *Pancratium.*] Id notius est quàm vt aliter declarari queat.

e *Pale.*] Πάλη, id est, lucta, siue luctatio. ἀπὸ τοῦ πάλλεσθαι τὸ σῶμα. Huius meminit Plato lib. 1. de legib. vbi scribit gymnastice artis duo esse genera, saltationem scilicet & luctam. Et Pindari interpretes in Isthmiis.

f *Et Halma.*] Saltum significat, de quo & Pindari interpretes vbi suprà. & quotquot scripserunt de pentathlo.

g *Præter quos fuit Harpastum.*] De quo Martialis libro 4. epig. 19.

Seu lentum ceroma teris, tepidúmve trigona,
Siue harpasta manu puluerulenta rapis.

Et lib. 7. epig. 31.

Rara nec iniecto ceromate brachia tendis.
Non harpasta vagus puluerulenta rapis.

Et epig. 66.

Harpasto quoque subligata ludit.

Estque eiusdem apophoretum Harpasti lib. 14. cap. 48. huiuscemodi.

Hæc rapit Antei velox in puluere Draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

h *Sicut*

Harpaſtum. Diſcus. Halteres Petauri ludus. Petauriſta. Follis ludus. Sphera ludus. Sphæromachia. Apobate. Germanorum mos. Germanorum ludus. Encotyle. ἐγκοτύλη. κινδαλισμός. Nucibus. Par impar.

qui ludos Polluce authore fiebat, vt iuuenes in geminas diuiſi turmas, intra lineas ſeu metas conſiſterent, harpaſtóque poſito in medio, quiſque contenderet vt intra gyrum alterius lineæ immitteretur: quod ſi contingeret, victores erant,& diſcus. Fuit enim inſtar pilæ æneæ, quæ brachiorum viribus excepta, & in altum miſſa, exercebat corpora animóſque ita vt quantum quiſque viribus præſtaret, maximè eniteret. Namque is fortior, & præcipuo robore habebatur, qui illum vltra ſignatum geſſiſſet ſcopum:ſicut [h] halteres:erant enim circuli figura non ſphærica, ſed dimidia longiore, in quibus digiti inſeri poſſent, quos facilibus brachiis rotabant: & nunc iactando, nunc rotando ludus committebatur. Fuit [i] quoque perauri ludus admirationis præcipuæ,cum per circulos quiſpiam veloci curſu tranſuolat, corpore ita librato, vt circulum non offendat: vnde petauriſtæ ludiones dicti.[k] Follis autem ludus remiſſior & ignauior habitus: eo enim ſenes imbelli ætate ludere ſolebant. [l] Horum authores Lydos fuiſſe ferunt.qui vt famem qua premebantur,facilius ferrent,in miſeriis hoc ſolatij inuenere,vt ludo tempora tranſigerent. Apud [m] Græcos frequens ludus erat ſphæræ, qua qui viciſſet, rex dicebatur, & imperabat: victus verò, aſinus, & victoris mandata exequebatur: [n] cui ſphæromachia nomen,quo in gymnaſio iuuentus exerceri conſuerat. [o] Spartanis palæſtra,Athenienſibus præter palæſtram,quam primi inuenere,erat equeſter ludus,quem dixere [p] apobaten, quo Phocionis filius ſæpiſſime luſit, & victor fuit. [q] Proditúrque Germanorum mos peculiaris, vt cum omnia luſiſſent,nihílque pecuniatum ſupereſſet,in luſu extremo de libertate contenderent: victúſque in alea ſeruitium pati, & addici victori velut mancipium patiebatur: apud quos frequens ludus erat,vt nudi iuuenes inter gladios & infeſtas frameas ſe inuicem iactitent,illáſque ſaltu tranſiliant illæſi. Græcis quoque iocus erat,cui nomen [r] encotyle,quo victi,vincentium genua manibus excipientes ſublimes deferunt. [s] & alius,cindaliſmus apud plebē frequens,quem clauis exercebant. [t] Nucibus verò, [u] & par

ANNOTATIONES.

h *Sicut halteres.*] Idem Cælius Rhodiginus lib.14. cap.3. ſed nullo quoque citato authore,ſed id eſt Pauſaniæ lib.5. non adeò longe ad finem. Sicut, inquit, halteres athletarum libramenta,circuli oblongiore figura,illa quidem non prorſus in ambitum circunducta.Nam quà pars manibus prenſatur,anſulas habet, intra quas digiti, vti intra clypeorum lora immittuntur.Et de his Martia.lib.7.epi.66.

Alteres agili rotat lacerto.

Sed ſunt qui ibi legunt,

Alterno facili rotat lacerto.

Et lib.14.cap.49.

Quid pereunt ſtulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea foſſa viros.

Vide Ariſtot.probl,alicubi.

i *Fuit quoque petauri ludus.*] Nonius Marcel.ex Varrone,& Feſtus Pompeius libr.14. vbi de Petauriſtis. Iuuenalis ſatyr.14.

An magis oblectant animum iactata petauri
Corpora. ——

Et Martial.lib.2.epig.86.

Quid ſi per graciles vias petauri,
Inuitum ſubeas ſubire Ladan?

Et lib.11,epig.22.

Quàm rota tranſmiſſo toties impacta petauro:
Quàm vetus à craſſa calceus vdus aqua.

k *Follis autem.*] Martia.libr. 14. cap.47. quo follis eſt apophoretum,

Ite procul iuuenes,mitis mihi conuenit ætas:
Folle decet pueros ludere folle ſenes.

l *Horum authores Lydos,*]Herodo.lib.1.Vide Polydorum de rerum inuent.

m *Apud Græcos.*]Vide Senecam & alios quos ſequenti verſiculo citabimus.

n *Cui ſphæromachia nomen.*] Vocabulum Græcum ſignificās ſphæræ certamen,quo ex Latinis vſus eſt Seneca ad Lucil. epiſtol.81.in princ.Hodierno die non tantùm meo beneficio mihi vaco, ſed ſpectaculi, quod omnes moleſtias ad ſphæromachiam auocarint.Statius in præfatione lib.4.ſyluar. Sed & ſphæromachias ſpectamus & pilaris luſio admittitur.Hincque σφαιρομαχεῖν, apud Platonem lib. de leg. id eſt pila ſiue ſphæra certare.

o *Spartanis palæſtra.*] Fuit autem Spartanis tam familiaris palæſtra,vt etiam virgines in ea exercerentur:authore Plutarcho in vita Lycurgi.

p *Apobaten.*] Pauſanias libr.1. qui de Atticis eſt: vbi non Apobaten, ſed Hippobaten vocat.

q *Proditurque Germanorum mos.*] Hæc omnia de Germanis ſunt Cornel.Taciti in lib.de morib.Germanorum.

r *Encotyle*] Vide Pollucem.Idem Cælius Rhodiginus libr. 27.cap.item 27.nullo quoque laudato authore.

s *Et alius,cindaliſmus.*] Idem ipſe Rhodiginus lib. 28.c. 10 ſed eſt Pollucis lib.9.c.7.

t *Nucibus verò.*] De hoc ludo nucum Catullus in epithalamio Iuliæ & Mallij,

Da nuces pueris iners
Concubina, ſatis diu
Luſiſti nucibus.

Et Perſius ſaty.1.non multò poſt princ.

Et nucibus facimus quæcunque relictis
Cum ſapimus patruos.

Martia.lib.5.epig.85.

Iam triſtis nucibus puer relictis,
Clamoſo reuocatur à magiſtro.

Et lib.14.epig.1.

Lude,inquit:nucibus:perdere nolo nuces.

Et iterum epig.18.

Alea parua nuces,& non damnoſa videtur:
Sæpe tamen pueris abſtulit illa nates,

Et Horat.

Poſtquàm te talos Aule nucéſque
Ferre ſinu laxo donare & ludere vidi.

Multos autem ludos qui nucibus fiunt, ſigillatim declarat Ouid.lib.de Nuce illis verſibus,

Has puer aut certo rectas diuerberat ictu,
Aut pronas digito biſve ſemelve petit.

Et cætera quæ ſequuntur.

u *Et par & impar.*] Horat.lib.Sermonum 2.ſatyr.3.

Ludere par impar.

Et Suetonius in Auguſto, capit. 71. aliàs 72. Et Ouid. de Nuce,

Eſt etiam,par ſit numerus,qui dicat an impar:
Vt diuinatas auferat augur opes.

Et à Græcis Ariſtophanes in Pluto,

στατῆρσι δ' οἱ θεράποντες ἀρτιάζομεν.

Et D. Grægorius Nazianzenus in carmine de Virginitate:

ἀλλ' ὥς τις [illegible] φρένα [illegible],
[illegible], τὸ δ' ἄρτιον [illegible]
[illegible] χέρες, [illegible]

Et Pollux lib.9.quo loco iam ſæpe ſuprà citauimus.

Impar, vel [x] coturnicum & gallinaceorũ certamine, quo ludo Antonius & Octauius lusisse, & melioribus omnibus victor abiisse fertur. [y] aut turbine, vel micantibus digitis, [z] nonunquam ocellatis nucibus Romæ ephebi pueri ludere solitauere [a] Nummis quoque in sublime iactatis, caput vel nauim petere, vt quod tunc fortè eueniret, & petitis responderet, id victoriam daret: aut dormientibus oculos & ora pingere, frequens erat puerorum lusus. [b] Quæ quidem nuces loco aleæ fuerunt pueris nondum adultis, [c] quibus in Saturnalibus ludere permissum, sicut iuuenibus alea, reliquo anni tempore vetabatur. Parthorum verò pueris ludus erant aurei tali, quibus certo anni tempore indulgere licebat. Sed quod modò est de ocellatis nucibus dictum, memini doctos viros super nucibus ocellatis eiusmodi quæ essent, ancipitem diu cogitationem duxisse; variáque in opinione versari, & alios nuces auellanas, alios amygdalas putare, neque satis certam ferre sententiam super [d] Tranquilli verbis quibus Augustum laxandi animi causa cum pueris facie liberali ocellatis nucibus lusisse dicit. Quod vero nos sentimus, & probabilius putamus, id est eiusmodi, vt nuces ocellatas, nucleos, quos in Persicis pomis sitos inspicimus, dicamus esse, quibus persæpe ludere nostrates pueros hodie videmus: dictasque ocellatas, propter ocellos & foramina quibus muniuntur vndique. Neque de amygdala & auellana vel osc lla, sicut error habet, sed de persicorum ossibus, quibus tunc ludebatur, & nunc frequens puerorum lusus est, intelligi conuenire, credimus exploratæ & non ambiguæ sententiæ fore.

Ephebi rum puerorum ludi. *Nuces in Saturna. libus.* *Parthorum puerorum.* *Nuces ocellatæ. Tranquilli locus.*

ANNOTATIONES.

x *Vel coturnicum & gallinaceorum.*] De his duobus Plutarch. in vita Antonij & Herodianus loquens de liberis Septimij Seueri: sed vide an de duobus loquatur, Lucian. in libr. de Gymnasiis non adeò longe à fi. Plinius autem lib. 10. cap. 21. Scribit Pergami omnibus annis certamen gallorum publice edi, ceu gladiatorium. Ælianus de varia historia lib. 2. ca. 28. scribit Athenienses legem posuisse, vt galli gallinacei quotannis vno die certamen in theatro inirent. & addit causam cur id statutum sit.

y *Aut turbine.*] De quo Virgil. lib. 7. Æneid.

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent.

Et Tibul. lib. 1. eleg. 5. statim post princ.

Namque agor vt per plana citus sola verbere turbo,
Quem celer assueta versat ab arte puer.

Hic autem turbo plerunque fiebat ex buxo, vnde illud Virgilij de eodem ludo loquentis d. lib. 7.

Impubesq; manus mirata volubile buxum.

Et Persij satyra 3.

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Is autem ludus Trochus quoque vocatur. Martial. libr. 14. Epig. 168.

Inducenda rota est, das nobis vtile munus,
Iste trochus pueris, at mihi cantus erit.

Et Horat. in Art. poëtica,

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis:
Indoctusq; pilæ, discive trochive quiescit.

Vbi Acron, Trochi, id est, rotæ, quam currendo pueri ferrea regunt.

z *Nonnunquam ocellatis nucibus.*] Iam suprà diximus de ludis nocum: sed quod ad ocellarias nuces pertinet vide infrà.

a *Nummis quoque.*] Macrobius lib. 1. Saturn. c. 7.

b *Quæ quidem nuces, &c.*] Supra in verbo, Nucibus.

c *Quibus in Saturnalibus.*] Vide Macrobium.

d *Super Tranquilli verbis.*] Idem in vita augusti, cap. 83. vbi vide omnino interpretes super huius vocabuli intellectu admodum nutantes.

Quæ vota olim solennia fuere apud Romanos, & apud exteros, quíve vota concipere, & quando soliti sint.

CAPVT XXII.

QVI mos vetustus in [a] votis nuncupandis olim, quæque solennitas concipiendorum fuisset, multi variè exequuti sunt. In primis obseruatum legimus, vt simul ac consuli aut imperatori cui belli summa commissa erat, de euentu belli incerta spe fluctuanti, votum vouere collibitum esset, si id inconsulto senatu, aut citra populi authoritatem faceret, de manubiis vel hostium spoliis, aut si non sufficerent, sua impensa exoluere teneretur, [b] Vouebãtur enim sæpius templa ędésve deorũ: [c] ludique diis aut [d] statuæ, quibus numina placari, aut expiari crimina putabant. [e] Nonnunquam mulsi pocillum pro magno munere diis votum inuenimus. In quo fuit seruatum, [f] vt velato

De belli euentu. *Ludi diis aut statuæ.*

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

a IN *votis nuncupandis.*] Quæ vota nuncupata dicebantur, disces ex Festo Pompeio libr. 12. & 19. Et de huiusmodi votorum nuncupationibus vide Cicer. in 7. in Verrem act. & Philip. 3. Plinium Iuniorem in Panegyrico, sæpe Liuium 4. Decad. lib. 5. Suetonium in Nerone. c 46. Tacitum lib. 16. Liuius 4. Decad. lib. 6. Alter, inquit, Consul P. Corne. Scipio Galliam prouinciam sortitus, priusquàm ad bellum, quod cum Bois gerendum erat, proficisceretur, postulauit ab Senatu, vt pecunia sibi primò decerneretur ad ludos, quos Proprætor in Hispania inter ipsum discrimen pugnæ vouisset. Nouum atque iniquum postulare est visus. Censuerunt ergo quos ludos inconsulto Senatu ex sua vnius sententia vouisset: eos vel de manubiis, si quam pecuniam ad id reseruasset, vel sua ipse impensa faceret

b *Vouebantur enim sæpius templa.*] Plutarch. in Camillo, & authores vbique.

c *Ludique diis.*] Plutarchus ibi. & Diodorus Siculus libr. 11. & Liuius 1. Decad. lib. 7. vbi de voto. & 4. Decad. lib. 6. in princip.

d *Aut statuæ.*] Herodotus lib. 2. loquens de Ladice Amasis vxore. Vouit intra se Veneri, si ea nocte secum coiret Amasis, statuam Cyrenas se illi missuram. Et paulò post, Et Lacide votum deæ persoluit facta statua, Cyrenásque missa.

e *Nonnunquam mulsi pocillum.*] Id fuit L. Papyrij votum, si legiones hostium fudisset. apud Liuium 1. Decad. lib. 10. Plinius autem lib. 14. c. 13. dicit pauxillum vini.

f *Et velato capite.*] Liuius 1. Decad. libr. 8. vbi & alia addit,

 scilicet,

Is erat L. Papyrius de quo supra c. 11. Velato capite ludi ab imp. voti. Cæremoniæ denariæ, tricennariæ &c. Cœna centenaria. Porticus centenaria. Vota pro quibus concipiebantur. Pro principe. Vota quæ dictator consul. aut prætor suscipiebat. Ex incerta pecunia.

capite, & veste caput opertus imperator, prætor aut consul votum effundat, illúdque [g] conceptis verbis suscipiat. [h] Quos quidem ludos plerunque impératores vouerunt ex anno imperij computatos, vt scilicet totidem dierum ludi fierent, quot illi annis imperio præfuissent. [i] Ideo Galenus Cæsar deuictis Sytis in Asia, decennalia vota celebrauit [k] Theodosius vicennalia & tricennalia, sicut [l] denariæ cæremoniæ & tricennariæ: quarum sacra adituris, decem aut triginta diebus obseruantia præcipitur. [m] Et centenariæ cœnæ à centenis sestertiis: [n] & vasa milliaria, [o] aprosque milliarios à punderibus dictos comperimus, [p] Porticus quoque centenarias & milliarias dicimus, à passuum longitudine dimensas. Vestes etiam [q] coronásque ex auro & gemmis, plerunque numinibus votas, & voto persoluto dicatas inuenimus: quæ quidem vota pro [r] imperij æternitate, nonnunquam pro [s] salute ciuium verbis solennibus concipi solebant. In quo id seruatum est, vt nisi [t] tertio die post calendas Ianuarias, [u] pro salute principis votum concipiatut, [x] vtque solenne iusiurandum nuncupationibus votorum præstetur. [y] Etiam pro itu & reditu, proq; incolumitate principis, iacere stipem ad lacum Curtij, [z] aut ludorum celebritas, apod Romanos votum fuisse compertum est. [a] Quotiesq; pro principis incolumitate concipiebatur votum, Tiberio imperante id seruatum est, vt in votorum noncupatione Noronem Drusúmque diis commendatent Quæ vero dictator, consul aut prætor vota suscipiebat, non aliter nisi verbis [b] conceptis, & [c] præeunte pontifice maximo, ne quid præpostere dicatur, concipi poterant. [d] Ex inceita quoque pecunia, & quæ non extaret, votum concipi posse plerunque animaduersum est: si tamen semel votum emissum foret, illud denuo irritum facere non licebat. Quod

ANNOTATIONES.

scilicet, quo ritu quibúsve cæremoniis celebretur hæc deuotio.

g *Conceptis verbis.*] Liuius 4. Deca. lib. 6. in princ. Nam præeunte Pontifice Maximo id fiebat, vt inferius dicemus.

h *Quos quidem ludos.*] Id ex his probatur quæ sequuntur.

i *Ideo Galenus Cæsar.*] Trebellius Pollio in vita illius.

k *Theodosius Cæsar vicennalia & tricennalia.*] Hic aberrauit Alexander. neque enim is Theodosius, sed Constantinus, ex Eusebio in fine suorum Chronicorum, vbi scribit, Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequeoti anno Romæ edita. Et paulò post Diuus Hironymus in adiectione eorundem Chronicorum, Tricennalibus, inquit, Constauritini, Dalmationis Cæsar appellatus. Et Paulus Orosius lib. 7. cap. 19. post princ. Constantinus Tricennalibus suis Dalmatium Cæsarem legit. Ex quibus etiam intelligis hæc vota non fuisse, vt putat Alexander, sed potius quasdam celebritates, quæ forte vicesimo & tricesimo Imperij anno peragebantur.

l *Sicut denariæ.*] Festus Pompeius lib. 4.

m *Et centenaria cœna.*] Tertullianus in Apologetico, c. 6 & Festus Pompeius lib. 3. vbi ita scribit, Centenariæ dicebantur. in quibus lege Licinia non plus cētussibus, præter terræ nata impendebantur, id est centum assibus, qui erant breues nummi ex ære.

n *Et vasa milliaria.*] Cato de vase loquens lib. 2. de re rustica, c. 4. Inter orbem & milliarium vnum digitum interesse oportet. Columella lib. 9. Si vas æneum simile milliario vespere ponatur inter alios. Palladius lib. 1. Vas æneum milliario simile. id est altum & angustum, vespere inter aluearia collocemus. & in fundo eius ponamus lumen accensum. De vasis autem ceoteoariis Lāpridius in Heliogabalo, Primus, ait, vasa centenaria argentea habuit.

o *Aproq; milliarios.*] Varro de re rustica, lib. 3. c. 2. Et non pluris nuoc tu à villa illic natos verres lanio vendis, quam hic apros milliarios emit Seneca epistolarum ad Lucill. 19. epistol. omnium 110. Tunc te admirare, cùm contempseris necessaria: non magnam rem facis, quòd viuere sine recto (aut, vt alij legūt, regio) apparatu potes, quòd desideras milliarios apros, ne linguas phœnicopterorum, & alia portenta luxuriæ iam nota animalia fastidientis.

p *Porticus quoque centenarias & milliarias.*] De quibus Sueton. in Nerone, c. 31. Vide ibi interpretes & Robert. Flauius autem Vopiscus in Aureliano, eas vocat, milliarenses, nisi ibi sit mendum: aut etiam nisi hæ sint aliæ. Vide annotationes.

q *Coronasq;.*] Liuius 3. Decad. lib. 8. de legatis Saguntinis loquens: Ioui Opt. Max. præsidi Capitolioæ ascis non grates soluoi ob hæc agere iussi sumus, sed donum hoc etiam, si vos permitteretis, coronam auream in Capitolium victoriæ ergò ferre.

r *Pro imperij æternitate.*] Plinius in Panegyrico, Nuncupare vota & pro æternitare imperij, & pro salute ciuium: imò pro salute principum & propter illos pro æternitate imperij solebamus. Ex quo loco haud dubiè Alexander hæc deprompsit.

s *Pro salute ciuium.*] In eodem loco. Verres autem Prætor Siciliæ vota pro imperio suo, communique popul. Romani salnte ouncupauit apud Ciceronem in ipsum Verrem actio 7.

t *Tertio die post cal. Ianuarias.*] Id Caij Iurisconsulti est in l. si calumniator. §. 1. ff. de verb. sig. Post calendas, ioquit, Ianuarias die tertio pro salute Priacipis vota suscipiuntur.

v *Pro salute Principis.*] Iam diximus de votis, quæ fiebant pro salute Principis suprà in verbo, Pro imperij æternitate. & in verbo, Tertio die post Calendas Ian. Sed quibus adde Cornelium Tacitum lib. 12. ad fi. Vercbatur interim Senatus, votáque pro incolumitate Principis consules & procōsules nuncupabant. & alio loco, quem in sequ. adducemus. Vide Suet. in Caligula, cap. 14. & Beroaldum ibi. & Plinium lib. 7. cap. 48.

x *Vtq; solenne iusiurandum*] Corn. Tacitus libr. 5. Quin & illa obiectabat principio anni vitare Thraseam solenne iusiurandum nuncupationibus vororum non adesse: quamuis quindecimuirali sacerdorio præditum nunquam pro salute Principis immolasse.

y *Etiam pro itu & reditu.*] Sueton. in vita Tiberij, ca. 38. Ad extremū vota pro itu & reditu suo suscipi passus. & in Caligula, cap. 14. Vota pro reditu suscepta sunt. Hincque etiam illud Horatij.

> *Voto prosequitur Cæsarem,*
> *Profectionem parantem in vltimos*
> *Britannos.*

z *Aut ludorum celebritas.*] Suprà in verbo, Ludísque diis.

a *Quotiesq;.*] Hæc sunt Taciti lib. 4. cuios hæc verba sunt, Cethego & Viselio Varrone Coss. Pontifices, eorúmque exemplo cæteri sacerdotes cum pro incolumitate Priocipis vota susciperent, Neronem quoque & Drusum iisdem diis commendauere, non tam charitate iuuenem, quàm adulatione.

b *Verbis conceptis.*] Suprà in verbo, Conceptis verbis.

c *Præeunte pontifice Max.*] Liuius 1. Decad. lib. 4. vbi loquitur de voto A Posthumij Tuberti Dictatoris. & 4. Decadis lib. 1. & iterum lib. 6. post princ. & 5. Decad. lib. 2. & lib. 2. & Tacit. lib. 20.

d *Ex incerta quoque pecunia.*] Hæc vsq; ad clausulam, Quod si ver. sunt Liuij 4. Dec. lib. 1.

e *Quod*

si incerta pecunia fuisset, pro qua votum conciperetur, eáque bello vsui non esset, illam reponi, nec cum alia misceri oportebat: quod nisi factum esset, votum non rite emissum, nec religione vouentem exolui putarunt. [e] Quod si ver sacrum in magnis reipublicæ casibus votum vouendum foret, illa infixa religio animis fuit, vt nisi ex authoritate collegij pontificum votum fieret, non votum, sed inconsulta pollicitatio censeretur. Hoc enim antequam emitteretur, patribus renunciari, & populi iussu, ac consulto senatus, arbitratuque pontificum fieri debebat: aliter ritè factum conceptúmve esse minus censuere, illúdque à prætore vel consule, aut pontifice maximo emitti perperam. [f] In hoc enim voto, quicquid ex suibus, ouibus & agnis inter Calendas Martias & Idus Maias apud quemque natum editúmve fuisset, voto contineri dixerunt, [g] pueros quoque & puellas, qui inter hæc tempora editi fuissent, haud dubie voto comprehendi: sed quia immolare eos turpe ducerent, hoc piaculari sacro expiarunt, vt adultos velarent, velatósque extra fines exigerent, [h] qui vernæ dicti sunt, quo piaculo liberi religione putabantur. [i] Cuius instar Metapontinos votum vouisse ferunt: nam voti compotes, auream æstatem Apollini deuouerunt, quod esse albitramur, vberrimum & quæstuosissimum annum deo & numinibus consecrari. [k] Fuit animaduersum, ver sacrum antea votum, & post temporum interualla persolutum, religione vouentem, & populum exoluisse, ritéque exolutum videri. [l] Præter quæ, hecatombas vouere Græcis & Romanis antiqui moris fuit olim, cùm pestilenti contagio & graui morbo laborarent: quod à Laconibus primùm inuentum fuisse dicunt. [m] Cuius voti obseruatio talis erat, vt centum aræ vno in loco aggesto cespite fierent: in eisque centum boues, centum oues, centúmque sues vno tempore immolarent. Si vero imperatorum votum esset, centum leones, centumque aquilæ vnà mactarentur. [n] Fuitque constitutum, vt cum hecatombæ vel publica vota soluebantur, populi luctus & mœror desineret. [o] Namque in luctu vouere, est mali auspicij & detestabilis. [p] Est quoque memoriæ proditum, non diis tantùm, sed & ventis velut sancto numini vota persoluta: quippe Augustus Circio, ne Galliam rapidè infestaret, votum exoluit, & sacrum fecit: cuius tanta plerunque vis erat, vt tecta auferret. Calabri Iapygi, Apuli vento Atabulo, Athenæ Scironi, Pamphylij Gagneo, ne incolas tabe afficerent, néve arua depopularentur. Præcipue [q] Thurij magno effecti beneficio, Boreæ vti deo vota persoluerint, quòd Dionysij classem, quam ad eorum excidium parauerat, vehementer coortus, funditus euertisset: sicut [r] Xerxe in Græciam innumerabiles copias ducente, Delphicum respondisse Græcis oraculum ferunt, vt ventos precarentur sibi auxilio adesse: qui ara

Vota ex authoritate collegij pontificum.

Vernæ. Metapontini.

Hecatombas vouere, & quando & quod genus sacrificij.

Vento vota persoluta.

Atabulo. Thurij.

Ara ventis extructa.

ANNOTATIONES.

e *Quod si ver sacrum.*] Et hæc quoque vsque ad clausulam, In hoc enim, sunt ipsius Liuij 3. Deca. lib. 2. & vide eundem 4. Decad. libr. 3. & Nonium Marcellum de doctorum indagine. & Fest. Pompeium lib. 19.

f *In hoc enim voto.*] Et id quoque eiusdem Liuij dict. Decad. libro 2. & præterea 4. Decad. libro 4. vbi ita scribit, Ver sacrum videri pecus, quod natum esset inter Calend. Martias, & pridie Calend. Maias. Vide Strab. lib. 5. ante fi. Hic autem memoriã reuocarat quod tradit Plutarch. in vita Fabij Maximi, ipsum Fabium Dictatorem vouisse diis omnem eius anni capturum, suum, ouium atque boum, fœturam, quam Italiæ montes, planitiésque, ac flumina & prata ea in regione educarẽt, se mactaturum, & trecenta triginta tria sestertia, totidémque denarios, adiecta insuper tertia parte pro musicis spectaculis faciendis in ipsa impensa se collaturũ. Eiúsque numeri ternarij rationem reddit.

g *Pueros quoque.*] Festus Pompeius lib. 19. vbi de vere sacro.

h *Qui vernæ dicti sunt.* De verna Plautus in Amphitryone,

Cum cruciatu tuo istæc verna verba funditas.

Et Nonius Marcellus in verbo, Vernaliter, & in verbo, Verna. Nostri autem seruos vernas vocant, qui nec empti, nec aliter quæsiti, quàm quòd domi nati sunt ex nostris ancillis, vt apertè declarat §. hinc proxima est. Inst. de lega. Et de huiusmodi seruis vernis fit mentio in l. seruis vrbanis. §. si alij. ff. de leg. 3. & in l. cum super vernis. C. de rei ven: Vide Robertum, & Nebrissen. in diction. & Alciat. & alios.

i *Cuius instar Metapontinos.*] Strabo lib. 6.

k *Fuit animaduersum, ver sacrum.*] Liuius 3. Decad. libr. 2. & 4. lib. item 4.

l *Præter quæ Hecatombas.*] Paulus Æmylius sacrum centum boum vouit apud Plutarch. in vita illius. Atque etiam Marius solemnia Hecatombes sacrificia vouit apud eundem etiam in vita illius. Et longo antè tempore Minerua monet Pandarum, vt Apollini voueat Hecatomben agnorum primogeniorum apud Homerum lib. 4. Iliad.

εὔχεο δ' Ἀπόλλωνι λυκηγενέϊ κλυτοτόξῳ

ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν κλειτὴν ἑκατόμβην.

Idque sæpe videre est apud eundem, vt Odysseæ libr. 23. & sæpe alias. & apud alios quoque, vt Straboñe li. 8. & Iulium Capitolinum vbi statim citabimus. Idque apud Lusitanos fieri solitum testis est ipse Strabo lib. 5.

m *Cuius voti obseruatio.*] Hæc vsque ad clausulam, Fuitque constitutum, sunt Iul. Capitolini in Maximino & Balbino.

n *Fuitq; constitutum.*] Vnde cum ob Cannensem cladẽ Roma ita esset consternata, vt sacra Cereris intermitterentur, vltra triginta dies luctus est vetitus, & sic minutus, secundum Liuium 3. Decad. lib. 2.

o *Namque in luctu vouere.*] Plutarchus in Fabio Max. scribit deos fortunatorum honoribus lætari. Vide Liuium vbi suprà proximè.

p *Est quoque memoriæ proditum.*] Maior pars horum vsque ad clausulam, Præcipuè Thurij, sunt Senecæ lib. 4. Naturalium quæst. Sed & quantùm ad ventum Atabulum vide Plin. lib. 17. cap. 29. Et quantùm ad Scironem vide eundem Plin. lib. 2. ca. 47. Sed quòd hîc dicit de Gagneo, Seneca vbi supra non Gagneum vocat, sed Chageum, nisi ibi aut hîc mendum sit.

q *Præcipuè Thurij.*] Ælianus de varia historia libro 12. vbi idem dicit de Megalopolis

r *Sicut Xerxe.*] Herodo. lib. 7 loquens de huiusmodi Xerxis expeditione. Delphi, inquit, Deum consuluere de seipsis pariter & de Græcia solliciti. His responsum est, vt vẽtos precarentur; illos enim maximos fore Græciæ auxiliatores. Delphi quod accepere oraculum, cùm iis primùm Græcis communicauere, quibus libertas cordi erat, & paucis interiectis: Deinde statuta ventis ara in Thyia, vbi fanum Thyiæ, Cephisi filiæ, à qua locus hic nomen habet, hostias illi immolauere: propter quod oraculum etiam nunc Delphi ventos propiciant. Sed & non longè pòst scribit Athenienses Boream inuocasse, illiq; sacrificasse, & delubrum extruxisse ad amnem Ilissum.

ventis extructa, illos propitios habuerunt, tota ferè hostium classe demersa. [s] In agro quoque Syeionio ventis extructam aram legimus: cui quotannis noctem vnam vota effundunt, vt lenita vis venti desiret, cùm turbine ventorum, villæ, arbusta, fruges passim deuastarentur. Et apud Methonem [t] Palladi Anemotidi templum dicatum est, ne violentiores perflantes loca deuastarent. [u] Ponti vero & Persarum regum vouendi modus erat, vt in excelsis iugis & summo vertice montium pyram construant, alterámque desuper breuiorem: ipséque ad pyram ligna rex inferat primus, Iouique militari lac & mel aspergat: & postquam vinum, mel & odores infuderit, velut propitiato deo, vota enunciet: pulmentóque præparato, quod astantibus datur, pyræ ignem inferat, quo incendio æstuante aere, vix illuc accedere permittitur. [x] Græcis vero frequens vsus erat, vt statuas longo æuo duraturas diis vouerent: quippe [y] Nicanore ægrotante Aristoteles vota fecit pro incolumitate, statuas se Ioui Seruatori vnam, alteram Iunoni Sospitæ dicaturum: qui [z] loti, & pura veste amicti, in superiore domus thalamo plerunque vota effundunt, & diis supplicant. Athenienses vero, cum in aureis & argenteis vasis diis propinassent, & pæana cecinissent, tunc demum sanctissimis cæremoniis cælum suspicientes, vota nuncupabant. [a] Ea autem ex primigeniis agnis, nonnunquam [b] ex bobus qui iugum non subiissent, frequentia fuere. In quo fuit seruatum, vt ramus ex sacra olea alba lana coronatus, in emissione votorum adhiberetur: sicut [c] Parthorum reges & Magi, qui nyctegretum quæ nyctilopa dicitur, herbam coloris hysginei vt spinæ folia, adhibebant, magnis sæpe laudibus celebratam: qua non adhibita nullum votum ritè concipi arbitrati sunt: qui cum deos euocabant, [d] marmaritidem herbam, quæ in desertis petris & saxis prærupitissimis nascitur, admiscebant. [e] Apud Æyptios vero, pro pueris morbo affectis vota concipiebant, vt si deus voto adesset, defectum capillum diis dedicarent. [f] Mysis nisi immolato prius equo & litato, extisque depastis, vota concipere non licuit. [g] Inter solemnia autem vota fuisse traditur, quoties exercitus duces de spoliis hostium Vulcano votum fecissent (id enim soluebatur) vt fusis fugatisq; hostibus, scuta, gladios & arma, spoliaq; nonnunquam bellorum machinas: currusq; & inutiles naues, vno in loco aggerant, pyraq; extructa, circunstante populo & frequentissimo exercitu, velut disposita acie, Dux more patrio discinctus, Vulcano, Marti & Palladi incendat: ipseq; Dux indutus purpuram, primus ardentem facem sumere, ambasq; manus in cœlum tendere, deinde in pyram summittere debeat, toto circum exercitu exultante, & percussis armis plaudente: pyraq; & armis exustis, sacra & rem diuinam faciant: [h] tametsi arma militaria non exuri, sed belli more cremari solita legamus. [i] Apud Hermunduros, inter solemnia vota, belli Duces sacrare diuersam aciem, illámque Marti & Mercurio deuouere consueuerunt: quo voto, equi, viri, spolia & machinæ, & cuncta bello quæsita, occisioni dantur. [k] Artaxerxes pro vxoris salute, Terræ votum faciens, se illam attacta humo solemni prece adoraturum promisit: & [l] Berecine, vt Deo vota solueret, [m] nudo pede,

Regum Ponti & Persarũ vouendi modus.

Græcorũ mos vouendi.

Atheniensiũ vota.

Sacra ex quibus in votis concipiẽdis.

Parthorum reges & Magi.

Ægyptij.

Mysi.

Solennia vota.

Hermũduri.

Artaxerxes.

Berenice.

ANNOTATIONES.

s *In agro quoque Sicyonio.*] Pausanias in Corinthiac. Et his adde quòd Persæ quoque ventis sacrificant, authore Herodoto lib. 1. & Strab lib. 1. de quo & infrà lib. 6. Et quòd Scythæ ventum, vt vitæ causam reuerentur, vt prodit Lucianus in Toxari. & quòd Antæus sacrificauit Zephyro apud Valer. Flaccum lib. 1.

Vt Zephyris Glaucoq; bouem Thetidiq; iuuencum
Deiicit Antæus.

Et apud Virg. lib. 3.

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Sed & idem lib. 2.

Sanguine placastis ventos & virgine cæsa.

t *Pallads Anemotidi.*] Pausanias lib. 4. qui de Messeniis est, non adeò longè à fi.

u *Ponti verò & Persarum Regum.*] Vide Appianum in Mithrid. & Strabonem libro 14. & vide vbi de Ioue Militari.

x *Græca verò.*] Quod probat exemplo seq.

y *Nicanore ægrotante Aristoteles.*] Laërtius in vita ipsius Aristotelis, vbi non Iunoni, sed Mineruæ Sospitæ legitur.

z *Qui loti & pura veste.*] Apuleius in 1. Apolog Quem quis, inquit, sacrificio adhibet, cuius caput contingat, quem puro pallio amiciat.

a *Ea autem ex primigeniis agnis.*] Quod probat locus ille Homericus suprà citatus, vbi de Hecatombe locuti sumus. Et vide omnino nostros Commentarios primigeniorum in præfat. num. 64.

b *Ex bobus.*] De hoc latè diximus suprà eodem lib. c. 12. vbi omnino vide nostras Annotationes.

c *Parthorum Reges & Magi.*] Plin. lib. 21. c. 11.

d *Marmaritidem herbam.*] Plinius lib. 24. c. 17. Vide Dioscoridem & Hermolaum Barbaum in Corolario.

e *Apud Ægyptios.*] Diodorus Siculus libro 2. cap. 4. post princip.

f *Mysis.*] L. Florus lib. 4. Epitomarôn c. vlt.

g *Inter solemnia.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. in regno Tarquinij Prisci. & iterum lib. 10. vbi de voto Q. Fabij aduersus Samnites & Gallos, qui ea spolia Ioui Victori vouit. & 3. Decad. libro 3. vbi Marcellus hostium Vulcano votum cremauit.

h *Tametsi arma militaria.*] Vide Liuium lib. 3. Decad. 3. vbi proximè suprà diximus. Et eundem eiusdem Decad. libr. 10. vbi sic ait: Magnáque vis armorum capta. Ea omnia Imperator Vulcano sacrata incendit.

i *Apud Hermunduros.*] Apud Ro. P. Decius sic ait, Legiones auxiliáque hostium mecum diis Manibus Tellurique deuoueo.

k *Artaxerxes.*] Plutarchus in eius vita.

l *Et Bernice.*] Iosephus lib. belli Iudaici, 10. aliàs 2. & Ægesippus libr. 2. Callimachus in elegia quam edidit de crinibus Berenice. & Catullus illum imitatus in elegia eiusdem argumẽti. Theon & Achilles Arati interpretes è quibus ipse Theon transcripsit initium elegiæ, quæ alioqui periit. Id autem est,

ἤ με κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς

Id est, ad verbum,

Vel nec Conon vidit aere Berenices
Crinem vel illa omnibus posuit Deis.

Et vide Hyginum, & Gyraldum dialogismo 10.

m *Nudo pede.*] Hic vide Iustinum apologia 2. pag. 4. & quæ sequuntur, & hæc eadem pene quæ hic videbis.

abraso capillo Hierosolymis ante tribunal supplicauit. [n] Nonnunquam frequens apud veteres votum fuit, vt decima prædæ & spoliorum, quicquid ex hostibus captum fuisset, Ioui & diis deuouerent: quare Iupiter prædator nuncupatus: [o] sicut Camillus captis Veiis votum vouisse dicitur. Id enim soluebatur, vt prædæ parte diuendita, donum diis & numinibus dicarent. Qui [p] mos Gallorum fuit, vt belli iure quæsita, plerunque verò partem Marti deuouerent: [q] in quo id erat constitutum, vt diuina ope implorata, is plus spei ferret, & propitios facilius haberet deos, qui maiorem prædæ partem diis deuouisset. Qua tempestate [r] Crotoniatæ aduersus Locrenses, graues, testatásque inimicitias habebant, bello dimicaturi, cum decimam prædæ Apollini vouissent, Locrenses vt voto vincerent, nonam deuouere: [s] & cum Galli Aristonico Duce contra Romanos militarent, deq; hostium præda aureum torquem Marti promisissent: Flaminius, vt voto vinceret, de torquibus Gallorum Marti trophæum posuit. [t] Aratus vero Syconius cum CCCCCC. hominum capita, ne ab aduersariis voto vinceretur, se Deo immolaturum vouisset, voti compos, exoluere votum Thessalico dolo recusauit. [u] Fuitque vouentium mos, vt qui compotes voti fuissent, quo potiora sumerent, veteribus persolutis, nouis se obligarent votis: [x] vtque pater qui solus authorandi potestatem habet, votum filij nomine concipere, ipsúmque numinibus obligare possit. [y] Decimam quoque fructuum Herculi passim voueri, votúmque effundi solere Romæ, in vsu comperimus, quod auspicatissimum duxerunt & fortunatissimum. [z] Qua de causa Lucullum peritum Romani moris & iuris, quod decimam Herculi vouisset, votúmque persoluisset, maximis auctum opibus fortuoisque æstimarunt. [a] Illud vtique verum est, consules designatos ipso die initi magistratus in bellum profecturos, concionem ad populum habere, Capitolium adire, ibique sacrificio perfecto vota effundere solere tunc suscepto emissoque votó, cum se numinibus obligarent, rei [b] voti appellati: cum autem voti compotes, promissa exoluissent, [c] damnati voti dicti sunt. [d] Quoties grauia & acerba ac misera & intoleranda quispiam pateretur indigne, voti & imprecationis genus maximum erat, vt positis humi genibus, ambas palmas crebris ictibus solo incuteret, aut torrem ignitum ianuæ apponeret, illique obuiam delibatis sacris, madente lachrymis sinu, Deos superos atque inferos, cœlum noctémque contestans, necem, exilium, dirásque calamitates, furiali carmine imprecetur: & sæua quædam numina aduocans, illum cum omni stirpe & gente, caput, domum, fortunas deuouere, & prætereuntem execrari doceat: quæ imprecatio dici non potest quàm miri & efficacis studij sit ad vim diuinitatis commouendam. [e] Quibus diris Atteius tribunus

Decimā prædæ partem diis vouebant. Iupiter prædator. Galli.

Decima fructuū Herculi. Consulū post initum magistratū vota in Capitolio. Rei voti & damnati. Calamitosorum & iniuria affectorum vota & imprecationes.

ANNOTATIONES.

n *Nonnunquam &c.*] Virg. lib. 3. Æneid.

Irruimus ferro, & Diuos, ipsumq; vocamus
In prædam partemq; Iouem.

Quo in loco Seruius, Romani, inquit, bella gesturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicebantur, vnde Romæ templum fuit Iouis Prædatoris, non quòd præsit prædæ, sed quia ex præda aliquid ei debetur.

o *Sicut Camillus.*] Liuius 1. Decad lib. 5. Plutar. in vita ipsius Camilli. Valer. Maxim. libr. 5. c. 6. dicit decimas ab ipso Camillo Appolli Delphico votas.

p *Qui mos Gallorum fuit.*] Cæsar Commen. de bello Gallico, lib. 6.

q *In quo, &c.*] Quod patet exemplis seq.

r *Crotoniatæ.*] Iustinus lib. 20.

s *Et cum Galli Aristonico Duce.*] Vide Plut. in vita Flaminij.

t *Aratus verò Sicyonius.*] Hic non Aratus Sicyonius fuit, cuius vitam describit Plutarch. sed alius Thessalus, cui cum responsum oraculo fuisset, caueret ne clanculum vinceretur ab iis, qui maiore splendidioréque voto oraculum aduersus ipsum ambirent, confestim votum nuncupauit, se centum hominum capita Deo sacrificaturum. Cúmque obtinuisset id, cuius rei gratia votum id emisisset, votum ac sacrum persoluere sine fine cunctabatur, tanquam neque pium satis, neque dignum Apolline. Vnde natum adagium Θετταλῶν σόφισμα. id est, Thessalorum commentum apud Suidam, & eum, qui fragmenta Athenæi collegit. De quo Erasm. Chiliad. 1. cent. 3. c. 10.

u *Fuitq; vouentium mos.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. vbi de Ludis Apollinaribus Idem eod. lib. de ludis magnis. Tum dictator & ludos fecit, & in sequens lustrum vouit.

x *Vtq; pater.*], Vlpian. in l. 2. §. 1. ff. de pollicit. Filius, inquit, familias vel seruus sine patris dominique authoritate voto non obligantur.

y *Decimam.*] Plutarchus proble. c. 17. vbi alias rationes reddit, & in vita Crassi, Scyllæ. Diodorus Siculus lib. 5. c. 2. Beroaldus item in Suetonium fol. 356. pag. 1. ante fi. & Gyraldus de Diis Gentium, pag. 454. vbi de victore Hercule.

z *Qua de causa, &c.*] Diodorus vbi modo citatus. Plutarchus in vita ipsius Luculli, & in Crassi vita, vbi idem de Crasso dicit.

a *Illud vtique verum est.*] Liuius Decad. 5. lib. 2. Per hos fortè dies P. Licinius Coss. votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab vrbe profectus est.

b *Rei voti appellati.*] Virgilius lib. 5. Æneid.

Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus.

Vbi Seruius interpretatur, voti reus, id est debitor, vnde, inquit, & vota soluentes absolutos dicimus. Sed & eum locũ Virgilij declarans Macrobius lib. 3. c. 2. Satur. Hæc vox, ait, propria sacrorum est, vt reus vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat. Damnatus autem, qui promissa vota non soluit. Vide in seq.

c *Damnati, &c.*] Liuius 1. Dec. lib. 5. vbi ita scribitur: Haud mirum id quidem esse, furere ciuitatem, quæ damnata voti omnium rerum potiorem curam, quàm religione se eximendi habeat. Et iterum lib. 7. & 10. item 3 Decad. lib. 7. & 4. Decad lib 9. vbi scribit se pro ægroto vouisse vbi primùm conualuisset, Bacchis eum se initiaturum, damnatam voti Deûm benignitate exoluere id velle. Ex quibus verbis intelligis, damnatum voti non id significare, quod Macrobius in præcedenti & Alexander hic dicunt: sed tunc, cum res pro qua votum emissum est, completa est, ideóque votum exolui debere. Nec tamen omiserim illud Virgilij ecloga 5.

—Tibi sic vota quot annis.
Agricolæ facient, damnabis tu quoque votis.

Vbi Seruius, Cum præstiteris, inquit, quæ homines te orauerint, reddes illos obnoxios ad vota soluenda. Nam sumus damnati & obnoxij antequam reddamus.

d *Quoties grauia.*] Hæc probantur ex locis, quæ in sequ. citantur, præterea vide vbi de excommunicatione loquemur.

e *Quibus diris Atteius.*] Plutarch. qui hunc Acteum vocat

plebis execratus M. Crassum ad bellum Parthicum prodeuntem, magno post exitio consequuto. [f] Cretensibus vero acerbissima censetur imprecatio, omnibus votis expetere, vt hi quos deuouemus, mala consuetudine delectentur: qua imprecatione nulla est efficacior ad excidium properandum: tanquam qui in abusum semel lapsus fuisset, amplius emendare facinus, & ad frugales mores reuerti nequiret. [g] Ideo Charondas graues pœnas sanxisse fertur, ac omni supplicio dignos putasse illos, qui cum malis assuescerent. [h] Apud Spartanos inter sæuissimas execrationes fuit [i] ἱπποτροφία, quam caballationem recentiores vocant, id est, equorum enutritio, eò quod magno staret impendio, & homines suaui captu ad perniciem duceret. Nam modus alendi equos, non pauperes, vt aiunt, sed arua frumentifera sectatur. [k] Extátque in veteribus monumentis, quòd qui opi Deæ, quæ terra [l] dicta est, votum concipiunt, sedentes votum effundere, inque concipiendo terram tangere debeant. [m] Vtq; pro boum incolumitate agricolæ Syluano vota persoluant, farris, adorei, lardi, ac pulpæ & vini: [n] pro equis Hipponæ, [o] Castori & Polluci nautæ, & qui naufragium timent. Qui vero laboribus anguntur, [p] Tutano: fures [q] Lauernæ [r] iuuenes Horæ: sicut [s] pastores Pani deo pro pecoribus: & qui viam profecturi sunt, [t] Herculi supplicant. [u] Syluano quoque in singula boum capita, adoreo, lardo, & vini sextario, subtaxata mensura, votum fit. [x] Ferunt pastoritios Afros inter vota, & primitiarum loco, aurem pecudis præcidere, illámque ceruice aduersa supra domum abiicere: pro noctibus vero serta, vnguenta & coronas Veneri aut Cupidini dona ferre. [y] Cúmque diis manibus & Diti concipitur votum, quæ deuotio potius dicta est, ouibus ribus atris Telluri Iouique sacrum fit: [z] in quorum precatione qui rem diuinam facit cum Tellurem inuocat, manibus terram tangit: cùm vero Iouem sublatis in cœlum manibus precationem peragit. [a] Cum autem votum effunditur, manus pectori admouere præcipitur: aliter votum non ritè concipi, sed pollui sacra inexpiabili religione putarunt. [b] Animaduersum tamen est, pontificum decreto caueri, vt si ab exercitus duce, diis manibus quispiam deuotus & consecratus foret, neque is in acie cecidisset, vt Diti satisfiat, signum septem pedes altum in terram defodi oportere: vbíque signum effossum fuisset, illic hostias immolari non licere. [c] Et tametsi res deo deuotas nemo

Cretensium imprecationes. Spartanorum ἱπποτροφία. Opi voti concipiendi ratio. Agricolæ. Equites. Nautæ. Qui laboribus anguntur. Fures. Iuuenes. Pastores. Viatores. Pastores Afri. Diis manibus & Diti. Ceremonia in voto concipiendo. Deuotis à Duce exercitus. Hominē deuotum occidere impune licebat.

ANNOTATIONES.

in vita ipsius Crassi, & Cicero qui Ætheum appellat libr. 1. de Diuinatione. è Poëtis Lucanus lib. 3.

— Crassumq́, in bella secuti
Sæua Tribunitia vouerunt prælia diræ.

f *Cretensibus.*] Valerius Maximus lib. 7. c. 2. ad finem.

g *Ideo Charondas.*] Diodorus Siculus lib. 12.

h *Apud Spartanos.*] Pausanias autem li. 6. scribit ipsos Lacedæmonios post irruptionem Persarum in Græciam Græcis omnibus equos alendi studio præstitisse.

i ἱπποτροφία.] Nam ἱπποτροφεῖν alere equos dicitur. Dioscorides lib 4. c. πόαν χλωρὰν ἱπποτροφοῦσι. id est, verba virenti equos saginant. Et apud Strabonem lib. 16. Hippotrophium locus est equis alendis accommodus, cuiusmodi ad Syriæ Apamiam erat.

k *Extatq́, in veribus.*] Vide Gyraldum de Diis Gentium.

l *Quæ terra dicta est.*] Varroni lib. 4. de ling. Lat. & Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 10. Seruio in Virgilium lib. 11. in eum locum,

Velocem interea. ——

m *Vtq́, pro boum incolumitate.*] Cato de re rustica, c. 89.

n *Pro equis Hippone.*] Tertullianus in Apologetico, cap. 16. Vos tamen, inquit, non negabitis & iumenta omnia, & equos canterios cùm sua Hippona coli à vobis. Et de hac quoque Apuleius lib. 3. Metam. vbi in ipso meditullio Hipponæ Deæ simulacrum residens ædiculæ est &c. Vide ibi Beroaldum. Hæc autem & Hippo dicta est Iuuenali satyra 8.

More Numæ cædit Iouis ad altaria, iurat
Hippo. ——

Vide interpretes.

o *Castori & Polluci nautæ.*] Plinius lib. 2. c. 37. Hincque illud Senecæ lib. naturalium quæstionum 1. In magna tempestate apparent quasi stellæ velo insidentes: adiuuari se tunc periclitantes existimant Pollucis & Castoris numine. & illud Catulli epig. 63. ad Mallium,

Ac velut in nigro iactatis turbine nautis,
Lenius aspirans aura secunda venit,
Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata,
Tale fuit nobis Mallius auxilium.

De aliis autem votis nautarum, Horatius li. 1. Carm. Ode 5.

— Me tabula sacer
Votiua paries indicat vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Vbi vide interpretes eius loci. Virgilius lib. item 12. Æneid.

Fortè sacer Fauno foliis oleaster amaris.
Hic steterat nautis quondam venerabile lignum,
Votiua ex vndis vbi figere dona solebant
Laurenti Diuo, & vota suspendere vestes.

Et Iuuenalis satyra 14.

Et picta se tempestate tuetur.

Alicubi autem reperies nautas Samothracibus vouere solitos, quo nomine vocabātur Castor & Pollux, vbi dicit Varro lib. 4. de ling. Lat.

p *Tutano.*] Varro in Hercule apud Nonium Marcellum lib. de proprietate sem.

q *Fures Lauernæ.*] Acron & Porphyrion in Horatium lib. epist. 1. epist. 17. & Nonius Marcellus in verbo, Lauerna. & Festus Pompeius lib. 10. vbi de Lauernionibus.

r *Iuuenes Horæ.*] Ea enim Dea est Iuuentutis, vt tradit Nonius Marcellus authoritate Ennij.

s *Sicut pastores pani.*] Pan enim ouium custos vel teste Virgilio lib. 1. Georg. dicitur, & Deus pecoris Ouidio teste lib. 2. Fast. vbi sic scribit,

Pana Deum pecoris veteres coluisse feruntur &c.

t *Herculi supplicant.*] Festus Pompeius lib. 14. in verbo, Propter viam. vbi tamen hos dicit sacrificare Herculi aut Sanco, qui idem Deus est. Alios autem profecturos viam Herculi aut Iano sacrificare.

u *Syluano quoque.*] Cato de re rustica, c. 83.

x *Ferunt pastoritios Afros &c.*] Herodotus lib. 4.

y *Cumq́, Diis.*] Macrobius ex Sammonico Sereno lib. 5. rerum reconditarum. lib. 3. Satur. c. 9.

z *In quorum precatione.*] Macrobius eo. loco.

a *Cum autem &c.*] Macrobius ibidem, sed paulò aliter.

b *Animaduersum tamen est.*] Hæc vsque ad clausulam, Et tametsi, sunt Liuij 1. Decad. lib. 8. paulo tamen aliter de hoc agit.

c *Et tametsi res Deo.*] Macrobius libr. 3. Satur. c. 7. Cùm, inquit, cætera sacra violari nefas sit, hominem sacrum ius fuerit occidi. Cuius rei rationem continuò subdit ex Trebatio lib. 9. Religionum.

d *Illud*

sibi asciscere queat, hominem tamen deo deuotum, aut diis consecratum, occidere permitti impune; eámque cædem capitali noxæ non haberi, tanquam illius anima non ad nos, sed ad deos, pertineat. [d] Illud quoque inter authores conuenit, fuisse apud [e] Gallos inter conceleratas preces & nefaria vota, quæ nec more nec iure concipiuntur, frequenti in vsu, vt in magnis discriminibus & extremis casibus homines se diis immolaturos, [f] Romanis ferro se digladiaturos, aut pro alterius salute se & caput suum deuoturos, nonnunquam in scenam se prodituros, [g] & histrionicam saltaturos: apud Græcos [h] decimum quemque Apollini Delphico daturos: Locrensibus, virgines se prostituturos: [i] apud alios, defectum crinem diis oblaturos: & apud Persas, viuos homines defossuros vouerent. [k] Quare Ametris Xerxis vxor, vt gratiam diis referret, quòd in vita diu processerat, quatuordecim illustrium Persarum liberos sub terram viuos defodisse, & votum persoluisse dicitur, tanquam his & votis & diris imprecationibus dij immortales & cælestia numina placentur. Ipsis enim defodere viuentes, vulgato in vsu fuit. [l] Idomeneus vero Cretensium rex, cum naufragus ex voto concelerato filium sibi obuiam factum immolare diis vellet, illúmque perditum iret, à Cretensibus pulsus, & patria eiectus fuit. [m] Pausanias autem Lacedæmoniorum dux, ad Platæas victor contra Mardonium, cum de manubiis tripodem aureum Delphis votum soluisset, suúmque nomen inscriberet, Lacedæmonij pertæsi insolentiam, epigramma induxerunt, & ciuitatum nomina inscripserunt. Neque prætererim responsum Hammonis Atheniensibus datum, Ioui magis cordi esse vota Lacedæmoniorum tenuia, & modicas oblationes pias & castas, quàm immodica & opulenta Atheniensium: atque opimis hostiis & victimis illorum fœdari aras. [n] Id quod Pythagoras censuit, thure & libis magis gaudere & placatiores esse deos quàm hecatombis & multo sanguine assiduè aras cumulari.

Galli. Græci. Locrenses. Ametris diis votum. Idomeneus. Hammonis responsum de Lacedæmoniorum frugalibus sacris.

ANNOTATIONES.

d *Illud quoque inter authores:*] Hoc probatur ex iis quæ sequuntur.

e *Apud Gallos.*] Cæsar Comment. belli Gallici lib. 6.

f *Romanis ferro se digladiaturos.*] Sueton. in Caligula, cap. 14. Non defuerunt qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quíque capita sua titulo proposito vouerent.

g *Et histrionicam saltaturos.*] Sueton. in Nerone, cap. 54. Vouerat, si sibi incolumis status permansisset, proditurum se parta victoria ludis, etiam hydraulam, & choraulam, & vtricularium, ac nouissimo die histrionem saltaturum Virgilij Turnum.

h *Apud Græcos.*] Herodotus lib. 7. Quicunque Græci sese dedidissent Persæ, non adacti necessitate, eorum decimum quemque, rebus bene constitutis, se Deo qui Delphis est, deuoturos. Ita apud Græcos iusiurandum habebat.

i *Apud alios, defectum crinem.*] Vide Diodorum Siculum in Ægyptiacis. Martialem lib. 1. epigr. 88.

Hos tibi, Phœbe, vouet totos à vertice crines
Encolpus.

k *Quare Ametris Xerxis vxor.*] Amestris legendum est ex Herod. lib. 7. vbi sic legitur: Nam & Amestrim Xerxis vxorem, iam prouectæ ætatis, audio bis septem illustrium Persarum liberos defodisse, ad referendam pro se gratiam Deo, qui sub terra esse fertur.

l *Idomeneus verò.*] Seruius enarrans eum locum Virgilij libr. 3. Æneid.

Fama volat pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem: desertáque littora Cretæ.

Et iterum in eum locum lib. 11.

—Versósque penates
Idomenei. ——

m *Pausanias autem.*] Probus Æmylius in vita illius.

n *Id quod Pythagoras censuit.*] Laërtius in vita illius. Adde autem ad superiora Cypsellum Corinthium Ioui vouisse, si dominus ciuitatis fieret, quæ Corinthiorum essent, omnia se oblaturum vt scribit Aristoteles in Oeconomicis. Et Ladicem vxorem Amasis Ægyptiorum Regis, cum maritus cum ea concumbere non posset, licet tamen aliis vteretur, vouisse se Veneri, si ea nocte secum coiret Amasis, se statuam illi Cirenas missuram, conceptóque statim voto cum ea coiit Amasis, testis Herodotus libr. 2. ad fin. Et Anacharsim Scytam vouisse Matri Deûm si saluus sospésque domum est Cyzico reuerteretur, sacrificaturum se eodem ritu quo Cyzicenos sacrificantes vidisset, & peruigilium noctis instituturum, apud eundem Herodotum lib. 4. Et votum Neronis apud Suetonium in vita illius, cap. 54. quo scilicet vouit, si sibi incolumis status permaneret, proditurum se parta victoria ludis, etiam hydraulam, & choraulam, & vtricularium, ac nouissimo die histrionem saltaturum Virgilij Turnum.

Consueuisse Romanos illorum bona quos maximis criminibus damnarant, publicare: & quæ porticus Romæ insignes fuerint.

CAPVT XXIII.

ADVERTI sæpe animum, consueuisse Romanos, quos pro criminibus oppido grauibus supplicio affecerant, illorum bona propter criminis detestandum facinus publicare, illáque destinare publicis vsibus, ita vt domini supplicium bonorum publicatio sequeretur. [a] Sic Tarquinio Rege eiecto, ager qui Tarquiniorum quondam fuerat, Marti dicatus, campus Martius dictus est: [b] sic Caij Cassij domus, cui ob affectati regni crimen dies perduellionis dicta fuit, euersa & demolita, area ante Telluris ædē facta est. Domus præterea [c] Marci Manlij Capitolini, quæ quondā in arce fuerat, qui suspicione regni pœnas dedit, de saxo deiectus, ædes atq; officina monetæ fuit: [d] in qua

Bona suppliciis affectorum publicata. Tarquiniorum. C. Cassius. M. Manlius Capitolinus.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIII.

a *Sic Tarquinio.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. non multò post princ.

b *Sic Caij Cassij.*] Liuius 1. Decad. libr. 2. Valerius Max. lib. 6. cap. 3.

c *M. Manlij Capitolini.*] Liuius 1. Decad. lib. 6. & iterum 7. vbi de æde Iunonis Monetæ loquitur, & Valerius Max. vbi suprà.

d *In qua æde lintei libri.*] Gyraldus de Diis Gentium syntag.

Macellum. Macelli nomen. Macelli antiquum. Sp. Melius Æquimelium. Vitruuius. Vacci prata. M. Flaccus. Porticus Catuli. Lex de bonis proscriptorum publicandis. Porticus complures Romæ. Pompeij. Octauia. Philippi. Porticus duplex ad circum Flamini. Cn Octauij. Metelli. Quirini. Lucij. Liuia. Octauia. Claudia. Augusti.

æde lintei libri, in quibus erant fata Romanorum, seruabantur. [e] nam Sibyllinos & Martianos, [f] ad quos decemuiri quoties dij consulendi sunt, adire solent, in Capitolini Iouis & Apollinis templo in palatio seruari certum est. [g] Inde senatus decreto, iussúque populi, ne quis arcem incoleret, néve Manliæ gentis homo, [h] Marci prænomen ferret, cautum fuit, vt æterna memoria dedecoris, generi & nomini suo inusta foret. [i] Et cum Macellus quidam nequam & criminosus, qui in ganeo & lustris vitam egerat, propter latrocinia, sordésque vitæ, capitali supplicio pœnas dedisset, bonis publicatis, in ipsius domo ab Æmylio & Fuluio censoribus macellum, vbi obsonia venderentur, locum extructum ferunt: [k] tametsi forum olitorium Romæ antiquum macellum fuisse tradant. [l] Sp. quoque Melij domus, quòd turpiter regnum appetere conatus esset, postquam capitis accersitus, pœnas dedit, patrimonio publicato, Æquimelium dicta est. [m] Meminimus quoque Vitruuij Vacci, cuius in palatio domus, ob illius facinoris pœnam publicata & euersa, Vacci prata loco nomen dedit. [n] Nec minus M. Flacci turbulenti ciuis, qui cum C. Graccho seditionem molitus fuit, cuius domum Quintus Catullus de manubiis Cimbricis porticum fecit, quæ Catulli appellatur: vt tantorum criminum facinora nomen denotaret, suppliciisque insignis memoria foret sempiterna. [o] Quibus exemplis Sylla dictator, & mox Caius Cæsar, de bonis proscriptorum publicandis perniciosas leges tulere, quæ Iulia & Cornelia dictæ, vnde tot sectiones & omnis generis sectores emerserunt. [p] In quam porticum Ciceronis domus indigno facinore euersa, iussu Clodij mutata fertur. Sed meminisse oportet, præter hanc Quinti Catulli, plures Romæ porticus insigni nomine fuisse: nam [q] Pompeij porticus ante ipsius curiam fuit: [r] & altera Octauiæ iuxta ædem Iunonis, in qua signa militaria olim à Dalmatis Domitio adempta, mox ab Augusto restituta, diu mansere: [s] & Philippi porticus, Herculis imagine, & Helena Zeuxidis manu celebrata. [t] Porticum quoque duplicem ad circum Flaminium, ab opere Corinthiam, à Cneo Octauio, qui de Persen naualem triumphum egit, magnifice instructam legimus atque munitam: [u] & Metelli iuxta ædem Statoris Iouis, per quas matronæ vectari & spatiari solebant. Fuit præterea porticus [x] Quirini, antiquo opere visenda, [y] & Lucij & Caij: atque alia Liuiæ & Octauiæ ab Augusto quondam, sed alienis nominibus constructæ. In qua ampla prætoria fuisse memorant: quibus ab Augusto demolitis, porticus sub nomine Liuiæ non minoris cultus maiestatísque suffecta est. [z] Et porticus Claudiæ, vbi ambulationes subdiales miro ingenio elaboratæ fuerunt. Celebratur quoque porticus Augusti in palatio cum bibliotheca Græca Latináque, Numidico marmore per suam symmetriam extructa, [a] In qua Beli-

ANNOTATIONES.

3. sed nullo quoque authore citato. Sed id est Liuij 1. Dec. lib. 4. non semel.

e *Nam Sibyllinos & Martianos.*] Hoc ex sequentibus patebit.

f *Ad quos decemuiros.*] Nam de Sibyllinis videri potest apud Liuium 1. Decad. lib. 7. in consulatu L. Furij Camilli, & Appij Claudij Crassi, & 3. Decad. lib. 1. non longè à fi. & iterum lib. 2. in Dictatura Q. Fabij Maximi post princ. & 4. Decad. libr 6. Et de libris Martianis apud eundem 3. Decad. libr. 5.

g *Inde senatus decreto.*] Valerius vbi suprà. & Liuius 1. Decad. lib. 6. & Plutarchus probl. c. 91. & Quintilianus libr. 3. cap. 9. cuius verba statim afferemus.

h *Marci.*] Cicero Philip. 1. Vt enim, inquit, propter vnius M. Manlij scelus decreto gentis Manliæ neminem patricium M. Manlium vocari licet, Liuius 1. Decad. libr. 6. Quintilianus lib. 3. c. 9. Et post mortem, ait, obiecta est contumelia, vt Melio, cuius domus solo æquata est, M. qué Manlio, cuius prænomen è familia in posterum exemplum.

i *Et cùm Marcellus*] Varro libr. 4. de ling. Lat. Plutarchus problem. cap. 54 Festus Pompeius lib. 11. Donatus in Eunuchum Terentij, authoritate ipsius Varronis in libr. Humanarum rerum.

k *Tametsi forum.*] Vide suprà lib. 2. c. 12.

l *Sp. quoque Melij domus.*] Cicero in Oratione pro domo sua ad Pontifices, Varro lib. 4. de ling. Lat. Liuius 1. Decad. lib. 4 Valerius Maximus lib. 6. c. 3. Quintilianus cuius verba adduximus suprà in verbo, Marci prænomen. Plinius Secundus, aut quisquis is est, de viris illustribus, c. 17.

m *Meminimus.*] Liuius 1. Dec. lib. 8.

n *Nec minus M. Flacci.*] Cicero in Oratione ad Pontifices pro domo sua, & nonnihil epistol. ad Atticum lib. 4. epist. 2. vbi vide interpretes. Valerius Maximus libr. 6. cap. 3. Et de hac quoque Porticu Catulli Cicero ad Q. Fratrem epistolarum lib. 2. epist. 5.

o *Quibus exemplis Sylla.*] Plutarchus in vita illius, & Appianus libr. 1. bell. Ciuilium.

p *In quam porticum.*] Scilicet Catulli, necdum de alia porticu locutus est, Plutarchus autem in vita Ciceronis non in eam porticum, sed in templum Libertatis domum Ciceronis mutatam fuisse scribit.

q *Pompeij porticus.*] De hac porticu Vitruuius libr. 5. cap. 9. post princ Plinius lib 35. c. 9. & c. 11. non semel.

r *Altera Octauia.*] Plinius dicto c. 11. lib. 35. non semel, & iterum lib. 36. cap. 5. sæpius, Festus Pompeius lib. 13. & vide infrà in verbo, Lucij & Caij.

s *Philippi porticus.*] Plinius lib. 35. c 10. & 11.

t *Porticum quoque duplicem.*] Plinius lib. 34. c. 3. Festus Pompeius lib. 13. vbi de Octauiæ porticu loquitur.

u *Et Metelli.*] Cicero in 6. in Verrem actione. Vitruuius lib. 3. c. 1. & Plinius lib. 34. c. 6.

x *Porticus Quirini.*] Martialis lib. 11. epigr. 1.

Vicini pete porticum Quirini &c.

y *Lucij & Caij &c.*] De his quatuor Suetonius in Augusto, cap. 29. Et præterea de Octauiæ porticu Dion in vita ipsius Augusti, & Plinius libr. 14. c. 1. Vide autem epistolas Plinij cum Commentariis fol. 4. pag. 1. De Liuiæ porticu Strabo lib. 5. Ouidius lib. 6. Fast.

Disce tamen veniens ætas, vbi Liuia nunc est
Porticus, immensa tecta fuisse domus.

Et Dion quoque in ipso Augusto. Et præterea in Traiano, Plinius lib. 14. cap. 1. Plinius Iunior lib. epistol. 1. epist. 5. Publius Victor in octaua regione vrbis.

z *Et porticus Claudia.*] De qua Suetonius in vita illius, cap. 31.

a *In qua Belidum imagines.*] Vnde & illud Ouidij de hac porticu loquens lib. 3. Trist. eleg. 1.

Signa peregrinis vbi sunt alterna columnis,
Belides, & stricto stat ferus ense pater.

Et alibi quoque scilicet lib. 2. Amor. eleg. 2.

Hesterna vidi spatiantem luce puellam,
Illa quæ Danai porticus agmen habet.

Nam

dum imagines quinquaginta, quæ maritos necauerunt, sitæ erant: & [b] Vipsana, & septorum [c] marmore, & imaginibus, tum lauretis & magnificis operibus exscultæ. [d] Athenis vero porticus Pœcile, & [e] altaria varia, vbi Mercurius æneus erat, celebratissimæ picturæ varietate, miris laudibus feruntur, [f] vbi pugna Marathonia depicta, & [g] alia Pysianactia, [h] & Pœcile in Elide, quam echum vocabant. [i] fertúrque de Olympiæ porticu, quam heptaphonon vocitant, diuersa structuræ facie, mirum, vt vox conclamata per septem orbes ruptis spatiis, eandem multiplicato sono referat: sicut [k] in Cyzico turres septem, acceptos voces numeroso percussu multiplicant. [l] Inter quas angiportus patricia non in postremis fuit, iuxta ædem Dianæ, ad quam ingredi viros religio non finit. [m] Extra quoque portam Trigeminam, vnam porticum & alteram ad portam Fontinalem iuxta Martis aram, ab ædilibus curulibus ex mulctatitia pecunia constructas, [n] & Seueri porticum postea additam fuisse à multis prodita memoria est. [o] Sed quia de Pœcile porticu loquor, sciendum est, in hac Stoicis philosophari [p] sicut Peripateticos in Lycio. [q] Quare Zeno quòd in porticu docebat, quæ Græce στοὰ dicitur, author Stoicæ sectæ perhibetur. [r] Epicurus verò scholam & conuentus in hortis habuit, vbi philosophatur.

Vipsana porticus. *Angiportus patricia.* *Extra portam Trigeminam* *Ad portam Fontinalem.* *Seueri porticus.* *Lycium.*

ANNOTATIONES.

Nam hæ Belides filiæ erant Danai.

b *Et Vipsana.*] Martialis epig. lib. 1. epig. 153.

At noua Vipsanas spectant cœnacula laurus.

Vbi interpretes Vipsanas laurus, quæ ad porticum Vipsanam erant intelligunt.

c *Et septorum marmore.*] Plinius libr. 16. c. 40. post medium. Quæ autem septa essent & dicebantur, diximus suprà lib. 2. cap. 18. Sed his & aliis quibusdam, quas infrà eod. cap. memorabo adde & alias Romæ porticus, scilicet Porphireticam, cuius meminit Flauius Vopiscus in Probo, vbi vide Annotationes, & porticum Herculis memoratam Suetonio in Augusto, cap. 72. & Flaminiam Capitolino in Gallieno, & Æmilij Liuio 5. Decad. libr. 1. quam & ipse Æmyliam vocat eod. libr. paulò ante fin. & templi Solis Flauio Vopisco in Aureliano, & porticū Miliarensem ibid. Sed hic vide quæ diximus suprà cap. 22. in verbo, Porticus quoque centenarias. Et porticum Neptuni Ciceroni lib. 2 de Oratore ad Q. Fratrem (sed vide an ea sit Romæ) & Fabariam P. Victori, si is est, in 13. vrbis regione. & Argonautarum eidem in 9. regione. & Cornelij Scipionis Nasicæ quam in Capitolio Censor fecit, apud Velleium Patercolum libr. 2. Et aliam quam Æediles M. Tuceius, & P. Iunius Brutus de mulcta damnatorum extra portam Trigeminam inter. Lignarios fecerunt, apud Liuium 4. Decad. lib. 5. & porticum Minutiam, Ciceroni Philip. 2. & Traiani Plinio in Panegyrico ipsius Traiani, cùm scribit, At quàm magnificus in publicum es? Hinc porticus, inde delobra, sed verendum est ne illic mendum sit, vt pro, porticus, portus sit legendum: neque enim comperies Traianum porticum quampiam, aut instaurasse, aut ædificasse, portus autem sæpe legitur, quod & interpres illic subodoratus est.

d *Athenis verò.*] Probus Æmylius in Milciade. Plinius lib. 35. cap. 9. Laërtius in Xenone Cittico post princ. & Pausanias lib. 1. Apuleius item lib. 1. Metamorph. non multò post princ. Vide ibi Beroaldum pag. 11.

e *Et altaria varia.*] Strabo lib. 9. Laërtius vbi suprà. & Lucianus in vita Demonactis. Sed hæc lector, ne decipiaris, videntur esse eadem cum priore. Pœcile enim idem est quod varia siue variegata scilicet à multiplici pictura, in qua, vt hic dicit, Mercurius æneus erat, quod ex Pausania est libr. nempe 1.

f *Vbi pugna Marathonia.*] Probus Æmilius & Pausanias vbi suprà.

g *Alia Pysianactia*] De hac Plutarchus in Cimone. Sed hæc eadem est quæ & Pœcile dicitur, de qua nuper diximus, vt videre licet ex Laërtio vbi antea citauimus.

h *Et Pœcile in Elide.*] Pausanias lib. 5. vbi etiam dicit Pœcile dici à picturæ varietate, qua olim parietes exornabantur. Eadémque Echum à multis nominari, quòd vocis emissæ imago septies & sæpius reciprocat. His autem Atheniensium porticibus adde & porticum Iouis Eleutherij apud Platonem in Theage. Nam & Laërtius in Diogene memorat. Iouis porticum Athenarum, siue illa sit, siue alia. Adde, inquam, aliam, nempe Eumenici apud Vitruuium lib 5. c. 9. post prin. Et eam quæ βασίλειος, id est, regia dicta est apud ipsum Pausaniam eod. lib. 1. & Arpocrationi, & Polluci lib. 8. vbi de nominibus Atheniensium magistratuum tractat.

i *Fertúrque de Olympia porticu*] Plinius lib. 36. cap. 15. Et de hac intellexisse videtur Lucretius lib. 4.

Sex etiam aut septem loca vidi reddere voces
Vnam cum iaceres, ita colles collibus ipsi
Verba repulsantes iterabant verba referri.

Vbi vide interpretes.

k *Sicut in Cyzica.*] Plinius vbi suprà.

l *Inter quas angiportus patricia.*] Plutarchus probl. cap. 5. vbi rationem reddit cur in eam ædem viris ingredi non licet.

m *Extra quoque portam Trigeminam.*] De his duabus porticibus Liuius 4. Decad. lib. 5. circa princ. Æedilitas, inquit, insignis eo anno fuit M. Æmylij Lepidi, & L. Æmylij Pauli, multos pecuarios damnarunt, ex ea pecunia Clypea inaurata in fastigio Iouis ædis posuerunt, porticum vnam extra portam Trigeminam, emporio ad Tyberim adiecto, alteram à porta Fontinali ad Martis aram, qua in campum iter esset, perduxerunt. Ex quibus intelligis priorem illam non eam esse de qua loquuti sumus suprà in verbo, Et septorum quæ etiam extra portam Trigeminam facta est à diuersis ædilibus, & hanc illa priorem, vt constat ex Liuio qui de vtraque loquitur eod. illo lib.

n *Et Seueri porticum.*] Spartianus tum in vita illius, tum in vita Caracallæ.

o *Sed quia de Pœcile.*] Laërtius in vita Zenonis Cittici. post princ.

p *Sicut Peripateticos in Lycio.*] Idem in vita Aristotelis post princ. Pausanias lib. 1.

q *Quare Zeno.*] Scilicet Citticus ex eod. Laërtio in vita illius.

r *Epicurus verò.*] Idem Laërtius in vita illius.

Quam multiplex annus apud diuersas Gentes fuerit, & qui annus Romanis, quódve principium anni sit.

CAPVT XXIV.

DE [a] multiplici anno apud pleràsque gentes animaduertimus dispares differentias, & multiformes species fuisse: aliósque alia obseruatione annum metiri, ita vt suo quemque ingenio, & prove

ANNOTATIONES IN CAP. XXIV.

a DE *multiplici anno.*] Has annorum diuersarum gentium differentias Alexander accepit à Xenophonte, si is est, in lib. de Equiuocis. Diodoro Siculo lib. 1. Plinio lib. 7. c. 48. Plutarcho in Numa Pompilio, & in Placitis

Philo

cuique commodum fuit, annum dimensos inueniamus. [b] Persis non obscura nec incelebri ratione, trecentis sexagintaquinque diebus annus præfinitur. Ex Græcis plerique, [c] singulis quatuor mensibus annum statuere: [d] nonnulli ad solis cursum terminarunt. [e] quare lycabas dicebatur. [f] Quidam ex barbaris, trium mensium effecerunt. [g] Arcades interdum vno, nonnunquam tribus mensibus annum metiti sunt: ita vt quadripartitis temporibus, diuiso solis cursu, per singula tempora annum efficerent. [h] Alij æstate vnum, alterum hyeme commenti fuere: plures à tribus temporibus, æstate, hyeme & vere, quatuor mensium annum statuere. [i] Ægyptij non vna facie, sed multiplici sorte variarunt, vt quandoque trium, sæpius quatuor mensium annum efficerent: plerumque mensis spatio ad cursum lunæ metiebantur. Fuere qui crederent, [k] Cares & [l] Acarnanes aliquando sex mensium, frequentius menstruum annum fecisse. [m] Indos quoque diligenti dimensione plena annorum spatia seruasse, menses vero in quinosdenos dies, præter alios, definisse. Sed post omnes, variatis temporibus, [n] Ægyptios verum annum reperisse, atque obseruata ratione astrorum, ad solis cursum diuisisse satis constat, duodecim mensibus anno assignatis, quos CCC. dierum numero singulos terminarunt: [o] quem propter motus conuertentes & vicissitudines ante inuentas liberas ita effinxere, vt draco curuus in se flexus, suam caudam morderet: quæ descriptio, quòd volubili orbe circumagitur, annum designauit. [p] Dixerèque annum lunarem dierum XXX. alij [q] CCCLIV. effecere, [r] annúmque Ioui, menses verò Iunoni dicarunt. [s] Fertur Solon ita metitus fuisse annum, vt ad Lunæ cursum modo antecedentis solem, modo subsequentis, dimensio anni fieret: [t] quod Indos facere inuenimus, vt ad lunæ meatus, cum se in cornua curuabat, tempora notarent. [u] Solarem vero quiex XII. mensibus constat, CCCLX. dierum effecere. [x] Thebani vero sacerdotes ex Solis cursum annum dimetientes, duodecies tricenis diebus quinos adiecere, qui vertentem annum efficerent. Sunt qui tradant [y] Thaletem Milesium in CCCLXV. dies annum diuisisse, primúmque veram dimensionem commentum fuisse. [z] Omnibus autem syderibus in suum recurrentibus orbem, ita vt post omnium syderum contorsionem, ad eundem locum vnde digressa fuerunt, regressio fieret: cum multa annorum intercesserint millia, magnum annum tradiderunt: [a] quem quidem post duodecim millium & nongentorum LIV. annorum spatia fieri, mathematici volunt. [b] idque Arabes in primis opinati sunt. [c] Nonnulli nisi post xv. annorum millia conuersionem maioris anni fieri iudicarent. Alij xxxvj. annorũ millibus, [d] plerique ex singulis tribus

Persæ. Græci. Alij. Arcades. Alij. Ægyptij. Cares. Acarnanes. Indi. Ægyptij. verum annum inuenerunt. Anni lymbolum. Annus Lunaris. Solonis anni dimensio. Annus solaris. Thebani sacerdotes. Thales. Milesius. Annus magnus. Arabes. Alij.

ANNOTATIONES.

Philosophorum lib. 2 Galeno in lib. eiusdem tit. Qui quidem libri sunt adeo similes, vt alter ab altero, id est Galenus à Plutarcho (fuit enim hic Galeno paulò antiquior) sumpsisse videatur: sed quod magis crediderim, Galenus non eum librum suffuratus est à Plutarcho, sed qui illum primùm scripserunt, eum Galeno adscripserunt. Gellio lib. 3. c. 16. Solino cap. 3. Macrobio in Somnio Scipionis lib. 2. c. 11. & Saturn. lib. 1. c. 12. Censorino de die Natali, cap. 15. & seq. Lactantio. Seruio tum lib. 1. Æneid. in eum locum,

Triginta magnos voluendis mensibus orbes.

Tum lib. 5. ibi.

Dixerat hæc, adytis cum lubricus anguis ab imis,
Septem ingens gyros. ———

Diuo Augustino de Ciuitate Dei, libr. 12 cap. 10. & iterum lib. 15. cap. 12. & cap. 14. Vide autem ea quæ scripsimus in nostris Commentariis Retractuum tit. 1 §. 1. glos. 10. in verbo, Intra annum.

b *Persis non obscura.*] Q. Curtius libr. 3. Magos trecenti & sexagintaquinque iuuenes sequebantur, diebus totius anni pares numero: quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus. Idem tamen Curtius lib. 9. dicit iis 360. dies annum esse descriptum.

c *Singulis quatuor mensibus*] Plutarchus in vita Numæ, Romanos initiò decem tantùm mensibus annum composuisse, vt quidam Barbari tribus, Arcades quatuor.

d *Nonnulli ad Solis cursum.*] Virgilius lib. 3. Æneid.

Interea magnum sol circumuoluitur annum.

Vide Macrob. 1. lib. in somn. Scipion. cap. 11. & Plin. lib. 18. cap. 25.

e *Quare Lycabas dicebatur.*] Macrobius Saturnalior. libr. 1. cap. 17. Annum quoque vetustissimi Græcorum λυκάβαντα appellant, ἀπὸ τοῦ λύκου, id est Sole, βαινόμενον καὶ μετρούμενον.

f *Quidam ex Barbaris.*] Plutarchus in Numa Pompilio.

g *Arcades interdum vno.*] Solinus cap. 3. & Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 11. non multò post princ. Plinius lib. 7. cap. 48. Vide item Plutarchum in Numa.

h *Alij æstate vnum.*] Plinius vbi supra. Annum alij æstate vnum determinabant, & alterum hyeme.

i *Ægyptij non vna facie.*] Xenophon, vel quisquis est, in Æquiuocis, Plutarchus in Numa, Solinus c. 3. D. Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 12. c. 10. Censorinus de die Natali.

k *Cares.*] Censorinus & Solinus vbi supra.

l *Acarnanes.*] Idem illi, & Plutarchus in Numa Macrobius item vbi supra.

m *Indos quoque.*] Q. Curtius lib. 8.

n *Ægyptios verum annum.*] Herodotus lib. 2. Omnium hominum, inquit, primos Ægyptios annum comperisse, distinguentes eum in duodecim temporum menses.

o *Quem propter motus conuertentes.*] Seruius in 5. lib. Æneid.

p *Dixerèque annum lunarem.*] Idem Seruius in lib. 3. Æneid. in eum locum.

Interea magnum sol circumuoluitur annum.

Erat, inquit, annus 30. diērum, scilicet lunaris.

q *Alij CCCLIV.*] Apud Macrobium lib. 1. Satur. c. 12.

r *Annúmque Ioui.*] Plutarchus proble. 77.

s *Fertur Solon.*] Vide Solinum vbi de annis, & Martianum Capellam & cæteros de annis loquentes. Plutarchus in vita Solonis nihil tale de anno loquitur, neque aliud quippiam, sed de mensibus tantùm.

t *Quod Indos facere.*] Q. Curtius lib. 8.

u *Solarem verò.*] Curtius eod. loco.

x *Thebani verò sacerdotes*] Herodotus lib. 2.

y *Thaletem Milesium.*] Laërtius in vita illius, non adeo longè à princ.

z *Omnibus autem syderibus.*] Festus Pompeius lib. 11. vbi de magno anno.

a *Quem quidem post duodecim.*] Cicero in Hortensio, Seruius vbi suprà citatus in lib. 3. Æneid. & lib. 1. in eum locum,

Triginta magnos voluendis mensibus orbes.

b *Idquè Arabes.*] Vide eosdem authores antea citatos.

c *Nonnulli nisi post xv.*] Vide eosdem, & quos modò citabo.

d *Plerique ex singulis tribus millibus.*] Cicero libr. de natura Deorum. & ab eo Seruius d. lib. 3. Æneid.

e *Multi,*

millibus: [e] multi, mille CCCC. & LX. annorum circuitu terminari dixerunt, quum luna & sol aliaque sydera, post multa secula & ætates, suis locis & originibus restituta forent, quem mundanum annum nuncupant. [f] Galli autem post trigesimum annum seculum fieri putant. In Italia [g] apud Lauinios tredecim mensium spatio, hoc est, ccclxxiiij. diebus annus claudebatur. [h] Romulus decem mensium curriculo definiuit annum, [i] Martiúmque principium fecit, quintúmque ab eo Quintilem, & reliquos deinceps nuncupauit. [k] Numa verò Pompilius aliquanto morosius vestigans, primus ad Solis cursum, post Ægyptios in duodecim menses annum dimensus fuit, Ianuario & Februario adiectis Ianuarióque initium dedit, tunc verè anni principium esse arbitratus, quum post hybernum tropicum sol quò vlterius progrediatur non habens, perfecto cursu zodiaci, per singulas stationes celeri meatu ad nos reuerti incipit. Quem quia tricenis diebus per singulos menses luna non perficit, ita dispensauit inter calandos dies, vt vigesimo anno ad metam eandem Solis, vnde orsi essent, plenis annorum spatiis dies congruerent: quod erat [l] apud Græcos aliter institutum: nam ita intercalabant, vt tertio quoque anno mensem intercalarem adiicerent. [m] Ægyptij vero tricenis diebus, quibus annus claudebatur, quinos dies singulis annis pro intercalari adiecere: sæpiúsque in describẽdo intercalari variatum fuit, [n] donec Diuus Augustus intercalario mense sublato, ita annum designauit: vt quarto quoque anno absoluto, non autem incipiente, vt Cæsar diiudicarat, vnus intercalaretur dies, vt ad solis cursum dimensio anni congrueret. [o] Hebræi ab æquinoctio verno, Græci à solstitio, Ægyptij ab autumno initium fecere anni: quibus Septembre erat principium, cui Hermen dixere nomen: ex quibus alij primum mensem totius anni Their [p] nuncupant: alij, [q] vt Achæi & plerique, circa ortum Vergiliarum, velut anni principio, magistratus & honores ineunt. [r] Ætoli post autumnale æquinoctium comitia faciunt. [s] Druides à sexta quaque luna augurantur anni initium. [t] Erátque annus naturalis, qui duodecim spatio mensium claudebatur, & ciuilis variarum gentium opinione definitus: [u] nam & trieteris duorum spatio annorum constabat, tertio incipiente: olympias ex quatuor, quinto redeunte: [x] Eudoxi annus, octo ex nostris continet. [y] Is enim ad veram anni cognitionem proxime accessit, [z] deinde Hippar-

Annus mundanus. Galli. Lauinij. Romulus. Vide Alc. in l. cum bissextus. ff de verb. sig. Numa Pompilius. Intercalatio. Græcorum intercalatio. Augustus. Anni principium. Annus naturalis & ciuilis. Trieteris. Olimpias. Eudoxi annus.

ANNOTATIONES.

e *Multi, mille &c.*] Id Platonis est, qui magnum annum illum esse vocatum dicebat, cuius tempus implebitur, cùm vagantium stellarum comitatus ad eundem peruenerit finem, nouumque sibi exordium & itinera per vias mundi repeterit. Quod & ex eo repetit Apuleius libr. 1. de Dogmate Platonis (vide inter opera Platonis) Oenopides autem Chius Astrologiæ peritissimus cùm dedicaret in Olympiis legum tabulam, inscripsit in ea Astrologiam quinquaginta nouem annorum, affirmans hunc esse magnum annum. At Meton Lacedæmonius Astrologiæ quoque peritus columnas statuit, & in eis Solis cursum annotauit, atque magnum annum (vt ipse dicebat) adinuenit, quem intra nouemdecim annorum curriculum conclusit, vt testis est vtriusque Ælianus de varia historia lib. 10. c. 7. Tu autem de posteriore vide quæ scripsi in nostris Commentariis Nobilitatis c. 31. in catalogo Medicorum.

f *Galli autem.*] Vide Seruium declarantem diuersitatem seculorum in lib. 8. Æneid. in eum locum,

Seclisque effœta senectus. ———

Vbi etiam fusius facit Censorinus c. 6. & c. 14.

g *Apud Lauinios.*] Solinus cap. 3. Vbi vide eius interpretes.

h *Romulus decem mensium.*] Plutarchus in vita illius, & Ouidius lib. 3. Fastor. de eo loquens his versibus,

Annus erat, decimum cùm luna reciperet orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit

Macrobius item Satur. lib. 1. c. 13.

i *Martiúmque principium fecit.*] Plutarchus vbi suprà, Macrobius d. lib. Satur. 1. c. 12. Festus Pompeius lib. 11. Ouidius d. lib. 3. Fast.

A te principium Romano dicimus anno,
Primus de patrio nomine mensis erit.

k *Numa verò Pompilius.*] Plutarchus in vita illius, & problem. cap. 18 & Macrobius lib. 1. Satur. cap. 13. in princ. & iterum postea.

l *Quod erat apud Græcos.*] Herodotus lib. 2. statim post princ. Vide tamen Macrobium qui aliter dicit vbi supra.

m *Ægyptij verò.*] Herodotus. lib. 2. post. princ.

n *Donec Diuus Augustus.*] Macrobius d. lib. 1. Satur. c. 14. Sed & de huiusmodi intercalationibus vide Plinium libr. 18. cap. 25.

o *Hebræi ab æquinoctio verno.*] Exodi cap. 12.

p *Their nuncupant.*] Lactantius lib. 1. c. 6. Thoth scribit.

q *Alij, vt Achæi.*] Polybius libr. 5. in princip. non Vergilias, sed Pleiadis dicit. Annus, inquit, Imperij Arati Iunioris circa ortum Pleiadis perfectus est: ita enim tempora Achæi dimetiuntur, quamobrem hic quidem dimisit, Epitatus verò suscepit imperium, quódque id certè idem est: nam quas Græci Pleiadas vocant, Latini Vergilias dicunt, vt tradit Seruius enarrans illud Virgilij libr. 1. Georg.

Pleiadas, Hyadas. ———

Et Gellius lib. 3. c. 10. statim à princ.

r *Ætoli post autumnale.*] Polybius lib. 5. dicit ineunte æstate. Vide an idem sit.

s *Druides à sexta.*] Plinius lib. 16. c. 44. eodémque vlt. Quibus adde Athenienses anni principium ab æstate incepisse, vt videre licet ex Thucydide continuò post orationem funebrem, & alibi sæpe eod. lib. 8. & seq.

t *Erátque annus naturalis.*] Vide d. nostros Commentarios Retractuum vbi suprà num. 1. & 2.

u *Nam & trieteris.*] Aliter Ouidius libr. 1. Fast. his versibus,

Festa Corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi,
Tertia quæ solito tempore bruma refert.

Et Lucanus lib. 5.

Mons Phœbo Bromióque sacer, cui numine mixto
Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchi.

Lactantius interpres Statij lib. 2. eo loco.

Non hæc trieterica vobis, &c.

Vide item Diodorum Siculum lib. 5. Et Seruium in libr. 4. Æneid. ibi,

—Vbi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia. ———

x *Eudoxi annus.*] Vide Seruium vbi modò citabitur in seq.

y *Is enim ad veram anni.*] Seruius in lib. 5. Æneid. ibi,

Iámque dies (ni fallor) adest. ———

Et de hoc Eudoxi anno Lucanus lib. 10.

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Vide item Strabonem lib. 14. & Laërtium alicubi.

z *Deinde Hipparchus.*] Seruius ibi. eod. loco.

a *Demum*

chus, posteà Prolemæus,[a] demum Cæsar Chaldaicus, duodecim: † Methonicus, vndeuiginti.[b] Saturni, triginta annorum fuit: Iouis, duodecim: Martis, duorum.[c] Alij septimum quemque obseruarunt annum propterea quòd ætatis hominis signum imprimeret. Nonnulli per ætates annos distinxere, ita vt singulis ætatibus triginta annorum spatium darent. Itaque pro gentium arbitrio, próque voluntate, nonnunquam iudicio imperitæ multitudinis, ciuilis annus terminabatur, quem magnum plerique dicunt. Sed quamuis [d] anni principium Ianuarius fecerit, [e] tamen sequutis temporibus, quo ad comitia & ineundos magistratus diuersa Romanis anni principia fuere. [f] Nam Publio Ebutio & Quinto Seruilio consulibus calendis Sextilibus principium anni agebatur: in eisdémque consules, prætores & reliqui magistratus honores inibant. Quo autem tempore decemuiri reipublicæ præfuere, non Sextiles calendæ, sed Idus [g] Maiæ solennes ineundis magistratibus fuere: [h] donec tribunis militum consulari potestate creatis, cùm Veientes diutino & graui bello premerentur, ad Idus [i] Martias anni principium haberi cœptum fuit, in quibus magistratus inibant, & honores dabant. Mansit hæc descriptio anni ad secundum Punicum bellum, quo Romani exitiali bello conflictati sunt, ex quo tempore Idus Martias anni principium fecere. Sæpiúsque super anni principio Romani variarunt, vt modo calendis Quintilibus, modo [k] Octobribus calendis, prout res tempúsque postulabant, anni principium facerent: donec ad Augusti tempora ventum est, in quibus rursus [l] calendis Ianuariis, suscipiendis honoribus anni principium fecere. Fuit tamen memoriæ proditum, [m] Nerone imperante censuisse senatum, vt Decembri mense quo in lucem editus erat, anni principium fieret: sicut Augusto regnante, officiosæ in eum vrbes, quo die ad se primum venisset, anni initium fecerunt. Est quoque illa obseruatio solennis nimium diu seruata, quæ quamuis principio anni mensibus variato, tamen sicut initio seruari cœpta, ita ad postremum mansit, [n] vt in aris Vestalibus nouum ignem calendis Martiis accenderent, [o] laureas virides tam in consularibus fascibus, quàm ædibus Regis sacrorum, flaminum, Vestalium, atque curiæ, veteribus mutarent, mercedem [p] magistris soluerent, [q] vectigalia locarent,[r] matronæ seruis cœnas apponerent & festum diem agerent: [s] quare matronalia

Anni per ætates distincti. Diuersa anni principia Roman. Comitiis & ineundis magistratibus.

Initio anni quæ semper obseruari solita.

Matronalia.

ANNOTATIONES.

a *Demum Cæsar.*] Ibi. Vide prætera Plinium lib. 18. c. 25. & Macrobium lib. 1. Satur. c. 14.

† *Methonicus, vndeuiginti.*] De hoc omnino vide quæ diximus in nostris Commentariis Nobilitatis c. 31. in catalogo Medicorum, vbi de Methone.

b *Saturni xxx. annorum fuit.*] Hæc vsque ad versiculum, Alij, sunt Plinij lib. 2. c. 8.

c *Alij septimum.*] Vide Gellium lib. 3. c. 10. & Macrobium lib. 1. de Somnio Scipionis cap. 6. non vno in loco.

d *Anni principium Ianuarius*] Ouidius lib. 1. Fastor. Plutarchus item in Mario.

e *Tamen sequutis temporibus.*] Quod probat ex iis quæ sequuntur, quantum ad tempus ineundi magistratus. Nam quantum ad comitia, non eadem fuere tempora quæ ineundi magistratus, sed anteriora erant quibus ij designabantur: non illicò tamen inituri, sed longe postea. Vide autem Budæum in Annotationibus. Quod & videre etiam licet ex Liuio in multis locis.

f *Nam Publio Ebutio.*] Id Liuij est 1. Decad. lib. 3. Comitia, inquit, inde habita, creati consules. L. Ebutius, P. Seruilius calendis Sextilibus, vt tunc principium anni agebatur. Et paulò post, L. Lucretius Tricipitinus, & T. Veturius Geminus ante diem III. Idus Sextiles consulatum inierunt.

g *Sed Idus Maij.*] Liuius d. libr. 3. & iterum 6. eiusdem Decad.

h *Donec tribunis.*] Liuius 1. Decad. libr. 5. satis longè à princp.

i *Idus Martias.*] Nam & tunc iis Idibus Consules & Prætores magistratum inibant, teste eodem Liuio 3. Decad. lib. 2. post princ. vbi Cn. Seruilium tunc magistratum inisse ait. Et lib. 6. vbi scribit M. Marcellum tunc consulatum inisse. Et 4. Decad. lib. 1. vbi, Omnium, inquit, primum eam rem Idibus Martiis quo die tunc consulatus inibatur, P. Sulpitius Consul retulit. Et iterum lib. 2. in princ. Consules prætorésque cum Idibus Martiis magistratus inissent, prouincias sortiti sunt.

k *Modo Octobribus*] Liuius 1. Decad. lib. 5.

l *Calendis Ianuariis.*] Suetonius in Cæsare, cap. 76. Pridie autem calendas Ianuarias repentina consulis morte cessantem honorem in paucas horas dedit. Ex quo intelligit & id obseruatum ante imperium Augusti Cæsaris. Et de eadem quoque re loquens (ni fallor) Cicero libr. 7. epist. fami. epist. 30 In campo, inquit, certè non fuisti, cum hora secunda Comitiis quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset, quo mortuo nunciato sella sublata est. Ille autem qui comitiis tributis esset auspicatus, centuriata habuit, consulem hora septima renunciauit, qui vsque ad calendas Ianuarias esset: quæ erant futuræ mane postridie. Ita Caninio Consule scito neminem prandisse: nihil tamen eo Consule mali factum est. Fuit enim mirifica vigilantia: qui suo toto Consulatu somnum non viderit. Suetonius item in Caligula, cap. 17. vbi de eius tertio Consulatu loquitur quem iniit solus, quia eius collega sub calendarum diem fuerat defunctus. Et omnium clarissimè Plinius lib. 11. c. 37. quo loco de iecore loquitur. Defuit & Caio principi calendis Ianuariis cùm iniret consulatum, quo anno interfectus est. Et Marcellus iurisconsultus in l. Publius. in princip. ff. de cond. & demonst. cùm scribitur, deinde ex calendis Ianuariis consulatum ingressus est. Et idipsum quoque astruit Herodianus lib. 1. de huiusmodi calendis loquens: Cùm hunc diem festum ciuitas ageret, in quo summi magistratus conspicuam purpuram solennémque assumunt.

m *Nerone imperante.*] Cornel. Tacitus lib. 13. non adeo longè à princ. Et quamquam, inquit, censuissent patres, vt anni principium inciperet mense Decembri, quo ortus erat Nero, veterem religionem calendarum Ianuariarum inchoando anno retinuit.

n *Vt in aris Vestalibus.*] Solinus cap. 3. & Macrobius lib. 1. Satur. c. 14.

o *Laureas virides.*] Macrobius vbi suprà.

p *Mercedem magistris.*] Macrobius ibidem.

q *Vectigalia*] Vide suprà hoc eod. lib. c. 13.

r *Matronæ seruis.*] Solinus & Macro. vbi suprà.

s *Quare matronalia.*] Ouidius lib. Fastorum dedicato mense Martio,

Cum sit officiis Gradiue virilibus aptus,
Dic mihi matrona cur tua festa colant.

Et quibusdam interiectis,

Inde diem primásque meas celebrate calendas,
Oebalides matres non leue munus habent.

Plutarchus item in Romulo, & Seruius in eum locum

Virgilij

dicta: [t] muneráque viri mulieribus mitterent, vt in Saturnalibus viris mulieres: comitia auspicarentur. [u] Sed quod de Martio loquimur, à primo vrbis ortu anni principium fecisse: animaduertendum, prioribus seculis apud varias gentes miræ obseruationis fuisse: siquidem Numa primus, mox Albani, Aricini & Thusculani, Martium totius anni tertium fecerũt: Sabini & Peligni quartum: Laurentes & Phalisci quintum: Hernici sextum: Equiculi decimum locum in anni constitutione Martium habere voluerunt. [x] Atheniensibus vero Martius Anasterion dicitur, ab aliis Munychio. [y] Aprilis, Chronius & [z] Antesterion, [a] ab Ægyptiis Pamenothus. Maius [b] Metagetnion, qui apud [c] Syracusanos Carnius, [d] ab Oscis Mesius nuncupatur. [e] Iunius Boëdromion, [f] Panemius Iulius, [g] Augustus Thiatis, [h] Gorpias September, qui ab [i] Ægyptiis Tot, [k] ab eisdem Choe & [l] Thybis, [m] December Possideo & [n] Mechiris, Ianuarius qui apud Iones [o] Lenæos dicitur, quòd Bacchi tunc festa fierent. [p] Tragelinus autem Februarius. [q] Erátque vetus constitutum apud pontifices, vt sua numina mensibus præficerent, mensésque singulis numinibus dicarent, Quippe [r] Ianuarius Iunoni erat sacer, Neptuno Februarius, Martius [s] Mineruæ, [t] Aprilis Veneri, [u] Maius Apollini, [x] Iunius Mercurio, Ioui Iulius, Augustus Cereri, Vulcano September, [y] Marti, October, Nouember Dianæ, & [z] Vestæ December. [a] Ab Atheniensibus verò, vt Ianuarius qui erat anni principium, vtque prima & vltima dies cuiusque mensis

Martij mensis obseruatio.

Mensium diuersorũ diuersa nomina apud diuersos.

Suũ cuique mẽsi numen.

Athe. institutũ.

ANNOTATIONES.

Virgilij lib. 8. Æneid,

----Casta ducebant sacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus.----

Porphyrion in illud Horatij,

Martiis cælebs quid agam calendis.

Et de his loquens Festus Pompeius lib. 11. Martias, inquit, calendas matronæ celebrabant. Sunt autem & alia festa Matralia, de quibus idem Ouid. lib. 6. eiusdem operis,

Ite bonæ matres, vestrum Matralia festum
Flauaque Thebanæ reddite liba Deæ.

De quibus etiam Festus Pompeius d. lib. 11. Matralia, ait, matris Matutæ festa.

t *Muneráque viri.*] Aliter Macrobius vbi suprà,

u *Sed quod de Martio.*] Hæc vsque ad clausulam, Atheniensibus, sunt Ouidij lib. 3. Fastor.

Quod si fortè vacat peregrinos inspice fastos:
Mensis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanus, quintus fuit ille Phalisci,
Sextus apud populos Hernica terra tuos.

x *Atheniensibus verò.*] Plutarchus in Phocione, Hebræis autem Nisan.

y *Aprilis, Chronius.*] Plutarchos in Theseo.

z *Et Antesterion.*] Plutarchus in Sylla, & Theophilus. At Harpocration scribit hunc esse octauum mensem Atheniensium. Verùm Plutarchus in Aratum hunc Iunium mensem esse apud Athenienses tradit.

a *Ab Ægyptiis Panemothus.*] Pharmutus, credo, voluit, aut certè debuit dicere ex Plutarcho in Romulo (vide tamen Græcum textum Plutarchi.) Ab Hebræis Iliar, aut Nisan, vt placet Socrati in historia tripartita. Sed quantum ad id vide suprà in verbo, Atheniensibus. Delphis autem Physius ex Plutarcho problem. Laërtio in vita Platonis. & Apollodoro in Chronicis. Vide quoque Suidam & Iosephum lib. 2. Antiquitatum.

b *Maius Metagetnion.*] Plutarchus in vita Niciæ non multò ante fin. & in vita Camilli, & in lib. de exilio. Vide item Suidam.

c *Qui apud Syracusanos.*] Plutarchus in d. vita Niciæ.

d *Ab Oscis Mesius.*] Festus Pompeius lib. 11. ab Hebræis autem Siuam.

e *Iunius Boëdromion.*] Plutarchus in Theseo, Camillo, Aristide, & Demetrio. At Macedonibus dicitur Dosius apud Suidam, Psellum, Theophilum & ipsum Plutarchum in Aristide, & Bœotiis Hippodromion, apud eundem Plutarchum in Theseo, & Hebræis Tamuz.

f *Panemius Iulius.*] Plutarchus in Camillo & in Aristide (vide vtrobique) Hebræis verò dicitur Ab.

g *Augustus Thiatis.*] Plin. lib. 27. capit. 12. statim post princ. Verùm Ægyptiis Mesori ex Plutarcho in lib. de Iside & Osiride, Hebræis Elul.

h *Gorpias September.*] Plutarchus in Theseo.

i *Qui ab Ægyptiis Tot.*] Plutarchus in Romulo. Lactantius lib. 1, cap. 6. Thoth scribit, vt & suprà diximus.

k *Ab eisdem Choe.*] Plutarchus autem in Romulo ita dicit Decembrem vocari ab ipsis Ægyptiis.

l *Et Thybis.*] A Bœotiis autem hic mensis Alalcomenus dicitur ex Plutarcho in Aristide. Et Pergamæus Hyperboreæus ex Galeno, quo loco loquitur de Elearis, id est Abiectis semine, vbi vide Græcum. Et ab Hebræis Tisri. Hîc autem Alexander omisit Octobrem, & Nouembrem, ille autem Bœotiis dicitur Demetrion, & Ægyptiis Athyr ex Plutarcho in lib. de Iside & Osiride, Macedonibus Hyperboreæus ex Suida, Iosepho & Beda in lib. de Natura rerum, & decretis canonicis in cap. de concilio Antiocheno, 18. distinct. Hebræis Machesuan. Nouember autem Græcis αἰθεστηρίων. Et Hebræis Kisleu nominatur.

m *December Possideo.*] Vide Plinium lib. 27. c. 12. post prin. & Plutarchum in lib. de Iside & Osiride, & infrà in verbo, Lenæos.

n *Et Mechiris.*] Et Macedonibus Apelleus ex Suida Ægyptiis Chœar. Hebræis Casleu ex Iosepho lib. 12. Antiquitatum, aut vt aliis placet, Tibeth.

o *Lenæos.*] Theophilus & Ioannes Grammaticus in Hesiodum, Macedonibus autem Audyneus & τυχίων ex Suida, Hebræis Schebat. Athenienses ποσειδῶνα vocant, vt tradit Plutarchus in Cæsare.

p *Tragelinus autem Februarius.*] Macedonibus autem Peritius, testibus Iosepho & Suida. Et Hebræis Adar. In his autem omnibus vide omnino Gyraldum in lib. de annis & mensibus.

q *Erátque vetus constitutum.*] Id videre licet ex Manilio.

r *Ianuarius Iunoni.*] Macrobius autem lib. 1. cap. 7. dicit Saturno dicatum esse Ianuarium.

s *Martius Mineruæ.*] Alij Marti dicunt, vt Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 12.

t *Aprilis Veneri.*] Præter Manilium vbi suprà Varro lib. 5. de ling. Lat. Ouid. lib. 4. Fast.

Sed Veneris mensem Graio sermone notatum
Auguror, à spumis est dea dicta maris.
Nec tibi sit mirum, &c.

Plutarchus in Numa, & Macrobius vbi suprà.

u *Maius Apollini.*] Aliter Plutarchus in Numa, nempe quòd Mercurio sit sacer, & à Maia dicatur Maius.

x *Iunius Mercurio.*] Seruius tamen lib. 1. Georg. in eum locum,

Vere nouo.——

Dicit Iunium à Iunone dictum, vbi etiam Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 12. authoritate Cingij & Nisi. Et vide suprà eodem lib. cap. 18.

y *Marti October.*] Festus Pompeius lib. 14.

z *Vestæ December.*] Idem quoque Plutarchus proble. cap. 33. Verùm Macrobius lib. 1. Satur. cap. 7. dicit Saturno sacrum esse Decembrem.

a *Ab Atheniensibus.*] Plutarchus in vita ipsius Demetrij.

Cæsares mensibus à se nomina imposuerunt.

Demetrij nomine appellaretur, aliquādo lege cautum fuit, quum Demetrio plus nimio indulgerent, & famularentur. [b]Cuius exemplo nonnulli ex Cæsaribus, perpetua felicitate insolentes, mensibus sua nomina indiderunt, fauore imperitæ multitudinis ducti: [c] nam Semptember & Iunius Germanici nomine appellati sunt, [d] October Domitianus, [e] Aprilis Neroneus, [f] Maius Claudius: sicut [g] Augusti & Iulij [h] nomina velut sanctiora Diuo Cæsari & Octauio, vulgi opinio & consensus consecrauit. Tiberius [i] verò Cæsar, ne September suo nomine, néve October Liuius vocaretur, apud populum intercessit & peruicit. [k] Commodo autem Antonino pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri inuictum, pro Nouembri Exuperatorium, pro Decembri Amazonium, assentatores nomina indiderunt: à Tacito [l] verò Cæsare, September Tacitus dictus est.

ANNOTATIONES.

b *Cuius exemplo.*] Quod probatur exemplis sequentibus.

c *Nam September,* &c.] Suetonius in Caligula, cap. 15. & in Domitiano, cap. 13. Et præterea quo ad Decembrem Macrob. lib. 1. Satur. c. 12. Et quo ad Iunium Tacitus lib. 16.

d *October Domitianus.*] Suetonius in vita Domitiani, c. 13. Dion. in vita eiusdem: Plutarchus in Numa Pompilio. [Macrobius lib. Satur. 1. cap. 13.]

e *Aprilis Neroneus.*] Cornelius Tacitus lib. 15. ad fin. & iterum lib. 16.

f *Maius Claudius.*] Idem Tacitus eod. lib. 16.

g *Sicut Augusti.*] Suetonius in vita illius, cap. 31. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 12. vbi verba S. C. in id facti adscribit, & D. Hierony. in epist. ad Eustochium.

h *Et Iulij.*] Suetonius in vita ipsius Iulij Cæsaris, cap. 76. Macrobius vbi suprà. Eusebius & ante hos Ouidius lib. 4. Fast.

i *Tiberius verò Cæsar.*] Suetonius in vita illius, cap. 26. Sed paulò aliter Dion in vita eiusdem.

k *Commodo autem.*] Lampridius in vita illius. Sed aliter Eutropius lib 8. c. 7. Vide item Dionem in vita eiusdem. & Herodianum lib 1.

l *A Tacito verò Cæsare.*] Flauius Vopiscus in vita illius in fi. Adde autem superioribus Senatum menses Septembrem & Octobrem Antoninum & Faustinum appellandos decreuisse, sed id Antoninum Pium respuisse, vt in vita illius tradit Iulius Capitolinus.

Qui topiarij apud Iureconsultos dicti sint, & legato fundo instructo, an veniant topiarij, & quæ seruorum species apud eosdem. CAPVT XXV.

CVM æstate anni in Vaticano ego & Franciscus Helius & nonnulli studiis & honestis artibus dediti, sole iam occiduo deambularemus, & de opere topiario mentio fieret: quidam doctrina & fama celebri, & tunc in numero patronorum allectus, homo maledicus & conuiciator, quæsiuit à me, credo explorandi causa, qui essent topiarij, quódve topiarium opus foret. Cúmque ego à iureconsultis quos profitebatur, de opere topiario & topiariis multimodam mentionē non ambiguo significato fieri respōdissē, potuisse vel ab illis didicisse: ipse verò id pernegabat, & paulò commotior, haud vsquam de topiariis apud iureconsultos mentionem fieri petulanti dicto asserebat. Sed quum libri tunc copia non esset, ne viderer tumultuosius agere, & contentionibus magis quàm iure contendere, in aliud tempus dilatis sermonibus, quæ tunc mihi in mentem venerunt, dixi, topiarios inter prædiorum rusticorum operarios censeri: dictósque à Græcis, qui arbusculas virgultáque ductilia facili flexu in varias formas figurásque modò humi, modò per tutis spatia vario & solerti ingenio effingerent & concinnarent: fuisséque moris prisci, buxo, myrto, aut alio virgulto varias hominum effigies nauiúmque formas, aut turrium, ædium, vel cubiculorum, species in hortis per huiusmodi operis magistros qui topiarij dicti sunt, effingi & concinnari, ἀπὸ τῶν τόπων, hoc est, à locis, quæ virgultis eiusmodi effinguntur. quæ quidem ars in hortis colendis frequens fuit, nec fastidienda sedulitas: quo opere hortos nostrates myrto, rosis, hedera, aliísque virgultis per istiusmodi operarios excultos videmus. Quibus ille quum vix acquieuisset, haud multo post digressus est. Ego quoque quum me domum recepissem, leui defunctus opera, non modo ab Vlpiano, sed aliis quoque iureconsultis de topiariis & opere topiario, quod ille pernegabat, mentionem multimodam abundè fieri animaduerti, atque respondissē Vlpianum, inter cæteros fundo instructo legato, non modo instrumenta fundi. sed si viridaria sint, etiā topiarios accedere legato. [a] Verba ex Vlpiani responsis de instructo fundo hæc sunt: Quibusdam regionibus accedunt, si villa cultior est, veluti atrienses scoparij: si etiam viridaria, topiarij: si fundus saltus, pastionésque habeat, greges pecorum pastorésque saltuarij. Sed quum de [b] scopariis mentio fiat, non omittendum seruorum species à iureconsultis ab opera & ministerio multiplices censeri: inter quos fuere [c] atriarij, [d] focarij, qui & mediastini dicti sunt,

Topiarij.

Topiariorum etiam meminit Africanus in l. cū quæret. §. si. ff. de leg. 3. l. Instrumēta. in fi. ff. de fundo inst. lega.

Atriarij. Focarij. Mediastini.

ANNOTATIONES IN CAP. XXV.

a *VErba ex Vlpiani responsis.*] Ex l. instrumenta. vers. vlt. ff. de fund instr. vel instrum. legat. Sed & horum Topiariorum fit mentio in l. cum quæreretur. §. vlti. ff. de leg. 3. vbi scribitur hos magis ornandi fundi gratia quàm colendi paratos esse. Vide Nebrissensem, Albericum & Robertum Stephanum.

b *De scoparij mentio fiat.*] In d l. instrumenta. vbi supra.

c *Atriarij.*] De quibus in l. 1. §. cæterum si quis. ff. naut. caupon. stabu. Sed & iidem alibi atrienses vocantur, vt in d. l. instrumenta. vbi suprà. & in l. in lege Censoria. §. itémque. ff. de verbor. signif. Et apud Ciceronem in Oratione in Pisonem: & in Paradoxis, Columellam lib. 12. cap. 3. & Plin. lib. epist. 3. epist. eiusdem lib. 29. ad Caluisium Rufum, & Apuleium in lib. de mundo.

d *Focarij.*] In d. l. 1. §. cæterum si quis. ff. naut. caup. stabu (vbi vide eos omnes) vbi scribitur hos, & illos scilicet

Atriarios

[e] atcarij & [f] hercitæ, qui versantur in agris. [g] capsarios enim Paulus notauit, qui vestimenta in balneis seruanda suscipiunt: [h] Vlpianus vero qui libros deferunt, capsarios appellauit, [i] saecularios autem, qui vetitas exercent artes, quíque in sacculos ablata reponunt: & [k] apolides, qui nullo iure ciuitatis funguntur, in opúsque publicum deportati, seu ad insulas relegati sunt, [l] qui & insularij appellati, [m] orcinos dici liberros arbitrantur quidam, quos testator post obitum liberos iussit, ita vt hæres patronatus ius haberet, non dominus: præter quos numerantur [n] originarij & adscriptitij, qui adscripti fundo quem colunt, ita sunt, vt nisi cum fundo alienari queant: originarij verò, qui ex adscriptitiis in ipso solo quod incolunt, nati educatíq; sunt. [o] Vicarium seruum Vlpianus censuit, qui [p] ordinario subest, & illi paret: [q] & fornacariū, qui fornaci calcariæ seu ferrariæ seruit & inuigilat. Post quos fuere [r] amanuenses [s] & dispensatores: alteri, quorum opera velut scribarum dominus vtitur: alteri, qui æra dispensant, impendiáque & expensa rationibus notant, & inferunt. [t] Receptitius verò dicitur, qui ob vitium redhibetur.

Arcarij. Hercitæ. Capsarij. Sacculary. Apolides Insularij Orcini. Originarij. Adscriptitij. Vicarius. Fornacarij. Amanuenses. Dispensatores: Receptitius seruus est vt Gell. li.17.c.9. interpretatur, quē mulier de dote excipit.

ANNOTATIONES.

Atriarios Mediastinos esse. Qui autem Mediastini dicantur, disces ex Nonio Marcello in verbo, Mediastini, & Prisciano. (vide Robertum Stephanum.) Et horum quoque fit mentio in l.item apud §.prætor ait, si quid.ff.de iniur. Vide Nebriss. Budæum & Rhodig.

e *Arcarij.*]De quibus in l.Thais. §. vlt. ff. de fideicommiss. libert. vide illos omnes.

f *Et hercita.*] Vide omnes, & Lexicon Varronis & Columellæ.

g *Capsarios enim Paulus notauit.*]In l.nam salutem. §. vlt. ff. de offic. præfect. vig.

h *Vlpianus verò.*]In l.si collectaneus. ff. de man. vindic. Et ita quoque accipitur in l.vlt.ff.de iure immu. & apud Suetonium in Nerone, cap. 36. Vbi vide etiam Beroaldum, & quæ diximus in tractatu Nobilitatis.

i *Saccularios.*]Ex l. saccularij.in prin.ff.de extraordin.crimi. Et de his quoque in l. 1. versic. simili modo. ff. de effract. Vide Asconium Pedianum pag. 115. & Robert. Steph. Crinitum lib. 17. c.8. Cœlium Rhodiginum, Budæum in Annot. poster. Saccarij autem alij sunt, vt videre est ex l. qui fundum. §. fundi venditur.ff.de contrah.empt.

k *Et Apolides.*]Ex l.1.§.ij quibus.ff.de leg.3. ita vbi ita scribitur, ij quibus aqua & igni interdictum est, id est deportati, fideicōmissum relinquere non possunt, quia nec testamenti faciendi ius habent, cùm sint ἀπόλιδες. Et in l. quidem.ff.de pœnis. Cuius hæc verba sunt, Item quidam ἀπόλιδες sunt, hoc est sine ciuitate, vt sunt in opus publicum perpetuò dati, & in insulam deportati. Vide Lexicon, Græcum, Budæum, Nebrissensem, Rhodiginum & alios.

l *Qui & insularij.*]Ex l.si ita.ff.de vsu & habit. & l. cuicunque, in princ.ff.de iustit.arbit.

m *Orcinos.*] Hic vide omnino quæ scripsimus in nostris Commentariis in l.si vnquam. in verbo, Libertis. nu. 124 eodémque vlt.

n *Originarij.*]De quibus est tit. de municip.& orig. lib. 12. Codicis.

o *Vicarium seruum Vlpianus censuit.*]In l.seruus.ff.de fundo instruct.& inst.leg. Et de eo quoque in l.si in re.§.si seruus. ff. de noxali.act. Vide Robertum & alios, item l. si seruos, in fi.ff.de leg.3.& l.si peculium.§.vicario.ff. de pecul. legat. Apud Plautum in Asinaria. & Martialem lib.2.epig.18.

Esse sat est seruum, iam nolo vicarius esse.

p *Ordinario.*]De quo in l.item apud. §. prætor ait, si quid. ff. de iniur.& in l.procuratoris.§.1.ff.de tributariis act.& in l.hinc quæritur. in princ.ff.de pecul.

q *Et Fornacarium.*]In l.si seruus seruum.§.si fornacarius. ff. ad leg.Aquil. vbi vide Budæum, Nebrissens. Robert. & Albert. Fornicarij autem alij sunt, de quibus in l.cùm quidam. § fiscus.ff.de vsur. & ibi Budæus vide Robert.

r *Amanuenses.*]De Amanuensibus seruis Suetonius in Nerone, cap.44. & hi dicuntur tanquam à manu, quorum scilicet manu & opera in scribendo vtimur. Nam & à manu in eodem significatu vsus est idem Suetonius in Cæsare, cap. 74. vbi memorat Philemonem à manu seruum, & in Vespasiano, cap.3.

s *Et dispensatores.*]De quibus in d.l.item apud.§.prætor ait, si quid.ff de iniur.& Festus Pompeius lib. 4. Suetonius vbi suprà in præced.in priori loco, & Plin. lib. 33. c.11. vbi loquitur de Drusillano seruo Claudij. Vide autem alios.

t *Receptitius.*] Ita enim seruum receptitium intelligit Verrius Flaccus de obscuris Catonis lib. 2. apud Gellium lib. 17.cap.6. Verùm id reprehendit ipse Gellius. Vide item alicubi in nostris Retractibus, Budæum. Robertum Stephan, & alios.

Trium summorum virorum somnia pares exitus habuisse: quive somnia qualia viderant, vera fuisse experti sunt.

CAPVT XXVI.

QVOD [a] olim Diuo Cæsari, antequam in citeriorem Galliam mouisset, & infesta in vrbem ferret arma, in somniis oblatū est, quum sibi per quietem visum fuit, matri stuprum intulisse: quo somnio ad spem amplissimam coniectores illū excitarunt, dominiū orbis sibi dari interpretati: idem [b] somnium Hippiæ Pisistrati filio, qui tyranni successor, patriam crudelius occupauit, dum priuatus adhuc regium affectat fastigium, haud dispari euentu oblatum fuisse memorāt. Siquidem nocturna species matris, cum qua coire videbatur, sibi per quietem oblata fertur: qua de re imperiū latè sibi portendi cōiectores responderunt. Ipséq; somnio monitus, & spei plenus, Athenarum dominio haud multò pòst potitus fuit. [c] Hic est enim ille Hippias, qui tyrānidem nō sine immani scelere aggressus, patre impotentior effrenatiórque, quum exul solum vertisset, impia cōtra patriam arma

D.Claudij somnium.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVI.

a QVod olim Diuo Cæsari.] Suetonius in Cæsare, cap.7. In vrbe etiam confusum eum somnio proximæ noctis (nam visus erat per quietem matri stuprum intulisse) coniectores ad amplissimam spem incitauerunt, arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes.

b *Idem somnium Hippia.*]Herodotus lib.6.

c *Hic est enim ille Hippias.*] Vide Herodotum libro quinto & sexto.

molitus fuit: denique cum Dario conspirans, in pugna Marathonia cæsus, pœnas patriæ & penatibus dedit. [d] Alter verò eiusdem Pisistrati filius Hipparchus, qui multorum tyrannorum sæuitiam antecessit, quum patriam & ciues impotenti dominatu opprimeret, coniuratione in caput tyranni facta, ab Harmodio & Aristogitone fortissimis iuuenibus non sine omnium salute cæsus fuit: quorum nomina deuota libertati, nequando seruis indere liceret, Athenienses publica detestatione sanxerunt.

Astyagis somnii.

[e] Rursus quod Astyagi Assyriorum regi in somniis oblata species tulit, qui ex naturalibus filiæ vitem enatam, cuius palmite omnis Asia obumbraretur vidisse visus erat. Quare consulti arioli, nepotem futurum, qui toti Asiæ imperitaret, & regni sibi responderunt portendi euersionem: [f] hoc nimirum Cyro Assyriorum regi relatum insomnium fuit.

Cyri insomnium.

Nam maximum filiorum Hystaspis qui Darius erat, duabus alis, altera Asiam, altera Europam obumbrante, per quietem sibi intimum familiarem vidisse insomnium ferunt: cuius rei imagine nulla fuit controuersia, quin post eum Darius regno potiretur: [g] id quod verissimo euentu consequutum est: quippe Cyro vita functo, Darius ex coniuratis vnus, interfectis Magis qui regiam occuparant, solus Assyriorum regno potitus fertur: cui miro ingenio præfuit, tantúmque virtute effecit, vt illud maius auctiúsque relinqueret. Cui insomnio compar est [h] Xerxis visio, qui quum in Græciam duceret, olea cuius ramis omnis terra obumbraretur, coronari visus erat, mox illa cum somnio euanescente.

Xerxis visio. Octauij matris somnium. D. Iulij visio. Cambisis somnium. Herodotus merdi vocat, Iustinus vero Magum. Iulij insomnium.

Huic simile accepimus, quòd mater [i] Octauij vterum ferens, sua intestina per omnem terræ ambitum explicari imaginata fuit, verissimo præsagio, quo latè ipsius imperium portendi euentus docuit. [k] Rursus quod idem diuo Iulio visio per quietem oblata portendit, quum supra nubem volitare, & cœlum vertice contingere videbatur, parem exitum habuit [l] cum somnio Cambysis, quo Smerdis fratris regio solio sedentis, & cælum vertice contingentis, ostendere species visa est. Quod tamen vtique exitium tulisse, necémque & cladem portendisse constat: [m] siquidem alter à Bruto & Cassio cædis authoribus oppressus fuit: [n] alter verò quum in suspicionem affectati regni venisset, occisus, non cogitati forsan facinoris pœnas dedit. Quod compar fuit [o] cũ insomnio Iulij Cæsaris, qui pridie quàm periret, se iuxta solium Iouis consistere, & è cœlo præcipitatum somniauit. [p] Sed animaduertendum, inter insomnia quæ aliquãdo visa dormienti apparent, qualia in somniis animo præuiderãt, talia in luce expertos fuisse nonnullos memorari: inter quos, ne nimium multa complectar, [q] Petitius nauis gubernator memoriæ proditus est exẽpli memorabilis inter pauca, qui qúum in portu ad Larissam staret, Pompeium ad se squalidum mœrentémq; veste obsoleta & sordida venire visus erat: quod insomnium quum sequenti luce sociis enarraret, haud multo pòst, ipsum pugna Pharsalica terribili strage profligatũ, qualẽ in somniis præsagisset, ad se citato gradu properãtem conspexit, ex maximo fastigio ad extrema deiectum. [r] Spectator quoque ludorũ qui stans in subsellio, à mirmillone, qualem adesse videbat, se confici in somniis contemplatus erat, haud minori memoria dignus est: nam sicut confessoribus somnium vidisse enarrauit, ita ab illo fuscina occisus, euentu miserabili verum insomnium periculo docuit: [s] Illud vtique non est ab re dixisse, antiqui moris fuisse, oracula & futurorum præscientiam, quibusdam exhibitis sacris, per insomnia dari. qui mos talis erat, vt victimas cæderent: mox sacrificio perfecto, sub pellibus cæsarum ouium incubantes, somnia captarent, eáqué lymphatica insomnia verissimos exitus sortiri. [t] Posséntque pleraque felicitatis miseriarúmque exempla referri, illorum qui quales species in somniis viderant, tales postea exitus experti didicere: quæ exequi non opportunum reor. Hoc vtique inter couiectores somniorum receptum est, vt quæ [u] post vina & cibos, [x] quæve repetito somno eueniunt insomnia, quæve fiunt cum [y] folia ex arboribus decidunt, ea plerunque vana existimari: quo-

ANNOTATIONES.

d *Alter verò.*] Herodotos lib. 6.

e *Rursus quod Astyagi.*] Herodotus lib. 1. Valer. Max. lib. 1. cap. 7. vbi de Cyro loquitur, Iustinus item lib. 1.

f *Hoc nimirum Cyro.*] Herodot. eod. lib. 1. non longè à fin.

g *Id quod verissimo euentu.*] Herodotus lib. 3. Polyenus li. 7. Stratagematôn, Iustinus lib. 1. Ammianus Marcellinus lib. 23. Paulus Orosius lib. 1. cap. 9.

h *Xerxis visio.*] Herodotus lib. 7. vide item Diodorum Siculum.

i *Quod mater Octauij.*] Suetonius in Augusto, cap. 94.

k *Rursus quod idem Diuo Iulio.*] Sueton. in vita illius, c. 8.

l *Cum somnio Cambysis.*] Herodotus lib. 3.

m *Siquidem alter a Bruto.*] Scilicet Cæsar, ex Suetonio in vita illius, cap. 82. & Plutarchus etiam in vita illius.

n *Alter verò*] Scilicet Cambyses ex Herodoto.

o *Cum insomnio Iulij Cæsaris.*] Nihil Suetonius, sed tantùm de illo præcedenti somnio, nihilque Eutropius. Vide autem Dionem, Aurelium Victorem, Valerium de somniis, & Plutarchum in vita illius.

p *Sed animaduertendum.*[Quod exemplis sequentibus probatur.

q *Petitius nauis.*] Plutarchus in vita Pompeij.

r *Spectator quoque ludorum.*] Valerius Max. lib. 1. cap. 7. vbi de Atterio Rufo loquitur.

s *Illud vtique.*] Pausanias lib. 1. Vide Ciceronem lib. 1. de Diuinatione. De oraculo autem vt est somniorum species, Macrobius lib. 1. de somnio Scipionis cap. 5.

t *Posséntq; pleraque.*] Vt Somnium Pharaonis relatum Gen. cap. 41. Aliud filiæ Polycratis Samiorum tyranni apud Herodotum lib. 3. Aliud C. Fanoij apud Plinium lib. epist. 5. epist. eius lib. 5. ad Maximum. Aliud Pompeij Magni apud Lucanum lib. 7. Pharsaliæ in princ.

u *Post vina & cibos.*] Plato de republ. Cicero lib. 1. de Diuinatione non semel. Plinius lib. 10. cap. 75. eodémque vlt. Philostratus in vita Apollonij lib. 2. Apuleius lib. 1. Metamorph. Nec immeritò, inquit, quidam medici cibo & crapula distentos sæua & grauia somniare autumant, &c. Vbi vide Beroald.

x *Quæve repetito somno.*] Attamen verũ fuisse euentus comprobauit, quamuis repetito somno, quod Arcanum alter de suo comite somniauit, apud Valerium Max. lib. 1. cap. 7.

y *Folia ex arboribus.*] Virgilius lib. 6. Æneid.

----*Quam*

tiésque [z] alicui mente confusa stupentíque ex abrupto somnus aufugit, velut dirum, in magnam somniantis perniciem recisurum. [a] Illud quoque, haud abnuerim, apud conictores obseruatum fuisse, somnia & nocturnas visiones contrarios euentus sortiri: flereque, vapulare & iugulari obseruatum in somniis, prosperos euentus facere: contrà verò, ridere, dulcibus vesci, & re Venerea frui, damna & langores. [b] Timere autem à somno, mali, & futuræ ægritudinis signum est.

Somnia contrarios euentus sortiri.

ANNOTATIONES.

--- Quam sedem somnia vulgò
---- Vana tenere ferunt foliisque sub omnibus hærent.

Vbi & Seruius.

z *Quotiésque alicui mente confusa.*] Quod patet ex eo quod somniauit Nabuchodonosor. Daniel. c.2. & 4. Et de Astiagis somnio vide Herodot. lib.1.

a *Illud quoque haud abnuerim.*] Apuleius lib. 4. Metamorph. Cuius hæc verba sunt, Nocturnas visiones contrarios euentus nonnunquam pronuntiant. Denique flere, & vapulare, & nonnunquam iugulari lucrorum prosperúmq; prouentum nunciant. Contra ridere, & mellitis dulciolis ventrem saginare, vel in voluptatem Veneream conuenire, tristitiæ animi, languori corporis damnísque cæteris anxiatum Ire prædicant. Vbi vide Beroaldum.

b *Timere autem à somno.*] Alia autem de Somniis vide apud Cicer. lib.1. de Diuinatione, Valer. Maxim. lib.5. cap.7. Plin. lib.7. cap.50. Macrobium de Somnio Scipionis lib. 1. cap.3. Sed & vide somnium quodpiam Mithridatis apud Plutarchum in Pompeio. Nec interim omittendum quòd qui de interpretatione somniorum scripserunt, scilicet Antiphon, Philocias, Artemon, & Serapion Ascolanites asserunt, Laurum si dormientibus ad caput posueris, vera somnia esse visuros, quod ex illis repetit Fulgentius Mythologicon lib.1. vbi de lauro loquitur.

Qui Rex sacrificulus olim apud Romanos foret, quódve illi nomen, & qua sacra obiret.

CAPVT XXVII.

CVM [a] à principio vrbis multa & magna sacra Reges obirent, ad quos de religione, déque sacrificiis & cæremoniis deorum, sacerdotes sæpè consultum ibant: qui etiam rem diuinam facientibus aderant, ne bonis auspiciis cœptum cōfirmatúmque regium nomen, post exterminatos Reges aboleretur penitus, néve derelictis sacris regium nomen expeterent, longè antiquissimum rati, sacra quæ penes reges erant, alicui demandare: [b] Regem sacrificulum crearunt, qui sacrorum Rex dictus, sine regio imperio, solo nomine Rex, sacra quæ penes Reges erāt, obiret, ac cæremoniis præesset: quem creatum, aut in locum decedentis suffectum, sicut reliquos sacerdotes, inaugurari oportebat. [c] Erátque non annuum, sed perpetuum sacerdotium, immune ab omni belli tumultu. [d] Neque enim Rex sacrorum militare, stipendiáve facere, aut castris & legionibus præesse poterat, propter suspectum inuisúmque regium nomen, neque magistratum gerere, aut concionem habere, vel cum populo agere; namque eius potestas sola religione & tēplis tenebatur. [f] Primus enim Manius Papyrius ex patriciis, Bruto consule Rex creatus fuit: [g] cui ius sacrificandi & de sacris decernendi reliquerunt, [h] eúmque pontifici maximo subiecerunt: [i] ideo in sacris epulis, post maximum pontificē, supra flaminem Dialem, Martialem, & Quirinalem, accumbebat. [k] Atque licet à principio è populo citaretur ex patriciis & multis honoribus functis, post aliquot ætates à minore parte populi, selectis calatísque comitiis (quibus fiunt sacerdotes) ex plebe creari cœpit, tunc quum Maximus Curio plebeius homo, Rex sacrorū fuit: [l] cuius vxor regina sacrorum hoc habet proprium, vt quoties sacra facit, ex malo punico virgulam, quam miraculū dicunt, pro infula deferat: [m] quæ omnibus calendis Iunoni sacrum facere, eiq; porcum vel agnum mactare debet in regia. [n] Ad quem Vestales virgines die constituta annis singulis ventitare, & ne sacra negligerentur, quæ suæ fidei tutelæque credita erant,

Rex sacrorū & eius munus.

Manius Papyrius primus rex sacrorum.

Reginā sacrorū.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVII.

a *CVm à Principio.*] Id principium huius capitis vsque ad clausulam, Erátque non annuum, est Liuij 1. Decad. lib.2. post princ. & Dionysij Halicarn. lib.4. & iterum 5 post prin. Et vide super hoc etiam Plutarchum problem. cap.63. & Festum Pompeium li.17. Vbi sacrificulus, inquit, Rex appellatus est, qui ea sacra quæ Reges facere assueuerant, fecisset.

b *Regem sacrificulum.*] Sed & ipsum Regem sacrificum vocabant, vt videre est apud ipsum Liuium 4. Decad. lib. 10. vbi loquitur de Rege sacrifico sufficiendo in locum C. Cornelij Dolabellæ.

c *Erátque non annuum, sed perpetuum.*] Dionys. Halicar. d. li. 4. Vide item suprà in prioc. locis citatis.

d *Neque enim Rex sacrorum militare.*] Dionysius eod. loco.

e *Neque magistratum gerere.*] Hæc vsque ad clausulam, Primus enim, sunt Plutarchi problem. cap. 63. vbi rationem ponit.

f *Primus enim Manius Papyrius.*] Dionys. Halicarn. lib.5. in princ.

g *Cui ius sacrificandi.*] Festus Pomp. lib.17.

h *Eúmque pontifici maximo subiecerunt.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. post princ. vbi ius rei rationem reddit Dionys. Halicarn. lib.5. in princ. & Fenestella de Sacerd. cap.11.

i *Ideo in sacris epulis.*] Gellius lib.10. cap.15.

k *Atque licèt à principio.*] Liuius 3. Decad. lib.7. scribit C. Manilium Attelinum primum ex plebe creatum fuisse Maximum Curionem, cùm nemo ante eum nisi ex patribus id sacerdotium habuisset.

l *Cuius uxor.*] Festus Pompeius lib. 9. vbi de inarculo loquitur.

m *Quæ omnibus calendis.*] Vide Macrobium & Ouidium in Fastis.

n *Ad quem Vestales.*] Nam & Seruius enarrans illud Virgilij lib.10. Æneid.

—— Vigilásne Deûm gens.
Ænea l vigila. ——

Verba, inquit, sunt sacrorum. Nam Virgines Vestæ certa die ibant ad Regem sacrorum, & dicebant, Vigilásne Rex? vigila. quod Virgilius iure dat Æneæ quasi & Regi, & quem vbique & Pontificem, & sacrorum peritum inducit.

Regis sacrorum munus.

præmonere solebant. ° Erat ergo Regis sacrorum munus, quinto Idus Iannarias Iano arietem immolare, diésque fastos prædicere & nefastos, sacra procurare, & quæ sacrificio vsui essent ministrare. Ideo sacra facturi, lanam, farra & fruges, lauros & verbenas, quæque sacrificio opportuna sunt, Regem perunt, ad eúmque tam intra quàm extra pomœrium, populi ciuésque, quique in agris agunt, imperiti morum ciuilium, atque vnà agricolæ de sacris festísque diebus consultum vadunt, & sacra postulant. Ipséque feriarum causas, & quid quoque mense faciendum, à quibúsque caueodum esset, prædicebat, præmonebátque; cui hoc proprium dicunt fuisse, vt sacrificium in comitio peragat: quo perfecto, nulla cunctatione vel mora se ex foro proripiat: quando verò diuinis rebus perfectis in comitium venit, in fastis notabatur: p vtque calendis Martiis fores Regis sacrorum, flaminis & pontificis maximi, noua exornentur lauro, q sicut Palatinæ ædes & Augustæ quercus virides, nunquam lauros habuere. r cuius filiæ ad sacerdotium Vestæ inuitæ eligi nequeunt: nam priuilegio honoris ab hoc onere immunes erant: volentes verò, non vetantur. s Quæ autem eiusmodi sacra fuerint, solis Regibus credita, quóve piaculari sacro expiarentur, licet priscis monumentis perscriptum fuerit apud nostros tamen, quia nimis antiqua & obsoleta sunt, memoria obscurata, nec traditur certum, nec nobis interpretari facile est.

Quid proprie regi sacrorũ. Filiæ regis sacrorum.

ANNOTATIONES.

o *Erat ergo Regis sacrorum munus.*] Ex quo illud Ouidij lib. 1. Fastor.

Vtque ea nunc certa est: ita Rex placare sacrorum
Numina lanigera coniuge debet ouis.

p *Vtque calendis Martiis.*] Plin. quo loco modo citabimus, & Macrob. lib. 1. Satur. cap. 12. Ouid. item lib. 3. Fastor.

Neu dubites prima fuerint quin ante calenda
Martis, ad hæc animum signa referre potes.
Laurea Flaminibus, quæ toto perstitit anno,
Tollitur, & frondes sunt in honore noua.
Ianua tunc Regis posita viret arbore Phœbi,
Ante tuas iidem curia prisca fores.

q *Sicut Palatinæ ædes.*] Contra tamen Ouidius lib. 3. Tristium eleg. 1.

Cur tamen apposita velatur ianua lauro,
Cingit & Augustas arbor opaca comas?
An quia, &c.

Vbi vide interpretem, & lib. 1. Metam. vbi de lauro,

Postibus Augustis eadem fidissima custos,
Ante fores stabis, mediámque tuebere quercum.

Vbi vide eius loci interpretes. Et Plin. lib. 15. cap. 30. Laurus triumphus propriè dicatur, vel gratissima domibus ianitrix, Cæsarum Pontificúmque: quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat.

r *Cuius filiæ.*] Scilicet Regis sacrorum ex Fenestella in lib. de Sacerd. Rom.

s *Quæ autem eiusmodi sacra.*] Hæc vsque ad fin. sunt ipsius authoris. Adde autem ad superiora quòd Rex sacrorum occidi non poterat religione impediente, vt scribit Seruius enarrans eum locum lib. 8. Æneid.

Necnon Tarquinium eiectum Porsena iubebat
Accipere, &c.

Thusci vnde duxerint originem, quæve duodecim vrbes fuerint, quarum consilio bella gerebantur.

Capvt XXVIII.

Thusci terra & mari bellicosi.

Thuscorũ origo.

THuscorvm a gens olim celebris fuisse traditur, præpotens armis virisque siquidem plurimum illi terra, multum mari valuerunt, totámque Italiæ longitudinem, ab Alpibus ad fretum Siculum fama nominis sui impleuerunt: tantùm in re militari processere, vt Thuscorum armis & multitudine hominum, & quia finitimi vrbi erant, nulla apud Italos terribiliora fuerint. Illorum origo à Lydis fluxisse dicitur. nam quum Mæonia quondam agrorum sterilitate premeretur, neque alimẽtis sufficeret, eaque victus caritas foret, vt patrias sedes relinquere cogerentur: Lydorum Rex, superante multitudine, dimidiam populi partem sedibus excitam ad nouas sedes quærendas Tyrrheno filio tradere coactus fuit: cui prodigium factum est, vt ab ineunte pueritia incanuisse tradatur, qui nauibus mare ingressi, pulsis Vmbris, armata iuuentute loca tenuere, vbi nunc Tyrrhenia dicta est, Eósque etiam Thuscos, à Thusco Rege, qui ex prognatis Herculis fuit, seu à cultu deorum, & ritu sacrifico, cuius cultores Thyoscos Græci vocant, dictos plerique autumant. Hi ergo profecti domo, & maria emensi, ad ea loca nauibus delati, & bonitate agrorum, & disciplina militari magna sobole aucti, mirum est quàm facile coaluerint: quippe citra Apenninm duodecim magnis vrbibus præsidentes, mare inferum Tyrrhenum vocitarunt: quantúmque à Tiberi ad Macram tractus est. fines propagarunt: Trans Apennium verò totidem coloniis deductis, ab Adria ipsorum

ANNOTATIONES IN CAP. XXVIII.

a THuscorum gens.] Hæc omnia quæ de Thuscorum origine dicuntur, magna ex parte sunt Liuij 1. Decad. libro 5. Sed tu tamen super his vide Myrsilum in lib. de origine Italiæ & Tyrrhenorum, & Dionysium Halicarnasseum libro 1. ac Paterculum libro 1. Quibus & tu adde Seruinm in libro 2. Virgilij Georg. ad fin. enarrantem illud,

Sic fortis Hetruria creuit. ———

Iuxta, inquit, historiam, nam Thuscos constat vsque ad fretum Siculum omnia possedisse. Et ei quod postea de 12. ciuitatibus dicit præter locum dict. libro 5. post princ. & iterum postea, & alibi sæpe astruit. Et Virgilius lib. 8. Æneid.

Gens illi triplex populi sub gente quaterni.

Et Seruius in eundem lib. 2. eiusdem operis, ibi,

Quæ circum plurima. ———

Et lib. 8. ibi,

Sed tibi ego ingentes populos, &c.

b *Lucu*

colonia Adriaticum mare dixerunt: atque in principatus diuisi duodecim, [b] Lucumones vocabulo gentis dictos, id est magistratus, qui duodecim potentissimis vrbibus imperitarent, præfecere: indeque communi rege creato, singulas vrbes singulos lictores mittere seruatum est: sicut in conuentu Amphictyonum, à singulis vrbibus [c] Pylorus mittebatur, autumni & veris tempore. [d] Vnde Romani fasces, lictorem, trabeam, prætextam, curulemque sellam, togam pictam, & palmatam tunicam, tubas & sacrorum ritus, atque alia imperij ornamenta sumpsere. Cuius exemplo in Pamphilia & Licia [e] Lyciacus conuentus erat, ex tribus & viginti vrbibus maximi nominis, quarum suffragiis Lyciæ præfectus magistratusque creabantur: quarum maxima tria fert suffragia: media duo, reliquæ singula. Idque erat ratum, quod plurium assensu niteretur. Et [f] alter Achaicus ex decem. hæ fuerunt, Patræ, [g] Dymæ, Phara, Tritæa, Lenotia, Ægira, [h] Pellena, [i] Ceraunia, [k] & Carinia. Quarum suffragiis quæstor vnus, & dux vnus eligebatur. Cui [l] similem accepimus conuentum Tetrapolim apud Rhodios, Cabiræ, Bubonis, Balburæ, & Oenoandri, quarum singulæ singulis suffragiis valent, Cabira verò duobus. Sed quæ istæ duodecim vrbes Thuscorum, quæ aliis præcellebant, quæque nomina fuerint, haud facile compertum tradiderim: quantum verò coniectari, & ex authorum monumentis assequi licuit, fuere in primis [m] Mantua, quæ principatum Hetruriæ & præfecturas habuit: [n] deinde Tarquinij, à Tarconte præfecto vrbis: & [o] Vetulonia, quæ consularia ornamenta vrbi dedit: [p] Perusia, vbi Iuno Hetruscorum numen colebatur eximiè, oppidum armis virisque potens, & nulli inferius claritate: [q] Corytus & [r] Aretium, quæ ferme Hetruriæ fuerunt capita: Item [s] Cære, [t] quondam Agillina: [u] Veij vrbis natura situque in primis nobilis: [x] Fidenæ, [y] & Volsinium Hetruscorum opulentissimũ: quas validissimas olim Hetruriæ vrbes, & inclytæ fertilitatis fuisse, celebris fama est. [z] Clusium cui Carmasoli dixere nomẽ: [a] Item Volaterræ inter Hetruriæ vrbes longè maximæ. [b] Hi ergo communiter Rege creato, hostili imminente tumultu, siqua arma suscipienda aut detrectanda forent, vnanimi

Lucumones. Amphictyonum conuentus. Pyloris. Lyciacus conuentus. Achaicus conuentus. Tetrapolis conuentus. Duodecim Thuscorum vrbes excellentiores.

ANNOTATIONES.

b *Lucumones.*] Vide Liuium 1. Decad. lib. 1. & Caton. libro Origin.

c *Pylorus.*] Herodotus qui hos appellat Pylagoras lib. 7. & similiter Strabo lib. 9. Dionysius Halic. lib. 6. & li. 9. Diodor. Siculus lib. 16.

d *Vnde Romani fasces.*] Scilicet ex Thuscis ex Diodoro Siculo lib. 2. c. 5.

e *Lyciacus conuentus.*] Strabo lib. 14.

f *Alter Achaicus ex decem.*] Strabo lib. 8. dicit 12. Pellenã, Aegira, Aege, Bura, Helice, Aegion, Rhypæ, Patræ, Phara, Oenus, Dyma, Tritæa.

g *Dyma.*] Vt præter Straboneni vbi suprà ex Liuio patet 4. Dec. lib. 2.

h *Pellena.*] Ex eodem Liuio vbi suprà, dum loquitur de Rhisiaco Pellenensi, cuius filius Achæorum demiurgus erat.

i *Ceraunia.*] Rhypas hanc Ceranniam appellant, vt intelligitur ex Aeschilo, quem & ipse Strabo post citat,

Βοῦραν θ' ἱερὰν, ἠδὲ κεραυνίας ῥύπας.

Id est,

Buramque sacram, Ceranniasque Rhypas.

k *Et Carinia.*] Vnde Alexander hanc atque etiam Lenotiam posuerit inter ciuitates & conuentus, nunc non recordor. Scio autem præter ciuitates & ab eo & à Strabone nominatas Lacedæmonem ab Apuleio lib. 6. Metamorph. appellatam fuisse nobilem ciuitatem (vide ibi Beroaldum) fuisseque diu magnam contentionem inter Lacedæmonios & Achæos vtrùm Lacedæmon maneret in Achaico concilio, an secretum eius vnius in Peloponneso ciuitatis ius esset: tandem verò decretum fuisse à Senatu, vt maneret in eo ipso concilio Achaico, vt videre licet apud Liuium 4. Decad. lib. 9. Ex eodem autem Liuio eiosdem 4. Decad. libr. 8. Aegium esse huius conuentus: vti etiam tradit Strabo suprà in verbo, Dimæ, citatus, licet hic author eam ciuitatem non nominarit.

l *Cui similem.*] Hæc vsque ad clausulam, Sed quæ istæ, sunt Strabonis lib. 13. ad fi.

m *Mantua.*] Seruius lib. 10. Æn. in eum locum,

Ille etiam patriis. ——

n *Deinde Tarquinij.*] De hoc oppido Liuius 1. Decad. lib. 1.

o *Et Vetulonia.*] Myrsilus Lesbius in eo libello de origine Italiæ & Tyrrhenorum, Dionysius Halicar. lib. 5.

p *Perusia, vbi Iuno.*] Appianus libr. 5. bellorum Ciuilium. Hunc finem, ait, Perusia habuit vetustatis gloriam & dignitatis in se continens: quam ab Tyrrhenis lampridem in Italia conditam, inter 12. primas vrbes fuisse memorant, & ob id Iunonem Tyrrhenorum more ib ea coli solitam.

q *Corytus.*] Virgilius lib. 9. Æneid.

Nec satis extremas Coryti penetrauit ad vrbes.

Vbi vide interpretes & Catonem lib. de Originib.

r *Et Aretium.*] Dionysius Halic. d. lib. 3.

s *Item Cære.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. post princ. & lib. 4. in fine. & plerique eorum quos citabimus in sequentibus.

t *Quondam Agillina.*] Strabo lib. 5. Plinius lib. 3. c. 5. Seruius lib. 8. Aeneid. ibi,

Prope Cæritis amnem. ——

Et in eum quoque locum eiusdem lib.

Vrbis Agillinæ sedes. ——

Et lib. 10. in eum item locum,

Qui à Cærete domo. ——

u *Veij vrbis.*] Liuius 1. Decad. lib. 4. & alibi sæpe, Dionysius Halicar. lib. 9.

x *Fidenæ.*] Liuius in dictis locis.

y *Vulsinium Hetruscorum.*] Aut, vt alij vocant, Vulsinium. Plinius lib. 2. cap. 52. Volsinij, inquit, oppidum Thuscorum opulentissimum, ex quo etiam Propertius in eleg.

Thuscus ego, Thuscis orior, nec pœnitet, inter Prælia Volsinios deseruisse focos.

Nam & Volscorum ciuitas, siue hæc sit, siue alia, sub Hetruscorum quoque potestate erat, vt scribit Seruius enarrans illud lib. 11. Aeneid.

Non illum tectis, non vlla mœnibus vrbes Accepere. ——

Plinius item Secundus, si is est, de viris illustribus, capit. 36. dicit Volscinios Hetruriæ nobile oppidum. Vide item Plinium libro 3. capit. 5. & Pomponium Melam libro 2. cap. 4.

z *Clusium.*] Liuius 1. Decad. lib. 10. Ex quo hîc lege, Clusium, cui Carinas olim dixere nomen, & dele vocabulum Carmasoli. Dionysius item libr. 3.

a *Item Volaterræ.*] Dionysius Halicarnassens dicto libro 3. Sed his adde Vulturnum, quæ postea Capua dicta est fuisse Hetruscorum vrbem ex Liuio 1. Decadis libro 4. Et Capenatos ac Faliscos ex eo. eiusdem Decadis libro. 5. post princ. & Rusellanos ex Dionysio Halic. vbi suprà.

b *Hi ergo communiter Rege creato.*] Sunt propria verba Liuij de Hetruscis loquentis 1. Decad. libro 1.

Voltunæ phanum conſpiratione & concordi conſilio conferebant.[c] quod conſilium apud Voltunæ phanum Hetruſcę deæ in totius Hetruriæ medio habebatur.[d] fuit enim phanũ Voltunæ, prope Vulſinium, vt vulgo iactitant, haud procul à Ciminiis iugis: quippe in agro Vulſinienſi, quo facilior eſſet aditus, conuentus toti Hetruriæ, ſi quid conſulto opus foret, indicebatur. quod quidem nono quoque die indici ſolebat, & ob id crebra concilia, & nonas multiplices apud Hetruſcos inueniri tradunt. *Lydi.* Lydi autem ſunt,[e] qui quondam Mæones dicti, inter Phrygiam & Cariam ſeu Lyciam iuxta Mæandrum,[f] Hermus &[g] Pactolus viſendi fontes, qui arenas emittunt aureas,[h] ex Timoli rupe & monte Iro defluentes, vberrima loca inundant, frumenti & pecoris, atque agrorum vbertate florentia,[i] quibus in tota ferè Aſia nec fortior, nec magis ſtrenua gens vlla habita eſt: in qua vrbes inſignes,[k] Lepra,[l] Epheſus,[m] Colophon,[n] Clazomenę,[o] Phoca, &[p] Sardis Lydorum caput habitantque vicis pluribus.[q] Is verò Hermus Myſiæ initium facit, & (vt ferunt) ex mõte Dindymeno lapſus, campos vberes perlabitur.[r] In quibus Dianæ templum Colœnę, vbi diebus ſolemnibus ſimiæ ſaltare dicuntur: inde cum Pactolo in Phocaicum labitur mare.[s] *Flu. aureis arenis.* Flumina autem auriferis arenis celebria traduntur, Padus Italiæ, Pactolus Lydiæ,[t] Tagus in Iberia, Ganges in India, atque Hebrus in Thracia.[v] *Flu. gemmis celebria.* Gemmas verò mittunt, Aoſis, Mater, & Ganges.

ANNOTATIONES.

c *Quod conſilium apud Voltunæ phanum.*] Liuius 1. Dec. lib. 4. non ſemel, iterúmque lib. 5. atque etiam 6. poſt prin.

d *Fuit enim phanum Voltunæ.*] Idem Gyraldus de Diis Gentium, ſyntag. 4. in fi. vbi hunc noſtrum authorem non nominat, ſed tacitè illum citat.

e *Qui quondam Mæones dicti.*] Strabo lib. 13. & Plinius lib. 5. cap. 29.

f *Hermus*] Virgilius lib. 2. Georg.

—— Atque auro turbidus Hermus.

Et ibi Seruius, & Lucanus quo loco citabimus loco ſequenti, Martialis item lib. 8. epig. 77.

Non illi ſatis eſt turbato ſordibus auro
Hermus, & Heſperio qui ſonat orbe Tagus.

Et Solinus c. 43. & Seruius in 7. Æneid. ibi,

Aut Hermi campo. ——

Et lib. 12. ibi.

Pactolusque irrigat auro. ——

Sed neſcio quid id & ſequentia vſque ad fin. huius c. ad idipſum pertineat.

g *Et Pactolus.*] Herodotus lib. 5. Virgilius d. li. 12. vbi ſuprà. Strabo lib. 13. Horatius epod. Ode 15.

Su pecore, & multa diues tellure licebit:
Tibique Pactolus fluat.

Et ibi Acron & Porphyrion interpretes. Et Lucanus lib. 3. Pharſaliæ,

Paſſaque ab auriferis tellus exire metallis
Pactolum, qua culta ſecat non vilia Hermus.

Et Iuuenalis ſaty. 14.

Sed cuius votis modo non ſuffecerat aurum,
Quod Tagus, & rutila Pactolus voluit arena.

Et Silius lib. 1.

Hic certant Pactole tibi, Duriusque Tagusque.

Solinus item c. 53. & Maximus Tyrius ſer. 54. & Philoſtratus in vita Apollonij lib. 6. & Claudianus in 3. Panegy.

Diues Pactolus rutilas deſpumat arenas,

Et lib. 1. in Ruff.

Rudentis Pactoli aurea ſtagna.

h *Ex Timoli rupe.*] Legendum eſt Timoli, ex quo vt ſcribit Herodotus lib. 1. auri ramenta proueniũt. Euripides in Bacchis. ἀλλ᾽ ἀπ᾽ ὄντων τμῶλον, ἔρυμα λυδίας, &c. Strabo, à quo Alexander id accepit lib. 13. Pactolus, inquit, à Tmolo monte felici fluens olim multa auri ramenta deferebat, ex quo præclaras illas Crœſi & maiorum diuitias promanaſſe ferunt.

i *Quibus in tota Aſia.*] Scilicet Lydis ex Herodoto lib. 1. vbi ita ſcribit: Lydorum gente in Aſia nulla fuit nec fortior, nec magis ſtrenua.

k *Lepra.*] Hæc eſt, vt opinior, quam lepram actam vocat Strabo lib. 14. poſt prin.

l *Epheſus.*] Solinus cap. 43.

m *Colophon.*] Ibid. & Strabo lib. 14.

n *Clazomena.*] Strabo ibid.

o *Phoca.*] Idem Strabo eod. lib. tum in princip. tum poſtea, vbi tamen Phoceam appellat.

p *Et Sardis Lydorum caput.*] Strabo lib. 13. & lib. 14. Plutarchus in vita Solonis, & prob. c. 53.

q *Is verò Hermus.*] Strabo d. lib. 14. non adeò longè à fi.

r *In quibus Dianæ templum.*] Strabo d. libr. 13. vbi de his locis loquens: Ibi, inquit, Colœnæ Dianæ templum eſt quod in religione maxima habetur. Hoc in loco diebus ſolemnibus ſimias ſaltare dicunt.

s *Flumina autem.*] Hæc vſque ad clauſulam, Gemmas verò, ſunt Plinij lib. 33. cap. 4. poſt princ. vbi hos omnes fluuios auriferos nominat.

t *Tagus.*] Iuuenalis, Martialis, & Silius locis ſuprà citatis, vbi de Hermo & Pactolo locuti ſumus, & idem Iuuenalis ſatyr. 3.

—— Tanti tibi non ſit opaci
Omnis arena Tagi.

Et idem Martialis lib. epig. 17. & lib. 10. epig. 16. & Pomponius Mela lib. 3. cap. 1. Plinius lib. 4. cap. 22. Seruius in dictum locum lib. 10. Æneid. & ante hos Catullus epig. 27.

Quem ſcit amnis aurifer Tagus.

Sed his quinque auriferis fluminibus adde & Ozum in Bactris ex Ariſtotele, ſi eius ſit is liber cui titulus eſt περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων. cap. 4.

u *Gemmas verò.*] Plinius lib. 37. ca. 13. aut, vt alij diſtingunt, 17. eodémque vlt. vbi in quibuſdam codicibus idem dicit de Aceſino Fluuio, quem hîc author Aoſim corruptè appellat. Neque enim alibi vſquam legi fluuium huius nominis (vide Bocatium de fluminibus) ſed Aoi meminit fluuij ipſe Plinius libr. 3. cap. 29. vbi & eum quoque dicit vocari Æoo. Sed & Aceſini fluuij præter locum ſuprà citatum meminit idem Plinius lib. 4. cap. 12. & lib. 9. c. 20. & lib. 12. cap. 5. In aliis autem codicibus Plinij in d. cap. vlt. 37. Oaxis legitur, vbi in aliis (quod iam diximus) Aceſinos legitur, quæ dicto propiùs accedit ad eam quæ hîc Aoſis dicitur, vide autem num alibi legat de fluuio Oaxis.

ALEXANDRI AB ALEXANDRO IVRISPERITI NEAPOLITANI GENIALIVM DIERVM LIBER QVARTVS.

Locus ex Martiale cum Ioanne Veneto discussus, dum caloris incommoda sub vmbra fraxini propulsarent.

CAPVT I.

IN suburbanum suum, prædiolomen proximum in agro Vaticano Ioannes Venetus, vir ætate nostra multi nominis, & Græcarum litterarum facundia clarus, nos & complusculos honestissimos viros, æstate anni, quum omnes æstiuatum concederent, ad se aduocabat: in quo quidem rure præter mitissimum cœlum, quo præcipuè nitebat, & amœna diuerticula, visu iucunda, frondosum nemus manu consitum: & vmbrosa conuallis, per quam aquula per varias herbulas leni murmure vagabatur, nonnihil amœnitatis decorisque addebat, parabatque nobis interdum ipse cœnulam ex olusculis, & à se lectis herbis, facetoque nos sæpe conuiuio excipiebat: nonnunquam ficus biferas, & poma persica, cum acidis malis & immaturis, asperrimi gustus, quibus mirificè oblectabatur, bellaria exhibebat. Interim dum cœna apparabatur, sub fraxino patulis ramis, vnde prospectus ad vrbem erat, in lætissimo gramine consedebamus: inibique remittentes animum, festiuissimis quæstiunculis, luculentóque vario sermone, nonnunquam lectione authoris non inuenusti, caloris incommoda & flagrantem æstum propulsabamus, velut fuit vna die, quum nos vnà cum nonnullis earundem disciplinarum sectatoribus honestis adolescentibus ad vmbram, vt fit, in salubri aura vniuersi assideremus: iuuenis quispiam Martialis epigrammata, quæ forte secum detulerat, admodum venustè lectitabat: cumque ipsius authoris satis festiua carmina pleraque non sine multo lepore percurrisset,[a] tale inter cætera epigramma legebatur:

Quod nubis Proculina concubino,
Et mæchum modò, nunc facit maritum,
Ne lex Iulia te notare possit:
Non nubis Proculina, sed fateris.

Martialis Locus.

Quo perlecto, conuersus Ioannes ad Corelium virum doctum & sapientem, qui vnà aderat, & Neapoli Romam recens aduenerat: Quid tu, inquit, Coreli censes hunc authorem sentire voluisse, quum hanc mulierem, quæ veteris consuetudinis pertæsa, concubinum legitimum virum duxit, non nubere sed fateri adulterium dixit? Neque enim satis perspicere queo, in quo se adulteram fateatur, quum legibus inhibitam consuetudinem reliquerit, & legitimo potius coniugio copulari voluerit: quinimo vbi prius mœchando deliquisset, nunc venia digna foret, quæ explosa pessima vitæ consuetudine, ad legitimum matrimonium conuolauit. Cúmque ille se reputare dixisset, quòd ea mulier quæ in crimen suspicionémque venit cum aliquo mœchari, neque id exploratum satis aut palam factum est: si eiusmodi suspicione flagrans, concubinum virum duxit, suspicione procul sublata rem palam aperta professione efficere, & reatum suum confiteri, quippe quæ ortam adulterij suspicionem nuptiis confirmarit, & hoc poëtam intelligere se arbitrari respondisset: Quid si, inquit Ioannes, mulier hæc non in suspicionem venit, neque concubinatum diffitetur? siquidem non dissimulanter, sed perdito pudore palàm mœchata est. Et nunc pertæsa veteris consuetudinis, quum concubino coniugali nexu legitimè copulatur, quibus de causis ipsam profiteri reatum dicere possimus, non equidem video. propterea, inquit, aut author hic loquitur perperam, aut inuenustè, qui hos versus ad vnicum duntaxat modum perstrinxerit. Neque ego poëtam hunc tam inconsideratè loquutum arbitror, vt lepidum hoc epigramma vnica tantum specie, abstruso & recondito significatu concluserit, vt de ea solùm loqui censeatur, quæ adulterij suspicione flagrauit, non quæ palàm adulterata fuit, quum præsertim author hic habeat hoc proprium, vt nulla circumlocutione vsus, simplicissimis verbis iocos suos admodum venuste prosequatur. Et ad me conuersus, petiit, vt si quid aliter censerem, in medium afferrem. Tum

ANNOTATIONES IN CAP. I.

a TAle inter cætera epigramma legebatur.] Super huius epigrammatis intellectu, vide omnino quæ nos scripsimus in nostro tractatu, cui titulum fecimus, Cessante causa, cessat effectus. in prin.

b Lege

Maritalia in aper tus ac minime inquinatus *Lex Iulia de adul teriis.* *l. miles. § liceat. ff adleg. Iul. de adult.* ego, memini inquam, nisi fallor, [b] lege Iulia de adulteriis cautum fuisse, vt siqua mulier cum aliquo mœcharetur, eumque postea coniugali copula virum duxisset, siue veteris consuetudinis inhonestæ, siue criminis pertæsa: non propterea adulterij crimen, aut si quid esset offensum, dilui vel extingui, siue palam, siue clam mœchata fuisset, imò tanquã in confessum adulterij pœna lege exerceretur, & hoc iureconsulti censuerunt, legem Iuliam interpretati: nam commissum antea adulterium, cum quo se mulier postea matrimonio deuinxit, velamento matrimonij non extingui dixerunt, idque poetam non sentire me arbitrari respondi: vt si mulier hæc, seueritatem legis Iuliæ verita, ne pœna notaretur concubinum virum duxisset, hoc modo adulterij crimen eludere posse arbitrata, non dilui pœnam poëta inquit, sed plus negocij habere. quippe quum crimen illã confiteri certum sit: siquidem lex Iulia periode ream afficit, & supplicio dignam censet, ac si reatum suum & se adulteram fateretur: quòd vel hoc ipso confiteri visa est, quum fraudem admittere, & pœnam legis eludere conata sit. Etenim *Multa capita legis Iuliæ.* multa fuisse capita legis Iuliæ, apertè liquet: neque enim [c] temeratores solum nuptiarum, capitis lex Iulia accersiuit, sed & eos qui neque modo, neque iure legibus tradito, [d] ab vxore diuertunt, graui pœna prosequitur. Quinetiam [e] qui dotale prædium inuita vxore alienat, [f] aut qui turpibus libidinibus, vel impudico vitio se immiscet, pœnam legis Iuliæ nõ euadit. Fuere enim multiplices leges Iuliæ *Multiplices leges Iuliæ non eodē tempore latæ* non vnis latæ temporibus, [g] vt de maritandis ordinibus, [h] lex Iulia muneralis, qua modus impensarum conuiuiis præfinitur: [i] Iulia peculatus, [k] Iulia ambitus, [l] repetundarũ nque pecuniatum, quas à prouincialibus quispiam nequiter extorsit: [m] quam L Piso Frugi de pecuniis repetundis primus tulit in eos qui ærarium, vel prouinciarum pecunias, aut dona depeculati sunt: [n] de anoona, de [o] residuis, de [p] vi publica, de [q] veneficiis: vt si quis noxio poculo, aut impuris medicaminibus aliquem fuerit insectatus: [r] & maiestatis, quæ quidem lex in eos qui contra principem aut rempub. hostile quippiam moliti fuerint, grauiter animaduertit. Lege [s] quoque Iulia, quid in prouinciam eunti magistratui, aut præsidi à sociis tribui darique oporteat, præfinitur; nam præter fœnum, tectum & ligna, aliud gratis nihil deberi putauit [t] Eademque lege, cui ex consulibus prius fasces sumendi potestas sit, haud perplexè *Criminis adulterij & maiestatis punitio.* definitur: præterque ista hominum vitæ proficientia, eadem lege, multa acri & perpenso iudicio animaduersa fuere. Sed inter reliqua legis Iuliæ constituta, nulla (vt verum eloquamur) seueriori animaduersione coercita sunt, quàm adulterij crimina & † maiestatis. His enim criminibus obnoxios ita lex

ANNOTATIONES.

b *Lege Iulia de adulteriis cautum.*] In hoc omnino vide. l. miles. §. licet. & l. quæsitum. ff. de adulteriis. & l. commissum. C. eod.

c *Temeratores nuptiarum.*] De pœna adulterij, vide omnino quæ scripsimus in nostris legibus Connubialibus.

d *Ab vxore diuertunt.*] Vnde id caput legis Iuliæ acceperit ignoro.

e *Qui dotale prædium.*] In l. 1. & l. 4. & lege Iulia. & l. si fundum. ff. de fund. dota.

f *Aut qui turpibus libidinibus*] Suetonius in Augusto cap. 34. cum dicit de impudicitia, nam eam legem & cæteras quas ibi nominauit Iulias à patre Iulio Cæsare vocauit, & de his quoque quibusdam Horatius intellexisse videtur eùm scribit Car. lib. 4. Ode 5. Augustum laudans,

Mos & lex maculosum edomuit nefas.

Quamuis interpretes ibi intelligant de lege Iulia de adulteriis, sed satis hanc terigerat, cùm versu præcedenti dixisset, *Nullis polluitur casta domus stupris.* Vt non necesse fuisset addere, Mos & lex, &c. Et quod hæ fuerint duæ leges, facit, quod Suetonius veluti separatim de his loquens ita scribat d. cap. 34. Et de adulteriis & de impudicitia, vt facile credam interpretibus eius loci, qui intelligunt hanc posteriorem latam fuisse aduersus pathicos, qui scilicet muliebria patiuntur, vti & hic noster author intellexisse videtur.

g *Vt de maritandis ordinib.*] Apuleius Apolog. 2. Suetonius in Augusto, cap. 34. & Vlpianus in l. 1. §. ii liberta. ff. vnde vir & vxor.

h *Lex Iulia muneralis.*] Credo, hanc legem intellexisse quam Suetonius vbi suprà sumptuariam appellaunt. Nam de hac loquens Gellius lib. 2. cap. 24. scribit eam ad populum peruenisse imperante Cæsare Augusto. Erat item & alia lex muneralis de qua vide quæ scripsimus in Commentatis Nobilitatis, c. 29. nu. 19.

i *Iulia peculatus.*] Huius habemus rub. peculiarem ff. ad leg. Iuli. pecul.

k *Iulia ambitus.*] Huius quoque, ff. & C. ad leg. Iul. amb. Suetonius item vbi suprà.

l *Repetundarumque.*] Et huius item ff. & C. ad leg. Iul. rep. Et ipsius meminit Cicero in Oratione in Vatinium, & in Oratione pro Sextio, & in Oratione in L. Pisonem.

m *Quam L. Piso Frugi.*] Cicero in Bruto libro de claris Oratoribus, & lib. 2. Offic.

n *De annona.*] Sed & huius ff. ad legem Iul. de annona.

o *De residuis.*] Quod est in illo ipso tit. ff. ad leg. Iul. pecul. & de sacril. & de residuis, sub quo sunt peculiares ll. huius l. vbi licet l. 2. cuius initium est lege Iulia de residuis. & l. lege Iulia peculatus. & l. Iulia de residuis. & l. cum eo. in fi. & l. vlt.

p *De vi publica.*] ff. & C. ad leg. Iul. de vi publ.

q *De veneficiis.*] Nescio vnde hanc legem Iuliam de veneficiis sumpserit. Nam pœna horum tribuitur legi Corneliæ, vnde extat tit. ff. ad leg. Cornel. de sicar. & venef. sunt leges multæ sub eo tit. nuncupatim de ea loquentes, videlicet l. 1. in princ. & l. eiusdem in prin. quæ lex expressim loquitur de pœna veneficiorum, & §. legis Corneliæ.

r *Et maiestatis.*] ff. & C. ad leg. Iul maiest.

s *Lege quoque Iulia.*] Cicero ad Atticum lib. 5. epist. 16. Scito, inquit, non modo nos fœnum, & quod l. Iulia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem, nec præter quatuor lectos & tectum quenquam accipere quicquam: multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerunque. (vbi vide interpretem.) Gellius item lib. 2. cap. 15. Sed his Iul. ll. adde & aliam legem Iul. Theatralem in 14. ordinibus sedendo. apud Plinium lib. 33. cap. 2 Et legem Iuliam, publicorum iudiciorum ex l. 2. in prin. ff. de custod. reor. vbi vide Pandect. Florentinas, & legem Iuliam, Agrariam. de qua Cicero epist. ad Atticum lib. 2. epist. 1. & Velleius Paterculus li. 2. & legem Iuliam qua ciuitas data est vniuersis Latio apud Gellium li. 4. cap. item 4. authoritate itẽ Seruij Sulpitij in li. quem scripsit de dotibus, & Neratij in lib. de nuptiis.

t *Eademque lege.*] Gellius lib. 2. c. 15.

† *Maiestatis.*] Maiestatis reus non tantùm gladio vltore perit, bonis fisco addictis, iuxta l. quisquis. C. ad l. Iuliam maiest. sed & memoria ipsius post mortem damnatur. l. meminisse. & l. fi. C. eo. §. publico autem iudicio. Iustit. de publ. iudic.

u *Vt leu*

punit & prosequitur,[u] vt leui suspicione astrictos, tanquam reos deputet & conuincat. Quam quidem [x] post Argiuum Hiectum, qui primus in adulteros legem sanxit, [y] diuus Iulius,[z] mox Augustus aliquāto enixius pertulere, grauique coercitione & multiplici pœna adulteria coercuere.[a] & Tiberius pœnam grauiorem adulteris sanxit, quòd amicitiæ fœdus ab his corrumpi putaret, adeo vt etiam propinqois adulteræ vltra ducentesimum lapidem exilium indixerit.[b] Domitianus quoque, & post illum [c] multi Cæsares, Iuliam legem nouis editionibus innouarunt: ita [d] vt diuus Seuerus non solum pœna teneri illum, qui in nuptam adulterium admisit, edicto cauerit, sed qui in sponsam: quia nec qualemcunque speciem matrimonij violare fas est.[e] Sicut incestum admittere lex putauit illum, qui stupra virginum matronarumqúe attentasset, etiam sine stupro.[f] Apud Indos vero,[g] Æthiopes,[h] Massagetas, barbarasque nationes, impunita adulteria fuere.[i] Lacedæmonij adulteria non nouerunt: ideo Lycurgi lege in adulteros nulla pœna fuit.[k] Solon verò, vt ab adulteriis cohiberetur iuuentus, coemptas meretriculas Athenis prostituir primus, obuiasque in Venerem esse voluit, ne matronarum contagio polluerentur.[l] Troglodytarum lex erat, vt qui tyranni vxorem corrumperet, oue mulctaretur.[m] Nomades communes habent vxores & filios.[n] apud Scythas, præter ensem & cyathum, vxores & liberi in communi sunt.[o] Thracibus in vsu est, non asseruare virgines, sed cum quibus libitum est, commiscere licet: in nuptas vero si quid esset offensum, grauissimæ animaduersionis pœna constituta.[p] In Tenedo lege erat sancitum, vt adulteri mas & fœmina capite mulctarentur.[q] Apud Athenas mugile plectebantur,[r] aut sedes expilabatur, cui supplicio paratilmos nomen:[s] in Iudea lapidibus obruuntur.[t] In Attide qui alterius vitiasset vxorem, raphanis per obscœna afficitur, vt ea ignominia notatus, à contagio alienæ vxoris abstineret.[u] Cumæi in adulterio deprehensam, omnibus exhibent subigendam.[x] Apud Germanos adulteram excisis crinibus maritus expellit domo, & per omnem pagum nudam verbere afficit.[y] Sicut Lepræi qui deprensos mœchari, per triduum vinctos ducunt per compita.[z] Gortynis deprensus adulter, lana coronatur, in reliquum vitæ ignominiosus.[a] Apud Pisidas insidens asino circunducitur. apud [b] Ægyptios naso plectitur. Illi vero qui libertam violasset, virilia exsecantur. Quod à Romanis quoque vsurpatum legimus:[c] nam Bibienus Carbonem

In sponsam adulterium, incestus. Stuprum. Quæ gentes adulterium non puniebant. Solon meretricum remedio adulterij prostituit. Troglodyta. Nomades Scythæ. Traces. Tenedij. Athenienses. παρατιλμός. Iudæi. In Attide. Cumæi. Germani. Lepræi. Gortyni. Pisidæ. Ægyptij. Romani.

ANNOTATIONES.

u *Vt leui suspicione astrictos.*] Vnde hanc legem suspicionem in crimine adulterij acceperit nescio, nisi fortè ex l. si qui adulterij. C. ad leg. Iul. de adulter. de qua multa diximus in nostris Commentariis, Cessante causa, cessat effectus. in princ. vide tamen totum tit. de adult. Sed nec quantum ad crimen læsæ maiestatis, vlla lex est quæ ex sola suspicione reum puniat: nec id rationi aut iuri congruit, sed potiùs quo grauius atrociúsque id crimen est, grauius ideo & acerbius vindicandum est, & in noxium ipsum, & in liberos, & in familiam, eò illius probatio clarior & certior esse debet arg. l. vlt. C. de probat.

x *Post Argiuum Hiectum.*] Hyctum legendum est ex Pausania, cuius id est lib. 9.

y *Diuus Iulius.*] Id quidem dicit Alexander propterea, quòd lex Iulia dicta est, sed eam sanctuit Augustus, vt modo dicetur.

z *Mox Augustus.*] Suetonius in Augusto, c. 39. Plutarchus in Apophtheg. & Vlpianus in l. 1. ff. ad leg. Iuliam de adult. Vide item nostras leges Connubiales l. 13. nu. 16.

a *Et Tiberius.*] Cornel. Tacitus lib. 2.

b *Domitianus quoque.*] Martialis lib. epig. 6. epig 2. 4. & 7.

c *Multi Cæsares.*] Vt patet ex tit. ff & C. de adult.

d *Ita vt D. Seuerus.*] Referente Papiniano in l. si vxor. §. Diui Seuerus & Antoninus. & §. si minor. ff. ad leg. Iu. de adult.

e *Sicut incestum.*] Nescio quid hic velit dicere: nisi sit id quod scribitur in l. si quis non dicam. C. de episc. & cler.

f *Apud Indos.*] Strabo lib. 15. sed vide nostras leges Connubiales c. 7. no. 58. incip. quid quod.

g *Æthiopes.*] Non quidem omnes, sed Garamantici, quos alij Garamantes simpliciter vocant ex Pomponio Mela lib. 1. cap. 8. Plinio lib. 5. cap. 8. Solino cap. 39. aut aliorum computo 43. & vide nostras leges Connub. l. 7. incip. & vt ad alia.

h *Massagetas.*] Herod. lib. 1. ad fin. Strabo lib. 4. & 11. Aelianus lib. Animalium 5. & diximus in dictis legibus Connubia lib. lib. 7. nu. 53. incip. sed vt ad cæteros.

i *Lacedæmonij.*] Plutarchus in Lycurgo, & in Apophthegmatis ipsius.

k *Solon verò.*] Philemon in Delphis & Nicander Colophonius, & ex iis Athenæus in Dipnosophistis lib. 3. cap. Vide Plutarchum in vita illius, vbi & versus ipsius Philomenis in eam rem ascribuntur.

l *Troglodytarum.*] Diodorus lib. 4. cap. 4. & Strabo lib. 16.

m *Nomades.*] Strabo lib. 7.

n *Apud Scythas.*] Eodem lib. 7.

o *Thracibus.*] Herod. lib. 5. ad princ.

p *In Tenedo.*] Heraclides in Politicis & Stephenus de vrbibus.

q *Apud Athenas.*] Non quidem in ipsa vrbe apud Laciadas aut, vt alij vocant, Placiadas Atticæ populos apud Plutarchum, quisquis is est, in Collectaneis Adagiorum, & Suidam. Et de hac pœna Catullus ad Aurelium epigram. 15. aduersus mœchos,

Ah tum te miserum, malique fati,
Quem, attractis pedibus, patente porta,
Percurrent raphanique mugilesque.

Iuuenal. satyr. 10.

..... Quosdam mœchos & mugilis intrat.

r *Aut sedes expilabatur.*] Ex Aristophane in Pluto,

ὁ δ' ἄλλος γε μοιχὸς διὰ σέ που παρατίλλεται.
Alius autem captus mœchus propter te depilatur.

s *In Iudea.*] Ex legibus Mosaicis Leuitici ca. 20. Ante autem eas leges cremabantur, vt videre est ex Genesis cap. 38. vbi de Thamar & Iuda.

t *In Attide.*] De hac pœna etiam Aristophanes in Nebulis δίκαιος λόγος loquitur:

τί δ' ἢν ῥαφανιδωθῇ τέφρᾳ τε τιλθῇ,
ἕξει τινὰ γνώμην λέγειν, τὸ μὴ εὐρύπρωκτος εἶναι;

Cui ἄδικος λόγος ita respondet:

ἢν δ' εὐρύπρωκτος ᾖ, τί πείσεται κακόν;

u *Cumæi.*] Plutarch. in problem. c. 115. vbi tamen non subigendam, sed spectandam dicit.

x *Apud Germanos.*] Cornelius Tacit. in Moribus Germanorum.

y *Sicut Lepræi.*] Heraclides in Politicis.

z *Gortynis.*] Ælianus lib. 12. variæ historiæ.

a *Apud Pisidas.*] Nicolaus περὶ ἐθῶν, & ex eo Strobæus sermone 42.

b *Apud Ægyptios.*] Diodorus Siculus libro 2. capite 3.

c *Nam Bibienus.*] Valerius Max. lib. 6. c. 1.

d Et

deprensum, fœdum in modum castrasse dicitur.[d] Et apud Græcos Didymos tibicen testiculis suspensus, ex nomine mulctam tulit.[e] Zeleucus Locrensis vtroque oculo mulctauit adulterum. [f] Et Sempronius Musca C. Gallum flagellis cæcidit, & verbere affecit [g] Parthi nullum delictum adulterio grauius vindicant [h] Lege autem Solonis deprensum mœchum interimere licebat, [i] quod Platonis lege cauebatur. Inter cæteros [k] Opilius Macrinus adulteros tam perniciali odio prosequutus fuit, vt deprensos ignibus cremaret. [l] Apud Arabes aliásque nationes adulteris semper capitis pœna fuit: quod plerique philosophi prodidere, [m] qui adulterium periurio grauius crimen censuerũt, & ideo seueriori pœna vindicandum. Neque enim satis constans aut probabilis illorum mihi opinio visa est, qui in constituendo optimo reipub. statu, communes statuêre vxores, [n] quæ Platonis, [o] Zenonis, [p] Crysippi [q] & Diogenis opinio fuit, quum inde intestina odia offensionésque gignantur. [r] Tradunt vero magos nulla lege, sed nouo commento adulteria vindicare, vt surculus per tanæ viscera ad os trãnsfixus in menstruis vxoris desigatur à marito tunc enim vxorem fastidire adulteria, & illorum tædio affici, pro certo opinati sunt. Cui haud absimile est quod Aristoteles prodit, in Phasi flumine arbusculam nasci, cuius ramus excerptus à viro, & in vxoris thalamum immissus, efficit ne vxor alium virum appetat. Mirúmque prodi [s] apud Hebreos, vt aqua epora, in qua sacra verba diluta erant, adulterij conscia hydropisi corripiatur. [t] Veteri tamen scito apud Romanos cauebatur, vt maritus vxorem in adulterio deprensam, impunè necaret: [u] illa tamen si vir adulteraret, iudicio agere non posset. Hac ergo de causa, quantum mihi datur cernere, inquam, existimo poëtam hanc ream criminis deputare voluisse, quæ vt pœnam legis euaderet, illum cum quo mœchabatur, in virum duxit, eamque veluti reã adulterij, sicut lege Iulia diffinitur, coerceri decere. neque velamento matrimonij crimen dilui vel extingui. His nos quæstiunculis & aliis festiuis sermonibus dum cœnulam nobis daret, cum Ioanne Veneto caloris incommoda & æstus iniuriam propulsabamus.

Parthi. *Lex Solonis.* *Arabes.* *Magi.* *Arbuscula in in vna si aduersus adulterum.*

ANNOTATIONES.

d *Et apud Græcos Didymos.*] Laërtius in Diogene.
e *Zeleucus*] Valerius Maximus lib. 6. cap. 5. vbi de Iustitia & Ælianus de varia historia lib. 13.
f *Et Sempronius Musca.*] Valerius Maximus eod. lib. c. 1. vbi hunc Musicam appellat, & C. Gallium hunc ita verberatum vocat.
g *Parthi.*] Iustinus lib. 41.
h *Lege autem Solonis.*] Plutarchus in vita illius, & Lysias in defensione necis Eratosthenis adulteri.
i *Quod Platonis lege.*] Vnde id acceperit nescio: illud scio ipsius Platonis ll. adulteros infames, & omnibus ciuitatis honoribus indignos esse, vt scribitur lib. 8. de legibus.
k *Opilius Macrinus.*] Iulius Capitolinus in vita illius.
l *Apud Arabes.*] Strabo libro 16. Eusebius Præparationis Euangelicæ lib. 6. cap. 8.
m *Qui adulterium periurio grauius.*] Thaletis enim Milesij hæc fuit sententia. Nam percuntanti adultero, an iuraret se non commisisse adulterium, Non est, inquit, periurium adulterio grauius, ὁ χείρων μοιχείας ἐπιορκία. vt tradit Laërtius in vita illius. Et vide nostras leges Connubiales, l. 13. num. 26. incip. Ex his autem.
n *Quæ Platonis.*] Apud ipsum Platonem de republ. lib. 5.
o *Zenonis.*] In lib. de Republ. apud Laërtium in vita illius.
p *Crysippi.*] Ἐν τῷ περὶ πολιτείας λόγῳ, apud ipsum Laërtium in vita illius.
q *Et Diogenis.*] Idem Laërtius in vita illius.
r *Tradunt verò magos.*] Id ex Plinio est lib. 32. cap. 5.
s *Apud Hebræos.*] Vt patet ex Numerorum cap. 5. paulo ante fi.
t *Veteri tamen scito.*] Gellius ex Catone libro 10. cap. 23. & nostris quoque legibus permissum: sed non passim nec quélibet, vt scribitur in l. marito & l. si adulterium. §. imperatores. ff. ad l. Iul. de adult. & in l Gracchus. C. eod tit.
u *Illa tamen.*] Gel. vbi supra, & l. 1. C. de adult. & vide quæ nos scripsimus in nostris legibus Connub. l. 1. nu. 41. incip. hinc item fit, & seq.

Quæ apud Romanos fuerint militaria signa, quæ apud exteros, quóve pacto educi consueuerint, & quid tessera, quid vexillum sit. CAPVT II.

SIGNA militaria quæ exercitum præire consueuerant, cum acies educẽdæ, & manus cum hostibus conferendæ forent, à principio [a] fœni manipulos fuisse accepimus, quos hastis alligatos signiferi deferre, & illis præeuntibus decernere solebant: [b] vnde & manipulares dicti. Aucto mox imperio, propagatísque finibus, quinque signa ex ærario depromi, & militum acies ac legiones præire assuerant, [c] Hæc fuerunt, aquilæ, lupi, minotauri, equi & apri simulacra: quibus præeuntibus legiones educere, & ferro decernere mos erat: inter quæ apri effigiẽ quintum renuisse locum accepimus. Sed tamen cum dimicãdum foret, [d] sola aquila quæ ordines præiret, è castris

Manipulares vnde. *Signa quinque militaria ex ærario.*

ANNOTATIONES IN CAP. II.

a *Fœni manipulos.*] Plutarc. in Romulo & Seruius lib. 11. Æneid. in eum locum,
Disiectíque duces, desolatique manipli.
b *Vnde & manipulares.*] Qui scilicet huiusmodi manipulos deferebant. Ouid. lib. 3 Fast.
Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Vnde maniplaris nomina miles habet.
c *Hæc fuerunt.*] Hæc vsque ad clausulam, Sed tamen. sunt Plinij libro 10. capit. 4. Sed & de Minotauro Vegetius libro 3. cap. 6. vbi ita scribit, Tutissimum in expeditionibus creditur facienda nesciri. Ob hoc veteres Minotauri signum in legionibus habuerunt, vt quemadmodum ille in intimo & secretissimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis consilium semper esset occultum. Verùm Festus Pompeius lib. 14. loco apri, porcum ponit in quinto loco:
d *Sola aquila.*] Plinius lib. 10. c. 4. & Iosephus de bello Iudaico lib. 3. c. 5.

e Hæc

educebantur, & sub eo vexillo pugnabatur: reliquà vero in castris ante prætorium fixa locabantur. [e] Hoc enim insigni Iouem aduersus Titanas vsum ferunt, inde ad Cretenses, à Cretensibus ad Troianos, demum in Latium ab Ænea translatum defluxisse: quo postea Romani velut præcipuo vexillo in bellis vsi sunt. [f] Propius vero est, quòd Ioue dimicante contra Saturnum, aquilæ augurio tanquam felici & fortunato, regni victor euasit: quo exemplo Romani aquilam velut auspicatissimum signum habuere, quam vnam habuisse non satis fuit: ideo plures educere institutum erat, ita vt [g] singulas legiones aquilæ anteirent. [h] Obseruatumq; est, vt Romanæ legiones nisi vbi aquilatum iugum foret in castris, nunquam ferè hybernarent. Seuerissimáque disciplina cohortes, quarum desidia signa amissa forent, plectebantur. [i] C. deinde Marius bello Cimbrico, reliquis depositis militaribus signis, solam aquilam tenuisse fertur: eámque argenteam magis quàm auream habuisse, quòd fulgentior ex argento atque conspectior foret: quam tanta religione coluere, vt [k] festis illam diebus, vnguentis haberent delibutam: [l] miræque obseruationis erat, vt Romana signa, quæ in castris ante prætorium figebantur, non ante euellerentur quam acie dimicandum foret, quàm captatis auspiciis legiones in prælium prodirent. prælia enim maiores nostri nunquam gerebant [m] nisi auspicatò. [n] Quæ, si quum foras educi deberent, facili ductu euellerentur, & leuia translatu forent, prosperrimi augurij & indubitatæ erat victoriæ signum: contrà vero, si in eximendo, magno impulsu opus foret, tunc cladem & excidium futurum haud dubiè præmonstrabant. [o] Cúmque in conflictu bellorum manus conserebant, ipsa militaria signa in media locabantur acie, vt pro signis antesignani, post signa alia pugnaret acies: nonnunquam in prima fronte multiplici subsidio firmata, præibant ordines. [p] Persis quoque aurea aquila supra oblongam hastam patentibus alis militare signum fuit: [q] nonnunquam Solis simulacrum, [r] sacerque & æternus ignis, [s] Atheniensibus noctua, [t] Thebanis sphyngis effigies, Ææ insulę marina turtur, [u] Cimbris ęneus taurus, [x] Eumeni Ceres & Alexander, [y] Cratero & Neoptolemo Minerua, militię signum in bello notabatur. [z] Cyrus aureum gallum affixum lanceę, militi in acie pro vexillo dedit. [a] Fertur Osiris canem gestasse pro insigni armorum. [b] Et Porus Indorum rex Herculis simulacrum, quod deseruisse, militare flagitium habebatur. [c] Indis autem regibus sępius nulla imago aut effigies, sed tintinnabula & tympanum pręcedunt. [d] Ægyptij quoque animalia quę colunt, efficiis

Vnde aquila signum apud Romanos. *C. Marius omissa aquila signo solo vsus.* *Aquila religione culta.* *Auspiciis captis ante prælium.* *Locus signorum in ipso conflictu.* *Persarum signa.* *Atheniensium.* *Thebanorum.* *Ææ insulæ.* *Cimbrorum.* *Eumenis.* *Crateri.* *Neoptolemi.* *Cyri.* *Osiris.* *Pori.* *Indorum.* *Ægyptiorum.*

ANNOTATIONES.

e *Hoc autem insigni.*] Cæsar in Commentarlis Arati & ab eo Lactantius libr.1.cap.11.& Fulgentius lib.2. Mythologicôn, vbi de Ganymede loquitur.

f *Propius verò est.*] Fulgentius vbi suprà, & Seruius enarrás illud Virgilij lib. 9. Æneid.

Qualis vbi aut leporem, aut candenti corpore cygnum
Sustulit alta petens, pedibus Iouis armiger vncis.

g *Singulas legiones aquila anteirent.*] Vegetius de re militari lib.2.c.6. de prima cohorte. Hæc enim suscipit aquilã, quòd præcipuum signum est in Romano semper exercitu, & totius legionis insigne.

h *Obseruatumq; est.*] Plin.lib.10.cap.4. Ex eo notatum, non ferè legionis vnquam hybernasse castra, vbi aquilarum non sit iugum.

i *C deinde Marius.*] Plutarch. in vita illius. Sallustius in Iugurtha. Plin lib.10.c.4.

k *Vt festis illam diebus,*] Plinius lib. 13. cap 3. Aquilæ certè ac signa, puluerulenta illa & custodiis horrida, inunguntur festis diebus.

l *Miraq; obseruationis.*] Virg.lib.11. non longè à princ.

— Vbi primum vellere signa
Annuerint superi, pubemq; educere castris.

Vbi Seruius, Vellere, inquit, propriè dicit, quia Romana signa figebantur in castris: & cùm ad bellum eundum fuisset, captatis auguriis euellebantur è terra, nam alibi ea figi non licebat, sed inter auguria etiam hoc habebatur, si auellentem facile sequerentur, adeò vt cum filio in Arabia Parthico bello sit Crassus occisus, qui iturus ad prælium auellere signa vix potuit.

m *Nisi auspicatò.*] Cicero lib. 2. de Diuin. Liuius 1. Dec.lib. 1.& 3. Decad.lib.2. non multò post princ.

n *Quæ si cum foras.*] Hæc vsque ad clausulam, Cúmque in. sunt Ciceronis lib.1. atque iterum 2. de Diuinat. & Liuij 3. Dec.lib.1. post prin. Et ad id quoq; referri potest illud Virgilij adductum suprà in verbo, Miræque obseruationis. vbi Seruius id quoque expendit. Cæterùm Appianus in bello Parthico tradit Crassum iturum ad bellum aduersus Parthos euellere signa nequiuisse, ibique ipsum occisum fuisse. Quod & ipsum propemodum tradiderunt Plutarchus in vita illius, & Dion in Pompeio. Et aliud non dissimile prodit Paulus Orosius libr. 7. cap. 6. Furius, inquit, Camillus Scribonianus, Dalmatiæ legatus, bellum ciuile molitus, legiones multas fortissimásque ad sacramenti mutationem pellexerat. Itaque die dicto, vt in vnum vndique ad nouum Imperatorem conueniretur, neque aquilæ ornari, neque conuelli quoquo modo signa mouerive potuerunt. Itaque vt continuò pòst subdit, Scribonianus quinto post die interfectus est. Sed Suetonius in Claudio, cap. 13. hoc ipsum antè scripserat.

o *Cumq; in conflictu.*] Liuius 3. Decad.lib. 2. non multo post princ. in pugna, quæ fuit ad Thrasimenum lacum, cuius sunt verba hîc posita ab illis verbis, Vt pro signis.

p *Persis quoque,*] Xenophon Pædiæ Cyri libr.7. post princ. & iterum lib. 1. Expeditionis Cyri minoris.

q *Nonnunquam Solis.*] Q. Curtius lib.3. & Tertullianus in Apologetico, cap. 16.

r *Sacerque & æternus ignis.*] Strabo libro 15. non multò ante finem. & Q. Curtius libro 4. & Procopius libro.2. belli Persici.

s *Atheniensibus.*] Plutarchus in Lysandro. vide Adagium, Noctuas Athenas.

t *Thebanis Sphyngis effigies.*] Vide Plutarchum in Pelopida, & Probum Æmylium in Epaminunda.

u *Cymbris æneus taurus.*] Plutarch. in Mario.

x *Eumeni Ceres & Alexander.*] De vtroque Plutachus in vita ipsius Eumenis.

y *Cratero & Neoptolemo Minerua.*] De vtroque item Plutarchus ibi.

z *Cyrus.*] Imò Artaxerxes ipsius Cyri frater. ex Plutarch. in Artaxerxe.

a *Fertur Osiris.*] Imò verò Ambis Osiridis filius ex Diodoro Siculo lib.1.cap.2. vbi & ipse dicit Macedoni alteri ipsius Osiridis filio lupum insigne armorum fuisse. Et vide Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 21.

b *Porus Indorum Rex.*] Q. Curtius lib. 8.

c *Indis autem Regibus.*] Idem eod. libr. sed alio loco, & vide omnino infrà eod. cap.

d *Ægyptij quoque.*] Diodorus Siculus lib.1. ca. 2. Ælianus

Germanorum. Insubrium. Vexilla diuersa. Draconarij milites. Imperatorum imagines. Signa alia atque alia per tubam, cornu aut buccinā.

tabellis, pro bellico insigni habuere. [e] Germani effigies lucis detractas præire iubent. [f] Insubres, siquando præcipua bella sumpturi erant, aurea signa quæ immobilia vocant, è templo Mineruæ efferentes, præferunt phalangi. [g] Consueuisse etiam singulas turmas, manipulos, & cohortes ac legiones, proprium vexillum & militare signum habere, vulgo proditum est: vt cuius esset legionis quisque miles, & sub quo duce militaret, facile dignosceretur, ne sine signis, sine imperio inordinati & incompositi ducerentur, sed conspicua omnibus signa forent. [h] In quibus nomen imperatoris, [i] aut consulis, [k] nonnunquam draconis efficti imago, [l] quare draconarij dicti milites, [m] quod vexillum purpureum erat, [n] aliáque insignia perscripta erant. [o] Namque diuus Iulius vexillo quintæ legionis, quod contra Iubam elephantorum victrix fuerat, elephantum inscripsit. Alióque insigni legionarij milites, alio prætoriani, dissimilique auxiliares vtebantur. [p] Postea vt imperatorum imagines per imaginiferos deferrentur in acie, pro signis vulgo seruatum est. [q] Nonnunquam labans quadratum hastæ appensum, quod Labarum dixere, pro vexillo fuit. [r] Signa vero educēdi exercitus, & certaminis conserendi,

ANNOTATIONES.

autem lib.10.c.15. scribit Ægyptiorum bellatores in annulis insculptum habere scarabeum solere, ex eo adumbrante legislatore solos omnino mares pro patria bellum gerere oportere, quòd scarabeus caret fœmina.

e *Germani.*] Cornelius Tacitus de Moribus Germanorum. Effigies, inquit, & signa quædam detracta lucis in prælium ferunt. licet is aliter dicere videatur lib. 20. Historiarum, videlicet cùm ait, Hinc veteranarum cohortium signa, inde depromptæ syluis lucisque ferarum imagines, vt cuiq; genti inire prælium mos est.

f *Insubres.*] Polybius libr.2. de iis loquens. Coacto itaque exercitu & signis aureis, quæ immobilia vocitant, è templo Mineruæ sublatis, cæterisque necessariis rebus paratis, aduersus Romanos intrepidè profecti, ex aduerso castrametati sunt.

g *Consueuisse etiam*] Ad Romanos redit: idque est Vegetij lib. 2. cap. 13.

h *In quibus nomen Imperatoris.*] Attamen Romanos vello Cymbrico pilis & hastis, non signis, Catulli nomen inscripsisse author ex Plutarch. in Mario. Et Cn. Pompeij milites in Hispania eius nomen scutis inscripserunt, vt testatur Appianus lib. de bello Alexandrino.

i *Aut consulis.*] Hæc superius sunt explicata.

k *Nonnunquam draconis.*] Ammianus Marcellinus lib. 16. Trebellius Pollio in Gallienis, Vexilla, inquit, centena, & præter ea, quæ collegiorum erant, dracones & signa templorum omniúmque legionum ibant. Ex quo & illud Claudiani lib. 2. in Ruffinum,

Mansuescunt varij vento cessante Dracones.

Et illud quoque in nuptiis Honorij & Mariæ,

Stent bellatrices Aquilæ sæuiq; Dracones.

Et,

— Ferventesq; tument post terga Dracones.

Illudque Sidonij Apollinaris in Panegyri ad Anthemium,

Hic primùm nostras aquilas prouincia vidit,
Desiit hostiles confestim horrere Dracones.

Sed & hoc Draconum vexillo vsos fuisse Indos testis est Suidas in verbo, *ἰνδοί*.

l *Quare Draconarij.*] Vegetius lib. Rei militaris 1. cap. 20. & li. 2. c. 13. & Marcellinus lib. 20. vbi loquitur de Mauro quodam huius nominis Draconario milite. Modestinus de vocabulis Rei militaris.

m *Quod vexillum purpureum erat.*] Marcellinus lib. 15. & 16. & Claudianus lib. 2. in Ruffinum,

—— Lateq; videres
Surgere purpureis vndantes anguibus hastas.

n *Aliaq; insignia.*] Nam vexillum, quo pedites euocabantur, roseum erat: cæruleum, quo equites, Seruius libr. 8. Æneid. in princ.

o *Namque D. Iulius.*] Appianus lib. 2. bellorum Ciuilium.

p *Postea vt Imperatorum imagines.*] Corn. Tacitus lib. 5. non multò post princip. Et quorum imagines pro vexillis secuti forent, Duces Imperatorésque deligerent. & Herodianus libr. 2. de Iuliano imperatore loquens, à militibus delecto. Tum, inquit, signis sublatis, impositisque illius imaginibus deducere hominem tendunt. & libr. 8. de Maximino Imperatore abrogato, Ibíque, ait, postquam de signis militaribus illius imagines detraxerant, prodeuntem mox de tentorio obtruncant. Sueton. in Caligula, cap. 14. in fin. Artabanus, Parthorum Rex, transgressus Euphratem, aquilásque & signa Romana, Cæsarúmq; imagines adorauit. Et Modestus in vocabulis Rei militaris, vbi hos imaginarios vocat, nisi sit mendum: nam & ibi aquiliferos vocat, qui aquilam deferebant, vt etiam Cæsar lib. 3. belli Ciuilis. Sueton. in Cæsare, cap. 62. & in Augusto, cap. 10. Cornelius Tacitus libr. 17. vbi loquitur de aquilifero quartæ legionis. Vopiscus in Aureliano. Verùm non esse mendum in Modesto suadet Vegetius libr. 2. cap. 7. cùm hos dicit vocari imaginarios siue imaginiferos. Sed & de eo quod dictum est de imaginibus Imperatorum in vexillis, intelligi potest illud Taciti lib. 12. Zorsinem ad imaginem Cæsaris procubuisse. & libro 15. Tyridatem apud effigiem Neronis insigne regium deposuisse.

q *Nonnunquam labans quadratum.*] Sozomenus in Tripartita historia libro 1. cap. 5. Tertullianus in Apologetico, cap. 16. Prudentius in Symmachum, libro 1. de potentia Crucis.

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum.

Et Eusebius historiæ Ecclesiasticæ, lib. 9. c. item 9. de Constantino loquens, Exin, ait, signum quod in cœlo fuerat sibi demonstratum, in militaria vexilla trāsformat, ac labarum, quem dicunt in speciem Dominicæ crucis exaptat. Eutropius in Constantino Magno. Extátque apud nostros titulus de præpos. Labarum. ita enim eum locum & l.1. eius titul. emendauit Alciatus. vide eum ibi & seq. tit. & vide Rhodig. lib. 6. cap. 11.

r *Signa vero educendi exercitus.*] De vtrisque scilicet tubis & cornibus Liuius 3. Decad. lib. 10. Tubæ cornuáque ab Romanis cecinerunt: tantúsque clamor ortus, vt elephanti suos sinistro maximè cornu verterent, Mauros ac Numidas de tubis quoque Virgil lib. 9. Æneid.

At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit.

Et Horatius lib. 1. Car. Ode 1.

Multos castra iuuant, & lituo tubæ
Permistus sonitus.

Et Cæsar lib. 3. belli Ciuilis. Tuba signum dari atque in hostem impetum fieri iussit. & iterum, Hac habita oratione, exposcentibus militibus, & studio pugnæ ardentibus, tuba signum pugnæ dedit. Vegetius lib. 2. Rei militaribus, ca. 22. & Seruius eum locum Virg. lib. 11. enarrans,

—— Bello dat signum rauca cruentum
Buccina. ——.

Vide Liuium 3. Decad. libr. 1. De cornibus Virgil. libro. 8. in princip.

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu.

Et Liu. 3. Dec. lib. 4. vbi de obsidione Arporum, & Tacit. lib. 2. vbi de obsidione cuiuspiam castelli Ciliciæ.

s Et

in Romanis legionibus, concentus tubarum & cornuum:[s] & siquando silentio educendæ forent, tesseram fuisse accepimus. Eam vero tubam [t] Tyrrhenus Pisæus inuenit primus æneam, quum antea ex cornu bubulo fieret. [u] Tamen buccina in prætoriis castris semel, in consularibus vero bis dabatur signum: [x] quia tuba pedites, equites vero lituo ad pugnam aduocari sæpe notatum est. [y] Eratq; mos militaris, vt quoties mouenda erant signa castrave, & ad reliqua belli munia, soli cornicines signum darent:[z] excubias vero, [a] somniq; & [b] vigiliarum tempora, buccina designarent: [c] Si autem legiones ducendæ in hostes, & acie decernendum foret, [d] aut receptui canendum, & cornua & tubæ eodem concentu canerent: [e] Si conciones aduocarent, [f] aut silentium indicerent; per tibicinem indicebatur. [g] Persis vero proficiscendi hora significatur cornu, [h] Ægyptiis sistro. [i] Alexander Macedo, quum, tubæ sonitus tumultuante exercitu non exaudiretur: iussit perticam ex qua signum eminebat, quæ omnibus cōspicua foret, supra tabernaculum figi: quo viso quisque miles paratus in hostem iret [k] Quæ quidem tubę non in singulis modo legionibus, sed cohortibus & turmis, prælij signum dare, necnon diei noctisque horas, vigiliásque diuidere solebant. [l] Lacedæmonij & Phryges non cornuum tubarúmque

[Margin: *Tessera.*]

[Margin: *Persæ. Ægypti. Lacedæmonij & Phryges.*]

ANNOTATIONES.

s *Et si quando silentio.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. de Nerone qui noctu ad Liuium contra Asdrubalem pugnaturus accessit. Nocte, ait, clàm ingredi placuit. Tessera per castra ab Liuio consule data erat, vt tribunum tribonus, &c.

t *Thyrrenus Pisæus.*] Plinius lib. 7. c. 56. Seruius autem lib. 8. Æneid. in eum locum,

Tyrrhenusq; tuba mugire per æthera clangor.

Tyrrhenum, ait, clangorem dixit tubæ: ideo, quia apud Thoscos constat tubam esse inoentam. Paosanias autem libr. 2. scribit, Tubam iouentam esse à Tyrrheno Herculis & Omphales filio, sed posteà Hegeleum, eius filium, Dorienses qui Temenum secuti sunt, huius instrumenti clangorem docuisse, eámque ob causam Mineruam Salpingem tubam docuisse.

u *Tamen buccina.*] Liuius Decad. 3. libro 7. Quod semel io prætoriis castris signum, bis in consularibus referebant cecinisse.

x *Quia tuba pedites, equites verò.*] Acron Interpres Horatij lib. Carm. 1. Ode 1. vbi suprà citauimus. Et de lituo Virg. lib. 6 Æneid.

Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.

Et ibi Seruius: Et Iuuenalis satyr. 14.

——— *Aut longos castrorum ferre labores*
Si piget, & trepido soluunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita. ———

y *Eratq; mos militaris.*] Vegetios lib. 2. c. 7. vide tamen eundem in eodem lib. c. 22.

z *Excubias verò.*] Polybius libr. 6 Veget. dict. cap. 22. & libr. 3. cap. 8. Et io voiuersum de differentiis tubarum, cornuum & buccinarum, vide omnino euodem lib. 3. cap. 5. Sed vide ipsum Polybium li. 14. vbi scribit eam fuisse Romanis consuetudinem, vt tempore conuiuandi cuncti tubicines ac buccinatores ad tentorium Ducis personarent, ad hoc vt nocturnas custodias suis locis per id temporis constituerent.

a *Somniq;.*] Ex quo Claudianus de bello Gildonico,

Excites incestos turmalis buccina somnos.

b *Et vigiliarum.*] Tacitus libr. 15. Et rogitante Rege causas, quoties nouum aliquid aduerterat, vt initia vigiliarum per centurionem enunciari conoiuium, buccina demitti. Quò etiam spectat illud Liuij 3. Decad. lib. 6. Fuluius Trib. militum imperaoit vti duobus millibus eqoitum delectis denunciareot, vt ad tertiam buccinam præsto essent. Vegetius autem lib. 3. cap. 8. A tubicine omnes vigiliæ committuntur. Et finitis horis à cornicine reuocantur. Et adde quòd etiam buccina bella denunciabat, ex Virg. libro 7. Æneid.

——— *Qua buccina signum*
Dira dedit. ———

Et lib. 11. vbi suprà & ibi Seruius.

c *Si autem legiones.*] Veget. d. cap. 24. Liuius 1. Decad. libr. 9. vbi ita scribitur, Deinde concentu tubarum & cornuum cursu effuso in hostem feruntur. Et hinc quoque Ouid. lib. 1. Metam.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

d *Aut receptui canendum.*] Erasmus Chil. 5. cent. 5. c. 88.

e *Si conciones aduocarent.*] Hirtius lib. 8. belli Gallici. Concilio repente cantu tubarum conuocato. Ex quo intelligis hîc legendum tubicinem, oon tibicinem.

f *Aut silentium indicerent.*] Liuius 4. Decad. libr. 3. Et præco cum tubicine, vt mos est, in mediam arenam, vnde solenni carmine ludicrum iodici solet, processit: & tuba silentio facto ita pronunciat. Senatus Romam. & T. Quintius Imperator, Philippo Rege Macedonibúsque deuictis, liberos immunes suis legib. esse iubet Corinthios, &c.

g *Persis verò.*] Q. Curtius lib. 3. Patrio more Persarum traditum est, orto sole, demuum procedente die iam illustri, signum è tabernaculo Regis buccina dabatur.

h *Ægyptiis sistro.*] Virgil. lib. 8. Æneid. loquens de Cleopatra Ægypti Regina,

Regina in mediis patrio vocat agmina sistro.

Vbi Seruius tradit Isidem Ægyptiorum Reginam: & deam sistrum gerere in dextra, & situlam in sinistra. Nam & alias sistra sunt propria & peculiaria Ægyptiis. Nam Ouid. libr. 3. Amorum eleg. 8. dicta sunt sistra Ægyptia,

Quid nos sacra iuuant? quid nunc Ægyptia prosunt
Sistra?

Et Martiali lib. 12. epig. 29. sistrata turba dicitur de sacerdotibus Ægyptiis,

Linigeri fugiant calui sistrataq; turba.

Sed & hinc illud Val. Flacci lib. 4. Argonauticôo loquentis de Iside Ægyptiorum,

——— *Hac procul Io*
Spectat ab arce poli iam diuis addita, iamq;
Aspide cincta comas, & ouanti persona sistro.

Et Iuuenalis sat. 13.

Decernat quódcunque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro.

Idem Ouid. de Ponto, lib. 1. eleg. 1.

Et quis ita est audax, vt limine cogat abire
Iactantem Pharia tinnula sistra manu?

Et Apuleius li. 2. Asini aurei, Miserere per cælestia sidera & arcana Memphitica & sistra Phariaca. & lib. 11. Æreis & argenteis; imò verò aureis etiam sistris argutum tinnitum cōstrepentes, & paulò pòst, Sacerdos appropinquabat dextra proferens sistrum. Ibi eoim de sacris & sacerdotibus Isidis loquitor. Vide ibi Beroaldum, & Ouidium lib. 9. Metamorph. ibi,

Quiq; premit vocem, digitoq; silentia suadet,
Sistraq; erant, nunquamq; satis quæsitus Osiris:

i *Alexander Macedo.*] Hæc vsqoe ad clausulam, Quæ quidem tubæ. sunt Q. Curtij lib. 5.

k *Quæ quidem tuba.*] Vide Veget. d. lib. 2. c. 22. & lib. 3. c. 8. His tamen adde ad tubam euerti solere ciuitates. Ex quo Virg. de euersione Troiæ loquens lib. 2. Æneid. ibi,

Exoriens clamorq; virûm clangorq; tubarum.

Vbi & id Seruius annotat.

l *Lacedæmonij.*] Thucydides libro 5. belli Peloponnesiaci.

ſignis, ſed tibiarum miti ſono & modulo leni temperati conſueuere. Lycurgus enim militibus tibiam pro claſſico dedit. m Ea enim tibia quæ Phrygia dicitur, à dextra vnum, à ſiniſtra duo foramina habuit: cuius modulos non vnos accepimus: qoippe pro modulo ſonorum, ita animos mulcere aut accendere ſolebant. n Siquidem Æolius modus ſimplex fuit, Aſius varius, Lydius querulus, Phrygius religioſus, Dorius bellicoſus, o Gygius autem hilaris & lætos, p Ionicus floridus. q Græci autem in rebus ſeriis ſæpe Dorium adhibuerunt. Apud quos fuit in bello modulus r ad tibiam Hormius s & Orthius, t in comeſſationibus Parœnius. Lacedæmoniis Enyaterius, u Athenienſibus Cyclius Hunc Orthium tam rapidè audientium animos accendere ferunt, x vt quum illum Alexandro Timothens concineret, velut furens & efferatus in rabiem, protinus ad arma exilierit. Præter quod, y caſtorium melos Laconicum, ad excitandos militum animos multum valuiſſe fertur. z Quinetiam in proſequendis hoſtibus effuſe fugientibus, aut ſi receptui canendum eſſet, diuerſi traduntur moduli, ad militum excitandos animos, aut ſedandos. a Qui quidem Lacedæmonij prælium inituri, ploribus concinentibus tibiis, acies ineunt, vt his modulis capti, mature incederent, ferociámque & immodicos animos cohiberent, nève, idquod in concurſu magnorum præliorum vſu venit, hoſtem cupide inſequuti, ſæuè & atrociter contra victos inſultarent, ita vt longius effuſi, acies confunderent & perturbarent. b Romanę vero tibię primo quaternis foraminibus, poſtea pertuſis excultę fuere, vt haud multum abeſſent à tuba: quarum diuerſa traduntur genera. c Nam pręcentoriæ erant, & Vaſcę, quibus in ſacris pręcinebant: & puellatoriæ ſono clariore, ac gingrinæ & miluinæ, quæ in acutos exeunt ſonos, ſicut à locis Lydiæ, Corinthiæ, & Ægyptię, ſonis diuerſis, & nominibus variis. d Cretenſes autem cithara, fidibus & tibiis vtuntur in pręliis, quibus inſtructas acies accendunt. e Parthis cornua, ſępius iogens tympanum cum ferreis tintinabulis, pugnę acuebant animos: quod quidem lance concaua, corio vndique protento, & clauis ęneis affixum erat, quod ſimul

Tibia Phrygia. Æolius modus. Aſius. Lydius. Phrygius. Dorius. Gygius. Ionicus. Hormius. Orthius. Parœnius Enyaterius. Cyclius. Caſtoriũ melos. Lacedamonij prælium inituri. Rom. tibia quot foraminum. Tibiarũ diuerſa genera. Cretẽſes. Parthi.

ANNOTATIONES.

Polybius libr. 4. Valerius Maximus lib. 2. c. 1. Plutarchus in Apohthegma. Laconicis in Ageſilao, vbi huius reddit rationem. Gellius lib. 1. c. 11. Martianus Capella lib. 9. Ariſtoteles in problem.

m *Ea enim tibia.*] Varro & ex eo Seruius libr. 9. Æneidos, eo loco,

— Vbi aſſuetis biforem dat tibia cantum.

n *Siquidem Æolius.*] Hæc omnia vſque ad clauſulam, Gygius autem. ſunt Apuleij in libro 1. Floridorum, cuios hæc verba ſunt, Seu tu velles Æolium ſimplex, ſeu Aſium variũ, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium bellicoſum. quæ forte vt alia plorima accepit à Luciano in Harmonide, cuius hæc verba ſunt, *καὶ ἑκάστης ἁρμονίας διαφυλάττειν, τὸ ἔνθεον φρυγίου, τὸ ἔνθεον, τῆς λυδίας τὸ βακχικὸν, τῆς δωρίου τὸ σεμνὸν, τῆς ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν.* id eſt, Vniuſcuiuſque harmoniæ ſeruare proprietatem, Phrygiæ diuinum impetum, quod Apuleius vertit religioſum, Lydiæ furorem Bacchanalem, ſiue licentiam, Doricæ ſeueritatem, Ionicæ iucunditatem, quod & Apuleius videtur tranſtuliſſe, varium. Eraſmus Chil. 2. cent. 2. c. 93. Alibi idem Apul. lib. 4. Metam. ad fin. Lydij quoque modum querulum vocat. Sonos, inquiens, Zygiæ tibiæ moratur in querulum Lydij modum. Ante hos Plato libr. 3. de Repub. Harmonias querulas eſſe dicit, eáſque cum Ionicis vt molles & enerues improbat. Sed vt redeamos ad Apuleium. Is libr. 10. eiuſdem operis, Doricum quoque bellicoſum appellat. At, inquit, tergum tibicen hormum canebat bellicoſum. & ibi vide Beroaldum, vbi de Lydiis modis. De Phrygiis quoque modis idem Apul. lib. 8. ad finem. Cantúſque Phrygij mulcentibus modulis exercitus procurrit obuiam. Cæterum de huiuſmodi modis Phrygiis, Doriis & Lydiis vide Ariſtot. libr. 8. Politicõn cap. 5. & 7. & Pollucem lib. 4. cap. 9. & 10. vbi de aliis quoque modis. Caſſiodorum, qui & alios item numerat lib. 2. Variarum epiſto. incipient. Cùm Rex Romanorum. & de Dorio & Phrygio. Plinium lib. 2. c. 22. & Cenſorinum de Die natali, cap. 26.

o *Gygius autem.*] Vide d. lib. 4. Metamor. & ibi. Beroald. vbi loquitur de Zygia tibia.

p *Ionicus floridus.*] De eo diximus in verbo, Siquidem Æolius.

q *Græci autem.*] Vide interpretes Horatij lib. 4. Carm. in fi.

r *Ad tibiam Hormius.*] Vide Suidam, Pollucem & Rhodiginum lib. 5. cap. 5.

s *Et Orthius.*] Hunc modum cythara cecıniſſe Arionem cùm ſe in mare deiecit, & eum delphinus dorſo excepit & in littus detulit, ſcribit Herodotus libr. 1. Et huius quoque modi meminit Iulianus in epiſt. ad Iamblichum, & Suidas (eum vide & Pollucem) & Martianus Capella, vbi declarat cuiuſmodi eſſet:

t *In comeſſationibus Parœnius.*] Horat. autem lib. 4. Carmin. Ode 15. eadémq; vlt. in fi. ſignificat Lydium tibiarum modis in conuiuiis quoque adhiberi,

Inter iocoſi munera Liberi
Cum prole, matroniſq́; noſtris,
Rite deos prius adprecati,
Virtute functos more patrum duces,
Lydis remiſto carmine tibiis
Troiámq́; & Anchiſen & alma
Progeniem Veneris canemus.

Quo in loco Acron, Lydis, inquit, tibiis læta cantabantur, Phrygiis triſtia. Tres enim modos habebant tibiarum, Ionicum, Lydium & Phrygium, quem & barbarum: in honorem autem Lydorum dictum, quòd ipſi primi tibias inuenerũt.

u *Athenienſibus Cyclius.*] Athenæus Dipnoſ. lib. 4. c. 24.

x *Vt cùm illum Alexandro.*] Plutarch. in lib. de Muſica.

y *Caſtorium melos Laconicum.*] Plutarc. in eod. lib. & in Lycurgo. & Pollux lib. 4. c. 10.

z *Quinetiam.*] Id oſtenditur ex ſequentibus.

a *Qui quidem Lacedæmonij.*] Thucydides belli Peloponneſ. lib. 5. Ariſtot. in problem. Plutarch. in illo lib. de Muſica, & in libr. de cohibenda iracondia, & in antiqois inſtitutis Lacedæmoniorum. Gellius lib. 1 c. 11. Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 2. c. 4.

b *Romana verò tibia.*] Seruius enarrans eum locum Virgil. lib. 9. Æneid.

— Vbi aſſuetis biforem dat tibia cantum.

Scribit authoritate Varronis tibiam Phrygiam dextra vnum habere foramẽ, ſiniſtra duo, quorum vnum acutum ſonum habebat, alterum grauem.

c *Nam præcentoria.*] Hæc vſque ad clauſulam, Cretenſes autem. ſunt Solini c. 11. Vide ibi interpretem. & de Gingrina quoque Pollux lib. 4. c. 11.

d *Cretenſes.*] Heraclides in Politicis. Plutarch. in dict. lib. de Muſica. Gellius lib. 1. aliàs 2. c. 11. Martianus Capella libr. 9. Polybius de tibiis loquens lib. 4.

e *Parthis.*] Iuſtinus lib. 41. & Plutarch. in Craſſo.

f *Lydi.*]

ac diuerberabant, ignoto & horribili sonitu tonitru instar intonabat. [f] Lydi autem cum fistula & fidicine: [g] Indi cum cymbalorum & tympanorum pulsu in hostes ducunt. Id enim erat tubarum locò. Non enim tibias habebant Indi, nisi in regia, [h] quum rex dormitum vadit: sicut reges Siculi ad citharæ & auium cantus dormiebant. [i] Galatis vero barbara tuba horribili sono bellicum occinuit: contrà [k] apud Busiritas & Lycopolitas in Ægypto, quibus tubis canere vetabatur, quòd sonum asininum redderent: ipsi enim asinos exitiali odio prosequuntur, propter Typhonem asini colorem præferentem: [l] Cimbri protentas vehiculorum pelles tantis pulsabant ictibus, vt ingentem fragorem redderent. Apud Pœnos & in castris Hannibalis rubram vestem tabernaculo ducis protensam, plerunque tubæ sonitum: [m] Illyriis, linteum protentum, [n] aut rubicundam tunicam sarissæ appositam: [o] aliis protentam purpuram, indicium certaminis fuisse proditum est: quo viso quisque miles prævideret præcaueretque & se ad pugnam accingeret. [p] quod in Romanis castris obseruatum legimus, vt rubra veste tabernaculo ducis protenta, diem prælij præsignarent. [q] Dario super tabernaculum imago solis crystallo inclusa, signi loco fulgebat in castris. [r] Apud Spartanos in vsu erat, vt quoties fortiter & magnis vtrinque viribus decernendum foret, milites capita comerent, capillum barbámque depecterent: quo argumento periculum se animæ adire, & hostiles spiritus gerere signabant. [s] Erant enim Spartani milites comati omnes; [t] sicut Milesij, Thurij, & Tarentini, ac cæteri quibus Laconica instituta placuerunt. [u] Ideo quum Persarum duces, milites Leonidæ comatos, & multo pectine comptos vidissent, ferunt illos despectui habuisse, velut desides & ignauos: quum vero animi vigorem & fortitudinem fuissent in acie experti, animorum præstantiam admiratos obstupuisse. [x] In nauali autem prælio vexillo ex prætoria naui in sublimi elato, pugnæ signum militi dabatur. Nonnunquam concussu veli aut chlamydis, aduentus demonstrabatur: excusso verò, discessus: [y] sicut in nocte lumen, [z] & in die fumus, insidias aduentúsque hostium, & occulta consilia plerunque indicarunt. Apud Athenienses puniceo paludamento è naui prætoria contra Lacedæmoniorum classem, pugnæ signum sæpe datum est. [a] Lysander æreo clypeo è naui elato, irruptionis signum dedit. [b] Bruti vero nauis prætoria, quò ab aliis dignosceretur, O signum habuisse fertur: [c] tametsi singulæ naues deorum imagines ferrent, sub quorum essent

Lydi. Indi. Galatæ. Busiritæ. Lycopolitæ. Cimbri. Pœni. Illyrij. Signū certaminis fusiori. Romani. Darius. Spartani. Milites comati. Signa in prælio nauali. Athenienses. Deorum imaginibus naues insignitæ.

ANNOTATIONES.

f *Lydi.*] Herod. lib. 1. Gellius lib. 1. c. 11.

g *Indi.*] Q. Curtius lib. 8. Idque verisimile est ex Dionysio Baccho didicisse, qui apud eos regnauit, & vsus est in bello tympanis & cymbalis, tuba nondum reperta, vt scribit Diodorus Siculus libr. 3. c. 10. Strabo autem lib. 15. tradit in India nullam esse tibiam, nec aliud instrumentum musicum, præter cymbala & tympana & crotala. Arrianus verò lib. 8. de gestis Alexandri. Expeditionis, inquit, Dionysij in Indiam Nisa vrbs Indiæ non obscurum monimētum est, tympana præterea & cymbala, quibus in præliis Nisæi vtuntur. Sed & postea tradit, Indos vtique vsque ad Alexandri in ea loca aduentum cum cymbalis tympanisque in pugnam ire solitos.

h *Cùm Rex dormitum vadit.*] Philostra. de vita Apollon. lib. 2. c. 14. ait, Indos cùm Rex vadit dormitum, ad tibiam canentes illum admonere, vt bonis vtatur somniis & subditis bene consulens surgat.

i *Galatis verò.*] Diod. Siculus lib. 6. c. 9.

k *Apud Busiritas.*] Herodotus lib. 2. & 4.

l *Cymbri.*] Strabo libro 7. Sed & hos & Teutonos tradit Plinius libr. 26. cap. 4. terribili Marte vlulare solitos. Adde autem supradictis apud Sybaritas exercitus equitatus ad symphoniæ cantum saltatione quadam moueri, apud Plinium lib. 8. cap. 42. Achæos autem pugnam indipisci non fidicularum tibiarúmque concentu, verùm conspiratu tacito nitibundos, ex Homero scribit Seruius in libr. 8. Æneidos statim initio.

m *Illyrus.*] Polybius lib. 2. non longè adeò à fi.

n *Aut rubicundam tunicam.*] Plutarch. in Philopœmene.

o *Aliis protensam purpuram.*] Polybius vbi nuper citauimus, vbi dicit signum traditum fuisse ab Antigono Rege. & in seq.

p *Quod in Rom. castris.*] Plutarch. in Pompeio. Idem tamen in Fabian. Maximo vestem purpuream signum prælij fuisse dicit.

q *Dario.*] Q. Curtius lib. 3.

r *Apud Spartanos.*] Plutarchus in Lycurgo, Philostratus quo loco statim citabimus in verbo, Sicut Milesij. Sed ante hos Herodot. lib. 7. vbi Demeratus Lacedæmonius loquens de Leonida & cæteris Spartanis, qui in Thermopilis erant, Ita, inquit, sese apud eos habet consuetudo, Quoties adire animæ periculum debent, tunc capita comunt.

s *Erant enim Spartani.*] Plutarch. vbi suprà, & in Nicia, vbi de Gylippo Spartano & Apophteg. Laconicis, vbi de Lycurgo loquitur, ibique rationem reddit, & rursum vbi de Pelopida, vbi & aliam rationem reddit.

t *Sicut Milesij.*] De his tribus id dicit Philostratus in vita Apollonij, lib. 3. c. 4. de Brachmanis Indorum loquens. Comas, inquit, nutriunt, sicut quondam Lacedæmonij, & Thurij, Tarentinique ac Milesij & cæteri, quibus Laconica instituta placebant. Et adde Scythas & Bactrianos ex Q. Curtio lib. 4.

u *Ideò cum Persarum Duces.*] Hæc Herodoti sunt libr. 7. & Strabonis lib. 10. post princ.

x *In nauali autem prælio.*] Id sumptum videtur ex Liuio 4. Decad. lib. 7. cuius hæc verba sunt. Et circumuenissent, ni signo sublato ex prætoria naue, quo dispersam classem in vnum colligi mos erat, omnes quæ in dextro cornu vicerant naues, ad opem ferendam suis concurrissent.

y *Sicut in nocte lumen.*] Thucydides lib. 2. belli Peloponnes. Sed ab his, qui expugnabantur leuati sunt ignes Athenas versus, aduentum hostium significantes. & li. 3. Faces hostilis aduentus in dies Thebas versus sublatæ sunt. Et Polyb. libr. 2. Cognito Consulis aduentu, id enim per nocturnos ignes intelligebatur.

z *In die fumus.*] Cæsar belli Gallici libr. 5. Tum fumi incendiorum procul videbantur, quæ res omnem dubitationem aduentus legionum expulit. Vide Vegetium de re militari, lib. 3. cap. 5.

a *Lysander.*] Plutarch. in vita illius.

b *Bruti verò nauis prætoria.*] Plutarc. in vita illius. Appianus lib. 4. eam autem turrigeram fuisse, testis est Lucanus libr. 3.

Et iam turrigeram Bruti comitata carinam,
Venerat in fluctus Rhodanicum gurgite classis,
Stœcados arua tenens.

c *Tametsi singulæ naues.*] Seruius enarrans illud libr. 10. Æneidos,

Massicus ærata Princeps secat æquora Tigri:

Nauium nomina Græcis naues ex insulis nominata. Barbarũ nauigiũ. Alexandrini.

rurela. [d] Namque aliæ Neptunum, [e] nonnullæ pristis, [f] centauri equi, [g] vel draconis insignia habuere. [h] Græcis vero nauibus ex insularum nominibus plerunque nomina fuere: quippe [i] Gnidurgis, ex Gnido nauis dicta: [k] Samena, quòd ex Samo rotundæ figuræ: [l] Parona, quòd ex Paro: & [m] Corcyrion ex Corcyra. [n] Cercuriam autem quasi caudatam appellarunt, sicut [o] Afractam Rhodiorum, contra tempestates imbellem, [p] Dyerotam Mitylenæorum. Legimus quoque in Libya fuisse nauigia, quæ hirci & capri rulere nomina. Barbarumq; nauigium frequens habuisse arctis latetibus, quod cameram dixere, lata aluo in modum recti occlusa, pari vtrinque prora, quòd sine noxa mutari, & volui ex omni latere posset. [q] Supparum vero, Alexandrinæ nauis proprium insigne fuit. nam solis Alexandrinis suppara velorum licebat intendere, sicut corbes onerariis nauibus pro signo suspendebantur. [r] Marcus vero Antonius successu rerum insolens, purpureum velum prætoriæ naui apud Actium pro insigni dedit: quo abiecto, victus fugienrem vxorem fuit prosequtus. [s] Id quod Alcibiades fecisse dicitur, vt

ANNOTATIONES.

Cuius, inquit, rostrum erat in similitudinem tigridis. Namque solent naues vocabula accipere à pictura tutelarum. Hinc est,

Hunc vehit immanis Triton.

Hæc ille, quorum prior locus est rostrum, posterior autem est puppis. Et huc quoque alludit Lucanus lib. 3.

— Non robore picto
Ornata docuit fulgent tutela carinas,
Sed rudis & qualis procumbit montibus arbor,
Conseritur stabulis nanalibus area puppis.

d *Namque alia Neptunum.*] Addunt & alij Apollinis ex Virg. lib. 10. Æneid.

— Et aurato fulgebat Apolline puppis.

Vbi Donatus dicit, puppim fuisse in qua erat Apollinis simulacrum. Ex quo Seruius eo lib. 10. paulò ante coartans eum locum,

— Æneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subnecta leones.

Vult, ait, pro iugo rostrum nauis fuisse: leones autem singulos in singulis nauis partibus fuisse depictos.

e *Nonnulla pristis*] Virg. lib. 5. Æneid.

Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin.

Vbi Seruius, Vel à tutela, ait, depicta, vel ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα. id est, à secandis fluctibus. Et idem Virgilius eodem libr. 5.

Parte prior partem rostro premit æmula Pristis.

Non longè quoque pòst.

Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat vltima Pristis
Æquora. —

Et alibi paulò ante.

— Post hos æquo discrimine Pristis
Centaurusq; locum tendunt superare priorem.
Et nunc Pristis abit, nunc victam præterit ingens
Centaurus, nunc vnà ambæ, iunctisq; feruntur
Frontibus, & longè sulcant vada salsa carina.

Nam ibi loquitur de certamine nauali. & ex eo & Donato interprete intelligis Pristin & Centaurum fuisse species nauium his effigiebus vel simulachris, quibus præerant scilicet, Mnesteus Pristi, & Sergestus Centauro. Idem Virgil. lib. 10:

Frons hominem præfert, in Pristin desinit aluus.

Et Liuius 5. Dec. lib. 4. Adiectæ ad hunc, ait, numerum quinque pristes erant: & Polybius lib. 16. post princip. vbi dicit, Philippo Macedonum Regi illi qui à Romanis victus est, fuisse naues catafractas quinquagintatres cum pristibus centum quinquaginta. & libr. 17. in princ. Adest Philippus ex Demetriade in sinum Melieum vectus, lembos habens quinque & pristim vnam, in qua ipse nauigabat, πέντε λέμβους ἔχων, καὶ μίαν πρίστιν. Et de hoc nauigij genere Nonius Marcel. de genere nauigiorum, vbi ita scribit, Pristis nauigij genus à forma pristium marinarum, quæ lõgi corporis sunt, sed angusti.

f *Centauri equi.*] Vt patet ex eo quod diximus suprà. & item ex illo ipsius Virgil. loco lib. 5.

Sergestusq; domus tenet à quo Sergia nomen
Centauro inuehitur magna. —

g *Vel draconis insignia.*] Suprà docuimus draconis effigiem sæpe fuisse in vexillis. Sed his adde nauem ex qua Iupiter Europam rapuit, tauri effigiem habuisse, vnde dicitur eam rapuisse tauri specie, vt scribit Fulgentius Mythologicorum lib. 2. vbi de Ganymede loquitur. De quo etiam Pollux lib. 1. cap. 9. post princ.

h *Græcis verò nauibus.*] Quod patet ex seq. vide Baysium de Re nautica. Hæc autem scribit Cælius Rhodigious, qui auctorem quoque nullum citat lib. 8. c. 5.

i *Gnidurgis*, Item Rhudiginus lib. 8. c. 5.

k *Samena.*] Thucydides lib. 3. mentionem facit Salaminiæ & Paralæ à duabus, vt puto, gentibus. Scribit autem Athenæus lib. 12. c. 19. Polycratem Samium tyrannum cùm primus naues fecisset, Samias ex patria vocauisse.

l *Parona.*] Festus Pompeius lib. 14. Parones, nauium genus ad cuius similitudinem Myoparo vocatur. Est autem Myoparo nauicula piratarum, mediam habens formam earum nauium quæ in Myuote & Paro insulis fieri solent, vt scribit Nonius Marcellus in generibus nauigiorum authoritate Ciceronis, Sallustij & Sisennæ. Gellius autem libr. 10. cap. 25. inter genera nauium ponit parones & myoparones.

m *Corcyrion.*] Cercyron dicit Rhodiginus, vbi suprà à Cercyra, quæ Corcyra est.

o *Cercuriam.*] Nonius Marcellus tradit, Cercurum esse nauem Asianam prægrandem, authoritate Plauti in Stycho act. 2. scena 3.

— Conspicatus sum interim
Cercurum, quo ego me maiorem non vidisse censeo.

Et Lucillij saty. 8. & 14. Et de hac quoque Pollux lib. 1. c. 7. in princ. Plin. libr. 7. c. 56. paulò ante fi. scribit Cyprios inuenisse nauigij genus quod Cercuron vocant. Gellius lib. 10. c. 25. inter genera nauium cercuros nominat.

o *Sicut Afractam Rhodiorum.*] Id à Cicerone ad Attic. lib. 5. epist. 13. totius autem operis 99. in prin. Nauigabamus sine timore & sine nausea, sed tardius propter aphractorũ Rhodiorum imbecillitatem. Ex quo intelligis Aphractũ legendum esse. Rhodiorum tamen naues omnium celerrimas tradit Liuius 4. Decad. libr. 7. Nam Celoces nauigij genus primos illos inuenisse scribit Plin. libr. 7. cap. 56. paulò ante fin. Sed & Catafractas fuisse naues intelliges ex Polybio lib. 5. 14 15. & 16. non semel.

p *Dyerotam.*] Vide Pollucem. Cicero ad Atticum lib. 5. epistol. 11. Aphracta Rhodiorum, & dycrota Mitylenæorum habebam.

q *Supparum.*] Seneca ad Lentulum lib. 14. epistol. Lucanus lib. 15.

— Summaq; pandens
Suppara, velorum perituras colligit auras.

Et Stat. lib. Syluarum 3. syl. 3.

— Vos summis conuertite suppara velis.

r *M. verò Antonius.*] Plutarchus in vita illius, & Plinius lib. 19. cap. 1.

s *Id quod Alcibiades.*] Athenæus in Dipnosophist. Chrysogonus, inquit, stola indutus Pythica tunc τὸ τριηρικὸν tibia canebat. cùm Alcibiades purpureis demissis velis, iussisque

remi

prætoriam nauim cum velo purpureo haberet. [t] Alexander quoque quum Indum nauigaret, versicolori velo totius classis insignia variauit. [u] Fuitque obseruatum, lumen in prætoria naui quò cætera classis prosequitur, spectatissimum insigne noctu fuisse. [x] Quare Scipio in Africam transmissurus, velis in altum datis, singula rostratæ naui, bina onerariæ, prætoriæ trina luminaria dedit. [y] Et in nauali pugna deponere signum aut velum, ad alterius præscriptum se imperata facere, & mandatis obsequi significari. [z] Abiectis vero armis plausum facere, aut nauim velatam infulis occurrere, supplicandi genus esse, probatum est. Sed quod modo de tessera dictum fuit, animaduertimus [a] tesseram symbolum fuisse bellicum, & signum quo socij milites dignoscebantur ab hostibus, vt pro quibus, & contra quos arma sumerent, facile dignoscerent. Eam fuisse in [b] castris diui Cæsaris Venerem genitricem: [c] in Pompeij Magni Herculem inuictum: [d] in Pompeij Iunenis, Pietatem. [e] In Antonij exercitu Lar Deus fuit, [f] in Syllæ autem Apollo. [g] Neronem vero optimam matrem militibus tesseram dedisse tradunt. [h] Ipséque Diuus Cæsar quandoque Felicitatem, [i] nonnunquam Victoriam militibus tesseram proposuit. [k] Brutus in Philippis Apollinem. [l] Cyri autem tessera fuit, Iupiter belli socius & dux. [m] Diuus verò Antoninus, Æquanimitatis. [n] C. Caligula Priapum & Venerem Cassio, tanquam molli & effœminato, signum dedit. adeo [o] Seuerus Septimius, Laboremus: [p] Pertinax vero, Militemus. [q] Claudius Cæsar græcanico versu definiuit tesseram, in hæc verba: virum vlcisci decet, quando quispiam prior iniuriatur, siue molestus est. [r] Demetrius Iouem & victoriam militibus edixit tesseram. Fertur Antiochus cognomento Soter, aduersus Galatas ducturus, signum proposuisse, Bene valere. Et Mecœnas quoties in castris ducis fungebatur officio, distincti tesseram dedisse. Quam quidem, siue quem incolumem reuerti, siue castra metari, aut corpora curare, & prandere milites, seu qua vigilia educi legiones conueniret, vel quid aliud silentio agi oporteret, pro militari signo dare soliti sunt. Qua data, satis constabat, non errore, sed consilio & imperio ducis, ea quæ iubebant, fieri. Fuitque probatum experimentis, tessera accepta, milites ordines seruare frequentes: ea vero sublata, aciem dissipari. [s] Alij tesseram men-

Lumen in prætoria naui.

Tesseræ militaris.

ANNOTATIONES.

remigibus velis incumbere, nauibus coronatis ob victos Lacedæmonios Pyræum portum ingrediebatur. Vide Plutarch.

t *Alexander quoque.*] Plin. d. lib. 19. c. 1.

u *Fuitque obseruatum.*] Quod patet ex seq. exemplo.

x *Quare Scipio.*] Liuius 3. Decad. lib. 9.

y *Et in nauali pugna.*] Id sumptum videtur ex Appiano lib. 5. bello. Ciuil. vbi loquens de nauibus Antonij & Ænobarbi. Iam, inquit, in conspectum venerant, & rates præcedentes ex signorum vexillis apparebant, & ad cursum, vt se inuicem adirent, hortabantur, cùm lictor Antonio ante proram assidens, vt mos fuit, siue quòd ambiguum illum victum ignoraret, qui tanto exercitu propriòque ad eos nauigaret, siue à generositate animi, id expromeret, vt inferioribus dignitate viris signum è naui deponere imperauit: quod ab illis factum est. Quod & nos alibi ad aliud citauimus.

z *Abiectis verò armis.*] Vide infrà eod. lib. c. 7.

a *Tesseram symbolum.*] Virg. lib. 7. Æneid.

It bello tessera signum.

Silius lib. 5.

—Tacitum dat tessera signum.

Liuius 1. Decad. lib. 7. Cæteris omnibus tesseram dari iubet. Claudianus lib. 1. Panegyr. Stiliconis, non procul à fi.

Decretóque toga felix legionibus iret
Tessera, Romuleas leges rediisse fatemur,
Cùm procerum iussis famulantia cernimus arma.

Vide Vegetium lib. 7. cap. 7. Ab hac autem Tesserarij dicti sunt Modestino Iurisconsult. qui tesseram, hoc est signum bellicum, per contubernia nunciant. Vide Modestum de vocabulis rei militaris. & Robertum Steph.

b *In castris Diui Cæsaris Venerem.*] Appianus lib. bell. Ciui. 2. Seruius in 7 Æneid. vbi suprà in præced.

c *In Pompeij Magni.*] Appianus d. lib. 2.

d *In Pomp. Iunenis.*] Idem Appia. ibid. lib. 3.

e *In Antonij exercitu.*] Seruius vbi suprà, id Marij signum fuisse dicit.

f *In Sylla autem Apollo.*] Idem Ser. ibid.

g *Neronem verò optimam matrem.*] Sueton. in vita illius cap. 9. Corn. Tacit. lib. 13. in princ. Propalam, inquit, omnes in eam honores cumulabantur, signúmque, more militiæ, petenti tribuno dedit, Optimæ matri.

h *Ipséque Diuus Cæsar.*] Hirtius in bello Africano, Quod postquam, inquit, intellexit, incitatis militum animis resisti nullo modo posse, signo felicitatis dato, equo admisso in hostem contra principes ire contendit.

i *Nonnunquam victoriam.*] Et hanc quoque quorundam fuisse tesseram, & similiter palmam, & virtutem, & Deus nobiscum, & triumphum Imperatoris tradit Vegetius lib. 3. cap. 5.

k *Brutus in Philippis Apollinem.*] Plutar. in vita illius.

l *Cyri.*] Scilicet Maioris in Xenophonte lib. 3. iterúmque 7. non longe à princ. Minoris verò tessera erat Iupiter Seruator & victoria, ex eodem in ipsius expeditione lib. 1.

m *Diuus verò Antoninus.*] Scilicet Pius ex Iulio Capitolino in vita ipsius ad finem. Signúmque, inquit, Tribuno Æquanimitatis dedit. Sed & idem de Antonino Philosopho tradit idem Capitol. Statímque, ait, signo Æquanimitatis Tribuno dato. Sed hæc vtriusque scilicet Antonini, non militaria erant, vt superiora, & alia inferiora: sed insignia vel sigilla imperatoria, quibus, vt reor, in suis literis vtebantur, vt videre licet ex ipso Capitolino, qui scribit hos Imperatores sub tempus mortis ipsorum ea signa dedisse, & simul fortunam auream, quæ in cubiculo Principum poni solebat, ad successores in imperio transferri iussisse, de quo & nos alibi diximus, scilicet lib. 1. c. 13.

n *C. Caligula.*] Sueton. in vita illius c. 56. & Seneca lib. 10. episto. ad Serenum. & vide Pausaniam lib. 9.

o *Seuerus Septimius, Laboremus.*] Ælius Spartianus in vita illius.

p *Pertinax verò.*] Spartianus ibi. & & præterea Iul. Capitolinus in Pertinace.

q *Claudius Cæsar.*] Sueton. in vita illius cap. 42. Tribuno, inquit, signum de more poscenti non temere aliud dedit, quàm.

ἄνδρ' ἐπαμύνασθαι ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ,

r *Demetrius.*] Plutarch. in vita illius.

s *Alij tesseram mensuram.*] Nam hinc tessera frumentaria. Sueton in Nerone, c. 11. & Vlpiano in l. sed & si susceperit. §. 1. ff. de iudic. & Paulo in l. mortuo. §. 1. ff. de leg. 3. Et de hac quoque Sueton. in Augusto, c. 40. Ac ne plebs frumentationum causa à negotiis auocaretur, ter in annum quaternum mensium tesseras, dare destinauit. Et Iuuenal. 7.

Summula ne pereat, qua vilis tessera venit

Tessera alba significatio.

furam fuise, qua frumentum militibus metiebatur, non ineptè arbitrati sunt.[t] Erat prætcrea vexillum cærulei ruffique coloris qno educto, inque arce proposito, satis constabat, milites, si quid subitum ingrueret, in re præcipiti non iusto delectu, sed tumultuaria manu arma expedire, & institio indicto, nomina dare, [u] etiam sine vacationis priuilegio, saga sumi, & inter se coniurare, legiones conscribi, delectum festinanter haberi, arma apparari oportere: quæ quidem [x] tumultuaria manus,[y] & subitariæ legiones dicebantur: quum ad subitos hostium incursus, in præcipiti celeritate, non satis laxamenti iusto delectui ducibus dabatur, [z] Iusti autem fuere dies triginta, intra quos expeditioni milites apparari necesse erat.[a] Illud autem satis constat, concussu & crepitu armorum victoriam significari, exhortationes fieri. [b] Apud Græcos in παίαν: [c] apud Afros, iniice, iniice, seditionis signum fuit. [d] Pileúmque in hasta propositum, ad libertatem proclamari. [e] Manus expedire, atque alte illas efferre consensio militaris erat. [f] Manus vero imperatori protentare milites, initium armorum: [g] & flagrante seditione tumultum suscitari: [h] ad arma conclamari, hostes adesse significari. Defectionis, Athenionem vocare. [i] Is enim Athenio Siculus fuit, qui Drepanetis deficientibus, quum capita factionis assumeret, interempto domino, & ex ergastulis coacta seruorum manu, & comitibus voluntariis, regnum sibi asciuit. [k] Fuisse enim factiones partium in Sicilia, quemadmodum in Græcia, satis constat. [l] In omni ferè Græcia fuerunt partes, Doricæ & Ionicæ: inter Dores erant Lacedæmonij, inter Iones Athenienses. [m] Athenas quoque in factiones tres diuisas legimus, in Diachreos, Pedios, & Paralios. [n] aliquando in duas, Thucydidis vnam, Periclis alteram: [o] aut in plebeiorum, cui Polyarchon: & optimatum, cui Cassander præerat. [p] Nonnunquam in plures, scilicet Ephialtis, Myronidis, Thomidæ, Cimonis, & Leocratis. [q] Thessaliam vero in Egesaretos, & Petreios. Et in Argo, Aristippi & Aristæi. [r] Et apud Milesios, vna Plutis, altera Cheromacha factio fuit: [s] sicut apud Catthaginenses Barchina & Hannonis. Alibi simultas plebeiorum & paucorum; quippe [t] Perciles plebem, Cimon optimates

Tempus apparandæ expeditionis. Indicia quædam militaria. Athenio.

Factiones Siciliæ. Atheniensium. Argorum. Milesiorum. Carthaginensium.

ANNOTATIONES.

Frumenti, quippe hac merces lautissima.
Fuit & tessera nummaria apud Suetonium in Augusto, cap. 41. in fi. quæ tamen videtur esse eadem cum prime. vide ibi interpretem. Fuit item tessera hospitalis, de qua Erasm. Chil. 1. centur. 10. c. 50. Confringere tesseram. Fuit & alia quoque de qua Veget. lib. 2. c. 7.

t *Erat præterea vexillum carulei.*] Macrob. lib. Saturnal. 1. c. 16. vbi loquens de diebus præliaribus: inquit, Siquidem iusti sunt continui triginta dies, quibus exercitui imperato, vexillum ruffi coloris in arca positum est. Et Seruius in lib. 8. Æn. in princ. ibi,

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce Extulit.

u *Etiam sine vacationis priuilegio.*] Isidorus lib. Etymol. 18. c. 1. Grauior, inquit, est tumultus quàm bellum: in bello vacationes valent, in tumultu non valent.

x *Tumultuaria manus.*] Vide omnino infrà lib. 6. c. 22. vbi de tumultuariis militibus.

y *Et subitaria legiones.*] Liuius 1. Decad. libr. 3. non multò post princ. Ad eum, ait, explendum Latini Hernicique & colonia Antium dare Quintio subitarios milites (ita tum repentina auxilia appellabant) iussi. Et de hoc intelligit Lucanus lib. 1.

—Veniat longa dux pace solutus
Milite cum subito. ——

z *Iusti autem fuere dies triginta.*] Ex Macrobio, cuius verba ad eam rem adscripsimus suprà in verbo, Erat præterea vexillum. Et probatur præterea testimonio Liuij 3. Decad. lib. 7. Et earum coloniarum iuniores iureiurando adacti supra triginta dies non pernoctaturos se esse extra mœnia coloniæ, donec hostis in Italia esset.

a *Illud autem satis constat.*] Hoc iam dictum est suprà.

b *Apud Gracos in παίαν.*] Thucidides lib. 2. belli Peloponne. de ipsis Peloponnesibus loquens, Illi, inquit, posterius venientes inter nauigandum Pæana canebant, tanquam victores. Virgil. lib. 6. Æneid.

—Lætúmque choro Pæana canentes.

Et alibi sæpe apud authores.

c *Apud Afros.*] Id Polybij est lib. 1.

d *Pileúmque in hasta propositum.*] Valerius Max. lib. 8. c. 6. vbi de C. Mario. Erasm. Chiliad. 2. cent. 1. c. 27.

e *Manus expedire.*] Tollere manus signum lætitiæ est. Cic. Cæs. Sustulimus manus & ego & Balbus: tanta fuit opportunitas.

f *Manus Imperatori protentare.*] Tacitus lib. 1. Postremo deserunt tribunal, vt prætorianorum militum, amicorúmque Cæsaris occurreret, manus intentantes, causam discordiæ, & initium armorum.

g *Et flagrante seditione.*] Sic factum ast Antiochiæ à militibus Alexandri Seueri, teste Lampridio in eodem. Vide etiam Tacitum lib. 1. in duobus locis.

h *Ad arma conclamari.*] Liuius 3. Decad. lib. 9. Itaque valut si vrbem extemplo aggressurus Scipio foret, ita ad arma est conclamatum.

i *Is enim Athenio.*] Asconius Pedianus in 4. in Verrem actione. Tet de hoc quoque Cicer. in 5. in Verrem actio. De alio autem Athenione & ipso tyranno Athenæus lib. 5. c. 11. & de eorum altero mentionem facit Iulius Capitolinus in vita Maximinorum.

k *Fuisse enim factiones partium in Sicilia.*] Thucydides lib. 3. belli Peloponn.

l *In omni ferè Gracia.*] Vide Strabonem lib. 14.

m *Athenas quoque.*] Plutarc. in Solona, qui tamen Paralos non Paralicos vocat. Aristotel. libr. Politicôn 5. cap. item 5. non Pedius, sed Pedianos. At ipse Plutarc. in Politicis Pandicos. Cæterùm Dionysius Halicarnassens lib. 1. Atheniensium, inquit, quidam Hyperacrij vocati sunt & Peralij. Sed is eas appellationes non ex factionibus tribuere videtur, sed quòd alij in montibus habitabant, alij erant, maritimi. Thucyd. belli Pelopon. lib. 8. Paralos dicit.

n *Aliquando in duas.*] Plutar. in Pericle.

o *Aut in plebeiorum.*] Probus Æmylius in Phocione.

p *Nonnunquam in plures.*] Hæc vsque ad clausulam, Thessaliam vero sunt Plutarchi in Pericle, ex quo lege, Tolmidæ, quem hic Tomidam vocat. Lege tamen Græcum.

q *Thessaliam.*] Cæsar lib. 3. belli Ciuilis. Cassius, inquit, in Thessaliam cum legione peruenit. Hîc cùm essent factiones duæ, varia voluntate ciuium vtebatur. Egesaretus, veteris homo potentiæ, Pompeianis rebus studebat: Petreius, summæ nobilitatis adolescens, suis ac suorum opibus Cæsarem enixè iuuabat.

r *Apud Milesios, vna.*] Plutarch. Problem. c. 145. At Heraclides Ponticus lib. 2. de Iustitia. & ex eo Athenæus lib. 12. cap. 8. tradunt apud eosdem fuisse aliam factionem eorum, scilicet, qui opes possidebant & popularium, quos illi Gergithas appellabant.

s *Sicut apud Carthaginenses.*] Liuius 3. Dec. lib. 1. post princ. & alibi sæpe. Plutar. in Annibale & Scipione.

t *Pericles plebem.*] Plutarc. in Pericle.

u *Gallia.*]

fouebat.[u] Gallia vero quum in factiones duas diuisa foret, alterius Hedui, alterius Sequani capita fuere.[x] Lycurgus Spartam in duas factiones diuisit, quas phylas & obas nuncupauit. Etiam Peloponnesus variis nitebatur factionibus: namque Argiui, Elij, Mantinenses, alijsque finitimi Lacædemoniis, diuersarum factionum fuere.[y] In Chio autem fuere factiones duæ: & quum alterius princeps Onomadeus, victoria contra alteram potitus esset, alterius factionis viros ab vrbe minime exigendos curauit, ne inimicorum metu vacuus (quod vsu plerumque venit) dissidium cum amicis fereret. Consuetisse quoque Romanos milites, itáque militari disciplina traditum ferunt, vt stipendij pecuniam, aut aliunde paratam, quæ vnicuique superesset, pugnæ tempore apud signa in sarcinulis deponerēt, eámque imperatores iuxta signa seruari mandarent. Quod ideo constitutum ferunt, vt non modò patriæ & Larium, sed fortunarum suarum milites defensores paratiores, proptereáque fortiores forent.[z] Et licet dimidia pars stipendij apud signa sequestrari prius soleret, tamen Domitianus, ne vltra mille nummos deponerentur à singulis, edicto prohibuit.[a] Quod ab Asiaticis Romanos sumpsisse crediderim, quibus fuit in more, vt militiam sequuti, quæ pretiosa haberent, & magni census, secum in expeditionem ferrent: vt tuendi necessitate quæ illis erant charissima, plurima & maxima prælia obirent promptiúsque dimicarent.[b] Persæ vero non pecuniam & gazas, sed pellices velut charissima pignora, quæ stimulis agerent, apud signa deponebant, vt pro his quæ erant exoptatissimæ, & quas maxime diligerent, velut coniugum & patriæ memores, forti & præsenti animo mortem oppetere non dubitarent.[c] Illud quoque proditum memoriæ est, quoties duo simul consules iisdem creari auspiciis, contra eosdem hostes ducerent legiones, tam itineris quàm ineundi certaminis signum ab antiquiore, & consulari, aut pluribus honoribus functo, dari consuesse: quóque siquando patricios & senatum aduocare consules vellent, per præconem singulis nominatis, aut buccina: plebeios vero tribunus plebis per ministros, non singulos expressis nominibus, sed vniuersos cornu aduocabat.

Gallorum. Spartanorum. In Peloponneso. In Chio. Romanorum militum mos. Asiatici. Persæ. Cùm duo consules contra eundem hostem ducerent legiones.

ANNOTATIONES.

u *Gallia.*] Cæsar lib. 6. belli Gallici, vbi scribit, quod cum in Galliam venit, omnes ciuitates in duas partes diuisas fuisse, alterius factionis Principes Heduos, alterius Sequanos fuisse. Nec id pugnat ei, quod alibi, scilicet lib. 1. eiusdem operis, dixerat, Totius Galliæ duas factiones esse. Harum alterius principatum tenere Heduos, alterius Aruernos. Nam & posteà apertè declarat eosdem Aruernos & Sequanos esse.

x *Lycurgus Spartam.*] Plutarc. in ipsius vita.

y *In Chio.*] Hæc vsque ad versicul. Consueuisse quoque. sunt Plutarc. in lib. de Vtilitate ab inimicis capienda, circa fi. & iterum in Politicis ad Traianum. ex quibus locis intelliges hîc Onomademum, non Onomadeum esse legendum. Adde & duas fuisse Pheretorum factiones, de quibus Aristote. in libro Oeconomicorum publicorum. & Messeniorum aliquando etiam fuisse duas Androclis & Antiochi scribit Pausanias lib. 4.

z *Et Licet dimidia.*] Sueton. in Domitiano c. 7. vide ibi Beroaldum interpretem.

a *Quod ab Asiaticis.*] Xenophon in Pædia Cyri lib. 4.

b *Persæ verò.*] Quintus Curtius lib. 3. Plutarch. in Alexandro. Dicæarchus lib. 3. vitarum Græciæ. & ex eo Athenæus lib. 13. c. 2. scribunt Darium Persarum Regem, qui ab Alexandro fuit debellatus, trecentas ac quinquaginta pellices in omnia bella circunducere solitum. Vide Herodotum lib. 9.

c *Illud quoque proditum memoria est.*] Non inficior quin id obseruaretur in primo die siue mense (nam incertum mihi est diebúsne an mensibus eius rei diuisio fieret, vt diximus in nostris commentariis Primigeniorum, quæstione 17. in prima opin.) Sed cùm aut primus dies, aut mensis cessisset antiquiori, aut aliàs digniori, certè posteà alter mensis vel dies cedebat alteri: sicqué continuabant, vt alternis imperarent, vt aperte constat ex iis, quæ diximus in eodem loco.

Quæ fuerint Romanis comitia centuriata, quæ curiata, quæ tributa, & quæ calata.

CAPVT III.

QVOD [a] centuriatis comitiis consules, tribuni militares, prætores, & reliqui magistratus, qui maiora auspicia habebant, crearentur, nemini dubium fuit. Quum enim quatuor essent comitiorum genera, ædilitia, prætoria, tribunitia & consularia, quibus postea addita censoria & quæstoria, centuriata fuere, quæ nisi auspicato fieri poterant, vocatis centuriis, partibus distributis centuriatim aut tributim, descriptis ordinibus, classibus, ætatibus, auditis authoribus, & re promulgata & cognita. Vocabantur enim centuriæ in Martium campum, quò conuenire facilius possent, vbi libera erat suffragandi potestas, ibíque comitiorum die ex censu & ætate illorum qui ex qualibet tribu in centurias selecti erant & in classes (nam populus in centum turmas diuidebatur) non autem mixtim ex colluuione omnium per pontem suffragia ferebant. Quæ tamen comitia, si quando populus

Centuriata comitia. Pop. in centum turmas.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

a QVod centuriatis comitiis consules.] Quibus maiores creabantur magistratus, eisdémque leges ferebantur. His comitiis per classes inibatur suffragium. In quibus descripto ex ætate & censu populo, prima classis, quæ maximi erat census & optimates ferè continebat, primò ferebat suffragium, vocatis ordine seniorum ac iuniorum centuriis. Deinde secunda classis, eodem ordine, deinde tertia, Post quá, si adhuc variasset numerus, quarta: donec ad quintam quæ vltima erat, peruentum fuisset, quæ iam minimi census erat, ac proinde vilioris turbæ ac suffragatoris. Itaque obseruato hoc discrimine centuriata grauiora erant propter hunc ordinem & delectum populi. Liuius 1. Deca. lib. 1. in fi. & lib. 2. post prin. Gel. lib. 15. c. 14. Erant & curiata siue tributa comitia (nam vtroque nomine appellantur) dicta à curiis siue tribubus, in quæ diuisus erat populus, & hæc leuiora & magis popularia erant, quòd in his plebeij ferè

cum

coire nollet, per patres clientésque patrum fieri poterant: positóque vexillo in arce, exercitus præsidij causa imperabatur. Idque propterea cautum, quòd intra vrbem comitia habere, aut legere militem non decebat: quippe armatis legionibus vrbem ingredi fas non erat, ne grassatoribus obnoxia foret. Candidatorum vero mos fuit, quum comitia fiunt, & in suffragium ciues vadunt, [c] in candida veste siue toga in campum descendere, cum clientibus [d] gentilibúsque, [e] singulásque tribus prehensare [f] & circuire: [g] hominésque etiam tenuissimos & ignotos, quorum suffragiis nituntur, rogare, atque illos per se & communes amicos appellare, obsecrare & obtestari: quorum nomina memoriter referenda erant, quod si qui facere nequirent, [h] adhibito nomenclatore faciebant, tametsi cautum postea fuerit, [i] ne candidatis nomenclatores adessent, [k] suáque merita & facinora domi forísque commemorare, demissísque & humilibus verbis supplicare, nihil denique fraudis aut lenocinij omittere, prehēdere amicos, ambire patronos, domos stationésque circuire, admonere beneficij, pellicere donis iuuenes, & ingentia polliceri, nihil reliqui facere, vt sibi in consequendis honoribus socij & adiutores sint, atque in petitione suffragentur. In qua re elaborandum erat, vt adolescentes nobiles, & summo loco natos, studiosos haberent, qui omni studio & comitate rogandi persuadendíque erant, vt se amicos, [l] suffragatores, duces atque assertores exhiberent, competitoribúsque inuidiam, sibíque studia hominum, fauorémque conciliarent. Nam multos potentia & multitudine amicorum fultos, potestates & imperia peruicisse inuenimus. Quum enim populus tam Romuli quàm Tulli legibus comitiorum princeps foret, ita vt quos creare magistratus vellet, illi potestas esset: his artibus delinire mentes, singulorúmque animos captare oportebat. Quod licet esset in vsu frequens, [m] nonnulli tamen hoc supplicandi genus velut sordidum & parum libero homine dignum, deuitarunt: siquidem L. Crassus nunquam adduci potuit, vt præsente Q. Scæuola, more candidatorum populo supplicaret. [n] Phocioni quoque cum nunquam supplicare populo sustinuisset, & ideo comitiis interesse nollet, absenti & inuito honores delati sunt. [o] Qui etiam candidati, vt plus autoritatis ferrent, vtque iusta suffragatione digni haberentur, cognomenta sæpe clarissimarum familiarum desumpserunt: eaque propria & peculiaris licentia candidatorum fuit, vt bonum nomen ferrent, & ex optimatibus indicarentur. Nec minore studio his quos rogabant, agere gratias: nam mirum & efficax studium in agendis gratiis habebatur. [p] Singulos denique prehensare, obuiásque manus dare, salutare, & omnibus arridere debebant. Qui vt conspicui essent, vtque à populo spectarentur, nundinarum tempore & mercatu frequenti, quò opifices & agrestes ad vrbem commeabant (quum nona quaque die fora constituerentur) in edito colle spectandos se præbebant, vt popularem gratiam fauorémque aucuparentur, idque post aliquot secula, lapsis iam & defluxis moribus, fieri seruatum est. [q] Antea enim sine ambitu suffragiorum, aut his lenociniis præsente senatu, summo silentio ipsi per se candidati in comitiis vitam suam belli domíque, decora atque officia in rempublicam, & quid singulis vniuersísque præstitissent, tum maiorum fortiter facta, longa & accurata oratione explicabant: qua cura, qua diligentia, qua animi magnitudine honores gessissent, testésque & laudatores dabant, qui, omnes æquissimis animis audiebant Quæ rerum

Candidatorum mos.

Nomenclatores candidatorum.

Romuli & Tulli lege populus comitiorum princeps.

ANNOTATIONES.

cum nobilibus pares essent, tum numero etiam & multitudine superiores. & in his Quæstores & Ædiles creabantur.

† *Nam populus in centum turmas diuidebatur.*] Festus Pomp. libr. 5.

c *In candida veste.*] Hinc etiam Candidati dicebantur, qui ad alicuius magistratus aut dignitatis petitionem aspirabant. Zasius in l.ij.ff de Orig iur. Candidatos vocat eos, qui nondum sunt assecuti honorem, sed ambiunt, & spes est eos assecututos esse. Vide Budæum in Pand.

d *Gentilibúsque.*] Vis audire magnam inter gentes Candidatorum contentionem? lege, quæ scripsit Liuius Dec. d. lib. 5. non adeò longè à princ. & eiusdem Dec. lib. 9.

e *Singulásque tribus prehensare.*] Frequentatiuum supplicibus & candidatis maximè conueniens, quòd suffragatorum manus prehendunt. Cicer. 2. de Orat. introducit Crassum sic loquentem, Equidem cùm peterem magistratum, solebam in prehensando dimittere à me Scæuolam. Et lib. 1. ad Attic. epistol. 1. statim post princ. Prensat vnus P. Galba sine fuco ac fallaciis, more maiorum. Et paucis verbis interiectis, fuit illius hæc præpropera prensatio, nam illi ita negant vulgò, vt mihi se debere dicant. Et alibi sæpe apud authores hoc verbum prensandi siue prehensandi, vt candidatorum proprium vsurpatur.

f *Et circuire.*] Et hoc quoque Sueton. in Augusto, cap. 56. Quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circuibat, supplicabatque more solenni. ferebat & ipse suffragium in tribu, vt vnus è populo. Liuius 1. Dec. lib. 5. His muliebribus instinctus furiis Tarquinius, circumire & prensare minorum maximè gentium patres.

g *Hominésque etiam tenuissimos.*] Cicero ad Q. Fratrem lib. 2. & 3. Plin. lib. epistolar. 2. epist. 6. & alibi.

h *Adhibito nomenclatore.*] Plutarc. in Catone Vticen. & vide suprà lib. 2. c. 19.

i *Ne candidatis nomenclatores.*] Plutarc. vbi suprà, dicit solum Catonem Vticensem eam legem seruasse.

k *Suáque merita.*] Plin. lib. epist. 3. epist. pen. ad Mesium Maximum, de candidatis loquens, Dicebat, inquit, ipse pro se vitam suam explicabat, testes & laudatores dabat, vel eum sub quo militauerat, vel eum, cui quæstor fuerat, vel vtrumque si poterat.

l *Suffragatores, Duces atque assertores.*] Plinius vbi suprà, illud quoque subdit, Addebat quosdam ex suffragatoribus: illi grauiter & paucis loquebantur. Suffragator autem is est, qui creandis magistratibus suffragium fert. Plautus in Cas. act. 2. scena. 4.

Ibi ego te & suffragatores vlciscar tuos.

m *Nonnulli tamen.*] Hæc vsque ad clausulam, Phocioni quoque. sunt Val. Maximi lib. 4. c. 5.

n *Phocioni.*] Plutarc. in vita illius.

o *Qui etiam candidati.*] Plinius vbi suprà.

p *Singulos quoque prehensare.*] Suprà in verbo, Singulasque tribus prehensare. Macrob. Satur. libr. 1. cap. 16. Candidatis, inquit, vsus fuit, in comitium nundinis venire, & in colle consistere, vnde coràm possent ab vniuersis videri.

q *Anteà enim sine ambitu.*] Hæc vsque ad clausulam, Quibus quidem

gestarum commemoratio non ficta, longè plus poterat, quam preces & ambita suffragia, quæ postea vrbem inuasere. [r] Quibus quidem comitiis plerumque dictator, consul aut prætor, maioresque magistratus præerant. Ante cuius curulem sellam candidati suffragia excipiebant. [s] Scita verò suffragiorum nongenti, qui ex ordine iudicum erant selecti, custodiebant, & ne quid fraudis dolive admitti posset, néve quis tessellas in loculum conijceret, solicitè curabant: quippe singulis tribubus comitiorum die non solùm custodes, sed rogatores & distributores præerant. Describebantur nomina tribuum vel centuriarum, quæ intra [t] cancellos, quibus Ouilia nomen erat, vt quæque vocata fuerat, ex vrna vt sors ferebat introducta, suffragabatur. [u] Demum tribuum sortitione facta, in cistellam posita, [x] quam situlam dixere, renunciabant præconis voce, quem quæque tribus candidatum elegisset. Fuitque prisci moris, vt Veturia, cuius erat prærogatiua suffragiorum, pro suo candidato prius in suffragium iret. namque ex centoriis militaribus facto iterum delectu tam ex iunioribus quàm veteranis, præstantiores in proprias seligebant centurias: quarum erat prærogatiua suffragiorum per vices; quibus Veturiæ nomen datum. [y] Nonnunquam alia seruata est suffragiorum ratio: siquidem Lucius Cassius Longinus tribunus plebis, Caio Mario & Flacco consulibus, vt populus per tabellas punctis distinctas suffragia ferret legem tulit tabellariam, quæ diu sancta & incorrupta mansit. Ea enim lege, ne qua inuidia oriretur, & quò magis animo libero vota impartirent, cautum fuit, vt non voce, sed punctis suffragarentur. Puncto enim in tabula apposito, per singulas tribus, pro quo candidato suffragia conferrent, dignosci poterat. Quibus tabellis nihil aliquando melius visum, quum illis ambitus & concionum licentia palam adempta fuerit, postea animaduertentes, quia authoritas optimatum, & illorum qui honoribus præstant, plus voce quam puncto haud dubiè poterat, postpositis tabellis, ad aperta suffragia, & primum ordinem comitiorum redite. Nonnunquam n discoloribus cetis signa suffragiorum, & sententiarum notabantur: quod in iudiciis quoque fieri animaduertimus. [z] Persæpe verò vniuersus populus effuso studio & fauore accensus, aliquem insignem candidatum ob excellentem virtutem militarem, cuius summa dignitas maximæque res gestæ fuere cunctis suffragiis consulem aut prætorem, ædilem aut censorem declarauit, & comitiis renunciauit. Quibus in suffragium missis, consul qui præsidebat, eum qui ad honores promotus fuerat, primus voce renunciabat, mox præconis voce populo palam fiebat: in quo proditum memoriæ est, [a] Domitianum morte affecisse Flauium Sabinum, quòd consularium comitiorum die, præco illum non consulem, sed per errorem ad populum Imperatorem declarauit. [b] Qui verò candidatus renunciatus designatúsque fuerat, antequam iniret magistratum, solenne carmen precationis præfatus, sicut mos est, celebri oratione populo vniuerso agere gratias, eúmque honorificentissimis verbis alloqui, & de se bonam spem polliceri debebat: quod Paulus Æmylius cum aduersus Persen totis comitiis consul foret renunciatus, facere recusauit, nam palam professus est, nullas se gratias populo debiturum: qui si meliorem nacti essent, liberam se eligendi potestatem populo daturum dixit. Inde è campo qui designatus declaratúsque fuerat, in Capitolium, mox ab vniuerso populo in domum suam deducebatur. Quod si primis suffragiis minus valere poterant, parúmque virium in promouendo candidato fuisset: quippe cùm bina denuo de eisdem candidatis sæpe comitia fierent, quò facilius in comitiis concordia populi firmaretur: plerumque prolatis comitiis, fracto animo, squalore & lachrymis demissi & supplices candidati, singulos etiam de plebe homines, atque humillimum quemque prehensare, populóque vniuerso supplicare solebant: ita vt quod prius assequi non poterant pietate motus populus traderet. Id enim in comitiis plerumque eueniebat, vt dies intermissus, rumoresque temerè dissipati, aut fabula ficta, vel minima offensiuncula, paruáque rerum momenta, totam sæpe rationem comitiorum perturbarent, & magnos motus exciterent. Fiebat enim sæpenumero miseratione, tum splendore vitæ, nonnunquam gratia, aut meritis antea exhibitis, vt magni casus intercederent, fieretque repentina mutatio: vt qui modò erant repudiati, honestissima suffragatione haberentur digni, præsertim à populo qui velut mare sempiterna agitatione moueatur. Nonnunquam in conferendis honoribus populum bis censuisse, & suffragia dedisse

Comitiis centuriatis qui præerant. *Scita suffragiorum qui custodiebant.* *Ouilia.* *Suffragiorum ratio.* *Veturia tribus.* *Suffragia per puncta.* *Lex tabellaria.* *Alia ratio suffragiorum.* *Candidatus ad magistratum aliquem designatus.* *Vbi primis suffragiis non successisset candidatis.* *Primis comitiis repudiati, secundis verò admissi.*

ANNOTATIONES.

quidem maxima ex parte sunt Plinij Iunioris d. epist. 2. eadémque penult. lib. 3.

r *Quibus quidem comitiis.*] De Dictatore satis diximus suprà lib. 1. cap. 6. De Consule & aliis dicemus quoque infrà eod. cap.

s *Scita verò suffragiorum.*] Lege Cistas ex Plinio, cuius hæc sunt lib. 33. c. 2. in princ.

t *Cancellos, quibus Ouilia nomen erat.*] De huiusmodi Ouilibus vide suprà lib. 1. c. 18.

u *Demum tribuum sortitione facta.*] Vide Annotat. sequent.

x *Quam situlam dixere.*] Plautus in Casina, act. 2. sce. 4.
Et situlam huc afferte, cum aqua & sorteis.
& scen. 6.
— Adsunt, quæ imperasti omnia:
Vxor sortes atque egomet.

Liuius 3. Decad. lib. 5. Testulis datis, tribuni populum summouerunt, situláque allata est, vt sortirentur, vbi Latini suffragium ferrent.

y *Nonnunquam alia seruata est.*] Hæc vsque ad clausulam, Nonnunquam discoloribus, sunt Cicer. libr. 3. de legibus, quo loco de suffragiis eleganter, vt cætera omnia, disserit. & in Oratio. pro C. Plancio, aliàs Planco. in Rullum. & in Bruto. & Plinij Secundi d. libr. epistol. 3. epist. 20. ad Maximum. & lib. 4. epist. 25. ad eundem Max.

z *Persæpe verò vniuersus populus.*] Sic cùm Scipio Africanus Ædilis creatus est apud Liuium 3. Deca. lib. 5. & posteà, &c. vide eundem.

a *Domitianum morte, &c.*] Sueton. in vita Domitiani, c. 10.

b *Qui verò candidatus.*] Hæc vsque ad versic. Inde è campo sunt Plutarchi in vita P. Æmylij.

a Fertur

compertum est: centuriatisque & decuriatis comitiis diuersa suffragia contulisse: quod ideò fit, vt cuique libera facultas foret postremis comitiis mutare suffragium, si quem primæ suffragationis pœniteret. [c] Fertur tamen Caius Cæsar comitia ita cum populo partitus, vt pro parte dimidia candidatorum, quos populus vellet, exceptis consulatus petitoribus, pro altera dimidia, quos ipse dedisset, pronunciaret. [d] per se verò in comitiis consularibus, quia Imperatores deligebantur, præter populum vniuersum, etiam militaris ordo & equites frequentissimo concilio aduocati intererant: quippe suffragatione militari summi plerumque duces delecti sunt. [e] Scipioni enim Africano iussus populus inire suffragium, omnis militaris ordo, omnésque centuriæ & tribus ad vnum, Imperium in Hispaniam detulere. Quoties dissimilia suffragia diuersis comitiis darentur, illa præualere certum est, quæ iustis comitiis fierent. Prærogatiua enim suffragiorum, semper iustorum comitiorum fuit. [f] Quod autem dempta toga candidatos in campum prodire obseruatum est, propterea constitutum ferunt, ne per occultos sinus pecuniis absconsis, largitione & ambitu suffragia mercarentur: aut saltem vt cicatrices & vulnera, quæ pro patria próque ciuibus pugnando passi sunt, conspicua forent. [g] Proditúmque memoriæ est, Africani superioris filium, cum præturæ candidatus in campum descenderet, candidam quam induerat togam, turpitudinis maculis obsolefactam ostendisse, magnóque dedecore, totius populi suffragio repulsam tulisse. [h] Quæ quidem centuriata comitia per cornicinem indici, curiata verò per lictorem calari solebant. [i] Fuere autem curiata comitia, in quibus non de magistratibus conferendis, sed de exercitu, de legibus, de legatis, déque ducibus deligendis, & legionibus inter consules partiendis, de prouinciis, de genere belli, deque his quæ ad rem pertinent militarem, & an contra hostes arma sumere expediret, decernebatur: vt si rogationem probaret populus, bellum fieret. si verò antiquaret, cessaretur ab armis: in quibus suffragia non ex censu & ætate, sicut in centuriatis, sed ex generibus omnium ætatum & ordinum promiscua multitudine ferri assuerant. [k] Cum enim viritim tribules dabant suffragia, vbi accedebat singulorum totiúsque vulgi opinio & consensus, ea comitia curiata; cum verò per singulas centurias vnus ferebatur calculus, centuriata dicta sunt. [l] Ideo in curiatis omnis potestas suffragiorum, & comitiorum euentus, penes populum stetit. Nam singulis popularibus, etiam despectissimo cuique viritim suffragandi, próque suo candidato decertandi potestas erat. [m] In centuriatis vero cum non singuli censerent, [n] sed per centurias suffragia ferrent, in quibus copiæ aliquorum plus poterant, [o] pro eo quód ex omni tribu præcipui opibus & dignitate, in centurias selecti, suffragabantur, diuitum suffragationem præualuisse certum est. [p] Interdum verò curiatis comitiis, tribunos plebis, tribunósque militares, & alios magistratus extra ordinem creatos inuenimus: [q] tunc maximè, cum hi magistratus primùm inuenti constitutíque sunt. [r] Erat enim consentaneum, in nouis magistratibus creandis, non aliquorum, sed totius populi suffragia postulari. [s] Quod nisi comitiis curiatis fieri posse, nemo dubitauit. [t] Fuit quoque animaduersum, leges quæ ad populum pertinerent, quandoque centuriatis comitiis latas: siquidem L. Valerius Publicola comitiis centuriatis legem tulit, ne quis magistratus ciuem prouocantem verberaret, necarétve. [u] Præter quæ fuere calata comitia, quæ curiata & centuriata continent. [x] Hæc enim sunt pontificis maximi & sacerdotum, in quibus non omnes, sed descripti selectíque conuenire & suffragia ferre poterant. [y] Nam cum vniuersum populum sacerdotia mandare, vel quemquam sacris præficere, propter religionem non deceret, Cn. Domitio tribuno plebis legem ferente cautum est, vt minor pars populi selectíque vocarentur, & ab ea parte qui dignus collegio foret, in sacerdotium assumptus cooptaretur. Ideo non plures quàm decem & septem tribus, in pontificis aut sacerdotum comitiis vnquam interfuisse compertum est. Quæ non comitia, sed populi concilium dicebatur: quippe qui non populum vniuersum, sed tantum partem concilio aduocarent.

Militaris ordo in comitiis consularibus aduocatus. *Cum diuersa suffragia darentur.* *Curiata comitia.* *Centuriata.* *Diuitum suffragia.* *Calata.* *Concilium populi.* *Sacerdotum comitia propria.*

ANNOTATIONES.

c *Fertur tamen C. Cæsar.*] Sueton. in vita illius c. 41.

d *Per se verò.*] Id probatur exemplo seq.

e *Scipioni enim Africano.*] Liuius 3. Dec. lib. 21. & Plutar. in vita illius non longè à princ.

f *Quod autem dempta toga.*] Plutarch. in Coriolano.

g *Proditúmque est memoria.*] A Val. Maximo lib. 3. c. 5. post princip.

h *Quæ quidem centuriata.*] Gel. lib. 13. c. 14.

i *Fuere autem Curiata comitia.*] De his Cicero in Oratione pro Domo sua, & de l. Agraria. & Gellius vbi suprà. & Festus Pompeius lib. 3. Vide Nicolaum Gruchium lib. 3. c. 2. de Comitiis.

k *Cùm enim viritim tribules.*] Gellius lib. 15. c. 27.

l *Ideo in curiatis omnis potestas.*] Dionysius Halicarnass. lib. 7. scribit in comitiis curiatis omnem potestatem creandi magistratus fuisse penes populum.

m *In centuriatis verò.*] Gellius lib. 15. c. 27. & Sext. Pomp. libr. 3.

n *Sed per centuriat.*] Cicero libr. 3. de legib. & in Orat. ad Quirites post reditum suum, siue post reditum in Senatu, & in Orat. pro Milone. & Fest. Pompeius lib. 3.

o *Pro eo quod.*] Dionys. Halicar. d. lib. 7.

p *Interdum verò.*] Hoc ex Gellij libr. 5. cap. 19. colligi potest, si cum eo quod Liuius ait Decad. 1. lib. 3. conferatur. Hic enim Tribunos pleb. à pontifice max. creatos. Ille verò comitia dici curiata quæ arbitris Pontificibus fierent affirmat.

q *Tunc maximè.*] Idem Liuius 1. Decad. lib. 1. & 2. Dionysius Halicar. lib. 6. non longè ante fin.

r *Erat enim.*] In populo enim omnis pars ciuitatis, omnesque eius ordines continentur. Hæc Gellius lib. 10. c. 20.

s *Quod nisi.*] Sunt enim curiata comitia, cum ex generibus omnium suffragium fertur, vt ait idem Gell. lib. 15. c. 27.

t *Fuit quoque.*] Vide infrà hoc eodem lib. c. 6. in princ.

u *Præter quæ.*] Gellius lib. 15. cap. 27. vide librum comitiorum Nicolai Gruchij lib. 3. c. 3.

x *Hæc enim sunt pont. Maximi.*] Gellius vbi suprà.

y *Nam cùm vniuersum pop.*] Hæc vsque ad clausulam, Ideo non plures, sunt Aul. Gellij vbi suprà, quem vide & lib. de Comitiis vbi suprà.

Cúmque sacerdotium maximæ esset authoritatis, propter religionem decuit sacerdotes comitia habere propria, in quibus ad sacerdotium assumerentur.[z] His quoque comitiis calatis, quę arbitris pontificibus fiunt, arrogationes illorum, qui cum sui iuris sint, in alterius transeunt potestatem, fieri compertum est. [a] Hæc enim comitia illa sunt calata, quæ pro collegio pontificum aut Regis sacrorum augurísve aut flammis inaugurandorum causa fiunt: siquidem vt hi crearentur, & in collegium admitterentur, sacrísve præficerentur & inaugurarentur, calatis comitiis decernebatur. [b] Calatis quoque comitiis, & sacrorum detestationem, & testamenta fieri animaduersum est. Tria enim veteribus fuere testamentorum genera: vnum, quod calatis comitiis fiebat, alterum quod per æs & libram libripende adhibito, & emptore familiæ: tertium, quod procinctum vocabatur, cum milites ituri in prælium, nulla legum solennitate, tribus aut quatuor adhibitis, raptim apud commilitiones testabantur: qui mos talis erat, vt milites, cum decernere parant, antequam togam circumcingerent, aut clypeos arriperent, tribus aut quatuor audientibus hæredem sibi nuncuparent, si quid in acie secus eueniret. [c] Postremo fuere comitia tributa, quæ tunc fieri cognitum est, quum non ex generibus hominum, neque ex censu & ætate, sed per regiones vrbis tributim vicatimque suffragabantur: in quibus interesse tribus & suffragari per regiones & compita asseuerant. Post aliquot verò secula Publius Scipio Africanus & L. Mummius censores suffragia mutasse feruntur, vt regionatim suffragarentur, pro generibus hominum causisque & quæstibus, tribus describendo. [d] Quibus comitiis, vt tribuni plebis minorésque magistratus fierent, à Volerone primùm, deinde à Lectorio tribuno plebis rogatione promulgata, cauebatur, ne patricij quod vellent, tribunos per clientum suffragia crearent, non populus. Quibus etiam tributis comitiis tribuni militares sæpe creati fuere, [e] qui comitiati dicti: [f] in quibus si deessent senatorij ordinis candidati, Augustus Octauius illos ex equestri ordine suffecit, ita vt finito honore, in vtro vellent ordine permanerent. [g] Et licet centuriata comitia decreto senatus & auspicato, ac sacrificio perfecto & litato fieri minimé solerent: [h] tamen tributa comitia, quia minimorum magistratuum sunt, nec senatusconsulto, nec augurato, nullísque præcedentibus sacrificiis facta, & eadem die absoluta, rata erant: [i] tametsi lege Elia & Fusia, ne quis per eos dies quibus cum populo agitur, nisi de cœlo prius seruasset, agere liceret, cautum fuerit [k] Erátque mos auspicandorum comitiorum, vt cum præfatione deorum dearúmque bonis faustísque nominibus, ac diis bene iuuantibus, concilia inirent. Apud [l] Argiuos verò indictis comitiis, cum prætor in præfationis carmine, Iouem, Apollinem, atque Herculem præfari soleret, vt successus darent prosperos: postea Philippi nomen adiecerunt præfationi, assentationis genus. Illud tamen non præterierim, neque [m] comitialibus diebus, more maiorum, senatum haberi: [n] neque nundinarum tempore comitia fieri licere, ne à legibus accipiendis, quæ trinundino dabantur, plebem auocari contingeret, [o] néve interpellarentur nundinatores, [p] vtque rusticis qui in vrbem veniunt, componendi lites, & transigendi facultas foret. [q] Quodque die imbribus aut turbine procelloso, [r] aut si fœda tempestas cum grandine, vel si tonitrua aut venti fierent, vel si in frequenti multitudine [s] quispiam

Iust. de test. ord. in prin. Testamentorũ triã gener a.

Tributã comitia.

Comitiati tribuni.

Mos auspicãdorum comitiorũ.

Senatum & comitia quãdo haberi non licebat.

Fæminã comitiis non interrũt.

ANNOTATIONES.

z *His quoque.*] Curiatis dicere debuit ex Gel. dict. libr. 15. cap. 27.

a *Hac enim.*] Hæc vsque ad clausulam, Calatis quoque comitiis sunt Gellij d. lib. 15. c. 27.

b *Calatis quoque.*] Gellius vbi suprà, & Iustinianus in §. 1. Institut. de test. ord. vbi hæc tria testamentorum genera describit. vide ibi Zingl. & Baldum. Sed & suprà eo quod de procinctu dicitur, vide Plutarch. in Coriolano. & Festum Pompeium in verbo, In procinctu. & Gel. lib. 1. c. 11. Hanc iuris solennitatem Cicero in Topicis nexum appellare videtur: cuius meminit Iustinianus in l. vnica, C. de vsucap. transfor.

c *Postremo fuere.*] De quibus Cicero libro 2. de legibus. Liuius 1. Decad. libr. 2. Gellius dict. lib. 15. cap. 27. vide libr. de Comitiis.

d *Quibus comitiis.*] Liuius 1. Decad. libr. 2. Dionysius Halicarnassæus lib. 9.

e *Qui comitiati.*] Ascon. Pædianus in 2. in Verrem actione.

f *In quibus*] Sueton. in Augusto, ca. 40. vide ibi Beroaldum.

g *Et licet*] Hic legendum est, Et licet centuriata, siue decreta. Vide Nicolaum Grucchium Comitiorum, lib. 1, c. 4.

h *Tamen tributa.*] Vide ibi & quæ fuerint tributa Comitia vide eundem Gruch. lib. 1. c. 6.

i *Tametsi.*] Dionysius Halicarnassæus libr. 9. Cicero in Oratio. in Vatinium, & pro Sestio, & post reditum in senatu de prouinciis consularibus, in Pisonem, & de responsis Aruspicum, & in epistolar. ad Atticum libr. epistol. 12. aut, vt alij supputant, 13. Quæris ex me. Lata est autem hæc lex ab Ælio & Fusio tribun. plebis.

k *Erátque mos.*] Cicero pro Muræna. Gruchius libr. comitiorum 1. c. 5. Liuius 3. Decad. lib 1.

l *Apud Argiuos.*] Liuius 4. Dec. lib. 2.

m *Comitialibus diebus.*] Macrob. lib. 1. Saturn. c. 16.

n *Neque nundinarum.*] Plinius libr. 18. cap. 3. & Macrobius vbi suprà.

o *Néve interpellarentur.*] Festus Pompeius lib. 12.

p *Vtq; rusticis.*] Macrob. vbi nuper citauimus.

q *Quódque die imbribus.*] Vide paulò infrà vbi de Appio Pulchro.

r *Aut si fœda.*] Nam vt Cicero libro 2 de Diuinatione, Ioue, inquit tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. & ibid.

Cum tonuit lanum bene tempestate serena.

Comitiorum interrumpendorum causas vide apud eundem Gruchium lib. Comit. 1. cap. 4. Liuius . Decad. lib. 3. & 4. & lib. 10. tum alibi, tum ad finem. Tacitus lib. 17. Plutarchus in Catone Vticen.

s *Quispiam morbo.*] Non omni quidem morbo, sed epilepsia, quem Latini Comitialem apellant, quód eo quempiam corripiente Comitia dissoluebantur: vnde etiam illi morbo nomen est. Comitialis, vt docet Q. Serenus his versibus.

Et subiti species morbi, cui nomen ab illo
Quod fieri nobis suffragia iusta recusat.
Sæpe etenim membris acri langore caducis,
Concilium populi labes horrenda diremit.

 s Et

morbo concideret comitiorum die, [t] & nisi setuatum de cœlo esset prius, quo ad centuriata comitiacum populo agi non licebat: habitáqꝫ in his & promota, tanquam fœda tempestate facta. dirimi oportebat augutum responso, qui quid vitij intercessisset, tenunciabant, idque lege Elia & Fusia in quo id fuit memoriæ proditum, [u] cum Appius Pulcher ad populom causam diceret, quòd nauali prælio victus, pet contemptum teligionis classem amisisset, omnésque tribus in eius noxam suffragia ferrent, beneficio tempestatis adiutum, pœnam effugisse: nā subito imbri & turbine coorto, sublatis comitiis iudicium euasit. Ante vero comitia habita, quid vitij intercessisset, renunciate aoguri non licebat, quia diuinare videbatnt. [x] Quódque cum fœminis comitiotum nulla fuit communio: ideo mulieres nec comitiis interesse, nec suffragia ferte, [y] neque foto aut concionibus immisceti. [z] & propterea nec artogati poterant: [a] quod erat apud Athenienses constitutum, vt nulla fœminarum concilis publicis aduocetur, vel ferre suffragium, aut cōcionibus vitorum interesse valeat: fuitque moris apud eos, quò frequentius comitiis assuescerent, vt singuli soffragatores nummos acciperent: quod à Callistrate primùm inuentum ferunt. Nam cum proptet assiduas bellotum expeditiones, Athenienses à rebus vrbanis distracti, vix foro assuescerent, & per infrequentiam comitia cogi nequirent, quippe cum ex omni populo in quouis arduo negotio, vltra quinque millia non conuenirent, vt posthabitis negotiis ad rempublicam accederent, & de publicis consultarent, aliqno inuitamento cohottandi fuere.

Athenienses Nummi in suffragatores distributi.

Neque ab his quorum imminutum imperium fuit, apud Romanos comitia haberi, tanquam infausti prodigij & infandi ominis foret: [b] neque illotum qui rei agerentor, nomina ad petendos honores admitti, nisi ctimine inducto & absoluto: [c] neque absentium tationem habendam, [d] licet nonnulli legibus soluti, contta cómitiotum motem, absentes suffragia pettulerint, Quod à Locris Amphissæis, qui haud procul Delphis incolunt, factum meminimus. apud quos nullius absentis habetur ratio; sed cum concio aduocatur, non solum pylagotæ & sacratotes, sed omnis multitudo illorum qui sacra faciunt, conueniunt, & suffragia ferunt [e] Quotiésque non iustus comitiorum rogator fuisset, comitia inde habita, minus legitima censeti: [f] & licet eum qui comitia haberet, aut illis præesset, ad honores assumi non deceret: pletunque tamen qui comitiis præfuere, licet pessimo exemplo, aliotum ministerio & opera illos assequi meruete. [g] Estque memoriæ datum, sexagenatiis maiores, & homines grandæuæ ætatis, quod ciuilibus vacarent muneribus, ad comitia suffragij causa descendere cogi nequite: quare deiecti de ponte, & depontani senes dicti sunt. Namqne iuuenes olim senes de ponte deturbasse dicuntur, quum illis non idem maneret vigor, & animi sensus esset obtusus. Quódqꝫ [h] comitia magisttatuum non solum per dictatotem, [i] consulem [k] & prætorem, [l] sed per interregem, [m] ædilem, [n] quæstorem, [o] tribunum plebis, [p] præfectum vrbis, tribunúmqꝫ scelerum, [q] au pontificem maximum, de senatus sententia plebísqꝫ scito, nounuuquam per populum indici compertum est: [r] ipse tamen prætor consularibus comitiis authot esse non potest, quòd maius versaretur imperium in consulibus creandis, quàm vt per prætorem explicaretur. [s] Cúmque Cæsatum temporibus, arbitrio

Qui comitiis excludebantur. Absentiis nulla ratio.

Comitia illegitima.

Senes depontani. Comitia quorū authoritate indicebantur.

ANNOTATIONES.

t *Et nisi seruatum.*]Suprà vbi de lege Ælia Fusia.

u *Cum Appius Pulcher.*] Valerius Maxiuous lib.8.ca.1. Cic. condemnatum scribit libr.2.de Nat.Deorum.Suet.in Tiberio c.2.alibi fusius diximus lib.3.c.5.

x *Quódque.*]Gellius libr.5.ca.19. Vide omnino nostras leges Connubiales l.1.n.83 incip. Paulò diuersius.

y *Neque foro.*]Vide & tu easdem leges,l. 10. num. 31. incip. igitur & multis.

z *Et propterea.*]Gell.vbi suprà.

a *Quod erat apud Athenienses.*] Vide easdem leges Connubiales.

b *Neque illorum.*]Ex l.libertus. §. io quæstionibus. & l. Lucius.§.idem respondit,si per accusa.ff.ad municip. & l.reus. ff.de munerib. & honor. vbi declarat quomodo id intelligendum.Nec tamen patris reatus filium impendit.l.& qui. §. quod pater.ff.de munerib.& honor.

c *Neque absentium rationem.*]Plutarchus in Cæsare, & alibi diximus.

d *Licet nonnulli.*] Sic enim Lucullus absens Ædilis creatus est apud Plutarchum in vita illius. Hic (adde Liuium in multis locis)& L.Coroelius Lentulus ædilis quoque Curulis absens etiam creatus apud Liuium 3.Decad.lib 9.vbi prçterea dicit,quòd absens eundem honorem gessit.

e *Quotiésque.*]Cicero lib.1.de Diuinat. Negauerunt iustum comitiorem rogatorem fuisse.

f *Et licet.*]Hæc vsque ad clausulam. Estque memoriæ proditum.sunt Liuij 3.Dec.lib.7. non multò post princ.

g *Estque memoriæ proditum.*]Sed & hæc vsque ad clausulam, Quóque comitia magistratuum. sunt Festi Pompeij lib. 4. vbi de depontanis loquitur. Vide Erasinum Chil. 1.cent.5. c.37. Sexagenarios de ponte deiicere. & Robertum in verbo,Depontani.

h *Comitia per Dictatorem.*]Id enim minimè dubium erat, vt patet ex iis,quæ diximus suprà lib.1.cap.6. & suprà quoque diximus.

i *Consulem.*] Nam id proprium munus erat consulum comitia edicere,vt constat ex infinitis Liuij locis.

k *Et pratorem.*] Liuius 4.Decad.lib.4. tradit Cu.Domitium prætorem bina comitia in Capitolio habuisse.de quo & nos suprà lib.2.c.15.& seq.

l *Sed per interregem.*] Liuius 1. Decad. libro 3. vbi P. Valerius Publicola tertio die quàm interregnum inierat,consules creat L.Lucretium Tricipitinum,& T.Veturium Geminum,siue ille Vetusius fuit.Et diximus suprà lib.3.c.3. num. item 3.

m *Ædilem.*]Diooys.Halicarn lib.6.

n *Quastorem.*]Idem lib.8.

o *Tribunum plebis*] Idem lib.6.Gruchius Comitiorum lib. 1.c.3.non longè à princ.

p *Præfectum vrbis.*] Hunc senatum vocare posse,testis est Gellius authoritate Varronis & Atteij Capitonis libr. 14. cap. vltimo. Sed comitia indicere Senatus aut Dictatoris erat.

q *Aut Pont. Maximum.*] Liuius Decad. 5. lib.3. Ibi exemplò pontifice maximo comitia habente, tribunos plebis creauerunt.

r *Ipse tamen prætor.*]Gellius lib.13.c.13.

s *Cúmque Cæsarum temporibus.*]Cornelius Tacitus libr. 1. de Tiberio

principis nonnunquam tribuum suffragio comitia fierent, Tiberius Cæsar inter cætera constituta, è campo ad patres illas transferri voluit: quorum consilio & suffragio etiam sine populo candidati ad honores & imperia prouecti fuere: ex duobus tamen consulibus, ei qui minor natu foret, comitiorum habendorum munus dari consueuit. Sine autem consulis, prætoris vel tribuni, aut alterius magistratus decreto, populo & plebi conuenire, aut clandestinos cœtus, coitiones vel conciliabula habere (nequis malo exemplo populum seuocaret, vel secretas consultationes faceret) non licebat.

Clandestina coitiones vetitæ.

ANNOTATIONES.

Tiberio loquens. Tum primùm è campo comitia ad patres translata sunt. Nam ad eam diem, & si potissima arbitrio Principis, quędam tamen studiis tribuum fiebant. Neq; populus ademptum ius questus est, nisi inani tumore: & sensitus largitionibus, ac precibus sordidis exolutus, libens tenuit moderante Tiberio, &c.

Quando primùm ædilitas cœperit, & quot fuerint ædiles, & qui curules, & qui plebeij.

CAPVT IV.

QVo [a] tempore exactis regibus, & consulibus creatis plebs contentione maxima cum patribus certauit, & tandem vt alter ex consulibus plebeius foret, obtinuit: pa respto communicato plebi consulatu, ædilitatem simul & præturam vendicarunt: Igitur curuli ædilitate creata, illam Cneo Quintio Capitolino, & P. Cornelio Scipioni ex patribus dederint: [b] postea alternis annis, modò ex plebe, nunc ex patribus ædiles creari cœpti, munúsque promiscuum fuit: donec curulis ædilitas [c] ad libertini generis homines delata est: tunc cum Cneus Flauius Appij scriba, libertino patre natus, cum Quinto Anitio, Prænestino, haud multo antè hoste populi Romani; ædilis curulis ius ciuile in penetralibus pontificum diuulgauit, diésque fastos in albo pPposuit, ac ædem Concordiæ com oon mediocri inuidia nobilium dedicauit. [d] Demum dissidente plebe à patribus, vt duo essent plebis ædiles, sicut doo patricij antea fuerant, plebi est à patribus concessum. [e] Lapsis inde temporibus, cùm Iulius Cæsar rerum potiretur, tunc primùm sex ædiles creati, duo patricij, qui cereales dicti, [f] qui curam gererent annonæ forensis, copiæque cibariorum: reliqui ex plebe: quorum præcipuum munus erat, [g] vrbis, [h] ædium sacrarum [i] priuatarumque curam agere: [k] ad eósque absentibus vel impeditis consulibus, summa rerũ & maiestas cõsularis imperij sæpe delata est. Hi pręcipuè curabant. vt ædificia publica priuatáque fierent, [m] vtq; templa, [n] theatra; stadia, [o] fora, porticus, curiæ, & basilicæ, atque mœnia, [p] magnificis operibus reficerentur & ornarentur: [q] qood legę veteri sancitum erat, in hæc verba: Suntóque ædiles curatores vrbis, annonæ, ludorûmque solennium, ollisque ad honoris amplioris gradum prius accessus esto. & infrà, [r] Quibus sacrarum rerum procu-

Alter ex cõsulibus plebeius.
Ædiles alternis annis modò ex plebe, modo ex patribus.
Sex ædiles cereales.
Lex de ædilibus plebeiis.

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

a QVo tempore.] Hoc initium vsque ad clausulam. Postea alterois annis, est Liuij 1. decad. lib. 6. in fi. cùm princ. lib. seq.

b *Postea alternis annis.*] Atque etiam ex plebe & patribus ex T. Liuio 3 Dec. lib. 7.

c *Ad libertini generis homines.*] Id vsque ad clausulam, Demum dissideote plebe. est Liuij 1. Dec. li. 3. ad fi. Valerij Maximi lib. 2. c. 1. Plinij lib. 33. c. 5.

d *Demum dissidente.*] Erant enim duo ædiles curules & duo plebeij, quorum illi ludos Romanos instaurabant, hi plebeios, ex Liuio 3. Dec. li. 7. Et ludos, inquit, Romanos semel instauratos ab ędilibus curulibus Q. Metello, & C. Seruilio: & plebeiis ludis biduum instauratum ab Q. Manlio, & M. Cęcilio Metello ędilibus plebis. & rursus li. 8. Ludi Romani ter toti instaurati ab ędilibus curulibus Cn. Seruilio Cepione, Cet. Cornelio Lentulo. Item ludi plebeij semel toti instaurati ab ædilibus plebis M. Pomponio Mathone, & Q. Manlio Thurino. & 4. Decad. libr. 1. Ludi Romani Scenici eo anno magnificè apparatéque facti ab ædilibus curulibus L. Valerio Flacco, & T. Quintio Flaminio biduum instaurati sunt. & paucis interiectis. Et plebeij ludi ter toti instaurati ab ædilibus plebis L. Apustio Fullone, & Q. Minutio Rufo, qui ex ædilitate prætor creatus erat. Et idem propemodum scribit lib. 2.

e *Lapsis.*] Pomponius Iurisconsultus in l. 2. ff. de orig. iur. & Dion. lib. 42.

f *Qui curam.*] Dionysius Halicar. lib. 6. non longè à fi. Apuleius libr. 1. Metamorph. Annonam curamus, ait, & ædilem gerimus. Nam & legimus apud Liuium 4. Decad. lib. 8. frumentarios pecunia ab ædilibus damnatos ob annonam compressam. & huc quoque spectat lex, ideo condemnatus. ff. de compensat.

g *Vrbis.*] Vide Ciceronem vbi citabimus in verbo, Priuatarúmque.

h *Ædium sacrarum.*] Dionysius Halicarnassæus lib. 6. non longè à fin. Cic. in 1. in Ver. act.

i *Priuatarúmque.*] Cicero in 7. in Verrem actione Varro lib. 4. ling. Latinæ, vbi hinc ædiles dictos dicit. & Festus Pompeius lib. 1.

k *Ad eósque*] Liuius 1. Decad. lib. 3. Circuitio, inquit, ac cura ædilium plebis erat: ad eos summa rerum & imperij venerat.]

l *Vt ædificia.*] Festus Pompeius vbi suprà.

m *Vtq; templa.*] Vide suprà in verbo, Ædium sacrarum.

n *Theatra.*] Fenestella de magist. Rom. c. 14.

o *Fora.*] Sueton. in Cæsare, c. 10. vide Beroaldum.

p *Magnificis operibus.*] Plinius lib. 36. c. 3. vbi de Cæsare, qui posteà dictator fuit, & Varrone & Murena.

q *Quòd lege veteri.*] Cicero libr. 2. aliàs 3. de legibus. Ex quo intelliges hic legendum, non, priùs accessus: sed, prius ascensus.

r *Quibus sacrarum.*] Dionysius Halicarnassæus paulò ante fin. lib. 6. Feriarum, inquit, & sacrificiorum certaminúmque curam Senatus commisit ædilibus. Cicero in 7. in Verrem actione. Cuius verba ad hunc locum, & alios multos huius cap. pertinentia, adscribenda hîc duximus. Nunc sum designatus ædilis: habeo rationem quid à pop. Romano acceperim: mihi ludos sanctissimos, maxima cum cæremonia Cereri, libero, Liberæque faciendos: mihi Floram matrem populo plebique Rom. ludorum celebritate placandam:

ratio & totius vrbis tutela sæpe commissa est.[s] Ad quos etiam senatusconsulta & scita plebis, vt in æde sacra conderentur deferebantur: [t] præparando conuehendóque frumento & oleo, [u] ne vrbs penuria annonæ, néve caritate laboraret,[x] vtique commeatus, quæque bello vsui forent, in castra deferrentur, ædilium muneris erat. [y] Ideo Manius Martius & Trebius ædiles plebis, quòd in summa caritate frumentum populo in modios assibus dedere, commeatúsq; inuexere, statuas in Capitolio & palatio cum titulis honorum meruere.[z] Et M.Seruilius T.filius ædilis curulis, quòd olei denas libras singulis assibus præstitit, celebri memoria dignus fuit.[a] Etiã in eos qui plus quàm lege definitũ erat, agri possiderent, diem dicere,[b] matronas probri accusare,[c] fœneratores coercere,[d] popinas & ganeara obsonia inhibere,[e] in facta dictáq; inciuilia atq; improba animaduertere, atque in exilium agere, ædilitię potestatis erat.[f] Nero tamen dum munere ędilitio fungitur, ne quid cocti in popinis veniret, pręter legumina & olera, interdixisse fertur. [g] Quinetiã nimiam ædilium potestatem cohibuit: statuítq; quantum curules, quantum plebeij pignoris caperent, quantúmq; pœnæ irrogarent. [h] Circa religionem, ne qui nisi Romani dij patrio more colerentur, néve à vetustis cæremoniis decederẽt, ædilibus præcipua cura fuit: quorum edictis cautum est, [i] vt Iudæorum Ægyptiorúmque sacra, ritus & cæremoniæ ex vrbe pellerentur & exigerentur. Senatusconsulta excipere,[k] super emendis vendendísque seruis aut

Nero ædilis.

Ædiliũ potestas nimia cohibita.

Ædilitiũ edictũ in Iudæorũ & Ægyptiorum sacra.

ANNOTATIONES.

mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæque esse faciendos: mihi sacratum procurationem: mihi totam vrbem tuendam esse commissam, ob earum rerum laborem & solicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in Senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, ius, imagines ad memoriam posteritatémque prodendam.

s *Ad quos etiam.*] Polyb. lib. 3. loquens de fœderibus Romanorum & Carthaginensium, Hæc (inquit) cùm ita sint & in hodiernum diem tabulis æneis inscripta conspiciantur in templo Capitolini Iouis, vbi ab ædibus diligeotissimè custodiuntur.

t *Preparando conuehen.*]Liuius 1.Decad.lib.10. vbi de Fabij Maximi ædilitate & 3.Deca.lib.10.vbi de M.Valerij Falconis, & M. Fabij Buteonis ædilitate.

u *Ne vrbs penuria annona.*]Vide suprà in verbo, Qui curam annonæ.

x *Vtique commeatus.*]Liuius 3.Decadis libro 6. Fuluius, inquit, Flaccus inter Exquilinam Collinámque portam ponere castra: Ædiles plebis commeatum eò comportarunt.

y *Ideo Manius Martius & Trebeius.*]Vtriusq; testis est Plinius lib.18.cap.3.

z *Et M.Seruilius.*]Idem Plinius lib.15. c.1. qui tamen hunc nominat M.Seium.

a *Etiam in eos.*] Liuios 1. Decad. libr.10. Eo, inquit, anno plerisque dies dicta ab ædilibus, quia plusquàm quod lege finitum erat agri possiderent: nec quisquam est purgatus, vinculúmque ingens immodicæ cupiditatis iniectum est.

b *Matronas.*]Liu.3. Deca.lib.5.post princ. Ædiles, ait, plebeij aliquot matronas probri accusarunt: quasdam ex eis damnatas io exilium egerunt.

c *Fœneratores coercere.*]Liuius 1. Decad. libr.7. Iudicia, inquit, eo anno populi tristia in fœnatores facta, quibus ab ædilibus dicta dies esset, traduntur. & lib.10.& 4.Decad. libr.5.

d *Popinas.*] Sueton.in Tiberio, c.34. Annonámque macelli, Senatus arbitratu quotannis temperandam dato ædilibus negotio popinas ganeásque vsque eò inhibeodi, vt ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent. Nam & his sumptuariarum legum cura mandata est apud Tacitum libro 3.

e *In facta.*] Capita Atteius in Commentario de iudiciis publicis, & ab eo Gellius libr.10.cap.6. referunt Claudiam, Appij Cæci filiam, cùm à ludis, quos spectauerat, domum veheretur, & præ turba carpentum difficiliùs egrederetur, ira commotam dixisse, Vtinam, inquit, reuiuiscat frater, aliamque classem in Siciliam ducat, atque istam multitudinem perditum eat, quæ me malè nuuc miserum conuexauit. Ob hæc mulieris verba tam improba ac tam inciuilia C. Fundanius & Tib. Sempronius Ædil. mulctam dixerunt ei æris grauis 25.millia. Ex quo patet nòn in factum modò, sed & in voces petulantiores fuisse vindicatum, vt dicit Gel. ibi, & id quoque refert Florus Epitom. Liuij 19. Valerius lib.8.cap.1.& Sueton.in Tiberio, c.2.

f *Nero tamen.*] Et id certè Nero Cæsar instituit, vt scribit Sueton.in vita ipsius, c.16. Sed quod hîc dicit, dum munere ædilitio fungitor, non intelligas tanquàm Nero ædilis fuerit: neque enim id vspiam reperitur, sed ita intelligi debet, vt in ea re vsus sit munere ædilium, quorum scilicet id munus erat.

g *Quinetiam.*] Ex Tacito, cuius propria verba Alexander huc transcripsit li.13. vt verum sit nullum adeò malum esse & facinorosum, quin aliquid boni aliquando faciat. Nam & de eodem Nerone Martialis lib.7.epig.33.

Quo possit fieri modo, Seuere,
Vt vir pessimus omnium Charinus
Vnam rem bene fecerit, requiris?
Dicam: sed cito, quid Nerone peius?
Quid thermis melius Neronianis?

De quo & nos diximus in nostris ll. Connubialibus.

h *Circa religionem.*]Liu.1.Dec.lib.4.& 3.Dec;li.4. post prin. & eiusdem 3.Decad.libr.5. vbi dicit, Ædiles incusatos à Senatu, quòd noo prohibuissent, quædam externa sacrificia, quæ in vrbem inuaseraot. & 4.Dec. lib.4.

i *Vt Iudaorum Ægyptiorúmque sacra.*] Non mihi nunc occurrit locus vbi id ædilitium edictum factum sit. Scio autem Tiberium apud Suet.in eius vita, cap.36. externas cæremonias, Ægyptios Iudaicósque ritus compescuisse, coactis qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. vide ibi Beroaldum. Seruius autem enarrans eum locum lib.8.Æneid.

—— Hanc tanti numinis aram
Vana superstitio, veterúmve ignara deorum
Imposuit. ——

Scribit apud Athenienses & Romanos cautum lege fuisse, ne quis nouas religiones introduceret. Ideóque Socratem damnatum fuisse, & Chaldæos & Iudæos fuisse vrbe depulsos. quod & nos alibi retulimus Et certè est ex Romuli apud Dionysium libr.4.& Plutarchum in vita illius, Deos peregrinos ne colunto (vide ll.antiquas) & alia 12. Tabul. apud Cicer.libro 2.de legib. Separatim nemo habessit deos, néve nouos colunto. Sed ne aduenas, nisi publicè ascitos, priuatim colunto. Vide omnino Balduinum in 7. l. Romuli. Plin. lib.30. cap.1. author est Senatusconsulto cautum fuisse Cn.Cornelio Lentulo, & P.Licinio Crasso Coss. ne nouam religionem inuehere liceat. Cæterùm Adrianus Imperator sacra Romana diligentissimè curauit, peregrina contempsit, vt tradit Ælius Spartianus in vita illius.

k *Super emendis.*] Vt videre licet ex l.1.& aliis multis. ff. de ædil. edict.

l *Tiber*

iumentis, si ex fide bona venirent, déq; illorum vitio & morbo cognitionem animaduersionémque habere, [l] thermarum curam agere, illásq; nec essent immundæ, néve nimis æstuarent, curare, ædilitiæ cognitionis erat: [m] de mẽsuris quoque, [n] & verrendis viis, déq; alia cognoscere, desupérq; edicta proponere, [o] quæ ædilitia dicta sunt, mulctáq; non parenti irrogare, [p] aut nota turpitudinis afficere poterãt. [q] Horum exemplo Ephori Lacedæmoniis fuere, & [r] in Thessalia ędiles, quibus virgas lixę pręscrebãt, quorum munus erat annonam & forum cupedinis curare. Apud Græcos & Ætolos [s] agoranimi, quorum edictis vendentium & ementiũ rabies coercebatur: qui hoc etiam sibi arrogarunt, de vẽditarum emptarúmq; rerum vsu & cõmercio, déq: cõuentionibus & pactis cognoscere. [t] In tantúmq; honoris culmen ædilitas prouecta fuit, vt vrbe peste laborãte, maiestatẽ consularis imperij ad ędiles decidisse; Titus Liuius author sic, ac iam bonis temporibus ab optimis quibusq; splẽdor ædilitatis quæsitus fuerit. [n] Nam duo Crassi, [x] Q. Mutius, [y] & P. Lentulus, [z] & Scaurus summis honoribus functi, ædilitatem magnificentissimè gessere, illámq; magni muneris loco exequuti fuere. [a] Paulus quoq; Æmylius quum duodecim magnis competitoribus in petitione ædilitatis prælatus fuerit: pro summo honore duxit. Sunt tamen exempla illorum, qui repulsam in petitione ædilitatis perpessi, mox consulatus, præturas, & summos honores meruere, inter quos [b] C. Marius, qui in duabus ædilitatis petitionibus, curulis scilicet & plebeię, vna die bis repulsam tulit. septies deinde cõsul fieri meruit. [c] Scipio verò Æmilianus, cum candidatus ędilitatis in campum descẽderet, ab vniuerso populo fructum vberrimum cepit: nam pro ędili, omnium suffragatione consul factus est. [d] L. Lucullus cum ante adultam fratris ætatem, magistratus petere nollet, tantum gratia & fauore valuit, vt absens vnà cum fratre ædilis relatus fuerit. [e] Vespasianus verò candidatus ædilitatis, quinquies repulsam passus, demũ ad imperium fuit euectus. Et quamuis ædilitas per se proprium munus foret, [f] sæpe tamen magistros equitum & tribunos plebis simul cum magisterio & tribunatu ædilitatem gessisse comperimus [g] Cn. Flauium Appij Cæci scribã, cum tribunatu plebis ædilitatem, [h] & T. Sempronium, magisterium equitum vnà cum ædilitate ha-

Exempla ædilitiorũ edictorũ vide in 21. li. Pã. dect. de ædil. edict.

Ephori apud Lacedæmonios.

Agoranomi.

Honos ædilitij muneris.

Ædilitatis repulsas passi, ad alios tamen magistratus statim euecti.

Ædilitatis munus cum alio munere coniunctum.

ANNOTATIONES.

l *Thermarum.*] Hoc satis probatur ex Seneca ad Lucilium lib. epist. 2. epist. omnium 86. Sic enim inquit, sed, Dij boni, quàm iuuabat ista balnea intrare obscura & gregali tectorio inducta. quæ scires Catonem tibi Ædilem in manu sua temperasse. Et probatur quoque nostris legibus, nam in l. qui insulam. §. ædilia in municipio qui est primus. ff. locati Sed & quod supradictis addes, interdum ad conciliandum populi fauorem balnea conducebant, vt hia gratis lauarentur. d. l. qui insulam.

m *De mensuris.*] Vt patet ex locis Persij & Iuuenalis, quos tibi citabimus infrà hoc lib. ad fi.

n *Et verrendis viis.*] Nam & Suetoni. in Vespasiano, c. 5. tradit C. Cæsarem Sabinum, fratrem ipsius Vespasiani, ædilem oppleri luto, propter curam verrendis viis non adhibitam. Vide ibi Beroald.

o *Quæ ædilitia dicta sunt.*] Hinc ille tit. de ædilitio edicto.

p *Aut nota.*] Vide tamen quid scribatur in l. eos. in prin. ff. de decurio. Eos, qui vtensilia negotiantur & vendunt: licet ab ædilibus cædantur, non oportet quasi viles personas negligi, nec prohiberi decurionatum, vel aliquem honorem in sua patria petere, nec enim infames sunt. Sed nec quidem arcentur honoribus, qui ab ædilibus flagellis cæsi sunt quanquam iure suo ita ædiles officio illo fungantur. Inhonestum tamen puto esse huiusmodi personas flagellorum ictibus subiectas in ordinem recipi, &c. Adde autem supradictis ædilium curam fuisse sarta tecta, & publicorum & priuatorum operum tueri, & procurare ex Asconio in 3. in Verr. action.

q *Horum exemplo Ephori.*] Valer. Maximus lib. 4. c. 1. vbi de Theopompo, dicit non ædilium, sed tribunorum plebis, vt & dicetur inferius lib. 6. c. 24. non longè à princ.

r *Et in Thessalia ædiles.*] Ex Apuleio libr. 1. Met. Nam & lixas inquit, & virgas & habitum prorsus magistratui congruentem in te video. Annonam curamus, ait, & ędiliem gerimus: & si quid obsonare cupis, vtique commodabimus:

s *Agoranomi.*] Dionys. Halicarn. lib. 6. non adeò longè à fin. Et de his Plautus in Capteiueis act. 4. sce. 1.

Miriánque adeo'st, nisi hunc fecerunt sibi Ætoli
Agoranomum.

Vide Beroaldum in Suetonium & Apuleium. Et adde apud Corinthios quoque fuisse ædiles ex Iustino lib. 21.

t *In tantúmque.*] Ad Romanos redit. Idque Liuij est 1. Decadis libro 3.

o *Nam & duo Crassi.*] De Crasso diuite testis Cicero lib. 2. officior. de altero etiam ipsemet ibid.

x *Q. Mutius.*] Idem Cicer. eod. lib. 2. dicit. Q. Mutium cum L. Crasso ædilitate fuisse functum.

y *P. Lentulus.*] Idem ibid.

z *Et Scaurus.*] Huius ædilitatis sæpius meminit Plin. scilicet lib. 8. cap. 17. & cap. 26. & lib. 9. cap. 5. in fin. & lib. 34. cap. 7. & lib. 35 cap. 11. & lib. 36. ca. 2. & cap. 15. Adde & his Scipionem Africanum ex Liuio 3. Decad. lib. 5. cuius verba adferam in verbo, Scipio verò. Polybio lib. 10. vbi etiam dicit Lucium Scipionem ipsius fratrem seniorem cum eo ędilem creatum & Lucullum, vt dicetur in verbo. L. Lucullus. & Cæsarem ex Suetonio in vita illius, cap. 10. & Plinio libro 33. cap. 3. & Plutarcho in vita illius. & Ciceronem, vt ipse dicit in 1. in Verrem actio. & ibi Pædianos in argumento ipsius.

a *Paulus quoque Æmylius.*] Plutarchus in vita illius post princ.

b *C. Marius.*] Plutarc. in eiusdem vita, & Apoph. Imperatorum, & Valerius Maximus lib. 6. c. 11.

c *Scipio verò Æmilianus.*] Valerius Maximus lib. 8. cap. 16. L. Florus Epito. Liuij lib. 50. Plinius Secundus, aut quisquis id est, de viris illustribus cap. 58. Liuius 3. Decad. lib. 5. tradit alteri Scipioni, cui pòst Africano cognomen fuit, petenti ædilitatem, cùm obsisterent Trib. plebis negantes rationem eius habendam esse, quòd ei nondum ad petendum legitima ætas esset. Si me, inquit, omnes Quirites ædilem facere volunt, satis annorum habeo. Tanto inde fauore ad suffragium discursum est, vt tribuni repente incepto destiterint.

d *L. Lucullus.*] Plutarchus in vita illius.

e *Vespasianus.*] Sueton. in vita illius, c. 2.

f *Sæpe tamen.*] Quod probat exẽmplis seq.

g *Cn. Flauium.*] Plinius lib. 33. c. 1.

h *Et Titum Sempronium.*] Hunc, aut alium eiusdem nominis fuisse Magistrum equitum sub M Iunio Dictatore, satis constat ex Liuio 3. Decad. libr. 2. sed quod simul aut alter fuerit ædilis non memini me legisse: nisi quis fortè eundem hunc esse putet cum T. Sempronio ædili apud ipsum Liuium 4. Deca. lib. 7. Sed inter vtrumque magistratum intercesserunt 38. anni, vt vix idem fuerit.

Ludi per ædiles. *Scribæ ad ædilitatē non admissi.* *Ædiles sacrosancti.* *Vectigalia per ædiles cōstituta.*

buisse constat:[i] tametsi duos magistratus, præsertim curules, simul gerere, antea interdictū fuerit. Munera etiā magnificētissima, & ludos apparatissimos, ad conciliandum populi fauorem, per ædiles plebis aut curules,[k] nunc Romanos, nunc plebeios,[l] nonnunquam scenicos, publica[m], vel priuata impensa,[n] aut ex mulctatitia pecunia curari & instaurari, plerunq; adnotauimus:[o] in quibus aut ex venatione belluarū: quæq; mira spectatu & insolita sunt.[p] nonnunquam gladiatorū paria qui digladiarētur, spectaculis exhibere: quæ munera cum magnificētissimè per ædiles edita fuissent, gradus ad amplissimos honores magistratúsq; fecere.[q] Illud memoriæ datum est, eos qui scriptum facerēt, ad ædilitatem admitti nequisse: propterea Flauius scriba, quia scriptum fecerat, nisi iurasset se scriptum nō facturum, ad ædilitatem admissus nō fuisset.[r] Quodq; ædiles, sicut tribuni plebis, sacrosancti aliquando habiti sūt: quod licet veteri constet exemplo, lexque à Valerio cōsule post decemuiros lata, tam tribunos quàm ædiles, iudices, atque decemuiros inuiolatos sanxisset:[s] tamen quia ædiles curules[t] neque prehensionem, nec vocationem habere, nec lictore vti,[u] eosq; à priuato ad maius tribunal prehendi duciſque à magistratibus nouimus, propterea ædilem non esse sacrosanctū opinati sunt:[x] quod Domitianus Cæsar facto declarauit, qui tribuno plebis author fuit, ædilem repetundarum accusandi, iudicésq; in eum à senatu petendi. Qui quidem ædiles non Romæ tantum,[y] sed in oppidis & vicis ignobilibus sæpè fuere magistratus, qui de mensuris & rebus minimis iura dabant. Hoc quoque notandum est, posse ædiles exhausto atque inopi ærario nouum vectigal constituere, quo reipublicæ oneribus consulatur.[z] quódq; sicut tribunos plebis ad tribunatum, ita ædiles siue curules seu plebeios, qui patrem haberent superstitem, ad ædilitatem minimè admitti posse, exemplis maximè probatum est.

ANNOTATIONES.

i *Tametsi duos magistratus.*] Id ex Liu. est 4 Dec. li. 9. vbi cùm Q. Fuluius Flaccus iam ædilis curulis designatus, præturam peteret, pars Tribunorum plebis negare rationem eius habendam esse, quòd duos simul vnus magistratus, præsertim curules, neque capere posset, nec gerere: pars legibus eum solui æquum censere, vt quem vellet prætorem creandi populo potestas fieret. Quam sententiam cùm senatus authoritas complexa fuisset: populus autem Romanus cuperet eum quoque prætorem creari, tandem ad sedandam eam controuersiam, censuit Senatus satis prætorum esse, nec tum necesse esse alium prætorem creari. Legimus tamen apud Gellium li. 13. c. 18. Catonem vnum ex posteris M. Catonis Censorij, cùm ædilis curulis fuisset, in Galliam Narbonensem profectum ibi vita functum fuisse: nec tamen dicit eum simul fuisse in iis magistratibus. Sed quod minimè dubium est, vnus simul prætor & ædilis esse poterat. Nam P. Ælius Pætus. P. Villius Tappulus, hi duo cùm ædiles plebis essent, prætores creati sunt,

k *Nunc Romanos.*] Scilicet Romanos ab ædilibus curulibus, plebeios ad ædilibus plebis, vt diximus & probauimus in verbo, Demum dissidente.

l *Nonnunquam scenicos.*] Nam & Liuius 3. Deca. lib. 4. tradit Q. Fabio Maximo, & T. Sempronio Graccho Coss. ab ædilibus ludos scenicos per quatriduum primùm factos. Quamquàm & ipse 4. Dec. lib. item 4. scribit Megalesia, ludos scenicos C. Attilium Saranum, & L. Scribonium Labeonem ædiles curules primos fuisse. Sed vide an illi primi curules erant an plebeij.

m *Vel priuata impensa.*] Sueton. in Cæsare c. 10. Quo factum est, vt communium impensarum solus gratiam caperet. Vide etiam Fenestellam lib. de magistratib. Romanor.

n *Aut ex mulctatitia.*] Liuius 3. Decad. libr. 7. tradit Q. Catium, & L. Portium Licinium ædiles ex mulctatitio argento signa ænea ad ædem Cereris dedisse, & ludos magnificè apparatos fecisse.

o *In quibus.*] Sueton. in Cæsare, ca. 10, Venationes, inquit, ludósque & cum collega & separatim edidit.

p *Nonnunquam gladiatorum paria.*] Idem Sueton. eod. c. adiecit insuper Cæsar etiam gladiatorium munus, sed aliquantò paucioribus, quàm destinauerat paribus.

q *Illud memoria datum.*] Ex Liuio 1. Decad. lib. 9. ad fi.

r *Quódque ædiles*] De vtrisque id tradit Liu. 1. Deca. lib. 3. cuius hæc verba sunt, Ipsis quoque tribunis, vt sacrosancti viderentur (cuius rei propè iam memoria aboleuerat) relatis quibusdam ex magno interuallo cæremoniis, renouarunt. & cum religione inuiolatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo, vt qui tribunis plebis, ædilibus, iudicibus, decemuiris nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset: familia ad ædem Cereris liberi liberæque venum iret. Ex quo loco haud dubiè Alexander hæc accepit. Vide tamen quæ Liuius ibi subiungit. & Fest. Pompeius authoritate Catonis lib. 17. dum declarat quid sacrosanctum sit.

s *Tamen quia ædiles cur.*] Et id quoque vsque ad vers. Quod Domitianus. magna ex parte est ipsius Liuij vbi suprà post ea quæ ex eo nuper adduximus.

t *Neque prehensionem.*] Id colligi potest ex Gellio lib. 13. ca. 12. & clarius c. seq. Varronis authoritate.

u *Eósque à priuato.*] Quod probatur exemplo seq. & ex Gel. d. lib. 13. c. 13.

x *Quod Domitianus Cæsar.*] Sueton. in vita illius, ca. 8. Ædilem, inquit, sordidum repetundarum accusandi, iudicésque in eum à Senatu petendi, tantum curæ adhibuit, vt neque modestiores, neque iustiores extiterint.

y *Sed in oppidis.*] Cicero loquens de suo Arpinatum municipio lib. epistol. familiarium 13. epistol. 11. omnium 282. ad Brutum. Nam constituendi, inquit, municipij causa hoc anno ædilem filium meum fieri volui, & fratris filium, & M Cæsium, hominem mihi maximè necessarium: is enim magistratus in nostro municipio, nec alius vllus creari solet. Et in 6. in Verrem action. loquitur de ædilibus Agrigenti oppidi Siciliæ. Et Aretio loquens Persius satyra 1. ad finem.

Fregerit heminas Areti ædilis iniquas.

Et de Vlubris Iuuenalis satyra 10.

Et de mensura ius dicere? vasa minora
Frangere pannosus vacuis ædilis Vlubris.

Et de Hypata ciuitate Thessaliæ Apuleius libr. 1. Metam. ad fi. illic fuisse ædilem Pythiam quempiam. Et vt scribit Spartianus Adrianus per Latina oppida ædilis fuit. Sed & id quoque probatur in l. qui insulam. §. ædilis in municip. qui est primus. ff. locat. cuius verba suprà eo. in verbo, Thermarum curam agere, adscripsimus.

z *Quódque sicut.*] Id est Liuij 3. Decad. lib 7. & iterum 10. Sed his omnibus adde quòd ædiles plebis consulibus, postquam magistratu abiissent, diem dicere poterant. Nam L. Halienus ædilis plebis C. Veturio, vt primùm consulatu abiit, diem dixit apud Liuium 1. Decad. libr. 3. Quódque ædiles eo. tempore iudicis partes sustinere non poterant, ex Asconio Pediano in 2. in Verrem actio. Quod item feriarum Latinarum curam senatus ædilibus commisit, ornatis priùs prætexta & sella eburnea regiis insignibus, vt tradit Dionysius Halicarnass. lib. 6. ad fi. Quod insuper comitia creandorum ædilium, vt & tribunorum absque auspiciis peragebantur suffragio tribuum. Quòd denique ædilitia dignitas apud Romanos propè illustrissimum habebat iuuentutis principatum.

Iudicium ignaui iudicis super controuerso iure perperam iudicantis, haustum aquæ per fundum alienum non deberi. CAPVT V.

SVPER controuerso iure in foro Romano, me præsente, apud ignauum iudicem qui præsidebat, dum quotidiana patrocinia præstarem, aspera & vehemens quæstio agitari cœpta est. Petebatur enim à testatoris filio, cui haustus aquæ in fundo quem alteri legauerat testamēto, exceptus fuerat, isque fons immodicis caloribus postea exaruerat, deinde tribus pòst annis denuo emerserat, ex testatoris voluntate se ad illius haustum per fundum legatum admitti. Cui contrà stabat fundi dominus, & desita aqua, seruitutem se nullam debere aiebat: quippe cùm aqua cuius haustus testamento exceptus fuerat, fonte arefacto, esse desierit, cessare etiam seruitutem, quæ propterea debebatur, dicendum erat: & vbi haustus aquæ ex nouo fonte illi forsan deberetur, ius tamen eundi per fundum suum, se inuito, illi non esse: pluráque in hanc sententiam adduxerat, quibus non dissimulanter quæstioni respondere videbatur. Contra verò testatoris filius, relicta à patre seruitute, & haustu aquæ sibi legato, etiam aditum ad aquam, qui nullibi nisi per fundum patere poterat; relictum dicebat: cum nullus aquæ vsus foret, nisi haurire liceret, neque posse hauriri, nisi per fundum aditus esset. Quod si fieret secus, profecto cum sibi aliunde haurire non daretur, ipse legato præter testatoris voluntatem frustratus foret: quod est pudendum dicere. Rursus tametsi aqua desita fuisset seu æstu vehementi, seu quouis modo arefacta, ea postea renata, ius pristinum sibi deberi asserebat: nam quandiu è fonte manaret, ius hauriendi sibi integrum esse dicendum erat. Cúmque immodicis iurgiis desuper obstreperent, & turpibus vocibus inuicem conflictarentur, Iudex qui assidebat seuerus & vehemens, amborum audito postulatu, pauca interfatus quæsiuit an aqua ex fonte arefacto penitus fluere desiisset: & quum triennio aquam ex fonte manare desiisse (quippe quum tenuis, non perennis foret) illamque denuo scaturiisse, tabulis & testibus planum fecissent, déque hoc nulla controuersia foret: hoc asseuerato, parumper subdubitare visus, paulò post eò inclinauit sententia, vt eundi per fundum alienum, & aquam desitam rursus hauriendi, testatoris filio ius non esse, sibi liquere iniquissimo decreto pronunciaret. Qua iniuria decreti cum vehementer ille offensus reclamasset, & propterea me adiuisset, peterétque, vt sibi in causa adessem, vtque suas partes propugnationémque mea cura patrocinióque susciperem: quæsiui ego à iudice, vt bona cum venia diceret mihi, quo iure qua lege aut exemplo, isti cui seruitus testamento relicta fuerat, ius non esse hauriendi ex fonte renato declarasset, siquidem si haustus aquæ testamento legatus erat, iter quoque ad haustum ex æquo & bono relictum videri debet: cum nisi haurire liceret, nihil præstaret commodi legatum, nihil opis: idque tam [a] Paulum [b] & Marcellum, quàm [c] Neratium [d], & Vlpianum de seruitutibus sentire asseueraui. Quin etiam de sumptibus funerum [e] idem Vlpianus censuit: Si in fundo à me vendito sepulchrum mihi excepero, iter quoque ad sepulchrum exceptū videri: cum subsequēs antecedens supponat. Neque repugnat, quòd arescēte fonte, desita seruitus videbatur, quia satis habet rationis explicare quod mox fonte renato ius idem mihi deberi quiuis potest intelligere, [f] idque Iabolenum [g] & Paulum de seruitutibus etiam censuisse.[h] Quin etiam Atilicinus consultissimus vir, super hac controuersia Cæsarem Statilio Seuero in hanc sententiam rescripsisse dicit: idque cum lege & iure affirmare contenderem, peterémque vt more institutóque maiorum, siquid iudicando deliquisset, caueret ne magno saltem afficeretur incommodo is qui in meam fidem clientelamque venerat, Iudex ad me conuersus grauiter, credo, ferens se frequenti auditorio interpellatum, stomachabūdus, & vultu ferè minaci, Semel, inquit, desita aqua, postquam fons exaruit, ius illam hauriendi pariter desitum videri: quippe cùm aqua nulla sit, quæ debeatur, seruitutem extinctam amplius non reuocari respondit. Cúmque ego contradicerem, horum authoritatibus nixus, pluráque in meam sententiam adducerem, præsertim cum nemo tam indoctus ignarúsque rerum foret, vel qui primis (vt aiunt) labris iura degustarit, qui restitutâ re in statum priorem, idem ius quod antea fuerat, re integra, incolume esse negaret: ipse autem egregius nebulo cum in eandem sententiam iret, illámque nullo argumento, nec iudiciali disceptatione, vt modesti iudices solent, dilueret vel firmaret, siquid probandum aut refellendum esset, sed propè ad extremam insaniam vecors excandesceret: ego qui probè noram spiritum eius ne inse-

item §. 1. ff. de seruitute rust. præ. l. si vendit. ff. de relig. & sumpt. fun. l. Atilicinus. ff. de seruit. rust. præd.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

a *Paulum.*] Citatum in l. & Atilicinus. ff. de seruit. rust. prædio.

b *Marcellum.*] Citatum quoque in l. 1. §. si quis propter. ff. de itin. actuque priuat.

c *Neratium.*] Lib. 3. Membranarum, vt eum citat Vlpianus in l. item sic. §. qui habet. ff. de ser. præd. rust. cuius hæc verba sunt, Qui habet haustum, iter quoque habere videtur ad hauriendum. Et (vt ait Neratius lib. 3. Membranarum) siue ei ius hauriendi & adeundi cessum sit, vtrumque habebit: siue tantum hauriendi, inesse ad aditum: siue tantum adeundi ad fontem inesse & haustum.

d *Et Vlpianum.*] Vbi suprà.

e *Idem Vlpianus.*] In l. si venditor. ff. de relig. & sumpt. fun.

f *Idque Iabolenum.*] Nescio quo loco, nisi fortè in l. fistulas. in prin. ff. de contrahend. empt. quæ quidem lex est Labeonis ex Iaboleno, præstatque aliquod argumentum ad id de quo hîc agitur.

g *Et Paulum.*] In l. qui fundum vendebat. §. in lege. ff. de contrah. empt.

h *Quin etiam Atilicinus.*] Id est ex d. l. & Atilicinus. ff. de ser. rust. præd.

ftatione & conuiciis agerem, dicendi pausam feci, satiúsque duxi clienti salutari consilio prodesse, quàm rationibus non proficientibus cum homine illiberali & clamoso nequicquam disceptare: clientique vt ad maius tribunal prouocaret, persuasi: profuítque prouocasse. Namque haud multò post. discusso negotio lege & iure, inducto iudicis decreto, probabili & recto iudicio pro restatoris filio lis data est. Verba verò Cæsaris ad Starilium Seuerum ex eius epistola hæc fuere. Succurrendum his putaui, itáque quod ius habuerunt tunc, cum primum ea aqua peruenire ad eos non potuit, id eis restitui placet.

Quanta seueritate à Romanis contra licentiam magistratuum, & quoties occursum sit.

CAPVT VI.

QVANTA disciplina cauerint Romani, ne qui magistratus gererent, nimia licentia abuterentur, illud documento est, quòd pluribus legibus, plebiscitis & senatusconsultis præscripti fines magistratuum, & potestas coarctata fuit, præcipuè cauendo, ne imperiosa illorum licētia, extra gyrum rationis excederet. [a] P. Valerius is qui cum L. Bruto post Reges exactos consul factus est, ad terrorem increscentis audaciæ legem promulgauit, qua cauebatur, vt à quocunque magistratu ad populum prouocandi cuiuis potestas foret: scilicet existimans maioris imperij aduocatione, nimiam magistratuum licentiam coarctari, [b] tametsi Regum temporibus, prouocationem à regibus fuisse ad populum, idque pontificalibus libris caueri, multi contendant: [c] quam legem à Murǽna consule, quo tempore Sora & Alba coloniæ deductæ sunt, iterum latam comperio: [d] postea exacto decemuirorum imperio, populus Romanus vt licentiæ temeritatique obuiam iret, præter auxilium tribunitium, nouam lanciendo legem, constituit, ne quis vllum magistratum sublata intercessione crearet: qui creasset, eum ius fasque esser occidi. [e] Quod mox Duillius consul alia constitutione innouauit, vt qui magistratum sublata prouocatione creasset, tergo & capite lueret. [f] Lapsis inde temporibus cum opes plurimorum præualerent, humilioréſque à ditioribus assidue premerentur, hisque superbè aoaréque imperitarent, iterum Valeria lex, tanquam vnicum præsidium libertatis, ante primum Punicum bellum lata fuit: qua inter cætera eum qui prouocasset à quouis magistratu, virgis cædi, & securi pereuti vetuit: pœnam tamen si secus fecisset, non adiecit, nisi improbe factum videri. Cúmque adhuc non satis innocenti consultum foret, & plebis libertas opprimeretur magis, sæpiúsque hoc malum increbesceret, inita tandem ratio est, qua salubriter tenuioribus consultum foret. Siquidem M. Valerius consul legem de prouocatione ad populum, ab eadem familia sæpius latam, tanquā patronam & vindicem libertatis tertiò promulgauit, grauissimísque pœnis affecit eum, qui spreto more patrio, ad maius tribunal prouocare inhiberet, intantum, vt etiam de vi & maiestate damnatis, ius prouocandi ad populum dederit, [g] tametsi post decursa secula, Caligula, ne longo circuitu decerentur lites, nimias prouocationes inhibuerit. Sed quamuis tot legibus aduocatio maioris potestatis quæ ab iniuria tenuiores vendicaret, permissa foret: nondum tamen satis petulantiæ & effrenatæ licentiæ prouisum erat, nisi caueretur, ne sæpius eadem imperia gerendo, nimis aliquorum potentia insolesceret. [h] Ideo Quintus Martius censor legem tulit ad populum, ne quis eundem honorem bis ambiret. [i] Et deinde Fabius Maximus aliam recitari iussit, quod etiam plebiscito cauebatur, ne intra annos decem eandem potestatem gerere liceret. [k] L. deinde Sylla, aliquem prius prætorem quàm quæstorem fieri, aut consulem quàm prætorem, edita lege vetuit: eundemque nisi decurso decennij spatio, bis vni magistratui præesse, graui pœna interdixit: arbitratus frequentes honorum vicissitudines,

P. Valerij lex. — Duillij constitutio. — Valeria lex. — M. Valerij lex de prouocatione ad populum. — Prouocationes inhibita. — Q. Martij lex. — Fab. Max. lex — L. Syllæ lex.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

a *P. Valerius.*] Qui Publicola dictus est. Id enim ex eo tradit Plutarchus in vita illius. & Liuius 1. Decad. lib.2. & Valerius Maximus lib.4. cap.1. post princ. Et quod hic dicitur, A quocúque magistratu, intellige etiam à Consulibus ex l.2.§. exactis. ff. de orig. iur. atque ex eo quod scribit Dionysius Halicarnasseus lib.5. Legem Valeriam, à Val. Publicola latam sententias Consulum capitales irritas fecisse: nisi populi Romani iudicium accessisset, permissa rei prouocatione ad plebis suffragia. Sed quod ad Dictatorem pertinet, vide quæ suprà diximus lib.1.

b *Tametsi Regum temporibus.*] Quod patet ex Liuio 1. Decad. lib.1. vbi Horatius cum duumuiri à Rege creati eum condemnassent, ad populum prouocauit.

c *Quam legem à Murǽna consule.*] Liuius 1. Decad. lib.10. in princ. tradit L. Genucio, & Ser. Cornelio consule, Soram atque Albam colonias deductas. Nec reperitur Muræna quisquam fuisse consul: præter L. Murænam, qui consul fuit cum D. Iunio Syllano, anno post eas colonias deductas ducentesimo quadragesimo plus minúsve.

d *Postea exacto Decemuirorum Imperio.*] Liuius 1. Decad. lib.3. Aliam, inquit, deinde consularem legem de prouocatione, vnicum præsidium libertatis decemuirali potestate euersam (vide num legendum sit, euersa) non restituunt modò, sed etiam in posterum muniunt: sanciendo nouam legem, *Ne quis vllum magistratum sine prouocatione crearet. Qui creasset, eum ius fásque esset occidi: Néve cædes capitalis noxæ haberetur.*

e *Quod mox Duillius consul.*] Idem eod. lib. non multò post.

f *Lapsis inde temporibus.*] Hæc vsque ad clausulam, Tametsi sunt Liuij 1. Decad. lib.10.

g *Tametsi.*] Sueton. in Caligula, c.16. vide ibi interpretes.

h *Ideo Q. Martius.*] Plutarc. in Coriolano, in princ.

i *Et deinde Fabius Maximus.*] Liuius 1. Decad. lib. 7. & 10. huius quoque legis meminit etiam Cic. lib.3. de legibus, vbi eius legis verba adscribit, Eundem magistratum, ni interfuerint decem anni ne quis capito.

k *L. deinde Sylla.*] Appianus libr. 1. bellorum Ciuilium in duobus.

l *Quod*

nimiæ potestatis esse, & potentiæ non ferendæ.[l] Quod haud multo post noua constitutione innouatum fuit: cautumque, ne cui intra vigesimum annum, muneris publici administratio daretur. Et cum licentia præsidum in edendis spectaculis, multo prouincialibus damno & incommodo foret, quotidiéque nouis collationibus exhaurirentur: [m] Nero vetuit, ne gladiatorum munus, aut ferarum spectaculum præsides in prouinciis ederent.[n] Quo etiam tempore statutum est, vt qui perperam ad principem vel senatum prouocasset, pecuniam pœnæ nomine in ærarium ferre, & mulctam exoluere cogeretur. Pluráque extant plebiscita quibus[o] ne duos magistratus, præsertim curules, vno anno haberet, [p] néve plebeium magistratum patricio gerere liceret, cauebatur. [q] Quinetiam pro magistratu aliquid gerere inhibitum erat: nisi prius sacramento adactus fuisset: quod ideo cautum ferunt, ne spe & cupiditate improba, imperia & honores assumerent. iurabant enim apud cōsulem vel senatum solenne iusiurandum per deos:[r] postea vt in acta principum iurarent, Cæsarum temporibus seruatum est: [s] neque enim plus quinque dies, nisi qui iurasset in legem, imperium gerere licebat. [t] Siquitamen in magistratu auarè, superbè & insolenter se gessissent: ipsos ante tempus finiti honoris imperio desistere, & de gradu deiici iubebant. Primúsque cui abrogatum imperium fuerit,[u] Tarquinius Superbus proditus est, qui propter insolentiam regno pulsus fuit, Postea exactis regibus.[x] Sergium & Virginium tribunos consulares quòd male ad Veios pugnassent: [y] & Cn. Manlium, & Seruilium Cepionem proconsules, quòd ipsorū temeritate clades ingēs accepta fuisset, & à Cimbris cæsi, & castris exuti essent aliósque ignauiæ insimulatos, abrogato imperio, ante tempus finiti honoris, senatus magistratu abire, & insignia imperij dimittere coegit. Quod & C. Gracchus alio plebiscito confirmauit, cauens, vt si cui ante tempus propter indignitatem imperium esset abrogatum, is alterius adeundi honoris facultatem non haberet: néve maxima imperia diuturna essent, quod vnum officere libertati cognitum est. Magistratus & honores geri vltra annum[z] annaria lege prohibetur.[a] Iulius vero Cæsar lege sanxit, ne prætoriæ prouinciæ vltra annum, néve consulares plus biennio obtinerentur: [b] Tiberius collatos semel honores non facile ademit, cum saturos & opulentos præsides minus noxios prouincialibus duceret Néve finito magistratu, is qui prouinciæ præfuisset impune insultasse gauderet, triginta die-

Ætas muneris pub. obeundi.

Neronis statutū.

Mulcta iniqua prouocationis.

Plebiscita diuersa.

Magistratu & imperio deiecti.

C. Gracchi plebiscitum

Annaria lex.

ANNOTATIONES.

l *Quod haud multò post.*] Sed his omnibus adde quòd M. Rutilius Censorinus, iterum censor creatus, ad concionem populum vocatum; quàm potuit grauissima oratione corripuit, quòd eam potestatem bis sibi detulisset, cuius maiores, quòd nimis magna videretur, tempus coarctandum iudicassent, vt tradit Valerius Maximus lib. 4. cap. 1. Vbi etiam refert quòd Fabius Maximus cùm à se quinquies, & à patre, auo, proauo, maioribúsque suis. sæpenumero consulatum gestum animaduerteret: in comitiis, quibus filius suus summo consensu Coos. creabatur, quàm potuit constanter, cum populo egit, vt aliquando vacationem huius honoris Fabiæ genti daret: non quòd virtutibus filij diffideret (erat enim illustris) sed ne maximum imperium in vna familia continuaretur. Præterea Q. Fuluius Flaccus cùm ipse consul in sequentem annum, iterum consul à populo crearetur in comitiis, Tribuni plebis intercessere, qui neque magistratum continuari satis ciuile esse aiebant: & multò fœdioris exempli, eum ipsum creari: qui comitia haberet. Quæ contentio cùm ad senatum reiecta fuisset, ei visum est, vt per veteres & expertos, bellíque peritos Imperatores Respublica gereretur. Cæterùm cùm apud Carthaginenses iudices essent perpetui, Hannibal legem tulit, vt in singulos annos iudices eligerentur, ne quis biennium continuum iudex esset (vide vbi de prætoribus Atheniensium diximus) Sed & tu omnino vide, quæ de hac re scripsimus in nostris Commentariis in l. si vnquam. in præfat. num. 24. incip. ad hæc sanè.

m *Nero vetuit.*] Cornelius Tacitus libr. 13. Ne designatis quidem, inquit, Quæstoribus edendi gladiatores necessitas esset. Antè verò à Iul. Cæs. cautum est de numero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquam habere Romæ liceret. Suet. in vita illius. Et Tiberius gladiatorum paria ad certum numerum redegit eod. authore in eius vita, cap. 34. Vide Beroaldum.

n *Quo etiam tempore statutum est.*] Ab ipso Nerone. Cornelius Tacitus lib. 14. Auxitque patrum honorem, statuendo, vt qui à priuatis iudicibus ad Senatum prouocauissent, eiusdem pecuniæ periculum facerent, cuius ij, qui Imperatorem appellauere: Nam anteà vacuum id solutúmque pœna fuerat.

o *Nec duos magistratus.*] Liuius 4. Decad. libr. 9. & dictum est suprà cap. 4.

p *Néve plebeium magistratum.*] Ideóque Clodius ille pulcher, vt tribunatum plebis assequi posset, se arrogandum dedit plebeio.

q *Quinetiam pro magistratu.*] Vide infrà in verbo, Neque enim plus quinque.

r *Posteà vt in acta Principum.*] Cor. Tacitus lib. 13. non adeò longè à princip. Claudio, inquit, Nerone L. Antistio Coss. cùm in acta Principis iurarent magistratus, in sua acta collegam Antistium iurare prohibuit. De Claudio autem Cæsare loquitur.

s *Neque enim plus quinque.*] Liuius 4. Decad. lib. 1. in fi. Magistratum autem, inquit, plus quinque dies, nisi qui iurasset in leges, non licebat gerere.

t *Si qui tamen.*] Hoc probatur exemplo seq.

u *Tarquinius Superbus.*] Hoc latè exequitur Liuius 1. Dec. lib. 1. Dionysius Halicarnasseus lib. 4. & omnes vbique.

x *Sergium & Virginium.*] Liuius 1. Decad. lib. 5. non adeò longè à princ.

y *Et Cn. Manlium, & Seruilium Cepionem.*] Florus epitom. Liuij lib. 67. vbi hos quidem victos fuisse: sed Cepionem secundum pop. Romani iussionem, solùm, cuius temeritate clades accepta erat, damnatum eíque primò post Regem Tarquinium Imperium fuisse abrogatum scribit.

z *Annaria lege prohibetur.*] Festus Pompeius libr. 1. scribit Annariam legem ab antiquis eam fuisse dictam, quo finiebantur anni magistratus capiendi. Tullius Philipp. 5 Liuius ab vrbe cond. lib. 7. vbi disserit de cōsulatu superioris Africani, & T. Liuij, & iterum lib. 10. belli Macedonici. Diximus in nostris Commentariis Primigeniorum in præfa. num. 168. incip, Et sanè Romani. Vide Robertum in verbo, Annaria.

a *Iulius verò Cæsar.*] Vide Plutar. in vita illius.

b *Tiberius.*] Vide in nostris Consuetudinibus. Sueton. in vita illius, cap. 41. Reipublicæ, inquit, curam vsque adeo abiecit, vt posteà non decurias equitum vnquam suppleuerit: non tribunos militum, præfectósque: non prouinciarum præsides vllos mutauerit. Sed de ea re latius Cornelius Tacitus lib. 5.

Ratio administrati muneris. Græcos. Alogij. Athenienses. Magistratu functi apud Carthaginenses vino abstinebant. Ætas fungendi magistratus apud Thebanos & Bithynos. Qui finito magistratu provincia abire nollet. Thebani. Carthaginensium seuera disciplina. Romani duces mulctati ob exercitum temere amissum. Valerij publicola lex.

bus [c] lege Cornelia successorem expectare, & ex prouincia reuersus, rationem administrari muneris [d] lege Iulia reddere cogebatur. Ideo plures consules prætoresque functos honoribus, quod mente improba, auarè & crudeliter in prouincia se gessissent, damnatos & ærarios factos inuenimus. [e] Apud Græcos verò lege cauebatur, vt qui gesti muneris rationem non redderet, alogij teneretur. Apud Athenieses quisquis ad rempub. accessisset, rationibus ita obnoxius erat, vt etiā sacerdotes obnoxios, lex iuberet, apud quos computator publice eligi consueuit, qui redditus ciuitatis per singulos magistratus populo resignaret: neminémque coronari licebat, qui rationibus reddendis obnoxius foret: [f] Carthaginensibus, ne insolescerent magistratus, toto imperij tempore vinum interdicebatur, ita abstemios moderatiores fore arbitrati. [g] Thebanis lex data est, vt ad munera publica nemo accederet, nisi qui annis decem é mercimoniis destitisset. [h] Bithynis, vt minor annis triginta, ad honores admitti nequiret: [i] quod tameo Augustus ita præfiniuit, vt ab annis duobus & viginti admoneri iuuenes ad munera iuberet. [k] Quod si fortè finito magistratu quisquam prouinciam successori tradere negaret, vel vltra iustum tempus fasces retineret, is velut maiestatis reus in Principem & rempublicam agebatur. [l] Cui simile apud Thebanos accepimus: nam qui vltra præscriptum honores gesserat, cōspirationis reus, capite luebat. [m] Fertur tamen Epaminondas Thebanus, dum patriæ consultum vult, præturæ quam gerebat, vltra præfinitum tempus præfuisse, nec successori exercitum tradidisse, quo tempore Lacedæmonios graui bello & intestinis cladibus affecit: ne si honore decederet, Thebaoi tanto progressu rerum frustrarentur: cuius rei causa capitis anquisitus, omnium suffragiis absolutus fuit. [n] Carthaginensibus quoque tam seuera viguit disciplina, vt si quis Imperator aut Dux prauo consilio, licet felici euentu pugnasset, fœdo supplicio in crucem elatus, morte pœnas dabat. Romani vero Duces, qui temeritate vel inscitia exercitus amisissent, aut fugæ & pauoris insimulati essent, pecunia & exilio sæpe mulctati sunt, [o] Lege quoque à Valerio Publicola primùm lata cautum fuit, vt qui imperium magistratúmve à populo non accepisset, capite plecteretur: [p] quod ab Atheniensibus seruatum est, quibus nulli erant magistratus, nisi sortitione publica & suffragiis populi creati. Tanta videlicet cura tantáque solicitudine maiores nostri contra insolentiam magistratuum, præsidia legum inuenere.

ANNOTATIONES.

c *Lege Cornelia.*] De qua Cicero ad Appium Pulchrum lib. 3. Epistolar. familiar. epistol. 6. Non modò ibi non fuisti, vbi me quàm primùm videre posses, sed eò discessisti, quo ego te ne persequi quidem possim triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, vt opinor, Cornelia constituti essent. Vide eundem in Orat. pro Rabirio Posthumo.

d *Lege Iulia.*] De qua aliter tamen, idem Cicero ad Rufum earundem epistol. lib. 5. epist. 20. Deinde si rationum referendarum ius vetus, & mos antiquus maneret, me relaturum rationes, nisi tecum pro coniunctione nostræ necessitudinis contulissem, confecissémque, non fuisse. Quod igitur fecissem ad vrbem, si consuetudo pristina maneret, id, quando lege Iulia relinquere rationes in prouincia necesse erat, easdémque totidem verbis referre ad ærarium, feci in prouincia. Et paucis interiectis, Illud quidem certè factum est, quod lex iubebat, vt apud duas ciuitates, Laodicensem & Apamensem, quæ nobis maximæ videbantur, quoniam ita necesse erat, rationes confectas & consignatas deponeremus. Et lib. 6. epist. ad Atticum. ep. 7. Ego Laodiceæ Quæstorem Messinium expectare iussi. vt confectas rationes lege Iulia apud duas ciuitates possim relinquere.

e *Apud Græcos verò.* Cælius Rhodiginus lib. 8. cap. 3. in fi. Alogij, inquit, crimen est, cùm rationem quispiam reddere neglexerit in magistratu gestorum: vbi nullum citat authorem. Sed id est Pollucis libr. 8. cuius hæc verba sunt, καὶ ἀλογίου δὲ δίκη ἦν κατὰ τῶν οὐκ ἀποδεδωκότων λογισμοὺς, ὧν ἂν διαχειρίσωσιν. Rationis neglectæ actio aduersus eos, qui gesti muneris rationem non reddebant.

f *Carthaginensibus.*] Aristoteles lib. 1. Oeconomicôn, c, cap. 5. Eusebius Præparationis Euangelicæ, lib. 12. c. 17. Vide quos allegat,

g *Thebanis lex data est.*] Aristoteles lib. 3. Politicôn c. 3.

h *Bithynis.*] Plinius lib. epistolarum 10. epist. 84. Cautum est, inquit, domine, Pompeia lege, quæ Bithynis data est, Ne quis capiat magistratum, néve sit in senatu minor annorum triginta.

i *Qod tamen Augustus.*] Plinius eadem epist. paulò post, Secutum est dein edictum Diui Augusti, quo permisit minores magistratus ab annis duobus & viginti. Nostris autem legibus in id est tempus viginti quinque annorum præscriptum. l. non tantùm. versic. neque enim minores. ff. de decu. nisi, vt ibi dicitur, ex causa. quod Acurs. ibi & cæteri interpretantur. & huius quoque temporis est tex. in l. ad Rempublicam. ff. de muner. & honor. Vbi, aiunt, in hac re annus vigesimusquintus cœptus pro pleno habetur. l. sextumdecimum. §. 1. ff. de vac. mu. vbi de minoribus annis 25. ad munera siue ad honores creandis iusta ætas seruanda est. Verùm hodie id temporis ad 25. annum coarctatum esse constat. l. ad rempub. ff. de munerib. & hon. l. sextumdecimum §. de muneribus quoque. ff. de vaca. & excu. muner. & l. non tantum. §. neque enim. ff. de decurio.

k *Quod si fortè finito magistratu.*] Valerius Maximus lib. 5. cap. 1. vbi de Manlio Torquato loquitur. Nam & nostris quoque legibus qui à prouincia, cùm ei successum esset, non decesserit, tenetur crimine læsæ maiestatis. l. 2. ff. ad legem Iuliam maiest. vide legem 1. C. vt omnes iudi. tam ciuil. quàm milit. lib. 12.

l *Cui simile apud Thebanos.*] Probus Æmylius in vita Epaminundæ.

m *Fertur tamen Epaminundas.*] Ibi. & Plutar. in Apophtheg Epaminundæ.

n *Carthaginensibus.*] Liuius 3. Decad. lib. 8. in Oratione Cn. Manlij Proconsulis, In quo confiderem causæ meæ, etiam si non apud Romanum, sed apud Carthaginensem senatum agerem: vbi in crucem tolli Imperatores dicuntur, si prospero euentu, prauo tamen consilio rem gesserant. Et Valerius Maximus lib. 2. c. 2. Plutarch. in Timoleone. Idem Liuius 3. Dec. lib. 2. in fi.

o *Lege quoque à Val. Publicola.*] Plutarch. in eius vita, & Liuius Dec. 1. lib. 2.

p *Quod ab Atheniensibus.*] Illos enim magistratus sortiri solitos satis constat ex Polluce. Vide quæ scripsimus in lib. de Iure primigeniorum.

a *Militum*

Qui ordo in disponendis aciebus, & quæ norma militiæ apud Romanos olim seruari solita fuerit, & quæ apud exteros. CAPVT. VII.

MILITVM [a] ordines in Romanis castris plures fuisse, exque diuersis formis instrui acies consuesse, & firmari subsidiis, sæpe notatum est. Species vero militū à principio ita distinctæ fuere, vt aut inter hastatos, & leuis armaturæ milites, aut principibus, vel inter triarios essent. Et licet de instruendis disponendísque aciebus certa lex tradi nequiret, quia ex monte, flumine, vel locorum situ facili vel impedito, aut ex subiecta planitie, & natura regionis perlustrata oculis, prouidens diligénsque dux, explorato, & præuiso acies dirigere, & copias admouere debet: & nunc directa, nunc cuneata, vel trigona, aut hemicycla, modo late fusa, & porrecta acie, nunc quadrato agmine, quod frequens [b] apud Persas [c] & Siculos fuit, in hostes vadere, aut hostium vim excipere: nunc frontem vel cuneum, nunc subsidia, orbem, globum, forfices, serras, turres, atque alas facere: ita vt terrarum situi sese accommodet, & qualitati insinuet, tamen vbi locus tempúsque patitur, hæc acierum forma, & turmarum descriptio magnas sæpe acies fudit. nam primi erant [d] Hastati, qui hasta tantum gesáque, [e] & Pilani, qui pilo primos congressus excipiebant. [f] Fuit autem pilum ligneo hastili, & ferro quadrato, oblongo & præacuto. [g] Hi ergo quindecim manipuli erant expediti & delecti pedites. Inter quos iaculatores, & leuis armaturæ milites, qui in prima fronte siti, dato signo in hostes incurrere, ac pilis missilibúsque hostem ferire, deinde gladiis cominus congredi solebant: [h] in quibus tyrones qui nuper militiæ adsciti erant, militabant: ab hísque primi erant congressus, & hostes lacessiti assuêrant. Mos ergo Romanus erat, instructo paratóque exercitu, quum congredi acie parant, [i] deos primùm consulere, [k] mox auspicato [l] & litato, ne incertis auspiciis, & turbatis religionibus, acies committerent, [m] Solem venerari, & in hostes ducere, [n] sicut in Syria mos erat: quúmque classico signo dato pugnam ineunt, primo occursu ad ardorem excitandum, [o] ardentissimo clamore concurrere, & signa inferre: [p] qui si consona voce editus, neque impar, varius vel dissonus foret, haud dubie satis animorum ad certamen esse, & futuram victoriam spondebat. Namque is erat index voluntatis & animi cuiusque. Si verò excitatior crebriórque ab hoste sublatus esset, quò euentus prælij casurus foret, indicium haud dubium præbebat: in qua quidem re ad ardorem animi excitandum, non solùm acies, sed ipsa quoque signa militaria inferebant. Neque enim parui momenti fuit illa prima vis & congressio militaris, cum alacres & fiduciæ pleni ardenti clamore simul in hostes ibant, & signa inferebant, intolerabili clamore, animorum vno impetu consentiente ac virtute: quæ res magna-

Species militum.

Prudens dux ex occasione oblata acies dirigit.

Acierum & turmarum forma. Pilum.

Tyronum congressus.

Mos Ro. aggrediendi conflictus.

Clamor consensus.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

a *Militum ordines.*] Vide omnino Vegetium libr. 2. de re militari.

b *Apud Persas.*] } De his duobus vide Ælianum libr. de
c *Et Siculos.*] } instruendis aciebus, vt dicetur infrà in verbo, Persæ & Siculi.

d *Hastati.*] Varro lib. 4. de lingua Latina. Hastati, inquit, milites dicebantur, qui primi hastis pugnabant.

e *Pilani.*] Varro ibi & Festus Pompeius lib. 14. Pilani milites dicti sunt, qui pilis pugnabant: alio nomine Triarij appellati.

f *Fuit autem pilum.*] Polybius lib. 6. quo describit Romanorum castrametationem. Pili, inquit, telum habet lignum longitudine plerumque bicubitali, crassitudine digitali, spiculum vnius spithamæ, palmi, inquam, maioris, eò vsque attenuatum & acutum, vt mox primum post tactum necessariò flectatur, sitque inhabile ad remittendum: alioqui commune fieret telum. Liuius 1. Decad. lib. 9 Pilum, inquit, haud paulò quàm hasta vehementius ictu missúque telum. Dionysius Halicarnasseus lib. 5. Pili, inquit, tela sunt Romanorum, quæ primo congressu eiaculantur, oblonga hastilia crassamento, quod manum compleat, tripedaneis ferreis vtrinque præfixa verriculis, vnà cum ferro longitudine paria mediocribus iaculis. At Veget. lib. 2. cap. 15. Item bina missilia, vnum maius, ferro triangulo, vnciarum nouem, hastili pedō quinque & semis, quod Pilum vocabant, nunc Spiculum dicitur. Et paulò pòst, Aliud minus, ferro triangulo vnciarum quinque, hastili trium pedū & semis, quod tunc Verriculum, nunc Verutum dicitur. Varro ait, lib. 4. ab omine pilum dictum, quòd hostis feriret, aut periret.

g *Hi ergo quindecim manipuli.*] Liuius 1. Dec. lib. 8.

h *In quibus tyrones.*] Imò verò tyrones locari solebant in medio pugnæ, vt ostendit Virgil. de Pallante tyrone loquens lib. 8. Æneid.

---- *Ipse agmine Pallas*
In medio, chlamyde & pictis conspectus in armis.

Vbi & id Seruius obseruauit, inquiens, Hic enim mos fuit, vt tyrones ponerentur in medio, & ambirent viri fortes exercitum. Aut certè honoris est medium, vt ipse alibi libr. 1. Æneid. ibi,

---- *Composuit sponda, mediámque locauit.*

i *Deos primum consulere.*] Hoc autem auspiciis fiebat, vt in sequentibus videbitur.

k *Mox auspicato.*] Liuius 4. Decad. lib. 4. de Marco Porcio Catone loquens, Nocte media, cùm auspicio operam dedisset, profectus, vt locum quem vellet, prius, quàm hostes sentirent, caperet: præter castra hostium circunducit, & alibi sæpe.

l *Et litato.*] Nam si non litassent, pugnam differebant, donec tandem litassent: vt Liuius 1. Decad. lib. 5. vbi de Gallorum in Italiam aduentu Tribb. militum, inquit, non loco castris antecapto, non deorum saltem, si non hominum memores, nec auspicatò, nec litato instruunt aciem diductam in cornua, ne circumueniri multitudine hostium possent.

m *Solem venerari.*] Sic Marcellus cum Gallis pugnaturus cum equus illius sese pauore conuertisset, Solem adorauit. author Plutarchus in Marcello.

n *Sicut in Syria mos.*] De quo infrà in verbo, Syri.

o *Ardentissimo clamore.*] Vide infrà in verbo, Quare à Iulio Cæsare.

p *Qui si consona voce editus.*] Liuius 1 Decad. lib. 4. Clamor, inquit, indicium primùm fuit quò res inclinatura esset excitatior crebriórque ab hoste sublatus: ab Romanis dissonus, impar, segnis, sæpe iteratus, incerto clamore prodidit pauorem animorum. Et 3. Decad. lib. 10. Ad hoc, dictu parua, sed magni eadem in re gerenda momenti res, congruens

clamor

Pompeius à Iul. Cæsa. imperitiæ accusatus. — Cyri consilium. — Galli & Germani. — Barritus. — Belli omen Germanorum mos. — Ambrones. — Vbij & Treuiri. — Æthiopes. — Syri. — Athenienses & Lacedæmonij. — Cyrus. — Principes. — Triarij.

rum victoriarum plerumque causam dedit.[q] Quare à Iulio Cæsare Pompeius haud immeritò imperitiæ arguitur, quòd in pugna Pharsalica milites certaminis auidos, impetum excipere, non inferre iussit.[r] Quod quidem Cyri consilium fuit, vt si hostes tumultuosius irruerent, taciti milites impetum exciperent: si autem taciturni essent, clamore & strepitu acies inuaderent.[s] Galli &[t] Germani, quibus inconsulta ira & furor est, siquando cum hoste congredi parant,[u] dissono & truci cantu,[x] quem Barritum vocant,[y] cum vlulatu & tripudiis[z] scuta quatientes, prælia inibant,[a] ex quo futuræ pugnæ fortunam augurabantur:[b] aut patrio more, nudis corporibus, horrendóque vocis sono: nonnunquam vt auspicium pugnæ sumerent, captiuum cum suo milite committebant, vnde belli omen augurati, in hostes ibant.[c] Quibus Germanis hoc etiam in vsu erat, non antè acies committere quàm per matresfamilias, quas plurimas educebant, in castris (sicut[d] Dionysius, qui armatas thyrsis mulieres habuit) an decernendum esset, sortibus & vaticinio prædictum foret.[e] Ambrones non cursu furioso, sed incessu tardo arma pulsantes, rhythmis cum gressu & pulsu armorum consonantibus, suum nomen exprimentes, in hostes ducunt. Vbij[f] & Treuiri virorum cantu, & fœminarum vlulatu, terrorem faciunt, & voce obtundunt, Æthiopes, cum cecinit bellicum, clamoribus dissonis tumultuantur, & sui moris tripudiis exultant. Syri autem in primo congressu Solem venerati, immodicis vocibus exultantes, cursu quàm citatissimo acies subeunt, & in hostes irruũt, ita vano metu deturbari & ludificari hostem opinati,[g] Athenienses[h] & Lacedæmonij pæana canentes & hymnos Ioui, congredi solent:[i] quod frequens apud Græcos fuisse notatum est:[k] fuítque Spartanorum mos, vt ante hostium congressum, Amori sacra faciant, vtque Reges Laconici antequam signa inferant,[l] Musis immolent, Clementiæque & Amicitiæ, non Marti: satius ducentes, pactione hostium animos & pace incruenta conciliare, quàm prælij subire aleam, & multa hostium cæde victoria potiri.[m] Cyrus autem, ne hostium efferis clamoribus milites perculsi trepidarent, hymnum Polluci & Castori canere iussit, quo concentu effecit, ne improuisa formidine caperentur.[n] Post hastatos sequebantur Principes, qui viribus & ætate fortiores, in quindecim pariter distincti manipulos, scuto & insignibus armis, sub ipsis signis militabant: qui non continenter iuncti erãt, sed modicis spatiis discreti, quasi in subsidiis positi: vt si hastati commisso prælio ab hostibus deturbati retrocederent, ad Principes & grauioris militiæ viros receptus tutus foret. Hique cum ad hostium subitos conatus præsto essent, obnixè, vrgentésque integris viribus fessos adorirentur, & impressionem facerent.[o] Post Principes verò triarij pluribus vexillis

ANNOTATIONES.

clamor à Romanis, eóque maior & terribilior: dissonę illis vt gentium multarum discrepantibus linguis, voces. Et è Græcis Homerus lib. 4. Iliados de Troianis loquens,

οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος οὐδ' ἴα γῆρυς.

Quod & ex eo repetit Polyb. lib. 15. vbi etiam dicit Romanos, more patrio, in prælio simul vociferari, & gladiis ad scuta illisis strepitum edere.

q *Quare à Iulio Cæsare.*] Plutarc. in vita Cæsaris, & ipsemet Cæsar lib. 3. bell. Ciuil. Cuius hæc verba sunt, Quod, inquit, nobis quidem nulla ratione factum à Pompeio videtur, propterea quòd est quædam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus, quæ studio pugnæ incenditur, hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent. Neque frustra antiquitus institutum est, vt signa vndique concinerent, clamorémque vniuersi tollerent, quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimauerunt.

r *Quod quidem Cyri.*] Minoris ex Xenophonte Expeditionis illius lib. 1.

s *Galli.*] Liuius 1. Dec. lib. 5.

t *Et Germani.*] Cornel. Tacitus lib. de Moribus Germanorum post princ. Fuisse, ait, apud eos & Herculem memorant. Primúmque omnium virorum fortium ituri in prælium canunt.

u *Dissono & truci cantu.*] Sunt propria verba Liuij d. lib. 5. Decad. 1.

x *Quem Barritum vocant.*] Scilicet Germani ex Tacito lib. de Moribus German. post princ. Sunt, inquit, illis quoque carmina, quorum relatu, quem Barritum vocant, accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur. & Vegetius lib. 3. c. 18.

y *Cum vlulatu.*] Id enim de Gallis dicit Liuius vbi suprà.

z *Scuta quatientes.*] Tacitus lib. 18. & lib. 21.

a *Ex quo futuræ pugnæ.*] Idem Tacit. de Morib. Germ. post princip.

b *Aut patrio more.*] Tacit. d. libr. 18. atque etiam in d. libr. de Morib. Germ.

c *Quibus Germanis hoc etiam in vsu erat.*] Cæsar. lib. 1. belli Gallici ante fi. Apud Germanos ea consuetudo erat, vt matresfamilias eorum sortibus & vaticinationibus declararent, vtrum prælium committi ex vsu esset, néene.

d *Sicut Dionysius.*] Bacchus ex Diodoro lib. 3. c. 10.

e *Ambrones.*] Plutar. in Mario.

f *Vbij & Treuiri.*] Cor. Tac. de vtrisque lib. 20.

g *Athenienses.*] Thucydides lib. 1.

h *Et Lacedæmonij.*] Plutarc. in Lycurgo.

i *Quod frequens apud Græcos.*] Thucydides libr. 4. id etiam Corinthiis tribuit, & Bœotiis.

k *Fuítque Spartanorum mos.*] Athenæus libr. 13. cap. 5. vbi præterea dicit Sosicratis testimonio Cretes, cùm acies instruuntur, ciues ornantes pulcherrimos, per hos Amori sacrificare. Cur autem Amori sacrificent ante prælium Lacedæmonij, reddit idem Athenæus ibi rationem: vt scilicet in instructarum acierum amicitia omnis & salus & victoria posita sit.

l *Musis immolent.*] Plutarch. in Lycurgo, & in antiquis Lacedæmoniorum institutis.

m *Cyrus autem.*] Maior scilicet ex Xenophonte in Pædia illius lib. 3. non multò ante fi.

n *Post hastatos sequebantur Principes.*] Ad Romanos redit, & quòd hi Principes hastatos sequerentur, & hos triarij, videbis apud Liuium 3 Decad. lib. 10. Vbi Scipio, inquit, instruit deinde primos hastatos, post eos Principes, triariis postremam aciem clausit. Et 4. Decad. lib. 7. Romani, inquit, mediam aciem, cornua Latini tenuerunt: hastatorum prima signa, deinde Principum erant: triarij postremos claudebant. Et de his quoque Principibus Liuius 1. Decad. lib. 7. non multò post princ. in duobus locis. Vide Vegetium vbi suprà, & Polybium lib. 6.

o *Post Principes triarij.*] Iam dictum est suprà. sed & idem propemodum Veger. lib. 1. c. 20. & lib. 2. c. 16. & de his quoque vide suprà lib. 1. c. 5.

ordines ducebant. Erant enim veterani milites, magnæ & expertæ virtutis, qui stabili genere pugnæ assueti, scuta & hastas tenentes humi fixas, genu dextro innixi, prælij euentum, & Imperatoris nutum expectabant ad inuadendum: qui modico etiam interuallo seiuncti à principibus, considebant. Iisque ordinibus, cum procinctæ acies starēt, si à principibus haud feliciter pugnatum esset, nec ad arcendam vim satis roboris aut virium foret, vt victi, perculsi, & consternati cederent, perditis propè rebus, & desperata salute, se ad triarios per interualla ordinum sensim referebant. At tunc exurgentes triarij, in quibus omnis belli moles, quódque virium erat, esse putabatur (namque his vincere aut mori decretum erat) conferti pluribus ordinibus, firmata acie, tanquam vallo muniti, strictis mucronibus, ita vt vir viro, armis arma coniuncta forent, vias claudebant: ita magno præsidio firmati in hostes ibant, vt disrumpi ea acies non posset. Neque enim longum certamen, & increscens vi diutius durare posset, nisi secunda acies primæ, & integri fessis succederent. [p] Cyrus quoque haud absimili exemplo ita aciem instruxit, vt primi in prælio, quíque primarum centuriarum milites essent, in secundis pugnarent vltimi, deinde vltimi succederent ad primos, ita acie instructa, vt seruato ordine progredi ad pugnam, & cum opus foret, pedem retro ferre possent. [q] Germani vero per familias & propinquitates cuneis acies instruebant. [r] Sarmatæ per turmas, quibus insuperabiles erant: pedestri vero pugna nihil ignauius. [s] Scythæ, Thraces, & Macedones cuneo, qui mediam vrgeret aciem, frequenter vsi sunt. [t] Persæ Siculi, quadrato agmine, [u] Celtiberi tantum cuneo valebant, vt quacunque parte decurrerent, irruptionem facerent. [x] Galli bifronti acie pugnabant, cuius vsus talis erat, vt nullam militibus terga dandi spem ostenderet. [y] Lacedæmonij cum in cornu incedunt, turma in postremis sequitur, quæ se ad frontem & in latus flectere queat & cum opus foret, verterent se singuli ordines, & depugnarent. [a] Agesilaus quoque quadrato agmine exercitum sæpe duxit, ita vt dimidium ante, dimidium verò post exercitum haberet. [a] Thessali rhombi figuram primi inuenere, quòd facile circumagitur, cuius ope adiuti, hostibus præualuere. Ferunt Triballos populos omnem aciem in quatuor phalanges, & quicquid est copiarum diuidere: primam ex imbellibus, secundam ex optimis, qui robore præstabant & viribus: tertiam ex equitibus, quartam ex mulieribus, quæ in fugam conuersos conuiciis incesserent. [b] Latini vero populi cum antea phalangès similes Macedonicis facerent, postea disciplina Romana edocti manipulatim acies instruebant. [c] Apud Spartanos in expeditionibus obeundis Reges erant primi cum cohortibus suis, in recessu vero postremi. [d] Atheniensibus lege cautum erat, vt polemarchus cùm acie decernitur, dextrum semper latus teneat, indéq; in hostes irruat. [e] Thebani cum ad Leuctram sinistro cornu Lacedæmonios fugassent, & victoria potiti essent, omnibus præliis obseruarunt, vt sinistro cornu principatum darent. [f] Erátque inter Lacedæmonios & Athenienses conuentum, vt si arma contra eosdem hostes ferrent, Athenienses sinistrum, Lacedæmonij dextrum in acie tenerent locum, tametsi in pugna aduersus Mardoniumq;, Athenienses dextrum cornu contra Persas, Lacedæmonij sinistrum contra Bœotios & Thessalos tenuere. Cúmque aduersus Mardonium, & Medos Athenienses, & Tegeates super instruendis aciebus dissiderent, dextrum cornu vsurpātibus Atheniensibus, Aristidis authoritate effectum est, ne intempestiue contenderent, quamcumque partem in acie dedissent, se viriliter operā nauaturum professus Cui non absimile est, quod cum [g] Themistocles cum Eurybiade Lacedæmoniorū Duce contra Xerxem classem duceret, & de ducatu orta contentio esset, facile cessit, asserens intempestiuā contentionem è sua republica non esse, sed eum videri Principem, qui meliorem operam nauasset. [h] Apud Lacedæmonios vero milites ex Scyro insula, cum

Cyri aciei instructio. Germanorum acies. Sarmatæ. Scythæ. Thraces. Macedones. Persæ. Siculi. Celtiberi. Galli. Lacedæmonij. Agesilaus. Thessali. Rhombus. Triballi. Latini. Spartani. Atheniensium lex. Thebani. Lacedæmoniorum & Atheniensium contentio Principatus.

ANNOTATIONES.

p *Cyrus quoque.*] Maior apud Xenophontem in Pædia illius lib. 6. & alibi sæpe.

q *Germani verò.*] Corn. Tacitus de Moribus Germanorum.

r *Sarmatæ.*] Cornel. Tacit. lib. 17.

s *Scythæ, Thraces, & Macedones.*] De his tribus Ælianus de instruendis aciebus, & præterea de Macedonibus Q. Curtius lib. 2.

t *Persæ & Siculi.*] De his idem Ælianus ibi. & interdum Romani ex Liuio 4. Decad. lib. 1. Vide in nostris Consuetudinibus vbi de Romanis.

u *Celtiberi.*] Liuius 4. Decad. lib. 10. Celtiberi, inquit, vbi ordinata acie & signis collatis se non esse pares legionibus senserunt, cuneo impressionem fecerunt: quo tantum valent genere pugnæ, vt quacunque parte perculere impetu suo, sustineri nequeant: tunc quoque turbatæ legiones sunt, propè interrupta acies.

x *Galli.*] Polyb. lib. 2. loquens de pugna Romanor. sub Æmylio Cons. contra Gallos ita eum bifrontem aciem constituisset, accidit eam non modo terribilem aspectu, verum etiam ad pugnandum efficacissimam esse.

y *Lacedæmonij.*] Vegetius lib. 3. cap. 27.

z *Agesilaus quoque.*] Plutarch. in eius vita, & Xenophon in eiusd. laudibus.

a *Thessali.*] Ælianus de instruendis aciebus.

b *Latini verò populi.*] Liuius 1. Decad lib 8. de iis loquens. Et quod anteà phalanges similes Macedonicis, hoc posteà manipulatim structa acies cœpit esse.

c *Apud Spartanos.*] Herodotus lib. 6. Vt in expeditionibus adeundis primi eant Reges, in abeundo postremi sint. Centum delecti viri eis in militia custodes adsint.

d *Atheniensibus.*] Herodotus eod. lib. 6. Dextro cornu præerat Callimachus polemarchus. Ita enim lex apud Athenienses tunc postulabat, vt polemarchus dextrum cornu teneret.

e *Thebani.*] Plutarch. problem. cap. 78.

f *Eratq; inter Lacedæmonios.*] Idem totum vsque ad clausulam. Cui non absimile est Plutarch. in Aristide. Sed quod statim post diciturq; de Atheniensibus & Tegeatis, paulò aliter Herodotus lib. 9.

g *Themistocles.*] Herodotus lib. 8. & Plutarch. in vita ipsius Themistoclis.

h *Apud Lacedæmonios.*] Thucydides lib. 5. Tunc autem in sinistro cornu Sciritæ soli constiterunt, hunc ordinem semper Lacedæmoniorum sibi habentes.

sinistrum sibi locum delegissent in acie, semper obseruarunt vt deinceps sinistrum cornu tenerent. [i] Fertúrque Psammetichus Ægypti Rex, cum pugnaturus contra Assyrios, ignominiæ loco Ægyptios in sinistra, mercenarios vero & externos in dextra phalangis locasset, exercitus alienationem & dissidium passus fuisse. [k] More tamen Romano antiquiori Duci dextrum cornu dari consueuit: sinistrum vero, quia minus curæ & solicitudinis habet, iuniori, & minus assueto, [l] quamuis sinistro nonnunquam summos Duces attributos inueniamus. [m] Tullus enim Hostilius aduersus Fidenates pugnaturus, sinistrum sibi desumpsit cornu, dextrum verò Metio dedit. [n] Darius quoque ad Arbelam cum sibi sinistrum tuendum sumeret, Mazeo dextrum assignauit. [o] Si tamen inter Duces de loco non conueniret, plerunque de ordine agminis quem tenerent, inuicem sortiebantur. Cúmque signa militaria in media locarentur acie, ita vt pro signis antesignani, post signa alia pugnaret acies, quoties hostium impetu antesignani victi cederent, ne nudarentur pugnatoribus signa, collato statim gradu ex secunda prima fiebat acies, ita vt à suo quisque manipulo vel cohorte pugnans non recederet: qui omnes ita docti instructíque erant, vt ad nutum mouentis intenti, ad illius imperiū se in turmas colligere, rursus diuidere possent, obsistere, circuire, mutare pugnā, modo à fronte, nunc à cornibus occurrere, sequi signa, ordines seruare, consistere, & locum non deserere, tam facile scirent, vt signo dato expediti & dicto velocius mandatis parerent. Erant enim ita instructæ acies, vt faciles partienti, faciles iungenti forent: talísque disciplina, vt etiam in conflictu belli, & dum præliatur, miles in sua legione, cohorte vel manipulo maneret, ab eáque pugnans nō recederet: [p] Hoc quoque proditū est, quòd quoties grauis armatura hostem fugasset, ne turmæ equitum cursu & fuga insequēdo dissiparentur, signáque & ordines relinquerent, leuem armaturam, funditores sagittariósque, qui hostes longius agerent, & trepidantes opprimerent, emittebant. [q] Quod longe secus apud Lacedæmonios fuisse tradit: quipppe in pugna acerrimi existunt, diúque & fortiter præliantur, dum hostem in fugam vertant, quibus fugatis, effusos insequi nesciunt. Cum enim hostem dare terga coegissent, continuo redibant in ordines: neque enim videbatur decorum satis, in fugientem hostem & agmen consternatum inferre signa, & in terga dantes, ius victoris exercere. [r] Quotiésque ad vltimum laboris & periculi ventū erat, vt solutis ordinibus vagè dissipati milites, forent in summa desperatione & diffidentia, rem in asperis præliis sæpe tentatam, felici euētu multi magno studio exequuti sunt, vt dissipati milites ad suos mox ordines redirent, deinde coacto agmine, omnes vno impetu impressionem facerent, & vltro in hostes irruerent, magnóque ardore animorum pugnam repararent, [s] id quod apud Germanos frequens fuit, vt cedere loco, & rursus instare pro consilio haberent, [t] vel vt equites dimissis equis ad proximos

Psammetichus. Romani.

Darius. Sortitio de loco. Vbi antesignani victi cederent.

Vbi terga verterit hostes. Lacedæmonij hostes fugientes non insequebantur. In extremo periculo.

ANNOTATIONES.

i *Fertur*, *Psammetichus Ægypti Rex.*] Diodor. Siculus lib. 2. cap. 2.

k *More tamen Rom. antiquiori.*] Plutarchus in Bruto scribit Brutum ipsum à Cassio postulasse, vt sibi dextrum cornu concederet, quod ei iure ætatis competebat. Et id etiam videre licet ex Liuio 1. Decad. li. 3. vbi scribit T. Quintium Capitolinum Consulem, apud quem summa imperij erat, dextrum cornu tenuisse aduersos Æquos & Volscos, & Agrippam Furium collegam sinistrum. Et iterum libro 4. Mamercum Æmylium Dictatorem, in prælio aduersus Veientes, Fidenates, & Faliscos sibi cornu dextrum sumpsisse: sinistrum suo Magistro equitum dedisse. Et lib. 9. Papyrium Cursorem dextrum cornu aduersus Samnites, sinistrum Iunio Bubulco præfecisse. Et ibid. paulò ante Coss. Sulpitius in dextra, Petilius in læuo cornu consistunt. Et Cæsar pugnaturus aduersus Pompeium sinistro cornu Antonium, dextro se constituisse apud Plutarch. in Cæsare. Et in eodem prælio Pompeius dextrum cornu, Domitius sinistrum habuit, vt idem scribit. Antiochus quoque in pugna aduersus Romanos dextrū cornu tenuit, & eius filius Seleuchus sinistrum. Alexander (sit Liuius 4. Decad. lib. 7. ad Granium pugnaturus aduersus Darium, dextrum cornu sibi delegit, Parmenioni sinistrū tribuit. Darius verò, (Persarum more) inter duo cornua mediam aciem tenuit, apud Arrianum rerum gestarum Alexandri lib. 2.

l *Quamuis sinistro nonnunquam.*] Quod patet ex seq.

m *Tullus enim Hostilius.*] Liuius 1. Decad. lib. 1.

n *Darius.*] Q. Curtius lib. 4. Adde quòd Tigrannes aduersus Lucullum bellaturus, sinistrum cornu Adiabeno Regi dextrum concessit, ipse mediam tenuit, vt scribit Plutarc. in Lucullo. Similiter Scipio pugnaturus aduersus Annibalem, dextrum cornu Lælio, sinistrum Octauio dedit, sibi mediam aciem retinuit. Pariquo modo Annibal se collocauit apud Appianum in Libyco. Vide Liuium.

o *Si tamen inter Duces.*] Verba sunt Liuij 3. Decad. li. 2. non multò post princ.

p *Hoc quoque proditum.*] Vegetius lib. 2. cap. 17. vnde hæc ad verbū desumpsit author noster, & Modestus lib. de vocabulis rei militaris.

q *Quod longè secus apud Lacedæmonios.*] Plutarc. in Apophthegmat. Lycurgi, Præcipiebat, vt in bellis quotiescunque in fugam vertissent hostes, ac vicissent, quousque confirmaretur victoria persequerentur, ac statim retrocederent: Neque enim Græcorum esse eos interimere qui cessissent: sed & vtile quoque esse dicebat: nam scientes eos qui aduersus se pugnant parcere cedentibus, ac repugnantes occidere, vtilius fugere, quàm resistere putāt. Nam & Pyrrhus ille Epirotarū Rex inter cætera præcepta imperatoria memoriæ tradidit, Non esse pertinaciter insistendum hosti, ne fortiùs ex necessitate resisteret, sed vt posteà quoque facilius acie cederet, ratus, non vsque ad perniciem fugientibus instaturos victores. Quod scriptum est à Iulio Frontino Stratagematôn lib. 2. cap. 6. in fin. Notum est & illud quod huc maximè spectat Virgilij lib. 2. Æneid.

Vna salus victis nullam sperare salutem,

r *Quotiesq́, ad vltimum.*] Id sæpius contigisse videbis apud Liu. Vide Cæsar. lib. 3. bel. Gall.

s *Id quod apud Germanos.*] Corn. Tacitus de moribus Germanorum. Acies, inquit, per cuneos componitur, cedere loco, dummodò rursus instes, consilij magis, quàm formidinis arbitrantur.

t *Velut equites dimissis equis.*] Ad Romanos redit. Sic autem fecere ipsi Romani aduersus Tarquinium, & Latinos apud Liuium 1. Decad. libro 2. Sic Titus Quintius Capitolinus Coss. aduersus Volscos & Æquos apud Dionysium Halicarnass. lib. 9. Sic & apud Liuium 1. Decad. lib. 7. aduersus Hernicos: & aduersus Hetruscos lib. 9. & aliàs quoque aduersus Volscos apud Valer. Max. lib 3. c. 2. vbi de C.

Sempro

euaderent, immiscentes se pedibus, dum fluctuatur acies, hosti obuiam irent: ideo vt spe fugæ erepta, æquato omnium periculo, pedestri prælio acrius insisterent, [u] vel vt in hostes acrius incurrerent, detractis frenis, cum effusum cursum temperare nequirent, equos concitatos agerent, & impressione facta, vi viam facerent, sparsósque & incompositos adorirentur. [x] Nonnunquam vt vexillo signiferis adempto, & in hostium agmen, aut intra vallum iniecto, quò acrius subirent, instando atque vrgendo, ne illo potiretur hostis, maiori impressione dimicantes, ita irruerent, vt lapsam plerunque aciem repararent. [y] Apud Cimbros in more fuit, ne fuga signa & ordines dissiparent, turmas & robora legionum longis catenis inuicem connectere, & per balteos milites colligare, vt ita nexi firmius propugnarent. [z] In quo traditur operæpretium, quòd cum Lacedæmonij contra Tegeates dimicarent, & de victoria confisi, vincula secum ferrent, quibus illos vinctos ducerent: postea victi & fugati à Tegeatibus, eisdem vinculis nexi & captiui ducti sunt. Romanis frequens vsus erat, [a] cuneum facere & phalangem, vt inuicem scutis annexis, [b] & supra capita elatis, densa latitudine succederent, vnáque conspiratione & consensu in orbem se colligerent, & impressionem facerent. [c] Illud quoque salutare creditum est, transfugas detractis armis, ne quid insidiarum simulata transitione moliri possint, in postremam aciem inducere: namque illis credere non facile licet. [d] Profuit quoque salubre consilium, quod in magna consternatione, accisis rebus, & desperata salute, à Romanis sæpe factitatum nouimus, vt dispositis equitum turmis ante munimenta fugientes temere ex prælio ad castra milites pauidos & consternatos pro hoste haberent: illósque strictis gladiis inuaderent, vt non minus à tergo quàm à fronte infestas acies viderent. Hæc enim vltima desperatio nonnunquam militum animos ita incessit, vt inclinatas & turpi fuga profligatas acies plerunque repararint: tantóque ardore pugnam legamus restitutam, vt milites ancipiti coacti metu, victoriam ex hostium manibus sæpe eripuerint. [e] Fuit hoc quoque notatũ, dum acies præliantur, & armis decernunt, petere vt defuncta corpora liceat sepelire, [f] vel post præliũ abire, concessum de victoria videri. [g] Eos enim qui vicerunt, precario aliquid

Cimbri.

Romanorum cuneus & phalanx.

Transfuga.

Fugitiui ex prælio.

Petitio vt defuncti sepeliantur.

ANNOTATIONES.

Sempronio. Sic & Iulius Cæsar ancipiti prælio equos dimittebat, & in primis suum, quò maior permanendi necessitas imponeretur auxilio fugæ erepto, vt scribit Sueton. in vita ipsius cap. 60. De quo & ipse lib. 1. bel. Gall. Cæsar, ait, primùm suo, deinde omnium è conspectu remotis equis, vt æquato omnium periculo, spem fugæ tolleret, cohortatus suos, prælium commisit.

u *Vel vt in hostes acrius incurrerent.*] Liuius 4. Decad. lib. 10. scribit, quòd cùm Celtiberi cuneo, quo maximè valebant, impressionem fecissent, ex quo turbatæ legiones sunt, & propè interrupta acies est, iussu Fabij Flacci proprætoris, equites legionarij equos effrenatos in hostes miserunt, eorum cuneum dissiparunt. Quod sæpe, inquit Liuius, Romanos equites cum magna sua laude fecisse proditum est. Nam & sic Tarquinius aduersus Sabinos cunctantes equites, detractis frenis concitatisque equis equites procurrere & prorumpere aciem iussit, teste Iulio Frontino Stratagematôn lib. 2. cap. 8.

x *Nonnunquam vt vexillo signiferis adempto.*] Sic apud Liuium 1. Decad. lib. 3. Furius Agrippa Coss. in prælio aduersus Hernicos & Æquos fecit. Sic & apud eundem eiusdem Decad. lib. 6. Camillus Dictator aduersus Volscos. Sic & Vibius Accus præfectus cohortis Pelignæ ead. 3. Decad. lib. 5. Et Titus Pæstianus Princeps primus Centurio apud ipsum Liuium vbi suprà proxime. Et Q. Victorius primipili Centurio. & C. Attionius Trib. militum., & quartæ hic, ille secundæ legionis, rem (vt dicit idem Liuius 4. Decad. li. 4.) in asperis præliis sæpe tentatam, signa adempta signiferis in hostes iniecerunt. Sic C. Aquilius Coss. signiferis erepta signa coniecit in medios hostes, vt metu militaris pœnæ, quam daturi erant, nisi ea recepissent, cogerentur fortiter rem gerere, vt scribit Halicarnass. lib. 8. Sic Seruius Tullius adolescens prælio, quo Tarquinius Rex aduersus Sabinos conflixit, signiferis segnius dimicantibus, raptum signum in hostem misit, cuius recipiendi gratia Romani ita ardenter pugnauerunt, vt & signum & victoriam retulerint, vt prodit Iulius Frontinus lib. 2. cap. 8. in princ. vbi subiungit plurimos alios id fecisse, vt & factum est apud Valerium Maximum lib 3. cap. 2. vbi de Fab. Maximo.

y *Apud Cimbros.*] Plutarch. in Mario.

z *In quo traditur.*] Herodotus lib. 1. Vide Plutarc. in Cleomene, & Pausaniam in Arcadicis.

a *Cuneum facere.*] De huiusmodi cuneis Vegetius li. 3. c. 19. Liuius autem 4. Decad. li. 2. dicit idem esse cuneum & Phalanges apud Macedones. Cæsar belli Gallici lib. 6. Alij cuneo facto, vt celeriter perrumpant, censent.

b *Et supra capita elatis.*] Liuius 4. Dec. lib. 4. Sublatis, ait, supra capita scutis, continuatisque ita inter se, vt non modò ad cæcos ictus, sed ne ad inserendũ quidem ex propinquo telum loci quicquam esset, testudine facta subibant.

c *Illud quoque salutare.*] Id haud dubiè desumptum est ex Valer. Max. lib. 7. c. 4. in fin. ex quo tamen intelliges id malè cessisse Romanis.

d *Profuit quoque.*] Liuius 4. Decad. lib. 7. M. (inquit) Æmylius Trib. mil. M. Lepidi filius, qua fugam cernebat suorum, cum præsidio omni occurrit, & stare primò, deinde redire in pugnam iubebat, pauorem & torpem fugam increpans. Minæ exinde erãt, in perniciem suam cæcos ruere, ni dicto parerent. Postremò dat signum suis, vt primos fugientium cædant, turbam insequentium ferro & vulneribus in hostes redigãt. Hic maior timor minorem vicit: ancipiti coacti metu primo constiterunt, deinde & ipsi redierunt in pugnam, &, vt patet ex sequentibus Liuij verbis, victoriam reportarunt. Ex quo loco vides hunc locum fuisse depromptum. Sed & apud Appianum in Libyco, Scipio Africanus Iunior, cùm fugam trepidationémque suorum vidisset in Carthaginis obsidione, equo accurrit, suósque, nisi à fuga sisterent, humi prosterni, stratósque iussit interfici. qua ex re eos in pugnam reuocauit ac vicit.

e *Fuit hoc quoque notatum.*] Thucydides lib. 3. Posteà, inquit, cæteri concessa hostibus victoria ex fœdere receptis mortuis abierunt. & iterum lib. 7. Iustinus lib. 6. Plin. lib. 22 c. 4. vbi & id dicit seruare Germanos. Plutarchus in vita Agesilai, iterúmque in vita Niciæ. Paulus Orosius lib. 3. cap. 2. In eo, inquit, prælio Archidamus Dux Lacedæmoniorum vulneratus, cùm etiam cædi suos & victos videret, occisorum corpora ad sepulturam poposcit. quod signum victoriæ traditæ inter Græcos haberi solet.

f *Vel post prælium abire.*] Thucydides lib. 1. bell. Peloponnesiaci scribit, quòd cùm pugna commissa Atheniensibus cum Corinthiis apud Megarã æquo Marte discessum fuisset, Athenienses tamen abeuntibus Corinthiis, tanquam vicissent, trophæum statuerunt.

g *Eos qui vicerunt.*] Plutarch. in vita Agesilai, ad id quod

ab hoste petere non decebat: sicut [h] confessio cedentis,[i] & detrectantis certamen, vbi hostes ad pugnam elici nequeunt, pro victoria fuit. [k] Apud Gallos & Hispanos brachia & manus inermes rendere: [l] apud Romanos capita scutis subdere, [m] & arma tradere, deditionis signum erat: [n] quare Pompeiani in pugna Pharsalica passis palmis salutem petiere. [o] Armis quoque dimissis, salutationem more militari facere, magno sæpe præsidio exuit militibus. [p] Iunctis velatisque manibus supplicare, [q] aut cum infulis & velamentis prodire, apud Græcos manus inermes dare, [r] Indis cum pateris occurrere, & vina libare, aut ex Solis ara accensis facibus obuiam prodire, in fidem venire & potestatem, signum fuit. [s] Neque enim decebat illos qui passis palmis in deditionem venissent, morte afficere, aut in eos velut hostes insultare. Dextris autem exertis, & sublatis manibus incedere, [t] apud Græcos [u] & Persas pacis signũ erat: [x] sicut Assyriis [y] & Massiliensibus cum infulis [z] Græcis cum oleæ

Deditionis signa apud diuersos gentes

Dedentes se interficere nefas.

Pacis signa.

ANNOTATIONES.

suprà ex eo diximus, illud subiungit, Qui enim vicerunt & potentiores esse iudicantur. Itaque eos precariò quicquam ab inferioribus petere absurdum videtur. Quod ipsum reperit idem Plutarch. in vita Niciæ.

h *Sicut confessio cedentis.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. ad fin. & apertius 3. Decad. lib. 1. in Orat. Corn. Scipionis, vbi sunt hæc propria nostri authoris verba. & iterum li. 4. cùm scribit. Pœnus tacita etiam confessione victus, castris se tenuit.

i *Et detrectantis certamen.*] Nam apud Thucydidem lib. 1. bel. Peloponn. Corcyrenses ad se victoriam aduersus Corinthios traxerant, trophæúmque erexerant quòd Corinthij cessim euntes, pugnam detrectassent.

k *Apud Gallos & Hispanos.*] Liuius 3. Decad. libro 8. non multò post princ. Itaque, inquit, patefacta repentè porta, frequentes ex oppidu sese eiecerunt, scuta præ se tenentes, ne tela procul conijcerentur, dextras nudas ostentantes, vt gladios abiecisse appareret. Loquitur autem de Celtiberis & Hispanis. Sed & apud alios quoque ex Virgilio lib. 1. Æneid.

Tendentemq́, manus Priamum conspexit inermes.

Vbi Seruius. Aut sine sceptro, inquit, aut supplices. Quod tractum est de historia: quia enim victi se dedunt, inermes supplicant. & idem Virgil. lib. 11.

Oremus pacem & dextras tendamus inermes.

Et Liuius 4. Decad. lib. 6. loquens de Ætolis, Itaque concursu facto vndique in muros, manus pro se quisque tendentes consonante clamore nominatim Quintium orare, vt opem ferret ac seruaret.

l *Apud Rom. capita scutis subdere.*] Appianus lib. 2 bellorum Ciuilium, Hi autem, inquit, capita clipeis subiicientes (quod deditionis signum haberi solet) seipsos tradere significabant.

m *Arma tradere.*] Q. Curtius lib. 7. vbi de Ariis loquitur. Liuius de Hispanis loquens 3. Decad. lib. 9. non moltò post princ. Quibus, inquit, culpam in authores belli indelebilem cæteró sque Principes, quorum plerique in acie cecidissent, conferentibus, tradentibúsque arma, & dedentibus sese, responsum est, &c.

n *Quare Pompeiani.*] Cæsar de hac pugna loquens lib. 3. bel. Ciuilis. Cæsar, inquit, prima luce omnes eos qui in monte consederant, ex superioribus locis in planitiem descendere, atque arma proiicere iussit. quod vbi sine recusatione fecerunt, passisque palmis proiectis ad terram flentes ab eo salutem petierunt, consolatus consurgere iussit. Sed & 2. belli Gallici de Bellouacis loquens, Item cùm ad oppidum accessisset, castráque ibi poneret, pueri mulieré sque ex muro passis manibus, suo more pacẽ à Romanis petierunt. Et lib. 6. Matresfam. pectore nudo prominentes passis manibus obtestabantur Romanos, vt sibi parcerent.

o *Armis quoque.*] Hircius in bell. Afric. Desperata salute in quodam colle consistunt, atque armis dimissis salutationem more militari fecerunt. Ex quibus vide Alexandrum hunc locum deprompsisse.

p *Iunctis velatisque manibus.*] Plautus in Amphitryone act. 3. scen. 1.

Postridie in castra ex vrbe ad nos veniunt flentes Principes.
Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum.

Sunt tamẽ qui ibi legunt, Vittatis manibus. Arrianus quoque apud Buidsm, κεκαλυμμένων χειρῶν δεῖσθαι, velatis obductísque manibus obsecratus est. Et ad id quod de iunctis manibus hic dicit Dion in vita Traiani, Græcè quidem, sed in hunc sensum, Legati Decebali intromittuntur in senatum, depositisque armis, iunctísque manibus, more seruorum, pauca supplices loquuntur.

q *Aut cum infulis.*] Liuius 3. Decad. lib. 5. scribit Syracusaños ab Thita, & Neapoli (quæ sunt nomina Phartium vrbis) ad Marcellum venisse cum infulis & velamentis, precantes à cædibus & incẽdiis parci. Et 4. Decad. lib. 5 de Locrensibus loquens, Cum sordida veste tenentes velamina supplicum. Et eiusdem Dec. lib. 6. Consciæ defectionis ciuitates cum velamentis ante portas stabant, metu ne hostiliter diriperentur. Et eiusdem Decad. quoque li 7. Teij, cùm in oculis populatio esset, oratores cum infulis & velamẽtis miserunt. Et 5. Dec. lib. 5. Vbi prima phanota ei dedita, tota multitudine cum infulis obuiam effusa. Corn. Tacitus lib. 19. At fortissimi viri proditoris opem inuocantes mox velamenta & infulas pro muris ostentant. Et ante hos Cæsar bel. Ciuil. li. 2. de Massiliensibus loquens, Tum hostes turris repentina ruina cõmoti, inopinato malo turbati, Deorum ira perculsi, vrbis direptione perterriti, inermes cum infulis sese porta foras vniuersi proripiunt, ad legatos atque exercitum supplices manus tendunt. Et Polyb. lib. 16. Mox Abydeni, inquit, statuunt orto die sacerdotes & illorum coniuges cum vittis & Infulis mittere ad Philippum, vt supplices, facta precatione, ciuitatem illi traderent.

r *Indis cum pateris.*] Q. Curtius lib. 8. Legati ad Regem descenderant veniam petituri. Qua impetrata, Regina cum magno nobilium fœminarum grege aureis pateris vina libantium processit.

s *Neque enim decebat.*] Cambyses non æquum esse ducebat vim afferre Phœnicibus, qui se dediderant. Apud Dion. Halicar. lib. 8. Martius Coriolanus valde curabat, ne quid hostile paterentur deditici j & de hoc quoque multa apud Diod. Siculum lib. 13. in Orat. Nicolai Syracusij.

t *Apud Græcos.*] Idem etiam de Heduis dicit Cæsar belli Gall. lib. 7. his verbis, Ac tametsi dextris humeris exertis animaduertebantur, quod insigne pacatis esse consueuerat, &c.

u *Et Persas.*] Xenophon Pædiæ Cyri lib. 6. vbi de his loquens, Quod siqui, inquit, sublatis dextris ad vos immiserint, amicè vos excipite. Ideque etiam apud Rom. ex Plutarcho in Othone.

x *Sicut Assyrijs.*] Vide eos, quos citaui in verbo, Aut cum infulis an de his loquantur.

y *Et Massiliensibus*] Vide suprà in verbo, Aut cum infulis. Adde & Carthaginensibus ex Liuio 3. Decad. lib. 10. Non procul aberat, cùm velata infulis ramísque oliuæ Carthaginensium occurrit nauis, decem legati erant Principes ciuitatis missi ad petendam pacem. Adde, inquam, & de Abydenis ex eod. 4. Decad. lib. 1. Principes quibus atrocior pars facinoris delegata erat, luce prima sacerdotes cum infulis ad vrbem dedendam Philippo mittunt.

z *Græcis cum oleæ ramis.*] De quo & nos latè diximus suprà lib. 2. cap. 19. Lucanus lib. 3. de Massiliensibus loquens.

—— Hostemque propinquum
Orant Cecropiæ prælata fronde Mineruæ

ramis [a] aut lauro accedere, [b] & Barbaris florentes capite corollas gestare. [c] Ægyptiorum mos traditur, vt supplice veste sumpta, & prælatis omnibus sacris, pacem deprecentur Gallorum, occurrere magistratus eum pueris & fœminis. [d] Apud Persas, terram & aquam offerre, deditionis signum erat. [e] Quare Darij legati cum ab Atheniensibus magnificis verbis terram & aquam peterent, ab eisdem alij in barathrum, nonnulli in puteos præcipites acti sunt. Apud Lacedæmonios scutis positis manus excutere: in singulari pugna, vox, [f] Herbam do, se victum fateri significat: sicut olim bello capti, cum salutem peterent, in discrimine extremo salutem dicere cœperunt. [g] Athletarum mos erat, vt quum in certamine victi, digitum aut manum exerendo, pacem peti ostenderent. [h] Fuitque sententia Brasydæ Peloponnesium Ducis, cum acies decernere parant, instructo exercitu, lancearum frequentem motum & galearum, à qua parte futura sit fuga, demonstrare. [i] Esse quoque Romanæ militiæ comperimus, vt equites in prælio duplici vtantur equo, vt vni fatigato, alter recens expeditúsque succedat. quódque sicut miles pedestris militiæ, arma & vallum, & quoties opus foret, [k] plus dimidiati mensis cibaria: ita equites præter arma & gladium, folliculis frumentum deferebant. [l] In nauali autem prælio constitutum est, vt milites non militari solum fungantur munere, sed velut classiarij remigent, & per tabulata nautarum ministeria exequantur, hostiúmque tela excipiant, & scutis auertant. [m] Hanc disciplinam militarem Lycurgus non omnibus significandam censuit. Ideo lege cauit, ne contra eosdem sæpius mouerent arma, ne iterum repugnando, diutino bello assuescere, & longa militia hostes disciplinis eruditi contingeret, adeóque bellicosiores & effrenatiores forent. [n] Accusaturque Agesilaus, quòd continuis bellis quibus Bœotiam infestauit, Thebanos ociosos, & bellorum rudes, ita erudiuit disciplina & vsu armorum, vt sæpe ipse ab eisdem in extremum vitæ discrimen cum toto exercitu lapsus fuerit.

Athletæ. Brasydæ sententia. Equites duos equos habebant. Pedites & equites quæ ferrent secum. In nauali prælio.

ANNOTATIONES.

a *Aut lauro accedere.*] Interpres Euripidis in Oreste ἀφυλλον στόμα dictum putat ipsi Euripidi. Et id commune est omnium gentium, si credimus Plinio lib. 15. c. 30. Laurus ipsa pacifera, vt quam prætendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium.

b *Et Barbaris.*] Polyb. lib. 3. de Annibale Alpes transeunte loquens, Aduenienti igitur Annibali, obuiam procedunt, florentes capiti corollas gestantes, quod ferè apud Barbaros pacis atque amicitiæ signum est.

c *Ægyptiorum mos.*] Hirtius li. de bello Alexandrino. Omnis enim multitudo oppidanorum, armis proiectis, supplicum veste sumpta, sacrísque omnibus prolatis, aduenienti Cæsari occurrerunt, seque ei dediderunt.

d *Apud Persas*] Herodotus lib. 4. 5. & 7. non semel. & libr. quoque 8. Diodorus Siculus lib. 11. post princ. & alibi sæpe eod. lib. Liuius 4. Dec. lib. 5. Polybius lib. 9. Mirum est autem quod tradit Plinius li. 8. c. 5. de elephante, Miri namque pudoris est, victúsque vocem fugit victoris, terram ac verbenas porrigit.

e *Quare Darij legati.*] Herodotus lib. 7. Polybius autem lib. 9 in Oratione Lucisci legati Acarnanorum scribit, quòd cùm Xerxes misso ad Lacedæmonios legato aquam peteret ac terram, ij eum qui aduenerat, in puteum deturbarunt, terrámque superiniecerunt: ac rursus dimisso mandarunt, vt Xerxi nunciaret, Habere ipsum apud Lacedæmonios iuxta condictum & terram & aquam: Sed adde præcedentibus Macedones quando se dedunt, erectas hastas tenere solitos fuisse, vt tradit idem Polybius lib. 17.

f *Herbam do*] Plinius lib. 22. cap. 4, Dabatur, inquit, viridi è gramine decerpto inde vbi obsessos seruasset aliquis. Namque summum apud antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra & altrice ipsa humo & humatione etiam cedere: quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio. Festus Pompeius libr. 8. in princip. & Seruius libr. 8. Æneidos, vbi declarat vnde id emanauit. & Nonius Marcellus, qui in id multos citat. Vide plura apud Erasmum in Adagiis. Nuper autem diximus ex Plinio elephantum victum victori herbam porrigere. & adde quòd etiam manus Do est fateri se victum esse. Plautus in Persa act. 5 sce. 2. in fine.

— *Fateor. vobis do manus.*

Cicero in Cælio, Ad extremum det manus, vincique se patiatur. Et ad Atticum libr. epist. 5. ad extremum autem manus dedisti. & lib. 16. Sapienter igitur quòd manus dedisti, quodque etiam vltro gratias egisti. Cæsar lib. 5. de bel. Gal. Tandem dat Cotta manus permotus superiore sententia Sabini. Horat. in Epod. Ode 17. in princ.

Iam iam efficaci dat manus scientia.

Ouid. lib. 3. Fastor.

Euicta est precibus; vix dedit illa manus.

Virgil. lib. 9. Æneid.

— Neque ipse manus feritate dedisset.

Seneca lib. 9. Naturalium quæstionum, Puta me tibi manus dare & fateri. Vide Erasm. Chil. 1. cent. 9. c. 79. Sed & supinas manus tendere è Q. Curtio lib. 6. & suppliciter manum protendere è Plutarcho in Theseo, vbi de Pétheo, qui prior manum protendit.

g *Athletarum mos erat.*] Ad quem morem alludit Persius satyr. 5.

Nil tibi concessit ratio digitum exere, peccas.

Et Martialis lib. 5. epig. 63.

Nam mea iam digitum sustulit hospitibus.

Et D. Hieronymus in Dialogo Luciferiani & Orthodoxi, En tollo manum, vicisti. Vide Erasmum Chiliad. 3. cent. 4. cap. 14.

h *Fuitq; sententia Brasidæ.*] Thucydides lib. 5.

i *Esse quoque Romanæ militiæ.*] Fest. Pompeius li. 14. Paribus, inquit, equis: id est duobus Romani vtebantur in prælio, vt sudante altero, transirent in siccum.

k *Plus dimidiati mensis cibaria.*] Cicero lib. 2. Tuscu. quæst. Nostri, inquit, exercitus vnde nomen habeant vides. Deinde qui labor, quantus agminis; ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre si quid in vsum velint, ferre vallum: nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. quod & nos alibi diximus. Apud Liuium autem 5. Dec. lib. 4. in princ. Q. Martius, Philippus consul in bello aduersus Perseum iussit militem menstruum ferre secum.

l *In nauali prælio.*] Nam apud Thucydidem libro 3. milites Pachetis Atheniensium Ducis in nauibus officio remigis vsi sunt.

m *Hanc disciplinam militarem Lycurgus.*] Plutarchus in vita Agesilai, & rursum in Apophthegmatis ipsius, & Lycurgi.

n *Accusaturq; Agesilaus.*] Plutar. in dictis locis, atque etiam in Apophtheg. Antalcidæ.

An sapienti vxor ducenda sit, & quæ ad propagandam sobolem indulta commoda à Romanis fuerint.

Capvt VIII.

Vetvs quæstio fuit, & à prudentibus in vtranque partem agitata, & adhuc in quæstione est, an sapienti vxorem ducere expediat. Compater amicus meus, homo perfacetus, multæq; venustatis, & multi salis, cui in omni sermone mira fuit vrbanitas, sempérque venustè dicta, sempérq; opportunos iocos habebat: si quem in nostra Parthenope vxorem ducere audiisset, eum graulbus cõuiciis, perinde ac si in aliquod crimen prolapsus foret, incessere solebat, quòd homo liber, & sui potens in seruitutem mãcipari, & sub imperio vxorio seruilem in modum excruciari non curasset: habens semper illud in ore [a] Thaletis Milesij, qui iuuenis cur vxorem non duceret interrogatus, quia intempestiuum erat, respondit: iterum senex cum ad coniugium vrgeretur, rursus intempestiuum dixit: hac ambage verborum, sapienti nunquam vxorem ducendam fore demonstrans. Verùm qui hæc perpenso iudicio explorare vult, profectò in coniugiis multa inueniet commoda vsui vitæ necessaria, sine quibus vix homini sapienti cælibem vitam ducere expediet. Siquidem non parua adiumenta ex hac societate homini vel inquieto & fatigato ad requiem forensium exercitationum, vel in secunda fortuna ad ampliorem fructum lætitiæ quum habeat cum qua congaudeat, parantur: præsertim si quis moratam, & non quotidiani damni, ac fœdis & pudendis vitiis nequissimam fœminã nactus fuerit. Nec minus quum studio & labore foris bona quæsiuerit, superesse domi qui ea diligentissime tueatur, haud mediocre præsidium vitæ putauerunt. Illud quoque non parui refert, habere in miseriis solatium, in periculis adiumentum, sociámque vitæ etiam in calamitate, quæ te perinde ac se foueat & amplectatur. Adde mutua pignora tori genialis sobolísque, quam sibi quisque postfuturam, & bonorum participem cernit: ingenitámque charitatem in filios, animósque consociatos, quæ ad ciuitatis & reipublicæ præsidium, nec minus ad propagationem nominis valent sempiternam. [b] Quibus delinimentis adductus Socrates, nec Xantippe quamuis morosa & iurgiosa: nec [c] Pythagoras, [d] Crates & [e] Aristoteles, aliíque sapientissimi viri, coniugio carere voluerunt. [f] Quod legibus Lycurgus mandasse fertur: nam si qui in orbitate & solitudine cælibes vixissent, ea afficiebantur ignominia, vt à ludis arcerentur, per hyemem verò forum nudi circuire cogerẽtur. Spartæ enim tam cælibi quàm sero & malo marito legibus indicta pœna fuit: quæ iudicia, cacogamia & obsigamia dicta. [g] Cretenses verò felici instituto vsurparunt, vt è grege iuuenũ diligerẽt forma cõspicuos, quos ad vxores ducendas, propagandamq; sobolem vi & lege compellerent. [h] Thuriorum lex erat, vt iuuenes primo ætatis flore ad ducẽdas vxores muneribus honoribusq; inuitarent, qui verò ea defuncta alterã superduxisset, is inuisus & execrabilis diis hominibúsque, ab omni honoris aditu & magistratu arcebatur. [i] Platonis verò legibus cauetur, vt qui ad quintũ & trigesimum annum mansisset cælebs, nullo dignus honore, & omnium postremus haberetur: [k] cuius rei causa, Romanos magistratus ad coniugium & prolem excitandam non solum pœnis coercere repugnantes, sed & præmiis inuitare iuuentutem sæpenumero videmus. [l] Furius Camillus & Posthumius quum censuram agerent, his qui ad senectutẽ cælibes peruenissent, aut viduarũ nuptias, quarũ viri bello ceciderant, detrectarẽt, mulctã pœnæ nomine in ærarium ferre iusserunt. [m] Quintus Metellus Numidicus censor, [n] & postea diuus Iulius, [o] deinde Augustus,

Thaletis dictum. de ducẽda vxore.
Coniugij cõmoda.
Lycurgi lex in cælibes.
Sparta.
Cretenses.
Thurij.
Platonis leges.
Cælibes mulctati.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

a *Thaletis Milesij.*] Apud Diogenẽ Laërtium in vita ipsius.

b *Quibus delinimentis.*] Vide nostras leges Connubiales in l. 7. num. 23. incip. quin & Athenienses. vbi videbis illum simul duas vxores duxisse. & iterum l. 8. num. 15. incip. sed & Socrates. vbi videbis Xantippes aduersus eum iurgia & conuicia.

c *Pythagoras.*] Huius enim vxor fuit Theano Brontini Crotoniatæ filia, vt aliorum authoritate scribit Laërtius in vita illius.

d *Crates.*] Et hic quoque vxorem ducit nomine Hipparchiam, vt tradit idem Laërtius tum in vita ipsius Cratis, tum & Hipparchiæ, & Apuleius lib. 2. Floridorum, vbi de hac refert pulcherrimam historiam.

e *Et Aristoteles.*] Et hic item vxorẽ habuit authore Laërtio in vita ipsius.

f *Quod legibus Lycurgus.*] Plutarchus in vita illius, & in Apophthegmat. Laconicis. Clearchus autem Solensis scribit in libro Prouerbiorum, quòd in Lacedæmone eos, qui non haberent vxores, mulieres per quoddam festum circa aram trahentes alapis cædebant, vt contumeliam huiusce rei fugientes, liberorum amore caperentur, atque apta ætate vxores acciperent. Quod & ex eo repetit Athenæus lib. 13. cap. 1.

g *Cretenses.*] Strabo libro 10. Apud Cretenses ad eiusdem ætatis vxores capiendas cunctos compellunt, quos è puerorum grege deligunt.

h *Thuriorum lex erat.*] Hanc legem paulò aliter recenset Diodorus Siculus lib. 12. Si quis nouercam filiis propriis superinduxisset, eum cẽsuit (loquitur de Charonda eorum legislatore) à consilio senatúque patriæ penitus submouendum: nunquam ab eo existimans patriam consilia recta, ac salubria spectare posse, qui liberis olim propriis malè consuluisset. Eos, inquit, quibus primæ nuptiæ secundis auspiciis successissent, ea perfunctos felicitate, iam in expleto satis priore animo conquiescere oportere: Sin infelices primas expertus quis haud abstiterit, semel admonitum idem secundis tentare, rursúsque eodem errore pergentem, hominis id esse dementis ac prorsus insani.

i *Platonis verò legibus.*] Lib. 4. atque iterum 9. de legibus.

k *Cuius rei causa.*] Vt patet ex seq.

l *Furius Camillus & Posthumius.*] Valerius Max. lib. 2 c. 4.

m *Q. Metellus Numidicus.*] Aul. Gel. lib. 1. cap. 6.

n *Et posteà D. Iulius.*] Nam & ab eo dicta est lex Iulia de maritandis ordinibus. de qua in l. 1. §. si liberta. ff. vnde vir & vxor. & aliis quos tibi citaui suprà eod. lib. cap. 1. num. 7.

o *Deinde Augustus.*] Sueton. in vita illius cap. 34. & Dion quoque in vita eiusdem. & Iul. Florus epit. Liuij lib. 59.

p *Quod*

liberorum gignendorum & sobolis eausa legem de maritandis ordinibus tulere, eos, ad progeniem propagandam præmiis & immunitatibus inuitantes. si quidem cui tres erant liberi, vacatio muneris: cui plures, libertas donabatur. [p] Quod à Lacedæmoniis constitutum ferunt, vt trium liberorum parens, à custodia & excubiis: quatuor verò, ab omni onere immunis foret. [q] Quinetiam præturas, quæsturas & consulatus, honorésque & magisttatus, Romani veteres, nisi parentibus plurium liberorum, comitiis dedere. Quare exemplis palam factum nouimus, plures candidatos quum ad comitia & campum descenderent, fictis adoptionibus liberos sibi pessimo more ementitos fuisse. Quod postea senatusconsulto sublatum fuit, ne simulata filiorum adoptio, veris parentibus fraudi esset: sempérque maritim liberorum parentes, in omni negotio; pauciores liberos habentibus, aut sine vxore degentibus, antelati fuere. [r] Persarum more, qui ingentia muneta his qui plures genuerant filios proponere solitii sunt: [s] quorum Reges siquando Persidem adirent, singulis mulieribus ad sobolis inuitamenta singulos aureos dare consueuere, prægnantibus verò duplices. [t] Quò Rex Ochus, quum esset sordidæ auaritiæ, ne quid elargiretur, adire recusauit. [u] Mulieribúsque, quæ trium liberorum matres forent, etiam viuo patre testari, [x] sine curatore de bonis disponere, negotiáque alia gerere permissum erat. Viróque decedente sine liberis, omnium bonorum hæres [y] lege Romuli vxor erat, si verò cum liberis, æqualem bonorum partem cum liberis ferebat. [z] Vtque non seuera & tristis, sed læta atque hilaris illorum pudicitia foret, [a] vxoribus nec molere, nec coquere, aut alio seruili munere fungi permisere, [b] nuptásque pecuniarum & fortunarum viri sacrorúmque socias esse iussere. [c] Illósque qui in vxorem aut liberos violentas manus intulissent, velut sanctissima deorum templa violassent, impios conceleratósque duxerunt. [d] Veteres enim mulieres propter infirmitatem consilij, sub parentum tutela cognatorúmque esse voluere, donec viro desponsatæ, coniugali copula iungerentur: tunc enim à tutela liberæ, [e] in virorum manu, non in seruitio erant. [f] Ideo & mariti mores pro lege habere, atque his se accommodare conuenit. Contrà decet virum curare, ad cultum victúmque ei ne quid desit: nanque [g] vxori malæ tractationis contra virum actio datur. [h] Cauedúmque, ne vxoris imperio maritus agatur: nam illum famosum despectúmque paulo momento præcipitem ageret. [i] Quare verbum Catonis talia exprobrãtis in Romanos sæpe emanauit: Illos omnibus gentibus armis imperitare, ipsis verò vxores. [k] Fuitque ideo proditum in Assyria, Lunæ templum apud Carras fuisse, in quo qui Lunæ supplicaret, vxoris imperio subigi: qui verò Luno Deo sacrum faceret, vxori dominari ferebatur. [l] Quibus etiam mos à Semiramide traditus perdiu mansit, vt viris vxores dominentur. [m] Sauromatas etiam ferunt

Lex de maritandis ordinibus.

Qui plures haberent liberos, aliis prælati. Persæ.

Romuli lex. Vxores seruilia munera non obibant.

Qui in vxorem aut liberos violentas manus intulissent.

Vxor erga maritum, & contrà.

Viri sub vxoris imperio apud quos. Semiramis Sauromata.

ANNOTATIONES.

p *Quod à Lacedæmoniis.*] Aristoteles lib. Politicôn 2. cap. 7. Sed & apud eosd. Lycurgi legibus cœlibes à spectaculo ludorum prohibebantur, ignominiáque afficiebantur, atque eo honore & reuerentia, quam iuuenes senibus exhibebant, priuabantur, teste Plutarc. in Apophthegmat. ipsius Lycurgi. Vnde & ibi subdit illud in Dercillidam dictum, quamuis spectatus esset Imperator, reprehendit nemo. Illud namque aduenienti iuniorum nemo sede cessit, cùm dicerent pro se quisque, Ne tu quidem, qui mihi cessurus sit, genuisti. Vide alicubi in nostris Consuetudinibus.

q *Quinetiam præturas.*] Hæc vsque ad clausulam, Persarum. sunt Cornel. Taciti lib. 15. & in l. si vnquam in verbo, Susceperit liberos. num. 4. & 89.

r *Persarum more.*] Herod. lib. 1. Strabo lib. 15. & vide Plutarchum in lib. de Claris mulieribus, c. 5.

s *Quorum Reges.*] Plutarch. in vita Alexandri.

t *Quo Rex Ochus.*] Idem in eodem loco, & præterea in li. de Claris mulierib. cap. 5. Herodotus lib. 1.

u *Mulieribusque trium liberorum.*] Id videtur accepisse ex §. 1. Instit. de S.C. Tertul. quanquàm id ita ibi non scribatur. Vide nostras Consuet.

x *Et sine curatore de bonis disponere.*] Vnde id accepit nescio: illud autem certum eos, qui testamenta facere possunt, etiam minorem & curatorem habentem, posse liberè in suo testamento, sine curatore, de suis bonis disponere, vt latè docuimus in Commentariis ad lib. si vnquam. in verbo, Donatione largitus. nu. 254. incip. nam & idem, & sep. C. de reuoc. donat.

y *Lege Romuli.*] Quod nostris legibus intelliges ex tit. ff. & C. vnde vir & vxor.

z *Vtque non seuera nec tristis.*] Verba sunt propemodum Valerij Maximi, de alia tamen re loquentis, scilicet de ornatu mulierum lib. 2. cap. 1. vbi loquitur de vsu vini mulieribus interdicto.

a *Vxoribus nec molere, nec coquere.*] Plutarch. problem cap. 84. Tu tamen vide quæ scripsimus in nostris legibus Connubial. libro 1. num. 16. incip. item & hinc. & seq. In nostris Commentariis Nobilitatis, cap. 20. nu. 94. incip similiter. & multis seq.

b *Nuptasque pecuniarum & fortunarum.*] Dionysius Halicarnasseus lib. 2. Liuius 1. Decad. lib. 1. in Romulo. & plenissimè diximus in Commentariis Consuetudinum Pictauiensium, tit. *de contraire compagnie.* §. 1. & in legibus Connubial. l. 8. num. item 8. incip. nec tamen.

c *Illosque qui in vxorem.*] Plutarc. in Catone Censorino, & diximus in nostris ll. Connubial. 8. nu. 10. incip. itaque.

d *Veteres enim mulieres.*] Tullius in Oration. pro CecЀona in multis locis, & pro L. Murena. Liuius in Oratione Catonis Censorini 4. Dec. lib. 4. Bœtius in Topica Ciceronis lib. 2. & diximus latissimè in nostris ll. Connub. l. 1. nu. 72. incip. quod verum. & sed.

e *In virorum manu.*] Liuius 4. Decad. lib. 4. in Oratione L. Valerij Trib. pleb.

f *Ideo & mariti mores.*] Aristoteles li. 10. Oeconomicôn c. 1.

g *Vxori malæ tractationis.*] Hæc vna erat & frequentior cæteris apud declamatores, vt videre licet apud Senecam declamat. lib. 3. decla. 7. & lib. 5. decla. 3. Et vt refert Plutar. in Lysandro, Spartæ pœna ex legib. malo marito erat indicta.

h *Cauendumque ne vxoris.*] De hoc vide plenissimè in dict. legibus Connubia lib. l. 1.

i *Quare verbum Catonis.*] Scilicet Censorij ex Plutarcho in vita illius, & in Apophtheg. Rom. De quo & nos diximus in dd. ll. Connubil. 8. nu. 3. incip. Marcus ille. vbi & simile dictum Themistoclis adduximus.

k *Fuitque ideo proditum in Assyria.*] Id ex Ælio Spartiano in Antonino Caracalla,

l *Quibus etiam mos à Semiramide.*] De quo & tu vide nostras ll. Connub. in l. 7. num. 67.

m *Sauromatas.*] Nicolaus περὶ ἐθῶν. & ex eo Stobæus sermone 41.

Ægyptij. hoe habere præcipuum, vt viri sub imperio vxorio & famulatu sint, [n] apud Ægyptios, vt viro mulier præficiatur, lege cauebatur, testantibus vxoribus inter solemnia sponsaliorum, in primis virum suo arbitrio parere oportere. [o] Spartanæ mulieres minimè muliebris animi, viris imperant, domesticisque negotiis solæ præsunt, curáque omnis & procuratio ad ipsas pertinet. In quo fertur lepide dictum [p] Gorgonis vxoris Leonidæ, quæ quum ab hospite argueretur, quòd solæ Spartanæ viris imperitarent, Haud immerito, inquit, nam solæ viros parturiunt. Semper tamen bonum maritum agere, quam in republica magnum virum esse, pluris veteres censuerunt. [q] Ipsisque ad coniugij & sobolis inuitamenta, inter muliebria iura, abundantiauro, mundóque muliebri, aureisque segmentis & purpura, omnibúsque delinimentis vti permisere. [r] Quare in maximis bellis sæpe matronas auro collato inops ærarium sublevasse, & magna reipublicæ adiumenta dedisse, perspectum est. Legimus secundo Punico bello, quum respublica infestis hostibus affligeretur, sciréntque matronæ ærarium populi Romani bello exhauriri, ipsas cœtibus factis sponte aurum & ornamenta sua in ærariũ contulisse: [s] cuius rei causa, vt festis profestisque diebus dum ad sacra & ludos irent, carpento veherentur, à senatu datum est. [t] Camilli quoque tempore, cum à Gallis populum Romanum redimere oporteret, in angustia ærarij, quicquid auri & ornamentorum erat, matronas, publicè contulisse, eóque se populum redemisse accepimus: [u] propterea vt earum sicut virorum, in funere solemnis laudatio esset senatusconsulto cautum fuit: primaque Popilia à Crasso filio laudata fertur in funere. [x] Postea Iulius Cæsar defunctam primus laudauit vxorem: [y] & Nero Poppeæ formam, & alia fortunæ munera pro rostris magnificè extulit. Aliique deinceps defunctorum laudes ad populũ solemni oratione prosequuti sunt. Vtque perpetuum hoc coniugale fœdus, & sine dissidio foret, [z] vxori virum relinquere, & cum alio copulari nequaquam licebat: viro autem, nisi vxor in adulterio aut veneficio, seu clauium adulteratione deprehensa foret, aut si vinum biberet, leges à Romulo latæ diuertere nulli sinebant: qui aliter diffidium fecisset, bona viri ad vxorem deuolui voluere. [a] Quare L. Antonius à censoribus notatus, senatu motus fertur, quòd nullo consilio aut modo, quam in matrimonium duxerat, repudiasset: [b] & Tiberius Cæsar quæstorem gradu deiecit, quod quam coniugem duxerat, tertia pòst die dimisit. Tametsi ex leuibus causis repudium intercessisse plerunque inueniamus: [c] siquidem Q. Antistius vxorem, quod eum libertina fabulari viderat, repudiauit: [d] & C. Sulpitius, quod ïouelato capite foras prodiisset quippe veste à capite deducta matronas incedere, minimè fas erat. [e] P. quoque Sempronius, quòd ludos se inscio spectasset, vxori repudium remisit. [f] Taxatúrque Mecœnas inconstantiæ, quod cum ab vxore semel diuertisset, illámque reconciliata gratia paulò pòst reduxisset, iterum ac tertiò eum ea simultate exorta repudium fecit, & mox in gratiam venit. [g] Quare millies eum duxisse vxorem ferebatur, quum vnam haberet. [h] Paulus verò Æmylius quum argueretur quod pòst longum tempus vxorem Papyriam fœcundam & formosam dimisisset dixisse fertur, neminem scire in qua parte calceus, licet speciosus foret suos premeret digitos. Domitianus tamen Augustus equitem Romanum ob reductam vxorem, cum qua Martius ob adulterij crimen diffidium fecerat, iudicum albo erasit, & nota affecit: & M. Lepidus, quod

Marginalia: *Spartanæ.* — *Leonidæ vxoris dictum.* — *Matronarum auro inops ærarium subleuatum.* — *Matronæ cur carpento vectæ, & in funere solenni ter laudata.* — *Diuortij causæ.* — *Repudium ob leues causas.*

ANNOTATIONES.

n *Apud Ægyptios.*] Diodorus Siculus libro 1. Biblioth.

o *Spartanæ mulieres.*] Aristoteles lib. 2. Politicôn c. 7.

p *Gorgonis vxoris Leonidæ.*] Plutarchus in vita Lycurgi, & in Apophtheg. eiusdem.

q *Ipsisque ad coniugij.*] Valerius Maximus lib. 2. c. 1.

r *Quare in maximis bellis.*] Hæc vsque ad versic. Cuius rei causa, sunt Liuij 4. Decad. libr. 4. in Oratione Valerij Trib. plebis.

s *Cuius rei causa.*] Sed id quidem non ob eam causam, sed aliam similem, quam mox dicemus de Camillo, vt tradunt ij, quos ibi citabo.

t *Camilli quoque tempore.*] Liuius 1. Decad. libr. 5. & Festus Pompeius lib. 11. vbi de matronis loquitur: & alij quos statim citabimus.

u *Propterea vt earum.*] Liuius ibi, & Plutarch. in vita Camilli, & in lib. de Laudibus mulierum in princ. & dictum quoque suprà lib. 3. c. 7.

x *Postea Iulius Cæsar.*] Plutarchus in vita ipsius Cæsaris. Primum scribit Cæsarem amitam suam Iuliam, Marij vxorem defunctam, luculenta laudauisse oratione pro Rostris, in efferendo ipsius funere. Et paucis interiectis, Morem patrium Romanis fuisse matronas defunctas laudare, qui in iunioribus obseruari non solebat. Primum autem Cæsarem mortuæ vxoris laudationem edidisse.

y *Et Nero Poppeæ formam.*] Cornelius Tacitus lib. 16. Laudauit, inquit, apud rostra Poppeæ formam, & quòd diuinæ infantis parens fuisset, aliáque fortunæ munera pro virtutibus.

z *Vxori virum relinquere.*] Hæc vsque ad clausulam, Quare L. Antonius, sunt Plutarchi in vita Romuli.

a *Quare L. Antonius.*] Valer. Max. lib. 2. c. 4.

b *Et Tiberius Cæsar.*] Suetou. in vita illius c. 3.

c *Siquidem Q. Antistius.*] Valerius Maximus lib. 6. c. 3.

d *Et C. Sulpitius.*] Idem eodem capit. & præterea Plutar. probl. c. 13.

e *P. quoque Sempronius.*] Valerius & Plutarchus vbi suprà.

f *Taxaturque Mecœnas.*] De qua re Seneca in lib. de diuina prouidentia, feliciorem ergo tu Mecœnatem putas, cui amoribus anxiæ & morosæ vxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum ex longinquo lene resonantium queritur? Et Iabolenus noster Iurisconsultus in l. vir mulieri. ff. de donatio. inter vir. & vxor. Cuius hæc verba sunt. Vir mulieri diuortio facto quadam idcirco dederat, vt ad se reuerteretur, mulier reuersa erat, deinde diuortium fecerat. Trebatius inter Terentiam & Mecœnatem respondit, Si verum diuortium fuisset, ratam esse donationem: si simulatum, contrà. Nam, ne dubites, vxori ipsius Mecœnatis Terentiæ nomen fuit, vt videre est apud Dionem in historia Augusti. Sunt tamen qui eam non vxorem, sed amicam fuisse, & in his Acron & Porphyrion interpretes Horatij in Epodo Ode 14. Concubinam dicit ipse Acron eiusdem Epodi Ode 3.

g *Quare millies.*] Hæc sunt propria verba Senecæ de Mecœnate loquentis epistolarum ad Lucil. libro 19. epistola omnium 114.

h *Paulus verò Æmilius.*] Plutar. in vita illius.

i Sicut

Apuleiæ vxoris desiderium post diuortium ferre nequiret, morbo extabuit:[i] sicut Antistia repudiata à Pompeio, ipsius mater indignitatem ferre non valens, necem sibi manu consciuit. [k] Solon verò lege constituit, vt qui vxorem exturbasset, dotem illi restitueret, alioqui interusurium sesquidrachmale ob moram soluere cogeretur. [l]Primus enim P. Catuilius Ruga post annum quingentesimum trigesimum-tertium, vel vndeuigesimum ab vrbe condita, quum vxorem duxisset, ex qua vitio corporis liberos suscipere nequisset, sterilitatis causa diuortium fecit, quod apud diuersas gentes fiebat conditionibus variis: [m] nam Thuriis hac lege permittitur, vt neutri cum iuniore sponsa aut viro coniugium postea inire liceret, ne libidine aut illecebra voluptatum magis, quàm causa diuertisse videantur. Apud alios his verbis concipitur diuortium, vt pari voto vir & vxor inuicem dicerent, [n] Tuas res tibi habeto. In sponsalibus verò dirimendis hæc fuere verba: [o] Conditione tua non vtar. [p] Atheniensibus libello repudij porrecto à viro vel vxore, an concedi debeat, magistratus decernit. [q] Apud Germanos semel cum nupta transigitur, cum qua senescendum erat, neque à viro diuertere, neque post obitum alteri nubere permittitur. Id tamen memoriæ proditum est, vxori, concepto, necdum edito partu, post diuortium alteri nubere non licere. [r] Damnatúrque Augustus Octauius, quòd Liuiam Drusillam ex altero viro abduxit grauidam, quam probauit vnicè. [s] Neque in ios vocanti matronam, eius corpus tangere, aut à magistratibus summoueri permittitur, vt à tactu alienæ manos inuiolata maneat. [t] Sed matronæ in semitis viros de via decedere iussum est: quod & senatusconsulto cauebatur: [u] neque dotale prædium, quódve dotis causa exhibitum esset: viro inuita vxore alienare, (quod lege Iulia vetatur) ne vxor indotata maneat. [x] Expedit enim reipublicæ dotatas esse vxores, [y] licet priscis seculis dos apud Romanos æs graue fuerit: mox decem millia æris, dotes non excessere: postea corruptis moribus, ad quadraginta millia supergressæ sunt, in tantum, vt Megulia, quòd quingenta æris millia dotum dederat, dotatæ nomen tulerit. [z] Fuit tamen lege cautum, vt si mulier viro in manum conueniret, omnia quæ mulieris fuissent, viro accederent dotis nomine. [a] Proditumque est, populum Romanum Caij Fabricij, & Cn. Scipionis, ac Manij Curij filias, quòd ob tenuem rem familiarem pro natalibus nubere non possent, de publico dotasse: [b]sicut Athenienses Aristidis filias ob modicas facultates ære collato, connubio locarunt. [c] Solon verò [d] & Lycurgus salubriter consulentes, ne sponsæ magno coniugia inirent, viris dotes dare legibus vetuere. [e] Germanorum fuit vetus constitutum, vt viri vxoribus dotes dare cogantur; qua non exhibita nihil consociatum aut fœderatum sponsalia haberent. [f] Idem Cantabris, vt nisi à viro spouse dos fuisset soluta, nullum esset matrimonij fœdus. [g] Apud Indos pari boum sponsas mercari permittitur, [h] qui quum in plures diuidantur ordines, vnius tribus viro, alterius sumere non licet. [i] Massiliensibus vltra aureos centum, dotem nulli dare permittitur. [k] Cretensibus dimidia pars bonorum quæ fratri contingit, sorori dotis nomine accedit. [l] Apud Gallos quantam pecu-

Solonis lex.
Qui primus repudiarit vxorem Romæ.
Thurij.
Verba diuortij concipiendi & sponsaliorum dirimendorum.
Libellus repudij.
Germani.
Dos vxoria.
l. 1. ff. soluto matrim.
Megulia dotata.
Solonis & Lycurgi lex.
Germanorum vetus constitutum.
Cantabri.
Indi.
Massilienses.
Cretenses.
Galli.

ANNOTATIONES.

i *Sicut Antistia.*] Plutarchus in Pompeio, & Cæsare.

k *Solon verò.*] Plutar. in vita illius.

l *Primus enim P. Caruilius Ruga.*] Valerius Maximus hunc Spurium Carbilium vocat libr. 2. cap. 1. de primo repudio. vti & Plutarchus in problemat. cap. 13. & ante hos Dionysius Halicarnasseus libr. 2. At ipse Plutarch. alibi Seruilium Spurium appellat in Comparatione Romuli & Thesei, ad fin. & rursum in Comparatione. Numæ & Lycurgi Spurium Coruinum nuncupat. Vide Græcum vbique. Eundem autem esse Caruilium & Carbilium constat ex Plinio, qui eundem nunc Caruilium, nunc Carbilium vocat lib. 9. cap. 21. & lib. 33. c. 13. quod hinc procedit quòd Græci V. literam non habent, sed pro ea b. litera vtuntur.

m *Nam Thuriis.*] Diod. Siculus lib. 12.

n *Tuas res tibi habeto.*] In l. 2. ff. de diuort. Iacobus Micyllus in illud carmen lib. 2. de Remedio Amor.

Munera quæ dederas, habeas sine lite, iubeto.

Verba, inquit, artis sunt. Sic enim solebat dicere, qui diuortium faciebat, Abeas, valeas, tuas res tibi habeas. Plenè diximus ex aliis authoritatibus in ll. Connubial. gloss. 8.

o *Conditione tua non vtar.*] In d. l. 2. versic. in sponsalibus

p *Atheniensibus.*] Plutar. in Alcibiade.

q *Apud Germanos.*] Tacitus de morib. Germanorum. & vide nostros Commentarios in l. boues. §. hoc sermone.

r *Damnaturqué Augustus.*] Sueton. in eius vita c. 62. & in vita Tiberij, c. 4.

s *Neque in ius vocanti matronam.*] Hæc vsque ad clausulam, Sed matronæ. sunt Valerij Maximi lib. 2. c. 1.

t *Sed matrona in semitis.*] Plutar. in Romulo.

u *Neque dotale predium.*] L. 1. & propè per totum tit. ff. de fund. dota. vbi hæc lex Iulia in eam rem memoratur.

x *Expedit enim Reipublica*] Hæc est sententia l. 2. de iur. dot. & lib. 1. ff. solut. matrim.

y *Licet priscis seculis.*] Hæc vsque ad clausulam, Fuit tamen. sunt Valerij Maximi lib. 4. cap. 4. vbi de Cn. Scipione.

z *Fuit tamen lege cautum.*] Vide in nostris legibus Connubial. lege 4. numero 5. incip. nec quenquam, & seq. & quos ibi citaui.

a *Proditumqué est.*] Hæc vsque ad clausulam. Sicut Athenienses. sunt Val. Maximi lib. 4. c. 4.

b *Sicut Athenienses.*] Probus Æmylius, & Plutar. vterque in Aristidis vita.

c *Solon verò.*] Plutar. in vita illius, & vide nostras leges Connub. l. num. 10 incip Quæ cùm ira.

d *Et Licurgus.*] Idem Plutar. in vita illius, & Apophth Laconicis, & Iustinus lib. 3. Hermippus autem in legum latoribus, & ab eo Athenæus lib. 13. cap. 1. scribit quòd obscurum est domicilium in Lacedæmone, in quo puellæ omnes concludebantur, vnà adolescentibus etiam vxorem non habentibus inclusis: atque quam quisque cepisset, hanc sine dote abducebat.

e *Germanorum.*] Tacitus de Moribus Germanorum.

f *Idem Cantabris.*] Strabo lib. 3. Apud Cantabros, inquit, viri vxoribus dotes relinquunt.

g *Apud Indos.*] Strabo lib. 15.

h *Qui cùm in plures.*] Arrianus Gestorum Alexandri libr. 8. quod & nos alibi diximus.

i *Massiliensibus.*] Strabo lib. 4. vbi tamen addit, Ad vestem quinque, ad mundum quoque aureum quinque, amplius verò nullo pacto licet.

k *Cretensibus.*] Strabo libro 10. Dotis magnitudo est, si quidem frater est, fraternæ partis honorum dimidium.

l *Apud Gallos.*] Cæsar lib. 6. belli Gallici.

Ægyptij. Carthaginenses. Spartanorum constitutum. Vbi vxores deliquissent in maritos. Viriplacæ deæ sacellum.

niam vir ab vxore accipit dotis nomine, tantam de suo conferre tenetur: vt quod inde redundaret, cum fructibus superstiti accederet. [m] Ægyptij verò adeo dotes auersari sunt, vt qui viri dotes acciperent, velut mancipia vxori addicerentur. Carthaginenses non dotibus, sed nuptiarum impensis, quas immodicas faciunt, modum statuêre. [n] Fuitque constitutum apud Spartanos, vt qui rei quærendæ causa locupletum affinitates quærerent, pœna multarentur. [o] Quare Lacedæmonij qui Lysandro superstite illius filias se ducturos vxores promiserant, & eo mortuo sublato ducere recusarant, optimo iure, Ephoris iudicibus, pœnas dedere: quòd spe præmiorum, locupletum affinitatem affectassent. [p] Si quid verò ab vxore delictum esset, aut si quæ simultates offensionésve forent, siquidem leuia & per ignorantiam admissa, clementi animaduersione & mollissimis pœnis emendabant: siquid verò grauius, de eo vir non in iudicio & foro, sed remisso iudiciorum munere, ne litibus obstreperent, cum propinquis tanquã domesticis iudicibus, cognoscebant quicquid dissidij foret, [q] in sacello deæ Viriplacæ, illarumque contumaciam pœnis seuerioribus aut mollioribus cohibebant. [r] Quod etiam Tiberius Cæsar statuit, vt propinqui & necessarij matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator deesset, commoni sententia coercerent. [s] Nonnunquam vxoris offensa, mariti iudicio permissa fuit: nam Ponponia Græcina capitis & famæ postulata, iudicio mariti insons renunciata est. [t] Athenis verò erat magistratus, qui dissidentes cum viris vxores, quæ non synceta fide in gratiam rediissent, sine iurgio & sine offensa conciliaret: [u] in quo Crates Diogenis sectator fuit, qui litium omnium & iurgiorũ moderator & arbiter inter propinquos præcipuè habitus est. [x] Sicut apud Spartanos Harmosyni erant magistratus, qui mulierum petulantiam immodestiamque cohibebãt. Apud alios fuere conciliatrices, & quæ viris vxores, & vxoribus viros conciliarent. Adeuque more maiorum muliebri pudori, salubri temperamento consultum fuit, [y] vt ne priuatam quidem rem agere fœminas, nisi authore parente, fratre, viroque permiserint. Illud certe non est ab re dixisse, [z] quòd quæ vno viro contentæ erant, quæque matronale decus seruassent incolume haud aliter quàm pudicæ corona donabantur: [a] quæ verò post viri obitum coniugium iniisset, nisi post decimum mensem nupsisset, leuis & impudica, atque infamiæ inusta putabatur. [b] Ideo prægnantem bouẽ Numæ legibus immolare, & ita facinus expiare cogebatur. [c] Neque omittendum, quondam vxores viris, & matres filiis, tunicas togasque facere, easque acu & licio ac telis intexere consuesse: summosque imperatores & duces à necessariis sæpe vestes contextas induisse. Quare [d] Alexander Macedo, [e] & Augustus Octauius, domesticis tunicis ab vxore, matre & sorore, aut nepte confectis, vsi sunt, [f] quas veteri more in atrio domus cum clientibus Romani intexebant: Græci verò in œco & proœco. [g] Quippe apud matronas quondam lanificium magnæ laudi fuit, lanamque fecisse mulierem, pudicitiæ & probitatis signum erat: [h] quod à Phrygibus institutum, ad Romanos fluxisse putarim, quibus Attalus rex primus aurum vestibus intexere instituit. Vnde phrygiones dicti, qui pictas vestes intexebant. [i] Quo enim tempore inter Romanos & Sabinos fœdus ictum est, cum Romulo & Tatio conuenit, vt Sabinæ ab omni opere, præter quàm lanificio, immones forent. [k] scribitque Varro, lanam cum colo & fuso Tanaquilis, & sandalia, in templo Anci Martij ad sua tempora durasse incolumem, factamque ab ea togam regiam virgulatam, qua Seruius Tullius vsus fuit. [l] Erat tamen pagana lege sancitum,

Magistratus Athenis ad conciliandum dissidentes cum viris vxores.

Post viri obitum matrimonium inuntes.

Lanificium matronarum. Phrygiones.

ANNOTATIONES.

m *Ægyptij verò*] Vide nostras leges Connubiales.

n *Fuitque constitum apud Spartanos.*] Vt patet ex sequenti historia.

o *Quare Lacedæmonij.*] Plutar. in Apophthegmatis Lysandri in fi. Eos, inquit, qui ipsius filias, sibi desponsassent, ac deinde post mortem, quia pauper inuentus est, aspernarentur, Ephori mulctauerunt: quia, quem diuitem putantes, colebant, eum & frugi & iustum ex paupertate cognoscentes, despiciebant. Hæc autem Lysandri mentio in memoriam reuocat aliud ad matrimonium Lacedæmoniorum pertinens, in eum scilicet fuisse animaduersum, quòd cùm primam vxorem reliquisset, alteràm formosiorem abducere vellet, vt testimonio Hermippi scribit Athenæus lib. 13. c. 1.

p *Si quid verò ab vxore.*] Vide hîc omnino nostras leges Connubiales l. 8. num. 13. incip. Quid apud.

q *In sacello deæ Viriplacæ.*] Valer. Maximus lib. 2. cap. 1. & vide dd. ll. Connubial. l. 15. num. 104. incip. Et ego.

r *Quod etiam Tiberius Cæsar statuit.*] Sueton. in vita illius ca. 35. Matronas, inquit, prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, vt propinqui, maiorum more, de communi sententia coërcerent, author fuit.

s *Nonnunquam vxoris offensa.*] Tacit. lib. 13.

t *Athenis verò.*] Plutarchus in Alcibiade.

u *In quo Crates.*] Laërtius in ipsius vita.

x *Sicut apud Spartanos Harmosyni.*] Cælius libr. 18. cap. 3. nullo, vt hîc, citato authore. Harmosyni Spartæ compescendis mulieribus fuere magistratus, quò ornatius incederent.

y *Vt ne priuatam quidem rem.*] Cato Censorius in ea Oratione suprà citata apud Liuium 4. Decad. lib. 4.

z *Quæ vno viro contentæ.*] Valerius Maximus lib. 2. c. 1.

a *Quæ verò post viri obitum.*] Ex nostris ll. scilicet l. 1. versic. qui eam & l. genero. in princip. & § 1. & l. liberorum. §. 1. & aliis multis. ff. de his, qui notan. infam.

b *Ideo prægnantem bouem Numæ legibus.*] Plutarchus in Numa.

c *Neque omittendum.*] Quod probat exemplis seq.

d *Alexander Macedo.*] Q. Curtius lib. 5. & vide nostras leges Connubiales l. 10. num. 41. incip. Herodotus.

e *Et Augustus.*] Sueton. in vita illius c. 73.

f *Quas veteri more in atrio*] Liuius 1. Deca. lib. 1. vbi de Lucretia. Adde & telas veteri more in atrio texi solitas. Ex. Ascon. Pediano in Orat. Ciceronis pro Milone.

g *Quippe apud matronas.*] De quo propemodum superfluerent diximus in d. 10. l. Connub. nu. 38. incip. Sed & præterea & multis seq.

h *Quod à Phrygibus.*] Plinius lib. 8. cap. 48. & Nonius Marcel. in verbo, Phrygia vestis.

i *Quo enim tempore.*] Plutar. in Romolo.

k *Scribit Varro.*] Apud Plinium li. 8. c. 48. Sed quod hîc M. Anci scribit, Plinius vbi suprà, Sangi dicit. vide Plutarchum probl. c. 29.

l *Erat autem pagana lege sancitum.*] Plinius lib. 28. c. 2.

m *Sponsam*

ne mulieres in via torquerent fusos, aut illos detectos ferrent: quoniam frugum prouentibus aduersati putabatur. Vtqué lanificium veteribus cordi fuisse adnotarent, [m] sponsam nuptiarum die colum compτam, fusum cum stamine, ad virum deferre iussere: quem morem apud multos etiam nunc coli obseruarique videmus, præcipuè Iberos, quibus quicquid texunt mulieres, in cōmune conferunt, & virorum iudicio quæ plurimū texuit, honoribus cumulatur & pretio. [n] Phæacenses quoque Homero teste, sicut rei naualis viri, ita mulieres pensa trahendi, & acu vestes intexendi peritæ sunt. Non sic Ægyptiis: nam viris domi pensa curare, fœminis verò in foro vacare vsus erat. [o] Apud Persas autem matronas lanæ admouere manus, aut calathum & pensa tractare, probro & turpitudini dabatur.

Pag. ante lex.

Phæacenses.

Ægyptii.

Persæ.

ANNOTATIONES.

m *Sponsam nuptiarum die.*] Varro, Plinius & Plutarchus vbi suprà in verbo, Scribit Varro.

n *Phæacenses Homero teste.*] Lib. scilicet Odysseæ 6. primùm statim pro princ. mentionem facit Diamantis Phæacensis, in re nautica inclyti, cum scribit:

ὀδουθὸν ναυσικλειτοῖο Δύμαντος.

Et lib. 7. in vniuersum de Phæacibus loquens,

ὣ δ' ἄρα φαίηκες ναυσικλυτοὶ ἐν ἐόσσαν.

Et quod ad mulieres pertinet, idem illo lib. 6. loquens de Nausicaa Phæacum Regina,

ἣ μὲν ἐπ' ἐσχάρῃ ἧστο σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξὶν

ἠλάκατα στρωφῶσ' ἁλιπόρφυρα.

Et iterum posteà,

ἀλλ' ἧσται ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν πυρὸς αὐγῇ

ἠλάκατα στρωφῶσ' ἁλιπόρφυρα.

Et de vtrisque ipse Homerus ille lib. 7.

ὅσσον φαίηκες περὶ πάντων ἴδριες ἀνδρῶν

νῆα θοὴν ἐνὶ πόντῳ ἐλαυνέμεν, ὣς δὲ γυναῖκες

ἱστὸν τεχνῆσαι.

o *Apud Persas.*] Q. Curtius libro 5. de quo etiam diximus in dictis nostris legibus Connubialibus l. 10. num. 4 a incip. Herodotus.

Ingens miraculum rerum quæ in Germania & Britannia, tam ex vitibus quàm fluctu maris proueniunt.

CAPVT IX.

PROFECTO rem mirificam, & ostento similem, & quæ dici credique vix possit, amicus meus summus nuper enarrauit mihi, quam ego his cōmentariis oculis meis adiicere dubitassem (ita vidētur esse rara dictu, & super omnem impudentiā, prorsusqué ridiculæ vanitatis) nisi hoc pro comperto & explorato, multorum testimonio comprobasset, qui se non audisse vel legisse, sed oculis vidisse, & manibus attrectasse asserebant. In citeriori Germania intra Danubium loca esse, in quibus, nisi contra frigora & gelu, ac feram sæuamqué hyemem vites maxima parte anni sub niuibus humo contectæ iaceant, quum nulla his contra immodica frigora tempestatésque firmitas sit, vtpote in tractu gelidissimo prorsus algore intereāt. Eas demum liquatis niuibus, æstate anni ingruente, & calore cæli, mirificè germinare, & frondes geniculatas emittere, sed vini parum effundere. Interque eas nonnullas, nescio qua cæli temperie, seu occulta & cæca origine, vites existere peculiari miraculo, & admirationis præcipuæ: quæ clauiculos & plerunque candicantia folia ex puro auro germinent, & simul coalescant, illóique vidisse, & manibus attrectasse, regibúsque & summis ducibus vnà cum palmite vitis rimoso cortice, dono datos, ingenti miraculo fuisse: neque id vbique & passim, sed aliis atque aliis in locis, & modò hic modò alibi fortuito euentu, & prout naturæ libitum fuit, euenire: idque apud incolas pro ostento minimè haberi: sed quia in locis pluribus id accidere soleat, quasi inter quotidiana & frequentia reputari. Cuius rei causam quærentibus nobis, & plerosque eruditos consulentibus physicæ non ignaros, qui naturalium rerum momenta & causas didicere, nemo eorum quisquam satis exploratam ferre sententiam, aut quæstioni satisfacere visus fuit: adeo difficiles causas explicatúsque habebat, nisi quod ex contagio terræ & glebæ, vbi hæc prouenere, quum ibi aurifodinas esse certum sit, subtus in radicibus coalescere aurum, & vnà ingenitum & condensatum occulta vi & origine, dum germina emittunt, mirabili naturæ constituto aut decreto stellarum, aurum simul erumpere, & ita germina concipere, frondésque aureas emittere crediderunt: sicut in Scythia authores tradunt, in montibus vbi minium effoditur, ex terræ contagione & cæli moderamine extare rubras niues. Iunius Dentatus Parthenopeus, ingenio ornatissimo, vir apprime nobilis & eruditus, quocum mihi à primo ætatis gradu vetus & magna amicitia fuit, referre solebat, pleraque prodigiosa & admirabilia, inter quæ miraculum ingens in penitissimis oris Britanniæ & sinu intimo, vbi æstus effusi Oceani, secundi & reciproci ad Lunæ augmenta & damna, ac frequentes fluxus maris & refluxus haud secus quàm tempestas statis vicibus littora infestant, ab authoribus memorati existunt, sæpe malos & nauium carinas vetustate tabescentes, ad litora expositos, & diutina aqua madefactos, quosdam veluti fungos breui pediculo, iuxta aquas gignere, paulatimqué adolescere inter fluctus, lapsisqué diebus etiam moueri, sed tamen à trunco minimè diuelli: interiecto deinde tempore, velut ad iustam magnitudinem peruenerint, mirum dictu tradit, quod omnem superat fidem, fungos eiusmodi ita genitos, à trunco sponte euelli, mox alis emissis, & penniculis enatis euolare, & marinas aues existere, vesciqué pisciculis litoralibus, pérque maria passim enatare, pariterque apud incolas mirum non haberi. Sed quia passim id euenire soleat, quotidiano vsu miraculum esse desinere. Hæc inquam mirifica viderentur, nisi monstrifica esse vbique solertis prouidentisque naturæ opera experimento videremus. Ita enim parens natura comparauit, & opus fabricata est, vt sub orbe diuersissimo, pleraque dictu

Vites in Germania.

Clauiculi & folia vitium ex auro.

Causa.

Niues rubræ in Scythia.

Fungi in cariosis nauibus nati, qui deinde viuant. Vide Hectorem Boetium in hist. Scotorum. fo. 14.

a Quod

admirabilia, excedentia fidem, explicabili difficultate gignantur. Nam quis crederet [a] quod Aristoteles, Cicero & [b] Plinius tradunt, in Ponto Euxino Apud Hyppanim fluuium tenues membranas acinorum modo innasci arboribus, ex quibus mox volueris quadrupes, quæ vltra diem vitalis non sit, erumpere conspiciatur? Aut quod idem scribit [c] Aristoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων in Cypro genus quoddam gigni æris, auro non absimilis, quod in frusta minutissima concisum agricolæ serant, mox ad pluuiam exoriri & coalescere, & postquam adoleuerit, ad iustam maturitatem colligi & recondi? [d] Vel quod idem compertum in Iberia dicit, pastores quandoque syluam incendisse, mox tellure conscissa, multum argenti deliquati effudisse, iudicatumque esse glebam refertam venulis, orichalchum argentúmque educere? Aliáque quæ arduæ sunt explicationis, & difficultatis immensæ? Atque, vt reliqua omittantur, nónne vsu quotidiano assiduóque experimento [e] didicimus, ex minimis paruisque seminibus leui calore fotis, animari vermiculos mirabili constituto, qui fronde contecti & educati, paulo post cum adoleuerint, Sericum, vnde nobis pretiosarum vestium vsus est, ex se emittant: & demum quum adulti fuerint, gignant ex se cucullos & follicula, in quibus recondiri immoriantur, indéque enascantur papiliones candiduli, qui inuicem nexi, pariunt semina, ex quibus denuo nasci queant? Ista quidem frequenti apud nos spectaculo quasi quotidiana viluere: quæ si aliis referantur, quibus hæc incomperta sunt, prorsus incredibilia, & fide caritura, ac fictis sermonibus similia haud dubiè viderentur. In qua quidem re mirari succurrit, quod [f] Procopius Græcus author litteris & monumentis recentium historiarum prodidit, Iustiniani temporibus commentum hoc Serici, solerti ingenio quæsitum, primùm in Italiam allatum fuisse, quum antea incompertum foret & incognitum. Cuius dicto licet coniectari, Sericas vestes ex vermiculis, quales hodie visuntur, apud prius seculum & veteres Romanorum non fuisse, [g] licet byssus & purpura ac vestes Sericæ, dissimili videlicet licio contextæ, omnium sermonibus celebratæ sint, quod ex frondium canicie depectunt Seres, [h] Byssúmque apud Indos frequentem gigni tradunt, ex arbore populo haud dissimili, foliis verò salici, quem in Græcia etiam nasci [i] Pausanias prodit: [k] apud eósque lanigeras arbores florem emittere cum nucleo quo detracto, reliquum vt lana carminetur. [l] Atque in Persicis insulis arbores instar cotonei mali cucurbitas emittere, quæ mox ruptæ, lanuginis pilos ostendant, ex quibus conficiuntur vestes. † Et in Atlante arbores nasci, quarum comæ lanugine vestiuntur, quæ Sericis velleribus non cedant. Quod nobis quoque satis probabile, nec à fide neuium videretur: nisi apud Indos & Ægyptios [m] bombycem Coam intexere vermes, qui aranearum more fila deducant, multiplici lectione videremus.

Apud Hyppanim fluuium. Aes seminatum in Cypro.

Vermiculi sericum ex se emittentes.

Papiliones.

Serica vestes quando primùm emerserint.

Byssus.

Lanigeræ arbores.

Arbores in Persicis insulis.

In Atlanteo.

ANNOTATIONES.

a *Quod Aristoteles.*] Libro 5. de Animalibus cap. 19. ad finem.

b *Et Plinius*] Lib. 11. c. 36.

c *Aristotele περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων.*] Id est, de Mirabilium auscultationibus, siue mauis, Mirabilibus auditu, cap. 40.

d *Vel quod idem compertum in Iberia.*] Idem Aristoteles ibi, cap. 81.

e *Didicimus ex minimis.*] Vide quæ super his scripsi in legib. Connub. l. 3. nu. 18. Vide etiam Plinium lib. 11. c. 23. & lib. 19. c. 1.

f *Procopius.*] Lib. 2. belli Persici.

g *Licet byssus.*] Vide Dionysium Alexandrinum de situ orbis, c. 107. & ibi Eustathium Thessalonicum interpretem.

h *Byssúmque apud Indos.*] Philostratus in vita Appollonij lib. 2. cap. 9. Byssum, inquit, ex arbore nasci ferunt, quæ altitudine quidem populos æquat: folia autem salici æquiparatur.

i *Pausanias.*] Lib. 6. ad fin. quibus locis de Elide loquitur. & iterum lib. 7. dicitque priori loco, Est Eleorum ager & cætera ferax, & byssum educat felicissimè. Canabem quidem linum & byssum ferunt, quæ genres idoneum ad hæc ferenda solum colunt: sed enim quæ fila ad textrinam vsurpant Serca, ea nulla è stirpe sunt. Nascitur in eorum terra vermis, quem Serem Græci, ipsi longe alio appellant nomine, magnitudine est id insectum dupla maximi scarabæi, cætera araneo simillimum. Hos Seres accuratè nutriunt, sellas illis cùm æstiuas, tum hybernas aptè fabricantes: Pedibus (habet verò octo, quot & aranea) sub arboribus textile opus facit. Annos ferme quatuor panico alitur. Quinto demum (neque enim longior contingit vita) viridem apponunt arundinem: quo pabulo bestiola illa maximè delectatur, eo satur sagina rumpitur. Educunt inde è visceribus staminum volumina. Lib. 5. idem scribit, byssum tantùm in Eleo agro nasci, nec alibi vspiam in tota Græcia.

k *Apud eósque lanigeras arbores.*] Herodotus libro 5. scribit Agrestes huiusmodi arborea pro fructu lanam ferentes, præcellentiores esse ouillæ tum pulchritudine tum bonitate, qua in vestiarium Indi vtuntur. Strabo, authoritate Nearchi lib. 15. Hic, inquit, lanigerarum arborum florem nucleum habere: quo detracto, reliquum vt lana carminetur. Vide Plinium lib. 19. c. 1.

l *Atque in Persicis insulis*] Plinius lib. 12. c. 10.

† *Et in Atlante.*] Idem Plinius lib. 5. cap. 1. Cæterum Strabo lib. 3. ad fin. scribit, Circa nouam Carthaginem arborem esse, quæ de spina corticem amittat, ex quo telæ pulcherrimæ conficiuntur. Et de aliis arboribus laniferis, vide eundem Plinium lib. 12. cap. 16.

m *Bombycem Coam.*] Vide nostras ll. Connubiales. vbi suprà.

Locus ex Iuuenale declaratur, & quotuplex apud veteres libertatis genus fuerit, qualiterqué ciuitas amittebatur vel dabatur.

CAPVT X.

IN Iuuenalis satira quinta, qua in eos inuehitur, qui potentiorum sectatores fiunt, hos versus postremos meminimus legisse:

—— Omnia ferre
Si potes & debes, pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis & tali dignus amico.

a Fuit

Quos plerique parum docti grammatici, verborum inuolucro interpretati, ita studiosos demorantur, vt non sit facile æstimare, quæ tandem authoris mens, & qui verborum sensus existet: qui tamen si explorato iudicio exponantur, profecto manifesti apertique fient. Et licet aliud alij autument eruditiores, huic ego opinioni accederem, quæ magis ex contextu verborum redundat: Quód quum antea multis criminationibus illos qui mensas potentiorum sectantur, & aliena quadra student viuere, poeta fuerit insectatus: post multa quæ sub alieno imperio digna atque indigna pati necesse est, vt tandem se in libertatem vendicent, & iugum quod imperiosi domini ferendo seruitium, sponte subierant, demum è collo discutiant, suadendo concludat: quódque pulsandum caput vertice raso probè arbitratur: scilicet modum quo liber quispiam à pretore fit, designauit. [a] Fuit enim antiqui moris, vt qui ex seruitute in libertatem vocabatur, [b] raso capite ad prætorem itaret, apud quem bis terque caput percussus, vel per lictorem percuti iussus, virgula quæ vindicta dicta est, aut festuca in eum iacta, quum eum vertisset dominus, prætoris iussu seruitute eximeretur: [c] quíque libertatem eo modo nactus fuerat, manumissus vindicta dicebatur: quo genere manumissionis libertatẽ vna & ciuitatem Romanam assequebatur: scilicet à Vindicio Vitelliorum seu Aquiliorum serno, cuius indicio detecta coniuratione de opprimendis consulibus, authore T. Liuio, primus libertate & ciuitate donatus est Cautúmque fuit, vt qui ita libertatẽ assequuti essent, vindicta manumissi dicerentur. Raso enim capite, tam illi qui liberi fiebant, quasi tempestatem effugissent, quàm qui bello capti, seruitute exempti fuerant, incedere, [d] & triumphantis currum prosequi consueuere. Obseruatúmque fuit, vt [e] in templo Feroniæ libertorum deæ, tam serui quàm addicti ex compedibus & ergastulo, libertorum munia acciperent. Non ergo inscitè, debere eos qui potentioribus tam seruiliter famulãtur, caput raso vertice pretori pulsandum præbere, seque in libertatem vendicare, nec dura Virronis flagra parienda esse, poeta censuit: scilicet alludens ad eos qui ex seruitute à prætore manumissi, & libertate donati sunt. [f] Apud Lacedæmonios verò, qui serui mancipio eximuntur, fronde coronati incedunt, & templa circumeunt: apud quos ij qui à tyrannis liberati erant, adscripti vocabantur. Sed notandum, apud Romanos libertatum triplices fuisse species: nam plerique manumissi, liberi simul & ciues Romani erant, quæ maior libertas, & ex vindicta appellatur: alij testemento, vel in æde sacra, aut ante consulem, vt inquit Caius nonnulli censu fiebant liberi, quo generé manumissionis etiam ciuitatem Romanam assequebantur. Quum enim soli ciues censerentur, siquis seruus iubente Domino in censum relatus esset, & liber & ciuis erat qui tamen census non ius ciuitatis confirmabat, sed indicabat eum qui census fuisset, pro ciue se gessisse. [g] Quam quidem ciuitatem & libertatem, nisi aut proscriptione solum vertendo, aut si aqua & igni interdictum foret. ex decreto senatus, iussúque populi nemo inuitus amittebat. Neque enim ciuem Romanum sine authoritate senatus ciuem esse desinere fas erat, [h] nisi capti ab hostibus fuissent. tunc enim quoad captiui erant. ius ciuium & ciuitatẽ amittebant: qui si in vrbem postea redirent, iura ciuitatis & libertatis postliminio recipiunt: itaque liberi & ciues Romani fiunt. Fuitque memoriæ proditum, vt quem pater aut populus vendidisset, [i] vel paterpatratus hostibus dedisset, si ab hostibus receptus susceptúsque fuisset, cum eo nullum postliminium foret. Quod si is quem

Manumissio quibus caremoniis fieret. Lego & l. pater ff de manum vind.

Feroniæ tẽplum, Lacedæmony. Adscripti.

Apud Romanos triplices libertatũ species. l. 1. C. de iis qui in ecclés. manu.

Post liminij ius § si ab hostib. instit. Quib. mod. ius pat. pot. sol. l. postliminiũ ff de capti. & postli. reuer.

ANNOTATIONES.

a *Fuit antiqui moris.*] Id partim relatum est à Bœotio in Ciceronis Topica, & ex eo ab Accursio in §. multis. Inst. de libertinis. vide ibi Balduinum & l. ego. & l. pater. ff. de manum. vind.

b *Raso capite.*] Vide infrà in verbo, In templo Feroniæ.

c *Quique libertatem.*] Hæc vsque ad clausulam, Cautúmque fuit. sunt Liuij 1. Decad. lib. 2. non multò post. prin. & Pomponij Iurisconsulti in l. 2. §. & cum placuisset. ff. de orig iur. & huius quoque manumissionis, quæ vindicta fiebat, meminit Tacitus lib 13. & Persius satyra 5.

Nam vindicta meus postquam a prætore recessi,
Cur mihi non liceat, iussit quodcunque voluntas?

De hac libertate, habes in Codice tit. de vindicta libertate: exemplum etiam est in l. 1. ff. de act. & oblig.

d *Et triumphantis currum prosequi.*] De quo vide infrà numero 6.

e *In templo Feroniæ.*] Plutarch. problem. Seruius in libro 8. Æneidos, ibi,

Nascenti cui tres animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat.

Feroniæ fanum communi iure Latini Sabiníque olim coluere: in eius templo serui accepto pileo libertate donabantur. Traditur eius religionis eiusmodi origo, Lacedæmonum frequentia per id tempus quo Lycurgus vrbem legibus fuit munire aggressus, per seditionem eorum, qui legum seueritatem parum æquo animo ferrent, Laconia excessit. Hi variis casibus diu agitati, ad postremum vouisse dicuntur, se in ea terra, in quam primum delati essent, si per incolas, liceret, perpetuò mansuros. Tandem in Pometinos campos appulsi, ibi sedibus positis, Feroniæ templum condiderunt, noménque deæ fecerunt, ab æquorea delatione in pacatas terras. Mox aliqui Laconum cum Sabinis se coniunxerunt. Strabo lib. 5. scribit Feroniæ numine afflatos, nudis pedibus prunas & copiosum inambulare, sub hac dæmone, nulla lęsione, cinerem. apud Liuium autem 3. Dec. lib. 2. post prin. Quin & libertinæ, inquit, & ipsa vnde Feroniæ donum daretur, pecuniam pro facultatibus suis conferrent. Ad id quoque, quod de raso capite dicitur, pertinet illud Plauti in Amphitryone act. 1. scen. 1. in fi.

—— Quod ille faciat Iupiter,
Vt ego hodie raso capite caluus capiam pileum.

Erasmus Chil. 2. cent. 1. in prouerbium, Ad pileum vocare. cap. 27.

f *Apud Lacedæmonios.*] Ex Græcis constitur c. ex Latinis. in §. multis autem modis, & §. libertinorum. Inst. de libet. vide & ibi Balduinum.

g *Quam quidem ciuitatem.*] Hîc omnino vide Ciceronem pro Cor. Balbo.

h *Nisi capti ab hostibus.*] De qua re est titul. proprius. ff. de Cap. & postl. reuer.

i *Vel paterpatratus hostibus dedisset.*] Hinc est quod Sp. Posthumius cùm Samnitib. esset deditus, & fœcialem percussisset, clara voce ait se Samnitem non Romanum ciuem esse, apud Liuium 1. Decad. lib. 9.

Qui ab imperatore ciuitate donatus esset. Ciuitatē parcissimè initio dabant Romani.

paterpatratus deuouerat, receptus non sit, cum eo postliminium esse, consentiunt omnes: k quum nec deditio, nec donatio sine acceptione intelligi possit. l Ciuitatem Romanam amitti, si Romanus ciuis vrbis alterius iura adsciuerit, multi censuere, quum duarum ciuitatum iure ciuili nemo censeatur ciuis. m Animaduersúmque est, eum qui ab imperatore ciuitate donatus esset, numquam ob crimen, populi iudicio fuisse condemnatum: o si qui tamen rei capitis agerentur, & ob id solum verterent, non prius ciuitatem amisisse censebantur, quàm essent recepti in eam, quò vertendi soli causa venerāt, idque non ademptione ciuitatis, sed aquæ & ignis interdictione fieri. o Hanc verò ciuitatem à principio parcissimè populus Romanus dabat: p quippe Crasso & Scæuola consulibus, ne ius ciuitatis in colluuione & quasi promiscuum foret, cautum fuit, ne hi qui ciues Romani non essent pro ciuibus fierent. Quare Punico ardente bello, q Murrina Syracusanus ob plurima in rempub. merita, & quòd in Sicilia cum equitatu transierat ad nostros, ex authoritate senatus, & rogatione populi, ciuitate donatus fuit, loco magni muneris. r Mox lege Gellia & Cornelia, vt nisi quibus Cn. Pompeius ciuitatem dedisset, nemo ciuis fieret, decretum est. Quo tempore s Theophanem Mitylenæum ciuitate donauit pro concione. t Altera vero lege Apuleia, quàm Saturninus consule C. Mario tulisse dicitur, vt in singulas Latinas colonias ternos ciues facere liceret, cautum erat. u Deinde lege Pompeia, quam Pompeius Strabo tulit, veteribus incolis transpadanis idem iuris quod Latinis coloniis, tributum est, quos postea ciuitate donauit. x C. quoque Gracchus Italos & Romanos eodem iure censuit. y quó tempore Italicis populis pluribus ciuitas tributa fuit. z Primúsque Fuluius Flaccus consul Italos, vt in ciuitatem assumerentur, excitasse dicitur: a deinde Tyrrheni, Lucani & Samnites iure ciuitatis donati fuere, b Demum Sylla illorum seruos, qui ciuili bello ceciderant partium suarum, in libertatem vendicauit, & ciues esse voluit, qui tametsi ius ciuitatis haberent, non tamē cum veteribus tribubus suffragia ferebant, sed ex illis velut nouis incolis aliàs effecit tribus, in quibus vltimi suffragabantur. ita fiebat vt ad illos perraró suffragij ius veniret. Quæ omnia post ciuile bellum, quum rerum Sylla potiretur, & summam imperij teneret, sublata & inducta, in melius emendauit. Nam magnæ sibi curæ fuit, non in colluuione omnium, neque apud exteros nomen Romanum passim vulgari: ideo populi iussu comitiis centuriatis, singulis municipiis ius ciuitatis, quod antea acceperant, ademit. c Quod & Licinia lege & Mutia cauebatur. Quippe quum Italiæ populi magna pars se pro ciuibus gererent, Licinius Crassus orator, & Mutius Scæuola pont. max. vt in suum quisque ius rediret, legem de regendis ciuitatibus tulerunt, quum summa cupiditate ciuitatis Romanæ Italici populi tenerentur: qua lege ita alienati animi sunt, vt principium belli Italici fuerit. itaque ius ciuitatis, quod cum infirmis antea pro-

Pompeij Strabonis lex. C Gracchi lex. Ciuitate donati raro suffragabantur.

Licinia & Mutia lex. Lex de regendis ciuitatibus.

ANNOTATIONES.

k *Cùm nec deditio.*] Cicero in Topicis.

l *Ciuitatem Rom.*] Cic. pro Cor. Balbo, Duarum ciuitatum ciuis esse nostro iure ciuili nemo potest: non esse huius ciuitatis ciuis, qui se alij ciuitati dicarit, potest. Et non multò pòst, Peritus verò nostri iuris ac moris nemo vnquam, qui hanc ciuitatem retinere vellet, in aliam ciuitatem se dicauit. Sed tamen vide l. Labeo. & l. assumptio §. iuris. ff. ad munici p.

m *Animaduersúmque est.*] Cicero in eadem Orat. Audebo etiam hoc contendere, nunquam esse condemnatum quem constaret ab Imperatore nostro ciuitate donatum.

n *Si qui tamen.*]Cicero in Oratio. pro Cecinna, & in Oratione pro domo sua.

o *Hanc verò ciuitatem.*]Vide infra in verbo, Murrina Syracusanus.

p *Quippe Crasso & Scæuola Coss.*] Cicero lib. 3. Offic. Nam, inquit, esse pro ciue, qui ciuis non sit, rectum est non licere. quam legem tulerunt sapientissimi Coss. Crassus & Scæuola: vsu verò verbis prohibere peregrinos sanè inhumanum est. Hanc legem idem Cicero pro Corn. Balbo legem Liciniam & Mutiam, & pro Cornelio de Maiestate, referente Ascunio, legem Liciniam & Mutiam de ciuibus regundis appellat: scilicet à Licinio Crasso & Mutio Scæuola Coss. latam. de qua re idem Cicer. in Bruto vbi & Lysia loquitur.

q *Murrina Syracusanus.*] Mutines hîc legendum ex Liuio id referente 3. Decad. lib. 7. Mutines, inquit, etiam ciuis Romanus factus, rogatione ab Trib. plebis ex authoritate patrum ad plebem lata. Mutinum eum vocat Asconius Pedianus in Orat. Ciceronis in Pisonem. Sed & adde L. Manilio Tusculano ciuitatem datam fuisse ob ingens beneficium in Rempublicam collatum, apud Liuium 1. Dec. lib. 3. Et Sosidi Syracusano & Merico Hispano, ex eod Liuio 3. Dec. lib. 6. Et Iulio Floro Treuero & Iulio Sacrouiro ob maiorum benefacta, cùm id rarum, nec nisi virtuti pretium esset, vt tradit Cor. Tacitus lib. 3.

r *Mox lege Gellia.*]Cic. pro L. Cor. Balbo, Nascitur Iudices, causa Cornelij ex ea lege, quam L. Gellius, Cn. Cornelius ex senatus sententia tulerunt. qua lege videmus satis esse sancti, vt ciues Rom. sint ij, quos Cn. Pompeius de consilij sententia sigillatim ciuitate donauerit. Et posteà non semel eam legem vocat Gelliam & Corneliam.

s *Theophanem.*]Val. Max. lib. 8. c. 15.

t *Anteà verò lege Apuleia,*]Cicero in eadem Orat. pro Cor. Balbo, Sed cùm lege Apuleia coloniæ non essent deductæ, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, vt in singulas colonias ternos ciues Romanos facere posset: negabat hoc beneficium re ipsa sublata valere debere.

u *Deinde lege Pompeia.*] Asconius Pædianus in Orat. in L. Pisonem, Hic autem Cn. Pompeius Strabo pater Cn. Pompeij Magni fuit, vt ille dicit.

x *C. quoque Gracchus.*]Plutarch. in vita illius.

y *Quo tempore Italicis populis.*]Plutarch. ibi, Appianus lib. 1. bellorum Ciuilium. L. Florus epit. Liuij libr. 80. in prin. Italicis, inquit, populis à senatu ciuitas data est.

z *Primúsque Fuluius Flaccus Coss.*]Appianus vbi suprà. Strabo autem lib. 5. post prin. scribit Romanos in ciuitatem vniuersos Italos vocasse, eósq; Romanos appellasse. At Plinius Secundus, si is est, Virorum illustrium c. 76. scribit Marcum Liuium Drusum Tribunum plebis Latinis ciuitatem, plebi agros, equitibus curiam, senatui iudicia permisisse. Eutropius lib. 5. c. 2. Paulus Orosius lib. 5. c. 18. & Florus epit. Liuij libr. 71.

a *Deinde.*]De his tribus id dicit Appia. vbi suprà.

b *Demum Sylla.*] Vide Plutarchum in eius vita, & Appianum lib. 1.

c *Quod & Licinia lege.*] Hæc vsque ad clausulam. Itaque ius ciuitatis. sunt Asconij Pædiani in Orationem Ciceronis

pro

miscuum erat, apud paucos tedundans, optabilius fuit. [d] Diuus postea Cæsar medicinam professos & liberalium artium doctores, præcipui muneris loco, ciuitate donauit. [e] qui quum Nouocomensibus ius ciuitatis dedisset, Marcellus consul id irritum fecit, arreptúmq; decurionem Nouocomensem virgis in foro pulsauit, præfatus ea dedisse verbera, ne se Romanum ciuem aliquando censeret. Marius quoque legem tulit, vt nisi ex decreto populi, nemini in regione esse liceret. Mox Syllæ exemplo; [f] mille homines Camertes, propter nauatam insigniter operam in bello, ciuitate donauit. Etatque constitutum, vt qui in numero ciuium Romanorum adsciti, quique ciuitatem Romanam populi iussu assequuti fuerant (ne quid discriminis eum veris ciuibus foret) pudēdas artes, & homine Romano indignas, non pertractarent, ac mutatis explosísque veteribus nominibus, [g] P. Cornelij, Metellorúmque, & Claudiorum, aliorúmque nobilium Romanorum prisca nomina tanquam veri ciues, & cultu Romano educati, vsurparent. [h] Demum Augustus Cæsar vindex maiestatis Romanæ, ne vnquam tortus aut vinctus vllo libertatis genere ciuitatem naneisceretur, edita lege statuit: ipsámque [i] parcissimè & velut magnum operæ pretium largitus fuit. [k] Quod & Claudius Cæsar prohibuit nam peregrinæ conditionis homines, gentilia Romanorum nomina assumere vetuit; ciuitatémque Romanam vsurpantes, securi percussit. Sed animaduertendum, non omnes qui in ciuitatem adsciti erant, protinus suffragij ius in tribubus habuisse, vel ad magistratus & honores admissos esse: quia nisi ius suffragij à populo his impartiretur, atque in tribus admissi descriptíque fuissent, ad dandos honores, promouendósque magistratus, ius suffragij non habebant: siquidem [l] multis dabatur ciuitas sine suffragio, plerisque ius Quiritium, nonnullis libertas, aliquibus ius municipij & fœderis pluribus ius Latij: alij tanquam coloni, alij stipendiarij & vectigales habiti, nonnulli sponsione in amicitiam recepti fuere. [m] Quam quidem suffragij lationem, sine consilio senatus solus populus, vt beneficium tradebat. [n] Ius vero Quiritium, primum Archagatho medico eum taberna in compito Acilio datum fuisse legimus: [o] municipij verò illis, qui ex alienis ciuitatibus adsciti, munerum Romanæ ciuitatis participes erant, nisi quòd ad suffragia ferenda, & magistratus admitti non poterant: [p] sicut Fundanis, Formianis, Cumanis, [q] Acerranis, [r] Lauinijs & Thusculanis, qui haud multò post in ciui-

Docti ciuitate donati. *Marij lex.* *Ciuitate donati à pudendis artibus abstinebant, & nomina mutabant.* *Aug. Cæsaris lex.* *Ciuitate donati sine suffragio.* *Ius Quiritiū, cui primo datum.* *Municipij ius.*

ANNOTATIONES.

pro C. Cornelio & dictum est etiam suprà in verbo, Mox lege Gellia.

d *Diuus pòst Cæsar.*] Suetonius in vita C. Iulij Cæsaris cap. 42. Sed & idem vniuersam illam legionem ex transalpinia conscriptam, quam vocabolo Gallico Allaudam vocauit, disciplina cultúque Romano institutam ciuitate donauit, vt scribit ibi idem Suet. cap. 24. Idem tamen Cæsar propter quosdam sordidos homines, qui ipsius beneficia vendebant, tabulam, in qua nomina ciuitate donatorum incisa essent, reuelli iussit, vt tradit Cicero Epistol. fam. lib. 13. episto. 37. omnium 307.

e *Qui cùm Nouocomensibus.*] Id Plutarchi est in eiusdem Cæsaris vita, & Appiani bel. Ciuil. lib. 2.

f *Mille homines Camertes.*] Plutarch. in vita Marij (aliàs Syllæ) & Valerius Maximus lib. 5. c. 2. Cicero autem in Oratione pro Cor. Bal. tradit cohortes duas vniuersas Camertium à P. Crasso ciuitate fuisse donatas.

g *P. Cornelij.*] Cicero lib. 13 epist. epist. 37. ad Acilium, cum Demetrio Mega, inquit, mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo ciuitatem à Cæsare impetrauit, qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur. Et paulò pòst. Eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, Nihil esse, quod de Mega vereretur: beneficium suum in eo manere.

h *Demum Augustus Cæsar.*] Suetonius in vita illius ca. 40. Magni præterea, ait, existimans, syncerum, atque ab omni colluuione peregrini, ac seruili sanguinis incorruptum seruare populum. & ciuitatem Romanam parcissimè dedit, & manumittendi modum terminauit, & paucis interiectis, Liuiæ pro quodam tributario Gallo roganti ciuitatem negauit, immunitatem obtulit: affirmans, se facilius passurum fisco detrahi aliquid, quàm ciuitatis Romanæ vulgari honorem.

i *Ipsámque parcissimè.*] Idem author eodem cap. sed alio loco. Segestes autem vnus ex Germanorum ducibus apud Tacitum lib. 1. veluti gloriatur, quòd se diuus Augustus ciuitate donauerat.

k *Quod & Claudius Cæsar.*] Suetonius in vita illius c. 25. Peregrinæ conditionis homines vetuit vsurpare Romana nomina, dontaxat gentilia ciuitatem Romanam vsurpantes in campo Esquilino securi percussit.

l *Multis dabatur ciuitas sine suffragio.*] Vt videbis infrà in verbo, Sicut Fundanis. Sed ad id quod de stipendiarijs dicit, pertinet quod Plinius lib. 3. cap. 8. numerat multos populos Siciliæ stipendiarios, post nonnullas colonias, & alias Latinæ conditionis.

m *Quam quidem suffragij lationem.*] Ideo nec eam suffragij lationem Censores cuiquam homini, nedum ordini vniuerso adimere poterant, vt tradit Liuius 5. Dec. lib. 5.

n *Ius verò Quiritium primum Archagatho.*] Plinius lib. 29. cap. 1.

o *Municipij verò.*] Hæc vsque ad clausulam, Fuitque obseruatum. sunt Festi Pompeij libr. 11. in verbo, municipes; & municipium. Vide Alciatum in verbo, municipes. ff. de verbo. sign. quanquàm & horum plurima einsce loci sunt aliorum, vt sigillatim mox dicemus.

p *Sicut Fundanis.*] Horum namque trium testis est Liuius 1. Decad. libr. 8. Fundanis, inquit, & Formianis, quòd per fines eorum tuta pacatáq; semper fuisset via, ciuitas sine suffragio data. Cumanos, Suessulanósque eiusdem iuris conditionísque, cuius Capuam, esse placuit. De Cumanis idem scribit 3. Decad. lib. 3. De trecentis equitibus Campanis, qui in Sicilia cum fide stipendiis emeritis Romam venerant, delatum ad populum, vt ciues Romani essent: item vti municipes Cumani essent, pridie quàm populus Campanus à populo Rom. defecisset.

q *Acerranis.*] Idem Liuius 1. Decad. libr. 8. Romani facti Acerrani lege ab L. Papyrio prætore lata, qua ciuitas sine suffragio data.

r *Lauinijs & Tusculanis.*] De his duobus Cicero pro Corn. Balbo, cuius suprà in eam rem verba adduximus. Liuius eo. libr. 8. vbi & idem dicit de Aricinis, Nomentanis, Pedanis, Lanuuinis & Antiatibus. Sed & adde Sabinos, qui post Sabinarum raptum, & fœdus factum inter Romulum & Titum Tatium recepti in vrbem sunt: sed hac lege, vt in omnibus essent ciues Romani, excepta suffragij ratione: nam magistratus non creabant, vt scribit Seruius lib. 7. Æneidos in eum locum.

—Postquam in partem data Roma Sabinis.

tatem admissi fuere. His namque [s] & Campanis equitibus ciuitas sine suffragio data fuit: quibus postea [t] & Arpinatibus ius suffragij, quod antea negabatur, cōcessum ferunt. [u] Anagninis quoque ciuitas sine suffragij latione collata est, conciliáq; & connubia adempta, magistratibúsq; interdictum, præterquam in curandis sacris. [x] Et quum Puteoli, Salernum & Buxentum, pro eo quod adscripti coloni nomina dedissent, se pro ciuibus gererent, senatus iudicauit non esse ciues. [y] Nonnunquam qui ex municipiis suo iure & legibus vtentes, muneris tantum cum populo Romano participes erant, nullis necessitatibus aut alia lege vel fœdere adstricti, municipes dicti sunt: sicut M. Cato senex, T. Corūcanus, Caius Marius, M. Tullius, & alij. [z] Tertio, qui ad ciuitatē Romanam ita venerunt, vti municipia essent suæ cuiusque ciuitatis & coloniç, vt Tiburtes, Prænestini, Pisani, Vrbanitates, Nolani, Bobutinēses, Placentini, Napesini, Sutrini, Lucenses. [a] Fuitque obseruatum, vt ita recepti, peregrinorum loco non haberentur, sed ciuium. Et tametsi ius coloniæ quam municipij semper maius & auctius fuerit, quod coloni iura instirutáque populi Romani, nihil sui arbitrij habent: municipes vero suis vtantur moribus & institutis, sine imperio populi Romani: tamen in coloniam semel auspicato deductam, illa incolumi, nona colonia deduci nequit, licet illa existente noui coloni deduci valeant. Differt tamen colonia à municipio, quia ex ciuitate colonia aliò traducitur, municipes vero aliūde in ciuitatem veniunt. [b] In quo animaduertendum, plura fuisse coloniarum genera: namque aliæ Latinæ, aliæ ciuium Romanorum dictæ sunt, aliæ ex vtrisque: [c] nonnullæ ex peditibus vel equitibus, quum in agrum bello captum stirpis augendæ causa mittebantur: [d] siquidem Bononia, colonia Latina fuit: [e] Mutina & Parma, ciuium Romanorum: [f] Placentia [g] equites solos habuit Latinos, licet [h] Cicero Placentiam municipiū, non coloniam dicat esse. [i] Eráque constitutū, vt singulæ coloniæ annuam pensionem populo Romano penderent, tametsi Liuius Drusus trib. pleb. duodecim colonias sine onere pensionis deduxisse legatur. Fertur tamen [k] populus Romanus Iliensibus, ob generis vetustatem, & quia authores Romanæ stirpis fuerant, plenissimam immunitatem dedisse, vt tutelæ curæq; excusationem haberent. [l] Tyriis vero libertatem, [m] sicut Atheniensibus, [n] & Thessalonicis, quibus etiam Diuus Seuerus ob egregiam fidem Italicum ius dedit. [o] Cyzicenis verò, quum Mithridatico bello ob insignem operam libertatem meruissent, postea Tiberius Cæsar, quòd insolenter in ciues Romanos se gessissent, libertatem ademit, & stipendiarios fecit. [p] Nero quoque vniuersæ Achaiæ libertatem dedit, Græciámque [q] liberam

Colonia à municipio differentia. Coloniarum genera.

Libertas

ANNOTATIONES.

Ad id illum locum referst.

s *Et Campanis equitibus.*] Liuius loquens de trecentis equitibus Campanis eod. lib. 8. 1. Dec. (vide in verbo, Sicut Fundanis) & iterum 3. Dec. li. 3. Et de Campanis in vniuersum, vide quid idem scribat eiusdem 3. Dec. lib. 6.

t *Et Arpinatibus.*] Idem Liuius dict. lib. 8. 1 Decad. & libr. 10. in princ.

u *Anagninis quoque.*] Liuius 1. Dec. lib. 9. paulò ante fin.

x *Et cum Puteoli.*] Hæc vsque ad clausulam, Nonnunquam sunt Liuij 4. Dec. lib. 4.

y *Nonnunquam qui ex municipiis.*] Ex Festo Pompeio vti suprà diximus in verbo, Municipij verò.

z *Tertio, qui ad ciuitatem.*] Et id quoque. Sed vbi hîc dicitur, Vrbinates, legendum est ex eodem, Arpinates, & vbi, Bobutinenses, legendum, Bononienses. & vbi, Napesini: alij legunt, Nepesini. Et vbi Lucenses, alij, Luncoses. Super hoc autem quod hîc dicitur de Placentinis, vide postea in verbo, Placentia.

a *Fuitque obseruatum.*] Ex Gellio lib. 16. c. 13.

b *In quo animaduertendum.*] Ex Liuio 3 Dec. lib. 8. & 4. Dec. lib. 9. ad fin. Et vide omnino Asconium Pædianum in Orat. Ciceronis in L. Pisonem in princ.

c *Nonnulla ex equitibus.*] Quod probatur in seq.

d *Siquidem Bononia.*] Liu. 4. Dec. lib. 7. paulò ante fi. & libr. 9. ad fi. Hanc autem simpliciter Romanorum coloniam dicit Pomponius Mela lib. 2. c. 4.

e *Mutina & Parma.*] Liuius 4. Decad. lib. 1. & 9. ad fin. vbi mox idem dicit de Saturnia colonia, Pomponius autem vbi nuper citauimus, dicit simpliciter Mutinam Romanorum coloniam.

f *Placentia.*] Ea erat Rom. colonia Liuio 3. Dec. libr. 1. & 7. & 4. Dec. lib. 1. & 7. & Plutar. in Hannibale, & L. Floro epit. Liuij lib. 20. in fi. vbi idem dicit de Cremona.

g *Equites solos habuit Latinos.*] Liuius 4. Decadis libro 9. ad finem.

h *Cicero.*] In Orat. in L. Pisonem, vbi Asconius non longè à princ. hæsitare confitetur se magnopere cur Cicero id dicit, cùm in Annalibus eorum, qui Punicum bellum secundum scripserunt, tradatur, Placentiam coloniam deductam pridie Cal. Ianuarias primo anno eius belli, P. Cornelio Scipione patre Africani, & T. Sempronio Longo Coss.

i *Eráque constitutum.*] Hæc vsque ad clausulam, Fertur tamen sunt Plutarchi in vita Gracchorum.

k *Populus Romanus Iliensibus.*] Callistratus in l. non tantùm. §. 1. ff. de excusat. tut. Iliensibus & propter inclytam nobilitatem ciuitatis, & propter coniunctionem originis Romanæ, iam antiquitus & senatusconsultis, & constitutionibus Principum plenissima immunitas tributa est, vt etiam tutelæ excusationem habeant, scilicet eorum pupillorum, qui Ilienses non sint. Sed & adde tributorum & omnium onerum immunitatem illis à Claudio Cæsare concessam è Suetonio in vita illius, c. 25. & Tacito lib. 12. Strabo autem libr. 13. tradit ipsos Ilienses multis beneficiis Syllam affecisse, & Iulium Cæsarem maximam de iis curam suscepisse, & illos magnis beneficiis adornasse.

l *Tyriis verò.*] Vlpianus in l. 1. in prin. ff. de censib. & Paulus in l. vlt. §. eiusdem iuris, eod. tit.

m *Sicut Atheniensibus.*] Vnde Alexander id acceperit nescio, vixque crediderim Septimium Seuerum (quem omnes Diuum Septimium vocant) quia, vt in vita illius scripsit Spartianus, is, cùm Athenas petiisset, iniuriásque quasdam ab Atheniensibus pertulisset, inimicus his factus, minuendo eorum priuilegia, iam Imperator se vltus est. Ante verò Antoninus illis ius integrum libertatémque cum immunitate tradidit. testis Seneca lib. 5. de beneficiis.

n *Et Thessalonicis.*] Appianus lib. 2. bel. Ciuil. scribit Cæsarem Thessalos, qui cum eo depugnauerant in acie Pharsalica, liberos esse iussisse. verùm hi alij sunt à Thessalonicis.

o *Cyzicenis verò.*] Suetonius in Tiberio, ca. 37. Cyzicenis, inquit, in ciues Rom. violentius quædam ausis, publicè libertatem ademit, quam Mithridatico bello meruerant.

p *Nero quoque vniuersæ Achaiæ.*] Cornel. Tacitus lib. 15. & alibi.

q *Græciámque liberam dimisit.*] Hæc alibi adnotata sunt.

r Et

dimisit, [r] & nationes Alpium maritimas in ius Latij transtulit. Ex insulis vero, [a] Cephalenia, Zacinthus, Ægina, liberæ fuere. In Africa, [t] Carthago, [u] Leptis, [x] Adruma, Rhuspinum, Tapsus, quæ etiam à diuo Seuero & Antonino iuris Italici factæ sunt. [y] Otho Lingonibus vniuersis ciuitatem dedit. Ex finitimis, [z] Ostia, [a] Antium, [b] Minturnæ, Tarracina, & aliæ plures, militiæ aliorúmq; munerum vacatione fungebantur. In Sicilia, quia [c] prima omnium prouincia facta est, [d] Mamertina ciuitas & [e] Tauromitana, fœderatæ: liberæ vero & immunes, Centuripinum, [f] Alexina, [g] Segestana, [h] Aletiensis, & Panormitana. [i] Inter quas Centuripini & Segestani Latinitatis iura obtinebant. [k] Erátq; vetus mos, vt qui ius Latij haberent, alios sumere magistratus aut præsides non tenerentur, nisi Romanos ciues. [l] Nemausenses enim quum ius Latij obtinerent, ad ædilitatem & quæsturam alibíque honores, nullos nisi Romanos ciues admisere. [m] Postea liberalitate populi Romani, ex omni genere, omníque natione terrarum, benemeritos de nomine Romano, quorum virtus enituit, in ciuitatem adsciscere, & fide ac societate iungere, vsos inualuit. Estque inter exempla, non stipendiarios modo, sed hostes populi Romani, qui ad nostros Imperatores profugissent, aut magno vsu reipub. fuissent, quinetiā seruos bene de repub. meritos, ciuitate donatos esse. Itaque Thusculanos, Æquos, Volscos, Hernicos bello victos, post victoriam ciuium numero Rom. adsciuere, suæq: tutelæ duxere, & veluti patroni clientes, in fidem accepere, cognationéque & hospitio iunxere. Sic Iulios Alba, Coruncanos Camerino, Porcios Thusculo oriundos, in senatum acciuerunt. [n] Lapsis deinde temporibus latius hoc ius propagatum fuit, ita vt in Hispania oppida Latio antiquitus donata: vnde triginta numerentur: libertate, sex: fœdere, tres: stipendiaria, centum viginti. In citeriori verò, oppida ciuium Romanorum, tredecim: Latinorum veterum, octodecim fuerunt, fœderatum vnum, stipendiatiā centum triginta quinque. [o] Inter quas, Pacenses & Emeritenses in Lusitania iuris Italici fuere. [p] In Africa ciuium Romanorum, quindecim. Denique repub. variis casibus agitata, [q] Vespasianus vniuersæ Hispaniæ ius Latij tribuit. [r] Otho Lingonibus vniuersis ciuitatem dedit. [s] Claudius verò Cæsar, omnes Græcos, Gallos

Ius Latij.

Priuilegium eorum qui ius Latij habebant.

Libertinus deinde ciuitatem dabant Romani.

De iure latinitatis vide elegantē locum Alc. li. 2. dispunc. cap. 21.

Ius ciuitatis latius propagatū.

ANNOTATIONES.

r *Et nationes Alpium.*] Tacitus libro 15. cuius hæc propria verba sunt, Eodem anno Cæsar nationes Alpium maritimarum in ius Latij transtulit.

a *Cephalenia.*]Plinius lib. 4. cap. 12.

t *Carthago.*]Plutarchus in Cæsare, & Paulus in l. vlt. §. vlt. ff. de censib.

u *Leptis.*] Paulus vbi suprà. Hirtius in bello Africano non multò post princ. & vide Spartianum in Septimio Seuero in princ. Plinius quo loco statim citabo.

x *Adruma, Ruspinum, Tapsus.*] Harum trium ciuitatum Libyæ, quæ est in Africa, meminit Strabo lib. 17. & hæc oppida, Leptis, Adrumetum, Ruspina, Tapsus libera esse dicit Plinius lib. 5. cap. 4. vbi Adrumentum vocat, quod hîc Adruma appellat.

y *Otho Lingonibus.*] Cor. Tacitus lib. 17. Lingonibus, inquit, vniuersis ciuitatem Romanam, prouinciæ Bœticæ Maurorum ciuitates dono dedit.

z *Ostia.*]Eam sanè coloniam fuisse tradit Plin. lib. 3. c. 4. & iterum 5. vbi dicit eam fuisse à Romano Rege deductam.

a *Antium.*]Suetonius in Nerone, cap. 9. Antium coloniam deduxit, adscriptis veteranis è prætorio, additisque per domicilij translationem ditissimis primipilarium, vti & portum operis sumptuosissimi fecit. ibi vide interpretes. Et Antium quoque coloniam esse scribit Plinius lib. 3. cap. 4. & 5. & eam Strabo libr. 5. tradit ad otium rerúmque vrbanarum vacationem Principibus concessam esse. Sed non id est quod Alexander hic dicit.

b *Minturnæ.*] Et hanc fuisse coloniam testis est Plinius vbi suprà.

c *Prima omnium prouincia.*] Cicero in 4. in Verrem action. statim post princ. Primum, inquit, quòd omnium nationum exterarum Princeps Sicilia, se ad amicitiam fidémque populi Rom. applicuit: prima omnium, id quod ornamentum Imperij est, prouincia est appellata. Et Sex. Ruffus in libr. de historia Romanorum, Prima, inquit, prouinciarum facta est Sicilia. Liuius autem 3 Dec. lib. 8. tradit Hispaniam primam earum, quæ continentis sunt, factam esse prouinciam. Plutarchus verò in vita Scipionis prodit Hispaniam ex regionibus continentis primam victam fuisse, sed postremam in prouinciæ formam fuisse redactam à Iulio Cæsare.

d *Mamertina.*] Hanc ciuium Rom. esse scribit Plinius lib. 3. cap. 8. cùm dicit, Oppidum Messana ciuium Rom. qui Mamertini vocantur.

e *Tauromimitana.*] Taurominium coloniam esse tradit Plinius vbi suprà.

f *Alexina.*]Halexinos Siciliæ inter stipendiarios ponit Plinius lib. 3. c. 9.

g *Segestana.*] Cicero 7. in Ver. act. & vide infrà.

h *Aletiensis.*]Halicyenses Siciliæ populos siue hi sint, siue alij inter stipendiarios ponit Plinius vbi suprà.

i *Inter quas.*] Plin. de his duobus lib. 3. c. 8. vbi nuncupatim dicit eas Latinæ conditionis fuisse. Cic. autem in 6. in Verrem act. scribit Centupirinos & Alesianos Siciliæ populos immunes fuisse.

k *Erátque vetus mos.*] Vt patet ex seq.

l *Nemausenses.*]Strabo lib. 4.

m *Postea liberalitate populi Romani.*] Hæc vsque ad clausulam, Lapsis deinde temporibus, magna ex parte sunt Cornelij Taciti lib. 11. in Oratione Claudij Imperatoris: & partim Ciceronis in Orat. pro Cor. Balbo. Nam & stipendiarios, ait, ex Africa, Sicilia, Sardinia, cæteris prouinciis multos ciuitate donatos videmus: & qui hostes ad nostros Imperatores perfugissent, & magno vsui reipublicæ nostræ fuissent, scimus ciuitate fuisse donatos. Seruos denique, quorum vis & fortunæ conditio infima est, bene de Republica meritos persæpe libertate, id est, ciuitate publicè donari videbamus. Et quibusdam interiectis. Itaque & ex Latio multi, & Tusculani & Lanuuini, & ex cæteris generibus gentes vniuersæ in ciuitatem sunt receptæ, vt Sabinorum, Volscorum, Hernicorum. Et de Hernicis quoque testis est Dionys. Halicarn. lib. 8. Sed his gentibus, quæ hic numerantur, adde Albanos, Latinos & Sabinos ex Liuio 4. Dec. libr. 10. in Orat. Q. Cæcilij Metelli.

n *Lapsis deinde temporibus.*] Hæc vsque ad clausulam, Inter quas. sunt Plinij libr. 3. cap. 8. & Pomponij Melæ & Solini.

o *Inter quas.*]Testis harum duarum Paulus in l. vlt. in princ. ff. de censib.

p *In Africa.*]Liuius lib. 2. c. 4. vbi ea nominat. Omnibus autem Africæ ciuitatibus datam Rom. ciuitatem satis patet ex Ælio Spartiano in vita Seueri in princ.

q *Vespasianus.*]Plinius lib. 3. c. 3. in fi.

r *Otho.*]Id iam dictū est suprà in verbo, Otho Lingonibus.

s *Claudius verò Cæsar.*] Tacitus libro 11. Sed & antè Iulius

In imperium adsciti. Athenienses. Periclis lex. Lacedemony. Helota. Inhospitalitas. Dirinoxeni. Quid Lacedemoniis & Atheniensibus fuerit exitio. Tyrtæus poëta. Atheniensium lex.

Hispannos,Britannos,Sauromatas.ciuitate donare,& rogatos videre statuit. Quinetiam non modò in iura ciuium,sed in imperium sæpe externos Romani adsciuere.[t] Primus enim Traiannus externus,[n] & deinceps alij ad imperium promoti feruntur. [x] Solon verò Atheniensibus, præter eos qui sacra & genus aut stirpem antiquissimam haberent, ius ciuitatis nulli peregrino dari mandauit, nisi ei qui aut perpetuo exilio patria pulsus esset, aut alicui us artis causa cum penatibus & domo Athenas commigrasset.[y] Postea Pericles legem tulit,vt hi soli Athenienses fierēt,qui vtroque parente Atheniensi ciue nati forent: [z] in tantum, vt Euagoras vix propter multiplicia beneficia ciuitate donari meruerit. [a] Qui etiam author fuit, vt ex non legitimo matrimonio editi,ciuium non censerentur numero: licet contra legem à se editam,illegitimum filium sibi superstitem,ciuis loco haberi voluerit: [b] Deinde inquilini & aduentitij passim in ciuitatem adsciti fuere,coacti,tributi nomine drachmas duodecim quotannis pendere: fœminæ verò,sex.[c] Lacedęmonij verò Lycurgi legibus & [d] Thebani,nouos incolas & peregrinam stirpem non admisere:sed ius ciuitatis & vrbis vsum peregrinis interdixere,victósq; armis pro alienis arcuere.[e] Finitimos tamen,quos Helotas nuncupant, [f] pari iure vixisse, & à Procli & Eurysthenis Heraclidibus descendentes,in ciuitatem adscitos fuisse comperimus. [g] Quinetiam peregrinis Spartam adire,omni tempore non licuit,quòd illorum commercia vitarent: [h] quare Dirinoxeni, quasi fallentes hospitem,dicti sunt.[i] Nec solum Spartæ peregrinos & conuenas non admiserunt:sed si qui ciuis Sparta discedens,apud exteros moraretur, capite luebat: [k] quibus nec peregrinari licitum erat,ne versutias & dolos à peregrinis haurirent.[l] Neque aliud Lacedæmoniis & Atheniensibus fuisse fertur exitio,(quanquam multum armis valerent)nisi quòd victos bello, osos haberent, nullóq; commercij iure dignos ducerent.[m] Qua de re Phocion Atheniensibus subiratus fuit, quòd filiū Spartam ad peregrina noscenda instituta dimisisset. [n] Tyrtæum tamen poëtam Lacedæmonij ciuitate donarunt,contra instituta maiorum:quod ideo factum Pausanias ait,nequando illis obiici posset,quòd peregrino duce vsi fuissent.[o] Atheniensibus quandoque lege cautum fuit,ne quis Atheniensium Mega-

ANNOTATIONES.

Cæsar Hispanos & Græcos in ciuitatem Ro. adsciuit,teste, Liuio 4.Decad.lib.4.

t *Primus enim Traianus.*]Fuit enim ex vrbe Tudertina, vt scribit Aurelius Victor in vita illius. At Paulus Orosius historiarum lib.7.c.13.& Eutropius lib. 8. dicunt illum fuisse Hispanum.

n *Et deinceps alij ad imperium.*]Nam & Septimius Seuerus Afer fuit,teste Spartiano in vita illius,in princ.

x *Solon verò.*] Plutarchus in illius vita. Ipsi tamen Athenienses Dipetem patrem Mnestæi illius,qui ad Troiam militauerat, & ciuem & Regem suum fecerunt,vt tradit Diodorus Siculus libro 1. Bibliothe.cap.5. non longè à fin. vbi & idem de Erichtheo & Ægyptio scribit. Sed& ipsi Rhodij ciuitatem,vt & illis Rhodij dedere apud Liuium 4.Dec. libr. 1. Et Cotyn. quoque Regem ciuitate donauerunt ex Val.Maximo lib.3.ca.7. Et Philippum Macedonem ex Plutarcho.

y *Posteà Pericles.*] Plutarch.in vita illius. Demosthenes in Oratio.contra Eubulidem, & in Oratione contra Nyceam. & Ælianus de Varia historia lib. 6. & 13. & diximus in nostris Commentariis Nobilitatis c.18.num.35.

z *In tantum vt Euagoras.*]Vide Isocratem in vita illius.

a *Qui etiam author fuit.*] Scilicet Pericles, ex Plutarcho in vita illius,& Æliano d.lib.13.

b *Deinde inquilini.*]Plutarchus.

c *Lacedæmonij.*]Dionys.Halicar.lib.2. cuius verba adducam in seq.Tacitus lib.11.Ælianus Variæ historiæ lib.13. vbi & idem dicit de Apolloniatis, & Nicolaus περὶ ἐθῶν. & ex eo Stobæus Serm.42.& Philostratus eius rei rationem reddens in vita Apollonij lib 6. c. 50. & vide Herodotum lib. 5. & quod dicemus in seq.

d *Et Thebani.*]Dionys.Halicar.lib.2. Græcè quidem,sed in hunc sensum scribit,quòd Thebani ob retinendam nobilitatem generis, vel nullos,vel raros in ius suæ ciuitatis admittebant:vt interim taceam morem pellendi,hospites,nec ipsorum iactantiæ conuenientem, & damnosum etiam in rebus plerisque. Spartiani certè post acceptam ad Leuctra cladem amissósque mille & sextingentos viros, nunquam posteà potuerunt ciuitatem suam inintegrum restituere,sed turpiter amiserunt Imperium.Itidem Thebani atque Athenienses vnico prælio victi ad Chæroneam à Macedonibus, mulctati sunt libertate simul & principatu Græciæ.

e *Finitimos tamen.*] De Lacedęmoniis tantùm loquitur,quorum Helotæ peculiari vocabulo agrestes dicuntur, de quibus sæpius dictum est in hoc opere:sed quantum ad id, de quo hîc agitur vide Liuium 4.Deca.lib.4.qui Ilotas esse dicit iam inde antiquitus castellanos,aggreste genus.

f *Pari iure vixisse.*]Strabo lib.8.Plutarchus in Lycurgo.

g *Quin etiam peregrinis.*]Plutarchus in Agide, & in Apoph. Laconum, quo loco antiqua Lacedæmoniorum instituta describit Nicolaus & Stobæus vbi suprà.

h *Quare Dirinoxeni.*] Δειρινόξενοι, à vocabulo Spartano δειρινεῖν, δειρεῖν,id est conuiciari,iniuriam facere, vt scribit Fauorinus in vocabulario.ita Dirinoxeoi sunt appellati,quòd hospitibus iniuriam facerent.

i *Nec solum Sparta.*] Plutarchus, Nicolaus & Stobæus vbi supra,& præterea idem Plutarchus in Lycurgo.

k *Quibus nec peregrinari.*]Plutarc.in eiusdem Lycurgi vita, non adeò longè à fi.& in institutis antiquis Lacedæmoniorum,quæ posuit inter eorum Apophtegmata.

l *Nec aliud Lacedæmoniis & Atheniensibus.*] Id iam diximus suprà in verbo, Et Thebani. ex Dionysio Halicarnassæo.

m *Qua de re Phocion.*] Hîc Alexander memoria lapsus est: nam contra Phocion filium suum Lacedæmonem adduxit, vt illic instituereretur.ob quod infensi illi fuerunt Athenienses,quòd peregrinam disciplinam illorum moribus prætulisset,vt tradit Plutarchus in illius vita.

n *Tyrtæum tamen poëtam.*] Plutarchus in Apophthegmatis Pausaniæ Cleombroti.Sed & idem Spartiatæ (vt id addas) Tisamenum Eleum & Hegiam eius fratrem, quód his maiorem in modum egerent,ciuitate donarunt,& eos quidem solos ex Herodoto lib. 9. Sed posteà Dionem ex Plutarcho in vita illius.Nec id interim omittendum quòd scribit Seneca libr. de beneficiis 1. quòd Alexandro magno, victori Orientis,Corinthij per legatos gratulati sunt,& ciuitate illum sua donauerunt.Cùm risisset Alexander hoc officij genus,vnus ex legatis, Nulli,inquit,ciuitatem vnquam dedimus alij quàm tibi, & Herculi libens accepit delatum honorem, & legatos inuitatione, aliáque humanitate prosecutus cogitauit, non qui ciuitatem darent, sed cui dedissent.

o *Atheniensibus quandoque.*] Plutarchus in Pericle. Aliter Gellius lib.6.cap.10.Decreto(inquit Gel.) suo Athenienses

cauerant,

tam pedem inferret, mulcta capitis indicta, quòd odio eos prosequerentur perniciali: ° pœnis, si quis vi tempestatis, aut hostium impetu ad eorum littora applicuisset, intra quintum diem abire cogebatur. ᵖ Carthaginenses quoque adeo peregrinos osos habebant, vt qui in Sardiniam aut Herculis columnas adnauigabant, mari demergerent. ᵠ quod de Scythis quoque proditum est, qui adeo peregrinos infestati fuerunt, vt eos omni vitæ commercio prohiberent: ʳ Anacharsim, quòd sacra Græco more faceret, occiderint. ˢ Idem de Scythotauris, qui pro hostiis aduenas immolabant, proditū est. Inter cæteros feruntur ᵗ Gamphasantes in intimis Lybiæ oris, adeo hominum commercia fugere, vt nulli se peregrino misceri sinant: ᵘ & Seres, qui cœtus & congressus fugiunt hominum, ita vt rerum precia oculis æstimantes, sua tradant, aliena non emant: scilicet arbitrati, iura ciuium cum peregrinis communicati non oportere. ˣ Apud Indos quoque, nisi triduo, hospitem diuertere minime licebat, ne ciues longo vsu dissimiles mores imbuerent, & in alienas leges ritúsque transirent. ʸ In Ægypto quoque apud Busirim & Cynospolim, hospites non diuertebant, neque admittebantur alieni. ᶻ qui omnibus ferè barbaris mos exoletus erat, vt hospites finibus pellerent. ᵃ Claudius quoque Cæsar peregrinos ferre gentilia Romanorum nomina vetuit edicto. ᵇ Proditúmque est de Epidauriis mirum, quòd quum Illyricos mores osos haberent, nec illorum commercia vitare possent, vt se à contagione accolarum seruarent immunes, ita cauisse, vt vnum seligerent ætate grauem qui solus ad illos penetraret, cum quo commercium haberent, quem poletem dixerunt. ᶜ Contra verò Germanis ius hospitij sanctissimum erat, hospitiísque ita enixè indulgebant, vt quemquam hospitum cum quo mensa fuisset communis & sacrificia, arcere tecto, aut auersari, nefas ducerent. ᵈ Idem apud Lucanos, quibus lege cauebatur, vt si quis Sole occaso diuertentes hospites notos ignotósque domo exigeret, κακοξενίας teneretur, mulctámque eo nomine pendere cogeretur. ᵉ Calabri quoque hospites comi hospitio benignè inuitant, pyra illis affatim apponendo. ᶠ Traditum tamen memoriæ est, quum inter Megarenses & Corinthios de imperio certaretur, captiuos in bello tam leniter habuisse, vt illos velut hospites inuicem tractarent, & sine pretio dimissos, doryxenos appellarent. Illis enim Iupiter ξένιος in præcipuo cultu erat, id est hospitalis. Quare milites cum hostibus extra aciem familiaria iura seruabant, in acie

Carthaginenses. Scythæ. Scythotauri. Gamphasantes. Seres. Indi. Ægypti.

Claudij edictum. Epidaurij.

Poletes. Ius hospitij apud Germanos. Lucani. κακοξενία. Calabri.

Iupiter Xenius.

ANNOTATIONES.

cauerant, vt qui Megaris ciuis esset, si intulisse Athenas pedem prehensus esset, vt ea res ei homini capitalis esset. Tanto Athenienses odio flagrabant finitimorum omnium Megarensium. & Diod. Siculus lib. 12.

p *Carthaginenses.*] Strabo lib. 17.

q *Quod de Scythis.*] Et quod inhumanius erat, eos immolabant authore Herodoto lib. 4. & Strabone lib. 7.

r *Anacharsim.*] Laërtius in vita illius.

s *Idem de Scythotauris.*] Lactantius lib. 1. cap. 21. & dicam pleniùs lib. 6. c. omnium postremo.

t *Gamphasantes.*] Plinius libr. 5. cap. 8. Gamphasantes, ait, nudi, præliorúmque expertes, nulli externo congregantur.

u *Et Seres.*] Solinus cap. 53. aut aliorum computatione 63. Seres, inquit, ipsi quidem mites, & inter se quietissimi. Aliàs verò reliquorum mortalium cœtus refugiunt, adeò vt cæterarum Gentium commercia abnuant. Primum eorum fluuium mercatores ipsi transeunt, in cuius ripis nullo inter partes linguæ commercio, sed dispositarum rerum pretia oculis æstimantes sua tradunt, nostra non emunt. Marcellini verba de Seribus peruenusta adscribere placuit ex libr. 23. Agunt, inquit, ipsi quietius Seres armorum semper & præliorum expertes, vtque hominibus sedatis & placidis est otium voluptabile, nulli finitimorum molesti. Et aliquot interiectis, Ipsi præter alios frugalissimi, pacatioris vitæ cultores, vitantes reliquorum mortalium cœtus. Cúmque ad coëmenda fila, vel quædam alia fluuium transierint aduenæ, nulla sermonum vice propositarum rerum pretia solis oculis æstimantur. Et ita sunt abstinentes, vt apud se tradentes gignentia, nihil ipsi comparent aduectitium.

x *Apud Indos.*] Philostratus in vita Apollonij lib. 2. c. 11. in princ. Dum isti, inquit, talia inter se colloquuntur, missi à Rege nuncij, vnà cum interprete superuenere, nunciantes Regem tridui hospitem sibi asciuisse Apollonium. Neque enim licet diutius peregrinis in vrbe morari.

y *In Ægypto quoque apud Busirim.*] Strabo lib. 7. authoritate Eratosthenis scribit, Communem Barbaris omnibus consuetudinem esse, vt hospites pellant.

z *Qui omnibus fere Barbarus.*] Strabo vbi suprà proximè. Nam & Britannis olim quidem Barbaros, vt hospitibus feros incessit Horatius lib. Car. 3. Ode 4.

Visam Britannos hospitibus feros.

Solinus cap. 34. eam gentem inhumanam incolarum ritu aspero appellat. Strabo lib. 4. Longè magis, inquit, quàm Britanni Syluestres illius sunt incolæ. Anthropophagi, id est, hominum carne vescentes, manduconésque magni. Hæc forsan talis fuit olim: nunc autem ea gens nulli alij cedit humanitate, hospitalitate & rerum omnium disciplina.

a *Claudius quoque Cæsar.*] Sueton. in vita illius cap. 26.

b *Proditúmque est de Epidauriis.*] Plutarchus problem. capit. 142.

c *Contrà vero Germanis.*] Cæsar libr. 6. Commentariorum Belli Gallici. Pomponius Mela lib. 3. cap. 3. vbi de Germania, Ius in viribus habent adeò, vt ne latrocinij quidem pudeat, tantùm hospitibus boni, mitésque supplicibus. Tacitus lib. de moribus German. Quemcunque mortalium, inquit, arcere tecto nefas habetur. Pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modò hospes fuerat, monstrator hospitij & comes, proximam domum non inuitati adeunt. Nec interest, pari humanitate accipiuntur, notum ignotúmque, quantum ad ius hospitij, nemo discernit. Hanc hospitalitatem, vt alia pleraque, quorum Tacitus meminit, etiamnum incredibili humanite Heluetij hodie custodiunt.

d *Idem apud Lucanos.*] Ælianus de Varia historia libr. 4. in princ. Heraclides in Politicis.

e *Calabri.*] Adde quòd apud Celtas gentem nostram grauiùs in illum animaduertebatur, qui peregrinum quàm qui ciuem occidebat huic enim exilium, illi mors pœna statuebatur, vt scribit Nicolaus περὶ ἐθῶν, & ab eo Stobæus Ser. 42. Cretenses quoque eorum quæ cœnantibus apponebantur, à peregrinis & hospitibus exordium faciebant: post hospites Principi portiones quatuor præbebant. vnam, quam etiam reliquis, alterā principalem, tertiam familiæ, quartam vtensilium, vt scribit Heraclides apud ipsos Cretenses magna humanitate peregrinos haberi, atque etiam ad gerendos magistratus sæpe vocari.

f *Traditum quoque memoria est.*] Id vsque ad clausulam, Græcis quoque, est Plutarchi Problem. c. 130.

Apud Græcos qui à vectigalibus immunes, & qui non.

vero pugnabant vehementissimè. [g] Græcis quoque dissimiles & longè dispares libertatis species fuere: siquidem non pari libertate fruuntur, aut vectigali & tributo premuntur omnes: quippe [h] Tenedij [i] & Hæmij vectigales erant, [k] Chij tributorum immunes & liberi, nauibus tantummodo præstandis obnoxij: [l] Cythera Laconiæ insula, hoc tantum premebatur onere, vt è Sparta præfectum quotannis acciperet ad reddendum iura. [m] Lacones præter amicorum ministeria, aliud nihil tributi nomine pendebant. [n] Vici quoque circa Babyloniam ad præbenda cibaria canibus Regum cogebantur, reliquis exempti oneribus. [o] Æthiopes verò tertio quoque anno binos semodios auri rudis Dario Regi pendere dicuntur, ducenos fasces ebeni, quinos pueros, & elephantorum dentes vigenos. [p] Sicut Colchi centenos pueros, & totidem virgines, reliquorum tributorum immunes. [q] Indi autem æquali omnes premuntur onere: nam quartam fructuum partem regibus annis singulis pendere coguntur. [r] Syri (vt inquit Vlpianus) à quartodecimo masculi, à duodecimo fœminæ ad quintum & sexagesimum annum tributa conferunt. [s] Leptis in Africa tantum vectigalibus valuit, vt singula in dies talenta Carthaginensibus vectigal penderet. [t] Sicut ex effossione æris in Macedonia, singula talenta in singulos dies Alexandro pendebantur. [u] Et Babylon Regi Persarum, singulis diebus singulas argento plenas artabas soluebat. Apud Romanos verò qui populi liberi erant, tributi nihil conferebant, [x] stipendiarij autem ad militum opus stipendia pendere cogebantur: [y] licet ex Cæsaribus plerique vectigalia noua & inaudita proposuerint, vt pro eduliis quæ tota vrbe vænirent, pro litibus atque iudiciis quadragesimam summæ: sicut [z] Caligula exegit ex gerulis octauam, ex prostitutis quantum vnaquæque vno con-

Romanorum vectigalia.

ANNOTATIONES.

g *Græcis quoque dissimiles.*] Id probat seq. exemplis.

h *Tenedij.*] } De his duobus sic Thucydides libr. 7. loquitur. Tenedij atque Hæmij vectigales erant.
i *Hæmij.* }

k *Chij.*] Idem Thucydides eod. lib. 7. Chij, ait, tributorum immunes sunt, tantùm nauibus præstandis obnoxij, cætera liberi.

l *Cythera.*] Idem Thucidides libr. 4. de ea loquens: Et ad quam magistratus ad ius dicendum quotannis ex Sparta transibat.

m *Lacones.*] Strabo lib 8. Et pristina, inquit, nonnihil dignitate reparata, præcipuo in honore fuerunt, & sua in libertate manserunt. Vt præter amicorum ministeria, aliud nihil tributi nomine conferrent.

n *Vici quoque circa Babyloniam*] Herodotus lib. 1. Prætereà canum Indicorum tanta alebatur multitudo, vt ad præbenda eius cibaria, quatuor in eadem planitie magni vici attributi essent, aliorum tributorum immunes.

o *Æthiopes verò.*] Herodotus lib. 3. & ex eo Plinius lib. 12. c. 4. Sesostris Ægypti Rex primùm Æthiopes, qui ad Meridiem spectant, agressus, victos acie tributum pendere compulit, hebenum, aurum & elephantorum dentes, vt scribit Diodor. Siculus lib. 2. c. 1.

p *Sicut Colchi.*] Herodotus d. lib. 3. Colchi quoque, inquit, inter dona ferentes repositi erant.

q *Indi autem.*] Diod. Siculus lib. 3. c. 10.

r *Syri, vt inquit Vlpianus.*] In l. ætatem. ff. de censib.

s *Leptis.*] Adde quod sub Romanorum imperio libera fuit, authore Hirtio lib. de bello Africo, & Plinio lib. 5. c. 4. Tandem à Iulio tricies centenis millibus ponderibus olei in annos singulos mulctata, ex eod. Hirtio eod. lib. in fine.

t *Sicut ex effossione æris in Macedonia.*] Nam & circa Philippos in Macedonia ferunt metalla inueniri, quorum ramenta crescant disiecta, aurúmque manifestum producant, vt tradit Aristot. Mirab. auscultationum.

u *Et Babylon.*] Herodotus libr. 1. Et adde quòd Cappadoces Persis quotannis pendebant, præter argentum, mille & quingentos equos, mulorum duo millia, ouium quinquaginta millia. Et duplum ferè horum Medi pendebant. Author vtrorúmque Strabo lib. 11. Aspendij Dario quinquaginta talenta, & equos tributi nomine dare solebant, vt prodit Arrianus Gestor. Alexandri lib. 1. Sed & eidem Dario Iones, Magnetes, qui in Asia incolebant, Æoles, Cares, Lycij, Melyenses, & Pamphylij (vnum enim erat idémque impòsitum illis tributum) pendebant quadringenta argenti talenta. Mysi autem, Lydi, Alysonij, Cabalij & Hygennenses quingena talenta. Phryges, Thraces, qui Asiam incolebant, Paphlagones, Mariãdeni & Syrij trecena & sexagena talenta, Cilices equos albos trecenos sexagenos, in dies singulos, singulos, nécnon talenta argenti quingena, quorum centena & quadringena erogabantur in eam Ciliciæ regionem, quæ equos producit: trecena autem & sexagena ad Darium ibant. Vrbs Possideum, præter Arabum partem (hæc enim erat immunis) trecena & quinquegena. Ægyptus & Afri illi contermini, Cyrena & Barca septingenta talenta, præter pecuniam ex piscario prouentu lacus Mœrios. Sattagydæ, Gandarij. Dadycæ & Apparytæ centena & septuagena. Susiani & cætera Cissinorũ regio trecena. Babylon & reliqui Assyrij millena, præterea pueros castratos quingenos. Ecbatani, & ab regione Medica, Parycani & Orthocorybantes quadragena & quinquagena talenta. Caspij, Pausicæ, Penthimati & Daritæ simul conferentes ducena talẽta. Bactriani ad Æglos vsq; trecena & sexagena. Pactyici & Armeoij, eorúmque contermini Euxino tenus ponto talenta quadringena. Sagartij, Saranges, Thamanæi, Vtij, Meci, & hi, qui rubri maris insulas incolunt sexcenta talenta. Sacæ, Caspij ducena & quinquaginta. Parthi, Chorasmij, Sogdi & Arij tricena. Paricanij & qui ex Asia sunt Æthiopes quadringena talenta. Mantieni, Saspiri & Alarodij ducena. Moschi, Tybareni, Macrones Mosynœci & Mardi trecenta. Indi tricena sexagena aureorum ramentorum. Et hæc quidem Herodot. lib. 3. Qui & paulò post subdit, Arabes millena quotannis talenta thuris pendere Persis solere. Thucydides autem lib. 1. belli Peloponnes. non adeò longè ad fin. tradit Magnestam Asiæ quotannis quinquagena talenta Artaxerxi pependisse. Aristoteles Mirabilium Auscultationum, cap. 34. tradit Pœones Regi pendere duas glebas auri, quarum altera duas, altera tres libras appenderet. Chersonesus Mithridati Eupatori modiorum 180, millia frumenti tributi nomine soluebat, cum ducentis argenti talentis, ex Strabone libr. 7. Et quòd Cæsar Galliæ tributi nomine annuum imperauit sestertium quadringenties, vt tradit Eutropius de gestis Rom. lib. 6. c. 5. ad fi.

x *Stipendiarij autem.*] Cic. 1. in Verrem action. Socij stipendiariíque pop. Ro. afflicti, miseri. Idem pro Cornelio Balbo. Quæ pateant stipendiariis, pateant hostibus.

y *Licet ex Cæsaribus.*] Quod probat exemplis sequentib.

z *Sicut Caligula.*] Sueton. in vita illius cap. 40. in princ. Vectigalia, inquit, noua, atque inaudita primùm per publicanos, deinde, quia lucrum exuperabat, per Centuriones Tribunósque prætorianos exercuit, nullo rerum, aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro eduliis, quæ tota vrbe vænirent, certum statúmque exigebatur. Pro litibus atque iudiciis, vbicunque conceptis, quadragesima summæ, de qua litigaretur, nec sine pœna si quis composuisse, vel donasse negotium conuinceretur. Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octaua: ex capturis prostitutarum,

cubito mereret.[a] Vespasianus quoque vectigalia reuocauit noua, & grauia prouinciis auxit.[b] Alexander Seuerus braccbariorum, linteonum, citrariorum, pellionum, plaustrariorũ, argentariorum, aurificum, & aliarum artiũ vectigal instituit: ex quo thermas quas fundauerat, pluribus vsibus ornauit.[c] Antiquis etiam Romanorum, ex agris & noualibus decima seminum dabatur vectigalis nomine: namque aratores decimam frumenti populo Romano pendere cogebantur.[d] Tiberius Cæsar centesimam rerum venalium, in ducentesimam relaxasse dicitur.[e] Et Nero in initio sui principatus, quo gratiam popularem aucuparetur, quintam & vigesimam venalium mancipiorum remisisse,[f] & Traianus, vectigal vigesimarum sustulisse.[g] Proditúmque memoriæ est, quum in dubium veniret, qui liberi essent populi, quíve stipendiarij, à M. Antonino publicos tabellarios institutos, vt si in prouincia quispiam causam liberalem diceret, per eos testationes libertatis, & alia immunitatis documenta Romam ferrent.[h] Minorem vero libertatem, seu mediam, ij assequi dicebantur, qui manu à prætore emissi, non Romani ciues, sed Latini nominis tantum ex lege Iunia Norbana fiebāt: vel suprema voluntate domini testamento, si eum hoc expresso manumisisset: aut si inter amicos dextra apprehensum, ad se conuertens, liberũ esse iussisset. Hi enim his immunitatibus, quæ Latinis populis societate & fœdere iunctis indulta erant, fungebantur. Nam & in vrbe vt Latini censebantur, & in castris vt milites ex Latinis coloniis, non vt externi, aut leuium armorum auxiliarij, stipendia merebant.[i] Fuitque obseruatum vt quiuis ciuitatis haberet, si Latinas colonias incoleret, non ideo solum vertisse, aut ius ciuitatis amisisse putaretur.[k] Et quamuis in Romanis castris, qui militabant, si quid deliquissent, si externi, flagellis & virgis: si vero Romani ciues forent, vitibus cæderentur,[l] tamen Liuius Drusus & C. Gracchus tribuni pleb. ne liceret quempiam Latini nominis virgis afficere, sed vitibus, plebiscito sanxerunt, in hac re Latinos populos Romanis coæquantes.[m] Tertiam denique libertatē, quam minimam dixere, assequuntur hi, qui manumissi nec ciuitatem, nec ius Latij habentes, dedititiorum numero censentur: qui nullis priuilegiis fulti, viuentes liberi erant, & velut ingenui munia publica priuatáque obire, magistratúsque & cætera dignitatis ornamenta, quæ libero debentur, assequi poterant: morientes autem, vitā vnà & libertatem amittebant: ideo decedentes neque testari poterant: neque post obitum de bonis disponere, præter patroni voluntatem, adeo vt eorum bonis, quasi serui peculio, manumissores potirentur. Quòd etiam cum Latinæ libertatis hominibus multi commune dixerunt.[n] Fuere autem dedititij, qui victi armis, & in fidem recepti, tantum ne seruirent, néve sub mancipio essent, immunes facti sunt: cuius etiam generis feruntur serui, qui post admissa crimina suppliciis subditi, aut publicè pro criminibus cæsi, vel in quorum facie notæ seruitutis impressæ fuerunt.[o] Diuque hæc discrimina libertatum & dissimiles species fuere. donec sequuti principes, perpæsi multiplices variásque libertates dari, veteribus legibus abrogatis, nouísque adscitis & cooptatis, exæquato omnium iure, statuerunt, vt manumissi apud prætorem, plenam assequantur ciuitatem & libertatem: vnde abusus inualuit postea, deprauatis moribus, vt multi serui per rapinas & furta quæsitis pecuniis libertatem à dominis emerent, statimque liberi & ciues Romani fierent.

Minor seu media libertas.

Externi milites virgis. Romani vitibus cædebantur.

Minima libertas.

Dedititij.

l. 7. C. de lati. liberta toll. & lib. 7. C. de dedit. libert. tol.

Manumissorum plena libertas.

ANNOTATIONES.

turarum, quantum quæque vno concubitu mereret.

a *Vespasianus.*] Suetonius in vita illius, c. 16. in princ.

b *Alexander Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita illius.

c *Antiquis etiã Romanorum.*] Sic Philippus Macedo Thraces validis copiis aggressus, aliquot præliis commissis, semper victor, debellatos ad id compulit, vt decimas regno Macedoniæ exoluerent, vt tradit Diod. Siculus lib. 16. c. 18.

d *Tiberius Cæsar.*] Cornelius Tacitus lib. 2. vbi de Cappadociæ regno loquens, Regnum, inquit, in prouinciam redactum est, fructibúsque eius leuari posse centesimæ vectigal professus Cæsar, ducentesimam in posterum statuit. Vide tamen eundem ad fin. lib. 1.

e *Et Nero.*] Corn. Tacitus lib. 13.

f *Et Traianus.*] Sed non omnino, vt videre licet ex Plinio in Panegyrico, cuius hæc verba sunt, His vigesima reperta est tributum tolerabile, & facile hæredibus duntaxat extraneis, domesticis graue. Itaque illis irrogatum est: his remissum: videlicet quod manifestum erat, quanto cum dolore laturi, seu potius non laturi homines essent, distringi aliquid & abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent: quæque nunquam, vt aliena & speranda: sed vt sua semperque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cœpissent.

g *Proditúmque memoriæ est.*] Iul. Capitolinus in vita M. Antonini Philosophi, qui tamen paulò aliter scribit.

h *Minorē verò libertatem.*] Postliminio veluti redit ad principale suum institutum. Suprà enim post prin. dixerat apud Romanos tres fuisse libertatum species. Primam, quæ maior dicebatur, quam suprà latè exequutus est, adiectis multis appendicibus. Nunc ad minorem accedit. Idque totum vsque ad clausulam, Fuitque obseruatum. depromptum est ex Græcis & Latinis Institutionibus, vbi suprà citauimus in maiori libertate.

i *Fuitque obseruatum.*] Nam ciuitas vniuerso Latio lege Iulia data est, vt tradidere Ser. Sulpitius in libro de Dotibus & Neratius in lib. de nuptiis, & ex his Gellius lib. 4. c. 4. vt & alibi diximus.

k *Et quamuis.*] Plinius lib. 14. c. 1. Cornelius Tacitus lib. 1. & Iuuenalis de Mario loquens sat. 8.

Nodosam post hæc frangebat vertice vitem.
Si lenius pigra muniret castra dolabra.

l *Tertiam Liuius Drusus & C. Graccus.*] Plutarchus in Gracchis.

m *Tertiam denique libertatem.*] Ex dictis Institutionibus.

n *Fuere autem dedititij.*] Instit. de libertinis. §. libertinorum autem. Dedititij autem serui sunt, qui ex obsidione se dediderunt in potestatem victoris.

o *Diúque hæc discrimina.*] Hæc videre licet ex dd. Instit. vbi suprà & præterea in §. vlt. instit. de success. libert. & l. 1. C. de dedit. lib. tol. & l. 1. per totum C. de lat. libert. tol.

Qui fuerit modus consulendi senatus, & vbi haberi, & quo pacto suffragia ferri solerent, & quid apud exteros.

CAPVT. XI.

a Senatorem

SENATORES [a] à Romulo centum creatos fuisse, qui [b] ob honorem patres, eorúmque progenies patritij dicti sunt: quorum cōsilio respublica niteretur domi forísque, multi prodidere. Deinde communicata vrbe cum Sabinis & Tatio, idem Romulus alios centum legit in patres explens numerum ducentorum. [c] Postea Tarquinius Priscus, in orbitate senatus legisse centum alios fertur, minorum gentium appellatos, [d] tametsi à Bruto familias minorum gentium inuentas nonnulli credant. [e] Primus enim Valerius Publicola, post exactos Reges, patrum numerum à Superbo cædibus imminutum expleuit, & amplissimum ordinem auxit, quatuor [f] & sexaginta supra centum ex equestri ordine in concilium cooptatis, [g] ita vt trecentorum numerum faceret, [h] qui Adlecti dicti sunt. Quos enim post exterminatos Reges, ætate graues, spectatæque probitatis videbant, senatui tanquam grauissimo sanctissimóque concilio adscribebant. Quos quidem, quum alij in locum decedentium suffecti, & in senatum literis adscripti essent, [i] conscriptos vocarunt, [k] modo plures, modo pauciores, ita vt frequens senatus, & quicquid erat patrum ex ferè trecentis senatoribus constaret. [l] Et quum Iulius Cæsar supra mille senatores, belli casibus imminuto ordini adsciuisset, Augustus Octauius selectos & perpurgatos duabus lectionibus, remotis indignissimis, in pristinum decorem reuocauit. [m] Hique veluti præsides & reipub. custodes, tantæ authoritatis fuere, vt si populus Regem aut magistratum quempiam iussisset, id sic ratum foret, si senatus author fieret. [n] Leges quoque à populo latæ, haud aliter ratę fuerunt, quam si patrū consensu approbarentur. In reliquis vero ita præscripta senatus potestas erat, vt iudicium populi authoritate senatus rescindi non posset. [o] Athenis vero senatus fuit quingētorum, qui vnà cum tribunis & quæstoribus, senésque cum iunioribus, de rebus singulis decernebant. [p] Postea areopagitæ sanctior senatus à Solone delectus est: quorum consilio librata moderatione, ciuitatis iura seruabantur, bella indicebantur, lites explicabantur. [q] Nonnunquam eumolpidæ & præcones publico concilio præfuere. [r] Maximum vero, à mille & quadringentis gerebatur, cui arnophoron dixere nomen: in quo vnà & senatus & populus aderat. [s] Lacedæmoniorum senatus ex duodetriginta senibus cōstabat, [t] qui nisi sexagesimum implessent annum, in senatum adscribi non poterant. [u] Apud Epidaurios centum octoginta rempub. administrabant, ex quibus nobilissimos popularium deligebant senatores, quos artinos vocabant, & conipodes. [x] Carthaginensibus pro senatu præfuere seniores, nonnunquā iudicum ordo qui perpetuus erat magistratus, & nunquam nisi cum vita desinebat. [y] Cato apud Vticam trecentorum concilium legit: [z] Massilienses sexcentos, quos thy-

Patres centum. Patritij. Patres ducenti. Patres trecenti. Patres minorum gentium. Adlecti. Patres conscripti. Senatores Ro. 1000. Iul Cæsar. Au. Oct. Senatus authoritas. Athenis quingentorum. Areopagitæ. Eumolpidæ & Præcones. Arnophoron. Lacedæmoniorum senatus 28. Epidaurij. Artini. Conipodes. Carthaginenses. Vticenses Massilienses.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

a *SEnatores à Romulo.*] Id principium vsque ad clausulam, Posteà Tarquinius. est Liuij 1. Dec lib. 1. & Plutarchi in Romulo.

b *Ob honorem patres.*] Vel, vt dicit ipse Plutarchus, quòd hi solùm qui legitimi patres forent creari possent: vel hinc adeò, quòd illi patres suos ostendere possent: quod nó multis contigit ex primis illis conuenis. Vel à patrocinio id nomen fluxit, quòd existimarēt patronum quendam fuisse, ex his, qui Euandrum consequuti sunt, qui imbecillorum curā gessisset, eísque præsidio fuisset, ab eo huic rei eiusmodi appellationem mansisse. Vel, quod sibi probabilius videtur, quòd primores & potētes oporteret paterno officio & indulgentia, humiliorum causam in fidē curámque suscipere.

c *Posteà Tarquinius Priscus.*] Liuius d. 1. Dec. lib. 1. & Dionysius Halic. lib. 3.

d *Tametsi à Bruto.*] Cornelius Tacit. in Oratione Claudij Cæsaria.

e *Primus enim Val. Publicola.*] Plutarch. in vita illius. Liuius 1. Dec. lib. 2. post princ.

f *Et sexaginta suprà centum.*] Plutarch. vbi suprà, & Festus Pomp. lib. 15.

g *Ita vt trecentorum numerum.*] Liuius 1. Decad. libr. 2. post princ. Dionys. Halicar. lib. 7. Plutar. in Gracchis.

h *Qui Adlecti dicti sunt.*] Festus Pomp. libr. 10. Lectos autem simpliciter vocatos dicit Liuius vbi suprà.

i *Conscriptos vocarunt.*] Festus Pompeius vbi suprà. Plutarchus tamen Problem. c. 58. & in Romulo ex plebe electos & in senatum adscriptos, Conscriptos vocatos fuisse dicit.

k *Modò pluros, modò pauciores.*] Nam Cicero in Oratione, quam pro reditu suo habuit, quadringentos decem annumerat. & vide in seq.

l *Et cum Iulius Cæsar.*] Id vsque ad clausulam Hique veluti. sunt Suetonij in Augusto, c. 35.

m *Hique veluti præsides.*] Liuius 1. Dec, lib. 1. Decreuerant enim, vt cùm populus Regem iussisset, id sic ratum esset, si patres authores fierent.

n *Legésque à populo latæ.*] Liuius ad ea, quæ ex eo diximus in præcedentibus hæc addit, Hodiéque in legibus magistratibúsque rogandis vsurpatur idem ius, vi ademptum, priusquam populus suffragium ineat, in incertum comitiorum euentum Patres authores fiunt.

o *Athenis verò.*] Plutarchus in Demetrio, Pollux libr. 8. Onomasticôn, Pausanias lib. 1. vbi eos dicit fuisse annuos.

p *Postea Areopagitæ.*] Cicero lib. 1. Offic. non semel. Plutartarchus in Solone. Aristot. autem lib. 2. Politicôn c. 10. non à Solone, sed ante eum ab alio senatum delectum fuisse.

q *Nonnunquam eumolpidæ.*] Vide Plutarchum in Alcibiade non adeò longè à prin. nec in vno tantum loco. Eumolpidæ autem dicti sunt sacerdotes, seu magistratus Athenis, in memoriam & honorem Eumolpi Regis, quem Ægypti generis fuisse Diodorus refert.

r *Maximum verò.*] Plutarchus in Pericle scribit Agonem (vide Græcum) decreuisse, Athenis à mille & quadringentis iudicibus iudicium fieri, cùm quis furti, aut ambitus, aut iniuriarum litem æstimari vellet.

s *Lacedæmoniorum senatus.*] Herodotus lib 6. Aristotel. lib. 2. Politicôn c. 7. & Plutarchus in Lycurgo.

t *Qui nisi sexagesimum.*] Vide eosdem. Sed & apud eosdem erant trecenti, inter quos cùm Pædaretus non esset adscriptus, qui honos apud Spartanos primam dignitatem obtinebat, repulsus discessit hilaris ac ridens: reuocantibus autem Ephoris, quidque rideret percontantibus, Gratulor, inquit, huic reipublicæ, quæ trecentos habeat ciues multò meliores. Plutarchus author in Apophthegmatis Pædareti & ex eo Erasmus.

u *Apud Epidaurios.*] Plutar. probl. 114.

x *Carthaginensibus.*] Liuius 3. Dec. lib. 10. & 4. Dec. li. 4. ad fi.

y *Cato apud Vticam.*] Scilicet Vticensis, apud Plutar. in vita illius. & Appianum bellorum Ciuilium 2.

z *Massilienses sexcentos.*] Strabo lib. 4. non multò post prin. Massilienses, inquit, rem vrbanam per optimates & Aristocratiam regentes, omnes legum æquitate superant, consiliū sexcentis ex viris instituentes, qui quoad vita supersit, id honoris genus habent, quos Thymuchos, id est honorificos appellant.

muchos appellarunt: ex quibus quindecim Principes, tres præsides erant, authoritate & opibus longè primi:[a] nemóque thymuchus fieri poterat, nisi qui iustos filios haberet.[b] In Gnido sexaginta præfuere ex optimatibus, amnemones appellati, ad quos de rebus maximis referebant: qui vero sententiam rogabat, aphester dictus est.[c] Achæi commune concilium, arnarion vocarunt: qui de rebus publicis consulturi, in Iouis luco Ænario coibant, cui decem præsidebant.[d] quos demiurgos vocatos ferunt.[e] Sicut Bithyni & Galatæ concilium trecentorum, in locum[f] Dryminetum aduocabant.[g] Apud Argiuos octoginta viri. Idē apud Mantinenses. In Elide autem sexaginta senatus vice fungebatur.[h] Cretenses decem habuere præfectos, qui de rebus maximis decernebant.[i] Apud Bithynos minorem annis triginta in senatum adsciscere non licet. Ætolorum concilium multiplex fuit,[k] quod apolectum nūcupant.[l] Maximum vero Crotoniatarum concilium erat, nec facile explicatu, & turbulentæ confusionis, in quo si quid consulto statuendum erat, mille delectos consulebant viros, vbi præ tumultu minus decerni quicquam lege poterat.[m] Sicut apud Seres maximus ordo ex quinque millibus cōsiliariis fiebat, qui in apparatu belli elephantem singuli præstare tenebantur.[n] Q. Hortensius tribunus pleb.[o] deinde Philo dictator legem tulere, vt plebiscita omnes Quirites tenerent,[p] vtque leges à populo latæ, ritè promulgatæ non essent, nisi post initum populi suffragium patres authores fierent.[q] A primo verò vrbis ortu, post exactos reges, de nulla re populus diiudicasse, aut suffragia tulisse traditur, nisi ex consulto senatus. Prius enim iubebat populus, deinde confirmabat senatus,[r] quod æuo subsequente fieri desitum est: nam de his quæ plebs sciuit, non senatus, vt prius, diiudicabat: sed depranato vsu, de his quæ senatus cognouerat, populus iudex erat: quod à Lacedæmoniis seruari meminimus, vt sententiā quam senatores regésque censuerant, populo decernendi corrigendique facultas foret, iubente Lycurgo, qui cooptandi senatus, & legendi quos vellet magistratus, ius populo dedit.[s] Contrà Atheoienses, iubente Alcibiade: nam omne regimen & summam imperij à populo ad senatum transtulere.[t] Sylla quoque dum rerum potiretur, trecentos legit senatores, sanxítque vt nisi ex consulto senatus, nihil ad populum ferretur.[u] Erat igitur senatoris officium, tam de promouendis magistratibus, prouinciisquè administrandis, quàm de bellis, triumphis, supplicationibusque decernendis, déque præsidibus in prouincias, & auxiliis summittendis, de lege, de fœdere & pactionibus, ac tuta gerenda repub. liberè sentire, ac fortem constantémq; sententiam dicere.[x] Neque enim in administranda republica gerendóque imperio, quicquam bello vel pace decerni poterat, nisi patrum authoritate, & decreto senatus.[y] Quippe senatui de rebus omnibus decernendi libera facultas erat, nisi in magistratibus creandis, &

T hymuchi. Gnidi. Amnemones. Aphester. Arnariō. Demiurgi. Bithyni. Galatæ. Argiui. Mantinenses. Elienses. Cretenses Ætoli. Apolectū. Crotoniatæ. Seres. Q. Hortensii & Philonis lex. Senatus authoritas. Lacedæmonij. Athenienses. Senatoris officium.

ANNOTATIONES.

appellant & Val. Maximus lib.2.c.1. & Lucianus in Toxari.

a *Nemóque timuchus.*] Idem Strabo vbi suprà paulò post, Verùm, inquit, ea his nemo Timuchus creatur, qui liberos non habet, néve de ciuium sanguine, tertiam per generationem ortus sit. Ex quo intelliges timuchos τιμοῦχος, esse legendum: id est honore præditos.

b *In Gnido.*] Plutarch. problem. c.116.

c *Achæi.*] Strabo lib.8. Commune, inquit, consilium vna in curia cogebant, quod Arnarium vocabant.

d *Quos demiurgos.*] Liuius 4. Decad. lib.2. & lib.8.

e *Sicut Bithyni & Galatæ.*] Strabo de his duobus lib.12.

f *In locum Dryminetum.*] Liuius 4 Decad. lib.2. & 8. Strabo vbi suprà. Duodecim Tetrarcharum consilium, qui erant viri trecenti, & in locum conueniebant nomine Drynæmetum, consilium de sanguine, de rebus cæteris tetrarchæ ac iudices iudicabant.

g *Apud Argiuos.*] Hæc vsque ad clausulam, Cretenses. sunt Thucydidis.

h *Cretenses.*] Aristoteles lib.2. Politicôn c.8. & Strabo li.10.

i *Apud Bithynos.*] Appianus libr.4. vbi eam legem latam esse dicit à Pompeio, victo Mithridate, Ne quis in senatu legi possit minor 30. annorum. Cuius legis etiam meminit Plinius lib. epistol.10. epist.84. incipiente, Cautum est.

k *Quod Apolectum.*] Liuius, qui Apocletum (nisi mendum sit) nuncupat, vbi dicit, Concilium quidem vniuersæ gentis post dimissos Romanos nō habuerunt, per apocletos autem (ita vocant sanctius concilium; quod ex delectis constat viris) id agebant. Rursúmque postea eodem lib. vbi hos triginta fuisse dicit. lib.6. Apolectos, vt hîc Alexander vocat. Vbi, inquit, in concilio delectorum, quos apolectos vocant. Horum quoque meminit Suidas.

l *Maximum verò Crotoniatarum.*] Valerius Maximus lib. 8. c.16. vbi loquitur de Pythagora, Enixo Crotoniatæ, studio ab eo petierunt vt senatum ipsorum qui mille hominum numero constabat, consiliis suis vti pateretur.

m *Sicut apud Seres.*] Strabo lib.15.

n *Q. Hortensius Trib. pleb.*] Hic deceptus est Alexander, neque enim Hortensius Trib. plebis, sed Dictator eam legem tulit. Plinius lib.16. c.10. & Gel. lib.15. cap. 37. Vide Liuium Dec.1. lib.3. Et huius legis meminit Pomponius in l.2. §. deinde cum esset. & Iustinianus in §. Plebiscitum. Inst. de iure nat. gent. & ciuili. L. Florus epit. Liuij lib.11, & D. Augustinus de ciuit. Dei lib.3. c.17.

o *Deinde Philo Dictator.*] Liuius 3. Dec. lib.8.

p *Vtque leges à populo latæ.*] Aliter videtur dicere Liuius vbi proximè citauimus, sed vide suprà in verbo, Legésque à populo. & infrà in verbo, Pacésque & fœdera.

q *A primo verò vrbis ortu.*] Vide in eodem illo verbo, Legésque à populo.

r *Quod æuo subsequente.*] Vide Dionysium Halycarnasseum lib.2. vbi ita scribit, Ferebat autem suffragia non vniuersus populus, sed per curias, & quidquid visum fuisset pluribus curiis, id ad senatū referebatur: qui mos nostra ætate mutatus est. non enim senatus plebis scita, sed plebs Senatusconsulta suo assensu comprobat. vtra verò consuetudo sit potior, aliis considerandum reliquimus.

s *Contra Athenien.*] Vide Plutarc. in Alcibiade.

t *Sylla quoque.*] Plutarchus in vita illius.

u *Erat igitur senatoris officium.*] Super his omnibus quæ senatum aut senatorum potestatem concernunt, vide omnino Polybium lib.6.

x *Neque enim in administranda Repu.*] Neque etiam bellum nisi consulto senatu, indici poterat, teste Liuio 4. Dec. lib.5.

y *Quippe senatui.*] Hæc vsque ad clausulam, Pacésque & fœdera. sunt Dionys. Halicar. libr.2. loquentis de Romulo. Plebi autem, inquit, tria hæc commisit. Magistratus facere, leges seruare, de bello referente Rege decernere: ita tamen vt senatus quoque in his accedat authoritas. Et lib.4. Diximus, inquit, anteà quod iam olim penes populum trium horum erat arbitrium creādi magistratus tam domi, quàm militiæ, leges abrogandi, vel confirmandi, bellum pacémve decernendi. Et lib.6. Scitis sanè legem nobis esse iam inde

ab vrbe

Populi prærogatiuum.

legibus sanciendis, aut si in hostes arma mouenda, vel à bello recedendum, [z] pacésque & fœdera nicuoda forent, tunc enim sine populi iussu senatum nihil sentire vel decernere posse liquet. [a] Prouinciarum tamen decernendarom, imperatorisque deligendi iudicium, atque [b] ærarij dispensandi muous, ad senatum sine popnlo semper spectasse, nemo dubitauit, [c] tametsi populom Romanũ contra senatus decreta prouiocias nonnunqam demandasse legamus. [d] Pacta quoque spoosionésque iniussu populi facta, & si per senatum postulata aut consules, populum nõ tenere nulliúsque roboris esse haud dubium est. [e] Senatores quoque, vel à dictatore. legendi senatns causa, [f] vel à censoribns, [g] seu triumuiris, qui ius legeodi senatus habebant, & eos ex [h] gente patritia, Romanos primum ciues, summa dignitate & [i] amplis honoribus functos, legi & cooptari solitos inuenimns: [k] deinde, ex ordine equestri: [l] postremo, plebeios & vltimæ sortis, per gratiam & libidinem, census habita ratione, non morum: nonnunquam libertinorum filios. [m] Appios enim Claudius Cæcus, dum censuram ageret, filiis libertinorum in senatum adscitis, ordinem inquinasse dicitur primus. [n] Nec longo post interuallo, exteræ gentes & transalpinæ nationes, senatorum iura in vrbe adipisci, & in senatum admitti meruere. [o] Primíque Hedui, qui iura fraternitatis cum Romanis habebant: [p] deinde alij illorum exemplo admissi in senatum, & ius suffragij habuisse feruntur. [q] Nero vero, quamuis præceps & furibundus, libertinorum filios diu in curiam non adsciuit, admisósque gradu deiecit. [r] Augustus Octauius tanti senarores fecit, vt siogulos nominatim sedentes in curia salutaret: & discedens, nullo se mouente, vale diceret. [s] Vespasianus quoque non oportere maledici seoatori, remaledici autem ius esse respondit. [t] Alexander Seuerus Imperator nullum in senatum admisit, neque laticlauum ademit aut pœna affici passus fuit, n si de consilio senatus. Quod [u] diuus Nerua [x] & Hadrianus iurauerat, se nullum senatorum nisi ex consulto senatus puniturum: [y] qui cum libertum suum inter duos seoatores mediũ ambulantem vidisset, misit qui illum colapho cæderet, indignum arbitratus, præripere illis hoootem, quorum poterat esse seruus. Tantæque dignationis habiti sunt, vt [z] Tiberins Cæsar illis quandoque assurgeret, & de via decederet. [a] Claudius quoque tanti senatores fecit, vt de maiore

Qui & quomodo senatores eligebantur.

Appius Clau. ordinem senatoriũ inquinauit.

Exteri in senatum admissi.

Senatorũ honos.

ANNOTATIONES.

nb vrbe condita, quæ omnia in senatus potestate facit, præter magistratuum creationem, legum lationem, & belli inferendi finiendíve arbitrium. Horum trium potestatem esse penes suffragia populi. Sed & quod hîc dicitur de bellis inferendis & finiendis est Polybij dicto libro 6.

z *Pacésque & fœdera.*] Polybius vbi suprà, In populi voluntate (ait) & pax consistit & bellum: & de sociorum auxilio, conciliatione & fœderibus iudicat. Et paulò post, Populi est conciliationes, & fœdera vel confirmare, vel irrita reddere. Et Liuius 3. dec. lib. 10. vbi loquitur de fœdere inito inter Romanos & Carthaginenses: & dicetur infrà lib. 5. cap. 3.

a *Prouinciarum tamen decernendarum.*] Cicero in Pisonem. Quam prouinciam P. Leotulus, amicissimus huic ordini, quum & authoritate senatus & sorte haberet.

b *Ærarij dispensandi munus.*] Polybius lib. 6. Senatus primùm ærarij potestatem habet. Et enim in ipsius arbitrio sunt & reditus & sumptus.

c *Tametsi populum Ro.*] Liuius 3. Dec. lib. 8. Et acturum se id per populum apertè ferret, si senatus aduersaretur.

d *Pacta quoque.*] Liuius 1. Decad. lib. 9. Sponsione nbstrinxi: qua tamen, quando iniussu populi facta est, non tenetur populus Ro.

e *Senatores quoque.*] Lioius 3. Dec. lib. 7.

f *Vel à censoribus.*] Liuius 3. Decad. lib. itidem 7. vbi loquitur de M. Cornelio Cethego, & P. Sempronio Tuditano Censoribus.

g *Seu Triumuiris.*] Gell. lib. 14. cap. 7. dicit Triumuiros reipub. constituendæ causa creatos, ius coosulendi senatum habuisse.

h *Ex gente patritia.*] Primùm enim sanatores non oisi ex gente patritia deligebantur.

i *Amplis honoribus functos.*] Liuius 3. Dec. lib. 3. vbi loquitur de suffectis loco Senarorũ, qui apud Cannas occubuerunt.

k *Deinde ex equestri ordine.*] Cicero in Consulatu suo scribit. Ab illo tempore planè hoc tertium corpus in Repub. factum est, cœpítque adiici senatui pop. Ro. Equestrem ordinem, Seminarium senatorum esse dicebat. Alexander Seuerus apud Ælium Lampridium in vita ipsius. Ideóque, loquit, nunquam libertinos in eum locum redegit.

l *Postremo plebeios.*] Suetonius in Augusto, cap. 35. Senatorum affluenté numerum deformi & incondita turba (erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmium allecti, quos abortiuos vulgus vocabat) ad modum pristinum, &c.

m *Appius enim Claudius Cæcus.*] Liuius 1. Decad. lib. 9. in fi. Plutarchus in Fabio Maximo. Sed vide Sueton. in Claudio, cap. 24. Sabellicus lib. 9. Enneadis 4. in fi. Plinius Secundus, si is est, cap. 32. & 34. Meminit qooque Volaterranus libr. 16. cap. 1.

n *Nec longo post interuallo.*] Vt constat ex seq.

o *Primíque Hedui.*] Cornelius Tacitus lib. 11. in Oratione Claudij Cæsaris, Primi, inquit, Hedui senatorum in vrbe ius adepti sunt. Datum id fœderi antiquo. & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Ro. vsurpant.

p *Deinde alij.*] Nã Annius Verus, proauus paternus M. Antonini Philosophi Imperatoris, prætorius ex Succubitano municipio ex Hispania factus est senator Ro. vt tradit Iul. Capitolinus in vita M. Antonini in princ.

q *Nero verò.*] Suetonius in vita illius, cap. 15. In curiam libertinorum filios diu non admisit, admissisque à prioribus principibus honores denegauit. Sed & longe antè tempore Q. Fabius Rullus, aut, vt alij vocant, Rutilianus, Censor, diuites quosdam viros ex libertinis genitos è senatu amouit. Ex quo Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione quæsiuit. Plutarchus in Pompeio, & Liuius Dec. 1. lib. 9.

r *Augustus.*] Suetonius in eiusdem Augusti vita, c. 53.

s *Vespasianus.*] Hæc de eo Sueton. c. 9. scribit. Non oportere maledici senatoribus, remaledici ciuile, fasque esse.

t *Alexander Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita illius.

u *Nerua.*] Dion in eiusdem vita, Iurauit, inquit, in senatu, nullum è senatoribus suo iussu interfectum iri: idque iusiurandum facta etiam coniuratione contra se, ratum habuit.

x *Hadrianus.*] Ælius Spartianus io vita illius.

y *Qui cùm libertum suum.*] Ex eodem Spartiano in Hadriano, & vide nostros Commentarios de iure Primigeniorum in præfatione ou. 117. incip. Suetonius.

z *Tiberius Cæsar.*] Sueton. in eodem c. 33.

a *Claudius quoque.*] Suetonius in eiusdem vita, cap. 23.

negotio acturus in senatu, medius inter consulum sellas tribunitio subsellio sederet. Contrà [b] Heliogabalus vniuersum senatum adeò floccifecit, vt senatores omnes vrbe expulerit, illósque seruos rogatos esse dixerit. [c] Qui tamen non statim, vt in senatum lecti erant, ius suffragij habebant: siquidem qui in postremis scripti fuerant, neq; suffragari, neque per se censere aliquid poterant: sed in sententiam quam Princeps in senatu dixisset, ire oporrebat. [d] Si qui tamen præturam censuramque, aut alius magistratus non senatores gessissent, ius propterea suffragandi, aut in curiã eundi non habebat. Non enim quia prætor aut quæstor fuerat, ideo in senatum admitti, aut publici concilij particeps, fieri poterat, [e] neque is senator, cui abrogatum imperium fuisset. Siquidem Lucius Cassius tribunus plebis, C. Mario & L. Flacco consulibus, legem tulit, vt quem populus damnasset, is de gradu deiectus, ius in senatum veniendi, aut suffragandi non haberet. [f] Senatores quoque qui honoribus functi essent, quique curules gesserant magistratus, curuli sella in senatum & curiam vehi, & cum sceptris, si Duces aut viri consulares fuissent: qui verò non gessissent, pedibus ire in curiam, & quod videbatur è republica, censere: & ideo pedarios nuncupari perspectum est: [g] qui tametsi in senatu deesse non solerent cum de triumphis aut supplicationibus agitur, tamen si cum senatus cogendus foret, ad consulis edictum non conuenirent, aut contumacius parerent, [h] pignoribus & mulcta plectebantur. [i] Si qui tamen senatores quintum & sexagesimum annum ætatis excessissent, eos cogi inuitos, aut contumaces pignore vel pecunia plecti non decebat. Senatori enim sexagenario ad eam ætatem in senatum non venisse, nulli fraudi fuit: [k] semper tamen in senatum frequentem venisse, & fortem sententiam dixisse, boni senatoris est habitum. [l] Fertur verò Cato maior, tametsi annis grauior esset, cum in eo vigeret vis ingenij consiliique nulla re, nullóque negotio adduci potuisse, vt in frequentem senatum venire moraretur: [m] sicut de Nicia ferebatur, qui assiduus semper in Atheniensium senatu erat: [n] Tametsi senatores plerunque in senaculo stationem habere, & inde citato gradu, non expectato edicto, in curiam ire solitos legamus [o] Sed animaduertendum, non cuicunque conuocandi senatus, vel consultum faciendi ius potestatémque fuisse, quia solis magistratibus, qui vocationem prehensionémque habebant, vt dictatori, consuli & prætori, aut tribuno plebis, tribunóque militari, vel vrbis præfecto. aut interregi, conuocandi senatus ius potestásque fuit priuatis enim hominibus aduocandi senatum facultas non dabatur. [p] Neque in loco prophano senatores conuenire ad consultan-

Senatorũ contemptus.
Senatores electi non statim suffragabãtur, sed in sententiã ibãt.
L. Cassij lex.
Pedarij senatores.
Senatores sexagenarius onere reip. exēpti.
Cato maior.
Nicias.
Senaculum.
Qui senatum conuocabant.
Vbi senatus haberetur, & quãde.

ANNOTATIONES.

b *Heliogabalus.*] Lampridius in vita illius.
c *Qui tamen non statim.*] Gellius lib. 3. c. 18.
d *Si qui tamen praturam*] Gell. vbi suprà, dicit contrarium.
e *Neque is senator.*] Ascon. Pædianus in Ora. Ciceronis pro L. Cornelio.
f *Senatores quoque.*] Hæc vsque ad versic. Qui tametsi. sunt Gellij authoritate C. Bassi lib. 3. c. 18. & Festi Pompeij libr. 14. vbi de Pedario senatore loquitur.
g *Qui tamesi in senatu.*] Cicero Philip. 1.
h *Pignoribus & mulcta.*] Cicero vbi suprà nõ semel. & Gel. lib. 14. c. 7. ex lib. Varronis epistolicarum quæstionum. Dion in Augusto, tradit huiusmodi. Cæsar, inquit, nomina senatorum omnium scripta in albo proposuit, quod ex eo tempore quotannis fieri solet, iisque qui sine causa desiissent in senatum venire, mulctam dixit: Pòst verò quoniam iam solebant impune relinqui, propter magnam multitudinem eorum, qui in pœnam inciderant, iussit quoties multi deliquissent, vt inter eos sortes ducerentur: quibus ductis, quintus quisque pœnas persolueret. Et huc quoque alludit Apuleius lib. 6. asini aurei: Sic fatus, inquit, Iupiter, iubet Mercurium deos omnes ad concionem conuocare protinus. Ac si qui cœtu cœlestium defuisset, in pœnam decem millium nummorum conuentum iri pronuntiare. Vide ibi Beroaldum interpretem.
i *Si qui tamen.*] Seneca in lib. de breuitate vitæ, cap. vlt. Lex (inquit) à quinquagesimo anno militem non cogit, à sexagesimo senatorem non citat. Corn. Nepos in vita Pompo. Attici, Incidit Cæsarianum ciuile bellum, cum haberet annos circiter sexaginta: vsus est ætatis vacatione, neque se quoquam mouit ab vrbe. Quanquam hic posterior locus ad vacationem militiæ pertinere videatur, vt & nos alibi diximus suprà lib. 1. c. 56.
k *Tamen semper.*] Quod liquet exemplo seq.
l *Fertur verò Cato.*] Plutarchus in vita illius.
m *Sicut de Nicia.*] Plutarch. in vita illius, In Curia (inquit) semper vsque ad noctem permanebat, atq; in senatum primus veniebat, omnium postremus recedebat. Adde & Q. Scæuolam, Augurem, senem & debilem primum venisse in curiam, vt scribit Cic. Philipp. 8.
n *Tametsi senatores.*] Valer. Maximus lib. 2. c. 1. Senaculo maiorem, Anteà, inquit, senatus assiduam stationem eo loci peragebat, qui hodie quoque Senaculum appellatur: nec expectabat, vt edicto contraheretur, sed inde citatus protinus in curiam veniebat, ambiguæ laudis ciuem existimans, qui debitis R. Po. officiis, non sua sponte, sed iussus fungeretur. Festus Pompeius lib. 17. dicit Senaculum locum esse senatorum, Alibi quoque eodem lib. describit tria Romæ Senacula.
o *Sed animaduertendum.*] Hæc vsque ad vers. Neque in loco. sunt Gellij lib. 14. cap. 7. vbi scribit authoritate Varronis, Senatum haberi solere, more maiorum, per Dictatorem, Coss. Prætores, Trib. plebis, Interregem, præfectum vrbi: neque alij, præter hos, id ius fuisse. Posteáque subdit, Deinde extraordinario iure Tribunos quoq; militares, qui pro Cõsulibus fuissent. Item Decemuiros quibus imperium Consulare tum esset. Item triumuiros Reipublicæ constituendæ causa creatos, ius consulendi Senatum habuisse. Sed & de Prætore quoque probatur ex Tacito, & Liuio locis allegatis suprà lib. 2. cap. 15. Et de tribuno plebis ex Tullio episto. fam. li. 10. epist. 27. omnium 206. ad Trebonium, vbi, inquit, Nam cùm Senatum ad 13. Cal. Ianuarias Trib. plebis vocauissent, déque alia re referrent, totam Remp. sum complexus, egíque acerrimè. Et lib. 11. epist. 6. omnium 219. ad Brutum Imp. Cùm tribuni plebis edixissent, Senatus adesset ad 14. Cal. Ian. haberentque in animo de præsidio consulum designatorum referre. Et idem Gel. illo eod. lib. 14. ca. 8. eodémque vlt. authoritate Capitonis. De qua re Dionys. Halicarnass. lib. 10. Anteà, inquit, tantùm in concionibus regnabant Tribuni, Senatum vocare, aut sententiam dicere eis non licuit, sed Consulum is honos fuit. Huius anni Tribuni primi Senatum conuocare ausi sunt, authore Icilio, qui eius collegij Princeps erat, vir industrius & pollens Ro. facundia. Et de vrbis præfecto ex Liuio 1. Dec. lib. 3. vbi dicit Senatum absentibus Coss. conuocatum fuisse à Q. Fabio præfecto vrbis.
p *Neque in loco prophano.*] Gellius d. lib. 14. c. 7.

Auspicato. *Atheniens.* *seu Lacedæmony.* *Senatusconsultū.*

dum, [q] sed in loco augusto & sacro, [r] & vbi deorum templa essent. [s] Neque ante lucem vel post occasum diei factum senatusconsultum, valere aut ratum esse liquet. [t] Deberéque prius auspicari, & ab ingressu hostias immolari apud aram illius dei in cuius templo conuenirent: quorum extra tribunis ærariis venire mos erat: vel, [u] sicut Augustus censuit, thure & mero supplicare, vt rite senatusconsultum fiat, [x] exemplo Atheniensium, qui omnibus publicis conciliis Mantes sacerdotes, qui sacra facerent, adhibebant: [y] & Lacedæmoniorum, qui senatui semper augurem adesse voluere. [z] Senatúsque consultum vel per singulorum sententias exquisitas, & per calculos coniectos in vrnas, quum de quoquo negotio quid quisque sentit consulitur, & suo loco rogatus sententiam dicit, aut quum verbo assentitur, fieri adnotatum est. Et in perrogandis sententiis, post relationem consulis debere à consulari gradu incipi, [a] & principem in senatu [b] aut cõsulem designatum prius, deinde ordine reliquos rogari. Non nunquam obseruatum est, [c] vt ex consularibus æuo maximi rogarentur primi, deinde inferiores:

ANNOTATIONES.

q *Sed in loco augusto & sacro.*] Maiestatis pleno. Seruius enarrans illud Virgilij Æneid. 7.

—— *Augusta ad mœnia Regis*
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes.

Augusto, ait, augurio consecrata. Hinc paulò pòst,

Tectum augustum, ingens, centum sublime colonis.

Et nisi in loco augusto, Senatus consilium habere non poterat. Vnde templum Vestæ non fuit augurio consecratum, ne illuc conueniret Senatus, vbi erant virgines: nam hæc fuerat regia Numæ Pompeij. Ad atrium autem Vestæ conueniebatur, quòd a templo remotum fuerat, quod alibi, ni fallor, dictum est.

r *Et vbi deorum templa essent.*] Vt in templo Iouis Capitolini, apud Herodianum lib. 7. Conuenerunt igitur in templũ Capitolini Iouis, quod in arce summa præcipuæ venerationis Ro. habent, ibi clausis foribus, soli Senatores quasi teste, & consessore, atque adeò rerum omnium inspectore Deo, selectis, qui ætate ac dignitate cæteros anteirent, duos ex omni numero, Maximum & Albinum plurimis suffragantibus, Imperatores creauere. Item in templo Iouis Statoris, quod erectum fuit contra ædem Vestæ in Palatini radicibus, clarè monstrante Ouidio 6. Fastorum,

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.

Et in æde Concordiæ, quæ fuit in cliuo Capitolino non procul à Iunonis templo, ex Iul. Capitolino in Maximo & Balbino in princ. & Cic. Philipp. 2. Cùm in hac cella Concordiæ, ô Dij immortales, in qua, me Consule, salutares sententiæ dictæ sunt. Et in æde Telluris eid. Cicero. Philipp. 1. in princ. Et iterum posteà & Appianum lib. 2. bel. Ciuil. Ex eo die quo in ædem Telluris conuocati sumus. Fuit autem Telluris templum ad forum Rom. & viam sacram, non procul à Capitolio & Palatio. Et in æde Apollinis apud Cælium inter epistol. fam. Ciceronis lib. 6. epistol. eius lib. 4. & totius 138. Et in æde Castorum ex Trebellio Pollione in Valerianis post princ. Sed & adde & alibi quoque quàm in templis aut ædibus deorum scilicet in Campo Martio, & in pratis Flaminiis apud Liuium 1. Dec. li. 3. & in curia Hostilia 3. Decad. libr. 2. & Gell. vbi suprà. & ad portam Capenam, eiusdem Decad. lib. 3. & in foro, eiusdem Decad. lib. 6. & in Capitolio eiusdem Decad. lib. 8. Et in curia Pompeia (ex Cicer. lib. 2. de diuinat.) & Iulia, postquam ea templa ab Auguribus sunt constituta ex Gell. vbi suprà. & in Palatio apud Tacit. lib. 1. & in eiusdem palatij atrio apud Seruium, lib. 11. ibi,

—— *Alta inter limina cogit.*

Et in curia Calabra, apud eundem Seruium lib. 8. ibi,

Romuleoq́, recens horrebat regia culmo.

s *Neque ante lucem.*] Gel. ex Varrone lib 14. c. 7. Senatuscõsultum, inquit, ante exortum, aut post occasum solem factum, ratum non fuisse.

t *Deberoq́, prius auspicari.*] Idem Gel. paulò post, Immolareque hostiam priùs, auspicaríque debere, qui Senatum habiturus esset.

u *Sicut Augustus censuit.*] Suetonius in vita ipsius c. 35.

x *Exemplo Atheniensium.*] Athenienses (scribit Cicero lib. 1. de Diuin.) omnibus semper publicis consiliis diuinos quosdam sacerdotes, quos Mantes vocant, adhibuerunt.

y *Et Lacedæmoniorum.*] Idem Cic. ibi. Lacedæmonij, inquit, regibus suis augurem assessorem dederunt: itémque Senibus, sic enim consilium publicum appellant, augurem interesse voluerunt.

z *Senatusq́, consultum.*] Gel. lib. 14. c. 7.

a *Et Principem in senatu.*] Gel. lib. 4. c. 10 & lib. 14. c. 7. Trebellius Pollio in Valerianis post princ. vbi primùm prætor edixit, Quid vobis videtur Patres Conscripti, de cẽsore deligendo: atque eum, qui erat Princeps, cùm senatus sententiam rogasset, absente Valeriano (nam ille in procinctu suo cum Decio tunc agebat) omnes vna voce dixerunt, interrupto more dicendæ sententiæ: Valeriani vita censura est. Ille de omnibus iudicet, qui est omnibus melior.

b *Aut consulem designatum.*] Gel. d. li. 4. c. 10. Sallust. in Catilina cùm scribit, Tum Syllanus sententiam rogatus, quòd eo tempore Coss. designatus erat. Tacitus. lib. 3. Exemit etiã Drusum Consulem designatum dicendæ primo loco sententiæ. Et Cælius inter epist. famil. Cicer. lib 8. epist. 4. Ego tamen si nihil expecto quàm modò Paulum Coss. designatum sententiam dicentem.

c *Vt ex Consularibus æuo maximi.*] Cic. lib. de Senectute, vbi ita scribit, Multa in nostro collegio præclara sunt, sed hoc, de quo agimus, in primis, quòd vt quisque ætate antecellit, ita sententiæ principatum tenet. Et Dionysius Halicarnasseus libro 6. & 7. tum alibi, tum posteà his verbis, Cùm iam, inquit, dicendæ essent sententiæ, primi seniores & honoratiores citati ordine à Coss. assurgebant, deinde his ætate dignitatéque proximi, postremi iuniores, non vt dicerent aliquid (indecorum tunc apud Rom. erat hoc, nemine iuuene existimante se sapientiorem senibus) sed vt discederent in consularium sententias. & iterum libro 11. & vide omnino nostros Commentarios de iure Primogeniorum in præfatio. num. 112. incip. Decimo seniores, & duobus seq. Nescio autem quo pacto fieret, vt tempore Imperatorum erat vnus ex senatoribus, qui primæ sententiæ dicebatur, vt apud Iulium Capitolinum in Maximo & Balbino, Cùm duo consulares, & eminentes quidem viri, Maximus & Balbinus ingressi essent curiam, ac præ se timorem Maximi aduentu ferrent, ostenderéntque, referente Coss. de aliis rebus, qui primam sententiam erat dicturus, sic orsus est. Sed expressius Flauius Vopiscus in Aureliano, Tum surrexit primæ sententiæ Vlpius Syllanus, atque ita loquutus est. Et rursus, Quibus recitatis Aurelianus Tacitus primæ sententiæ senator ita loquutus est. Et idem quoque Vopiscus in Tacito imperat. Post hæc cum Tacitus, qui erat primæ sententiæ consularis, sententiam incertum quam vellet dicere omnis senatus acclamauit. Sed & idem in Probo Imp. Post hæc Manlianus Statianus, qui primæ sententiæ tunc erat. Et Treb. Pollio in Pisone 29. Tyranno, Aurelius Fuscus consularis primæ sententiæ, qui in locum Valeriani successerat. Et Sext. Aurel. Victor, in Claudio II. Claudius verò cùm ex fatalibus libris, quos inspici præceperat, cognouisset, sententiæ in senatu dicendæ primi morte remedium desiderari.

iuuenes verò vix rogari, quasi pudor esset iouenem sene sapientiorem videri. [d] Et si certaretur sententiis, nec satis liqueret, tunc vel differri consultationem, vel si duæ senatum distinerent sententiæ, cum aliud alij censeant, id quod senatus maxima pars decernaret, id ratum fieri: [e] aut si non probaretur, sententiam diuidi: hoc erat, vt si plures causæ in disquisitionem venirent; vt de singulis referatur, postulare: & quod in parte placeret, id sequi. [f] vel per discessionem, tunc cum vnius exquisito voto, cæteri qui in suffragium ituri erant, [g] in illius sententiam pedibus irent, vel si manum porrigerent, aut cum de scripto sententiam dicerent. [h] In quo id fuit traditum, vt de diuinis rebus prius, & de republica infinitè, aut singulis rebus finitè, ad senatum referatur, si quid publici priuatique negotij foret statuendum. [i] Nonnunquam licuit senatori, priusquam ordine sententiæ rogarentur, postulare vt extra ordinem de republica dicere liceret. [k] Apud Athenienses verò in frequenti senatu pro cuiusque ætate sententiæ rogabantur. [l] Regibus autem Lacedæmoniorum binos calculos ponendi, cum sententiam dicunt in senatu, facultas erat; tertium verò, si quid pro se decerni vellent. [m] Græcis & plerisque gentibus fabis suffragia dabantur. Siracusanis nemo sententiam dicit rogatus; sed vt quisque ætate & honore anteit, ita sua sponte quid sui consilij sit, in medium affert non rogatus: aut si tacent omnes, forte dicere coguntur: [n] quibus in vsu erat, vt in concionem prodituri per literarum elementa forte educerentur. [o] Quare Dionysius proditurus, cum M. sortitus fuisset, futuram sibi monarchiam cauillatus est. Lycurgus verò, cum essent adolescentes loquaciores, & in conciliis obstreperent, cauit edicto, vt nemo in foro nec in publico consessu diceret, nisi rogatus: [p] Apud Heduos fuit constitutum, vt qui in senatu sententiam dicit, ex eadem familia rogare neminem possit quid esset sententiæ & opinionis suæ: proditumq; memoriæ est, [q] Germanos concilio coacto, siquid quod minus placeret, propositum esset, murmure & fremitis dissentire, & sententiam aspernari: siquid verò complacitum fuisset, frameas & tela concutere, sonóque armorum & tripudiis approbare: [r] Macedonum quoque fuit mos, vt in publica consultatione siquid improbarent, hastis scuta quatientes obstreperent, & auersarentur, [s] Lacedæmonij summis clamoribus agunt, nec calculis sententiam dicunt, nec admurmuratione suffragia ferunt: aut si cuius partis clamor contentior esset, vt nō facile dignoscerēt, in duas partes suffragatores transire iubent, vt quæ pars maior esset, animaduerterent. Apud quos vsu receptum erat, vt singuli in concionibus baculum ferrent. [t] Belgæ verò contrà: nam si quid publico cōsilio statuendum erat, miro silentio decernunt: si quis autem fremeret aliquo concionante, parte vestis mulctabatur. [u] Gallis [x] & Germanis, vt in publicis consultationibus armati cōueniant, & quid facto opus sit decernant, in more fuit: & si multuarentur, silentium sacerdotes indicebant. [y] Apud Tyrios secus,

Vbi sententiis certaretur. Diuidere sententiam. Per discessionē. Athenienses. Reges Lacedæmonij. Calculis. Fabis. Mores rogandi sententiam apud diuersos. Lycurgi edictum. Hedui. Germani. Macedones. Lacedæmonij. Belgæ. Galli & Germani: Tyrij.

ANNOTATIONES.

d *Et si certaretur sententiis.*] Plin. lib. epist. 9. epist. ad Aristonem. Quarum sententiarum tanta diuersitas erat, vt non possent esse nisi singulæ. Et Tacitus lib. 1. Certarum inde sententiis cùm alij, &c. Vide Budæum in priorib. annotat. in Pandect.

e *Aut si non probaretur.*] Asconius Pædianus in Orat. Cic. pro Milone: nam hæc eadem sunt verba illius. Sed & de hac diuisione Cicer. pro domo sua. Quæ est, inquit, quasi alia via, quæ sententia Cæciliæ legis & Didiæ, nisi hæc, ne populo necesse sit in coniunctis rebus compluribus, aut id quod nolit, accipere, aut id quod velit, repudiare? Et lib 3. de legibus hanc legem describit, *Nec plusquam de singulis rebus consulito.* Et vide omnino Plinium iuniorem li. epist. 8. epist. 14. ad Aristonem per totam epistolam.

f *Vel per discessionem.*] Gel. lib. 14. c. 7. in duobus locis, & vide in seq.

g *In illius sententiā pedibus irent.*] Suet. in Tiberio, c. 31. Cum S. C. per discessionem forte fieret, transeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, sequutus est nemo. Vide ibi interpretes. Sallustius in Catil. post Orationem Cæsaris. Sed expressius Tacitus lib. 15. Et postquam, inquit, discessionem Coss. permiserat, in sententiam eius iere pauci exceptis. Gel. lib. 3. cap. 18. & nonnihil Cic. famil. epistol. lib 1. epist. 4.

h *In quo fuit.*] Gellius ex Varro lib. 14. c. 7.

i *Nonnunquam licuit senatori.*] Idem Gel. lib. 4. c. 10.

k *Apud Athenienses.*] Demosthenes in Orat. κατ' Ἀνδροτίωνα, & illius interpres eo loco.

l *Regibus autem Lacedæmoniorum.*] Herodotus lib. 6. Si in senatum non accesserint, eorum maximè propinqui duos senatores ius regium obtineant duos calculos ponendi, tertium pro seipsis.

m *Græcis.*] Plutarc. in lib. de liberis educandis, interpretans illud Pythagoræ symbolum κυάμων ἀπέχεσθαι, id est, A fabis abstineto. Vide Erasmum Chil. 1. cent. 1. De Atheniensibus autem priuatim Herodotus lib. 6.

n *Quibus in vsu erat.*] Quod probat exemplo sequenti.

o *Quare Dionysius.*] Plutarc. in Apophth. Dionysius, inquit, cum magistratus per literas sorte crearentur, & ipsi contigisset litera M, dicenti cuidam per iocum, Morio es Dionysi. Imò, inquit, Monarcha ero: Et adeptus magistratum protinus Imperator electus est à Syracusanis.

p *Apud Heduos.*] Cæsar lib. 7. belli Gallici de Heduorum seditione ac diuisione loquens, Cùm, inquit, leges duos ex vna familia, viuo vtroque, nō solùm magistratus creari vetarent, sed etiam in senatu esse prohiberent.

q *Germanos.*] Cornelius Tacitus de Moribus German. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur: sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assensus genus est armis laudare.

r *Macedonum quoque mos fuit.*] Q. Curtius lib. 10. Nulli placebat oratio. Itaque suo more hastis scuta quatientes, obstrepere perseuerabant.

s *Lacedæmonij summis clamoribus.*] Thucydides belli Pelopon. lib. 1.

t *Belgæ verò contra.*] Strabo lib. 4. Si quis alio concionante vel tumultuetur, vel obstrepat, minister stricto occurrit ense, & minitabundus silentium imperat: qui si non desierit, secundò ac tertiò idem factitat: denique tantum abscindit à sagulo, vt quod residuum est, reddatur inutile.

u *Gallis.*] Cæsar belli Gallici lib. 5. prope fi. Armatum concilium indicit. Hoc more Gallorum est initium bellorum, quo lege communi omnes puberes armati conuenire consueuerunt.

x *Germanis.*] Tacitus d. lib. de Morib. German. Vt, ait, turbæ placuit, considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum & coërcendi ius est, imperatur.

y *Apud Tyrios.*] Val. Max. li. 6. tit. 5. & Diod. Siculus lib. 12.

Athenienſium fatum. Anacharſis dictum. Perſæ. Diuerſus ordo rogandi ſenatus. Princeps ſenatus

apud quos ſi quis cum telo concioni intereſſet, capite luebat. [z] Id tamen Athenienſibus fato datum erat, vt abuſi ingenio, ſi quid publico conſilio decernendum foret, in deteriorem partem plerunque ſtatuant, ſempérque quod in diſcrimen adducit conſilium ſequatur. [a] Quare verbum Anacharſis fuit: ſapientes in concionibus ſententiam dicere apud Gręcos, ſtultos verò diiudicare. [b] Perſarum verò mos fertur, inter epulas, poſtquam vino incaluerant, haud ſecus quàm reliqui in concionibus, conſilium habere, & de rebus maximis decernere. [c] Sed tamen non idem ſemper ordo rogandi ſenatus fuit: ſiquidem modò primus rogabatur, [d] qui princeps lectus erat in ſenatu à cenſoribus. [e] Is autem legi debebat princeps ſenatus, qui ex cenſoriis viris, qui cenſuram antea geſſiſſent, antiquior ſuperuiueret: [f] nonnunquam conſules deſignati, [g] aut viri conſulares æuo maximi, ſummis honoribus functi: [h] ſæpe aliqui extra ordinem à conſulibus ſtudio & neceſſitudine ductis, rogabantur primi. [i] Obſeruatumq́; fuit, ne quem citra conſularem locum extra ordinem primum conſul rogaret. [k] Quē tamen ordinem rogandi ſententias, Calendis Ianuariis ſeruare cœperat, is toto anno perpetim ſeruabatur. [l] Diuum tamen Auguſtum ſententias de maiore negotio, non ordine nec more, ſed prout libuiſſet, rogaſſe ferunt. [m] Germani verò pro ætate & nobilitate in concionibus audiuntur, primi ſiqua conſultatio foret. [n] Rogabant ergo ſententiam coſules, quique ſenatui præerant, patres qui conſilio aderant, ipſóſque dum de re quapiam conſultant, dúmque diſſerendo altercandóque ſententiam

Germani. Conſules & patres quo modo ſententiam rogabant.

ANNOTATIONES.

z *Id tamen Athenienſibus.*] Eraſmus Chil. 1. cent. 8. c. 44. in adagio, ἡ τῶν Ἀθηναίων δυσβουλία, id eſt, Athenienſium inconſulta temeritas. Id olim vulgò tributum eſt Athenienſibus, quòd ipſi quidem ſocorditer conſultarent, parúmque perſpicerent: verùm Minerua ciuitatis præſes, illorum malè inſtituta, bene vertere conſueuit. Simile eſt huic, quod hodie vulgo dicunt, Eſt Fortunatior quàm prudentior, de quopiam non ſuapte induſtria, ſed fortunæ commoditate ſucceſſu rerum vtente. Eupolis apud Suidam, & Athenæum lib. 10. in Athenienſium mores,

ὃυς δ' ἐκ ἂν εἵλεθ' ὁ δ'. ἂν οἰνόπτας πρὸ τοῦ,
νῦν στρατηγοὺς λιύομεν. ὦ πόλις πόλις
ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον ἢ καλῶς φρονεῖς.

Id eſt,

Quos antehac nec præfici conuiuio
Quiſquam tuliſſet, nunc videmus ſcilicet
Bella Duces. O ciuitas, ô ciuitas.
Fortuna, vt es felicior quàm ſapis.

Porro Athenienſium incogitantiam notat & Ariſtophanes hoc verſu in Nubibus,

φασὶ γὰρ δυσβουλίαν τῇδε τῇ πόλει προσεῖναι.
Leua conſilia ferunt huic adeſſe ciuitati.

Quo loco interpres adſcribit fabulā huiuſmodi, Cùm Neptunus à Minerua victus, non poſſet Attica regione potiri, iratus immiſit illis δυσβουλίαν, id eſt læua ſtultáque conſilia: hoc deinde vitium Athenienſibus ἐπιχώριον, hoc eſt, vernaculum fuiſſe. Idque Mineruam non mutaſſe, cæterum quòd illi malè ſtatuiſſent, illa in bonos exitus vertebat.

a *Quare verbum Anacharſis.*] Plutarchus in Solone. Et ſimile quippiam de eo ſcribit Laërtius in ipſius vita, ſcilicet, quòd ſe mirari dicebat, quomodo apud Græcos artifices certarent, indicarent autem qui artifices non eſſent. Eraſm. in Apophtheg. id dilucidius ſcribit.

b *Perſarum verò mos Fertur.*] Strabo lib. 15. ad finem. De rebus, inquit, maximis inter vinum conſultant, quas ipſi firmiores putant, quàm quæ in ſobrietate fuerint deliberatæ. Maximus Tyrius ſerm. 12. & Xenodotus in prouerb. θυμὸς καὶ χόρος.

c *Sed tamen non idem.*] Ad Romanos redit, & id probat ex ſequent.

d *Qui Princeps lectus.*] Idem ſuprà dixerat in verbo: Et Principem in ſenatu.

e *Is autem legi debebat Princeps.*] Liuius 3. Decad. libr. 7. Senatus lectionem contentio inter cenſores de Principe legendo tenuit. Semproniȷ lectio erat. Cæterum Cornelius morem traditum à patribus ſequendum aiebat, vt qui primus cenſor iis, qui viuerent, fuiſſet, eum Principem legerent. is T. Manlius Torquatus erat. Sempronius, cui diȷ ſortem legendi dediſſent, ei ius liberum eoſdem dediſſe deos. ſe id ſuo arbitrio facturum, lecturúmque Q. Fabium Maximum, quem tum Principem Romanum ciuitatis eſſe; vel Annibale iudice victurus eſſet. Cùm diu certatum eſſet verbis, concedente collega, lectus à Sempronio Princeps in ſenatu Q. Fabius Maximus Coſſ. Vide Plutarchum in Scipione.

f *Nonnunquam Coſſ. deſignati.*] De hoc quoque iam dictum eſt ſuprà in verbo, Aut conſulem deſignatum.

g *Aut viri conſulares æuo maximi.*] Et de hoc ſuprà in verbo, Vt ex conſularibus æuo maximi.

h *Sæpe aliqui extra ordinem.*] Gel. lib. 4 c. 10. vbi ſcribit, Quidam è Coſſ. ſtudio, aut neceſſitudine aliqua adducti, quem iis viſum erat honoris gratia extra ordinem ſententiam primum rogabant. Et lib. 14. cap. 7. Vbi ex M. Varrone, poſtquam ſcripſit, Ex quo gradu ſemper quidem anteà primum rogari ſolitum, qui Princeps in Senatum lectus eſſet. Tum autem, cum hæc ſcriberet, nouum morem inſtitutum refert per ambitionem gratiámque, vt is primus rogaretur, quem rogare vellet, qui haberet Senatum. Verùm (quod pace tanti viri dixerim) longo antè tempore ea ambitio ſine gratia; locum obtinuit. Nam apud Dionyſium Halicarnaſſæum libr. 11. Appius Claudius Decemuir, de bello in Æquos & Sabinos quemadmodum celerrimè pulcherriméque hoſtibus repugnemus ſententias poſtulo vos progredientes dicere: primum quidem (vt conſuetum eſt vobis & decens) ſeniores, deinde mediæ ætatis viros, vltimos verò iuuenes. Et his dictis primum vocauit patruum ſuum C. Claudium, qui exurgens, huiuſmodi orationem habuit, Poſtquam, Patres; vult me Appius primùm ſententiam dicere, me honorans ob cognationem (vt ei conuenit) & poſtquam opus eſt me quæ ſentiam de bello dicere, &c. Sed & adde nonnunquam Ædiles primum dicendæ ſententiæ locum obtinuiſſe, vt conſtat ex Cicer. in Verrem actio. 7. vbi ſcribit pro præmio eorum, quæ ſibi ædili deſignato incumbebant inter cætera; id enumerat.

i *Obſeruatumq́; fuit.*] Gel. d. lib. 14. c. 7.

k *Quem tamen ordinem.*] Suetonius in Cæſare, c. 21. Poſt nouam affinitatem, Pompeium primùm rogare ſententiā cœpit, quum Craſſum ſoleret, eſſétque conſuetudo, vt quem ordinem interrogandi ſententias Coſſ. Cal. Ianuariis inſtituiſſet, eum toto anno conſeruaret.

l *Diuum tamen Auguſtum.*] Suet. in vita illius, c. 35. Tiberius autem Cæſar apud Tacitum lib. 3. Aurelium Cottam Coſſ. primùm ſententiam rogauit.

m *Germani verò.*] Ex Tacito de Morib. Ger. vbi tamen non ita omnino dicit. Hæc eius verba ſunt, Mox Rex vel Princeps prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur auctoritate ſuadendi magis quàm iubendi poteſtate.

n *Rogabant ergo ſententiam Coſſ.*] Id clarum eſt ex omnibus authoritatibus iis locis in hoc cap. citatis.

o *Stantes*

dicunt, quid è fide sua ducerent, [o] stantes esse oportere: post verò sententiam assidere. [p] In quo fuit prohibitum, ne poplites alternis genibus imponerent: quòd eos esse occisos, & non præparatis animis designaret: quòd Athenis quoque seruatum meminimus, vt præcone pronunciante in theatro vel curia, stantes singuli decernant quid suæ opinionis foret. [q] Ius tamen senatori erat, vt rogatus sententiam, perpetua oratione, & quam voluit diu dicendo diem absumeret: adeò vt nonnullos horis septem, plerosque dies totos concionem in senatu habuisse tradant. [r] In foro autem lege cauebant, vt sex horæ accusatori, reo verò darentur nouem, ne paucioribus clepsydris tempore præscripto præcipitarent causas. [s] Ex quibus nonnulli, ne orationes præmeditatas memoriæ mandarent, nimiúmque in eo tempus absumerent, descriptas conciones è libello lectitarunt. [t] postea Cn. Pompeius quasi frenos eloquentiæ dedit, ex quo tempore intra paucissimas, neque vltra tres horas perorare cogebantur. Nam quæ horæ accusatori, tres reo dabantur: vnaq; die ab accusatore & reo perorari iussum: quia multi data opera in serum rem trahebant, tempusq; diffundebant, rebus non definitis. Si tamen aliquorum opinioni assentiri vellent, poterant etiam sedentes, illi opinioni cui visum erat, studio & voluntate accedere. [u] Ius tamen fuit senatori à sententia quam semel dixerat, si probabile quid contrà afferretur, deduci: aut si ambigua foret, nec facilis explicatu, illam interpretari. Id tamen notatum est, parum fuisse in senatu, breuiter censere, & rectè sentire, nisi facundè sententiam tueretur, & argumentis firmaret. [x] Post omnes verò rogari, & nouissimum dicere sententiam, ignominiæ loco est habitum. In qua re succurrit annotare, quod literis proditum est, [y] Marcum Perpennam, & Lucium Volusium Saturninum, omnibus quos in senatu sententiam rogauerant, superstites fuisse. [z] Cumq; antea senatusconsulta pro voluntate consulum supprimerentur, vel enunciarentur, postea à Lucio Valerio & Marco Horatio consulibus statutum fuit, vt amplissimi ordinis decreta ad ædem Cereris ab ædilibus deferrentur: demum, vt in ærarium deponerentur. [a] Quod etiam Augustus cauit, ne senatus acta publicarentur, néve magistratus deposito honore statim in prouincias mitterentur. [b] Ex his tamen quædam fuere tacita senatusconsulta, quæ palam enunciare non licebat, quæ in sanctiore senatu & concilio arcano, tanquam in recessu semoto seruabantur: quibus decernendis neque scribæ, neque serui publici intererant, ne communicatio consilij foret: cauebaturq; ne quis enunciaret. [c] Apud Carthagi-

Sex horæ accusatori, reo autem nouem concessæ.
Conciones è libello lectæ.
Duæ horæ accusatori, tres reo concessæ.
Sedentes aliorum opinioni assentiebantur.
Senatoris ius.
Nouissimum sententiam dicere.
Senatusconsulta in ærarium deposita.
Tacita senatusconsulta.

ANNOTATIONES.

o *Stantes esse oportere.*] Id satis colligitur ex Sallustio in Catilina, qui relata, recitata ac finita Catonis oratione, confestim subdit, Postquam Cato assedit, Consulares omnes, itémque Senatus magna pars sententiam eius laudant. Et Dionys. Halicarn. in loco suprà citato in verb. incip. vt ex consularibus æuo maximi.

p *In quo fuit prohibitum.*] Plinius, sed qui aliam rei rationem reddit libr. 28. cap. 6. nempe quòd omnem actum impedirent.

q *Ius tamen senatori erat.*] Ad Romanos redit. Et vide quæ scribit Gellius lib. 4. cap. 10. Cuius hæc verba sunt ex Atteio Capitone, C. Cæsar Coss. M. Catonem sententiam rogauit. Cato rem, quæ consulebatur, quoniam non è Republica videbatur, perfici nolebat. Eius rei gratia ducendæ longa oratione vtebatur, eximebátque dicendo diem. Erat enim ius senatori, vt sententiam rogatus, diceret antè quicquid vellet alius rei, & quoad vellet. Cæsar Coss. viatorem vocauit: eumque, cùm finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem duci iussit. Plinius 2. episto 11. Itaque Titius Cerealis consulari iure senatorio postulauit, vt Priscus certior fieret, &c.

r *In foro autem lege cauebant.*] Plin. epist. lib. 4. epist. eius lib. 9. ad Vrsum.

s *Ex quibus Nonnulli.*] Sic enim Q. Fabius Pictor legatus à Delphis Romam redit, responsúmque ex scripto recitauit apud Liuium 3. Decad. lib. 3. Suetonius autem de Augusto in vita ipsius cap. 84. Nam deinceps neque in senatu, neque apud populum, neque apud milites loquutus est vnquam, nisi meditata & composita oratione: quamuis non deficeret ad subita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Liuia sua grauiores, non nisi inscriptis, & è libello habebat: ne plus minúsve loqueretur ex tempore.

t *Posteà Cn. Pompeius.*] Asconius Pædianus in Orat. Ciceronis pro Milone. Pompeius, inquit, legem promulgauit, qua prius testes dari per triduum, deinde vno die atque eodem & ab accusatore & ab reo perorari iubebat: ita vt horæ duæ accusatori, tres reo darentur. Corn. tamen Tacitus libr. 3. In accusatione necis Germanici, tradit biduum criminibus obiiciendis statutum, vtque ex dierum spatio interiecto reus per triduum defenderetur.

u *Ius fuit tamen senatori.*] Nam & apud Sallust. In Catil. Syllanus, qui totè suam sententiam deprompserat, audita Cæsaris sententia suam ipsius sententiam mutauit.

x *Post omnes verò rogati.*] Sueton. in Claudio cap. 9. Atque ex eo, inquit, nunquam non in Senatu nouissimus consularium sententiam dixit, ignominiæ causa, post omnes interrogatus.

y *M. Perpennam.*] Valer. Maximus lib. 8. & Plinius libr. 7. cap. 48.

z *Cumq; anteà.*] Hæc vsque ad clausulam, Quod etiam Augustus. sunt Liuij 3. Dec. lib. 3. Institutum est, inquit, ab iisdē Coss. L. Valerio & M. Horatio, vt Senatusconsulta in ædem Cereris ad Ædiles plebis deferrentur, quæ antè arbitrio Consulum supprimebantur vitiabantúrque.

a *Quod etiam Augustus.*] Suet. in vita illius, c. 36.

b *Ex his tamen quædam fuere tacita.*] Capitolinus in vita Gordianorum. Dicit Iunius Cordus, Istud S.C. fuisse tacitum, quod quale sit, & quare sic appellatum, breui exponā. Omnino exemplum Senatusconsulti taciti non aliud est hodie, quàm quod vestra clementia, conuocatis ad interiora maioribus, ea disponit, quæ non sunt omnibus publicanda: de quibus etiam soletis, ne quis ante rem completā quicquam vel audiat, vel intelligat. Hunc autem morem apud veteres necessitates publicæ repererunt, vt si fortè aliqua vis ab hostibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare consilia: vel aliqua constituere, quæ non prius oporteret dici quàm effici: vel si nollent ad amicos aliqua permanare, S. C. tacitum fieret: ita vt non scribæ, non serui publici, non censuales illis actibus interessent, senatores exciperent, senatores omnium officia censualium scribarúmque complerent, ne quid fortè proderetur.

c *Apud Carthaginenses.*] Liuius 3. Dec. lib. 10. Carthaginenses, inquit, oratores ad pacem petendam mittunt 30. Seniorum Principes: id erat sanctius apud eos concilium, maximáque ad ipsum senatum regendum vis.

Sanctius consilium. Sanctior senatus Solonis lex. nenses verò triginta senatorum Principes, sanctiori concilio & arcanis negociis præpositi erant, quæ tanquam cœleste arcanum, dici non potest quàm alto silentio obtegerentur. [d] Qui etiam sanctior senatus Athenis fuisse proditur, sine cuius concilio aliquid grauius decerni, aut ferri ad populum, Solonis lege vetabatur. [e] Syracusani autem sanctiorem senatum non habebant: sed si quid arduum & perdifficile imminebat, solius Timoleonis summi Ducis velut sancto arcano, q; consilio, iudicio decernebant. [f] Ætolis Apolecti sanctissimum & arcanarum rerum fuere concilium: quorum consultatione, si quod instaret periculum, decerni oportebat. [g] Cæsarum verò temporibus, decreta senatus, quæ ad Principem pertinerent, non arcano senatui, sed libris elephantinis mandabantur: qui summa cura in Vlpia bibliotheca, vt essent perpetuo monumento, seruabantur. [h] Quæ quidem arcana patrum consilia quanto silentio obtegerentur, illud argumento est, quod Q. Fabius Maximus, cum de tertio Punico bello quod in arcano concilio decretum erat, Crasso in itinere obnunciasset, à senatu grauiter increpitus & conuiciis affectus fuit. Alia verò consulta, quæ tacita non erant, postquam maturè statuta fuerant, de concilij sententia in concione, quæ pro vestibulo curiæ obseruabatur, recitati & publicè edi poterant. Erant igitur senatoris insignia, [i] tunica [k] & purpurea & [l] laticlauus, [m] ius spectandi in orchestra, [n] & epulandi publicè, tam in epulo Iouis in Capitolio, quàm ludorum causa. Qui quidem laticlauus propria vestis senatoris erat, qua senatus dignitas, & amplissimus ordo notabatur. Nonnunquam senatoribus vti penulis, quanquam tenuissimo cultu forent, indultum fuit: quippe Alexander Seuerus imperator, vt senatores ingrauescenti ætate frigoris causa penulis vti possent, priuilegio indulsit: sæpiusque aliis insignibus vti licere datum est. [o] Nam Caio Duillio, qui nauali prælio Carthaginensium classem fudit, præter curulem sellam, vt [p] quoties à cœna rediret, funale præferretur, & tibicen præcineret, concessum fuit. [q] Et Marco Valerio Volesi filio, quòd Sabinos fudit fugauitque, & castris exuit, locum in circo ad spectandum cum sella curuli sibi posterisque permissum nouimus. [r] Lucio quoque Metello, qui oculis orbam senectutem egit, vt quoties in senatum iret, curru veheretur, fuit pro munere datum. [s] Nonnunquam antiquior sententiæ dicendæ locus, [t] toga, [u] prætexta [x] sella curulis, ius imaginis, in memoriam posteritatis, [y] & in veste purpurea spectandi, pro magnis officiis in rempublicam senatoribus munera data sunt. Tendæq; dignationis fuere sequutis temporibus, vt in oppidis per loca & conuentus vmbraculis vterentur, indultum sit. Mox sequuti Cæsares eum ordinem amplissimis honoribus honestarunt, præcipuè Alexander Seuerus, vt dignitas conspectior fieret,

Apolecti. Decreta senatus. ad principem pertinentia. Senatusconsulta non tacita. Insignia senatoris & vestes. Laticlauus. Penula. Insignia alicui concessa bene de repub. meritis. Vmbracula senatoris.

ANNOTATIONES.

d *Qui etiam sanctior senatus Athenis.*] Plutarch. in Solone.

e *Syracusani.*] Probus Æmylius in Timoleone, & Plutarchus in eodem.

f *Ætolis Apolecti.*] Liuius 4. Decad. libr. 5. sed iam de hoc suprà diximus eod. c. in verbo, Quod Apolectum.

g *Cæsarum verò temporibus.*] Vide in vitis Cæsarum.

h *Quæ quidem arcana.*] Hæc vsque ad clausulam, Ælia verò consulta. sunt Val. Max. lib. 2. c. 1.

i *Tunica.*] Plin. libr. 33. Annuli distinxere alterum ordinem à plebe, sicut tunica ab annulis senatum tantùm. Quintilian. lib. 11. Cui laticlaui ius non erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paulù, posterioribus ad medios poplites vsque perueniant.

k *Et purpura.*] Liuius 4. Decad. libr. 4. Purpura viri vtimur prætextati in magistratibus, in sacerdotiis: liberi nostri prætextis purpura togis vtuntur.

l *Et laticlauus.*] Suet. in Augusto c. 38. in Tiberio 35. Claudio 24. Tunica erat purpurea prætexta, laxior tunica vulgari, qua Senatores vtebantur. Horatius Ser. lib. 1. saty. 5.

Fundos Aufidio lusco prætore libenter
Linquimus, insani ridentes præmia scribæ,
Prætextam & latum clauum.

Idem saty. 6. per latum clauum senatorem designat.

——— *Et latum demisit pectore clauum.*

Ouid. Trist. lib. 4. eleg. 9.

Induiturq́, humeros cum lato purpura clauo.

Budæus in l. vlt. ff. de senat.

m *Ius spectandi in orchestra.*] Suet. in August. c. 35. & ibi Beroald. Quod ius etiam alij pro magno beneficio concessum est apud eundem in Claudio, c. 25. Orchestra autem spectãdi locus primus in theatro erat, Senatoribus ad spectandum designatus.

n *Et epulandi publicè.*] Idem Suet. in August. c. 35.

o *Nam C. Duilio.*] Frontinus Stratagematõn libr. 2. c. 5. & 2. c. 3. legit Cneum. sed cæteri ferè omnes non Cneum, sed C. Duillium vocant. Huius militatem fortitudinnem leges apud Florum lib. 2. c. 2. Orosium lib. 4. c. 7. Eutropium lib. 2. c. 5. & Frontinum vbi suprà,

p *Quoties à cœna rediret.*] Plinius Secundus, si is est, virorum illustrium c. 38. Duillio, inquit, concessum est, vt prælucente funali & præcinente tibicine, à cœna publicè rediret. Qua de re Cicero in Oratore ad Brutum & in Catone maiore. Val. Maximus lib. 3. c. 6. Silius Italicus lib. 6. in fi.

Exuuias Marti, donumq́ Duillius alto
Ante omnes mersa Pœnorum classe dicabat.
Cui nocturnus honos funalia clara, sacerq́,
Post epulas tibicen adest, castosq́ penates
Insignis lati repetebat murmure cantus.

q *Et M. Valerio.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. Dictator triumphans vrbem inuehitur, super solitos honores locus in circo ipsi, posterisque ad spectaculum datus, sella in eo loco curulis posita.

r *L. quoque Metello.*] Sed adde, L. Paulo Æmylio, iterũ consuli, qui Persem, Philippi filium, Regem Macedonum, apud Samothracas victum, cœpit, concessum fuisse & à populo & à senatu, vt ludis Circensibus triumphali veste vterentur. Author Plinius, aut quisquis is est, de viris illustribus, cap. 56.

s *Nonnunquam antiquior.*] De quo iam suprà dictum est. Et simpliciter ius dicendæ inter consulares sententiæ, ex Suet. in Claudio, cap. 6.

t *Toga.*] Vnde illud Ciceronis, Cedant arma togæ. Sallust. in Orat. cont. Cicero. Et Cic. Philip. 8. Equidem P. C. quanquam hoc honore, id est consulari, Vti togati esse solet, cùm est in signis ciuitas.

u *Prætexta.*] Macrobius Saturnal. lib. 1. c. 6. vbi Papyrij prætextati historiam narrat ex Gel. lib. 1. c. 23.

x *Sella curulis.*] Gellius lib. 3. c. 18.

y *Et in veste purpurea spectandi.*] Plinius de viris illust. ca. 56. scribit L. Æmylio Paulo, ob deuictum Persem à senatu & populo concessum fuisse, vt ludis Circensibus triumphali veste vteretur.

z Fuitq́,

argentatis rhedis carrucisque senatori vti permisit: vtque sanctior reuerentiórque ordo potaretur, ex senatoribus illos, qui principali dignitate insignes forent, in ordinem patriciatus, quæ maior ampliórque dignitas habetur, multos adsciuit & prouexit. Sed hoc post multas ætates nouissimè inuento. [a] Fuitque lege sancitum, ne mulieres cuiusuis negocij causa senatum aut curiam adirent, nisi quòd Heliogabalus senaculum mulierum in colle Quirinali constituit primus: qui præter mores institutáque maiorum, vt in ordine senatorio mater admitteretur à senatu, peruicit, [a] sicut de Mesa Varia eiusdem Heliogabali auia, proditum est: cui tributum ferunt, vt fœmina in senatu sederet, patres consuleret, & sententiam diceret, cæteráque senatoris munia obiret. [b] Quod de Xerxe authores tradunt, qui in arcano concilio, cum delectos Persarum proceres consuleret, Arthemisiam sæpe ad consultandum accersiuit, cuius sententiam sequutos fuit. [c] Antea verò Claudij & Neronis tempore, cum non pro dignitate videretur Agrippinam patrum consultationibus admitti, decreuere patres, vt à tergo abditis foribus staret, velo discreta, quòd visum arceret, aditum admitteret. [d] Lacedæmoniis verò mulieres adhibere publicis conciliis, illásque frequenti curia in exequendis negociis socias assumere, vsus erat: [e] apud quos fœminarum arbitrio decernuntur multa. [f] Idem apud Germanos, vt vbi plurimum negocij sit, fœminarum consiliis regantur: quarum plerásque vt deas colunt. [g] Neque omittendum quòd de Troglodytis traditur, quibus tanti exempli fuere mulieres, vt in conflictu bellorum, matronarum intercursu infestas acies dirimant: adeò vt ipsis intercedentibus præliari ducerent nefas. [h] Quod etiam apud Germanos frequens fuit, vt illarum fœminæ, quas plurimas in castris habebant, labentem sæpe aciem restituant, aut infestissimos animos concilient. [i] Celtæ verò & Galli, non solùm mulieres conciliis admittunt, sed quicquid est contentionis, fœminarum iudicio decernunt, ita vt intestina sæpe odia illarum interuentu sedasse ferantur. Proditúmque memoriæ est, in fœdere cum Hannibale & Gallis icto caueri, vt societas staret eo iure, quòd si Carthaginensis aliquod admissum pateretur à Gallis, eius rei iudicium penes Gallicas mulieres foret: si verò Gallus à Carthaginensi, penes magistratum Carthaginensem cognitio esset. [k] Vtqué pueri prætextati cum parentibus senatoribus, boni exempli causa in senatum ventitarent: quòd post Papyrium Prætextatum, ne quis in senatu gesta enunciaret, longo exinde tempore fieri desitum est. [l] Neque illud prætereundum, memoriæ datum fuisse, legatis exterísque gentibus in senatum admissis, Romanos consules nisi Latinè responsa dare consuesse. [m] Quibus admisis, more tradito à patribus, potestatem siquid vellent, senatus faciebat. Græci verò concilio in licto, per præcones, siquis quid peteret, enunciabant: [n] sicut Atrebates & Bellouaci, tubarum cantu, concilium aduocabant. [o] Si quid verò proprio sermone loqui vellent, his in senatum admissis, interpretes dabantur: per quos quæ opus erant proponebant, per eosdémque consulta senatus & responsa accipiebant. [p] Et tametsi Dolo rhetor in senatu Græcè declamasse dicatur primus, [q] Tiberius tamen adeò Græcum sermonem osum habuit, vt in senatu nescio quid Græcè prolaturus, veniam petierit. [r] Et Claudius Cæsar, Græcæ prouinciæ Principem, quòd Latinè nesciret, albo iudicum erasit, & peregrinatum misit. [s] Inualuitque mos, vt mense Februario vsque ad calendas Mar-

Argentata rheda & carruca. Ordo patriciatus. Mulieres senatum adire vetabantur. Senaculum mulierum. Mesa sedet in senatu. Artemisia. Agrippina. Lacedæmony & Germani fœminas conciliis admittunt. Troglodytæ. Germani. Celtæ & Galli. Gallicæ mulieres iudices. Pueri in senatu. Responsa latine dabantur legatis. Atrebates. Bellouaci. Græcus sermo Romanis inuisus.

ANNOTATIONES.

z *Fuitque lege sancitum.*] Lampridus in Helingabalo, & P. Victor in 6. regione vrbis Romæ: sed plenius post 14. regionem vbi describit quatuor senatula, & postremum id de quo hic loquitur Alexander. Et ex his intellige hic senatulum, non senaculum esse legendum.

a *Sicut de Mesa Varia.*] Lampridius vbi suprà.

b *Quod de Xerxe.*] Herodotus lib. 8. Et cùm in concilium vocasset delectos Persarum proceres, placuit ei Artemidam quoque ad consultandum accersiri, quam solam constabat anteà quæ facienda essent intellexisse.

c *Antea verò Claudij & Neronis tempore.*] Cornel. Tacitus lib. 13. post princip. Quod quidem aduersante Agrippina, tanquam acta Claudij subuerterentur, obtinuere patres, qui in palatium ob id vocabantur, vt astaret abditis à tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret.

d *Lacedamoniis verò.*] Plutarchus in Comparatione Numæ & Lycurgi, & in vita Agidis.

e *Apud quos.*] Arist. lib. 2. Politicôn c. 7.

f *Idem apud Germanos.*] Tacitus lib. de morib. Germano.

g *Neque omittendum quod de Troglodytis.*] Diod. Siculus lib. 4. cap. 3.

h *Quod etiam apud Germanos.*] Tacitus de morib. Germ.

i *Celtæ verò & Galli.*] Hæc vsque ad clausulam. Vtque pueri sunt. Plutarchi in lib. de virtutibus mulierum. & Polieni lib. 7. Stratagematôn.

k *Vtqué pueri prætextam.*] Id vsque ad versic. Neque illud. est Catonis in Oratio. qua visus est ad milites contra Galbam apud Gellium lib. 1. cap. 23.

l *Neque illud prætereundum.*] Valerius Max. lib. 2. c. 1. vbi de Eumene Rege.

m *Quibus admissis.*] Id vbique comperies apud Liuium.

n *Sicut Atrebates.*] A. Hirtius lib. de bello Gallico 8. At Bellonaci, inquit, reliquæqué ciuitates repentè ex fuga paucis, atque his vulneratis, receptis, qui syluarum beneficio casum euitauerunt, concilio repentè tubarum cantu conuocato, conclamant vt legati obsidésque ad Cæsarem mittantur.

o *Si quid verò proprio sermone.*] Ad Rom. redit, idqué est Valerij Max. lib. 2. cap. 1. vbi de Maiestate & obseruantia linguæ Rom.

p *Et Tametsi Molo.*] Idem eodem, vbi de C. Mario, Molo Rhetor, qui studia M. Cicer. acuit, eum namque ante omnes, exterarum gentium in sanatu sine interprete auditum constat: quem honorem non immeritò cepit, quoniam summam vim Ro. eloquentiæ adiuuerat.

q *Tiberius tamen.*] Sueton. in vita illius, cap. 71. Dion in eodem, Cúmque, inquit, posteà dubitaretur à quibusdam, an ea quoque, quæ haberent emblemata, interdicta essen, de hoc etiam eduxit; & quanquam Latinè id propriè significare non poterat, tamen id verbum, propterea quòd Græcum erat, edicto inseri noluit. Centurionem quoque volente Græcè in senatu testimonium dicere non permisit, & si enim anteà in eo complures causas audierat Græco sermone & multis examinauerat & cætera quæ ibi ponuntur.

r *Claudius Cæsar.*] Sueton in vita illius, c. 16.

s *Inualuitque mos.*] Cic. libr. epistol. famil. & 1. ad Q. Frat.

tias per consules designatos, senatus legatorum audiendis postulatis, & sociorum querimoniis quotidie detur, ne tædio aut longa expectatione & mora frustrarentur: quæ quidem decreta senatus, in prouincias quisque suas cum singulis actis referebant.[t] Illud quoque satis constat, censum senatorium ad nummos octingentorum millium olim fuisse, quem Cæsar Augustus & sequuti Principes ad duodecies centies sestertium auxerunt: & ne quis eorum inops aut egens foret, illos largo viatico & magnis muneribus prosequuti sunt.[u] Tiberius verò, præterquam quòd censum senatorium iuuit, & honestam paupertatem innocentium subleuauit: prodigos tamen & egentissimos, vel senatu mouit, aut loco cedere coegit.[x] Fertur tamen Claudius laudasse illos, qui ob rei familiaris angustiam senatorio ordini sponte cessissent.[y] Et Nero senatoribus qui tenui re familiari essent, annua salaria statuisse:[z] & Marcus Antoninus Philosophus, vt senatores peregrini quartam bonorum & fortunarum saltem in Italia possiderent, lege sanxisse.[a] Quotiésque ambo consules adessent, senatum vnius iussu conuocari non licuisse:[b] quódque comitialibus diebus ex lege Pupia,[c] aut tetris & nefastis,[d] seu cùm tonuisset,[e] aut ventorum procellæ tempestatésve fuissent, senatum haberi non decebat.[f] His tamen comitialibus qui Quirinalia sequuntur, senatum non impediri nonnulli putant: id quod Athenis quoque & Syracusis præcipuè obseruatum fuit. Nam terræ motu facto, aut tempestate ingruente, concilium differri oportebat.[g] Fuitque adnotatum, post horam decimam, nouam cognitionem causæ in senatu haberi non licere,[h] neque patrum decreta in ærarium ante lucem deferri posse: quod senatusconsulto, Tiberio postulante, vetabatur,[i] quo tempore comitia è campo ad patres translata fuere, quum ad eam diem etsi arbitrio Principis niterentur, plura tamen suffragiis tribuum fierent.[k] Augustus tamen Octauius, vt bis in mense legitimus senatus haberetur, calendis scilicet & Idibus, edicto cauit.[l] Ac nisi exacto quarto & vigesimo ætatis anno, in senatum quempiam admitti non licere, præter admodum paucos, quibus ob egregiam virtutis indolem hoc à senatu indultum fuit.[m] Tametsi Augustus, quò celerius liberi senatorum senatui assuescerent, iuuenibus post virilem togam protinus laticlauum dedisse, & curiæ admisisse feratur.[n] Fuitque vetus constitutum, vt adolescentes senatorum filij, primo flore ætatis parentes & necessarios in vestibulo curiæ operiantur, illósque senatu egressos domum reducant & comitentur:[o] senatoribúsque ad plebem transire, & iura patrum amittere, & plebeia subire licuisset:[p] quod præter Marcum Manlium, qui primus à patribus ad plebem defecit,[q] aliis pluribus datum & permissum fuit.

Census senatorius.

Antonini philosophi lex.

Quando senatum non haberi decebat lege Pupia.

Edictum Augusti.

Senatores domum reducti per filios & cognatos.

ANNOTATIONES.

lib. 2. epist. 11. cuius in vtroque loco verba ascribimus inferius in verbo, Quódque comitialibus diebus & eodem quoque lib. epistol. 3. ad princip. A Cal. Februariis legationes in Idus Februar. reiiciebantur, eo die res confecta non est.

t *Illud quoque satis constat.*] Sueton. in Aug. c. 41. Vide Budæum & Beroaldum. Maximus autem census apud Athenienses erat quingentorum modiorum, vt tradit Plutarchus in Aristide post princ.

u *Tiberius verò.*] Cor. Tacitus lib. 2.

x *Fertur tamen Claudius.*] Tacit. lib. 11.

y *Et Nero.*] Sueton. in vita illius, cap. 10 Senatorum nobilissimo cuique, sed à re familiari destituto, annua salaria, & quibusdam quingena constituit.

z *Et M. Antoninus Philosophus.*] Iulius Capitolinus in vita illius.

a *Quotiésque ambo Coss.*] Id quod intelligi potest ex eo quod scribit Dionysius Halicarnasseus libr. 10. non adeò longè à fin. Necesse, inquit, habuit Sextius solus senatum cogere: Quoniam Menenius collega propter morbum aberat.

b *Quódque comitialibus diebus.*] Legis Pupiæ meminit Cicer. libr. 1 epistol. famil. epistol. 4. Senatus, inquit, haberi ante Cal. Februarias per legem Pupiam, id quod scis, non potest, neque mense Februario toto, nisi perfectis aut reiectis legationibus. Et libr. 2. epistol. ad Q. Fratrem epist. 11. Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minùs habeat senatum, & quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex Cal. Februariis vsque ad Cal Martias senatum legatis quotidie dari. Hæc ibi. Sed & idem eiusdem lib. epist. 2. Consecuti sunt dies Comitiales, per quos senatus haberi non poterat.

c *Aut tetris, aut nefastis.*] Gell. libr. 5. cap. 17. Pontifices decreuerunt nullum iis diebus sacrificium rectè futurum. Vnde colligere possumus tunc senatum haberi non debere, cum non nisi auspicato sacrificióque prius facto non habeatur.

d *Seu cùm tonuisset.*] Plutar. in Catone Minore. Tum Pompeius subitò mentitus se tonitru audisse, turpissimè comitia soluit: erat enim in consuetudine positum, vt si de cœlo esset seruatum, nihil perageretur.

e *Aut ventorum procella tempestatésve.*] Hinc Appius Claudius subitò coorti imbris beneficio damnationem effugit, vt refert Valerius Max lib. 8. cap. 1 Itaque, inquit, cui marina tempestas causæ dictionem contraxerat, cœlestis salutem attulit.

f *His tamen comitialibus qui Quirinalia sequuntur.*] Vt patet ex eo loco Ciceronis lib. 2. Epistol. epist. 11. ad Q. Frat. cuius verba adduximus suprà in verbo, Quódque comitialibus.

g *Fuitque adnotatum.*] Vide locum in seq. allegatum.

h *Neque patrum.*] Tacitus lib. 3. Igitur factum senatusconsultum, ne decreta patrum ante diem ad ærarium deferrentur, idque vitæ spatium damnatis prorogaretur.

i *Quo tempore comitia.*] Tacitus lib. 1. Annalium.

k *Augustus tamen.*] Sueton. in vita illius, c. 35.

l *Ac nisi exacto quarto.*] Hic omnino vide quæ scripsi in Commentariis Primigeniorum in præfat. nu. 168. incip. & sanè & multis seq. vsque ad num. 180.

m *Tametsi Augustus.*] Hæc ad verbum desumpta sunt ex Suetonio in vita Augusti, c. 38.

n *Fuitque vetus constitutum.*] Val. Maximus lib. 2. c. 1.

o *Senatoribúsque ad plebem transire.*] Quod patet exéplo seq.

p *Quod præter M. Manlium.*] Liuius 1. Decad. libr. 6. non semel.

q *Aliis pluribus.*] Vt P. Clodius & alij, de quibus dicetur inferius lib. 6. c. 24.

a De

Quæ origo fuerit sacrorum Lupercalium, & quomodo celebrari, quandóque coli solerent, & quàm varia deorum effigies fuerint. CAPVT XII.

DE [a] origine Lupercalium, diuersa ab authoribus prodita sunt: quippe à Romulo & Remo, postquam Numitore auo occiso, Amulio regnum restitutum est, ipsíque condendæ vrbis locum in regionibus in quibus geniti educatíque erant, nacti sunt, sacra eiusmodi institnta ferunt, qnum capti epulis & vino, incincti pellibus hostiarum, [b] per luxum & lasciuiam currerent: quæ Inuum vocauere. [c] Multi ab Arcadibus, qui cum Euandro in hæc loca venerant, hoc solenne ludicrum [d] in honorem Lychæi Panos allatum fuisse autumant. [e] Sunt qui putent Romulum & Remum, qnum Fauno sacra facerent, clamore pastorum excitos, quorum oues abactæ erant, in lattones præda onustos incurrisse nudos, prædámque derraxisse: qua postquam potiti sunt, sacra instituisse, vt nudi iuuenes, incincti pellibus, per ludum & lasciuiam currerent: [f] ex quibus alij Fauiani, nonnulli Quintiliani dicti. [g] Quod sacrum expiationis causa iuuenrum, ad inferos pertinere, argumenro est, quòd mense Februario, hoc est, xv. calendas Martias, quo populus purgatur, & inferorum placantur manes, hoc sacrum celebrari tradant: quódque Iunoni Februatæ tunc sacra fiant, cuius feriæ Lupercalia sunt: in quo licet antea adolescentes passim currerent, [h] postea Augustus Octauius dum pudori consultum voluit, ne imberbes cursitarent, decreto sanciuit. [i] In eo qnoque capræ immolantur candidæ, quæ solennis victima in Lupercalibus habetur: qnibus immolatis viri honesto loco nati, quos Lupercos dicunt, duo ibi sisterent, quorum frontes & ora cultro sanguine hostiarum infuso, inuicem intingerent: mox lana lacte madida sanguinem tergerent, quibus de more in risum effusis, dum cachinnant, tergora in lora inciderent, [k] nudíque & vncti, [l] amicti caprina pelle, in orbem discurrerent, vultu hilari vsque ad ineptias, obuiámque turbam eisdem loris impeterent: [m] quare Crepi dicti. [n] Obseruatúmque, vt à ficu Ruminali, vbi Romulus & Remus expositi fuerant, cursum inceptarent, concitóque gradu per vrbem vaderent: [o] quibus mulieres occurrere, & palmas feriendas præbere, assuetant, fœcunditatem & partus facilitatem propterea sibi dari arbitratæ. [p] Quod sacrum in Palatino monte, vbi Panos templum fuit, colebatur: [q] cuius simulacrum caprina facie, rubro colore, hirtis cor-

Lupercalia.

Lupercalia ad inferos pertinent.

Caremonie.

Lupercalium.

Luperci.

Crepi Luperci.

Panos simulacrum.

ANNOTATIONES. IN CAP. XII.

a DE *origine Lupercalium.*] De his vide Ouid. lib. 2. Fastor. Linium 1. Decad. lib. 1. non adeò longè à prin. Valerium Maximum lib. 2. c. 1. Plutarch. in vita Romuli, & Antonij, Iustinum lib. 43. D. Augustinum de Ciuitate Dei, lib. 13. cap. 34.

b *Per luxum & lasciuiam.*] Id totum est Liuij vbi suprà.

c *Multi ab Arcadibus.*] Liuius vbi suprà, & Plutarc. in Romulo & in Cæsare.

d *In honorem Lycei Panos.*] Pan enim, cui hæc sacra dedicata erant, Inuus vocabatur, vt scribit Seruius lib. 6. Æneid.

Pometios castrúmque Inui.

Pan Inuus ab ineundo appellatus est. Idem Virgil. lib. 8. ibi,

—Et gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lyai.

Vbi Seruius, Sub monte, inquit, Palatino est quædam spelunca, in qua de capro luebatur, id est, sacrificabatur: inde & Lupercal dictum nonnulli putant. Alij verò dicunt, quòd illic lupa Remum & Romulum nutrierit. Alij (quod est verisimilius) lucum hunc esse sacratum Pani, Deo Arcadiæ: cui etiam mons Lycæus est consecratus, quod λύκους id est, lupos, non sinat in oues sæuire.

e *Sunt qui putent.*] Vide quos citauimus suprà in prin. Seruius in lib. 8. Æneid. in enarratione eius loci,

Hinc exultantes Salios, nudósque Lupercos.

Quum, inquit, in honorem Panos, Lupercaliorum solennitas celebraretur; pecora Romanorum subitò à latronibus rapta sunt: illi proiectis vestibus, prosequuti sunt latrones: quibus oppressis, & receptis animalibus, propter rem à nudis prosperè gestam, permansit consuetudo, vt nudi Lupercalia celebrarent. Hæc Ser. Alij autem aliam adferunt caussam, quòd Faunus per vestes ab Hercule delusus fuerit, aut quòd cæso Amulio, Romulus & Remus fœdati vultibus sanguine, nudatis gladiis, & vestibus succincti, ab Alba vsq; ad ficum Ruminalem concurrerint: vnde in Lupercalibus seruatum fuit, vt nobiles adolescentes faciem sanguine fœdarent: & alij accurrerent, abstersuri tabem lana lacte madida. Vide Plutarchum in Cæsare.

f *Ex quibus alij Fauiani.*] Festus Pomp. li. 6. vbi de Fauianis,

g *Quod sacrum expiationis causa.*] Hæc sunt Plutarc. probl. c. 68. & Festi Pomp. vbi suprà.

h *Postea Augustus.*] Suetonius in vita illius c. 31.

i *In eóque capra immolantur.*] Hæc vsque ad ea verba, Nudíqué & vncti. sunt. Plutarchi in Romulo.

k *Nudique & vncti.*] Plutarc. in Antonio.

l *Amicti caprina pelle.*] Iustinus lib. 43.

m *Quare Crepi dicti.*] Festus Pomp. lib. 3.

n *Obseruatúmque.*] Plutarc. in Theseo.

o *Quibus mulieres occurrere.*] Plutarchus in Romulo.

p *Quod sacrum in Palatino monte.*] Iustin. d. lib. 43.

q *Cuius simulacrum.*] Herodotus lib. 2. scribit, Panos simulacrum & pictores pingunt, & statuarij scalpunt, quemadmodum Græci, caprina facie, hirciníque cruribus, haudquaquam existimantes eum esse talem, sed similem cæteris diis. Silius Italicus lib. 13. Punicorum,

Pan Ioue missus erat seruari tecta volente
Troia, pendenti similis Pan semper, & vno
Vix vlla inscribens terra vestigia cornu.
Dextra lasciuit cæsa Tegeatide capra,
Verbera læta mouent festa per compita cauda,
Cingit acuta comas & opaca tempora pinus,
Ac parua erumpunt rubicunda cornua fronte.
Stant aures, summóque cadit barba hispida mento.
Pastorale Deo baculum, pellísque sinistrum
Velat grata latus tenera de corpore damæ.
Nulla in præruptum tam prona & inhospita cautes,
In qua non librans corpus, similísque volanti
Cornipedem tulerit præcisa per auia plantam.
Interdum inflexus medio nascentia tergo
Respicit arridens hirta ludibria caudæ:
Obtendénsque manum solem inferuescere fronti
Arcet, & vmbrato perlustrat pascua visu.

Seruius in Virgilij eclo. 2. ibi,

Mecum vna in syluis imitabere Pana canendo,
Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit, Pan curat oues, ouiúmque magistros.

Pan, inquit, Deus rusticus in naturæ similitudinē formatus,

vnde

Panos numen maximum. Iouis simulacrum. Aula animalium asylum. Dianæ ætoliæ lucus. Manali. Bœotiæ perdices. Veiouis simulacrum. Apollinis. Veiouis templu. Iuno Sospita. Simulacris deorum vincula annexa. Saturni effigies. Osiridis.

nibus,pectore sideribus radiante, infima sui parte hispida, & caprino pede fuit: altera manu fistulam teneos,altera pedom incutuum.[t] In cuius etiam sacris canem immolari tradunt:quippe Pan magnum & saoctissimum habebant numen. [s] Ægyptiis enim ex octo diis habetur maximus: [t] qui & Iouis simulachrum arietis facie effinxere. [u] Mendesij Pana summi percolunt honoribus, adeo vt hircum pro deo colani,mulieresque cum hircis coire dicantur:capraníque, maximò in honore sint.[x] Apud Thebanos arietes tanti fuere, vt non mactarentur, sed essent sacrosancti. [y] Arcades Pani & Ioui Lycæo stata die humana victima sacrificant:[z] in cuius templo vmbras non cadere,opinio fuit. Athenienses annuis hostiis & ardenti candelabro litant.In Parthenio monte Panos delubrum erat, [a] vbi locus nomine Aula,omnibus animalibus velut asylum, quem leones & lupi, dum feras insectantur, adire non audent,sed protinus subsistunt,& feras relinquunt.[b] Sicut in Dianæ Ætoliæ luco in Venetis,fabulantur,canes dum feras insequuntur,vbi ad lucum confugerint, ab infectatione quiescere.Idem in montibus quos Græci Mænalos vocant, [c] Aristoteles prodit: ad quos vbi feræ à canibus impetuntur,tanquam in tutissimam arcem se recipiunt: ipsique vltra præscriptum progredi non audent. [d] Quod de Bœotiis perdicibus memoriæ proditũ est,vt præscriptum finem & quasi metas habeant in aere, vltra quas meare non possunt.[e] Mirúmque euenire in Pedasia regione Cariæ,vt quum Ioni Lycæo stata die sacrificetur,capram è Pedaso sua sponte ad sacrificij locum venire,& se immolandam præbere dicant. [f] Romanis verò præter alios deos fuit Veiouis simulacrum, quem dixere Apollinem, cuius caput ornatur cornibus,sagittásque manu tenet, iuxta quem aries iacet: [g] sicut imago Apollinis Smynthæi,premens murem effingitur.[h] Atque in Ægypto in templo Vulcani,eius simulacrum cum mure apprehenso conspicitur: propterea quòd Arabes quum regionem inuasissent, Vulcanus magnam vim murium effudisse,,arcúsque & habenas corrodi fecisse,atque ita hostes fugasse dicitur.[i] Fauno quoque capram immolari nouimus, quamuis semideo: cuius ædes vna ad forum olitorium, [k] altera ad Tiberis ripam Iouis & Fauni. [l] Veiouis templum inter duos lucos erat, Capitolium & Palatium. [m] præter quæ fuit Sospita Iuno Lauini,cuius simulacrum caprina pelle velatur annis singulis.Sed quia de imaginibus sermo est,non omittendum id quod [n] à Tyriis obseruatum legimus, vt deorum simulacris vincula annectant,ne euocarentur & abirent,quum eos hostili carmine euocatos,abituros timerent.[o] Romaniquoque Saturni effigiem toto anno vinctam laneo vinculo habuere, festis solum diebus Saturnaliorum vinculis exoluentes.[p] Ægyptij quum Osirim,quem Solem,& maximum deorum nuncupant,effingere

ANNOTATIONES.

vnde dicitur Pan,omne: habet enim cornua id est,ad similitudinem solis radiorum & Lunæ cornuum. Rubet eius facies ad ætheris imitationem. In pectore habet nebridam stellatam, vt stellas imitetur. Pars inferior hispida, propter arbores & feras. Caprinos habet pedes, vt ostendat terræ soliditatem. Fistulam habet septem calamorum,propter harmoniam ex septem sonis. Pedum habet, propter annum, quem in se recurrere fingunt Poëtæ: cum Amore deo luctatum esse, & ab eo victum: quia Omnia vincit Amor,Lucianus lib.de Sacrificiis,ad fi. vbi dicit,& Phurnutus.

r *In cuius etiam sacris canem.*] Plutarchus in Romulo.

s *Ægyptiis enim.*] Herod.lib. 2.Diodor. Siculus lib. 1. c.2.

t *Qui & Iouis simulacrum.*] Herod. d lib. 2.& Lucianus vbi suprà.

u *Mendesij.*] Herod. vbi suprà. Mendesij capras & hircos non mactant, quòd Pana inter octo deos numerent, quos octo aiunt priores duodecim diis extitisse.Et paulò post: Vocatur autem & hircus & Pan Ægyptiacè Mendes. In hac regione contigit hoc mea memoria prodigium, Hircus cum muliere coiit propalam, quod in ostentationem hominum peruenit.Idem Strabo lib. 17. scribit,Diod. Siculus lib. 1. c. 2. & Suidas.

x *Apud Thebanos.*] Intellige Ægyptios ex Herodoto d. lib. 2. qui postquam huius rei rationem reddit, inquit, Ob hanc rem Arietes non mactantur à Thebanis, sed eis sacrosancti sunt.

y *Arcades.*] Plinius lib. 8. c. 22. & Pausanias lib. 8. qui est de Arcadicis.

z *In cuius templo.*] Scilicet Panos. Vide Gyraldum de Diis Gentium.

a *Vbi locus nomine Aula.*] Idem Gyraldus de Diis Gentium syntag. 15. sed nullo authore citato. Ad id est Æliani de Animal. lib. 11. c. 6.

b *Sicut Dianæ Ætoliæ.*] Idem Gyraldus vbi suprà.

c *Aristoteles.*] In libro mirabilium auscultationum.

d *Quod de Bœotiis perdicibus.*] Plinius lib. 10. c. 29.

e *Mirúmque euenire in Pedasia.*] Aristotel. fi. is est, Mirabilium Auscultat. c. 34. Vide Strabonem de Lycio Ioue.

f *Romanis verò.*] Gellius lib. 5. c. 12.

g *Sicut imago Apollinis.*] Strabo lib. 13. Ælianus de Animalibus lib. 8. c. 10.

h *Atque in Ægypto.*] Herod. lib. 2.

i *Fauno quoque.*] Ouid. Fastorum lib. 2.

Cornipedi Fauno cæsa de more capella,
Venit ad exiguas turba vocata dapes.

Et hœdus quoque illi immolabatur Horatio libro Carm. 3. Ode 18. vbi ita ipsum alloquitur.

Si tener pleno cadit hœdus anno:
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina cratera: vetus ara multo
Fumat odore.

k *Altera ad Tyberis ripam.*] Scilicet in insula Tiberina, cuius adhuc vestigia (vt scribit Bartholomæus Marlianus) quædam cernuntur. Ouid. Fast. 2.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni
Hic vbi discretas insula rumpit aquas.

Liuius 4.Dec.lib. 3. scribit Cn. Domitium Ænobarbum & Cn. Scribonium, Ædyles, multos pernarios ad populi iudicium traxisse, trésque ex his condemnatos fuisse, & ex eorum mulctaritia pecunia hanc ædem in insula fecisse.

l *Veiouis templum.*] Gellius lib. 5. c. 12.

m *Præter quæ fuit Sospita Iuno Lauini.*] Liuius 3. Dec. lib. 2. post princ. vide Gyraldum.

n *A Tyriis.*] Idem Gyraldus de Diis Gentium syntag. 1. vbi etiam nullum citat authorem; sed id est Plutarchi in vita Alexandri & Problem. cap. 61. & Q. Curtij gestorum Alexand. lib. 4. & vide inferius lib. 6. c. 4.

o *Romani quoque.*] Macrobius authoritate Verrij Flacci, & Apollodori Satur. lib. 1. c. 8.

p *Ægyptij cùm Osirim.*] Macrob. eod. lib. 1. c. 21. Hinc Osirim, inquit, Ægyptij, vt solem esse asserant, quoties hieroglyphicis literis suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum: inque

contendunt, sceptrum in cuius summò oculi species inerat, effinxerunt.[q] Serapidi verò modium apponunt supra caput. [r] Persæ figurant Solem leonis rictu, cum tiara, vtraque manu cornua premente. [s] Indi gryphos iungunt Solis quadrigæ. [t] Phœnicibus Solis simulacrum lapis est niger, ab imo rotundus tenuatur in cuneum. [u] Apud Pæones discus breuis longo ligno oppositus, pro sole colebatur. [x] In Attica Apollo verticosus exurgit in pyramidem.[y] Isis verò apud Sueuos in modum liburnæ. [z] Et Iupiter Labradæus cum securi, [a] sicut Terræ simulacrum cum claui. [b] Paphia quoque Venus fuit non humana effigie, sed informi, latiore initio, metæ in modum fastigiata, [c] Elei Venerem hirco insidentem, altero pede testudinem premente, effinxere.[d] Et Pygalienses Cererem habitu mulieris in petra iacentis, capite & iuba equina, tunica verò demissa.[e] Apud Celtas Hercules fuit cognomento ὄγμιος, imagine decrepiti senis, capite incompto, pelle rugosa, dextra clauam tenens, sinistra protentum arcum, multos mortaleis catenis vinctos ducens: [f] quibus altissima quercus erat Iouis signum. [g] Sicut Palladis Atticæ, [h] & Cereris Farræ, informe signum.[i] In Cypro Venus barbata, virili specie, & habitu muliebri: [k] apud Tussas in Ægypto, cum cornibus bubulis effingebatur.[l] Fuitque apud Ascalon Syriæ Derceta dea facie hominis, cuius postrema desinebant in piscem. [m] Mercurij imago Græcis fertur quadrato statu, capite solum efficto, tali specie pluribus figuratis, quos pro immortali gloria magnis sæpe ducibus dicabant. [n] Erátque opinio Pythagoræ, non ex omni ligno exculpi Mercurios decere. [o] Hammonis verò effigies vmbilico similis habetur. [p] Et apud Arabes lapis tetragonus pro deo. [q] Olympij autem Iouis in Attica os ex ebore auróque constat: reliquum corpus ex luto & gypso,[r] supra cuius caput Horæ & Parcæ visuntur. [s] Sic Mineruæ Trenalis os erat ligneum, manus & pedes

Serapidis. Solis. Isidis. Iouis Labradæi. Terra. Paphia. Veneris. Cereris. Herculis apud Celtas. Veneris in Cypro. Derceta. Mercurij. Hammonis. Dei apud Arabes. Olympij Iouis. Mineruæ Trenalis.

ANNOTATIONES.

inque eo speciem oculi exprimunt, & hoc signo Osirim monstrant: significantes hunc Deum solem esse regalique potestate cuncta despicere, quia solem Iouis oculum appellat antiquitas.

q *Serapidi verò.*] Suidas vbi de Serapide. Aliter eum effingit idem eodem lib. 1. cap. 20. Sed iidem Ægyptij Canopi simulacrum formabant, pedibus perexiguis attracto collo & quasi sugillato, ventre tumido in modum hydriæ cum dorso æqualiter tereti, vt scribit Ruffinus Aquileiensis presbyter lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ c. 26. vbi declarat qui & vnde is deus dictus sit.

r *Persæ figurant solem.*] Statius lib. 1. Thebaidos in fi.

—Seu præstat Osirim
Frugiferum: seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua mitram.

Vbi Lactantius interpres scribit simulacrum Mitræ, qui & sol est apud Persas in antro coli leonis vultu, & Persico habitu cum tiara, vtrisque manibus reluctantis tauri cornua comprimentis, quo significatur lunam ab eo lumen accipere, cùm cœperit ab eius radiis segregari.

s *Indi gryphos iungunt.*] Vide eundem & Philostratum lib. 3. & Arrianum lib. 8. & Gyraldum de Diis gentium.

t *Phœnicibus.*] Idem Gyraldus syntag. 1. nullo authore citato: sed id est ex Herodiano lib. 5. non multò post princ.

u *Apud Paones.*] Maximus Tyrius ser. 38.

x *In Attica Apollo.*] Pausanias lib. 1. vbi κόρυμβος dicitur, id est, vt vertit Domitius, verticosus.

y *Isis verò apud Sueuos.*] Cor. Tacitus de morib. German.

z *Et Iupiter Labradaus.*] Plutarc. probl. c. 158.

a *Sicut Terra simulacrum.*] Seruius lib. 10 Æneid. eo loco;

Alma parens Idea deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque vrbes, biiugique ad frena leones.

Terram, inquit, constat esse matrem deûm, vnde & simulacrum eius cum claui pingitur. Nam terra aperitur vernò, hyemali clauditur tempore.

b *Paphia quoque Venus.*] Tacitus lib. 18. Simulacrum, ait, deæ (de ea autem loquitur) non effigie humana. Continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exurgens. Maximus autem Tyrius ser. 38. scribit apud Paphios Venerem fingi specie albæ pyramidis, cuius materia omnino ignota erat.

c *Elei Venerem.*] Plutarc. in præceptis Connobialibus c. 33. & in lib. de Iside & Osiride, & Pausanias lib. 6. Vide nostras leges Connubial. l. 10. num. 16.

d *Et Pygalienses.*] Phigalenses legendum est ex Pausania lib. 8. qui est de Arcadicis, vbi id simulacrum describit.

e *Apud Celtas.*] Lucianus in Hercule Gallico, sed hîc legendum non ὄγμιος, sed ὄγμιος ex eod.

f *Quibus.*] Scilicet Celtis ex Max. Tyrio ser. 38.

g *Sicut Palladis Attica.*] De huius simulacro, in Attica, vide Pausaniam lib. 1. & Apuleium lib. 10. Asini aurei.

h *Et Cereris Farra.*] Non memini legisse quenquam de Cerere Farra, verùm de eius simulacro vide Pausaniam d. lib. 1.

i *In Cypro Venus barbata.*] Macrob. lib. 3. Saturn. c. 8. Signum, inquit, huius est Cypri barbatum corpore, sed veste muliebri, cum sceptro ac statura viri. Et putant eandem marem ac fœminam esse. Aristophanes eam ἀφρόδιτον appellat.

k *Apud Tussas in Ægypto.*] Idem Gyraldus de Diis Gentium syntag. 13. & 17. sed neutro loco authorem citat. At Herodotus lib. 2. non de Venere, sed de Iside loquens scribit Isidis simulacrum apud Ægyptios muliebre esse, bubulis præditum cornibus, quemadmodum Io. Græci describunt.

l *Fuitque apud Ascalon.*] Diod. Siculus lib. 2. c. 2. in prin. Est Syriæ vrbs Ascalon: haud procul ab hac stagnum est piscibus plenum, iuxtáque templum insigne deæ, quam apellant Dercetam, facie hominis, reliqua parte corporis piscem. Ouid. 4. Metam. illis versibus,

Illa quid è multis referat (nam plurima norat)
Cogitat & dubia est de te Babylonia narret
Derceti, quam versa squamis velantibus artus
Stagna Palæstini credunt coluisse figura.

Lucianus in lib. de Syria dea. Et de hac quoque Plinius lib. 5. c. 13. & 23. Gyraldus lib. de Diis Gent.

m *Mercurij imago.*] Macrobius lib. 1. Satur. c. 19. vbi & præterea tradit Athenienses primos è Græcis à Pelasgis edoctos statuas Mercurij erectis virilibus habuisse, quod & ante eum scripserat Herodot. lib. 2. quem tamen non citat, eiúsque rei rationem reddit. Lucianus autem in lib. de Sacrificiis ad fi. scribit Ægyptios facie canina effingere.

n *Erátque opinio Pythagora.*] Apuleius Apologia 1. Magiæ, Vide Erasmum in Chil. 2. cent. 5. c. 47. Non è quouis ligno Mercurius fiat.

o *Hammonis.*] Q. Curtius lib. 4.

p *Et apud Arabes lapis tetragonus.*] Et is quidem informis, vt tradit Arnobius aduersus Gentes lib. 5. Sed idea mater Pessinuntea sacer lapis erat quem Romani deducere curarunt, apud Liuium 3. Dec. lib. 9.

q *Olimpij autem Iouis in Attica.*] Pausanias lib. 1. scribit, Ipsius quidem Iouis os auro & ebore constat: reliquum vero corpus & gypso & fictili est materia. Strabo autem lib. 8. id Iouis simulacrum ex auro solidum fuisse scribit: At Plinius lib. 34. c. 8. ex ebore.

r *Supra cuius caput.*] Idem Pausanias ibi.

s *Sic Minerua Trenalis.*] Pausanias l. 7. qui de Achaicis est, refert

Matris deûm. Boni euentus. Plutt. Iustitia. Osiridis. Dionysij. Memnonis. Serapidis. Ala diis addita. Saturni. Athletarum victorum. Alabandai.

marmorea. [t] Matris deûm simulacrum, nec qua sit materia aut specie, nec à quo artifice, noscebatur. [u] Boni euentus species erat pauperis habitu, dextra pateram, sinistra spicam tenens. [x] Diuitiarum verò deus Spartæ, & cæci & iacentis facie colebatur. [y] Iustitia apud Ægyptios fuit sine capite, [z] Osiris verò canino. [a] Dionysij forma vna barbati, [b] altera cornuti, [c] tertia adolescentis visebatur. [d] Mirúmque prodi de Memnonis statua, vt quum matutino solis radio illustratur, æris tinnitum & speciem loquentis præbeat: [e] sicut de Serapidis simulacro in Ægypto, templo ita extructo, vt exoriens Sol os & labra illustraret. [f] Nec prætereundum quòd Æthiopibus in vsum venit, vt deorum simulacra minio illinirent, illa pro maiestate numinum sanctiora & augustiora arbitrati: [g] & apud Ægyptios [h] & Phœnices, vt singulis diis singulas alas adderent: [i] Saturno verò quatuor, duas protentas, duas verò remissas, & oculos quatuor, vt signarent ipsum dormientem vigilare, & vigilantem dormire consuesse. [k] Quódque Athenienses, siquem athletarum victorem designabant, statuam illi obnixo genu cum scuto, porrecta hasta impetum excipere effinxerũt: pro eo quòd Chabrias milites Agesilai hoc statu impetum excipere docuit, & victor fuit. Fertur Licinius in Alabandæos facetissime cauillatus, quòd statuæ quæ erant in balneis, essent habitu iura dantium & causas agentium: quæ verò in foro, omnes discos tenerẽt. Illud quoque non in postremis fuerit, [l] Rhodi supra septingenta tria millia signorum, [m] nec pauciora Athenis, [n] Delphis, [o] atque Olympiæ fuisse: Romæ verò tantum statuarum, vt alter populus lapideus videretur.

ANNOTATIONES.

refert tale fuisse simulacrum quale Alexander hìc describit apud Ægiram. Sed quare Mineruam Treoalem vocat, nescio, nec Pausanias scribit.

t *Matris deûm.*] Heròd. lib. 1. Arnobius autem lib. 5. dicit Pessinuntios informem lapidem pro matre deûm colere, & Samios Puteum pro Iunone.

u *Boni euentus species.*] Plinius lib. 34. c. 8. Et simulacrum, inquit, boni euentus dextra pateram, sinistra spicam ac papauer tenens. Ex quo intelligis Alexandrum hic deceptum fuisse dum dicit, Pauperis habitu: nam papaueris dicere debuit: quanquam nec id conuenit verbis Plinij.

x *Diuitiarum verò Deus.*] Plutarchus lib. de cupidit. diuitiarum. In vna, inquit, vrbium quæ sub sole sunt, diuitiarum Deum seruari & cæcum & iacentem, vt picturam inanimatam ac immobilem. Vide Pausaniam. Omnes autem vbique Plutum diuitiarum deum cæcum faciunt, vt Theocrit. Eidyllio 10. & eius ibi interpres. Aristophanes in Pluto. & Cælius Rhodig. lect. antiquar. lib. 10. c. 18. Cicero libr. 2. De natura Deorum.

y *Iustitia apud Ægyptios.*] Idem Gyraldus de Diis Gentium syntag. 2. sed nullo authore, præter hunc nostrum Alexand.

z *Osiris verò canino.*] Imò Anubis ipsius Osiridis filius ex Diod. Siculo lib. 2. c. 10. & Apul. lib. vlt. Metam. Attollens, inquit, ceruices arduas Anubis. Seruius exponens illud lib. 8. Æneid.

Omnigenúmque deûm monstra & latrator Anubis.

Quia, inquit, capite canino pingitur, hunc volunt esse Mercurium: ideo, quia nihil est cane sagacius. Latrans & Propertio dicitur lib. 3. eleg. 11.

Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubim.

Et Ouid. lib. 9. Metam. vbi de comitibus Isidis,

Et regale decus, cum qua latrator Anubis.

Eusebius eius rei meminit lib. 2. Præparationis Euangelicæ scribens deum, qui apud Ægyptios Anubis appellatur, caninum habere caput: eáque re ostendi custodem ipsum Osiridos fuisse tam belluas, quàm importunè obuiam factos coërcentem.

a *Dyonisij forma.*] Diod. Siculus libr. 5. Macrob. d. lib. 1. Satur. cap. 18.

b *Altera cornuti.*] Diod. lib. 5. Quibus locis declarant cur illi dantur cornua. Ex hócque illud Horat. Car. lib. 2. Ode 19. in Bacchum carmina in secretis nemoribus docentem,

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Vbi Acron & Porphyrion interpretes rationem reddunt. Et illud quoque Ouidij in Epistola Sapphus,

Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

c *Tertia adolescentis.*] Macrob. d. lib. 1. c. 18. Item liberi patris simulacra partim puerili ætate, partim iuuenili fingunt, præterea barbara specie senili quoque.

d *Mirúmque prodi de Memnonis statua.*] Plinius lib. 35. c. 7. Cornelius Tacitus lib. 2. Memnonis, inquit, saxea effigies, vbi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens: disiectasque inter & vix peruias arenas, instar montium eductæ Pyramides certamine & opibus Regum, lacúsque effossa humo super fluentis Nili receptacula, atque alibi angustiæ & profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabiles. Philostratus in vita Apollonij lib. 6. cap. 3. Memnonis statua adolescentis impuberis imaginem refert. Est autem ex nigro lapide fabricata, & ad solis radios conuersa, vtroque pede cœlum attingens, iuxta Dædali statuariam artem. Erectæ autem manus sedi innituntur hominis surgere volentis similitudinem exprimentes. Oculorum autem & totius oris imaginem, quasi loquentis hominis, esse perhibetur, & hæc quidem anteà minorem ipsi dabant admirationem, quòd non nimium elaborata videretur, & quantum artis operi inesset ignorarent. Cùm verò solis radius statuam attingeret (id autem circa solis ortum euenire perhibent) tum verò supra modum admirabilis visa est. Tunc enim statuam loqui perhibent, vbi primùm solis radius ad eius os peruenit. Eius oculi splendentes, laetique ad solem expositi sunt, sicut eorum, qui valde solis aspectum tolerare possunt.

e *Sicut de Serapidis simulacro.*] Cor. Tacitus d. lib. 2. Ruffinus Ecclesiasticæ historiæ lib. 2. c. 23. Fenestra, inquit, perexigua ab ortu solis ita erat aptata, vt die qua fuerat institutum simulacrum solis ad Serapim salutandum introferri, diligenter temporibus obseruatis, ingrediente simulacro radius solis per eandem fenestram directus, os & labra Serapidis illustraret: ita vt inspectante populo osculo salutatus Serapis videretur à Sole.

f *Nec prætereundum quod Æthiopibus.*] Plinius lib. 3. c. 7. scribit Romanos Iouis simulacri faciem diebus festis minio illinire solitos triumphantúmque corpora, sicqué Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in vnguenta cœnæ triumphalis & à censoribus in primis Iouem miniandum locari. Cuius rei equidem causam miror: quanquam & hodie id expeti constat Æthiopum populis, totósque eo tingi proceres, huncqué ibi deorum simulacris colorem esse. Idem lib. 35. c. 12. tradit Iouis effigiem fictilem fuisse, & ideo miniari solitam.

g *Et apud Ægyptios.*] Gyraldus de Diis Gent.

h *Et Phœnices.*] Idem ibid.

i *Saturno verò quatuor.*] Idem.

k *Quódque Athenienses.*] Id vsque ad clausulam, Fertur Licinius. est Probi Æmylij in vita Chabriæ.

l *Rhodi.*] Plinius lib. 34. c. 7.

m *Nec pauciora Athenis.*] Multas ibi fuisse constat ex Pausania lib. 1. qui de Atticis est.

n *Delphis.*] Idem.

o *Atque Olympia.*] Idem.

Quæ vitia ex loci natura aut cœli climate quibusdam gentibus ita innata sint, vt illa habeant propria & perpetua. CAPVT XIII.

LVCIVS Parthenopæus, deliciæ, amor & decus nostrum, ingenio fuit homo eleganti sermonéq; perquàm docto & exculto, vultu hilari & festiuo, prædirus omni vrbanitate, & omni sale: sed cultu corporis inuenusto, vestéque humili & inhonesta, adeóque omnium rerum hominúmque contemptor, vt summę nobilitatis viros ne congressu quidem suo dignaretur: & nisi literatos, quos toto pectore fouebat, reliquos floccipenderet & nihili duceret: denique nulli obnoxius, liber & suo arbitratu viuebat. Is, dum Neapoli essemus doctis iuuenibus comitatus ad nos ventitabat: congressúque hominis eloquentissimi & mihi amicissimi fruebamur totos ferè dies. Dúmque, vt fit, diuersarum gentium mores apud nos scitè subtilitérque pensitaret, memini ipsum dicere solere, [a] quòd sicut quædã regiones sunt quæ acuta ingenia & solertia gignunt, vt quibus est aër purus & tenuis, [b] velut Athenis: aliæ, quæ retusa & hebetiora, vt quibus crassus & pinguis, sicut [c] Thebis: ita ex cœli rigore vel clementia, nonnunquam ex siderum statu vel influxu, virtutes vitiáque gentibus innasci, quæ ingenita adeò loci incolas afficiunt, itaque corporibus animisq; insident vt illa habeant propria & perpetua. [d] Siquidem Campani superbi natura & bonitate agrorũ ex mitissimo cœlo & affluenti copia voluptatum terrestrium maritimarúmque rerum, semper habiti sunt. Domicilium enim superbiæ (vt [e] Cicero inquit) penes Campanos fuit, [f] Argiui [g] & Brutij ex more insito genti, latrones. Illorum nanque ingenia latrociniis læta sunt, & rapinis gaudent. [h] Rhegini pauidi & formidolosi. [i] Itali nobilitate præstant, & regali quadam magnificentia lauti & magni sunt, [k] Galli super insitam genti vanitatem, [l] mobiles [m] & stolidi, [n] contentionis auidi, consiliisque capiendis non ratione, [o] sed impetu feruntur: tamen [p] religioni deditos esse, haud dubium est. [q] Hispani iactabundi, [r] duri & parci, abactorésque acerrimi, ad inediam laborésque, atque ad mortem parati. [s] Græci licet inge-

L. Parthenopæus. *Cãpani.* *Argiui & Brutij.* *Rhegini.* *Itali.* *Galli.* *Hispani.* *Græci.*

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

a *QVod sicut.*] Hic omnino vide quæ in hanc sententiam congessimus in nostris legibus Connubialibus l.7.nu.14.incip.sed & quod. & mulris seq.

b *Velut athenis.*] Vide quos allegaui in dictis legib. Connubialibus.

c *Thebis.*] Ibid.

d *Siquidem Campani.*] Liuius 1.Decad. lib.8. non vno in loco, & lib.9. vbi dicit, Superbiam ingenitam Campanis. & 3. Decad. lib.5. vbi dicit eam gentem suopte ingenio esse superbam. Pomponius autem Mela de his loquens lib.3.c.2. Gentes, inquit, superbæ, superstitiosæ, aliquando etiam immanes, adeò vt hominem optimam & gratissimam diis victimam crederent, manent vestigia feritatis iam abolitæ atque vt ab vltimis cædibus temperant, ita nihilominus, vbi deuotas altaribus admouere, delibant: habent tamen & facundiam suam, magistrósque sapientiæ Druidas.

e *Cicero.*] In Orat.2.de lege Agraria.

f *Argiui.*] Eustathius in lib.2. Iliad. in Catalogo, tradit eos notatos fuisse, vt sycophantas & litium auidos, citátque in id adagium ex Pausania ἀργεῖοι φῶρες. Cuius etiam meminit Diogenianus in Collectaneis. Sed & eos Herodotum lib.3. tradit cæteris Græcis musicæ præstitisse.

g *Et Brutij.*] Liuius 3. Decad. lib. 9. Spes, ait, affectandæ eius rei ex minima re affulsit: quod latrociniis magis quàm iusto bello in Brutiis gerebantur res, principio ab Numidis, & Brutiis non societate magis Punica, quàm suopte ingenio promptis in eum morem.

h *Rhegini pauidi.*] Quod satis iodicat vetus illud prouerbium ῥηγίνων δειλότερος. id est Rheginis timidior & formidolosior, apud Zenodotum in Collectaneis authoritate Xenarchi.

i *Itali.*] Firmicus Maternus, cuius eadem propè verba sunt lib. Astronomicôn 1. cap. 1.

k *Galli.*] Liuius 1.Decad. lib. 5. dicit eam gentem in vanos tumultus natam.

l *Mobiles.*] Trebellius Pollio in Gallienis insitam Gallis leuitatem scribit, ac res nouas affectare. Cæsar lib. 3. belli Gal. dicit his subita & repentina consilia esse. & lib. 4. post princ. in consiliis capiendis mobiles esse, & nouis plerúque rebus studere. Quod & astruit idem Pollio in Posthumio secundo, dum eos dicit rerum nouarum semper cupidos. Strabo lib.4. scribit Gallos esse simplices, ac nulla morum malignitate. Propterea Martialis lib.5. epigr.1. in fin.

Et tumidus, Galla crudelitate fruar.

Vide Rhodiginum lib.18. cap.21.

m *Et stolidi.*] Firmicus Maternus d. lib. 1. cap. 1.

n *Contentionis auidi.*] Ammianus Marcellin. lib.15. Celsioris staturæ, inquit, & candidi penè Galli sunt omnes, & rutili, luminúmque toruitate horribiles, auidi iurgiorum & sublatius insolescentes.

o *Impetu feruntur.*] Strabo lib.4. quod non admodum distat ab eo quod suprà diximus ex Cæsare. libro 4. belli Gallici.

p *Religioni deditos esse.*] Cæsar eiusdem operis lib. 6. Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus: atque ab eam causam, qui sunt afflicti grauioribus morbis, quique in præliis periculísque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vouent, administrísq; ad ea sacrificia Druidibus vtuntur, quòd pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur: publicéque eiusdem generis habent instituta sacrificia. Liuius 1.Decad. lib.5. In Capitolium, inquit, ad suos rediit, seu attonitis Gallis miraculo audaciæ, seu religione etiam motis, cuius haudquaquam negligens gens est. Sed & adde præcedentibus, eos impotentes esse ex eodem Liuio eod. lib. & feroces & ingenij auidi ad pugnam ex eod. 1. Dec. lib.7. & 3. Dec. lib. 1. & 4. Decad. li.8. & vini auidissimos ex postremo illo loco: Et pigrioris ingenij ex Seruio lib.6. Æneid. ibi,

Principio cælum ac terras campósque liquenteis.

q *Hispani iactabundi.*] Maternus d. lib. 1. cap. 1.

r *Duri.*] Hæc omnia vsque ad clausulam, Græci. sunt Iustini lib.44. sed quod hîc dicit abactores, legendum ex eodem Iustino bellatores; quod librarij, vt puto, magis error est quàm authoris. Sed his adde, inquieti, auidíq; in nouas res ex Liuio 3.Decad. lib.2. Sed prætetquam quod ipsorum Hispanorum inquieta auidáque in nouas res sunt ingenia.

s *Græci licet.*] Cic. de Arusp. Respond. Quàm voluimus licet P. C. ipsi nos amemus: tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso huius gentis ac terræ domestico natiuóque sensu Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac

nio & facundia præstent, eos tamen nationis vitio ([t] vnde Græca fides in prouerbium venit) [u] assentatores,[x] leues [y] atque infideles esse manifestum est. [z] Cappadoces,[a] Cilices,& [b] Cretẽses,suopte ingenio fraudulenti & mendaces; quippe promissi fidem fallunt, & periurio se astringunt: in quorum notam [c] Græcum illud est, τρία κάππα κάκιστα, [d] Afri subdoli & mendaces. quum enim multum classe rebúsque maritimis valeant, vsu & commercio multarum gentium, ad fallendum proni & solertes sunt. Apud eos enim frequenter mercatores ventitant,& studio quæstus,quæ vsui sunt merces important. [e] Numidæ vero leuissimæ fidei ingenia. [f] Chij petulantissimi: nam cum tribunal Ephororum fœdassent, ob petulantiam qua naturæ vitio laborant, ab Ephoris impune tulere. [g] Galatæ minaces, [h] Syri cupidi & auari, præter modum rerum appetentes, gens, inquieta, [i] auidáque in nouas res. [k] Alexandrini derisores & dicaces. [l] Indi & Persæ ociosi: neque enim ab re proditum est, otium fratrem

Cappadoces. Cilices. Cretẽses. Afri. Numidæ. Chij. Galatæ. Syri. Alexãd. Indi. Persæ.

ANNOTATIONES.

religione omnes gentes nationésque superauimus.

t *Vnde Græca fides.*] Apud Ausonium epist. 2. ad Paulum ad fin.

Nobiscum inuenies catenoplia, si libet vti.
Non Pœna, sed Græca fide.

Vide Erasm.Chil.1.cent.8.cap 27.

u *Assentatores.*] Cicer. ad Q Fratrem. Græci fallaces & leues & diuturna seruitute ad nimiam assentationem eruditi.

x *Leues.*]Firmicus d.lib.1.c.1,Et seruius in lib.6. Æneid. loco superius designato scribit,Afros, versipelles, Græcos leues,Gallos pigrioris esse ingenij, ídque climatum naturam facere,sicut Ptolemæus deprehendit, qui dicit, translatum ad aliud clima hominem naturam ex parte mutare. Ascon. Pædianus in 3. in Ver. act.

y *Atque infideles.*] Suprà paulò ante in verbo, Vnde Græca fides. Sed adde lingua magis strenuos quàm fortes, ex Liuio 1. Decad.lib 8. Et otiosi, quod planè innuit. Cicer.in d.in Ver. 3. act. cum dicit, Ad summum Græcorum otium, quod in id eapendit Ascon. eum locum enarrans.

z *Cappadoces.*] De Cappadocum malis moribus extant duo Demodoci epigrammata lib.2.epigr.Græcorum cap.43.

a *Cilices.*]Ad hoc alludens Martialis lib.6.epig.72.ait,

Fur nota nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum:
Ingens sed erat, Fabulle, in horto
Præter marmoreum nihil Priapum.
Dum non vult vacua manu redire,
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

Pyrrho autem Heliensi apud Laërtium hos dicit latrociniis gaudere.

b *Cretenses.*] Epimenidis sententiam in eam rem attulit D. Paulus in epist. ad Titum cap.1. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventrea pigri. D. Hieronymus in Commentariis,quos in hanc scripsit epistolam,indicat hunc versiculum repertum in opere Epimenidis, cui titulum fecit, de Oraculis. Vnde & Paulus prophetam vocat siue per iocum.siue ob argumentum. Huius autem carminis initium vsurpauit Callimachus poëta Cyrenensis in hymno in laudem Iouis, ac vanitatis eos arguens, quòd iactarent illius sepulchrum esse apud se, cùm esset immortalis. Et Ouidius lib.1. de Arte amandi,

Nota cano: non hoc, quæ centum sustinet vrbes,
Quamuis sit mendax Creta, negare potest.

Et lib.3. eiusdem operis,

Cretes erant testes, nec fingunt omnia Cretes.

Et Statius lib.1.Thebaïdos.

——— Mentitáque manes
Creta tuos. ———

Et huc alludit Claudianus de Victoria Stiliconis contra Alaricum, siue de bello Getico,

Cretáque (si verè narratur fabula) vidit
Minoum rupto puerum prodire sepulcro.

Hincque apud Græcos κρητίζειν, pro mentior, prouerbialiter dici solet. Vide quæ dicemus in seq.

c *Græcum est illud, τρία κάππα κάκιστα.*] Id est, Tria cappa pessima, quod plerique omnes de his tribus nationibus intelligunt, quarum nomina à littera cappa incipiunt. Verùm D.Augustinus in li. 3. de Grammatica scribit fuisse tortum in tres Cornelios, scilicet Cornelium Syllam, Cornelium Cinnam, & Cornelium Lentulum. Sed quod ad Cretenses priuatim pertinet vltra ea,quæ iam de iis diximus, sunt alia quædam prouerbia horum improbitatem, fallaciam, & perfidiam indicantia,scilicet κρὴς τὸν κρῆτα, Cretensis Cretensem. & illud κρὴς πρὸς αἰγινήτην, id est, Cretensis cum Ægineta, & illud item πρὸς κρῆτα κρητίζειν, cum Cretensi Cretiza apud Polybium libro 8. de quibus vide Erasmum Chil.1. cent 2. c.26.27. & 29. Polybius autem lib. 6. scribit, In vniuersum turpis lucri & auaritiæ studium vsque adeò locum apud eos obtinet, vt inter cunctos mortales solis Cretensibus nullus quæstus turpis esse videatur. Sed & lib. de Eolide Cretensi loquens, Eolis, inquit, cùm Cretensis esset,& natura versutus,rem omnem indagabat.

d *Afri subdoli.*] Maternus vbi suprà, & Liuius 3. Dec. li. 3. Seruius vbi suprà,vbi & eos versipelles dicit. Hincq, Virg. li.1.Æneid. Tyrios,qui & Afri sunt, bilingues vocat,id est, fallaces,vt interpretatur idem Seruius. Liu.autem 3. Decad. lib. 8. non multò post princ. dicit eam gentem ad omnem auram spei mobili & infida mente existere.

e *Numidæ verò.*] Liuius 3. Dec. lib.5. ad finem gentem fallacem vocat. & expressius lib.8 in Orat Scipionis, Carthagine,inquit, nihil ciuilis roboris est,mercede paratos milites habent, Afros Numidásque leuissima mutandæ fidei ingenia. Adde autem & eos ante omnes in Venerem effusos ex eod.3. Decad.lib.9. & , vt idem dicit eiusdem Decad. lib.10.in Venerem præcipites.

f *Chij petulantissimi.*] Plutarch.in Apophtheg. Laconicis. Cælius Rhodiginus lib.26. c.33. eodémque vlti. Sed aliter Ælianus variæ historiæ lib. 2. cap. 15. de Ephororum subselliis fuligine tinctis. id Clazomeniis tribuit.

g *Galatæ minaces.*] Diodorus Siculus lib.6. cap.9. Minaces, inquit,& detractores sunt opinionéque inflati, acuti ingenio,& à doctrina minimè alieni. Sed & de his quoque inferius in verbo, Et Galatæ.

h *Syri cupidi & auari.*] Maternus d.lib.1.cap.1.

i *Auidáque in nouas res.*] Herodianus lib.2. Est autem, inquit, Syrorum gens natura lenis, pronáque ad res nouandas.& lib.3. vbi de Saturnino Tribuno loquitur. Erat enim genere Syrus, ac sunt fermè ad Orientem mortales acerrimis ingeniis. T.Q.Flaminius apud Liuium 4. Decad. lib. 5. ante fin. Multa nomina gentium inauditarum, Dabas & Medos & Cadusios & Elymæos, Syros omnes esse: haud paulò mancipiorum melius,propter seruilia ingenia,quàm militum genus. Et eiusd. Dec.lib. 6. Syri & Asiatici Græci sunt, leuissima genera hominum & seruituti nata. Nam & Xenophon lib.1,de factis & dictis Socratis, non adeò longè à princ, inter nationes seruientes Syros posuit.

k *Alexandrini.*] Herodianus lib.4. Sunt (de Alexandrinis loquens, scribit) homines suapte natura dicaces, atque ad describendum illudendúmque maximè facti, iactantes in optimum quémque & potentissimum dicteria quædam, vt quidem ipsi putant, festiua: vt autem videntur iis, in quos dicuntur, longè grauissima. Quippe huiusmodi iocorum, vel maximè illa permouent, quibus delicti veritas arguitur. Eosdem paulò antè, dicit leuissimos suapte natura & omnibus momentis expositos. Socrates Scholasticus,

esse libertatis. [m] quod de Ætolis quoque traditur, qui nullus imperio paruerunt. Hi enim cum perpetuò liberi sint, in otio degunt. [n] Contrà verò Lydos & Phryges, quum regibus seruiant, negociis intentos esse, & laboriosos. Emporitani imbelles & barbari, [o] Ætoli & [p] Locrenses fœdifragi. [q] Druidæ religiosi & malefici supra quàm dici potest: nam dedita superstitionibus gens, in sacris hominem immolant, & cruore captiuorum adolent aras: [r] viscúmque & alia dictu nefanda pro numinibus colunt, [s] Fuere enim Druidæ gens Gallica in Belgis, apud Gallos præ omnibus sacri, sicut enim [t] apud Persas magi, [u] in Græcia philosophi, [x] in Babylonia Chaldæi, [y] apud Indos Brachmanes, [z] in Æthiopia gymnosophistæ, [a] apud Scythas Agrippei, [b] Abij [c] & Calui, [d] in Ægypto Heliopolitani, [e] apud Hyperboreos Arymphei, [f] atq; in Hispania Turdetani, sacri habētur: sic [g] apud Gallos Druidę magno in pretio sunt, & diuinis prope laudibus celebrati. [h] Emporitani autem in ora minoris Syrtis, iuxt Afros

Ætoli. Lydi. Phryges. Emporitani. Ætoli. Locrēses. Druidæ. Emporitani.

ANNOTATIONES.

sticus, Ecclesiasticæ historiæ lib. 7. cap. 13. Populus Alexandrinus, inquit, præ aliis populis seditionibus delectatur, & si aliquando occasionem seditionis fuerit nactus, ad intolerabilia mala prorumpit, nec sine sanguine sedatur, & feroces & semper inquietos, ex Eusebio lib. 7. cap. 18. Et Euagrio lib. Ecclesiasticæ historiæ 2. cap. 8. Et ad proditionem aptissimos ex A. Hirtio de bello Alexandrino libro 4. non longè post princip. Et fallacem gentem, sempérque alia agitantem, alia simulantem, eodem lib. Cælius Rhodiginus lib. 16. cap. 3. eosdem fallaces vocat ex Ammiano Marcellino.

l *Indi & Persæ otiosi.*] De vtrisque Ælianus de Varia historia lib. 10. cap. 13. de Pigritia. Socrates, inquit, dicebat sororem libertatis esse pigritiam: testésque huius rei fortissimos, maximæq; libertatis populos adducebat Indos & Persas, qui vtrique segnissimi essent ad laborandum, Phrygas verò & Lydas ad opus faciendum promptissimos esse, qui cum seruitute degerent.

m *Quod de Ætolis.*] Strabo Ephori authoritate lib. 10. Hos quoque suapte natura audaces satis innuit Polybius lib. 5. cùm dicit, Theodotus magna ac planè Ætolica audacia vsus est.

n *Contrà verò Lydos & Phryges*] Vide Erasm. Chil. 2. cent. 7. cap. 72. Hos inter populos seruientes posuit Socrates apud Xenophontem, vbi suprà in verbo. Audáque in nouas res.

o *Ætoli.*] Nam eos ingenio mobili & infido dicit Arrianus Historiæ Alexand. lib. 1. Et feroces in verbis non in factis esse, & in consiliis magis concionibúsque esse, quàm in acie apparere, scribit Liuius 4. Decad. lib. 4. paulò ante fi. Et gentem vanissimam & ingratissimam idem Liu. eiusdem Decad. lib. 6. & inquietos eiusd. 4. Decad. lib. 3. Et latrocinio obnoxios eiusdem 4. Decad. lib. 4.

p *Et Locrenses.*] Erasmus Chil. 2. cent. 2. in Prouerbio, Locrense pactum.

q *Druidæ.*] Cæsar lib 6. Bell. Gal. Strabo lib. 4. & 14. Diod. Siculus lib. 5. Plin. lib. 30. c. 1. & vide infrà li. 6. c. omnium postremo.

r *Viscumque.*] Plin. lib. 16. c. 44. eodémque vlt.

s *Fuere enim Druidæ.*] Præter eos, quos citauimus Plinius lib. 16. cap. vlti. & Laërtius in procœmio in princ. Ammianus lib. 15.

t *Apud Persas Magi.*] Cicer. lib. 1. de Diuinat. & lib. 2. de legibus. Laërtius vbi suprà. Xenophon Pædiæ Cyri lib. 8. & alibi sæpe. Strabo lib. 15. & seq. Appianus lib. 2. bellor. Ciuilium: Iustinus libro 1. Apuleius Apol. 1. vbi hos apud Persas dici Magos, quos alij Sacerdotes vocant.

u *In Græcia Philosophi.*] Laërtius vbi suprà & omnes vbique.

x *In Babylonia Chaldæi.*] Diod. Siculus lib. 2. cap. 2. Strabo lib. 26. post princ. & alibi. & lib. 17. Q. Curtius lib. 10. Laërtius vbi suprà.

y *Apud Indos Brachmanes.*] Strabo lib. 15. Apuleius lib. 2. Floridorum. Philostratus in vita Apollonij lib. 1. cap. 1. & 13. & lib. 3. cap. 4. vbi eorum habitationem & instituta describit, Apollonius bel. Ciuil. lib. 2. Eusebius ex Bardesane lib. Euangelicæ præparationis c. 8. Sed adde eosdem fuisse ex ipso Strabone lib. 5. Syluicolas nuncupatos; ex eo quòd in syluis degant, ex frondibus & syluestribus fructibus viuentes, vestes ex arborum corticibus habere, vini & Veneris expertes.

z *In Æthiopia Gymnosophistæ.*] Philostratus lib. 2. cap. 1. & lib. 6. cap. 4. vbi eorum habitationem & instituta graphicè describit. Sed & eos Indorum fuisse dicit Strabo libro 16. (aliàs 10.) Phylo Iudæus in lib. de Abrahamo eorundem ritus & mores scribit. Plin. lib. 7. cap. 2. Solinus 65. aut aliorum computa. 55. Tertullianus in Apologetico cap. 42. & alij plurimi. Sed inter Gymnosophistas, & Brachmanes, qui & ipsi Indorum sunt, vt diximus in præced. hoc interest quòd Gymnosophistæ sunt eorum sapientes, qui si generis successione in studio religionis & sapientiæ præcederent, Brachmanes dicebantur, vt scribit Porphyrius. Sed & Gymnosophistas fuisse Ægyptiorum videre est ex ipso Philostrato d. lib. 1, & 6. & alibi sæpe.

a *Apud Scythas Agrippei.*] Herodotus libro 4. His nemo mortalium iniuriam affert. Sacri enim dicuntur esse, nihilque Martiorum armorum possident. Iidem finitimorum controuersias diriment. Ad quos quisquis confugit, is à nemine læditur. Nomen est eis Agrippæi.

b *Abij.*] Abiorum meminit Homerus lib. 13. Iliad. in princ. vbi hos homines iustissimos vocat, quòd in pace sine bello degant, vel quòd extemporali victu vtantur.

Γλακτοφάγων, ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Hos Nicolaus περὶ ἐθῶν, & ex eo Stobæus serm. 5. quo tractat de Temperantia, dicunt Scytharum gentem esse, dictósque Abios, vel quia terram non colunt, vel quia domibus carent: vel quòd soli arcubus vterentur. Arcum enim Homerus Bion appellat. Et vide infrà eod. lib. cap. 17. post princ.

c *Et Calui.*] Vide num ij sint Myconij, qui quoniam caluitio laborant, Calui quoque dicti sunt: De quibus infrà lib. 5. cap. 18. (& vide quos ibi allego, an dicant esse Scytharum gentem & qualem.)

d *In Ægypto Heliopolitani.*] Herodotus lib. 2. in princ.

e *Apud Hyperboreos Arymphæi.*] Vereor ne hic lapsus sit Alexander. Nam Arymphæi non ex Hyperboreis sunt, sed alij non admodum ipsis Hyperboreis dissimiles moribus, vt patet ex Plin. lib. 6. cap. 13. Nam & vtrosque eos, vt diuersos memorat Pomp. Mela lib. 1. cap. vlt. in fin. cuius verba adscribere libuit, Tum continuis rupibus latè aspera & deserta regio ad Arymphæos vsque permittitur. His iustissimi mores, pro domibus nemora, alimenta baccæ, & maribus & fœminis nuda sunt capita. Et lib. 3. vbi de Scythia loquitur, & plerique omnes.

f *Atque in Hispania Turdetani.*] Strabo li. 3. de his loquens non multò post princ. Hi, inquit, inter Hispaniæ populos sapientia putantur excellere, & literarum studiis vtuntur, & memorandæ vetustatis volumina habent poëmata, leges quoque versibus conscriptas, è sex annorum millibus. Sed & adde superioribus fuisse Galatas Philosophos & Theologos, quos illi vocant Saronidas, qui præcipuè ab illis colebantur, authore Diodoro Siculo lib. 6. cap. 9.

g *Sic apud Gallos Druidæ.*] Cæsar Commentariorum belli Gal. lib. 6.

h *Emporitani autem.*] Strabo lib. 3.

Germani. Cimbri. Corsi. Scythæ. Asiani. Iones. Abydeni. Medi. Tarētini. Galatæ. Siculi. Cumani. Bœotij. Thebani. Syracusani.

Numidásque degunt, agri vberis & fertilis soli, [i] Germani vero [k] & Cimbri, duri & laboriosi: latrociniis tamen & rapinis, quarũ nullam infamiā putant, à pueritia dediti: [l] quare Cimbros Germani prædones vocant, quorum vires ad impetum validæ sunt, sed momento temporis dilabuntur. [m] Corsi diri & immanes, horridis ingeniis quippe qui ipsas belluas crudelitate vincāt, truci ore ingenitam immanitatem præferentes. [n] Scythæ quoque rapidi & feroces, & dira feritate grassantes, suis tamen rebus contenti, nihil alienum appetentes, [o] apud quos nihil est furto grauius. [p] Asiani, [q] Iones, [r] Abydeni, [s] Medi, [t] Arabes, [u] Tarentini & [x] Galatæ molles & effœminati, eneruatis animis, ad inertiam nequitiamq; parati, omnibus imbuti delinimentis, in gymnasiis & turpibus amoribus exerciti. Illecebræ enim luxuriæ ad extinguēdum vigorem animi apud eos sunt. [y] Addebat etiam Siculos vafro & monstrifico ingenio, [z] & Astus supra Byzantium, dolosos maximè, [a] contrà vero Cumanos in Æolia, hebetes & insulsos: quippe qui pluuiæ tempore, nisi admoneantur voce præconis, porticus non subeant. [b] Sicut Bœotios [c] & Thebanos, qui plus habere virium quàm ingenij feruntur. [d] Et Syracusanos variæ multiplicisque naturæ: aut enim excellentissimos esse, & omni virtutum genere præ-

ANNOTATIONES.

Germani verò.] Cæsar, lib. 6. Comment. Pomp. Mela lib. 3. cap. 3. Ius, inquit, in viribus habent adeo, vt ne latrocinij quidem pudeat. Sed & adde pecuniæ in primis auidos, si credimus Herodiano lib. 6. non multò ante fin. Et magno & elato animo, vt sunt etiam grandi corpore, ex Arriano in vita Alexandri lib. 1. & proinde arrogantes, vt ipse Alexander ibi dicit. Et natum mendacio genus, vt scribit Velleius Paterculus lib. 2.

k *Et Cymbri.*] Strabo lib. 7. & Festus Pompeius lib. 3. qui & hos dicit lingua Gallica latrones nuncupari. Diodorus Siculus lib. 6. cap. 9. Iam, inquit, prisco more dant latrociniis operam, rapientes aliena, cæteris omnibus contemptis. Et his adde Sicambros ex Cæsare lib. 6. belli Gallici. Non hos palus in bello latrociniisque natos, non syluæ morantur.

l *Quare Cimbros Germani.*] Plutarchus in Mario, idque est quod in præced. diximus ex Festo Pompeio.

m *Corsi.*] Strabo lib. 5. Corsica verò, inquit, quam Græci Cyrnum appellant, malignè colitur, aspera, & plurimis in partibus prorsus inaccessibilis: adeò vt qui eius montes habitant, ea latrociniis vitam degentes, superent ipsas immanitate belluas.

n *Scythæ*] Maternus d. lib 1. cap 2.

o *Apud quos.*] Iustinus lib. 2. Scribit tamen Q. Curtius lib 4. Scythas rapto viuere assuetos.

p *Asiani.*] Maternus vbi suprà, vbi & hos lenes, futilésque semper esse dicit. Sed & hos vti & Syros (de quibus iam diximus) leuissima hominum genera, & seruituti nata esse dicit.

q *Iones.*] Valerius Max. lib. 2. cap. 1. prodidit Ionas primos vnguenti coronarúmque in conuiuio dandarum, & secundæ mensæ ponendæ consuetudinem, haud parua luxuriæ irritamenta reperisse. Maximus Tyrius in dissertatione, cui titulus, Quis sit philosophiæ finis: Crotoniates, inquit, Olympiacum oleastrum adamat, Spartiates armaturam, venationes Cretensis, luxum Sybarites, Ion choros. Hinc Horatius lib. Carm. 3. Ode 6.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo.

Lasciuas saltationes & parũ decoras gesticulationes, quas primi Iones inuenerunt, significans. Vnde & apud Aristophanem ἰωνικῶς, pro eo quod est ἁβρῶς, id est, molliter ac delicatè. Cælius Rhodig lib. 18. cap. 35. & lib. 26. cap. 33. Et id quoque intelligi potest ex eo quod de Alcibiade dicit Plutarch. in ipsius vita, illum sese accommodasse omnium gentium moribus quibuscum viuebat, vt cùm in Ionia esset, magis delicatus erat Ionibus. In Sparta cum temperantiam diligentiámque aliorum imitaretur, Lacones ipsos superauit, ac Thraces merum bibendo vicit. Athenæus auctoritate Saty. lib. Dipnosoph. 12. c. 16. Idem lib. 14. c. 12. docet, saltationis genus olim fuisse lasciuũ ac petulans, quod Ionicum diceretur. Vide Erasm. Chil. 1. cent. 5. cap. 69. Risus Ionicus.

r *Abydeni.*] Cælius Rhod. lib. 26. cap. 21. Eras. Chil. 4. cent. 6. cap. 17.

s *Medi.*] Ex Xenophonte in Cyropædia lib. 1. cap. 6. & Athenæo lib. 12. cap. 23.

t *Arabes.*] Virgil. lib. 1. Georg.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Hi enim sunt Arabes ex Strabone libro 16. & aliis Manilius,

—— Asiámque potentem,
Et molles Arabas. ——

Et Catullus lib. 1. eleg. 12.

Siue in Hircanos Arabásque molleis.

Claudianus de quarto Honorij consulatu.

Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent.

u *Tarentini.*] De quibus vt vinolentis meminit Plato lib. 1. de legib. Vide etiam de iis Athenæum lib. 12. cap. 7.

x *Et Galatæ.*] Diodorus Siculus lib. 6. cap. 9. & de his vide suprà in verbo, Galatæ minaces.

y *Addebat etiam Siculos.*] Hoc acutos esse dicit Firmicus vbi suprà. Olim autem prouerbialiter dicebatur Σικελίζειν, Siculissare, de vafris & improbis, de quo Erasmus Chil. 3. cent. 5. cap. 77. Cicero autem in 1. in Ver. act. scribit Siculos hominum genus nimis acutum & suspiciosum. Idem multum facetos esse dicit in lib. de Oratore 2. & in actio. in Verrem 6.

z *Astos.*] Vnde id author desumpserit vix dici potest. Cæterum (teste Sexto Pompeio lib. 1.) astus apud poetas astutiam significat, cuius origo ex Græco, ab oppido ἄστυ deducitur, in quo qui conuersati assiduè sint, cauti atque acuti esse videantur. De hac etiam ciuitate loquitur Probus Æmylius in Alcibiade.

a *Contra verò Cumanos.*] Strabo libro 13. putat eos vulgò malè audisse, tanquam stupidos atque insulsos, ob hanc caussam quod ducentis annis portus vectigalia exegerint, hoc nomine, vt vrbem ædificarent, quæ dare tamē non desierunt, cùm iam vrbs esset extructa. Adiicit & aliam fabulam, Cumanos publica pecunia mutuò accepta, porticus construxisse: deinde cùm pecuniam eam ad diem præscriptum non reddidissent, à deambulatione fuisse prohibitos. Aliquanto pòst cùm ingens esset pluuia, creditores ludibrij causa præconem misisse, qui publicarent edictum, vti Cumani porticus subirent. Atque ita voce præconis admonitos fuisse: inde natum adagium, Serò sapere Cumanos. qui non nisi moniti senserint defugiendam esse pluuiam. Erasm. Chil. 1. cent. 5. c. 61. Prouerbium autem non sentit de Cuma Italiæ, sed Æliodis.

b *Sicut Bœotios.*] Probus Æmylius in Alcibiade. De his est vetus adagium, ὗς βοιωτία vs. Bœotica sus, quod in insensatos & penitus rudes dici solebat apud Athenæum lib. 10. cap. 11. Vide Erasm. Chil. 1. cent. 10. c. 6. & Pausaniam. Hinc illud Horatij lib. 2. epistol. epist. 1. ad Augustum,

Bœotum in crasso iurares aere natum.

c *Et Thebanos.*] De iis suprà in verbo, Thebis.

d *Et Syracusanos.*] De Siculis suprà in vniuersum dictum est: sed priuatim Syracusanorum (qui & ipsi Siculi sunt) mores disces ex Plutarch. in Dione.

e *Quo*

ditos, aut improbissimos, & omnibus vitiis deprauatos: [e] quod de Atheniensibus quoque proditur. [f] Atque Heduos iracundos & temerarios, turbulenti & concitati animi. [g] Et Ligures duros, agrestes: [h] & fallaces suapte natura, & ex sterili agro & aspero quem incolunt, nihil ferendo nisi magno labore partum. Sed cum Ligurum quidam Firmates, nonnulli Apuani, plerique Montani, alij Hiluaces, alij Frusinates dicantur, hoc nõ conuenire nisi transmontanis Liguribus asserebat. His enim cum longe ab hominum commercio & cultu distent, & in arido solo luctentur, facile euenire vt agrestes, duri & immanes fiant. Hoc modo Lucius noster apud nos sermocinatus, peracri iudicio, locorum mores examinabat, vitiáque & virtutes rimabatur. Sed quia mentio locorum, & morum distinctio facta est, hoc dicere ausim longa obseruatione probatum, [i] eas regiones quæ cæli clementia & affluenti copia gaudent, sensu hebetes & obtusa mente plerunque homines gignere: quæ verò difficiles & agrestes sunt, singulari ingenio viros educere. Ita enim parens natura, siue ille effector mundi Deus comparauit, vt ibi rerum vbertas & copia sit, ibi bonarum artium studia sæpe & ingenia desint. [k] Sensit tamen Aristoteles, eos qui Scythiam versus loca deserta incolunt, animo quidem abundare, ingenij non satis habere: qui verò mitiorem plagam, ingenio & arte præstare. [l] Neque omiserim quòd Maximus Tyrius Græcus author cum primis prodidit, [m] Crotoniatas palæstra & gymnico certamine valere, Lacedæmonios autem pedestri, Athenienses verò nauali, [n] venatu Cretenses, [o] Sybarites luxu, [p] Thebanos vero tibiis, [q] Iones autem choro & cantu. Qui etiam adnotauit vulgari adagio ferri, Me-

Athenienses. Hedui. Ligures.

Regio fertilis hebetiores, altera difficilis ingeniosiores producit.

Maximus Tyrius de diuersarũ gentiũ peritia peculiari.

Adagia ciuitatũ moribus sumpta.

ANNOTATIONES.

e *Quod de Atheniensibus.*] Plutarch. vbi suprà ad fin. Sed & de his Orator ille Rhodius apud Liuium 5. Decad. lib. item 5. At henieosium, inquit, populum fama est celerem & supra vires aodacem esse ad conandum. Et Philo Iudæus in eo lib. cui titulus est, Quod omnis probus liber, scribit, Athenienses, me iudice, acutissimi hominum (quod enim in oculo pupilla, in anima ratio, hoc Athenię sunt io Græcia) quando Pompam ducunt Eumenidibus, nemioem seruum admittunt, sed per ingenuos viros ac fœminas peragunt omnia solennia, & ne eos quidem vulgares, sed inculpatæ vitæ homines.

f *Atque Heduos.*] De his Cæsar lib. 6. belli Gallici, Impellit, inquit, alios auaritia, alios iracundia ac temeritas, quæ maximè illi hominum generi est innata. Sed & eos perfidos esse dicit eiusdem operis lib. 7.

g *Et Ligures duro.*] Diod. Siculus lib. 6. cap. 9. Nam & illos durum in armis genus esse dicit Liuius 3. Dec. lib. 7. Et Iul. Florus Epitomatô 1 lib. 2. vbi de bello Ligustico loquitur. Sed & hos bellicosos & ob vicinitatem Romanorum bellandi peritos dicit Plutarch. in Paulo Æmylio.

h *Et fallaces.*] Cato lib. 2. Originum, & eius authoritate Seruius lib. 11. Æneid. in eum locum,

Appennicola bellator filius Auni,

Et satis ostendit ipse Virgilius versu seq.

Haud Ligurum extremus dum fallere fata sinebant.

Et paolò post.

Vane Ligur, frustráque animis elate superbis

Nequicquam patria tentasti lubricus artes:

Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.

Nam & antè dixerat.

Consilio versare dolis ingressus & astu.

Eosdem quoque latrones appellat ipse Liuius 4. Decad. lib. 10. Sed & adde ad omnia præcedentia Parthos timidos, seditiosos, fraudulentos sua natura fuisse ex Iustino lib. 41. Ægyptios vanissimos ex epistola Phlegonis liberti Hadriani Cæsaris apud Spartianum, aut vt alij contendunt, Saturnium in vita ipsius. Et Q. Curtio lib. 4. vbi, Ægyptij, inquit, vana gens & nouandis, quàm gerendis rebus aptior. Sed & eosdẽ atque etiã Phœnices quæstus auidos pronunciat Plato de Repub. lib. 4. Et Philo Iudæus in Flaccum non adeò longè à princ. scribit Ægyptios esse natura irritabiles, & è minima scintilla suetos magnas seditiones accendere. Et nõ multò pòst scribit Inuidiã natiuum esse illis vitium. Et in lib. de Agricultura. Cæterum, inqoit, Ægyptiorũ gens innatam & insignem habet iactantiam, vt vel modica felicitatis aura aspirante, irrideat fastidiátq; plebeiorum hominum in victu parando studium, & diligentiam. Samnites fallaces ex Floro lib. 5. Epitomatôn. Rutulos audaces ex Virg. lib. 4. Æneid. de illis loquente, non multò ante fin.

At bello populi audacis vexatus & armis.

Et alibi semper, vt ibi dicit Seruios, illos inducit audaces: Illyricos & Thraces rapto viuere assuetos eid. Curt. lib. 3. & præterea ipsos Thraces, vbi non timeor, truculentos, Thucydidi lib. 7. belli Peloppoocos. Mardos cultu vitæ asperos & latrocinijs assuetos eidem Curtio lib. 6. Cadusios genus hominũ ferox & bellicosum Plutarcho in Artaxerxe. Rhodios superbos: ita enim illos, veluti proprio ac peculiari vocabulo, appellat Homerus Iliad. lib. 2. in Catalogo,

ἐν ῥόδῳ ἐννέα νῆας ἄγεν ῥοδίων ἀγερώχων.

Et horum impotentissimæ superbiæ exemplum habes apud Liuium 5. Dec. lib. 4. vbi legatos Romam miserunt superbè admodum minitantes se Perseo Regi Macedoniæ auxilio futuros, nisi cum eo Senatus populúsque Romanus pacem & amicitiam iungeret. Cuius superbiæ posteà pœnituerunt pœnásque dederunt. Lacedæmonios fastuosos ex Plutarcho in Nicia non multò ante fin. Et bellicis tantùm rebus incumbentes, in hísque tantùm laborantes, idque solùm in pretio habentes, Philostrato in vita Apollonij li. 4. Sed cunctatores, & vix in ea, in quibus fidunt, ingredieotes ex Liuio in orat. legatorum Rhodiorum 5. Decad. lib. 5. Vide inferius lib. 5. cap. 11. Lusitanos insidiosos, scrutatores, veloces, agiles, versatiles, ex Strabone lib. 3.

i *Eas regiones, quæ cæli clementia.*] Hæc omnia vsque ad clausulam, Sensit tameo Aristoteles. videbis apertè comprobata ex his, quæ scripsimus in oostris legibus Connubialibus l. 7.

k *Sensit tamen Arist.*] Vide dd. ll. Connubiales.

l *Nec omiserim quod Maximus Tyrius.*] Quamquam ea omnia, quæ subdit, non sunt ipsius Maximi: sed ea tantùm quæ speciatim tibi designabo.

m *Crotoniatas.*] Ipse Maximus serm. 7. dum dicit hos amare oleastrum. Id enim proprium erat victoriæ in palæstra. Vide eum io serm. cui titolus est Quis fiois Philosophiæ.

n *Venatu Cretenses.*] Maximus d. ser. 7. Cælios lib. 18. c. 10. At Creticæ, ioqoit, exercitationes venatiooibus constant præcipuè, ac montanis itineribus, item cursu ac iaculatione. At Polybius lib. 4. tradit Cretenses terrestribus ac naualibus prælijs ad insidias, furta, rapinas, nocturnos insultus; & omnia doli genera promptissimos esse. In prælio verò dispositis cohortibus, segnes, timidos, ac prorsus inutiles.

o *Sybarites luxu.*] Idem ser. 11. & 31. ad fin. & ser. 3. de voluptate. Athenæus lib. 12. cap. 6. & Ælianos var. histor. li. 1. Et de eorũ quoque luxu vide, quæ scribã inferius li. 5. c. 21.

p *Thebanos verò tibiis.*] Idem Maximus serm. 7. Cælius vbi suprà dicit Thebanis tibiarum familiare studium esse. Vide etiam Athenæum lib. 4. cap. 25.

q *Iones.*] Idem serm. 21. Indéque illud Horatij 3. Carm. Ode 6.

dicam mollitiem, [r] Sardanapali luxum, [s] delicias Ionicas, [t] Siculas mensas, [u] saltationes Sybariticas, [x] Corinthias meretrices, [y] Artium quoque disciplinas Menander dixit natiua consuetudine distingui nationibus variis: [z] Namque Mityleonæ cithara delectantur, [a] Thebani tibia, [b] Alexandrini geometria valent, [c] Athenienses statutaria & pictura, [d] Crotoniatæ medicina, [e] Æginetæ athletarum pugna. Quod proximè accedit ad id quod Eustathius memoriæ prodidit, forsan mutuatus ab illis, Bœotios circa palæstram reliquásq; artes gymnicas valde probari. [f] Athenienses in nauallibus, [g] Thessalos in equestri, [h] (quippe cum ex equo primùm pugnare docuerint) [i] Lacedæmonios legibus valere, [k] Cyrenæos in ephectica scientia. Quod autem de Thessalo equitatu dictum est, qui conferto prælio insuperabiles erant, non prætereundum, [l] Philippum Macedonem, qui totius Græciæ communis hostis & prædo habitus est, vt Thessalos equites velut firmissimum robur, & longe optimos bello, suæ phalangi adiungeret, Thessaliam propterea inuasisse, illámque incendiis & ruinis deformasse.

Eustathius.

Thessalus equitatus.

ANNOTATIONES.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo.

r *Sardanapali luxum.*] Maximus serm. 19. & 29. De luxu autem Sardanapali amplè videbis apud Herodotum lib. 2. Iustinum libro 1. & propè omnes qui de luxu aliquid scripserunt.

s *Delicias Ionicas.*] Nihil de his Maximus, nisi quod suprà dictum est in verbo, Iones. Sed de his vide Valer. Maximum lib. 2. cap. 1: & quæ diximus suprà eod. cap. in verbo, Iones priore.

t *Siculas mensas.*] Nec idem de his: sed vide inferius lib 5. cap. 21.

u *Saltationes Sybariticas.*] Id, ni fallor, voluit excerpere ex eodem Maximo serm. 21. qui id tamen non dicit. Sed eum vide serm. cui titulus est, Quis Philosophiæ finis. & ser. 3. qui est de voluptate. Sybaritæ (author Rhodiginus lib. 5. c. 5.) in conuiuia equos introducebant ita imbutos, vt incinentis tibiæ cantu audito, statim arrigerentur, ac pedibus ipsis prioribus, vice manuum, gestus quosdam chironomiæ, morúsque ederent ad numerum saltatorios. De his etiam scribit Athenæus lib. 12. c. 6.

x *Corinthias meretrices.*] Strabo lib. 8. & 12. Ostendit Corinthum, quòd in Isthmo esset, duósque haberet portus, alterum aduersus Asiam, alterum Italiæ oppositum, negotiatorum frequentia locupletissimam fuisse. In eadem templum fuisse Veneri sacrum, adeòque locupletatum, vt plus mille puellas haberet, quas Corinthij Veneri consecrarant, vt in eius honorem prostarent. Itaque harum gratia frequens in vrbem multitudo vndique confluebat, vnde ciuitas maiorem in modum ditabatur: quinetiam negotiatores, hospites ac nautæ propter vrbis luxum delicíasque immoderatos sumptus facientes exhauriebantur. Atque hinc manasse vulgò prouerbium,

οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς.

Quod ita vertit Horatius Epistol. lib. 1. ad Sæuam.

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.

Athenæus Dipnosophistôn. lib. 13. cap. 11. Et quod Plato lib. 3. de Repub. vituperat Corinthium luxum blandimentum meretriculatum.

y *Artium quoque disciplinas Menander.*] Athenæus.

z *Namque Mitylenæi.*] Cælius libro 16. cap. 3. authoritate Menandri Rhetoris in Epidicticorum ratione, scribit, Mitylenæos citharœdica plurimum gloriari, eáque re sibi in primis placuisse.

a *Thebani tibia.*] Iam suprà paulò antè dictum est in verbo, Thebanos verò tibiis.

b *Alexandrini geometria.*] Cælius authoritate eiusdem Mitylenæi d. lib. 16. c. 3. scribit Alexandrinos arte grammatica maximè præcelluisse, itémque Geometria & Philosophia.

c *Athenienses statutaria.*] Idem Cælius ibid. Statuaria, inquit præcipuè Athenienses gloriam sibi vindicarunt, ac pictura.

d *Crotoniatæ medicina.*] Herodotus lib. 3. quo loco de Democede Crotoniatarum medico loquitur. Idem Cælius vbi suprà.

e *Æginetæ.*] Cælius ibi, Æginetas & Hermopolitas fuisse Athletas perinsignes memoriæ traditur.

f *Athenienses in nauallibus.*] Quod suprà dictum est. Sunt qui hanc laudem & gloriam rerum maritimarum dant Phœnicibus Tyriis, & ex his ortis Pœnis, vt videre licet ex Pausania lib. 1.

g *Thessalos in equestri.*] Quod & ipsum tradit Maximus Tyrius ser. 3. & 7. Liuius 1. Decad. lib. 9. in comparatione Alexandri & Romanorum. Strabo lib. 11. Q. autem Curtius lib. 3. vocat Thessalos equites, & Acarnanes Ætolósque inuictam bello manum. Polybius verò lib. 4 Thessalicos, inquit, equites, conserto prælio, insuperabiles esse constat. Eosdem, si per partes attentaueris, lacerare, capereque facillimum erit. Vide Athenæum lib. 12. c. 16. vbi de Alcibiade. & infrà vers. vlt.

h *Quippe cum equo primùm.*] Plin. lib. 7. cap. 56.

i *Lacedæmonios legibus valere.*] Polybius lib. 6.

k *Cyrenæos in Ephectica scientia.*] Gellius lib. 11. cap. 5. ἐφεκτικοὶ, ζητητικοὶ, ἀπορητικοὶ Philosophi qui dicantur scribit. Adde superioribus quòd Seneca ex Cæstio scribit lib. 1. Suasoriarum cap. 2. Omnibus sua decora sunt: Athenæ eloquentia inclytæ sunt, Thebæ sacris, Sparta armis.

l *Philippum Macedonem.*] Diodorus Siculus lib. 8. Sed & alij quoque equitatu plurimum valebant, & in his Iazyges Sarmatiæ populi apud Corn. Tacitum lib. 19.

An sit idem deprecari quod recusare, contra quorundam grammaticorum opinionem.

CAPVT XIV.

Lau Vallensis lanatus lib. 6. cap. 4.

QVID [a] in mentem venerit nonnullis grammaticis, qui non temperantes maledictis, multa nec perpenso iudicio, nec examinato modo digesta, præcipere non verentur, non satis coniicio. Nuper cum in commentariolos obseruationum grammatici cuiuspiam, quos de Latina dicendi

ANNOTATIONES IN CAP. XIV.

a QVid in mentem venerit.] Hoc caput & ex iis est, quæ in Laurentium Vallam emissa sunt, cuius in id locus est lib. 6. Elegantiarum cap. 4. His autem authoribus, in eam rem citatis, adde & tu Liuium 1. Decad. lib. 8. Vbi, inquit, cù deprecantibus primoribus patrum atque vniuerso senatu perstaret in incepto immitis animus. Et ibid. non adeò longè, Iam ipse adolescens, iam pater M. Fabius contentionis obliti, procumbere ad genua, & iram deprecari

dictato

norma viuens ediderat, forte incidissem, in quibus graui censura antiquissimum quenque authorem taxat, ita ipsum loquutum offendimus, vt diceret A. Gellium malè sensisse, quòd deprecari, abominari vel detestari esse dixit: censuitque deprecari nihil esse aliud quàm dicto vel facto recusare: quasi multum discriminis foret inter abominari & recusare: idque Ouidij authoritate probare nixus, fuit; de Ponto:

> *Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem,*
> *Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.*

In quibus versibus deprecari pro recusare intelligit: quod verbis pluribus affirmare contendit, quæ consultò prætermus. Sed liber interrogare, num proprio significatu Latinè dixerim, Scipio fœdus cum Hannibale inire deprecatur, quia pacisci cum Hannibale recusat: Aut, Romani cum Pyrrho pacem deprecantur, quia pacem abnegarunt. Contráque hanc verbi significationem secus ab authoribus dictum, & verbum deprecari in alio sensu accipi videmus. Titus Liuius sexto ab vrbe cōdita: Nō præripiam, inquit, gratiam publici officij deprecandi. Cicero prima actione in Verrem: Si liberè quæ sentio de republica dixero, primùm deprecor ne irascatur. Suetonius in Cæsare: Senatū literis deprecatus est. & veterum authoritatibus pluribus, in quibus si deprecari recusare dixeris, profectò absurdè & barbarè loquêris. hîc enim deprecari idem est quod valde precari. [b] De enim præpositio, adiecta verbo, plerunque auget, vt demirari, defraudare, deierare. Rursus quòd ille authoritate Ouidij motus, voluit deprecari idem esse quod recusare, idem Liuius exploratius ostendit tertio de Macedonico bello: At hercule non ius, sed iniuriam deprecantur. Suetonius in Tiberio: Claudium, inquit, adeò violentum & contumacem, vt ne capitis quidem reus deprecari sustinuerit. Cicero in legem Agrariam: Si quid deliquero, nullæ sunt imagines quæ me à vobis deprecentur. Quibus in locis non signatè nec propriè loquetur, qui deprecari recusare dixerit. Sed verus probabilísque sensus est, tam in Ouidio, quàm proximis authoribus, idē esse deprecari, quod suppliciter petere, & precibus exposcere ne quid fiat quod tu vitare cupis, & contendis ne eueniat. Mortem ergo Ouidius deprecatur, non simpliciter necu sans mortem, sed suppliciter exposcens ne mors contingat inter tot truces immanesque homines: Et ille iniuriam vel supplicium deprecatur, videlicet rogat ne inferatur iniuria, néve conuicium fiat. Multùm lōgéque distat deprecari à recusare: quippe deprecari est precibus rogare, & summisse obtestari ne quid fiat. recusare verò, iure & manu contendere, & quadam mentis vecordia minaciter magis quàm precibus exposcere. Cæsar commentario quinto: Hedui nec deprecandi nec recusandi causa legatos ad Cæsarem mittere volebant. Cicero Thusculanarum quæstionum secundo: De Anaxarcho, inquit, Democritoque cogitetur, qui eum in manus Cyri Nicocreontis incidisset, nullum genus supplicij deprecatus est, neque recusauit. Pluribusque patet exemplis, sicut illa persequi libeat, ex quibus sine controuersia liquet, deprecari idem esse quod precari, sed dupliciter: vno modo, vehementi studio & enixè precari vt quid fiat, & tunc de, præpositio auget, vt primis authoritatibus, quas suprà memoraui, ostensum est: altero, precibus eniti & rogare ne quid fiat seu eueniat tale, quod tu nolles euenire, & futurum detestaris, sicut est proxime dictum. Et tunc de, præpositio, non augendi, sed vim potius minuendi habet. De enim adiecta verbo, duplicem significatum, licet diuersum, capit vt plerunque solet: plurimúmque interest, in vtro accipias significatu. Quonam modo & vtro magis conueniat sensu, ex ipsa lectione & contextu verborum, prout obuia sunt, cuiuis vel mediocriter erudito facilè est dignoscere.

De præpositio adiecta verbo.

Deprecari à recusare multum distari.

ANNOTATIONES.

dictatoris. Et 4. Dec. lib. 10. in Oratione Demetrij ad Philippum patrem, Regem Macedonum, Nec hodie vt prosit mihi gratia Romanorum postulo: ne obsit, tantùm deprecor. Et paulò infrà, Egò si quid impiè in te pater, si quid sceleratè in fratrem admisi, nullam deprecor pœnam: si innocens sum, ne inuidia conflagrem, cum crimine non possim, deprecor. Et rursum paucis interiectis, Si mihi pater successeret, te maiorem fratrem pro minore deprecari oportebat. Et Senecam lib. 2. Natur. quæstionū, Tertia ad propitiandos deos, quos bona rogare oportet, mala deprecari. Et Suetonium in Augusto, ca. 5. Cùm C. Lectorius adolescens patricij generis, in deprecanda grauiore adulterij pœna, propter ætatem atque natales, hoc quoque Patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem, ac velut ædituum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset. & c. 52. Dictaturā magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga, nudo pectore, deprecatus est. Et Cor. Tacitum, De adulterio satis caueri lege Iulia visum. Sed Tiberius Cæsar adulterij grauiorem pœnam deprecatus, vt exemplo maiorum, propinquis suis vltra ducentesimum lapidem remoueretur suasit. Et li. 12. Cùm magnitudinem onerum apud Senatum deprecarentur, cuncta repetiuêre, orsi à fœdere quod nobiscum i cerant.

h *De enim præpositio.*] Vlpianus in l. 1. in princ. ff. depos. vel con. Depositum, ait, est, quod custodiendum alicui datum est: dictum ex eo, quod ponitur. Præpositio enim, De, auget positum: vt ostēdat totum fidei eius esse commissum, quod ad custodiā rei pertinet. Lactantius Placidus enarrans eum locum lib. 6. Thebaidos,

> *Describitque genis nec se lanugo fatetur*
> *Intonsa sub nube coma.*

Præpositio, inquit, De, aut addit, aut minuit, aut mutat. Idem lib. 8. in eum locum,

> *— Nec deprecor vmbram Accipere.*

Triplex quæsitum super nonnullis verbis iurisconsultorum subobscuris, quis sit illorum significatus, quæue pecunia olim fuerint.

CAPVT XV.

CVM Romæ Palatini fori iudicia opperiremur, quidam non ex plebe homo pollens eruditione & doctrina, ad me adiit, & percontatus est, quid sibi vellet [a] Vlpianus de officio proconsulis, æstimans eum qui prouinciæ præesset, dissimulare non debere, si quos causarum concinnatores, aut litium redemptores deprehendisset. [b] Quis esset litium concinnator, & [c] quis redemptor, quærebatur. Et quia facilis explicatu quæstio erat, leui functus opera, respondi, concinnatorem litium eum dici, qui nouas lites simulatis captionibus & canillis improbis, in longum ducere molitur, cum sibi iure agere non liceret. [d] Concinnare enim esse, rem effictis mendaciis, omnibus lenociniis perpolire, sicut is qui vnguentis delibutus, madenti coma, & capillo composito conspicitur. quos [e] M. Cato vitilitigatores nuncupat, [f] Græce autem κερτὸς δικῶν quasi sector litium. [g] Redemptorémque causarum eum dici, qui lites quotidianas pecunia mercari, illásque pactionibus muneribúsque pellicere conaretur, haud secus quàm qui domos ædificiumque faciendũ vendúmve pretio conducit: [h] qui etiam quadruplator & interceptor alienæ litis dictus est, [i] quos homines tanquam inciuiles, & malarum artium artifices, iureconsulti iure incessere. Iterum quæsiuit ex me, quid esset [k] quod Alphenus legem Aquiliam interpretatus, inquit: Quòd si tabernarius à prætereunte, flagello in quo dolor esset, fuisset cæsus, si illi repugnando oculum eruisset gladio, propter id admissum, Aquilia non teneri: quod diceretur flagellum in quo dolor esset, quærebatur. Cumque nonnulli falsa opinione persuasi flagellum quod dolorem afferat, idoneo dolorem in eo esse assererent, dixi ego mendum in hac dictione fuisse, ingenue me arbitrari, neque iureconsultum tam inscitè loquutum, vt in flagello dolorem esse dicat, pro eo quòd flagris inflictis dolorem affert: cum iureconsulti non per metaphoras, nec circuitu longo, sed mundè admodum & circuncisè loquantur: sed pro eo quòd dolor esset, scriptum fuit, [l] dolon esset, dicendum fuisse: neque aliter à iureconsulto scriptum, veris patere argumentis. Dolonem enim lignum vel fustem signare, in quo ferrũ acuta cuspide lateret, quod haud secus quàm gladius vulnera ingerat, [m] vt Varronis testimonio probatur. In eo enim latens pugio ita situs erat, vt foris minus appareret. Idque coarguitur facili argumẽto, quòd non erat consentaneum, vt si à prætereunte leui flagello tabernarius ictus foret, illi repugnando ferro decernere, & oculum eruere liceret, prout in quæstione est. Quippe inculpata tutela non esset, quum non pari, sed maiore impetu armorum iniuriam propulsaret, quod est lege vetitum. Dicendum ergo fuit, aliquid occulti teli in flagello latuisse quo percussus tabernarius, impune prætereuntem gladio repercutere, & illi oculũ eruere valuit. [n] Hoc dolone Tiberium Graecbum, ne opportunus iniuriæ foret, accinctum processisse in forum, authores tradunt, quò honestius & dissimulato telo in curiam iret. Et Claudium Cæsarem à duobus equestris ordinis, cum dolone & venatorio cultro præstolantibus, penè oppressum Suetonius refert. Tertio consuluit me, quod esset iudicium eremodicium, de quo [o] apud Iustinianum fit mentio frequens, contra quod restitutionem [p] dari leges voluere. Cúmque aliquorum discreparet sententia, peruici tan-

Vlpiani locus. [...] de off procon. Concinnator litium. Concinnare. Vitilitigatores. Redemptor causarum. Quadruplator. Interceptor alienæ litis. Alpheni locus l. si ex plagis ff. ad l. Aqui. Dolon. l. properandum. §. cum autẽ eremodiciũ. C. de iud.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

a *Vlpianus.*] In l. nec quidquam. §. circa aduocatos. ff. de offi. procons.

b *Quis esset litium concinnator.*] Alexander Neapolitanus concinnatores litium interpretatur eos, qui nouas lites simulatis captionibus & canillis improbis in longum ducere moliuntur, cùm eis iure agere non liceret.

c *Et quis redemptor.*] Vide Budæum in Comment. ling. Græcæ.

d *Concinnare.*] Concinnare, authore Festo, est aptè componere, nam cinnus, vt ait, commistio est. Plinius lib. 14. cap. 20. Cato iubet vina concinnari cineris lixiuij. Inde Concinnatorius, a, um, res ad concinnendum apta. Paulus in l. instrumentum. ff. de penu lega. Vasa, inquit, concinnatoria in penu non continentur. Hæc Nebrissensis.

e *M. Cato vitilitigatores nũcupat.*] Dicti sunt vitiosi litigatores, hoc est calumniatores, obtrectatores: ex vitiis & litigatoribus composita dictio. Συνωμότ). Qui enim sola prauitate contentioné quærunt, vitilitigatores propriè dicuntur. M. Cato Vitilitigatores appellat litiũ auidos, alienorum operum calũniatores. Plinius, in procemio Naturalis historiæ ad fi. Ergo securi etiã contra vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitiis & litigatoribus composuit: quid enim illi aliud quàm litigant, aut litem quærunt?

f *Græcè autem.*] Budeus in Comment. linguæ Græcæ.

g *Redemptorémque causarum.*] Idem Budæus ibid.

h *Qui etiam quadruplator & interceptor.*] Sunt verba Liuij 1. Decad. lib. 3. ad fi. Populum, ait. Roman. quadruplatoris & interceptoris litis alienæ personam laturum. & vide infrà eod. lib. c. 22.

i *Quos homines tanquam inciuiles.*] L. terminato. in fi. C. de fruc. & lit. expens. l. sub specie C. de re iud. l. si non obtulit §. ait prætor. ff. eod. tit. & l. supplicare in fi. vt lit. pend.

k *Quod Alphenus.*] In l. si ex plagis. §. 1. ff ad leg. Aquil.

l *Dolon esset, dicendum fuisse.*] Suetonius in Claudio, cap. 13. Reperti & equestris ordinis duo in publico cum dolone, ac venatorio cultro præstolantes, alter vt egressum theatro, alter vt sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. & ibi Beroaldus probat, nec abs re hîc legendũ esse dolon. Idem Budæus in Annotationibus in Pandectas, & ita legitur in Pandectis Florentinis.

m *Varronis testimonio.*] Atque etiam Seruij lib. 7. Æneid. in eum locum.

— Sauosque gerunt in bella dolones.

Dolon, inquit, est aut flagellum, intra cuius virgam latet pugio, aut (secundum Varronem) ingens contus cũ ferro breuissimo. Dolones autem à fallendo dicti sunt, quòd decipiant ferro, cùm speciem præferant ligni. Aliter tamen accipit Donatus in Eunuchum Terẽtij act. 3. sce. 3. Aliter item Liuius 4. Decad. lib. 4. cùm dicit, Sublatis raptim dolonibus Ephesum petunt fuga. Ibi enim pro ornamentis nauis accepisse videtur. Et lib. 6. non multò ante fi. Iam fermè 30. in fronte erant, quibus vt æquaret læuum cornu, dolonibus erectis altum petere intendit. Et paulò post. Polyxenidas enim vt virtute militum haud dubiè superari se vidit, sublatis dolonibus effusè fugere intendit. In illis autem locis de bello nauali loquitur. Budæus in dicta l. si ex plagis.

n *Hoc dolone Tiber. Gracchum.*] Plutar. in vita illius.

o *Apud Iustinianum.*] In l. properandum. §. sin autem reus. & §. cum autem eremodicium. C. de iud.

p *Dari leges voluere.*] Scilicet in l. ait prætor. siue, vt alij distinguunt,

dem, [q] eremodicium dici iudicium, quum quid reo absente in disquisitionē venit, superque iure cōtrouerso mota lite, solus actor nullo se opponente exercuit, contraque reum, indicta causa, lis data fuit ἐρήμη δίκῃ, hoc est, solitudine, eò quòd solus actor nullibi reo comparente, nec signis collatis (vt aiunt) obtinuit: contra quod rescissionem plerunque dari leges voluere. Demum cum sermo incidisset, quid emptio, quid permutatio esset, quæsitum fuit, quo in loco [r] Homerus meminit Achiuos non pecunia, nec ære signato, sed rudi massa æris vel ferri vinum mercari, & cum mancipiis permutare consuesse: [s] cuius authoritate Vlpianus de contrahenda emptione, etiam sine pecunia fieri emptionem asseuerat. Dixi id de quo consulebamur, mihi in promptu non succurrere: sed tamen meminisse me, tam apud exteros quàm Romanos, æris signati argentique & pecuniarum longo tempore nullum vsum fuisse, mercésque non pecuniæ interuentu, nec signato ære, sed rebus commutare consuesse. Siquidem Armeni, [t] Scythæ, [u] Seres & [x] Sarmatæ, nō intercessu pecuniæ res emere, sed rerum commercio permutare assuêrant. Deserta enim & vacua cultoribus loca hominibúsque infrequentia, magis quàm vrbes incolebant. [y] Indi quoque illi penitissimi, [z] & Esseni idem factitarunt: nam fuso ære vtebantur, aut orichalco ([a] quippe cum veteres orichalcum pretiosius auro ducerent) percusso verò minimè. [b] Lusitani graui sarcina æris, vel frusto argenti sæpius nummi loco vsi fuere. [c] Lacedæmonij Lycurgi legibus omnem auri argentique vsum amouentes, ferrum & rudem massam vasti ponderis pro pecunia habuere, [d] sicut Byzantij ferri massam pro nummo appendebant. Massyli vero in Africa populi, pecora & mapalia pecuniæ loco habuisse feruntur, cum quibus merces sæpe mercatores commutabant. [e] In Britannia [f] gens inhospita, iuxta Scyliram insulam, permutando dare necessaria & accipere consuerant. [g] Reliqui ære aut annulis ferreis ad certum pondus delibratis. [h] Quod apud Baleares fuit in more, vt omnem auri, aut argenti materiam execrati, nullius generis nummos ad se afferri sinerent. Idem de Carmanis [i] & Bambycatiis, qui in Tigri sunt, memoriæ proditum est, vt omnia metalli genera coementes, illa in profunda terrarum, & abditas solitudines suffodiant, ne pecuniæ commercio eneruaretur animi indoles, ingeniique. [k] Quod de Indis & [l] Æthiopibus traditum accepimus, qui auri materiam tam vili æstimarunt, vt catenas noxiorum tantum ex illo conflarent. Omnes denique gentes nationesque apud prius seculum mercibus res inuicem commutare, vel coriis boum nummorum loco, aut bobus pecudibusque, ac ferreis virgis vsos comperimus, [m] Homeri testimonio, qui res sensu & æstimatione dignas, non pecunia, sed boum & pecudum numero taxauit, cum nihil tunc impenso pretio veniret. [n] Primi igitur Lydi aureum & argenteum nummum, cum tūc nullus foret, inuenisse traduntur: [o] tametsi Æginæ argentum primo signatum nonnulli credant, [p] Alij

Iudicium eremodiciū apud Iustinianum.

De eremodicio vide Budæum in Annotat. & Alciatū lib. 4. de verb. signi.

Apud veteres diu pecuniarum vsum, argenti sed & auri non fuisse.

Auri & argentei numi inuentores

ANNOTATIONES.

stingount, l. & si fine. §. item & in eremodiciis. qui est vlt, ff. de minorib.

q *Eremodicium.*] Budæus in l. posteriore. ff. de orig. iur. Vadimonium desertum, inquit, ἐρήμη δίκη dicitur à Demosthene sæpissimè. vnde vno verbo Eremodicium dicitur, quod in tit. de minorib. 25. ann. l. & si. §. fi. & l. properandum. §. sin autem reus. C. de iud. Heremodium corruptè legitur. Vide Alciat. lib. 4. de verb. signif.

r *Homerus.*] Lib. 7. Iliados, ad fi. sed hîc omnino vide, quæ scripsi in Comment. Retractuum titu. 1. §. 30. glos. 1.

s *Cuius authoritate Vlpianus.*] Imò Paulus in 1. ff. de contrah. emptione.

t *Scythæ.*] Iustinus lib. 2.

u *Seres.*] Ammianus Marcellinus lib. suæ historiæ 23. & Solinus c. 53.

x *Sarmatæ.*] Strabo lib. 7.

y *Indi quoque.*] Strabo libr. 15. Indi & metallorum & fusilium imperiti, quibus abundent nesciunt, idcirco rem simplicius tractant. Et Pausanias libro 3. Quin & hoc ipso tempore ab Indis referunt, pro Græcorum, quæ illuc comportatæ fuerint, rebus reponi Indicas merces: nummum verò illos ignorare.

z *Et Esseni.*] Plinius lib. 5. c. 17. & Solinus c. 38.

a *Quippe cum veteres.*] Seruius lib. 12. Æneid. in eum locum
Ipse dehinc auro squalentem, alboque orichalco
Circundat loricam humeris.

b *Lusitani.*] Strabo lib. 3. Hi loco nummorum, graui admodum sarcinarum permutatione vtuntur, vel extensi argenti laminæ frustum abscissum exhibent. De Bastetanis autem Hispaniæ populis loquitur qui an Lusitani sint, Alexander viderit.

c *Lacedemonij.*] Plutarch. in vita Licurgi & in Apophthegm. ipsius, atque etiam in vita Lysandri & Pollux, lib. 9. cap. 25. Sed vide quæ de illis paulò pòst dicemus.

d *Sicut Byzantij.*] Pollux, d. lib. 9. c. 25.

e *In Britannia.*] Solinus cap. 25. aut aliorum computat. 35. Mutationis, inquit, necessaria potius quàm pretiis parant. vbi hanc insulam, de qua loquitur author noster, non Scyliram vocat, sed Silurum vide interpretem.

f *Gens inhospita.*] Ita eam appellat Solinus vbi suprà post princ. Gens inhospita, ait, & bellicosa, sanguine interemptorum hausto prius, victores vultus suos oblinunt. Sed vide quæ diximus suprà eod. lib. cap. 10.

g *Reliqui.*] Nescio quos hîc reliquos dicit.

h *Quod apud Baleares.*] Diodorus Sicul. lib. 6. c. item 6.

i *Et Bambycatiis.*] Plinius lib. 6. cap. 27. Ibi mortalium solis aurum in odio: contrahunt, id, defodiúntque, ne quo cui sit in vsu.

k *Quod de Indis.*] Vide quæ paulò suprà ex Strabone diximus in verbo, Indi quoque.

l *Et Æthiopibus.*] Herodotus lib. 3. & idem de Automelis, qui & ipsi ex Æthiopibus sunt. Pomponius Mela lib. 3. cap. 10. statim post princ. Ære (de eisdem loquens, inquit) exornantur, auro vincula sontium fabricant. Et de Macrobiis, qui item Æthiopes sunt, Solinus cap. 43. aut aliorum computat. 33. Macrobij, inquit, iustitiam colunt, amant æquitatem, plurimùm valent robore, præcipua decent pulchritudine. Ornantur ære, auro vincula faciunt noxiorum. Sed & adde Satarchas qui vsu auri argentique in æternum se à publica auaritia abdicarunt. ex Solino cap. 25. aut aliorum computatione 20.

m *Homeri testimonio.*] D. lib. Iliados 7. ad fi. Id quod etiam tradit Plinius lib. 33. c. 40.

n *Primi igitur Lydi.*] Herod. lib. 1.

o *Tametsi Æginæ.*] Strabo, authoritate Ephori, lib. 8. tradit primò in Ægina à Phidone signari cœptum argentum. Vide Polydorum Virgilium de Rerum inuentor. lib. 2. c. 20.

p *Alij apud Eleos.*] Idem Strabo eod. lib, memoriæ prodidit

Phædo

apud Eleos pondera & ex argento nummos à Phædone inuentos putant.[q] Apud Persas verò Darius ex auro monetam percussit primus.[r] In Latino Saturnus æreum nummum reperisse traditur.[s] Romanis quoque auri argentique signati longo tempore nullus vsus fuit. Pecudibus enim & iumentis bobusque res permutare, sontesque plectere solebant: [t] æstimabaturque bos centussibus, ouis verò decussibus.[u] Coriis verò boum nummos percussos à primis originibus iudicare licet, quòd Numa Pompilius scorteos asses, congiarium populo dedisse fertur.[x] Post quos Dionysius ex stanno cõflauit nummos.[y] Interiecto deinde tempoe, ære graui Romanos vsus competimus, quo appenso non numerato, debita exoluebant. [z] quo tempore Seruius Tullius rex, primus nota pecudum æs signasse proditur, [a] vnde & pecunia dicta.[b] Cuius rei causa in vetustissimis nummis, bouis, pecudis, aut suis signũ incusum apparet. Sed quamuis a Seruio Tullio pecunia percussa,[c] nõ propterea à graui ære pretij nomine quòd inter licentem ementemque conuenit, exoluendo desitum est: quippe post decemuiros, etiam ære graui Romanos vsos fuisse, debitaque exoluisse, authores tradunt, quòd æs graue, massa æris fuit, non percussa aut signata: appendi, non numerari solita.[d] Sequutis mox temporibus, Seruio Cepione & Cneo Sempronio consulibus, post Atilium Regulum, argenteo nummo primum figurato Romę altera parte Ianus bifrons, altera nauis prora incusa fuit:[e] tametsi quinque annis ante primũ Punicũ bellum argenteum nummum Romæ signatum nonnulli credant:[f] demum post annos duos & sexaginta, aurei apud Romanos eadem nota incusi fuere. [g] Deinde bigæ, & quadrigæ, ac victoria. quare victoriati, bigati, & quadrigati dicti.[h] Fertur tamen Liuius Drusus in tribunatu tertiam æris partem argento miscuisse, & signo Victoriæ pariter nummum percussisse, cui Victoriato nomen.[i] In triente autem

Nummi ex coriis boum.

Pecunia vnde.

Nummorũ apud Romanos insignia.

ANNOTATIONES.

Phædonem mensuras excogitasse, à quo etiam Phædoniæ vocitantur: & pondera, & numum cùm alium, tum argenteum signari docuisse.

q *Apud Persas verò Darius.*] Herodotus libr. 4. Siquidem videns Darium velle memoriam sui relinquere opere quod à nullo alio Regum factum esset, id sibi imitandum putauit, donec mercedem accepit. Etenim Darius ex auro quàm potuit purgatissimo monetam percussit. Vide infrà, ibi, Et stateres Darici.

r *In Latio Saturnus.*] Æs Ianus primus signauit. Macrobius Satur. libr. 1. cap. 7. Hic igitur Ianus cùm Saturnum classe peruectum excepisset hospitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni eum societate munerauit. Cùm primus quoque & æra signaret, seruauit & in hoc Saturni reuerentiam, vt quoniam ille naui fuerat aduectus, ex vna quidem parte sui capitis effigies, ex altera verò nauis exprimeretur: qud Saturni memoriam etiã in posteros propagaret. Ouidius quoque testatur in 1. Fast. scribens,

Multa quidem didici: sed cur naualis in ære
Altera signata est, altera forma biceps?

Et deinde infert,

At bona posteritas puppem formauit in ære,
Hospitis aduentum testificata Dei.

Eutropius autem secus sentit, in primo scribens, Saturnum numos æreos Latinis primùm instituisse. Polydorus Virgil. vbi suprà.

s *Romanis quoque.*] Plinius lib. 3. c. 3.

t *Æstimabaturque bos.*] Vide in nostris Consuetudinibus.

u *Corij verò boum.*] Plutarc. in vita ipsius Numæ. Donatus in Virgil. lib. 1. Aeneidos ibi,

Taurino quantum possent circundare tergo.

Tradit pecuniam ex corio bubulo priscis temporibus fuisse, hincque pocuniam dictam, quòd ex pecore originem duceret. Vnde & illud D. Hieronymi in Rufinum, Vt cùm montes auri pollicitus fueris, ne scorteum quidem nummum de thesauris tuis proferas. Lacedæmonij etiam scorteo numismate vtebantur, vt tradit Nicolaus περὶ ἐθῶν, & ex eo Stobæus Collectaneorum cap. 42. Et Seneca de beneficiis, lib. 5. cap. 13. cuius hæc verba sunt, Aes alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui coriũ forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod vsum numeratæ pecuniæ præstat.

x *Post quos Dionysius.*] Aristoteles lib. 2. Oeconomicorum. Sed Pollux Onomasticôn lib. 9. c. 6. scribit Syracusiis stannum argenti loco habitum fuisse Dionysij testimonio, non autem dicit Dionysium conflauisse. Rhodiginus lib. 10. ca. 2. Dionysius, inquit, Syracusanos perpuli stanneo nummo vti.

y *Interiecto deinde tempore.*] Liu. 1. Dec. lib. 4. ad fi. Et quia inquit. nondum argentum signatum erat, æs graue plaustris quidam ad ærarium contrahentes, speciosam etiam collationem faciebant. Nam & antè eod. M. Posthumius ob rem male gestam in Veios decem millibus æris grauis damnatus est. Et eiusdem Decad. libr. 5. His, inquit, creationibus incitata plebs, denis millibus æris grauis condemnauit. Et rursum. Et pessimo exemplo innoxij denis millibus grauis æris condemnati sunt. Et Plinius li. 3. cap. 3. Libralis, vnde nunc libella dicitur, & dipõdius appendebantur assis. Quare æris grauis pœna dicta. Gellius lib. 10. c. 6. Authoritate Atteij Capitonis, scribit tẽpore primi belli Punici Appij Claudij Cœci filiæ, ob dictum quodpiam petulantius multam æris grauis 25. millia dictam. quod & nos suprà alibi diximus.

z *Quo tempore Seruius Tullius Rex.*] Plinius lib. 33. c. 3.

a *Vnde & pecunia dicta.*] Idem Plin. ibidem. Donatus aliter vt diximus suprà in verbo, Coriis verò boum.

b *Cuius rei causa.*] Plutarc. problem. cap. 40. & quantum ad bouis imaginem, idem Plutar. eiusdem operis cap. 39. & in Publicola, & Plinius lib. 18. c. 3.

c *Non propterea à graui ære.*] Vt patet ex locis Liuij & Plinij suprà citatis in verbo, Interiecto deinde tempore.

d *Sequutis mox temporibus.*] Hæc vsque ad clausulam, Tametsi quinque. sunt Plinij vbi suprà. Plutarchi problem. 40. Draconis Corcyrẽsis, & ex eo Athenæi in Dypnosophistis. Macrobius lib. 1. Satur. cap. 2. Lactantius lib. 1. c. 13. vnde illud Ouidij lib. Fast. 1. in verbo, In Latio Saturnus.

e *Tametsi quinque annis*] Plinius vbi suprà.

f *Demum post annos duos & sexaginta.*] Idem Plinius vbi suprà.

g *Deinde bigæ.*] Hæc vsque ad clausulam, Fertur tamen. sunt Plinij dicto loco. Sed & de bigatis Tacitus in libro de Moribus Germanorum. Et Liuius 3. Decadis libro 3. & de quadrigatis idem Liuius 3. Decadis libro 2. & de victoriatis idem Liuius 5. Decadis libro 1. in triumpho C. Claudij Pulchri. Adde & Antonianos & Aurelianos apud Vopiscum in Aureliano, & in Probo. & Valerianos, & Salonianos apud Trebellium Pollionem in Claudio Secundo ad fi.

h *Fertur tamen Liuius Drusus.*] Plinius d. lib. 33. ca. 3. & Liuius 3. Dec. lib. 2. non semel.

i *In triente autem & quadrante.*] Plinius vbi suprà.

k *Persa*

& quadrante Romani rates incussere.[k] Persæ stateres Daricos numismata habere dicuntur.[l] Græci & Athenienses Tetracinam,&[m] Cistophoros,[n] ac Philippeos nummos, qui bouis imaginem longo tempore habuere incussam, tunc primùm[o] à Theseo inuentos, vt ab armis ad agrorum cultum ciues auocaret: cuius formæ Eleis numisma fuit, in quo bouis imago designabatur.[p] Præter quos fuere Oscenses[q] & stateres Darici, Philippei &[r] Alexandrei, qui ex auro cudebantur, in quibus mulæ cum curru videbantur effictæ.[s] Postea noctua cum Mineruæ facie Athenis incudi cœpta: vnde illud proditum est,[t] Gilippi seruum ephoris detulisse, multas sub tectis cubare noctuas, quòd Lysandri pecuniam, quam Gilippus fuerat depeculatus, sub tecto condiderat.[u] Trœzenij cum Neptunum præcipuum colant, tridentem nummo effictum habuere.[x] Persicus vero nummus sagittarium incussum habuit,[y] qui Daricus etiam dictus.[z] Germani Serram,[a] qui Serrati.[b] Dardani duos insculpsere gallos,[c] Rhegini leporem & currum,[d] Cephalenes equum, Thasij Persen, Argiui murem, Mitylenæi Sapphus imaginem,[e] Tarentini nummi Taran Neptuni filium, qui Delphino vectabatur, Aspendi palæstras,[f] Locri autem & Ozolæ hesperum stellam effinxere.[g] Apud Chios ænea moneta fuit, cui nomen Homerus.[h] Peloponnesiorum numisma testudinis figuram habuit, cui Cheloni dixere nomen, Cyziceni altera parte Cybelen, altera leonem: Tenedij securim, & facies duas eadem ceruice prominentes:[k] Corinthiaci, qui Poli dicebantur, Pegasum:[l] Gergithij autem qui in Phrygia minore sunt, Sibyllæ imaginem, quòd inde esset oriunda, hoc sempiternæ laudi fore arbitrati.[m] Postea verò nouitio

Persarũ stateres. Græci. Athenienses. Elei. Noctua in numismate Atheniẽsi. Trœzenij Persæ. Germani Dardani Rhegini. Cephalenes Thasij. Argiui. Mitylenæi. Tarẽtini. Aspendij Locri. Chij. Peloponnesij Cyziceni Tenedij. Corinthiaci. Gergithij

ANNOTATIONES.

k *Persæ stateres Daricos.*] Vide paulò inferius in verbo, Et stateres Darici.

l *Græci & Athenienses Tetracinam.*] Rhodiginus lib.10.c.2. ex Liuio vbi legendum Tetradragma, non Tetracina, probant eruditiores.

m *Cistophoros.*] Liuius 4.Decad.lib. 7. vbi de triumpho M. Acilij.& iterum ad fin.eiusdem lib.1.in triumphis L.Æmylij Regilli, & Scipionis Asiatici. & libr. 9. non multò post princip.in Triumpho Cn.Manlij.Et Cicero in Oration.pro domo sua,& ad Atticum lib.2.epist.6.& iterum epist. 16. ad finem.& li.11.epist.1. Sunt qui in l.Publia.§. Titius.ff.depositi, Cistophoros putent reponendos, vbi mendosè legantur, modò costrophinari. Cistophorum fuisse legimus quatuor militum & quingentorum denarium, sicuti & Rhodium talentum. Dici opinantur Cistophorum, ab insignis ferentis cistam, sicut coronati modo vocantur nummi, à coronæ imagine. Ex c.2.lib.10. Lect. Antiq. Rhodig.

n *Ac Philippeos.*] Rhodig. vbi suprà Plautus in Bacchidibus act.4.sce.8.

Ducentos numos aureos Philippos probos
Dabin?

Et in Trinummo, act.1.sce.1.

—— Numorum Philippeûm ad tria millia.

Horatius lib.epist.2.epist.1.ad Augustum,

Gratus Alexandro, Regi Magno, fuit, ille
Cherilus, incultis qui versibus, & malè natis,
Retulit acceptos, regale numisma, Philippos.

Rhodiginus vbi suprà.& Pollux lib.9.c.6.

o *A Theseo inuentos.*] Plutarch. in Theseo.& idẽ Rhodig.ibid.

p *Præter quos fuere Oscenses.*] De quibus Liuius 4.Decad.lib. 10.in triumpho Q.Fuluij ex Hispania.

q *Et stateres Darici.*] Pollux vbi suprà.& Plut.in Artaxerxe. Dicti autem sunt à Dario, veluti ab ipso accuratè facto in purgationem auri, vt tradit idem Pollux lib.3. & Plutar. in Apophthegm. Sed id non esse verum testimonio ex Xenophon. Pædiæ Cyri lib.5. non semel, dum Persas & alios Daricis nummis vsos fuisse tradit tẽpore Cyri illius antiquioris, qui longo ante tempore præcessit Darium antiquiorem. At Darius tamen ex auro, quàm potuit purissimo monetam percussit teste Herodoto lib.4.

r *Alexandrei.*] Pollux vbi suprà.

s *Posteà noctua.*] Plutarc. in Lysandro. Interpres Aristophanis authoritate Dæmonis,& Pollux dicto lib.9.

t *Gilippi seruum.*] Plutar. in eod. Lysandro.

u *Trœzenij.*] Plutarc. in Theseo, & Pausanias in Corinthiacis.

x *Persicus verò nummus.*] Idẽ Plutar. tum in vita, tum in Apophthegmatis Agesilai. & in vita Artaxerxis, & Cicero in Orat. pro Sestio.

y *Qui Daricus etiam dictus.*] Plutarchus in loco postremo suprà citato.

z *Germani serram.*] Tacitus li. de Moribus German. memoriæ prodidit Germanos pecuniam probare veterem & diu notam, Serratos Bigatósque.

a *Qui Serrati.*] De numis serratis Liuius 4.Decadis libro 9. alias 10.

b *Dardani duos insculpsere gallos.*] Adde pugnantes ex Polluce libro 9.cap.6. cuius tit. est, ὧν εἶδον καὶ μετωποκρατῶν ταλάντε &c.

c *Rhegini leporem & currum.*] Pollux vbi suprà.

d *Cephalenes equum.*] Idem Pollux ibi, & Cælius Rhodig. lib.10.c.2.

e *Tarentini.*] Pollux vbi suprà authoritate Aristotelis in Republica Tarentinorum. Hoc quoque idem refert, sed nullo authore citato, Nicolaus Leonicus de Varia historia lib.1.c.18.

f *Locri autem & Ozolæ.*] De his duobus Strabo lib.9. sed vt intelligas Ozolas esse ex Locris, vt alibi diximus.

g *Apud Chios.*] Pollux vbi suprà. Strabo lib. 14. Homerum, inquit, poëtam Chij maximè sibi vendicant, vnde & nummus quidam æneus apud eos Homerus vocatur.

h *Peloponnesiorum.*] Pollux item vbi suprà, Eupolidis authoritate,& illius carminis prouerbium, quo significatur testudines, id est pecuniam, vincere virtutem & sapientiam. Id est eiusmodi,

Τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικῶντι χελῶναι. Id est,
Et Virtus testudinibus, & sapientia cedit.

Vide Eras. Chil.2.cent.4.c.87.

i *Tenedij securim.*] Heraclides in Politicis,& Stephanus in Vrbium catalogo. Plutarchus in Commentario de Pythiis oraculis, ostendit securim typum atque insigne fuisse Tenediorum, idque propter cancros, qui sunt apud illos in loco, qui dicitur Asterium. Verba Plutarchi sunt hæc: ὥσπερ ἀμέλει σαλεύοντάς ποτε χρυσοῦν ὅλμον ἀναθεῖναι λέγονται: καὶ τενέδιοι τὸν πέλεκυν, ἀπὸ τῶν καρκίνων τῶν γινομένων περὶ τὸ καλούμενον ἀστέριον παρ' αὐτοῖς. μόνοι γὰρ ὡς ἔοικεν ἐν τῷ χελωνίῳ τύπον πελέκεως ἔχουσι. Erasmus Chiliad. 1. centuria 9. capite.27. Vide in nostris legibus Connubialibus vbi de pœnis adulterij.

k *Corinthiaci.*] Pollux d.lib.9.

l *Gergythij.*] His autem adde Brutum numisma percussisse ipsius imagine cum pileo & duobus pugionibus, significans à se & Cassio patriam seruitute liberatam fuisse, occiso Iulio Cæsare, vt scribit Dion libro 47. Lysimachi quoque numisma erat ipsius facie cornigera insignitũ, ob taurũ de sacrificio Alexandri magni vinculis elapsum, ab eo retentum ambabus manibus & occisum, vt tradit Appianus in Syriacis.

m *Posteà verò.*] Id probatur exemplis seq.

n *Quare*

Nummi cum Cæsarum inscriptione.

inuento, vt imagines Cæsarum cum inscriptione & titulis, nummis adscriberentur, obseruatum est. [n] Quare Nero Cæsar in habitu citharędi se nummo insculpsit: [o] & Seuerus Imperator habitu Alexandri nummos figurauit. [p] Galenus post occisos satrapas Persarum, monetam, qua Persas captos ducebat, percuti iussit. Augustus [q] Octauius nota sideris capricorni, sub quo in lucem editus erat, argenteum nummum percussisse dicitur. [r] Denique, quum apud prius seculum nullus nummorum vsus foret, iudicare licet, Homeri temporibus non pecunia, nec ære signato, sed mercibus inuicem Achiuos vinum, æs & ferrum, armis & mancipiis emere consuesse. Cum verò hac admonitione attentior factus ἐν τῷ η. τῆς ἰλιάδος ὁμήρου ῥαψῳδίᾳ versarer, eos versus haud multo negotio comperi: qui tales sunt.

In fi. lib. 7. iliados

ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες ἀχαιοί,
ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῇσι βόεσσιν,
ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι, τίθεντο δὲ δαῖτα θάλειαν. Id est,

Vnde reportabant criniti vina Pelasgi,
Acris quidam, alij fulgentis munere ferri,
At scutis alij, pars bobus mancipiisve
Mutabant passim, & conuiuia læta parabant.

ANNOTATIONES.

n *Quare Nero Cæsar.*] Suetonius in vita illius, cap. 25. Statuas suas, inquit, citharœdico habitu: qua nota etiam nummum percussit.

o *Et Seuerus Imperator.*] Non is Septimius Seuerus: sed Alexander Seuerus ex Ælio Lampridio in vita illius.

p *Galenus.*] Gallienus scribendum: estque Trebellij Pollionis in vita illius, Gallienus, inquit, vbi competit ab Odenato Persas vastatos, redactam Nibisin & Carras in potestatem Romanam, omnem Mesopotamiam nostram denique Ctesiphontem esse peruentum, fugisse Regem, captos satrapas, plurimos Persarum occisos, Odenatum, participato imperio, Augustum vocauit, eiúsque monetam, qua Persas captos traheret, cudi iussit.

q *Augustus.*] Sueton. in vita illius, cap. 94. in fin. Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, vt thema suum vulgauerit, nummúmque argenteum nota sideris capricorni, quo natus est, percusserit.

r *Denique cùm apud prius seculum nullus.*] Hoc caput finit versibus Homericis ex Iliados libro 7. ad finem, vt suprà diximus.

Quæ porta vrbis Romanæ præcipua fuerit, & vnde nomina sumpserint & ex quibus causis cognomenta.

CAPVT XVI.

Tres portæ.

Carmentalis. Pandana. Mugonia

VRBIS Romæ sicut sæpissime pomœrium prolatū fuit, ita multiplices portas pro murorum ambitu extructas fuisse, facile est coniectari: Nam quum à prima origine fundamenta vrbis in Palatino monte fuerint, cuius radicibus antiquissimū pomœrium terminabatur. [a] tribus portis tunc vrbs contenta erat: hæ fuerunt, [b] Carmentalis quæ Scelerata, [c] Pandana [d] quæ Libera dicta est, & [e] Mugonia [f] quā Trigoniam à tribus angulis vocatam ferunt. [g] Id autem pomœriū quod Romulus posuit, à foro boario procedens ad magnam Herculis aram: inde per ima montis [h] Palatini ad aram Consi, mox ad curias veteres, & demum ad sacellum Larium, protendebatur

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

a TRribus portis.] Plinius libr. 3. cap. 5. scribit, Vrbem treis portas habentem Romulus reliquit, aut (vt plurimas tradentibus credamus) quatuor. Has nominat Georgius Fabricius Chénicensis in libello, cui titulus est, Roma.

b *Carmentalis.*] Et aliis nominibus Tarpeia, Veientana, & (vt ex Plin. li. 8. cap. 41. coniici potest) aliquando Ratumena. Cur autē Scelerata dicta sit, vide paulò infra in verbo, Quæ & scelerata.

c *Pandana.*] Quæ & Saturnia, & Romanula, & libera dicta est. Dicta est autem Pandana Varroni lib. 1. aut, vt alij computant 4. de lingua Latina, à Pando, quod semper pateret ad res quæ in vrbem ferebantur. Idem Festus Pompeius libro 14.

d *Quæ libera dicta est.*] A libertate, authores Festus & Varro vbi suprà dictam tradunt.

e *Et Mugonia.*] Varro lib. 4. de ling Latin. Intra muros, inquit, video portas dici: in palatio Mucionis à mugitu, quòd ea pecus in Bucitatom antiquum oppidum exigebant. Mugionam eam vocat Festus li. 11. non a mugitu, sed à Mugio quodam, qui huic portæ aliquando præfuisse creditur.

f *Quam Trigoniam.*] Quòd esset trium angulorum Verrio appellata.

g *Id autem pomœrium.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. Pomœrium, verbi vim solam intuens, post mœnium interpretatur esse. Est autem magis circamœrium, locus, quem in condendis vrbibus quondam Hetrusci, quà murum ducturi erant certis circà terminis inauguratò consecrabant: vt neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgò etiam coniunguntur: & intrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatiū, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quòd post murum esset, quàm quòd murus post id, Pomœrium, Romani appellarunt, & in vrbis incremento semper: quantū mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur. Varro lib. 4. de ling. Lat. Principium, inquit, quod erat, post murum, Pomœrium dictum: eiusque ambitu auspicia vrbana finiuntur. Festus, Pomœrium, quasi postmurium, id est proximum muro. Gellius libro 13. cap. 14. in princip. Pomœrium est locus intra agrum effatum, per totius vrbis circuitum pònè muros regionibus certis determinatus, qui facit finem vrbani auspicij. Antiquissimum autem pomœrium, quod ab Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur. Sed id pomœrium pro incrementis Reipublicæ, aliquoties prolatum est & multos editósque colles circumplexum est. Habebat autem ius proferendi pomœrij, qui populum Roman. agro de hostibus capto auxerat.

h *Ad aram Consi.*] Marlianus li. 1. cap. 3. Vrbs, inqu[illegible], designari

& cum esset tunc [i] Roma quadrata, ad forum Romanum procedebat. [k] Varro autem à sylua quæ erat in area Apollinis in palatio, vsque ad supercilium scalarum Caci in Auentino, occidentem versus, & ad tugurium Faustuli, vbi casa Romuli fuit, prima vrbis fundamenta protendi asseuerat. [l] Adiecto deinde Capitolino colle à Tito Tatio, quem Arcades Saturnium vocarunt, satis constat portam illic excitati castelli, [m] Saturniam nuncupasse; quæ Pandana, eò quòd semper pateret, dicta est. Cúmque infima Capitolini montis habitaculum fuerint, [n] inde Carmentali portæ nomen datum, [o] quæ & Scelerata, eò quòd CCC. & septem Fabij inde prodeuntes, infausto prælio ad Cremeram omnes à Veientibus oppressi, & miseranda nece cæsi fuere. [p] Iuxta quam ædes Martis, [q] Matutæ [r] & Bellonæ, [s] & columna ex qua dabatur belli signum, siquando contra hostes præualentes sumebantur arma. [t] Ad hanc portam matronas Carmentæ nymphę [u] (quę mater Euandri fuit) annuas hostias immolare & sacrum facere produnt. [x] Sed cum Tarquinius Priscus quadrato saxo primus, & deinde Seruius Tullius pomœrium protulissent, duósque vrbi colles adiecissent, ita vt septem collium vrbs fieret, qui vltimus vrbis ambitum auxisse fertur, ac reliqui Reges vrbem parum mœnibus validam, aggere & fossis muniuissent, portarum quoque numerum augeri consentaneum fuit: eóque magnitudinis vrbs processit, sæpius aucto dilatóque pomœrio, [y] vt IIII. & XXX. portas per omnem ambitum Romę fuisse legamus: ipsúmque pomœrium [z] Aurelianum Cęsarem tandem definisse, vt ad millia passuum XXX. mœnia protenderet. [a] tametsi Nero Ostiam tenus mœnia promouere, atque

Saturnia. Pandana vnde. Carmentalis. Scelerata.

Vrbs septem collium.

Porta 34. vrbis Romæ.

ANNOTATIONES.

gnari cœpta est à foro boario: indè certis spatiis interiectis lapides per ima mõtis Palatini, ad aram Consi: mox ad Curias veteres: tum ad sacellum Larium forumque Romanum meta ducta. mœnibus locus & vrbi spatium designatum fuit. Neptunus equestris, alio nomine Consus appellatus, quòd consiliorum secretorum Deus esset, vt qui hominum consilia celet vel prodat. Vide Marlianum lib. 4.c.12. Gyral. de diis Gent. Syntag. 5.

i *Roma quadrata.*] Festus Pompeius lib. 5. Plutarchus in Romulo. Vide in nostris Consuetudinibus, vbi de Fontenaio loquor.

k *Varro autem.*] Lib. 4. de ling. Lat.

l *Adiecto deinde Capitolino.*] Solinus c. 2. Diod. Sicul. lib. 3. c. 5 scribit, Omnia ad hoc vsque tempus & in Sicilia & in occiduis oris editiora loca Saturnia dicta fuisse.

m *Saturniam.*] Solinus eo. c. 2. Castelli quoque, inquit, quod excitauerant, portam Saturniam appellauerunt, quæ posteà Pandana vocata est.

n *Inde Carmentali porta.*] Idem Solinus ibid. Pars autem infima Capitolini montis habitaculum Carmentis fuit, vbi Carmentis nunc fanum est, à quo Carmentali portæ nomẽ datum est. Dionys. Halic. lib. 1. Euandro & Carmentæ Romanos quotannis sacrificare, Carmentæq; aram apud Carmentalem portam sub Capitolio ædificatam fuisse scribit: quam aram Solinus hic fanum nominat. Nunc Sanctæ Catharinæ, sub rupe Tarpeia.

o *Quæ & scelerata.*] Ouid. lib. Fast. 2.

Carmentis porta dextra est: via proxima Iane:
Ire per hanc noli quisquis es, omen habet.
Illa fama refert Fabios exisse trecentos:
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet.

Liuius 1. Decad. lib. 2. Festus Pompeius lib. 16. Seruius lib. 8. Æneidos ibi,

— Monstrat & aram
Et Carmentalem Romano nomine portam.

Et diximus etiam suprà lib. 2 c. 6. post princ.

p *Iuxta quam ædes Martis.*] Huius templi meminit Ouidius lib. Fast. 5. & columnis adornatum fuisse dicit. & Marlianus Topog. lib. 5. c. 8.

q *Matutæ.*] In foro Holitorio C. Cornelius Coss. bello Gallico ædem Iunoni Matutæ vouit: quam quidem posteà Censor locauit in eo loco, vbi deinde D. Andreæ, cognomẽto in Metuza, templum fuit. Marlianus Antiquit. Rom. lib. 4. c. 2. & 7. & lib. 3. c. 15. & alibi. Hæc etiam Iuno cognominata est. Gyraldus de diis Gentium Syntag. 3. & Leucothoë idem lib. 7.

r *Et Bellonæ.*] Bellonam Poëtæ deam belli faciunt, sororem & aurigam Martis, vulneribus & strage gaudentem. Vocatur etiam Enyo. Martial. lib. 2. de Othonis morte,

Cùm dubitaret adhuc belli ciuilis Enyo.

Gyraldus de diis Gentium syntag 10. & Pallas Virgil. lib. 8. Æneid.

Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Huic proprio sanguine sacerdotes sacrificabant. Vnde Lucanus lib. 1.

— Tunc quos sectis Bellona lacertis
Sæua mouet, cecinere deos.

Ouidius lib. Fast. 6.

Hac sacrata die Tusco Bellona duello
Dicitur, & Latio prospera semper adest.

Ædes Bellonæ, inquit Anton. Constãt. interpres Ouidij, quæ hoc tempore dedicata est, non fuit extra vrbem, vt quidam falsò existimãt: ea videlicet, vbi Scipioni reuerso ex Hispania, pulsis Carthaginensibus, Senatus datus est, auctore Plutarcho in Sylla: sed in verbo, ac nõ longè à Circo maximo: vbi columnella fuit, quæ Bellica dicebatur. Et Marlian. Topographiæ vrbis Rom. lib. 5. c. 8.

s *Et columna.*] Huic columnæ proximam ædem Bellonæ fuisse docet Festus his verbis, Bellona dicebatur dea bellorum, ante cuius tẽplum erat columnella, quæ Bellica vocabatur: super quam hastam iaciebant, cum bellum indicebatur. Huius ædis auctor Appius Claudius fuit (auctore Liuio 1. Dec. li. 10.) cùm Hetrusco bello domuisset. Sanè Bellona, teste Varrone lib. 6. ling. Latin. ab duello quoque Duellona dicebatur. Pompeius quoque huius columnulæ meminit, & Marlianus vbi suprà.

t *Ad hanc portam.*] Ibidem fanũ (vt suprà dictum est) à matronis Romanis exædificatũ fuisse memoriæ prodidit Marlianus Antiquit. Ro. lib. 4. c. 2. Hanc primùm Nicostrata, sed quia carminibus oracula reddebat, Carmenta est vocata.

u *Quæ mater Euandri fuit.*] Plutarc. Problem. c 56. vbi reddit rationem, quare Romanæ matronæ Carmentæ fanum ædificauerint. Liuius 1. Decad. lib. 1. nõn adeò longè à prin. Euander, inquit, tum ea, profugus ex Peloponneso, auctoritate magis quàm imperio regebat loca: venerabilis vir miraculo literarum, rei nouæ inter rudes artium homines: venerabilior diuinitate credita Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam aduentũm, miratæ hæ gentes fuerant. Stabo lib. 5.

x *Sed cùm Tarquinius Priscus.*] Liu. Deca. 1. lib. 1. scribit Tarquinio Prisco, qui vrbem lapideo muro circundare parauerat, defuncto: eam curam Seruium Tullium suscepisse, vrbisque ampliasse pomœrium.

y *Vt IIII. & XXX. portas.*] Plin. lib. 3. c. 5. dicit hodie esse numero xxxvij. ita vt xij. portæ semel numerentur, prætereantorque ex veteribus vij. quæ esse desierunt.

z *Aurelianum Cæsarem.*] Flauius Vopiscus in Aureliano.

a *Tametsi Nero.*] Sueton. in vita illius, c. 31.

Exquilina. Viminalis. Quirinalis. Cælimontana. Numentana. Taurina. Capena. Pluuia excitanda medus. Iupiter pluuius.

inde fossa mare veteri vrbi statuisset inducere. [b] Exquilinam ergo, [c] Viminalem, Quirinalem portas, [d] & Cælimontanam à collibus vrbis, vbi sitæ erant, vetusto nomine denominarunt: [e] quamuis quòd Quirini sacello foret proxima, Quirinalem dictam nonnulli ferant, [f] iuxta quam Veneris Erycinæ templum. Quæ quidem Viminalis aliquaudo [g] Numentana dicta est: [h] sicut exquilinam Taurinam à capite Tauri insculpto, vocatam ferunt. [i] Capenam vero constat [k] affluentium aquarum multiplices habuisse decursus. [l] Illinc enim ad Martis ędem semita fuit, quadrato saxo, vbi & Manalis lapis, qui in vrbem delatus, pluuias excitare dicebatur: [m] sicut aqua in Lycęi Iouis fronte, siquando siccitate laboraretur, sacerdotis manu querno ramo agitata, cogebat nubes, largósque effundebat imbres. Et Athenis terrę fuisse simulacrum [n] Pausanias prodit, supplicitet à Ioue aquam expetentis vero euentu, cuius ara in monte Hymetto visebatur, quem ὑέτιον, quasi pluuium Iouem dixere. [o] Et apud Indos in arce quam magi incolunt, dolium vidisse Apollonius tradit, quo aperto, in defectu aquarum nebulę

ANNOTATIONES.

b *Exquilinam.*] De hac Cicero lib. 2. de Oratore, & in Oratione in Pisonem, & pro Cluentio Habito. Strabo lib. 5. Liuius 1. Dec, lib. 1. 2. & 3. & 3. Dec. lib. 1. & 4. (siue 4. Dec. lib. 3.) & lib. 6. & 5 Deca. lib. 1. Corn. Tacit. lib. 2. & Porphyrioo interpres Horatij Epod. Ode 17.

c *Viminalem.*] De hac quoque Fest. Pompeius libr. 12. post. prin. vbi loquitus de sacello Nemiæ deæ & Macrobius lib. 1. Saturn. c. 9. vbi hanc dicit postea Ianualem dictam fuisse. Strabo lib. 5.

d *Et Cælimontanam.*] De qua Cicero In Pisonem. Liuius 4. Dec. lib. 5. Hanc nunc vulgò Asinariam vocatam dicit Leonardus Aretinus de bello Gothorum lib. 3. Nunc à templo, porta Sancti Ioannis, vel porta Laterana.

e *Quamuis quòd Quirini sacello.*] Aliis nominibus Collina & Agonia siue Agonensis. Anto. Constan. Ouidij ioterpres in eum locum Fast. lib. 11.

Proxima lux vacua est, ac tertia dicta Quirino:
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

Quamuis, inquit, alij à templo Quirioo dictum existiment, à quo portæ Quirinali nomen est inditum, quòd proximè eam Quirini sacellum esset, vel quòd ea io collem Quirinalem iterut. Hodie vulgus Rom. à duobus equis marmoreis, Phidiæ & Praxitelis operibus, in hoc colle sitis, Montem caualium appellat.

f *Iuxta quam Veneris Erycinæ templum.*] Strabo lib. 6. Eryx. quoque collis excelsus habitatur, in quo Veneris templum locatum est, quod singulari veneratione colitur; aotiquitus mulierum frequentia refertum, illius mioistetio dicatarum, quas & è Sicilia & externis ex regionibus multi locarant. Hac verò tempestate, sicut & ipsa colonia viduata colonis est: sic & templum desolatum, & sanctorum hominum copia defecit. Est & Romæ ante portam Collinam, deæ huius ædificium, quod Veneris Erycinæ templum dictitant, cui cum æde sacra insignis adiacet porticus. De quo Ouidius Fastor. 4.

Templa frequentari Collinæ proxima porta
Nunc decet, à Siculo nomina colle tenet.
Vtq; Syracusas Arethusidas abstulit armis
Claudius, & bello te quoque cepit Eryx.

g *Aliquando Numentana.*] Quòd per eam in agtum Numentanum esset iter. Hæc & ex euentu Ianualis vocata est. auctor Macrob. Satur. lib. 1. c. 10. vbi causam reddit. Hæc & Figulensis, nuoc S. Agnetis. Strabo lib. 5.

h *Sicut Exquilinam, Taurinam.*] A Procopio Prænestina, à Fuluio & aliis recentioribus Tiburtina, à bouis capite, quod supra eam est, nunc Taurina: à templo suburbano, vulgò S. Laurentij. Antiquissimo nomine Metia: id enim inde conijcio, quòd idem de Metia scribat Plautus, quod de Exquilina Horatius: nec dissentiat ab vtroque Cornelius Tacitus qui libr. 2. Annalium ait, Sumptum, prisco more, extra Exquilinam de nocentibus supplicium. Plautus in Casina act. 1.

Illum adepol videre ardentem te extra portam Metiam.
Credo ecastor velle. ——

Horatius lib. 5. Epod.

Post insepulta membra different lupi:
Et Exquiliæ alites.
Neque hoc parentes heu, mihi superstites,
Effugerit spectaculum.

Iu quem locum annotauit Porphyrio, in regione Aggeris quæ est extra portas Exquilinas, solita fuisse pauperum corpora vel comburi vel proiici. Combusta fuisse indicat Plautus, proiecta Horatius. Hæc Georgiuus Fabricius in Roma.

i *Capenam verò.*] De qua Liuius 1. Decad. lib. 5. 3. & 10. & 3. Decad. lib. 3. & 5. & 4. Decad. lib. 3. siue 3. Decad. lib. 4. & 4. Decad. lib. 8. & Valerius Maximus lib. 3. cap. 7. vbi de Senatu Romano, & Festus Pompeius lib. 16. vbi de Rediculis, & libr. 17. vbi de senaculo. Seruius libr. 7. Æneidos in eum locum,

—— *Lucosq; Capenos.*

Scribit hanc portam, quæ iuxta Cumenas est à Lucis Capenis nomen accepisse. Hanc Appiam vocatam fuisse scribit Frontinus in lib. de Aquæductibus celeberrima apud Poëtas fuit. Propert. lib. 4. eleg. 3. ad fi.

Armaq; cùm tulero porta vicina Capena.

k *Affluentum aquarum.*] Nam & hinc eam madidam vocat Iuuenalis sat. 3.

Substitit ad veteres arcus, madidamq; Capenam.

Hincque etiam illud Martialis lib. 5. epig. 94.

Capena grandi porta, qua pluit guttas
Phrygiumq; matris aluo qua lauat ferrum.

Strabo lib. 5.

l *Illinc ad Martis ædem.*] Festus Pompeius lib. 11. Manalem vocabant lapidem, petram quandam, quæ erat extra portam Capenam, iuxta ædem Martis. Liuius 1. Decad. Cùm omnea extra portam Capenam ad Martis ædem conuenire armatos iuoiores iussisset. Rursumque eiusdem Decad. lib. 10. Semitámque saxo quadrato à Capena porta ad Martis strauerunt. Et 4. Decad. lib. 8. Viam silice sternendam à porta Capena ad Martis ædem locauerunt. Hincque etiam illud Ouid. lib. 6,

Lux eadem Marti est, quem prospicit extrà
Appositum tectæ porta Capena viæ.

m *Sicut aqua in Lycæi Iouis fonte.*] Cælius Rhodigiuus lib. 24. cap. 17. ex Pausania in Arcadis, siue lib. 8. Fonti, inquit, Agno, qui in Lycæo monte est, Istro flumini hybernæ æstiuæque natura quàm simillimus: Quòd si fortè siccitate solum laboret, atq; ex eo segetes & stirpes exarescant, ibi Lycæi Iouis sacerdos ad aquam eius fontis cum precatione conuersus, ritéq; re diuina mactatis hostiis peracta, è quercu ramum non altè, sed in summam aquam porricit. Existit repente commota aqua ater halitus nebulæ persimilis, oeque ita multò pòst nubes attollitur, moxque plurium nubium accessiooe, obducto cœlo, Arcadum fines optatis imbribus perfunduntur.

n *Pausanias prodit.*] In li. 1. qui de Atticis est. & 9. qoi Bœotica inscribitur.

o *Et apud Indos.*] Philostratus in vita Apollooij Tyanei lib. 3. cap. 3. sic scribit, Gemina quoque illic dolia se vidisse refert Apollonius, vnum imbriom, alterum ventorum: & is quidem, qoi dicitur esse imbrium, vbi nimia siccitate India premitur, si fuerit apertus nebulas emittit, quæ vniuer-

fam

emittuntur, quæ totam Indiam imbribus humectant. Quod etiam documentum p Democriti fuit, vt ad imbres excitandos, caput & collum chamæleontis, ligno roboris vri præceperit. q Ad eandemque Capenam aqua Mercurij erat magnis studiis celebrata: qua mercatores Idibus Maiis se inspargebant & lua, vberes quæstus propterea facere arbitrati. r Et Alcmon aquæ riuulos, cuius aqua sacerdotes furore vesano inter se digladiantes, Cybelis simulacrum ex Pessinunte aduectum, quotannis abluebant. s iuxta quam M. Marcellus secundo Punico bello ædem Virtutis antea votam, dedicauit. t Murionis verò, à Mutione qui illi aliquando præfuit, u & Minutia, quia Minutij sacello erat proxima, quem pro Deo vetustas coluit. x Et Salutaris ab æde Salutis. y Et Rhautumena, ab auriga Rhautumeno, qui Veiis cursu vicerat, quo è curru effuso, equi citatissimi cum palma in Capitolium contenderunt: portæ dictæ denominatæque sunt z Catularium verò dixere, quòd iuxta eam ad placandum Caniculæ sidus frugibus inimicum, immolatentur ruffæ canes. a Et piaculatem, propter ostenta & piacula quæ illic fiebant assiduè, dici Pompeius memorat. b Collina quoque, c quæ Agonensis dicta est, propter anfractus multiplices, quòd partim edita, partim decliuia essent loca, nomen sortita dicitur: extra quàm d Veneris Erycinæ, & e Quietis templa fuere, f & iuxtà campus cui Scelerati nomen fuit: g in quo incestì damnatas, viuas defodere Vestales assueuere. h Romanulam verò,

Aqua. Mercurij. Almon. Mutio-nis. Minutia. Salutaris. Rhautumena. Catularia. Piacularis. Collina seu Agonensis. Campus sceleratus, in quo Vestales defodiebantur. Romanula.

ANNOTATIONES.

fam terram humectant: Sin verò nimia fuerit pluuia, idem occlusus imbres cohibet. Alterum autem, qui ventorum esse dicitur, idem facit quod vtres Æoli facere putatur. Adaperto enim dolio ventus regionem perflat, vnde & salubritas in terra gignitur.

p *Democriti*] Plinius lib. 28. c. 8. vbi idem dicit, præter caput & collum, de iecore in tegulis vsto.

q *Ad eandemq; Capenam*] Ouid lib. 5. Fastor. de Mercurio loquens,

Templa tibi posuere patres spectantia Circum
Idibus, ex illo est hæc tibi sacra dies.
Te quicunque suas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas vt sibi lucra, rogant.
Est aqua Mercurij portæ vicina Capenæ:
Si iuuat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator, & vrna
Purus, suffusam, quam ferat, haurit aquam.
V da fit hinc laurus: lauro sparguntur ab vda,
Omnia quæ dominos sunt habitura nouos.
Spargit & ipsa suos lauro rorante capillos,
Et peragit solita fallere voce preces.
Ablue præterita periuria temporis, inquit,
Ablue præterita perfida verba die.
Siue ego te feci testem, falsóue citaui,
Non audituri numina vana Iouis.
Siue deum prudens alium, diuámue fefelli
Abstulerint celeres improba verba noti.
Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro:
Et face vt emptori verba dedisse iuuet.

Et Macrobius lib. 1. c. 12.

r *Et Alcmon.*] Ouid. lib. 4. Fastorum,

Est locus, in Tyberim quà lubricus influit,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam sacraq; lauit aquis.

&c. quæ sequuntur. Vnde liquet Almon, non Alcmon esse legendum.

s *Iuxta quam.*] Scilicet iuxta portam Capenam ex Liuio 3. Decad. lib. 9.

t *Mutionis verò.*] Suprà eod. cap. in verbo, Et Mugonia in princip. cap.

u *Et Minutia.*] Festus Pomp. lib. 11.

x *Et salutaris.*] Idem lib. 17.

y *Et Rhautumena.*] Idem lib. 16. Et Plinius qui eam Ratumenam vocat lib. 8. cap. 42. Plutarch. qui Rhatumeniam vocat in vita Publicolæ.

z *Catularium verò.*] Fest. Pompeius lib. 2.

a *Et Piacularem.*] Idem lib. 14. Et Piatrix dicebatur sacerdos expiare solita, quam & Sagam appellarunt.

b *Collina quoque.*] De qua Strabo lib. 5. Liuius 1. Dec. lib. 2. multis locis, & eiusd. Dec. lib. 4. & 8. & 3. Dec. lib. 6. Plin. lib. 5. c. 18. aliàs 15. alter Plinius Secundus, si is est, c. 75. Appianus lib. 1. bellorum Ciuilium. Plutarch. in Numa. Ouid. lib 4. Fastor. ibi,

Templa frequentari Collina proxima porta
Nunc decet. ——

Blondus lib. 1. de Ro. instaurat. Lucanus lib. 2.

Aut Collina tulit stratas quod porta cateruas.

c *Quæ Agonensis dicta est.*] Liuius 1. Dec. lib. 8. Festus Pompeius lib. 1. Marlianus lib. 1. c. 6.

d *Veneris Erycinæ.*] Suprà in verbo, Iuxta quam Venetis Erycinæ. eiusdem c. Liuius 3. Dec. lib. 2. Tum ædes votæ Veneri Erycinæ. Item Dec. 3. lib. 3. Interea Duumuiri creati sunt, Q. Fabius Maximus & T. Octacilius Crassus, ædibus dedicandis. Menti Octacilius, Fabius Veneri Erycinæ vtraque in Capitolio est, canali vno discretæ. Idem Dec. 4 libr. 10. Ædes duæ eo anno dedicatæ sunt: vna Veneris Erycinæ ad portam Collinam. Dedicauit L. Porcius L. F. Licinius duumuir. Vota erat ab Coss. L. Porcio Ligustino bello, Deæ simulacrum dedicauit Sulpitia. Plinius lib 7. cap. 35. Pudicissima, inquit, fœmina semel matronarum sententia iudicata est Sulpitia Paterculi filia, vxor Fuluij Flacci: electa ex centum præcipuis, quæ simulacrum Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret.

e *Et Quietis.*] Diuus Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 4. cap. 16. Liuius 1. Dec. li. 4. Cùm hæc agerentur, iam Cos. via Lauicana ad fanum Quietis erant. Nunc S. Petri & Marcelli est templum, à Constantino in meliorem vsum conuersum, qui matrem suam prope illud in Mausoleo sepeliri voluit, quod in Syluestro primo asserit Platina.

f *Et iuxtà campus cui sceleratì.*] Liuius 1. Dec. lib. 8. Eo anno Minutia Vestalis suspecta primò, propter mundiorem iusto cultum, insimulata deinde apud pontifices ab indice seruo; cùm decreto eorum iussa esset sacris abstinere, familiámque in potestate habere: facto iudicio, viua sub terrâ ad portam Collinam dextra via stratam defossa scelerato campo. Credo ab incesto id ei loco nomen factum.

g *In quo incesti damnatas.*] Vestales autem virgines incesti damnatas viuas ad portam Collinam defodi satis constat tum ex Liuij superiore exemplo: tum ex eiusdem Liuij Dec. 3. lib. 2. vbi Territi etiam, ait, super tantas clades, cùm cæteris prodigiis, tum quòd duæ Vestales eo anno, Opimia atque Floronia, stupri compertæ: & altera sub terram, vt mos est, ad portam Collinam necata fuerat: altera sibimet ipsa mortem consciuerat. Plutarc. in Fabio Maximo. Fest. Pompeius lib. 7. Paulus Orosius lib. 4. c. 1. in fi.

h *Romanulam verò.*] Romanam idem Pompeius li. 16. Romana porta instituta est à Romulo, in infimo cliuo Victoriæ, qui locus gradibus in quadratum formatus est. Appellata est autem Romana à Sabinis præcipuè, quòd ea proximus aditus erat Romam. Romanulam autem ac Mutionem Palatij fuisse portas asserit Varro libro 5. his verbis. Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in nouam viam exitur, vt aiunt quidam, ad sepulchrum Accæ, vt quod ibi prope

Gabinsa. Collatina seu Pinciana. Ferentina. Romula siue Romanula. Quercculana. Randusculana. Randus. Ianualis. Trigemina. Lauernalis. Lauerna. Sanqualis.

& [i] Collatinam: altéram, quòd ex Sabinis Romam patens via foret: alteram, quòd illinc Collatiam expeditum iter esset, denominarunt: [k] sicut Ferentiam, quòd Ferentinum ferret: [l] & Gabinsam, quòd Gabios. Hanc verò Collatina aliquando [m] Pincianam dictam nonnulli volunt, quòd nomen adhuc manet, à proximo palatio deductum, vnde demolita marmora [n] Theodoricus rex Rauennam deportauit. [o] Fuit quoq; Romula porta quam Sabini Romanulam vocauerunt, quòd per eam proximus Romam aditus esset, quæ gradus adnoualia & Volupiæ sacellū habuit. [p] Et Querculana, quòd quercum proximam haberet. [q] Et Randasculana, quod ære munita foret: siquidem à veteribus æs randus dicebatur. In qua caput æneum longo tempore sterisse memorant, postquam [r] Genutius Typus prætor oraculo monitus ne regno potiretur, illinc ingredi noluit, accessumq; denegauit. [s] Sicut Ianualis à Iani signo ibidem affixo nomen vindicauit: quæ sub colle Viminali fuisse traditur, per quam vim aquarum ingentem magnis procellis contra Sabinos fluxisse, illosq; violentissimis tempestatibus oppressisse memorant. Quam Romulam, Ianualem, & Mutionis non in pomœrio, sed intra vrbis ambitum sitas nonnulli volunt. [t] Nam de Trigemina & [u] Lauernali satis constat, alteram propter trigeminorum pugnam, quum regnante Tullo, inter Romanos & Albanos à trigeminis pugna commissa fuit: [x] alteram, quòd in lucum Lauernæ facilis inde via foret, nomina tulisse. Fuit enim Lauerna furum dea, in cuius luco, vt impunita essent furta, prædam fures sortiri, & rapacissimum quenque immolare tradiderunt. Est tamen literis proditum, [y] Latinos populos annis singulis ad Trigeminam Euandro veluti Deo sacrum facere: sicut [z] matronæ apud Carmentalem, Carmentæ. [a] Sanqualis proxima ædibus

ANNOTATIONES.

faciunt diis manibus seruilibus sacerdotes, qui vterque locus extra vrbem antiquam fuit non longè à porta Romanula.

i *Collatinam.*] Post Fiumentanam proximo loco est Collatina, cui à Collatia oppido, in quod aliarum ciuitatum opes fuere collatæ, nomen inditum esse, scribit Festus libro 2.

k *Sicut Ferentinam.*] Marlianus lib. 1. c. 8. Topographiæ vrbis Ro. sic scribit, Cùm Strabo lib. 5. in via Latina Ferentinam vrbem fuisse asserat, crediderim portam hanc eam esse, quam Plutarchus Ferentinam nominauit. Nam Romulus, inquit, expiationibus ciuitatem expurgauit, quas adhuc etiam Ferētinam ad portam obseruari tradunt. Sic verò appellatam opinamur, quòd iter ea esset, quà ad Ferentinos Hernicorum populos proficisceretur. Et de hac quoque Iulius Obsequens Prodigiorum c. 1.

l *Gabinsam*] Hanc portam Cœlimontanam (quam Fulmine ictam scribit Liuius 4. Dec. lib. 5.) pleríque omnes fuisse arbitrantur. Sicque dictam quod iter aperiret in Gabios, cuius oppidi iam diu demoliti loco, Gallicanum, quod hodie vocant, successit. Vide tamen an Gabiniam legendum sit ex eodem Liuio 1. Decad. lib. 2. Per hanc riuus Appiæ vrbem influit.

m *Pincianam dictam.*] Marlianus vbi suprà.

n *Theodoricus Rex.*] Theodoricus, si Cassiodoro credimus, Gotborum Rex, qui Romā duodequadraginta annos subactam tenuit. plurima ædificia publica instaurauit, & inter alia aliquos ductus aquarum.

o *Fuit autem Romula porta.*] Id vsque ad clausulā, Et Querculana, est Varronis lib. 4. de ling. Lat. & Festi Pompeij lib. 21. (aliàs 16. in princ.)

p *Et Querculana.*] Plinius lib. 16. cap. 10. Festus Pompeius qui eam vocat Querquetulanam libro 15. nisi mendum sit. Hæc nunc in vineis iacet clausa, ad quam per viginti gradus ascenditur. Marlianus lib. 2. cap. 8. scribit, Aquilos velle Querquetulanam in monte Cœlio stetisse: quoniam Cornelius Tacit. lib. 4. scribit montem istum Querquetulanum prius vocatum.

q *Et Randasculana.*] Varro lib. 4. de ling. Lat. Randusculam vocat. Sic enim scribit, Deinde porta Randuscula, quòd ærata fuit. Æs randus dictum: ex eo in veteribus manubiis scriptum Randusculo libram ferito. Val. Max. lib. 5. c. 6. de Genitio Cippo. Dictáque Randusculana, quod olim randa æra dicebantur. Festus Pompeius, qui eam Rodusculanam vocat lib. 16. & Victor in 12. regione Vrbis.

r *Genutius Typus.*] Valerius, qui id narrat vbi suprà, hunc vocat Genitium Cippum, vt iam diximus.

s *Sicut Ianualis.*] Id vsque ad clausulam, Quam Romuliam, sunt Varronis lib. 4. & Macrobij lib. 1. c. 9. vbi eandem fuisse quam Viminalem & ab euentu sic dictam, vt suprà diximus & Festi Pomp. L. Piso etiam in Annalibus memoriæ prodidit, Ianualem dictam ab Iano: & ideo ibi positum Iani signum, & ius institutum à Numa Pompilio, vt sit semper clausa, nisi cùm bellum sit & hanc intra muros fuisse scribit Varro.

t *Nam de Trigeminâ.*] Vide quos statim citabo. Et de ea quoque Plautus act. 1. sce. 1.

Vel extra portam ire Trigeminam ad sacculum licet.

Liuius 1. Dec. lib. 4. & 4. Dec. lib. 5. & 5. Dec. lib. 1. Valerius Maximus lib. 4. c. 5. Plinius lib. 34. Solinus c. 2.

u *Lauernali.*] Lauernalis porta authore Varrone lib. 4. ling. Lat. dicitur ab ara Lauerna, quòd ibi ara eius deæ esset.

x *Alteram quòd ad lucum Lauernæ.*] Fest. Pompeius lib. 10. Acron Horatij interpres in eum Horat. locum episto. lib. 1. epist. 17.

Labra mouet metuens audiri pulchra Lauerna.
Da mihi fallere, da iustum, sanctumq; videri,
Noctem peccatis & fraudibus obiice nubem.

Sic scribit, Lauerna in via Salaria lucum habet. Est autem dea furum & simulacrum eius fures colunt, aut qui consilia sua volunt tacita: dicta à lauando. Nam fures lauatores dicuntur.

y *Latinos populos.*] Dionysius Halicarnassæus Antiquitatum Romanarum li. 1. sic scribit, Euandro Romanos sacrificare quotannis comperi, quemadmodum reliquis heroibus ac dæmonibus apud Auentinum collem prope portam Trigeminam. Et Gyraldus syntag. 15. vbi de Euandro & Theni dea.

z *Sicut Matrona.*] Idem Dionysius lib. 1. Gyraldus syntag. 15. vbi de Euandro & Themi dea fatidica, quam Carmentam fuisse asserit. Et Plutarchus Problem. 56 diximus iam suprà.

a *Sanqualis.*] Marlianus lib. 1. c. 6. inquit, Animaduertendum apud Sext. Pomp. lib. 17. Sanqualis pro Saginalis, & Anci pro Sangi legi. idque ex alio loco coniicimus: vbi sic inquit, Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia Herculi aut Sango, quisquis idem est Deus. Alij profecturi viam, Herculi aut Iano sacrificabant. Est & Ianus, secundum aliquos, Sabina lingua Sangus. de quo Plinius lib. 8. c. 48. Lanam cum colo & fuso Tanaquilis, quæ eadē Caia Cæcilia vocata est, in templo Sangi durasse, prodente se, author est M. Varro: factámque ab ea togam regiam vndulatam in æde Fortunæ, qua Ser. Tullius fuerat vsus. Varro lib. 4. de lingua Latin. Ælius, inquit, Gallus Dius Fidius dicebat Diouis filius, vt Græci, Διόσκορον, Castorem, &

purabant

Anci Regis, porta fuit non incelebris. [b] Et altera Libitinensis, per quam fato defuncti efferebantur. [c] & Mugonia, à boum mugitu, qui illic frequentes erant, denominata: [d] iuxta quam Tarquinius Priscus habitasse fertur, quæ [e] & Trigilia dicta est: [f] præter quas fuere Neuia, [g] Lauicania, [h] Meria, [i] & Flumentana, iuxta quam fluxisse [k] Tiberim volunt. [l] Ex hac enim ad Petellinum lucum modica via erat. [m] Et Triumphalis, per quam triumphi die, aurati currus, captiua præda, & pompa triumphi procedebat. [n] Aurelia, [o] Vaticana, [p] & Portuensis, quæ [q] Septimiana nouitia denominatione, [r] ac Fontanilis trans Tiberim, quòd haud procul inde fontium sacra, fontibus & puteis coronatis, fierent, dictæ nominatæq; sunt. Sed præ cæteris vnam legimus fuisse, [s] cui Fenestræ dedere nomen, vel quòd humilis & angusta foret, siue quòd Tarquinio prisco regnante, quum à pastoribus oppressus fuisset ex insidiis, Tanaquil inde populum alloquuta, ipsius interitum tam diu dissimulauit, donec Seruium Tullium regni successorem fecit. [t] Est quoq; illud animaduertere, quod quum mœnia ciuitatum sancta sint, propterea; illa transgredi sine piaculo fas non sit, certisq; præfinitis spatiis, pomœrio inaugurato, fuerint consecrata: ita vt quicquid circa ea soli esset, neq; habitari, neque arari liceret: portas tamen sanctas, haberi minimè decebat, quippe quum ingredi & exire, & defuncta corpora illinc efferre, aliaq; prophana facere cuiuis permissum fuerit. Apud exteros vero portæ præcipua denominatione istæ feruntur: [u] Scæa

ANNOTATIONES.

putabant hunc esse Saogum ab Sabina lingua, Herculem ab Græca.

b *Et altera Libitinensis.*] Lampridius in Commodo.

c *Et Mugonia.*] Festus Pompeius, qui Mugoniam eam vocat lib. 11. & aliam causam huius appellationis dicit. & de hac quoque Dion. Halic. lib. 2. & iam suprà diximus.

d *Iuxta quam Tarquinius Priscus.*] Solin. c. 2.

e *Quæ & Trigilia.*] Vide num Trigonia dicendum sit. Est autem (authore Perotto) Trigonia, hoc est trium angulorum porta cognominata. Vide etiam Marlianum lib. 1. cap. 4.

f *Præter quas fuere Neuia.*] Varro vbi suprà. Sequitur, inquit, porta Neuia, quòd in nemoribus Neuiis. Neuius enim locum, vbi ea sic dicta, coluit. Liu. 1. Decad. lib. 2. Iul. obsequens Prodigiorum c. 104. Marlianus lib. 1. c. 8.

g *Lauicana.*] Plin li. 36. c. 5. Hanc nonnulli arbitrantur eandem esse cum Neuia. Hodie vocatur porta Maior, ab ædificij magnificentia, propter ductum aquæ Claudiæ, cuius ibi vestigia apparent.

h *Metia.*] Exquilina antiquissimo nomine Metia dicta est.

i *Flumentana.*] De qua Liuius 1. Decad. lib. 6. & 3. Dec. lib. 6. & 4. Decad lib. 5. non semel. & alij, quos statim memorabo. Nunc vulgò porta populi dicitur.

k *Tiberim fluxisse volunt.*] Cic. ad Atticum lib. 5. & Horatius lib. 1. epist. aliàs Plin. lib. 1. epist. 17. Liuius 4. Decad. lib. 6. Tiberis, ait, infestiore quàm priore impetu illatus vrbi, duos pontes, ædificia multa, maximè circa portam Flumentanam euertit. Fest. Pompeius lib. 6.

l *Ex hac enim ad Petellinum.*] Ad flumentanam portam lucum Petelinum fuisse, testatur his verbis Liuius 1. Dec. lib. 6. Ita producta die, in Petelinum lucum, extra portam flumentanam, vnde conspectus in Capitolium non esset, concilium populi indictum est. Cum vnico l, Petelinum scribit Liuius.

m *Et Triumphalis.*] Iosephus lib. 7. belli Iudaici c. 24. Et de hac Suet. in Augusto, c. 100. & Cor. Tacitus lib. 1.

n *Aurelia.*] Marlianus lib. 2. c. 8. Secundam portam Ianiculi, nunc S. Pancratij, Aureliam dictam volunt, ab Aurelio, viro consulari: vel ab Aurelio Imperatore: vel à via Aurelia, quod est verisimilius. Siquidem suprà ostendimus nomina viarum per abusionem ferè omnibus portis esse attributa.

o *Vaticana.*] Trans Tiberim, nunc porta Ripæ, vel Vinaria, quòd extra eam vina externa, maximè tamen Campana & Tusca vendantur.

p *Portuensis.*] Hanc quòd ad portum à Claudio Impera. extructum ducat, appellarunt. Sed quod nomen prius obtineret (scribit Marlianus lib. 1. c. 8.) ignorare videntur. Nos verò Naualis obtinuisse affirmamus: quoniam de hac Sex. Pompeius sic meminit, Naualis porta à vicina Naualium dicta. Quibus cùm nulla alia sit propior, Naualem esse, nemini dubium esse debet.

q *Quæ Septimiana nouitia.*] Marlianus vbi suprà. Tertiæ, ait, portæ Ianiculi, in ordine vltimæ Septimianæ nomen fuit: idque etiam nunc seruat, quod Septimio Imperatore referunt accepisse, quia Spartianus ait, ipsum excitasse thermas in Ianiculo ad portam sui nominis. Affirmant insuper in ipsius portæ frontispicio Septimij nomen inscriptum, ibique Ianum Septimianum Septimianámq; aram fuisse. Georgius Fabricius scribit quòd per hanc ingressi Frösbergio & Borbonio Ducibus Germani, Romam diripuerunt. Clemente VII. Hetrusco Pontifice.

r *Ac Fontanilis.*] Fontinalis legendum ex Liuio 4. Dec. lib. 5. non adeò longè à prin. Porticum vnam extra portam Trigeminam, emporio ad Tiberim adiecto: alterã à porta Fontanali ad Martis aram, quà in campum iter esset, produxerunt. & 5. Dec. lib. 1. Marlianus d. li. 1. c. 8. Septimianam portam prisco nomine Fontinalem vocatam; id est duabus fontium sacram, scribit. De hac Festus Pompeius ita meminit, Fontinalia fontium sacra: vnde & Romæ Fontinalis porta. Fontinalia (inquit Varro libro 5.) à fonte, quòd is dies feriæ eius, ab eo autem tum & in fontes coronas iaciunt, & puteos coronant.

s *Cui fenestra nomen dedere.*] Totum id vsque ad clausulam, Est quoque, est Plutarchi Probl. c. 35. Idem autem in lib. de fortuna Romanorum, hanc portam Fenestellam vocat Ouid. Fast. lib. 6.

Nolle domum parua solita est intrare fenestra,
Vnde Fenestella nomina porta tenet.

Eam portam Antonius interpres fuisse arbitratur in eo muro, quo Tarquinius Priscus vrbem circundedit. Sed his portis adde alias hic non numeratas, scilicet Stercorariam, quæ fuit in Cliuo Capitolino, de qua Festus Pompeius li. 17. sic loquitur, Stercus ex æde Vestæ 17. Cal. Iulias defertur in angiportum medium ferè cliui Capitolini, qui locus clauditur porta Stercoraria. Salariam quoque ita nuncupatam, quòd per eam Sabini sal à mari deferebant apud eundem Pompeium dict. lib. 17. Et Transtiberinam, cuius meminit Spartianus in Septimio Seuero. Et Carmentalis apud Dionys. Halic. lib. 10.

t *Est quoque illud animaduertere.*] Hæc vsque ad clausulam, Apud exteros verò. sunt Plutarc. in Romulo & Probl. c. 26.

u *Scæa apud Troiam.*] Strabo lib. 9. Dares Phrygios, si is est, in lib. de excidio Troiæ non multò post princ. Ex quo illud Virgilij lib. 2. Æneid.

— Hîc Iuno Scæas sæuissima portas
Prima tenet.

Et lib. 3.

— Et arentem Xanti cognomine riuum
Agnosco: Scææq; amplector limina portæ.

Vbi Seruius ita hanc vocari dicit à cadauere Laomedontis; hoc est, ἀπὸ τοῦ σκηνώματος, quod in eius fuerat superliminio. Illudque Homeri lib. 3. Iliados,

αἶψα δ' ἔπειθ' ἵκανον ὅθι σκαιαὶ πύλαι ἦσαν.

Libitinensis. Mugonia seu Trigilia. Neuia. Lauicana. Metia. Flumentana. Triumphalis. Aurelia. Vaticana. Portuensis. Mœnia ciuitatis sancta L. 1. & L. fi. ff. de rerũ diuis. §. sancta. Instit. eod. tit. Apud exteros porta.

apud Troiam, [x] in cuius superliminio Laomedontis cadauer sepulchro conditum erat: [y] sicut murus & amnis eiusdem nominis fuere. [z] Alexandriæ Canopica, Athenis Pyraica [a] & Sacra, [b] & Charonia, per quam damnari ferebantur ad supplicium: & [c] Dipylus omnibus patentior, [d] atq; aliæ Nymphades nomine. [e] megaris fuit Triasia, quæ Diplon dicta. [f] Corinthi Teneatica, [g] Thebarum portæ Homoloidæ nuncupatæ sunt: [h] apud Sicyonios quoque Sacra fuit, vbi Epopei visebatur monumentum. [i] In Argo Diampares, apud Leontinos Iracea, [k] in Cyzico Thracia, [l] apud Tibur Ratana: [m] Capuæ Iouis, [n] vbi platea Seplasia, in qua vnguentarij negotiantur: [o] Cremoniæ Brixiana, [p] Tarenti Timenitida, [q] Syracusis Meniditæ, [r] Trogillorum, [s] & Agradianæ: extra quas frequentia sepulchra viseban-

ANNOTATIONES.

Et paulò post,

ἤατο δημογέροντες ἐπὶ σκαιῇσι πύλῃσι.

Et lib. 6. eiusdem operis,

Ἕκτωρ δ' ὡς σκαιάς τε πύλας, καὶ φηγὸν ἵκανεν.

Et lib. 11.

ὄφρα δ' ἐγώ.

x *In cuius.*] Id iam diximus in præced. ex Seruio, qui & idẽ quoque dicit in 2. lib. Æneid. post princ. ibi,

— Fracti bello fatisq; repulsi
Ductores Danaum.

Authoritate Plauti in Bacchidibus act. 4 scen. 9.

Ilio tria audiui fuisse fata, quæ illi exitio forent,
Ex arce signum si perisset: alterum etiam est mors Troili:
Tertium, quum porta Scæa limen superum scinderetur.

Sed his Troiæ portis adde & alias, scilicet, Antenoridam, Dardiniam, Iliam, Catumbriam & Troianam ex eodem Darete Phrygio vbi suprà.

y *Sicut murus & amnis.*] Strabo lib. 13. Multa apud Troës & Thraces eisdem nominibus appellantur, vt Scæi Thraces quidam, & Scæus amnis, & Scæus murus, & Scææ Troianæ portæ.

z *Alexandria Canopica.*] Strabo lib. 17. E Canopica porta exeunti ad dextram est fossa quæ lacui iungitur & Canopum fert.

a *Et Sacra.*] Plutarch. in posteriore loco. Fuit & Romæ Sacra via inter vrbanas celeberrima, in qua Numæ regia fuit, vt ex Ascon. act. 2. in Ver. constat. In eadem via, testantibus Varrone, Ouidio & Propertio, res viles propter frequentiã vænibant, vt poma, flabella, tesseræ, tali. Dionys. Halic. lib. 2. idcirco Sacram viam appellatam dicit, quòd in ea inter Romulum & Tatium sacrum fœdus ictum fuerit. Alias causas denominationis huius apud Fest. Pomp. lib. 17. reperire licet. Hic in summa Sacra via habitauit Ancus Martius Rex, prope ædem Larium, vt scribit Solinus ca. 2. Est & Sicyone porta eiusdem nominis apud Pausaniam lib. 2.

b *Et Charonia.*] Iulius Pollux lib 8. περὶ ὀνομάτων, c. 25. Vna autem, inquit, carceris ianua, Charonia dicebatur, per quam ad mortem ducebantur.

c *Dipylus.*] Liu 4. Dec. lib. 1. Philippus ad Dipylon accessit. Porta ea, velut in ore vrbis posita, maior aliquanto patentiorque quàm cæteræ est: & intra eam extraq; latæ sunt viæ, vt & oppidani dirigere aciem à foro ad portam possent: & extra limes mille ferme passus in Academiæ gymnasium ferens pediti equitique hostium liberum spatium præberet.

d *Atque aliæ Nymphades.*] Item aliæ Hypadæ apud Plutarchum in vita Hyperidis. Et fortè hæ sunt, quas Nymphades vocat hîc Alexander, paucis literis immutatis. Item & Diocharis Straboni lib. 9. cuius hæc sunt verba, Sunt igitur lucentis aquæ potuique suauissimæ, fontes, vt aiunt, extra portas, quas Diocharis appellant iuxta Lycæum. Et Melitides Pausaniæ lib. 1.

e *Megaris fuit, Triasia.*] Id totum est Plutarchi in Pericle.

f *Corinthi Teneatica.*] Pausanias lib. 2. Ab Acrocorintho, qua in montanam partem diuertitur, est porta Teneatica, & Lucinæ fanum.

g *Thebarum.*] Vna tantùm ex septem portis, quæ in ea vrbe erant, ita vocabatur. aliæ aliis nominibus, scilicet Electridẽ, ab Electra Cadmi sorore, Prætidem à Præto homine indigena: Neitidemq; nominarunt, quòd in cithara chordarum vnam, cui Nete nomen, Amphion ante hanc portam inuenisse dicitur. Iam Craneam portam Altissimam vocant, quod est ad eam portam Iouis altissimi cognomine sacellũ. Præter eas, quas connumerauimus portas, est quæ Ogygia, & omnium postrema Homolois: Cuius nomen ita nuperrimum esse facilè apparet, vt Ogygiæ antiquissimum. Dicta verò est Homolois ab Homole, omnium, qui in Thessalia sunt, mõtiũ maximè fertili & aquis irriguo. Id videre est apud Pausaniam lib. 9. qui est de Bœoticis Nam & hæ Thebæ septem portarum erant in Bœotia: aliæ centum in Ægypto, de quibus inferius lib. 6. c. 2. Vide Nicolaum Leonicenum de varia Historia li. 2. c. 82. Apollod. autem in lib. 3. Bibliotheces has easdem Thebarũ portas fuisse dicit, Hemodiodem, Ogygiã, Prætidem, Oncbaidem, Hysistam, Helectram, Crenidem.

h *Apud Sicyonis quoque Sacra fuit.*] Pausanis lib 2. Iam, inquit, qui hinc ad portam, quæ Sacra dicitur, diuerterint, tẽplum Mineruæ non longè ab ipsa porta videant: Epopeus olim dedicauit. Id magnitudine & ornamentis, omnibus eius temporis operibus præstitit. Verùm & huius famam vetustas obliuione obruit: de cœlo tactum conflagrauit. Ara tantùm, quòd illi vni fulmen pepercit, qualem Epopeus fecit, adhuc manet. Ante aram Epopeo monimentum, aggesta in tumulum terra, extructum.

i *In Argo Diampares apud Leontin.*] Plutarchus in Pyrrho.

k *In Cyzico Thracia.*] Plin. lib. 36. c. 15. post pr. Sed & Thracias portas fuisse Byzantij, testatur Xenophon Rerum Græcanicarum lib. 1. his verbis, vbi de Byzantinis loquitur, Illi igitur cùm omnia cõposita essent, nocte apertis portis, quæ Thraciæ appellantur, Alcibiadem cum vniuerso in vrbem recepere exercitu.

l *Apud Tibur Ratana.*] Liuius.

m *Capuæ Iouis.*] Liuius 4. Dec. lib. 6.

n *Vbi Platea Seplasia.*] Cic. in 2. Agraria, Iam verò, inquit, qui metus erat tunicatorum illorum? & in Albana & in Seplasia quæ concursatio percontantium quid prætor edixisset? vbi cœnaret? quid enunciasset? Idem in Pisonem, Seplasia, inquit, mehercule, vt dici audebam, te vt primùm aspexit, Campanum Consulem repudiauit. Vbi Asco. Pædia, scribit Plateam esse Capuæ, quæ Seplasia appellatur, in qua vnguentarij negotiari sint soliti. Huius meminit Val. lib. 9. c. 1. vbi de Annibale. Tum demum fracta & contusa Punica feritas cum Seplasia ei & Albana castra esse cœperunt.

o *Cremona Brixiana.*] Cor. Tacitus lib. 19.

p *Tarenti Temenitida.*] Liu. 3. Dec. lib. 5. Et Polybius, eas, Temenidas vocat, lib. 8. ad fi. non semel his verbis, Circa Mesonicæum ad latus Orientale & portas, quas Temenidas vocant, ignem in tumulo accendere oportere. Item non semel eod. lib. tradit aliam eius vrbis portam Rhinopylam vocatam. Et cùm ad portam venisset, quæ ad portum ducit, custosque Rhynopylam aperuisset, per eam effugiens, piscatoriam nauim, ex illis quæ nauali statione erant, vnà cum suis ascendit, & in arcem asportatur.

q *Syracusis Menidita.*] Vide Thucydidem, & Plutarchum in Nicia.

r *Trogillorum.*] Liuius Dec. 3. li. 5. Ad colloquium de redemptione eius missis medius maximè, atque vtrisque opportunus locus ad portam Trogillorum turrim, quam vocant Galagram, est visus.

s *Et Agradianæ.*] Agragianæ legendum est ex Cicer. lib. 5.

Thuscul.

tut. [t] Babyloniæ verò licet plures celebrentur, tamen præcipuè, [u] Semiramidis, [x] Ninorum, [y] Chaldæorum, [z] Belides, [a] & Cissiæ.

ANNOTATIONES.

Thuscul. quæstio. vbi ita scribit de Syracusanis loquens, Ego autem quum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Agragianas magna frequentia sepulcrorum) animaduerti columnellam non multum è dumis eminentem, in qua inerat sphæræ figura & cylindri.

t *Babylonæ verò licet plures.*] Herodotus libro 1. de Babylone loquens, Eius, inquit, per ambitum centum portæ stabant, æreæ omnes, cum cardinibus itidem postibúsque.

u *Semiramidis,*
x *Ninorum,*
y *Chaldæorum,* — Herodot. lib. 3.
z *Belides,*
a *Et Cissia,*

Sed adde superioribus Vicæ portam fuisse, quæ Bellica dicebatur, apud Cæsarem lib. 2. belli Ciuil. Hoc explorato loco, Curio castra Vari conspicit muro oppidóque coniuncta ad portam, quæ appellatur Bellica, admodum munita natura loci. Et Adramyttias Lydias portas apud Strabonem lib. 13. Mysia itaque, inquit, Adramitiom est; ea olim sub Lydis erat, & adhuc ab ipso Adramyttio Lydiæ portæ appellantur, cùm vrbs, vt dicunt, ab Lydis fuerit condita. Et Sicyone portam Clistheniam apud Pausaniam lib. 2. vbi ita scribit; Eodem in loco etiam ædificarunt & porticum, cui à conditore nomen Clisteniæ. Eam enim de manubiis extruxit Clisthenes, cùm belli contra Scironem gesti socius Amphictyonibus fuisset. Et Sardorum duas portas Persidos dictas apud Polybium lib. 7. ad prin. Et Naucrate multi figuli sont, à quibus propinqua etiam figlinarum porta vocatur Ceramica, vbi ita fictilia fingunt, vt argentea videantur, vt scribit Atheneus lib. 11. c. 9. Et Megalopoli portam Pholeam apud Polybium lib. 9.

Quo ritu quibúsque cæremoniis hostia apud priscos diis immolabatur, & quomodo fiebant sacra, & qui apud exteros.

CAPVT XVII.

QVI [a] mos sacrorum fuerit, quoque ritu, aut quibus exemplis hostia cæderetur, & res diuina fieret, veteribus monumentis intercisè perscriptum est. Et tametsi singulis ferè diis sua sacra instituta forent, quæ transgredi aut præterire ducerent nefas: neque deos omnes eisdem sacris semper: sed alios aliis ritibus cæremoniisque placari deceret: tamen in omni sacrificio statas cæremonias & solita solennia conuenit obseruari: quas si prætereant, haud dubiè piaculum fieri, & sacra pollui putabant. Siquidem in omnibus sacris, sacerdos quum diis immolat, & rem diuinam facit, prius [b] corporis ablutione purgatur, [c] & à Venere abstinet, vt lautus purúsque accedat: [d] quippe ieiunij & castimoniæ sacra aditutis miram obseruationem fuisse, authores tradunt. [e] Legimus Numam Pompilium, quum pro frugibus faceret, esu carnium & Venere abstinuisse. [f] Et Iulianum Cæsarem olcribus leguminibúsque contentum sæpe cœnitasse, ob religionem: [g] atque eos qui Isidis sacris initiandi erant, dies decem parcere carnibus & vino: [h] & Ægyptios festis quibusdam diebus ieiunia seruare. [i] Aquæ verò aspersione corporis labem tolli, & castimoniã præstari putabant. [k] prætcrque Mysos

Singulis diis sua sacra.

Sacerdos lotus & castus.

Ieiunia.

Ægyptij.

Aqua aspersio.

Abij.

ANNOTATIONES. IN CAP. XVII.

a *QVi mos sacrorum.*] Totum id principium vsque ad clausulam, Siquidem in omnibus probatur ex his, quæ sigillatim postea hoc toto cap. describuntur. Sed tamen hîc speciatim vide quæ dicta sunt lib. 3. c. 12.

b *Corporis ablutione purgatur.*] Tullius libr. 1. de legibus, aspersione aquæ labem corpoream tolli & præterea castimoniam præstari tradit. Virgil. lib. 2. Æneid.

Tu genitor cape sacra manu patriósque penates:
Me bello ex tanto digressum & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Seruius in eodem lib. 6. eiusdem operis in eum locum,

— Corpúsque recenti
Spargit aqua.

Quibus addes etiam Didonis verba sacra Diis inferis instituentis lib. 4. Æneid.

Dic corpus properet fluuiali spargere lympha.

Vbi Seruius inquit, Inferis sacrificantes aqua aspergebantur, vt lib. 6. eiusd.

—Ter socios pura circumtulit vnda
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

Superis abluebantur, vt

Donec me flu. &c.

Et plenè diximus in nostris Commentariis Nobilitatis c. 31. nu. 588. incip. Sed & alio quoque. Vide Macrobium Satur. lib. 3. c. 1.

c *Et à Venere abstinet.*] Tullius lib. 2. de legibus. & plenissime diximus in nostris ll. Connubial. l. 15. num. 116. incip. Ouid. libr. Amorum 3. & num. 120. incip. Nam & apud Rom.

d *Quippe ieiunij.*] Nam apud Athenienses inter sacra Cereris mulieres ieiunabant authore Herodoto libr. 2. Iulius Gyraldus in lib. de Diis Gent. syntag. 12. sic scribit, In Cereris deæ honorem ieiunia antiqui instituerunt: quin in eius celebritate ieiunium indicebatur, vel ab ea instituta fuere: vel ea causa, vt ab eius inuentis abstinerent: vel quòd in penuria quadam, quòd sementem facere possent homines, abstinuisse dicuntur, in ipsius deæ honorem: & propterea cò tempore eius quoque celebritas agebatur. Alij propter filiæ deperditæ memoriam instituta ieiunia asserunt, atque ideo verno mox tempore cum lusu & lætitia virides herbas ei offerebant, quasi quòd filiam mater inuenisset. Huius meminit Ouid. lib. Fast. 4.

e *Legimus Numam Pompilium.*] Apud Ouid. lib. 4. Fast.

Vsus abest Veneris, nec fas animalia mensis
Ponere, nec digitis annulus vllus inest.

f *Et Iulianum Cæsarem.*] Theodoritus Ecclesiast. historiæ lib. 2. c. 2. & seq. Pomponius Lætus in vita eiusdem.

g *Atque eos qui sacris Isidis.*] Apuleios lib. Met. 11. circa fin.

h *Et Ægyptios.*] Herodot. lib. 2. Posteaquàm ieiunauerunt pridie festi, atque obdormierunt vaccam immolant, eámque corio exuunt, & tota aluo vacuant. & iterum lib. 4.

i *Aquæ verò aspersione.*] Tullius 1. de legib. & vide in dd. nostris Commen. Nobilitatis vbi suprà.

k *Prætérque Mysos.*] Strabo lib. 7. ex Possidonio. Scribit, inquit, Possidonius, Mysos religioni indulgentes ab animantibus abstinere, & eam ob causam pecus omne vitare: melle verò & lacte & caseo vesci: Cúmque tranquillam exigerent vitam, ob deorum culturam, Deicolæ & Capnobatæ, id est fumi conscensores, nominantur.

Anymphi. Cybeles sacerdotes. & [l] Essenos, [m] alijsque qui ob religionem animantibus abstinent, cælibémque vitam agunt, [n] qui Abij & [o] Anymphi dicti sunt. [p] constat sacerdotes matris deûm Samia testa sibi virilia amputare: atque illos qui maxima sacra obibant, vt in casta religione manerent, & procul à mulierum contagio vitam agerent, [q] herbis quibusdam emasculari, & virilitatem amittere. Vtque nulla nisi sacrorum maneret cura, nudique & vacui religioni intenderent, cunctarum rerum dominio se abdicare. Quod iure pontificio cauebatur, [r] cuius verba sunt, Ad diuos adeunto castè, pietatem adhibento, opes amouento, qui secus faxit, deus ipse vindex erit. Quam castimoniam apud exteros quoque seruari meminimus: [s] quippe in Thesmophoris matronæ Athenienses, vt Veneris ictus cohiberent, foliis virilium cubi'ia substernebant: nonnulli garo ex piscibus, qui squamam non habent, quòd incendia libidinum reprimeret, & irritos conatus faceret, in sacris vsi sunt: [t] quòd Agesilaus putabat deos non minus religiosis operibus, quam sacrificiis castis delectari. Legimus quoque [u] Hierophantas Atheniensium, postquam in pontificatum euecti erant, vt castissimè sanctissiméque sacrum facerent, cicutæ sorbitione castrari: [x] & Ægyptios sacerdotes, negotiis omissis, mulieribus nunquam indulgere, carnibúsque & vino abstinere, [y] atque gymnosophistas adeò abstinentiæ studiosos, vt pomis solùm, oriza & farina alantur. [z] In Creta quoque Euripides testatur, quos vocant Iouis prophetas, non modo carnibus, sed ne coctis quidem vesci: [a] & Indorum magos, qui ad Solis sacerdotium euecti erant, carnibus abstinere, & nunquam sub tecto esse, sed lineis velari, & sub dio vitam agere. Quinetiam obseruatum inuenimus, vt qui rem diuinam facturus erat, ad suam leuandam culpam se in primis reum dicere debeat, & noxæ pœnitere, ac fateri admissum, vultúmque summittere, & ad omnem modestiam fingere. [b] deinde ipse, aut publicus præco præcedens sacra, Hoc age, clamitet, vocéque excitet populum, ac virgis turbam summoueat, quæ [c] commentaculum dicta est: silentiúmque indicat, ne mala vox obstrepat, néve quid triste auribus accipiat, & sacris fauere, & intentos esse iubeat: namque in deorum sacrificiis [d] taciturnitate in primis, & intentis animis opus erat: [e] quia si opus facientem sacerdos inter

Antidota aduersus Venerem. Agesilai sententia. Hierophanta Atheniensium. Iouis prophetæ. Indorum magi. Rem diuinam facturus. Commentaculum. Taciturnitas in deorum sacris.

ANNOTATIONES.

l *Et Essenos.*] Siue Essæos, vt alij vocant, ex Iosepho lib. Antiquitat. 18. c. 2. & de bello Iudaico lib. 2. c. 7. & in Appionem, & D. Hieronimo lib. 2. in Iouinianum. Qui de Essæis plura nosse volunt, legant Eusebium cap. 4. lib. 8. & c. 1 9. Præparat. Euang.

m *Aliósque.*] Vt Germanes Indorum Philosophos ex Strabone lib. 15. vbi tradit eos vini & Veneris expertes. Diximus in nostris ll. Connubial. l. 15. nu. 115. incip. Illud quoque antiquorum.

n *Qui Abij.*] Strabo lib. 7. paulò postea, quæ in verbo, Prætorque Mysos: diximus, & vide suprà eo. lib. c. 13. in nostris ll. Connubial.

o *Et Anymphi.*] Vide in d. ll. Connub.

p *Constat sacerdotes Matris deûm.*] Plinius lib. 1 1. c. 49. & lib. 35. c. 12. ad fi. Vnde illud Iuuenalis saty 6.

—Ecce furentis
Bellona, matrisque deûm chorus intrat, & ingens
Semiuir obscœno facies reuerenda minori,
Mollia qui rupta secuit genitalia testa.

Nam & hos seminares vocat Ouid. lib. 4. Fastor.

Ibunt seminares, & inania tympana tundent,
Æráque tinnitus ære repulsa dabunt.

Diuus Augustinus libr. 7. de Ciuitate Dei scribit abscissos matri deûm seruire, vt significaretur eos, qui semine indigeant, tetiam sequi oportere, quæ mater deûm nominatur. Lucretius vero lib. 2. Gallos ministerio Cybeles (quæ mater deûm appellatur) ideo dici additos: quon am qui violant matrem digni fuot, vt emasculentur, quo minus possint viuam procreare progeniem. Diximus in nostris ll. Connubial. l. 15. num. 121. incip. Quid quòd legimus.

q *Herbis quibusdam emasculari.*] Scilicet cicuta, vt dicetur inferius in verbo, Hierophantas, & in d. nostris ll. vbi suprà.

r *Cuius verba sunt.*] Apud Ciceronem lib. 2 de legib.

s *Quippe in Thesmopho.*] Dioscorides libr. 1. cap. 26. Plinius lib. 24. c. 9. Galenus lib 6. de simplicium medicamentorum facultatibus. & diximus in nostris legibus Connubialib. lib. 15. nu. 94. incip. Galenus lib. & nu. 16. incip. Ouidius lib. Amor. 3.

t *Quod Agesilaus putabat.*] Xenophon in ea oratione, quam elegantissimè, vt cætera omnia, de ipsius Agesilai laudibus edidit.

u *Hierophantas.*] D. Hieronymus in Iouinianum lib. 1. & in lib. de Monogamia ad Geruntiam, Hierophåria, inquit, apud Atheneas euitat virum, & æterna debilitate fit castus.

x *Et Ægyptios sacerdotes.*] Idem Diuus Hieronymus authoritate Chæremonis libr. 2. in Iouinianum, & Apuleius lib. 11. Metam.

y *Atque Gymnosophistas.*] Plinius lib. 1 2. c. 6. docet quo cibo vescebantur Indorum sapientes.

z *In Creta quoque Euripides.*] Et eius authoritate Diuus Hieronymus in d. lib. 2. ad Iouinianum.

a *Et Indorum magos.*] Diod. Laërtius in proœmio. Sed & Magi Persarum nihil præter farinam & olus in cibo sumebant, vt idem D. Hieronymus testatur vbi suprà.

b *Deinde ipse erat publicus præco.*] Plutarch. in Numa Pompilio. In professis, inquit, & omnino in sacerdotum festis, per vrbem præcones præcedebant, qui vt quiescerent, & ab operibus desisterent, iubebant. Et in Coriolano, Numa quidem cùm aliarum rerum, tum Pontificij iuris prudentissimus expositor, hoc Romanis ad summum religionis ornamentum instituisse videtur, vt cùm Principes aut sacerdotes rem diuinam faciunt, Præco ingenti voce præcedens clamet, HOC AGE: animos sacrificio scilicet adhiberi iubens, ne vllis interiectis operibus, quæ plurima humanis in rebus vt & necessitate fieri contingit, diuinus auertere tur cultus. Et huc quoque pertinet illud Apuleij lib. 11. Metam. Et plerique qui facilem sacris viam dari prædicarent. Sed alibi hæc verba, Hoc age, vel agite, pro adnimaduertise, intenti estore, attendite, vt apud Plautum in prologo Asinariæ in princ.

Hoc agite, sultis spectatores nunc iam.

Et in Persa act. 5. sce. 2 & apud Terentium in Eunucho act. 1. sce. 2. & in Phormione act. 1. sce. 3. ad fi. & vtrobique Donatus præsertim in priori loco.

c *Commentaculum.*] Festus Pomp. lib. 3.

d *Taciturnitate in primis.*] Pythagoricum & Ægyptiorum dogma sapientum id fuit, quum deum inuenerit silentio colendum, à quo sunt rerum primordia. Cæl. Rhodig. Antiq. lectio. lib. 15 c. 23. & lib. 21. c. 46. & Gyral. Histor. Deor. syntag. 1. & 17. Virgil. Æneid. 7.

—Hinc fida silentia sacris.

e *Quia si opus facientem sacerdos.*] Plinius lib. 28. c. 2. Tibicinem, ait, cauere, Nequid aliud exaudiatur: vtraque memoria insigni, quoties ipsæ diræ obstrepentes nocuerint, quo-

tiésve

sacra vidisset, remerari & pollui putabantur religione inexpiabili. Ideo custos dabatur, qui sacra inspiceret, & alter qui [f] linguis fauere iuberet, [g] Græcis autem, ad sacrificium accessuris, hoc præfatur primum, τίς τῇδε, hoc est, Quis hîc? Qui verò intersunt sacris, referunt: πολλοὶ, κἀγαθοὶ, quod est dicere, Multi, & boni. Nam polluti homicidio, aut sanguine infecti humano, hominésque turpissimarum sordium sacris arcebantur: néve aras contingerent, aut sacrificio interessent, lege vetabantur. [h] Et quia à quibusdam sacris mulieres innuptas, aut seruitio pressos, vel ære coemptos, abesse oporrebat: ideo in sacrorum apparatu lictor præfabatur, Hostis victus, mulier virgo exesto. [i] In Chæronea vero sacerdos lorum renens, pro ædibus Matutæ clamitat, non seruum ingredi, in seruam, non Ætolum, non Ætolam: quum his sacrificiò adesse non liceret. [k] Apud magos, qui lentigines habent, tanquam inuisi diis immortalibus, ab àris procul fiunt: & hi qui elati reuixerunt, quibúsque viuentibus exequiæ factæ sunt, velut prophani, à sacris arcebantur: [l] sicut à sacerdotio bis nupri. [m] Apud Germanos, qui scutum amisissent in acie, sacris interesse non poterant: [n] Et apud Ægyptios subulcis vniuersis templa interdicta fuere: [o] & Hebræis menstruatis, & his qui impetiginem habent. [p] Scythis quoque qui nullum hostem interfecisset in acie, in solennibus libare non poterat: reliqui initiati adesse non vetâtur. [q] Romanis vero si quæ sacrificio mulieres intersunt, capita velant. Cúmque adorat qui rem diuinam facit, [r] velato capite, ne auersus animus à sacris fiat, [s] dexteram ad oscu-

Quibus sacris adesse non licebat.

Charonenses. Magi.

Germani. Ægyptij. Hebræi. Scythæ.

ANNOTATIONES.

tiésve precatio errauerit: sic repente extis adimi capita, vel corda, aut geminari, victima stante. Gyrald. de Diis Gentium syntag. 17.

f *Linguis fauere iuberet.*] Cicero de Diuinat. lib. 1. Idcirco, ait, omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatúmque esset, præfabantur: rebúsque diuinis, quæ publicè fierent, vt fauerent linguis, imperabatur: inqué feriis imperandis, vt litibus & iurgiis se abstinerent. Hinc illud Horatij lib. Car. 3. Ode 1. in princ.

Odi prophanum vulgus & arceo,
Fauete linguis, carmina non prius
Audita. Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

Quo in loco Acron & Porphyrión interpretes scribunt eam vocem dici solitam in sacrificiis, qua significarent, vt bona omnia haberentur. Illudqué Iuuenal. satyra 12.

Ite igitur pueri linguis animisque fauentes,
Sertáque delubris, & farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos, glebámque virentem,
Iam sequar, & sacro, quod præstat, rite peracto
Inde domum repetam.

Tibullus lib. 2. epig. 2. in prin.

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras,
Quisquis ades, lingua vir, muliérque faue.

Plinius lib. 18. cap. 2. Ipse enim de sacrificiis & precationibus loquens. Alium verò, ait, præconi, qui fauere linguis iubeat.

g *Græcis autem.*] Hîc omnino vide Erasmum Adag. Chil. 1. cent. 6. c. 31. Idem Gyral. syntag. 17.

h *Et quia à quibusdam sacris.*] Vide Cæliom Rhodiginum Antiq. lect. lib. 12. c. 2. Idem Gyrald. ibid. Vide in nostris ll. Con nub. l. 2. num. 59. incip. Ex his exit lex.

i *In Cheronea.*] Gyral. vbi suprà.

k *Apud Magos, qui lentigines habent.*] Plinius lib. 30. cap. 1. Lentiginem, inquit, habentibus non obsequi numina, vt cerni non possunt. Idem lib. 28. c. 12. Inuenio, inquit, apud authores, his qui lentiginem habeant negari Magicæ sacrificiorum vsum. Cui concinit Apuleius in Apologia 1. qui scribit puerum Magico carmine initiandum, oportere eligi, inter cætera decorum. Lentigo autem est macula subrufa & nigra in facie ad lentis similitudinem.

l *Sicut a sacerdotio bis nupti.*] Diod. Siculus lib. 2. c. 3. D. Hieronymus locis à me allegatis in nostris Commentariis ad l. boues. §. hoc sermone, regula, num. 143. & multis seq.

m *Apud Germanos.*] Cornelius Tacitus lib. de Moribus Germanor. scribit, Scutū reliquisse præcipuum flagitiuum; nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominiose fas est, multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt. Eras. Chil. 2. cent. 2. c. 97. describit quàm olim ignominiosum fuerit clypeum abiicere.

n *Et apud Ægyptios.*] Herodot. lib. 2. Soli omnium subulci, etsi indigenæ, tamen nullum ingrediuntur in templum: nemóque aut filiam cuipiam eorum nuptum dare vult, aut cuiuspiam eorum filiam in matrimonium ducere. Ipsi inter se subulci dant, accipiúntque filias.

n *Et Hebræis menstruatis.*] Lege Mosaïca deformia & maculosa vetabantur offerri, vel immolari Domino Leuit. c. 2. & Deuteron. 15. Item alia lex, Ne qui esset corpore deformis, vel vitiatus, panes Deo suo offerret, neque eius ad ministerium accederet, vt amplissimè scribitur Leuit. c. 21. & repetitur in cap. hinc etenim 49. distin. vbi D. Gregorius luculenter probat corporum vitia & maculas habere symbolum vitiorum animi. Cuius item sententiæ fuit D. Hieronymus ad Fabiolam de veste sacerdotali. Præcipitur, inquit, sacerdotibus, vt nulla debilitate insignes sint, ne truncis auribus, læso oculo, simis naribus, claudo pede, cutis colore mutato: quæ omnia referuntur ad animi vitia. Quibus consonat Ro. mos apud quos virginem Vestalem capi fas non erat, quæ aliqua corporis labe insignita esset: vt ex authoritate Antistij Labeonis prodidit Gell. lib. 1. c. 9 & Fenestella de Magistratib. c. 7 Dionys. Halicarnass. Antiq. lib. 7. laudat Romulum Romanorum legum latorem, quòd sacerdotia non venalia, nec sorte diuidenda fecit: sed è singulis curiis binos creauit annum quinquagesimum egressos, qui virtute ac genere præcellerent cæteros, censúmque sufficientem haberent, & integro essent corpore.

p *Scythis quoque.*] Herodot. lib. 4. Gyral. Historiæ deor. syntag. 17.

q *Romanis vero.*] Plutar. Problem. c. 13.

r *Velato capite.*] Virgil. lib. 3. Æneidos, vbi Helenus Æneam admonet de profectione, seu fuga facienda, his verbis,

Quin vbi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris iam vota in littore solues,
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Nequa inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies incurrat & omnia turbet.
Hunc socij morem sacrorum, hunc ipse teneto:
Hac casti maneant in religione nepotes.

Quo in loco Seruius, Sacrificantes, inquit, omnibus diis, soliti sunt caput velare, ne se inter religionem vagis aliquid offeret obtutibus, excepto solùm Saturno, ne numinis imitatio esse videretur. Et idem Seruius lib. 2. eiusdem operis in eum locum,

Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, cæsis summa custodibus arcis
Corripuere sacram effigiem.

Vide Plutar. Problem. c. 10. & suprà lib. 2. c. 14.

s *Dexteram ad osculum ferre.*] Plinius lib. 11. c. 45. & clarius lib. 28. c. 2. vbi ita scribit, In adorando dexteram ad osculum referimus, totúmque corpus circumagimus. Apul. lib. 14. Metam. Et admouentes oribus suis dexteram, priore digito in erectum pollicem residente: vt ipsam deam Venerem

religiosis

lum ferre, [t] & se in orbem circumagere, [u] prout Numa instituit, necessum habet. [x] Quódque tibicines & citharœdi, qui lyras septichordes tenderent, in deorũ sacrificiis cum cantu & longis tibiis præcinant, & ne quid aliud agatur exandiatur que, moneant: [y] illúdque ius in æde vescendi habeant, prisca est religione seruatum: [z] quæ quidem tibiæ sacrorum, ex buxo: quæ vero ludis præcinebant, ex osse asinino aut argento fiebant: quod illæ miti sono ad rem diuinam, istæ stridenti & acuto ad prælium accenderent. Fuere enim tibiarum species plurimæ, ad vsus varios: [a] nam Libyes plagialon vocant, [b] quæ ex loto fit: [c] elymos ex buxo & lauro. [d] Celtæ ex calamis vtuntur fistula, [e] Ægyptij ex stipula hordeacea, [f] Scythæ & Arimaspi ex aquilarum & vulturum ossibus: [g] ex quibus aliquæ erant serranæ, quæ æquales habent cauernas: aut Phrygiæ, quæ impares & inæquales. [h] Post aliquot verò tempora ne tibiæ præcinerent in sacris, fuit lege cautum. [i] Ægyptiis in vsu erat, non tibias, sed cantus adhibere in sacris quibus septem vocales deos modulata voce collaudare, tibiarum & citharæ loco fuit. [k] Iudęi in sacris non modo tibia, sed timpanis concinunt. Vtque suę hostię diis dicatę sint, & [l] superis albę, [m] inferis vero nigrę immolantur, [n] neque duobus diis vnam hostiam mactari, quia veri deo res di-

Mulieres in sacris & rem diuinam facturus, capite velato. Tibiarum varia species. Ægyptiis pro tibiis cantus in sacris adhibitus. Iudai.

ANNOTATIONES.

religiosis adorationibus venerabantur. Idem Apul. in Apologia, Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere. Et huc spectat quod D. Hieronymus in Psalterio, quod dicitur Deosculamini, interpretatus est, adorate: quia, vt eius verbis vtar, qui adorant, solent deosculari manum & capita summittere: quod se D. ille Iob cap. 31. in elementis & idolis fecisse negat, dicens, Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. Hebræi, iuxta linguæ suæ proprietatem, Deosculationem ponunt pro veneratione.

t *Et se in orbem circumagere.*] Plinius in posteriore illo loco. Nam & inter symbola Pythagoræ illud erat, [Greek, illegible], id est, ad orandum circumactu corporis. Nimirum ad imitationem cæli perpetua vertigine circumacti. Eras. Chil. 1. cent. 1. in prouerbio, Adorato circumactus. Plutar. autem in Camillo non longè à princ. Cùm hæc, inquit, dixisset, vt mos est Romanis preces agentibus se ad dexteram voluere, circumflectens cecidit. Vide Seruium in 6. Æneid. ibi,

—Ter socios pura circumtulit vnda.

u *Prout Numa instituit.*] Plutar. i. Numa.

x *Quódque tibicines.*] Liuius 1. Decad. lib. 9. Tibicines, inquit, quia prohibiti à proximis Censoribus erant in æde Iouis vesci, quod traditum antiquitus erat, ægrè passi, Tibur vno agmine abierunt adeo, vt nemo esset qui sacrificiis præcineret. Eius rei religio tenuit Senatum, legatósque miserunt, vt darent operam, vt hi homines Romanis restituerentur. Tibias in sacris adhiberi satis ostendimus Ouidij & aliorum authoritate suprà lib. 3. c. 7.

y *Illúdque ius in æde vescendi.*] Liuius vbi suprà. Macrob. lib. 3. c. 11. Herodot. lib. 2.

z *Quæ quidem tibiæ.*] Gyraldus Histor. deor. syntag. 17. & in multiplici poëtarum historia, vbi de scena agit. Athenæus Dipnos. lib. 4. c. 24.

a *Nam Libyes plagialon.*] Pollux Onomasticôn lib. 4. c. 9. & 10. Athenæus lib. 14. c. 24. Cælius Rhodi. Antiq. lect. lib. 9. c. 7. in princ.

b *Quæ ex loto fit.*] Nam ex loto tibias frequenter fieri tradit Fest. Pompeius lib. 10. Lotos (authore Plinio lib. 13. c. 17.) ad tibiarum cantus expetitur.

c *Elymos ex buxo & lauro.*
d *Celtæ ex calamis.*
e *Ægyptij ex stipula ordeacea.*
f *Scythæ & Arimaspi.*
} Pollux vbi suprà. Plinius lib. 16. cap. 36. Solinus cap. 11. vbi vide interpretem. Cæl. Rhod. ant. lect. libr. 9. cap. 7.

g *Ex quibus aliquæ.*] Hæc vsque ad versic. Post aliquot. sunt Seruij in lib. 9. Æneid in eum locum,

—Biforem dat tibia cantum.

h *Post aliquot.*] Tibiarum consuetudo cœpisse videtur post Medicas victorias, cum Græci iam de se magnificè sentirent, desita verò Athenis disciplina ea, Alcibiade authore, cùm percrebuisset, ab illo abiectas infractasque tibias pudefacto deformitate oris. Quod in Commentario Pamphilæ 9. & 10 scriptum fuisse adnotatum reliquit Gellius Noct. Atticarum lib. 15 c. 17. Rhodig. Antiq. lect. lib. 9. c. 4.

i *Ægyptiis in vsu erat.*] Gyrald. Histor. deor. syntag. 17. Cælius Rhod. lib. 9. c. 2.

k *Iudæi in sacris.*] Num. 10. Leuit. 16. Exo. 28. 39.

l *Superis Albæ.*] Idem Horatius lib. Car. 3. Ode 8. ibi.

Docte sermonis vtriusque linguæ
Voueram dulceis epulas, & album
Libero Caprum propè funeratus
Arboris ictu.

Vbi Acron idem dicit quod Alexander hîc & in seq. dicit. Virgil. lib. 3. Æneid.

Sic fatus meritos aris mactauit honores:
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo,
Nigram Hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Vbi Seruius dicit hostias pro qualitate numinis immolari vt hîc. Idem Virgil. lib. 9.

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Iam cornu petat, & pedibus qui spurgat arenam.

Vbi Seruius, Iuuencum, secundum Romanas ceremonias dixit. Ioui enim de tauro non immolabatur: nisi cum triumphi nomine sue vel tauro fiebat: quod tamen admissum est, quia non tantum Ioui, sed aliis diis, qui præsunt, sacrificabatur. Iuuenal. satyr. 10.

—— Duc in Capitolia magnum
Cretatúmque bouem. ——

m *Inferis verò nigræ.*] Iam diximus in præced. Acronem id dixisse. Et id quidem probat illud Virgilij loquentis de matre Eumenidum & magna sorore, id est nocte & Terra diis inferis lib. 6. Æneid.

—— Ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæque sorori
Ense ferit, sterilémque tibi Proserpina vaccam.

Vbi Donatus, Omnia, inquit, nigra inferis mactat, & sterilem vaccam: quia nihil ab inferis nascitur. demostrat quatuor, colorem, genus animalis, quum primo vellere, intactum: ergo non attonsum & Veneris immune. Et illud Tibulli lib. 3. eleg. 5. in fi.

Interea nigras pecudes promittere Diti
Et niuei lactis pocula mista mero.

Et Virgilij lib. 5.

—— Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.

Illud item Valerij Maximi lib. 2. c. 1. de Valerio Publicola, apud eandem aram publicè nuncupatis votis cæsisque atris bobus, Diti maribus, fœminis Proserpinæ, lectisternióque ac ludis trinoctio factis, aram terra, vt ante fuerat, obruit. Nam & Plutarchus in Lucullo scribit, Aderant Proserpinalia festa, nec bouem nigram, quali in his sacris mactari solebat, ob circunfusum hostem parare potuerunt, sed pro boue placentam altaribus offerendam conficiunt.

n *Neque duobus diis.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. Marcellum aliæ

uina fieret, facile non dignoscerent, in omni sacrificio vulgò seruatum est. [o] Namque aliena hostia, [p] vel debili & manca, [q] quæque reluctatur, & se admoueri altaribus non sinit, dij non placantur: [r] fugientémque hostiam, quæque altaria detrectaret, vbicumque nanciscerentur, mactari oportebat, ne piaculum fieret. Et sicut suæ hostiæ numinibus dicatæ sunt, ita & aræ fuerunt. [s] Superis enim, à terra exaltatis aris, terrestribus, in terra: inferis verò, sub effossa terra, sacra facere conuenit: quod [t] apud Indos fuit diu seruatum, vt terrestribus diis in cauernis, Soli verò in sublimi sacrum faciant. [u] Nonnunquam sine ara, in nudo solo & pauimento sacra peregisse Græcos, compertum est. [x] Eumæus apud Homerum super escharam, victimam fecit. [y] Arabes arulam super aram constituunt, in illaque Soli immolare, & thus adolere solent. [z] Hæ enim ad normam quadratæ fuerunt: supérque eis sacra facturi, [a] cespitem ex gramine, [b] seu verbenas apponunt. Istæ enim faustæ in omnibus sacris habitæ, [c] quas ex sacro loco decerpere conuenit. Ipsásque aras suorum numinum fronde ornare, [d] vt Ioui

Sua cuique deorum hostia.
Quæ hostia dij non placabatur.
Sua cuique ara.
Indorum sacra.
Ody. 14.
Arabes.
Verbena fausta in sacris.
Ara frondibus diis sacratis ornata.

ANNOTATIONES.

atque aliæ obiectæ animo religiones, tenebant, in quibos, quòd cum bello Gallico ad Clastidium ædem Honori & Virtuti vouisset, dedicatio eius à pontificibus impediebatur: quòd negabant vnam cellam amplius quàm vni Deo rectè dicari: quia si de cœlo tacta, aut prodigij aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret: quòd vtri Deo diuina res fieret, sciri non posset. Neque enim duobus, nisi certis diis rite vna hostia fieri.

o *Namque aliena hostia.*] Plinius lib. 8. cap. 45. ad fi. scribit, Hoc quoque notatum vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare, sicut nec claudicantem: nec aliena hostia placari, nec trahente se ab aris.

p *Vel debili aut manca.*] Plinius ibi. quod assumptum videri potest à Iudæis, quibus Deus Opt. Max. iussit sibi offerri meliora pulchrioráque & robustiora: non cæca, non clauda, non languida, non debilia, vt scribitur Deuteron. c. 15. & 17. & Malachiæ 1. non semel alibi sæpe. Quod & Ethnici & Gentiles obseruauerunt, ea quibus Euripides in Iphigenia *ἐν ταύροις* tradit Agamemnonem vouisse Dianæ se immolaturum quicquid pulcherrimum annuus prouentus produxisset. Aristoteles in Symposio, Nihil, ait, mutilum ac diminutum diis offerimus, sed integra omnia, atque absoluta. Húcque specta: illud Virgilij lib. 3. Georg.

Aut si quam ferro mactauerat antè sacerdos,
Inde neque impositis ardent altaria fibris,
Nec responsa potest consultus reddere vates.

Id enim de morboso animali intelligitur, cuius caro non coquitur, vt dicit Plinius morbosa caro non coquitur. Futura autem, vt ait Seruius in eum Virgilij locum, nisi ex sana victima colligi non possunt. Donatus autem enarrans eum locum Virgilij lib. 9. Æneidos,

Ipse tibi ad tua templa feram solemnia dona.

Scribit hostiam nec macie, nec ætate confectam esse debere.

q *Quæque reluctatur.*] Plinius vbi suprà. ea quo illud Lucani lib. 7.

Admotus superis discussa fugit ab ara,
Taurus, & Emathios præceps se iecit in agros.

Et Ammianus Marcellinus lib. 24. Abunde, inquit rarus post hæc prosperitates similes aduentare complures hostias Marti parabat Vltori, & ex tauris pulcherrimis decem ad hoc perductis, nondum aris admoti voluntate sua nouem procubuere tristissimi: decimus verò, qui diffractus vinculis lapsus, ægrè reductus est, mactatus ominosa signa monstrauit.

r *Fugientémque hostiam.*] Valerius Maxim. lib. 1. c. 6. vbi de Pompeio loquitur, ita scribit, in princ. Cn. Pompeium Iupiter omnipotens abundè monuerat, ne cum C. Cæsare vltimam belli fortunam experiri contenderet: egresso à Dyrrachio aduersa agmini eius fulmina iaciens, examinibus apum signa obscurando, subita tristitia implicatis militum animis, nocturnis totius exercitus terroribus, ab ipsis altaribus hostiarum fuga. Seruius lib. 2. Æneid. ibi,

—Et magno mercentur Atridæ.

Quia, inquit, sacrorum est, vt victima fugiens, vbicumque inuenta fuerit, occidatur, ne piaculum committatur. Plinius vbi suprà.

s *Superis enim à terra.*] Lactantius Placidus, Grammat. interpres Statij in 4. lib. Thebaid. eo loco,

—Totidémque satis Acheronte nefastos
Virginibus iubet esse focos: tibi rector Auerni,
Quanquam infossus humo, superat tamen agger in auras
Pineus, hunc iuxta cumulo minor ara profunda
Erigitur Cereri.—

Sic memoriæ prodidit, Tria sunt in sacrificiis loca, per quæ expiationem facimus: Scrobiculo facto inferis aris tribus sacrificamus, Cælestibus extructis focis: vnde etiam nominata sunt altaria, ad quæ sacrificantes manus porrigimus in altum. Cæl. Rhodiginus lib. 12. c. 1.

t *Apud Indos.*] Festus Pompeius lib. 1. prope fin. Antiqui diis superis in ædificiis à terra exaltatis sacra faciebant, diis terrestribus in terra; diis infernalibus in effossa terra.

u *Nonnunquam sine ara.*] Cælius vbi suprà.

x *Eumeus apud Homerum.*] Lib. Odysseæ 14.

ὃς δ' ἐν εἰσῆγεν μάλα πίονα πενταέτηρον,
τὸν μὲν ἔπειτ' ἱέρευσ' ἐπ' ἐσχάρῃ.

Alexander hîc Græcam dictionem reliquit: D. autem Iustinopolitanus craticulam vertit. Est enim Græcis & *ἐσχάρα*, & *ἐσχαρίς*, eiusdem ferè significationis.

y *Arabes arulam.*] Strabo libr. 16. non multò ante fin. de Arabibus loquens scribit, Solem colunt, arulam super aram constituentes, & quotidie in ea immolant, & thus adolent.

z *Hæ enim ad normam.*] Vide ibi Strabonem.

a *Cespitem ex gramine.*] Virgil. lib. 12. Æneid.

In mediósque focos & diis communibus aras
Gramineas, alij fontémque ignémque ferebant
Velati lino & verbena tempora vincti.

Vbi Seruius, Romanis enim, inquit, moris fuerat cespitem aræ superimponere & liba sacrificare.

b *Seu verbenas apponunt.*] Vide quæ scribam infrà l. 5. c. 27.

c *Quas ex sacro loco decerpere conuenit.*] Plinius libr. 22. c. 2. & lib. 25. c. 9. Donatus in Andriam Terentij act. 4. sce. 4. annotauit ibi,

—Ex ara hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne.

Catachristicôs omnes herbas & frondes festas ad aras coronandas ex puro loco decerptas, Verbenas appellari.

d *Vt Ioui esculo.*] Plinius lib. 12. c. 1. & lib. 16. c. 4. Virgil. lib. 2. Georg.

Nemorúmque Ioui, quæ maxima frondet
Esculus.—

Sed & adde & quercu ex Lactantio interprete Statij in lib. 4. Thebaidos. Quod & probat illud ipsius Virgilij libr. 3. Georg.

Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos.

Et ibi Seruius scribit quòd omnis quercus est Ioui consecrata, & omnis lucus Dianæ. Et Ouid. lib. 1. Metamor.

Et quæ deciderant patula Iouis arbore frondes.

Seruius autem in 1. Eleg. non multò post princ. ibi,

De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Dicit quercum esse in tutela Iouis. Idem Seruius in eum locum eiusdem Virgil. lib. 6.

Atque vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.

Querceam, inquit, coronam accipiebant, qui & in bello ciuem seruassent: ideo, quia antè causa vitæ in hac arbore hominibus

esculo, [e] Apollini lauro, [f] Mineruæ olea, [g] Veneri myrto, [h] Herculi populo, [i] Baccho edera, [k] Pani verò pino, [l] Diti autem cupresso. Quanquam [m] ad aram maximam Herculi sacra facturi, sola lauro,

ANNOTATIONES.

minibus fuit, qui glandibus vescebantur. Gell. lib. 5. c. 6.
e *Apollini lauro.*] Plinius d. lib. 12. c. 1. Diodor. Siculus lib. 1. c. 2. Acron interpres Horatij lib. Car. 3. Ode 4. ibi,

—Vt premerer sacra
Lauroque collatáque myrto,
Non sine dis animosus infans.

Vnde & illud Virgilij eclog. 7. aliàs 8.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho,
Formosa myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.

f *Mineruæ olea.*] Plinius vbi suprà. Ouid. lib. Metamor. 6.

Illic incumbens cum Palladis arbore palmæ,
Edidit inuita geminos latona nouerca.

Vbi Raphaël Regius interpres annotauit Latonam & palmæ & oliuæ innixam peperisse.
g *Veneri myrto.*] Virgilius, Diodorus, Plinius & Acron locis nuper citatis, & præterea idem Virg. lib. 1. Georg.

———Solido Paphia de robore myrtus.

Et ibi Probus rationem reddit. Plutar. in Marcello: vbi myrtum pacis esse symbolum dicit. & Proble. c. 19. Myrtum, inquit, quasi Veneri dicatam, religiosam habent. Ouid. Fastorum 4. vbi de Venere loquitur,

——— Leuiter mea tempora myrto
Contigit. ———

Vnde Imperatores (teste A. Gellio lib. 5. c. 6. corona Myrtea vtebantur, qui ouantes vrbem introibant, quibúsque incruenta victoria obuenerat. Athenæus lib. 15. c. 6. Seruius in lib. 5. Æneid. ibi,

Vade genus ducis.

Iterum rationem reddit, cur Myrtus Veneri sacratur.
h *Herculi populo.*] Virg. citatus suprà in verbo, Apollini lauro. & ibi Probus interpres. Et rursum idem Vir. lib. 8.

——— Herculea bicolor cùm populus vmbra.

Et ibi Seruius, Herculi, inquit, consecrata, qui cùm ad inferos descendens fatigaretur labore: dicitur de hac arbore, corona facta, caput velasse: vnde foliorum pars temporibus cohærens, capiti adhibuit sudorem: pars verò exterior, propter inferorum colorem, nigra permansit, & bonestè pependit populos: id est corona de populo, & paulò post,

Populeis adsunt euincti tempora ramis.

Et ipse quoque Virgil. lib. 5. Æneidos,

Cætera populea velatur fronde iuuentus.

Plinius lib. 12. c. 1. in princ. Macrob. lib. Satur. 3. c. 12. Vnde, inquit, rectè Maro noster ad tempora respexit, quibus Euander ante vrbem conditam, apud eam aram maximam sacra celebrabat, & vtebatur populo vtique Alcidæ gratissima. Pausanias lib. 5. vbi rationem reddit. Porphyrion interpres Horatij Car. lib. 1. Ode 7. ibi,

Tempora populea fertur vinxisse corona.

Virgil. Georg. 2.

—Herculeaque arbos vmbrosa corona.

Et ibi quoque Probus & Ser. interpretes. Et Ouid. in epistol. 9. ad Deianiram,

Aptior Herculea populus alba coma.

i *Baccho edera.*] Diodorus Siculus lib. 1. c. 2. Plinius lib. 16. c. 34. & 35. Tibullus lib. 3. eleg. 6.

Candide liber ades: sic sit tibi mystica vitis,
Sic edera semper tempora vincta feras.

Ouid. Fast. lib. 1.

Festa corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi,
Tertia quæ solito tempore bruma refert.

Huius rei rationem reddens lib. 3. Fast. ita inquit,

Cur edera hæc cincta est: edera est gratissima Baccho:
Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est,
Nysiadas nymphas, puerum quærente nouerca,
Hanc frondem cunis opposuisse ferunt.

Idem lib. 1. Tristium eleg. 6.

Deme meis ederas, Bacchica serta, comis,

Macrobius Satur. lib. 1. c. 19. Colitur etiam, inquit, apud Lacedæmonios simulacrum liberi patris hasta insigne, non thyrso. Sed eùm thyrsum tenet, quid aliud quàm latens telum geritur, cuius mucro edera lambente protegitur? quod ostendit, vinculo quodam patientiæ obligandos impetus belli. Habet enim edera vinciendi obligandique naturam. Vnde & poëtæ præcipuè Bacchi cultores edera coronabantur, vt scribit Plin. lib. 16. c. 34 & Probus rationem reddens in lib. 2. Virgil. Et illud Virgil. eclog 7.

Pastores edera crescentem ornate poëtam
Arcades, inuidia rumpantur vt ilia Codro.

Et eclog. 8.

Inter victrices ederam tibi serpere lauros.

Et ibi Seruius Et Horat. lib. Car. 1. Ode 1.

Me doctarum ederæ præmia frontium,
Diis miscent superis.

Et ibi quoque interpretes. Et Propertius lib. 4. eleg. 1.

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex edera porrige Bacche tua.

Ouid. lib. 3. Amorum eleg. 8. in qua Tibulli mortem deflet,

Obuius huic venies edera iuuenilia cinctus
Tempora cum Caluo docte Catulle tuo.

Et 3. de Arte Amandi loquens de Poëtis,

Nunc ederæ sine honore iacent: operatáque doctis
Cura vigil Musis, nomen inertis habent.

Iuuenalis saty. 7.

Qui facis in parua sublimia carmina cella,
Vt dignus venias ederis, & imagine sacra.

Martialis lib. 8. epig. 82. eodémque vir.

Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi:
Fiat & ex edera ciuica nostra tibi.

Festus Pompeius lib. 8. Edera in tutela Liberi patris putabatur esse: quia vt ille semper est iuuenis, ita hæc semper virect.
k *Pani verò pino.*] Propertius lib. 1. eleg. 18.

Vos eritis testes, si quos habet arbor honores
Fagus, & Arcadio pinus amata Deo.

Et Ouid. de Lupercalibus, qui erant sacerdotes Panis lib. 2. Fasto.

Ipse ego Flaminiam poscentem Februa vidi,
Februa poscenti pinea virga data est.

Sed & adde Proserpinæ sacram pinum esse, vt tradit Seruius lib. 3. Æneid.

—Sylua alta Iouis lucúsve Dianæ.

Et Matri deûm & Fraudi, idem Seruius lib. 2. Æneid. pod princ. ibi,

—Sectáque intexunt abiete costas.

Pinus, inquit, in tutela est Matris deûm & fraudis: quia eius poma eadentia per fraudem interimunt. Et iterum libro 9. ibi,

Pinea sylua mihi multos dilecta per annos.

l *Diti autem cupresso.*] Plinius lib. 16. c. 33. Cupressus, ait, diti sacra, & ideo funebri signo ad domos posita. & Festus Pompeius lib. 3. & vide suprà lib. 3. cap. 7. Sed adde eam quoque proserpinæ dicatam Seruio lib. 3. Æneid. loco nuper designato. Et vide Liuium 3. Decad. lib. 10. ad fi. Et Marti myrtus quoque eidem Seruio lib. 3. Æneid. in princ. ibi,

Fortè fuit iuxtà tumulus, quo cornea summo
Virgulta, & densis hastilibus horrida myrtus.

Adde item superioribus ipsi Marti, gramine vt tradit idem Seruius lib. 12. Æneid. eo loco,

——— Et diis communibus aras
Gramineas. ———

Harpocrati persica, vt probat Plutar. in lib. de Iside & Osiride. & Iunoni malo Punico, vt tradit Philostratus in vita Apollonij lib. 4. c. 9.
m *Ad aram maximam Herculi.*] Macrob. Satur. lib. 3. c. 12. vbi

neque alia coroneutur fronde. [n] Thraces & Iudæi [o] pro lege habent, in omnibus sacris hedera coronati, [p] Cappadoces ambrosia. Apud Ægyptios hedera vitibus præfertur. [q] Druidæ nullum sacrum, sine roboris fronde conficiunt: [r] Ptolemæus heliochryso coronauit deos. [s] Thraces verò non solum coronati, sed scuta & gladios hedera ornati, in solennibus libant. [t] Isiaci absinthij marini ramum virgultis cæteris præferunt. [u] Ægyptij in Iouis pompa, [x] & Magi mytica, [y] Hermionenses hyacintho coronantur in sacris. [z] Parthi ex diuerso gramine coronata agna, odores incendunt. [a] Ferunt Ægyptios agrosti herba manibus decerpta, adorasse, [b] & papyri flore coronasse deos. [c] Vespasianus verò coronas ex cinnamomo interrasili auro sæpe templis dicauit. Apud alios autem [d] fagi cortex religiosus fuit. [e] Non sic Thebis & Athenis: namque in Palladis templo haud facile quisquam hederam inuenit. [f] Ea verò hedera quæ fert racemos labruscæ modo, quam smilacem nominauit, & arboresque nec seruntur, nec fructum ferunt, infaustæ omnibus habentur sacris, & damnatæ religionis: [g] apud Persas nō modò qui sacrificat, sed hostia, & qui sacris intersunt, festa ornantur fronde, [h] Indis contrà: namque ex his coronatus sacrificat nemo. [i] Persæ tamen nec deorum imagines habent, nec templa erigunt ([k] erant enim ædium sacrarum & simulacrorum euersores) sed in loco mundo & excelso, cum precatione diis victimas immolant: quod à plerisque vsurpatum inuenimus. [l] nam Carmeli deus colebatur, cui nec templum erat, nec simulacrum, sed ara tantùm, & diuinus cultus. [m] Iudæi mente sola vnum numē colunt: ideo nulla apud eos simulacra, non modò templis, sed nec vrbibus insunt. [n] Germani quoque nullam humani operis speciē diis, præ eorum magnitudine, dederūt: nec templa dicarunt, sed lucos & nemora deorum nominibus appellant, illa velut sacra templa venerati. [o] Sacerdos autem, & qui victimam facit, pura in veste [p] & cādida (nam color albus deo gratus in primis) [q] in textili tela, nec maioris

Laurus ad aram maximā Herculis. Thraces. Iudæi. Cappadoces. Ægyptij. Druidæ. Isiaci. Hermionenses. Parthi. Thebani & Athenienses. Herba infausta in sacris. Persæ. Indi. Iudæi. Germani. Vestis sacerdotis sacrificantis.

ANNOTATIONES.

vbi rationem reddit cur Virg. lib. 8. Æneid. Herculi Salios assignarit, sic scribit, Cùm ad aram maximam, sola lauro capita, & alia fronde non vinciant.

n *Thraces.*] Plinius 16. c. 34. vbi de edera.

o *Iudæi.*] Corn. Tacitus lib. 21. vbi de ritu & institutis eorundem disserit.

p *Cappadoces.*] Plinius li. 17. c. 4. vbi varia ambrosiæ nomina scribit, Ambrosia, inquit, vagi nominis est, & circa alias herbas fluctuat: fruticem vnum habet densum, ramosum, tenuem, trium ferè palmorum, tertia parte radice breuiorem foliis rutæ. Circa imum caulem in ramulis semen est vuis dependentibus, odore vinoso: qua de causa botrys à quibusdam vocatur, ab aliis artemisia. Coronantur illâ Cappadoces.

q *Druidæ.*] Plinius lib. 16. c. 44. & vlt. ad fi. Druides, inquit, iam per se roborum eligunt lucos, nec vlla sacra sine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoq; interpretatione Græca possint Druides videri.

r *Ptolemæus heliocryso.*] Idem Plinius lib. 22. c. 35.

s *Thraces.*] Idem lib. 16. c. 34.

t *Isiaci.*] Idem lib. 27. c 7. ad fin.

u *Ægyptij.*]
x *Magi.*]
y *Hermionenses.*]
z *Parthi.*]
} Idem scribit Gregorius Gyraldus in varia & multiplici Deorum historia syntag. 17. sed nullum citat authorem.

a *Ferunt Ægyptios.*] Quæ ea sit non memini me legisse. Diodorus autem Siculus lib. 2. cap. 1. post princ. sic scribit, Priscis victum Ægyptiis herbas ac palustres caules radicésque, quas gustu experti comprobassent, fuisse tradunt, eámque quam Argisim dicunt, herbam tum præcipua dulcedine, tum hominibus ac iumentis vtilis in primis vsus. Eius vtilitatis memores ad hoc vsque tempus viri, ac manibus decerpta deos orant, existimantes hominem limosum ac palustre animal esse, sumpta coniectura tum ab eius humili naturalíque ortu, tum quia magis humidis quàm siccis egeat cibis. Ex quo intelligis hunc Alexandri locum sumptum fuisse.

b *Et papyri flore.*] Plin. lib. 13. c. 11. Gyrald. vbi suprà.

c *Vespasianus.*] Plinius lib. 12. cap. 19. Coronas, inquit, ex cinnamomo interrasili auro inclusas, primus omnium in templis Capitolij atque Pacis dicauit Imperator Vespasianus Augustus.

d *Fagi cortex.*] Plin. lib. 16. c. 9. Necnon, ait, in quodam vsu sacrorum religiosus est fagi cortex.

e *Non sic Thebis.*] Hæc omnia vsque ad clausulam, Ea verò. sunt Plutarchi problem. c. 112.

f *Ea verò edera.*] Plinius lib. 16. cap. 35. vbi ederam eam dicit infaustam esse omnibus sacris & coronis: quoniam sit lugubris, virgine eius nominis, propter amorem iuuenis Croci, mutata in hunc fruticem. Hinc puto factum quod ederam Flamini diali neque tangere, neque nominare fas erat, authore Sexto Pompeio lib. 5. eos enim locum vbi bustum sit ingredi non licet, nec mortuum attingere, vt ait Gellius lib. 10. c. 15.

g *Apud Persas.*]
h *Indis contrà.*]
} Gregorius Gyrald. vbi suprà.

i *Persæ tamen.*] Herodotus lib. 1. Strabo lib. 15. non multò ante fin. Cicero lib. 2. de legib. Nec sequor, inquit, Magos Persarum: quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Græciæ dicitur, quòd parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorúmq; hic mundus omnis templum esset & domus.

k *Erant enim.*] Hæc parenthesis est Asconij Pædiani in 3. in Verrem act.

l *Nam Carmeli deus.*] Cornel. Tacitus lib. 17. Et adde nec Coronidi, deæ Sicyoniorum templum fuisse, authore Pausania in Corinthiacis, cuius statua nusquam in templo infixa est.

m *Iudæi mente sola.*] Dion in Pompeio. Tacitus lib. 30.

o *Germani quoque.*] Cornelius Tacitus in li. de Morib. German. Hincque illud Plinij lib. 12. c. 1. de arboribus loquentis in prin. Hæc fuere numinum templa, priscóque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quàm lucos, & in iis silentia ipsa adoramus.

o *Sacerdos autem.*] Cicero lib. 2. de legib. & Virgil. lib. 12. Æneidos,

---Puráque in veste sacerdos
Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem
Attulit, admouitque pecus flagrantibus aris.

Vbi Donatus, Pura, inquit, colore albo, nec purpuræ variata picturis. Subdit tamen quòd qui sacrorum ritus scrupulosius intuentur, induunt contagione omni & criminum macula liberam & immunem. Seruius verò ibi dicit, puram vestem impollutam, qua festis diebus vti consueuerant sacra celebraturi. Verùm Festus Pompeius libro 14. interpretatur puram vestem, non obsitam, non fulguritam, non funestam, non maculam habentem.

p *Et candida.*] Cicero 2. de legib. Color, inquit, albus præcipuè decorus Deo est, tum in cæteris, tum maxime in textili. Et Donatus vbi nuper.

q *In textili tela.*] Idem Cicero dict. lib. 2. de legib. paulò antè

Triũphales viri. Lacedæmonij. Pura & religiosa vestis. Homicidij expiatio. Ægyptij. Hostia ornatus. Senones. Scythæ.

operæ quàm menstruæ, [r] nonounquam in purpura & auro. [s] Triumphales viri, & qui amplos honores gesserant, in triumphi ornatu, aut in prætexta, lotis manibus, & froode coronati, sacri & veoerabiles, [t] nudis pedibus, & toosa coma, ad rem diuinam accedebaot: [u] idque à Pythagora traditum [x] Lacedæmooij obseruarunt, qui nudis pedibus adorandum sacrificandúmque ceosuerunt. Pura autem & religiosa dicebatur vestis, qua rem diuinam facturi, festa vtuntur die. Ea quidem erat [y] soluta omni vinculo, nullis maculis nec squalore obsita, nec funesta aut fulgurata. [z] Quòd si quis oece aliqua pollutus fuisset, bis septem vicibus innundationibúsq; vestes abluebat aqua, his piamentis ab immunditia emaculari arbitratus. [a] Ægyptij verò laneas vestes non inferunt in deorum templa, nec cum his cadauera sepeliunt. [b] Hostia si maior erat, auratis coroibus, si mioor coronata illius Dei fonde, cui sacra fiunt, iocedebat: [c] infuláque lanea [d] & candida vitta circundata, [e] ante aras nullo vioculo ligata sistebatur: oeq; enim io sacris vioctum quid esse poterat. [f] Cootrà verò apud Senones: nã lucũ sacrum veneraotur: quem oisi vinculo ligatus ingredi nemo poterat: qui si fortè prolapsus corruisset, attolli minimè licebat, sed per humum reptare necessum erat. [g] In Scythia quoque Marti sacrum fit, in quo

ANNOTATIONES.

id quod ex eo suprà dictum est, In delubris communibus, inquit, textile, nec operosus, quàm mulieris opus menstruum.

r *Nonnunqaam in purpura & auro.*] } Gyrald. Histor. deor.
s *Triumphales viri.*] } syntag 17.

t *Nudis pedibus & tonsa coma.*] Vide de his duobus suprà lib. 3. c. 22. vbi de Berenice.

o *Idque à Pythagora traditum.*] Gyrald. dialogismo 10. Vide eiusdem Pythagoræ carmina.

x *Lacedemonij.*] Idem ibi.

y *Soluta omni vinculo.*] Seruius in libr. 2. Æneid, in eum locum,

Eripui (fateor) leto me & vincula rupi.

Atqui, inquit, solutæ suur hostiæ, cùm piacolum sit in sacrificio aliquid esse religatum, citátque illud eiusdem libro 4. eiusdem operis,

Vnum exuta pedem, vinclis in veste recincta
Testatur moritura deos.

Vbi & idem Seruius, Quia, inquit, vt suprà diximus, in sacra nil solet esse præligatum. Et alibi idem Seruius in 12. lib.

—— *Vincla omnia rupi.*

Et religionis, ait, & fœderis est. Sed huic contradicere videtur illud Iuuenal. saty. 12. ad princ.

Sed procul extensam petulans quatit hostia funem
Tarpeio inrata Ioui, froatémque coruscat,
Quippe ferox vitulus templis matnrus & aræ,
Spargendásque mero, quem iam pudet vbera matris
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu,

Et quod tradit Isidorus lib. Etymologiarum 6. cap. 19. Victimam à quibusdam dictam, quòd vindicta ad aras ducebatur. Sed hunc scrupulum discutiens Seruius primo illo loco scribit, Victimas ipso tempore sacrificiorum minimè ligatas esse oportere: sed anteà, scilicet, cùm ducereotur, ligabantor.

z *Quod si quis nece.*] Gyral lib. de Sacrificijs syntag. 17. hac historia nihil omnino notius apud auctores dicit, sed oullo citato auctore.

a *Ægyptij verò.*] Herodotus lib. 2. Nam & Apuleius Apologia 1. scribit linum purissimum esse rebus diuinis. Velamentum quippe lana segnissimi operis excrementum pecori detracta, iam inde Orphei & Pythagoræ scitis profanum vestimentum esse. Sed enim mundissima linl seges inter optimas fruges terra exorta non modò indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque rebus sacris vsurpatur. Philostratus in vita Apollonij lib. 3. cap. 4.

b *Hostia, si maior erat, auratis cornibus.*] Plin. lib. 33. cap. 3. in princ. Deorum vero, inquit, honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quàm vt auratis cornibus hostiæ maiores duntaxat immolarentur. & dictum est plenius supra lib. 3. c. 22. vbi Alexander idem scripsit.

c *Infuláque lanea.*] Virg. lib. 3. Georg.

Sæpe in honore deûm medio stans hostia ad aras,
Lanea dum niuea circundatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros.

Varro lib. 3. aut, vt alij computant, 6. Infulas, ait, dictas in hostiis, quòd velamenta è lana, quæ adduntur, infulæ, intra hostiarum cornua velamenta erant.

d *Candida vitta.*] Vt probatur illo eodem loco Virgilij, cùm niueam vittam dicit. Vitta autem victimas caput vinciri solitas intelligitur ex illo Virg. loco, & ex alio libro 2. Æneidos.

Et salsæ fruges & circum tempora vittæ.

Et rursum lib. 3. eiusdem operis io funere Polydori, Priami filij,

---*Stant manibus aræ*
Cæruleis mœstæ vittis.

Et rursum eodem libro.

Hic Helenus cæsis primùm de more iuuencis,
Exorat pacem diuûm vittásque resoluit
Sacrati capitis.----

Et Valerij Flacci lib. 1. Argonaut.

----*Tibi cæruleis in littore vittis*
Et Zephyris, Glaucóque bouem Thetidíque iuuencum
Deiicit Ancæus.

Et alibi eodem lib. non multò ante fin.

---*Veteris sub nocte cupressi*
Sordibus, & multa pallens ferrugine taurus
Stabat adhuc, cui cærulea per cornua vitta.

Et Iuuenalis ad hoc alludens saty. 12. ad finem sic inquit,

Alter enim, si concedas mactare, vouebit
De grege seruorum magna & pulcherrima quæque
Corpora, vel pueris & frontibus ancillarum
Imponet vittas: & si qua est nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus.

In quo illud animaduertendum, vittas in sacrificiis non semper candidas fuisse: sed & aliquando cæruleas, vt patet ex illo Virgilij loco in funere Polydori, & illis duobus Valerij Flacci. nisi fortè cæruleæ essent in funeralibus, in aliis candidæ.

e *Ante aras nullo vinculo ligata.*] Vide supra ibi, Soluta omni vinculo.

f *Contrà verò apud Senones.*] Hos Sēnones, Cor. Tacit. lib. de Moribus Germanor. vocat, vbi ita scribit, Vetustissimos se oobilissimósque Sueuorum Semnones memorant, & paulò post, Est, ait, alia luco reuerentia. Nemo, nisi vinculo ligatus, ingreditur, vt minor & potestatem numinis præ se ferens. Si fortè prolapsus est, attolli & insurgere haud licitum. Per humum euoluuntur.

g *In Scythia quoque.*] Herodotus lib. 4. de Scythis loquens, Simulacra, inquit, & aras & delubra facienda non putant, præterquam Marti. Idem sacrificium prorsus apud omnia templa fieri, eodem modo est institutum, qui talis est, Victima ipsa primoribus implicita pedibus sistitur, cuius à tergo stans immolator, amota io primis infula, pecudem ferit, eáque concidente, Deum inuocat, cui illam mactat, deiode circundat laqueum collo, tum iniecto baculo circunducit hostiámque strangulat, noo incenso igni, nõ votis nuncupatis,

victima primis pedibus ligara, ad aram sistitur, cui laqueum in collo iniiciunt, ac baculo circunducto strangulant, sine precatione vxoris. [h] Quam quidem aquam de fonte Iuturnæ, qui circa Numicum labitur, quæque in omnibus sacris adhibetur in primis inspergebant: [i] eam verò aquam super terram posuisse, piaculum & triste omen erat. [k] Ideo vas lato ore, & fundo angusto, in quo hauriretur, ne stare posset, in sacris adhibebant, [l] cui cadum, [m] alij scyphum dixere nomen. Illúdque manibus tenere oportebat. Quod quidem flaminicæ virgines sacrorum ministræ, aut Vestalium famulæ, nonnunquam pueri flaminum ministri, [n] quos Camillos appellant, patrimi & matrimi omnes coronati tenebant manibus. [o] Ex hac aqua ægros curari, & bonæ valetudini restitui putabant. [p] Apud Athenienses verò aqua erat ex Callirhoe fonte, magnę religionis, in maximis sacris & sponsalibus cęremoniis, in quibus aliam adhibere nefas habebatur. Fertur in Delij Apollinis templo præcipua aqua fuisse sacrificantium vsui accommoda, quam ad alios vsus hausisse, magni criminis instar erat. [q] Græci in sacrificiis & expiationibus, Eleutheri aquam frequentes adhibent: [r] Trœzeni ex Hippocrene, [s] Persici reges ex Choaspide, quam peregre profecturi secũ ferũt. [t] Arabum reges ex Euleo, qui ortus à Medis, præcipuo

Aqua sacris adhibita apud diuersos.

Camilli.

ANNOTATIONES.

nuncupatis, non sumptis libamentis: sed vbi pecudem strãgulauit, eíque pellem detraxit, ad cocturam se conuertit.

h *Quam quidem aquam.*] Ad Romanos reuertitur. Id autem est Seruij lib 11. Æneid. eo loco,

— Stagnis qua fluminibusque sonoris
Præsidet.

Cuius verba afferemus infrà ibi, Ex hac aqua ægros curari. Idem autem Seruius enarrans hunc locum ipsius Virgilij lib. 7.

—— Hæc fontis stagna Numici.

Tradit, Vestæ libari non nisi de hoc Numici fluuio licuisse.

i *Eam verò aquam super terram posuisse.*] Lactantius interpres Statij lib. 8. Thebaidos in eum locum,

Sicut Achemenius solium gentésque paternas
Excipit. —

Futile, inquit, vas est quoddam lato ore, fundo angusto: quo vtebantur in sacris deæ Vestæ: quia aqua ad sacra Vestæ in terra non ponitur: quod si fiat, piaculum est.

k *Ideo vas.*] Donatus in And. Terent. act. 3. scen. 5. ibi,

Seruon' fortunas meas me commisisse futili?

Vas, inquit, quod futile dicitur, quod non deponunt ministri sacrorum, quod est acuto fundo & patulo ore, cóque instabile est. Citatque Virgilium, non designato tamen loco, sed est lib. 11. Æneid.

— Consiliis habitus non futilis author.

Quo in loco Seruius, Futilis, inquit, quoddam est vas lato ore, fundo angusto, quo vtebãtur in sacris Vestæ: quia aqua ad sacra hausta in terra (vt suprà diximus) nõ ponitur: quod si fiat piaculum est. vnde & excogitatum vas est, quod stare non posset, sed positum statim effunderetur. Sed & ipse Donatus, vt ad eum redeamus, idem prope scribit in Phormionem ipsius Terentij act. 5. sceo. 1. ibi,

—— Ne vos forte imprudentes foris
Effutiretis. ——

Translatio à vase, futili nomine, quod patulo ore, fundo acuto, instabile, nihil prorsus retinet.

l *Cui cadum.*] Cadus enim est forma turbinata: scilicet instar turbinis, qui huiusmodi est, vt in imo sit acutus, in summo latus, vt describere videtur Ouidius libro 1. Memorph.

----Caua buccina sumitur illi
Tortilis in latum, quæ turbine crescit ab imo.

Ex quo Plinius de aloë loquens lib. 27. c. 4. Ob id, ait, in turbinibus cadorum eam seruant.

m *Alij scyphum.*] Id genus esse vasis potorij omnibus manifestum est. Diximus suprà li. 3. c. 10. Scyphus, authore Macrobio lib. Saturn. 5. ca. 2. Herculis poculum est, ita vt liberi patris cantharus. Sed quòd hac forma fuerit in præsentiarum non memini me legisse.

n *Quos Camillos appellant.*] Plutarc. in Numa Pompilio. Macrob. lib. 3. Satur. c. 7. scribit, Romanos pueros puellásve nobiles, & inuestes, Camillos & Camillas appellasse, Flaminicarum & Flaminum præministros, Seruius in li. 11. Æneid. in eum locum,

Ipse pater famulam voueo.

Vbi de Camilla loquens: scribit, Ministros & ministras Impuberes Camillos & Camillas in sacris vocatos fuisse: vnde & Mercurius Hetrusca lingua Camillus dictus est, quasi minister deorum. Sed idem eod. lib. dicit simpliciter Camillum proprie appellari ingenuum puerum. Sed quod magis accedit ad priorem significationem, Festus Pompeius lib. 6. Flaminius, inquit, Camillus puer dicebatur ingenuus, patrimus & matrimus, qui Flamini Diali ad sacrificia præministrabat. Antiqui enim ministros Camillos dicebant. Subditque alios dicere, Omnes pueros ab antiquis Camillos appellatos, sicut habetur in antiquo carmine, cùm pater filio de agricultura præciperet:

Hyberno puluĕre, verno luto, grandia farra
Camille metes. —

Præterea vide Varronem lib. 3. aut, vt alij computant, lib. 6.

o *Ex hac aqua ægros curari.*] Seruius in 12. li. Æneidos, quo loco citauimus suprà ibi, Quam quidem aquam Iuturna (nam de hac loquitur Alexander, vt ex superioribus patet) fons est in Italia saluberrimus iuxta Numicum fluuium, cui nomen à iuuando inditum est. Cùm enim omnis aqua naturaliter noxia sit extraneorum corporibus, hic omnibus saluberrimus fons est. De hoc autem fonte Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueuerat. Id quod & suprà dictum est.

p *Apud Athenienses aqua erat ex Callirhoë.*] Hæc, iisdem fermè verbis, scribit Lilius Gyraldus Hist. deor. syntag. 17. vbi de Supplication. & lectisterniis.

q *Græci in sacrificiis.*] Pausanias li. 2. qui de Corinthiacis est, vbi de Clytęnestræ & Ægysti sepulchro loquitur. In itinere, inquit, aqua manat, quam Eleutherion, id est, liberam appellant, qua vtuntur ad piaculorum purgationes templi ministræ, quæque sacrificiis occultè adstant.

r *Trœzenii ex Hippocrene.*] Pausanias eo. lib. non multò ante fin. vbi scribit hac aqua lustratum purgatúmque fuisse Orestem.

s *Persici Reges.*] Herodo. lib. 1. Portatur, inquit, aqua ex flumine Choaspe, Susa præterfluente, quo vno ex omnibus fluminibus rex potat. Cuius Choaspis aquam decoctam, & in argentea vasa diffusam, ferentes permultæ carrucæ quatuor rotarum mulis trahentibus, assiduè comitantur, quocunque ille proficiscitur. Plin. lib. 6. cap. 27. & maximè huius rei meminit lib. 3. c. 3. Solin. c. 15. Vide omnino quæ scripsimus in nostris Commentariis Primigeniorum in præfatio. nu. 30. incip. apud eos autem. Ex quibus vides Coaspe, non Coaspide legendum.

t *Arabum Reges ex Euleo.*] Solin. c. 46. vbi de Arabia. Habitatur, ait, in colle manu facto inter flumen Tigrim & flumẽ Euleũ, quod ortum à Medis tam puro fluore inclytum est, vt inde omnes reges non aliàs, quàm eius aquas bibãt. Plin. c. 3. lib. 31. Parthorum Reges ex Coaspe & Euleo tantùm bibunt, & ea quamuis in longinqua comitantur illos. Et horum placere potum, non quia sint amœna apparet, quoniam nec è Tigri, nec Euphrates nec è multis aliis bibunt.

nitore fluit: [u] præ cęteris verò Ægyptij, tanti Nili aquam fecere, vt quum hydria ad templum humeris ferebatur, omnes procumberent, & sublatis manibus diis gratias agerent. [x] Ferúntque Babylonios reges ex Nilo & Istro aquas inter gazas condere assueuisse, velut hoc argumentum suæ magnitudinis ostenderent, quúm per tot spatia terrarum, totque inuias regiones aduectæ fuerint. Ipse verò sacerdos [y] lanea infula velatus, & fronde coronatus, [z] aram manibus tenens, [a] ad Orientem versus (quippe matutinum tempus sacrificiis idoneum æstimarunt, quum deos tunc assidere templis, & matutinis salutationibus adesse opinio foret, [b] Magorum & Persarum exemplo, quibus in more fuit, primo semper diluculo canere diis, hymnósq; & laudes dare, orientémque Solem venerari) meditato & solenni precationis carmine, [c] verbis priscis ex annalium vetustate erutis, numina & deos precatus, vota effundebat: [d] quam precationem plerunque ter geminabat. [e] Indi vero & gymnosophistæ in meridie, & vbi multum diei processerat, immolare diis vsurparunt. [f] Quod Mercurius in Asclepio existimauit, vt adorátes medio die conuertantur in austrum, occiduo in occasum: si verò primum oriatur Sol, in ortum. [g] Fuitque Apollonij Tyanæi opinio, summo diluculo cum diis versari: procedente mox die, de diis loqui oportere. [h] Moses autem & Hebræi occidentem spectari censuerunt. [i] Ea verò infula ex lana alba & cocco fuit, instar fasciæ, plerunque lata, nonnunquam tortilis & rotunda, ex qua vittæ hincinde defluebát. [k] Principiúmque precationis à Iano & Vesta, quæ in omnibus sacris præcipua numina sunt, quæque in votis nuncupandis præfationem perpetuam meruere, fieri oportebat: vt per eos ad reliquos deos aditus pateat, quibus thus & merum offerebat in primis. [l] In qua precatione obseruatur, vt Iupiter pater optimus maximus, Vulcanus, Apollo, Mercurius, omnes denique dij sacro carmine patres aduocentur. [m] Quod in omni sacro constitutum fuit, vt cuius Deo sacrificetur, necesse foret, post ipsum reliquos aduocari, vt hi volentes & propitij, votis & precationibus adsint: [n] Antoninus verò Imperator deum Heliogabalum, quem magni numinis loco habuit, in præfatione sacrorum reliquis diis præponi voluit: [o] & Domitianus Palladem velut genitricem, & se Palladis filium per sacrificulos in primis iussit aduocari. [p] In Pelopōneso autē Melissa nympha, quæ vsum mellis gentibus dedit, in omni præfatione sacrorum, principium precationis fecit. Quam quidem pre-

Sacerd. sacrificátis carimonia. Tempus sacrificiis idoneum. Magi & Persæ. Indi & Gymnosophistæ. Hebræi. Infula sacerdotis. Constitutum in omni sacro. Melissa nympha.

ANNOTATIONES.

u *Præ cæteris verò Ægyptij.*] Gyrald. iisdem verbis vbi suprà, sed nullo citato authore.

x *Ferúntque Babylonios Reges.*] Plutarchus, Dimonis authoritate, in vita Alexandri Magni. Superioribus autem adde sacerdotes in Ægypto non quauis aqua, nec alia quàm ex qua Ibidem bibisse credant. Norunt enim egregiè hanc autem nunquam gustare aquam sordidam, aut vllis infectam venenis, vt quam diuinationis non expertem, veluti autem sacram existimant.

y *Lanea infula velatus.*] De hoc suprà dictum est.

z *Aram manibus tenens.*] Virg. lib. 4. Æneid.

Talibus orantem dictis, arásque tenentem.
Audiit Omnipotens. ———

Et lib. 6.

Talibus orabat dictis arásque tenebat.

Vbi Seruius, Rogabant, inquit, deos ararum ansas tenentes. Et lib. 11.

Tango aras, medios ignes, & numina testor.

Quibus ex locis Macrobius lib. 3. Satur. c. 2. idem dicit quod hic Alexander.

a *Ad orientem versus.*] Virg. lib. 12. Æneid.

Illi ad surgentis conuersi lumina solis
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.

b *Magorum & Persarum exemplo.*] Herod. lib. 3.

c *Verbis priscis.*] Gyrald. Histor. deor. syntag. 17. vbi de supplicationibus & lectisterniis.

d *Quam precationem.*] Vide infrà ibi, Et Domitianus Palladem.

e *Indi verò & gymnosophistæ.*] Gyrald. vbi suprà.

f *Quod Mercurius in Asclepio.*] Id est in dialogo Hermetis Trimegisti, cui titulus est Asclepius, quem Latinum reddidit Apuleius, cuius paulò ante finem est hæc Alexandri nostri sententia.

g *Fuitque Apollonij Tyanæi.*] Apud Philostratum in vita ipsius, lib. 1. cap. 12. Cum sacerdotibus (inquit) habitabat & Oriente sole sacra quædam in occulto faciebat, quæ solùm illis quatuor communicabat, qui secum in silentio se exercuerant.

h *Moses autem & Hebræi.*] Gyrald. vbi suprà.

i *Ea verò infula.*] Ad Romanos redit. Gyraldus vbi suprà scribit, quòd vittæ, quæ hinc & inde diffluebant, Teniæ dicebantur.

4 *Principiúmque precationis.*] Cicer. d. lib. 2. de natura deor. & Zenon lib. 1. Rerum Italicarum, & eius authoritate Macrobius lib. 1. Saturn. c. 9. post princ. tradit Ianum primum diis templa fecisse, & ritus instituisse sacrorum: ideo eum in sacrificiis præfationem meruisse perpetuam. & Seruius in lib. 1. Æneid. eo loco.

Cana fides & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt. ———

Vesta, inquit, religionem significat: quia nullum sacrificium fit sine igne: vnde ipsa & Ianus omnibus sacrificiis inuocantur. Et de Iano Fab. Pictor. lib. 1. Vinum, inquit, & far primus illos docuit Ianus, ad sacrificia & religionem magis quàm ad esum & potum: primus enim aras & pomœria & sacra docuit, & ob id illi in omni sacrificio perpetua illi præfatio præmittitur, fárque illi ac vinum primò prælibatur. Vxor illi fuit Vesta, quæ prima sacrorum regina sempiternum sacrificiorum ignem virginibus credidit.

l *In qua precatione.*] Vide precationem qua Decius se pro salute populi Romani deuouit, apud Liuium Dec. 1. lib. 8.

m *Quod in omni sacro.*] Gyrald. vbi suprà.

n *Antoninus verò.*] Scilicet Varus, cognomento Heliogabalus ex Ælio Lampridio in vita illius, & Herodiano lib. 5. & Dione in Auito, qui & Pseudantoninus & Sardanapalus dicitur.

o *Et Domitianus Palladem.*] Philostratus in vita Apollonij lib. 7. c. 12. Cùm inquit, alius propterea se accusatum quereretur, quòd Tarenti, vbi dominabatur sacrificans publicis precibus non addiderat Domitianum Palladis filium esse. At enim (inquit) arbitrabaris fortasse Palladem non peperisse, cùm semper habita sit virgo. Ignorabas autem (vt opinor) deam ipsam draconem quandoque Atheniensibus peperisse. Et adstruunt Quintilianus lib. 5. c. 9. & Sueton. cap. 4. & Martialis in plutibus locis.

p *In Peloponneso autem Melissa nympha.*] Idem Lilius Gyraldus de diis Gentium syntag. 17. & Cælius Rhodiginus libro 18. cap. 27. Tu interim vide Lactantium libro 1. cap. 22.

q *Eundem*

cationem plerunque ter repetebant, sicut libationem. Diis deinde & votis rite nuncupatis,[q] eundem Ianum in fine precationis denuo aduocare necessum erat, vt is Deus precationis caput & finem faceret.[r] Sine precautione autē victimas cædere, aut deos ritè consoli, fas non putaront.[s] Itaque sua carmina suæq; precationes singulis diis institutæ sunt, quas plerūqoe, ne quid præposterè dicatur aliquis ex scripto præire, & ad verbom præferre solebat.[t] Fertur tamen Pyrrhus Epirota vbi immolabat, nullas effundere precationes solitus, nisi quod sanitatē & bene valere precabatur à diis.[v] Apud Indos hi qui Pedalij vocantur, inter vota precésq; solam iustitiā petere in vsu habent, quasi hoc munere deûm amplissimum esset mortalibus datum.[x] Socrates in Phædro, vt pulcher intus fiat, vtque bona animi & corporis bene haberent, & vt dentur optima, precari docuit.[y] Apollonius Tyaneus à diis poscebat, vt bonos cognosceret, malos vitaret. Interdum pauca habere, & nullius indigere, precario fuit: quā quidem precationem nunc sacra præcedere, nunc subsequi, plerumque finem claudere, nonnulli volunr.[z] Manibúsque precantem aram tenere oportebat: quia nisi teneretur ara, solas preces non litare perspectum est.[a] Pellex tamen, Numæ legibus aram tangere vetabatur, quàm si tetigisset, agnum solutis crinibus cædere cogebatur.[b] Precibúsque peractis, & ritè deprecato numine, qui rem diuinam faceret, se ad dexteram voluere, & circumvertere,[c] manuúmque priore digito in erectum pollicē residente, ori admouere, deinde sedere vetusto more debet, velut diis ratas preces habentibus.[d] Galli verò se ad læuam vertere religiosius putarunt.[e] Græci post effusas preces, manus osculantur.[f] Id quod Romani factitarunt, qui prætereuntes phanum aliquod, manum labris admouent, tāquam deos venerarentur & timerent, ratásque preces significarent.[g] Frugésque in caput victimæ, aut molam ex farre molito & sale,[h] deinde nouum vinum,[i] aut costum,[k] & mascula thura inter cornea fundebat, mactatam esse hostiam voce significans:[l] quod quidem ad victimarum probationem proficere credebāt, vt

Sua cuique deorum carmina & precationes.

Quid precandum à diis.

Precātes aram tenebant.

Precibus peractis.

ANNOTATIONES.

q *Eundem Ianum in fine.*] Macrob. lib. 1. Saturn. c. 9.

r *Sine precatione.*] Plin. li. 28. c. 2. Quippe, inquit, victimas cædi sine precatione nō videtur referre, nec deos rite consuli.

s *Itaque sua carmina.*] Gyraldus vbi suprà Liu. 1. Dec. lib. 8. vbi de Decij deuotione meminit. Plinius vbi suprà.

t *Fertur tamen Pyrrhus.*] Lucianus in lib. Pro eo quod inter saltandum lapsus fuerat.

u *Apud Indos ij, qui Pedalij vocantur.*] Stobæus serm. 9. ἐκ τ̃ Νικολάου ἐθῶν συναγωγῆς, In Pedaliis, Indica gente, non sacerdos: sed qui præsentium prudentissimus fuerit, sacris præficitur. Petit autem à diis nihil quàm iustitiam.

x *Socrates in Phædro.*] Scilicet Platonis in eo libr. cui Phædrus est titulus.

y *Apollonius Tyaneus.*] Apud Philostratum in vita illius, lib. 1. cap. 8.

z *Manibúsq; precantem aram tenere.*] Iam de hoc dictum est suprà non multò antè in verbo, Aram manibus tenens.

a *Pellex tamen Numæ legibus.*] Huius legis verba posuit Gel. lib. 4. c. 3. & Fest. Pompeius lib. 14. Hæc autem sunt. Pellex aram Iunonis non tangito: Si tangit, Iunoni, crinibus dimissis, agnum fœminam cædito. Quanquam apud Gellium non aram, sed ædem legitur.

b *Precibúsque peractis.*] Idem Gyral. de diis gentium syntag. 17. nullo quoque authore citato. sed id totum est Plinij lib. 28. cap. 2. Plutarchus autem in Numa dicit, ex ipsius Numæ legibus adorantium morem esse in orbem se vertere, deinde verò sedere.

c *Manuumque priore digito.*] Idem Gyraldus vbi suprà.

d *Galli verò.*] Plin. d. lib. 28. c. 2. In adorando (inquit) dexteram ad oculum referimus, totúmq; corpus circumagimus: quod in læuum fecisse, Galliæ religiosius credunt.

e *Græci.*] Honoris gratia id factitatum fuisse, quod ex Homero & aliis se obseruasse scribit idem Lilius Gyral: vbi suprà. quod etiam nunc est in frequenti non sacrorum modò, sed & profanorum etiam vsu.

f *Id quod Romani.* Apuleius in 1. Apologia. Si phanum, inquit, aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia, manum labris admouere.

g *Frugésque in caput victimæ.*] Virgil. lib. 12. Æneidos,

Illi ad surgentem conuersi lumina solem,
Dant fruges manibus salsas.

Vbi Seruius, Quibus rebus victimæ aspergebantur.

h *Deinde nouum vinum.*] Virg. lib. 4. Æneid.

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Et lib. 6.

Quatuor hîc primùm nigrantes terga iuuencos
Constituit, frontique inuergit vina sacerdos.

Et Ouidius lib. 7. Metam.

—— Dum vota sacerdos:
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum.

Et lib. Fastor. 1.

Rode Caper vitem: tamen hinc cùm stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Qui vltimi versus suprà sunt ex Furio Eueno, antiquo poëta,

κἄν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν ὅμως ἔτι καρποφορήσω
ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί τράγε θυομένω.

Et ad id alludens quisquis is fuit, qui distichon illud edidit apud Suetonium in Domitiano c. 14.

κἄν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν ὅμως ἔτι καρποφορήσω
ὅσσον ἐπισπεῖσαι καίσαει θυομένω.

In quibus pro trago, id est, capro, Cæsaris nomen substitutum est, veluti Domitianus taxaretur, tanquam morti destinatus, vt victima.

i *Aut costum.*] Costi vsum esse in sacrificiis & supplicationibus, testis est Plin. lib. 22. c. 24. ad fi. Thure, inquit, supplicamus & costo. Et Ouidius lib. 1. Fastorum, vbi loquitur de his, quæ adhibebantur in sacrificiis.

Thura nec Euphrates, nec miserat India costum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exigue laurus adusta foco.

Sed quod spargeretur inter cornua victimæ non memini me legisse.

k *Et mascula thura.*] Thura quoque sacrificiis adhibita, & præsertim mascula, omnibus in confesso est: & probat illud Virgilij eclo. 8. quæ Damon vel Pharmaceotria dicitur.

Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta,
Verbenásque adole pingues, & mascula thura.

Et Plinij lib. 12. c. 14. loquentis de thure, Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, masculum vocamus, cùm aliàs non ferè mas vocetur, vbi non sit fœmina. Religioni tributum ne sexus alter vsurparetur. Masculum aliqui putant à specie testium dictum. Hæc Plin. Neque etiam recordor alicubi legisse me ea fundi in cornua victimæ.

l *Quod quidem ad victimarum probationem.*] Seruius enarrans ea loca Virgilij suprà ibi, Deinde nouum vinum adducta ex libr. 4. Æneidos scribit, Non sacrificium est: sed

si non obstupuissent, sacrificio probarentur idoneæ.[m] Græci autem non fruges, sed hordeum sale conspersum, aris inspergebant [n] Ad Terei sepulchrum Megaris, dum sacrum fit, calculis pro hordeo vtuntur. [o] Dianæ verò Propyleæ mulieres Eleusynæ, nullam nisi ex hordeo ibi nato molam conficere possunt. [p] proditúmque memoriæ est, Iliacis temporibus, veteres non thure, nec costo, sed cedri & citri fumo deos adoleuisse, [q] atque Sabæos quum omnia odorum genera diis accumulent, de myrrha tamen nihil impartiri, quasi numinibus subiratos, quòd solam myrrham ex omnibus odoribus apud se gigni non siuissent. [r] Sine mola enim salsa nullum diis sacrificiū ratum fieri putabant, in ea efficaciorem vim placandis numinibus & commouendæ diuinitatis esse opinati. Vinum verò antequam funderet sacerdos, propinabat prius [s] simpulo aut simpuuio ligneo, vel fictili admodum paruo, quod in sacrificali apparatu erat cyatho haud dissimile: illúdque secūdum libationem astantibus circunferebat, vt pariter libarent. [t] Tum setas inter cornua victimæ manu excerptas, tanquam prima libamina, in ignem mittere, [u] obliquúmque cultrum à fronte ad caudam victimæ ducere, & se [x] ad Orientē vertere debebat, quod in sacrificio habebatur primum: [y] siquidē prima sacrificij pars erat, libare diis: secunda, immolare: tertia, reddere: quarta, litare: [z] facibúsq; adhibitis ex tedæ ligno, vt in quocunque sacro fieri mos erat, quas nisi mares ferre alius nemo poterat, & igne accenso super aras ([a] neque enim sine igne vllum sacrificium fieri licebat, [b] quum etiam sabbatis lucernas accendere diis prisco more seruatum sit) accinctos ministros, qui sacrificanti præsto adessent, victimam immolare iubebat, [c] qui

Nullum sacrum absque mola salsa.
Propinatio in sacris.
Cærimonia in victimis litandis.
Sacrificij partes quatuor.
Nullum sacrum absque igne.

ANNOTATIONES.

exploratio hostiæ, vtrum apta sit. & lib.6. Hæc, inquit, pertinent ad victimarum explorationem, vt si non stupuerint, aptæ probentur.

m *Græci autem non fruges, sed hordeum.*] Cælius Rhodiginus Antiq. lect. lib.12. c.1. scribit, Hordeum sale conspersum, ante sacrificium aris inspergi. Cúrque id fieret paulò pòst reddit rationem sed nullum citat authorem. Idem scribit Gyraldus Historiæ deor. syntag. 17. dicítque sine hordeo sale insperso & in primis aris infuso, saluis cæremoniis, nullum sacrum apud Græcos fieri.

n *Ad Terei sepulchrum.*] Pausanias lib.1. qui de Atticis est, non adeò longè à fi. Cælius Rhod. lib.18. c.23. ad fi. ex Pausania scribit, Constructum Tereo sepulchrum & sacra instituta anniuersaria, in quibus hordei loco, calculis vtuntur. Pausaniæ tamen interpretes pro hordeo scribunt Mola, & Farre.

o *Dianæ verò Propyleæ.*] Idem Pausanias eod. lib.1. sed alio in loco.

p *Proditúmque memoriæ est.*] Plin. lib.13. c.1. in prin. Vnguenta quis primus inuenerit non traditur. Iliacis temporibus non erant, nec thure supplicabatur: cedri tantùm & citri suorum fruticum in sacris fumo conuolutum nidorem verius quàm odorem nouerant, iam rosæ succo reperto. Vnde & Arnob. li.7. Neque, ait, temporibus (quemadmodum creditur) heroicis quidnam esset thus, scitum est, vt à priscis scriptoribus comprobatur, quorum in libris posita nulla eius mentio reperitur: neque genitrix & mater superstitionis Hetruria opinionem eius nouit, aut famam. Et, paucis interiectis, scribit, Neque Romulum, neque Numam ipsum thus in sacris nouisse. Posteà verò thure dij conciliari sunt. Vnde illud est Lucretij lib.2.

Thuricremas propter mactatus concidit aras.

Et illud Macrobij Satur. lib.1. c.7. Nunquam fas fuit Ægyptiis pecudibus aut sanguine: sed precibus & thure solo placare deos.

q *Atque Sabæos.*] Plinius lib. 12. cap. 15. de Sabæis loquens, Non dant, ait, ex Myrrha portiones Deo: quoniam & apud alios nascitur.

r *Sine mola enim salsa.* Plinius lib.3. c.7. Maximè tamen, inquit, in sacris intelligitur authoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa.

s *Simpulo aut simpuuio.*] Fest. Pomp. lib.17. non longè à fin. Simpulum vas paruum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur. Vnde & mulieres rebus diuinis deditæ, Simpulatrices dicuntur. Varro autem lib.4. ling. Lat. A sumendo, ait, simplum nominauere. Nonius Marcellus de generibus vasorum scribit simpuuium dici vas ligneum & vile poculum. Basilius lib. de Vasculis inter cætera contendit legendum simpullum, ea forma qua ampullam dicimus: sed nullum est eius rei vetus testimonium. Nam vbiq; apud authores legitur vel simpulum cum simplici l. vel simpuuium. De simpuuio Iuuenal. sat.6.

——— Aut quis
Simpuuium ridere Numæ, nigrúmque catinum,
Aut Vaticano fragiles de monte patellas
Ausus erat. ———

Vide omnino Erasmum Chilia.2. cent. 2. cap.73. & quæ dicam infrà.

t *Tum setas.*] Virgil. lib.6. Æneid.

Et summas carpens media inter cornua setas.
Ignibus imponit sacris libamina prima.

Quod sumptum videtur ex Homero lib.14. Odyss.

ἀλλ' ὅγ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν
ἀργιόδοντος ὑός.

u *Obliquúmque cultrum à fronte ad caudam.*] Virgil. libro 12. Æneid.

Dant fruges manibus salsas & tempora ferro,
Summa notant pecudum, paterísque altaria libant.

Vbi Seruius, Quibus rebus, inquit, cultri aspergebantur & victimæ. Erant autem probationes vtrum esset animal aptum sacrificio: obliquum etiam cultrum à fronte vsque ad caudam ante immolationem ducere consueuerant. & Luc. lib.1.

——Obliquóque molas inducere cultro.

x *Se ad Orientem vertere.*] De hoc dictum est suprà.

y *Siquidem prima sacrificij pars.*] Totum id vsque ad clausulam, Facibúsque. est Lactantij Grammatici interpretis Statij in lib 4. Thebaidos, ibi,

——Tunc innuba Mantho
Exceptum pateris prælibat sanguinem.

z *Facibúsque adhibitis ex teda ligno.*] Gyraldus Historiæ deor. syntag. 17.

a *Neque enim sine igne.*] Hæc parenthesis est Seruij in lib.5. Æneid. ibi,

Cana fides & Vesta.

Vide suprà ibi, Principium precationis.

b *Quum etiam sabbatis.*] Probus, seu Cornelius, seu quisquis ille fuit, qui Persium est interpretatus in eum Persij locum saty.5. ad fin.

——At cum
Herodis venere dies, vnctáque fenestra
Deposita pinguem nebulam vomuere lucerna.

Obseruant, inquit, Iudæi & Sabbatum, quo die lucernas accensas & violis coronatas in fenestris ponunt. Dionys. Hali. lib.7. & 11. Meminit accensionum luminum. Item Herodot. lib.2. & 7.

c *Qui victimarij.*] Apud Liuium, vbi de duabus arcis lapideis in agro L. Petilij scribæ repertis, scribit, Libri, ait, in comitio,

victimarij [d] seu cultrarij, [e] nonnullis popæ & [f] agones dicti sunt: qui illam supra verticem, plerumque infra inguinum feriebant. [g] Indi vero victimam non iugulare, sed præcluso spiritu necare assuerant, ne quid deperiret, néve quid mancum deo offerretur. [h] Græcis autem moris erat, si cælestibus diis victimam facerent, sic hostiæ caput statuere, vt cælum spectaret: si verò inferis, vt terrā despiceret. Quibus quidem ministris, [i] nisi iussi essent, mactare non licebat. [k] Ideo succincti nutum imperiúmque expectantes, [l] Agon dicebant. Interim cæsa victima, [m] alij vasa vt cruorem exciperent, cadenti hostiæ supponebant, [n] alij decoriabant. Mox aruspex, flamen, aut sacerdos [o] cultro ferreo viscera & iecinora rimabatur, in illisque deos consulebat, & an perlitatum foret, explorabat attente. [p] Apud Galatas verò non aruspex, sed philosophus aderat, sine quo sacrum diis nullum exhiberi poterat. [q] Is autem culter ferreus erat & oblongus, manubrio eburno, clauis æneis, ære Cyprio, & capulo argenteo ornatus: [r] namque manu viscera tangere non decebat, neque offensa, pollutis sacris, contraheretur. Apud Delphos fuit vsurpatum, vt cultro quo diis immolabant, de nocentibus supplicium sumerent. [s] Persæ & Cappadoces non gladio, sed stipite mactabant hostias. [t] Romani etiam malleo, [u] apud Homerum querno trunco. [x] Quibus inspectis, ex omni viscere & membro primitias, partéque delectas farina farris inuoluere, & in calathis sacrificanti offerre debebat. Tunc hostia perfecta dicebatur, quas sacerdos aris imponens, foculo accenso comburebat. [y] Hoc enim in omni sacrificio seruatum est, vt de singulis

Victimarij. Cultrarij. Popa. Agones. Indi non iugulabant victimam. Græci. Culter sacrificij. Delphi. Cappadoces. Romani. Seruatū in omni sacrificio.

ANNOTATIONES.

cuniculis, igne à victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt. & 5. Decad. lib. 1. Val. Max. lib. 1. c. 1. vbi de P. Cornelio loquitur. Plin. lib. 7. c. 12. Callistratum Iurisconsultum in l. vlt. ff. de iur. immunit. Lampridium in Commodo.

d *Seu cultrarij.*] Apud Sueton. in Caligula, c. 32. cuius verba adferam infrà in sequentibus.

e *A nonnullis popæ.*] Propertius lib. 4. eleg. 3.

Illa dies hornus cædem denunciat agnus

Succinctique calent ad noua lucra popæ.

Persius saty. 6.

—— Mihi trama figuræ

Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?

Nam ibi ventrem, popam appellat, veluti gulosum, cuiusmodi solebant esse hi popæ victimarij. Sueton. in Caligula d. c. 32. Admota, inquit, altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato altè malleo, cultrariū mactauit. Sic enim men periculo, & ita mauult Beroaldus, legendū, non pomparum. Ælius Spartianus in Geta, Cùm infantis Getæ natalem Seuerus commendare vellet, hostiam popa, nomine Antonias, percussit.

f *Agones dicti sunt.*] Lactantius, interpres Statij in 4. libr. Thebaidos in eum locum,

—— Et frugum libamine puro

In vulnus cecidere greges.

Sacerdotum, inquit, consuetudo talis est, vt aut ipsi percutiant victimas. & Agones appellantur: aut sic tenentes cultrum alter impingat: & inde dicuntur, Victimarij.

g *Indi verò.*] Strabo lib. 15. vbi Indorum cultus & mores scribit.

h *Græcis autem.*] Apollonij interpres in 1. Argonauticōn.

i *Nisi iussi essent.*] Ouid. lib. 1. Fastorum,

Nominis esse potest succinctus causa minister,

Hostia cælitibus quo feriente cadit.

Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,

Semper agatne, rogat, nec nisi iussus agit.

Et nonnihil attigit Asinius Pollio apud Senecam Controuersiarum libr. 1. Suasoria 12. Cùm, inquit, filius ceruicem porrigat, carnifex manū tollat, deinde respiciat ad patrem & dicat, Agon? quod fieri solet in victimis.

k *Ideo succincti.*] Id iam est ex eo loco Ouidij in præcedenti citato, atque ex illis locis Propertij & Suetonij suprà quoque citatis ibi, A nonnullis popæ. Quibus adde Lucanum lib. 1.

Cornua succincti premerent cum torua ministri.

l *Agon dicebant.*] Ita legendum, Agon id est, agóne ex illo eodem loco Ouidij.

m *Alij vasa, vt cruorem exciperent.*] Virgil. lib. 6. Æneid. iis, quæ ex eo adduximus suprà in verbo, Tum setas vno tantùm interposito versu subdit.

Supponunt alij cultros, tepidúmque cruorem

Suscipiunt pateris. ——

Vbi Seruius, Victimas, inquit, cedunt. Est autem sacrorum in quibus mali ominis verba vitamus.

n *Alij decoriabant.*] Nescio vnde id sumpserit, nec id verbum satis Latinum mihi videtur, pro eo quod est pellem detrahere. Sueton. in Tiberio, c. 32. in f. deglubere dicit.

o *Cultro ferreo.*] Ferreum enim ostendit illud Virgilij libr. 12. Æneidos, suprà à nobis citatum.

—— Et tempora ferro

Summa notant pecudum.

p *Apud Galatas.*] Diodorus Sic. lib. 6. c. 9. vbi rationem reddit, quòd existimabant per diuinæ naturæ conscios sacra fieri oportere, tanquam diis propinquiores. Horum intercessione bona ab iis censent petenda.

q *Is autem culter ferreus.*] Iam de hoc diximus suprà ibi, Cultro ferreo. Sed & quod ad totum hunc versic. pertinet vsque ad versic. Namque manu. Fest. Pompeius lib. 17. Secespitam dicit vocari cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo rotundo, solido, iuncto ad capulum auro argentóque, fixo clauis æneis, ære Cyprio, quo flamines, flaminicæ, virgines, Pontificésque ad sacrificia vtebantur. Dicta autem est secespita à secando. Hæc ille. Quæ omnia Alexander huc transtulit, præter appellationem secespitæ. Qua & in hac significatione vsus est quoque Sueton. in Tiberio, cap. 25. Nam & inter pōtifices sacrificāti simul, pro secespita plumbeum que cultrum subiiciendum curauit. Alibi autem idem Festus eodem lib. 17. Secespitam, ait, alij securim, alij dolabram æneam, alij cultellum putant.

r *Namque manu viscera tangere.*] Huic rei contrarium est, quod ait Plutarchus in Arato, in hunc modum, eò cùm ascendisset, sacrisque esset operatus, ab aruspice ad se allata exta vtraque manu excipiens Arato & Demetrio Phario monstrauit.

s *Persæ & Cappadoces.*] Strabo lib. 15. paulò ante fi. de vtrisque meminit, cùm scribit, In Cappadocia, vbi maxima est magorum multitudo, qui Pirethi vocantur, & multa Persicorum deorum templa, non cultro, sed stipite quodam mactant, tanquam malleo verberantes.

t *Romani etiam malleo.*] Suetonius in Caligula, c. 32. Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato altè malleo cultrarium mactauit.

u *Apud Homerum.*] Lib. 14. Odysseæ, vbi loquitur de sacrificio,

κόψε δ' ἀνασχόμενος σχίζῃ δρυός.

x *Quibus inspectis.*] Vide Gyraldum de diis Gentium syntag. 16.

y *Hoc enim sacrificio.*] Contrarium innuere videtur Virgil. lib. 6. Æneidos,

Et solida imponit taurorum viscera flammis

Quo loco Seruius, Solida ergo, ait, id est, holocausta, quod detractis extis, aræ superimponebantur: quæ nunquam abluta, elixa etiam reddebantur: vnde infert,

*Ægyptij. Græci. Ignis sacrificiorū ex quo structus. Capnomantes. Persæ. * Eroe. Siculi. Egnatia nympha. Magi. Eretrienses. Scythæ. Lusitani. Iosides.*

oblatis, aut deo immolatis, particulas tanquā libamina, vt holocaustum fiat, in ignem mitterēt[z]. Ægyptij sacerdotes, immolata victima, caput abscindunt, illúdque diris carminibus execrati, in flumē deiiciunt: cū precatione solenni, vt si quid aduersi casurū foret, in caput illud redundaret. [a]Apud Græcos ex cæsa victima, nonnunquam capite & ventre excepto, cætera dabantur diis, linguæ verò præconibus. Hunc verò ignem ex olea, lauro, vel quercu crassioris corticis, aut cuius caudex cauus fungosúsque foret, accendere, vel numinibus adolere nefas erat. Hæc enim ligna tanquam dira malique ominis, detestati sunt, quem ignem subdita face accendebant, [b] eúmque partim ex fumo, quas vertigines faceret, quantúmque se attolleret, [c] partim ex flamma, si lucidior, aut obtusior, & qua specie foret, multi obseruarunt, [d]qui capnomantes dicti. [e] Si autem mortuo carbone sacrificetur, signum neglectæ religionis fore & perniciosum, nemo dubitauit. [f] Persis ligna arida, dempto cortice sacrificio apponere, desuperque oleum fundere, & aruinam pinguem, ignemque appositū, non flatu, sed ventulo excitare in vsu fuit. [g] Solíque, velut deôrum maximo, quum virgultorum fasces apponunt, & incēdium suscitant, his verbis proloqui, * Ede ignis domine. [h] Apud Siculos in colle Vulcanio, iuxta Petrensium stagnum, dum sacrum fit, sarmentorum fasces super aras sua sponte ignem concipere, & nullo flante halitu incendium fieri fabulantur: [i] Sicut de Seleuco traditur, qui cum Ioui in Pella victimam faceret ligna æris imposita vltro arserunt. [k]Et de Egnatia nympha in Appulis, in cuius ara lignis extructis ignem sua sponte excitari opinio erat. [l] Tradunt Magos apud Persas, dum sacrū fit, carnes super myrto & lauro appositas subtilibus virgis adurere. Atque Eretrienses mulieres in Cerealibus obseruare, vt cæsa victima, carnibus non igne coctis, sed sole torridis vescantur. [m] Et apud Scythas sacrum fieri Marti, vbi victimarum carnes ipsarum ossibus aduruntur. [n] Lusitani vero ignitis lapidibus sacrificales carnes coquunt. [o] Iosides, licet ex omni ligno incendant aras, spinas tamen asparagi aut stramina in sacrificiis cremare, nefas habent, [p] Mox farra visceribus spargens, probata libatáque [q] exta lancibus imposita, aræ superponebat: [r] visceráque, detractis extis, flammis & foculo, mittebat desuper thus & costum. Ea quidem viscera licet nunquam abluta elixa per se fiebant: [s] vinúmque aris postea fundebat, [t]& tunc

ANNOTATIONES.

— *Fundens ardentibus extis.*

Iosephus lib.3. Antiquitatum c.13. in prin. Quando, ait totum quod immolatur, incenditur: id sacrificium holocausti siue, vt alij vertunt, nomen holocaustomatis habet: id est, totum incensum. Isidorus dicit holocaustū esse sacrificium, quod totum igne consumitur dum offertur. Et id quidem, vt hoc illis addas, nomen ipsum holocausti satis ostendit, quod ita dicitur veluti, ὅλον καυτόν. id est. totum ambustum. siue incensum, siue totum igne absumptum.

z *Ægyptij sacerdotes.*] Herodot. lib.2. vbi tamen paulò aliter refert. Sic enim scribit, Pecude, quæ obsignata est, ad aram, vbi immolatur, adducta, pyram incendunt: deinde supra pecudem libato contra templum vino ac deo inuocato eam mactant: mactatæ caput asportant in forum: si nundinæ sint, & eis Græci negotiatores adfuerint, illis vendunt: qui si non adfuerint, in flumen abiiciunt.

a *Apud Græcos.*] Gyral. de diis Gent. syntag. 17.

b *Eúmque partim ex fumo.*] Ex quo illud Statij lib. 4. Thebaidos.

Thurea nec supra volitante altaria fumo.

c *Partim ex flamma.*] Gyraldus vbi suprà.

d *Qui capnomantes dicti.*] Ea vox significat tanquam si dicas fumidiuinos, siue fumiuates à καπνὸς, id est fumus, & μάντις, vel μάντεις. id est vates, qui scilicet ex fumi disiectione super aras, futura captabant, res omnino superstitiosa & à dæmonibus inuenta.

e *Si autem mortuo carbone.*] Idem Gyraldus vbi suprà.

f *Persis ligna arida.*] Idem Gyraldus ibi, nullo etiam authore citato: sed id est Strabonis lib. 15. paulò antè fi. vbi, de Persarum sacrificiis scribit, sic ait, Præcipuè igni & aquæ sacrificant, igni arida ligna imponentes, adempto cortice, & aruina superiniecta: deinde infuso oleo, succendunt, non inspirantes sed ventilantes.

g *Solíque velut deôrum Max.*] Herodot. lib. 1. Soli lunæque sacrificant & telluri, igni, aquæ atque ventis. Iustinus lib. 1. Nam & Solem vnum Deum Persæ esse credunt, & equos eidem Deo sacratos ferunt.

h *Apud Siculos.*] Gyral. vbi suprà.

i *Sicut de Seleuco traditur.*] Hæc ad verbum desumpta sunt ex Pausania lib. 1. qui de Atticis inscribitur.

k *Et de Egnatia nympha.*] Plinius lib. 2. c. 107. In Salentino oppido Egnatia, imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum, protinus flammam existere,

l *Tradunt Magos.*] Strabo lib. 15. non longè à fi. Posteà carnibus super myrto lauróve impositis, eas Magi subtilibus virgis comburunt, Simile quiddam canit Horatius saty. 5. lib. 1. Sermonum, esse apud Egnatiam vrbem locum, in quo aiunt absque igne in sacrificio thura liquescere,

— *Dehinc Egnatia, lymphis*
Iratis, extructa dedit risúsque iocósque:
Dum flamma sine thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit.

Solinus c. 11.

m *Apud Scythas.*] Idem Gyraldus vbi suprà, nullo quoque teste citato, verùm id est ex Herodoto lib. 4.

n *Lusitani verò.*] Et id quoque Gyrald. ibi. Sed Strabo lib. 3. scribit eos ad calefaciendum vti ignitis lapidibus & frigida lauari. & nihil præterea.

o *Iosides.*] Idē Gyral. ibi, nec authore quoq; laudato. Id verò est ex Plutarcho in Theseo, vbi tamē eos Ioxides appellat.

p *Mox farra.*] Apud antiquos post glandes & arbuta vsus farri in honore fuit, in tantum, vt sacrificium non fieret sine sale & farre. Festus Pompeius lib. 9. Immolare est mola, id farre molito, & sale hostiam perspersam sacrare. Idem lib. 11. in dictione, Mola.

q *Exta lancibus imposita.*] Hinc est quod Virgilius libr. 8. Æneid, sic scribit.

Dona ferunt, cumulántque oneratis lancibus aras.

Vbi vide interpretes.

r *Visceráque detractis extis.*] Seruius in lib. 6. Æneidos, cuius verba adduximus ibi, Hoc enim sacrificio.

s *Vinúmque aris.*] Herodot. lib. 2.

t *Et tunc porrici hostia dicebatur.*] Plautus in Pseudolo act. 1. sce. 3.

— *Nam si sacrificem summo Ioui,*
Atque in manibus exta teneam, vt porriciam: interea loci
Si lucri quid detur, potius rem diuinam deseram.

Virgilius lib. 5. Æneidos.

Dij quibus imperium est pelagi, quorum æquora curro:
Vobis lætus ego hoc, candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus extáque salsos.
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Vbi

porrici hostia dicebatur.[u] Persæ vero ex immolata victima nihil diis adolent, sola anima deos contentos esse rati.[x] Lusitani quoque ex hostia immolata nihil concidunt, sed exta perspiciunt, & diuinant.[y] Thisetæ in Asia & Argini, ossa victimæ tantum in ignem mittunt, & deflagrant: ipsi autem vescuntur carnibus.[z] Apud Ægyptios inualuit mos, vt immolata victima, dum sacrificium ardet, omnes se diuerberent, & flagris afficiant.[a] Quare verbum Xenophanis physici proditur non inuenustum, qui cum Ægyptios sese conuerberantes, & lugentes in sacris vidisset, admonuit, vt si deos esse crederent, quibus sacra ministrabant, ne lugerent: si verò homines, ne sacrificarent.[b] Quod ferè à Lacedæmoniis vsurpatum fuit, vt in adolescentes ephebos circa aras flagris desæuiant.[c] Ex reliquis verò hostiæ membris cœnam apparabant, quibus qui sacris interfuere, vesci licebat.[d] Græci verò satis habent femora hostiæ in duo frustra concisa igni subiicere, vt ex his holocaustum fieret, visceribúsque super prunas assis, pro ientaculo, mox carnibus veru decoctis, discumbentes vesci. Quibus ex legis præscripto portiunculam ad domesticos afferre, & amicis partes victimarum impartire licebat: extraneos autem ad sacra adhibere, fas non erat. Apud Lacædemonios autem in publica visceratione primi reges erant, quibus duplum quàm cæteris dabatur, priuilegióque honoris, præter libamina, immolatorum quoque animalium coria debebantur,[e] hordeaceásque pultes, libáque & farra, ac fructuum pri-

Porricere hostiam. Persæ. Lusitani. Thisetæ & Argini Ægyptij. Xenophanis dictũ Adolescentes in sacris Lacedæmoniorum flagellati. Græci. Lacedæmonij.

ANNOTATIONES.

Vbi Seruius, Exta porriciuntur, id est, porriguntur: nisi fortè dicamus, & fluctibus maris offerri: quod si est, proiiciam, id est, porrò iaciam legendum est. Quod an rectè dixerit intelliges ex his, quæ posteà dicentur. Sed vt redeam. idem Virgil. eod. lib. 5.

Ipse caput tonsæ foliis euinctus oliuæ,
Stans procul in prora pateram tenet, extáque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Quo in loco Seruius nihil dicit. Macrobius autem illum priorem locum interpretans lib. 3. Satur. c. 2. Ex disciplina ait, aruspicum & ex præcepto pontificum, verbum hoc (scilicet, porriciam) solenne sacrificantibus est: sicut Veranius ex 1. libr. Pictoris ita dissertationem huius verbi executus est: Exta porriciunto, diis dato in altaria, arámve, focúmve, eove quo exta dari debebunt. Porricere ergo, non proiicere, proprium sacrificij verbum est. Sed his adde Liuium 3. Decad. lib. 9 Secundum eas preces cruda exta cæsa victima (vti mos est) in mare porricit, tubaque signum dedit proficiscendi.

u *Persæ verò ex immolata victima.*] Strabo lib. 15. non longè à fin. Cùm vero Magus, qui sacrificio præest, membratim carnes in quemque diuiserit, abeunt, nulla parte diis relicta. Dicunt enim deum nihil velle, præter hostiæ animam.

x *Lusitani.*] Idem Gyraldus, sine authore, vbi suprà: at id est ex Strabone li. 3. Lusitani sacrificiis dediti, exta perspiciũt, nihilque concidunt. Inspectant autem ex lateribus fibras & contrectantes ventura coniectant.

y *Thisetæ in Asia & Argini.*] Idem quoque Gyraldus ibi.

z *Apud Ægyptios.*] Herodotus lib. 2. Dum sacrificium, inquit, ardet, omnes verberantur.

a *Quare verbum Xenophanis.*] Idem Cælius Rhodiginus Antiq. lectio. lib. 13. c. 23. nullo authore citato.

b *Quod ferè à Lacedæmoniis.*] Cicero libr. 2. Tuscul. quæst. cuius verba alibi retulimus.

c *Ex reliquis verò hostiæ membris.*] Ad Ægyptios redit, de quibus & id dicit Herodotus vbi suprà.

d *Græci verè satis habent.*] Pausanias libr. 1. de statua Phrixi, arietem, à quo est in Colchos delatus, immolantis, loquens. Succisa Phrixus Græco ritu femora dum torrentur, intuetur.

e *Hordeaceásque pultes.*] Ad Romanos reuertitur. Nam & hæc de Romanis loquens Dionysius Halicarnasseus lib. 2. Vidi ego quidem in sacris Laribus cœnas diis appositas in mensis ligneis in vetustis canistris & fictilibus hordeaceas pultes & liba & farra & fructuum quorundam primitias. Et paulò post, Vidi etiam libamina infusa non in argenteis aut aureis vasis, sed in testaceis calicibus & vsceis. Sed & quod ad totam clausulam vsque ad illam, Hostiáque immolata pertinet, Plinius lib. 35. c. 12. non continenter, sed sparsim, & quibusdã aliis interpositis, hæc scribit, Fictilem fuisse Iouis Capitolini effigiem. Hæ enim tum effigies deûm erant laudatissimæ. Nec pœnitet nos illorum, qui tales coluêre. Aurum enim & argentum ne diis quidem conficiebant. Durant etiam nunc plerisque in locis talia simulacra. In sacris quidem etiam inter has opes non murrhinis crystallinísque, sed fictilibus prolibatur simpuuiis. Seneca ad Lucilium epist. 3. Exurge quoque, & te dignum finge Deo: Finges autem non auro, non argento, non potest enim hac materia Dei imago exprimi. Sed & epistol. 95. quæ est vlt. lib. 15. ad fin. ad hæc alludens, Tuberonis, inquit, ligneos lectulos cùm in publicum sternerentur, hœdinásque pro stragulis pelles, & ante ipsius Iouis cellam proposita conuiuiia vasa fictilia. Et lib. 16. epist. eiusd. 3. de eodem Tuberone loquens, Tubero paupertatem & se dignam & capitolio iudicauit, cùm fictilibus in publica cœna vsus, ostendit debere his hominem esse contentum, quibus dij etiamnum vterentur. Quæ duo postrema loca alibi ad aliud citauimus. Idem quoque in lib. de Consolatione ad Albinam, Itaque tunc per fictiles deos religiosè iurabatur. Apuleius Apologia 1. Eadem paupertas etiam populo Roman. imperium fundauit, próque eo in hodiernum diis immortalibus simpulo & catino fictili sacrificat. Ante eos Cicero libr. 6 de Republica apud Nonium Marcellum. Oratio extat Lælij, quam omnes habemus in manibus, quàm simpuuia pontificum diis immortalibus grata sint, Samiæque capedines. Et in paradoxo, id est ad Brutum, Quid Numa Pompilius? Minúsne gratas diis immortalibus capedines & fictiles vrnulas fuisse, quàm delicatas pateras arbitramur? Liuius 4. Dec. lib. 4. in oratione Catonis Censorij, Infesta, mihi credite, signa ab Syracusanis illata sunt huic vrbi, iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, & antè fixa fictilia deorum Romanorum ridenteis. Ego hos malo propitios, & ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur. Sed & ante hos quoque Plautus in Captiuis act. 2. sce. 2.

Genio vbi suo quando sacrificat,
Ad rem diuinam quibus est opus, Samiis vtitur vasis.

Nam, vt id intelligas, quod pertinet ad illas Samias capedines Ciceronis, Ex Samio vasa fictilia erant, vel teste Ausonio in illo Agathoclis epigrammate.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Sed vt redeamus, non solus poëta Plautus huc allusit, sed & Propertius lib. 4. eleg. 1.

Fictilibus creuere deis hæc aurea templa,
Non fuit opprobrio facta sine arte casa.

Iuuen. satyr. 11.

Ponebant igitur Tusco farrata catino
Omnia tunc, quibus inuideas, liuidulus sis.
Templorum quoque maiestas præsentior.

Et paulò post.

Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, & nullo violatus Iuppiter auro.

Nam

mitias non auro vel argento,[e] sed fictili vrna & catino,aut simpulo,vel ligneo scypho,qui ne casie absumeretur,pice oblitus erat,aut gutto fagino,sicut Marius Curius, diis prolibare soliti sunt, vetustissimam religionem qua in deorum sacrificiis fictilibus vtebantur, designantes, qui pietate, religione, & iustis precibus, non censu, deos placari putabant. Quippe tunc maxime dij propitij esse crediti sunt,cum fictiles erant. Hostiáque immolata,& mysteriis peractis, qui sacris intererant,[f] visco & farre apposito,[g] cum rotundis paniceis,quas in honore deorum adhibebant, stantes vescebantur.[h] Siquidem in ædibus deorum & epulari simul, & sacrum fieri seruatum est: [i] nam mensæ in sacris ædibus,ararum vicem præbebant Quibus quidem extis & carnibus sacrificalibus, nisi ritè sacrificio perfecto,vesci non licebat [k] Delphis vero assuetum est,vt immolantes victimam,exclusis cæteris vescantur:ad quam extraneos admittere,nefas erat Contrà in sacris Hecatæ:in quibus qui sacrum fecit, de sacrificio vesci non permittitur. [l] Quæ quidem exta veru assa apponebantur semper, cum heroicis temporibus non vescerentur elixis. [m] Aristis tamen non veru cocta,sed elixa in olla apponuntur:aliter ritu præpostero sacrum fieret.[n] interque vescendū laudes diis canere assuerant his,quibus sacrum fieret: [o] pedibúsque circum aras psallere ad numerum, carmináque & hymnos canere, ac cymbala pulsantes, choros agitare.[p] Fuitque obseruatum, vt sacrificantes aras circumcurrerent, cursum auspicatià læua dextrorsum quod religiosius putarunt,mox à dextra læuorsum. Cúmque hymnorū plures species forent,quibus psallebāt diis,hi tamen fuere in vsu frequētes:[q] Hypingos Dianæ,[r] Appollini

Mensa pro ara. Delphi. Hecatæ sacra. Laudes deorum inter vescendum. Hymnorū genera.

ANNOTATIONES.

Nam & Tuscum catinum appellat, quòd ex Tuscia quoque hæc vasa fictilia processerant, vt videre licet ex Plinio d.lib.35.c.12.Ex quo etiam Persius satyr. 2. inuehens in luxum suorum temporum, quòd remoto à templis ære & fictilibus,aurum in vsum diuini cultus vsurpauerant,

Aurum vasa Numa,Saturniáque impulit æra,
Vestalésque vrnas,& Tuscum fictile mutat.

Vnde est illud Martialis lib.14 epig.95.

Aretina nimis ne spernas vasa monemus,
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Eodem respexisse & Q. Septimium Tertullianum in Apologetico aduersus Gentes putarim, c.25. quando sic dicit, Nam etsi à Numa concepta est curiositas superstitiosa:nondum tamen aut simulacris,aut templis res diuina apud Romanos constabat,frugi religio, & pauperes ritus, & nulla capitolia certantia cœlo:sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & nidor ex illis. De aureis, argenteis & fictilibus vasis plura videre licet apud Athenæum libr.6.c, 2.& 3.Quod autem in hac clausula dicitur de M. Curio, est Val.Maximi lib.4. c. 3. hic legendum esse Marcus Curius, non Marius:sed hoc Librarij mendum est.

f *Visco & farre.*] Hoc vtique sumptum est è Suetonio in Vitellio, c.13. cuius hæc verba sunt, Vt autem homo non profundæ modò,sed intempestiuæ quoque, ac sordidæ gulæ,ne in sacrificio quidem vnquam, aut itinere vllo temperauit, quin inter altaria ibidem statim viscus,& farra penè rapta è foco manderet, circáque popinas fumantia obsonia, vel pridiana eaque semesa. Sed hic fœdè lapsus est Alexander cùm visco dicit:nam viscere dicere debuit. Hoc enim interest inter viscus, quod facit in genitiuo visci, & viscus quod visceris: illud enim est masculini generis, & glutinum significat,nec esui est.Hoc autem neutrius,significárque quicquid inter ossa & cutem est.vnde visceratio dicitur conuiuium,quod fit de carne.Ita enim scribit Seruius enarrans eum locum lib.6.Æneid.

Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Ex quo etiam loco intelligis & viscera ad sacrificia pertinere,de quibus,ibi Virgilius loquitur.

g *Cum rotundis paniceis.*] Quid panicei sint,ignoro:nec me quicquam de his legisse recordor:nisi loquatur de panico, de quo ita scribit Plinius lib.18.cap.7. Et Cæsar lib.2. belli Gallici. vbi Massilienses graui pestilentia, ex diutina conclusione & mutatione victus, conflictatos, panico vetere atque hordeo corrupto,quod de huiusmodi casus antiquitus paratum in publicum contulerant, alios, seu nutritos fuisse scribit.Verùm de hac re lector iudicet,

h *Siquidem in ædibus.*] Hæc secum dissidere videntur. Nam primùm dicit,epulari simul & sacrum fieri licuisse: deinde extis,nisi rite sacrificio peracto,vesci non licuisse.

i *Nam mensæ in sacris.*] Suetonius in Claudio cap. 33. Cognoscens quōdam in Augusti foro,victúsque nidore prandij quod in maxima Martis æde Saliis apparabatur,deserto Tribunali,ascendit ad sacerdotes,vnáque discubuit.

k *Delphis verò.*] Hæc vsque ad clausulam, Quæ quidem exta.sunt Plut.in Symposiacis.

l *Quæ quidem exta.*] Plato lib.3.de Repub. & Seruius enarrans eum locum Virgilij lib.1.Æneid.

Pars in frusta secant,verubúsque trementia figunt.

Et late diximus in nostris Commentariis Nobilit. c. 31. nu. 173.incip.heroas quoque.

m *Aristis tamen non veru cocta.*] Adde etiam & boum exta non assa,sed elixa in olla fuisse apud Liuium 5. Decad. lib.1.vbi sic ait,Et exposuit patribus conscriptis, bouis fescenatis,quem immolauisset,iecur desluxisse: id se victimario nuncianti parum credentem, ipsum aquam effundi ex ollà,vbi exta coquerentur,iussisse.&c.

n *Interque vescendum laudes diis canere.*] Laudes diis, veteres canere solitos, his quibus sacrificium fieret, Virgilius lib.8.Æneidos satis amplè ostendit, vbi de Herculis sacris meminit,his verbis,

Tum Salij ad cantus incensa altaria circum,
Populeis adsunt euincti tempora ramis.
Hic iuuenum chorus,ille senum,qui carmine laudes
Herculeas & facta ferunt.

o *Pedibúsque circum aras psallere ad numerum.*] Gyral. Histor.deor.syntag. 17. sed nullo authore citato. Cæl. Rhod. Antiq.lect.lib.5.c.3.

p *Fuitque obseruatum.*] Cælius lib.5.cap.3. scribit, quòd vbi saltantes aram obibant, ita more condito seruabant, vt ab sinistris dextrorsum pergerent prius. zodiaci quadam imagine, cuius motus cœlo diuersus appareat, ab occasu ad eaortum:inde a dextris læuorsum pro ratione cælestis vertigines.

q *Hypingos Dianæ.*] Cælius Rhodiginos lib. 7. cap. 5. vbi cantus, ait, diuinis accommodatos laudibus dici quidem vniuersim Pæanas & hymnos:priuatim verò non vnam esse eius rei nomenclaturam.Siquidem Dianæ hymnus dicitur hypingos:Apollinis hyporchema,vel Pæan,qui maximè concinnebatur,vt pestis latius grassantis reprimeretur vis. Vide Plutar.in Musica.

r *Apollini Pæan.*] Id etiam canebant veteres Apollini parta victoria. Marti autem antequam cum hoste manus consererent. Apollo autem dicitur Pæan (vt loco suprà citato scribit idem Cælius)siue à feriēdo,quod παίειν dicitur, Vestalibus ita indigitantibus, Apollo Medice, Apollo Pæan. Canebant etiam ad rerum prosperos euentus Virgil. 6. Æneidos,

Lætúmque choro Pæana canentes.

e Et

pæan, [s] & Prosodia, [t] Dionysio dithyrambus, [u] Cereri iulis, [x] Veneri eroticus, id est amatorius: præterquos fuere, [y] prosodion, [z] hyporchema, & [a] stasimon. [b] Quod ideo [c] inuentum est, nequa pars corporis religione vacaret, quasi penitus sacro numine afflati, quodam furore caprifoerent. [d] Memphitæ verò in Osiridis templo dum sacrificant, præter aliorum morem, nec canere tibias, nec psallere soliti sunt. Et Græcorum plerique cum nulla numinis afflatione sacrificia perficiunt, sed animo remisso absque tibia vel cantu. [e] Contrà apud Indos, quibus nulla fuit numinis consalutatio, vel sacrificium, nisi adhibita saltatio foret. [f] In Delo quoque absque saltatione vel musica, sacrum nullum fiebat. [g] Fertur Antoninus Cæsar quum deo Heliogabalo sacrum faceret, mulieres Phœnissas, quæ in orbem cursitarent, cymbalàque & organa musica circum aras psallerent, adhibuisse. [h] Et Cybelis sacerdos cum tinnitu cymbalorum & sonitu tympanorum sacrum facere. [i] Apud Curetas quoque nullum fit sacrum sine strepitu & fragore, tympanis vnà tubisque pulsantibus. Re igitur diuina & cæremonils cōcelebratis, sacerdos tunc, [k] ILICET, succlamabat, qua voce illos qui interfuerant, missos faciebat. Apud Græcos verò functus mysterio sacerdos, sic renunciat, [l] λαοῖς ἄφεσις, quasi populum missum faceret. Si qua tamen mysteria in sacris instauranda forent, initiari manebant. [m] Prophanos autem foras exigebant, namque hoc erat vsu frequens, [n] vt omnia mysteria secreta sint: summáque in his silentij fides ha-

Vide Lil. Gregor. de poëtis sa dialo. 1 fo. 100. & 101. *Græci.* *Indi.* *Delij.* *Caretes.* *Ilicet.* *Prophani à mysterijs exacti.*

ANNOTATIONES.

s *Et Prosodia.*] Dianæ & Apollinis hymnus, Prosodia nuncupatur, vt scribit idem Rhodiginus vbi suprà.

t *Dionysio Dithyrambus.*] Cicero lib. 3. de Oratore, Dithyrambus, inquit, hymnus est ad Bacchum. Plato lib. 4. de legibus, ἄλλο Διονύσου γένεσις, οἶμαι, διθύραμβος λεγόμενος: id est, Est & aliud carmen Bacchi natalis atque genitura, Dithyrambos, vt opinor, appellatur. Dicitur etiam Liber pater Dithyrambus, quoniam per duas portas exiit in lucem: vnam matris Semeles, alteram femoris Ioui. Θύρα quidem porta est. Vide Cæliū vbi suprà. Dithyrambum Arion Methynæus citharœdorum sui seculi nulli secundus primus hominum, & fecit & nominat & docuit Corinthi, authore Herodoto lib. 1.

u *Cereri iulus.*] Rhodiginus lect. Ant. lib. 7. c. 5.

x *Veneri eroticus.*] Rhodig. vbi suprà proximè. Veneriös, inquit, inuenio hymnos appellati Eroticos, tanquam amatorios dicas.

y *Prosodion.*] Rhodiginus lib. 5. c. 3. scribit apud antiquos tria hymnorum fuisse genera, Prosodion, hyporchema, stasimon. Prosodion προσόδια, siue supplicatio, dicebatur cum hymno, vbi deos adirent, ac sacrificium ad altare proferrent. Sunt qui cātum putent modo, qui Dei hymnum contineat: nam & Athenienses (authore Plutarcho) Demetrio aduentanti pæanas concinebant & prosodia. Genere autem fœmioino prosodia cantus est, si musicum accedat instrumentum.

z *Hyporchema.*] De quo Lucianus in libr. περὶ ὀρχήσεως, id est de saltatione, & Plutarchus in libro de Musica. Est autem genus poëmatis & saltationis. Hyporchemata, vt inquit Cælius vbi supra, concinebant saltantes in altaris ambitu, vbi iam igni admota forent sacra. Celebrantur Critica Hyporchemata ex Cretensium saltandi studio, vti scribit Athenæus lib. 14. c. 12.

a *Stasimon.*] Cælius d. lib. 5. c. 3.

b *Quod.*] Scilicet dictum in clausula, Fuitque obseruatum.

c *Ideo inuentum est.*] Seruius in 5. eclo. Virgilij, quæ Daphnis dicitur, ibi,

Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus.

Ideo in religionibus, inquit, saltabant maiores: quia nullam corporis partem esse voluerunt, quæ non sentiret religionem. Nam cantum ad animum, saltus ad mobilitatem pertinet corporis.

d *Memphitæ verò.*] Strabo libr. 17. In Osiridis templo non licet, nec cantori, nec tibicini, nec psaltæ, canere, quemadmodum mos est aliis deis.

e *Contrà apud Indos.*] Hinc est quod dicit de iis Philostratus in vita Apollonij. Post hæc in aquam sese proiicientes lauere, lotique ad templum accesserunt coronati & hymnum cantantes instar choreæ in gyrum compositi.

f *In Delo.*] Lucianus in libro de Saltatione. Cælius Rhodiginus dicto lib. 5. c. 3. scribit in Delo nullum obiti sacrificium sine saltatione. Prodibant enim, inquit, puerorum chori, tibiis ac cithara præcinentibus, à quibus selecti peritissimus quisque saltabant. Eorum item cantilenæ ab saltationis vsu dicebantur ὑπορχήματα.

g *Fertur Antoninus Cæsar.*] Scilicet Heliogabalus ex Ælio Lampridio in vita illius.

h *Cybelis sacerdos.*] Gyrald. Histor. deor. syntag. 4. ex Varrone apud Augustinum lib. 7. de Ciu. Dei.

i *Apud Curetas.*] Hi etiam Corybantes dicebantur, vt inquit Strabo lib. 10. & in Ida, monte Phrygiæ, Cybeles sacra, cum multo æris sonitu peragebant. Virgil. libro 3. Æneid.

Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiáque æra,
Idæúmque nemus.

Hi sacro correpti furore, cymbala pulsabant, capitáque saltando iactantes (inquit idem Strabo. d. lib. 10.) alios in similem rabiem agebant. Ouid. Fast. 4.

Ardua iamdudum resonat tinnitibus Ida,
Tutus vt infanti vagiat ore puer.

Ideo, teste Diomede, excogitato nouo lusus genere, concutiebant æneis inter se clypeolis, tinnitúmque æris faciebant, non sine rhythmica pedis dactyli compositione.

k *Ilicet succlamabat.*] Seruius in lib. 6. Æneid. in eum locum

—Decorántque super fulgentibus armis.

Et aliàs semper ea vox significat rem perfectam, vt ostendit illud Plauti in Cistellaria act. 4. sce. 2.

Ilicet: Actu'est.

Illúdque Terentij in Eunucho act. 1. sce. 1.

Actum est, ilicet.
Peristi, eludet.

Vbi Donatus, Ilicet, inquit, semper in fine transactæ rei ponitur. Et in Phormione act. 1. sce. 4.

—Hoc nihil est Phædria: licet.
Quid conterimus operam frustra? quin abeam.

Vbi ipse Donatus, Semper licet finē rei significat, vt actum est. Per syncopam dictum. Sic indices de consilio dimittebantur, suprema dicta, cùm præco, Ilicet, quod significat ire licet.

l *Λαοῖς ἄφεσις.*] Id est populis missio. Vide nostras Consuetudines.

m *Profanos autem exigebant.*] Ex quo illud Virgil. libro 6. Æneid.

Aduentante dea, Procul, ô procul este profani,
Conclamat vates, totóque absistite luco.

Vbi Seruius interpretatur Profani, id est, non initiati sacris. Et illud Horat. lib. 3. Carm. Ode 1. in princ.

Odi profanum vulgus & arceo.

Vbi Acron interpres dicit eam vocē in sacrificiis frequentari, dicitque etiam ab eo Porphyrion, Hos dici sacris non initiatos. Vide Gyrald. syntag. 14.

n *Vt omnia mysteria secreta sint.*] Sacra seclusa dicebantur Græcis Mysteria, quòd ea intus oporteat occludere, nec cuiquam profano explicare. De mysteriorum duobus generibus

beatur,[o] sicut in Samothraciis & [p] Eleusinis. Illud vtique in sacrificiis seruatum nequaquam prætererim,[q] vt mola salsa & farre non modo frons victimæ, sed foci cultríque aspergantur vnà quodque immolata victima, si non litassent, [r] hostias denuo augeri iterum ac sæpius, & maioribus hostiis sacrum instaurari debebat, donec inuenta pace deûm, & propitiato numine, ritè perlitatum æstimarent.

ANNOTATIONES.

neribus Cæl. Rhod. lib. 16. c. 10. Macro. in Somnio Scip. c. 2.

o *Sicut in Samothraciis.*] Strabo lib. 10. Abiisse autem istos in Samothraciam, quæ prius Melita dicebatur, eorum verò actiones mysticas esse.

p *Et Eleusinis.*] Adeò secreta atque arcana fuêre hæc sacra, vt vulgo prouerbium iactaretur in secretos & tacitos Ἀττικὰ τὰ ἐλλεῖα. Pausanias lib. 8. qui de Arcadicis est, ea volgari fas non esse scribit. Diuus Gregorius Nazianzenus in sermone Epiphaniorum, Neque nobis, inquit, virgo aliqua rapitur, nec Ceres vagatur, nec Celeos aliquos inducit, & Criptolemos & dracones, & hæc quidem facit & hæc patitur. Pudet enim me per diem dare noctis sacrificium & pudorem facere mysteriorum. Nouit hæc Eleusis, & qui tacendas res & silentio dignas spectant. Istiusmodi sacris interesse non licebat profanis & peregrinis, in quibus præcinebatur, ἑκὰς, ἑκὰς ἔστε βέβηλοι, id est, procul, ô procul este prophaoi. Hæc & plura vide apud Gyrald. syntag. 14. vbi de Cerere & Triptolemo.

q *Vt mola salsa & farre non modo frons.*] Quod hostiæ mola, id est, sale & farre aspergerentur, author est Festus Pompeius lib. 11. Atque etiam extra, Valerius Maximus lib. 2. c. 1. vbi de modo comedendi antiquiorum loquitur, Ideóque, inquit, in sacrificiis mola, quæ vocabatur, ex farre & sale constat, extra farre sparguntur. Sed Seruius, ex quo Alexander id sumpsit, quod hic scribitur, coartans illud Virg. lib. 2. Æneidos,

Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.

Hæc scribit ex Sallustio, Et far, quod dicitur mola salsa, qua & frons victimæ & foci aspergebantur, & cultri. Fit ex horna fruge & horno sale.

r *Hostias denuo augeri.*] Vide omnino quæ scripsimus de hac re in nostris Commentariis in l. boues. §. hoc sermone, in 1. limit. num. 22. in cip. & illud item. & multis seq. ff. de verb. signif.

Quæ militibus operam in bello nauantibus, militaria dona ab imperatoribus olim dari solita fuerint.

CAPVT XVIII.

Militaria dona. Adorea.

PRISCIS [a] temporibus militaria dona, quæ militibus fortem operam nauantibus in bello à ducibus dabantur, heminæ vel quartarij farris fuere, ([b] vnde adorea, laus bellica dicta) bináque iugera, aut tantum agri quantum vno die circumarassent, amplissima dona putauere. Pretia enim militiæ hæc habita sunt maxima, vt post exhaustos labores, milites emeritis stipendiis, sanguine & sudore partis agris donarentur, hos enim lætissimos fructus, velut opimam prædam laborum periculorúmque accipiebant: quippe perniciosum ciuem putabant, cui bina aut septē iugera non essent satis.[c] Præter quæ, vt ad decora militiæ magis incenderent animos, quoque honoratior testatiórque eorum virtus foret, mercede proposita, obsidionalem, ciuicam, muralem, naualem castrensem, & aureas coronas, amplissimáque alia honoris genera inuenere, quibus donabātur, qui vrbes, castra, aut exercitus obsidione liberassent, ciuémve seruassent, vel primi obsessæ vrbis muros subiissent.[d] Primus enim Aul. Posthumius dictator ad lacum Regillum castris expugnatis, magni muneris loco auream coronam dedisse fertur.[e] Mox sequuti duces militibus, vt essent re & fortuna auctiores alias largiti fuere, quas quidem frequenti prætorio egregiis laudibus cumulatis, cum præfatione virtutum militibus tradebant. Apud Græcos, duces in vnum coeuntes, in concilio agitant, & sententiis decernunt, quem primum, quem secundum, qui depulsas hostium copias, longius egerit, & quo præmio aut honore dignus sit, diiudicant:[f] idque apud deorum aras in Isthmo, inclyro Neptuni

Perniciosus ciuis. Corona militibus dari solita. A. Posthumius primus coronam dedit. Græci.

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

a PRiscis temporibus.] Hoc princ. est Plinij lib. 18. cap. 3. cuius hæc verba sunt, Dona amplissima Imperatorum ac fortium ciuium, quantum quis vno die plurimum circumarauisset. Item quartarij farris, aut heminæ conferente populo.

b *Vnde adorea, laus bellica dicta.*] Plinius d. lib. 18. cap. 3. Gloriam denique ipsam à farris honore adoream appellabant. Ad idem propemodum scribit Fest. Pompeius libr. 1. non longè à princ. Acron verò & Porphyrion in Horatium lib. 4. Carm. Ode 4. in eum locum,

Qui primus alma risit adorea.

Dicunt adoream esse laudem publicam, aut (vt alij legunt) bellicam: eo quòd victores à victis adorarentur. Quid autem sit Ador, vel Adoreum, vide apud eundem Festum eodem lib. 1. Nonium Marcellum in duobus locis. Seruium lib. 7. Æneid. in eum locum,

Instituuntque dapes, & adorea liba per herbas
Subiiciunt epulis.

Et ante hos Varronem lib. Rei rusticæ. & Columellam lib. 2. cap. 6.

c *Præter quæ.*] De his omnibus coronis Plinius lib. 16. c. 4. & lib. 22. c. 3. & Gellius lib. 5. cap. 6. & præterea de mu[...] Liuius 3. Decad. lib. 6. & libr. 10. in Oratione Hanniba[...] Plutarchus in Scipione. Vopiscus in vita Aureliani. & poëtis Lucretius lib. 2.

Muralique caput summum cinxêre corona.

Et Silius Italicus lib. 13.

—Gradiui cape victor honorem
Tempora murali cinctus turrita corona.

Et de nauali Festus Pompeius lib. 12. vbi dicit hac coro[...] donari, qui primus maritimo prælio in hostium nauem [...] matos vi transilierat, quod & idem tradit Gellius d. li[...] 5. cap. 6.

d *Primus enim A. Posthumius.*] Plinius lib. 33. c. 2. A. Po[...]sthumius Dictator apud lacum Regillum castris Latinor[...] expugnatis, ei, cuius maximè opera capta essent, hanc [...]ream coronam ex præda dedit.

e *Mox sequuti duces.*] Vt patebit ex sequent.

f *Idque apud deorum aras in Isthmo.*] De hoc Neptuni te[...]plo in Isthmo, meminit Strabo lib. 8.

remplo, ſumpto ab ara ſuffragio, & vt erant ſententiæ, ſic agro & vacatione donare, ac pro merito præmia largiri ſolebant. Apud Indos verò nullo militari dono aut hoſtili præda donabatur miles, niſi qui hoſtis caput retuliſſet in caſtra. [g] Sed præ cæteris corona ciuica maximi fuit ornatus, cui cedunt aureæ, murales, caſtrenſes, atque roſtratæ. erátque proprium ius ciuicæ, vt illa donatus, perpetuo eam geſtare liceret, & lúdos ineunti, à populo & ſenatu vniuerſo aſſurgeretur, ius ſpectandi inter ſenatores, munerum vacatio ſibi, patríque & auo paterno. [h] Præcipua verò obſidionalis, tanquam virtutis præfereos ſpectatiſſimum inſigne, æſtimatione immenſa, longè præcellere credita eſt: [i] hæc enim ex illo fiebat gramine, vbi ciues obſidione eſſent liberati: [k] qua nulla nobilior publica militari lege diffinitur: [l] quippe cæteras, Imperatores aut Duces ſingulis militibus tradunt: graminea verò, velut multò maximum decus præferens, niſi ab vniuerſo exercitu, ſeruatori ſuo concedi minimè poterat: [m] Ciuica ex querna fronde fit: [n] muralis in pinnarum ſimilitudinem, [o] naualis inſtar nauium roſtri. [p] quæ verò caſtrenſis, velut effictо vallo figurabatur. [q] Hac obſidionali Q. Cincinnatus à Minutio & toto exercitu, quòd illius opera obſidione liberati fuerant, primus donatus fertur. [r] Et deinde M. Valerius conſul contra Samnites P. Decium tribunum militum, quòd eius conſilio & miniſterio exercitus ex ſaltu anguſto & arctiſſimis faucibus euaſerat, præter gramineam, qua ab vniuerſo exercitu & ſuo præſidio donatus fuit, etiam aurea corona & centum bobus, eximióque vno albo opimo auratis cornibus, donauit. Eadémq; obſidionalis [s] Fabio Maximo Imperatori, quòd cunctando rempub. & ciues ſeruaſſet, à toto exercitu, ſenatuq; & populo, communi conſpiratione & conſenſu tributa eſt. [t] Et bello Cimbrico, Cn. Teio Atinati, quòd cunctantem primipilium interfecerat, ipſéque arrepto vexillo, per caſtra hoſtium eruperat, exercitumq; incolumem eduxerat, præter gramineam, vt prætextatus ad tibicinem immolaret foculo accenſo, conceſſum fuit. Contigitque idem honos ſemel [u] L. Sicinio Dentato, & [x] M. Calphurnio tribuno, quòd M. Attilium Regulum, primo Punico bello in Sicilia

Indi. *Ciuica corona cui dabatur.* *Obſidionalis.* *Ciuica ex quo Muralis. Naualis. Caſtrenſis.* *Obſidionalem quis primus adeptus.*

ANNOTATIONES.

g *Sed præ cæteris.*] Hæc vſque ad clauſulam, Præcipua. ſunt. Plinij lib. 16. cap. 4.

h *Præcipua vere obſidionalis.*] Feſtus Pompeius lib. 3.

i *Hæc enim ex ille fiebat gramine.*] Pompeius ibi. & Gell. d. lib. 5. cap. 6.

k *Qua nulla nobilior.*] Plin. lib. 22. c. 3. 4. & 6. Et vt dicit Feſtus libro 7. vbi de Gradiuo Marte loquitur, Hæc corona graminea in re militari maximæ eſt honorationis.

l *Quippe cæteras.*] Plinius vbi ſuprà præſertim verò d. c. 4. & Pompeius d. lib. 13.

m *Ciuica ex querna fronde.*] Virgil. lib. 6. Æneid.

Atque vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.

Ciuili, id eſt, ciuica, vt ibi interpretatur Seruius: qui reddit rationé quare hæc corona ex quercu fieret. nempe, quia ante vita in hac arbore hominibus fuit, qui glàdibus veſcebantur. Plinius Secundus, ſi is eſt, de Viris illuſtribus c. 26. Ob hoc, inquit, ab exercitu ciuica corona de quercu, quæ dabatur ei, qui ciueis in bello ſeruaſſet, donatus eſt. Valerius Maximus lib. 2. cap. 3. in fi. vbi de Sylla meminit. Plutarchus eius quoque rei rationem reddens in vita Coriolani, & problematum cap. 92. Gellius d. lib. 5. c. 6. Lucanus lib. 1. Pharſaliæ,

— Summi tum munera pili
Lælius, emeritiq; gerens inſignia doni,
Seruati ciuis referentem præmia quercum.

Claudianus in Panegyrico Olibrij,

Sæpe duces meritis bello tribuere coronas:
Hunc cingit muralis honos, hunc ciuica quercus
Nexuit.

Et in 3. Panegyrico ad Stiliconem,

Mos erat in veterum caſtris, vt tempora quercu
Velaret, validis fuſo qui viribus hoſte.
Caſurum potuit morti ſubducere ciuem.
At tibi quæ poterit pro tantis ciuica reddi
Mœnibus?

Quamuis Martialis & hanc ciuicam coronam ex hedera fuiſſe videri voluerit, cùm ſcribit lib. 8. epigr. 82. eodémque vlt.

Non quercus te ſola decet, nec laurea Phœbi:
Fiat & ex hedera ciuica noſtra tibi.

Sidonius Apollinaris ex lauro, in Panegyrico Maiorani paulò ante fi.

Ipſa ruina placet, cùm victor ſcandere currum
Incipies. crinemq; ſacrum tibi, more priorum,
Nectet muralis, vallaris, ciuica laurus.

Plinius autem lib. 16. c. 4. ſcribit huiuſmodi coronam primò fuiſſe ilignam, poſtea magis placuiſſe ex eſculo Ioui ſacra, variatúmque & cum quercu eſſe: vbique tamen cuſtodito honore glandis.

n *Muralis in pinnarum ſimilitudinem.*] Gell. d. lib. 5. cap. 6. Hinc illud Silij,

— Gradiniq; cape.

Suprà iam citati. Ea autem corona muralis aliquando aurea fuit ex Liuio 3. Decad. lib. 3. cum dicit, Poſtero die omnium animi ad oppugnandum accenduntur, vtique poſteaquam corona aurea muralis propoſita eſt.

o *Naualis inſtar nauium roſtri.*] Gellius vbi ſuprà. Et hinc illud Virgilij lib. 8. Æneid.

— Cui belli inſigne ſuperbum
Tempora naualí fulgent roſtrata corona.

Et Claudianus vbi ſuprà, addés ad ea, quæ nuper citauimus

— Hunc domitis nauis roſtrata carinis.

p *Quæ verè caſtrenſis.*] Gellius in illo loco, & Feſtus Pompeius lib. 3. vbi præterea dicitur eam coronam ei dari ſolitam, qui primus caſtra hoſtium pugnando introiuit, dicitque Pompeius ad vallum quod illius inſigne erat, ex auro fuiſſe. & quod illis addes, ea corona vallaris dicitur, vt patet ex Liuio 1. Dec. lib. 10. & 3. Dec. li. 10. Plin. lib. 22. c. 3. in prin. & Suetonio in Auguſto, c. 25. Vopiſco in vita Prob, & Trebellio Pollione in vita Claudij Secundi.

q *Hac obſidionali Q. Cincinnatus.*] Plinius, ſiue is Suetonius fuit, ſiue Cornelius Nepos in lib. de Viris illuſtribus.

r *Et deinde M. Valerius.*] Totum id eſt Liuij 1. Decad. lib. 7. non adeò longè à fi. & partim Plin. lib. 22. c. 5. & alterius Plinij Secundi de Viris illuſtribus cap. 26. & Feſti Pompeij lib. 13. vbi de obſidionali corona loquitur.

s *Fabio Maximo.*] Plinius vbi ſuprà. & Gellius lib. 5. cap. 6. Hanc, inquit, coronam gramineam S.P.Q.R.Q. Fab. Maximo dedit bello Pœnorum ſecundo, quod vrbem Romam obſidione hoſtium liberaſſet.

t *Et bello Cimbrico Cn. Teio.*] Plin. d. lib. 22. cap. 6. in prin. vbi hunc non Teium, ſed Petreium vocat.

u *L. Sicinio Dentato.*] Plinius d. lib. 22. cap. 5. vbi hunc Siccium, non Sicinium vocat. & Feſtus Pompeius d. lib. 13.

x *Et M. Calphurnio.*] Idem Plinius dicto lib. 22. cap. 6. in princ.

cum exercitu, hostium excidio liberasset. [y] Deinde Scipio Æmylianus bello Africano, [z] mox Sylla bello Marsico, [a] demum Iulius Cæsar in expugnatione Mitylenarum, [b] & Augustus, obsidionali & ciuica donati fuere. [c] Ea enim ciuica, singularis salutis signum erat: obsidionalis vero, vniuersorum. Rostratam vero accepit [d] primus M. Varro bello piratico, donantes Cn. Pompeio: [e] & deinde Agrippa, bello Sienlo ab Augusto, quòd in conflictu naualis pugnæ, in naues hostium insiliissent primi. [f] Corniculásque, [g] & aureas coronas, [h] phaleráſq; argenteas, [i] & aureos torques, [k] tum armillas, [l] adde vexilla cærulea, honoris causa ob nauatam insigniter in bello operam, & ob multa rei militaris facinora, militibus quàm sæpissimè ab imperatoribus dati adnotatũ est. [m] Sed auxiliares & externi, aureis: Romani argenteis torquibus donabantur. Contrà vero armillas non externis, sed ciuibus tradebãt. [n] Augustus tamen Octauius facilius phaleras & torques, & quicquid auro cõstaret, quàm murales, castrenses, aut ciuicas coronas munera dedit. [o] C. autem Caligula noui generis coronas, Solis & Lunæ ac Siderum specie commentus fuit. Scipio verò Æmylianus regum & sociorum munera oblata pro tribunali recipiens, in publicas tabulas per quæstorem referri iussa, postmodum fortibus viris, pro meritis tradebat. Prætérque aureos torques, [p] etiam dupliccm annonam, [q] interdum militiæ vocationem, & immunitatem ob virtutis præmium, [r] nonnunquã duplex stipendium imperatores largiti sunt, [s] ęraque multiplicia, [t] ságaque & tunicę singulis militibus, qui rebus fortiter gestis interfuere, [u] plerunque

Rostratam quis primum acceperis.

Alia dona militaria.

Noui generis corona à Caligula excogitata.

Alia dona.

ANNOTATIONES.

y *Deinde Scipio Æmilianus.*] Idem Plin. d. cap. 6. authoritate Varronis. & alter Plinius Secundus, si is est, de Viris illustribus cap. 58. P. Scipio Æmilianus, Tribunus in Africa sub Tito Manlio Imperatore, cohortes octo obsidione vallatas, consilio & virture seruauit, à quibus est corona obsidionali donatus.

z *Mox Sylla.*] Plin. d. lib. 22. cap. 6. Scripsit, inquit, & Sylla dictator, ab exercitu se quoque (hac corona obsidionali scilicet) donatum apud Nolam, legatum ballo Marsico. Idque etiam in villa sua Tusculana, quæ postea Ciceronis fuit, pinxit.

a *Demum Iulius Cæsar.*] Sueton. in vita illius c. 2. vbi tamen non obsidionali, sed ciuica donatum fuisse dicit.

b *Et Augustus*] Plin. d. lib. 22. vbi tamen ita loquitur, vt non ciuica, sed obsidionali, veluti honoratiore, donatus sit. Eius hæc verba sunt, Ipsum Augustum cum M. Cicerone filio consulem Idibus Septembribus Senatus obsidionali donauit: adeò ciuica non satis videbatur.

c *Ea enim ciuica.*] Fest. Pompeius d. lib. 13. vbi suprà in fi.

d *Primus M. Varro.*] Plinius lib. 7. cap. 30. & iterum lib. 16. cap. 4.

e *Et deinde Agrippa.*] Virgil lib. 8. Æneid. non longè à fin.

Parte alia ventis, & dis Agrippa secundis,
Arduus, agmen agens, cui belli insigne superbum
Tempora nauali fulgent rostrata corona.

Et ibi Seruius, & Plin. lib. 16. c. 4. & Iulius Florus epitome Liuij 127. & Velleius Paterculus lib. 2. Insigne, inquit, coronæ classicæ, quo nemo vnquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit. Et Seneca de beneficiis lib. 3. Agrippa nauali corona insignis, vnicum adeptus inter dona militaria decus.

f *Corniculásque.*] Liuius 1. Decad. lib. 10. non multò ante fi. Papyrius consul, equites omnes, ob insignem multis locis operam, corniculis armillisque argenteis donat. & Plinius Secundus, si is est, Virorum illustrium cap. 72. vbi tamen corniculum appellat. Primò, ait, in Hispania corniculum meruit.

g *Et aureas coronas.*] Liuius 1. Decad. lib. 7. Consul, inquit, concione aduocata laudatum tribunum decem bobus auresque corona donat. & lib. 10. non multò ante fin. Sp. Papyrium fratris filium, & quatuor centuriones, manipulúmque hastatorum, armillis, aureísque coronis donauit. & 3. Decad. lib. 6. & 10. Valer. Max. lib. 3 cap. 2. vbi de L. Sicinio Dentato.

h *Phaleráſque.*] Valer. vbi suprà. Sueton. in Augusto c. 25. Dona militaria, ait, aliquantò facilius, phaleras, & torques, quicquid auro argentoq; constaret, quàm vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent dabat. C. Calphurnius (vt scribit Liuius 4. Dec. li. 9.) prætor equites laudatos, phaleris donauit: prounuciauítque, eorum maximè opera hostes fusos. Ex quo Iuuen. satyr. 16. eadémque vlt. in fin.

Vt qui fortis erit, sit felicissimus idem.
Vt læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

i *Et aureos torques.*] Valerius, & Suetonius, & Iuuenalis vbi nuper & Vegetius lib. 2. cap. 7. & Flauius Vopiscus in vita Probi in quadam epistola Valeriani Imperatoris.

k *Tum armillas.*] Liuius 1. Decad. lib. 10. ad fin. cuius verba nuper citauimus. Valer. Max. vbi suprà, & lib. 8. cap. 15. in mentione Scipionis cuiusdam equitis, vbi loquitur de aureis & argenteis armillis. Festus Pompeius lib. 1. in Armillis, Vopiscus vbi suprà:

l *Adde vexilla cærulea.*] Augustus enim M. Agrippam in Sicilia, post naualem victoriam, cæruleo vexillo donauit, vt refert Sueton. in Augusto, cap. 25. & vix alibi simile reperies. Adde autem & vexilla pura ex Vopisco in Probo enumerante dona militaria ipsi Probo à Valeriano data, inter quæ vexilla pura quatuor nominat. Item vexilla bicoloria ex eodem in Aureliano.

m *Sed auxiliares.*] Id vsque ad clausulam, Augustus. est Plinij lib. 3. cap. 2.

n *Augustus tamen.*] Suetonius in vita illius, cap. 25.

o *C. autem Caligula.*] Idem in vita Caligulæ, cap. 43.

p *Etiam duplicem annonam.*] Vt duplex frumentum apud Liuium 4. Decad. lib. 7. Militibus & stipendium militare, & frumentum duplex post triumphum datum.

q *Interdum militia vacationem.*] Liuius 3. Decad. lib. 3. vbi de Prænestinis militibus, qui in præsidio Caselini fuerãt, quibus Senatus Romanus duplex stipendium & quinquennij militiæ vocationem decreuit.

r *Nonnunquam duplex stipendium.*] Nam & illis ipsis Prænestinis militibus duplex stipẽdium decretũ est apud eund. Liuium vbi suprà. Et militibus post partam Indibilis & Hispanorum victoriam, eius anni duplex stipendium imperatum apud eundem eiusdem 3. Dec. lib. 9. & 4. Dec. lib. 10. Et scribit Vopiscus in Probo Valerianum Imperatorem ipsi Probo duplex salarium constituisse.

a *Æraq; multiplicia.*] Æra militaria militibus data fuisse, scribit Liuius 1. Decad. lib. 5. in duobus locis.

t *Sagaq; & tunicæ.*] Liuius vbi suprà ibi, Nonnunquam duplex stipen. in postremo loco. Saga, inquit, & togæ exercitui imperata. Sed & idem 1. Decad. lib. 7. scribit milites, qui Duce P. Decio Trib. militum, Consulem & exercitum Ro. ab obsidione Samnitum liberauerant, vltra alia dona, binis primis tunicis donatos fuisse.

u *Plerunque ius ciuitatis ex lege Calphurnia.*] Cicero in Oratione pro L. Cornelio Balbo. Vide autem num ex lege hîc Cornelia sit legendum, pro Calphurnia. Sic enim ait ibi Cicer. Ac sicubi esset, lex id Gellia & Cornelia, quæ definitè potestatem Pompeio ciuitatem donandi dederat sustulisset.

x *Vel*

ius ciuitatis ex lege Calphurnia: [x] vel senatoria fungi dignitate inter partes, [y] aut diebus solennibus coronatum incedere, velut præmia victoriæ haud quaquam spernenda munera fuere. Neque dubium, illos quorum opera insignis in bello stetisset, perditæque & afflictæ res restitutæ essent, pluries donis muneribúsque honestari. [z] C. Sicinus Dentatus, clarus vir ingenio factísque, ob egregia facinora militaria, præter octo aureas coronas, obsidionali vna, muralibus tribus, ciuicis quatuor, torquibus tribus & octoginta, hastis puris duodeuiginti, armillis plus centum sexaginta donatus fuit. Habetúrque inter exempla, hunc Sicinium militaribus donis, omnium honores & virtutum præmia adeptum. Hæ quidem hastæ, quòd nullo ferro munitæ forent, [a] puræ dictæ sunt, [b] quibus donabantur plerunque milites, qui tunc primum militare facinus bello admisissent. Cui proximus fuit [c] Manlius Capitolinus, qui vix decimo & septimo ætatis anno bina ex hostibus spolia tulit, primúsque murali corona donatus, ciuicas sex, militaria dona sex & viginti, meruit ob virtutē. [d] Probus quoque, qui postea in imperio assumptus fuit, quum bello Sarmatico iam tribunus multa fortiter fecisset, hastis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona ciuica vna, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque vno, & patera sacrificali aurea quinque libris, vna pro concione donatus fuisse memoratur. Qui etiam illud prospectum est, in annonæ caritate, & rebus angustissimis, militem ob rei militaris singularem scientiam, collato frumento [e] & pecore donari. [f] Manipulúmque hastatorum ob insignem operam corniculis armillisque argenteis. [g] Sp. que Nautium à Papyrio consule bello contra Samnites, etiam coronis aureis donatum. Præterque aureas pateras, sellasque curules eburneas, & scipionem eburneū, hastæ quoque, [h] tunicæ palmatę, [i] & pictę, atque in bello nauali vexilla cęrulea, [k] nonnunquam altioris dignitatis gradus aut militaris ordinis prerogatiua, militibus qui strenuam operam nauarunt munera tributa fuere. [l] Summis verò ducibus triumphalis statua, aut consularia ornamenta. In quo animaduersum est, [m] populum Atheniensem perraro virtutis pręmium aliquibus statuas dedisse, in quibus illorum nomina inscriberent, vt populi hoc videretur beneficium, non illorum qui id meruissent. Nemoq; qui pręclarum aliquod gesserat facinus, prout cuiusque meritum virtúsque fuit, militaribus donis indonatus abiisse fertur, [n] adeò vt Quintius prætor, deuictis Hispanis, equites nouo genere honoris, catellis & fistulis donarit. Proditum tamen est, Fuluio Nobiliori à Catone obiectū, quòd leuissimis de causis, vtpote quòd puteum strenue effoderant, aut vallum curarant, coronis milites donasset. Cæsari quoque Augusto multiplicia hæc munera largienti, obiectum à militibus fuit,

C. Sicinius Dentatus optimè donatus. Hasta pura qua dicebantur. Murali corona quis primum donatus.

Alia dona.

Dona summorum ducum. Atheniensis. Nemo bene meritus de re in Rom. exercitu indonatus.

ANNOTATIONES.

x *Vel senatoria fungi potestate.*] Velleius Paterculus libro 2. Habuit in hoc quoque bello mediocritas nostra speciosi ministri locum. Finita equestri militia designatus Quæstor, needum senator æquatus senatoribus.

y *Aut diebus solennibus coronatum incedere.*] Hinc est quòd Papyrius Masso postquàm in Albano triūphasset, pro laurea corona, cùm alicui spectaculo interesset, myrtea vsus est, authore Valerio Maximo lib. 3. c. 6.

z *C. Sicinius Dentatus.*] Valerius Max. qui hunc non C. sed L. appellat lib. 3. cap. 2. Plinius qui & illum L. vocat lib. 7. cap. 28. & nonnihil lib. 6 cap. 4. & lib. 22. c. 5. Gellius lib. 2 c. 11. Festus Pompeius lib. 13. vbi sæpius suprà citauimus Fulgentius ad Chalcidium de Vocum antiquarū interpretatione, quo loco de Nefrendibus suibus loquitur. Dionys. Halicar. lib. 10. vbi hunc Siccium Dentatū vocat, eúmque scribit ex pugnis diuersis dona retulisse 14. ciuicas, tres murales, octo aureas coronas, præterea torques aureos 83. armillas aureas 60. hastas puras 18. phaleras 25. & ex his nouem ex prouocatione prostrato hoste singulari certamine.

a *Pura dicta sunt*] Seruius & Donatus in 6. Æneid. eo loco,

Ille, vides, pura iuuenis qui nititur hasta?

b *Quibus donabantur.*] Vt patet exemplis seq. & præterea ex Seruio, loco supra citato.

c *Manlius Capitolinus.*] Liuius, qui maiora dicit 1. Decad. lib. 6. & Plin. lib. 7. cap. 28. & alter Plinius Secundus, aut quisquis est, in lib. de Ciris illustribus cap. 2.

d *Probus.*] Flauius Vopiscus in vita illius.

e *Et pecore*] Nam apud Liuium 1. Decad. lib. 7. P. Decius, de quo nuper loquuti sumus, præter militaria dona, centum bobus donatus est: quos & ipse militibus dono dedit, bouemq; eximium, insignibus aureis decoratum, Marti immolauit. Et Plin. de eodem loquens lib. 22. cap. 5 Siquidem, ait, donatus bouem album Marti immolauit, & centum fuluos, qui ei virtutis causa dati fuerant, simul ab obsessis. Et apud ipsum Liuium 3. Decad. lib. 6. Scipio Africanus capta Carthagine noua, C. Lælium, præfectum classis, inter cætera, triginta bobus donauit.

f *Manipulum.*] Liuius 1. Decad. lib. 10. non adeò longè à fi.

g *Sp. que Nautium.*] Liuius eod. loco.

h *Tunica palmata.*] De tunicis simpliciter dictum est suprà sed de palmatis vide infrà ibi, Si tamen regibus fœderatis. ex Liuio 3. Decad. lib. 10. vbi de donis à Scipione Africano Masanissæ datis meminit.

i *Et picta.*] Vide infrà eod. loco. Adde & purpureæ. Nam apud Appianum lib. 5. belli Ciuil. Cæsar Tribunis purpuream vestem dedit. sed vide num eæ & aliæ sint eædem.

k *Nonnumquam altioris dignitatis gradus.*] Sic Marius cum obscuris esset ortus parentibus, ita bellicis virtutibus claruit, vt ad sextum consulatum primus euaserit: de quo vide Plutarch. in eius vita. Sic Ventidius Pompeij Magni in triumphum ductus, tandem Rom. Imperator factus de Parthis primus triumphauit. Hæc Valer. Max. lib. 6. cap. 10. & Appianus in Parthico.

l *Summis verò ducibus.*] Plinius in Panegyrico tradit statuas ob egregia in Rempubl. merita etiam priuatis decerni. alias quoque multas aliis, vt apud Plinium lib. 34. c. 5. Sueton. in vita Titi. cap. 4. in princ. Tribunus militum, inquit, & in Germania, & in Britannia meruit summa industria, nec minore modestia, & fama: sicut apparet ex imaginum eius multitudine, ac titulis per vtramque prouinciam.

m *Populum Atheniensem.*] Hic populus propemodum statuarum prodigus fuit. Nam nulli plures statuas dicatas arbitror (teste Plinio lib. 34. cap. 6.) quàm Phalereo Demetrio Athenis. Siquidem 360. statuêre, quas mox lacerauerunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente.

n *Adeò vt Quintius.*] Liuius 4. Decad. lib 9. Quintius, inquit, alter prætor suos equites catellis ac fibulis donauit. Ex quo intelligis non fistulis hic legendum esse, sed fibulis. Nam & alias quoque fibulas pro virtute militari donari consuesse, patet eodem Liuio 3. Decad. lib. 7. vbi loquitur de muneribus à Scipione datis Masanissæ nepoti à Rom. capto. Tum puero, inquit, annulum aureum, tunicam lato-clauo cum Hispano sagulo, & aurea fibula.

Solonis lex de filiis, quorum parentes in bello perierût. Ceramicus. Oleagina. Poecile. Iliados 7 Iliad. 19. Scytha Romanorum vsus de his quorũ parentes occidissẽt bello. Dona cõfœderatorum. Ceramicus extra Athenas.

puerilia hæc deliramenta esse. Nanque exercitui pecunia & agris, non his honoribus opus erat.[o] Legibus verò Solonis apud Atheniẽses cauebatur, vt præter ea dona quæ militibus duces impartiri fuerant, illorum filij qui bello occubuissent, publicè alerentur, & bonis disciplinis instruerentur.[p] Quod Pisistratus cauisse dicitur, vt filij parentum, quorum virtus insignis in bello fuerat, dona acciperent [q] Frequens tamen illis munus erat, [r] corona ex auro, [s] nonnunquam tæniis & vittis caput ornare, aut publica sepultura in Ceramico: [t] nanque intra mœnia sepelire non licebat, nisi qui ob singularem excellentiam, præcipuum hoc donum meruissent. [u] Legimus Syracusanum Dionem, parta victoria, militibus aurea, [x] & Themistoclem, quòd Græciam liberasset à Lacedæmoniis, corona oleagina, & curru eximio donatos, laudatósque magnificè: [y] ac Milciadem ob pugnam Marathoniam, in qua vltra centum millia Persarum vna acie vicit, ab Atheniensibus consequutum, vt in Pœcile porticu, sua imago in prætorum numero exculperetur inter primores. [z] Agamemnon vero, Homeri testimonio, Aiacem, quòd cum Hectore pugnasset, bouis immolati tergore & cornibus, [a] Achillem verò, præter septem tripodes, & viginti lebetes, decémque auri talenta, equorũ duodecim, & septem Lesbidum fœminarum munere donauit, Platæensibus ob nauatam insigniter operã in bello Persico, munus octaginta talenta largitus fuit. [b] Scythis vero mos erat, his qui hostem superassent, semel annis singulis cratere regio vinum bibere, quod victoribus circunferebat: qui vero pluribus cæsis victor fuisset, duobus calicibus potare. [c] Romanis verò traditur vsus, vt quorum parentes reipubl. causa occubuissent, liberi præmia ferrent, quę illis deberentur. [d] Si tamen regibus fœderatis aut sociis mittenda dona forẽt, scipio eburneus, toga picta, & palmata tunica cum sella curuli, frequentia fuere. [e] Erat autem Ceramicus extra Athenas locus, in quo deorũm hominúmque excellentium simulacra & statuas publico decreto erigere, [f] atque eos qui pro patria occubuissent, sepelire, illísque erectis tumulis, inscriptiones & elogia.

ANNOTATIONES.

o *Legibus verò Solonis.*] Aristoteles lib. 2. Politicôn cap. 6. tradit Hippodamũ Milesiorum legislatorem legem tulisse, vt filij eorum, qui pro patria bellando occubuissent, ex publico alerentur: quasi id nondum apud alios fuisset lege prouisum: nam est Athenis ea lex nunc, & in aliis quibusdam ciuitatibus. Vide Plutarchum in Solone.

p *Quod Pisistratus.*] Plutarchus autem in Solone scribit Pisistratum legem tulisse, vt qui oculos in bello amisissent, publice alerentur.

q *Frequens tamen.*] Scilicet Atheniensibus, vt patet ex Diogene Laërtio in Zenone Cittico, dum loquitur de sepultura illius. Athenienses, ait, illum in Ceramico sepelierunt, decretisque honorauerunt, virtutis illi testimonium addentes.

r *Corona ex auro.*] Corn. Tacitus lib. 1. scribit, Apud Nabathæorum Regem aureas coronas Cæsari & Agrippinæ, leues Pisoni & cæteris oblatas fuisse.

s *Nonnunquam tæniis & vittis.*] Fest. Pompeius lib. 18. Tænias Græcam vocem sic interpretatur Verrius, vt dicat ornamentum esse laneum capitis honorati, vt sit apud Cæcilium in Androgyno:

Sepulchrum plenum tæniarum, ita vt solet.

t *Nanque intra mœnia.*] Cic. lib. 4. epist. fam. epist. incip. Etsi scio non iucundissimum. Ab Atheniensibus, locum sepulturæ intra vrbem, vt darem, impetrare non potui, quòd religione se impediri dicerent. neque tamen id antea cuiquam concesserant. Vide quæ dicuntur in verbo, Atque eos qui pro patria.

u *Legimus Syracusanum Dionem.*] Plutarchus & Probus in vita illius. Demetrius (vt legitur in Regestis Gregorij 7. Rom. pont.) Græciæ Dalmatiæque Rex creatus vexillo, sceptróque & corona inuestitus fuit.

x *Et Themistoclem.*] Herodotus lib. 8 Plutar. in vita illius.

y *Ac Milciadem.*] Probus Æmyl. in vita illius.

z *Agamemnon verò.*] Homerus lib. Iliad 7. quo describit eam pugnam Hectoris & Aiacis: refertque Agamemnonem ob eam Ioui bouem sacrificasse, Aiacémque magnis muneribus donasse, quæ aliter non declarat.

a *Achillem verò.*] Idem Homerus lib. 19. eiusdem operis, vnde sumptum est illud Briseidis ad ipsum Achillem apud Ouid.

Viginti fuluos operoso ex ære lebetes,
Et tripodas septem pondere & arte pares.
Addita sunt illis auri bis quinque talenta.
Bisseni assueti vincere semper equi.
Quodq; superuacuum est, forma præstante puellæ
Lesbides, euersa corpora capta domo.

Et quod ad tripodas pertinet, est illud Horatij lib. 4. Carminum Ode 8.

Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum. ———

b *Scythis verò.*] Herodotus lib. 4. vbi Scytharum mores & ritus scribit.

c *Romanis.*] Cicero Philipp. 14. in fi. Vtque, quæ præmia Senatus militibus constituit, ea soluantur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus, liberis, coniugibus, fratribus: iisque tribuantur, quæ militibus ipsis tribui oporteret, si illi vixissent qui morte vicerunt.

d *Si tamen regibus fœderatis.*] Hæc fermè ex Liuio 3. Decad. lib. 7. non multò post princ. qui ita scribit, Senatus non legatis modò benignè respondit, sed & ipse legatos cum donis ad Regem (de Syphace loquitur) misit L. Genutium, P. Petellium, P. Popilium. Dona tulêre, togam & tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram auream ex quinque pondo factam, Protinus & alios Africæ regulos iussit adire, iis quoque, quæ darentur, portata, togæ prætextæ, & ternum pondo pateræ aureæ. Et Alexandriam ad Ptolemæum Cleopatrámque Reges M. Attilius & M. Acilius legati ad commemorandam renouandámq; amicitiam missi dona tulere: Regi togam & tunicam purpuream cum sella eburnea, Reginæ pallam pictam cum amiculo purpureo, Et lib. 10. eiusdem Decad. de Scipione, cui posteà Africa nomen dedit, Ibi, ait, Masanissam primùm Regem appellatum eximiísque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta & palmata tunica donat. Et 4: Decad. lib. 1. Dona, inquit, ampla, quæ ferrent Regi: vasa aurea argenteáque, toga purpurea, & palmata tunica cum eburneo scipione, & toga prætexta cum curuli sella. Palmatæ etiam vestis meminit Sueton. in Claudio, cap. 17.

e *Erat autem Ceramicus.*] Plinius libro 36. cap. 5. vbi tradit Athenis in Ceramico statuas & simulachra Praxitelis esse. Pausanias libro 1. qui de Atticis est, recensens multorum clarorum virorum sepulturas, scribit in Ceramico, vrbis via, fictiles aliquot statuas esse, vt Thesei Scironem in mare abiicientis, & Auroræ Cephalum, egregia specie iuuenem, rapientis.

Atque eos qui pro patria.] Suidas vbi de Ceramicis scribit his

decretáque ac titulos apponere assuerant, [g] inter quas Chrysippi imago porrecta manu visebatur, aliorumque philosophorum, diuerso gestu & modo. Singulis enim sepulchris singulæ columnæ affigebantur., cum inscriptionibus & titulis, quos ob egregia quisque facinora meruisset, ibique velut monumentis & trophæis celebrata illorum memoria fuit. [h] Alter verò Ceramicus intra vrbem locus erat Athenis, diuersorium scortorum, [i] cui nomen Casaluio: [k] sicut Græcis Celosta, [l] & Romæ Summenium, vbi prostabant meretriculæ, quæ pluribus notatæ nominibus fuere: [m] nam & Sphinctæ, [n] Casaluades, [o] Lecastrię, Casorides, & Casoritę dictę; [p] apud Latinos lupę. [q] Postea sequuti Cęsares, centuriones legatósque legionum pro magnis officiis in rempubl. consularibus ornamentis, aut equo publico, nonnunquam triumphali statua donauere. Quod à Macedonibus antea fuit vsurpatum. [r] nanque Alexander Macedo centum viginti equites, qui in campis Adrastęis ceciderant, propter multa belli decora, equestribus statuis donauit: illorúmque filios patrum stipendia ferre iussit. [s] Illud tamen haud indignum est quod annotetur, quòd viri triumphales, qui triumphalia ornamenta meruissent, pręcipuo honoris priuilegio, eadem ipsi dona aliis fortiter dimicantibus lege militari impartiri poterant: [t] quódque vigente hoste, & nisi debellato, dona militaria duces largiri non solebant. Et licet milites in castris perexiguo ad vescendum argento vterentur, militaríque disciplina horridus miles, non celatus auro & argento, sed ferro & animis deberet esse munitus: tamen eiusmodi dona, quibus virtutis gratia miles donabatur, veluti inuitamenta virtutum, permulcendis militum animis tanti fuere, itaque animos ad res magnas acuebant, vt his honoribus aucti & confirmati, quisque suum decus faceret, [u] destinaréntque animis vincere aut mori, mortémque potius quàm ignominiosam seruitutem pręoptarent, vitam denique & quæcunque pericula nihili penderent.

Ceramicus alter in vrbe. Casaluium. Celosta. Summenium. Sphincta. Casaluades. Lecastria. Casoritae. Casoritae. Lupa. Alia dona militaria. Ornamenta virtutis militaris forbent in castris.

ANNOTATIONES.

his verbis, Athenis Ceramici loci duo erāt, alter extra ciuitatē, in quo qui in bello cecidissent, publico sumptu sepeliebantur, funebriq; oratione ornabantur. Qui verò in vrbe erat, certa constitutáque erat sedes meretricibus.

g *Inter quas Chrysippi.*] Cicero lib. 1. de finibus. Statua est, inquit, in Ceramico Chrysippi sedentis porrecta manu, quæ manus significat illum in hac esse rogatiuncula delectatum.

h *Alter verò Ceramicus.*] Suidas vbi suprà. Plutarchus in Phocione non adeò longè à fin. & de hoc quoque Diogenes Laërtius in vita Zenonis Cittici post princ.

i *Cui nomen Casaluio.*] Vide num hic legendum sit Caloria. nā hoc vocabulo καλιὰ pro lupanari vsus est Lycophron. Vide tamen infrà in verbo, Casaluades.

k *Sicut Græcis Celosta.*]Sed & ipse Lycophron pro lupanari καλωσιὰ vsurpauit & καλιατά.

l *Et Romæ Summenium.*] Sunt qui scribunt Summœnium, quòd ferè sub mœnibus esset: quasi (vt inquiunt) submænium. At hinc meretrices dictæ sunt, Summœnianæ Martiali lib. 3. epigr. 40. in princ.

Conuiua quisquis Zoili potest esse:
Summœnianas cœnet inter vxoras.

Et lib. 12. epig. 32. ad fin.

Nec plena turpi matris olla resina,
Summœniana qua pilantur vxores.

Sed adde in Suburra, vna ex regionibus Romæ, olim fuisse lupanar, ostendit Martialis lib. 6. epigr. 65.

Fama non nimium bona puellam
Quales in media sedent Suburra,
Vendebat modo praco Gellianus.

De qua quidem Suburra dictum est suprà lib. 4. c. 18. Sunt tamen qui in eo loco Martialis legant Saburra, quæ vox significat arenam illam crassiorem vilioremque, qua naues onerari solent apud Virgil lib. 4. Georg.

—— Et sæpe lapillos,
Vt cymbæ instabiles fluctu iactante saburram,
Tollunt. ——

Et Plinium lib. 10. c. 29. Sed non video quod in hac significatione accipi possit locus ille Martialis.

m *Nam & sphinctæ.*] Spinges meretriculæ vocabantur, & Sphinctæ cinædi, & molles dicebantur, vt dicit Suidas.

n *Casaluades.*] Græcis enim κασαλβὰς & κασαύρα, dicitur scortum. πόρνη, χαμαιτυπίς, meretrix, & κασάλβιον, lupanar, πορνεῖον. Aristophanes autem in Equitibus, κασωρεῖον ponit pro lupanari, cùm scribit:

ἐν κασαυρείοισι λείχων τὴν ἀπόπλυσιν δρόσον.

Sed & apud Antiphanem, κάσαυρα, & κασωρίς, meretrix dicitur. Vnde & κασωρεύς, meretricarius & scortator dicitur.

o *Lecastria*] Læcastriæ legendum est. λαικάστρια enim meretrix ab indecoro ornatu dicitur. Nam λα, intendit, & κάζειν, ornare est. Hinc λαικαστής, scortum, cynædus: λαικάζω, scortor.

p *Apud Latinos lupa.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. post princ. Sunt, inquit, qui laurentiam vulgato corpore lupam inter pastores vocatam putent. Et ita vocatur Plauto in Epidico act. 3. scen. 3.

Deuortunt mores virgini longè, ac lupæ.

q *Postea secuti Cæsares.*] Tacitus lib. 17. Postquàm id Romæ compertum, M. Aponius Mœsiam obtinens, triumphali statua: Fuluius Aurelianus & Iulianus Titius ac Numisius Lupus legati legionum consularibus ornamentis donantur. Plin. epist. 3. lib. 2. Heri à senatu Vedritio Spurinæ principe authore, triumphalis statua decreta est.

r *Nanque Alexander Macedo.*] Sed & ad id, quod de equestribus statuis dicit, adde quod apud Romanos quoque L. Furio, C. Mœnio Coss. triumpho additus est honos (vt tradit Liuius 1. Decad. lib. 8.) vt statuæ equestres eis (rara illa ætate res) in foro ponerentur.

s *Illud tamen haud indignum.*]Plutarchus in Augusto, c. 25. Soles triumphales, quanquam & socios expeditionum, & participes victoriarum suarum, nunquam donis impertiendos putauit: quòd ipsi quoque ius habuissent tribuendi ea quibus vellent.

t *Quodq; vrgente hoste.*] Gellius lib. 5. cap. 6. in Orat. Catonis. Nam principio, quis vidit corona donari quenquam, cum oppidum captum non esset? aut hostium castra non incensa essent?

u *Destinarentq; animis.*] Liuij verba 4. Decad. lib. 9.

Delusiones dæmonum malorum à multis expertas fuisse, qui diuersis imaginibus homines delusere.

CAPUT XIX.

NON est profectò fabulosum, quod apud sanctos viros authores memorant, vt cum tetris spiritibus, quos dæmones vocant, congressum habuerint, illósque diuersis imaginibus, ac multiplici specie propè deluserint: siquidem nostra quoq; memoria id euenisse compertum est. Nuper amicus summus, ingenio & fide singulari, rem dictu admira-

bilem, hæc prodentibus nobis, sibi euenisse enarrauit: quod quum credi vix posset, illam multorum testimonio comprobauit: se quum apud coniunctissimum & sibi familiarem Neapoli diuerteret, & noctis silentio clamantis de via, & opem implorantis vocem hominis audisset, quum accenso lumine aceurtisset, vt quid rei esset inquireret, ibi dæmonem, & dirum quoddam numen, tetra & horribili specie conspexisse, qui iuuenem quempiam clamantem, & reluctantem, in via infestis manibus inuadere quærebat. quo conspecto, quum miser ille ad ipsum quem propè videbat accurrisset, & ne apprehenderetur, quanto poterat nixu ipsius vestem & manum apprehendisset, se, diuino sæpius aduocato numine, quum multum diúque frustra fuisset reluctatus, vix tandem dæmonem abegisse: quo demum abacto, quum iuuenem animo consternatum in domum recepisset, nunquam quòd se dimitteret, aut pallium relaxaret, efficere quisse: tantáque eum torpedo inuasit, vt mente euicta, sui compos non esset, quum sibi prorsus repræsentari & ante oculos obuersari illa species videretur. Tandem ad se redditus, rem quo pacto se habuerat, enarrauit. Constabat enim prauis illum moribus & inciuilibus cum Dei contemptu diu vixisse, in parentésque tunc iurgatum, contumelias & intoleranda probra dixisse, deuotionibus execrationibúsque diris ab his agitatum abiisse. Sed ne cui hæc vana vel ficta sermonibus videantur, author est Thomas monachus, homo minimè malus, cuius ego fidem probitatémque pluribus in rebus expertus didici, qui seriò mihi retulit, quòd quum in monasterio & sacris ædibus quæ in Lucanis montibus sunt, cum pluribus iurgatus foret, & post immodica conuicia & rixas, animo perturbato inde se proriperet: quum per nemora iter solus intenderet, speciem hominis vultu tetro, nigra barba, promissis tunicis, vultu aspectúque deformi & sæuo obuiam habuisse: quem quum compellaret, quid ille solus per deuia errabundus incederet, dixit, equum quo vectabatur amisisse, atque in proximos campos illum euasisse credere: cúmque per sinus inuios equum vna quæsitum pergerent, ad profluentem, in cuius alueo gurgites magni & formidabiles redundabant, deuenisse. Et quum monachus, vt aquam traiiceret, calceos sibi eximere appararet, illum magnopere coëgisse, & tandem peruicisse, vt super spatulas suas ascenderet, potiúsque à se qui corpore maior erat, vectaretur: qui acquiescens, quum super illius spatulas, vt succolaretur monachus, ascenderet, illéque iam aquam ingredi appararet, dum vada exquirit, illius pedes non humana, sed terra & deformi specie conspexit. quo animaduerso, horribili terrore percitus, Deum vt sibi præstò adesset, acclamauit. Mox dæmonem & diram illam speciem, diuino audito verbo, stridore querulo & vi maxima quanta dici potest, ita è conspectu abiisse dicit, vt imminentem quercum ingenti impetu colliserit, ac perfractis ramis funditus euerterit, ipséque consternatus atque exanimis diu iacuerit. Credebat enim, quod à vero non abhorret, nisi præuidisset, illum in rapidissimos vortices & voragines fluminis præaltas se fuisse necaturum. Sed præ omnibus quæ audiuerim aut viderim, res est admiratione digna, quam recenti memoria euenisse comperimus Romæ. Quippe nota res est, quum apud Gabios quidam infimæ sortis & obscuris natalibus adolescens, vesanus & furiosus, cuius praui mores & vita facinorosa fuerat, in parentem grauibus iurgiis conuiciatus foret, post iurgia immodica, quum furiis agitatus, aduocato dæmone, cui se deuouerat homo ille improbus & impurus, furore cæcus & amens discessisset, & Romam petere cœpisset eo consilio, vt aliquod dirum facinus in patrem moliretur: dum iter faceret, dæmonem facie hominis truculenta: sordida barba & capillo, vestéque obsoleta & squalida obuiam habuisse: quò quum simul pergerent, illum interrogasse iuuenem, quem animo anxio & solicito videbat, quid tam tristis incederet: atque ille, quum quid sibi iurgij cum patre fuisset, quódque aliquid scelesti facinoris patrare cuperet, respondisset: dæmonem illum se quoque simili casu percitum fuisse dicere: proinde pergerent, & suas iniurias vltum irent. Cúmque nocte apperente, ad vrbem applicuissent, in proximo hospitio diuertisse, atque in cubiculum quòd à caupone vtrique exhibitum fuit, haud multò post cubitum iuisse: cúmque vnà cubarent, pestem illam immanem, cum illum somno oppressum videret, infestis manibus iugulum hominis apprehendisse, vt elisis faucibus necaret, quem iam oppressisset, ni expergefactus ille, Dei opem & auxilium aduocasset: quo audito, furiam illam teterrimam stridore & tumultu maximo, tantóque impetu cubiculum, vnde euasit, dicitur collisisse, vt tigna & tectum euerterit, tegulásque penitus perfregerit: quo strepitu cum magister hospirij excitatus surgeret, & quid ruinę & strepitus esset inclamaret, allato mox lumine, rem sicuti erat, adolescens ille quem solum & semenecem inuenerat, enarrauit: tectúmque collisum & perfractum, vnde dæmon è conspectu abiit, demonstrauit: quo malo perterritus, cum suæ turpitudinis, & anteactæ vitæ non solum pigeret: sed puderet, diuino afflatus spiritu, perosus scelera, boni exempli & procul à populari tumultu, vitam egit. Multas quoque malorum dæmonum illusiones perspe apud sanctos viros fuisse legimus, quas nostra non semel vidit ætas. Quibus salutaribus exemplis admonemur. vt præmuniti aduersus illorum insidias simus, qui nobis inimici infestíque sunt, & tanquam in specula in insidiis stant: néve desides & ignaui concepta opinione populari, illorum qui ista minimè credunt, in aliquod discrimen dilabamur.

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

HOc caput nihil aliud, quàm miras quasdam dæmoniorum delusiones & præstigia sui temporis enarrat.

a Perusiga

Quando dies tam apud Romanos quàm exteras gentes incipiat: & qui dies atri, quive fausti sint.

CAPVT XX.

PERVVLGATVM [a] ferè est, Ægyptios & Athenienses diem à Solis occasu facere, & ad alterum occidentẽ terminare: ita vt quod spatij inter duplicem occasum fuit, integrum diem putarent. Persæ & Babylonij contrà: nam diem ab ortu Solis incipere, & ad alterum terminari dixerunt. Vmbri & Hetrusci, à sexta hora ad alterius sextam. Romani, à media nocte ad mediam sequentem, ita vt quod inter duas dimidiatas noctes temporis fuit, integrum diem facerent. Vulgus omne, ab oriente luce ad tenebras: Galli & Germani ita sunt meriti diem, vt temporum spatia, non dierum numero, sed per noctium vicissitudines computarent, noctésque diebus anteferrent. Ipsi enim noctes ante diẽ fuisse arbitrati sunt. Fertur Solon Atheniensibus suasisse, vt non ad solis, sed lunæ meatũ dies & tempora dinumerarent. Thebæi verò contrà: nam dies non ad lunæ, sed solis cursum meriti sunt. Fuitque tam Græcorum quàm Siculorum mos, in primis curare, vt snidies mensésque cum solis & lunæ ratione congruerent: & si quid discreparet, tunc vnum diem aut biduum ex singulo mense adiicere, vel adimere. Dierum verò quidam fausti & agendis rebus felices, quidam atri, & tristi omine infames habiti, [b] quibus aliquid moliri, [c] aut nouæ rei inceptare, euentus exitialis erat. [d] In his exercitũ conscribere, legiones educere, manus cum hoste conserere, sponsalia inire, peregre proficisci, aut quicquam publicæ vel priuatæ rei moliri, incepta fœdum & exitiale æstimarunt. Obseruatumque fuit, vt qui hostes bello tentare, vel acies eo tempore committere curarent, rem in non mediocre periculum discrimenque addocerent, magno postea exitio consequuto. [e] Fuisse autem atros duxere dies, post Idus Quintiles, ad quintumdecimum calend. Sextiles duplici clade insignes, quò ad Cremeram Fabij cæsi, & quo ad Alliam fœdè Romani à Gallis fusi fugatique fuere: quibus grauiter afflicta, & in extremum discrimen adducta Romana res fuit. [f] Quare Vitellio pontificatum maximum adepto, quòd diem ad quintumdecimum calend. Sextiles cæremoniis publicis sacram concilio edixisset, dirum omen fuit: qua calamitate doctus populus Romanus, illum diem nullius publicæ vel priuatæ rei insignem & notabilem fecit. [g] Cuius exemplo etiam postridie calendas, Nonas, & Idus mensis cuiusque, religiosos & ominales ac infaustos putauere: propterea quòd maximis cladibus & infandis contumeliis populum Romanum tunc affectum fuisse liquet. [h] Dies quoque Manibus sacros, quum

Ægypt. & Athenienses. Persæ. Babylonij. Vmbri. Hetrusci. Romani. Vulgus. Galli. Germani. Solon. Thebæi. Græci & Siculi. Dies fausti & infausti. Dies atri.

Dies Manibus sacri.

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

a *PEruulgatum.*] Hæc ex Plinio libro 2. cap. 27. Plutarch. problem. c. 84. Gellio lib. 3. c. 2. de Diei initio. Censorino in lib. de Die natali. Macrobio lib. Satur. c. 3. Seruio in lib. 5. Æneid. & eos quoque de hoc latissimè diximus in tract. Retractuum tit. 1. §. 1. glos. 2. in verbo, Et diem. o. 1. & multis seq.

b *Quibus aliquid moliri.*] Liuius 1. Decad. lib. 6. post. priñ. cuius verba non multò post adducemus.

c *Aut noua rei inceptare.*] Gellius lib. 4. cap. 9.

d *In his exercitum conscribere.*] Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 16. de his diebus loquens, Propterea, inquit, non modò prælium committi, verum etiam delectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci, nauem soluere, vxorem liberûm quærendorum causa ducere, religiosum est. Festus Pompeius & de his item loquens lib. 11. Hos, inquit, dies religiosos iudicauerunt, eam ob causam quòd iis diebus ea, quæ occulta & abdita religionis deorum Manium essent in lucem adducerent, nihil in eo in Rempub. geri voluerunt. Itaque per hos dies non cum hoste manum conserebant, non exercitus scribebantur, non comitia habebantur, non aliud quicquam, nisi quod vltima exigeret necessitas, administrabatur.

e *Fuisse autem atros.*] Plutarchus in Lucullo. Gellius libro 5. cap. 17. Macrob. libr. Saturnal. 1. cap. 16. & ante hos Liuius d. 1. Decad. lib. 6. paulò post prin. cuius hæc verba sunt, Tum de diebus religiosis agitari cœptum, diémque ad 15. Calendas Sextileis duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabij cæsi: quo deinde ad Alliam cum exitio vrbis fœdè pugnatum: à posteriore clade Alliensem appellarunt, insignémque nulli rei publicè priuatimque agendæ fecerunt. Cornelius, Tacitus, Funesti, inquit, ominis loco acceptum est, quòd maximum Pontificatum adeptus Vitellius, de ceremoniis publicis 15. Cal. Aug. edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus. Dionys. Halicar. lib. 9. vbi eadem prope dicit. Et de hac quoque die Cicero ad Atticum lib. epistol. 9. epist. 4. Maiores, inquit, nostri, funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quàm vrbis captæ, quod hoc malum ex illo: itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus. Fest. Pompeius lib. 1. Plutarchus problem. cap. 24. Plinius Secundus, si is est, in lib. de Viris illust. cap. 23. Et ex Poëtis Ouid. lib. in Ibin,

Hæc erat in fastis cui dat grauis Allia nomen.

Et lib. 1. de Arte,

Tu licet incipias, qua flebilis Allia luce
Vulneribus latiis sanguinolenta fuit.

Et lib. 1. de Remedio,

—— Nec te peregrina morentur
Sabbata, nec damnis Allia nota suis.

Silius Italicus lib. 8. ad fi.

Maior & horrificis sese extulit Allia ripis.

Lucanus lib. 7.

Et damnata diu Romanis Allia fastis,
Tempora signauit leuiorum Roma malorum.

Et ante hos Virgilius lib. 7. Æneidos,

Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.

f *Quare Vitellio.*] Corn. Tacitus lib. 17. Cuius verba adduximus suprà lib. 2. Et Suetonius in vita ipsius Vitellij c. 11.

g *Cuius exemplo etiam postridie.*] Liuius vbi suprà qui ad ea verba, quæ ex eo adduximus, hæc addit. Quidam quòd postridie Idus Quintiles non litasset Sulpitius Trib. militum, neque inuenta pace deûm post diem tertium obiectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie Idus rebus diuinis supersederi iussum: inde vt postridie Calendas quoque ac Nouas eadem religio esset, traditum putant. Et de hia quoque diebus postridianis Gellius, Verrij Flacci authoritate d. lib. 5. cap. 17. Plutarchus etiam vbi suprà, alias eius rei rationes adfert Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 15. in. fi. & 16. authoritate Gellij lib. 15. Annalium, & Cassij Heminæ lib. 2. Historiar.

h *Dies quoque Manibus sacros.*] Hæc vsque ac clausul. Etiam

mundus patêre dicitur, quibus occulta deorum Manium sacra apparent, plerique omnes veluti atros & ominosos obseruarunt: illosquè velut fœdi exitus & ancipitis fortunæ detestati sunt. Hi fuere dies postridie Vulcanalium, & ante tertium Nonas Octobris, & ante sextum Idus Nouembris.[i] Etiam mense Maio, dies quibus Remuria celebrantur, vt occisi Remi vmbra placaretur: [k] & Nonis Iulij, quæ Caprotinæ dictæ sunt, qua die Romolus apparere desiit. [l] Et dum Feralia seu Parentalia diis Manibus fiunt, [m] ac impuris diebus quibus ancillia nondum condita in templo Martis erant, tam nuptiis quàm itineri ominosos, exitiales & euitabiles duxerunt. [n] Et qua ante quartum Nonas Sextiles populus Romanus ardente Punico bello ad Cannas insignem cladem passus fuit, etiam ante quartum Nonas, calendas & Idus cuiusque mensis, veluti tristi euentu infelices, pari superstitione deuitarunt.[o] Feriis quoque Latinis statis, vel communibus, aut Saturnalibus, ac diebus festis & sacris, ludisquè publicis, licet fausti felicesquè forent, tamen prælium committi, vel rei militaris delectum haberi, aut quoquam peregre proficisci, tanquam piaculari die, ominosum erat, dirum atque pestiferum. Præter hus fuere dies profesti, fasti, intercisi, & præliares: [p] quia feriis publicis quibusdam hostem lacessere vetabatur. Quippe diuisa tempora voluptatis & laborum, remissionum & curarum, Romani veteres habuere. [q] profestis enim diebus, quasi procul à religione, rempub. & priuatam gerere licet, quia comitiales, & comperendinos, & præliares continent. [r] Comitiales fuere, quibus cum populo agi licebat, concilio coacto, nisi si quæ feriæ conceptæ essent, quibus non liceret. Comperendini, quibus vadimonium dicere & vadare permissum: fuitquè animaduersum, in profestis etiam fastos contineri, [s] quibus fari ius erat. [t] Festi verò dies, diis dicati fuere, in quibus forensibus negotiis omissis, sacrificia, ferias, ludos, epulasquè solemnes celebrare, ac inter vota & sacra, faustáque omnia versari, verbisquè prophanis abstinere conuenit. [u] Intercisi autem dicti, in quibus deorum simul atque hominum res agere licet: nam mane & vespere fari inhibetur, medio tempore inter cæsam hostiam & porrectam fari permittitur. Fasti etiam dies, in quibus ius fatur, id est dicitur: [x] nefasti, in quibus non redditur ius, nec fari licet. [y] profestos etiam dies, qui erant ante fastus, nonnulli dictos volunt. [z] Idusquoque Martias, quòd illis C. Cæsar coniuratorum manibus cæsus occubuit, placuit parricidium vocari, ideo inter atros & ominosos receptæ. [a] Quotiesquè incurrente anno, dies cœpit, qui adiectus nundinis foret, totum annum luctuosis casibus, & diro euentu infelicem incurrere opinati sunt. Proditum tamen memoriæ est, statos dies anni, infelices aut fortunatos, apud varias gentes pro multiplici euentu, non vna ratione obseruari, siquidem Chalcedonij cuiusque mensis vigesimam primam diem funestam & portentosam habuere, quòd illa Darij præfectus ipsorum pueros castrauit, & in Persidem misit. [b] Parthi diem qua Arsaces Seleucum vicit, tanquam initium libertatis, faustum felicémque

Remuria. *Dies profesti, fasti, intercisi, & præliares.* *Profesti dies.* *Comitiales dies.* *Comperendini dies.* *Fasti.* *Festi.* *Intercisi.* *Fasti.* *Nefasti.* *Idus Martij.* *Apud veteres.* *Chalcedonij.* *Parthi.*

ANNOTATIONES.

mense Maio. sunt Festi Pom. lib. 11.

i *Etiam mense Maio.*] Ouidius lib. 5. Fastorum,

Romulus obsequitur lucemquè Remuria dixit
Illam, qua positis iusta feruntur auis.
Aspera mutata est in lenem tempore longo
Littera, qua toto nomine prima fuit.

Et Paulò post.

Fana tamen veteres illis clausere diebus,
Vt nunc ferali tempora operta vides.
Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupsit non diuturna fuit.
Hac quoque de causa si te prouerbia tangunt,
Mense malas Maio nubere vulgus ait.

Plutarchus alias afferens rationes cur eo mense vxores non ducantur, proble. 86. Porphyrion interpres Horatij lib. epist. 2. epist. quoque 2. ad fin. Cui cum Ouidio & nostro authore conuenit. Hanc tamen rem, vt superstitiosam, decidit D. Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 5.

k *Et Nonis Iulij, quæ Caprotinæ.*] Vide omnino Macrob. lib. 1. Satur. cap. 11. & Dionys. Halicarnassenm, & Plutarchum in Romulo, & Varronem ling. Latinæ lib. 2. aut aliorum computatione, 6.

l *Et dum Feralia.*] Ex Ouidio lib. 5. Fastorum, cuius verba in eam rem adduximus suprà lib. 2. c. 5. non longè à fi.

m *Ac impuris diebus.*] Idem dicit suprà dicto libro 2. capit. 5.

n *Et qua ante 4. Nonas Sext.*] Macrob. d. lib. 1. cap. 16. authoritate Q. Claudij Annalium lib. 5.

o *Feriis quoque Latinis.*] Hæc vsque ad clausulam, Præter hos. sunt Macrobij, Varronis authoritate libro 1. Satur. cap. 16.

p *Quia feriis publicis.*] Varro in Augurum libris, & ex eo Macrob. vbi suprà.

q *Profestis enim diebus.*] Festus Pomp. lib. 14. Nonius Marcellus in differentiis dictionum.

r *Comitiales fuere.*] Macrobius vbi suprà. & Fest. Pompeius libro 3.

s *Quibus fari ius non erat.*] Scilicet fastis diebus ex Varrone lib. 5. linguæ Latinæ non semel. Cicerone in orat. pro Murena. Ouidio lib. 1. Fastorum,

Fastus erat per quem lege licebat agi.

Et Prisciano lib. 8. cap. 2. quo tractat de significationibus & generibus verborum.

t *Festi verè dies.*] Macrob. vbi suprà. & Plutarc. problem. c. 24. Festos autem & fastos, ne id nescias, eosdem esse dicit Festus Pompeius lib. 6.

u *Intercisi.*] Varro & Macrobius vbi suprà.

x *Nefasti.*] Varro, Macrobius, & Priscianus vbi suprà. Plutarchus in Camillo. Festus Pompeius lib. 6. Nefasti, inquit, dies, N. littera notabantur, per quos dies ea verba fari ius non est: & si prætores ea fati sint, piaculum faciunt. Et hinc est illud Ouidij Fastorum lib. 1.

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur.

Tria autem verba hæc appellat, Do, Dico, Addico. Do quidem dicebant, cùm dabant potestatem citandi aliquem: Dico, cùm pronunciabant sententiam, in causa, quam cognouerant. Addico verò, cùm quis in iure celebrat. De quibus Asconius Pædianus in Ver. act. 3.

y *Profestos etiam.*] Profesti dies, teste Nonio, dicuntur, qui vacui sunt à festiuitate.

z *Idus quoque Martias.*] Suetonius in Cæsare, capit. 88. Curiam, in qua occisus est, obstrui placuit: Idúsque Martias parricidium nominari, ac ne vnquam eo die Senatus haberetur.

a *Quotiesquè incurrente anno.*] Vt patet ex sequentibus.

b *Parthi.*] Iustinus lib. 41.

c *Cyrus.*]

obseruarunt.[c] Cyrus diem qua Scythas & Sacas clade afflixit, adeo felicem habuit, vt eam Sacam appellarit: [d] sicut Asiani festam diem Mutiam nuncuparunt, quod Q. Mutius Asiam singulariter texerat. [e] Athenienses quartam Hecatombæonis, qui mensis erat Soli sacer, duplici victoria insignem, velut fortunatam, obseruandam præceperunt, qua ad Leuctram & Gerestum feliciter pugnatum est. [f] Idem quartam decimam Beodromionis, aut secundum Bœotios, sextam & vigesimam Panemi mensis, quòd Attabazum & Persas è Græcia fugarunt, felices habuere: qua die liberatori Ioui victimas cædunt, & sacrum faciunt. [g] Persæ verò tertiam & sextam mensis Boëdromionis, tanquam lugubres & defamatissimas deuitarunt, quibus in pugna Marathonia, & ad Platæas, & ad Mycalen, à Græcis conflictati, & magnas clades perpessi sunt. [h] Qui etiam diem qua Magi qui regnum occuparant, interempti sunt, tam solennem habuerunt, vt illam Magophoniam, hoc est, Magorum occisionem, appellarent, qua die nulli Magorum extra limen prodire fas est. [i] Mensis quoque Thargelion plerisque manifestum infortunium fecit: in quo Alexander Macedo apud Granicum Duces Regis Thargelionis & Darium clade afflixit: & Carthaginenses à Timoleonte in Sicilia victi, fusi, fatigatique fuere. Contrà verò sextus Thargelionis dies, multis auspicatissimus erat. [k] In eo enim Socratis natalis dies proditur fuisse, & [l] Alexandri Macedonis, qui qua die in lucem editus, eadem vita functus fertur: [m] sicut de Magno Pompeio, qui altera post natalem suum die, & Attalo, qui ipso natali die morte sublati fuere, proditum est. [n] Quam diem [o] Philippus Macedo, vt lætam & fortunatam mirificè obseruauit, quod triplici gaudio delibutus fuit: nam quadrigas suas ea die Olympia vicisse accepit, & Parmenionem ducem hostes fudisse, natúmque sibi Alexandrum filium fuisse. [p] Qua nocte deflagrasse templum Dianæ Ephesiæ authores memorant, [q] ab Herostrato incensum, vt famam nominis scelere propagaret. [r] Qua etiam die iterum Persæ ad Platæas ingenti clade superati traduntur: atque ideo [s] ex voto Milciadis capras trecentas Athenienses quotannis immolare. [t] Ipsi quoque Carthaginenses nouum diem mensis Metagitnionis pluribus calamitatibus insignem & detestabilem habuere, qua magnis infelicitatibus & infortuniis oppressi sunt. [u] Contrà vero Syracusani quartam supra vigesimā mensis Maij, quem illi Carnium vocant, quòd Athenienses cum toto exercitu ad Asinaram flumen memorabili clade profligarant, præcipue felicem habuerunt. In qua re proditum memoriæ est, [x] Timoleontem Syracusanorum ducem præcipuas victorias semper Syracusanis natali suo dedisse, adeo vt ipsius natalis diem omnes Siculi velut multiplicis victoriæ authorem, festum agerent: sicut de Iulio Cæsare proditur, qui Idus Iulij natalem suum fortunatas semper habuit & felices. [y] Xerxes verò diem qua rex dictus fuit, tanquam imperij natalem, singulis annis insignem celebrauit, qua diademate ornatus, gaudio delibutus, cœnam proceribus dabat, cui Titan dixere nomen: [a] fuitque adnotatum, diem qua Alcibiades Athenas

Cyrus. Asiani. Ἑκατομ. Cosür. Βοηδρο. μιών. Πάνεμος. Persa. Magophonia. Θαργηλιών. Sextus Thargelionis dies festus. Carthaginenses. Μεταγειτνιών. Syracusani. Dies natalis Timoleontis. Iulij. Xerxis.

ANNOTATIONES.

c *Cyrus.*] Strabo lib. 11.
d *Sicut Asiani.*] Asconius Pædianus act. 1. in Ver. actio.
e *Athenienses.*] Plutarchus in Camillo.
f *Idem.*] Id vsque ad clausulam, Persæ verò, est Plutarchi in Aristide.
g *Persæ verò.*] Plutarchus in Camillo, & Ælianus de Varia historia lib. 2.
h *Qui etiam ducem.*] Herodotus lib. 2.
i *Mensis quoque Thargelion.*] Id vsque ad clausulam, Contrà verò, est Plutarchi in Camillo.
k *In eo enim Socratis.*] Ælianus de Varia historia lib. 2. vbi de sexta Februar. Apollodorus in Chronicis, & ex eo Laërtius in vita Socratis, vbi tradit, eo die Athenienses lustrare ciuitatem, Deliósque Dianam natam fuisse tradere.
l *Et Alexandri Macedonis.*] Ælian. vbi suprà.
m *Sicut de Magno Pompeio.*] Plutarchus in Camillo.
n *Quam diē.*] Id ei subiūgit, quod ooper de Alexandro dixit.
o *Philippus Macedo.*] Plutarchus in vita Alexandri, & Iustinus lib. 12. ad fi.
p *Qua nocte.*] Cicero lib. 2. de natura deorum, & lib. 1. de Diuinat. Plutarchus in vita Alexandri, post princ. Natus est, inquit, Alexander circa Idus Augusti. Ipso natali die templum Ephesiæ Dianæ concrematum est, sicut Hegesias ille Magnesius vociferatus est, cuius adeo truculenta extitit inclamatio, ac frigida, vt ipsum extinguere debuerit incendium. Iure enim Dianæ templum arsisse aiebat, quæ io Alexandri ortu obstetricando fuisset occupata. Salinus cap. 43. aut aliorum computatione 53. Notatur, inquit, eadem die conflagrauisse templum Ephesi, qua Alexander Magnus Pelle natus est, vbi interpres non eodem die legendum: sed eadem nocte scribit. Idem Arrianus l. 1. Gestor. Alexandri.
q *Ab Herostrato incensum.*] Strabo lib. 14. Cum Herostratus quidam Ephesiæ Dianæ templum incendio consumpsisset, aliud præstantius construxerunt, mulierum ornamentis, & multis opibus ad id collatis, refectisqué prioribus columnis. Addit idem Strabo Artemidori testimonio, Alexandrum impensas omnes pro eo tēplo restituendo fuisse pollicitum, dummodo ipse titulum haberet; illos autem noluisse. Solinus vbi suprà. & Valerius Maximus lib. 8. c. 15. vbi de Cupiditate gloriæ. Gellius lib 2. c. 6. Quondam, ait, à communi consilio Asiæ decretum est, vti nomen eius, qui templum Dianæ Ephesiæ incenderat, ne quis vllo in tempore nominaret.
r *Qua etiam die iterum Persæ.*] Non intelligit de ea die, qua natus est Alexander, de qua postremo loco locutus est: sed de ea tertia vel sexta mensis Boëdromionis, de qua paulò antè. Nam & altera eorum Persæ deuicti sunt ad Platæas, vt scribit Plutarc. in Camillo, & Ælianus lib. 2. Variæ historiæ, vbi de sexta Februarij Octauo Idus eiusdem mensis (scilicet Febr.) aiunt ad Platæas prælium commissum esse, Græcósque superiores euasisse. Persæ enim fusi, atque fugati sunt.
s *Ex voto Milciadis.*] Probus Æmylius in Milciade.
t *Ipsi quoque Carthaginenses.*] Plutarc. in Camillo dicit Carthaginenses vigesimumprimum diem huius mensis μεταγειτνιῶνος, tanquam plurimas maximásque omnium clades attulisset, infaustum habuisse.
u *Contra verò Syracusani.*] Plutarchus in Nicia. Euricles legem tulit, vt dies quo Nicias captus fuit, festus esset, eoque ab operibus vacantes Asinaria festiuitatem solennem celebrarent: fuit: is dies 24. Carnij mensis &c.
x *Timoleontem Syracus.*] Probus Æmylius in vita illius.
y *Xerxes verò.*] Herodotus lib. 9. Quæ cœna semel quotannis eo die quo Rex creatus est, instruebatur. Cœnæ nomen Persicè Ticta, Græcè τέλειον, id est, perfecta: in qua Rex solum caput ornatur, Persásque strenis donat. Huic autem constat Tictam, non Titan legendum esse.
z *Fuitque.*] Plutarc. in Alcibiade, hæc festa πλυντήρια vocat.

ab exilio remeauit, certissimum illi præsignasse exitium, quòd funesta tunc colerentur sacra, qua templi ornamenta deponere, pauimenta tegere, & iustitio indicto à negotiis quiescere mos erat.[a] Sicut quintadecima Iulij mœstissima fuit, qua mulieres Athenis ieiunium seruant.[b] & cum sacra Adonia celebrant, & apud Romanos sexto calendas Aprilis, quo die cultores matris deûm plangere & lamentari incipiunt.[c] Augustus verò mirum in modum obseruauit ne postridie nundinarum quoquam proficisceretur, aut Nonis quicquam rei seriæ inchoaret, quòd illas infortunatas multis fuerat expertus exemplis.[d] Apud Cretenses obseruatum est, vt albis lapillis lætos dies, lugubres nigris calculis adnotarent.[e] Idem apud Thraces.[f] Romani quoque quid quaque die lucri damniue fecissent, literis designabant, quæ ephemerides dictæ. Nam vetusti moris erat, vnumquenque domesticam rationem totius vitæ suæ per dies singulos adnotare.[g] Cæsar autem in consulatu diurna acta senatus & populi publicari mandauit, testantia siue lætum quid, siue triste cecidisset.[h] Fuitqué ex dignitate populi Ro-

Quintadecima Iulij. Postridie nundinarum, aut Nonis. Cretenses. Thraces. Romani. Ephemerides.

ANNOTATIONES.

a *Sicut quintadecima Iulij.*] Vide suprà, vbi de ieiunio.

b *Et cùm sacra Adonia.*] Plutarchus in Alcibiade, & Nicia, Mulieres, ait, Athenienses fortè Adoni sacra celebrabant, atque idcirco multis in partibus ciuitatis cadauerum simulachra, & sepulchrorum imagines positæ erant, circa quæ plangentium mulierum greges versabantur.

c *Augustus.*] Sueton. in vita ipsius, cap. 92. Obseruabat, inquit, & dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur: aut Nonis quicquam rei seriæ inchoaret: nihil in hoc quidem aliud deuitans, vt ad Tiberium scribit, quam *Dysphemian* nominis. vbi interpretes Nonas, non Nundinas legunt. Vide Macrob. lib. 1. Satur. c. 13.

d *Apud Cretenses.*] Horatius lib. 1. Car. Odo 36.

Cressa ne careat pulchra dies nota

Cressa igitur, id est Cretensi, vt exponit Acron. Cretensibus enim mos erat dies lætos albis calculis: nigris contrarios numerare, ex lectorum dierum numero, vnà & tempus metiri: malos enim in annorum numerum non ducebant. In id quoque eum locum Horatij citat Cornutus in Commentariis Persij saty. 2. initio,

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo.

Vide Erasmum in Prouerbiis, Album calculum addere. & Creta notare.

e *Idem apud Thraces.*] Plinius lib. 7. cap 40. Vana mortalitas & ad circumscribendum seipsam ingeniosa, computat more Thraciæ gentis: quæ calculos colore distinctos, pro experimento cuiusque diei in vrnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de vnoquoque pronunciat. Quid, quòd iste calculi candore illo laudatus dies, originem mali habuit? Quàm multos accepta afflixere imperia? Hactenus Plinius. Hincqué ex eo loco Horatij pro Cressa legunt Thressa. Sed in hoc loco nolui prætermittere, alba semper læta & auspicata fuisse credita, vt ex his patet, quæ diximus suprà lib. 3. cap. 5. Sed quibus addes, Atros dies dici infaustos Macrobio lib. 1. Satur. cap. 15. in fi. & Nonio Marcello & omnibus qui de atris diebus loquuntur. Ex quo & illud Virgilij lib. 6. Æneid.

—Ab vbere raptos
Abstulit atra dies.

Et hinc albos deorum filios appellabant, vt scribit Plato lib. 5 de Republica. & ex eo Plutarc. in lib. de Discrimine adulatoris & amici. Ex quo posset videri Virgil. Eclog. 5. Cæsarem candidum vocasse, tanquam deorum filium,

Candidus insuetum miratur lumen olympi.

Candidus, inquit Seruius, id est, deus, vt contrà mortuos, nigros dicimus. Horat. lib. 1. ser. saty. 4.

Hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Sed is locus magis ad animum pertinet, quàm ad alia. Nam & Acron & Porphyrion ibi interpretantur Niger, id est, maleuolus, malus, venenatus. Ctiámque Porphyrion illud Virgilij lib. 4. Æneidos,

—— Nigri cum lacte veneni.

Vbi Seruius interpretatur, Nigri, id est, noxij. Sed quid ad interpretationem Seruij, qui nigros appellari mortuos dicit, pertinet? id certè probat Iuuenalis saty. 1.

Instituitqué rudes melior Locusta propinquas,
Per famam & populum nigros efferre maritos.

Nam & mortem nigram vocat Statius libro 9. Thebaidos cùm dicit,

—— Vrgent præsagia mille.
Funeris, & nigra præcedunt nubila mortis.

Verùm vt redeamus, sunt, qui eum locum Virgilij eclog. 5. interpretentur, vt per candidum, bonum intelligat: Nam paulò inferius dicit,

—— Amat bonus otia Daphnis.

Et Seneca ad Lucillum epist 3. Omnes candidatos viros bonos dicimus. Et ad hæc quoque spectat illud Horatij epist. lib. epist. 2. ad fi.

Quodqué capit vultu mutabilis, albus & ater.

Id est, vt interpretatur Porphyrion, bonus & malus, dicitqué id prouerbialiter. De quo vide amplissimè Erasmū Chil. 1. cent. 6. c. 99. Pythagoras autem dicebat id quod esset colore candido ad boni naturam pertinere: quod atro mali μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων. quo prohibet gustari ex his, quibus cauda est nigra. Interpretatur Plutarchus in Commen. de Liberis instituendis. Ne commercium habeas cum improbis, & iis, qui sunt nigris & infamibus moribus. Huiqué etiam conuenit illud Adagium Iuuenalis saty. 13.

—— Quia tu gallinæ filius albæ.

De quo Erasmus Chil. 1. cent. 1. cap. 78. Apud Athenienses sacra ob lætitiam quampiam faciens alba veste induebatur, vt de Demosthene tradit Plutarc. in vita illius, qui & in Cicerone, tradit Cornelium Lentulum Prætorem, ob facinus coniurationis eo se magistratu abdicare & purpuream vestem deponere, & atram & suæ fortunæ conuenientem, assumere coactum fuisse. Nam & rei criminis atram vestem sumebant. quod Cicero delatus à Clodio fecit apud eundem Plutar. Quòd si quis id non fecisset, id nimiæ gloriæ attribuebatur, ac nonnunquam accusatis obfuit, vt de Milone dicit idem Plutarchus in eiusdem Ciceronis vita. Apuleius libr. 2. Metam. scribit matronam flebilem fusca veste contectam, veluti id signum esset doloris & fletus. Sed & eodem lib. prouerbialiter dicit, Fuscis auibus pro infausto & improspero augurio. Peragrata, inquit, cuncta Thessalia fuscis auibus, Larissam accessi. Nam & cornices, coruos, bubones nigro ac fusco colore aues, inter inauspicatas numerantur Plinio lib. 10. c. 12. Quod miror fuisse prætermissum ab Erasmo in suis Chiliad. Cæterùm albedo omen victoriæ esse significat Virgil lib. 3. Æneid.

Quatuor hîc (primum omen) equos in gramine vidi
Tondentes campum latè candore niuali.

Ex quo Seruius id annotauit quod diximus. Sed & addo hîc quæ suprà diximus lib. 3. de voto Thesei.

f *Romani quoque.*] Cicero in Orat. pro Quintio, Discedens in memoriam reddit Quintius, quo die Roma in Galliam profectus sit: ad ephemeridem reuertitur, inuenitur dies profectionis, pridie Calendarij Februarij Propertius lib. 3. eleg. 22.

Me miserum his aliquis rationem scribit auari,
Et ponit duras inter ephemeridas.

g *Cæsar autem.*] Suetonius in vita illius, c. 20.

h *Fuitqué ex dignitate populi Romani.*] Tacitus lib. 13. Cum ex dignitate

mani, res illustres semper annalibus; quotidiana vero diuruis actis mandare literis. [i] Sed tametsi à rebus arduis ominosa dies deterreat, nonnulli tamen omnem hanc religionem ludificati sunt: prosperoque euentu contra vulgi opinionem minimè obseruandam censuerunt. [k] C. Cæsar cum admoneretur ne ante brumam copias in Africam transmitteret, nulla religionis cura feliciter transmisit. [l] L. etiam Lucullus cum contra Tigranem duceret legiones, nulla fati religione motus, quin pridie Nonas Octobris (quæ dies atra fortè inciderat) contra innumerabiles Parthorum copias prælio decerneret, asserens se ex atro & lugubri felicissimũ illum diem facturum. nec euentus defuit. nam prælium ingressus, parua manu ingentes hostium copias incredibili felicitate superauit: militésque imperium auspiciúmque sequuti suum, memorabili victoria Tigranis regia & regno pariter potiti sunt. [m] Dion quoque Syracusanus, quum contra Dionysium moturus, luna eclipsim pateretur, & tota delitesceret, nullo prodigio aut ostento moratus fuit, quin eiecto tyranno, crudeli dominatu Syracusas liberaret. [n] Quod de Pelopida dum contra Alexandrum Pheræum ducit, & aliis memoriæ proditum est. [o] Romulo quoque, licet felici augurio nato, in ortu tamen & obitu solem defecisse dicunt. [p] Alexander verò Macedo cùm ducturus contra Darium, luna eclipsim pateretur, & ob id milites trepidarent, Ægyptios adsciuit vates, causasque defectionis expromere iussit: qui dum contra Persas dimicaturus, Iunio mense exercitum duceret, quòd apud Macedones luctuosum erat, contempta religione feliciter dimicauit, asserens mensem Iunium, secundum Maium appellari iussisse. Sunt tamen exempla Romanis, eandem diem luctuosam, & mox felicem intercedentibus annis euenisse. [q] Nam qua die Crassus magno dedecore profligatus à Parthis, cæsus fuit, eadem, licet aliquot decursis annis, Ventidius Pacorum & Parthos singulari victoria magnis cladibus interfecit: [r] & die qua à Cimbris profligato exercitu, Romani cæsi fuere ingenti clade, eadem postea Lucullus contra Tigranem & Armenios, quos magna cæde debellauit, & castris exuit, gloriam tulit insignem. [s] Augusto quoque Octauio, idem dies suscepit imperij primus, & vitæ supremus fuisse traditur. Quinto verò Fuluio contigit, vt qua die priore anno ex prætura triumpharat, eadem postea de Liguribus bello victis triumphans vrbem iniret. [t] Græci quoque qua die ad Platæas contra Mardonium feliciter dimicarunt, eadem, licet intercedentibus annis, ad Mycalen vicerunt. [u] Sed sciendum, populum Romanum quoties hostium vim propulsarent, aut illatam iniuriam lacessiti depellerent, quò minus arma sumerent, & hostibus obuiam irent, nulla religione teneri, atrosque atque euitabiles dies nullos censere, illosque tantum obseruare, quum inferenda in hostes arma, non propulsanda forent. Feriaris siquidem diebus vim cuiquam inferre piaculare est, propulsare non vtique. [x] Illud etiam succurrit, ad octauum calendas Aprilis, Romanos lætitiæ diem colere, quem hilaria nuncupant, quo tempore sol zodiaci peragrato spatio per omnes signorum stationes, ad nos reuertens, longiores noctibus efficit dies, quibus festa solennia, & ludos publicos, ac dies hilares concelebrant: quo mense mulieres Veneri sacrum facere, & myrto coronatas lauare tradunt Athenis, Lunæ hebdomadibus festos agere dies, & iuuenes conuiuari solenne fuit. [y] Apud Indos erat patrius mos, vt quum dies primùm augeri incipiunt, rex cum regio comitatu ad flumen lauaturus accedat, equosque & nigros tauros diis immolet, veluti felices & fortunatos. Ipsi enim nigrum albo prætulerunt, & sanctius duxerunt. [z] Quodque Sextilibus calendis ex

Annales Acta diurna. Oterum obseruatio à quibus contempta. C. Cæsar. L. Lucullus. Dion.

Pelopidas. Alexander.

Qui eundem diem luctuosum, & paulò post felicem habuere.

Ro. quando atris diebus à re quapiam auspicanda abhorrerent, & contra. Hilaria.

ANNOTATIONES.

ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres annalibus, talia diurnis actis vrbis mandare.

i *Sed tametsi.*] Vt patet exemplis seq.

k *C. Cæsar.*] Sueton. in vita illius, c. 59.

l *L. Lucullus.*] Id vsque ad clausulam, Dion. est Plutarchi in Lucullo & Camillo.

m *Dion Syracusanus.*] Plutarchus in vita illius.

n *Quod de Pelopida.*] Plutarchus in eius vita.

o *Romulo.*] Plutarchus in vita illius.

p *Alexander Macedo.*] Id vsque ad clausulam, Sunt tamen. est Plutarchi in vita Alexandri.

q *Nam qua die Crassus.*] Vide Appianum in Parthico.

x *Et die qua à Cimbris.*] Plutarch. in Lucullo.

s *Augusto quoque.*] Corn. Tacitus lib. 1. Verùm Suetonius in Augusto, cap. 100. aliter dicit, nempe eundem illi fuisse diem natiuitatis & mortis. Quòd si vterque verum dicit, fuit illi eadem dies natiuitatis, imperij & mortis. Nec longè dissimile est quod de Sidonio Antipatro ferunt, qui omnibus annis vno die tantùm natali corripiebatur febre, & eo consumptus est longa senecta. vt scribit Plinius lib. 7. cap. 51. in fi. & Val. Maximus lib. 1. cap. 8. vt interim non prætermittam Henrico II. huic Regi nostro eundem fuisse diem & natiuitatis & regni. Diem scilicet postremam mensis Martij, eo enim die natus est anno Domini 1518. & mortuus est eius pater Franciscus anno 1546. quo anno Henricus natus erat annum 28. qui numerus quatuor septenarios, aut si mauis septem quaternarios facit, omnium numerorum auspicatissimum & fortunatissimum. quod & nos aliquando diximus in liminari illa epistola ad ipsum Regem, in nostris Commentariis Nobil.

t *Græci quoque.*] Ælianus de Varia hist. lib. 2.

u *Sed sciendum pop. Roman.*] Hæc vsque ad clausulam, Illud etiam. sunt Macrob. Saturn. libro 1. cap. 16. cuius hæc sunt verba, Sciendum est tamen eligendi ad pugnandum diem Romanis tunc fuisse licentiam, si ipsi inferrent bellum. At cùm exciperent, nullum obstitisse diem, quo minus vel salutem suam, vel publicam defenderent dignitatem. Quia enim obseruationi locus, cùm eligendi facultas non supersit?

x *Illud etiam succurrit.*] Idem Macrobius lib. 1. cap. 21. Simulatione, inquit, luctus peracta, celebratur lætitiæ exordium ad octauum Calendas Aprilis: quem diem Hilaria appellant, quo primùm tempore Sol diem longiorem nocte protendit. Flauius Vopiscus in Aureliano, & Lampridius in Alexandro.

y *Apud Indos*] Strabo lib. 15.

z *Quodque sextilibus Calendis.*] Quod planè ostendit Cicero libro epist. ad Q. Fratrem 2. epist. 3. ad fin. cùm scribit, Domus tibi ad Lucum Pisonis Liciniana conducta est: sed vt spero, paucis mensibus post Calendas Quintiles in tuam commigrabis. Tuam in Carinis mundi habitatores Lamiæ conduxerunt. Et alibi in quadam epistola, Calendis, inquit, Iulij remigrandum est. Suetonius in Tiberio, cap. 35. Senatori latum clauum ademit, cùm cognouisset sub Calen.

Iuli

Domibus quando migrarēt Romani. Diebus infaustis etiam in sacris abstinebatur. Hordales dies. Dierum ratio apud Romanos. Noctis partes. Diei partes. Hora balnei. Vmbra. Clepsy- pro Hora duplicet.

veteribus domibus migrare, & nouas incolere Romani consuerant, illásque veluti boni euentus & fortunatas obseruarunt. [a] Neque præterierim, diebus atris & infaustis, pontificum iussu, [b] non modò à bellis gerendis, & reipublicæ cura, sed à rebus diuinis & sacrificiis deorum supersederi iussum. quippe diebus inauspicatis & ominosis nullum sacrificium rite fieri pontifices putarunt, nisi hordæ, hoc est, prægnantes immolarentur boues, qui Hordales dies nuncupati. [c] Romanósque à primis originibus ad primum Punicum bellum, ortus tātum & occasus dierum: postea meridiem, Accenso pronunciante, notare consueuisse. Æuo postea subsequente, diem in horas, noctémque in vigilias diuisisse, ita vt [d] maximam diem in duodecim, minimam verò in decem horas partirentur. Noctem verò ita metiti sunt, vt modò in horas duodecim, [e] nunc in quatuor vigilias etiam longissimas noctes facili diuisione distinguerent: [f] Vesper, conticinium, aliàs intempestatem, gallicinium, & luciferum: sicut in terrenas horas, singulas vigilias pensitarunt. Diem verò in luciferum, mane, ortum, meridiem, & occasum: tametsi diem simul & noctem nonnumquam in horas vigintiquatuor dimensas, veteres obseruasse legamus. [g] Horamque balnei, hyeme nonam, æstate vero octauam fuisse: [h] ipsamque vmbris postea [i] & clepsydris notare consuesse, ita vt tribus clepsydris aut paulo plus, hora finiretur. Horarum quoque duo genera fuere: nanque ex his [k] quædā æquinoctiales, [l] isomerinæ dictæ, quæ pro qualitate temporum, licet vniformes essent, diem à noctu dissimili numero variarunt: aliæ temporales seu vulgares, quæ Græcis cæricæ, quibus singuli dies æstu pariter atque hyeme, duodenis horis conti-

m

ANNOTATIONES.

Iulij demigrasse in hortos, quò vilius post diem ædes in Vrbe conduceret. Martialis lib. 12. epig. 32. in prin.

O Iuliarum dedecus Calendarum,
Vide Vacerra sarcinas tuas, vidi:
Quas non retentat pensiene probina.
Portabat vxor russa trinibus septem.

Et hoc quoque probatur in l. cùm in plures. in princ. ff. locati. cuius hæc verba sunt. Cùm in plures annos domus locata est, præstare locator debet, vt non solùm habitare conductor ex Calendis Iuliis cuiusque anni, &c. Id quod nostri interpretes non intellexerunt.

a *Neque præterierim.*] Varro libro 2. Rei rusticæ, capit. 5. Quæ sterilis est vacca, taura appellatur: quæ prægnans, horda. Ab eo in fastis dies, Hordicalia, nominantur, quòd tunc hordæ boues immolantur. Ex quo intelligi hic Alexandrum atros pro fastis posuisse: quanquam diuersi sunt, vt patet ex Varroae libro 2. aut aliorum computo 5. de lingua Latina: & his, quæ suprà dicta sunt. Sed vt redeamus, Festus Pompeius libro 8. de hac re ita loquitur, Horda, prægnans. vnde dies, quo grauidæ hostiæ immolantur, Hordacia dicta. Sed & de his Ouid. lib. 4. Fast.

Tertia post Veneris, cùm lux surrexerit Idus,
Pontifices forda sacra litate boue.
Forda ferens bos est: fœcundaque dicta ferendo.
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.

Cui concinens ipse Varro libro 2. aut aliorum computatione 5. Fordicidia, ait, à fordeis bubus. Bos forda, quæ fert in ventre, quòd ea die publicè immolantur boues prægnantes in curiis complureis: à fordis cædendis, Fordicidia dicta. Columella libro 6. cap. 24. Post vnum concubitum forda non admittit taurum. Ex quibus vides antiquos authores fordam & hordam promiscuè pro boue prægnante intellexisse.

b *Non modo à bellis.*] Quod suprà dictum est in verbo, Aut nouæ rei. verbo, In his exercitum conscrib.

c *Romanósque.*] Plinius libro 7. capit. 60. eodémque vltimum Duodecim tabulis ortus tantùm & occasus, post aliquot annos adiectus est & meridies, Accenso Consulum id pronunciante. Et paulò pòst, Sed hoc serenis tantùm diebus vsque ad primum Punicum bellum. Hæc ille. Et hinc vtique est versus ille antiquus à Varrone memoratus libro 2. aut, vt dictum est, aliorum computatione 5. non longè à fine.

Vbi primum accensus clamarit meridiem.

d *Maximam diem in duodecim.*] Aliter Plinius lib. 6. c. 34. eodém vlt. & lib. 18. c. 15. Macrob. lib. 1. c. 3.

e *Nunc in quatuor vigilias.*] De his quatuor vigiliis Suidas qui has φυλακὰς, vocat. Vegetius lib. 3. Rei militaris cap. 8. Et quia, inquit, impossibile videbatur in speculis per totam noctem vigilātes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt diuisæ vigiliæ, vt non amplius quàm tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine omnes vigiliæ committuntur. Et finitis horis à cornicine reuocātur. Quæ & ipse quoque iisdem verbis scripsit Modestus in libello de Vocabulis rei militaris ita vt vnus ab altero accepisse videatur. Et certè Vegetius qui tempore Valētiniani Imperatoris, & ad eum scripsit, à Modesto accepit, qui scripsit ad Tacitum Imperatorem, qui longo tempore præcessit Valentinianum. Et idē quoque dicit Diuus Hieronymus in Psal. Harum autem vigiliarum sæpe fit mētio à scriptoribus Et primæ quidem meminit Liuius Decad. 3. lib. 1. Hic erit locus, Magoni ait Annibal, quem teneas. Deligecentenos viros ex omni pedite atque equite, cum quibus ad me vigilia prima venias. Secundæ, Cicero epist. famil. lib. 7. epist. 3. & de hac intelligitur illud Lucani lib. 5.

Tertia iam vigiles commouerat hora secundos.

Tertiæ, idem Cicero in Oratione 3. in Catilinam. & Cæsar, lib. 1. belli Gallici. & Apuleius lib. 3. Meta. Quartæ, Plinius lib. 10. c. 21. vbi has vigilias Castrenses appellat.

f *Vesper, conticinium.*] Hæc vsque ad clausulam, Tametsi diem. sunt maxima ea parte Varronis lib. 2. & 3. aut aliorum computatione 5. & 6. Macrobij libro 1. Saturn. cap. 3. Censorini de die Natali cap. 19. & Seruij libro. 2. Æneid. in eum locum.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono diuûm gratissima serpit.

Sed & prætetea ad id quod de intempestate hîc dicitur, vide Seruium in illud Virgilij lib. 1. Georgic.

Illic (vt perhibent) aut intempesta silet nox
Semper.

Et in illud eiusdem Virgi. lib. Æneid. 3.

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

g *Horamq; balnei.*] Plinius libro epist. 3. epistol. 1. Vbi hora balnei nunciata est: est autem hyeme nona, æstate octaua: in sole, si caret vento, ambulat nudus: deinde mouetur pila vehementer & diu. Martialis horam nonam indifferenter dicit.

h *Ipsamq; vmbris.*] Macrob. lib. 1. Satur. c. 3.

i *Et clepsydris.*] Ex Plinio libro 2. epist. ad Arrianum epistol. eius libro 11. cuius hæc verba sunt, Dixi horis penè quinque. Nam duodecim clepsydris, quas speciosissimas acceperam sunt additæ quatuor, quanquàm nonnulli ibi pro duodecim legunt 10. De clepsydris vide Cæl. Rhodig. lib. 18. c. 39.

k *Ex his quædam æquinoxiales.*] De quibus Plinius libro 28. c. 25.

l *Isomerinæ.*] Cælius Rhodig. lib. 12. c. 9.

m *Solaria.*]

nentur. [m] Solaria enim antiqui eo libramento habuere distincta, vt sexta diei hora, meridies: noctis quoque sexta hora, media nox designaretur. Quum enim lege naturæ radij solares, alij hyberni, alij æstiui sint, ita vmbræ aliæ æquinoctiales, aliæ æstiuæ, aliæ hybernæ fuere. Erant enim horologia figurata, & ea finitione descripta, vt æquinoctialis, brumalis, & solstitialis dies, in partes duodecim assiduè diuisus foret, horásque pro qualitate temporum & dierum, modò maiores, nunc minores, nonnunquam crescentes, aliquando breuiores ostenderent: [n] quod commentum Anaximenes Milesius excogitasse dicitur primus, quas quidem enunciare Romanis puerorum munus erat. Sed quia de balneis mentio facta est, [o] non omittendum, balnea apud maiores nocte, aut ante auroram nulli patuisse, vtque sine metu cuiquam lauare liceret. à primis tenebris ad auroram sequentem clausa fuisse: siquidem noctu lauare veteribus interdictum erat. [p] Hadrianus verò Cæsar ante octauam, nisi valetudine laboraret, publicis balneis neminem admisit. [q] Tempúsque lauandi à meridie ad vesperam destinauit (quo tempore prostatæ meretricibus permissum) [r] lauacráque pro sexibus separauit. [s] Alexander postea Seuerus, ne quid populu incommodaretur, nocturna concessit balnea, oleo pro luminibus præbito. [t] Quæ cum anteà promiscua essent viris æquè & mulieribus, ipse [u] post Antoninum Philosophum lauacra mista summouit, [x] sæpéque cum populo in thermis vna lauit: [y] quod de T. Vespasiano legitur, vt plerunque in thermis admissa plebe lauaret. [z] Et licet à primis originibus, cum pauca essent balnea, & nullius cultus, Romani raro lauarent, brachiáq; & crura labore fatigati tantum abluerent, & toti nisi in nundinis lauarent: [a] tamen post aliquot ætates balnea & thermæ publicis vsibus multimodæ fuerunt, magna mole & sumptu constructæ Alexandrino & Numidico marmore, latis specularibus, mira cælatura & arte. [b] Nam præter Agrippinas, [c] Neronianas, [d] Vespasiani & [e] Titi, celebrantur [f] Domitianæ, Alexandrinæ, [g] Gordianæ, [h] Seuerianæ, [i] Aurelianæ & Constantinianæ, solidissima structura & sumptu profuso. [k] Constátq; Marcum Agrippam, vt populo placeret, centum septuaginta balnea seu lacus in prouinciarum formam, Romæ gratuita præbuisse: [l] in quibus etsi calda priùs ablucrent, postea vt à balneis corpora multa frigida stringerent constitutum ferunt: [m] nec prius vngi,

Quando balnea ingredi licebat.

Quæ tempora meretricibus pro stare permissum.

Balnea virorum & mulierum distincta. Nundinis tota solùmodo lauabant initio.

Thermæ à Cæsaribus structa.

Agrippa centum septuaginta balnea struxit Romanis.

ANNOTATIONES.

m *Solaria.*] De his Censorinus de Die natali c.19.

n *Quod commentum Anaximenes.*] Plin. lib. 2. c. 76. Vmbrarum hanc rationem, & quam vocant Gnomoniceo, inuenit Anaximenes Milesius, Anaximandri (de quo diximus) discipulus: primúsq; horologium, quod appellant Sciotericon, Lacedæmone ostendit.

o *Non omittendum balnea.*] Quod ex sequentibus patebit.

p *Hadrianus verò Cæsar.*] Ælius Spartianus in vita illius, Ante Octauam, inquit, horam in publico neminem, nisi ægrum, lauari passus est.

q *Tempúsque lauandi.*] Vitruuius lib. 4. cap. 10. scribit tempus lauandi maximè à meridiano ad vesperam constitutum esse.

r *Lauacráq; pro sexibus.*] Ælius Spartianus in Adriano. Dion autem etiam in eius vita, ita de hac re loquitur, Dona in theatro, & Circo viris atque mulieribus separatim in spæris: dedit: nam & ne mulieres cum viris lauarentur vetuit.

s *Alexander posteà Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita illius.

t *Quæ cùm promiscua.*] D. Hieronymus in Iouinianum lib. 2. non multò ante fin. Gellius lib 10. c. 3.

u *Post Antoninum Philosophum.*] Iulius Capitolinus in vita illius.

x *Sæpeq; cum populo*] De Alexandro Seuero loquitur ex Lampridio in vita illius.

y *Quod de T. Vespasiano.*] Suetonius in vita ipsius cap. 8. Ne quid popularitatis prætermitteret, nonnunquam in thermis suis, admissa plebe, lauit.

z *Et licet à primis originibus.*] Seneca li. epist. 13. epist. 1. Nam, vt aiunt, qui priscos mores vrbis tradiderunt, brachia & crura quotidie abluebant, quæ scilicet sordes opere collegerant: cæterùm toti nundinis lauabantur.

a *Tamen post aliquot.*] Vt patet ex seq.

b *Præter Agripinas.*] Martialis lib. 3. epig 20. & P. Victor, si is est, in 9. Regione vrbis, & vide Plinium lib. 35. ca. 4. & lib. 36. cap. 25.

c *Neronianas.*] De quibus Martial. lib. 8. epig. 48.

Hæc præsta mihi, Ruffe: vel Brontis,
Et thermas tibi habe Neronianas.

Et lib. 7. epig. 33. & lib. 12. epig. 84. P. Victor in d. 9. Regione, vbi & has posteà dicit Alexandrinas vocatas. Cassiodorus, qui idem dicit in lib. Consulum Ro. Lampri. qui has diuersas facit in Alex Seuero. Eusebius Chronographus.

d *Vespasiani.*] P. Victor in 8 regione vrbis Romæ.

e *Et Titi.*] Suetonius in vita illius, c. 7. Amphitheatro dedicato, thermisque iuxta celeriter extructis, munus edidit apparatissimum, largissimúmque. Dion in eiusdem vita. Martialis lib. 3. epig 20.

Titine thermis, an laudatur Agrippa.

Cassiodorus in Consulibus, vbi hos appellat Titianos P. Victor in 3. Regione, & Eusebius, qui & eas Titianas vocat in Chronicis Olymp. 217.

f *Domitianæ.*] Plutarchus in Publicola.

g *Gordianæ.*] Iulius Capitolinus in Gordiano Iuniore.

h *Seuerianæ.*] Spartianus in vita Seueri. P. Victor in 1. Regione, vbi Seuerias eas vocat. Cassiodorus in Coss. Ro. Eusebius in Chronicis.

i *Aurelianæ.*] P. Victor in 6. Regione. Sed his adde thermas Traiani & Philippi Cæsaris ex eo. Victore in 3. Regione. & Cassiodoro in Coss. Rom. vbi eas postremas (Scilicet Constantinianas) Traianas appellat. de quibus etiam Euseb. in Chronicis Olymp. 217. Et thermas Olympiadis ex ipso Victore, & thermas Adriani ex eod. in 9. Regione. Et Varianas ibi in 13. Regio. Et Diocletianas ex Flau. Vopisco in Probo Imperat. Et Commodianas ex Cassiodoro in Coss. & Eusebio Chronographo, & Lampridio in vita Commodi. Et Antonini Caracallæ, ex Cassiodoro & Eutropio in ipsius vita, & Eusebio in ipsis temporibus, & Decianas ex ipso Cassiodoro, & Posidianas in Baiano, & Ciceronianas Plinio lib. 31. c. 2.

k *Constátq; M. Agrippam.*] Plinius lib. 36. cap. 15. De lauacro autem Agrippæ Spartianus in vita Adriani, tradit Traianum Romæ instaurasse Pantheum, septa, Basilicam Neptuni: sacras ædes plurimas, forum Augusti, lauacrum Agrippæ: eáque omnia propriis & veterum nominibus consecrasse.

l *In quibus & si calda prius lauarent.*] Dion tamen in Aug. scribit Mœcenatem omnium primum, balnea calidarum aquarum in Vrbe construxisse.

m *Nec prius vngi, nisi lauissent.*] Plutarchos Problemat. 39. Hincque illod eiusdem Plutarchi in Pompeio, Cùm cœnæ tempus affuisset, & apparuisset gubernator quę tum aderat,

Balneum sine mercede ab Antonino exhibitum. Imperatores balneis dediti. Patriciorum & plebeiorũ distincta balnea apud Carthaginenses. Græci promiscuè lauabant. Germani. Dardani. Illyrij. Lusitani. Apollonius Tyaneus in Spartanos dictum. Æthiopes Macrobij. Scythæ. Assyrij. Celtiberi. Cantabri.

nisi lauissent, túmque pro singulis olim [n] daretur quadrans, [o] diuus Antoninus ob popularem gratiam balneum sine mercede exhibuit. [p] Commodus verò imperator tanto studio balnea prosequutus fuit, vt septies atque octies diebus singulis lauaret. [q] Quod de Gordiano & [r] Galeno proditum est, qui ęstate quinquies, hyeme verò bis in die lauere. Illud certè satis [s] constat, Carthaginensibus distincta fuisse balnea patriciorum & plebeiorum: moréq; præualuisse, vt in quibus patricij lauabãt, ad illa plebeij non accederent. Græcis verò contra: nulla enim distinctio ordinis fuit aut personarum: diuites namque eum pauperibus lauare, & patricios cum plebeiis nullo discrimine licebat. In quibus tanta plerumque hominum cuiusq; ordinis concurrebat turba, vt balneatores, si vulgi maior vis ingrueret, pertæsi frequentiam, ære granum quòd vertigines facit, carbonibus iniicerent, vt tædio odoris diffugerent. [t] Germani verò non in balneis, sed fluminibus lauabant. Ideo nandi periti, & summi vrinatores habiti. [u] Si quando ea non lauarent balneis, calida abluebãtur, lautiq; vescebãtur. [x] Dardanis & Illyriis ter solum lauare permittitur, primò scilicet natali die, secundò in nuptiis, tertiò in obitu cuiusque. [y] Lusitanis frigida tantum lauare licet, sicut, [z] Spartanis, quibus calda corpus abluere vetitum est: [a] quos cum Apollonios Tyaneus molles & vnguento delibutos videret, aduocatis ephoris balnea interdixit, senectam hominum calida appellans balnea. [b] Cúmq; Ephesij balneis præpositum lapidibus apperent, quòd illa non calefecisset summopere restitit, cùm frigida lauare satius duceret. [c] Æthiopes Macrobij fonte abluuntur, in quo loti, perinde ac oleo vncti, membris agiles fiunt, & violam olent. [d] Scythæ nullo fonte lauant, sed vxoribus aquam fundentibus corpora scabro lapide conterunt, cupresso, cedro & thuris ligno confricantes. [e] Assyriis licet lauare diebus singulis peculiare sit, tamen à coitu & in morte præcipuum. [f] Apud Celtiberos verò obseruatum est, vt in balneis non aqua, sed lotio diu seruato lauent, dentésq; & gingiuas pumicent: quòd & Cantabri factitarunt, hanc optimam curationem, & exhaustis viribus mitè proficere arbitrati.

ANNOTATIONES.

videns Phaonius Pompeium absque seruorum ministerio se abluere procurrit, cúmq; abluit, vnxítque. Et Apulaij lib. 4. Metam. Nudati & flammæ largissimæ vapore recreati, calidáque perfusi, & oleo peruncti, mensas dapibus largiter instructas accumbunt. Et illud Ennij antiqui poëtæ,

Exin Tarquinium bona fœmina lauit & vnxit.

Quamuis alij id ad corpus inertium trahant, vt & nos alibi diximus.

n *Daretur quadrans.*] Horatius lib. 1. ser. saty. 3.

—— Dum te quadrante lauatum
Rex ibis. ——

Et Iuuenal. saty. 6.

Cadere Syluano porcum, quadrante lauari.

Martialis lib. 1. epig. 27.

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum,
Inter delicias quid facit ista fames?

Et lib. 10. epig. 70.

Balnea post decimam lasso. centúmque petuntur
Quadrantes. ——

Et ex oratoribus Cicero in Oratione pro Cælio, Nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. Et Seneca lib. 13. epist. ad Lucilium epist. t. & totius operis 86. Balneum rem quadrantariam vocans Cur enim ornaretur res quadrantaria, in vsum, non in oblectamenta reperta? sic enim legendum, & non quadratoria, vt vulgò legitur.

o *Diuus Antoninus.*] Pios scilicet, ex Iulio Capitolino in vita illius.

p *Commodus verò.*] Ælius Lampridius in vita illius.

q *Quod de Gordiano.*] Seniore, ex Iulio Capitolino in vita ipsius.

r *Et Galeno.*] Lege, Gallieno ex Trebellio Pollione in vita illios.

s *Satis constat Carthaginensibus.*] Valer. Max. lib. 9. c. 5. in fin.

t *Germani verò.*] Herodianus lib. 7. de Germanorum natandi peritia scribens, Sunt enim, inquit, Germani peritissimi natandi, vt qui tantummodò in fluminibus lauentur. & Cęsar de Sueuis, qui & ipsi ea Germanis sunt, libr 4. belli Gallici, post principia scribit, Atque in eam se consuetudinem adduxerunt, vt locis frigidissimis neque vestitus, pręter pelles habeant (quarum propter exiguitatem, magna est pars corporis aperta) & lauentur in fluminibus. & iterum lib. 6.

u *Si quando.*] Cor. Tacit. de moribus German. De balneis autem calidis vide Erasm. Adag. Chil. 2. cent. 3. c. 65.

x *Dardanus & Illyrius.*] De vtrisque Ælianus de varia historia lib. 12. in princ. & Nicolaus de moribus Gentium, & ex eo Stobæus ser. 1. qui dicunt Dardanos esse gentem Illyriæ.

y *Lusitanus.*] Strabo lib. 3. Lusitanorum ritus & mores scribens, inquit, Ad calefaciendum ignitis vtuntur lapidibus, frigida lauantur.

z *Sicut Spartanis.*] Plutarchus in Alcibiade. Idem autem in Apoph. Laconicis: quo loco describit Lacedæmoniorum instituta, tradit eos balneis abstinere. Adde autem quòd Carinus Imperator balneis ita frigidis vsus est, vt solent esse cellæ suppositoriæ, frigidariis semper niualibus. Cùm hyemis tempore ad quendam locum venisset, in quo fons erat aqua pertepida, vt solet per hyemem naturaliter, eáque in piscina vsus, dixisse balneatoribus fertur, Aquam mihi muliebrem præparatis. Atque hoc eius clarissimum dictum efferri ibi subdit. nam ipse aliàs erat omnibus delitiis & voluptatibus deditissimus.

a *Quos cùm Apollonius Tyaneus.*] Philostratus in vita illius lib. 1. c. 12. ad fi. Inde, inquit, quod satis visum esset, cum illis locutus, secedebat ad balneum aquæ frigidæ, senectam hominum balnea appellans, quibus inclusi Antiochenses vitiis maximis indulgerent.

b *Cúmq; Ephesij.*] Idem Philostrat. eo. lib. & cap. paulò post; Ephesiis verò, inquit, balneorum principibus lapidibus cędere volentibus, propterea quod balnea non calefecisset, Vos, inquit Apollonius, balneorum principem accusatis, quia malè lauamini: ego autem vos, quia lauamini. Hispani autem aqua calida lauari post secundum bellum Punicum à Romanis didicere, vt scribit Iustinus lib 44.

c *Æthiopes Macrobij.*] Herodotus in Thalia, qui est liber 3. Cùm speculatores de numero annorum mirarentur, ad fontem quendam eos deduxit, in quo loti efficiuntur perinde atque inuncti, violam olentes. Solinus cap. 43. de Macrobiis, loquens. Est & ibidem, inquit, lacus, quo perfusa corpora velut oleo nitescunt. Ex hoc lacu potus salubetrimus.

d *Scythæ.*] Herodotus lib. 4.

e *Assyrius*] Strabo lib. 16.

f *Apud Celtiberos.*] Hæc, ad vsque ad fi. huius e sunt Strabonis lib. 3. Sed & adde superioribus. Ægyptiorum sacerdotes lauari quotidie frigida, interdiu ter, noctu bis, ex Herod. lib. 2. Et apud Romanos Mæcenatem primum aquæ calidæ balneum in vrbe construxisse, vt tradit Dion in Augusto.

Locu

Locus Martialis in distichis elucidatur, in quo plerique interpretes grammatici lapsi sunt.

CAPVT XXI.

NICOLAVS Perottus Spontinus prælul, homo fuit accurato ingenio, & lectione multa exercitus: cũ Domitius Calderinus, vir, vt in ea tẽpestate, doctus, & æmulatione doctrinæ, & morum dissimilitudine osum habebat iurgiisque & conuiciis apud suos sectatores plerunque incessebat, sæpiúsque apud studiosos in inuidiam illum criménque vocabat: & vt sunt ferè ingenia, in explicandis authoribus siquid in controuersiam veniret, vterque potius, quo pacto diuersus ab alto dissentiret, quàm quid veræ lectionis esset, rimabatur. Cum autem in scholis Romæ eodem tempore Martialis apophoreta publicè lectitarent, [a] cuius hoc distichon fuit:

Nicolai Perotti & Domitij Calderini hallucinatio.

In pretio scopas testatur palma fuisse,
Otia sed scopis nunc analecta dabant.

Perottus in Cornucopia sensus interpretatur, quàm hic Accusatur.

ita istos versus vterque interpretatus est, vt post multa deblaterata verba vix aliquẽ sensum illorum ex dictis elicere queas, cùm modo mendum in versu postremo fuisse alter asseueret, & pro otia, pretium poni oportere, modò asarota non ab à priuatiua, sed intentiua dicta esse affirmet: alter ita pleráque nugalia iurgiis & maledictis plena effundat, vt equidem singula enarrare & referre pigeat. Qui versus si pensitati rectè fuerint, absque multo verborum volumine plani expeditiq; fient. Cùm enim analecta reliquias esse ciborum qui è mensa cadunt in pauimẽtum, nemo dubitet, ipsáq; purgamenta cœnæ, quęq; euerri solent in pauimentis, veluti ibi relicta essent, è paruulis minutisq; testulis per calculos colore distinctos opere lithostroto ita effingi, vt vera videantur, [b] Plinius author sit: atque ideo asarota quasi inuerribilia dicta: quippe cum σάρον Græce scopa dicatur: non ab re, ipsa nũc analecta seu purgamenta, otia scopis dare author affirmat: cum ea in pauimento è paruis testulis effcta, talia forent, vt scopis euerti nullo modo valeant, & ideo otia scopis dare necesse sit, cum his euerrendis nullis scoparum vsus foret. Ipsi verò pertinaci odio dissidentes, non quæ effingi solebant purgamenta cœnæ cogitarunt: sed de veris analectis & reliquiis cœnarum disceptantes, quæ cadunt è mensa in assequendo authoris sensu multipliciter laborarunt. Depicta ergo purgamenta cœnæ, ita solo hærere dixit, vt otia scopis dare necesse foret, quem sensum ita expositum, apertè liquere, neminem fallit.

Analecta.

Asarota.

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

a *CVius hoc distichon est.*] Lib. scilicet 14. epig. 87. & adde eundem lib. 7. epig. 19.

Colligere longa turpe nec putat dextra
Analecta, quicquid & canes reliquerunt.

Et quod Analectes, qui colligit aut vertit ipsa analecta dicitur apud Senecam lib. epist. 3. epist. 17. paulò antè fin. per translationem in eos, qui minutissima quæque colligunt ex authoribus, Suasit illi, vt Grammaticos haberet Analectas. De Caluisio enim Sabino loquitur, qui seruos literatos in conuiuiis ad pedes habebat, vt versus quos referret suggererent. Vide etiam vbi loquitur de Satellio Sabino Quadrato, & de Achille & Vlysse.

b *Plinius author sit.*] In lib. 36. ca. 25. Atque etiam, vt hoc illi addas, Statius lib. 1. sylua. syl. 3.

—Varias vbi picta per artes.
Gaudet humus, superátque nouis asarota figuris.

Exempla legis Iulia & Papia, quibus quæ lege Iulia indulta erant, lege Papia fuere prohibita.

CAPVT XXII.

QVOD [a] lege Iulia de maritandis ordinibus apud veteres cautum fuit, vt hi quibus vigor iuuenilis foret, primo flore ætatis ad vxores ducendas, liberósq; educandos, propagãdámque sobolem non solùm pręmiis inuitati, sed pœna deterriti cogerentur. id [b] lege Papia & Pompeia certo ætatis gradu interdictũ erat: quippe sexagenariis & supra eam ætatem ducere vxores, fuit hac lege vetitum. Turpe enim visum est, & fœdissima res senectuti, vt quibus ad eam ætatem sors liberos non dedisset, aut cælibes vixissent, his quasi emeritis, ætate affecta, aliunde liberos quęrere libido foret. [c] Hanc postea legem Claudius Cæsar abrogauit: nam sexagenarios & vltra, liberos gignere & prolis causa ad coniugium admitti, decere arbitratus est. [d] Rursus quod eadem lex Iulia cauit, quod liberta quæ patrono nupsit eo inuito, ab eo diuertisset, non modò post diuortium alij nubere, inuito patrono, prohibetur: sed patroni coniugium ita lex tutata est, & ratum habuit vt eo etiam volente, alterius coniugij facultatem eripuerit. [e] Id etiam lege Papia inhibitum fuit, siquidem senatorem eiúsque liberos libertinas ducere vxores, perpetua constitutione prohibuit, ita vt inter virum senatorium & libertam, aut libertini status mulierem nullum matrimonium censuerit esse, senatorium videlicet sanguinem libertino admistum, quasi contagio pollui arbitrata. [f] Eadémque lege

Lex Iulia de maritandis ordinib.

Sexagenariis & supra eã ætatem vxorem ducere prohibebatur.

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

a *QVod lege Iulia de maritandis.*] Hæc lex omnibus inuisa & præcipuè equestri ordini, ab Augusto emendata est, atque restituta. Tranquil. in Aug. c. 34

b *Lege Papia & Pompeia.*] Legendum est Pappia Poppea, & vide omnino quæ scripsi in nostris legibus Connubialib. l. 6. num. 20. incip. Idcóque lege Pappia Poppea.

c *Hanc postea legem Claudius Cæsar.*] Sueto in Claudio, c. 23.

d *Rursus quod eadem.*] Ex l. in eo iure. ff. de rit. nupt. in princ.

e *Id etiam lege Papia.*] Ex l. Papia & l. si quis in senatorio, & l. lege Iulia. & aliis compluribus. ff. de rit. nupt.

f *Eadémq; lege Papia.*] Suet. in Nerone, c. 20. Pręmia, inquit. delatorum Papia lege ad quartas redegit, diuisis populo viritim quadringentis numis. Cor. Tacit. lib. 4. sic scribit, Plebeiis congiarium quadrigeni numi viritim dati. Delatores istos in vniuersum sustulit Traianus, authore Plinio in Panegyric. Vldericus Zazius in catalogo legum antiquarum.

Delatoribus præmia lege Papia constituta.

Papia, certa delatoribus præmia constituta sunt: nam quum facinorosi & perditi homines clandéstina facinora admitterent, quæ ad aliorum perniciem & commune tendebāt exitium, vtiléque videretur, plures delatores esse, qui offensas specularentur in principem, ne quid impune perditissimi homines moliti possent, de latoribus certa præmia constituit: eáque quum dimidium illatæ mulctæ antea fuissent, Nero princeps delatorum licentiam volens comprimere, eadem præmia ad quartas reuocauit: [g] quare quadruplatores dicti, quòd quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerant, consequerentur. [h] Tiberius verò Cæsar causa præcipui quæstus, tantum delatoribus tribuit, vt nemini fidem abrogaret, siue quid veri, siue vani referrent. [i] Nam ebriorum sermo excipiebatur, simplicitas iocantium, & quodcunque dictum capite & fortunis luebatur, [k] adeò vt capitale esset, circa Augusti simulacrum seruum cecidisse, vestem mutasse, [l] effigiémque impressam nummo vel annulo, latrinæ aut lupanari intulisse, dictum, factúmque eius aliqua æstimatione læsisse, ita vt primores senatus, & magna hominum vis infimas delationes exercerent. [m] Cúmque senatus de præmiis accusatorum abrogandis aliquando agendum putaret, Tiberius dictitans iura subuerti, si custodes legum amouerentur, tantum licentiæ delatoribus dedit, vt plerique criminis postulati, ante iudicium supplicium præuenerint. [n] Vitellius quoque delatos mathematicos, inauditos capite puniuit. [o] Domitianus dum rapinis intendit animum, ita aures delatoribus patefecit, vt nihil cuiquam tutum esset, delatórque delatorem timeret, & causidici causarum actionibus posthabitis, ad delationes se conferrent. [p] Quod de Constantino traditur, vt delatores omni tempore admitteret, eósque ingenti studio foueret. [q] Non sic Vespasianus & Titus, qui adeo illos insectati fuerūt & odio prosequuti, velut publico exitio destinatos, vt flagellis cæsos per Amphitheatri arenam spectandos traducerent, vt pœnis coerciti, à noxiis deferendis abstinerent, [r] Pius verò Antoninus delatores, si non probarent, capitali pœna affecit: si probarent, oblato præmio dimisit infames. Idem factum memoratur [s] de Opilio Macrino Imperatore, vt delatores minimè admitteret, sed vndique conquisitos, pœnis & damno mulctaret. [t] Fuitque veteri sanctione constitutum, vt neque mulieri, neque damnato criminis, neque militi, aut veteranis, neque viris clarissimis ob dignitatem criminosum deferre licitum esset. [u] Fertur Dionysius tyrannus cum in ciues nullo placatiore animo esset, Sagogidas dispositos habuisse, qui singulorum dicta

Quadruplatores vnde dicti.

Imperatores qui delatoribus auscultarūt.

Qui imperatores delatores auersati.

ANNOTATIONES.

g *Quare quadruplatores dicti.*] Asconius Pædianus 1. in Ver. act. iterúmque 4. Quadruplatores eos vocari tradit, qui eo quæstu se tuebantur, vt eas res persequerentur, quarum ex legibus quadrupli actio erat. Quæ fuit etiam sententia Festi Pompeij lib. 15.

h *Tiberius verò Cæsar.*] Cornel. Tacitus lib. 5. Sueton. in vita illius cap. 61.

i *Nam ebriorum sermo.*] Verba sunt Senecæ de hoc ipso loquentis lib. 3. de Beneficiis cap. 26.

k *Adeò vt capitale esset.*] Sueton. in eo. Tiberio, c. 58.

l *Effigiémque impressam.*] Et hoc quoque est Senecę d. lib. 3. de Beneficiis, & Sueton. vbi suprà proximè.

m *Cúmque Senatus.*] Id vsque ad clausulam Vitellius. Est Taciti lib. 4.

n *Vitellius.*] Sueton. in vita illius cap. 14.

o *Domitianus.*] Suet. in eiusdem vita, c. 12. Vnde & de eo loquens Plinius Secundus in Panegy. ad Traianum, Vidimus, inquit delatorum iudicium, quasi grassatorum, quasi latronum. Quanquam Martialis lib. 1. epig. 4. scribit Domitianum initio principatus delatores grauissima pœna affecisse, his verbis,

Turba grauis paci, placidaq; inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Tradita Getûlis, nec cœpit arena nocentes:
Et delator habet quod dabat exilium.
Exulat Ausonia profugus delator ab vrbe.
Impensis vitam principis annumeres.

Idem scribit Tranquillus in eiusdem Domitiani vita cap. 9. Fiscales calumnias, magna calumniantium pœna repressit: ferebatúrque vox eius: Princeps, qui delatores non castigat, irritat. Sed neque in clementiæ, neque in abstinentiæ tenore permansit: & tamen aliquantò celerius ad sæuitiam desciuit, quàm ad cupiditatem. Nam (authore eodem Tranquil. cap. 12.) nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo. Bona viuorum ac mortuorum vsquequaque, quolibet & accusatore & crimine corripiebantur. Satis erat obiici qualecunque factum dictúmque aduérsus maiestatem Principis, &c. Hinc est vt conqueratur Iuuenalis saty. 1.

— Et post hunc magni delator amici,
Et citò rapturus de nobilitate comesa
Quod superest: quem Massa timet, quem munere palpat
Carus & à trepido Thymele summissa Latino.

Et satyra 4.

Vnde fit vt malim fraterculus esse gigantum.

Eius crudelitatem taxat iterum Plinius in Panegy. Traiani. Quem nuper immanissima bellua, velut quodam specu inclusa, nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum ciuium strages cædésq; proferret, &c.

p *Quod de Constantino.*] Pomponius Lætus in vita illius. & Ruffinus Ecclesiasticæ historiæ lib. 19. Adde & de Maximo apud Herodianum lib. 7.

q *Non sic Vespasianus & Titus.*] Suetonios in vita Titi, c. 8. ad. finem. & Dion. in eiusdem Titi vita.

r *Pius verò Antoninus.*] Iulius Capitolinus io vita illius. Eusebius historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. c. 9. Idem præstitit Aurelius Cæsar, vt scripsit idem Eusebius d. lib. 4. c. 19.

s *De Opilio Macrino.*] Iolius Capitolinus in vita illius. Herodianus lib. 5. sic scribit, Delatores autem & serui omnes, quicunque dominos detulerant, patibulo suffixi, totáque vrbs, atque adeò Romanum imperium sceleratis hominibus perpurgatum, partim sopplicio affectis, partim exilio multatis. Adde quòd Plin. in Panegyric. laudat Traianum quòd idem factitauerit, quod delatores quos impunitos reliquerat. Netua puniuerit, quorum turba insulas compleuit, quorum supina ora retortásque ceruices spectauere Romani, cùm velut piaculares victimæ ad supplicia ducerentur. Sed & Pertioax (authore eodem Herodiano lib. 2.) delatores vrbe exegit, & vbiubi inuenirentur puniri imperauerat: cauens ne cui de vanis criminibus periculum conflaretur. Gordianus item eos omnes exilio affecit, vt scribit idem Herodianus lib. 7.

t *Fuitque veteri sanctione.*] l. deffcrre. ff. de iure fisc. & C. de delat. l. vlt. lib. 10.

u *Fertur Dionysius tyrannus.*] Cælius Rhodiginus lib. Antiquarum lectio 21. cap. 17. ad finem, scribit Dionysium habuisse Prosagogidas, impios homines, quorum opera emissitia captabat, quod quisque de tyranno vel sentiret, vel loqueretur. Hos Plutarchus in lib. de Curiositate ad finem,

vocat

factáque referrent. [x] Circa patroni quoque ad bona liberti admissionem, & patronatus iura, eadem lex satis commode prouidit: nam si libertus, cui centum millium sestertiorum census fuisset, duos vnúmve liberos post obitum reliquisset, ad virilem bonorum partem patronum admittebat: si vero tres aut vltra haberet filios superstites, nihil ex bonis liberti hac lege patrono debebatur. [y] Fuere quoque & alia legis Papiæ salubriter constituta, inter quæ vt viginti Vestales virgines, quæ sacri & æterni ignis perennem curam agerent, pontificis maximi scitu ad sacerdotium eligerentur, & cooptarentur. [z] Vtq; nemo ad honores magistratúsve admitteretur, nisi ciuis effici aut ciuitate donari antea meruisset. [a] Propterea Marco Perpennæ probrum obiectum fuit, falsóq; consul fuisse creditus est, quòd contra legem Papiam, priusquam admitteretur ad ciuitatem, consul factus fuit. Procedente mox tempore, cum ius ciuitatis passim & sine delectu etiam infimæ sortis hominibus daretur, idq; fœdum, neque ex imperij maiestate visum foret, lege Papia cautum, vt peregrini vrbe Romana vti prohiberentur, ad eâmque alienigenæ non admitterentur. [b] Sed quamuis lex Iulia libertinarum coniugia priori constitutione admiserit, lapsis postea temporibus eadem lex libertinas, & ludicram aut scenam exercentes, senatorio viro admisceri graui pœna interdixit, videlicet, ne senatorius ordo contagio libertinarum pollueretur. Verba ex ea lege hæc sunt: Qui senator est, quíve filius, nepósve ex filio, pronepósve ex filia natus, cuius eorum est, eritve, ne quis eorum sponsam vxorem nesciens dolo malo habeto libertinam, aut eam quæ ipsa, cuiúsve pater matérve artem ludicram facit fecerive, sponsa nuptáve sciens dolo malo esto. Néve quis eorum dolo malo sciens, sponsam vxorémve habeto. Hactenus lex Iulia. Post aliquot verò ætates [c] Aurelianus Cæsar constitutiones legis Papiæ velut vanissimas induxit & abrogauit. [d] Claudius verò Cæsar adeo liberarum mulierum, quæ seruis nubunt, coniugium odio prosequutus fuit, vt præter legem ingenuitatis, prætérque instituta maiorum, filios inde editos, non ingenuæ conditionis, sed libertinos esse, iuráque libertorum nancisci, & ingenuitatis amittere, lege sanciuerit: ipsáque, si maritus ignorasset, serua esset: si autem conscius fuisset, liberta. [e] Diuus verò Vespasianus statuit edicto, vt libera quæ se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur: [f] contrà verò alia constitutione cauit, vt si serua mulier hac lege væniret, ne prostitueretur, si contra legem venditionis prostituta foret, vt esset libera: prostituénsque ius patronatus non haberet. [g] Ægyptiis autem nullus ex serua genitus, habetur seruus, aut illegitimus: quia solum patrem ingenuitatem & genus præstare, matrem verò natalibus nihil conferre putabant. [h] Pericles autem Athenis author fuit, vt qui ex serua, aut non legitimo coniugio nati essent, vel turpi nota affecti forent, ciuium non haberentur numero, sed externorum.

Lex Papia ab Aureliano abrogata.

Claud. lex in liberas seruis nubentes.

Vespasiani edictum.

Ægyptij quos seruos æstimarint.

Pericles.

ANNOTATIONES.

vocat *ἀνακτάς*, id est, accusatores. Vide Erasmum in prouerbio Midas.

x *Circa patroni quoque.*] l. 1. & l. si libertus præterito. §. vlt. ff. de bon. damnat. & alibi eod. tit.

y *Fuere quoque & alia.*] Gellius lib. 1. c. 12.

z *Vtque nemo ad honores.*] Tranquillus in Augusto, cap. 47. & Dionysius Halicarn. lib. 2.

a *Propterea M. Pepenna.*] Valerius Max. lib. 3. c. 4.

b *Sed quamuis lex Iulia.*] Hæc omnia vsque ad clausulam, Post aliquot. sunt Pauli Iurisconsulti in lege Iulia. in prin. ff. de rit. nup. vbi & verba ipsius legis, vt hîc posita sunt.

c *Aurelianus Cæsar.*] Vopiscus in vita illius.

d *Claudius verò Cæsar.*] Corn. Tacitus lib. 5.

e *Diuus verò Vespasianus.*] Sueton. in vita illius, c. 11. Repertor huius relationis fuit Pallas ille libertorum potentissimus. Nam si turpis domini existimatur concubitus cum ancilla, longè turpior videri debet dominę consuetudo cum seruo: quoniam, vt inquit Quintilianus in quinto, nō idem est dominum cum ancilla coisse, quod dominam cum seruo. Apud Iureconsultos tit. ad legem Iuliam de adulteriis tractatur de seruo adulterij accusato: iubet lex eos seruos, de quibus quæstio adulterij habita sit, publicos esse. Apud Ægyptios mulier deprehensa naso mutilabatur, vt ea parte multaretur, qua maximè facies exornatur: in adulterio deprehensus virgis ad mille plagas cædebatur. Diodorus author in secundo Bibliothecees c. 3.

f *Contra verò alia.*] Vide l. Diuus Vespasianus. ff. de iure patron. quæ de hac re loquitur, sed paulò aliter, & l. sed si hac. §. 1. ff. de in ius vocari. & l. si quis sub hoc pacto. ff. de contrah. nupt. & l. Titius. vers. quod si prior. C. de ser. export. & l. 1. & 2. C. si mancip. ita væn. ne prostit.

g *Ægyptiis autem.*] Idem Diodorus ibid. paulò post ad fin.

h *Pericles.*] Plutarchus in vita illius, de quo & nos alibi diximus.

Quod ius, quave potestas dictatoris Romæ & exteris fuerit, & à quibus dici & quanto tempore debuerit.

CAPVT XXIII.

QVi de creando dictatore exploratū ius habuere, hoc quoque adnotarūt, dictatorē dici qui [a] apud veteres magister populi vocabatur: idque [b] libris auguralibus extare, magno argumento: quòd ab eo magister equitū dicitur. [c] In eo enim ius maiestatis & totius imperij fuit, cuius ductu & auspicio sæpe respublica & imperium stetit, [d] quem magistratū ex

Dictator quis.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIII.

a APud veteres magister populi.] Cicero lib. 3. de finibus, & in lib. de Repub. & ab eo Seneca Epistolarum ad Lucilium lib. 19. epist. eius lib. 1. omnium 108. & Varro lib. 1. aut aliorum computatione 4. Vide Cælium Rhodiginum Lect. antiq. lib. 12. c. 17.

b *Idque libris Auguralibus.*] Seneca vbi nuper citauimus.

c *In eo enim ius maiestatis.*] Hæc probantur ex iis, quos infrà citabimus.

d *Quem magistratum ex Albanis.*] Dionysius Halicar. lib. 5. non longè ante fin.

Vergobretus. Ibes. Sufet. Diœcetes. Megistanes. Chiliarchus. Hipparchi. Asiarcha. Magnetarcha. Diorigius. Demiurgus. Archin. Medix. Mediatuticus. Demarchus. Democrates. Satrapes. Dynastes.

Albanis deductum autumant, plerique à Græcis, quos illi [e] αἰσυμνῆτας, aut à Lacedæmoniis, quos ἁρμοστὰς, [g] Thessali archos dixere, qui parem regiæ dignitati potestatem habent. [h] Hedui vergobretum, summum magistratum, qui vitæ necísque imperium tenet: Iberi, Ibem vocant: [i] Pœni sufetem, [k] Ægyptij diœcetem, qui post regem totius regiæ curationem habet: [l] sicut apud Persas megistanes [m] & chiliarchus. [n] Hi verò æsymneiæ veluti tyranni quandoque imperitarunt, [o] qualem Mitylenæi Pittaeum elegére: [p] & hipparchi apud eosdem, [q] & Trallianis asiarchæ: [r] Apud Magnetes magnetarches: [s] ab Achæis diorigius & demiurgus, [t] à Thebanis archinus, [u] ab Oscis medix summi magistratus appellati: [x] apud Carthaginenses dionysiarchos, [y] Capuæ mediatutieus, [z] Neapoli demarchus, [a] Tarenti Democrates, [b] in Cappadocia satrapes, [c] in Paphlagonia dynastes, [d] apud Longo-

ANNOTATIONES.

e *Αἰσυμνῆτας.*] Αἰζυμνῆτας scribendum ex Dionysio in eodem loco, & vide infra in verbo, Hi verò Æsymnetæ.

f *Aut à Lacedæmoniis.*] Dionysius ibi. Sed tu vide quæ dicam inferius lib.6.

g *Thessali Archos dixere.*] Dionysius item ibi.

h *Hedui Vergobretum.*] Cæsar. lib.1. belli Gallici.

i *Pœni suffetem.*] Liu. 3. Deca. lib.8. atque item 10. & iterum 4. Dec. lib.4. ad fi. Festus Pompeius lib.17. Suffes, ait, consul lingua Pœnorum. Claudius Senatus inquit, censuit referentibus Suffetis.

k *Ægyptij Diœcetem.*] Cicero in Oratione pro C. Rabirio Posthumo in duobus locis. Latinè dispensator dici potest.

l *Sicut apud Persas Megistanes.*] Ammianus Marcellinus tradit apud Persas neminem consiliorum esse conscium præter Megistanas. Vide omnino in nostris Commentariis Nobilitatis c.37. n.30. incip. Magnates. Id etiam adde & apud Armenos ex Corn. Tacito lib.15. Sed, vt non omittas, quod scribitur Marci ca.6. Herodem in natali suo megistanas adhibuisse: Erasmus vertit, primates, siue primores.

m *Et Chiliarchus.*] Probus Æmylius in Conone. Strabo lib. 4. vbi dicit Reges ita vocari veluti potentes. Herodotus autem lib.7. dicit Chiliarchas apud Persas dici, qui mille: vt myriarchæ qui decem millibus præerant. At Seruius enarrans illud Virgilij lib.9. Æneidos.

—— Ast illos centeni quenque sequuntur
Purpureì cristis iuuenes. ——

Ex numero, inquit, militum, qui eos sequuntur gradus dignitatis apparet ex more Romanæ militiæ. Vnde & milites dicti à mille: & tribuni militum dicti sunt. χιλίαρχοι.

n *Hi verò Æsymneta.*] Aristoteles lib.2. politicôn ca.10. & eundem vide c. seq. & iterum lib.4. c.10.

o *Qualem Mitylenæi Pittacum.*] Dionysius Halic. li.5. paulò ante fin. sæpius authoritate Theophrasti in commentario de Regno.

p *Et Hipparchi apud eosdem.*] Scilicet Mitylenæos. Atque etiam apud Athenienses ex Iulio Polluce libro 7. cap. 35. & Halicarnassæo libro 6. in princip. & Pausania libro 1. Est autem Hipparchia præfectura & quasi magisterium equitum.

q *Trallianis Asiarchæ.*] Strabo lib.14.

r *Apud Magnetes Magnetarches.*] Liuius 4. Decad. lib.5. in duobus locis.

s *Ab Achais diorigius & demiurgus.*] Liuius 4. Dec. lib.2. statim post orationem Aristheni prætoris Achæorum, Tum inter magistratus gentis (demiurgos vocant: decem numero creantur) certamen nihilo segnius, quàm inter multitudinem esse, & iterum eiusdem Dec. lib.8.

t *A Thebanis archinus.*] Paulus Æmylius in Pelopida dicit Tesarchon, nisi ibi mendum sit.

u *An Oscis Medix.*] Ennius de Oscis, Italiæ populis loquens.

Summus ibi capitur Medix, occiditur alter.

Et ex eo Festus Pompeius lib.11. non multò ante finem.

x *Apud Carthaginenses Dionysiarchus.*] Hic idem magistratus apud Pardios Siciliæ populos summus erat, vt tradit Cicero in 6. in Verrem actione.

z *Capua Mediatuticus.*] Legendum Mediastuticus ex Liuio 4. Decad. lib.4. iterúmque 6. Mediastuticus, inquit, qui summus magistratus apud Campanos est, eo anno Seppius Lesius homo loco obscuro, tenuísque fortuna ortus.

z *Neapoli Demarchus.*] Ælius Spartianus in vita Adriani, ita scribit, Apud Neapolim Demarchus in patria sua quinquennalis fuit, Athenis Archon. Dicitur autem δήμαρχος princeps populi & Tribunus plebis.

a *Tarenti Democrates.*] Emoriar ni Alexander hîc lapsus sit. Democrates enim proprium nomen fuit eius, qui primùm præfectus classis Hannibalis fuit: deinde ab eo præpositus præsidio Tarentinorum, vbi fortiter dimicans interemptus fuit. Liuius 3. Dec. lib.7.

b *In Cappadocia Satrapes.*] Strabo lib.11. post princ. sic scribit, Macedones Cappadociam in duas Satrapias à Persis diuisam accipientes, partim spontanei, partim inuiti, ex satrapiis in regna redegerunt. Constat etiam satis ex Trebellio Pollione in Gallienis & aliis multis scriptoribus, Satrapes Persarum fuisse. Nam & ea dictio propriè Persica est, qua sæpe vsi sunt Curtius & Plinius.

c *In Paphlagonia Dynastes.*] Probus Æmylius in Datamis vita post princip. Sed & adde aliorum quoque fuisse hunc magistratum siue imperium, vt patet ex Strab. lib.9. & Eusebio de Temporibus, dum loquitur de Ægyptiorum politeia & dynastia. Dynastarum meminit Cice. in epistol. ad Atticum lib.2. epistol.9. eius lib. & 25. totius operis: Etenim quantum auguramur, erit nebulo iste cum iis Dynastis in gratia. & Philippica 2. Itémque si cæteri Reges, Tetrarchæ, Dynastæque fecissent. Cæsar lib.3. belli Ciuilis, vbi tradit Pompeium magnam vim auri imperasse Asiæ, Syriæ, Regibúsque omnibus, & à Dynastis & Tetrarchis, & liberis Achaiæ populis pecuniam maximam exegisse. Hirtius lib.4. belli Alexandrini tradit Cæsarem Reges, Tyrannos, Dynastas prouinciæ, qui ad eum concurrerant, in fidem recepisse. Sueton. in Tyberio, cap. 26. Ac ne Augusti quidem nomen, quanquam hæreditarium, vllis, nisi ad Reges ac Dynastas, epistolis addidit. Græci (author est Strabo) vocant Dynastas dominos ac potentes, & Dynastiam ipsam vim & principatum, propterea quòd plurimum possunt, polléntque, & populos, quò velint, aut vi, aut persuasione perducant. Meminit & horum Iosephus Antiquit. lib.19. cap.7. eodémque vlt. non semel. & lib.20. cap.1. ad fin. & cap.2. & alibi sæpe.

d *Apud Longobardos Exarchus.*] Volaterranus Geographiæ lib.4. vbi de Gallia Togata, sic scribit, Hæc sedes quondam Exarchatus, qui magistratus cœpit anno 620. à Iustino primùm excogitatus, vt Imperatoris quodammodo vicarius in Italia foret, eáque fuit authoritate, vt Pontifex Romæ creatus ab eo probaretur. Durauítque annos 164. Sed his adde apud Samothraces Theondam summum magistratum fuisse Liuio 5. Decad. lib.5. post princ. Arabes, Arabarches habent de quibus Iuuenalis saty.1.

Atque triumphales inter quos ausus habere
Nescio quis titulos Ægyptius aut Arabarches.

Ex quo Cic. Attico lib.2. epist.17. & totius operis 33. ad fin. Pompeium Arabarchen appellat, quòd eam Arabiæ partem, quæ Syriæ coniuncta est, domuisset: quanquam sunt qui hanc Ciceronis appellationem ad M. Antonium referant: & inter cæteros Alciatus Prætermissorum lib.1. & Cælius Rhodeginus lib. 18. c.35. in fin. In nostris etiam legibus Arabarchiæ fit mentio in l. vsurpationē. C de vectig. Com. vbi ita scribitur, Idem AAA. eidem Comiti sac. largit. Vsurpationem

pationem

bardos exarchus, [e] Cretensibus cosmi fuere, qui vice regum imperitarunt: quibus in vsu erat, vt nunquam caput rasitarent, sed barbam capillúmque summitterent: [f] sicut Platæensium princeps, ferrum tangere, aut aliam vestem quàm candidam induere, perpetua lege vetabatur. [g] Persis vnus Rex summæ potestatis perpetuo præerat, & nunquam nisi morte mutabatur. Argis licet vnus foret, tamen annis singulis amoueri iterum est. [h] Athenienses quum regali antea regerentur imperio, postea regio dominatu abrogato, libertatem tuentes, popularem statum delegere. [i] Apud Lacedæmonios verò, qui summum gerebat imperium, aliquando Rex fuit, qui ex Heraclidarum genere eligebatur, ex quo nouissimi Spartæ regnarũt imperio illibato, aut ex Euricionitidis & Agidis familia, sæpius duo ex stirpe [k] Procli & Euristenis prognatii Herculis, ex quarum altera in alteram transire non licebat: [l] qui tamen non vt reges summum ius habebant, quia iuris omnis publici potestas penes senatum erat. Sic in Papho ex Cinirasorum gente, [m] & Athenis ex Erichthei stirpe magistratus ad sacra Ceteris fiebant. [n] In Ionia quoque nisi ex Codri progenie Rex nemo poterat: & apud Milesios nisi ex Scamandri Hectoris filij, & Ascanij Æneæ. [o] Idem apud Marcomannos & [p] Quados, ex Marobudui & Tudri genere, [q] exemplo Rheginorum, quibus princeps ex Messeniorum stirpe fit. [r] Persici quoque reges ex Achemenidarum familia soli fiunt. Et apud Siculus ex Teline prognati, inferorum deorum longo tempore sacrificuli erant, qui à duobus quæstoribus regi solebant summæ potestatis, vnò Lilybætano, altero Syracusano. [s] Etiam Corinthi Bacchiadum familia annis ducentis imperitauit, quos Cypselus tyrannus postea exegit, cuius factionis Demaratus & Tarquinius domo eiecti, regnum Romæ tenuerunt Nonnunquam seniores & nobilissimi popularium, Lacedæmoniis amplissimum gessere magistratum. Parthi quandoque ex duobus collegiis, cognatorum scilicet & magorum, binos reges erearunt. [t] In Meroe nemo summorum gerebat imperium, nisi qui prævalido corpore cæteris antestaret. [u] Gordij regem quàm obesum & præpinguẽ esse voluere, quòd ex corporis mole animi indolem diiudicarent. [x] Apud Medos, nisi qui viribus excelleret, præcipuóque robore cæteris emineret, iure gentis nemo Rex eligitur, & in Libya solum qui citissimo cursu valeret, pro rege imperitauit: [y] sicut apud Catheos

Exarchus. Cosmi. Platæensiũ princeps. Persarũ rex per vitã regnabat. Argi. Atheniẽsiũ democratia. Lacedæmonij. Paphij. Atheniẽses. Iones. Milesij. Marcomanni. Quadi. Rhegini. Persæ. Siculi. Corinthij. Parthi. In Meroë. Gordij. Medi. Libyes. Cathei.

ANNOTATIONES.

patiuntur totius licentiæ submouemus circa vectigalia Arabarchiæ per Ægyptum atque Augustaneam constitutum. Ex quo potes intelligere Arabarcheo dictum fuisse eum qui præfectus esset huiusmodi vectigali. Apud Rhodios Prytanis Liuio 5. Dec. lib. 2. Hergesilus, cùm in summo magistratu esset (Prytanim ipsi vocant) multis rationibus permouerat Rhodios, vt &c. Apud Bœotios Bœotarchus eidem Liuio 4. Decad. lib. 3. & 5. Decad. lib. 2. vti etiã apud Thebanos Æliano variæ historiæ lib. 13. vbi de Epaminũda. Apud 12. populos Tusciæ, fuerunt & 12. Lucumones scilicet singulos singuli, qui ligua Etrusca reges sunt: vt scribit Seruius lib. 2. Æneid. in eum locum,

— Quæ circum plurima muros
Accepis patrios. —

e *Cretensibus Cosmi fuere.*] Aristoteles lib. 2. Politicôn c. 8. dicit Cosmos apud Cretenses eandem vim & potestatem habuisse, quã Ephori apud Lacedemonios, nisi quòd Ephori tantùm quinque erant, Cosmi autem decem. Et quòd illi ex omni populo eligebantur, hi ex certis quibusdam familiis.

f *Sicut Plataensium princeps.*] Plutarchus in Aristide.

g *Persis vnus Rex.*] Herodotus lib. 3.

h *Athenienses.*] Ælianus in libr. de Politiis. Plutarchus in lib. de Tribus reipub. generibus.

i *Apud Lacedamonios,*] Pausanias lib. 3.

k *Procli & Euristhenis.*] Euristhei legendum est ex Herodoto lib. 5. vbi de Anaxandride Spartanorum Rege loquitur. Sed hic tamen eundem vide lib. 7. vbi Leonidæ Regis Spartani genealogiam declarat. Et lib. 8. vbi etiam Leotychidis Spartanorum Regis geneaalogiam describit. vbi inter cætera Procli meminit.

l *Qui tamen non vt Reges.*] Idem Herodotus lib. 6.

m *Et Athenis ex Erichthei stirpe.*] Homerus libr. 2. Iliados in Catalogo post princip. Athenas populum Erichthei appellat.

Οἱ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον,
Δῆμον Ἐρεχθῆος.

Et Virgil. in Cyri post princ.

Qualis Erichtheis olim portatur Athenis.

Hunc autem fuisse Regem Athenarum constat ex Herodoto lib. 8. & Pausania lib. 1.

n *In Ionia.*] Herodoto libr. 1. & Strabone libr. 4. in principio.

o *Idem apud Marcomanos.*] Tacitus in lib. de Moribus Germanorum, & Strabo lib. 7.

p *Et Quados.*] Idem Corn. Tacitus eod. lib.

q *Exemplo Rheginorum*] Strabo lib. 6. Quocirca Rheginorum Principes vsque ad Anaxilai tempora semper Messeniorum stirpe constituti fuere.

r *Persici quoque Reges.*] Herodotus lib. 3. & Plato in lib. de Natura hominis. & hinc Persarum Reges Achemenij vocabantur. Claudianus de Raptu Proserpinæ lib. 3.

Cuius Achomento Regi ludibria natos
Auexit tremebundus eques.

Sedulius etiam de Persarum Rege loquens,

Cuius Achemeniam rabies accenderat iram
Plus fornace sua.

s *Etiam Corinthi.*] Strabo lib. 8. vbi de ludis Isthmicis, qui Corinthi celebrabantur loquens, sic scribit, Ipsi quoque Bacchiadæ annis fermè ducentia vrbem dominatione tenuerũt. & tyranni locupletissimi & numero plurimi & genere clari euadentes, & emporium ipsum adempto metu fructuosum possedere. Cypselus autem hisce destructis, tyrannidem occupauit, eiúsque domus diuitias, oblatum Olympico templo Cypseli donum testatur, &c.

t *In Meroe*] Nam & Automolæ, qui & ipsi sunt ex iis, qui Meroëm, habitant, pulchri forma, æqui corporis, parúmque veneratiores, veluti opimarum alumni virtutum: in illis mos est, cui potissimum pareant, specie ac viribus legere. Ex Pomponio Mela lib. 3. c. 10.

u *Gordij.*] Zenodotus in prouerbio τίμιος ἢ χώρας. vbi etiam tradit Syrracos ei coronam deferre, qui proceritate corporis reliquos antecellat, atque, vt quidam narrant, cui caput sit longissimum.

x *Apud Medos.*] Strabo lib. 11. Medorum hoc, inquit, est, quamquam non omnium, sed montanorum, eum in Regem eligere, qui fortissimus sit.

y *Sicut apud Catheos.*] Strabo lib. 16. & Diod. Siculus libr. 17. Cæteri autem Indi, si quando non essent suis regibus liberi, in regno succederent, tum vnum aliquem inter se virtute præstantem deligebant, vt scribit Arrianus Gest. Alexandri lib. 8.

Æthiopes. Sidonij. Sabæi. Taprobani. Germani. Persæ. Sitones. Regium nomen diu inuisum. Sed.

Indicam gentem, qui insigni corporis forma cæteris anteiret: [z] in quo traditur mirum, ex tot millibus armatorum, quos Xerxes in Græciam duxit, neminem sibi corporis magnitudine aut specie præstitisse.[a] Æthiopes quoque, si quando regiæ stirpis vir deesset, maximarum virium, quique opibus & robore præcelleret, regem eligebant.[b] Sidonij contrà: nam nisi regia stirpe ortus foret, neminem dominari sinunt. [c] Sabæis post constitutum regem, primus ex nobilioribus iure gentis ad successionem adspirat regni, [d] cui hoc proprium est, vt extra septa prodire non audeat, quò venerationis plus insESSET: quòd si extra regiam conspicitur, lapidibus impetitur.[e] Fuitque obseruatum in Taprobane, vt qui liberos haberet, in regem assumi non posset, ne regnum hæreditario iure sibi vendicaret: [f] & apud Germanos, vt ex generis nobilitate rex fieret, dux verò ex virtute.[g] Apud Persas verò, vt Rex fiat nemo, nisi qui magorum disciplinis imbutus esset, [h] quibus nefas erat, illegitimum tenere regnum, si legitimus superuiueret. [i] Vtque in regem sumptus, in principio dominatus quodcumque optaret à populo donum ferat. Proditúmque memoriæ est, [k] Sitonum gentibus iuxta Sueuos & Germanos, vetusto more, non virum, sed fœminam dominari, [l] Regiúmque nomen tam Græcis [m] quàm Romanis longo tempore inuisum fuisse, [n] à nullísque in Græcia vsurpatum, [o] nisi à Philippi & Alexandri posteris. Atque ex Alexandri ducibus [p] Eumene viuente neminem regium nomen sibi vendicasse: sed præfectos appellari solitos. donec Eumene defuncto, [q] Athenienses Antigono & Demetrio immodicè obsequentes, inter plurimos honores regium illis nomen velut altius fastigium detulere: [r] licet Sicyoniis primum Ægialeum regnum in Græcia tenuisse, multi asseuerent. [s] Romani quoque socium atque

ANNOTATIONES.

z *In quo traditur mirum.*] Herodot. lib. 7. loquens de numero exercitus ipsius Xerxis, qui propè infinitus erat, In quo, ait, cùm ter virorum millia essent, nemo aut specie aut magnitudine corporis erat, qui cum Xerxe ipso posset cótendere, tanquam dignior esset, qui illud imperium obtineret.

a *Æthiopes.*] Hîc omnino vide, quæ scripsi in legibus Connubialibus l. 2. num. 44 incip. sed vt redeamus. & prætetea Herodotum lib. 2. Verùm aliter horum Reges creari dicit Diodorus lib. 4. cap 1. vt inibi videre poteris & aliter Herod. lib. 3.

b *Sidonij contrà.*] Q. Curtius libr. 4. rerum gestarum Alexandri.

c *Sabæis.*] Vide num hîc dicat Sabæis pro Chatramotritis, de quibus Strabo lib. 16. Succedit apud eos, inquit, in regno non filius patri: sed qui primus è nobili genere post constitutum Regem nascitur. Nam simul ac aliquis in imperio constitutus est, omnes nobilium virorum vxores prægnantes conscribuntur & custodes apponuntur, qui obseruent quæ prima pepererit: nam eius filius ex lege assumitur, & ad regni successionem regaliter educatur. Paulò autem antè Strabo de Sabæis locutus fuerat, quod causam erroris Alexandro præbuit. Nam & aliter Reges Sabæi habebant, scilicet ex generis successione, eos, quibus multitudo honores distribuit bonis malísque immixtos, vt scribit Diodorus Siculus lib. 4. c. 3. non adeo longè à fi.

d *Cui hoc proprium est.*] Scilicet Sabæis ex Strabone & clarius ex Diodoro Siculo vbi suprà.

e *Fuitque obseruatum in Taprobane.*] Plinius lib. 6. c. 22. Solinus c. 66. aut aliorum comput. 56. & Martianus Capella lib. 6. vbi de India.

f *Et apud Germanos.*] Corn. Tacitus de Moribus Germanorum.

g *Apud Persas.*] Cicero lib. 1. de Diuinat. & lib. 5. de Finibus bon. Sed & is continuò quàm in Regem assumptus esset, sacris à sacerdoribus initiabatur, vt tradit Plutarchus in Artaxerxe, vbi ita de eo loquitur, Nec ita multò post Darij mortem Rex Passagradas profectus est, vt à Persarum sacerdotibus, more regio, sacris initiaretur.

h *Quibus nefas erat illegitimum.*] Herodot. lib. 3. post princ. Et satis quoque intelligi potest ex Plutarcho in Artaxerxe. Sed nec apud Phryges ex genere regio esse censebatur, nisi qui esset ex legitimis vxoribus, vt scribit Dares Phrygius in lib. de Excidio Troiæ, non multò post princ.

i *Vtq́; in Regem sumptus.*] Herodotus lib. 3. & Plutarchus in Artaxerxe: vbi tamen non simpliciter dicit à populo, sed ab eo, qui Regem constituisset.

k *Sitonum gentibus.*] Cor. Tacitus de Morib. Germanorum.

l *Regiúmque nomen tam Græcis.*] Præterquàm Atheniensibus & Lacedæmoniis, qui priscis temporibus patebant legibus, vt dictum est suprà.

m *Quam Romanis.*] De quo vide suprà lib. 1. c. 18. & quàm regni nomen Romanis inuisum fuerit, vtpore libertati inimicum, disces ex Cicer. Anton. 1.

n *A nullísque.*] Intellige posteà quàm Athenienses & Lacedæmonij sub regibus esse desierunt. Codrus enim Atheniensium vltimus Rex fuit, qui pro republica se deuouit. Cuius filius primus Archon Athenis fuit, qui magistratus posteà summus fuit, vt alibi dictum est. Codri autem & Medontis testis est Velleius Paterculus lib. 2. Quis autem fuerit Lacedæmoniorum Rex vltimus disce ex Pausania in Laconicis.

o *Nisi à Philippi & Alexandri posteris.*] Iustinus lib. 15. & Plutarchus in Demetrio, vbi dicit Lysimachum & Seleucum ex Alexandri successoribus diademata primos ferre cepisse. Cassandrum autem penè solum id nomen regium neglexisse.

p *Eumene viuente.*] Probus Æmylius in vita illius, ad fi.

q *Athenienses.*] Plutarchus in Demetrio. Contrà autem Lacedæmonij legatum quendam, quem ad Antigonum, ipsius Demetrij filium, miserant, mulctauêre, quòd illum accepissent Regem eum vocasse, licèt singulos tritici modios singuli in magna frumenti penuria ab Rege ipso accepissent: author Plutarchus in Apophtheg Laconum.

r *Licet Sicyoniis.*] Pausanias lib. 2.

s *Romani quoque.*] Liuius 4. Decad. lib. 1. Verminæ, inquit, filio Syphacis Regis per legatos petenti, vt Rex sociúsque & amicus ab Senatu appellaretur, responsum fuisse, Pacem illi prius petendam à populo Romano esse, quàm vt Rex sociúsque & amicus appelletur: nominis eius honorem pro magnis erga se Regum meritis dare populum Romanum consuesse. Idem 5. Decad. lib. 5. Sociis & amicis dare & alia comiter atque hospitaliter præstare Romanos & Senatum consuesse: Rhodios non ita meritos eo bello, vt amicorum sociorum numero habendi sint. Cæsar quoque lib. 1. belli Gallici scribit Ariouistum magno beneficio fuisse affectum, quòd amicus à Senatu appellatus esset. Et iterum paulò pòst Cæsar initio orationis sua, senatúsque beneficia commemorauit, quòd Rex appellatus esset, quòd amicus, quòd munera amplissimè missa. Quam rem & paucis contigisse, & à Romanis pro magnis hominum beneficiis consueuisse tribui docebat. Erat autem, vt constat ex eodem Liuio 3. Decad. lib. 3. certa forma, qua alij reciperentur in socios Romanorum, Nam ibi Lampsacenis petentibus, vt in eorum amicitiam reciperentur, eos in sociorum formulam referre iussus est à Senatu Q. Mænius, Prætor, & alibi quoque eiusdem Decad. lib. 4. Ea, inquit, introductus in Senatum

amicum, nisi benemeritos, & magnis officiis deuinctos, nullos appellarunt.[t] Et tametsi democratiam hoc est, popularem potentiam, aliqui præcipuè commendarint: & alij aristocratiam, id est, optimatium regimen: tamen vnius imperium pietate & religione inclytum, sub quo non grauis dominatus, sed iustum & legitimum imperium esset, omnium consensu, præferretur cæteris.[u] Eum ergo dictatorem primò,[x] vel ab vno ex consulibus[y] authoritate patrum,[z] etiam sine populo,[a] vel ex senatusconsulto,[b] aut ex scito plebis à populo, vel à consulibus iussu populi,[c] & si inter consules non conuenit, sortiri eum qui dicat,[d] vel à tribunis militum consulari potestate,[e] nonnunqnem à prætore dici mos erat. Quotiésque alteri ex consulibus dicēdi dictatorem potestas fuit, semper illi[f] qui fasces haberet,[g] & nisi virum consularem,[h] & in foro Romano,[i] oriente nocte,[k] & silentio dicere licuit.[l] Tametsi consularem siue collegam dixisse, & prætores ante consulatum sæpe dictos fuisse compertum sit.[m] Poteratque secundo, tertio, & deinceps idem dictator dici.[n] Inde, quia dictus esset, non creatus, nec comitiis electus, vt reliqui magistratus, dictatorem dici volunt: qui non apud Romanos tantum,[o] sed Carthaginenses,[p] Fidenates,[q] Lauinienses,[r] Albanos,[s] Tusculanos,[t] Samnites,[v] & omne ferè Latium, multæ erat potestatis, & summi imperij.[x] Is autem dictator simulátque dictus erat,

Amicl. Δημοκρατία. Ἀριστοκρατία. Imperiū vnius laudatū. Dictatorem qui dicerent. Dictatorem quo dicebat & quo loco. Dictatorū summa apud diuersos gētes potestas.

ANNOTATIONES.

tum cùm memorasset, Senatus in formulam sociorum eum referri iussit.

t *Et tametsi.*] Vetus est quæstio & à multis seculis longius repetita, vt videre licet apud Herodotum libr.1. vbi post multas rationes in id discessum est, vt monarchia esset potior: & Aristot. sæpe in Politicis & Plutarchus in Marcello.

u *Eum ergo dictatorem.*] Ad Romanos & priuatim ad Dictatoris magistratum longo veluti postliminio redit. Id autem in Marcello Plutarchi.

x *Vel ab vno ex Consulibus.*] Liu.1.Dec.lib.4. vbi de Cincinnato dictatore creato. Et lib.9. vbi de Fabio Ambusto. Et 3. Decad.lib.9. vbi de Q. Cæcilio Metello, & alibi sæpe.

y *Authoritate patrum.*] Liuius 1.Dec.lib.7. vbi de creatione Titi Manlij Torquati. Et eiusdem Decad. libr. 8. vbi de Æmylij Ma merci creatione.

z *Etiam sine populo.*] Vt patet exemplis pri ori bus. Vel etiam ab ipso populo authoritate Senatus apud Liuium 3. Decad. aib.4. vbi de creatione Q. Fuluij dictatoris.

a *Vel ex Senatusconsulto.*] Liuius 1.Dec. lib.4. Dictator, ait, ex Senatuscousulto dictus est Q. Seruilius Priscus.

b *Aut ex scito plebis à populo.*] Quamquam Liuius 3. Decad. lib.2. scribit quòd populus dictatorem creare non poterat tradit tamen Plutarchus in Fabio Maximo, illum nouo exemplo populum Romanum dictatorem dixisse, cùm Consul Seruilius Romam venire oon potuisset, omnibus viis obsessus.

c *Et si inter consules.*] Liuius 1.Decad.lib.4. Sors, ait, vt dictatorem diceret (nam ne id quidem inter collegas conoenerat) T. Quintio euênit is A. Posthumum Tubertum, socerum suum, seuerissimi imperij virum, dictatorem dixit. Et diximus in nostris Commentaris Primigeniorum quæst. 17. in 1.opin.nu.49.incip. Apud ipsum.

d *Vel a tribunis militum.*] Liuius eiusdem 1.Decad.lib.4. vbi scribit Mamercum Æmylium dictatorem creatum fuisse ab A. Cor. Tribuno militum Censulari potestate. Et rursum eodem libr. vbi tradit P. Cornelium dictatorem dictum ab Hala Seruilio, etiam Tribuno militum consulari potestate.

e *Nonnunquam à Pretore.*] Nam & Cæsar lib.2. belli Ciuilis scribit se dictatorem dictum fuisse à M. Lepido prætore.

f *Qui fasces haberet.*] Liuius 1.Decad.lib.8. Æmylius, cuius tum fasces erant, collegam dictatorem dixit.

g *Et nisi virum consularem.*] Liuius 1. Decad.lib.8. de dictatore & magistro equitum loquens. Apud vetertimos tamen authores T. Largum dictatorem primum, Sp. Cassium magistrum equitum creatos inuenio. Consulares legere, ita lex iubebat de dictatore creando lata, &c.

h *Et in foro Romano.*] Aduerte tamen dictatorem C. Iulium in Castris creatum apud Liuium 1. Decad.lib.7. Sed & extra terram Romanam dictum fuisse testatur Liuius Decad. 5.lib.5. in creatione Camilli, & Decad.3. libr. 9. vbi de Q. Cæcilio Metello dictatore. Vide autem num & in agro Romano dicere debuerit Alexander. Nam sic ait Liuius 3. Decad.lib.7. de Q. Fuluio dictatore. Patres extra Rom. agrū (eum autē in Italia terminari) negabāt dictatorē dici posse.

i *Oriente nocte.*] Liuius 1. Decad.lib.4. vbi de creatione A. Seruilij, & iterum vbi de cratione P. Cornelij. & lib.8. vbi de creatione M. Marcelli. & lib.9. vbi Fabius L. Papyrium dictatorem dicit, & 1. Decad.lib.3. vbi de creatione M. Fabij Buteonis.

k *Et silentio.*] Liuius 1.Dec.lib.8. vbi suprà.

l *Tametsi consularem.*] Halicarnass. ad fin. lib.5.

m *Poterátque secundo.*] Nam Mamercus Æmylius ter dictator creatus est, teste Liuio 5.Dec.lib. 4. & Camillus quater & quinquies apud eundem 1. Decad.lib.6. L. Quintus Cincinnatus bis Plinio Secundo de Viris illustribus c. 17. C. Marius septies consul Valerio Max.lib.8.tit.16.

n *Inde quia dictus.*] Varro lib.1. aut aliorum computationē 4 de lingua Latioa. Plutarc. io Marcello. Alij ita dictum volunt quòd eius dicto omnes audientes essent: vel quòd futuros dictare magistratus solitus sit. Fenestella lib. de Magistratibus, & Zasius in l.2.ff. de origine iuris.

o *Sed Carthaginenses.*] Cælius ex origine M. Catonis apud Gellium lib.10.cap.24. Igitur, inquit, dictatorem Carthaginensium magister equitum monuit, Mitte mecum Romam equitatum, die quinta io Capitolio tibi cœna cocta erit. Liuius 3. Decad. lib. 3. vbi dicit dictatorem Carthaginensium cum Magone in Hispaoiam præmissum ad adducendum exercitum. & Iustinus lib.19. vbi de Hasdrubale.

p *Fidenates.*] Macrob. Saturnal. lib.1. c. 11. vbi loquitur de Posthumio Liuio eorum dictatore.

q *Lauinienses.*] Vide nu.seq.

r *Albanos.*] Dionysius Halicarnas. Antiquitatum lib. 3. post princ. in duobus locis, vbi loquitur de Cluilio & Metio Suffetio Albanorum dictatoribus, Liuius 1.Dec. lib. 1. vbi de eodem Metio Suffetio dictatore. & paulo antè dixerat ab Lauinio Albanos esse oriundos, vt verisimile sit & Lauinij antè dictatores fuisse.

s *Tusculanos.*] Liuius 1. Dec.lib.3. Diony.Halic. lib. 10. vbi loquitur de L. Manilio dictatore Romanis auxilium ferente. Et iterum idem Liuius eiusdem Decad. lib.6. Dictator, ait Tuscolanis ita verba fecit.

t *Samnites.*] Nescio an acceperit à Liuio 3.Decad.lib.2. quo loco loquitur de Mamerco Samnite, qui iussu dictatoris octo millia peditum, & equites ducentos adduxit in castra Romanorum. Sed, ni fallor, non intelligit de dictatore Samnitum, sed de Q. Fabio Maximo cum Romanorum dictatore.

u *Et omne ferè Latium.*] Nam Spartianus in vita Adriani imperat. scribit per Latina oppida fuisse Dictatorem. Et de Sabinis priuatim testis est Liuius 5. Dec. lib.2. Sed & adde apud Syracusanos ex Diodoso Siculo lib.13. non adeò longè a princ.

x *Is autem dictator.*] Liuius 3. Decad.libr. 3. & alibi sæpissimè, & Aurelius Arcadius Iureconsultus in l.1. ff. de offic. præf.

Magister equitum vnà cum dictatore dictus. *Dictator à populo sine patribus dictus.* *Plebeij dictatores.* *Cornelius Sylla dictatorem seipsum dixit.* *Dictatoris summum imperiũ & potestas.*

magistrum equitum velut imperij socium nominabat, cui summa rei bellicæ dabatur. Tametsi à senatu [y] vel populo vnà plerumque dictos inueniamus.[z] Titum Largium bello Latino quum in ancipiti terrore esset senatus, dictatorem, & vnà Spurium Cassium magistrum equitum dixit, qui velut magister consiliorum dictatori adesat, atque ad ipsius præsceptum parere oportebat, [a] ita vt siquando abesse contingeret, eius vices gerere & munia obire posset. [b] Et licet ante Quintum Fabium Maximum, neminem si à senatu vel consule dictum inueniamus: tamen secundo Punico bello quum acerrimo prælio & maximo respublica afflictaretur, nouo exemplo populus sine patribus (quod nunquam factum antea) eundem Fabium dictatorem, & Quintum Minutium magistrum equitum dixit. [c] Cúmque à principio patricij tantum & consulares dicerentur, haud longis post temporibus plebeios dictos comperimus. Cum enim omne nomen Hetruscum, Tarquiniensibus & Faliscis ducibus, infesto exercitu in Romanos copias admouerent, aduersus tantam belli molem, primus de plebe dictator dictus Caius Martius Rutilius fuit, qui magistrum equitum Caium Plautium de plebe hominem sibi cooptauit: & [d] exinde ius arbitriúmque dictatoris creandi, senatui populóque tributum est, donec procedente tempore, Cornelius Sylla, qui victam armis rempublicam in dominationem vertit, contra mores institutáque maiorum, dictatorem seipsum dixit, illúsque imperium in annos centum sibi prorogauit. [e] Quo exemplo Caius Cæsar perpetuæ dictaturæ munus sibi vendicauit. [f] Erat igitur summum dictatoris imperium: [g] nam & capite mulctare, [h] & consulatu deiicere: [i] honorésque aliis abrogare, aliis conferre poterat. [k] Qui tantæ potestatis erat, vt liceret ei sine senatus aut populi consilio Romanos ciues in vincula coniicere, atque indemnatos morte afficere: nam salus ciuium vniuersorum, ius de tergo vitáque, leges, iudicis libertas, aræ, foci, & dij penates, insuper bona coniugis, & liberorum pudor, pudicitia, eius tutelæ, potestati, fideíque credebantur: cognationes quoque, capita rerum habere, in exilium agere, bonis interdicere, capite mulctare, bellum, pacem, fœdera societatésque etiam iniussu populi facere & dirimere, sui arbitrij & iuris erat. Nam siquid collibuisset, siue delectum habere, siue ad hostes ducere, aut alienos auxilio iuuare, ipsius dicto parere oportebat, cuius erat arbitrium pro numine, [l] nullíque prouocare licebat. Neque enim vt in consulibus, qui pari sunt potestate, & iisdem auspiciis creati, alterius auxilium sperare licebat. [m] Denique dictatore creato, omnium iurisdictio cessat & conniuet: consules, prætores, ædilésque & magistratus sub illius imperio conticescunt, præter tribunos plebis. [n] Illíque non duodecim fasces, vt consuli, sed quatuor & viginti lictores cum securibus facibúsque apparebant: [o] qui etiam tantæ maiestatis erat, vt siquando in consulis prouinciam iret, vt supremus ordo notaretur, sine lictoribus, aut aliquo insigni honorum, consul veritus maiestatem viri, solus procedebat, priuatúsque vbi dictator erat, & sine magistratu censebatur. Et quia maximum dictatoris imperium, potestásque imperiosa erat, [p] pactiones vel fœdera iniussu suo inita, nullarum virium fuisse liquet: illáque suo iussu abrogari poterant & induci. Sed quamuis eò excellentiæ creuerit dictator, vt summum teneret imperium præcipuáque maiestate pol-

ANNOTATIONES.

præfect. prætor. Aliquando tamen creatus fuit Dictator sine Magistro militum ex Senatusconsulto: cuiusmodi fuit M. Fabius Buteo apud eundem Liuium eod. lib. Licet Dionysius Halicarnasseus lib. 5. ad fi. dicat Dictatorem ad suam vsque ætatem nullum creatum fuisse sine Magistro militum.

y *Vel populo.*] Vt patebit infra.

z *Titum Largium.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. dicit hunc T. Largium primum dictatorem, Sp. Cassium Magistrum equitum creatos fuisse: nec tamen aperit an simul à populo aut Senatu creati fuerint. Halicar. verò ita scribit d. lib. 5. ad fi. Mox vt magistratum (Largius scilicet, primus Dictator) iniit, equitum Magistrum creauit Sp. Cassium, qui consulatum gesserat Olymp. 70.

a *Ita vt siquando.*] Polybius lib. 3. loquens de Q. Fabio Maximo Dictatore, & M. Minutio Ruffo ipsius Magistro equitum Qui, inquit, magistratus imperio Dictatoris subiectus est, tenétque in exercitu eius locum, si quando abesse illum necessitas cogit.

b *Et licet.*] Liuius 3. Decad. libr. 2. Plutarchus tum in vita Fabij Maximi, tum Hannibalis. Sed Liuius non Dictatorem illum, sed Prodictatorem creatum fuisse dicit.

c *Cúmque à principio.*] Hæc vsque ad clausulam, Et exinde, sunt Liuij 1. Dec. lib. 7.

d *Et exinde.*] Hæc vsque ad clausulam, Quo exemplo: sunt Plutarc. in Sylla.

e *Quo exemplo C. Cæsar.*] Plutarchus in vita illius, & Sueton. cap. 77.

f *Erat igitur summum.*] Polybius loquens de creatione Q. Fabij Maximi in Dictator. lib. 3. Liuius 3. Decad. libr. 2. & Aurelius Arcadius in l. 1. ff. de offi. præf. præt. & Pomponius Iurisconsultus in l. 2. §. populo. ff. de orig. iuris.

g *Nam capite mulctare.*] Pomponius Iurisconsf. vbi suprà, & Fenestella in lib. de Magist. & alij.

h *Consulatu deijcere.*] Sic L. Quintius Cincinnatus Dictator L. Minutium abdicare se Consulatu coëgit apud Liuium 1. Decad. lib. 3.

i *Honorésque aliis abrogare.*] Vt factum est à Cincinnato (vt diximus proximè) & à L. Papyrio Cursore, qui Q. Fabium Maximum Rutilianum Magistrum equitum vetuit quicquam pro magistratu agere. vt habet Liuius 5. Decad. libro 8.

k *Qui tantæ potestatis.*] Plutarchus in Fab. Max.

l *Nullíque prouocare licebat.*] Liuius 1. Dec. lib 3. Pomponius in d. l. 2. §. populo. ff. de orig. iuris. & alibi diximus.

m *Denique Dictatore creato.*] Hæc vsque ad clausulam, illique non sunt Liuij, vbi nuper citauimus & Polybij lib. 3 & Plutarc. in Fab. Max. & in Antonio, & probl. cap. 81. & alibi dictum est suprà.

o *Illique.*] Dionysius Halicarn. libr. 10. vbi loquitur de L. Quintio Cincinnato dictatore. Plutar. in eodem Fabio Maximo, & Polybius d. lib. 3 & alibi quoque dictum est.

o *Qui etiam tantæ maiestatis erat.*] Plutarc. ibid. & Liuius 3. Dec. lib. 2.

p *Pactiones vel fœdera.*] Nam & Furius Camillus Dictator, fœdus initum à Senatu cum Gallis, qui vrbem ceperant, quòd non iustè factum fuisset, irritum fecit, apud Liuium 1. Decad. lib. 5.

q *Ipse*

leret,[q] ipsi tamen equo vehi minime ius erat. Id enim veteri lege exceptum fuerat: scilicet, vt inhibita nimia potestate, tantus honor aliquo fine præscriptus, populi suffragio indigeret. Ideò siquando in expeditionem eques ire vellet, vt equum sibi ascendere liceret, ad populum ferebat, exque permissu populi equo vehi poterat.[r] Quod tamen Cato iunior, licet in summo esset magistratu, minime curauit nam maxima itinera & longas vias pedibus semper, nonnunquam cantherio sarcinis adoperto, obiuit expeditus,[s] sicut de Agesilao proditur.[t] Cúmque ad sex menses dictaturæ munus antea præfinitum foret, multos debellatis & domitis hostibus & munere absoluto,[u] citra mensem dictatura excessisse comperimus, nonnullis etiam vltra annum, per denos vicenósque dies prorogatam fuisse: alios oblatum dictaturæ munus renunciasse, sicut[x] de Terentio Varrone, qui ad Cannas insigni strage profligatus fuit, proditum est.[y] Alios cum dictatura simul consulatum gessisse,[z] quod de Sylla[a] & Cæsare legimus.[b] Quotiésque se abdicare & munere absolui volebat, prius magistrũ equitum abire magistratu necessum erat, ne dictatore desito, equitum magister, qui proximum gerebat imperium, in summo solus honore aliquid moliretur.[c] Neque antè dictatura se abdicare illum sinebant, quàm iussu patrum prius consulibus creatis, qui reipublicæ præessent, imperium dimitteret:[d] quo dimisso, pustquam honore abiit, pauca & modice loquutus, à populo & primoribus patrum frequenti amicorum officio stipatus, cum gratulatione & gaudio domum deducebatur: quod ferè omnibus magistratibus commune fuit,[e] nisi quòd Cicero discessurus cõsulatu de rebus à se gestis, à Quinto Marcello prohibitus est cõcionari.[f] Proditum tamen memoriæ est, quosdam deposita dictatura se consules dixisse (quamuis pessimo exemplo) & cum collega consulatum gessisse. Quod malum ne serperet latius, tam consulto senatus, quàm tacito consensu sublatum fuit.[g] Illud certè conuenit inter omnes, dictatorem sine magistro equitum creari non licere.[h] Sicut enim à prima antiquitate tribunus Celerum Regi aderat, cuius ope Rex nitebatur,[i] & legatus consuli,[k] ac prætori quæstor auxilio & adiumẽto erant: sic[l] dictatori magister equitum, & Imperatori præfectus prætorio. Quibus absentibus, hi quasi suffecti, honori præsidioque erant: vt siquando abesse, aut grauiori morbo laborare cõtingeret ipsorum vicem gererẽt, & munia obirent: ac quædam inter eos societas & coniunctio imperij. virtutis & ignauiæ cuiúsque testes forent.[n] Apud Lacedæmonios à Lycurgo institutum ferunt, vt octo & viginti seniores regi adessent, ac duo propinquiores. & contubernales, quos ipse elegerat, qui phytij appellãtur. vt si quid casurũ foret, animaduerterent, ipsiúsque munia & officium obirent.[o] Nonnunquam ephori in expeditionem profecto regi custodem & imperij socium dedere,[p] tametsi augur perpetuus regũ assessur foret.[q] In Meroë

Dictatori equo vehi non licebat.

Dictaturæ tẽpus præscriptum.

Tribunus Celerum adest regi.

Legatus consuli. aderat Quæstor pratori. Magister equitum dictatori. Præfectus imperatori.

Octo & 20. seniores regi Lacedæmoniorũ aderant qũnot.

Augur regum assessor.

In Meroë.

ANNOTATIONES.

q *Ipsi tamen equo vehi minimè ius erat.*] Liuius 3. Dec. lib. 3. vbi de M. Iunio Dictatore loquitur. Plutarc. in Fabio Max. vbi tamen dicit ipsum Fabium à Senatu impetrasse, vt id sibi liceret.

r *Quod tamen Cato Iunior.*] Plut. in vita illius.

s *Sicut de Agesilao proditur.*] Plutarchus in Agesilao.

t *Cúmque ad sex menses.*] Liuius 3. Dec. lib 3. in Dictatura M. Fabij Buteonis. & Plutarc. in Camillo. Pomponius in d. l. 2. §. populo. ff. de orig. iuris.

u *Citra mensem.*] Liuius 1. Dec. lib. 3. & 9. Nam & L. Quintius Cincinnatus Dictator, intra sextum decimum diem, ex quo magistratum acceperat. profligato hoste, summam potestatem, quam in sex menses acceperat, statim deposuit, teste Dionysio Halicar. lib. 10. & Plinio secundo, si is est, de Viris illustribus c. 17.

x *De Terentio Varrone.*] Liuius 3. Dec. lib. 2. Plutar. in Fab. Maximo & Hannibale. Val. Maximus lib. 4. c. 5.

y *Alios cum dictatura.*] Quod probat duobus exemplis sequentibus.

z *Quod de Sylla.*] Appianus Ciuilium bellorum lib. 1.

a *Et Cæsare.*] Sueton. in vita ipsius c. 76.

b *Quotiésque se abdicare.*] Nam apud Liuium 1. Decad. lib. 4. Mamercus Dictator iussit primùm Magistrum equitum se magistratu abdicare. móxque se abdicauit.

c *Neque ante.*] Liuius 1. Dec. lib. 8.

d *Quo dimisso.*] Idem Liuius 1. Decad. lib. 2. vbi de M. Valerio Dictatore, Volusij filio loquitur.

e *Nisi quòd Cicero.*] Nam & id ipse Cicero id scribit in Oratione in L. Pisonem. Ego, inquit, cùm in concione abiens magistratu, dicere à Tribuno plebia prohiberer, quæ constitueram: cúmque is mihi tantummodo, vt iurarem permitteret, sine vlla dubitatione iuraui, Remp. atque hanc vrbem mea vnius opera esse saluam. Quem locum enarrans Asconius, Diximus, ait, iam anteà à Q. Metello Nepote Trib. pleb. Ciceronem Consulatu abeuntem prohibitum esse concionari de rebus, quas in eo magistratu gesserat.

f *Proditum tamen memoriæ est.*] Liuius 1. Decad. lib 7. vbi de L. Furio Camillo. Simul dictatorem increpabant, qui legis Liciniæ spretæ mercedem consulatum priuata cupiditate, quàm publica iniuria fœdiorem, cœpisset, vt se ipse consulem dictator crearet.

g *Illud certè conuenit.*] Liuius 3. Dec. lib. 3. Sed vide quæ diximus suprà in verbo, Is autem Dictator.

h *Sicut enim à prima antiquitate.*] Pomponius Iurisconsul. in d. l. 2. §. quod ad magistratus. & §. populo. ff. de orig. iuris.

i *Et legatus consuli.*] Vlpianus in l. solet. ff. de offic. procons. & legat.

k *Ac Prætori Quæstor.*] Cicero act. 1. in Verrem sic scribit, Sic enim à maioribus nostris accepimus, Prætorem Quæstori suo parentis loco esse oportere: nullam neque iustiorem neque grauiorem causam necessitudinis posse reperiri, quàm coniunctionem sortis, quàm prouinciæ, quàm officij, quàm publicam muneris societatem.

l *Sic Dictatori.*] Id vsque ad clausulam, Quibus. est Aurelij Arcadij in l. 1. ff. de offic. præf. præt. & Pomponij in d. l. 2. §. populo. ff. de orig. iur.

m *Et Imperatori præfectus prætorio.*] Aurelius Arcadius & Pomponius vbi suprà, & Budæus in tit. de offic. præf. præt. & Cic. ad Q. Fratrem Asiæ Proconsulem.

n *Apud Lacedæmonios.*] Plutarchus in Lycurgo. Herodotus in Erato vbi de Pytiis, quos Phytios vocat Alexander.

o *Nonnunquam Ephori.*] Idem Plutarch. in Cleomene.

p *Tametsi augur.*] Liuius 1. Dec. lib. 1. de Accio Nauio loquens. Auguriis certè sacerdotióque augurum tantus honos accessit, vt nihil belli domique posteà nisi auspicato gereretur.

q *In Meroë.*] Id de Meroë non memini me legisse: sed de Taprobane apud Solinum cap. 66. aut aliorum computatione, 56. iisdem verbis, quibus hîc Alexander vtitur, vt

constat

Getæ. Præfectus prætorio. Cæsarum institutum.

Rex quadraginta rectores accipit.[r] Getæ cogeonum qui regi adesset fecere: qui tantæ dignationis erat, vt diuina mente præditus haberetur.[s] Apud Abateos, qui intimus regi præsto aderat, frater dicebatur, qui prudentia anteibat cæteris.[t] Sed quod est de præfecto prætorio dictum, animaduertendum, temporis cursu procedente, ex longo interuallo à Cæsaribus fuisse institutum, vt qui senator esset, ad præfecturam prætorij euehi non posset: qui quum per senatum antea eligeretur, Augustus Cæsar habitu suffragiorum suspecto, statuit vt præfectus prætorio, de numero prætorum forte eligeretur.[u] Cui, dum assumitur, Princeps gladium præcingit pro imperio & potestate.[x] In quo fertur egregium Traiani verbum, dum præfecto prætorio ensem cingeret, vt si iuste imperaret, pro se: sin iniuste, contra se illum sumeret, admonentis.[y] Cúmque antea vnus foret,[z] Commodus imperator, velut nimiæ potentiæ, duos esse voluit, eam potestatem velut in partes diuisam, tutiorem arbitratus:[a] quo etiam tempore tres præfecti prætorio fuere,[b] donec Seuerus Alexander imperator, ne non senator de senatore iudicaret, præfectos prætorio senatores iussit esse, ad eos enim senatorum cognitio, & iudicium, iusque & animaduersio spectabat.[c] Heliogabalus verò adeo præfecturam inquinauit, vt saltatorem, & histrionicam professum, præfectum prætorij faceret.

Præfecti prætorio.

ANNOTATIONES.

constet apertè ab eo id sumpsisse: ait enim, Quadraginta ergo rectores accipit, ne in causis capitum solus iudicet.

r *Getæ.*] Strabo lib.7.

s *Apud Abateos.*] Nabateos voluit, aut certè debuit dicere, ex Strabone, qui id de illis refert lib.16.

t *Sed quod est de Præfecto præt.*] Ex Iulio Capitolino in vita Pertinacis.

u *Cui dum assumitur.*] Quod patet ex proximo exemplo.

x *In quo fertur egregium Traiani verbum.*] Dion in vita illius & Cassiodorus lib. Variarum 8. incip. Securus.

y *Cúmque antea vnus foret.*] A tempore Claudij Cæsaris, qui duos ad vnum redegit, teste Tacito lib.11. Nam antè Augustus duos creabat, vt tradit Dion in vita illius.

z *Commodus Imperator.*] Herodianus lib.1.

a *Quo etiam tempore.*] Ælius Lampridius in vita ipsius Commodi.

b *Donec Seuerus Alexāder.*] Idem Lampridius in vita illius.

c *Heliogabalus verò.*] Idem quoque Lampridius in eius vita. Alia autem quæ ad dictaturam pertinent, vide suprà lib.1.cap.6.

Quid mina, quid drachma, quid assis, denarius, sestertium & talentum apud gentes diuersas valuerit.

CAPVT XXIV.

EN ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ Terentij comici, Chremes Menedemo consilium dans, vt amanti filio, quàm minimo dispendio consulat, ipsum his verbis affatur.

Et tibi perdere

Talentum hoc pacto satius est, quàm illo minam.

Putabant nonnulli studiosi, minam modicæ summæ monetā fuisse, ita vt vix denarij pondus æquaret: quod ferè ex sensu verborum constare videbatur: sed cū in pleraque nō ignobilium authorum lectione versaremur, inuenimus minarum diuersa genera, qualitatesque multiplices, ita vt nummorum inexplicabiles species perscrutati, in magnis versaremur angustiis, cùm summa esset diffinsio, nihilque explorari animaduerti diffinirique posset.[a] Nam minarum quasdam ex drachmis septuagintaquinque constare legimus, quasdam Atticas, quarum sexaginta paruum talentum efficiunt: aliquam ponderis maioris quæ ex centum ferè & viginti denariis fit:[b] aliam apud Athenienses septuaginta trium drachmarum numero taxari:[c] nonnullas Euboicas, quarum septuaginta Babylonicum efficiunt talentum. Ex quo iudicare licet, non tam modici valoris minam apud priscos fuisse.[d] Ea enim μνᾶ dicitur Græcè, quæ tum nummi, tum libræ nomen habet:[e] apud quos siclis sexaginta communi æstimatione appendebat, qui obolos mille ducentos pariunt.[f] Nam viginti obolos siclum efficere haud dubium est.[g] Drachmarum quoque multiplicia fuere genera: ex quibus aliquæ denos efficiunt asses, aliquarum duæ & dimidiata integrum sestertium:[h] constititque drachmam Atticam & argenteum denarium Romanum paris æstimationis fuisse: nummúmque, drachmam & denarium idem valuisse: quamuis alij contrà, qui duas drachmas & dimidiam, decem nummos nostrates efficere contendunt. Dion verò drachmas pro assibus accipit: cētúmque drachmis cētum denariis argenteis æquari censuit, qui libram efficiunt,[i] quod Plutarchus &

Minæ diuersæ.

Siclus. Drachmarum diuersa genera. Denarius Romanus.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIV.

a *NAm minarum quasdam.*] Vide Plinium lib.21. c. 34. Budæum de Asse, & Georgium Agricolam vt suprà, huius lib.2.c.10.

b *Aliam apud Athenienses.*] Plutarchus in Solone tradit eum centum drachmarum minam constituisse, cùm antè septuaginta trium fuisset.

c *Nonnullas Euboicas.*] Herodotus lib.3. Valet autem Babylonicum talentum 70. minas Euboicas.

d *Ea enim μνᾶ.*] Cælius Rhodiginus lib. antiq. lect. 10. c. 2. minæ, siue mnæ dimidium hemimnæum appellari scribit.

e *Apud quos siclis sexaginta.*] Siclus didrachmū est, id est, nūmus continens duas drachmas, quarta pars stateris argēti 1. Reg.c.9. Iosephus Antiquit. lib.3. ait, Hebræorum numisma esse, quatuor drachmas Atticas valēs. Budæus lib.5. de Asse.

f *Nam viginti obolos.*] Exodi 30. c. ita legitur, Siclus viginti obolos habet, media pars sicli offeretur Domino.

g *Drachmarum quoque.*] Vide Pollucem lib. 9. & Seruium enarrantem illud Virgilij lib.5. Æn. Auri argentique talenta. vbi talentum secundum varias gentes, varij esse ponderis dicit.

h *Constititque drachmam Atticam.*] Liuius 4. Decad. lib. 4. Tetradrachmam, inquit, vocant (de Atticis autem loquitur) trium ferè denariorum in singulis argentei est pondus. & Plinius lib.21.c.34. Drachma, inquit, denarij argentei habet pondus. Budæus lib. de Asse, paulò post princ.

i *Quod Plutarchus.*] In Catone maiore.

k Comm...

alij testati sunt. [k] Communi tamen æstimatione, drachma sex obolis, aut æreis signatis appendebat, qui singuli quaternis quadrantibus valebant. [l] Obolus verò sex siliquas. [m] Siliquámque & scrupulum idem esse opinati sunt, [n] drachmámque in ponderibus partem vnciæ octauam fecisse, continere enim scrupulos tres, siliquas verò octodecim: [o] nam singulos scrupulos, sex siliquas habere constitit. [p] Drachma tamen Æginensium maior Attica, decem obolis permutabatur. [q] Denariorum quoque diuersa fuere genera: nam & denos asses singulos pondo denarios efficere legimus, [r] quod æs graue dicebatur, [s] vnde ex decem æreis denarius: [t] duósque cistophoros, denarij pondus pendere. [u] Nonnulli denarium ex siliquis vigintiquatuor confecere, al j ex octodecim, [x] drachmámque & denarium idem esse, [y] sexque millia denariorum integrum solidum efficere, [z] & hoc esse talentum Achaicum, arbitrati sunt. [a] Primo tamen Punico bello populus Romanus, cum ærarium laboraret, asses vnciales fecit, placuítque æreum denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium verò quaternis assibus valere, ita vt sestertios nummus drachmas quaternas faceret. [b] Notáque denariorum, bigæ & quadrigæ fuere: quare bigati & quadrigati dicti. [c] Postea verò lege à Papyrio lata, asses semiunciales facti. [d] In militari verò stipendio, denarius pro assibus decem militibus dabatur; [e] antea verò libralis assis, & dipondius æquè appendebat. [f] Quo autem tempore decemuiri legum ferendarum causa imperitarunt, Romani librariis assibus vsi fuere: [g] tametsi Quintus Fabius Maximus asses triunciales fecisse dicatur. [h] Cúmque secundo Punico bello librarij asses fierent, vt populus ære alieno non magno incommodo leuaretur, debitáque exoluerentur, ex singulis assibus librariis senos percussere, ita vt ex librariis sextarij fierent, qui demptis tribus vnciis, tantundem valerent. Plerunque tamen compertum est, denos asses pondo singulas libras efficere. [i] Sed tamen assem minorem esse monetam, & haud multo æstimari, argumento est, quòd in mulcta à prætore irroganda, [k] bos centussibus æstimabatur, ouis verò decussibus. [l] Hos tamen asses Græci obolos, alij stipes dixere, quos exigui valoris fuisse haud dubie constat: nam singuli quaternis assibus valebant, & octo chalcis: [m] tametsi Plinius decem chalcis obolum æstimari dixerit. [n] Treis enim obolis frequens continet siliquas, nonnunquam sex: ea enim quadragesimam supra centesimam partem vnciæ facit. [o] Erátque semiobolus, diobolus, triobolus, qui etiam quadrantes, dichalca & trichalca dicti. Obolíque nomen tulit, [p] quòd vetus Atheniensium nummus obeliscum incussum habuit. [q] Sestertiorum verò quidam maiores, quidam minores fuere: qui ex quaternis assibus constabant. [r] Erat enim is sestertius quarta denarij pars, quo tempore decussis valebat: [s] ex quibus apparet, ex sedecim quoque assibus denarium constare: duásque drachmas & dimidiam, sestertiũ conflare. [t] Alij ex duobus assibus & tertio semisse sestertium efficiunt, quem minimum appellant, quia non duos asses tantum, sed semissem quoque tertij assis con-

Obolus. Siliqua. Scrupulus. Drach. Æginensium. Denariorum genera. Solidus integer. Talentũ Achaicũ. Asses vnciales. Asses semiunciales. Libralis assis. Dipondius. Asses triunciales. Assis minor moneta. Obolus. Stipes. Chalcus. Semiobolus. Diobolus. Triobolus. Quadrantes. Dichalca. Oboli vnde dicti. Sestertiorum genera. Minor sestertius. Minimus sestertius.

ANNOTATIONES.

k *Communi tamen æstimatione.*] Plinius li.21.c.34. quem hic omnino vide.

l *Obolus vero sex siliquas.*] Seruius vbi suprà, ex Varrone, dicit obolum continere sex æra.

m *Siliquamq́, & scrupulum idem esse.*] Priscianus, aut quisquis est, in eo lib. de Ponderibus & mensuris post princ.

Semina sex alij siliquis latitantia curuis
Attribuunt scrupulo.

n *Drachmamq́, in ponderibus.*] Vide Budæum in lib. de Asse, Iulium Pollucem lib. 9.

o *Nam singulos scrupulos.*] Plinius lib. 33.c.3.

p *Drachma tamen Ægynensium.*] Budæus lib.4. de Asse post princ. ex Polluce.

q *Denariorum quoque.*] Idem Budæus ibid.

r *Quod æs graue dicebatur.*] Liuius 1. Decad. lib. 4. Patres, inquit, bene cœptam rem perseuerantur tueri, conferri ipsi primi: & quia nondum argentum signatum erat, æs graue plaustris quidam ad ærarium conuehentes, speciosam etiam collationem faciebant. Æris grauis meminit Plinius libro 33. cap. 3.

s *Vnde ex decem æreis.*] Plutarch. in Camillo.

t *Duosq́, cistophoros.*] Cælius Rhodiginus lib. 10.c.2.

u *Nonnulli denarium.*] Philippus Beroaldus in Caligula, ca. 46. dicit denarium sedecim assibus permutari solitum, vt quinarium octonis.

x *Drachmamq́.*] Budæ. in In lib. de Asse non vno loco: quãuis Agricola in lib. de Ponderibus, hoc putet interesse inter denarium & drachmam, vt septem denarij octo drachmas, siue vnciam expleant.

y *Sexq́, millia denariorum.*] Fest. Pompeius libr. 18. Atticum, (non Achaicum) sex millium denariûm.

z *Et hoc esse.*] Atticum legendum ex Festo, vt proximè diximus.

a *Primo tamen.*] Plinius d. lib. 33.c.3.

b *Notaq́, denariorum bigæ.*] Plinius ibid. & ibi suprà eodem lib. cap. 15.

c *Posteà verò.*] Plinius ibi.

d *In militari stipendio.*] Budæus authoritate Vitruuij lib.5.

e *Anteà verò.*] Plinius vbi suprà, & vide Varronem lib.4. de lingua Latina, & Iurisconsultum in l. item, vt Sabinus ait. §. vltim. de hæredibus institu. & §. si plures vnciæ. instit. eodem tit.

f *Quo autem tempore.*] Gellius lib.20.c.i

g *Tametsi Q. Fabius.*] Plinius d. lib.33.c.3.

h *Cumq́, secundo bello Punico.*] Festus lib.17. vbi de sestertariis assibus. vide tamen Plinium vbi suprà.

i *Sed tamen.*] Quod in sequentibus probat.

k *Bos centussibus.*] Centussi (inquit Varro lib.4.) maius æris vocabulum non est. De centussi vide Budæum in d. lib. de Asse in duobus locis. & Pompeius Festus libr. 1. Æstimata pœna ab antiquis ab ære dicta est, quòd eam æstimauerunt ære: ouem decussis, bouem centussis, hoc est decem, vel centum assibus.

l *Hos tamen Asses*] Donatus in Andriam Terentij act. 2. sce. 2. Vide Varronem lib. 4. de ling. Lat.

m *Tametsi Plinius.*] Lib. 21, c. 34.

n *Tres enim.*] De hac rei nummariæ ratione Budæus libr. 5. de Asse.

o *Eratq́, Semiobolus.*] De his vide omnino Pollucem lib.9.

p *Quod vetus.*] Imò verò Lacedæmoniorum ex Plutarcho in Lysandro.

q *Sestersiorum verò.*] Budæus.

r *Erat enim.*] Festus Pompeius b. lib.17.

s *Ex quibus apparet.*] Denarium argenteum fuisse, & denis assibus valuisse scribit Budæus in lib. de Asse 2. in princ.

t *Alij ex duobus assibus.*] Sestertiũ statim ab initio duos asses

tinebat. Fuit enim illius multiplex variáque natura. Eiusmodi sestertios fuisse opinamur, [u] quos Iulius Cæsar nouissimo testamento suo viritim trecentos populo legauit, com amplioris summæ neque erogari potuissent, & ad exhibeodum singulis tantam pecuniam vix illius sufficerent facultates. Maior verò ex centum drachmis Achaicis seu denatiis constabat. Romani verò ex argenti libra, aut paulo infra, tria efficiunt sestertia, ita vt centum sestertia libris triginta argenti appeodetent. [x] Alij sestertium ex dipondio & semisse conficiunt, qui duas libras & dimidiam facit. Quare vigintiquatuor sestertia talentum Atticum efficere relatum est, quòd (teste Varrone) sexaginta argenti libris taxabatur: quò fit, vt eiusmodi sestertius nummus duas libras & dimidiam contineat. Sunt qui putent ex auri libra quadraginta millia æreum signari, [y] quod & Plinius arbitratus est. Mille quoque sestertiis vnum aureum computari, nouissimis Cæsarum temporibus, à iureconsultis legem Papiam interpretantibus, relatum accepimus: is autem aureus chrysius dicebatur: quorum septuagintaquinque in singulas expendebant libras. [z] Præter quos fuere stateres aurei, qui mina permutabantur: alij argenrei, quorum decem chrysium efficiunt. [a] Talentum quoque veteribus multiplex fuisse inuenimus, nec voius generis, sed aliud Atticum, sex millium denatiorum: aliud Alexandrinum, duodecim: Neapolitanum sex. Syracusanum trium summam non excessit, [b] Euboicum verò quatuor millium Romanæ monetæ, [c] Achaicum etiam sex millium fuisse asserũt: præter quod fuit [d] Ptolemaicum, Syrium, & Antiocheoum, [e] & Babylonium, quod duabus minis Atticis taxabatur. Erantq; talentorum species multimodæ, ita vt sicut libra & pondo non æqua omnibus, ita dissimilia talenta fuerint. Est tamen proditum memoriæ, ex mille sestertiis talenta Attica paulo minus quadraginta effici, ex qua adnumeratione fit, ex vigintiquinque sestertiis talentum Atticum conflari: communi tamen æstimatione, talentum decuplo maius mina taxabatur. [f] Author idem est Priscianus, talentum paruum minarum sexaginta: magnum vero, octogintatrium, & vnciarum quatuor: Atticum verò magnum talentum, octoginta libras Romani ponderis pendere: paruum vero, sexaginta minis Atticis taxari. [g] Procedente mox tempore, talentum Atticum vigintiquatuor sestertiis Romanis æstimatum fuit. ea summa est vigintiquatuor nummorum millium: siquidem mille nummi, Romanorum quoque sestertium efficiunt. Quin etiam Atticum talentum quandoque sexdecim sestertiis taxari, [h] Varro significat [i] Ægyptiúmque octoginta ponderibus pendere. [k] In tributorum verò taxatione adhibitum Romanis talentum, haud minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendebat. Cuius generis talenta, cum leges pacis Antiocho datæ sunt, Romanis æquis pensionibus exhibita fuere. Idémque in vectigalibus & portoriis seruari comperimus. [l] In qua quidem re fuit memoriæ proditum, Romanos victis gentibus nationibúsque tributi nomine argentum, non aurum, induxisse. Sunt tamen exempla, centum talenta nonnunquam duodecim pondo Romanis ponderibus effecisse. [m] Pondo autem idem esse quod libra, omnes consentiunt. Quod quidem talentum plerunque non ex pecunia percussa, sed ex massa argenti [n] aurive, aut eboris, ferri quoque & aluminis, [o] aut ebeni, quod tributi loco ab Æthiopibus & Persarum regibus appendebatur, constare volunt [p] Legimus singula millia talentûm thuris annua Arabes regibus Persarum pensitasse: ipsosq; [q] Æthiopes vicenos dentes elephantorum eisdem pendere consuesse:

Vide Tranquil. in vita Iuly circa finem. Maior sestertius Romani. Talent. ū. Attici. De aureo vide Alc. li. Disp. 3. c. 9. & in l. Eius aureos. ff. de ver. sig. Aureus Chrysius ā aureis. Talentū multiplex. Atticū. Alexandrinum. Neapolitanum. Syracusanum. Euboicū. Achaicū. Ptolemaicum. Syrium. Antiochenum. Babylonium. Talentū paruum & magnum ex Prisciano. Sestertiū Romanū. Pondo. Talenta non ex pecunia percussa.

ANNOTATIONES.

& semissem valuisse scribit idem Budæus d. lib. 2. & Plinius dict. lib. 33. c. 3.

u *Quos Iulius Cæsar.*] Sueton. in vita illius, c. 38.

x *Alij sestertium.*] Vide Gellium lib. 3. c. 17. & lib. 5. ca. 2. & Budæum in lib. de Asse.

y *Quod & Plinius.*] Lib. 33. c. 3.

z *Præter quos.*] Pollux lib. 9 c. 6.

a *Talentum quoque veteribus multiplex.*] Multiplicium talentorum genera videbis apud Pollucem vbi suprà, & Festum Pompeium lib. 18. Seruium lib. 5. Æneid. vbi suprà & lib. 9. in eum locum,

—— *Auri duo magna talenta.*

Vbi Virg. enumerat Ascanij dona pulcherrima, quorum spe ad memorabile facinus faciendum adolescentes, Euryalum & Nisum, aliòque per se satis paratos, inuitat. Et omnium copiosissimè & scientissimè Budæum in libris de Asse.

b *Euboicum.*] Festus Pompeius lib. 5. & de hoc Liu. 4. Decad. lib. 7. Pro impensis, inquit, deinde in bellis factis 15. millia talentûm Euboicorum dabitis, quingenta præsentia, &c.

c *Achaicum.*] Idem Bud. vbi suprà.

d *Ptolemaicum.*] Plinius d. lib. 33. c. 3.

e *Et Babylonium.*] Id Herodotus lib. 3. scribit valere 70. minas Euboicas. Ælianus autem de Varia historia lib. 1. tradit id talentum conficere 72. minas Atticas.

f *Author est Priscianus.*] Is in lib. de Ponderibus & mensuris, id tantùm scribit de talento,

Cecropium superest post hæc docuisse talentum,
Sexaginta minas, seu vix sex millia drachmas,
Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis.

g *Procedente mox tempore.*] Gel. lib. 3. c. 17.

h *Varro significat.*] Apud Plinium lib. 35. c. 11.

i *Ægyptiumq;.*] Idem Varronis authoritate lib. 33. cap. 3. & Seruius d. lib. 5.

k *In tributorum verò.*] Hæc vsque ad clausulam, Idémque in vectigalibus. sunt Liuij 4. Decad. libr. 8. cuius hæc verba sunt, In fœdere ipsius Antiochi, Argenti probi Attica talenta 12. millia dato intra 12. annos pensionibus æquis. talentum ne minus pondo 80. Romanis poonderibus pendat.

l *In qua quidem.*] Vt videre licet ex eo loco Liu. & ex Gellio lib. 6. cap. 5.

m *Pondo autem.*] Quintil. lib. 6. c. 4.

n *Aurive aut eboris.*] De his duobus Herod. lib. 3. qui Thalia inscribitur, vbi de talento Babylonico & muneribus & tributis, quæ Persarum regibus quotannis afferebantur. & Plinius lib. 12. c. 4.

o *Aut ebeni, quod tributi loco.*] Herodotus & Plinius vbi suprà.

p *Legimus.*] Apud Herodotum d. lib. 3. & eius authoritate Plinium lib. 12. c. 17. ante fin.

q *Ipsosq; Æthiopes.*] Herodotus dict. lib. 3. de Æthiopibus eorúmque finitimis loquens, sic scribit, Portantque vsque ad meam memoriam binos semodios auri rudis, & ducenos fasces ebeni & quinos Æthiopes pueros, & vicenos

grandes

Romanosque à Corsis centum millia pondo ceræ tributi nomine exegisse: Cappadoces, Persis quingentos equos, & mulorum duo millia annua dedisse. Plerunque ex pecunia percussa, quid frequens fuit: nam ex tribus aureis etiam talentum constare. [s] Pollux author est, quòd aureis tribus Atticis valebat. [t] Aureum autem duabus drachmis Atticis taxabatur, argenteum verò minis Atticis sexaginta. Babylonicum verò, sæpe duo millia & septingentas minas Atticas effecisse volunt. † Ipsum tamen Romanum talentum quam sæpissimè septuaginta librarum fuit. Apud alios verò minimæ summæ, & parui æstimabatur, [u] Homero teste, qui in ludis funebribus Patrocli, cum primus victor bouem accepisset donum, vltimus duo talenta præmium tulit. [x] Hoc quoque ex authoribus constat, quòd à condita vrbe ad Pyrrhum Regem populus Romanus argento signato minime vsus fuit. rudi enim ære appenso, non numerato, vtebantur: pósque percussam monetam placuit denarium pro decem libris æreis, quinarium pro quinque, sestertium pro dipondio & semisse computari. [y] Fuisseque in veteri nummo æreo altera parte Ianum bifrontem, altera proram nauis exculptam, & in antiqua moneta, bouis ouísque imagines: quæ res, Romanos gregibus olim & pecudibus valuisse, argumento fuit: quare pecunia dicta est. Iani autem bifrontis nota, & nauis prora, ideo insculpta feruntur, vt priscos Latinos tunc efferum genus, cum pastoritiam vitam agerent, è fera aggrestique vita, legibus & omni rerum affluentia, quæ illuc terra marique importabantur, à Iano, qui cultioris vitæ modum inuenit, excultos denotaret. [z] Neque omittendum quod Plinius naturalis historiæ retulit, Seruiliorum familiam trientem sacrum coluisse, illíque statis diebus noua religione sacrum fecisse: qui quum varia specie & forma dissimili videretur, modo accessionem & fortunæ incrementa, nonnunquam damna familiæ præsignabat. Illud quoque admonitu non inutile dixerim, [a] Lugduni Romanos Imperatores argentum aurúmque, & monetæ omne genus signare consueuisse: siue quòd prompta ibi ad cudendũ metalli copia foret, seu quòd munitissimus locus, & accessu difficilis ad confluentes, quod ibi Rhodano Arar commiscetur, esse censebatur.

Et pecunia percussa. Aureum. Argenteum. Talentũ Romanorum. Iliados 23. A condita vrbe ad Pyrrhum nulla moneta fuerunt. Nota & imagines nummorũ apud veteres. Romanos. Seruiliorum familia trientem coluit. vide Pli. li. 34. ca. 12. natu. histo. Lugduni omne moneta genus à Romanis cudebatur.

ANNOTATIONES.

grandes elephantorum dentes. & ab eo Plin. d. lib. 12. cap. 4.

r *Romanosq́, à Corsis.*] Liuius 4. Decad. libr. 2. dicit ducenta millia pondo. Hanc autem ceram Corsicam habere vim quandam medicaminis, quoniam ex buxo fit, scribit Plinius lib. 21. cap. 14.

s *Pollux author est.*] Lib. 9.

t *Aureum autem.*] Herodotus d. lib. 3.

† *Ipsum tamen Romanum.*] Seruius authoritate Plauti in lib. 5. Æneidos eo loco,

Auri argentiq́, talenta.

& lib. 9. ibi.

Auri duo magna talenta.

u *Homero teste.*] Idem Seruius d. lib. 5. vbi imitatione Homerica munera ante oculos ponit, à quo Alexander id accepit, sed vterque aberrauit. Neque enim tunc cùm bouem ante proposuisset præmij loco, postea vltimo duo talenta præmij loco data sunt: sed ἡμιτάλαντον. id est semitalentum. Eius id carmen est ex lib. 23. Iliados,

δευτέρῳ δ' αὖ θῆκε μέγαν καὶ πίονα δημῷ.
ἡμιτάλαντον δὲ χρυσοῦ λοισθήϊ' ἔθηκε.

Sed alium locum eiusdem Homeri vide eo ipso libr. 23. in quo neutiquam bos, neque aurum, neque aliarum rerum præmium fuit, sed alia quæpiam. Eius in eam rem hi versus sunt,

ἱππεῦσιν μὲν πρῶτα ποδώκεσιν ἀγλά' ἄεθλα
θῆκε γυναῖκ' ἄγεσθαι ἀμύμονα ἔργ' εἰδυῖαν,
καὶ τρίποδ' ὠτώεντα δυωκαιεικοσίμετρον
τῷ πρώτῳ· ἀτὰρ αὖ τῷ δευτέρῳ ἵππον ἔθηκεν
ἑξέτε', ἀδμήτην βρέφος ἡμίονον κυέουσαν.
αὐτὰρ τῷ τριτάτῳ ἄπυρον κατέθηκε λέβητα,
καλὸν, τέσσαρα μέτρα κεχανδότα, λευκὸν ἔτ' αὔτως·
τῷ δὲ τετάρτῳ θῆκε δύο χρυσοῖο τάλαντα.

Sed is tamen locus satis probat quod Seruius & Alexander probare voluerunt. Nam si tertio, qui hunc præcedebat, pro præmio datus est nouus lebes quatuor metrarum, satis consequens, vt sequens tam magnum accepisset præmium, scilicet, duorum auri talentorum. Ex quo fit quod dicit Seruius, vt talentum minimum quid significet. Et cum postremum Homeri locum in id quod diximus expendit ipse Seruius lib. 9. ibi,

Auri duo magna talenta.

x *Hoc quoque.*] Id totum vsque ad vers. Fuisseque in veteri. est Plinij lib. 33. c. 3.

y *Fuisseq́, in veteri nummo.*] Sed & hoc vsque ad vers. Neque omittendum, est Plinij vbi suprà. & Præterea Plutarch. problem. cap. 40.

z *Neque omittendum quod Plinius.*] Lib. 34. c. 13.

a *Lugduni Rom.*] Id vsque ad fin. est Strab. lib. 4.

Quæ theatra Romæ fuerint, & qui circi, quorumq́; extent vestigia, & quæ penitus conciderint.

CAPVT XXV.

IN conuentu eruditorum, præsente me sermo haberi cœptus est de [a] theatris, quæ multa in vrbe fuere, cur paucorum vestigia extent, cum plurima legamus fuisse: Romanosq́; bellis confectis, adeo spectaculis deditos, vt illa apparatissime exhibentes, quouis magistratu aut honore dignos ducerent. Cúmque ex his quidam [b] Populum Romanum pedibus stantem, sine scena diu

ANNOTATIONES IN CAP. XXV.

a *DE theatris.*] De his in vniuersum vide Vitruuium lib. 5. c. 3. & 6. & Plinium lib. 36. c. 15. Et ex recentioribus Andream Fuluium Sabinum lib. 4. de Vrbis Antiq. c. 2. & seq. titulo, de Theatris & amphitheatris.

b *Populum Romanum pedibus stantem.*] Cornelius Tacitus libro 14. vbi de Quinquennali Ludicro, quod Romæ institutum est Nerone quartùm & Cornelio Cosso Cos. & ex eo idem Fuluius vbi suprà, & Bartholomæus Marlianus Topographiæ vrbis Romæ lib. 3. cap. 17. titul. de Circo.

P. Cor. Nasica theatrū demoliri fecit. *Marcelli theatrū.* *Bibliotheca Octauia.* *Scauri theatra.* *Curionis theatrum.* *Theatra temporanea.* *Theatrum apud Fidenas lapsum.* *Pompey theatrum.* *Amphitheatrum à Iul. Cæs. extructum.*

spectasse assererent, [c] mox sub tabernaculis ligneis, aut arundine fultis, [d] quòd senatusconsulto intra vrbem, propiúsve mille passus theatra habere, aut ludos nisi stantē spectare non liceret: ideo rara fuisse, illorumque substructiones & diruta vestigia nunc extare: plures tamen fuere, qui plurimorum, quæ sequutis temporibus extructa sunt, non species modo, sed ne ruinas quidem apparere dicant. [e] Licet enim post secundum Punicum bellum, P. Cornelius Nasica, cùm à censoribus locatum spectandis ludis theatrum extrueretur, velut publicis moribus nociturum demoliri fecerit, populosque stans aliquandiu spectauerit: [f] & Augusti tempore tria theatra solum, & amphitheatrum Romæ fuerint: tamen subsequente æuo, quin theatra, circi & porticus ingentis operis, plura & celebria Romæ fuerint, nemo dubitauit: nonne maxime cum vrbs Roma eò excellentiæ & felicitatis creuit, vt ædificiorum magnitudine ad summum maiestatis fastigium deuenerit. Constat enim veterum monumentis, [g] Marcelli theatrum operis sumptuosissimi, ad infimum Argileti, iuxta templum Pietatis conditum fuisse, quod Augustus Marcelli nomine inscripsit. [h] Octauia verò mater, Augusti soror, eius memoriæ bibliothecam addidit præcipui sumptus. [i] Hic est enim ille Marcellus, cui cum filiam Augustus desponsasset, haud multò post egregius adolescens acerbo funere sublatus fuit. Et theatrum Scaori, quod in ædilitate fecerat, triplici scena trecentarum sexaginta columnarum, signisque æneis tribus millibus conspicuum, cuius cauea (vt [k] author Plinius est supra hominum octoginta millium capax erat. [l] Aut Curionis, qui post homines natos theatrum versatile & temporaneum mirabili commento construxit, operum longe maximum & conspiciendum. [m] Primus enim Lucius Mummius, exacto Achaico triumpho, theatrum temporaneum, & scenam lignea compage posuisse fertur. [n] Cúmque apud Fidenas theatrum memorabili casu cum magna hominum pernicie & ingenti strage corruisset, senatusconsulto cautum fuit, ne quis in posterum theatra nisi solidæ firmitatis extrueret. [o] Antea enim Pompeius Magnus perpetuo mansurum solida materia ædificauit primus, [p] in cuius dedicatione ludos dedit in circo, & elephantorum pugnam: quod illi fuit vitio & crimini datum, cum antea ligneis gradibus scena fieret: quod à Pompeio magna ex parte cœptum, [q] Caligulam perfecisse, [r] Neronemq; in aduentu Tyridatis Armeniorum Regis inaurasse legimus. [s] Iuxta quod Iouis statua visenda magnitudine, [t] cui arcus marmoreus à Claudio Cæsare Tiberio dicatus, proximus erat: [u] cuius exemplo [x] Iulius Cæsar molem amphitheatri ingentem, in campo Martio substructionibus maximis erexit.

ANNOTATIONES.

c *Mox sub tabernaculis ligneis.*] C. Curio, qui bello Ciuili in Cæsarianis partibus obiit, theatra duo iuxta fecit amplissima è ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento. Plinius lib. 36. c. 15.

d *Quod Senatusconsulto*] Valerius lib 2. tit. de Institutis antiquis ad fin. de Vsu velitum primò reperto.

e *Licet enim post secundum bellum Punicum.*] Plin. lib. 36. c. 15. Florus epitome lib. 68. & D. Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 1. cap 31.

f *Et Augusti tempore.*] De tribus Romæ theatris Strabo lib. 5. vbi de Campo Martio & eius amœnitatibus & Amphitheatro. & Ouid. de Arte amandi lib. 3.

Visite conspicuis terna theatra locis.

g *Marcelli theatrum.*] Plin. lib. 7. c. 36. & lib 8. c. 17. Tacitus lib. 3. Plutarchus in Marcello in fi. & in lib. de Industria animalium. Asconius Pædianus in Orat. Cicer. pro M. Scauro. Lampridius in Alexandro. Sueto. in Augusto. c. 29. Seruius in lib. 7. Æneid. Virgil. ibi.

Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione sacræ

Vbi & id dicit Numam Pompilium illud sacrarium, de quo ibi, fecisse circa vicum Argiletum, iuxta theatrum Marcelli. Ex quo Alexander hic ansam accipit, vt diceret Marcelli theatrum fuisse ad infimum Argileti, quod tamen aliud est. Dion historiæ Romanæ lib. 43. & 54. scribit Theatrum Marcelli, Marcellianum dictum fuisse.

h *Octauia verò.*] Plutarchus in Marcello, Sueton. in Augusto, cap. 29.

i *Hic est enim ille Marcellus.*] De quo Virg. lib. 6. Æneidos, ad finem.

Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris.

& Sueton. in Augusto, c. 63. & Plinius lib. 19. c. 1. ad fin.

k *Vt author est Plinius.*] Lib. scilicet 36. c. 15.

l *Aut Curionis.*] Plinius vbi suprà.

m *Primus enim L. Mummius.*] Corn. Tacit. lib. 14. & ex eo idem Fuluius Sabinus lib. 4. c. 2.

n *Cumq; apud Fidenas.*] Cor. Tacit. li. 4. non adeò longe ante fin. & aliquid Paulus Orosius lib. 7. c. 2. paulo ante fin.

o *Anteà Pompeius Magnus.*] Id ex Corn. Tacito est, lib. 14. cuius hæc verba sunt, Quippe erant qui Cn. quoque Pompeium incusatum à senioribus ferrent, quòd mansurā theatri sedem posuisset. Nam anteà subitariis gradibus & scena in tempus structa, ludos edi solitos: vel si vetustiora repetas, stantem populum spectauisse: si consideret, theatro dies totos ignauia continuaret. Idem paulò pòst, Sed & consultum parsimoniæ quòd perpetua sedes theatro locata sit, potius quàm immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac strueretur. De hoc Pompeij theatro Plutar. & Dion in vita Pompeij, Cic. in Pisonem, & ibi Ascon. Pedia. Plin. lib. 7. c. 3. Sueto. in Nerone, c. 46. Appianus bellorum Ciuilium lib. 2. Lucanus lib. 7. in prin. vbi de somnio Pompeij,

Nam Pompeiani visus sibi sede theatri.
Innumeram effigiem Romanæ cernere plebis.

Cassiodorus Variarum lib. 4. epist. vlt. vbi dicit Pompeium ob id theatrum à se constructum Magnum fuisse appellatum, quod vix alibi reperies.

p *In cuius dedicatione.*] Asconius & Dion vbi suprà

q *Caligulam perfecisse.*] Sueton. in vita illius, cap. 21.

r *Neronemq;.*] Plinius lib. 33. c. 3.

s *Iuxta quod Iouis statua.*] Plin. lib. 34. cap 7. Talis in campo Martio Iupiter à Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompeianus à vicinitate theatri.

t *Cui arcus marmoreus à Claudio Cæsare.*] Suet. in vita Claudij Cæsaris, cap. 11. sic scribit, Tiberio marmoreum arcum, iuxta Pompeij theatrum, decretum quidem olim à Senatu verùm omissum, peregit.

u *Cuius exemplo.*] Scilicet Pompeij.

x *Iulius Cæsar*] Cor. Tacitus scribit primùm à C. Cæsare in campo Martio constitutum fuisse. Tranquillus in eod. cap. 44. destinatum fuisse duntaxat, atque apparatum omnem ab Antonio in Mausolei dedicatione diiectum. Dion in Iulio scribit, theatrum quòd à Iulio Cæsare extructum erat, amphitheatrum posteà appellatum fuisse, quòd sedes

absque

quam postea Augustus mausoleum ædificaturus (teste Tranquillo) demolitus fuit. [y] Et Cornelij Balbi theatrum, cui quatuor columnæ ex ophite lapide pro miraculo fuere, quorum nulla prorsus vestigia cernimus. [z] Et Pompeij amphitheatrum ampla magnitudine & molle: quippe tam profusi sumptus fuit, vt hominum XL. millia commode sedibus acciperet. [a] Necnon amphitheatrum Tauri summa impensa extructum: nec minus castrense, quod in Exquiliis fuit: & Neronis, cuius ne imago quidem extat. Cæsaris vero theatrum iuxta Capitolium, cuius tantum semiruta vestigia videmus, tanti splendoris fuit, vt vrbem atque imperium honestaret. Quantæ autem admirationis fuisse amphitheatrum vrbe media credimus, [b] mirificum opus à Vespasiano fundatum, cum ipsius ferè demoliti nunc ruinas solidissima structura demiremur? In quo extruendo omnes Imperatores Regésque magnificentia antecessit, quibus monumentis illud decus maiestatis & imperij, quo vrbs Romana floruit, facile est coniectari. [c] Quid de theatro lapideo, iuxta quod ædem equestris fortunæ fuisse memorant, cuius ne vestigium quidem relictum est? [d] Circum verò maximum celebratissimum trium stadiorum longitudine, Tarquinio Prisco locum spectaculis designatum, vbi Iunonis & Dianæ templa erexit, & mox à Cæsare dictatore mirifico opere instauratū videmus, illiusq; adhoc vestigia extare: [e] vbi Veneris ædes, quam Fabius ex mulctatitia pecunia faciendam curauit, [f] Liberiq; & Liberæ, [g] Iuuentutis [h] & Cereris quas Aul. Posthumius dictator vouerat, [i] atque Herculis phanum, [k] Solisq; & [l] Mercurij, [m] Bellonæ, & [n] Floræ ædes fuere: [o] ibique Lupercal, [p] & circum Flaminium vidimus aliquando, quorum

Corn. Balbi theatrū. Pomp. amphitheatrū. Tauri amphitheatrū. Castrense. Neronis. Cæsaris. Vespasiani. Theat. lapideū. iuxta ædem Veneris. Circus maximus Tarquinij.

ANNOTATIONES.

absque scena vndequaque haberet.

y *Et Cornelij Balbi.*] Plinius lib. 36. c. 7.

z *Et Pompeij amphitheatrum.*] Plin. eod. lib. 36. c. 15.

a *Necnon amphitheatrum Tauri.*] Scilicet Statilij Tauri, ex Suetonio in Caligula, c. 18.

b *Mirificum.*] Suetonius in vita illius, c. 9.

c *Quid de theatro lapideo.*] Sed & fuere alia theatra Romæ, videlicet id quod à Traiano extructum fuit, quod postea ab Adriano est destructum, vt scribit Spartianus in vita ipsius Adriani. Aliud in pratis Vaticanis inter pontem Miluium & molem Adrianam, de quo Procopius. Guilielmus Postellus in lib. de Magistratibus Atheniensium, c. 18. scribit se vidisse theatri, sicut & hippodromi reliquias Constantinopoli, in foro Theodosij. Locus, ait, latus est circitee centum passus sesqui altera, aut ampliori longitudine: in extrema parte erat theatrum in medio aliquot columnæ, cum obelisco Ægypriaco.

d *Circum verò.*] De Circis in vniuersum vide Varronē libr. 1. aut aliorum dinumeratione 4. de ling. Lat. Vitruuium lib. 3. c. 2. & Ouid. lib. 2. Fastorum his versibus,

Hic vbi nunc fora sunt, lintres errare videres,
Quaq; iacent valles Maxime Circe tuæ.

Et Liuium 1. Deca, lib. 1. in Tarquinio Prisco post princ. his verbis, Tum primùm circo, qui nunc Maximus dicitur, designatus locus est, loca diuisa patribus equitibusq;, vbi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati. Vide præterea Dionysium Halic. lib. 3. & Plinium lib. 36. c. 15.

e *Vbi Veneris ædes.*] Scilicet Gurges ex Liuio, cuius verba ex 1. Dec. lib. 10. hîc adscribimus, Eo anno Q. Fabius Gurges Consulis filius aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multauit, ex quo multatitio ære Veneris ædē, quæ prope Circum est, faciendam curauit.

f *Liberiq;.*] Tacitus lib. 2. Iisdem temporibus deûm ædes vetustate aut igni abolitas, cœptásque ab Augusto dedicauit Libero, Liberæque & Cereri, iuxta Circum maximum, quas A. Posthumus vouerat. Ad id ipsum prius dixerat Diodorus Siculus lib. 6. non longè à fin.

g *Iuuentutis.*] Liu. 4. Dec. li. 6. Item Iuuentutis ædē in Circo Maximo C. Licinius Lucullus duûmuir dedicauit. vouerat eam sexdecim annis antè M. Liuius Coss. quo die Asdrubalem exercitúmque eius cecidit. Idem censor eam faciendam locauit M. Cornelio & T. Sempronio Coss. Huius ædis Iuuentutis meminit Plinius duobus in locis, nempe lib. 29. c. 4. in princ. & lib. 35. c. 10.

h *Et Cereris.*] Iam diximus suprà in verbo, Liberique. ex Corn. Tacit. lib. 2. & Plinij lib. 35. c. 12.

i *Atque Herculis phanum.*] Hoc templum in Auentino cōstructum fuisse scribit Bartholomæus Marlianus, redditque causam quare nunc D. Alexio dedicatum sit à suis maioribus. Fuit & aliud templum Herculis Custodis, vbi nunc Di Luciæ templum est, in aditu Circi Maximi, vel (vt aliis placet) Flaminij, de quo Ouid. Fastorum lib. 6.

Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est,
Quod deus Euboico carmine munus habet.

Multæ fuerunt ædes Herculis Romæ, quarum ea cuius nunc meminit Ouid. condita est ad Circum Maximum à L. Sylla, monitu carminis Sibyllini, & pridie nonas Iunij dedicata. Huic idem Sylla decimas obtulit, author Plutarch. in Sylla.

k *Solisq;.*] Corn. Tacitus lib. 15.

l *Et Mercurij.*] Ouidius lib. Fasto. 5. Mercurij templum spectasse eundem Circum Maximum ait his verbis,

Templa tibi posuere patres spectantia Circum
Idibus, ex illo est hæc tibi sacra dies.

m *Bellonæ.*] Templi Bellonæ auctorem Appium Claudium fuisse ait Ouidius lib. 6. Fast.

Hac sacrata die Tusco Bellona duello,
Dicitur, & latio prospera semper adest, &c.

Titus Liuius 1. Dec. lib. 10. sic scribit, Dicitur Appius in medio pugnæ discrimine, ita vt inter prima signa manibus ad cœlum sublatis conspiceretur, ita precatus esse, Bellona si hodie victoriam duis: ast ego templum tibi voueo. Erat autem & aliud templum Bellonæ extrà vrbem ad portam Carmentalem, in quo dabatur Senatus Coss. & aliis qui prouinciis debellatis triumphum petebant & legatis aliarum nationum, de quo nos alibi diximus.

n *Et Floræ.*] Tacitus lib. 2. vbi loquitur de ædibus Liberi & Liberæ, vti suprà diximus, continuè de æde Floræ hæc subiungit, Eodémque in loco ædem Floræ ab Lucio & Marco Publiciis ædilibus constitutam. Hæc à Græcis χλωρὶς dicitur. Ouid. 5. Fast.

Chloris eram, quæ Flora vocor corrupta Latino
Nominis est nostri littera Græca sono.

o *Ibiq; Lupercal,*] Seruius in illud Virgil. Æneid. 8.

Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.

Ficus, inquit, Ruminalis, ad quam eiecti sunt Remus & Romulus, fuit vbi nunc est Lupercal in Circo. Hac enim labebatur Tyberis, antequam Neptuno factis sacrificiis auerteretur. Dionysius Halicarnassæus lib. 1. Cæterum, ait, Arcades acceptis sub colle sedibus (de Auentino loquitur) exædificatis more patrio domiciliis, templa quoque construunt, primùm Lycæo Pani iubente Themide (Arcadibus enim antiquissimus & honoratissimus est Pan) in loco quem Romani Lupercal nominant, nos Lycæum dicere possumus.

p *Et Circum Flaminium.*] De quo Cicc. epist. ad Attic. lib. 1. & in 3. in Ver. act. & ibi Ascon. Pædianus, Varro lib. 4. ling. Lat. Vitruuius lib. 4. cap. 7. Liuius 1. Dec. lib. 3. & 3. Dec. lib. 8.

Circus Neronis. Circus Floræ. Venus Murtia. Theatra nō modo ludis & spectaculis seruiebant. Græcorū theatra.

vix semirura vestigia licet inspicere. Atque hic circus Flaminius est, [q] quondā prata Flaminia. [r] Iuxta quem Apollinis ædes [s] inter ipsum & olitotium forum, [t] in qua senatus haberi consuerat, [u] ac Iouis Statoris templum, [x] licet alterum in Porticu Metelli, y & tertium in radice Palatij fuisse legamus, quòd à Romulo in pugna cum Tatio & Sabinis votum esse dictitant. [z] Fuit quoque Neronis circus in Vaticano, [a] & circus Floræ iuxta ipsius templum: [b] & intimus, quem iuxta vrbis murum fuisse Varro significat: cuius licet intermortua memoria sit, tamen figulos ibi proximos, & myrtetum, à quo sacellum Veneris Myrteæ, quæ Murtia dicta est, [c] & illius aram sub Auentino antiquissimam legimus. Hoc quoque non in postremis fuerit, prioribus seculis non modò spectaculis & ludis publicis veteres theatra habuisse frequentia, sed quum conciones, aut populi concilium haberi, vel toti plebi aliquid exhiberi vellent, id in theatro, vbi concionantem exaudire, & quò conuenire frequentius possent, ex alto suggestu sedentibus & silentibus cunctis, facere consuesse: [d] idque Græcis præcipuo in more fuisse, licet Athenis theatrum locus legitimę concionis non esset: [e] quo malo vetus illa Gręcia concidit, in quorum theatris concilio populi indicto, vbi rudes & ignaui promiscuè consederant, confusa populari & militari turba, variis & dissonis clamoribus insanę concionis, bella suscipiebant, ciues proscribebant, prętores eligebant, pręmiáque bene meritis ciuibus, interdum pœnas, circumductis vrnulis, inferebant.

ANNOTATIONES.

Martialis lib.12.epigram. 76. Plutarc. problem.cap. 66.Iul. Florus epit.Liuij lib.20.Festus Pompeius lib. 6. Plin. lib.34. cap.3.& lib.36. cap.5.& P. Victor in 9. Vrbis regione,& Iul. Obsequens c. 114.

q *Quondam prata Flaminia.*] Liuius 1.Dec.lib. 3. Ea omnia in pratis Flaminiis concilio plebis acta,quem nunc Circum Flaminium appellant, vide in seq.

r *Iuxta quem Apollinis ædes.*] Idem Liu.d.lib.3.sed alio loco, Itaque inde Coss. ne criminationi locus esset, in prata Flaminia,vbi nunc ædes Apollinis est(Circum iam tum Apollinarem appellabant)auocauere Senatum.

s *Inter ipsum.*] Ascon. Pædianus in 4.in Ver. act.

t *In qua Senatus.*] Scilicet æde Apollinis,vt constat ex loco posteriori in verbo, Iuxta quem Apollinis ædes.

u *Ac Iouis Statoris.*] Macrobius lib 3. Saturn.c 4. post prim. authoritate Varronis lib. 8. rerum Diuinarum. Dionys.Halicarn.lib.2. Extructis quoque templis aras consecrauerunt Diis, quibus in pugna vouerāt, Romulus Ioui Statori,apud portam Mugoniam ducentem è via sacra ad palatium, quòd exercitum ipsius fugientem deus post preces stare fecisset & vti viribus.

x *Licet alterum.*] Vitruuius lib.3.c.1.vbi de Periptero æde disserit.Hæc ædes ad finem Circi Flaminij fuit è Q.Metello Macedonico facta, de qua Velleius Paterculus lib.2.Fuit & aliud Iouis Statoris templum in radicibus Palatini, vbi nūc ædes D. Mariæ de Pœnis inferni.

y *Et tertium.*] Scilicet templum Iouis Statoris ex Liuio 1. Decad.lib.1. & Plutarch.in Romulo. Dion.Halicarn.lib.2.

z *Fuit quoque Neronis Circus*] Plin.lib.36.c.11.& hic est, vt opinor,quem idem Plinius Circum Vaticanum vocat libr. 16. cap.40.

a *Et Circus Floræ.*] De æde Floræ iuxta Circum Maximum diximus. An autem fuerit alius Floræ Circus iuxta ipsum templum, nunc non recordor me legisse, nisi quòd P. Victor, si is est, collocat Floræ templum & Circum in sexta Vrbis regione.

b *Et intimus.*] Scilicet Circus ex Varrone cuius hæc omnia vsque ad clausulam,Et illius aram. sunt lib. 4. de lingua Latina.Sed & id quod dicitur de Venere Myrtea,quæ & Murtia dicebatur.vide Plinium lib.15.cap. 29. & Plutar. proble. cap. 19. in fin.

c *Et illius aram.*] Plin.vbi suprà,Ara,inquit, vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant,sed is non dicit eam fuisse sub Auentino:verùm id satis innuere videtur Liuius 1.Decad.lib.1.cùm scribit, Tum quoque multis militibus Latinorum in ciuitate acceptis, quibus vt iungeretur Palatio Auentinus ad Murtiæ datæ sedes. Festus autē Pompeius lib. 11. Murtiæ deæ sacellum erat sub monte Auentino,qui anteà Murtius dicebatur.

d *Idq; Græcis.*] Val.Max.lib.2.c.1. vbi de constantia legatorum Rom.In theatrum(vt est consuetudo Græciæ)introducti, legationem quibus acceperant verbis,peregerunt.

e *Quo modo.*] Strabo li.3.alias causas euersionis veteris Gręciæ scribit.Sed superioribus addas fuisse & Athenis theatra & inter cætera Dionysiacum ex Thucydide li.8.& Odeum dictum à cantilenis(quasi cantilenarium dicas)ex Pausania in Atticis,in cuius vestibulo Ægyptiorum Regum sunt statuæ.

Qui fuerit medius vnguis, & infamis digitus, quibusq; digitis quæ fuerint qualitates & nomina.

CAPVT XXVI.

Iuuenalis locus Satyr.10.

PERSVASVM habent plèrique, in versu Iuuenalis decimę, dum inquit:

> *quum Fortuna ipse minaci*
> *Mandaret laqueum, mediumq; ostenderet vnguem:*

per hęc verba id notari,quòd vulgò omnes contumeliis conciti faciunt,vbi interiecto pollice inter medios proximos digitos, obscœnum in modum probrum obiiciunt: quo argumento illum fastidire & despicere ostendunt. quod tamen longè secus in veteri vsu fuisse apparet:quippe [a] infamis

ANNOTATIONES IN CAP. XXVI.

a *INfamis digiti.*] Persius satyra 2. hunc infamem appellat.

> *Infami digito & lustralibus antè saliuis*
> *Expediat.*

Et impudicum cum author Priapeiorum quisquis is fuit,

> *Derides quoque fur: & impudicum*
> *Ostendis digitum mihi minanti.*

Martialis lib. 6. epig 69.

> *Ostendit digitum, sed impudicum,*
> *Alconti, Dasioq; Symmachoq;.*

Qua autem ratione,intelliges ex Diogene Laërtio In Diogene Cynico.

b *F ...*

digiti obiectu, qui medius est, ipsum in quem obiicitur, infamem notari duxerunt. [b] Fuit enim prisci moris, vt si quos floccipenderent, aut insigni contumelia vel deformi conuicio afficerent, id obiectu medij digiti protenti, non autem compressi, denotarent: quod est à Græcis vsurpatum, vt contractis reliquis digitis, medium ignominiæ causa protenderent, quod [c] σκιμαλίσαι dixere σκιμαλίζειν enim, prætentare est digito an gallinæ oua conceperint: [d] sicut ἀποσκιμαλίζειν, vbi quempiam floccifacere ostendunt. [e] Quare ab Atheniensibus medius catapygos, quasi cinædus & scortum, adnominatur, quòd infamiam incuteret, & conuicium faceret. [f] Apud Græcos sycophanta aut hodidocos, quasi obsessor viarum & latro, vel propudium, conuicium censebatur maximum: [g] sicut Persis, muliere virum ignauiorem appellare, nulla insignior cōtumelia fuit. Apud Ægyptios, asini nomen obiectare, magnum est ingerere probrum, quòd Typhonis hostis Orisidis colorem ferret. [h] Quare quum Persarū Regem Ochum summi dedecoris loco Ægyptij asinum appellarent, intantum exarsit, vt diceret: Faciam vt hic asinus vestrum bouē depascatur, qui haud multò post, ingenti coacta manu, occupata Ægypto, Apim immolauit. In quo annotare succurrit, [i] quod tradit Herodotus, quod quum Scytharum equitatus, quò præcipuè valent, in Ægyptios irrueret, rugitu asinorum & mulorum insolito (quippe quum apud Scythas nulli sint, Ægyptiis verò frequentes) adeò equos Scytharum fuisse consternatos, vt protinus fugam fecerint, Ægyptiisque insignem victoriam dederint. [k] Id quoque à Martiale non inscitè ostensum est:

Rideto multum qui te Sextile cinædum
Dixerit, & digito porrigito medium.

Velut eo argumento virum improbissimæ nequitiæ designaret. Ex quinque enim digitis, [l] quos sacros Mineruæ religio sanxit, cuique suum nomen inditum fuit, & qualitas, neque ab re nominati sunt. [m] Pollex enim primus, quia aliis maior & longè princeps est, quódque reliquis antestat, & propè dominatur dictus, quippe cuius adiumento reliqui reguntur: itaque non immeritò [n] is apud Græcos ἀντίχειρ, quasi altera dicebatur manus, quum in vnaquaque re socius & adiutor sit. [o] Hunc premere antiqui iubent, quum alicui bene precantur & propitij sunt, bonum omen & efficaces preces futuras interpretati: [p] vtrumque verò pollicem iungere, vehementius laudare est: [q] vertere autem pollicem, malè precari. [r] Cúmque pollex monocondylus sit, reliqui fuere dicondyli, id est, duplicis commissuræ: [s] vbi verò in digito non erat flexus, phalanx dicebatur. In pedibus autem, pollici scandenti proximum, à saliendo [t] halluci dixere nomen. [u] Reliqui in pedibus digiti, monocampi; hoc est, vnius flexus fuere. In qua quidem re memoriæ proditum est, [x] Pyrrhi pollicem dextri pedis diuinam vim habuisse, vt splene laborantibus præsentissimo remedio succurreret: [y] qui etiam in pyra cum reliquo corpore absumi nequiuit: [z] sicut de Lamisco proditur, qui apud Lucanos regnauit, cui tertius digitus pedis lupinus erat. [a] Et de Artaxerxe, qui manu altera longior, Macrochir nomen

Medius digitus infamis. σκιμαλίζειν. ἀποσκιμαλίζειν. Voces ignominiosa apud diuersos. Pollex. ἀντίχειρ. Pollicem premere. Pollicem vtrúnque iungere. Pollicem vertere. eodum digitis. Hallucis. Pyrrhi pollex pedis. Lamisci tertius digitus pedis lupinus. Artaxerxes Macrochir.

ANNOTATIONES.

b *Fuit enim*] Vide infrà eod. cap.
c *Σκιμαλίσαι.*] Rhodiginus lib. 17. c. 12.
d *Sicut ἀποσκιμαλίζειν.*] Idem Rhodiginus lib. 26. c. 21.
e *Quare ab Atheniensibus.*] Rhodiginus lib. 14. c. 11. & lib. 17. cap. 12.
f *Apud Græcos Sycophanta.*] Vide omnino Athenæum Dipnosophistarum lib. 3. cap. 3. Rhodig. lib. 18 c. 9. ad fi Erasmum in prouerbio Sycophanta.
g *Sicut Persis.*] Herod. lib. 9. de quo & nos diximus in nostris legibus Conubialibus lib. 9.
h *Quare cum persarum Regem Ochum.*] Rhodiginus lib. 30. cap. 21.
i *Quod tradit Herodotus.*] In Melpomene, qui est liber 4.
k *Id quoque à Martiale.*] Lib. scilicet 2. epig 28.
l *Quos sacros Mineruæ.*] Seruius in 7. eclog. Virgil. & alibi dictum est.
m *Pollex enim.*] Macrob. lib. 7. Satur. c. 13.
n *Apud Græcos ἀντίχειρ.*] Macrob. vbi suprà, & Pollux lib. 2. Onomasticôn.
o *Hunc premere.*] Plinius lib. 28 c. 2. Pollices, inquit, cum faueamus, premere etiam prouerbio iubemur. Antiquitus in pollice erat fauoris studiique significatio: qui faueret pollicem premebat: qui contrà malè alicui cuperet, pollicem conuertebat. Erasmus in prouerbio. Premere pollicem, conuertere pollicem.
p *Vtrumque verò.*] Horat. lib. epist. 1. epist. 8.
Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor vtroque tuum laudabit pollice ludum.
Et ibi Acron & Porphyrion interpretes. Erasm. vbi suprà.
q *Vertere autem Pollicem.*] Iuuenalis saty. 3.
---Et verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter:
Et Prudentius in heroico carmine aduersus Symmachum in fi. libri posterioris,
Et quoties victor ferrum iugulo inserit, illi
Delitias ait esse suas, pectúsque iacentis
Virgo modesta iubet conuerso pollice rumpi.
r *Cúmque pollex.*] Aristot. lib. 2. Animalium c. 15.
s *Vbi vero in digito.*] φάλαγξ enim est internodium in digitis: id est digiti pars rigida, & quæ non flectitur, quæ inter duos articulorum nodos est, vt τὸ τοῦ δακτύλου καμπτικὸν sit κόνδυλος τὸ δ᾽ ἄκαμπτον φάλαγξ.
t *Halluci dixere nomen*] Festus Pompeius lib. 1. Allux, inquit, pollex scandens digitum proximum, quod velut insiluisse in alium videatur, quod Græce dicitur ἅλλεσθαι.
u *Reliqui in pedibus digiti*] Gaza ex Aristotele, vbi suprà proxime, μονόκαμπτοι (inquit) dicuntur omnes digiti pedum, qui vnico inflexo adducuntur.
x *Pyrrhi pollicem.*] Plutarch. in vita illius post princ. Plinius lib. 7. c. 2. & lib. 28. c. 4.
y *Qui etiam in pyra.*] Plutarchus & Plinius in eisdem locis.
z *Sicut de Lamisco.*] Heraclides in Politicis.
a *Et de Artaxerxe.*] Plutarchus in vita illius in princ. & in Apophtheg. eiusdem. Et idem quoque de Dario, vt id cognominis assequutus sit à brachiorum & vlnarum longitudine, quæ tanta erat, vt genua contingeret, scribit Strabo lib. 15. ad fin. Est autem μακρόχειρ tanquam dicas longimanus. In hac autem pollicis tractatione non est prætermittendum olim milites pollicibus eleuatis sacramentum militare eleuare solitos. Ideò, qui militiam detrectare volebant, sibi pollices amputabant, ne ad sacramentum adigi possent. Propterea Augustus equitem Romanum, quòd

Index. Angerona. tulit, [b] Proximus vero à pollice, indicis nomen habet, [c] qui etiam salutaris vocabatur: [d] quo ori admoto, silentiũ indicimus: scilicet nil sanctius ad salutem, oris silentio æstimantes. [e] Ideò sacellum Angeronæ, quæ dea præsul silentij obsignato ore effingitur, ac inter antiquissimas religiones Romæ colebatur. [f] Hoc digito salutari Martium Septimium, qui ex fabro ferrario imperium tenuit, tantum valuisse dicunt, vt currus ex aduerso nitentes repulerit, & fortissimum quemque colliserit. [g] Tiberius quoque articulis ita firmis fuisse fertur, vt recens malum salutare digito terebraret. [h] Quod de Claudio secundo Cæsare traditur, qui digitis ita validis fuit, vt ictu digitorum aut pugno sæpe equi dentes excusserit. † Contrà verò Augustus illo persæpe laborauit, ita vt vix cornei circuli supplemento, scripturæ admoueret. [i] Hoc etiam indicamus, quare indicis nomen tulit, [k] exprobramus, [l] & minas inferimus. [m] Tertius, qui medius & reliquis maior est, famosus habetur, petulans & libidinosus, [n] cuius obiectu (vt modo significaui) probrum obiectamus, alteriúsque famam lædimus & detestamur: & quia deses & ignauus in medio situs, nulli rei adiumento est, idcirco despectissimus habitus; [o] Qui etiam verpus dicebatur: namque Iudæis vsque eò euiluit, vt interanea exulcerata, & putrescentia viscera, illo reconderent & fouerent. [p] Fuitque adnotatum apud veteres Græcorum, vt qui medio digito tanquam per indicem aliquem ostenderent, arguerentur insaniæ. Quare verbum Diogenis proditur, multos per digitum insanire, quòd medio digito se Philosophantes peregrinis demonstrarent. Cúmque reliquos auro gemmísque insignirent, [q] hunc prisci Romani nudum & honore destitutum reliquêre, velut infami contumelia notaretur. [r] Galli verò & Britanni medio tantũ annulos adiiciunt,

Qui digiti valuerunt.

Digitus infamis seu verpus Diogenis dictum.

ANNOTATIONES.

duobus filiis adolescentibus, causa detrectandi sacramenti, pollices amputasset, ipsum bonáque eius hastæ subiecit, vt scribit Sueton. in vita ipsius Augusti cap 24. Hanc enim rationem pollicis amputandi afferunt: sed ego malo cum aliis eam esse quod pollicibus amputatis inutiles & minus idonei ad arma tractanda redderentur. Apud Fortunatianum autem Actionis huiusmodi est de decem militibus accusatis læsæ reipublicæ, quòd tempore belli pollices sibi amputassent. Ammianus Marcellinus lib. 15. ad finem scribens de moribus Gallorum sic ait, Nec eorum aliquando quisquam, vt in Italia, munus Martium pertimescens, pollicem sibi præcidit, quos localiter Murcos appellant.

b *Proximus verò à pollice.*] Horat. lib. Serm. 2. saty. 8. eadémque vlt.

----Quid siquid fortè lateret,
Indice monstraret digito.

Vbi Porphyrion interpres. Plinius lib. 28 c. 2. ad fin. sic scribit, Vngues resecari nundinis Romanis tacenti atque à digito indice, multorum pecuniæ religiosum est: Quintilianus autem lib. 11. 3. qui de Pronunciatione est, id ei nomen ab indicando datum tradit.

c *Qui etiam salutaris vocabatur.*] Sueton. in Augusto, c. 80. Martianus Capella de Nuptiis Philologiæ. Quidam, inquit, redimitus puer ad os compresso digito salutari, silentium annuebat. Trebellius Pollio in vita Martij Septimij, cuius verba paulò post adducemus. Et hunc ita vocari putat Beroaldus interpres Suetonij, quòd silentium indicet: nam sermoni parcere, vt loquit eleganter, & verè Plinius, multis de causis salutare est.

d *Quo ori admoto.*] Id iam patet ex illo loco Capellæ. Sed & ex eo Apuleius lib. 1. Metamor. At ille digitum à pollice proximum ori suo admouens, & in stuporem attonitus, Tace tace, inquit. Is digitus in exprobrando & indicando, vnde ei indicis nomen est, plurimum valet. Quo vsum esse optimè Crassum oratorem, Cicero lib. 2. de Orat. Quintilianúsque lib. 11. c. 3. notificant. Hucque nonnihil pertinet illud Iuuenalis satyra 1.

---Digito compesce labellum,
Accusator erit, qui verum dixerit, hic est.

Atque illud Ouidij lib. Metam. 9. non longè à fi. vbi Harpocratem silentij significat, qui digito ad os apposito pingebatur,

Quique premit vocem digitóque silentia suadet.

e *Ideo sacellum Angeronæ.*] Plinius lib. 3. cap. 5. Solinus c. 1. C. Sempronius 10 lib. de Italiæ diuisione. Macrobius lib. 1. Satur. c. 10.

f *Hoc digito salutari M. Septimium.*] Trebellius Pollio in vita Septimi, Nullos, inquit, manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuisse, cùm in digitis neruos videretur habuisse, non venas. Nam & carra venientia digito salutari repulisse dicitur: & fortissimos quosque vno digito sic afflixisse, vt quasi ligni, vel ferri obtusioris ictu percussi dolerent. Hæc ille, qui & illum fuisse fabrum ferrarium dicit.

g *Tiberius.*] Suetonius in vita illius c. 68.

h *Quod de Claudio Secundo.*] Trebellius Pol. in vita illius, Digitis, ait, vsque adeo fortibus fuit, vt sæpe equis & mulis ictu pugni dentes excusserit.

† *Contrà verò Augustus.*] Suetonius in vita illius c. 80.

i *Hoc etiam indicamus.*] Suprà dictum est. Nam & ab indicando dictus est, vt etiam scribit Quintilianus lib. 11. c. 3. quod de pronunciatione est.

k *Exprobramus.*] Vide suprà ibi, Quo ori admoto.

l *Et minas inferimus.*] Quintilianus vbi suprà de manibus in vniuersum loquens, sic scribit, An non his poscimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? supplicamus? &c.

m *Tertius.*] Dictum est suprà.

n *Cuius obiectu.*] Nam vt scribit Diogenes Laërtius, Diogenes ille Cynicus peregrinis quibusdam videre Demosthenem cupientibus, medium huic intendens digitum, Hic, ait, vobis est ille Atheniensium orator. Innuens scilicet Demosthenem esse mollem & effœminatum.

o *Qui etiam verpus.*] Medius digitus verpus à verrendo podice dicitur, quòd protensis duobus aliis vtrinque proximis complicatis digitus, inguinis speciem quandam referat. Ob quam etiam causam infamis à Persio vbi suprà num. 1. & impudicus à Martiale appellatur. Quo fit vt Iudæi peculiari vocabulo Verpi dicantur, qui præscripto legis præputium pueris præcidunt. Martialis Epigram. lib. 7. epig. 81.

Dum ludit media, populo spectante, palæstra,
Delapsa est misero fibula, Verpus erat.

Iuuenal. saty. 14.

---Eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem solos deducere Verpos.

p *Fuitque adnotatum.*] Id totum vsque ad clausulam, Cúmque reliquos, videtur fuisse sumptum ex illo loco Laërtij nuper à nobis suprà ibi, Cuius obiectu. adducto: sed aliter quàm Diogenes retulit.

q *Hunc prisci Romani nudum.*] Vt satis intelligitur ex Plinio lib. 33. c. 1. dum scribit, eos primùm gestasse digitis, qui sunt minimis proximi. Posteà proximis pollici, postremò & minimis.

r *Galli verò & Britanni.*] De vtrisque Plinius d. lib. 33. c. 1.

a Proxi

illum præcipuo honore excolentes. [s] Proditúmque est, annulum à sinistra in longissimum dextræ transferri, læpe singultus & grauedines leuare. [t] Græcis verò medius, non famosi nomen haber, sed medici. Digitis enim apud illos bæc indita nomina fuere, ἀντίχειρ, δεικτικὸς, ἰατρὸς, δακτυλιώτης, ὠτίτης; ac si dicas, pollex, index, medius, annularis; auricularis, [u] Apud Pollucem hæc fuere nomina: Micros, hoc est, paruus, deinde paramesos qui sequitur, postea mesos, deinde lichanos, demum antichir autmegas. [x] Romani verò proximum minimo, annularem seu medicum nuncupant. [y] Illo enim, quum veniam poscimus à diis, locum Nemeseos([z] quæ dea vltrix malorum fuit, fautrix verò bonorum) post aurem dextram obsignamus. Ipsa enim Rhamnusia dicta, ibi locum venerationis habet. [a] Rhamnes enim à Marathone haud plus sexaginta stadijs abest, [b] vbi Nemesis phanum memoratu [x] præcipuum, ab Adrasco ædificatum, [c] cuius simulacrum altera manu fraxineum ramum, altera phialã gestat: [d] quem locum qui eam venerantur attingunt, quum in ipsa aure memoriæ locus foret. [e] Eundemque minimo proximum in sponsalibus annulo exornamus, quia tenuissimam venam inde ad cordis ima penetrare arbitrantur. Hunc Ægyprij tanquam sacrum multis odoribus delibutũ habere assuerant. habuisséque hoc proprium ferunt, vt complicàtus, [f] senarium, qui perfectissimus est, numerum designaret. Minimum verò, quia omnibus minor, minus officij habet, quòdque eius ope minus indigemus, proptetea dici autumant: [g] cui etiam auriculari nomen est, quòd illius ope aurium sordes, quæque in his incommoda sunt, adimimus & leuamus: cardiatíque aurium, aut si quid in eis putidi fuerit vel purulenti, succurrimus. [h] Fuitque literis proditum, crebro scabere aurem dextram minimo, furoris signum esse: [i] eiúsque tinnitum crebriorem, morbum corpori adactum præmonstare. [k] Si quem tamen dimicationi vel pugnæ veteres lacessebant, minimo prouocante inuitabant. [l] Est quoque animaduertere, quòd qui minimo gestatur annulus, achates dicitur: quo verò index ornatur, coriannos. [m] Latini autem leuis materiæ annulum, qui minimo gestatur, æstiuum nuncupant. [n] In auctionibus & locationibus attollere digitum, se emptorem & conductorem: [o] in certamine & pugna, dedi-

Medicus. *Annularis Nemesis.* *Nemeseos simulacrũ.* *Minimus siue auricularis.* *Minimo aurem dexterã scabere.* *Minimo prouocare.* *Achates Coriannos. Annulus æstiuus* *Digitum tollere.*

ANNOTATIONES.

s *Proditúmque est memoria.*] Plinius lib. 28. cap. 6. Plerique anulum è sinistra in longissimum dexteræ digitum transferre, &c. ibi. loquitur de sternutamento.

t *Græcis verò medius.*] Sic annotauit Iac. Tusanus in suo lexico in dictione ἰατρὸς.

u *Apud Pollucem.*] Lib. scilicet 2. c. 4. & iterum cap. 50.

x *Romani.*] Gellius lib. 10. Macrob. lib 7. Satur. cap. 13. Porphyrion in Horatium lib. Sermonum 2. saty. 8. eadémque vbi, vbi ita omnes digitos nuncupat, Pollicem, indicem famosum, medicum, minimum.

y *Illo.*] Plinius lib. 11. c. 45. Est post aurem æquè dextram Nemesios, quò referimus tacto ore proximum à minimo digitum, veniam sermonis à diis ibi recondentes.

z *Quæ dea.*] Catullus epig. 47. ad Licinium,

----Precésque nostras
Oramus caue despuas ocelle:
Ne pœnas Nemesis reposcat.

Et Ouidius lib. Tristium 5. eleg. 9.

Exigat ac dignas vltrix Rhamnusia pœnas,
Imposito calcas qui mea fata pede.

Idem Ouid. memorem appellat lib. 14. Meta. quòd vlciscitur superbos, cùm ait,

—— Memorémque time Rhamnusidis iram.

Ammianus Marcellinus hoc graphicè describit lib. 14. in fi.

a *Rhamnes enim à Marathone.*] Pausanias in Atticis, qui est libr. 1.

b *Vbi Nemesis phanum.*] Antimachus poëta Græcus, ex quo, atque etiam ex Strabone lib. 13. his verbis,

Est dea quam Nemesim dicunt, dea magna poténsque,
Quæ bona cælestum concessu cuncta deorum
Possidet: huic primus sacratam condidit aram
Fluminis Æsapi gelidas Adrastus ad vndas:
Atque ibi nunc colitur, seruátque Adrastia nomen.

Intelligis hic non Adrasco, sed Adrasto legendũ esse. Nam & ipse Strabo hanc Nemesim Adrastiam nuncupatam fuisse tradit. Vide Ammian. Marcell. vbi suprà.

c *Cuius simulacrum.*] Pausanias in Atticis & Suidas in Rhamnusia.

d *Quem locum.*] Plinius lib. 11. cap. 45. ex quo hunc locum corriges.

e *Eundémque minimo proximum.*] Gellius libr. 10. c. 10. Macrob. lib. 7. Satur. c. 13.

f *Senarium.*] Macrobius d. lib. 7. c. 13. vbi reddit causam cur annulus in digito eo geratur, qui in sinistra manu minimo est proximus. Complicatus enim, inquit, senarium numerum digitus iste demonstrat, qui omnifariam plenus, perfectus atque diuinus est.

g *Cui etiam auriculari.*] Nam & Græcis ὠτίτης & digitum minimum & aurem significat.

h *Fuitque literis proditum.*] Ex Apuleio libr. 6. cuius hæc verba sunt, Quam vbi primùm inductam, oblatámque conspéxit Venus, lætissimum cachinnum extollit. & qualem solent furentes irati: capútque quatiens & adscalpens aurem dexteram, &c.

i *Eiúsque tinnitum.*] Consule medicos.

k *Si quem tamen dimicationi.*]. Horat lib. 1. Serm. satyr. 4. in princip.

Crispinus minimo me prouocat, accipe si vis,
Accipe iam tabulas: detur nobis locus, hora,
Custodes: videamus vter plus scribere possit.

Vbi Acron & Porphyrion interpretes dicunt, eos solere minimo digito alios prouocare, qui volunt ostendere, plus esse virium in suo minimo digito, quàm in alterius toto corpore.

l *Est quoque.*] Id vsque ad clausulam, Latini autem, est Pollucis lib. 5. cap. 16. quo tractat de ornatu muliebri, ex quo intelliges hic legendum acanes, non achates: & corianon, non corianum.

m *Latini verò.*] Cælius Rhodiginus lib. 6. c. 11. sed quo authore non magis prodit quàm Alexander. Non recordor autem me alibi legisse. Vide tamen interpretem Iuuenal. saty. 1. ibi,

Ventilat æstiuum digitis sudantibus aurum.

n *In auctionibus & locationibus.*] Cicero 3. in Verrem act. Ne mora, inquit, loquuturum se esse confirmat. & paulò pòst, Locare incipit non proscripta, neque edicta die, alienissimo tempore ludis ipsis Rom. foro ornato. Itaque renunciat Rabonius illam decisionem tutoribus: accurrunt tamen ad tempus tutores, digitum tollit Iunius patruus.

o *In certamine & pugna.*] Persius saty. 5.

Nil tibi concessit ratio? digitum exere, peccas.

Nam & ad id eum locum trahit Erasmus Chilia. 3. cent. 4. cap. 14. Atque etiam illud Diui Hieronymi in dialogo Luciferiani & Orthodoxi, En tollo manum, cedo, vicisti. Sunt

tamen

tionem: ᵖ manum verò protendere, pacem peti, significabant: quibus in vsu erat, ritu prisco, vt qui forensia stipendia auspicaretur, brachium extra togam exerere non auderet.

ANNOTATIONES.

tamen qui eum locum Persij aliter intelligunt. de quo vide ibi interpretes, & quæ diximus suprà eod lib. c 7.

p *Manum verò protendere.*] Quintil. lib. 11. c. 3. quod est de Pronuntiatione. Fit & ille habitus, qui esse in statuis pacificator solet, qui inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenso, manum infesto pollice protendit. Quamuis sunt qui ibi extendit legunt, quod tamen non longe abest.

ALEXANDRI AB ALEXANDRO IVRISPERITI NEAPOLITANI GENIALIVM DIERVM

LIBER QVINTVS.

Locus ex Martiale, apud Gabrielem Altilium in conuiuio familiari inuicem discussus.

CAPVT I.

AD Gabrielem Altilium, virum modestissimum, doctissimúmque, cum quo mihi à prima adolescentia intima familiaritas fuit, quòd is tunc ad pontificatum euectus fuerat, nos & aliquot bonarum artium studiosi iuuenes, summo loco nati Neapoli, congratulatum veneramus: ad quem vt venimus, excepti ab eo comiter & benignè fuimus. Cúmque complexi hominem in primis ædibus, post mutuam salutationem, lætis precationibus ei gratularemur, eúmque honorem sibi à diis fortunari, & quod nobis diu in optatis fuerat, id nunc magnæ voluptati esse, ac bene locatum in homine morum honestate & omni doctrina conspicuo, sperareque illud sibi, & vrbi nostræ ornamento cessurum, profiteremur: post mutuos inter nos mira suauitate editos sermones ad multam diem, cum iam aduesperasceret, & cœnæ tempus appeteret, indéque nos digredi volentes vniuersi assurgeremus, impense rogauit: inuitausque nos diu recusantes, atque excepit ipse admodum placidus & mitis, non grandi conuiuio, sed cœnula non iniucunda, miniméque sumptuosa & petulanti, verùm admodum eleganti & frugi: olerum scilicet ferculo, thyrsis viridibus, minusculis cauliculis teneris tunc in florem erumpentibus, leuiter igni admotis, & pisciculis multo pipere & nuce conditis, cum præcoci vua, & primis pomis, ex Lucano suo, quæ ad se delata, secundas nobis mensas ipse præparat. Cúmque miti castóque inter nos procedente sermone, variato lusu, ad finem cœnulæ ventum foret, quempiam, qui ibi assistebat, raræ indolis puerum, forma & specie liberali, literulis satis aspersum, ad se aduocauit, ac vnumquemque nostrûm per vices dicere iussit, quod quisque vellet sibi ab illo cani epigramma. Cúmque nonnullis enunciatis versibus, quos miris modulis & concentu admodum suaui, perquam festiuiter ad lyram ille decantarat, à quodam nostrate in eo cœtu seruata eius vice, ᵃ hoc epigramma prolatum fuit:

Martialis locus enucleatus.

> *Quòd non argentum, quòd non tibi misimus aurum,*
> *Hoc facimus causa Stella diserte tua:*
> *Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti:*
> *Fictilibus nostris exoneratus eris.*

Liberalis hominis natura.

Quos versus quum admodum concinniter suauitérque ille fuisset modulatus: Quid est, Altilius inquit, quod hic author dicit, quòd qui multas opes liberaliter largitus est, expectat ipse tantundem sibi reddi ab eo quem munere affecit, equidem ignoro: quum satis constet, quòd is qui ingenue liberalis est non, id appetit, vt beneficium pro beneficio fœneretur. Siquidem munificentia & liberalitas, quæ magni animi est, auaritiæ & appetentiæ semper pusilli fuit, dispar longè & diuersa existit. Qui ergo munificus & liberalis est, & sponte largitur, is profectò ita liberalis est, vt quod dedit beneficium non mereetur: & quanto quisque magno & erecto animo est, vt ingẽtia largiatur, ita magni putat fuisse, multò plura & maiora si posset largiri, neque beneficij collati vnquam pœnitere. Alioqui qui opis emolumentive causa largitur, virtutis nomen amittit, ingẽtiáque eum animi bona fœdare necesse est.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

a *Hoc epigramma.*] Id Martialis est lib. 4. epig. 60

Neque enim ([b] vt Cicero inquit) si ob tuam causam cuiquam commodes, beneficium id putandum est, sed fœneratio. Contrà verò auari & cupidi est, si quod fortè munus erogauit, tantundem aut multò plura postulare, & velut datæ mercis pretium ferre, quæ si vi videris repugnantia sunt, quo nunc modo in vnum coeant, & in eodem subiecto sint, non sanè intelligo. Quum ergo author hic dicat, quòd qui magna dedit, quod officium magni & liberalis est, magna sibi postulet remitti, quod esse cupidi & auari satis constat, equidem eundem liberalis dantis, & auari reposcentis, animum in vnum ponere videtur: quod esse minimè potest nec, decet. Cúmque vir quispiam haud sanè ineruditus, qui sermoni aderat, se maximè putare diceret, poetam non ingenui & liberalis, sed cupidi & turpis animi vim naturámque hoc epigrammate designasse, quod vsu compertum esset, alieni appetentem, eius ingenij esse, vt si quid benigna manu dedit, præpostero more & turbato gentium iure, maiora sibi reddi postulet: & ideo contra officium facit, qui ita beneficium dando fœneratur: istúmque, quicumque est, qui tam stolide largitur, auari potius quàm liberalis officium ferre: Nunquam, inquit Altilius, tam rustica musa Martialem fuisse certé scio, vt quum liberalem exprimere ostendat, cupidum potius & appetentem designasse credatur, quum præsertim definito vtatur verbo: absonúmque & ab omni prorsus candore alienum videri poterat, turpis animi potius quàm verè ingenui vim exprimere voluisse. Et ad me conuersus, quid censerem in hac re, potissime interrogauit. Tum ego me arbitrati dixi, quòd is qui munificus & liberalis est, licèt ingenuè largiatur, & libenter officium faciat, tamen natura ita esse comparatum, vt qui beneficium accipit, eo consilio & animo sit, vt illi à quo accepit, ad tantundem sponte obligatus maneat, eúmque pari obsequio deuinciat, vt similem, si occasio detur, gratiam referat, qui de se benemeritus fuit: idqué fit, non animi appetentia, aut lucri spe suadente, sed quòd ita homini natura præscripsit, vt ampla pretia beneficiis demus. Siquidem ad promerendum nulla efficacior vis quàm officium manet. Atque ita hoc perspicuum est, fixum homini ingenitúmque fuisse, vt sicut se à vi & iniuria tutati, & illatam contumeliam vlcisci, ac talionem reddere, iubente natura impellimur, ita collatum nobis officium alio officio pensare & conferre cogamur. [c] Nec tantum eadem mensura, sed multo maiore, si potest, beneficium remunerari, & bene cumulatam gratiam referre decet, nec vocare ad calculos expensorum & acceptorum. [d] Ideo non immeritò Gratias, vnam auersam, duásque nos aspicientes, veteres effinxere, quia geminata gratia, & cumulatior ad nos redire debet: [e] quarum nomina Pasithea, Aglaia, & Euphrosyne. [f] Apud Lacedæmonios traduntur duæ ab † Homero vna vxor Vulcani: illarū que ædes in foro medio veteres posuere, vt gratia meriti cuiuis in promptu foret, atque ad promerendum quisque esset facilis & expeditus. Quod quidem ius naturæ est, nullo iure ciuili aut plebiscito. [g] Itaque si quis eum qui de se benemeritus fuit, illiberali animo, alio officio non demeretur, neque illud gratè acceptum fert, quippe qui nihil adiumenti, nihil opis confert: is profectò tanquam violator humani iuris, ita de officio decedit, vt omni humana ope indignus, ingrati, criminosi, & mali hominis suspicionem non euadat, simúlque famæ iacturam facere certum sit. [h] Quod apud Athenienses & [i] Macedones lege cauebatur; vt haud secus aduersus male meritos ingrati actio detur, ius iudiciúmque dicatur, ac si ære alieno, aut graui crimine nexi forent: nam beneficij memoriam [k] (authore Demosthene) qui recipit, habere debet: qui verò dedit, statim obliuisci. [l] Persæ quoque illum qui accepto beneficio, gratiam, quum possit, non refert, graui pœna

Auari natura. *Qui beneficium accipit.* *Gratitudo naturaliter homini insita.* *Gratia auersa.* *Gratiarum ædes.* *Lex Athe. & Macedonum in ingratos.* *Demost. dictum.* *Persæ*

ANNOTATIONES.

b *Vt Cicero inquit.*] Lib. de Finibus.

c *Nec tantum eadem mensura.*] Hesiodus in lib. operum & dierum,

εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι
αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώιον αἴ κε δύνηαι.

Et ab eo Tullius lib. 1. Officior. monens imitandos agros fertiles, qui multò plus afferunt quàm acceperint. De Hesiodi sententia Erasm. Chil. 1. centu. 1. cap. 36. Eadem mensura, & nos abundè diximus in Commentariis nostris l. si vnquam. in verbo, Donatione largitus. num. 85. incip. Et ego.

d *Ideo non immeritò Gratias.*] Seruius enarrans illud Virgilij lib. 1. Æneidos, ad fi.

— At memor ille.
Matris Acidaliæ.

Quod verò, inquit, vna auersa pingitur, duæ nos respicientes, hæc ratio est: quia profecta à nobis gratia duplex solet reuerti.

e *Quarum nomina.*] Inter omnes conuenit tres esse Gratias: de nominibus autem non conuenit. Hesiodus in Theogonia eas nominat Aglaiam, Euphrosynem & Thaliam,

τὰς δέ οἱ Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρήους
Ἀγλαΐην τε, καὶ Εὐφροσύνην, Θαλίην τ' ἐρατεινήν.

Sed Homerus Iliad. lib. 14. vnam illarum Pasitheam appellauit,

ἦ μὲν ἐμοὶ δώσειν χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων
Πασιθέην, ἧς τ' αὐτὸς ἐέλδεαι ἤματα πάντα.

Quem sequutus Statius lib. 2. Thebaidos sic infit,

Non hoc Pasithea blandarum prima sororum.

Vbi Lactantius interpres hanc dicit esse vnam gratiarum: alias autem vocari Aglaïam & Euphrosynem.

f *Apud Lacedæmonios traduntur duæ.*] Scilicet Clyta siue Clyto & Phænna Thaygetæ filiæ. Pausanias libr. 3. & 6. & Plinius lib. 9.

† *Ab Homero vna, vxor Vulcani.*] Scilicet Iliados 18.

τὴν δὲ ἴδε προμολοῦσα χάρις λιπαροκρήδεμνος
καλή, τὴν ὤπυιε περικλυτὸς ἀμφιγυήεις.

Quo etiam spectat illud Plinij lib. 35. c. 10. Deesse iis vnam illam Venerem dicebat, quam Græci Charita vocant: & quod Phanotius tradit vnam Gratiarum Vulcano esse coniunctam: ea fortè, vt dicit, causa, quòd quæ arte fiunt, opera ἐπὶ χάριν dicuntur.

g *Itaque si quis eum.*] Hæc ex Seneca in libris de Beneficẽtia.

h *Quod apud Athenienses.*] Valerius Maximus lib. 2. c. 1. & expressius lib. 5. c. 3.

i *Et Macedones.*] Seneca lib. 3. illius operis de Beneficentia, tradit apud ipsos Macedonas solos datam esse aduersus ingratos actionem.

k *Authore Demosthene.*] In Oratione de Corona.

l *Persæ quoque.*] Xenophon lib. 1. Pædiæ Cyri.

m *Germani.*]

Germani. profequuntur,in eúmque lege agere licet,tanquam magno effet fcelere pollutus. [m] Germani contrà: nam collati beneficij merito nihil fibi deberi putant, neque accepris obligantur. Quum ergo author hic dicat, eum qui magna dedit, magna fibi velle remitti, non cupidi animum penfare voluiffe putandum eft,fed liberalis potius & ingenui,quódque natura iubente cogimur, vt eum qui beneficia in nos contulit,alio officio deuinciamus , certa ftabilíque fententia multa maiora , & quàm maxima largiri: [n] quæ obligatio, ad ἀντίδωσις dicta eft : beneficium enim cui collatum eft,ad promerendum naturæ lex obligat & deuincit.Eft,inquit Atilius,ita vt dicis, poffeque veritas carminis & mens authoris ex tuo fenfu facile iodicari,promptáque & expedita defenfio foret, nifi aliud ex contextu verborum liqueret. Sed in hoc ego anceps adhuc & dubius fum , quòd poëta iftud non naturæ tribuit , ficut tu affeueras , vt ea cogente , qui beneficium accepit , alio officio obftrictus maneat, fed hoc tribuit voluntati dantis , illo fcilicet qui fponte largitur , quíque beneficium contulit , id poftulante. Namque his vtitur verbis:

Si quis magna dedit , voluit fibi magna remitti.

Quod verbum cupidi & expetentis eft,& propterea auari. Conuincimur ergo authorem potius benemerentis voluntatem,quàm vim naturæ penfitare voluiffe. Et quum is qui largitur, eo animo fit, vt ob gratiam meriti tantundem repetat : profectò appetentem & turpem animum , nón autem ingenuum & liberalem, præferre videtur. Ergo auari potius, non autem promptè liberalis animum poeta expendere voluit. Tum ego, Eft, inquam , quod dubitetur : fed tamen , fi vera & falubri ratione rem penfare volumus , qui mihi naturæ imperio ad dandum faciendúmve deuinctus manet, eundem mihi velle obnoxium manere, qui à me officium accipit, profectò non negauerim , vt dare facereque teneatur quod natura imperat quodóque iura diuina & humana volunt,ne fubeat ingrati culpã,licet ego libenter dem,& ingenuè liberaliffim. Neque propterea animum videor deturpare, quòd in quem beneficium contuli,eundem obnoxium mihi effe volo.Igitur quum lege naturæ,qui beneficium accipit, debitor maneat, proculdubio me velle, quod mihi naturæ imperio debetur,non negauerim : neque propterea liberalis officium imminuo,aut deturpo. Nam gratiæ debitio ita homini ingenita eft, vt diuelli nullo modo queat : quam dantem appetere velut promeritum,non eft contra officium : nifi fit fortaffe q od tu fecus arbitrère. Tum Atilius miti,vt erat, ingenio : aut hoc, inquit, verum eft, quod modo dixti , aut profectò fua tempora, in quibus qui multa dabant , multa repetere volebant , feftiuiter (vt folet) poëta hic criminatur.

ANNOTATIONES.

m *Germani contra.*] Corn. Tacitus lib. de Moribus Germanorum.

n *Quæ obligatio , ad ἀντίδωσις dicta eft.*] Vlpianus in l. fed etfi lege. §. confuluit. ff. de pet. hæred.

Quot plebis tribuni à primordio vrbis fuerint, quæve poteftas, & qui confulari poteftate, & qui tribuni ærarij. CAPVT II.

Tribuni plebis bini, cum tribus collegis. TRIBVNI [a] plebis qui poft feceffionem ad facrum montem , vt effent præfidio aduerfus potentiam magiftratuum, creati funt, bini à principio fuere, [b] C. fcilicet Licinius,& P. Albinus, è plebe homines, comitiis curiatis creati, qui tres collegas fibi defumpfere, ita [c] vt quinque effent qui plebis tribunatum gererent, finguli ex fingulis claffibus : cautúmque fuit , ne cui patricio eum gerere honorem liceret. [d] Cúmque propter crebras patrum & plebis contentiones, feditio glifceret magis in dies , tribunorúmque numerum augeri oporteret , qui munimentum effent libertatis , à L. Trebonio rogatione promulgata, [e] trigefimo pòft, exacto anno cautum fuit, vt [f] decem *Tribuni decem.* numero poteftas fioiretur, binique ex fingulis claffibus fierent, qui iterum ac tertiò refici,& in fequentes annos à feipfis creati poterant. [g] Tametfi , ne eofdem tribunos populus videret , [h] néve collegam cooptare ius foret, præcipua lege exceptum fuerit : qua lege cauebatur, vt effent facrofancti, [i] in hæc verba:

ANNOTATIONES.

a TRibuni plebis.] Liuius 1.Decad. lib. 2.non vno in loco. Sed hæc aliter Dionyfius Halicarnaffeus lib. 6. non longè à fin. fic fcribit , Plebs curiatis comitiis annuos magiftratus creauit L. Iunium Brutum , C. Sicinium Bellutum, quos & antea Duces habuerat, cum hifque C.P.& Licinios , & Sp. Icilium Rugam. Hi quinque primi Tribunitiam poteftatem acceperunt ad quartum Iduum Decembrium,quemadmodum fit & hoc tempore.

b *C. fcilicet Licinius & P. Albinus.*] Alios nominat Plutarchus in Coriolano , & Afconius Pædianus in orat. Cicer. pro Cornelio.

c *Vt quinque effent.*] Pædianus & Dionyfius Halicar. vbi fuprà.

d *Cúmque propter crebas.*] Liuius 1. Decad. libr. 3.Halicar. libr. 10. Pædianus vbi fuprà, Valerius Max. libr. 9. cap. 7. poft princip.

e *Trigefimo pòft.*] Trigefimo fexto dicit Liuius, vbi fuprà.

f *Decem.*] In hoc numero etiam concordat Cicero in Orat. in Vatinum non femel : quanquam aliquando vndecim fuiffe legimus. Nam & Liuius 1.Decad.lib.4. fcribit L. Minutium vndecimum fuiffe tribunum plebis cooptatum.Sed tamen ibi vide.

g *Tametfi eofdem.*] Liuius lib. 3. 1.Decad. & alibi quoque dictum eft.

h *Néve eofdem.*] Idem Liuius eiufdem Dec. lib. 4. Tranquillus tamen in Augufto,cap. 27. ad finem, fcribit, Auguftum poteftatem Tribunitiam perpetuam recepiffe , & in ea femel atque iterum per fingula luftra collegam fibi cooptaffe.

i *In hæc verba.*] Apud Ciceronem lib. 3. de Legibus. Ex quo

intel-ges

Plebs quos pro se contra vim, auxilij ergó, decem creauerit, tribuni eius sunto: quódque hi prohibuissent, quódque hi plebem rogassent, ratum esto: sanctique sunto, néve plebem orbam tribunis relinquunto. & infrà. [k] Qui etiam eo potestatis venere, vt comitia consulum [l] prætorúmve, [m] & aliorum magistratuum baberc, & ne quid fieret, inhibere, [n] senatum dissoluere, [o] reliqois tribunis, & quibuscunque magistratibus diem dicere, [p] ærarij curam gerere, [q] patricios cogere, [r] mulctam irrogare, atque senatus [s] decreta approbare & improbare poterant: eoque quod tribuni plebis sanxissent, [t] lege ab Hortensio lata cautum fuit, vt omnes tenerentur. Hinc quæ à tribunis plebis edita sunt, plebiscita dicuntur. Fuitque præcipuo quodam iure excelsa & insolens tribunitia potestas. [u] adeò vt M. Vectium in capitis dimicationem venisse, & vltimo affectum supplicio fuisse, quòd transeunti tribuno non decederet de via, scriptum inueniamus, [x] donec Sylla rerum potens, cum reipub imperitaret, tribunitiam potestatem ita fregit & comminuit, vt legem ferret, ne cui qui tribunatum gessisset, ad alios honores pateret aditus, velut indignus honore publico semper futurus. Intercessionem tamen liberam tribuno nihilominus reliquit, [y] quam postea Tiberius Gracchus in tribunatu collegis abrogauit. [z] Quæ quidem intercessio etiam prætoribus competebat: quippe intercedere etiam prætor prætori poterat: [a] qui licet tantæ potestatis foret, vt etiam [b] consulem in carcerem ducere, dictatorique communicari, & mulctam irrogare posset: [c] si quid tamen scelesto consilio contra commoda plebis gessisset, aut exerta offensione apud collegas minus iustè intercessisset: poterat ei à reliquis tribunis dies ad populum dici, iussuq; populi aut tribunorum in carcerem duci eiq; tribunatus abrogari, & in exilium agi, & senatu amoueri. [d] Cn enim Tremelio tribuno pl. in crimen adducto, quòd M. Æmylio

Tribunorum plebis potestas. Plebiscita unde dicta. Potestas tribunitia insolens. Hæc comminuit Sylla intercessio tribunis relicta. Tribunus plebis punitur à reliquis trib. & populo. Cn. Tremelius.

ANNOTATIONES.

intelliges hîc emédanda plurima verba huius legis. Quòd autem sacrosancti essent, videre licet ex Dionys. Halicarn. lib 6. ad fin. vbi etiam d. legem scribit.

k *Qui etiam eo potestatis venêre.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. & alibi quoque dictum est suprà lib. 1. cap. 3.

l *Prætorúmve.*] Dionys. Halican lib. 8.

m *Et aliorum magistratuum.*] Diximus suprà lib. 1. cap. 3.

n *Senatum dissoluere.*] Liuius 1. Decad. lib 4. non multò post princ. & Appianus lib. 2. bellorum Ciuilium, vbi de Curione Trib. pleb. loquitur, & suprà diximus d. lib. 1. cap. 3.

o *Reliquis tribunis.*] Gellius lib. 13. cap. 12. scribit Tribunos plebis habuisse summam coërcendi potestatem: ius vocandi non habuisse.

p *Ærarij curam gerere.*] Pomponius Iurisconsultus in l. 2. ff. de orig. iuris.

q *Patricios cogere.*] Quando primùm Tribuni pleb. senatum cõuocare aggressi sint, meditata oratione scribit Dionysius Halicarn. lib. Antiquit.

r *Mulctam irrogare.*] Liuius 5. Decad. lib. 3.

s *Decreta approbare.*] Nam cùm L. Manlius Acidinus à Senatu impetrasset, vt ex Hispania decedens, ouans vrbem rediret, prohibitus est à M. Porcio Lecca Trib plebis, vt retulit Liuius 4. Decad. lib. 4.

t *Lege ab Hortensio lata.*] Plinius lib 16. cap. 10. non multò post princ. Q. (inquit) Hortensius Dictator, cùm plebs secessisset in Ianiculum legem in Esculeto tulit, vt quod ea iussisset omnes Quirites tenerent. Lælius Felix ad Q. Mutium apud Gellium lib. 15. c. 27. Ita ne leges quidem propriè, sed plebiscita appellantur, quæ tribunis plebis ferentibus accepta sunt. Quibus rogationibus antè patricij non tenebantur, donec Q. Hortensius Dictator eã legem tulit, vt eo iure quod plebes statuisset, omnes Quirites tenerentur. Et huius quoque legis meminit Pompon. Iuriscon. l. 2. §. deinde cùm esset. ff. orig. iur. in hæc verba, Deinde cùm esset in ciuitate lex duodecim tabularũ, & ius ciuile, essent & legis actiones, euenit vt plebs in discordiam cum patribus perueniret & secederet, sibique iura constitueret, quæ Plebiscita vocantur. Mox cùm reuocata esset plebs, quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis: pro legibus placuit & ea obseruari, lege Hortensia lata. & ita factum est, vt inter plebiscita & leges species constituendi interesset & potestas eadem. Et Iustinianus in §. plebiscitum. instit. de iur. natur. gent. & ciuili, Sed & (inquit) plebiscita lege Hortensia lata non minus valere quàm leges cœperunt. Et huius quoque Hortensij Dictatoris, qui plebem, quæ in Ianiculum secesserat, reuocauit, meminête Iul. Florus epit. Liuij lib. 11. ad finem. & August. de Ciuitate Dei, lib. 1. cap. 28. Quæ eò volui dicere, quoniam legitur apud Liuium 1. Decad. lib. 3. L. Valerium & M. Horatium Coss. cùm veluti in cõtrouerso iure esset, tenerentúr ne patres plebiscitis, legem centuriatis comitiis tulisse, vt quod tributim plebs iussisset, populus teneret. id est, vt id propter imbecilliores interpretes, vniuersos ciues, comprehensis etiam patriciis & Senatoribus, vt etiam diserte declaratur in d. §. plebiscitum. Sibiungit autem Liuius, Qua lege Tribunitiis rogationibus telum acerrimum datũ est. Et eadem propemodum scribit Dionys. Halicar. lib. 11. Sed & ipse Liuius 1. Decad. lib 8. tradit T. Æmylium Mamercum Consulem, dixisse Dictatorem Q. Publium Philonem suum collegam, qui tres leges secundissimas plebi, aduersas nobilitati tulit: Primam, vt plebiscita omnes Quirites tenerent, vt ex his apertè intelligas non Hortensium Dictatorem primum eam legem plebiscitorum tulisse, sed anteà non semel latam fuisse. Sed quia verisimile est, non passim obseruabatur, resistentibus semper patribus, tandem & tertiò lata est ab ipso Hortensio, denique perpetuò obseruata. Ex quo & Hortensia dicta est.

u *Adeò vt M. Vectium.*] Plutarchus in vita C. Gracchi.

x *Donec Sylla.*] Cæsar Comment. belli Ciuilis. lib. 1. non multò post princ. scribit Syllã omnibus rebus nudasse Tribunitiam potestatem, cui tantùm intercessionem liberam reliquit. Q. Cicero sic inquit apud M. Tullium Fratrẽ lib. 3. de legibus, Quam ob rem in ista quidem te vehementer laudo Syllam, qui Tribb. plebis sua lege iniuriæ faciendæ potestatẽ ademerit, auxilij ferendi reliquerit. Pompeiumq; nostrum in cæteris rebus semper amplissimis summisque effero laudibus: de Tribunitia potestate taceo: neq; enim reprehendere liber, neque laudare possum. Appianus bellorum Ciuilium lib. 1. Sylla Dictator, inquit, Tribunitiam potestatem adeò perfregit ac debilitauit, vt ferè ad nihilum redegerit, cùm ex lege prohiberet eum, qui Tribunitiam gessisset, vlterius potestatem habere posse. Florus epito. Liuij 89. scribit omnem ferendarum legum potestatem Trib. plebis à Sylla ademptam fuisse. Præter hos vide Sueton. in Cæsare cap. 5. Asconium Pedianum in Orat. Ciceron. pro Cornelio Balbo, & 3. in Verrem act. ad fin.

y *Quam posteà Tib. Gracchus.*] Plutarchus in vita illius.

z *Quæ quidem intercessio.*] Asconius Pedianus 3. in Verrem act.

a *Qui licet.*] Scilicet Tribunus plebis, ad eum enim redit.

b *consulem.*] Vide suprà lib. 1. cap. 1. cap. 3. num. 8. & 9.

c *Si quidem.*] Liuius 1. Decad. lib. 5. & Plutarchus in Tiberio Graccho.

d *Cn. enim Tremelio.*] L. Florus epit. Liuij lib. 47. in prin.

Lepido pontifici maximo conuicium fecisset, contumeliáque & probris affecisset, à populo mulcta dicta fuit. [e] Et L. Cottam tribunum plebis, quum æs alienum abnegaret, eò quòd in ius vocari, & magistratos imperio cogi non posset, collegæ illum coëgêre, comminatique sunt, nisi æs solueret alienum, se creditoribus illum dedituros, si postulassent. aliique tribuni suffragio populi sæpe coerciti fuere, penes, quem coercitio tribunorum fuit. [f] Sed tametsi tribunatus, plebis foret magistratus, [g] sequutis inde temporibus, à plebe ad senatum translatus fertur: ita vt senatores & patricij tribunatũ gerere amplissimum munus putarent: quod post Syllæ tempora obseruatum inuenimus, [h] in tantum, vt extra vrbem tribuno prouincias demandari, illísque cum imperio præfuisse, exercitus ductasse, fascésque & lictores habuisse legamus. [i] Primúsque Cotta legem tulit, vt tribunus gerere honores, & prouinciis præesse, ac magistratus extra vrbem sortiri posset. [k] A principio enim extra vrbem vltra mille passus tribuno nulla erat potestas aut imperium. [l] Demum Cæsares tribunitiam potestatẽ tam cupidè appetiuerũt, vt magni muneris loco, próque regali potestate illis delata sit: [m] quippe Augustus, ne regis aut dictatoris nomen assumeret, tribunitiam potestatem velut sublime fastigium, & summa potentia subnixus foret, per septem & triginta annos perpetuam gessit. [n] Quam etiam Tiberius in quinquennium accepit: [o] ipsamq; Druso cõferri à populo pro summo decore habuit. [p] Et deinceps Otho, & sequuti Cæsares amplissimi imperij loco appetiuere, [q] licet serò Vespasianus illam fuerit assequutus, [r] Adeóque processit tribunitia potestas, vt actum aliquando fuerit in senatu, vt non à consulibus, sed ab his qui tribunitiam gererent potestatem, annos & tempora dinumerarent. [s] Posteà verò à Nerone illi ordini infenso, tribunorum facultas maximis edictis coercita fuit, cautúmque seuerè, ne tribuni ius prætorium aut consulum præciperent, néve quempiam ex Italia euocarent, cum quo lege agi posset, néve quid intra domum pro potestate agerent, nevé illatam mulctam à tribunis quæstores ærarij intra menses quatuor in publicas tabulas referrent. Sed præter hos plebis tribunos, [t] fuere alij consulari potestate, anno trecentesimo decimotertio ab vrbe condita, iisdem auspiciis quibus consules creati, tam ex plebe quàm patribus. Nam quum Canuleius legem ad populum ferre contenderet, vt ex plebe consules facere liceret, patrésque ne consulatus eũ plebe promiscuus foret, vehementer obsisterent, eò res ducta est, vt tribuni militum consulari potestate fierent, tam ex plebe quàm patribus: idémque iuris quod consules haberent, Nam & sella curuli, & consulari prætexta, lictoribus & fascibus consularibus insignes erant: ac primò tres patricij creati, mox quum defectiones popu-

L. Cotta.
Tribunus plebis magistratus trãslatus est ad senatores & patricios Tribunorũ potestas aucta.
Lex C. Cotta.
Augustus tribunus septem & triginta annis.
Anni & tempora ann à tribunis, an consulibus numerarentur disceptatum.
Tribuni cõsulari potestate. Tribuni militũ dicti

ANNOTATIONES.

e *Et L. Cottam.*] Valer. Maximos lib. 6. cap 5.

f *Sed tametsi Tribun.*] Et non populi, vt dicit Appius apud Liuium 1 Decad. lib. 1.

g *Sequutis inde temporibus.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. vbi dicit duos patricios consularésque Sp. Tarpeium & A. Æternium in Tribunos plebis fuisse cooptatos. & iterum lib. 4.

h *In tantum vt extra vrbem.*] Id quod ex sequentib. apparet.

i *Primusque Cotta.*] Ascon. Pedianus in Orat. Cic. pro Cornelio. Cicero autem in 3. in Verrem actio. scribit Q. Opimium adductum in iudicium, verbo, quòd cùm esset Tribunus plebis, intercessisset contra legem Corneliam, quòd in Tribunatu dixisset contra alicuius hominis nobilis voluntatem. Vbi Asconius, vt Tribuni plebis, inquit, aliorum quoque magistratuum capessendorum potestatem haberent, persuasisse dicitur hanc legem Opimius.

k *A principio.*] Liuius 1. Decad. lib. 3.

l *Demum Cæsares.*] Id probat sequentibus exemplis. Sed huc quoque pertinet quod scribit Ælius Spartianus in vita Adriani post princ. Tribunus plebis factus est Candido & Quadrato iterum Cos. in quo magistratu ad perpetuam Tribunitiam potestatem omen sibi factum asserit, quòd penulas amiserit, quibus vti Tribuni plebis pluuiæ tempore solebant: Imperatores autem nunquam. Flauius Vopiscus in Aureliano dicit Tribunitiam potestatem esse partem maximam regalis imperij. & vide infrà in verbo, Licet verò Vespasianus.

m *Quippe Augustus.*] Appian. lib. 5. belli Ciuilis tradit Augustum perpetuum plebis Tribunum à Romanis fuisse delectũ, vt à primo magistratu ipsum auerterent, hisq; auspiciis initiisq; eum Tribunitiam potestatem suscepisse, quam tamen, immemor promissionis, ad fulciendã monarchiam deponere noluit: atque insuper in priuignos suos Tiberium & Drusum transfudit. Sueton. quoque in vita illius, cap. 27. Tribunitiam, inquit, potestatem perpetuam recepit. Dion item in vita eiusdem rationem reddit cur Trib. potestatem perpetuam retinuerit. Cornel. Tacit. lib 3. de potestate Tribunitia loquens, Id, ait, summi fastigij vocabulum Augustus repetit, ne Regis aut Dictatoris nomen assumeret, ac tamẽ appellatione aliqua cætera præmineret. Sed antè lib. scilicet 1. describens pompam funeris Augusti, sic scribit, Continuata per triginta septem annos Tribunitia potestas. Ex quibus Taciti locis Alexander hæc assumpsit.

n *Quam etiam Tiberius.*] Dion in Augusto scribit Augustum Tiberio potestatem Tribunitiã dedisse in quinquennium.

o *Ipsamque Druso.*] Tacitus lib. 3. Tiberius, inquit, mittit literas ad Senatum queis potestatem Tribunitiam Druso petebat.

p *Et deinceps Otho.*] Tacitus libro 17. Decernitur, inquit, Othoni Tribunitia potestas, & nomen Augusti, & omnes principum honores.

q *Licet vero Vespasianus.*] Suetonius in vita illius, cap. 12. Sed superioribus adde quod Iulius Capitolinus in Antonino Pio tradit ipsum Antoninum gratias in Senatu egisse, quòd factus esset patri (scilicet Hadriano) & in imperio Proconsulari & in Tribunitia potestate collega. Et in vita Macrini. Denique Macrino statim & Proconsulare imperium, & potestatem Tribunitiam detulerunt. Et in Maximino & Balbino, Decretis ergo omnibus Imperatoriis honoribus atque insignibus, percepta Tribunitia potestate, iure Proconsulari, Pontificatu Maximo, patris etiam nomine meruerunt imperium.

r *Adeoque processit.*] Tacitus lib. 3. Marcus, ait Syllanus ex contumelia consulatus honorem principibus petiuit, dixitque pro sententia, vt publicis priuatisque monimentis ad memoriam temporum, non Consulum nomina præscriberentur, sed eorum qui Tribunitiam potestatem gererent.

s *Posteà verò à Nerone.*] Hæc vsque ad clausulam, Sed præter hos. sunt Taciti lib. 13.

t *Fuere & alij Consulari potestate.*] Hæc vsque ad clausulam. Donec desito. sunt Liuij 1. Decad. lib. 4. non vno in loco, & Diodori Siculi lib. 2.

lorum, & tot simul orientia bella tres obire non valerent, illorum numerus auctus fertur, [u] vt modò quatuor, modò quinque, [x] interdum sex, nonnumquam [y] octo crearentur, tunc quum à Romanis Veij diutino & graui bello premebantur. Ad tantam enim belli molem, tribunorum auxerunt numerum, quot nunquam antea facti, [z] per quod tempus tribus annis sine consulibus Romana res fuit, [a] sicut decemuiris legum ferendarum causa creatis, biennio defuere: donec desito tribunorum militum magistratu, & per ingentia certamina victo senatu, [b] vt consules etiam de plebe fierent, ægrè nobilitas passa est. In qua re admirari succurrit, [c] quod Pomponius Iurecoosultus de origine iuris literis prodidit, tribunos militares consulari potestate ad vigesimum numerum auctos Romæ fuisse: quod nunquam fando auditum, & apud authores tacitũ prætermissum est, quum tot tribunorum imperia ambiguis decretis certissimo exitio reipubl. fuissent. [d] Præter hos fuere ærarii tribuni, [e] ex tertio iudicum genere, quorum cognitio in pecuniariis & minoribus causis plerunque fuit: [f] quippe quum soli antea senatores iudicarent, ob eamqrem inuisi plebi fierent, C. Gracchus rogatione promulgata, trecentos ex equestri ordine adiecit iudices, parem senatoribus numerũ, vt metu communicati imperij iudicia æqua lance pensitarẽt: iudicarúntque aliquamdiu iudicia integrè & incorruptè. Victor deinde Sylla, sublatis equestris ordinis iudiciis, solos senatores iuris cognitionem habere, & iudicia ferre iussit: qui annis decem licenter iudicia exercuere per turpitudinem & sordes, [g] donec ab Aurelio prætore, alia rogatione iterum communicata iudicia fuere senatui, equitibus, & tribunis ærariis: [h] quæ lex iudiciaria dicta est, quo tempore Verres peculatus criminis causam dixit: [i] Quibus vetitum lege Gabinia fuit, ne ex syngrapha ius dicere liceret. [k] Quos postea diuus Iulius nona constitutione abrogauit: nam iudicia ad duo tantum genera redegit, equestris scilicet ordinis & senatorij. Tribunos verò ærarios, quod erat tertium, sustulit: quos deinde restitutos, & iura sicut prius dixisse, facile crediderim: siquidem [l] Augustus Cæsar ad has iudicum decurias quartam adiecit, quæ ducenariorum dicta est, quæ de minimis iudicaret. [m] M. deinde Plautius, nobilitate suffragante, tulisse ad populum dicitur, & peruicisse, vt singulæ tribus quindenos crearent indices, qui numerus sexcentos vigintiquinque expleuit: inter quos erãt senatores & plebeij, tribuni ærarij dicti, Quod compar fuit cum eo quod Athenis statutum comperimus, vt à mille quadringentis, furti aut ambitus & iniuriatũ quandoque iudicatũ sit. [n] post quos C. Calicula quintam adiecit decuriam, [o] Galba sextam adiicere recusauit. [p] quæ quidem diuersis erant discretæ nominibus. nanque alij tribuni æris, alij selecti nonnulli

Romani sine consulibus. Consules de plebe tandem creati. Tribuni militares 20. Tribuni Ærarij. 300 ex equestri ordine adiuncti senatoribus. Aurelius prætor senatũ. Equites Tribunos ærarios coniunxit iudicijs exercendis. D. Iul. iudicia ad duo genera redegit. Quarta iudicum decuria. Ducenarij adiuncti. M. Plautij lex. Quinta decuria.

ANNOTATIONES.

u *Vt modo quatuor.*] Linius 1. Decad. lib. 4. sic scribit; Quia duo Coss. obire tot simul bella nequirent, Tribunos militum tres creatos dicant, sine mentione promulgatæ legis de Consulibus creandis ex plebe: & imperio insignibus consularis vsos. Idem eodem scribit Tribunos militum Consulari potestate quatuor creatos fuisse: omnes iam functos eo honore.

x *Interdum sex.*] Liuius d. 1. Decad. lib. 4. & 5. in princ.

y *Nonnumquam octo.*] Idem d. lib 5. in princ. his verbis, Romani auxere Tribunorum militum consulari potestate numerum octo, quòd nonquam antea, creati. Sed adde aliquando decem ex eodem, eiusdem Decad. lib. 5. Atque etiam senos denos in quatuor legiones fuisse creatos à populo ex 1. Decad. lib. 9. Sed vide an loquatur de Tribunis Consolari potestate, an aliàs.

z *Per quod tempus.*] Liuius Decad. 1. libro 4. & 5. Imo & aliquando quindecim quoque annis ex eodem illo ipso libro 5.

a *Sicut decemuiris.*] Idem Liuios 1. Decad. lib. 3. Plinius Secundus de Viris illustribus cap. 21.

b *Vt Consules etiam de plebe fierent.*] Liuius 1. Decad. lib. 6. ad fin. Idem Plin d. lib. cap. 20.

c *Quod Pomponius Iurisconsultus.*] In l. 2. §. deinde cum post. ff. de orig. iur.

d *Præter hos fuere.*] De quibus Plinius lib. 34. cap. 1: & Festus Pompeius lib. 1. non mulrò post princ. & ij quos posteà citabimus.

e *Ex tertio.*] Asconius Pedianus in Orat. Ciceron. pro M. Scauro, pro L. Cornelio, & pro Milone.

f *Quippe cùm soli.*] Id vsque ad clausulam, Victor deinde Sylla. est Plutarchi in vita Gracchorum. At Florus epit. lib. 60. scribit Gracchũ legem tulisse, qua equestrem ordinem cum Senato consentientem corrumpere nitebatur. Statuerat enim, vt trecenti Senatores essent, equites sexcenti. id est, vt equester ordo bis tantum virium haberet.

g *Donec ab Aurelio.*] Idem Asconius in Orat. Cicer. in Pisonem paolò ante fi. & in d. Orat. pro L. Cornelio.

h *Quæ lex iudiciaria dicta est.*] Cicer. in d. Orat. in Pisonem, & ibi quoque Asconius ad fin.

i *Quibus vetitum lege Gabinia fuit.*] Cicero epistol. ad Atticum libro 5. epistol. vlti. Et posteà, ait, venit in mentem fœneratoribus nihil se iuuare illud S. C. Quod ex syngrapha ius dici lex Gabinia vetaret. & lib. 6. epist. 3. Audio, inquit, omnino Scaptium pœnitere: nam quod S. C. esse dicebat, vt ius ex syngrapha diceretur, eo consilio factum est, quod pecuniam Salaminij cõtra legem Gabiniam sumpserant. Vetabat autem Auli lex ius dici de ita sumpta pecunia. Auli autem dicit quòd Aulus Gabinius Consul eam tulerat.

k *Quos postea D. Iulius.*] Sueton. in Cæsare, cap. 41. hæc eadem ad verbum dicit.

l *Augustus Cæsar.*] Sueton. In vita illius, cap. 32. & vide Plinium lib. 33. cap. 1. ad fin.

m *M. deinde Plautius.*] Cicero in Oratio. pro Cornelio: Memoria, inquit, teneo, cùm primum Senatores lege Plautia iudicarent, hominem diis ac nobilitati perinoisum, Cn. Pompeium causam lege Varia de maiestate dixisse. Quem locum enarrans Asconius Pedianus, M. (ait) Plautius Silanus Trib. plebis Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coss. secundo anno belli Italici, cùm Equester ordo in iudiciis dominaretur, legem tulit adiuuantibus nobilibus: quæ lex vim eam habuit, quam Cicero significat: Nam ex ea lege tribus singulæ ex eo numero quinos denos suffragio creabant, qui eo anno iudicarent. Ex eo factum est, vt Senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex ipsa plebe.

n *Post quos C. Caligula.*] Suetonius in vita illius, cap. 16. & Plinius lib. 33. cap. 2. afferentes vterque rei rationem diuersam.

o *Galba sextam.*] Suetonius in Galba, cap. 14. Iudicibus, inquit: sextam decuplariam adiici precantibus non modò negauit: sed etiam concessum à Claudio beneficium, ne hyeme initióque anni ad iudicandum euocarentur, eripuit.

p *Quæ quidem diuersis*] Plin. lib. 33. cap. 2. in princ.

Tribunorum sortitio in iure dicundo. Noui ciues inter decurias non iudicabant. In Porcia basilica ius dicebant. Tribuni. Horum officium.

iudices, plerique Nongenti nuncupati: [q] quorum sortitio fiebat quoties iura dicturi erant, ne quid doli astúsve admitteretur, néve iudicantis suspicio, iudicij fidem eleuaret. Illorum enim nomina insculpta tabellis, & in vrnam coniecta, sorte edocebantur. [r] Mansitq; constitutum ne quis ex nouis ciuibus collegio adnumeratus, inter decurias iudicaret: [s] vtque in Porcia basilica, quam Cato exstruxit, non è tribunali [t] ius dicerent, sicut prætores, [u] sed è subselliis quòd non summi honoris, sed minores essent magistratus: [x] quibus etiam hoc curæ fuit, vt publicam pecuniam signarent, illiúsque curam agerent, sontiúmque vincula seruarent. Verba legis fuere: Tribuni sunto, Domi pecuniam publicam custodiunto, Vincula sontium seruanto, Æs, argentum, aurum publicè signanto. [y] Hoc quoque meminisse non pigebit, quod tametsi aduersus reliquos magistratus iure sacrosanctæ potestatis, tribunus plebis intercedere liceat, ita vt vno intercedente, nihil reliqui decernere valeant: tamen aduersus dictatoriam vim, [z] aut Vestales virgines, quæ velut sacrosanctæ ab hominis tactu illææ manent, nulli tribunorum intercedere, vetare aut prohibere, facultas est.

ANNOTATIONES.

q *Quorum sortitio fiebat.*] Hic omnino vide quæ scripsimus in nostris Commentatiis Primigeniorum cap. 17. in 1. opi. num. 52.

r *Mansitque constitutum.*] Plin. lib. 33. cap. 1. in fin.

s *Vtque in Porcia Basilica.*] De qua dictum est suprà. lib. 2. cap. 12.

t *Ius dicerent.*] Scilicet Tribuni plebis ex Plutarcho in Catone Vticense, & in probl. cap. 81.

u *Sed è subsellius.*] Plutarch. vbi suprà proximè, & Ascon. Pedianus in Verrem act. 1. ibi, Alienum habet, hunc tamen à subselliis.

x *Quibus etiam hoc cura fuit.*] Legis in eam rem vèrba reperies apud Ciceronem lib. 3. de legib.

y *Hoc quoque.*] De his vide omnino quæ dicta sunt suprà lib. 2. cap. 4. num. 12. & multis seq.

z *Aut Vestales virgines.*] Vide infrà eodem lib. 5. cap. 12. vbi de Claudia Vestali, quæ iniussu populi patrem triumphantem complexa, ascenso simul curru vsque in Capitolium prosecuta est, ne vetare aut intercedere fas cuiquam Tribunorum esset.

Quonam modo per feciales inirentur fœdera, aut bella indicerentur; & quid ab exteris seruatum est.

CAPVT III.

Feciales 20. Fecialium munera.

FECIALES, [a] quos fœderibus sanciendis, & rebus repetendis, ac bellis indicendis Romanos habuisse constat, [b] à Tullo Hostilio, seu Anco Martio, [c] vt verò alij, à Numa Pópilio creatos fuisse liquet, qui ab antiqua gente Equiculis iura & verba solennia, [d] quibus res repetuntur, & bella indicuntur, accepere. [e] Horum collegium à principio viginti fuere, quibus & patri patrato, vt nunquam lineo amictu vterentur, proprium fuit: [f] qui tametsi fœderibus sanciendis, & bellis indicendis, [g] aut rebus repetendis, quę præter ius præterque fas ademptæ sunt, adhiberētur [h] tamen si qui legati populi Romani, qui iure gentium sancti sunt, à quouis populo aut natione violati forent, vt hi dederentur qui iura gentium temere violassent, per feciales cauebatur. [i] Erat enim

Legatorum ius sanctum.

veteribus ius legatorum sanctum & inuiolabile, cùm hominum præsidio munitum, tum diuino iure

ANNOTATIONES IN CAP. III.

a *Feciales.*] Varro lib. 1. aut aliorum compur. 4. de lingua Latina, Feciales, inquit, quòd fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat, vt iustum conciperetur bellum (& inde desitum) & vt fœdere fides pacis constitueretur. Ex his mittebant, antequàm conciperetur, qui res repeterent, & per hos etiam nunc fit fœdus, quòd fidus scribit Ennius dictum. De his vide Liuium 1. Decad. lib. 1. Fenestellam, aut quisquis is est, de Romanorum magistratibus, cap. 9. Gellium lib. 6. cap. 4. Dionysium Halicarnasseum li. 2. vbi fecialium officia & ritus describit. Plutar. in Numa, & in Camillo, & problem. cap. 62. & Seruium in illud 1. Æneid.

Regémque dedit, qui fœdere certo, &c.

b *A Tullo Hostilio, seu Anco Martio.*] Nam de his duobus Liuios 1. Decad. lib. 1. in duobus locis agit.

c *Vt verò alij à Numa.*] Plutarchus in vita illios. Liuius & Halicarnass. vbi suprà.

d *Quibus:*] Seruius lib. 12. Æneid in eum locum,

—— Alij fontémque ignémque ferebant
Velati lino, & verbena tempora vincti.

Atqui, inquit, feciales & Paterpatratus, per quos bella vel fœdera confirmabantur, nunquam vtebantur vestibus lineis. Vnde dicemus errorem factum, vt linea vestis contra morem adhiberetur ad fœdera, quæ firma futura non erant. Scimus enim hoc vtique seruare Virgilium, vt rebus quibus denegatur exitus, det etiam infirma principia, eiúsque rei adfert molta testimonia:

e *Horum collegium.*] Varro de vita populi Romani, apud Nonium Marcellum de Doctorum indagine, Fecialésque, inquit, viginti qui de rebus cognoscerent, iudicarent, & statuerent, constituerunt.

f *Qui tametsi.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. in pluribus locis.

g *Aut rebus repetendis.*] Neque enim licebat bellum mouere priùs quàm feciales missi essent ad res repetendas, ex Liuio 1. Decad. lib. 4. Tunc quoque ne confestim bellum indiceretur, neve exercitus mitteretur, religio obstitit: Feciales prius mittendos ad res repetendas censuēte. & vide paulò infrà.

h *Tamen si qui legati populi Rom.*] Appositè verbo, dederentur, vtitur. Nam qui fœdus violarant, ij vt populo, cuius fœdus violarant, dederentur, feciales postulabant. Varro vbi suprà, Si cuius, inquit, legati violati essent: qui id fecissent, quamuis nobiles essent, vt ciuitati dederentur, statuerunt. Et è diuerso quoque, si qui Romani legatos exterarum gentium violassent, ij per feciales ipsis legatis tradebantur, vt videre est apud Liuium 4. Decad. lib. 8.

i *Erat enim veteribus.*] Statius lib. 2. Thebaid.

—Sed iussa patris tutique regressus
Legato, iustásque preces vicere sororis.

Vbi Lactantius interpres, Tuti regressus, inquit, quòd legatum nefas esset interfici: Sacrosancta enim sunt legationis officia, Citatque illud Cicer. in 1. Orat. Orator etiam inter

hostium

defensum, quòd etiam inter bella & hostium tela incolume seruabatur.[k] Fuit ergo proprium collegij fecialium, tam de bellis iustisque fœderibus, pactionibúsque & conditionibus populorum, Regum, terrarum & nationum, quàm de illatis iniuriis, sociis, fœderatisque gentibus cognoscere, raptáque, & hostili modo deuastata, belli iure repetere: tum si hostes æqua postulent, aut si præter legem fœderis se aliquid perpessos querantur, si sua sponte, aut læsi & lacessiti arma sumpserint, si infida pax seruanda, si induciæ aut bella iustè indicta & pacta sint, si petita ex fœdere danda, si authores defectionis deposcendi, si contra fidem conuentionis & ius gentium venire liceat, animaduertere:[l] belli pacisque iura exequi, & perpenso iudicio æstimare. Quæ verba iuris fecialis sic habent: Belli, pacis, fœderum, induciarium, oratorum, feciales iudices sunto. & infrà.[m] Sed tamen ea fœdera pactionésque quæ cum sociis inire decet, feciales sancire, aut pacta concipere, haud aliter poterant, quàm si consulis aut prætoris authoritate intercedente, senatusconsulto iussúque populi permissum foret: iniussu enim populi, aut citra senatus authoritatem, nihil sanciri posse quod populum teneat, haud dubium est.[n] Fiebat enim senatusconsultũ in hæc verba, vt priuas verbenas priuósque lapides prætorem poscerent: qui verbenam ex arce, & sagmina (herbæ enim genus est)[o] ac lapidem silicem ex templo Iouis Feretrij daret, fecialésque ea secum ferrent,[p] ac porca adhibita, vetere præfatione priscis carminibus ad præstitutam diem in foro, seu vbi conuenerat, enunciatis,[q] fecialis sceptrum manu tenens, pro Iouis simulacro, tãquam is fœderi adhiberetur,[r] filo lanæ capite velatus,[s] & verbena coro-

Feciales nihil poterãt nisi prætoris authoritate, aut senatusconsulto intercedente. Fœderis feriundi cæremonia.

ANNOTATIONES.

hostium tela incolumis versari potest.

k *Fuit ergo proprium collegij.*] Varro lib. 2. & 3. de vita populi Romani apud Nonium Marcellum de Doctorum indagine. & Plutarchus in Camillo.

l *Belli pacisque.*] Cicero lib. 2. de legibus. vbi adscripsit hæc ipsa verba.

m *Sed tamen.*] Liuius 1. Decad. lib. 9. sic scribit, Consules profecti ad Pontium in colloquium, cùm de fœdere victor agitaret, negaret iniussu populi fœdus fieri posse, nec sine fecialibus ceremoniáque alia solemni. Et 3. Decad. li. 10. non longè à fine. Tum (inquit) M. Attilius & Q. Minutius Trib. plebis ad populum tulerunt, Vellent iuberéntve Senatum decernere, vt cum Carthaginensibus pax fieret, & quem eam pacem dare, quémque ex Africa exercitus deportare iuberent. De pace vti rogatæ omnes tribus erant, iusserunt pacem dare P. Scipionem, eundem exercitus deportare. Ex hac rogatione Senatus decreuit, vt P. Scipio ex decem legatorum sententia, pacem cum populo Carthaginensi, quibus legibus ei videretur, faceret. Polybius lib. 3. introducit quempiam Carthaginensem hæc dicentem, Deinde etiamsi ictum fœdus fuerat, non teneri eo Carthaginenses, quòd absque authoritate Senatus & populi iussu ab Asdrubale priuato arbitrio ictum extitisset. Ad id adducere Romanorum exemplum, quòd fœdus à Luctatio Coss. in Sicilia ictum: quia sine authoritate populi Romani factum erat, infringi debere iudicauerint.

n *Fiebat enim Senatusconsultum.*] Liuius vbi suprà paulò post ea quæ ex eo illo illic adduximus, feciales cum in Africam ad fœdus feriendum ire iuberentur, ipsis postulantibus Senatusconsultum in hæc verba factum est, Vt primos lapides silices, priuásque verbenas secum ferrent: vti Prætor Romanus his imperaret, vt fœdus ferirent, illi Prætorem sagmina poscerent. Herbæ id genus ex arce sumptum dari fecialibus solet. Plinius autem lib. 22. c. 2. Verbenam quoque ex arce sumi dicit. Sed & lib. 25. c. 9. de verbena loquens, Hæc est, inquit, quam legatos ad hostes ferre iudicauimus. & vide paulò infrà in verbo, Et verbena.

o *Ac lapidem silicem.*] Festus Pomp. lib. 6. vbi de Ioue Feretrio. Vide omnino Polybium d. lib. 3.

p *Ac porca adhibita.*] Virgil. lib. 8. Æneid.

—— Et cæsa iungebant fœdera porca.

Sueton. in Claudio, cap. 25. Cum regibus fœdus in foro dicit porca cæsa, ac vetere fecialium præfatione adhibita. Et Seruius enarrans illud ipsius Virgil. lib. 1. Æneid.

—— Regémque dedit qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.

Fœdus, inquit, dictum est, vel à fecialibus, per quos fiunt fœdera, vel à porca fœde lacerata. citátque illud Virgilij suprà adductum. Verùm Liuius non semel dicit porcum. Nam 1. Decad. li. 1. de eadem re loquens, sic scribit, Si prior defecit publico consilio, dolo malo, tu illo die Iupiter populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam. Et eiusdem Decad. lib. 9. statim post ea quæ attulimus suprà ibi, Fiebat enim Senatusconsultum subiungit; Quid enim aut sponsoribus in fœdere opus esset; aut obsidibus, vbi precatione res transigitur, per quem populum fiat quominus legibus dictis stetur, vt eum ita Iupiter feriat, quemadmodum à fecialibus porcus ferietur. Sed & Seruius non satis sibi constans in enarratione illius loci 8. Æneid. Falsò, inquit, porca: nam ad hoc genus sacrificij porcus adhibebatur. Ergo aut vsurpauit genus: scilicet porcam pro porco, vt in aliis locis ibi designatis. Aut certè illud ostendit: quia in omnibus sacris fœminini generis plus valent victimæ. Denique si per marem non litarent, succidanea dabatur fœmina: si autem per fœminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat. Idem Virgil. lib. 12. de fœdere loquens.

—— Puráque in veste sacerdos.
Setigeræ fœtum suis, intonsámque bidentem
Attulit.

Quæ verba ad marem & ad fœminam trahi possunt.

q *Fecialis sceptrum manu tenens.*] Festus Pompeius lib. 6. vbi de Ioue Feretrio loquitur, inquit, ex eius templo sceptrum sumebant, per quod iurarent.

r *Filo lanæ.*] Liuius 1. Decad. li. 1. in Anco Martio, Legatus, inquit, vbi ad fines eorum venit vnde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen est) Audi Iupiter, inquit, &c. Verùm Virgilius lib. 12. lino vult videri eos velatos fuisse cùm dicit.

Velati lino.

Vbi Seruius authoritate Capri & Iginij, dicit lectionem esse corruptam & pro lino legendum limo, cõtinuóque quid sit limus declarat, vt ibi videre poteris. Alibi autem docuimus linum magis decere sacerdotes quàm lanam.

s *Et verbena.*] Virgil. d. lib. 12. ad illud.

Velati lino.

mox subdit.

Et verbena tempóra vincti.

Vbi Seruius, Verbena, ait, propriè est herba sacra sumpta de loco sacro Capitolij: qua coronabantur feciales, & Pater patratus fœdera facturi, vel bella indicturi. Abusiuè tamen etiam verbenas vocamus omnes frondes sacratas, vt est laurus, oliua vel myrtus: vt Terentius in Andria act. 4. scena verò 4.

—— Ex ara hinc verbenas sume.

Nam Myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit. Sed & Donatus in eum locum Terentij, Verbenæ, ait, quasi herbenæ, redimicula sunt ararum. Et sunt omnes

Tempus fœderis porcu ferendi. Græcorũ cæremonia in suscipiẽdis legatis hostium, σπονδοφόροι. Post fœdera inita. Græci. Athenienses. Lacedæmonij Rom. & Institutum.

natus, [t] Iouem, Matrem, cæterósque obtestari deos, & dira obsecratione precari debebat, vt si quis eorum fœdera violasset, aut illa sciens falleret, ita illum Iupiter feriret, quemadmodũ ipse porcam percuteret. Quibus obtestationibus quàm sanctissimè prolatis, secundùm rem diuinam precationémque, [v] lapide silice porcam percutiebat: mox aqua & igne in sacris adhibitis, illam immolabant: qua cæsa, iura pacis & fœdera conuenta, ita esse ritè putauere, hanc fidem socialem & sanctissimum fœdus esse arbitrati, quo nihil sanctius firmiúsque fuit: [x] idque ante meridiem, & primo diluculo: nam post meridiem eas precationes facere, aut fœdus percutere non licebat. A principio tamen conditæ vrbis, in fœderibus pacis pactionibúsq; [y] pro verbena myrtus sumebantur. [z] Apud Græcos nisi præconibus adhibitis, legatos minimè hostium fines ingredi decebat, neque legationis munere fungi quenquam, ni prius infusa aqua, ab eisdem manus abluissent, iisque coronatis poculis propinassent. Hi tamen legati, qui cum patriis sacris Olympum aut Pythiam missi erant, sacri: qui verò fœdera percutiebant, quasi pacis arbitri & interpretes, [a] σπονδοφόροι dicti. [b] Quæ fœdera pactionésque postquam cum exteris & vltimis gentibus inita erant, Romani in templo Capitolini Iouis, columna aut æneis tabulis insculpta, vt perpetua monumenta extarent, nonnunquam in fastos & annales referebant, aut [c] in æde Iouis Piseij [d] in clypeo ligneo, corio bouis immolati inscripta. [e] Græci in Iouis Olympij templo, [f] & in arce Athenis, tanquam in abdito quodam: plerunque tabulis ex antiquo ære, [g] vt essent testata monumentis, sancta [h] & sacrata habuere: [i] nonnunquam in Isthmo aut ludis Pythiis, fœdera icta, & leges dictas, pactionésque erectis titulis perpetuo tempore duraturis publicabant. [k] Athenienses plerunque intra vrbem, [l] Lacedæmonij in Amycleo societatem & fœderum tabulas

ANNOTATIONES.

herbæ frondésque festæ ad aras coronandas: vel omnes herbæ frondésque ex aliquo puro loco decerptæ, citátque ipsum Menandrum. Hæc autem ea est quam verbenacam vocant, vt videre licet ex Plinio lib. 25. cap. 9. quæ vt tradit Ruellius hodie Gallis nostris vulgo Veruena dicitur.

t *Iouem, Martem cæterósque.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. in Anco Martio, vbi huius obtestationis verba ponit.

u *Lapide silice.*] Vide suprà in verbo. Ac lapidem silicem.

x *Idque ante meridiem.*] Plin. d. lib. 25. cap. 9.

y *Pro verbena.*] Vide suprà in verbo, Et verbena.

z *Apud Græcos.*] Homerus lib. 3. Iliados.

—αὐτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ
ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον, κρητῆρι δ' οἶνον
μίσγον, αὐτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.

Et cætera quæ sequuntur. & vide infrà vbi partem horum afferemus.

a *Σπονδοφόροι.*] Apud Pollu. lib. 8. οἱ πρέσβεις, &c.

b *Quæ fœdera.*] Liuius 1. Decad. lib. 2. Tantúmque sua laude obstitit famæ Coss. Martius, vt nisi fœdus cum Latinis columna ænea insculptum monumento esset, ab Sp. Cassio vno, quia collega abfuerat, ictum: Posthumium Cominium bellum gessisse cum Volscis, memoria cessisset. Idem 3. Decad. lib. 6. Hæc, inquit, conuenerant, conscriptáque biennio pòst, Olympiæ ab Ætolis, in Capitolio ab Romanis, vt testata sacratis monimentis essent, sunt posita. Cicero pro Cornelio Balbo, Cum Latinis omnibus fœdus ictum Sp. Cassio, Posthumio Cominio Coss. quis ignorat? quod nuper in columna ænea meminimus post rostra incisum & perscriptum fuisse. Polybius libro 3. loquens de fœdere Romanorum & Carthaginensium, Dionysius Halicarnasseus lib. 4. de Tullio Rege loquens sic scribit, Collatis deinde oppidatim pecuniis, Dianæ templum ædificauit in Auentino eminentissimo vrbis tumulo & fœderis leges conscripsit ciuitatibus, ritúsque celebrandi festi atque fori, constituit. Et ne vlla iniuria temporum abolerentur, in ærea columna incidit decreta cõcilij, & ciuitates eius conuentus participes. ea columna permansit vsque ad ætatem nostram in Dianæ templo dedicata, inscripta literarum characteribus Græcanicis, quibus olim vtebatur Græcia.

c *In æde Iouis Piseij.*] Legendum Pistij ex Dionysio Halicarnasseo lib. 4. vbi de fœdere Tarquinij, Gabiorum & Sabinorum loquens, sic scribit, Huius iurisiurandi monumentum positum fuit in templo Iouis Pistij. Sed & Pistij mentionem facit idem Halicarnass. lib. 2. vbi de Curibus Sabinorum loquitur. Nonnullique eundem putant, quem & Fidium vocant, siue Sanctum: Nam & idem Sanctus & Fidius sunt vel Ouidio teste Fast. lib. 6. his verbis.

Quærebam Nonas Sancto Fidióne referrem,
An tibi Semipater.

Πίστις enim fides est: ex quo & πιστὸς & πίστιος fidelis & qui fidem seruat, dici potest. Vide Lilium Gregorium Gyraldum in Histor. de Diis Gentium syntagmate 2.

d *In clypeo ligneo.*] Festus Pompeius libro 3. Clypeum, inquit, antiqui ob rotunditatem etiam corium bouis appellarunt, in quo fœdus Gabiorum cum Romanis fuerat descriptum. Superioribus autem adde, quod nonnunquam fœdera in æde Castoris figebantur, vt diximus suprà lib. 2. c. 2. Adde præcedentibus quòd nonnunquam fœdera Romanorum cum cæteris gentibus fuisse in æs incisa in vrbis foro medio. Nam sic positum fuisse fœdus Agrippæ Regis cum Romanis scribit Iosephus lib. 19. Antiquitatum c. 4. in princ.

e *Græci in Iouis Olympij templo.*] Id patet ex illo Liuij 3. Decad. lib. 6. suprà relato ibi, Quæ fœdera. atque ex eo quod scribit Pausanias lib. 5. his verbis, Erectæ verò sunt & aliæ pilæ in fano Iouis Olympij, & ea inter cæteras, in qua fœdus testatum est, quòd in annos centum Athenienses, Argiui & Mantuenses fecere. Cæterum Thucydides lib. 5. tradit Græcos huiusmodi fœderum titulos lapideos erigere in ludis Olympicis.

f *Et in arce Athenis.*] Thucydides vbi suprà dicit Athenis intra vrbem.

g *Vt essent testata.*] Sunt verba Liuij 3. Decad. lib. 6. Suprà adducta in verbo, Quæ fœdera.

h *Sancta & sacrata.*] Verba sunt eiusdem 4. Decad. lib. 9. in fine Orationis Lycortæ Prætoris Achæorum. Sic enim scribit, Quæ iureiurando, quæ monumentis literarum in lapide insculptis in æternam memoriam sancta atque sacrata sint: ea cum periurio nostro tollere parant.

i *Nonnunquam in Isthmo, aut ludis Pythiis.*] De his duobus testis est Thucydides d. lib 5.

k *Athenienses.*] Idem Thucydides d. lib. 5. non semel, & dictum est suprà.

l *Lacedæmonij in Amycleo.*] Ibi quoque Thucydides non semel, quo etiam in libro scribit Argiuos id facere in foro apud delubrum Apollinis, & Mantinees: item in foro in Iouis delubro. Sed quod ad Lacedæmonios spectat, Plutarchus probl. cap. 118. sic scribit, Lacedæmonij facta cum Tegeatibus pace, fœdere icto, communem apud Alpheum columnam statuerunt, in qua cum alia multa, tum illud in primis scriptum erat, Messenios ex agro eiicerent, &c. Adde quod de Megalopolitanis scribit Polybius lib. 5. Cùm in hac ciuitate dissentio esset, Aratus ciuiles omnes discordias sedauit, & exardescentem iam mutuò Megalopolitanorum

iram

fideli custodia seruabant. [m] Eratque Romanis constitutum, vt nunquam cum hoste armato conditionem fœderis acciperent, neque citra senatus aut populi iussu n societates & fœdera inirent, neque cum aliquibus pacato imperio vti, ni prius omnia diuina & humana tradidissent, & præsidium accepissent, aut denique societate & fœdere adstricti essent. Feruntque Athenienses nunquam nisi in veste pulla, & malis victos, pacem & fœdera inisse. Qua re significabant, suorum clade admonitos, & vltima ductos necessitate, post innumeras cædes viribus extenuatis pacem petere. Carthaginenses & Siculi fœdera & inducias non per feciales, sed per tubicinem sæpe iniuerunt. Apud Græcos verò exterásque nationes fœderum percutiendorum multimodæ species erant: nam porco, ariete & tauro immolatis, pacis fœdus inire, & res repetere solebant, [n] qui belli tempore caduceatores dicti, in pace verò legati. [o] Ex quibus feriebant plerique fœdera, vel pane præciso, & inuicem gustato, [p] aut vini poculo epoto. * Nonnulli agnum marem candidi velleris, agnam verò pullam adhibebant: atque ex vtriusque vertice pilis dissectis, & vicissim distributis, manibúsque aqua infusa, & vino pateris, mox Soli & Telluri illis immolatis, leges pacis & fœdera inibant: quibus qui contrairet, turpissimo facinore & inexpiabili scelere tenebatur. [q] Fertur Aristides, vt ictum fœdus cum omni Græcia firmaret, post diras execrationes, accensos ferreos orbes in mare deiecisse, adiurans vt ita extinguerentur cum omni stirpe & gente, qui contra fœdus irent, velut ignitum illud ferrum aqua. [r] Vel brachia circa humeros gladio feriendo, & per vices elicitum cruorem lingendo: quod Medis Lydísque sanctissimum fœderis vinculum, & iusiurandum esse putabatur, quasi mutuo cruore sacratum. [s] Id quod Carmani frequentes factitarunt, vt in epulis percussa faciei vena, profluentem cruorem vino miscerent, inuicémque propinarent, summum fœdus amicitiæ, mutuum sanguinem gustasse rati. [t] Nasamonibus fidei dandæ hæc lex erat, vt porrectum vini poculum de manu alterius alter sumat, inuicémque hauriat: aut si poculum deesset, terræ cinerem lingerent. [u] Indis societas erat maxima de Tantali aqua potare, de qua si qui vna bibissent, ea obtestatione tenebantur, vt eiusdem fati & fortunæ fœdus inisse censerentur. [x] Apud Arabes assuetum erat, vt acuta silice digitos manus expungerent: vestisq úe vtriusque laneos floccos sanguine qui inde fluxerat, delibutos, septem lapidibus delinirent, dictóque carmine in execrationem capitis illius qui contrairet edito, paribus votis fœdera percuterent. [y] Scythis grandem calicem mero plenum mutui sanguinis fuso cruore miscere, & postquam gladium & sagittas eo perfuderant, illum inuicem epotare, maximum erat concordiæ vinculum: quo epoto, diuini humanique iuris fœdus æquis legibus ictũ erat. [z] Galli cum quibus fide & iureiurádo iunguntur, omnes collatis militaribus signis adesse iubent. Britãni indictis cœtibus & sacrificiis conspiratione fidéque sanciebant, atque ita communi consilio & vna mente, pia & æterna pax inita cẽsebatur. Neque omiserim Persas, apud quos inter vinum & epulas frequenti conuiuio, in quo vxores & filios, cæterosque quos charos habent, tanquam fidei pignora adhibebant, ibique inter sacra mensæ, velut apud hospitales deos, fœdera & pacta inibant, eam fidẽ socialẽ rati, & mansuræ pacis pignus inuiolabile. [a] Qui

Athe. quando fœdera inibant. Cartha. Siculi per tubicin. Fœderis percutiendi mos apud exteros Caduceatores. Legati.

Medi & Lydi. Carmani.

Nasamones. Indi.

Arabes.

Scythæ.

Galli. Britãni.

Persæ.

ANNOTATIONES.

Iram publicè priuatimque restinxit. Capita verò conuentionis columnæ inscripserunt, & ad aram Vestæ in Omario collocarunt.

m *Eratque Romanis constitutum.*] Plutarchus authoritate Demadis in præceptis bonæ valetudinis tuendæ.

n *Qui belli.*] Vide Festum Pompeium lib. 3. & Pollucem li. 8. quo loco suprà citauimus, vbi de Spondophoro.

o *Ex quibus.*] Q. Curtius lib. 8. Et Rex medio cupiditatis ardore iussit afferri patrio more panem (hoc erat apud Macedones sanctissimum coeuntium pignus) quem diuisum gladio vterque libabat.

p *Aut vini poculo epoto.*] Homerus lib. 3. Iliados, quo loco suprà citauimus ibi, Apud Græcos & paulò post,

οἶνον δ' ἐκ κρητῆρος ἀφυσσάμενοι δεπάεσσι.

* *Nonnulli agnum marem.*] Hæc magna ex parte sunt ex Homero lib. 3. Iliados describente fœdus initum inter Græcos & Troianos: cuius in eam rem hi sunt versus,

* οἴσετε δ' ἄρν', ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν
γῆ τε, καὶ ἠελίῳ.

Id est,

Afferte autem agnos, alterum autem album, alteram autem nigram,
Terraque & Soli.

Et postea,

—κρητῆρι δὲ οἶνον
μίσγον, ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.
Ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας.

Id est, ad verbum ex Andreæ Diui translatione,

—Cratere autem vinum
Miscuerunt, & regibus aquam manibus fuderunt,
Atrides autem trahens manibus gladium,
Qui apud ensis magnam vaginam semper pendebat,
Agnorum ex capitibus incidit pilos.

q *Fertur Aristides.*] Plutarchus in vita ipsius. Et ad id alludit Sophocles in Antigone.

r *Vel brachia.*] Id vsque ad versicul. Id quod. est Herodoti libro 1.

s *Id quod Carmani.*] Id ipsum facere Germanos tradit Possidonius & ex eo Athenæus lib. 2. cap. 2. Ideo vereor ne Carmani hic scripserit Alexander pro Germani. Est enim lapsus lubricus, nec distat vnum ab altero, nisi duabus primis literis & iis quidem propè similibus.

t *Nasamonibus.*] Id quoque est Herodoti lib. 4.

u *Indis.*] Ex Philostrato in Appolonij vita, lib. 3 cap. 10.

x *Apud Arabes.*] Herodotus lib. 3. non multò post princ.

y *Scythis.*] Idem Herodotus lib. 4. Solinus ca. 25. Tertullianus in Apologetico 9. Pomponius Mela lib. 2. c. 1. non longè à fi. Lucianus autem in Toxari dicit bos fœdus iungere dissecto in minimas partes boue, quod Homoleros facere tradit Xenodotus, vt dicemus infrà eod. lib. c. 8.

z *Galli.*] Iulius Cæsar Commentariorum belli Gallici libro 7. in principio. Et quoniam; inquit, in præsentia de obsidibus cauere inter se non possent, ne res efferatur, vt iureiurando ac fide sanciatur, petunt, collatis militaribus signis (quod more eorum grauissima cerimonia continentur) ne facto initio belli à reliquis deserantur.

a *Qui etiam mos Germanorum.*] Cornelius Tacit. lib. de Moribus German.

Germani. Macroni. Clearchus. Thraces. Ægyptij. Armeny. Iberi. Ætoli, & Parthi. Hyrcani & Medi. Cõfœderatio ad ſcelus aliquod patrãdum. Calamitate preſſi apud Scythas. Belli indicend mos apud Ro.

etiam mos Germanorum fuit, vt de pace & bello, deque fœderibus, ſocietatibus, amicitiis, ſponſalibus & pactis, in conuiuiis inter pocula decernant. [b] Macroni, quæ gens Perſica eſt quum haſtam more ipſorum barbaricam tradunt, aliamque more gentis cum qua fœdere iunguntur, accipiunt, ſe maxima & firmiſſima pactione teneri, & pari vinculo aſtringi putabant. [c] Ferunt nonnulli Clearchũ Lacedæmoniorum ducem, cum barbaris quibuſdam fœdus ſanxiſſe, vt cæſo loui tauro, lupo, apro & ariete, Græci gladios, barbari lanceas in ſanguine victimarũ intingerent. [d] Thraces quoque & Ægyptij è [e] cornibus boum vina libare alterna vice, conciliati amoris & manſuræ fidei certiſſima pignora cenſuere: quippe veteribus cornua boum poculorum præſtabant vicem. [f] Apud Armenios & Iberos præualuit mos, vt pollices manus, inuicem coniurantes necterent, mox arctiſſimo nodo perſtrictis, collectum ſanguinem leui ictu percuterent, manantemque inde cruorem lamberent. [g] In qua quidem re, proditur Rhadamiſtos regis Iberiæ filius, dum ſimulat cum Mithridate Armeniæ rege fœdus inire, & ob id colligandi pollices forent, lorum ad terram callido aſtu decidere ſimulaſſe, quo Mithridatis pedes vinculo inuaſit, ipſumque cum vxore & liberis captiuos duxit, & nece affecit. [h] Ætoli, quia feroces & immanes, [i] Parthi, qui libertatem tuentes, nemini ſeruire patiebantur, aut vinculo fidei aſtringi, nullam fœderis legem paciſci aſſuetãt. Si quid tamen vellent confœderatum licet ægrè & difficulter, apud altaria complexi dextras, tanquam diis teſtibus, & arbitris, poſtquam ſacra libaſſent pacta polliceri ſolebant, ita ſe æquiſſimo iure conſociatos, & arcanum fœdus inire putantes. [k] Idem ab Hyrcanis [l] Medíſque factitatum, vt dextras dextræ iungentes, conuentiones & pacta sancirent. [m] Fuitque literis proditum, vt ſi qui ſceleſti facinoris conſcij, magni criminis admittendi coniurationem inirent, quò magis conſociato facinori nexi forent, poſt diras imprecationes execrationeſque, ij qui clandeſtino ſcelere obſtringebantur, poculum humani ſanguinis admixto mero circunferrent, omneſque ad facinus adiurati, de poculo libarent: aut iugulato homine, poſt exhauſtũ ſanguinem, diris imprecationibus & furiali carmine exta tangerent. Quod quidem maximum vinculum communi ſcelere pollutis, & dira execratio habebatur. [n] Manetque conſtitutum apud Scythas, vt qui opis egeret, inſigni calamitate preſſus, immolato boue, & carnibus decoctis, ſupra tergus victimæ ſtratus humi expectet, donec quiſpiam opem laturus adueniat, carne delibata, dextro pede tergori appoſito: quo prodeunte, eo adſtringebatur fœdere, quo nihil ſanctius dici aut æſtimari poterat. [o] Quod ſi cui bellum indicendum foret, aut pia & iuſta arma mouenda, mos Romanus erat, prius res repeti, mox bellum denuntiari: quippe quum nullũ putarent iuſtum bellum, niſi quod rebus petitis geratur, aut antea denunciatum foret, & ſolenni more indictum. [p] Fecialibus enim prohibentibus, aut non probantibus, neque conſuli, neque ſenatui aut populo arma in hoſtes ſumere licebat. [q] Sed tamen

ANNOTATIONES.

b *Macroni.*] Xenophon de Cyri minoris expeditione libro 4.

c *Ferunt nonnulli Clearchum.*] Idem Xenophon eiuſd. operis libro 2.

d *Traces*] Idem Xenophon in lib. Aſcenſus 7. vbi deſcribit Seuthæ Thracis conuiuium.

e *Et cornibus boum.*] Nam & priſcos homines ex bouinis cornibus bibere ſolitos tradit Athenæus lib. 11. cap. 8. in princ. Vnde, inquit, & cornutus Dionyſius fingitur & taurus à cõpluribus poëtis nuncupatur, atque taurina facie cõſpicitur in Cyrico. Subdit & alia multa in eam rem, ex quibus intelliges & alios multos populos ita vſos fuiſſe. Hunc in inſulis Orchadenſium morem ſeruant qui ſunt è nobilitate primi adhuc hodie: quemadmodum ego Io. Ferrerios Pedemontanus anno Dom. 1540. illic præſens eum eſſem, in comitatu R. Do. Roberti Reid. earum Inſularum vſque ad vltimam Thulem præſulis digniſſimi, vidi.

f *Apud Armenios & Iberos.*] Tacitus de his duobus loquens lib. 12. Mos, inquit, eſt regibus quoties in ſocietatem coëant, implicare dextras, pollicéſque inter ſe vincere, nodóque perſtringere. Mox vt ſanguis in artus extremos ſe effuderit leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum.

g *In qua re proditur Rhadamiſtus.*] Et id idem Tacitus vbi ſuprà.

h *Ætoli.*] Inter Ætolos & Romanos ictum fœdus fuiſſe, ſcribit Liuius 4. Dec. lib. 8.

i *Parthi.*] Cor. Tacitus lib. 2. & 11.

k *Idem ab Hircanis.*] Tacitus eod. lib. 11.

l *Medíſque.*] De Medorum more in fœderibus ineundis ſic ſcribit Herodotus lib. 1. Ineunt hæ gentes fœdera cum cætera ritu Græcorum, tum feriendo brachia, qua illa humeris connectuntur, ac mutuum ſanguinem delingendo. Adde & Romanis & Numidis ex Plutarcho in Scipione, & Campanis ex Liuio 3. Decad. lib. item 3. Vbi Calauius Campanos alloquens filium, Paucæ, inquit, horæ ſunt intra quas iurantes per quicquid deorum eſt, dextras dextræ iungentes, fidem obſtrinximus, vt ſacratis de menſis eſſemus &c. Idque vetus eſſe teſtimonio eſt illud Virgil. libr. 11. Æneid.

—Coëant in fœdera dextræ
Qua datur.

m *Fuitque literis proditum.*] Salluſtius in Catilina ſic infit. Fuere ea tempeſtate, qui dicerent Catilinam oratione habita, cùm ad iuſiurandum populares ſceleris ſui addiceret, humani corporis ſanguinem vino permiſtum in pateris circuntuliſſe: inde cùm poſt execrationem omnes deguſtaſſent ſicuti in ſolennibus ſacris fieri conſueuit, dicitur aperuiſſe conſilium, &c.

n *Manetque conſtitutum apud Scythas.*] Lucianus in Toxari. Hinc natum prouerbium, In tergore bouis ſedit. de quo Eraſmus Chiliad. 3. cent. 5 cap. 99.

o *Quod ſi cui bellum.*] Ad Romanos redit, & id Varronis eſt lib. 2. de vita populi Romani, apud Nonium Marcellum de Doctorum indagine. & Liuij 1. Decad. lib. 1. & iterum lib. 4. & diximus ſuprà hoc eod. cap.

p *Fecialibus enim.*] Varro vbi ſuprà Feſtus autem Pompeius lib. 8. Feciales, inquit, à feriendo dicti. apud hos enim belli paciſque faciendæ ius eſt. & dictum eſt ſuprà hoc eod. cap. & vide infrà proximè ſeq.

q *Sed tamen.*] Liuius 4. Decad. lib. 1. non adeò longè à prin. loquens de bello indicendo Philippo Regi. Conſultique, inquit, feciales ab Conſule Sulpitio, bellum quod indiceretur Regi Philippo, vtrum ipſi vtique nunciari iuberent: an ſatis eſſet in finibus regni, quod proximum præſidium eſſet eò nunciari. Feciales decreuerunt, vtrum eorum feciſſet, rectè facturum. Sed & vide eundem 1. Decad. lib. 1. in

regno

quum res repetuntur, obseruatum est, vt populi iussu ad fines illorum [r]quatuor feciales, quos oratores nuncupant, [s]verbena coronati, res petitum irent, ac deos fœderum vltores testes facerent. [t]Ex quibus verbenarius gramen cum terra euulsum ferebat [u]ex arce, legatusque [x]filo lanæ capite velato [y]res sibi dari clara voce posceret, [y]quæ clarigatio dicta, [z]his verbis: Iouem ego testem facio, si ego impiè iniusteque illas res dedier populo Ro. mihique exposco, tum patriæ compotem nunquam finas esse. [a]Quæ si præstituta die non darentur, post dies tres & triginta (tot enim solennes fuere) pater patratus, qui fecialium princeps erat, pariter coronatus bellum indiceret. Non enim quicunque ex fecialibus, [b]sed soli patri patrato indicendi belli facultas erat, quem fecialis verbena caput & frontem cingens, indicendi belli aut percutiendi fœderis principem faciebat. Ibat enim pater patratus ad hostium fines, & verba solennia præfatus, bellum à populo Romano contra præscriptos hostes, ob legitimas quas censuerat causas, clara voce indicebat: post quam clarigationem mos erat, vt de senatus consilio & populi iussu, [c]feciales hastam ferratam, aut sanguineam præustam ad fines illorum iacerent: & non minus tribus puberibus præsentibus bellum indicerét. & ita denunciati & indicti iustum piumque bellum putarere. Post quæ quasi classico personato, sublatis commerciis, militi arma capere, & copias cogere licebat, ad hostes ducere, excursiones facere, prædas agere, fines populari [e]eósque ferro ignique vastare: frumenta succidere, ædificia incendere atque omnia hostiliter agere. [d]Apud Carthaginenses hastam mittere vel caduceum, belli pacisque signum fuit. [e]Gallorum mos habuit, vt Druidis iubentibus, quum bellum indicendum foret, armatum concilium indicerent, penes quos arbitrium bellorum & pacis erat: & qui nouissimus accederet, nouis exemplorum modis afficeretur. tunc enim principium bellorum esse, & arma legitimè indicta putarunt. Græcis verò in vsu fuit, vt fecialis, post res repetitas, si ad constitutam diem non darentur, arietem in hostium agros statim immitteret, eo modo bellum indictum & armis vti licere arbitrati. Corinthiis [f]& plerisque gentibus per caduceatorem bellum indicebatur, qui in pacis argumentum, [g]caduceum circundata effigie anguium innicem connexorum deferebat: quem tamen non admisisse, aut finibus excedere iussisse, nulli fraudi fuit. [h]Indis verò anchora erat pro caduceo, [i]Carthaginensibus tessera. [k]apud Syros signum dextræ, [l]quod apud Lingones erat hospitij symbolum. [m]Persæ lactacem herbam, velut caduceum &

Verbenarius. *Clarigatio.* *Pater patratus.* *Hasta proiectio.* *Carthaginenses.* *Galli.* *Græci.* *Corinthij.* *Indi. Syri. Lingones.* *Persæ.*

ANNOTATIONES.

regno Anci Martij, & Seruium enarratorem illud Virgilij lib. 9. Æneid. paulò post princ.

Principium pugnæ, & campo sese arduus infert.

Atque illud lib. 10. in prin.

---- Tum res rapuisse licebit.

r *Quatuor feciales.*] Varro lib. 2. de vita populi Romani apud Nonium Marcellum de Doctorum indagine.

s *Verbena coronati.*] Dictum est suprà in verbo, Et verbena.

t *Ex quibus verbenarius.*] Plinius lib. 22. cap. 2. & lib. 25. c. 9. Liuius 3. Decad. lib. 10.

u *Ex arce.*] Liuius 1. Decadis libro 1. & 3. & 10. paulò ante finem.

x *Filo lanæ capite velato.*] De hoc quoque dictum est suprà in verbo, Filo lanæ.

y *Quæ clarigatio dicta est.*] Hic omnino vide quæ scripsimus in nostris Commentariis in l. si vnquam. in verbo, Susceperit liberos. num. 147. incip. quum etiam is infans. in vlt. editione anni 1553.

z *His verbis: Iouem ego testem.*] Hæc sunt Liuij 1. Dec. lib. 1. in Anco Martio.

a *Quæ si præstituta die.*] Hæc quoque sunt Liuij vbi suprà, & 4. Dec. lib. 1. & lib. 8. in oratio. Darij & Æmylij & iterum 10. & Plutar. probl. c. 62.

b *Sed soli patri patrato.*] Vide Seruium in locis suprà proximè allegatis.

c *Feciales hastam.*] Liuius vbi suprà. Alexander autem Magnus in Asiam traiiciens primus Macedonum è naui hastam iaculatus, litori Asiæ eam infixit, ac statim exiliit de naui, visus quodammodo ope deorum capitiuam terram occupare, vt tradit Diodorus Siculus libro 17. cap. 2. in prin.

d *Apud Carthaginenses.*] Festus Pompeius lib. 8. Carthaginenses, inquit, cùm bellum vellent, Romam hastam miserunt. Gellius autem lib. 10. c. 27. scribit populum Romanum misisse ad Carthaginenses hastam & caduceum, signa duo belli & pacis, ea queis vtrum vellent eligerent; quod elegissent, id vnum, vt esse missum existimarent. Carthaginenses responderunt, neutrum sese eligere: sed posse qui attulissent, vtrum mallent, relinquere: quod reliquissent, id sibi pro lecto futurum. Subdítque Varronem nō hastam ipsam, neque ipsum caduceum, missa dicere: sed duas tessarulas, in quarum altera caduceum, in altera simulachra hastæ fuerunt incisa. Sed & Polib. lib. 4. scribit Rhodios misisse legatum ad Byzantios, volentes id, quod in prouerbio est, hastam simul & caduceū. Simillimum est huic prouerbium, quod eleganter vsurpauit D. Hieronymus, Scuto pacem petere. de quo vide Erasmum Chil. 2. cent. 10. c. 96. ibi Hastam, caduceum.

e *Gallorum mos habuit.*] Cæsar. lib. 5. belli Gallici non multò ante fi. Induciomarus armatum concilium iocidit. Hoc more Gallorum est initium bellorum, quo lege communi omnes puberes armati conuenire coguntur: & qui ex his nouissimus venit, in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necatur.

f *Et plerisque gentibus.*] Vide in seq.

g *Caduceum circundata.*] Plinius lib. 29. cap. 3. non longè à fi. Hic tamen complexus anguium & efferatorum concordia, causa videtur esse, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circundata effigie fecerunt: neque cristatos esse in caduceo mos est. Ex quo clarè intelligis hunc Aleandri locum esse depromptum. Sed & de huiusmodi caduceo vide Iul. Hyginum de signorum cælestium lib. 2. c. 8. vbi de lyra. & Macro. lib. 1. Satur. c. 19.

h *Indis verò anchora.*] Philostratus in vita Apollonij lib. 5. c. 3. vbi rationem reddit, his verbis, Gerebat autem manu auteā anchoram, quam Indi pro caduceo habent, propterea quòd omnia rentat.

i *Carthaginenses tessera.*] Suprà in verbo, Apud Carthaginenses.

k *Apud Syros.*] Tacitus li. 18. Centurionemque Sisennam dextras, concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine ad prætorianos ferentem, variis artibus aggressus est.

l *Quod apud Lingones.*] Idem Tacitus lib. 17. Miserat, inquit, ciuitas Lingonum vetere instituto dona legionibus, dextras hospitij insigne.

m *Persæ lactacem herbam.*] Plinius lib. 26. cap. 4. ex cuius authoritate Latacen lego.

Atheniēs. Lacedæmony. Graci ubi congredientur dum cum hoste. pyrophorus. l. sanctū ff. de rer. diuisio. Sagmina Marcian Iurisc. fale. Ceryciū. Aliud iuris fecialium. Sodalitati & hospitio renūciare.

pacis symbolum ferebant. ⁿ Athenienses Eresionem cum indumento pro caduceo habebant. à Lacedæmoniis per præcones sæpe bellum indictum est, apud quos mittere legatos cum lana, commi-natio censebatur, nisi patium fuisset, se mādata exequuturos. ᵒ Præualuitque Græcorum mos, vt quoties procinctæ acies congredi parant, ante prima signa staret vates laureos ferens ramos & corollas, cui pyrophoro dixere nomen, quoniam lampada præferret quem violare, summum habebatur nefas, quòd legati munere fungeretur: ᵖ vtque in fœdere percutiendo hiceteria, hoc est, oleæ ramum cum vitta lanea legati ferant: quo prætenso, ab omni sæuitia hostili & violenta incursione tuti erant. ᑫ De sagminibus verò etiam apud Martianum iureconsultum de diuisione rerū, testatum inuenimus, cuius verba sunt: Sagmina sunt herbæ quas legati populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret, sicut legati Græcorum ferunt quæ vocantur hiceteria: tametsi cerycium dici oporteret nonnulli putent: ἱκετεύειν enim legatorum ornatus erat: ἱκετεύειν supplicare dicitur. ʳ In qua quidem re scitu dignum est, olim Dario contra Scythas pugnaturo, ab illis caduceatorem missum cum aue, mure & rana, ac sagittis quinque, tacitis ambagibus nullas opes contra Scythas præualere significantes. ˢ Illud quoque in iure fecialium quæsitum est, verum regibus contra quos sumuntur arma, an verò in regni finibus, aut aliquo eius præsidio, bellum indici oporteret, & an si contra socios federarosque arma sumenda essent, amicitiæ prius renunciare necesse foret. Et placuit, siue coram, siue in præsidio, siue sodalitati & fœderibus renunciatum fuisset, siue non, quodcunque eorum factum esset, ritè id factum videri. ᵗ Est tamen obseruatum, vt si qua contentio inter amicos intercederet, sodalitati prius & hospitio renunciari. ᵘ nam & Germanicus Pisoni prius amicitiam, ˣ & Crispinus Badio hospitium remisit.

ANNOTATIONES.

n *Athenienses Eresionem.*] Id ex Lactantio Grammatico interprete Statij illud ipsius libro 12. Thebaidos enarrantis,

Mitte nemus circa, cultuque insigne verendo,
Vittata laurus & supplicis arbor oliuæ.

Supplicis, ait, arbor oliuæ, per quam pax petitur supplicando, & in secundo diximus hanc ab Atheniensibus Eresionem diei Hiceteriam. Supplicis autem oliuæ, non quod ipsa sit supplex, sed quòd omnes qui rogant, hac suppliciter vtuntur. Hæc ille. Ille autem locus Lactantij erat corruptus in illis duabus dictionibus Eresionem & Hiceteriam: Sed illum restituit Cælius Rhodiginus libro 12. capit. 19. Est enim εἰρεσιώνη, ramus oleæ lana obuolutus (nam & εἶρος siue ἔριον, lana siue vellus est) arborum fructibus, quæ Acrodia vocant, circumpendentibus, qui ante ianuas ædium suspendi solebat in honorem Apollinis ad famem arcendam ex oraculi præcepto. De quo Herodotus in vita Homeri, Plutarc. in Theseo, Suidas & Aristophanis interpres tum in Pluto, tum in equitibus. Et vide quod de ramis oliuæ ad petendam pacem diximus suprà lib. 2. cap. 19. & iterum lib. 4. cap. 7.

o *Præualuitque Græcorum mos.*] Idem Cælius Rodiginus li. 8. cap. 2. vbi Persarum luxum scribit, citatque Suidam & Pollucem.

p *Vtque in fœdere percutiendo.*] Idem Lactantius Statij interpres, cuius in eam rem verba adduximus. Est enim ἱκετηρία veluti supplicatio, supplex libellus & propriè ramus oliuæ supplicantes in manibus ferebant, vt dicit Aristophanis interpres in Pluto eum locum enarrans act. 3.

ὅρα πρ' ἐκ τῶ βωμάτος καθεδ' ἔχων
ἱκετηρίαν ἔχοντα ᾗ ἐπὶ πταῖδ' ἐαν.

Plutarchus in Theseo Græcè quidem, sed in hunc sensum, Ductis igitur sortibus Theseus acceptis ex Prytaneo his, quorum nomina exierant, in Delphinium profectus, Apollini pro sua suorumque salute Hiceteriam peregit, quam vocem interpres in supplicationem vertit. Sunt & nonnulli qui putant Marcianum hac dictione vsum fuisse in l. sanctum. ff. de rerum diuisio, vt scilicet ita legatur, Sunt autem sagmina quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret: sicut legati Græcorum ferunt ea, quæ vocantur hiceteria. Et ea quidem vox non male sensui quadraret. Verum in Pandectis Florentinis legitur Ceryeia, eamque lectionem agnoscit Budæus, quæ & admodum conuenit: nam ea dictio petæque significat, ac si diceris caducea. Cerix enim caduceator, fecialis, legatus, præco est.

q *De sagminibus verò.*] Locum & verba Marciani posuimus suprà proximè. Sed & tu de his vide præterea Liuium 1. Decad. lib. 1. & 3 Decad. lib. 10. Plinium lib. 22. cap. 2. & lib. 25 cap. 10. & Festum Pompeium lib. 17.

r *In qua re scitu dignum.*] Herodotus lib. 4. quod ex eo repetit Athenæus lib. 8. c. 2.

s *Illud quoque in iure fecialium.*] Liuius 4. Dec. lib. 1. post principium, cuius verba attulimus suprà.

t *Est tamen obseruatum.*] Id quod patet exemplis seqq.

u *Nam & Germanicus.*] Apud Suetonium in Caligula, c. 3. in fi. vbi id dicit fuisse more maiorum.

x *Et Crispinus Badio.*] Liuius 3. Decad. lib. 5. Cuius verba libuit hîc subtexere: nam est res memoria admodum digna. T. (inquit) Quintio Crispino Badius Cāpanus hospes erat perfamiliari hospitio iunctus. creuerat consuetudo, quòd æger Romæ apud Crispinum Badius ante defectionem Cāpanam liberaliter, comiterque curatus fuerat. Tum Badius progressus ante stationes, quæ pro porta stabant, euocari Crispinum iussit. quod vbi Crispino nunciatum, ratus colloquium amicum ac familiare quæri, manente memoria etiam in dissidio publicorum fœderum priuati iuris, paulùm à cæteris processit. Postquam in conspectum venere, Prouoco te, inquit, ad pugnam Crispine, Badius. conscendamus equos, summotisque aliis, vter bello melior sit, decernamus. Ad ea Crispinus, nec sibi, nec illi ait hostes deesse, in quibus virtutem ostendant se ab eo, etiā si in acie occurrat, declinaturum, ne hospitali cæde dextram violet. cōuersusque abibat. Enimuero ferocius tum Campanus increpare mollitiem ignauiamque, & se digna probra in insontem iacere, hospitalem hostē appellans, simulātemque parcere cui sciat parem se non esse. Si parum publicis fœderibus ruptis dirempta simul & priuata iura esse putet, Badium Campanum T. Quintio Crispino Romano palam omnibus duobus exercitibus audientibus, renunciare hospitium, nihil sibi cum eo consociatum, nihil fœderatum hospiti cum hoste, cuius patriam ac penates publicos, priuatosque oppugnatum venisset: si vir esset, congrederetur. Diu cunctantem Crispinum perpulere turmales, ne impune insultare Campanum pateretur. Itaque tantum moratum moratus, dum Imperatores consuleret, permitterentne sibi extra ordinem in prouocantem hostem pugnare, permissu eorum arma cepit, equumque conscendit, & Badium nomine compellans ad pugnam euocauit. Nulla mora à Campano facta est, infestis equis concurrere. Crispinus supra scutum sinistrum humerum Badio hasta transfixit: superque delapsum cum vulnere ex equo desiliit, vt pedes iacentem conficeret. Badius priusquam opprimeretur, parma atque equo relicto, ad suos aufugit. Crispinus equum, armaque capta, & cruentam cuspidem insignis spoliis ostentans, cum magna laude & grato

y Amasis quoque aoimo præsumens Polycratis ruinam ex successu continuæ felicitatis, vt minus doleret, misit qui sodalitari & amicitiæ renunciaret. z Eratque motis prisci, quoties ditimerent amicitias aut sodalirates, etiam domo interdicete, isque finis gratiæ foret. a Neque omiserim Tybarenos adeò iustos, vt non prius eum hoste congrediantur, quàm diem, locum, & decertandi horam, ex fide per feciales hosti renunciatent. b Quodque nonnulli prodiderunt, id quod mihi non probatur, & pro certo affirmare non ausim, legatum populi Romani, si mandata minus vera attulisset, aut parum integra fide fœdus percussisset, velut si populus mandata dedisset, perinde teneri & fœdere coerceri.

Tibarenorum erga hostes iustitia.

ANNOTATIONES.

& gratulatione militum ad Cousules est deductus, laudatúsque ibi magnificè & donis donatus. Et idem propemodum recensuit Valer. Maximus lib.5. tit. de humanitate.

y *Amasis quoque.*] Herodotus libr. 3. nonnihil Strabo lib. 14 non adeò longè à princip. Diodorus Siculus lib. 2. cap.5. paulò ante fi. Vide Ciceronem de Finibus lib.5. ad fi.

z *Eratque moris prisci.*] Hinc Badius Campanus cum Crispino pugnaturus renunciauit illi hospitium, vt est apud Liuium 3. Decad. lib.5. Cicero 4. in verrem act. Itaque iste vehementer Sthenio infensus, hospitium ei renuntiat: domo eius emigrat, atque adeò exit. Vide quæ suprà dixi.

a *Neque omiserim Tibarenos.*] Cælius lib.18. cap.30.

b *Quodque nonnulli prodiderunt.*] Et hic superioribus adde apud Samnites quoque fuisse feciales per quos fœdera conficiebant, vt constat ex Liuio 1. Decad. libro 8. ad finem. Et illud quoque quòd ad facienda fœdera apud veteres aqua & ignis adhibebantur, vt colligitur ex illo loco Virgilij li. 12. Æneidos,

—*Alij fontemque ignémque ferebant*

Vbi & id obseruauit Seruius, Vnde, ait, contrà quos arcere volumus à nostro consortio, eis aqua & igni interdicimus. id est rebus quibus consortia copulantur.

Pleraque veterum prænomina vnde deducta fuerint, & denominata, & de Nonis Caprotinis quæ tradantur.

CAPVT IV.

QVÆRI à pluribus audio, vnde veterum illa prænomina, Spurius, Sextus, Caius, Cneus, Titus, & pleraque à veteribus vsurpata, deducta fuerint: quæque vis prænominum foret, Et dum priscos ritus, verétúmque exempla cura cogitationeque admitto, dúmque antiquitatis monumenta colligo, inuenimus Romanos antiquissima prænomina velut notissima non integris dictionibus, sed succisis & simplicibus literis notare, vt T. pro Tito, L. pro Lucio, Q pro Quinto: modo duplici, vt Cn. Sp pro Cneo, Spurio: nonnunquam triplici, vt Sex. pro Sexto. a Et Cneos quidem à generando. b Titos à tuendo denominari: alteros, tanquam sobolis procreandæ auspicia sortiri: alteros quasi tuendæ patriæ omen assequuti forent. Vnde & Titulos, quod patriã tuerentur, c vel quòd insignia capitis ea ornamenta ferrent, quibus Sitolos dixere nomen, dictos arrumãt: d sicut Spurios, sine patre genitos denominari. Fuit enim prisci moris, vt quum sine patre certo aliquem notarent, illum non exarata dictione, sed per simplices diuisasque literas, scilicet per S. & P, sine patre significarent. e Lucios quoque f & Manios ferunt, alteros quasi oriente luce, alteros quasi mane editos: g & Posthumos, quòd post patris obitum editi essent, nuncupari. h Sexti verò, Quinti & Decimi, tum Nonij, Septimij, & Octacilij, à numero genituræ indita nomina fuere. i Plerique à Tullo Hostilio Quintios, sicut Seruilios, Tullios, Geganios, Curiarios & Cloelios, ex Albanis Romani

Cnei. Titi. Spurij. Lucij. Manij. Posthumi. Sexti. Quinti. Decimi. Nonij. Septimij. Octacilij. Seruilij. Tullij. Geganij. Curiatij. Cloelij.

ANNOTATIONES IN CAP: IV.

a ET *Cneos quidem.*] Festus Pompeius libr. 7. Gneus, inquit, & Cneus corporis insigne & prænomen à generando dicta esse, & ea ipsa ex Græco γενεᾶς apparet. Alij à næuo deducunt præposita c, litera, quod & astruit Festus dum dicit corporis insigne. Caius autem Titus Probus Epitome Valerij Maximi libro 10. Cneus, ait, ob insignem tem appellatus, quòd vnum prænomen varia scriptura notatur: alij enim Neum, alij Gneum, alij Cneum scribunt. Qui G. litera in hoc prænomine vtuntur, antiquitatem sequi videntur, quæ multum ea litera vsa est. olim enim dicebant frugmentum, nunc frumentum refertur: & gnatura, modò natura. Igitur etiam næuus, qui in corporibus gigni solet Gneus appellatur, qui c, corruptione syllabæ delectari videtur, &c. Quintil. autem lib.1. c.13 Nec Gneus, inquit, eam literam in prænominis nota accipit, qua sonat.

b *Titos à tuendo.*] Fest. Pompeius lib.18. Tituli, ait, milites appellantur quasi tutuli, quòd patriam tuerentur. vnde & Titi prænomen ortum est. Verùm Titus Probus in eo libro, Titus à Sabino nomine Tito fluxit.

c *Vel quòd insignia capitis.*] Festus lib.18. dicit titulum vocari pileum lanatum formaè tali figuratum, quo flaminicæ ac pontifices vtebantur.

d *Sicut Spurios.*] Plutar. probl. c.103. & vide Titum Probum vbi suprà in verbo, Et Cneos quidem.

e *Lucios.*] Varro lib.2. de Analogia, Tit. Probus ibidem. vbi etiam dicit quosdam arbitrari à Lucumonibus Hetruscis, & Fest. Pompeius lib.11.

f *Manios.*] Varro, Probus, & Festus Pompeius in dictis locis, & Macrobius lib.1. Saturnal. cap.7. Aliter Sozinus Romanæ historiæ lib.1. Nempe Manium, vt gentem Valeriam profectum esse à quodam Valerio, qui primus diis Manibus sacra fecit. Eius verba hæc sunt, τῦτον δὲ βωμὸν ὁ Οὐαλέσιος εὑρὼν, καὶ τὴν θυσίαν, καὶ τὰς παννυχίδας ἐπιτελέσας, ἐκλήθη Μάνιος Οὐαλέσιος Ταρεντῖνος, τοὺς τε γὰρ χθονίους θεοὺς, Μάνας, καλοῦσι ῥωμαῖοι, καὶ τὸ ὑγιαίνειν, σαλήρε.

g *Et Posthumos.*] Vide suprà lib.1. c.9.

h *Sexti verò.*] Nomina ipsa hæc satis indicant.

i *Plerique à Tullo Hostilio.*] De his Sex. Liuius 1. Decad. lib. 1. in Tullo Hostilio. Sed & quantum ad Tullios, T. Probus vbi suprà, dicit hos fuisse sic prænominatos ominis gratia, quasi tollendo, o, litera in v, conuersa. & quantum ad Cloelios Festus Pompeius libro 3. scribit Cloeliam familiam à Cloelio, vel (vt alij legunt) Cloantho, Æneæ comite esse appellatam.

k Erátque

aduocatos ferunt. [k]Eratque proprium Quintiorum familiæ, vt viri æquè ac fœminæ, nullo tempore vtantur auto. [l]Mamercos (quod nomen Olcum est) à Marte genitos dicunt: [m] sicut Martios, quod Æmyliorum prænomen fuit propriũ. [n]Caius verò & Caia, æquè viris ac fœminis prænomina frequentia fuere, maximè in solennibus nuptiarum vsurpata, videlicet Caiæ Cæciliæ, quæ Tanaquil dicta est felix faustumque coniugium fortunásque augurati. Quod etiam frequens prænomen Tarentinis ferunt, quo brutum, terrenum & colonum hominem designabant: Siquidem γῆ terra est, vnde γαῖος, deducta volunt. [o] Et tametsi in veteribus monumentis C, litera Caium denotaret, ea tamen inuersa hac figura Ɔ, Caiam designauit. [p] Illud tamen admonitu non inutile duxerim, neminem Romanorum sine prænomine appellari: idque ex eo institutum, quòd quum inter Romulum & Tatium societas & communicatio imperij initæ esset, vt vna consensio, vnus populus, vna mens atque idem corpus, sublato discrimine notaretur, vt Romani Sabinorum, Sabini Romanorum nomina suis nominibus præponerent, æquato regni iure, & consociato imperio, cautum fuit. [q] Quare prænomina vetetum fuisse ex Sabinis nominibus deducta, multorum opinio fuit. Quin etiam excellentes viros, & principali dignitate insignes, solis prænominibus nominasse, magnificentius honestiusque duxere, tanquam ob illorum amplitudinem vulgo noti & conspicui forent. [r] Cúmque mancipiis & seruis nullum cognomentum aut prænomen veteres impartirent, suóque appellarent nomine: si quando tamen manu emissi libertatem meruissent, vt inter seruilem personam & liberam discrimen nominis foret cum illis ordo, honos & locus accesserit, prænomina patronorum, ac si disciplina & cultu Romano essent educati, sæpissime sibi arrogarunt. [s] quare Marcipores, Lucipores, Publipores, à Marco, Lucio, & Publio, multi seruitute exempti, nuncupati sunt. Nec modo libertorum hoc fuit proprium, [t]sed adoptiui filij & arrogati, adoptantium sæpe nomina & prænomina, atque cognomenta desumpsere. [u] Inter quos erant addicti, qui tametsi nomen, prænomen ac tribum in præsenti habeant: illos tamen seruisse, & sub alterius mancipio fuisse liquet. Fuere autem addicti, qui quum non essent soluendo, creditoribus addicebantur: mox pretio persoluto seu quauis causa, etiam citra domini volũtatem seruitute exẽpti, & libertate donati sunt. [x]Præter hos erãt abscissi & lenones, æqua ferè cõditione ac serui, nullo cognomento a... ordine, infames, nanque senatusconsulto prohibitum erat, ne abscissi, quibusque virilia execta forent, vtpote semiuiri, aut lenones, quærendi iuris aut postulandi causa, tribunalia adirent. [y] Ideo Vectilius leno in causa testamentaria à Q. Metello deiectus fuit, & à sub-

Mamerci Marty. *Caius, Caia quare prænomina insituta.* *Prænomina ex Sabinis nominibus.* *Serui & mãcipia. Manumissi.* *Adoptiui Addicti.* *Abscissi. Lenones.*

ANNOTATIONES.

k *Eratque proprium Quintiorum.*] Plinius lib. 33. c. 1.
l *Mamercos.*] Festus Pompeius lib. 11. Sed aliter Plutarchus in Numa, & vide suprà lib. 1. c. 9.
m *Sicut Martios.*] Adde & Marios ex Tito Probo vbi suprà.
n *Caius verò & Caia.*] Plutarchus proble. c. 28. scribit apud priscos Romanos hunc fuisse morem, vt sponsam introducentes iuberent dicere. Vbi tu Caius, ego Caia, quod quare dicebatur & quid significaret, declarat Quintilianus lib. 1 cap. 13. Nam aliter quàm scribantur, aliqua enunciantur. Et Caius c, litera notatur, vt quæ inuersa mulierem declarat: quia tam Caias vocitatas esse, quàm Caios ex nuptialibus facris apparet. Fest. Pompeius libro 14. Prænominibus, inquit, fœminas esse appellatas, testimonio sunt Recilia & Tetentia, quæ ambæ Caiæ solitæ sunt appellari: pari modo Lucia & Titia. quem locum & nos alibi attulimus. Titus Probus vbi suprà, Ista prænomina à viris tracta sunt, Caia, Lucia, Publia, Mœrea. Cæterùm Caia, vsu apud omnes celebrata est: Fertur enim Caiam Cæciliam Tarquinij Prisci Regis vxorem, optimam lanificam fuisse, & ideo institutum fuit, vt nouæ nuptæ ante ianuam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Caiam se esse dicerent. Et vide præterea quæ diximus in nostris legibus Connubialibus l. 10. numero 38. incip. Sed & præterea. Vt tamen non omittam illud Ciceronis in Oratione pro Murena, vt quia in aliquibus libris exempli causa id nomen inuenerant, putarunt omnes mulieres, quæ cöemptionem facerent, Caias vocari.
o *Et tametsi in veteribus.*] Id iam dictum est ex Quintil. cuius verba vide suprà in verbo, Caius verò & Caia.
p *Illud tamen admonitu.*] Vide Quintilianum lib. 7. c. 6. Priscianum lib. 1. & Plutarchum in Romulo.
q *Quare prænomina.*] Valet. Maxim. lib. 10. de prænomine. Romanos autem arbitrandum est ab Albanis & Sabinis multiplicandorum nominum consuetudinem traxisse, quoniam ab illis orti sunt.
r *Cumque mancipiis.*] Id probat exseq.
s *Quare Marcipores.*] De duobus primis Plinius lib 33 cap. 1. De primo & postremo Quintilia. lib. 1. cap. 4. Itémque de primo Festus Pompeius lib. 15. cuius verba hæc sunt, Quintipor seruile nomen frequens apud antiquos erat, à prænomine domini ductũ, vt Marcipor, Felicor: quamuis sint, qui à numero natorum ex ancilla quinto loco dictum putent.
t *Sed adoptiui filij.*] Appianus libro 3. bellorum Ciuilium scribit Octauium, quem filium C. Cæsar adoptauerat, Cæsarem appellatum Romanorum more, qui adoptiuis filiis adoptantium nomina solent imponere. Nam & Suetonius in Cæsare, capit. 83. scribit eundem Octauium in familiam noménque Cæsarum adoptatum fuisse. Sic quoque Pomponius Attic. cognominatus est Cecilius à Q. Cecilio qui moriens testamento eum adoptauerat, hæredémque ex dodrante fecerat, vt tradit Cor. nepos, siue, vt alij malunt, Probus Æmylius in Attici vita. Sic longo ante tempore duo priores filij Pauli Æmylij & horum maior à Fabio Maximo, alter à Scipione Africano adoptati, ille Fabius Maximus, hic Scipio appellati sunt apud Plutarchum in Pauli Æmylij vita. Sic M. Brutus à Q. Cæpione adoptatus Q. Cæpio dictus, & P. Scipio à Q. Metello adoptatus Q. Metellus Scipio dictus. Hucque spectat quod scribit idem Suetonius in Tiberio, cap. 6. post reditum in vrbem à M. Gallio Senatore testamento adoptatus, hæreditate adita, mox nomine abstinuit: quod Gallius aduersarum Augusto partium fuerat. Et quod prodit Tacitus libro 3. Crispum, ait, equestri ortum loco, C. Sallustius, rerum Romanarum florẽtissimus author sororis nepotem, in nomen adsciuit.
u *Inter quos erant addicti.*] Id vsque ad versic. Præter hos est magna ex parte Quintiliani libro 5. cap. 10. & iterum libro 7. cap. 4.
x *Præter hos erant abscissi & lenones.*] Hoc ex seq. probat.
y *Ideo Vestilius leno in causa.*] Valerius Maximus libro 7. capit. item 7. titulo de testamentis, quæ rescissa sunt in fine.

fellio prohibitus, quia leno erat, quem pro libero propterea habendum non censuere. [a] [Est tamen literis proditum, vt nisi inter ingenuos, aut ex ingenuis oriundos, nullum gentilitatis cognomen foret: nam seruorum libertorúmque nulla cognatio, nec gentilitas erat. [a] Apud Athenienses verò constitutum est, vt nemo ex fœmina genitus, maternum sibi nomen asciseeret: nam fœminis indere familiæ cognomenta lege vetabatur: id quod æquè à Romanis factitatum comperimus: tum, ne quis illas Athonias vocaret, edicto cautum fuit. [b] E diuerso apud Lycios: nam ex matribus, non patribus gentilitia fuere nomina, filiasq; non filios suos habuere hæredes: plusque honoris fœminis quàm viris tributum est. [c] Neque omittendum, Nonis Iulij, quibus è vita concessit Romulus, quas caprotinas & vulgi fugam appellant, Romanos vrbe excedentes, ad Capreæ paludem sacra facere: dúmque ad rem diuinam vadunt, veterum prænomina, vt Caium, Lucium, Marcium, aliáque prisca nomina inclamare: [d] sicut in Oscophoriis Athenienses ob Ægei mortem, dolentium voces imitantur. [e] Ancillásq; cultu decoras, in matronali habitu cum occurrentibus prælij imaginem effingere, quod olim cum Latinis Romani gessere: vnde celebritatis causa & origo est, tectásque vmbra caprifici, epulas & alia lætitiæ inuitamenta celebrare. In quibus sacris hoc seruari meminimus, vt inter solennia de caprifici lacte apponatur. [f] Illud præterea notatum est, Romanas mulieres sine cognomento, solis prænominibus adiecto nomine denominari. [g] Quódque Marci prænomen, velut perniciosum & infame, plerique magnopere deuitarunt, postquam M. Manlio crimine affectati regni turpi iudicio conuicto, ne cui gentili nomen M. Manlio foret, senatusconsulto cautum fuit: quòd generi & nomini suo inustam dedecoris notam attulisset: [h] sicut Claudia gens, propter gentilium flagitia, cum Luciorum alter cædis, alter latroninij damnatus foret, ad diluendam memoriam dedecoris, Lucij prænomen deuitauit. [i] Quodque Domitia gens, cæteris prætermissis, Cn. & Lucij prænomen peculiare sibi desumpsit. Siquidem ex Ænobarbis (authore Tranquillo) continua serie tres Lucij: reliqui veró, Cnei prænomina eadem serie vendicarunt.

Gentilitatis cognomen ingenuorum. Fœmina non indebàs familia cognomina. Lycios fœmina magno in honore. Nona Caprotina. Oschophoria. Ro. mulieres solo prænomine denominabantur. Marci prænomen vitatum. Lucij prænomen vitatum à Claudia gēte. C. & Lucij prænomina in honore apud Domitiā gentem.

ANNOTATIONES.

a *Est tamen literis proditum.*] Cic. in Topicis.

a *Apud Athenienses.*] Vide nostros Commentarios Nobilitatis c. 18. num. 35. incip. Atheniensium.

b *E diuerso apud Lycios.*] Herodotus lib. 1.

c *Neque omittendum.*] Hæc vsque ad versicul. Sicut in. sunt partim Varronis lib. 5. de ling. Latin. & magna ex parte Plutarchi, tum in Numa Pompilio, tum in Camillo. & Macrobij lib. 1. Saturn. c. 11. & Solini c. 2.

d *Sicut in Oschophoriis.*] Plutarch. in Theseo.

e *Ancillasq; cultu decoras.*] Ad Romanos redit, & est totum id vsque ad vers. Illud præterea. ipsius Plutarchi in Camillo.

f *Illud præterea notatum est.*] Plutar. in Mario in prin. Quandoquidem inter genera ista nominum primum, quod Posidonius propriè nomen Romanis esse arbitratur, nulli mulieri imponitur. Vide Valer. Max. lib. 10.

g *Quodq; Marci prænomen.*] Liuius 1. Decad. lib. 6.

h *Sicut Claudia gens.*] Suetonius in Tiberio c. 1.

i *Quodq; Domitia gens.*] Idem Sueton. in Nerone, c. 1.

Quid sit apud Iureconsultos heliocaminus, quid zeta, & vnde deductum nomen, & denominatum.

CAPVT V.

IN circo Flaminio, dum post immodicos calores sole occiduo deambularemus, adiit ad nos contubernalis meus quispiam proficiens in iure ciuili, sed nimis ineptè gloriosus: & percontatus est, quid esset [a] quod Vlpianus de seruitutibus vrbanorum dixit: Quòd si arborā te compacta, heliocamino meo solem adimeret, eò quòd vmbram facit in loco heliocamini, id contra seruitutem tibi facere non licere. Quid esset heliocaminus, percontabatur. Cumque de verbi significatu ambigeretur, dixi heliocaminum vaporarium quoddam solare, & apricum locum dici, ad quem sol hybernus accedens, ipsum euaporat & calefacit, deductum nomen ἀπὸ τ̃ ἡλίου ϗ καμίνου, Id est, solis vaporario seu æstuario. [b] Fuisseq; moris prisci, vt iuxta zetam heliocaminus construatur. zeta enim locus erat vnius cubiculi capax, solem hybernum prospectans, ita constructa, vt per heliocaminum vaporem acciperet. Erat enim cubiculum hybernum frigori accommodatum, quod nunc sole, nunc igne æstuaret. [c] Quare Heliogabalum Indicos odores ad vaporandas zetas accendere consueuisse, authores tradunt. Fuit ergo opinio Vlpiani, quod si heliocamino meo & vaporario eiusmodi, ad quem sol admitti debet, arbor per te compacta officiat, ita quòd ad eum admitti nequeat, id velut contra seruitutem factum, non ritè factum videri.

Heliocaminus. Zeta.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

a QVod Vlpianus.] In l. si auctorem. ff. de seruitutib. vrban. præd. vbi Budæus in prioribus Annotationibus eam dictionem interpretatur, vt hic noster Alexander, citatque Plinium lib. epistol. 2. epist. eius libri 17. vbi de diæta quadam, aut, vt alij legunt, zeta loquens, sic scribit, In hac heliocaminus quidem aliâ xistum, aliâ mare, vtraque solem prospicit.

b *Fuisseque moris prisci.*] Hic omnino vide Ioannem Mariam Catanœum, doctum interpretem Plinij in ea epistola.

c *Quare Heliogabalum.*] Lampridius in eiusdem Heliogabali vita.

Quomodo primùm interregnum cœptum fuerit, & quibus de causis interreges Romæ creari consueuerint.

Capvt VI.

Interreges quădo primùm creati.

QVo [a] tempore Romulus ad Capreæ paludem humanitatem exuisse fertur, satis constat patres conscriptos de regni successore solicitos, decē decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, vt decem imperitarent, vnúsque cum insigniis imperij & lictoribus esset, interreges creauisse, quod imperium per orbem ire, & quinque dierum spatio terminari iusserunt.[b] Alij per ternos quaternósque dies, interregni spatium per singulos iuisse, atque anno vno senatores, qui centum numero erant, imperium tenuisse ferunt. Plerique asserunt, cum ducenti senatores essent, à patribus fuisse constitutum, vt per quinos dies singuli qui fasces & imperij insignia habebant, imperitarent: functúsque imperio primus, secundo, & reliquis deinceps, regni curam munúsque traderet, nonnulli putant, quòd cum centum & quinquaginta patres essent, singuli cum fascibus prodeuntes, sex noctis horas, & sex diei, Quirino imperitarunt, & sacrum fecerunt: tantundem Tatio, qui regni consors erat, annúmque interuallum fuisse: donec Numa Pompilio Rege creato, Romulo regni successor datus est. Mansitque mos post exactos Reges, vt siqua fortuna aut casu consules creari nequirent, vel vitio creati forent, aut siqua turbulenta confusio & necessitas premeret, donec de consulatu decerneretur, aut dictator reipub. daretur, interreges præessent, qui populo vice consulum iura darent. [c] Quinetiam si contentio inter patres & plebem foret de magistratibus creandis, aut absentibus consulibus comitia haberi non possent, [d] vel vitio creatis magistratibus auspicia renouari oporteret: [e] vel consulibus morte sublatis, [f] de comitiis & creandis consulibus contentio esset, interreges creari compertum est, vt essent qui comitia haberent, magistratuúmque munia obirent. [g] Qui quidem interreges sine populi suffragio, ad concilium plebe non admissa, à patribus tantùm auspicatò creabantur. [h] Quotiésque per interregem comitia fiebant, in patrum potestate euentum comitiorum fuisse liquet: quippe nemo interrex, qui author comitiorum foret, nisi ex patribus erat. [i] Dicebat verò consulem plerunque interrex ex patrum decreto, quem ipsi voluissent, quòd officium prodendi interregem, oratoris fuisse autumant: [k] poterátque non modo præco, sed consul aut dictator interrex fieri. Et siquando proditus interrex, munus pro quo dicebatur, exequi nequiret, [l] exacto dierum quinque spatio, alius succedebat qui vices susciperet, donec per singulos in orbem irent vt [m] modò tertiùs, [n] nunc quintus, [o] aut quartus, [p] nonnunquam quartusdecimus, [q] plerunque

Cl. patres.

Interreges quădo & qua de causa crearentur.

Patres interregē creabăt.

Qui interreges creabantur.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

a QVe tempore Romulus.] Liuius 1. Decad. lib. 1. Dionys. Halicarn. lib. 1. & latius lib. 2. Plutarchus in Numa Pompilio. Sed & quod illi de quinque diebus dixerunt, confirmat Asconius Pedianus in Orationem Ciceronis pro Milone.

b *Alij per ternos.*] Vide omnino Dion. Halic. d. lib. 2.

c *Quinetiam si contentiò.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. 4. & 7.

d *Vel vitio creatis.*] Idem Liuius eiusdem 1. Decad. libro 5. & 8.

e *Vel Consulibus morte sublatis.*] Aut etiam morte implicatis, Liuius d. lib. 5.

f *De comitiis & creandis Coss.*] De vtroque Liuius libr. 7. & Halicarnasseus lib. 9. vbi loquitur de creatione L. Lucretij, & T. Veturij Geminij Coss.

g *Qui quidem interreges.*] Halicarnasseus libro 3. sic scribit, Post cuius mortem Senatus accepto à populo arbitrio constituendi rempub. præsenti statu contentus creauit interreges: qui curiatis comitiis Regem elegerunt L. Tarquinium. Titus Liuius 1. Decad. lib. 1. Alia sententia asperior in speciem, quæ Patricios coire ad prodendum interregem iubebat. Et lib. 4. Patricij, cùm sine curuli magistratu Resp. esset, coiere & interregem creauere. Et lib. 6. Penes quos sunt auspicia? nempe penes patres. Nam plebeius nullus magistratus auspicatò creatur. Nobis adeò sunt propria, vt non solùm quos populus Patricios magistratus, non aliter, quàm auspicato creet: sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato interregem prodamus. & Cicero pro domo sua, Auspiciáque populi Roman. si magistratus Patricij creati non sint, intereant necesse est, cùm interrex nullus sit: quod & ipsum Patritium esse, & à Patritiis prodi necesse est.

h *Quotiesq́; per interregem comitia.*] Hoc autem fiebat ob eas causas quas suprà proximè attulimus.

i *Dicebat vero Consulem.*] Liuius 1. Dec. lib. 3. vbi per interregem creati sunt L. Valerius, & M. Horatius Cos. & iterum lib. 4. & Plutarch. in Pompeio, vbi dicit Pompeium à Sulpitio interrege Consulem creatum.

k *Poteratq́;.*] Sic Valerius Publicola factus interrex Liuio Decad. 1. lib. 3. qui iam consul fuerat eidem eiusdem Decad. lib 2. Sic & M. Furius Camillus factus interrex, quinquennio antè Dictator fuerat, vt patet ex eodem Liuio 1. Decad. lib. 5.

l *Exacto quinque dierum spatio.*] Halicarnasseus de huius magistratus creatione loquens sic scribit lib. 2. Ducenti patres conscripti ex quibus Senatum Rege Romulo constitutum diximus, distribuit io decurias; decemuiris forte committebant vrbis imperium. Hi non simul, sed vnus post alium quinis diebus lictores habebant, cæteráque insignia regia, quæ ceu per manus tradebantur à primo deinceps vsque ad vltimum. Tum Quinqueduanus ille magistratus migrabat ad sequentem decuriam, & inde rursum ad aliam. Supra etiā dictum est ibi, Quo tempore Asconius Pedianus in Orat. pro Milone. & Appianus bellorum Ciuil. lib. 1.

m *Vt modò tertius.*] Liuius 1. Deca. lib. 5. in creatione L. Lucretij, & Seruij Sulpitij, & aliorum Tribunorum militum. & eod. lib. paulò antè, Interreges tres deinceps fuere L. Valerius, Q. Seruilius Fidenas, M. Furius Camillus.

n *Nunc quintus*] Liuius 1. Dec. lib. 8. vbi Cornelius iterum & Cn. Domitius Coss. creati sunt per quintum demum interregem M. Valerium Coruinum.

o *Aut quartus.*] Halicarnasseus d. lib. 2.

p *Nonnunquam quartusdecimus.*] Liuius 1. Dec. li. 8. in creatione C. Petilij, & L. Mugilani Consulum.

q *Plerunque vigesimus.*] Liuius lib. 7. Decad. 1. scribit ad vndecimum vsque interregem aliquādo peruentum fuisse. Infestam iode patribus plebem, interreges cùm accepissent, ad vndecimum interregem seditioibus certatum est. Vide Dionysium Halicarnasseum.

r Quas

vigemus proditus interrex, consules magistratúsve faceret, aut comitia haberet. [r] Quos quidem interreges dum honori præerant, consulum vicem gerere, idémque iuris & potestatis habere, haud dubium est, donec absoluto reipublicæ munere, interregum potestas finiretur. [s] In quo id plerunque euenisse comperimus, vt proditus interrex, comitiis quæ ipse habuisset, consul crearetur: sicut de L. Posthumio Metello traditur, qui his comitiis quibus interrex præerat, cum Iunio Bubulco consul factus est. Qui etiam tantæ potestatis erant, vt legem ferre possent, senatum consulere, & consulis munia obire. Hoc quoque dicere haud piget, sine causa interregem dicere haud licere: sed quum turbulentæ confusiones, aut tumultus comitia impedirent, [t] & nisi ad quartum calendas Februarias creari non licuisse. Et siquando comitiorum causa interrex proditus esset, quod plerunque vsu veniebat, [u] nunquam ab eo qui primus proderetur, [x] sed qui secundò [y] aut tertiò [z] ac deinceps in orbem issent, vel comitia haberi, vel dictatorem dici, aut consulem vel tribunum creari. [a] Fertur verò Sylla, cum summæ esset potentiæ, consulibus morbo sublatis, per senatum interregem creari mandasse: scilicet qui non consulum comitia exemplo indiceret, sed vt se dictatorem ad imaginem antiquitatis, indictis comitiis crearet. Neque negauerim Cæsarum temporibus nullum interregnum fuisse, quum vnius imperio occupata repub. senatus esset negligens & remissus, & vix vlla foret libertatis imago, [b] nisi post Aurelianum, quum de principe deligendo senatus opinione vaga duceretur, & cum militibus tumultuantibus non consentiret, per sex menses deligendo principi interregnum fuisse: donec Tacitus in imperio assumptus fuit. qui summi principis spem ostendit. Tametsi morte sublatis Cæsaribus, quoties de principe diligendo ambigebatur, ad senatum Romanam rem pertinuisse, multiplici exemplo probatum sit: [c] quod Traianus facere destinarat, vt si quid ei euenisset humanitus, principem reipublicæ senatus daret.

Interregum munus.
Interregum potestas.
Interregem temerè dicere non licebat.
Cæsarum temporibus nullum interregnum fuit.
Cæsa. morte sublatis ad senatum res Ro. pertinebat.

ANNOTATIONES.

r *Quo quidem interreges.*] Fenestella cap. 4. & Pomponius Lætus cap. 5. de Rom. magistratibus. Blondus lib. 3 Romæ triumph.

s *In quo id Plerunque.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. Ex quo intellige Mugillo hîc legendum esse non Metello.

t *Et nisi ad quartum Cal. Feb.*] Asconius Pedianus in Orat. Ciceronis pro Milone dicit ad 14.

u *Nunquam ab eo qui primus.*] Idem Asconius in Orat. Non fuit, inquit, moris, vt ab eo, qui primus interrex proditus erat comitia haberentur.

x *Sed qui secundo.*] Liuius 1. Decad lib 6. statim post prin. in creatione A. Valerij Publicolæ, & L. Virginij & aliorũ Trib. militum. & lib. 10. in creatione L. Cornelij Scipionis, & Cn. Fuluij Consulum.

y *Aut tertiò.*] Suprà eod. cap. dictum est in verbo, vt modò tertius.

z *Ac deinceps.*] Nam & præter numeros præcedentes, videbis de vndecim (vt iam dictum est) apud Liuium 1. Deca. lib. 7. in creatione P. Valerij Publicolæ, & C. Martij Rutilij Consulum.

a *Fertur verò Sylla.*] Appianus lib. 1. bellorom Ciuilium.

b *Nisi post Aurelianum.*] Flauius Vopiscus in vita Taciti Imperatoris in princ.

c *Quod Traianus.*] Ælius Spartianus in vita Adriani.

Sacrificium Latinarum quomodo in Albano fiebat, & quæ erant feriæ, quíve populi ad sacrum conuenirent.

CAPVT VII.

ROMANOS [a] Consules comitiis creatos, sortitis prouinciis, aut extra sortem datis, Latinas ferias indicere consueuisse, planè perspicuum est: Iouisque Latiali in monte Albano sacrum facere, quod Latiar dixere, vbi carnem Latinis populis dare mos erat, quæ visceratio dicta. Est enim mons Albanus inter Albam & vrbem Romam tractu ferè pari disiunctus, vbi templum à Tarquinio Superbo Ioui Latiali constructum ferunt, sacrumque institutum, ad quod Latini populi numero septem & sexaginta, stato tempore, nonnunquam noctu ad lumina frequentes conuenirent, ibique nundinas haberent: vtque alij agnos, alij caseos, nonnulli lac, plerique molam ad commune epulum afferrent, & vnà taurum immolarent, concordi suffragio statutum erat: tauróque immolato, & cæsa victima, ritéque sacrificio perfecto, vt quisque populus qui ad sacrum accesserat, & quæque ciuitas carnem posceret, de tauróque partem acciperet, prisci moris erat. Principatus verò sacri & publici concilij caput, haud dubiè penes Romanos fuit: quas quidem ferias conceptiuas, non statiuas esse multi putarunt. [b] Cum enim feriarum quatuor essent genera, statiuæ, conceptiuæ, imperatiuæ, aut nundinæ: Statiuæ autem fuerunt, quæ statis diebus ac mensibus seruantur: veluti Saturnalia, Lupercalia, Agonalia: Conceptiuæ, quæ in diem certam à pontifice vel magistratu concipiuntur, quemadmodum Latinæ, Sementinæ, Paganalia, † vel Compitalia: Imperatiuæ, quas

Visceratio.
Albanus mons.
Templũ Iouis Latialis.
Feriarũ quatuor genera.
Statiua.
Conceptiua.
Imperatiua.
Nũdina.
† Idem infrà lib. 6. c. 11, qui Paganalia dictus.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

a ROmanos Consules.] Id videre licet ex infinitis locis Liuij. ex quibus multa in seq. afferemus. Id autem prin. vsque ad vers. Cùm enim feriatum. est Dionysij Halic lib. 4. Sed de visceratione vide Varronem libr. 1. aut ex aliorum comput. 4. linguæ Lat. Liuium 4. Dec. lib. 2. statim post prin. & Seruium lib. 1. Æneidos in eum locum,

Tergora diripiunt costis & viscera nudant.

Et lib. 6. eo loco,

Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Vide infrà in verbo, Propterea C. Flaminio.

b *Cùm enim feriarum.*] Hæc sunt Varronis li. 2. aut aliorum computatione 5. linguæ Latinæ, Macrobij libro 1. Saturnal. cap. 16. Sed quas illi statiuas vocant, Festus Pompeius lib. 6. statas vocat, quòd certo statutóque die obserua-

consul prætórve, aut pontifex maximus pro arbitrio indixit: [c] Nundinæ verò semper paganorum habitę sunt ferię, [d] quas Hortensius nefastas esse sanxit, vt rusticis qui nundinandi causa in vrbem venerant, lites componere, & leges accipere facultas foret. [e] Quod quidem sacrum velut anniuersarium sine piaculo nec prętermitti, nec supprimi poterat. Ideo si dilatum aut omissum foret, piaculum admitti putabatur: namque illud iterari, aut intermitti, vel non suo tempore celebrari, prodigum erat. [f] Propterea Caio Flaminio, quòd secundo Punico bello consul Latinas non indixisset, neque sacrum in Albano fecisset, sed lixæ modo sine more, sine auspiciis ad exercitum profectus esset, ditum fuit, & haud multò post publica clade expiatum: siquidem ad Trasimenum, quum inconsulta audacia in hostes irruisset, depulsis & dissipatis copiis, totóque exercitu profligato, & nefanda cæde afflicto, prætermissi sacri pœnas dedit. [g] Quod si in eo sacro non omnes Latini carnem accepissent, [h] sed aliquid dilatum [i] prætertúmve fuisset, aut neglectæ cæremoniæ, intermissúmve solenne esset, tanquam non rite exhibitum foret, denuo instaurari oportebat. [k] Ea verò quæ non anniuersaria, sed calendaria dicuntur sacra, si quo casu aut fortuna dilata, vel suo tempore omissa forent, & differri, & nouari, & repeti posse sine piaculo veteres credidere. [l] Has ergo Latinas Tarquinius à principio in vnam diem indixit: post Reges verò exactos, altera populi iussu adiici cœpta fuit. Demum restituta plebe quæ ad sacrum montem secesserat, in tres aut quatuor dies indictas à consule vel præfecto Latinarum fuisse: interiecto deinde tempore, in decem dilatas seruatásque inuenimus. [m] Vltra quos, duo etiam post Latinas religiosi dies habiti, [n] quo tempore solemne ludicrum in Capitolio fieri, quadrigæque concito cursu decertare, victórque certaminis in palmam victoriæ absinthium bibere solebat: [o] quibus diebus si cum Latinis & populo Romano bellum inter eos aut dimicatio foret, induciæ dabantur, namque indictis feriis Latinos populos inuicem arma sumere, aut acie decerne, vel agros hosti modo vastare, sine graui prodigio non licebat: tunc enim odia offensionesq; quiescebant. [p] Cumq; post pugnam cum Veientibus ad Vesuuiũ, fœdus ictum fuerit cum Laurentibus, deinceps singulis annis post

Caeremonia.

Latinarum Calendaria sacra.

Dies duo religiosi post Latinas.

ANNOTATIONES.

rentur. & de Conceptiuis idem Festus lib. 3. vbi Conceptiuæ, inquit, feriæ festa dicebantur, quæ in certis diebus obseruabantur quotannis, vt Sementinæ, Compitalitiæ. Sed & de ipsis Sementinis ipse Varro, Rei rusticæ lib. 1. cap. 2. in princip. Et de Panagalibus Dionysius Halicarnasseus libr. 4 vbi declarat quæ ea sint, & Ouid. lib. 1. Fastorum his versibus,

Ter quater euolui signantes tempora Fastos,
Nec sementina est vlla reperta dies.
Cùm mihi (sensit enim) lux hæc indicitur, inquit
Musa, quid à Fastis non stata sacra petis?
Vtq; dies incerta sacris, sic tempore certo
Seminibus iactis est vbi fœtus ager.

c *Nundinæ verò.*] Plin. lib. 18. c. 3. An autem hæ essent apud veteres non paruum dubium erat, vt videbis apud Macrobium d. lib. 1. c. 16.

d *Quas Hortensius.*] Id accepisse videtur à Macrobio d. lib. 1. c. 16. qui tamen aliter dicere videtur. Festus autem Pomp. lib. 12. Nundinas, inquit, feriarum diem esse voluerunt antiqui, quo rustici mercandi, vendendique causa in vrbẽ conuenirent, cúmque nefastum, ne si liceret cum populo agi interpellarentur nundinatores.

e *Quod quidem sacrum.*] Silicet Latinarum feriarum. Nam & id videre licet ex multis Liuij locis, ex quibus nonnullos inferius adducemus.

f *Præterea C. Flaminio.*] Plutarchus in Hannibale, & Liuius 3. Decad. lib. 1. ad finem. ex quo intelliges id quod supra in princip. dictum est, Ioui Latiali id sacrum fieri solitum in monte Albano.

g *Quod si in eo sacro.*] Liuius 4. Dec. lib. 2. Feriæ Latinæ pontificum decreto instauratæ sunt, quòd ab Ardea questi in Senatu erant, sibi in monte Albano Latinis carnem, vt assolet, datam non esse. Et lib. 7. Latinæ instauratæ, quòd Laurẽtibus carni, quæ dari deberet, data non fuerat.

h *Sed aliquid dilatum.*] Vt dictum est suprà proximè. Non licebat autem differri hæc sacra, quia anniuersaria erant, vt dicemus infrà in verbo, Ea verò quæ anniuersaria.

i *Prætertúmve fuisset.*] Liuius 5. Decad. lib. 1. Latinæ feriæ fuere ad diem III. Non. Maij: in quibus quia in vna hostia magistratus Lanuuinus precatus non erat, P. R. Quiritium, religioni fuit. Id cùm ad Senatum relatum esset, Senatúsque ad pontificum collegium reiecisset, pontificibus, quia non rectè factæ Latinæ essent, instauraris Latinis, placuit Lanuuinos, quorum opera instauratæ essent, hostias præbere, &c. quæ sequuntur. Et hîc vide omnino quæ scripsimus in nostris Commentariis ad l. boues §. hoc sermone. num. regulæ 26. incip. Adde quod apud ipsos Rom.

k *Ea verò quæ non anniuersaria.*] Liuius 3 Deca. lib. 2. scribit Anniuersarium Cereris sacrum Cannensi clade intermissum fuisse: quia nec lugentibus id facere fas esset, nec vlla in illa tempestate matronæ expers luctus fuerat. Seruius enarrans locum illum Virgil. 8. Æneid.

Interea sacra hæc (quando huc venistis amici)
Annua, quæ differre nephas, celebrate fauentes.

Anniuersaria, inquit, sacrificia ideo nõ differuntur: quia nec iterari possunt. Nam Calendaria, si qua fuerint ratione dilata, possunt repeti, nec piaculum eorum intermissione committitur. Vide in d. nostris Comment. d. l. boues. num. regulæ 23. incip. Hucque.

l *Has verò Latinas Tarquinius.*] Hæc vsque ad ea verba, Interiecto, deinde tempore. sunt Dionysij Halicarnassei libr. 6. ad finem. Cuius hæc verba sunt reddita Latinitati à Sigismundo Gelenio. Supplicationes etiam Senatus decreuit ob plebis in gratiam redditum, & Feriis Latinis diem tertium addidit, cùm prius duo tantùm fuerint, primus consecratus à Rege Tarquinio, quo tempore deuicit Hetruriam, alter à populo additus, quando regibus pulsis libertatem adeptus est: tunc verò tertius accessit post reconciliatam plebem patribus. Adde & quartum postquam reconciliauit cum patribus plebem Camillus apud Liuium 1. Deca. lib. 6. in fine.

m *Vltra quos duo etiam.*] Hæc alibi dicentur opportunius.

n *Quo tempore solenne.*] Plinius libr. 27. cap. 7. de absinthio loquens sic scribit, De vsu eius conuenit, herbæ facillimæ, atque inter paucas vtilissimæ, præterea sacris populi Romani celebratæ peculiariter. Siquidem Latinarum feriis quadrigæ certant in Capitolio, victórque absinthium bibit: credo sanitatem præmio dari honorifice arbitratis maioribus.

o *Quibus diebus.*] Macrob. Saturn. lib. 1. c. 16.

p *Cumq; post pugnam.*] Liuius 1. Dec. lib. 8. Cum Laurentibus, ait, fœdus renouari iussum, renouatúrque ex eo quotannis post diem decimum Latinarum.

q *Sic*

decimum Latinarum denuo inouari seruatum est. Sed sicut hoc sacrum in Albano, q sic Veneris templum Lauini celebre Latinis populis erat ad quod conuenire, & noua sacra stato die facere assuetant, quorum Ardeates (qui antistites templi erant) præcipuam gessere curam. r Mansitque in posterum, vt si quod omnini Latio impenderet bellum, vitandæ iniuriæ caussa, in Albano, s aut ad lucum Ferentinæ quid facto opus foret, communi consilio decernerent. t Anagnini autem concilium Hernicis populis in circo quem maritimum vocant, indicebant. u Græcis verò conuentum Amphictyonum ab Amphictyone, Heleni filio, inuentum, quod fuit sanctissimum Græciæ concilium, huius instar sacri tenuisse dicunt, x ad quem duodecim florentes Græciæ vrbes initio veris & autumni conuenire, & Cereri sacrum facere, déque maximis rebus communi decreto decernere solebant: quòd ad Thermopylas indicebatur, & Pylaicum vocant. y Fuere autem populi qui exciti sedibus illuc confluebant, Iones, Dorij, Perrhæbij, Bœotij, Magnetes, Achæi, Phthij, Milienses, Dolopes, Ænianes, Delphi & Phocenses. z Præter quos Homoloctos populos huius sacri imaginem prætulisse tradunt. Dissecto enim in minimas partes boue immolato, fœdus iungunt, & sacrum faciunt. Nec desunt qui Dianæ templum, quod est in Laconiæ finibus, huius figuram obtinere dicant. Illic enim Lacones & Messenij statuto sacrificio, quod in diem certam quotannis faciunt, crebra concilia indicunt, & aduersus maximos conatus de summa rerum consultant. a Lugduni quoque vbi Arar Rhodano commiscetur, communis ara finitimos conciuit populos numero sexaginta: ad quod sacrum singuli euocati, ingenti coacta manu, adueniebant, déque rebus magnis indicto concilio decernebant. b Concilium quoque Ætolorum, quod Panætolium vocant, magni nominis fuit, in quo nisi in Panætolico & Pythiaco concilio de bello vel pace decerni nihil poterat. c In Palladis Ioniæ templo Pambœotia sacra concilio concurrente Bœotia tota & concilia populorum magno concursu ad omnes hostium motus frequentia fiunt. d Et Panægyres Atheniis quinto quoque anno, e atque in Neptuni templo Heliconij ab vniuersis Ionibus conuentus & sacrum fit, quod vocant Panionia. Fuitque alter conuentus f Amphictyonum in Trœzena templo Neptuni in Isthmo, quò ex septem ciuitatibus

Veneris templum apud Latinos. Concilia Latinorum in Albano aut luco Ferentinæ. Anagnini. Græci. Amphictyones. Græcorũ. Lugduni ara. Ætolorũ conciliũ. Bœotorũ. Atheniẽsiũ. Ionum ciuitũ. Amphictyonum conuentus in Trœzena.

ANNOTATIONES.

q *Sic Veneris templum Lauini.*] Vide Halicarnassæum.

r *Mansitq; in posterum.*] Idem.

s *Aut ad lucum Ferentinæ.*] Liuius 1. Decad. li. 1. statim post princ. regni Tarquinij Superbi, Iam magna, inquit, Tarquinij authoritas inter Latinorum proceres erat, cùm in diem certum, vt ad lucum Ferentinæ conueniant, indicit: esse quæ agere de rebus communibus velit.

t *Anagnini autem concilium Hernicis.*] Liuius 1. Deca. lib. 9. non adeò longè ante fin. Id ægrè passi Hernici, concilium populorum omnium habentibus Anagninis in circo quem Maritimum vocant: præter Aletrinatem, Ferentinatémque & Verulanum, omnes Hernici nominis populo Romano bellum indixerunt.

u *Græcis verò conuentum Amphictyonum.*] Cicero li. 2. de Inuent. Vnde decreta Amphictyonum citat Demosthenes in Oratione pro Ctesiphonte. Constabat autem Amphictyonum conuentus ex septẽ Græciæ ciuitatibus, vt docet Strabo lib. 8. Vnde autem Amphictyonum nomen deducatur docet Dionys. Halicar. lib. 4. Amphictyonem Heleni filium commentum esse Amphictyonicum concilium, cui ab ipsius nomine nomen indiderunt. Huius concilij meminit Plin. lib. 35. c. 9. Pausanias lib. 10. dicit hunc Amphictyonem Deucalionis filium fuisse.

x *Ad quem duodecim.*] Hæc vsque ad versic. Fuere autem. sunt Strabonis lib. 9. Sed & quod hic dicitur de Thermopylis idem dicunt Herodotus in Polymnia, & Pausanias in Achaicis, vbi & idem dicit de Delphis. Et quod hic Pylaicum dicit id concilium fuisse vocatum, potest videri Alexandrum aberrasse, & Pylæam dicere debuisse ex Strabone vbi suprà. Pylaicum autem aliud dictum est, vt dicemus paulò post in verbo, Concilium quoque Ætolorum, ibi videto,

y *Fuere autem populi.*] Hæc Pausanias lib. 10. Sed quod ad Magnetes spectat, Liuius 4. Dec. li. 5. ita de his loquitur tanquam illorum esset proprium concilium.

z *Præter quos Homoloctos.*] Homolottos legendum est ex Zenodoto, qui id de illis prodidit in enarratione illius prouerbij, βοῦς ὁμολωττῶν. id est bos Homolottorum. Morem hoc Scythis fuisse testatur Lucianus Toxaride.

a *Lugduni.*] Strabo lib. 4. non semel.

b *Concilium quoque Ætolorum,* Liuius 4. Decad. lib. 1. Concilium, inquit, Ætolorum statuta die, quod Panætolium vocant, futurum erat. Et paulò post, Cùm legibus cautum esset, ne de pace bellóve, nisi in Panætolico & Pylaico concilio ageretur, decerneret ex templò. Ex quo iam intelligis hic non Pythiachum, sed Pylaicum esse legendum. Nam & ita quoque vocatum fuisse dicit idem Liuius eiusd. 4. Deca. lib. 3 cùm ita scribit, Cornelius Thermopylas, vbi frequens Græciæ statis diebus esse solet conuentus: (Pylaicum appellant) venit. Qui locus ambiguum reddit, quod suprà ibi, Ad quem duodecim: diximus de Pylaico. Sunt autem qui in hoc Liuij postremo loco legunt non Pylaicum, sed Pylæam, de qua Strabo lib. 9. in aliquot locis. Ita tamen, vt intelligas Pylaicum, siue manis, Pylæam vocari, ob id quòd ad Thermopylas indicebatur. Nam quas Græci Thermopylas vocant, indigenæ & accolæ Pylas appellant, vt tradit Herodotus lib. 7. vt non mirum fit, si is conuentus Plaicus siue Pylæus, vel Pylæas vocetur ab eo loco. Nam & ipse Herodotus non multò post memorat Pylagoras Amphyctiones apud Pylæam congregari. De quo & nos suprà lib 3. cap. 28. num. 3. Vide Budæum in Annotat. in Pandectas in l. vlt. de Senator.

c *In Palladis Ioniæ templo Pambœotia.*] Strabo lib. 8.

d *Et Panægyres Athenis.*] Panægyrias dicit Herodotus in Erato, his verbis, Quo factum est, vt ab huius pugnæ tempore, quoties Athenienses ferunt hostias apud Panægyrias, id est, publicos conuentus, quæ quinto quoque anno fiunt, Atheniensis præco conceptis vrbis precetur bona Atheniẽsibus pariter & Platæensibus.

e *Atque in Neptuni templo Heliconij.*] Strabo li. 8. scribit, Homerum huius sacrificij (vt quidam referunt) meminisse, cùm inquit,

αὐτὰρ ὁ θυμὸν ἄϊσθε, καὶ ἤρυγεν ὡς ὅτε ταῦρος
ἤρυγεν, ἑλκόμενος Ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα.

Ille animum spirat, sic ructans taurus vt olim
Pertrahitur, Regis ructans Heliconij ad aras.

Idem Strabo lib. 14. sic scribit, Post Samium fretum quod Myralem versus est, Ephesum nauigantibus est Ephesiorum ora, ad dextram & Panionia, quæ tribus stadiis supra mare est, vbi Panionia communia omnium Ionum Festa. Neptuno Heliconio & sacrificium celebratur.

f *Amphictyonum in Trœzena.*] Strabo lib. 8.

Carum. & Sybaritarum.

populi ad commune sacrum pari vsu & commercio coibant. Hæc fuere Athenæ, Prasium, Epidaurus, Ægina, Nauplia, Orchomenos, & Mynius. [g] Apud Cares autem Chrysaorei Iouis templum omnibus Caribus communis concilij locus erat: [h] Et Sybaritis Omarij Iouis delubrum, in quo Sybaritæ, Caulonitæ & Crodematæ conueniūt. [i] Et Doriis in Epitropio Apolline, ad quem conuenientes cum vxoribus & liberis sacrificant, ibique ex omnibus oppidis & vicis, siqua consultatio fieret, ciues & incolæ concilio adesse affuerant. [k] Præ ceteris verò Senonum conuentus fertur immanissimus, quò omnes eiusdem sanguinis, statuto tempore in syluam religione sacram conueniunt: cæsoq; publicè homine, barbara feritate victimam faciunt, & de bellis consultant. [l] Præter quos fuit conuentus in Olympia Dianæ Alpheoniæ, iuxta Alpheum: sicut Elaphiæ & Daphniæ ac Laureæ, qui annis singulis stato die celebrantur. [m] Vni soli feruntur Britanni, qui quum varijs factionibus laborent, ad propulsandum commune periculum nullos aut paucissimos conuentus habent. ita fit, vt cum vires consociaras non teneant, dum singuli oppugnantur, vniuersi succombant. [n] In Albano autem, qui populi conuenirent, & carnem poscerent, hi ferme traduntur, Albenses, Albani, Esolani, Acienses, Abolani, Nuperini, Bolantij, Coretij, Ortenses, Latinienses, Longani, Manates, Macrales, Munienses, Olliculani, Octulani, Pedini, Pelletaurini, Querculani, Sicanij, Sisolenses, Tolerenses, Corniculani, Ficulei, Vetuscamerij, Amerioli, Tuticenses, Venatulani, Villecenses. Præter hos fuere Ardeates, Violanenses, Bubetani, Corni, Varientani, Gabini, Lauinienses, Lauiniatæ, Lauicaoi, Nomentani, Bouillani, Prænestini, Atriciani, Scaptemij, [o] adde etiam Laurenses, cum quibus & Romanis post decimum Latinatum, singulis annis fœdus renouatur, vt percensuimus.

Senonū.

Conuentus in Olympia.

Britannorum.

Qui populi in Albano conuenirent ad sacra Latina.

ANNOTATIONES.

g *Apud Cares autem.*] Strabo lib. 14. Prope vrbem, inquit, est Iouis Chrysaorei templum Caribus omnibus commune, quò illi sacrificaturi & de communibus rebus deliberaturi conueniunt, qui conuentus Chrysaoreus vocatur.

h *Et Sybaritis Omarij Iouis.*] Thucydides. Vide Gyraldum de diis Gentium.

i *Et Doriis.*] Dionysius Halicar. lib. 4.

k *Præ cæteris verò.*] Cæsar lib. 6. belli Gallici.

l *Præter quos fuit conuentus.*] De his tribus cōuentibus Strabo lib. 8.

m *Vni soli feruntur Britanni.*] Cæsar lib. belli Gallici 5.

n *In Albano autem.*] Hæc vsque ad versic. Adde etiam. sunt Plinij 3. cap. 5. sed sunt multa horum populorum vocabula corrupta.

o *Adde etiam Laurenses.*] Laurentes dicendum ex Liuio, cuius hæc sunt 1. Decad. lib. 8. cuius verba adduximus suprà. Sed & adde præcedentibus alios Græcorum publicos conuentus: scilicet in Herculea Tarentinæ telluris æde, quod Alexander, Molossorum Rex, odio Græcorum compulsus, ad Thuriorum agrum traducere conatus est, apud Strabo. li. 6. non procul à fin Et Achæorum quoque concilium apud Ægium, cuius meminit Polyb. lib. 4. & 5. non semel. & Pausan. lib. 7. Et Bubasti in honorem Dianæ, & in vrbe Busiri in honorem Isidis, & apud Ægyptum in vrbe Sai in honorē Mineruæ, & Heliopoli in honorem Solis, & in vrbe Buto in honorem Latonæ, & in vrbe Papremi in honorem Martis, vt scribit Herodotus lib. 2. Albanorum & Latinorum ad forum Ferentinum ex Dionysio Halic. lib. 3. 4. & iterum 5.

Qui ludi Olympici, qui Pythij, qui Isthmij, & qui Nemei, olim apud Græcos, & qui Circenses Romæ fuerint.

CAPVT VIII.

Olympici ludi.

Olympicos ludos quis instituerit.

QVÆ [a] victoribus præmia in ludis olympicis fuerint, quibúsve coronis donarentur, à nonnullis quæsitum est. Olympicos enim ludos propter olympij Iouis delubrum, [b] quod in Achaia fuit celebratissimum, dictos accepimus, qui iuxta Pisam & Elidem in campo cui Olympia nomen, magno conuentu totius Græciæ, certamine gymnico & equestri celebrari consuerant: quod delubrum [c] in agro Pisano ab Elide trecentis ferè stadiis aberat. Pisæ autem pars erat Olympias. [d] Quos ab Hercule instituros in Pelopis honorem anno mundi quadringentesimo

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

a *QVæ victoribus præmia.*] Hoc cap. potissimùm de quatuor illis Græciæ ludis celeberrimis differit: scilicet, Olympijs, Pythiis, Isthmis & Nemeis, de quibus extant versus Archiæ poetæ epig. 1. lib. Epigrammmatôn.

> Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί·
> οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
> Ζηνός, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο·
> ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Quos sic Latinos fecit Alciatus,

> *Sacra per Argiuas certamina quatuor vrbes*
> *Sunt, duo facta viris, & duo cælitibus.*
> *Vt Iouis, & Phœbi, Melicertæq́, Archemoriq́,*
> *Præmia sunt pinus, poma, apium, atque olea.*

Sed quod κότινον vertit oleum vide infra ibi, Quos ab Hercule. & iterum ibi, Oleastro coronari. Vide etiam circa id initium. lib. 8 Herodoti & Diodorum Siculum lib. 5. c. 3.

b *Quod in Achaica.*] Pomponius Mela lib. 2. c. 3 tit. de Macedonia, sic scribit, In Achaia atque Elide quondam Pisæ Oenomai Elis & numen delubrumq; Olympij Iouis, certamine gymnico & singulari sanctitate, ipso quidem tamen simulacro, quod Phidiæ opus est, maximè nobile.

c *In agro Pisano.*] Pindarus non obscurè Olymp. Ode 2. 8. & 9. in princip. innuit ad Cronium collem prope Pisam Olympia celebrari solita: quod & apertè insinuauit ibi interpretes & Seruius in libro 3. Georg. loco quem infrà designabimus.

d *Quos ab Hercule institutos.*] Pindarus Ode 3. Diodorus Siculus dicit lib. 5. c. 3. Olympicum certamen vtique ab Hercule primùm institutum, ipsum tamen non Pelopi, sed Ioui patri dedicasse. Solinus tamen. c. 2. scribit, Certamen Olympicum, quod Hercules in honorem attaui materni Pelopis ediderat, intermissum, ab Iphiclo eius filio instauratū fuisse post excidium Troiæ anno quadragesimooctauo. Pro cuius Solini sententia facit quod scribit Statius libro 6. Thebaidos post princ. loquens de Olympici certaminis institutione,

Hunc

ſupra quatuor millia, fama diſtulit. [e] In quibus primus Corœbus, qui olympia vinceret, fuiſſe traditur. [f] Ipsúmque Herculem ſtadium illic metatum, quod maius quàm reliqua fuiſſe memorant. [g] Qui quidem Hercules non is fuit, qui ex Ioue & Alcmena natus fertur: ſed qui in Creta genitus, inter Idæos Dactylos adnominatus eſt, certantibus ibidem Hercule, Pœoneo, Epimede Iaſio, & Ida fratribus Idæis [h] Nonnulli ab Iphito eius filio, & Lycurgo olympicos inuentos primùm autumant. [i] Plerique Oenomaum ludos & equorum curſus apud Elidem edidiſſe volunt, [k] quorum præfecturam Elei longo tempore habuere, [l] in quibus Agrigentini equi atque Ætnæi ſemper præceleres habiti, & [m] ex Epiro primas in olympiacis meruere, [n] atque ex Venetia, in ſacris certaminibus ſæpe nobilitati ſunt; [o] præcipui verò Nyſæi, quibus Perſarum Reges vtebantur, & apud Eleos educati, quibus non ſegnis equorum cura fuit: quippe qui equas finibus eductas iniri faciant, quòd eſſet experimento cognitum, miræ felicitatis prolem inde prouenire: ſicut apud Argiuos ad lucum Agenoris hircos pecudibus admittant, vt fœcundiſſimos habeant fœtus, vberes & quæſtuoſos. Laudatúrque Atheas Rex Scytharum, quòd tanto equorum ſtudio flagrauit, vt equum ipſe pecteret, & manibus ſuis ornaret: qui quum à legatis Philippi conſpiceretur, an ipſe idem faceret interrogauit. [p] Fertur tamen Alcibiades ſeptem quadrigas miræ pernicitatis ad olympia deduxiſſe, & victor fuiſſe. [q] Hecratites Theſſalus equa prægnante olympia viciſſe. [r] Atque Archidami Spartanorum Regis filia inter fœminas victricem palmam tuliſſe. [s] Ab Homero autem celebratur Clytoneus Phæacum velociſſimus, In palæſtra Euryalus, in ſaltu Anchialus, in pugilatu Laodamas, in diſco Elatreus. [t] Præ cæteris proditur Theogenes curſu, lucta & pugilatu ita celebris famæ, vt mille & ducentas coronas tulerit. [u] Et Glaucus Demyli filius, qui cum ipſum arantem pugno excuſſum vomerem, aratro indidiſſe conſpiceret, pater admirans illum produxit in olympia: & quum arte aduerſarij eluderetur, pater clamauit, τὴν ἀπ' ἀρότρου, id eſt, vulnus ab aratro, vt tam fortiter percuteret, ſicut olim pugno vomerem aratro indiderat quod ille audiens, & tunc vicit, & ſæpe aliàs. Hóſque ludos qui varij & multiplices erant ([x] nam palæſtra, pugnis, curſu & lucta

Agrigentini & Ætnæi equi.

Hirci pecudibus admiſſi apud Argiuos.

Atheo equorum ſtudium.

Qui Olympia vicerint.

Odyſſ. 8.

Ludi Olimpici varij.

ANNOTATIONES.

Hunc pius Alcides Pelopi certauit honorem:
Puluereúmque fera crinem detorſit oliua.

Quem locum exponens Lactantius, Primus, inquit, Hercules hunc honorem manibus Pelopis exhibuit, qui erat Herculi per Alcmenam genere coniunctus. Appellat autem feram oliuam, id eſt, agreſtem, quæ oleaſter Latinis dicitur, & Græcis κότινος, cuius fronde coronabantur Olympiorum victores, vt poſteà dicetur. Et vide ſuprà ibi, Quæ victoribus. Vide præterea Cælium Rhodiginum lib 13. c. 17.

e *In quibus primus Corœbus.*] Pauſanias lib. 6. Plutarchus autem in Theſeo tradit Herculem Iouis, & Alcmenæ filium Olympia quidem conſtituiſſe, ibique primum decertaſſe & palmam conſecutum. Sed Euſeb. in 10. de præparatione Euangelica dicit in Olympico ſtadio Corylum Argiuum primùm victorem fuiſſe declaratum.

f *Ipsúmque Herculem ſtadium.*] Plutarchus in libro, cui titulus eſt, Quantùm inter homines animi corporiſque ingenio ac virtutibus interſit. & ex eo Gellius lib. 1 c. 1.

g *Qui quidem Hercules.*] Vide omnino Pauſaniam lib. 5. vbi ampliſſimè declarat originem huiuſmodi ludorum, & id idem quod noſter author dicit.

h *Nonnulli ab Iphito*] Solinus & Pauſanias vbi ſuprà.

i *Plerique Oenomaum.*] Strabo lib. 8.

k *Quorum præfecturam Elei.*] Vt dicetur infrà.

l *In quibus Agrigentini equi.*] Seruius enarrans illud Virgil. ſub finem lib. 3. Æneid.

— Magnanimûm quondam generator equorum.

Agragantem Siciliæ vrbem, quam Latini Agrigentum dixerunt, laudat à fœcunditate nobilium equorum: ſic enim ſcribit. Nam (Pindaro teſte) hi equi ad agonas Græciæ mittebantur. Legimus etiam, cùm in Cappadocia equorum greges peſtilerent, adductis oraculo Apollinis ex Agrigento gregibus, meliores repararunt. Hæc ille. Et ob id fortè tanti ſuos equos faciebant, vt poſt mortem tumulis eorum Pyramides erigerent, vt tradit Plinius lib 8. c. 42.

m *Et ex Epiro.*] Virgil. lib. 1. Georg.

— Eliadum palmas Epeiros equarum.

Vbi Seruius Epirus, ait, creat equas optimas, quæ apud Elidem palmas merentur in Iouis Olympici curuli certamine. Idémque Virgil. de equis loquens libr. 3. eiuſdem operis,

Quamuis ſæpe fuga verſos ille egerit hoſtes,
Et patriam Epeirum referat, fortéiſque Mycenas.

Quo in loco idem Seruius, Quia, inquit, in Epiro ſunt equæ optimæ, quibus exercetur curule certamen Iouis Olympici.

n *Atque ex Venetia.*] Strabo lib. 5.

o *Præcipui verò Nyſæi.*] De quibus Herodotus lib 3. & iterum lib. 7. quo loco deſcribit ordinem exercitus Xerxis, vbi dicit ipſum Xerxem iiſdem vti. Sed & adde inter equos agilitate & currendi dexteritate præſtantes Celtiberos & Parthicos poſitos à Strabone lib. 3.

p *Fertur tamen Alcibiades.*] Plutarchus in Alcibiade ex Thucydide, Alcibiades, inquit, equos, quibus poſteà in Olympia vteretur, tanta cura & ſtudio enutriuit, vt ad quinquennalem ludorum celebritatem ſeptem quadrigas perduxerit, quod anteà nemo vel Regum, vel priuatorum hominum adhuc fecerat. Vnde equorum (quos eò duxerat) alacritate ſecundùm & quartùm victor euaſit. Quod indicant verſus Euripidis, quos Donatus Acciaolus apud eundem Plutarchum, hunc in modum Latinos fecit,

Formoſa proles Clinia te nunc canam,
Quam illo ſuperbam præmiis vidit die,
Graiorum Olympia clarus cùm viceras,
Et mox paratas tres quadrigarum tibi
Victorias labentium curſu rotis.
Iam voce præco nunc ad aſtra tulit,
Bis cinctum oliua fronde pallentis caput.
O gloriam tantam efferentem, quod tibi
Profectò ſoli, nemini certantium
Eueniret Graiorum Olympia rotis.

q *Et Hecratites.*] Plinius lib. 10. c. 63. hunc Echecratidem vocat, cùm de æquarum prægnantium natura loquens, inquit, Viciſſe Olympia prægnantem Echecratidis Theſſali inuenimus.

r *Atque Archidami Spartanorum Regis filia.*] Pauſanias lib. 3. vbi eam vocat Cyniſcam.

s *Ab Homero.*] Huius enim ſunt hæc vſque ad verſic. Præ cæteris proditur. lib. 8. Odyſſeæ.

t *Præ cæteris proditur Theagenes.*] Pauſanias lib. 6. ſcribit hunc Theagenem Thaſium accepiſſe mille & quadringentas coronas.

u *Et Glaucus.*] Hæc vſque ad ea verba, Hóſque ludos, ſunt Pauſaniæ lib. 6.

x *Nam palæſtra.*] Vide ſuprà lib. 1. c. 20. & lib. 3. c. 21.

Græci per olympiades numerabant. Præfecti decem olympiorum. Panathenæa. Mulieres ad spectacula olympica non admittebantur. Chersonitæ. Elei certaminis olympici præfecti. Quis primus nudauerit corpus in olympiis.

certabatur) [y] quinto quoque anno celebrari: quod tempus olympiadem dixere, vnde Græci annorum curricula & tempora dinumerant: [z] atque in his decem præfectos sorte ductos diiudicare, celebris fama est, victorésque quorum virtus præcipua fuit, [a] oleastro coronari [b] vel callistephano (oleæ enim genus erat) velut grande virtutis præmium ferrent, & præter coronam, victori statuam [c] olympiæ dicari: tametsi olympiæ victorem coronis aureis aut æneis vulgo donari quandoque proditum: [d] Antea enim in sacris certaminibus arboris ramus pro corona fuit: sic [e] Athenis panathenæa, [f] quibus peplum Mineruæ ferebatur, singulis lustris sunt fieri solita, in quibus solenni carmine per tubicinem & præconem ludicrum indicebatur: nudósque ad certandum ingredi athletas, neque congressurum quempiam cum quo certaretur eligere, sed cum primo prodeunte congrediendum esse. [g] Neque ad spectandum mulieres admitti, [h] præter vnam Pherenicem, quæ mater, filia & soror olympionicarum fuit, & Cereris sacerdotes mulieres: neque barbaris pugnare licere, lege cauebatur. [i] Sicut Milciadi certamen equestre & gymnicum Chersonitæ fecerunt, in quo nulli Lampsaceno pugnare permittitur. [k] Proditúmque memoriæ fuit, à prima olympiade vsque vigesimamsextam, Eleos Olympiaco semper certamini præfuisse: [l] in quo licet prius athletæ subligacula ferrent, postea Lacedæmonij decertantium corpora nudari, mox oleo perfundi edocuere. Primus enim qui nudare corpora in olympiis aggressus fuerit, [m] Hacantus Lacedæmonius fuisse traditur. Antea enim pudori ducebant, nudaris

ANNOTATIONES.

y *Quinto quoque anno.*] Pausanias lib. 5. vbi temporis rationem reddit.

z *Atque in his decem præfectos.*] Imò verò duos ex Pausania d lib. 5. qui numerus, inquit, ad multos post annos seruatus est. At quinta post & vicesima Olympiade iudices nouem (Hellanodicas vocabant) creati. Eorum tres de equorum cursu, totidem de quinquertio, de cæteris certaminibus reliqui tres cognoscebant.

a *Oleastro coronari.*] Herodotus lib. 8. non longè à princ. Plinius lib. 15. c. 4. Philostratus in vita Apollonij lib. 5. c. 1 a. vbi tamen Alemanus Rhinuccius interpres κοτινῷ vertit apio, cùm oleastro dicere debuisset. Pausanias d. lib. 5 Interpres Pindari in Olympicis. Aristophanes in Pluto. & Statius lib. 6. Thebaidos, cuius in eam rem versus adduximus suprà in verbo, Quos ab Hercule institutos. & ibi Lactantius interpres.

b *Vel callistephano.*] Aristoteles Mirabilium auscultationum cap. 50. & Pausanias lib. 5. Ad dexteram oleaster se ostendit, quem Callistephanum appellant, quasi coronarium dicas. Ex ea enim arbore solenne est victoribus coronam decerpere. Hæc Pausanias.

c *Statuam Olympia dicari.*] Plinius lib. 34. c. 4. Effigies, inquit, hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causa perpetuitatem merentium, primò sacrorum certaminum victoria, maximéque Olympiæ, vbi omnium qui vicissent, statuas dicari mos erat. Apud Suetonium in Nerone, c 24. ipse Nero postquam se victorem in certamine pronunciauit. Ac ne cuius alterius hieronicarum memoria aut vestigium extaret vnquam, subuerti & vnco trahi, abiicíque in latrinas omnium statuas & imagines imperauit.

d *Antea enim.*] Hoc probat ea iis quæ sequuntur.

e *Sic Athenis Panathenaa.*] De quibus Isocrates in lib. cui est titulus, Panathenaicus. Aristophanes in Nebulis. Eusebius in Chronicis, Plutarchus in Theseo & in Pericle. Pausanias lib. 8. Suidas tradit duas Panathenæorũ esse festiuitates: alteram anniuersariam, & quæ quotannis repeteretur: alteram quinquennalem, & quòd quinto quoque anno celebraretur: quæ etiam magna Panathenæa nuncupabatur. Primus Erichthonius, Vulcani & Mineruæ filius, ea instituit. Posteà Theseus cùm vicatim disiectum populum Atheniensem in ciuitatem euocasset, vnámque vrbem fecisset, decreuit. In hac celebritate neque senes, neque ignobiles, neque viri certabant: sed pueri & puellæ sese manibus complexi Pyrrhicam in theatro saltabant. Thucydides autem lib. 6. scribit Hipparchum tyrannum ab Harmodio & Aristogitone fuisse occisum, dum pompa minorum Panathenæorum ab ipso ordinaretur.

f *Quibus peplum Mineruæ.*] Virgil. in Cyri post princ.

Sed magno intexens (si fas est dicere) peplo,
Qualis Erichthei olim portatur Athenis,
Debita cùm castæ soluuntur dona Mineruæ,
Tardáve confecto redeunt Quinquatria luslo.

Est autem peplus vel peplum, vestis muliebris candida, ex Lamberto Hortensio in illud lib. 1. Æneid.

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplúmque ferebant.

Erat & distincta clauis aureis, sine manicis, & ad extremos vsque talos defluens, quæ simulacris diuorum, & primùm quidem ab Atheniensibus Mineruæ offerebatur. Hinc matronæ Troianæ ab Homero πεπλῶπιδαι vocantur.

g *Neque ad spectandum mulieres.*] Statius lib. 1. Thebaidos,

—Exclusaque expectans præmia matres.

Vbi Lactantius interpres scribit, Sacrorum lege prohibitum esse, Olympicum certamen spectare mulieres. Id quod astruit etiam Valerius Maximus lib. 8. c. 16. eodémque v. t. cùm dicit Berenices quoque (siue vt aliis placet, Pherenices) non vulgaris honos, cui soli omnium fœminarum gymnico spectaculo interesse permissum est, cùm ad Olympia filium certamen ingressum adduxisset, Olympionico patre genita fratribus eandem palmam assecutis latera eius cingentibus. Et vide nostras leges Connubiales l. 16. nu. 37. incip. & ob hæc.

h *Præter vnam Pherenicem.*] Pausanias lib. 5. vbi & hanc Callipatiram dicit fuisse vocatam. & Tzetzes Historiarum Chil. 1. c 23. & Pindari interpres, qui & hanc quoque Aristopatiram appellant, & diximus in legibus Connubialibus parte 4. nu 37. incip. sed quid de certaminibus.

i *Sicut Milciadi.*] Herodotus lib. 6 Ei defuncto Chersonitæ (vt mos est) conditori vrbis sacrificant, certaménque equestre ac gymnicum statuto tempore celebrant, in quo nulli Lampsacenorum certare permittitur.

k *Proditúmque memoriæ fuit.*] A Strabone l. 8 & Pausanias l. 5.

l *In quo licet prius athleta.*] Thucydides lib. 3. Diuus Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 14. c. 17. & diximus & probauimus authoritate Homeri in dd. legib. Connubialib. parte 4. num. 36. incip. Sed & Dionysius.

m *Hacantus Lacedæmonius.*] Dionysius Halicarnasseus lib. 7. non hunc Hacantum, sed Neanthum vocat his verbis, Post quos athletæ grauiorum leuiorúmque certaminum, nudi cætera, pudenda tantum tecti subligaribus campestribus: qui mos Romæ manet nostro quoque tempore: sicut olim fuit in Græcia, in qua nunc antiquatus est, orto à Lacedæmoniis initio. Primus autem nudauit totum corpus in Olympiaco stadio decurrens Nacanthus Lacedæmonius, Olympiade quintadecima: anteà verò turpe habebatur apud omnes Græcos toto corpore nudo certare, sicut colligere licet ex Homero testium omnium grauissimo & antiquissimo, qui succinctos inducit heroas. Certè Aiacis & Vlyssis luctam ludis in Patrocli honorem funebribus (Iliados lib. 23.) describens sic ait,

Tum

corporibus apparere in ludis. [n] In his quoque institutum, vt qui largitione corrupisset aduersariis, pugnarent, quique athletæ ad præscriptum tempus non venirent, mulctâ plecterentur: vtque nefario scelere conuicti, aut crimine damnati, nec io certamen venirent, neque ante commissionem spectaculi, ad immolandum accederent: quippe athletarum parentes, & omnem stirpem citra labem esse voluerunt. [o] Sorte quoque duci ad pugnandum paria athletarum, & de loco inter se pugiles decernere, exemplis sæpe probatum est. Quæ sortitio fiebat, vt calculis in vrnam coniectis, binæ compares literæ inscriberentur: quique eductis sortibus pares sortiti erant, inuicem committerentur. [p] Horum imaginem ludorum Cato Romam transtulisse dicitur, cum in theatro spectacula edidisset, victoribusque non ex auro, sicut olim, sed ex oleastro, sicut in olympicis, coronas proposuisset, [q] cuius exemplo Augustus post pugnam Actiacam, olympicorum imaginem & ludos illis æmulos apud Actium in sinu Ambracio Apollini consecrauit, illorúmque curam multis propositis coronis Lacedæmoniis demandauit. [r] Præter quos in agro Leontino, olympicos ludos Herculi palæstræ institutos Diodorus memorat, qui si intermitterentur, sacerdotes muti fierent: & si sacra reperterent, liberarentur morbo. [s] Ferrúrque Sylla olympiade quinta & septuagesima supra centesimam, athletas & reliqua ex olympiis certamina Romam tradoxisse, & solùm stadij cursum illis reliquisse. [t] Nero verò contrà: namque agona musicum olympiis addidit, & primus præter assuetum celebrauit: [u] in quibus aurigauit, [x] & coronam meruit. [y] Fuítque literis proditum (si libet credere) ab immolato tauro deo, quem Myiodem vocant, dum Olympiorum celebritas manet, muscas ad vnum catervatim Pisas concedere: rursúsque ludis absolutis, eòdem reuerti: [z] sicut in Leucade apud Actium Apollinis, vbi Panegyri celebritas futura erat, muscas, boue immolato, illius distentas cruore protinus euolare. [a] Alteri ludi, à Pythone interempto Pythij dicti, in Apollinis honorem celebres fuere, à Diomede primùm instituti, magna religione sacri, in quibus victores lauro coronati triumpharunt: qui apud Delphos in Phocide, vbi templum Apollinis erat, magnopere culti concelebratíque sunt: in quibus comœdiæ & tragœdiæ, & alia

Institutá in olymp. *Sorte educebantur.* *Athletarum imago olympiorum.* *Romam à Catone translata.* *Olympici ludi in agro Leontino.* *Sylla athletas ex olympiis Romam traduxit.* *Nero in olympiis.* *Myiodes.* *Pythij ludi.* *Præmiũ victoria.*

ANNOTATIONES.

Tum sese in medium cœtum duo magna dedere
Corpora herum succincta.

Atque etiam manifestius idem liquet, ex Odyssea libr. 18. vbi Irum & Vlyssem facit pugiles his versibus,

—Dinus Vlysses
Prosilit in medium ferwens, partique pudenda
Subligar inicit.

Mendicum porrò metu tergiuersantem fingens sic canit,

Ast Iro frigidus tetigit præcordia sanguis,
Illi cunctanti licet, inuito atque trementi
Subligar induunt.

n *In his quoque institutum.*] Pausanias in Eliacis.

o *Sorte quoque duci.*] Lucianus in Hermotimo.

p *Horum imaginem ludorum Cato.*] Scilicet, Vticensis ex Plutarcho in vita illius.

q *Cuius exemplo Augustus.*] Tranquillus in Augusto, c. 18. de his ludis sic scribit, Quóque Actiacæ victoriæ memoria celebratior vt in posterum esset, vrbem Nicopolim apud Actium condidit, ludósque illic quinquennales constituit. Instar (inquit Strabo Geographiæ lib. 7. Olympiorum, ludi Actij designantur, Actio Apollini consecrati, eorum curæ Lacedæmonij præfecti sunt. Reliqui vici & circunhabita loca, Nicopoleos iuri attributa sunt. Actia quoque ipsi Deo prius & à finitimis agebantur & certantibus coronæ proponebantur: hac autem ætate Cæsar Augustus honorificentius edidit. Ad ludos hos Actiacos allusit Virgilius lib 3. Æneid. in honorem Augusti sic scribens,

Actiáque Iliacis celebramus littora ludis.

Actium autem, authore eodem Strabone vbi suprà, situm est in faucibus sinus Ambracij, celeberrimi inter omnes Europæos sinus.

r *Præter quos in agro Leontino.*] Diodorus Siculus lib. 4. aut aliorum supputatione 5. cap. 4. vbi de Hercule & duodecim eius laboribus, cæterisque ab eo vsque ab vitæ finem gestis. Per agrum, inquit, Leontinum pergens, pulchritudinem eius regionis admiratus, apud eos, à quibus honore exceptus est, æterna sui reliquit monumenta. Paulò pòst, Iolao nepoti templum ædificauit, ostendírque quomodo honores ei ac sacra annua fierent, vsque ad hoc tempus seruata. Tanta verò eius templi maiestas habetur, reuentiáque, vt qui à sacris deficiant sacris pueri, muti euadant & mortuis similes. Idem si vouerint solita sacrificia, suscepto voto statim fiunt à morbo liberi. Palæstræ insuper cuorúmque certamina quotannis, ad quæ publicè omnes serui liberique conueniunt, instituere, &c.

s *Ferrúrque Sylla.*] Appianus bellorum Ciuilium lib. 1. scribit, in hunc modum, Romani regibus supra centesimam Olympiadem in primis vsi, cùm ab illis Democratia & annuis Consulibus functi essent, aliis interiectis centum Olympiadibus iterum Reges experti sunt, Olympiade apud Græcos quinta & septuaginta supra centesimam, nullo in Olympiis certamine præterquam stadij cursu edito. Athletas nempe & cætera spectacula Sylla Romam euocauit, veluti solamina quædam belli Mithridatici, aut Itali, excusatione adhibita, quasi populum à calore respirare & refrigerari cuperet.

t *Nero verò contrà.*] Suetonius in vita illius, c. 23. & 24.

u *In quibus aurigauit.*] Idem ibid. c. 24.

x *Et coronam meruit.*] Idem d. c. 24. Scribit Philostratus à 4. lib. c. 8. de vita Apollonij, Neronem, relictâ regia, in Græciam venisse, subiicientem se præconi in Olympiis, Pythiisque: atque eum vicisse in Isthmiis citharœdos & præcones. Vicit etiam Tragœdus in Olympiis, tunccum de Isthmo fodiendo dicitur cogitasse, vt ipsum nauibus peruium redderet. In Olympiis rex victorem fuisse. Neronem testatur idem Philostratus lib. 5. cap. 3. qui ait missos fuisse cursores vsque ad Gaditanos, qui iuberent supplicationes fieri ob victoriam Neronis in Olympiis.

y *Fuítque literis proditum.*] Apud Plinium lib. 29. c. 6. post princ. Vide Pausaniam lib. 5. & 8. vbi loquitur de Ioue Muscario. Cælius Rhodiginus lib. 23. c. 30.

z *Sicut in Leucade apud Actium.*] Idem refert Gregorius Gyraldus de Diis Gentium syntag. 7. nullo quoque authore citato: sed id est Æliani de Natura animalium lib. 11. c. 8.

a *Alteri ludi à Pythone interempto Pythij dicti.*] Ouid. lib. 1. Metam.

Instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia perdomita serpentis nomine dictos.
Hic iuuenum quicunque manu, pedibúsque, rotâue
Vicerat, esculea capiebat frondis honorem.

Plinius lib. 15. cap. 30. Lactantius interpres Statij lib. 6. in princ. sic scribit, Prima ergo certaminum genera hæc fuerunt: Olympia in honorem Pelopis: cuius victores oleastro coronantur, Pythia in honorem Apollinis: cuius victores alteq

fabularum argumenta spectatoribus exhiberi atque ad spectandum tibia & cantu inuitari solebant. [b] Tertij Isthmij in Isthmo Achaiæ iuxta Corinthum in Megarensium sinu delubro Neptum inclyto, inter Ionium & Ægæum, à conuentu totius Acaiæ profusis sumptibus fiebant: qui in honorem Melicertæ seu Palæmonis, aut Portumni marini dei mansere: quos quidem noctu à principio, mox die celebrari institutum est. [c] Hos enim à Theseo æmulatione Herculis, qui olympia instituit, primùm inuentos memorant, qui & quinquennales erant, tanta religione sacri, vt cum eos Cypselus tyrannus Corinthius intermisso more reliquisset, illorúmque prope intermortua memoria esset, ne tanta celebritas prætermitteretur, Corinthij aliquanto enixius ex omni seculorum memoria solennes celebrarunt: [d] quos tanto deinceps studio coluere, vt ne deleta quidem Achaia à Lucio Mummio, & tota Corintho maximo bello conuulsa, ab eorum spectaculis desiuerint. Cúmque deserta Corintho celebrandis ludis ciues superesse nequirent, Sicyoniis proximis incolis, ne celebritas intermitteretur, cultum curamque demandarunt. In quibus præcipuus honor spectaculi [e] Athenienſibus datus: siquidem tantum spatij, quantum velum nauis occuparet, vt cæteris præferrentur, subselliáque præcipua haberent, cum Corinthiis conuenisse dicuntur. Et quamuis in Isthmo victores, [f] apij coronam præmium ferrent, [g] postea pinea coronati, [h] demum à Solone, vt qui Isthmia vicisset, centum drachmas: qui verò olympia, quingentas ferret, cautum fuit. Præter quæ munera, hoc etiam victori tributum est, [i] vt victor statua donetur, [k] illique publicè decernantur alimenta. [l] Si autem ter olympia vicisset, statuæ, quas iconas vocant, similitudine membrorum expressa dicarentur. [m] Nonnunquam, vt cum quadrigis triumphantium more veherentur in patriam, [n] aut pro ampliori munere, coronis vittisque exornentur: reuersurique disiecta parte muri vrbes ineant: statuáque in foro, & perpetua immunitate fruantur: adeò vt Græcis olympioniecem esse, maius censeretur munus, quàm Romæ de hostibus triumphus. [o] Quod Romanis etiam in vsu fuit, vt athletas qui sacris certaminibus coronam meruissent, vacatione munerum curæ tutelæque & perpetua immunitate donarent. [p] Quartos autem Nemeos à Nemea sylua in Archemori honorem institutos ferunt: [q] hinc enim Lycurgi filius, Opheltes dictus, cui à serpente interempto, in partis solatium ludi mansere, quos dicunt Nemeos, quorum non minor apparatus & celebritas erat. [r] Tametsi à Molorcho, qui Herculem suscepit hospitio, cuius filius à leone interemptus fuerat, eo enecato, primùm institutos dicant, in quibus maiorum imagines, sicut in funebri pompa, longo ordine repræsentari, atque equorum cursu, simul disco, cæstu & palæstra dimicari, [s] victoréſque

Isthmij ludi.

Theseus, Isthmiorum inuentor. Isthmiorum religiosa obseruatio.

Præmia victorum.

Qui ter olympia vicisset.

Olympionices. Ludi Nemei. Cæremonia & certaminum genera. Præmium victoriæ.

ANNOTATIONES.

lauro coronantur. Isthmia in honorem Palæmonis & Leucothoë marinorum deorum, cuius victores pino coronantur. Nemea in honorem Archemori, cuius victores apio coronantur. Ælianus de Natura animalium lib.6.c.4. Aliter Strabo lib. 9.

b *Tertij Isthmij.*] Strabo lib. 8. In Isthmo, inquit, Neptuni, quem Isthmium vocant, templum eminet, picearum arborum luco circunclusum, vbi ludos Isthmios decertantes Corinthij celebrare soliti sunt. Plinius lib. 4.c. 5. Statius 1. Thebaidos post princ.

—Et geminis vix fluctibus obstitit Isthmos.
Ipsa suum genitrix, curuo delphine vagantem
Arripuit frenis: gremióque Palæmona pressit.

Et eius interpretes eiusdem operis lib.4. post princ. ibi,

—Quáque obiacet alto
Isthmos, & à terris maria inclinata repellit.

Rursúsque lib. 6. post princ. ibi,

Mox circum tristes seruata Palæmonis aras
Nigra superstitio: quotiens animosa resumit
Leucothoe gemitus: & amica ad littora festa
Tempestate venit: planctu conclamat vterque
Isthmos: echionia responsam flebile Theba.

Itémque lib.7. in eum locum statim post princ.

— Atque omne quod Isthmius vmbo
Detinet. —

Et non multò pòst ibi,

—Gemini maris incola narrat
Thebanum toto planxisse Palæmona ponto.

Solinus cap. 12. Pausanias lib. 10. Zenodotus in prouerbio *ὄυς ἔχη*. Seruius in eum locum Virgilij lib. 5. Æneid.

Et pater ipse manu magna Portumnus euntem
Impulit. —

c *Hos enim à Theseo.*] Plutarchus in vita illius. Solinus c.12. Pausanias in Corinthiacis.

d *Quos tanto deinceps.*] Hæc vsque ad ea verba, In quibus præcipuus, sunt Pausaniæ lib. 2. non longè à princ.

e *Athenienſibus.*] Plutarchus in Theseo.

f *Apij coronam.*] Diodorus Siculus lib.16. c.21. Plutarchus in Timoleone, & l.4. Symposiacôn, & Diphilus apud Athenæum libr. 6. Dipnosophistarum [Greek, partly illegible] ὥσπερ ἰσθμίοις.

g *Postea pinea.*] Plutarchus in vtrisque illis locis, & Plinius lib. 15. cap. 10. in fi. Interpres Statij lib.6. Thebaid. in prin. Ælianus de Animalibus lib.6. cap.1. Et hinc illud eiusdem Statij Syluarum lib.5 in Epicedio ad patrem,

Nunc Atamantæa protectum tempora pinu.

Atamantæam pinum vocat coronam ex ludis Isthmicis, quoniam hi ludi Isthmici instituti erant in honorem Melicertæ filij Atamantis.

h *Demum à Solone.*] Plutarchus in vita illius.

i *Vt victor statua donetur.*] Vide suprà in verbo, Statuam Olympiæ dicari.

k *Illique publicè.*] Vitruuius in princ. præfa. lib.9.

l *Si autem ter Olympia vicisset.*] Plinius lib.34.c.4.

m *Nonnunquam, vt cum quadrigis.*] Vitruuius vbi suprà.

n *Aut pro ampliori munere.*] Plutarchus lib.2. Symposiacôn, & Suetonius in Nerone, cap. 25. vbi loquens de Neronis triumpho ob musicam victoriam, Dehinc, inquit, diruto circi maximi arcu per velabrum forúmque, Palatium & Apollinem petiit.

o *Quod Romanis.*] Vlpianus lib. Digestorum 27. tit. 1. l. 8. de Athletis sic scribit, Athletæ habent à tutela excusationem: sed & qui sacris certaminibus coronati sunt. Vide Budæum in l. Athletas. ff. de his qui not. infa. Alciatum in l. vnica. C. de athletis.

p *Quartos autem Nemeos à Nemea sylua.*] Strabo libro 8. Probus & Seruius interpretes Virgilij in eum locum lib. 3. Georg.

Cuncta mihi Alpheum linquens, lucósque Molorchi.

q *Hinc enim Lycurgi filius.*] Pausanias lib. 2.

r *Tametsi à Molorcho.*] Probus & Seruius vbi suprà, & Lactantius interpres Statij lib. 4. Thebaidos, ibi,

Sacra Cleonæi cogunt vineta Molorchi.

s *Victoréſque apio.*] Plinius lib.19.c.8. Lactantius interpres

Statij

apio coronari solebant: ideo quod super hanc herbam reptantem puerum, à dracone interemptum ferant. Inde [t] fuit Græcis apij corona funeralis, maiorúmque sepulchris ex apio coronans appooi, illóque ornari & tegi seruatum est, quæ sepulchrales dictæ. [u] In quibus Nemeis memoratur Arion equus pernicitatis eximiæ, excusso rectore Polynice, palmam tulisse. Prætet quos, fuit Delphis citharædorum certamen, quod & Pythia dixere: ad quod citharœdi tibicines & fidicines coocurrebant: [x] & in Delo certameo à Theseo institutum, in quo nouo exemplo palmæ victoribus dabantur. Romæ verò P. Cornelio Ruina, & C. Mario Rutilio consulib. palmæ primùm victoribus dari cœpræ. [y] Alexander verò Macedo è Persa arbore coronas proposuit primus. [z] Pergami autem & [a] Athenis fuit pugna gallinaceorum [b] & coturnicum, tanti decoris, vt ad illud tanquam gladiatorium munus effusissimo studio omnes conuenirent. [c] Et certamen picturæ Corinthi & Delphis. Et [d] Æginæ sacra certamina ab Æaco inuenta, & Thebis heraclea & iolacea, Megaris verò dioclea. [e] Et ob taurum à Theseo interfectum, marathonea, in quibus phialam argenteam victor accipiebat: in Deliacis autem bouem, sicut in certamine dithyramborum poëtis dabatur bos, vel tripos cum inscripto epigrammate, & [f] Spartæ in certamine poëtarum, præmium ex farina & melle, quod syrmeam dixere. [g] In panathenæis verò oleiceramum velut amplum pretium victor accipiebat. [h] Ea quidem duplicia foere: nam & magna quinto quoque anno, & minora singulis fiebant. [i] Apud Pellenen erat Apollinis agon, vbi ex argento proposita præmia certantibus fuere, quæ theoxenion vocabant. [k] Et apud Platæas certamen gymnicum, in quo coronę dabantor ex auro. [l] Et ludi eleutherij, quòd illic Gręcorum copię Mardonium cum trecentis millibus Persarum deleuissent: [m] & apud Rhodios ludi, qui vocantur halia, atque certamen hirundinum, & cornicum. [n] Erántque festa Iouis dialia [o] & pandia: [p] sicut Iunonis Herça, [q] Musarum musea, [r] Ceretis demetria, [s] Mercurij hermea. [t] In quibus chlęnę vestes pelliceę dabantur, quę sępe in agonibus fuere pręmia. [u] Gymnica quoque in honorem Androgei Minos statuisse fertur, in quibus pręmium victori pueros proposuit, [x] apud Nemeam verò obscura qua-

Arion equus. Citharœdorum certamē. Certamē in Delo. Gallinaceorum & coturnicum pugna. Picturæ certamē. Æginea. Heraclea. Iolacea. Dioclea. Marathonea. Deliaca. Dithyrambica. Certamē poetarū. Panathenaica duplicia. Agon. Theoxenion. Gymnicum. Eleutherij ludi. Halia. Dialia. Pandia. Heraa. Musea. Demetria.

ANNOTATIONES.

Statij vbi sopra lib. 6. Vnde & illud Iuuenalis saty. 8.

Hac opera, atque ha sunt generosi principis artes,
Candentis fado generosa ad pulpita saltu
Prostitui, Graiaqué apium meruisse corona.

t *Inde fuit Gracis.*] Plutarchus in Timoleone.

u *In quibus Nemeis.*] De hoc equo Arione multa, aliorum authoritate, Pausanias lib. 8. Statius lib. 4. Thebaidos,

—Volucres portis auriga sub ipsis
Comit equos, & inde iugo luctatur Arion.

Idem huius equi virtutem & alacritatem lib. 6. describit hoc modo,

Ducitur ante omnes rutile manifestus Arion,
Igne iuba, Neptunus equo (si certa priorum
Fama patet) primus teneris lasisse lupatis
Ora: & littoreo domitasse in puluere fertur
Verberibus parcens: etenim insatiatus eundi
Ardor, & hyberno par inconstantia ponto.
Sape per Ionium: Libicumqué natantibus ire
Interiectus equis, omnesqué assuetus in oras
Cæruleum deferre patrem: stupuere relicta
Nubila, certantes Eurique Notiqué sequuntur.

x *Et in Delo certamen*] Plutarchus in Theseo.

y *Alexander verò.*] Plinius lib. 15. cap. 13. vbi de prono & eius generibus ad fi. Et ob id, inquit, Alexander illa coronari victores ibi instituisse, in honorem atauí sui.

z *Pergami autem.*] Idem Plinius lib. 10. c. 21. ad finem.

a *Et Athenis.*] Ælianus Variæ historiæ lib. 2. dicit à Themistocle id cæptum, Persis soperatis.

b *Et coturnicum.*] Lucianus in lib. qui Anacharsis, seu de Gymnasiis inscribitur.

c *Et certamen pictura Corinthi & Delphis.*] Plinius lib. 35. c. 9. in princ.

d *Ægina sacra certamina.*] Plutarchus in Theseo.

e *Et ob taurum à Theseo interfectum Marathonea.*] Da hoc alibi.

f *Et Sparta.*] Sed & ibi certamen erat verberum & plagarum. Statius lib. 4. post princ.

Et Lacedæmonium Tyrra lectura cruorem.

Et ibi Lactantius interpres, qui non multò pòst scribit, id certamen fuisse iuxta fluuium Eurotæ: gloriosiorem tamen illum fuisse, qui iuxta præscriptum numerum plagarum animæ non pepercerat, qui cùm deuouisset spiritum publicè funerabatur & capite coronabatur. Sed & de his idem lib. 8. eiusdem operis,

—Et pugna laudataqué pralia matri.

Vbi id verberum certamen dicit Orestem è Scythia in Laconiam transtulisse.

g *In Panathenais.*] De his sopra ibi, Sic Athenis Panathenæa.

h *Ea quidem duplicia fuere.*] Diximus sopra ibid. ex Suida.

i *Apud Pellenen.*] Idem nullo etiam authore Cælius Rhodig. lib. 18. c. 5. At illud Pausaniæ est lib. 7. paolò ante fi.

k *Et apud Plateas.*] Pausanias lib. 9. post princ.

l *Et ludi Eleutherij.*] Pausanias lib. 9. non adeò longè à prin.

m *Et apud Rhodios ludi.*] Idem, nullo quoque authore laudato, Cælius Rhodig. lib. 16. c. 24.

n *Erantqué festa Iouis Dialia.*] Legendum Diasia, quæ idem significat ac Iouialia Athenis celebrata, vt tradit Lucian. in Charidemo, & Suidas, & de his Aristophanes in Nebolis ἀτυχῶν ἐπαδον τετίοντε διασίοις. & Hesychius Quæ & ipsa eidem διπόλεια vocantur. Quæ autem sint dialia intelliges ex Thucydide lib. 1.

o *Et pandia.*] Πάνδια festa Atheniensium post Dionysia in honorem ipsius Iouis, aut (vt alij dicunt) Lunæ, πάνδια γὰρ σελήνη, vel Pandionis, cui tribus cognominis erat, ex Etymo.

p *Sicut Iunonis Heraa.*] Interpres Pindari tradit Argis ἡραῖα, id est, Iunonis sacra celebrari: in quibus Hecatombe, id est, centum boum sacrificium fiebat: huiúsque celebritatis præmium fuisse æreum scutum & corona Myrtea. Et de huiusmodi Heræis mentionem facit Liuius 3. Decad. lib. 7. Iuno autem ἥρα & ἥρη Græcis dicitur apud Homerum 4. Iliados post princ. & Platonem in Cratino, vbi eius nominis rationem dicit. Et vide infrà lib. 6. c. 4.

q *Musarum Musea.*] Idem Rhodiginus lib. 17. c. 8.

r *Ceteris Demetria.*] Idem ibi, & Gyraldus de diis Gentium syntag. 17.

s *Mercurij Hermea.*] Idem Rhodiginus ibi.

t *In quibus chlana.*] Strabo lib. 8.

u *Gymnica quoque in honorem Androgei.*] Plutarchus in Theseo. Gymnici autem ludi dicuntur in quibus corpora per gymnasticam disciplinam exercentur, quæ à Platone & Aristotele, principibus philosophorum, veluti maximè necessaria in primis probantur.

x *Apud Nemeam.*] In honorem Archemori Lycurgi Thra-

cum

dam ambage [y] hipposelinum dabatur doonum, quibus muneribus cum præfatione virtutum victores donabantur. [z] Preter quę fuerunt Promethea, vt currentes in palęstra, tedam ardentem gestarent, eámque defatigatus proximo, isqué postea defectus alteri, & deinceps alius alij traderet, donec metam pertingerent. Ea quidem ara Promethei in Academia fuit, à qua ad vrbem cum accensis eiusmodi facibus cursus erat.

Mulierum in Hereis ludis cursus. Pentathlon. Quinquertiũ, Quinquertiones.

Estqué animaduersum, olympicum stadium in Hereis ludis, sexta parte dempta, mulieribus parere, currebant enim collecta tunica, solutis comis, dextro exerto humero, in quibus victrici oleæ corona erat præmium, & bouis portio Iunoni immolatæ. Ex his ergo ludis, cum olympiaci & Isthmij [a] quinquennales forent, & nemei singula trieteride fierent, solennes reliqui anoui mansere, [b] quorum frequens lusus erat, iaculatio, iactus disci, stadij cursus, palæstra & saltus, quem pentathlum Græci vocant, Latini quinquertium, ipsósque athletas, quinquertiones. Cúmque victoribus dabatur corona, vetus erat mos, vt non illos qui vincerent, sed illorum patriam per præconem coronari magna voce pronunciarent, mox ipsi præconi alter præco ante ludorum missionem corouam daret. Athenis verò lex iubebat, vt si quis coronaretur à senatu, in senatu præconium fieret: si à populo, in concione.

Virginibus apud Nasamones edebatur certamẽ. Ludi circenses.

[c] Proditum quoque memoriæ est, apud Nasamones é virginibus edi certamen quotannis ad Tritonidis paludem, quæ non cursu, sed pugnis & fustibus certabant: ex quibus si qua ictu concidisset, falsa censebatur virgo: victrix verò, armata vectabatur curru. Sed quod Græcis olympici fuere, hoc nimirum Romæ (quantum opinione auguror) circenses fuisse crediderim: quippe agonici circenses apud Elidem in honorem Iouis olympici pariter inuenti institutíque sunt. Inde Romam aduocatos putarim. [d] In Elide enim iuxta fluminis ripam angusto tramite, altero latere vrgente flumine, altero positis gladiis, vt vtrioque præsens exitium esset, bigarum cursu certabatur, dimicatione perniciosa adeò, vt intra præscriptum illas coercere necesse foret: vnde circenses dicti.

Circenses vnde dicti.

[e] Plerumque vnius equi curru, qui celes [f] aliquando simplici biga, quæ Sinoris dicta est, pugna committebatur. [g] Quibus postea

ANNOTATIONES.

tum Regis filij, vt diximus suprà ex Statio libr. 6. Thebaidos.

y *Hipposelinum.*] Id est, grande apium apud Dioscoridem lib 3. c. 95. Latini olusatrum appellant, Columella, Pullum olus. Atque oletis, inquit, puli radix. Vide Plinio lib. 19 c. 8.

z *Præter quæ fuerunt Promethea.*] Id vsque ad versiculum, Estqué animaduersum, est Pausaniæ in Atticis. Meminit huius rei Herodotus, sed obiter in Vrania. Vide Erasmum Chiliadis primæ cent. 2. in prouerbio, Cursu, lampada trado. Sed & (quod superioribus addere potes) in Din Macedoniæ vrbe, Alexander Ioui & Musis scenica fecit certamina, quæ ab Archelao superiorum temporum Rege instituta fuerant, curauitque ea celebritas in diem nonum, cùm Musis singulis diem vnum dedicasset. Author Diodorus Siculus lib 17. c 1. ad fin. Idem Alexander vinariæ potationis certamen instituit, corouámque victori proposuit apud Plutarchum in vita ipsius. & Q. Curtium lib. 10. Ælianus de Varia historia lib. 2. tradit ipsum Alexandrum in honorem Calani Brachmanis Indici Sophistæ, qui seipsum combusserat, certamina musica, equestria & pugillatoria constituisse: vsitatam etiam domesticámque concertationem in honorem Calani superioribus certaminibus adiecisse, & potandi vini certamen instituisse, atque primas obtinenti præmium constituisse talentum, proximo triginta minas, tertio decem. In his victoriam consecutus est Promachus. In Bacchi etiam festo libationum, præmium ordinatum est ei, qui plus bibisset, corona aurea &c.

a *Quinquennales forent.*] Vt dictum est suprà.

b *Quorum frequens lusus erat.*] De his quinque ludis, vide quæ diximus lib. 1. c. 20. & lib. 4. c. 21. Sed his, quæ vtrobique dicta sunt, adde illud Simonidis distichon,

> Ἴσθμια καὶ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα
> ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Id est ex Alciati nostri versione,

> *Isthmia Pythonis Diophon & Pythia vicit,*
> *Et cursu, & iaculo, saltibus orbe, pale.*

Et aliud quoque interpretis Pindari,

> ἅλμα ποδῶν, δίσκου τε βολή, καὶ ἄκοντος ἐρωή,
> καὶ δρόμος ἠδὲ πάλη, μία δ᾽ ἔπλετο πᾶσι τελευτή.

Quod & sic vertit idem Alciatus,

> *Cum disci iactu, saltus pedis, impetus hastæ*
> *Atque pale, & cursus studium fuit omnibus idem.*

c *Proditum quoque memoriæ est.*] Imò verò Auses ex Herodoto lib. 4. non adeò longè à si. & de his quoque nonnihil Pomponius Mela lib. 1. cap. 7. loquens de incolis Tritonis amnis. Nam & Auses circum Tritonem habitant, vt dicit idem Herod. vbi suprà.

d *In Elide enim.*] Hæc vsque ad verba, Plerumque vnius equi. sunt Seruij in 3. Georg. ibi,

> —*Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.*

Vbi præterea dicit alios à circumeundo Circenses vocari putare. Et idem propemodum scribit in lib. 8. Æneid. ibi,

> ——*Magnis circensibus actis.*

e *Plerumque vnius equi curru, qui Celes.*] Celetes vocabant eos, qui singulari, siue vno equo currèbant, vt dicit Budæus in lib. athleta ff. de his qui not. infam. & ante eum interpres Aristophanis, qui & equum, quo hi Celetes currebant, Monatora Græcis dictum tradit. De his autem Plinius lib. 34. cap. 5. Equestres, inquit, vtique statuæ Romanam celebrationem habent, orto, sine dubio, à Græcis exemplo. Sed illi Celetas tantùm dicebant in sacris victores. Posteà verò & qui bigis vel quadrigis vicissent. Et hinc idem Plinius eiusdem libri cap. 8. in duobus locis, Celtizontes, inquit, pueri dicti sunt, qui scilicet equorum singulorum certamine delectabantur. Palephatus autem vbi de Centauris loquitur, Iuuenes (inquit Græcè quidem, sed hoc sensu) quidam è radice montis profecti, à vico quodam vocato Nebula, excogitant equos Celetas condocefacere, in hísque sedere: nam ante id tempus nesciebant in equis sedere, sed solum curribus vtebantur. Ex quo intelligis non solùm eum qui equo vno insidet: sed ipsum quoque equum singularem dici Celetem. Nam & apud Homerum Iliad. Λ. Celes equus dicitur, qui solus agitatur, quasi Monampyx, vt nonnulli dicunt. Aliis autem Μονάμπυξ iubatus, vt apud Euripidem Μονάμπυκας πώλους. id est, κέλητας. Cæterùm Gellius lib. 10. c. 25. inter genera nauium celoces numerat, quas, vt dicit, Græci celetes vocant, scilicet à similitudine equorum Celetum, vt plerique omnes intelligunt.

f *Aliquando simplici biga, quæ Synoris dicta est.*] Legendum est Synoris ex Aristophanis interprete in Nebulis, qui ita scribit, Συνωρίς est currus non plenus, sed ex duobus iunctus equis, quem nunc dip non vocamus. Vide Rhodiginum lib. 21. c. 31.

g *Quibus postea accessere Calpe & Apena.*] De quibus, & quid inter eas intersit, videbis apud Pausaniam libr. 5. & eundem Rhodigin. d. lib. 21. c. 31.

h *Nero.*]

Calpa. Apena.

accessere calpæ & apenæ. Calpæ currus trahebatur equa, apenæ mulas iugabat: [h] Non verò in olympiis non bigis, sed decemiugi curru aurigasse & victor fuisse proditur. [i] Miltiades verò quadrigario curriculo olympicam palmam reportauit. Traditúmque memoriæ est, Romæ quadrigas ex asinis immenso cõstitisse, vt adeò vt quadrigæ quadringentis millibus venirent. [k] Ibi quoque formæ certamen haberi: victorq; armis donari, & ad templa vittatus deduci, myrtóque coronari solebat: sicut [l] in Cereris Eleusinæ festo prope Alpheum, speciei certamen erat: in quo animaduersum, [m] Tenedias mulieres omnium quot sunt in Asia venustatis palmam tulisse, tametsi Hypepas tanquam venustatis præcipuæ, alij celebrarint, [n] & Homerus formósissimas in Hellade asseueret. Romam deinde circenses translati, positis metis, non antẽ gladiis, eximie culti celebrátique sunt, in quibus [o] septem fuere curricula solennia (nam septeno circuitu currebant aurigæ) [p] & vigintiquinque missus, [q] quæ Domitianus ad quina spatia corripuit: missus vero, ad cẽtenos propagauit, vterque singulos quinos missus, sæpe Romani principes [r] venationem dedere, [s] aut Troiæ decursionem. Vltimus verò, quòd ex collatione populi fiebat, ærarius dictus. [t] equis enim mira velocitate currentibus insidentes, leuissimos currus ingenui pueri cursu quàm citatissimo agitabant, qui præcipua ante satis gnari doctíque erant examussim seruare normam, ne ipsi aut quadrigæ agitatæ aliquo temporis puncto metas contingerent, vtque per singulos missus, idem currus per quina spatia sine offensione circuiret. [u] Quæ quidem metæ cum antea ligneæ fuissent, Claudius auratas instituit. [x] Fuitque moris, vt ante commissionem Circensium, ministri cum equis desultoriis missus exituros nunciarent. [y] In xis quoque quatuor factiones anni pro temporibus, videlicet veneta quæ cerulea, prassina quæ viridis dicta est, alba, & rosea, miro fauentium studio coli celebraríque solitæ sunt. Viridis enim color, veri dicatus erat, æstati roseus, hyemi venetus, albus autumno. Nonnulli verò per elementa colores diuisere: quippe hyacinthus aëri dabatur, coccus ætheri, byssus terræ, purpura mari. [z] Pannóque versicolore per singulas factiones certabatur, in quibus spectantium fauor & aura popularis, gratiáque & studium; ad victoriam multum loci dedit, nam tanto fauentium studio hincinde certabatur, quum suos quisque clamore & plausu foueret, vt magis studio & colore panni, ac fauore quo affecti erãt, quàm vera virtute niterentur. Isque popularis fauor & gratia non dubiã plerunque victoriam dedit: adeò vt non populus modò, sed & principes ingenti studio & gratia factionum contenderent: [a] siquidem Vitellius venetæ factioni ita addictus erat, vt eos per æqua & iniqua amplo fauore prosequeretur, adeò, vt quosdam qui

Formæ certame. Certame in festo Cereris de speciei venustate. Circenses Romam trãslati. Ritus circensiũ ludorũ. Metæ in circensibus. Factiones quatuor circensiũ.

ANNOTATIONES.

h *Nero.*] Suetonius in vita illius, c.24.

i *Milciades.*] Herodotus lib.6. non ita longè à princ:

k *Ibi quoque forma certamen.*] Non intelligas Romæ, de qua postremo loquutus est, sed apud Eleos[l], de quibus antè loquutus fuerat. Et cuius rei testis est Theophrast. & alij quos in id citaui in legib. Connub. p.1. n.49. incip. Hinc multa:

l *Sicut in Cereris Eleusina.*] Nicias in Arcadicis, & ex eo Athenæus lib.13. c.33. tit. Certamina de pulchritudine. & diximus vbi suprà proximè quo in loco videbis; & alia pulchritudinis certamina.

m *Tenedias mulieres.*] Nymphodorus in Asiæ nauigatione; & ex eo Athenæus d. lib.13. c.32. in fi. Omnium, inquit, quæ alibi nascuntur, pulcherrimas mulieres esse in Tenedo insula Troica affirmat.

n *Et Homerus.*] Lib.2. Iliados in Catalogo.

οἵ τ' εἶχον Φθίην, ἠδ' Ἑλλάδα καλλιγύναικα.

Quique habitant Phthiam, & Helladæ pulchras mulieres habentem.

Adde & Achaidæ ex eodem lib.3. eiusdem operis;

ἄργος ἐς ἱππόβοτον, καὶ Ἀχαιΐδα καλλιγύναικα.

Argos in equiferũ, & Achaiam pulchras mulieres habentẽ.

o *Septem fuere curricula solennia.*] Propertius lib. eleg.24. ad Cynthiam.

Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quàm metam triuerit arte rota?

Seneca ad Lucilium lib. epist.4. Gellius authoritate Varronis in lib.3. c.10. Lactantius li.7. c.27. eodémque vlt. in prin. Cassiodorus Variarum lib.3. epist. cuius initium, est Quantum histrionibus.

p *Et viginti quinque missus.*] Seruius authoritate Varronis in lib.3. Georgic. vbi suprà citauimus.

q *Quæ Domitianus.*] Suetonius in vita illius, c.4. vbi de spectaculis per eum editis loquens, sic scribit, Io hoc Circensium die, quò facilius centum missus peragerentur, singulos à septenis spatiis ad quina corripuit.

r *Venationem dedere.*] Idem Suet. in C. Iulio Cæsare, c.39. in Augusto, c.43 in Claudio, c.21. & in Nerone, c.7. in fi.

s *Aut Troiæ decursionem*] Suetonius in locis nuper citatis, & præterea in Nerone c.7. Cornelius Tacitus lib.11. Sedente, inquit, Clodio Circensibus ludis, cùm pueri nobiles equis ludicrum Troiæ inirent, interque eos Britannicis Imperatore genitus, & L. Domitius adoptione mox in imperium & cognomentum Neronis adscitus, fauor plebis acrior in Domitium loco præsagij acceptus est, Virgilius libr.5. Æneidos:

Troiáque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.

Et vide inferius lib.6. c.19.

t *Equis enim.*] Suetonius in Cæsare, c.39.

u *Quæ quidem metæ.*] Suetonius in Claudio, cap.21. aut tophinæ, siue ex topho lapide, vt idem dicit, atque etiam Liuius 1. Decad. lib.7.

x *Fuitque moris.*] Cassiodorus vbi suprà, & vide Suetonium in Cæsare, d. c.39.

y *In his quoque quatuor factiones.*] Cassiodorus poëta Thebanus in Græcorum epigrammatis. Et Sydonius Apollinaris in Hendecasyllabis,

—— Micant colores,
Albus & Venetus viréńsque rubénsque.

Et Cassiodorus Variarum lib.3. epist. suprà designata. Et de viridi est etiam illud Iuuenalis satyra 11. ad finem.

Totam hodie Romam circus capit, & fragor aurem
Percutit, euentum viridis quo colligo panni.
Nam si deficeret, mœstam attonitámque videres.

Vbi vide Ioannem Britannicum, interpretem.

z *Pannóque versicolore.*] Vide Plinium li. epistolarum 9. ep. 6. ad Caluisium, & Cassiodorum vbi suprà, & Paulum Diaconum libro 4. Historiæ Longobardicæ, cap.11. vbi scribit imperante Phoca Prasinos & Venetos per Orientem, & Ægyptum Ciuile bellum fecisse, ac se mutua cæde prostrauisse. Et hinc quoque pertinet illud Iuuenalis nuper citatum.

a *Siquidem Vitellius.*] Sueton. in vita ipsius c.14. Quosdam,

clare maledixerant, occidi iuberet. Sicut Prasinæ deditus erat [b] Caligula, [c] & Nero Cæsar. [d] Caligula enim sestertium vicies agitatori Cythico contulit. [e] Nero verò quum quereretur tractum prasinum agitatorem, & ob id iurgaretur à magistro, de Hectore se loqui mentitus est. [f] Fertur autem Verus Antoninus à Venetæ factionis hominibus, quam odio execrabili prosequebatur, intolerandaprobra & contumelias tulisse, quod contra eos prasinæ studeret, illósque studio & commodis prosequeretur. [g] Caracalla verò quum in aurigam, cui studebat, populus cauillatus esset, exercitum immisit, & pœnas exegit. [h] Ad has quatuor factiones, alias aurati purpureique panni Domitianum addidisse Suetonius memorat. Erántque circensium duo genera: Patricij, qui per patres: plebeij, qui per plebem agebantur stato die, mense Nouembri, quos Claudius Imperator sæpe commisit & celebrauit. In quibus præter spectacula etiam deorum simulachra, [i] nonnunquam Imperatorum & Deorum imagines habitu triumphali, ob studium fauorémque popularem erga Principes, equestres aut pedestres, aliquando victorias cum palmis, ferculáque & tensa, currúsque elephantorum produci, & prælata pompa efferri solebant. [k] Quare Germanici equestrem statuam ex ebore, circensi pompa prælatam comperimus. [l] Et Antoninus defunctæ Faustinæ imaginem cunctis circensibus præferri voluit. quæ quidem imagines nonnunquam aureæ, vel argenteæ, plerunque erant gypseæ, aut ex ebore. In quo illud adnotatum fuit, vt loca per quæ pompa & deorum simulacra vectebantur, ne recondita sacra è cœnaculis despicerentur, oraculo moniti, velis cooperirent. [m] Præualuitque mos, vt prætor aliúsve magistratus, qui ludis præerat, mappam aurigis mitteret, & cursus signum daret, quod erat futurorum circensium initium: id quod à Nerone certo euentu cœptum (vt Cassiadorus ait) fluxit ad posteros. Post quos adnumerantur circenses cereales [n] & seculares, [o] atque alij nauales, vbi in circo maximo immisso euripo, naues metis appositis, ne illas contingerent, cursu præcipiti concurrebant. Illud vtique non in postremis fuerit, quòd tam in circensibus quàm sacris certaminibus, magna cura seruatum est, vt qui intempestiuè surgeret, qui ante alios exeunt, colaphis cędātur: quodque qui coronam meruisset, tanquam ad supremum fastigium ventum foret, nihil vltra de virium aut artis incremento speraret: vtque minus bonos fortésque viros, qui ad certamen prouocarent, neque cum quo certaretur inuenirent, quum nemo luctari aut congredi audet, quàm eos qui fortiter pugnassent & vicissent, merita palma, aut posito constitutóque præmio donarent neque enim minus coronari pugiles qui absque sudore in certaminibus, quàm qui pugnando palmam assequuti sunt, cauebatur: licet adnotatum quandoque exemplis legamus, vt si athleta eo fortitudinis processerit, vt non inueniret parem, plures vni obijcerentur, cum quibus periculum faceret & decertaret. nam vt victor quis declaretur, & victoriæ insigne ferat, æmulo opus esse dixerunt. [p] Neque prætereundum, gymnica certamini Eleis præcipua fuisse, thymelica Corinthiis, scenica Atheniensibus.

Factioni bus quatuor duæ additæ. *Circensium duo genera.* *Imagines in Circensibus elatæ.* *Munera illius qui Circensibus præerat.* *Cereales.* *Circenses Seculares.* *Nauales.* *Obseruationes aliquot in Circensibus.* *Cum quo nullus in certamen prodire vellet.* *Vnus duobus commissus.*

ANNOTATIONES.

inquit, & de plebe ob id ipsum quòd Venetæ factioni clarè maledixerant, interemit contemptu sui, & noua spe id ausos opinatus.

b *Caligula.*] Suetonius in vita illius, c.55. Prasinæ factioni ita addictus & deditus, vt cœnaret in stabulo assiduè & maneret. Dion quoque in vita ipsius ita scribit, Adeò autem studebat homini viridi veste induto, cui ex colore eius vestis Prasinus nomen fuit, vt nostris etiam temporibus locus, vbi ille currus agitabat, Caianus appelletur.

c *Et Nero.*] Suetonius in vita illius, c.22.

d *Caligula enim.*] Suetonius in Caligula, c.55. Agitatori Cythico (aut, vt alij legunt, Eryco) comessatione quadam in apophoretis vicies sestertium contulit.

e *Nero verò.*] Idem Sueton. d.c.22 vitæ ipsius.

f *Fertur autem Verus Antoninus.*] Iulius Capitolinus in vit. illius.

g *Caracalla verò quum in aurigam.*] Herodianus libro 4. Denique (Græcè quidem, sed in hunc sensum, vt vertit Politianus) id quod nunquam aliàs factitatum, cùm Circenses spectante eo populus Rom. in aurigam, cui studebat, nescio quid cauillatus esset, ratus sibi contumeliam illatam, repente omnem exercitum facere impetum iussit in populum, ac rapere & occidere quicunque in aurigam dixissent.

h *Ad has quatuor factiones.*] Suetonius in Domitiano, c.7.

i *Nonnunquam Imperatorum.*] Tacitus lib. 2. vbi de Germanici statua inquitur, Honores (vt quis amore in Germanicum) aut ingenio validus, reperò decretique, vt nomen eius saliari carmine caneretur. sedes curules sacerdotum Augustalium locis, supérque eas querceæ coronæ statuerentur, ludos Circenses eburna effigies præiret. Suetonius in Tito, c.2. de Britannico inquens, Quorum, inquit, nimium mox memor, statuam ei auream in palatio posuit, & alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompa, hodie quoque præfertur, dedicauit, prosecutúsque est.

k *Quare Germanici.*] Id iam diximus in præced.

l *Et Antoninus defunctæ Faustinæ.*] Scilicet Pius ex Iulio Capitolino in vita illius.

m *Præualuitque mos.*] Id vsque ad vers. Post quos. est Cassiodori lib.3. Variarum. & vide suprà lib.1.c.25.

n *Seculares.*] De quibus Suetonius in Augusto, cap. 31. vbi iuuenes & puellas prohibuit nocturnis Secularium ludorum spectaculis, nisi secum haberent aliquem ex propinquis atque necessariis, seniorem, qui veluti custos & moderator cohiberet à probro. & in Claudio, c. 21. & in Domitiano, cap. 4.

o *Atque alij nauales.*] Suetonius in Cæsare, ca.39. vbi de variis spectaculis, per eum editis, disserit, & Plinius lib.8, c.7. in vita Heliogabali.

p *Neque prætereundum gymnica.*] Hæc omnia vsque ad finem scribit Cælius Rhodiginus lib.8.cap.8. hæc legi ex vetere Græcorum auctore quem non nominat. Adde superioribus ex Strabonis lib. 15. Chalcidibus lucum imminere, Alexandro Philippi filio dicatum. Hoc in loco certamen Alexandria nuncupatum ab vniuersa Ionia celebrabatur.

a *Thales*

Mira exempla quæ in montibus & lapidibus hodie visuntur, vnde originem & causas duxerint.

CAPVT IX.

INGENS cupido animos stimulauit illorum, qui rerum naturæ originem & causas diligenti æstimatione scrutati sunt, quod orbis huius quem incolimus, immensi & inexplicabilis, totiúsq; naturæ rerum, cuius æternam vertiginem & irrequietũ ambitum videmus, principium & origo sit: quod equidem immensæ quæstionis fuit.[a] Thales ille Milesius inter septẽ præcipuè celebratus, cum quo sacerdotes Ægyptij, & vates Pindarus, ex humore omnia constare dixerunt, Anaximenes ex aëre, Heraclitus Ephesius, Stoici, & Parmenides ignem, Anaximander Milesius infinitatem, Pythagoras numeros, Empedocles Agrigentinus quatuor elementa, Plato Deum & hylen, vnde elementa deriuantur, Xenophanes aquam simul & terram, rerum originem principiúmque duxerunt. Epicurus autem, Leucippus, & Democritus Abderites, ex atomis, siue ex paruis minutisque corporibus temerè concurrentibus, in vnum confusis & condensatis, omnium elementorum vim atque substantiam, rerúmque formas, & figuras oriri dicunt.[b] Indi & Brachmanes præter quatuor elementa, quintam naturam, ex qua cœlum & sidera constarent, effinxerãt: hãcque rerum machinam, & hunc terræ globum, quem incolimus, quandoque indigestum & cõfusum, nullo rerum discrimine, aut ordine, olim vnum chaos extitisse: postea diuino cõsilio & delectu, siue ex paruis huiusmodi corporibus & sempiterna illa incursione atomorum, siue quia grauiora in profundum, leuia verò cælesti labefactata motu, & ancipiti contentione distracta, natura volente, in altum euolauere, hanc rerum faciem, & hunc quem haurimus aerem, istámque quam incolimus terram, mutuo licet contrario fultam nexu, ex illa illuuione & turbulenta confusione emersisse: & prout plus minúsve illius densatæ materiæ, vel humoris fuere participes, ita montes & edita, nunc conualles & depressa modo maria & flumina, fontésque & lacus, campósque ac diuersas rerum facies, & tanta naturæ miracula; summum illum artificem & rectorem Deum, omnium conditorem, tantæque molis fabricatorem, diuino magisterio examinato modo effecisse: humorémque in vndas, leuiáque in aëra & ignes, quódque minus defæcatum erat, in terras diuina sorte distincta recessisse: donec ad certam istam solidamque peruenit speciem, aëremque quo fruimur, quemque incolimus & haurimus. In hisque forte euenisse, vt pleraque alterius speciei & formę, in tantę machinæ molitione cum terra simul coaluerint: huiúsque rei argumentum esse, quòd terram mobilem & solubilem, paulatim confusam, longissimo æuo in lapides durescere, diuersárúmque rerum species intra lapidum viscera vnum corpus effici, illáque simul in omni æternitate condensari, ac diuersas facies quotidie artificem naturam moliri videmus. Quare diuersi coloris marmora, in quibus misturas inexplicabiles in vno nunc corpore concretas inspicimus, quandoque disiuncta & separata, multiplicium corporum fuisse facile crediderim: quæ quidem res illius primæ originis & coaceruationis indubia argumenta præbet: siue quod nonnulli tradunt, diuersis cardinibus inductis aquis, vel mari sedibus suis excito, seu nimbis effusis, diluuio quondam inundasset mundus: postea cum fluctibus & mari omnia miscerentur, desitis tempestatibus, & terræ situ defæcato, post tot aquarum moles & agitationes fluctuum, solidas apparuisse terras: propterea in montibus, quamuis longè à mari, ea quæ in litoralibus vadis cernuntur, nunc inueniri: & quamuis mediterranea, specie tamen litorali apparere. In memoria mihi est, lapidem duri marmoris non vnius coloris vidisse in montibus Calabris, longo à mari recessu, in quo multiplices conchas maris congestas, & simul concretas cum ipso marmore, in vnum corpus coaluisse videres: quas quidem osseas & non lapideas esse, & quales in litoralibus vadis inspicimus, facile erat cernere. Quod si marmor in frusta dissectum resecasses, etiam multiplices conchas singulis frustis quasi natiuas considere, & cum lapide vnà discindi videres. Quod profecto multum præstat argumenti, dissimilia corpora disiuncta prius, postea colluuione rerum mista & longo æuo coaceruata coaluisse. Quod genus marmoris, in quo conchylia videantur, plurima in Thessalia & Hæmonia præcipuè apparere auctores memorant: atque in Ægypto salsuginem exsudare.[c] Herodotus tradit, ita vt in collibus editioribus, ea quæ mari incitio expuuntur, facile conspiciantur. Apud Megarenses quoque & omnem Macedoniam, ex rupium prærupti ssimis saxis lapides excauati nonnulli testati sunt: in quibus pleraque specie appareant litorali, multáque ædificia & magnas moles ex illis construi. Iouianus Pontanus

Philosophorum opinio. vnde rerum principia.

Quinta essentia.

Chaos. Elementorum commistio.

Lapidum diuersa species vnde producta.

Conchæ in montibus.

Sal in montibus. Trabs ex lapide concreta.

ANNOTATIONES.

a THales ille Milesius] Hæc vsque ad vers. Indi & Brachmanes sunt Plutarchi li. 3. de Placitis philosophorum ca. 3. aliorum quos tibi citauimus in nostris legibus Connubialibus glo. 5. num 20. incip. nam & qui, & seq, & in Commentariis Nobilitatis c. 31. num. 535. posterioris editionis incip. quid philophorum pugnas.

b *Indi & Brachmanes.*] Strabo lib. 15. Rhodiginus lib. 18. c. 31. Quod autem dicitur vnum chaos Hesiodi est in Ergis, quem potissimum sequitur Ouidius lib. 1. Metamor.

Ante mare & terras & (quod tegit omnia) cælum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigestaq; moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaq; eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum, &c.

Chaos etiam Hesiod. in Theogonia omnium rerũ initium vocat quòd ante omnes deos, deásque natum sit. Sex. Pompeius lib. 3. appellat ex sententia Hesiodi confusam quandã ab initio vnitatem, hiantem, parentemque in profundum, ex eo & χάειν Græci, & nos hiare dicimus.

c *Herodotus.*] Lib. 4.

ad hoc æui vir haud dubiè clarus ingenio factisque, cum plerisque nobilibus, præsente me, sermocinabatur, se in promontorio Pausilyppi iuxta Neapolim, vi tempestatis, ingenti lapsu proruto monte vidisse in medio abcissi collis trabem ligneam, vndique latere montis duro lapide cinctam, montis dorso concreuisse, & in vnum corpus coaluisse: & hanc rem mirificam, quæ non minore miraculo fuit quàm conchylia in montibus, non vni tantum spectaculo fuisse. Sed ne quis hoc fictum commentum arbitretur, peruulgata res est, paucis ante nos seculis, dum Neapoli marmora ædificij causa discinderentur, adamantem mire splendidum, non natiua vena, aut rudi & informi, sed absoluta artificis manu confectum & perpolitum, mira cælatura & arte, in medio marmoris concretum fabros inuenisse, eúmque pro miraculo Regi dono datum, inter cubiculi arcana conspicuum fuisse, hodiéque inter illustria adnumerari. Præter quæ, mira profecto sunt quæ à plerisque digna memoratu produntur. Palamedes amicus meus, calcariæ fornacis præcipuus artifex, ingenio gnauo & industrio, author alioqui grauis, sæpe mihi retulit, se dum marmora discinderet, in medio silicis, quæ nisi vi malleorum disrumpi haud facilè poterat, oleum quasi in vase conclusum inuenisse, odoris immensi, & aspectu iucundo, cui medica vis fuisse dicebatur: quo effuso, manus sibi diu miro odore fragrarunt. Quod ego quo pacto, stante semper solida illa materia, illic coagulari aut occludi potuerit, non equidem scio. Nos etiam apud authores legimus, si vera tradunt, [d] in Chiorum lapidicinis diffisso saxo, caput effictum Panisci apparuisse. & ad Bætim Hispaniæ, lapides nasci, quibus scissis, ex puro auro frusta & lapillos conspiciant: [e] & ab Europo vsque Elim quicquid oræ maritimæ mari abluitur, in saxa mutari: [f] aut quod de puluere Puteolano traditur, qui marinis aquis tactis, durescit in saxum: [g] & in mari rubro syluas viuere, [h] oleámque & laurum in quibus fungi enascantur, qui mox sole tacti, conuertantur in pumicem. Atque in Lucania, Cappadocia & [i] Hierapoli Mysiæ, nonnullas esse aquas, quibus virgulta & ligna iniecta, breui pòst lapidescunt. Quòd si aquis hoc datum est, siue lege fatorum, siue consilio dei, qui reliqua mundi opera æterna constitutione molitur, vt arenas & glaream, aliásque hoc genus species consolidet & indurescat: quanto probabilius est, parentem rerum naturam, longissimo æuo ea quæ disiuncta fuerant, physica vi & ratione consolidare potuisse, cum præsertim montes lapidésque adolescere in dies, exhaustáque effossionibus loca, sua vi rursus repleri, aliáque attenuari & imminui: ac maria quæ sempiterna agitatione mouentur, alia recedere, pleraque inundare, ac locorum facies mutari quotidie spectemus?

Adamas cælatus in marmore repertus.

Oleum in silice conclusum repertum.

Caput Panisci in saxo diffisso inuentum.

Puluis Puteolanus.

Sylua in mari rubro.

Virgulta, & ligna iniecta lapidescere.

ANNOTATIONES.

d *In chiorum lapidicinis.*] Cicero li. 1. de Diuinatione, fingebat Carneades in Chiorum lapidicinis saxo diffisso caput extitisse Panisci. Est autem Paniscus diminutiuum à Pane: sicut Satyriscus à satyro.

e *Et ab Europo vsque Elim.*] Plinius lib. 35. c. 13. vbi Oropon non Europon dicit.

f *Aut quod de puluere Puteolano.*] Plinius ibi. vbi & alia loca ponit in quibus id quoque fit. Et Seneca lib. 3. Naturalium quæstionum.

g *Et in mari rubro.*] Idem Plinius lib. 13. cap. 25. non semel.

h *Oleamque & laurum.*] De vtraque idem Plinius ibi.

i *Hierapoli Mysia.*] Strabo lib. 13. non multò ante fin. Vbi etiam dicit similem esse aquam in Laodicea. Sed & idem eodem li. sed alio loco scribit quòd circa Andira lapis quidam inuenitur qui combustus ferrum fit: deinde cum terra quadam in fornace, excoctus pseudargyrum exudat terra, quæ terra si æs acceperit, fit mixtura quam orichalcum vocant. In Hibernia locus est, vbi arbor infixa terræ per aquã fit in terra lapis, in aqua ferrũ: in aëre manet lignum. Vide Hectorem Boëtium in descriptione Regni Scotorum.

Quàm varium & multiplex iusiurandum apud diuersas gentes fuerit, & per quos deos iurare consueuerint.

CAPVT X.

QVAM varium & multiplex iusiurandum apud gentes fuerit, à nonnullis proditum memoriæ est. [a] Per terram, per amnes, per fontes, per vndas fluentes, immanissimum sanctissimumq; iusiurandum fuisse, Græcorum veteres credidere: [b] apud eosdemq; qui sanctam & inuiolabilem præstant fidem, in Thesmophoræ, hoc est legiferæ Cereris tẽplũ descendere & quibusdam exhibitis sacris, deæ purpurã induere, incensisq; facibus, velut præsentibus numinibus.

Græci veteres, Aliud.

ANNOTATIONES.

a PEr terram.] Hæc vsq; ad ver. apud eosdem sunt Plutar. in vita Demosthenis, ita scribentis, Demetrius autem quodam loco immane illud iusiurandum iurasse dicit, per terram, per fontes, per amnes, per vndas fluentes. Sed & per terrã nonnullos solitos iurare potest esse testimonio illud D. Matthæi c. 5. Ego dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum: quia thronus Dei est. neq; per terram: quia scabellum est pedum eius. neque per Ierosolymam: quia ciuitas est magni Regis, neque per caput tuum iuraueris: quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum quod repetitur D. quoque Iacobi cap. 5. Et Homeri lib. 5. Odyssææ eo loco quem tibi citabimus inferius vbi de Styge loquemur. Et lib. Iliados 15. in illo Iunonis iuramento,

ἴστω νῦν τόδε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅς τε μέγιστος
ὅρκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι.
σή θ' ἱερὴ κεφαλή, καὶ νωΐτερον λέχος αὐτῶν
κουρίδιον, τὸ μὲν οὐκ ἂν ἐγώ ποτε μὰψ ὀμόσαιμι. Id est,

Sciat nunc hoc terra & cœlum latum supernè,
Et subterlabens Stygis aqua, quodq; maximum
Iuramentum grauissimumq; est beatis diis:
Tuumq; sacrum caput, & noster lectus ipsorum
Iuuenilis, quem quidem non ego vnquam temerè iurarem.

b *Apud eosdem.*] Hæc vsque ad versic. Aut per regium sceptrum. sunt Plutarchi in vita Dionis, ad fi. Iuramentum magnum erat huiusmodi, Qui fidem præstat, in Cereris descẽdit templum, & quibusdam peractis sacrificiis, deæ purpuram induit, tum ardentem captans faculam iurat.

c Aut

Per quicquid est deorum deierare solebant: [c] aut per regium sceptrum in [d] quo iurata dabat, teste Homero: quod præpotens iusiurandum regibus visum, ita vt maxima obstricti fide tenerentur. [e] Nonnunquam verre apprehenso, & stricto in iugulum gladio, cælum, terras, solem, & vltrices furias aduocare & testes facere, mox verre immolato, & in mare deiecto, iusiurandū præbere: quo præstito, nihil præterea quærendū homini erat. [f] Atheniensibus ex solis Græcis, per Isidem iurare licuit. [g] Nonnunquam deorum aras tangere, sanctissimum iusiurandum putabatur. [h] Apud Thebæos per Osiridem, [i] Scythis per solium regis, aut per [k] ventum & acinacem solenne iuramentum fuit. Apud Epidaurios per Semelem, apud [l] Thraces per Mercurium, [m] Massagetis per Tanaim & Mæotidē paludem Cappadocibus per montem, quem pro deo colunt. [n] Persarum mos erat, per mithram, hoc est, solem iurare. [o] Ægyptij allium, porrum & cepas, velut sanctissima numina venerati sunt, quæ fallere, aut illorum periurio adstringi, sine graui piaculo non licebat. [p] Fertur Zeno per capparim, [q] Iones per crambem, [r] Lampon per anserem, [s] Socrates per canē [t] & platanum [u] ne per deos iuraret, [x] aliquādo per quercum & hircum. [y] Sophocles per Laperfas, hoc est, Castorem & Polluccem, deierare consueuisse. [z] Æthiopes per defunctos, quos colebant in vita, quorum corpora vitro seruabant, deierarunt, [a] Lacones

Aliud. Iliados 2. Aliud. Athenienses. Aliud. Thebani. Scythae. Epidaurij. Thraces. Massagetae. Cappadoces. Persae. Ægyptij. Zeno. Iones. Lampon. Socrates. Sophocles. Æthiopes. Lacones.

ANNOTATIONES.

c *Aut per regium sceptrum.*] Homerus li. 1. Iliados ita Achillem iurasse scribit,

ἀλλ' ἐκ τοι ἐρέω, καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι,
ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον   id est,
Sed tibi edico, & super magnum iusiurandum iuro,
Certè per hoc sceptrum.

d *In quo iura.*] Nam & Homer. paulò post ea hæc adducit,

—— νῦν αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵτε θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύαται· ὁ δέ τοι μέγας ἔσσεται ὅρκος.
— *Nunc iterum ipsum filij Achiuorum*
In manibus portant iudices, quique leges
A Ioue hauserunt. hoc autem tibi erit magnum iuramentum.

e *Nonnunquam verre apprehenso.*] Id enim fuit Agamemnonis iusiurandum, affirmantis Briseidem à se incorruptā reddi, vbi confestim hæc lib. 15. Iliados subdit,

ἦ, καὶ ἀπὸ στόμαχον κάπρου τάμε νηλέι χαλκῷ,
τὸν μὲν Ταλθύβιος πολιῆς ἁλὸς ἐς μέγα λαῖτμα
ῥῖψ' ἐπιδινήσας βόσιν ἰχθύσιν.
Dixit & iugulum apri abscidit sæuo ferro:
Hunc equidem Talthybius spumantis maris magnū fluctum
Iecit aduoluens escam piscibus.

f *Atheniensibus.*] Diodorus Siculus lib. 1. ca. 2. ad fin. sic inquit, Solos ex Græcis Athenienses per Isidem iurare, forma moribùsque Ægyptiis similes, pluráque alia his similia magis ambitiosè, quàm verè asseruntur.

g *Nonnunquam deorum.*] Iustinus lib. 24. & vide suprà.

h *Apud Thebaos per Osiridem.*] Diodorus d. lib. 1. c. 2. Apud Thebaidos verò (quæ ciuitas antiquissima est omnium) incolas, maximum habetur iusiurandum per Osiridem in nubibus existentem. Hincque forte illud Horatij epistol. lib. 1. epist. 17. ad Sæuam in fin.

—— *Per sanctum iuratus credat Osirim.*

i *Scythis per solium Regis.*] Herodotus lib. 4. Est, inquit, Scythis mos plerunque iurandi per regium solium, cùm maximum volunt interponere iusiurandum.

k *Aut per ventum & acinacem.*] De vtroque Lucianus in Scytha, & in Toxari, vbi rationem reddit, quòd ventus sit causa vitæ acinacis mortis.

l *Thraces per Mercurium.*] Herodot. lib. 5. post princ. sic scribit, Deos (Thraces) hos solos colunt, Martem, Liberū, Dianam: sed Reges præter populares etiam Mercurium: eumq; è diis præcipuè, per quem solum iurant, à quo progenitos quoque se aiunt.

m *Massagetis per Tanaim & Maotidem paludem.*] Maximus Tyrius Platonicus Philosophus Sermone 38. Mons Cappadocibus est Deus, iusiurandum & simulachrum: Mæotis palus & Tanais Massagetis.

n *Persarum mos erat.*] Ita enim vocat Artaxerxes apud Plutarchum in eius vita, & Ælianum lib. 1. de Varia historia. Et Cyrus apud Xenophontem in Oeconomico. Sed & per patrios deos eos nonnunquam iurasse testis est Q. Curtius lib. 4. vbi tradit, Tyriotem Persam sic iurasse apud Darium.

o *Ægyptij allium, porrum, & cepas.*] De allio & cepis Plinius lib. 19. ca. 6. Allium, inquit, cepásque inter deos iureiurando habet Ægyptus. Sed & de cepis & porro est illud Iuuenalis satyra 15. post princ. de Ægyptiis loquens,

Porrum & cepe nefas violare ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

& præterea de cepis Lucianus in Ioue Tragœdo.

p *Fertur Zeno per capparim.*] Laërtius in vita ipsius Zenōnis authoritate Demetrij Magnesij. Hesichius vbi de Rhadamanthus iurisiurandis. & Athenæus lib. 8. c. 2. Neque mirabile sanè videri debet, si per brassicam quidam iurabant, quando Zeno Citicus, qui porticum condidit, cùm Socratis iusiurandum per canem imitaretur, & ipse per capparim iurabat, vt inquit Eupodus in Memorabilibus. Est autem Cappatis frutex firmioris ligni, sentìcosus & humilis.

q *Iones per Crambem.*] Καὶ μὰ τὴν κράμβην. Apod Atheneum vbi suprà, ex Eupolidis in fucatis & aliorum authoritate.

r *Lampon per anserem.*] Aristophanes in Auibus, Λάμπων δ' ὄμνυσιν ἔτι καὶ νῦν τὸν χῆν', ὅταν ἐξαπατᾷ τι. id est, Lampon autem iurat etiam & nunc anserem, quando decipit aliquis aliquid.

s *Socrates per canem.*] Laërtius Hesichius in locis citatis suprà in verbo, Fertur Zeno. Tertullianus in Apologetico, cap. 13. Lactantius lib. 3. cap. 20. vbi & eum quoque iurasse per anserem. Diuus Augustinus in libr. de Vera religione, c. 2. in prin. vbi & illum dicit iurasse per lapidē quemlibet, & quidquid esset in promptu & quasi ad manū perueniret.

t *Et Platanum.*] Philostratus in vita Apollonij lib. 6. cap. 9. Socratis iuramenta in hæc verba describit, Tum Thespesion fuit, inquit, Socrates quidem Atheniensis senex fatuus, vt vos putabatis, is canem, anserem, platanum deos putans, per eos iurare consueuit.

u *Ne per deos iuraret.*] Hæc ratio est vnius Philostrati vbi suprà, in fin. Minimè verò fatuus habitus est, inquit Apollonius, sed diuinus quidam vir, & verè sapiens: iurabat autē per ea, quæ dixisti, non tanquā deos, sed ne per deos iuraret.

x *Aliquando per quercum.*] Tertul. vbi suprà.

y *Sophocles per Laperfas.*] Strabo li. 8. Apud Sophoclem per Laperfas, id est Geminos, iuratur: sicut & per Spartanos & Argiuos deos iuratur.

z *Æthiopes per defunctos.*] Strabo lib. 17. Diodorus Siculus lib. 1. c. 2. & lib. 4. vel aliorum supputatione 3. c. 1. tit. de Æthiopibus. qui sunt vltra Libyam, déque his quæ apud eos antiqua feruntur: Ægyptiorum funera describens, inquit, Alij in vrnis fictilibus cōdeotes, circa templa sepeliunt: per quos maximum habetur præstitum iuramentum.

a *Lacones.*] Strabo dict. lib. 8. nuper citato. Et adde Græcos iurasse per cæsos in Marathone ac Salamine propugnatores reipublicæ: quo iureiurando vsus est Demosthenes in oratione οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας. quod ex eo annotauit Quintilianus lib. 9. c. 2. quod est de figuris sententiarum. & lib. 12. cap. 10. quod est de genere dicendi,

Armenij. Alij. Syracusani. Græci plerique. Pythagorei. Afri. Pœni. Orpheus Philosophi Indi. Prienenses. Augili. Nasamones. Ægyptij. Pœni.

per Spartanos & Argiuos deos. [b] Armenij iusiurandum de rebus magnis in templo Anaitidis deæ, quam maximi numinis instar habebant, ab ipsisque religiose colebatur, præstare consueuerant. [c] Apud nonnullos per obscœnos & fœtidos cibos: [d] ab aliis per caput alterius, [e] aut per mensam & fruges: nonnunquam [f] super defectis carnibus, aut militaribus armis. [g] Apud Syracusanos, tactis cereis ignitis iurabatur. [h] Græcorum plerique per Rhadamanium, [i] Pythagorei per quaternionem: siquidem hunc numerum ad animæ integritatem spectare dicunt: in his fuere, mens, scientia, opinio, & sensus. [k] Afri per viros insignes, qui virtutibus enituere: [l] Pœni per patrios deos, fidem iureiurando sacrarunt. Orpheus autem, si quis diuinam iustitiam attestari vellet, per nomina octo iurare permisit, Ignem Aquam, Terram, Cœlum, Lunam, Solem, Phanem, & noctem. Philosophi per Socratem, tanquam numen sanctissimum, [m] Indi per aquam Sandaracinam, quæ apud magos è fonte manabat, maximum iusiurandum æstimarunt, ita vt deierantes graui nexu & certissimo exitio tenerentur. [n] Neque omiserim Prienẽsium spectatissimũ iuramentum, qui cum ad internecionem ad locum qui dicitur Quercus, cum Milesiis graui bello decertassent, in eóque liberos & chara pignora amisissent, si quid sanctiore fœdere firmare vellent, per tenebras quæ apud Quercum, deierabant, [o] Sicut Augilis qui circa Cyrenem sunt, [p] & Nasamonibus, nisi per manes defunctorum, quos veluti deos colebant, iurare fas erat, illorum sepulchra contingentes: [q] quod Ægyptiis quoque in more fuit, vt per defunctos quos in fictilibus circa templa condiderant, maximum putarent iusiurandum, contra cuius religionem venire non licebat. [r] Pœnorum mos traditur, vt aram & sacra tangentes, [s] vel tagnum læua,

ANNOTATIONES.

dicendi. Meminit etiam huius iurisiurandi Athenæos li 9.c. 6. de Septẽ sapientibus rei coquinariæ, cùm sic scribit, Cùm nos precaremur magnopere, summóque contenderemus studio, vt hanc nobis scientiam patefaceret, Non dicam, inquit, hoc anno, per eos qui mortui sunt in Marathone, ac eos qui bello nauali in Salamine decertarunt.

b *Armenij iusiurandum.*] Strabo lib. 11. Zelerica regio, inquit, Zela vrbem super aggerè Semiramidis conditam habet. in ea templum est Anaitidis, quæ ab Armeniis colitur. Hoc in loco sacra cum sanctimonia maxima celebrãtur, & iusiurandum de rebus maximis hîc fit.

c *Apud nonnullos.*] Plinius lib. 2. c. 7. Gentes verò quædam animalia etiam aliqua & obscœna pro diis habent, ac multa dicto magis pudenda, per fœtidos cibos & alia similia iurantes.

e *Ab alijs per caput alterius.*] Homerus,

πατεὶρ κεφαλὴν μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι

Et lib. Iliados 15. eo loco, quem suprà adduximus, vbi Iuno ipsa iurat per caput Iouis. Et Virgilius libr. 9. Æneidos,

Per caput hoc iuro per quod pater antè solebat.

Ex quo intelligis non solùm per caput alterius, sed & per suum, iusiurandum concipere solere. Et Ouid. lib. de Ponto 3. epist. 3. ad Maximum,

Per mea tela faces, & per mea tela sagittas.
Per matrem iuro Cæsareumque caput.

Et In epistula Briseidis ad Achillem.

Perque tuum nostrumq; caput, quod iunximus vnà,
Perque tuos enses, cognita tela meis.
Nulla Mycenæum sociasse cubilia mecum
Iuro: fallentem deseruisse velis.

Apuleius lib. 3. Meta. Adiuro enim tuum mihi charissimum caput, nulli me prorsus, ac ne tibi quidem ipsi asseueranti posse credere, quòd tu quicquam in meam cogitaris perniciem. A Iuuenale quoque satyra sexta dictum est,

--- Nondum Græcis iurare paratis
Per caput alterius. ---

Euangelica præceptio interdicit Matthæi 5. ne per caput nostrum iuremus.

e *Aut per mensam, aut fruges.*] Festus Pompeius lib. 11. in fi. Mensa, inquit, frugibúsque iurato, significat per mensam & fruges. Mensæ in ædibus sacris ararum vicem obtinebant.

f *Nonnunquam super defectis carnibus.*] Lucianus in Toxaride.

g *Apud Syracusanos.*] Plutarchus in Dione ad finem.

h *Græcorum plerique per Rhadamanthum.*] Nã vetus est Græcorum adagium *ῥαδαμάνθυος ὅρκος*. id est, Rhadamanthi iusiurandum pro verissimo apud Aristidem rhetorem in Pericle. de quo vide Erasmum Chiliadis. 2. cent. 9. cap. 31.

i *Pythagorei per quaternionem.*] Polybius lib. 3. historiarum, Lucianus in vitarum auctione post prin. & iterum in libello, cuius est titulus, Pro eo quod inter salutandum verbo lapsus fuerit. Huoc quaternarium numerum vocant *τετρακτὺν*, vt ex eo carmine apparet, quem adducit Macrobius in primo commentario in Somnium Scipionis c. 6.

οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.

Id est,

Non per eum à quo anima est datus ille quaternio nostra.

Existimant enim hunc numerum vsqueadeo ad animæ perfectionem pertinere, vt eum in arcanis venerentur. Pythagoras in Carminibus aureis Quaternionem sacrum animæ fontem vocat. Vide Erasmum loco suprà proximè citato.

k *Afri per viros insignes.*] Herod. lib. 4. Nasamonibus huius iurisiurandi ritum tribuit.

l *Pœni per patrios deos.*] Polybius d. li. 3. Historiarum vbi ita dicit iurasse Carthagienses in fœdere ab eis facto cum Romanis.

m *Indi per aquam Sandaracinam.*] Philostratus in vita Apollonij, c 3. sic scribit, Dicebatque Apollonius postmodum didicisse omnem, quæ sub puteo est terram Sẽdaracinam esse, aquam etiam eiusdem putei arcanam vim quandam habere arbitrbãtur. Nec ea ea bibit aut haurit omnino quisquam. Putatur autem per omnem Indiam maximum esse iusiurandum, si quis per eam aquam iurauerit.

n *Neque omiserim Prienensium.*] Plutarc. probl. c. 133. & Zenodorus ex Aristotele in politia Samiorum.

o *Sicut Augilis.*] Pomponius Mela lib. 1. ca. 8. vbi Cyrenaicam describit. Plinius lib. 5. c. 8. Solinus c 44.

p *Et Nasamonibus.*] Herodotus lib. 4. de his loquens, Iureiurando, inquit, ac diuinatione tali vtuntur per eos viros, qui iustissimi atque optimi apud illos fuisse dicuntur, iurant illorum sepulchra tangentes.

q *Quod Ægyptijs.*] Imò verò Æthiopibus ex Strabone lib. 17. & Diodoro Siculo li. 4. c. 1. & supra diximus. Nihil enim tale de Ægyptiis reperitur.

r *Pœnorum mos.*] Liuius 3. Decad. lib. 1. post princ. & Valerius Maximus lib. 9. c. 3. vbi de Hannibale loquitur. Sed alij quoque nonnulli id faciunt, vt colligi potest ex Cicerone in Oratione pro L. Flacco, Ergo is qui si aram tenens iurasset, nemo crederet, per epistolam quod volet, iniuratus probabit? Hincque illud prouerbium *μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί.* id est, vsque ad aram amicus sum. Vide Erasmum Chil. 3. cent. 2 cap. 10. Meminit huius Polybius lib. 3. & Cæl. Antiq. libr. 21. cap. 25.

s *Vel agnum læua.*] Idem Liuius eod. illo. lib. sed alio loco

Eáque

dextra silicem tenentes, deos hominésque contestentur, vt si illos sciens falleret, ita se Iupiter feriret quemadmodum ipse agnum percuteret. t Quin etiam vetus Romanis inoleuit mos, vt iuraturi per Iouem, modò u ad deorum aras sacrificio perfecto, ignem, aram atque exta tangerent: modò super cæsis hostiis iurarent: x nonnunquam lapidem silicem tenentes, hæc ad verbum proferrent, Si sciens fallo, me Iupiter, salua vrbe arcéque, bonis eiiciat, vti ego lapidem hunc eiicio. Quibus enunciatis, lapidem manu emittebat: ideo per Iouem lapidem, solennissimum sanctissimumque iusiurandum veteribus fuisse proditum est, illúdque intentioni cura seruari oportebat. y Quod quidem in fœderibus publicis solennius præstabatur, vt fecialis, sumpto manibus lapide, pactis conuentis state promitteret, in hæc verba: Si rectè ac sine dolo malo hoc fœdus, atque hoc iusiurandum facio, dij mihi cuncta felicia præstent: sin aliter aut facio, aut cogito, cæteris omnibus saluis solus ego peream, vti lapis hic è manibus meis decidet. Post quam precationem, manu lapidem eiiciebat, cui iuramento nullis opibus, nullóque negotio contraire fas erat. Præter quæ frequens Romanis fuit iusiurandum per deos & deorum numina, pérque z terram, mare & sydera: † sicut per deum Fidium, a qui Sabinorum deus est, cuius ædes in Quirinali fuit. Per parentes verò præstari iusiurandum, illósque iuramentis aduocare, illiberalis sermo est habitus. b Præ cæteris autem ex omni memoria sanctissimum iusiurandum apud Romanos visum est, vt iurans, terram tenens, cælum deósque contestans conceptis verbis se & caput suum, ac stirpem & familiam, bona & fortunas, quibusdam additis precationibus

Romani.

Per Iouẽ lapidem.

Fecialis iuramẽtum.

Per deum Fidium.

Per parentes.

Sanctissimum iusiurãdũ apud Romanos.

ANNOTATIONES.

Eàque vt rata scirent fore, agnum læua manu, dextra silicem retinens, si falleret, Iouem cæterósque precatus deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset: secundum precationem caput pecudis saxo elisit, Adde superioribus Ptolemæum Ceraunicum in templo Iouis sumptis in manibus altaribus, contingentem ipsa simulachra & puluinaria deorum, inauditis vltimísque execrationibus adiurasse se sincera fide matrimonium sororis petere, apud Iustinum lib. 24. Et Eleorum iusiurandum fuisse per Sosipolim eorum deum, ex Pausania in Eliacis poster. Et Eupolidem per amygdalum apud Athenæum lib.2.c.10.

t *Quin etiam vetus Romanis.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. Atque etiam per Cererem ex Iuuenale sat.14.

Falsus erat testis, vendet periuria summa
Exigua, Cereris tangens aramque pedémque.

Et per alios quoque ex Virgil.lib.12. Æneidos.

Tange aras mediósque ignes, & numina testor.

Vide Macrob. lib.3.c.2.

u *Ad deorum aras.*] Vt patet ex iis quæ diximus in verbo, Vel agnum læua.in præced. præterea ex Iuuenale saty.3.

—— Iures licet & Samothracum
Et nostrorum aras. ——

x *Nonnunquam lapidem silicem.*] Festus Pompeius libr. 10. statim post princ. Huc pertinet illud Ciceronis epistol. famil.lib.7.epist.1. Deliriæ verò tuæ noster Æsopus eiusmodi fuit, vt ei desinere per omnes homines liceret. Is iurare cùm cepisset, vox eum defecit in loco illo, Si sciens fallo. Et rursum episto. eiusdem libr. 13. Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare, cùm scias iratum esse Iouem nemini posse: Phauorinus apud Gellium lib.1. cap. 21: Iouem, inquit, lapidem, quod sanctissimum iusiurandum est habitum, paratus ego iurare. Apuleius in lib. de Deo Socratis, Quid igitur iurabo? per Iouem lapidem, Romano vetustissimo ritu? Huc quoque respicit quod scribitur in decretis canonicis 22.q.5.c.ecce dico charitati vestræ, & qui per lapidem falsum iurat, periurus est. Ita enim legendum contendit Erasmus, non super lapidem, vt vulgò legitur. Quanquam & pauló pòst in §. Item obiiciatur qui iurat. Plutarch. in Sylla, inquit, Capitolium ascendens lapidémque manu tenens, iurauit et deinde præsente multitudine imprecatus est, nisi amorem in illum (de L. Cinna loquitur) beneuolentiámque seruasset, non secus ex vrbe extrudi ac lapia è manu: & lapidem abiecit in humum.

y *Quod quidem in fœderibus publicis.*] Polybius lib. 3. historiarum, loquens de fœdere Romanorum & Carthaginensium in hæc verba. Fecialis sumpto in manibus lapide, postquam de fœdere inter partes conuenerat, hæc verba dixit, Si rectè ac sine dolo malo hoc fœdus atque iusiurandum facio, dij mihi cuncta felicia præstent, sin aliter aut ago aut cogito, ceteris omnibus saluis, in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris solus ego peream, vt hic lapis è manibus meis decidet. Nec plura loquutus, manu lapidem deiiciebat. Nota quòd pauló antè dicit Romanos in eo fœdere iurare per Martem & Enualium. Vide Cælium lib. 21. cap 5.

z *Per terram.*] Vide suprà ibi, Per terram, & Virgil. Æneid. 12.

Hæc eadem Ænea, terram, mare, sidera iuro,
Latonæque genus duplex, Ianumque bifrontem.
Vimque deum infernam & diri sacraria Ditis.

Æneas ad Didonem apud Virgil.lib.6.

Funeris heu tibi causa fui, per sidera iuro,
Per superos. ——

† *Sicut per deum Fidium.*] Plautus in Asinaria statim post princip.

Per dium Fidium quæris. Iurato mihi:
Video necesse esse eloqui quicquid roges.

Et hoc iusiurandum idem esse dicunt quod alij hoc vno vocabulo, composito tamen, Medius fidius concipiunt. Nam Festus Pompeius lib.11. Mediusfidius, inquit, compositum videtur, & significare Iouis filium, id est, Herculem, quòd Iouem Græce Ζεὺς διὸς, & nos Iouem ac Fidium pro filio, quod sæpè antea pro l, litera d, vtebantur. Quidam existimant iusiurandum esse per diui fidem, quidam per diurni temporis, id est, diei fidem. Hæc Festus. Alij sic exponunt Mediusfidius, hoc est, per deum Fidium. Nam Fidius deus est, qui fidei præest. Hoc autem iureiurando vsus est Cicero in Oratio. pro Roscio Amerino. Cecinna ad ipsum Ciceronem epistolar, famil.lib.6.epist.7. Et Brutus ad eundem eiusdem operis lib.16 epistol 3. Plinius epist.lib.4 epist.3.

a *Qui Sabinorum Deus est.*] Quod satis innuere videtur Varro lib.1. aut aliorum computat.4. de lingua Lat. Et Ouid.lib. 6. Fast. de eo loquens,

Quærebam, Nonas Sancto, Fidióne referrem,
An tibi Semipater. Tunc mihi Sanctus ait:
Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo:
Nomina trina fero, sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali constituere iugo.

b *Præ cæteris autem.*] Per terram & cælum solere nonnunquam iurari videri potest ex illis locis D. Matthæi cap. 5. & D. Iacobi cap. item 5. quibus vetatur iurari per cœlum, & eo loco Homeri, quem tibi afferemus infrà, vbi de Styge aqua loquemur. Sed hîc non possum prætermittere aliam iurisiurandi Romanorum formulam relatam à Liuio 3. Decad. lib. 2. vbi de Scipione cui posteà Africano agnomẽ fuit, loquens, Pergit, inquit, deinde ire sequentibus paucis in

Per salutē & genium principis. denoueret.[e] Post aliquot vero tempestates, per salutem[d] & gen um principis deierare, longe præstantissimum iusiurandum haberi cæpeum, cui nulla vi, nul óque imperio conitaire fas erat. [e] Qod Tiberius Cæsat de se præstati vetuit. Nam ne in acta sua iurarenr, néve nomen suum testarentur, aut genium, obstinatissimè restitit. [f] Quod etiam de Nerone proditur vt cùm antea in acta principum iuratenr magistratus, collegam suum Antistium in sua acta iurare inhibuerit. [g] Caius Caligula maximum iuramentum, nec pro concione, nec ad milites, nisi per nomen Drusillæ præstitit, cui plus nimio addictus erat. *C. Caligula iuramētum Claudij.* [h] Claudius verò per Augustnm. Est quoque omnium sermone celebratum, & magnis euentis periculísque expiatum, quod in [i] ara Palicorum, lacu seu eratere religioso, breui & profnndo, sempérque lurido, apud Siculos iuramentum præstabatur: ad quem multiplici scaturigine ebulliētem iurantes sponsione facta religiose accedebant: & qui caste & sine labe criminis iurasser, illæsus & validus abibat: qui verò contra religionem, iurisiurandi fidem abiurasset, reus criminis, in lacu demersus, læsæ consciemiæ & peierati numinis, morte pœnas dabat in quorum templo fama fert, crateres quosdam incerta & cæca origine, igneos globos perpetim euomere, & feruentem aquam terri odoris inde æstnare. *Apud Siculos in ara Palicorū.* [k] Quod Aristoteles de fonte Acadino memoriæ prodidir, qui iuxta Palicos in Sicilia manar, in quo tabellas inscripto iuramento, si recte iuratum fore, supernatare, neque liquore perfundi asseuerat: si perperam, protinus in profundum rapi, neque apparere vltra. *Acadinus fōs.* [l] Idem in Sardinia quasdam aquarnm scaturigines facere nam vbi periurium erat, quicumque in eis immersus, cæcitate admissum facinus luebat: qui verò integer ad iusiurandum accedebar, incolumi fama clarius cernebat. *In Sardinia.* [m] Iuxta Tyanam quoque fons Ioui sacer, frigidus ebullire traditur, qui quum cæteris foret innoxius, periuris *Fons iuxta Tyanā.*

ANNOTATIONES.

hospitium Metelli, & cùm concilium ibi iuuenum, de quibus allatum erat, inuenisset: stricto super capita consultantium gladio, Ex mei animi sententia, inquit, iuro, vt ego rempub. non deseram, neque alium ciuem Romanum deserere patiar. Si sciens fallo, tum me Iupiter Opt. Max. domum, familiam, rémque meam pessimo leto afficias. In hæc verba L. Cæcili iures expostulo, cæteríque, qui adestis. Qui non iurauerit, in se hunc gladium strictum esse sciat.

e *Post aliquot tempestates per salutem.*] Verùm & id priscis illis temporibus ita iurabatur, quando Ioseph, sanctissimus, ille patriarcha non semel per salutem Pharaonis iurauerit Genesis cap. 42. Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. & paulò pòst, Per salutem Pharaonis exploratores estis. Sed & aliquando per salutem suam, scilicet iurantis. l. qui per salutem. ff. de iureiur. vbi dicitur ita iurare peræquè esse ac si per Deum iuraretur.

d *Et genium Principis.*] Vel testimonio Iurisconsulti in l. si duo patroni. §. vlt. de iureior. & Tertulliani in Apologetico, c. 28. 31. & 35. ex quo & illud Apuleij lib. 9 Metam. Contra commilitones, ibi, nec vspiam, illum delitescere adiurantes genium Principis contendebant. Sed & interdum per genium suum, aut eius cum quo loquereris, iurare mos fuit, vt videre licet ex Seneca ad Lucilium lib. 1. epist. 12. Iurat per genium meum se omnia facere, in nulla re cessare curatio suam, sed illas verulas esse. Quin etiam per ipsum Cæsarem plebs Romana aliquando iurauit, vt & videre potes apud Suetonium in Cæsare, cap. 85. in fi. Plebs, inquit apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controuersias quasdam interposito per Cæsarem iureiorando distrahere perseuerauit, & per principis venerationem ex l. 2. C. de reb. cred. Et si per principis venerationem quodam calore fuerit peieratum, inferri non placet.

e *Quod Tiberius Cæsar.*] Suetonius in vita illius, c. 26. Cornelius Tacitus lib. 1. Nomen patris patriæ Tiberius à populo sæpius ingestum, repudiauit: neque in acta sua iurari, quanquam censente Senatu, permisit. Dion Romanæ historiæ lib. 57. Adeo popularis erat (inquit loquens de Tiberio) in omni re, vt neque præter consuetudinem quicquam fieri natali suo, neque per suam fortunam iurare cuiquam permiserit: neque, si quis iurasset, ac periurij reus ageretur, id prosecutus est.

f *Quod etiam de Nerone.*] Tacitus lib. 13. statim post princ. Claudio Nerone L. Antistio Coss. cùm in acta principis iurarent magistratus in sua acta collegam Antistium iurare prohibuit, magni patrum laudibus, vt iuuenilis animus leuium quoque rerum gloria sublatus, maiores continuaret.

g *C. Caligula.*] Sueton. in vita illius, cap. 24. Sed & idem Caligula per salutem & fortunam sui equi (quem Velocissimum, aut Incitatum nominabat) iurabat, eúmque inuitabat ad cœnam, eique hordeum ex auro apponebat, fundebátque vinum in poculis aureis, séque eum consulem facturum pollicebatur: id quod fecisset omnino si diutius vixisset. Author Dion lib. 59. & in vita illius.

h *Claudius verò per Augustum.*] Sueton. in vita Claudij. cap. 11. Conuersus, inquit, ad officia pietatis, iusiurandum neque sanctius sibi neque crebrius instituit, quàm per Augustum.

i *In Ira Palicòrum.*] Diodorus Siculus lib. 11. non multò ante finem. Stephanus in lib. de Vrbibus. Macrobius lib. 5. Saturnal. c. 19. Quod si alia scire vis de huiusmodi Palicis, vide Seruium in lib. 9. Æneid. ibi.

—Symethia circum
Flumina, pinguis vbi & placabilis ara Palici.

Et Lactantium Placidum in lib. 12. Thebaidos Statij, ibi.

—— Immites Busyridos aras
Odrisiique famem stabuli, Siculosque licebit
Exorare deos.——

k *Quod Aristoteles de fonte Acadino.*] Aristoteles in lib. de Mirabilibus auscultationibus, quasi ad verbum, & Stephanus vbi suprà.

l *Idem in Sardinia.*] Solinus cap. 10. vbi de Sardinia insula, in fi. sic inquit, Sed oculis medentur, & coarguendis valent furibus. Nam quisquis sacramento raptum negat, lumina aquis attrectat. Vbi periurium non est, cernit clarius. Si perfidia abnoit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis, admissum tenebris fatetur. Rhennius in Dionysij periegesi sic inquit,

Sardinia postquam pelago circumflua tellus
Fontibus è liquidis prabet miracula mundo,
Quod sanant agros, pandunt, damnantque nefando
Periuros furto quos tacto lumine cæcant.

Irrigarent vtinam hac tempestate terram omnem, vt terrore saltem pœnæ, à tot mendaciis ac periuriis homines abstinerent. Ex Sardois aquis non inelegās sumetur adagium, in furacem hominem, qui furtum etiam peierando constanter negat.

m *Iuxta Tyanam.*] Philostratus in vita Appollonij lib. 1. c. 4. Est (inquit Græcè quidem, sed hoc sensu) iuxta Tyanam, aqua Ioui (vt perhibent) sacrata, quam indigenæ extinguibilem vocant. Fons eius frigidus sanè scatet: ebullit autem non secus, atque igne calefactus lebes. Hanc puris & iuramenti fidem seruantibus viris aspectu placidam & gustu dulcem esse perhibét: periuris verò & infidis palàm aduersari

ſolum poſtulas liuentes, & vomicas facit calamitoſas.ⁿ Atque in Bithynia iuxta Brieti templum fons cæremoniis facet, manare feruentis naturæ, vbi periuri velut vrente flamma necabantur, ita vt magno malo periurium lueretur.° Tenet opinio, in Arcadia apud aquam Stygem (quæ è petra manabat præſentiſſimi veneni) ad Nonacrim, idem iuſiurandum præſtari, ſub inſigni documento ſpretæ religionis: namque in fraude & perfidia deierantium, extremi diſcriminis erat, Sicut ſubterraneus ſpecus ad Corinthum, qui Palæmonis dicitur, à nemine adiri fertur ſine periurij pœna memorabili.ᵖ Fuitque in vſu apud Athenienſes, vt iuſiurandum quod publicè in fœderibus præſtabatur, poſtquam per ſenatum exhibitum erat, quo ſanctius foret, quæſtores: apud Argos verò, prætores confirment: apud Mantineam, vates & belli Duces: in Elide autem, opifices & legum periti, nequid repentino motu imperitæ multitudinis mutari, aut ſecus fieri dicique poſſet. Præ cæteris verò maximum vinculum iuramenti ᑫ apud Samnites vetuſta religione fuiſſe traditum eſt, vt ara in medio conſtituta, ac cæſis victimis, omni aditu præſepto, iurans introducatur, & furiali carmine inter ſtragem victimarum dira execratione adſtringatur. Qui etiam Arcadibus mos erat, inter cædes victimarum ſolennem fidem & iuſiurandum dare.ʳ Græcis verò, libantes diis in ædibus ſacris iurare, magnum vinculum iuramenti exiſtimatum eſt.ˢ Illud vtique profuerit admonuiſſe, diu ſeruatum apud Romanos, vt neque viri per Caſtorem, neque mulieres per Herculem, iuſiurandum darent: per Pollucem vero vtrique iurare non vetantur: ſæpius tamen maſculi per deos, mulieres per deas iurare vſurparunt: licet ᵗ Socrates apud Platonem per Iunonem iuraſſe legatur. ᵘ Quódque qui Herculem aut Dionyſium, ˣ vel deum Fidium iuraturi ſunt, ſub dio iurare cogantur: ſub tecto autem non decebat, quia cum obuiam eundo periculis, laboribus maximis fuerint exerciti, in vmbra & ſub tecto, tanquam ſub ignauo otio illos appellare turpe erat ʸ Fuit quoque literis proditum, pontifici maximo per deos iurare licuiſſe, per libertos

Fons in Bithynia. Styx in Arcadia. In ſpecu Palæmonis apud Corinthum. Iuramenta per quæſtores vates, & belli duces, aliósque confirmata. Samnites. Arcades. Græci. Viri per Herculem, fœmina verò per Caſtorem iurabant. Cæremonia. Pontifex Maxi. Flamen dialis nō iurabat.

ANNOTATIONES.

terſari Epota namque oculos pedéſque ac manus peierantis inuadit puſtulis, ac vomicis totum corpus inquinans: neque illic diſcedendi facultas datur: ſed ibidem permanentes coram aqua ipſa ſuam deplorant calamitatem, palàm quòd peierarunt profitentes. Similem fontem in Æthiopia eſſe ſcribit Diodorus c.5. vt quæ, inquit, pota in inſaniam vertens cogat occulta errata palam fateri.

n *Atque in Bithynia:*] Plinius lib. 31. cap. 2. Amnis, inquit Olachas in Bithynia Briazom alluit, hoc eſt & templo & Deo nomen, cuius gurgite periuri notantur pati velut flammam vrentem. Ex quo intelligis mendum eſſe in vocabulo Brieti.

o *Tenet opinio in Arcadia apud aquam Stygem.*] Hæc ex Herodoto lib.6 vbi loquitur de Cleomene Spartanorum Rege Plinius lib.2.c.103.& lib.31.c.2. & Seneca lib.3. Naturalium quæſtionum. Virgil. lib.6. Æneid. ibi,

Cocyti ſtagna alta vides Stygiamque paludem,
Dij cuius iurare timent & fallere numen.

Et lib.9. eiuſdem operis loquente de Ioue,

Dixerat, idque ratum Stygij per flumina fratris,
Per pice torrenteis atráque voragine ripas
Annuit. ——

Et Statio lib. 8.

—Et Styx periuria diuûm
Arguit.——

Et Auſonio in Monoſyllabis verſibus deorum,

Quaque piat diuûm periuria nocticolor Styx.

Apuleio lib.6. Metamorph. Dis etiam, ipſique Ioui formidabiles aquas Stygias, vel fando comperiſti? quódque vos deieratis per numina deorum, deos per Stygis maieſtatem ſolere? Seruio in lib.6. Æneid. ibi,

Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara.——

Et ante hos Homero lib.2. Iliados in Catalogo Græcorum,

ὅρκου γὰρ δεινοῦ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ.

Id eſt,

Iuramenti enim grauis Stygis aqua eſt fluxus.

Et lib.5. Odyſſeæ,

ἴστω νῦν τόδε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅς τε μέγιστος
ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι,

Id eſt,

Sciat nunc hoc terra & cœlum latum deſuper,
Et defluens Stygis aqua quod maximum
Iuſiurandum grauiſſimúmque eſt beatis deis

Ante omnes Orpheus tradit deos peierantes per Stygem, nouem millibus annorum puniri in Tartaro. quod ex eo repetit Seruius enarrans illud Virgilij lib.6. Æneidos,

Ipſe deûm pœnas docuit, perque omnia duxit.

Sicut ſubterraneus locus ad Corinthum, qui Palæmonis dicitur, Pauſanias in Corinthiacis, qui liber ſecundus eſt, de Palæmonis æde loquens, ſic ſcribit, Simulachra in hoc ſunt Neptuni & Leucothææ & ipſius Palæmonis. Eſt & ædificium aliud, Adytum appellant, deſcenſus in id ſubterraneus eſt. Ibi Palæmonem occultatum eſſe perhibent. Quicunque ibi peierauerit, ſiue Corinthius ſit ſiue peregrinus, periurij pœnas nulla ratione effugere poteſt.

p *Fuitque in vſu apud Athenienſes.*] Hæc ex Thucydidis lib. 5. ſunt ad verbum deſumpta.

q *Apud Samnites.*] Liuius 1. Dec. lib. 10.

r *Græcis verò.*] Vide Val. Max. lib.2.c.5. in. fi. vbi de Xenocrate loquitur, quem Athenienſes iurare non permiſerunt.

a *Illud vtique profuerit.*] Hæc vſque ad verſic. Sæpius tamen. ſunt Gellij lib.11.c.6. At Donatus in Andriam Terentij act. 3. ſcena 2. Per Caſtorem, inquit, & Pollucem ornatius ſunt iurandi, apta fœminis. Nam ibi apud ipſum Terentium Lesbia fœmina ſic loquuta eſt,

Peracaſtor ſcitus puer natus eſt Pamphilo.

Cæterùm Apuleius lib. 4. Metamorph. introducit anum quandam non tam inſcitè quam eleganter iurantem per Herculem, his verbis, Bono animo eſto mechercules, nec vanis ſomniorum figmentis terreare.

t *Licet Socrates apud Platonem.*] In Gorgia.

u *Quodque qui per Herculem, aut Dionyſium.*] De his duobus Plutarchus proble. cap.27. vbi rationem reddit: quia ſcilicet Herculem & Dionyſium ferunt, non vmbraticam vitam domi egiſſe: ſed foris & ſub dio, ſemper vixiſſe. Vel illud potius per hanc rem occultè agitur, ne pueri inſueſcant deierare. Hoc enim dum ſub dio progrediuntur & in propatulum, quaſi de induſtria moram efficit, & deliberandi dat ſpatium. Præterea proditum eſt Herculem in primis religioſum fuiſſe, & ad iuſiurandum verecundiſſimum: quippe qui ſemel in omni vita iurauerit: idque ſoli Phyleo Augei filio.

x *Vel deum Fidium.*] Varro lib. 1. aut aliorum computatione 4. de lingua Latina. Fidius Deus eſt, qui fidei præeſt & Iouis fuiſſe filius creditus eſt.

y *Fuitque literis proditum.*] Seruius lib.11. Æneid. eo loco ſupra citato,

Per caput hoc iuro per quod pater antè ſolebat.

Ex quo

vero non licuisse.[z] Solus tamen flamen dialis iuramentum præstare perpetua lege vetabatur: [a] ideo siquando in magistratu assumptus, per leges iurare tenebatur, alium qui vicem illius ageret, sufficere, & ita in leges iurare cogebatur.[b] Subit tamen reputatio, idem apud Phryges seruari, qui non modò nullo iuraméto adiguntur, sed nec alios ad deierandum cogunt.[c] Ferunt vero Gallos [d] & Pœnos nulla religione iurisiurandi moueri, quin vbi visum fuerit, desæuiant, nullo rapinis modo aut sæuitiæ præfinito.[e] Sicut Aphrodisium iuramentum pro vano haberi veteres voluerunt: namque veteri adagio amantibus verum ludificare permissum est.[f] Fertur verò Dionysij tyranni verbum, sicut pueros talis ita iuramentis homines frustrari oportere.[g] Illud quoque notatum est, Euripidem & [h] Aristophanem taxasse Spartanos velut infidos damnosósque, quibus nec ara, nec fides, nec iusiurandum foret. Idqúe vero testimonio probari, quod [i] corrupto muneribus rege Aristocrate: bello contra Messenios, læsa fide iurisiurandi, primi Martiam virtutem venalem fecere.[k] Quod de Thessalis quoque poëtæ tradunt, quibus ex fortuna pendet fides, cùm bello Peloponnesiaco fœdera & deos obliti, in ipsa acie ab Atheniensibus ad Lacedæmonios mutatis ordinibus transfugerint. Quare Thessala fides, velut vana & fluxa, in prouerbium venit.[l] Parthis quoque fides nulla, nisi quantum expedit, quibus vtilitas semper est fide sanctior, [m] idem Afris [n] Syrisqúe. [o] Soli tamen Arabes Persæque fidem seruare didicere, tanti enim fidem fecere, vt humanam societatem cum fide tolli crederent. contráque vtilitatem fides illis semper antiquior fuit.[p] Vno tamen exemplo proditur Amasis Persarum Dux labefactasse fidem, qui cum Barcæis super occultam fossam fœdus feriret, id ratum fore iurauit, quoad humus illa firma solidáque maneret: mox retecta fouea fœdus soluit, & iusiurandum rupit.[q] Præ cæteris traditur Zenocrati tanta fides habita, vt quum nullius iniurati testimonium admitteretur, soli Athenienses sine iuramenti religione assensere, eúmque iniuratum, quod inueteratæ fidei esset, in fidem atque officium admisere.

Phryges non iurabant. *Galli & Pœni nulla religio iurisiurandi.* *Venereū iusiurandum.* *Spartani perfidia taxati.* *Thessala fides.* *Parthi.* *Afri.* *Syri.* *Arabes.* *Persæ.* *Zenocratis fides.*

ANNOTATIONES.

Ex quo intelligi per liberos hic dicendum esse, non per libertos.

z *Solus tamen Flamen Dialis.*] Liuius 4. Dec. lib. 1. ad finem. Plutarch. probl. cap 43. vbi huius rationem reddit. Gellius lib. 10. c. 15. Festus Pompeius lib. 9.

a *Ideo & siquando.*] Liuius vbi suprà.

b *Subit tamen recordatio idem apud Phryges.*] Nicolaus ἐθῶν, & ex eo Stobæus c. 42.

c *Ferunt verò Gallos.*] Cæsar in belli Gallici lib. 6. & Liuius 1. Decad. lib. 5 tradunt eos religioni deditos. quod & alibi dictum est suprà lib. 4. c. 13.

d *Et Pœnos.*] Liuius 3 Decad. lib. 1. post princ. Has tantas virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plusquàm Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deûm metus, nullum iusiurandum, nulla religio.

e *Sicut Aphrodisium iuramentum.*] Plato in Symposio, & in Philebo apud Athenæum lib. 12. Procopius in vltima epistola ad Epiphanium. Et eò spectat Horatius libr. Carminum 2. Ode 8.

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa: rident
Simplices nymphæ, ferus & Cupido,
Semper ardentes acuens sagittas.
Cote cruenta.

Et Tibullus lib. 3. eleg. vltima,

—Periuria ridet amantum
Iupiter & ventos irrita ferre iubet.

Et Ouidius lib. 1. de Arte amandi,

Iuppiter ex alto periuria ridet amantum,
Et iubet Æolios in freta ferre notos.

Et è Græcis Callimachus,

ὤμοσεν, ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα τοὺς ἐν ἔρωτι
ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων.

Id est ex versione Erasmi, qui priorem versum dicit mendo non carere,

Iurauit, verùm vulgò dicunt: in amore
Quod iuras, aures non penetrare deûm.

f *Fertur verò Dionysij.*] Plutarchus in lib. 2. Fortunæ Alexandri. Sed hoc ipsum Lysandro tribuit idem author in Apophthegmatis ipsius Lysandri. Alij Philippo Macedoni, vt tradit Ælianus de Varia historia lib. 7. c. 12.

g *Illud quoque notatum est, Euripidem.*] Euripides Lacones, vt infidos descripsit in Andromacha,

Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια, Id est,

Spartæ inhabitatores, dolosus Senatus,

h *Et Aristophanem.*] Aristophanes sic scribit,

οἷσιν οὔτε βωμός, οὔτε πίστις, οὔθ' ὅρκος μένει.

Id est,

Quibus nec ara, nec fides, nec iusiurandum manet.

Vide Cælium Lect. antiq. lib 18. c. 5. Sed & eorum ingenia aliud sentire, aliud dicere tradit Herodotus lib. 9. Et vide quæ de illis diximus suprà lib 4 c. 13.

i *Quod corrupto muneribus Rege Aristocrate.*] Pausanias non semel lib. 4. qui de Messenicis est.

k *Quod de Thessalis.*] Prouerbium est apud Suidam Θετταλῶν σόφισμα. id est, Thessalorum commentum, quod natum ex alia historia dicit. Et de eorum fide lubrica Euripides in Phœnicis,

καί τιν' ἐννοίας ἐτεοκλῆς τὸ Θετταλῶν
εἰσήγαγε σόφισμ' ὁμιλίᾳ χθονός.

Id est.

At sentiens hoc Eteocles, mox Thessalam
Adhibuit artem, gentis ob commercium.

Idem alibi,

πολλοὶ παρῆσαν, ἀλλ' ἄπιστοι, Θεσσαλοί.

Id est,

Multus quidem aderat, lubrica fide
Grex Thessalorum.

Vide Erasmum Chil. 1. cent. 3. c. 10.

l *Partis quoque.*] Iustinus lib. 41. de Parthis loquens, inquit, In libidinem proiecti, in cibum parci: fides dictis promissísque nulla, nisi quatenus expedit. Paulò antè, Ingenia, ait, genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia.

m *Idem Afris.*] Vide suprà lib. 4. c. 13. Nam & Septimius Seuerus Imperat. qui ipse Aphet fuit, nec iusiurandum fallere dubitabat, si ita vsus posceret, teste Herodiano.

n *Syrísque.*] Vide & tu eodem lib. 4. c. 13. Sed adde & Libyis ex Diodoro Siculo lib. 4. c. 4.

o *Soli tamen Arabes.*] Herodotus lib 3.

p *Vno tamen exemplo proditur Amasis.*] Herod. lib. 4. non longè à fin.

q *Præ cæteris traditur Zenocrati.*] Cicero ad Atticum lib. 1. epist. 12. & in Oratione pro Cornelio Balbo, vbi tamen nomen eius supprimit. Valerius Maximus lib. 2. c. 5. in fi. Et Laërtius in vita illius. Ex quibus intelliges Xenocrati hîc legendum esse. Vide Cælium Lect. antiquarum lib. 17. c. 9. num legendum sit Xenocrati.

a Ab

Quid sit exedra, quid menianum, de quibus apud Iureconsultos mentio frequens, & quid embamma. CAPVT XI.

FVIT in perpetua quæstione apud iurisperitos, qui inter patronos causarum longe præstantissimi habiti sunt, quid exedra, & quid menianum esset: de quibus [a] ab Vlpiano de his qui deiecerunt, mentio fit. Et quum homo quispiam insignoiter impudens, asseretet fenestræ genus fuisse exedram, qualem in nostris ædibus hodie conspicimus, idque improbissimè contenderet: alij aliter censentes, sedē esse putarūt, qua viri maturo ingenio: studio & bonis artibus dediti, uti solitauere, idque Ciceronis authoritate significari, de natura deorum primo, vbi se in exedra sedētem disserere asseuerat, cúmque hic verbi significatus longe ab Vlpiani mente dissideret, animaduerti tandem, non sedem ab Vlpiano, sed cubiculum designari columnis fultum, & epistyliis pluribus, excisis spatiis, quibus prospectus in viam erat, aliquando sub dio, nonnunquam sub tecto: [b] menianum verò dici, proiectum protentúmq; ue spatium vltra ædes tignis porrectis, nullo munimento fultum ab imo, ambulādi prospiciendive causa, à Caio Menio Crassi collega, vnde nomen mutuauit, iouenium. Cum enim Caius Menius Catone & Flacco consulibus domum venderet, vt ibi basilica extrueretur, ius vnius columnæ supra quam tectum proiiceret, & tigna immitteret, sibi excepit, quò superiora latius paterent, & posteri prospectarent, cuius generis ædificia, inde meniana dicta, hodiéque id nomen obtinuit: [c] idque à Labeone de priuatis ædificiis aptissime notari, cuius verba fuere: Proiecta sunt ea, quæ ita procedunt, vt nunquam conquiescant, eiusmodi sunt meniana & subgrundia, licet m quærebatur, quid esset [d] embamma, de quo ab Vlpiano de vino & oleo legato, an acero deceat annumerari, eleganter quæritur. Cúmque in verbi significatu soliciti essent, neque id assequi viderētur posse nos embamma censuimus conditos sapores dici, acido vino infusos, asperrimi gustus, ad acuendum excitandumque stomachum, à verbo ἐμβάπτω, quod est, intingo, seu (vt putant alii) acetum coagulatum quod vino dilutum aut aqua, aceti saporem facit. Est igitur Vlpiani opinio, aceto legato, embamma perinde legato accedere, sicut acetum quoniam eiusdem saporis & naturæ sunt. Verba verò Vlpiani de vino legato, hæc fuere: Si acetum quis legauerit, non continebitur legato acetum, quod vini numero fuit: embamma verò continebitur, quia aceti numero fuit.

Si verò, ff. de his qui deiec. — *Exedra.* — *Meniana.* — *Embamma. l. si quis vinū. §. acetū ff. de tri. vino & oleo lega.*

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

a *AB Vlpiano.*] Lib. 33. ad edictum l. si verò plures. §. interdum. ff. de his qui deiec. vel effud. vbi ita scribitur, Interdum tamen, quò sine captione actoris fiat, oportebit prætorem æquitate motum potius dare actionem in eum, ex cuius cubiculo vel exedra deiectum est: licet plures in eodem cœnaculo habitent. Hinc quærit hic noster Alexander quid exedra sit, quod à nullo melius discere potes quàm à Vitruuio lib. 5. c. 11. cuius hæc verba sunt, Constituuntur autem in tribus porticibus exedræ spatiosæ, habentes sedes, in quibus Philosophi, Rhetores, reliquique qui studiis delectantur, sedentes disputare possint. Iulius Pollux lib. 1. c. 4. tradit sessionem esse vbi viri consident. Vide tamen interim multa alia Ciceronis loca in id adducta à Budæo nostro in eam l. si verò plures.

b *Menianum verò dici.*] Menianum non scribitur in d. l. si verò plures, sed Medianum, ita scilicet, Quòd si ex Mediano cœnaculi quid deiectum sit: verius est omnes teneri. Quam lectionem agnoscit Budæus, qui declarat quid Medianum sit. Et sic quoque legitur in Pandectis Florentinis. Quod autem ad Menianum spectat, visæ sunt leges nostræ alibi, scilicet, in l. 1. §. cùm quidam. ff. ne quid in loco publ. & in l. malum, ff. de verborum signific. & in l. Meniana. C. de ædif priu. Vitruuius lib. 5. c. 1. Valerius Maximus lib. 9. c. 12. vbi de C. Licinio. & Suetonius in Caligula, cap. 18. in fi. Plinius lib. 34. c. 5. Quid autem id sit & vnde dicatur, scies ex Nonio Marcello, & Festo Pompeio lib. 11. Diuus Hieronymus in interpretatione Psalmorum, enarrans illud ex Psalmo 101. Factus sum sicut passer solitarius in tecto. quid Meniana sint apertè declarat. cuius verba sunt hæc, Palæstina & Ægypto, vbi vel scripti sunt diuini libri, vel interpretati, non habent in tectis culmina, sed domata: quæ Romæ vel solaria, vel Meniana vocant, id est, plana tecta, quæ transuersis trabibus sustentantur.

c *Idque à Labeone.*] Citato à Iaboleno in d. l. malum. ff. de verb. signif.

d *Embamma, de quo ab Vlpiano.*] In l. si qui vinum. §. acetum. ff. de trit. vino & oleo leg. & de hoc quoque Columella lib. 12, cap. 55. & Marcellus medicus cap. 20. & cap. 30. & diximus in Commentariis Nobilitatis c. 31. nu. 288. inter medicamenta.

Quot virgines Vestales, quave illarum disciplina & institutio fuerit, quave afficiatur pœna incesti damnata.

CAPVT XII.

QVI de Vestalibus virginibus memoriam reliquere, illas à [a] Numa Pompilio primum lectas fuisse autumant, quod sacerdotium cum Albæ oriundum esset, idem Numa inde translato facto, Romam aduocauit: vtque Vestæ antistites assidue forent, præcipua virginitate & aliis cæremoniis sanctas fecit. Cuius instar sacri, [b] in Poliadis Mineruæ templo multa religione inclyto, in Attica fuisse legimus, in quo virgines assidue degere, & lychnum inextincti luminis, ac

Vestales à Numa institutæ — *Virgines in Mineruæ templo* — *Lychnus Athenis.*

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

a *NVma Pompilio.*] Plutarchus in vita illius. Liuius 1. Decad. lib. 1. Gellius lib. 11. cap. 12. Pompon. Lætus lib. de sacrificiis c. 6.

b *In Poliadis Mineruæ templo.*] Strabo lib. 9. Vrbs ipsa, inquit, saxum est in plano quaquauersum habitato, quo in saxo vetustum Mineruæ templum Poliadis surgit, in quo lucis inextinctæ lichnus est, & virginū domus, quam Ictinus condidit, vbi Palladiū est ex ebore perfectum, opus Phidiæ

c *Lychnum*

Ignis perugil apud Delphos. Persas, Chaldaeos, Medos & Assyrios. Diana Ecbatana sacerdotes. Britanni. Vestales in templo Vestae. Vestae nulla effigies. In Parcarum, Cereris & Proserpinae aedibus nulla simulacra. In Vestae templo senatum cogi non licebat.

Palladium existere, multorum opinio fuit. [c] Lychnum quoque in arce Athenis Mineruæ consecratum ferunt, quem semel oleo repletum, assidue lumini alimenta sufficere ad insequentis anni eundem diem, prodiderunt Ignem quoque peruigilem [d] apud Delphos custodiri à mulieribus quæ matrimonio solutæ erant, inuenimus: [e] vbi siquando extinguebatur, ex Solis flamma peregrium ignem elici oportebat. [f] Persæ quoque ignem habent peruigilem, sicut Chaldæi, Medi [g] & Assyrij, vt deorum maximum, illique velut sacro numini hostias mactare, & sacra facere, atque ex illo euenta rerum interpretari assuerant: [h] apud quos Dianæ Ecbatanæ templum fuit, quam Anatim vocant, cuius sacerdotes procul à virili contagio in perpetua virginitate degunt. [i] In Britannia quoque Mineruæ numen colitur, in cuius templo perpetui ignes nunquam canescere in fauillas, sed in saxeos globos verti ferebantur. [k] Hæ autem virgines in templo Vestæ, quod forma circulari fuit, inter Capitolium & Palatium morabantur assiduè, [l] ad quod ingredi interdiu vetabatur nemo: sub noctem verò adire, præ pudore, masculo non licebat, fœmina verò fas erat. † In quo nulla Vestæ effigies aut simulacrum deæ cui immolarent visebatur, quia Vestam nihil aliud quam animum & diuinum putarunt ignem, quæ diuina mens animo concipitur, oculis non videtur. Sicut [m] Corinthi ædes Parcarum, Cereris & Proserpinæ, nulla habere simulacra dicuntur. [n] Tametsi Vestam, virginis ore tympanum gestantis, quod ventos contineat, nonnulli effinxere: [o] cuius adytum ex fonte Camœnarum Vestæ consecrato, ex Numæ legibus, vestales spargere assuerant. [p] Quod quidem minimè inauguratum fuit, nequando in eo senatus cogeretur: ideo non esse templũ aliqui existimarunt: licet in atrio Vestę quod à

ANNOTATIONES.

c *Lychnum in arce Athenis Minerua.*] Plutarchus in vita Numæ, & Probl. c. 75.

d *Apud Delphos.*] Plutarc. in vita Numæ: vbi tamen, quantum ad id, de Delphis non loquitur: sed de Græcia, vbi perpetuus seruatur ignis, vt Pythiæ & Athenis: nisi si per Pythiam Delphos intelligo, quod magis credo & sequentia declarant.

e *Vbi siquando extinguebatur.*] Plutarchus in d. loco. Festus Pompeius lib. 9. vbi declarat quo modo id fieret, Ignis, Vestæ, inquit, siquando interstinctus esset, Virgines verberibus afficiebantur à Pontifice, quibus mos erat tabulam felicis materiæ tádiu terebrare, quousque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret. Seruius autem libro 4. Æneidos ibi,

— Vigilémque sacrauerat ignem
Excubias diuum æternas. —

Definitio est æterni ignis. Quid est ignis peruigil? excubiæ deorum: nec vacat ratione, vt in aliquibus templis sit ignis peruigil: nam potestates, aut terrenæ sunt, aut aëreæ, aut ethereæ: sed quia æther ignis, ideo in ætherearum potestatum templis ignis est, vt reddatur eis imago sui elemẽti. Est autem in templo Iouis, qui æther est, & Mineruę quæ supra ætherem est. Vnde de patris capite procreata esse dicitur.

f *Persæ quoque.*] Strabo lib. 15. non multò ante fi. Præcipue (inquit cùm de Persarum sacrificiis loquitur) igni & aquæ sacrificant, igni arida ligna imponentes, adempto cortice & aruina superiniecta, deinde infuso oleo, succendunt, non inspirantes, sed ventilantes. Quod si quis inspirarit, aut mortuum quicquam cœnúmve in ignem immiserit, morte plectitur. Q. Curtius lib. 4. Procopius libr. 2. belli Persici. Pausanias Eliacorũ priore lib. ad fin. de igne loquens, quem Magi suis præstigiis ex cinere miraculosè eliciunt, sic inquit, Sunt enim Lydis templa, qui Persici cognomine vocantur, vrbes Hiero, Cæsarea & Hypæpæ. In templo vtriusque vrbis amplissimo cellæ cum aris, super his cinis alio longè colore à vulgari cinere. Huc ingressus Magus, vbi foco lignis impositis, tiara caput velarit, implorat cognomen Dei, quicumque ille sit: Ex libro enim carmen recitat barbaricũ, lingua planè ignota Græcis. vbi perorauit sponte sua è lignis, nullo igne admoto, purissima emicat flamma.

g *Et Assyrij.*] Adde & Iudæos ex Leuitico cap. 6. Vbi ignis semper in altari ardebat, quem nutriebat sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto desuper adolebat adipes pacificorum Ignis erat iste perpetuus, qui nunquam deficiebat in altari. & Lybes ex Seruio vt suprà. Et Lacedæmonios quoque, qui cùm expeditionem parant in externam regionem, πυροφόρον, id est, ignifer ignem ab ara Iouis ἀγήτορος, id est, Ducis accensum apud Regem inextinctum seruat. Apud Nicolaum περὶ ἐθῶν, & ab eo Stobæus Collectaneorum cap. 42.

h *Apud quos.*] Scilicet Persas in vita Artaxerxis.

i *In Britannia.*] Solinus cap. 35. in fi. Quibus fontibus, inquit præsul est Mineruæ numen, in cuius æde perpetui ignes nunquam canescunt in fauillas: sed vbi cinis contabuit, vertitur in globos saxeos.

k *Hæ autem virgines.*] Ad Romanos redit, Idque est ex Plutarcho in Numa, & Festo Pompeio lib. 16.

l *Ad quod ingredi interdiu.*] Dionysius Halicarnasseus lib. 2. Virgines, inquit, quæ deæ sacris operabantur quatuor erant ab initio & ius optandi eas penes Reges esse Numa voluit postea tamen, propter sacrificiorum multitudinem, ad senarium numerum auctæ, in eo hodiéque permanent, degentes in deæ fano: à cuius aditu nemo arcetur interdiu: sed pernoctare intus fas est viro minimè.

† *In quo nulla Vestæ effigies.*] Ouidius lib 6. Fastorum,

Nec tu aliud Vestam, quam viuam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit, & Comites virginitatis amat,
Esse diu stultus Vestæ simulachra putaui,
Mox didici curuo nulla subesse tholo.
Ignis inextinctus templo celatur in illo,
Effigiem nullam Vesta nec ignis habent.

Verùm apud Athenienses proximè Prytaneum (in quo Solonis leges perscriptæ adseruabantur) posita erant Pacis & Vestæ signa, vt tradit Pausani. lib. 1. idem lib. 2. scribit, Iam qui in Vestæ apud Hermiones, transierint, ibi signum nullum vident, vnica ara est, & super eam sacra Vestæ faciunt.

m *Sicut Corinthi.*] Pausanias lib. 2. de Corintho loquens. In Parcarum, inquit, Cereris & Proserpinæ æde signa aperta non sunt.

n *Tametsi Vestam.*] Id ex hoc authore refert Lilius Gyraldus lib. 4. de Diis Gentium, vt & Cælius antiq. Lect. lib. 15. cap. 14.

o *Cuius adytum ex fonte Camœnarum.*] Plutarch. in Numa. Præterea, inquit, opus esse, Camœnis eum locum & quæ circum locum prata sunt, sacrare, quò frequenter ad suum congressum veniant. Fontem verò qui locum rigat, sacrum virginibus Vestalibus constituere, quò inde aquam quotidie sumentes inundent, atque aspergant templi adytum.

p *Quod quidem minimè inauguratum fuit.*] Hæc vsque ad versic. Quibus Virginibus, sunt Seruij in 7. lib. Æneid. ibi,

— Delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia Regis
Ire iubet. —

Augusta

templo seiunctum erat, quaodoque haberi senatum videamus. Quibus virginibus, ne sacra intermitterent [q] stipendium de publico statuit. Eas enim quatuor à principio fuisse tradunt. [r] quarum nomina Gegamia & Beremia, deinde Gamilia & Tarpeia, primùm à Numa initiatæ, & post Numam à regibus ad sacerdotium addictæ. [s] Lapsis iode temporibos, quum populus in sex partes diuisus foret, vt pro eo sua quisque parte ministram haberet sacrorum, duas additas fuisse feruot, donec aucto & propagato imperio, collegium Vestalium [t] ad vigenarium numerum constitutum fuit: quibus quæ præsidebat, [u] dicebatur maxima. † Has ergo arbitrio decretoq; pontif. maxi. in genuas, & libero patre genitas, etiam nolentes & ab inuitis ad sacerdotium cogi compertum est, eas præcipoè, quibus summa integritas, pudor & virtus foret, nisi flamiois, pontificis, auguris, aut quindecimuiri sacris faciũdis, tubicinisve sacrorum, vel septemuiri epulorum, aut salij filia foret: horum enim filias, iouitas & detractantes ad sacerdotium cogi non posse, neque cuius pater tres aut suprà filios non haberet: neque illam, cuius soror Vestalis fuisset capta, pontificum decreto caoebatur: neque illas, quarum mater cum viro dissidium fecisset, neque in eodem coniugio maneret. Quarum siqua mortem oppeteret, in demortuæ locum aliam capi oportebat: sed nec minor sex, neque decem annis maior capi poterat, quæve patrima & matrima noo esset, neque ea quæ aliquo oris aut sensus vitio laboraret. Quæ dum capitur à pontifice max. non suo nomine, sed Amata appellatur, omen veteris denominationis sequuti. siqoidem quæ prima Vestalis capta fuit, hoc nomine fertur nuncupata. Quibus quidem ad sacerdotiuoı admissis, assidua insidens cura inerat ignis [x] sacri & æterni, qui [y] in penetralibus Vestæ in [z] fictilibus vasculls seruabatur, quasi cælestis arcani custodiam & curam fidelem per vices agere, igoémque seruare. Quibus propter saoctitatem & continuam virginitatem tantus est honos habitus, vt velut sactosanctæ, [a] ab omoi virorum contagio intactæ forent, [b] aduersusque eas; aot decreta iussúsque earum, oulli magistratui intercedendi facultas erat. [c] Quibus hoc etiam tributum est, vt licet essent sub patris iure, pòstquam ad sacerdotium adscitæ sunt, sui iuris effectis, testandi manumitteodíque etiam sioe curatore libera facultas foret. [d] Ipsæ tamen intestati hæreditatem adire, aut bonis succedere, vel ipsis intestatis hæredes aliqui esse nequibant, qood veteri scito apud Labeonem caoebatur. Cumque soli Theratiæ

Quatuor primum Vestales, deinde sex, tandem viginti.

Etiam inuitæ ad hoc sacerdotiũ cogebantur.

Amatæ nomen Vestali. bus imposituni. Munus Vestaliũ. Honos Vestaliũ.

ANNOTATIONES.

Augusta, inquit, augurio consecrata. Hinc paulò pòst, Tectum augustum ingens. & nisi in augusto loco, Senatus consilium habere non poterat: vnde templum Vestæ non fuit augurio consecratum, ne illuc conueniret Senatus, vbi virgines erant Nam hæc fuerat Numæ Pompilij. Ad atrium autem Vestæ conueniebatur; quod à templo remotum fuerat. Quod & nos, ni fallor, alibi recensoimus.

q *Stipendium de pubico statuit.*] Scilicer Numa, vt Liuius 1. Decad. lib. 1. de Numa loquens sic scribit. Virginésque Vestæ legit: Alba oriundum sacerdotium & genti conditoris haud alienum. His, vt assiduæ templi antistites essent, stipendium de publico statuit: virginitate, aliisque cæremoniis venerabiles ac sanctas fecit.

r *Quarum nomina.*] Plutarchus in Numa, qoi tamen has nominat Geganiam & Bereniam; deinde Camiliam & Tarpeiam.

s *Lapsis inde temporibus.*] Dionysius Halicarnasseus lib. 3. Sueton. in Augusto, cap. 31. & 101. Festus Pompeius lib. 17. ad finem sic scribit, Sex Vestæ sacerdotes constitutæ erant, vt populus pro sua quisque parte haberet ministram sacrorum: quia ciuitas Romana in sex erat distributa partes. In primos, secundósque Titienses, Ramnes & Luceres. Plutar. vbi suprà scribit Numam quatuot tantùm instituisse: postea Seruium Tulliuo duas addidisse: qui numerus senarius seruatus est.

t *Ad vigenarium numerum.*] Nescio vbi id Alexander acceperit, cùm Dionysius & Plutarchus iu dictis locis dicant illum numerum sex Vestalium ad sua vsque tempora durasse: Sed puto Alexandrum ex eo deceptum fuisse quod de Vestalibus scribit Gellius libro 1. cap. 12. in hæc verba, Sed Papiam legem inuenimus, qua cauetur, vt Pontif. Max. arbitratu virgines è populo viginti legantur, sortitióque in concione ex eo numero fiat.

u *Dicebatur maxima.*] Sueton. in Domitiano, cap. 8. Mox Corneliam virginem maximam, absolutam olim, dehinc longo interuallo repetitam, atque conuictam, defodi imperauit. Virgo maxima, (vt inquit Beroaldus Suetonij interpres) dicitur præfecta & princeps reliquarum virginum Vestalium, qualis hodie Abbatissa nuncupatur.

† *Has ergo.*] Hæc omnia vsque ad versic. Quibus quidem, sunt Gellij authoritate Labeonis Antistij & Capitonis Atteij lib. Noctium Atticarum 1. cap. 12.

x *Ignis sacri & æterni.*] Sic enim eũ appellat Virg. li. 2. Æn.

Æternamq; adytis effert penetralibus ignem.

Et Liuius 1. Decad. lib. 5. Quid de æternis Vestæ ignibus, signóque, quòd imperij pignus custodia eius templi tenetur, loquar? & 3. Decad. lib. 6. Vestæ ædem petitam & æternos igues. Inextinctum autem vocat Ouid. lib. 6. Fastorum, quo loco citauimus suprà ibi, In quo multa Vestæ. Perpetuum plurimi dicunt, vt Plutarch. iu Numa, &c.

y *In penetralibus.*] Ex Virgilio ibi noper citauimus.

z *In fictilibus vasis.*] Seruilius in illud Virgilij Æneid. 11.

——— *Consiliis habitus non futilis auctor.*

De vase fictili loquens, sic scribit, non futilis auctor, id est noo inanis. Nam futilis quoddam est vas lato ore, fundo angusto, quo vtebantur in sacris Vestæ: quia aqua ad sacrá hausta in terra non ponitur: quod si fiat, piaculum est. vnde & excogitatum vas est, quod stare non posset: sed positum statim effunderetur: inde & homo commissa non retinens, Futilis dicitur: contra non futilis, bonus in consiliis, non inanis.

a *Ab omni virorum contagio.*] Vt quæ perpetuam castitatem seruabant, vt scribit Plutarch. in Numa. Nam quæ virginitatem prodiderat, viua ad portam, quam Collinam vocant, defodiebatur. L. Florus in Numa, sic scribit, In primis focum Vestæ virginibus colendum dedit, vt ad simulachrum cœlestium syderum, custos imperij flamma vigilaret. Ignis porrò inextincti custodes virgines erant, vt puram & incorruptam ignis substantiam inuiolatis item integrísque corporibus, illis commendarent: siue quòd sterile ac infœcũdum esset, scitè virginitati adiungerent. Cælius lib. 15. cap. 14.

b *Aduersusq; eas.*] Sueton. in Tiberio, c. 2. Etiam virgo Vestalis fratrem iniussu populi triumphantem, ascenso simul curru vsque in Càpitolium prosecuta est, ne vetare, aut intercedere fas cuiquam Tribunorum esset.

c *Quibus hoc etiam tributum.*] Plutarch. in Numa, & Gellius lib. 1. cap. 12.

d *Ipsæ tamen.*] Gell. vbi suprà, ipsius Labeonis authoritate.

e *Cumq; soli Theratiæ.*] Plutarchus hanc Tarquiniam vocat

Tertatia vestalis ius ferendi testimony. vestali, priuilegio honoris, ius testimonij dicendi à populo datū esset, hinc effigi col'igique potest,[f] reliquas testimonij ferendi ius non habere: [g] eas tamen quum testimonium dicebant, iudicio & foro adesse oportebat. [h] Tum si qua dissidia & simultates, vel aliquæ exortæ offensiones fuissent, aut seditio intestina coorta inter ciues, vestalibus intercedentibus & deprecatricibus, & quasi internunciis, pacis fœdera inirentur, illarum curæ mandabatur: hísque mediis & procurantibus, offensarum culpa- *Alia vestalium munera.* rúmque venia impetrabatur. [i] Testamenta quoque, & quæ secretioris consilij erant, quæve quis celari, & in abdito esse, & suo tempore in lucem promi volebat, apud illas deponebantur, vt in fideli custodia essent. [k] Quibus, postquam in sacerdotium adscitæ fuerunt, triginta annorum castitas præ- *Triginta annorū castitas vestalibus praescripta.* scripta fuit primo enim decennio quæ ad cultum & arcanas cæremonias, ritúsque sacrorū spectarent, quæve vetustissimis carminibus & monumentis prodita erant, ediscebant: secundo verò, quæ didicere, opere complere & efficere: tertio autem decennio, sacra & instituta, ritúsque & cæremonias quas didicissent, alias edocere oportebat. Tum demum exacto circulo annorum triginta, velut emeritis stipendiis, liberum erat vel sacerdotio solui, & aliam vitam nancisci, vel si volet, alij nubere; & filios educere, aut sacrorum curā gerere, & eodem cultu ornatúque esse non vetabantur. [l] Tantæq; dignationis fuere, vt si extra atrium Vestæ prodire vellet, nisi præcedentibus fascibus ob honorem sacerdotij, foras exire non liberet. [m] Tum si vi morbi aut necessitate, templo excedebant, quò venerationis plus *Honor vestalibus exhibitus.* inesset, matronas & grandes natu matres, insignes morum verecundia & probitate, quæ eas comitarentur & custodirent, adhibebant: [n] cui ad omnem occursum, etiam consules prætoŕesque de via decedebant. [o] Quòd si dum foras vadunt, ad capitale quisquam supplicium traheretur, si obuiam fieret, ipsum tunc mortem oppetere, aut nouissimo exemplo affici nō decebat. Tantóque cultu & honore ob sanctitatem sanctiq; habitæ sunt,[p] vt seruitia fugitiua nondum vrbem egressa, in loco precationis retinerent. & seruitute eximerent. Ad se quoque fugientes, ab iniuria prohibere, atque à cuiusque magistratus imperio intercedere poterant: ab eísque quum sacrosanctæ forent, aut decreto iussúque earum, nulli magistratui, nec tribuno plebis, qui pariter sacrosanctus est, prouocare per- *Vestæ ignis extinctus. prodigy loco habitum.* missum tantúmque illarum iussui virium & roboris fuit, [q] vt Claudia Vestalis patrem iniussu populi triumphantem, neque tribuno intercedere liceret, ascenso simul curru, in capitolium sequuta fuerit. [r] Quod siquando Vestæ ignis (cuius præcipuam ducebant curam) extinctus foret, id inter non minima prodigia habitum, magna semper mercede expiatum fuit: quippe ex eo formido, & non mediocris

ANNOTATIONES.

in Valerio Publicano, Gellius lib. 6. cap. 7. Tertatiam. & diximus in nostris legib. Connubial. parte 9. num. 77. incip. sed nec ex vetustis in postrema edit.

f *Reliquas ferendi testimonij ius non habere.*] Quod & ipsum placuit Hermanopulo lib. 1. cap. 6. eius operis, cui titulum πρόχειρον νόμων nuncupant. Cuius verba attulimus in dictis legib. Connubialibus, vbi suprà, quæ omnino vide.

g *Eas tamen cùm testimonium dicebant.*] Cornel. Celsus lib. 2. Cæterùm Vrgulaniæ potentia adeò nimia ciuitati erat, vt testis in causa quadam, quæ apud Senatum tractabatur, venire dedignaretur, missus est Prætor, qui domi interrogaret. cùm virgines Vestales in foro & iudicio audiri, quoties testimonium dicerent, vetus mos fuerit. Cuius etiam mentionem fecimus in illis legib. Connubial parte 10. nu. 33. incip. Facit item.

h *Tum siqua dissidia.*] Nam & Vestales conciliarunt Iulium Cæsarem Syllæ illi infenso apud Sueton. in vita Cæsaris, cap. 1. Messalina autem tentauit à Claudio Imperatore, ab Hostia redeunte ad ipsius vltionem, veniam imperrare sui flagitij per Vibidiam virginum Vestalium vetustissimam; vt Claudij aures adiret, & clementiam exposceret, apud Corn. Tacit. lib. 11. & Vitellius àpud eundem lib. 9. Hinc ait Cicero in dissuasione legis Agrariæ 2. Si quid deliquero, nullæ sunt virgines, quæ me à vobis deprecentur, quamuis vulgò legarur, imagines.

i *Testamenta quoque.*] Sueton. in Cæsare, c. 83. & in Augusto, cap. omnium postremo, & Cornelius Tacitus lib. 1. vbi de testamento ipsius Augusti loquitur. & Plutarchus in Antonio, vbi testamenti ipsius meminit

k *Quibus postquam in sacerdotium.*] Hæc vsque ad versic. Tantæq; dignationis. sunt Dionysij Halicarn. lib. 2. Plutarchi in Numa, & in lib. Num seni gerenda respub. Hincque etiam illud Prudentij lib. 2. in Symmachum,

Tandem virgineam fastidit Vesta senectam,
Tum thalamis habilis timuit vigor, irrita nullus
Fœcundauit amor materno viscera partu,
Nubit anus veterana sacro perfuncta labore,
Desertúq; focis, quibus est famulata iuuentus,
Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas,
Discit & in gelido noua nupta tepescere lecto.

Dicunt tamen Dionysius & Plutarchus id paucas fecisse, sed parum læto vitæ exitu & ominoso apud cæteras, ita vt libenter posthac virgines æuum exigerent in deæ contubernio.

l *Tantæq; dignationis.*] Plutarchus in Numa, Cùm fascibus, cùm prodeunt, deducuntur Dion. lib. 47. Virginibus porrò Vestalibus dederunt, vt singulis lictoribus vterentur, eò quòd quædam ex iis à cœna sub vesperam domum reuertens, cùm quæ esset ignoraretur, vim passa fuerat.

m *Tum si vi morbi aut necessitate.*] Cælius Lect. antiq. lib. 15. cap. 14.

n *Cui ad omnem occursum.*] Scena lib. Declamat. 7. declam. 8. vbi præterea dicit magistratus illis fasces submittere, & D. Hieron. in Iouinianum lib. 1.

o *Quod si dum foras vadunt.*] Plutarchus in Numa.

p *Vt seruitia fugitiua.*] Plin. lib. 28. cap. 2. Vestales nostras hodie credimus nondum egressa vrbe mancipia fugitiua retinere in loco precationis.

q *Vt Claudia Vestalis.*] Cicero pro Cælio, Non virgo, inquit, illa Vestalis Claudia, quæ patrem cōplexa triumphantem, ab inimico Tribuno plebis de curru trahi passa nō est. Valer. lib 5. cap. de Pietate erga parentes. Claudia Vestalis, inquit, cùm patrem suum triumphantem è curru violenta Tribun. pleb. manu detrahi animaduertisset, mira celeritate vtrisque se interponendo, amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in ædem Vestæ duxit. Sueton. in Tiberio, cap. 2. ad fin. non patrem, sed fratrem Claudiæ Vestalis virginis fuisse scribit his verbis, Etiam virgo Vestalis fratrem iniussu populi triumphantem, ascenso simul curru, vsque in Capitolium prosecuta est, ne vetare, aut intercedere fas cuiquam Tribunorum esset.

r *Quod siquando Vesta ignis.*] Hæc vsque ad versic. Ea verò. sunt Titi Liuij 3. Decad. lib. 8.

s Ea

terror religióque senatui populóque incussa erat; illisque non procuratis, aut diis non propitiatis, à rebus agendis grauibúsque negotiis haud secus abstinebant, quàm si dira & tetra prodigia, aut portenta calamitosa prædicta forent: [f] Ea verò Vestalis, cuius custodia fuerat, ob socordiam, sicut ob alia crimina, à pontifice maximo, qui eas fideli custodia seruabat, flagro plectebatur. In abdito enim conclaui & penitus abstruso loco, eam obtento linteo flagris plectebat. Ignem verò extinctum ita suscitabat, vt vas æneum pellucidum trium angulorum, ad solis iubar obiiceret, ita vt vndique accensus in orbem coiret: illudq; vsque adeo diuerberaret, donec cōceptum ignem arida materia clibano in ædem ferret. [t] Quem quidem nouum accendere calendis Martiis, quibus principium anni agebatur, quot annis solitæ sunt. Fuitque is ignis perpetuus [u] in penetralibus sacris, & penu Vestæ velut sanctiore recessu conditus: in quo [x] Palladium & dij [y] penates Troia aduecti, fatale pignus imperij colebatur, [z] ad quod nulli hominum, nisi vestalibus & pontificibus adire fas erat. [a] Qui quidem dij fuere duo iuuenes veteris artis & operæ paruis imagunculis sedentes, & militari more pila tenentes: [b] tametsi Palladium ad Ænea aduectum, nonnulli Apollinem & Neptunum ferant: [c] alij Troianam Palladem Romæ & Lauini, Luceriæ & Siritidæ demonstrari tradunt: qui ab Ænea in Italiam allati, Lauini mansere primùm, mox ab Iulo in Albam à se conditam translatos; pristinam Lauini sedem sua sponte repetisse dicunt. Quod significando Vestales sacra diis libarent, aut Vestæ rem diuinam facerent, eo cultu ornatuq; erant, [d] vt licet vittatæ incederent, [e] album tunc vestimentū, [f] quod suffibulū vocant, oblon-

Vestalis cuius incuria ignis extinctus, flagris cæsa à pontifice.

Ignis Vestæ resuscitandi ratio.

Palladiū & dij penates in Vestaliū custodia.

Vestaliū ornatus in sacrificando. Suffibulum sacrificij indutus.

ANNOTATIONES.

s *Ea verò Vestalis.*] Hæc item vsque ad ea verba, Ignem verò extinctum. sunt Liuij vbi suprà, Valerij Maximi lib. 1. cap. 1. vbi de P Licinio, Plutarchi in Numa, & Festi Pompeij lib. 9. & Iulij Obsequentis Prodigiorum c. 62.

t *Quem quidem nouum accendere.*] Ouid. de Calendis Martiis loquens lib. 3. Fastorum,

Adde quòd arcana fieri nouus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

u *In penetralibus.*] Ex Virgilio lib. 2. Æneidos;

Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Quod nos ad aliud suprà citauimus.

x *Palladium*] De quo Virgil. lib. 2. Æneidos,

Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem.

Et ibi Seruius. Dionys. Halicarn. lib. 1. Strabo lib. 6. Plutarchus in Camillo, & in Parallelis c. 35. Pausanias in Atticis. Sed & ex Plutarcho maximè intelliges id Palladium asseruari solitum in penitissimis Vestæ ædibus. Pherecydes dicit omnia simulachra humana manu non facta, & quicquid è cœlo in terram deuoluitur, Palladia vocari. Meminit Herodianus lib. 1. Palladij, quod Commodi temporibus, templo Vestæ ardente, virgines Vestales in regiam per viam Sacram transtulerunt.

y *Et dij Penates.*] Macrob. lib. 3. cap. 4. ex sententia lib. Rerum humanarum 2. refert Dardanum deos Penates ex Samothrace in Phrygiā, & Æneam ex Phrygia in Samothraciam detulisse. Penates quidam esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus & rationem animi possidemus. Esse autem medium æthera Iouem; Iunonem verò imum aëra cum terra, & Mineruam summum ætheris cacumen. Varro, vt est apud Arnob. lib. 3. contra Gentiles, Penates, ait, qui sunt introrsus atque in intimis penetralibus, cœli deos esse censet, quos loquimur, nec eorum numerum, nec nomina sciri. Hos Consentes, & Complices Ethrusci aiunt & nominant, quòd vnà oriantur & occidant vnà: sex mares & totidem fœminas nominibus ignotis, & iis nationis barbarissimæ: sed eos summi Iouis cōsiliarios ac Principes existimari. Nec defuerunt qui scriberent Iouem, Iunonem ac Mineruam, deos Penates existere: sine quibus viuere ac sapere nequeamus: sed qui penitus nos regant ratione, calore ac spiritu. Hæc Arnobius vbi suprà. Hos Penates Æneas secum in Italiam deuexit; Virg. Æneid. 1.

Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum.

z *Ad quod nulli hominum.*] Id ex Ælio Lampridio in vita Heliogabali. Nec Romanas, inquit, tantùm extinguere voluit religiones, sed per orbem terræ, vnum studens, vt Heliogabalus Deus vnus vbique coleretur: & in penum Vestæ, quod solæ virgines, solique pontifices adeunt, irrupit, pollutus ipse omni contagione morum, cum his qui se polluerant.

a *Qui quidem dij.*] Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. lib. 1. de diis Penatibus loquens hæc scribit, Templum Romæ non procul foro ostēditur, secundum viam quæ ad Carinas fert compēdio, situm in loco obscuro, propter circumiecta ædificia, qui Romano vulgo sub oliuis dicitur. In eo positæ sunt Troianorum deorum imagines, quas cuiuis fas est inspicere, cum inscriptione Denates, quæ Penates significat. Videntur enim mihi prisci ante inuentum P, vsurpasse pro eo D, literam. Sunt autem hastati duo iuuenes habitu sedentium admodum antiqui operis. Alia quoque multa in antiquis templis horum deorum idola conspeximus, & in omnibus duos iuuenes militari habitu. Lapus aliter vertit, vt videre est apud Gyraldum lib. Historiæ deorum 15.

b *Tametsi Palladium.*] Macrob. d. lib. 3. cap. 4.

c *Alij Palladem Troianam Romæ.*] Hæc vsque ad ea verba, Qui ab Ænea. Sunt Strabonis Geographiæ lib. 6. Sed & de Lauinio Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. vbi de Troianis loquitur, ita scribit, Referam nunc quod suo seculo cognitum manauit ad posteros: Penates deos Æneam Troia aduectos Lauini collocasse: inde ab Ascanio filio eius Albam, quam ipse condiderat, tralatos, pristinum sacrarium repetisse: & quia id humana manu factum existimari poterat, relatos Albam, voluntatem suam altero transitu significasse.

d *Vt licet vittata incederent.*] Ouid. 3. Fastorum de Syluia Vestali loquens,

Ignibus Iliacis aderam, cùm lapsa capillis
Decidit ante sacros linea vitta focos.

Et lib. 6. eiusdem operis,

Nullaq; dicetur vittas temerasse sacerdos
Hoc Duce, nec viua defodietur humo.

Et lib. 3. Amorum eleg. 6. de Ilia Vestali,

Quò cultus abiere tui? quid sola vagaris?
Vitta nec euinctas impedit alba comas?

Nam & hinc vittata sacerdos Lucano lib. 1. dicitur,

Vestalemq; chorum ducit vittata sacerdos,
Troianam soli cui fas vidisse Mineruam.

Et Iuuenalis satyra 4. post princ.

— Cum quo nuper vittata iacebat
Sanguine adhuc viuo terram subitura sacerdos.

Et id quoque videre licet ex Dionys. Halicarn. lib. 2.

e *Album tunc vestimentum.*] Quod vel patet ex illo loco Ouid. lib. 3. Amorum nuper citato.

f *Quod suffibulum.*] Totum id vsque ad vers. Castaq; mola.

Scirpeæ effigies in Tiberim deiectæ. *Locus capillatus.* *Vestaliũ iurandum.* *Munus aliud Vestaliũ.* *Honos.* *Spectaculis admissæ.* *Vestalis incesti conuictæ pœna.* *Stupratoris pœna.*

gum prætextum quadrangulum in capite sumerent: illúdque fibula subnecterent, [g] castáque mola [h] & sale tuso, ac in ollam fictilem misso, & mox in aquam iniecto, sacra facerent, [i] calicibúsque fictilibus, qui cululli dicti sunt, Vestæ & diis libarent: [k] scirpeásque effigies triginta numero, quas Argeos vocant, ex virgulto statis diebus in Tiberim deiicerent; arásque deorum, numinibus accenso foculo, ditarent: quibus [l] hoc proprium ferunt, vt desectum capillum tanquam sacrosanctum, vulgo arteri non sinerent: sed in luco arbore conspicuæ magnitudinis, quæ in Lucinæ ara colebatur, apponerent, cui ob ob id capillaræ nomen. [m] Tum si quando sacramento adigebatur, nisi per suam Vestam iurare liceبat. Etátque Vestalium opus, annis singulis stata die, Regem sacrorum adire, vtque vigilaret, néve diuina intermitteret, præmonere præcauerέque. Tantæque dignationis & pudoris habitæ sunt, vt his præsentibus tanquam arbitris numinibus, non factis modò, sed & verbis obscœnis & prætextaris abstinerent: eásque velut augusta & sancta templa, atque vnicum castitatis exemplar, religiosè obseruarent. Et tametsi tanti exempli & disciplinæ forent, [n] illas tamen athletarum spectaculis & theatro interfuisse quandoque legimus, scilicet remisso officij munere, de concilij sententia. [o] Siqua verò detestabili scelere polluta, omnium sententiis pontificum incesti conuicta, & damnata foret, in eam manus aut vim inferre nulli licuit: sed postquam familiam in potestate habere, & sacris abstinere iussa fuerat, stata die sub effossa humo ad portam Collinam, in loco [p] cui Scelerato nomen, viuam defodiebant, [q] virginis verò stupratorẽ in comitio cædebant ad necem. [r] In ea enim subterranea erat fouea, ad quam gradibus descensus, & in imo lectulus, lucerna ardens, panis simul & lac, item aqua, & in guttu oleum. [s] virginem verò damnatam, demptis vittis è vertice, feretro impositam, cultu miserabili, maximo omnium horrore, eò deducebant: quò vbi deducta fuerat, vinclis solutam, pontifex maximus solenne præfatus carmen, capite velato, ad ostium foueæ constituebat: & postquam introgressa fuerat, illo auerso, & scalis sublatis, desuperque aggesta humo, defodiebant viuam, ita vt ab omni hominis tactu illæsa extingueretur. [t] Qua die tanquam lugubri & ominosa conster-

ANNOTATIONES.

est Festi Pompeij lib. 17. non longè ante finem, vbi de suffibulo loquitur. Suffibulum, inquit, vestimentum album erat, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales virgines sacrificantes habebant, ídque fibula comprehendebatur.

g *Castaq́, mola.*] Festus Pompeius lib. 3. paulò ante fi. Casta, inquit, mola genus sacrificij, quod Vestales faciebant.

h *Et sale tuso.*] Gyraldus historiæ deorum syntagmate 17.

i *Calicibusq́, fictilibus, qui cululli dicti sunt.*] Acron & Porphyrion interpretes in illud Horatij lib. 1. Car. Ode 31.

——— Diues & aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce.

Propriè Cululli calices sunt, quidam fictiles, quibus Pontifices, virginésque Vestales, in sacris vtuntur. hic autem pro vrceolis & conchis posuit. Alibi autem idem Acron in illud eiusdem Horatij de Arte Poëtica non adeò longè à fi.

Res dicuntur multis vrgere culullis
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus.

Culullis, inquit, id est, calicibus & est diminutiuum à Culeo & citat primum locum Horatij.

k *Scirpeasq́, effigies.*] Varro lib. 3. seu aliorum computatione 6. de ling. Lat. Argei, inquit, fiunt è scirpeis virgultis, simulachra sunt hominum triginta, ea quotannis ponte Sublicio à sacerdotibus publicè deiici solent in Tiberim. Festus Pompeius libro 1. Argeos, ait, vocabant scirpeas effigies, quæ per virgines Vestales annis singulis iaciebantur in Tiberim.

l *Quibus hoc proprium ferunt.*] Id vsque ad ea verba, Tum siquando. est Plinij lib. 16. cap. 44. post princ. Festus autem Pompeius lib. 3. scribit, Capillatam vel Capillarem arborem dici, in qua capillum tonsum suspendebant.

m *Tum siquando sacramenti adigebantur.*] Seneca Declam. lib. 7. decla. 8.

n *Illas tamen athletarum spectaculis.*] Sueto. in Nerone, c. 12. in fin. sic scribit, Ad athletarum spectaculum inuitauit & virgines & Vestales, quia Olympiæ quoque sacerdotibus spectare conceditur. Cornel. Tacit. lib. 4. Vnde & Prudentius in Symmachum lib. 2. de his Vestalibus loquens,

Interea dum torta vagos ligat infula crines,
Fatalesq́, adolet prunas innupta sacerdos,
Fertur per medias, vt publica pompa plateas,
Pilento residens molli, seq́, ore retecto
Imputat attonita virgo spectabilis vrbi,
Inde ad consessum caueæ pudor almus & expers
Sanguinis it pietas, hominum visura cruentos
Congressus, mortésque, & vulnera vendita pastu
Spectatura sacris oculis: sed & illa verendis
Vittarum insignis phaleris, fruiturq́, lanistis.

o *Si qua verò*] Hæc sunt Plutarchi in Numa, & Problem. cap. 96. Et vide nostras leges Connubiales parte 15. num. 120. incip. Nam & apud.

p *Cui scelerato nomen.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. iterúmque 8. vbi de Minutia Vestali. & Festus Pompeius lib. 17.

q *Virginis verò stupratorem.*] Dionys. lib. 8. paulò ante fin. vbi de Opimiæ corruptoribus. Tandem ad Pontifices delatum est, vnam Vestalium, ignis sacri custodum, Opimiam amissa virginitate, sacra polluere. Cuius criminis vera confessione quæstionibus expressa, aliis quoque argumentis conuictam, traduxerunt per medium comitium, dempta prius capiti corona suis manibus, viuámque defoderunt in specu subterraneo. Duos verò eius corruptores flagitij coargutos confestim necauerunt verberatos publicè. & lib. 9. scribit Vrbiniam, virginitate amissa, amotam à sacris, & iudicio conuictam verberatam fuisse traductámq; per vrbem viuam defossam. Ex incesti autem patratoribus alterum sibiipsi manus intulisse, alterum à Pontificibus comprehensum, in foro sub furca flagris cæsum atque necatum, atque ita demum pestilentiam desiisse. Liuius 3. Decad. lib. 2. vbi de L. Cantilio scriba minorum Pontificum Floroniæ Vestalis stupratore, à Pontifice Maxim. virgis in comitio ad mortem vsque cæso. loquitur. Suetonius in Domitiano, c. 8. scribit Domitianum incesta virginũ Vestalium à patre suo & fratre quoque neglecta, variè, ac seuerè coërcuisse: priora capitali supplicio, posteriora more veteri.

r *In ea enim subterranea erat fouea.*] Dionys. Halicarn. lib. 2. Plutarchus in Numa, & problem. cap. 96.

s *Virginem verò damnatam.*] Plutarchus in Numa.

t *Qua die tanquam lugubri.*] Idem Plutarch. ibidem. Quin. & id nefas in prodigium vertebatur, quod sacrificiis expiabatur, vt videre est apud Liuium 3. Decad. lib. 2. & in locis quos super citauimus, & Iulium Obsequentem Prodigiorum cap. 97.

u *Popilia.*]

nata vrbe, velut si repentinum incommodum accidisset, iustitio indicto, nihil publicæ magnæque rei agere licebat. Tanta videlicet cura, tantáque solicitudine prisci cauebant, nequa in sacerdotes & deo dicatas virgines vis fieret. Fuere autem Vestales incesti damnatæ inter alias, [u] Popilia, [x] Æmylia, [y] Oppia, [z] Fabia, [a] Minutia, [b] Sextilia, [c] Opimia, & Floronia, inter quas [d] Caparonia suspendio supplicium præuenit. [e] Fabia verò incesti causam dixit, cum ei Catilina obijceretur, & quia soror Terentiæ Ciceronis erat, inducto crimine absoluta fuit. [f] Cornelia Maximilia absens & inaudita à Domitiano incesti rea, quum esset absoluta, non admissi forsan criminis, prauo iudicio pœnas dedit. [g] Cúmque Vrbina falsi criminis, virgis cæsa & viua defossa fuisset, religio vrbem peruasit, immeritam pœnam luisse, quòd pestilenti contagio matronæ mortuos edebant partus, ipsæque vnà interibant, ob id admissum plecti, & merita noxa puniri. [h] Posthumia verò ob mundiorem cultum, criminis insimulata, causam dixit: mox sine noxa & innocens comperta, de collegij sententia omnium votis absoluta fuit.

Vestales incesti damnatæ. Quæ absoluta. Innocentes condemnatæ.

ANNOTATIONES.

u *Popilia.*] Paulus Orosius lib.3.cap.9.in fi. vbi non Popiliam, sed Minutiam virginem Vestalem incesti damnatam, viuámque obrutam in vico, qui Sceleratus dicitur, scribit. Euseb. Pompiliam vocat in Chronicis, Olymp. 73 Hæc autem à nonnullis Oppia dicitur, de qua paulò post.

x *Æmylia.*] Asconius Pedianus in Orat. Ciceronis pro Milone, Plutarchus probl. cap. 83. Macrobius Fenestellæ authoritate lib.1.c. 10.dicit Æmyliam virginem 15. Kalend. Ianuarium esse damnatam: quo die si Saturnalia gererentur, nec causam omnino dixisset. L. Florus epit. Liuij lib. 63. Orosius lib.5.cap. 14.

y *Oppia.*] Liuius 1.Decad.lib.2. Accessere, ait, ad ægras iam omnium mentes prodigia cœlestia, prope quotidiana in vrbe agrisque ostentantia minas: motique ira numinis, causam nullam aliam vates canebant, publicè priuatimq; nunc extis, nunc per aues cósulti, quàm haud ritè sacra fieri. Qui terrores tamen eò euasere, vt Oppia virgo Vestalis incesti pœnas dederit. Iulius Obsequens Prodigiorum cap. 11. vbi dicit hanc à quibusdam fuisse vocatam Popiniam, ab aliis Popiliam.

z *Fabia.*] Vide infrà in verbo, Fabia verò incesti causam dixit.

a *Minutia.*] Liuius 1.Decad.li.8. Eo anno, inquit, Minutia Vestalis suspecta primò propter mundiorem cultum: insimulata deinde apud Pontifices ab indice seruo, cùm decreto eorum iussa esset sacris abstinere, familiámque in potestate habere: facto iudicio, viua sub terram ad portam Collinam, dextra via stratam, defossa Scelerato campo. D. Hieronymus in Iouinianum lib. 3. c.9. in fin.

b *Sextilia.*] L. Florus epitome Liuij lib. 14. Paulus Orosius lib. 4. cap. 2 in fi.

c *Opimia atque Floronia.*] Liuius 3. Decad. lib.2. sic scribit, Territi etiam super tantas clades, cùm cæteris prodigiis, tùm quòd duæ Vestales eo anno, Opimia atque Floronia, stupri compertæ: & altera sub terram, vt mos est, ad portam Collinam necata fuerat: altera sibimet ipsa mortē consciuerat. Dionys. Halicarn. lib. 8. ante fin. vt iam diximus in verbo, Virginis verò stupratorem.

d *Caparonia.*] Paulus Orosius lib. 4. c. 5. Eutropius Rerum Roman. lib. 2. Et hæc fortè est quam Plutarch. in vita Fabij Maximi dicit sibimet mortem consciuisse, cùm in stupro deprehensa fuisset, sed eam non nominat. Aut ipsamet Floronia, de qua loquutus est proximè, quæ & ipsa sibi mortem consciuit, vt iam in præced. diximus.

e *Fabia verè incesti causam dixit.*] Asconius Pedianus in Cicer. Orat. in toga candida contra C. Antonium & Catilinam. Fabia, inquit, Vestalis causam incesti diaerat, cùm ei Catilina obijceretur: erátque absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentiæ Ciceronis.

f *Cornelia Maximilla.*] Suetonius in Domitiano, c 8. Plini lib. Epist. 4. epist. 11. ad Cornelium Minutianum. Hinc non absurdè apud Plinium pro Corneliam Maximiliam Vestalem, legi posset Corneliam Maximam, vt conueniat cum sententia Tranquilli.

g *Cumq; Vrbina.*] Dionys. Halicarnass. lib.9. huius Vestalis quam vrbiniam vocat, historiam aliter recenset, nempe hanc cæsam & viuam defossam, vt suprà diximus ibi, Virginis verò stupr. & eum qui cum illa incestum patrauerat, in foro sub furca flagris cæsum & necatum.

h *Posthumia verò.*] Liuius 1.Decad. lib. 4. Eodem anno, inquit, Posthumia virgo Vestalis de incestu causam dixit, crimine innoxia: ob suspicionem propter cultum amœniorem, ingeniúmque liberius, quàm virginem decet, parum abhorrens famam. Ampliatam, deinde absolutam pro collegij sententia Pont. Maxim. abstinere iocis, colique sanctè potius quàm scitè iussit. Ad eas autem quæ condemnatæ sunt, adde Suniam ex Eusebio Chronographo Olymp. 77. & Thuriam ex L. Floro Epito. Liuij lib. 20. Atque etiam Liciniam & Martiam ex eodem lib. 63. & Plutarcho proble. cap. 83.

Ex quibus veteres captare auspicia solerent, & auspiciorum quæ prospera, quæve piacularia sint.

CAPVT XIII.

PRiscos [a] Romanorum adeò auspiciis deditos fuisse constat, vt post vrbem conditam falsa illa superstitione & praua religione ducti, [b] nihil bello vel pace domi militiæq; agerent, nisi auspicato. Sed inter auspicia de quibus antiquitas fabulata est, quæ prospera, quæve piacularia sint, sæpe quæsitum est. [c] In primis receptum est, auspiciorū quinque genera obseruari ab augurandi peritis: primum ex cælo, secundum ex auibus, tertium ex tripudiis, quartum ex quadru-

Auspiciorum quinque genera.

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

a *Priscos Romanorum.*] Totum id ferè caput, vt alia multa ex hoc authore, Casparus in suos Commentarios, De principiis diuinationum generibus, inseruit. quo loco de Auguriis & Auspiciis tractat: nec hunc tamen nominat, nec alios, à quibus hæc acceperat. Suprà autem lib.3 cap. 15. satis docuimus hæc omnia futilia esse, & sacris nostris literis prohibita.

b *Nihil bello.*] Cicero lib. 1. & 2. de Diuinatione Liuius 1. Decad. lib. 1. & iterum lib. 6. ad fin. in Orat. Appij Claudij Crassi, vbi sic inquit, Auspiciis hanc vrbem conditam esse, auspiciis bello ac pace, domi militiæque omnia geri, quis est qui ignoret?

c *In primis receptum est, auspiciorum quinque genera.*] Festus Pompeius lib. 15. hæc ad verbum scribit. Quinque genera,

pedibus,vltimum ex diris. [d] Ex his quædam oblatiua sunt, quæ non poscuntur:quædam impetratiua, quæ optata veniunt. [e] Oblatiua,non semper auspicium facere: quidē in potestate videntis sunt,an illa ad se pertinere velint. [f] In augurū enim disciplina hoc traditur primùm,nulla auspicia, siue boni, siue mali prænuncia,ad eum qui illa obseruare negauit, pertinere: nam temerè iacta,& sine ratione vaga, diuinationem non recipiunt. [g] Ex impetratiuis autem auspicia vera sumi sæpe notatum est. [h] Quotiésque augures ex arce augurium petunt, [i] lituum tenent sine nodo aduncum, [k] quo cœli regiones & certa spatia, quibus videnda ad se pertinere volebant, [l] quæ templa dicta sunt. [m] sedebat enim augur velato capite,& lituo cœli regiones notabat. Ex cœlo fit augurium,vt si læuum intonuisset, [n] quod

Caeremonia dum ex arce augurium petebatur.
Templa.
Ex calo.

ANNOTATIONES.

inquit,signorum obseruant Augures,ex cœlo,ex auibus, ex tripudiis, ex quadrupedibus, ex diris.

d *Ex his quadam.*] Seruius in lib.6. Æneid. in eum locum,

Vix ea fatus erat, gemina cùm fortè columba.
Ipsa sub ora viri cœlo venere volantes,
Et viridi sedere solo.

Auguria,inquit Seruius,aut oblatiua sunt,quæ non poscuntur: aut impetratiua, quæ optata veniunt. Quia ergo hoc oblatiuum fuit,dixit, fortè. & in 12. eiusdem operis,ibi,

His aliud maius Iuturna adiungit, & alto
Dat signum cœlo, quo non præstantius vllum
Turbauit mentes Italas, monstroq; fefellit.

Monstróque fefellit. bene fefellit, inquit. Nanque hoc augurium nec oblatiuum est,nec impetratiuum:sed immissum factione Iuturnæ, quod carere fide indicat sedes negata. Nam vbicunque firmum introducit augurium, dat ei firmissimam sedem,vt lib. 6.

Ipsa sub ora viri cœlo venere volantes,
Et viridi sedere solo.

Item in Mœri,

Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix.

In hoc autem augurio liberatum Cygnum in aquam cecidisse dicit, quam instabilem esse manifestum est. Et iterum paulò pòst, ibi,

Hoc erat, hoc votis (inquit) quod sæpe petiui,
Accipio, agnoscoq; deos.

Quasi imperatiuum (inquit idem Ser.) hoc augurium vult videri, Accipio, agnoscóque, de modo quasi oblatiuo loquitur, Nam in oblatiuis auguriis in potestate videntis est, vtrum id ad se pertinere velit, an refutet & abominetur. Ergo nunc augurium,dicit se libenter amplecti, & cognoscere circa se voluntatem deorum. Ex quo intelligis hîc legendum,Imperatiua, non Impetratiua.

e *Oblatiua non semper.*] Seruius d.lib.12.posteriori loco.

f *In augurum enim disciplina.*] Seneca lib. 2. Naturalium quæstionum. & Plinius lib. 28.c.2.

g *Ex impetratiuis.*] Quod satis innuit Seruius vbi suprà.

h *Quotiesq; augures ex arce.*] Quod fieri solebat ex Liuio 1. Decad.lib. 10. in Oratione P. Decij Muris in princip. Qui Iouis Optim. Max. ornatu decoratus,curru aureo per vrbē vectus in Capitolium ascenderit, si conspiciatur cum capide ac Lituo,capite velato victimam cædat, auguriúmve ex arce capiat.

i *Lituum tenent sine nodo aduncum.*] Cicero lib.1.de Diuinat. Quid lituus iste vester quod clarissimum est insigne auguratus vnde nobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit tum,cùm vrbem condidit, qui quidem Romuli lituus: id est incuruum & leuiter à summo inflexum bacillum: quod ab eius litui, in quo canitur similitudine nomen inuenit, cùm situs esset in curia Saliorum, quæ est in palatio, eaque deflagrasset, inuentus est integer. Liuius 1.Decad.libro. 1. Accitus, inquit, sicut Romulus augurato in vrbe condenda regnum adeptus est, de se quoque consuli iussit. Inde ab Augure,cui deinde honoris gratia,publicum id,perpetuumque sacerdotium fuit, deductus in arcem in lapide ad meridiem versus consedit. Augur ad læuam eius capite velato sedem cœpit,dextra manu baculum, sine nodo aduncum tenens, quem lituum appellarunt. Inde vbi prospectu in vrbem agrúmque capto deos precatus, regiones ab oriente ad occasum determinauit: dextras ad meridiem partes,læuásque ad Septentrionem esse dixit: signum contra quod longissimè conspectum oculi ferebant, animo finiuit:tum lituo in læuam manum translato, dextra in capite Numæ imposita,precatus est ita,Iupiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, Regem Romæ esse, vt tua signa nobis certa ac clara sint inter eos fines,quos feci. Tum peregit verbis auspicia,quæ mitti vellet. Quibus missis, declaratus Rex Numa de templo descēdit.Plutarchus in Romulo sic lituum definit,Est autem, inquit,lituus,inflexus baculus, quo ad inaugurandum sedentes cœli spatia designant.

k *Quo cœli regiones.*] Seruius in 9.Eglog. Virgil.ibi,

Ante sinistra caua, &c.

& lib. Æneid. 6. eo loco,

Ipsa sub ora viri.

Augures, inquit, designant lituo spatia & eis dant nomina: vt prima pars Antica.posterior,Postica: item dextra & sinistra. Designabant(vt annotauit Ser. in dicto loco lib. 6. Æneid.) item sibi certa spatia, quibus volebant videnda ad se pertinere. Id ex superiore Titi Liuij exemplo dignoscere potes.

l *Quæ templa dicta sunt.*] Varro de ling.Lat.lib.3.aut aliorū comput. 6. post princ.

m *Sedebat enim Augur.*] Liuius 1.Decad.libro.1. loco suprà allegato.

o *Quod prosperi euentus.*] Ennius apud Ciceronem lib. 2. de Diuinatione,

Cum tonuit læuum bene tempestate serena.

Ipse Cicero in lib.cui Marios nomen erat,qui,vt alij multi eiusdem, periit. sed ex eo se ipse citat in lib. 1.de Diuinat.

Partibus intonuit cœli pater ipse sinistris.

Et Virgil. lib. 2. Æneid.

— Subitoq; fragore
Intonuit læuum. —

Vbi Donatus,Quod,ait, dixit læuum, debet prosperum intelligi:cuius ratio hæc est,læua in aliis contraria significant. In sacris autē signis idcirco prospera accipiuntur quæ sunt læua:quia sacrificantis, vel precantis latus læuum dextrum est eius, qui postulata largitor.Et Seruius, læuum prosperum est, quia cœleste: sinistrum autem, quantum ad auguria, à sinendo est,quod nos agere aliquid sinat. Et idē Virg. lib. 9. eiusdem operis,

Audiit & cœli genitor de parte serena
Intonuit læuum. —

Vbi Donatus idem scribit. Seruius autem læuum exponit prosperum:vt enim suprà diximus, Quæ sinistra nobis videntur intuentibus cœlum,illis dextra sunt:non quòd sinistra bona sint: sed,quòd dextra cæli nobis sinistra sunt. Idē Virg. lib. 4. Georg. circa initium,

— Si quem
Numina læua sinant, auditq; vocatus Apollo.

Vbi & ipse Seruius exponit,læua,id est,prospera,Et Plinius lib.2.cap.54.Læua,ait, prospera existimantur, quoniam læua parte mundi ortus est.Alter Plinius Iunior in Panegyrico, Nam cæteros Principes, aut largus cruor hostiarum aut sinister volatus auium consulentibus nunciauit. Plutarchus problē.cap.78. vbi eius rei alias quoque rationes reddit. Festus Pompeius lib. 17. tum vbi de sinistris auibus loquitur. quo loco primum dicit authoritate Varronis lib 5. Epistulicarum quæstionum,id quod iam diximus ex Seruio

prosperi euentus putarunt esse : idem si fulgur à sinistra in dextram emicuisset, Hetrusca disciplina: p quia quæ nobis læua sunt, à diis dextra ex parte demitti putant. q Ideo fulmen in rebus omnibus lætum auspicium facit, boniqué euentus est, si sinistra ex parte venit. In auspiciis enim quæ sinistra sunt, bene euentura putantur. r Tametsi Græci dextra ex parte veniens augurium, auspicatius putent. s Ex his tamen dira habentur fulmina, quæ per septentrionem in occasum vergunt: quæ verò ex ortu ducunt originem, & in eandem partem cœli circumactu redeunt, summam portendunt felicitatem; quale ostentum Syllæ dictatori oblatum memorant. t aut quum fulmen è cœlo decidit, rursusqué in sublimi crebris ignibus micat, quod fortunatum fuisse nemo dubitauit. Ipsum tamen fulmen quacunque ex parte venit, u comitia impedit. x Ioue enim tonante nihil cum populo agi posse liquet. y Si tamen tonet in comitiis, vitium oblatum creandis magistratibus, atque ideo obnunciari oportere. z Si autem grandinet simul & fulminet, calamitatem præsignari volunt. a Propterea cum omnes diis manu-

Græci. Fulmina dira, & contrà.

Fulmen comitia impediebat.

ANNOTATIONES.

sinistrum dici, quod sinit. Deinde authoritate Asinij, Capitonis & Cincij sinistra auspicia meliora esse, quam dextra, tum vbi de sinistro loquitur, vbi & authoritate Atteij Capitonis scribit, sinistrum in auspicando significare lætum & prosperum auspicium. Quibus adde illud Homeri libro 12. Iliados,

αἰετὸς ὑψιπέτης, ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων.

Id est,

Aquila altè volans, ad sinistram populum retinens.

Quanquam postea ita loquatur, vt sentiat nihil interesse inter sinistrum & dextrum in his rebus, eius carmen id est,

—τῶν οὔ τι μετατρέπομ' οὐδ' ἀλεγίζω,
εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,
εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοί γε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.

Illudqué Statij lib. 3. Thebaidos,

Signa feras, læuusqué tones, tunc omnis in astris
Consonet arcana volucris bona murmura lingua.
Si prohibes, hic necte moras, dextrisqué profundum
Alitibus prætexe diem.

Vbi Lactantius interpres. Læuus, inquit, id est, bono omine confirmes auspicia: quia optimum augurantibus signum est, id est, si de sinistra cæli tonuerit. & paucis interiectis, Dextra enim parte in contrario, læua in bono. Et paulò pòst, De cœlo venientibus à dextra parte auibus auguria mala sunt.

o *Idem si fulgur à sinistra in dextram emicuisset.*] Dionysius Halicarnasseus libro 2. non adeò longè à princip. Peractis precibus fulgur à sinistris ad dextra emicuit. Habent autem Romani talia pro additoriis, siue ex disciplina Hetrusca, siue ita edocti à maioribus, hac ratione (vt equidem arbitror) quòd sedes sit optima in captandis auspiciis, quæ Orientem spectet, vnde sol & luna surgunt, stellæqué tam fixæ quàm erraticæ, & vnde mundi motus sumit exordium: cuius circulari vertigine cuncta, quæ in eo sunt, modo super terram existunt, modo sub terra latitant. Porrò qui Orientem spectant, Septentriones à sinistris habent, à dextris meridiem. Honoratius est autem prius quàm posterius: sublimis enim ab Aquilonari tractu polus attollitur, circa quem mundus voluitur, & è quinque sphæræ circulis, qui vocatur Arcticus, hac parte semper est conspicuus. At ab Australi tractu, is qui vocatur Antarcticus, semper in ea parte delitet. Verisimile est autem inter signa, quæ de cœlo seruantur, ea præcellere, quæ fiunt in parte optima. Et quoniam ad Orientem vergentia potiorem partem obtinent, quàm Occidentalia, tum in his ipsis celsiora sunt australibus aquilonaria, meritò habentur optima.

p *Quia quæ nobis læua sunt.*] Seruius in l. 2. Æneid. post princip. ibi,

—— Si mens non læua fuisset.

Contraria: Nam de humanis rebus id significat: de diuinis verò prosperum.

q *Ideo fulmen.*] Vide suprà in verbo, Idem si fulgur à sinistra.

r *Tametsi Græci.*] Cicero libro 2. de Diuinatio. authorem laudans eius rei Homerum: cuius (ni fallor) locus est lib. 2. Iliados,

ἀστράπτων ἐπιδέξι', ἐναίσιμα σήματα φαίνων.

Aut ex libro Odysseæ 15.

ὣς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις,
αἰετὸς ἀργὴν χῆνα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον,
ἥμερον ἐξ αὐλῆς. οἱ δ' ἰΰζοντες ἕποντο
ἀνέρες ἠδὲ γυναῖκες· ὁ δέ σφισιν ἐγγύθεν ἐλθὼν
δεξιὸς ἤϊξε πρόσθ' ἵππων, οἱ δὲ ἰδόντες
γήθησαν, καὶ πᾶσιν ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς ἰάνθη.

Sed & Persæ fulgura ac tonitrua dextra pro felici augurio duerunt, vt videre licet ex Xenophonte lib. 1. Pædiæ Cyri: vbi sic inquit, Cyrus domum reuersus, precatúsque Vestam patriam, ac Iouem patrium aliósque deos, pergebat ad exercitum, eúmque pater vnà deducebat. Sed posteaquàm ædibus egressi sunt, dicuntur fulgura ei atque tonitrua dextra esse facta. Quæ vbi apparuissent, nullo præterea vtentes alio augurio iter faciebant, quòd signa Dei Opti. Maxi. nihil aliud portenderent. Et iterum lib. 7. post. princip. vbi Cyrus, inquit, equum ascendit, stetitqué respiciens quà erat perrecturus, fulmen dexterum insonuit. Hic autem dixit; Te sequemur, ô Iupiter Optim. Max. Vide Senecam lib. 2. Quæst. Natur.

s *Ex his tamen dira.*] Hæc vsque ad versic. Aut cùm fulmen sunt Plinij lib. 2. c. 54.

t *Aut cùm fulmen.*] Et id quoque elicitur ex Plinio vbi suprà, sed non adeò clarè.

u *Comitia impedit.*] Cicero libro 2. de Diuinat. Liuius 3. Decadis libro 3. & 4. Decad. lib. 10. tum, alibi, tum ad finem: Cornelius Tacitus libro 17. Plutarchus in Catone Vticensi, vbi tradit Pompeium dissoluisse Comitia, quibus Cato Vticensis Prætor creabatur, quòd se tonitrua audiuisse dixisset.

x *Ioue enim tonante.*] Cicero in Vatinium scribit iam inde à Romulo decretum fuisse ab auguribus Ioue fulgente cum populo agi nefas esse. Idem Cicero Antoniana 5. Ioue enim, inquit, tonante cum populo agi non esse fas, quis ignorat? Et paulò pòst, Quam legem igitur se Augur dicit tulisse, non modò tonante Ioue, sed propè clamore cœlesti prohibente. Liuius 3. Decadis libro 3. scribit Marcellum consulem creatum, magistratu amotum fuisse, quòd tonuisset, cùm iniret consulatum. Et libro 2. de Diuinat. Itaque in nostris Commentariis scriptum habemus. Ioue tonante, fulgurante comitia populi habere nefas. Asconius in Orat. Cicer. in Pisonem.

y *Si tamen tonet in Comitiis.*] Ex his quos suprà citauimus in verbo, Ioue cùm tonante.

z *Si verò grandinet.*] Tempestate Comitia dirempta fuisse apertè ostendit Liuius 4. Decad. libro 10. in fine. Secundum triumphum Comitia edixit, quibus creati Coss. sunt M. Iunius Brutus, A. Manlius Vulso. Prætorum inde tribus creatis, Comitia tempestas diremit. Plinius lib. 18. cap. 28. in fi. refert tempestatum nomine grandines & procellas cæteraqué similia intelligi.

a *Propterea cùm omnes dij.*] De huiusmodi manubiis deorum, Seruius enarrans illud libri 1. Æneidos,

Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,
Disiecitqué rates, euertitqué æquora ventis.

In libris Etruscorum, inquit, lectum est, iactus fulminum

Manubiæ Iouis tres rubræ. Fulmina diurna Iouis, nocturna Plutoni tributa. Poppysma. Fulminis auertendi ratio. Fulmina in pollutis lucis. Bidental. Tonitrus impares, pares, matutini, meridiani, sereno tempore emissi.

bias albas nigrásque habeant, solius Iouis rubras esse volunt. [b] Et quamuis Hetrusci vates nouem diis fulminum iactus potestatésque tribuant, quorum vndecim fuere genera: [c] Romani tamen diurna Ioui, nocturna Summano (quem Plutonem dicunt) tradiderunt. Fuitqué memoriæ proditum, ea fulmina quæ solus Iupiter excutit, læta esse: quæ verò concilio deorum aduocato, auersa reputati. [d] Ideo fulgetras adorare, & popysmatibus obstrepere, consensum esse gentium Plinius notauit. [e] Est autem popysma, sibilus tenuis, ore emissus. Græci verò, vt vim tonitrus & speciem fulminantis cœli auerterent, pateris vina effundebant. [f] Thraces dum fulminat aut tonat, in cœlum sagittas intendunt, tanquam tonantem hostem esse Dei, quem ipsi colerent. [g] Paulo tamen Æmylio apud Amphipolim sacrificante, fulmen è cœlo emissum, quum sacra combussisset, regni mutationem portendit, quod mox consequutum est. [h] Fuitqué opinio haruspicum, fulmina magnopere fieri in pollutis lucis: ideo reliquias fulminis cum sacrificio sepelire dispersosqué ignes in vnum cogere, & quadam tacita prece, terræ condere solebant, [k] quem locum bidental dixerunt. Nonnulli impares tonitrus boni ominis esse, & felicia portendere volunt: pares autem, diros euentus & calamitates: [l] alij matutinos, ventum, imbrem verò, meridianos prædicere. [m] Serena tamen tempestate tenuisse, [n] hominésque [o] aut ædes sacras de cœlo tactas esse tristis euentus fuisse, & auspicij mali, sæpe notatum est. Contrà verò Homerus

ANNOTATIONES.

manubias dici & certa esse numina possidentia fulminum iactus, vt Iouem, Vulcanum & Mineruam. Vnde cauendum est, ne aliis hæc numinibus demus. Et Festus Pompeius lib. 11. in princ. Manubiæ Iouis tres dicuntur esse: quarum vnæ sunt minimæ, quæ moneant placidæqué sint. Alteræ, quæ maiores sunt, ac veniunt cum fragore, discutiantqué ac diuellant, quæ à Ioue sint, & consilio deorum missi existimentur. Tertiæ his ampliores, quæ cum igne veniant, & quanquam nullum sine igne fulgur sit, hæ propriam differentiam habeant, quòd aut adurant, aut fuligine deforment, aut accendant, quæ statum mutent deorum consilio superiorum.

b *Et quamuis Etrusci vates*] Seneca lib. 2. Natural. quæst. & Plinius lib. 2. cap. 52. in princ. sic inquit, Tuscorum literæ nouem deos emittere fulmina existimant, Iouem enim trina iaculari. Romani duo tantùm ex his seruauere, diurna attribuentes Ioui, nocturna Summano, rariora sanè eadem de causa frigidioris cœli.

c *Romani tamen.*] Plinius vbi suprà. Fest. Pompeius libro 4. in fi. Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Iouis, vt nocturnum Summani. D. Augustin. lib. 4. cap. 23. prope fin. Romani, ait, veteres nescio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quàm Iouem, ad quem diurna fulmina pertinebant. Martianus Capella libro 2. Nuptiarum sic de Summano inquit, Denique omnis aëris à luna diffusio, sub Plutonis potestate consistit, qui etiam Summanus dicitur: quasi summus manium. Idem alio loco, Manes, inquit, corpori humano præsules attributi sunt, qui parentum seminibus manauerunt qui sub Plutonis potestate sunt: qui ideo Summanus dicitur, quasi Summus manium.

d *Ideo fulgetras.*] Plinius l. 28. cap. 2. Fulgetras adorare poppysmis consensus gentium est. Sed hîc legendum Poppysmatibus duplici p. vide in seq.

e *Est autem poppysma.*] Legendum Poppysma à ποππύζω poppysmis prosequor, sibilo. Aristophanes in Pluto,

— εἶθ' ὁ θεὸς ἐπόππυσεν
ἐξηξάτην δ' ἐκ τοῦ νεὼ δράκοντ' ἐν τῷ νεῷ.
——— Postea deus sibilauit.
Exiuerunt igitur duo dracones è templo.

Et in Vespis καὶ ἀναστράψω. id est, & si fulgurabo, ποππύσουσι sibilauit. vbi interpretes tradunt moris fuisse, ταῖς ἀστραπαῖς ποππύζειν. id est, fulgetris applaudere. Hinc Poppysma & poppysmus sibilus. Vide Suidam & Nicam Grammaticum & Maximum in Lexicu, & Policianum l. Miscellaneorum c. 32.

f *Thraces.*] Herodotus lib. 4. sic scribit, Thraces dum tonat fulguratqué in cœlum sagittas excutiunt, Deo minitantes, quòd nullum alium præter suum esse arbitrantur.

g *Paulò autem Æmylio.*] Plutarchus in vita ipsius.

h *Fuitqué opinio Haruspicum.*] Seneca Natural. quæst. lib. 1.

i *Ideo reliquias fulminis.*] Seneca Nat. quæst. lib. 2. Lucanus libro 1.

— Arruns dispersos fulminis ignes
Colligit, & terræ mæsto cum murmure condit,
Datqué locis nomen, sacris tunc admouet aris
Electa ceruice marem. ———

Iuuenal. satyra 7.

Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.

k *Quem loco bidental dixere.*] Horatius in Arte poëtica in fine.

——— In triste bidental
Mouerit incestus.

Vbi Acron & Porphyrion interpretes dicunt, Id quod Iouis fulmine percussum est, bidental dici, hocqué expiari non posse. Et Persius saty. 2.

An quia non fibris ouium, Ergennaqué iubente
Triste iaces lucis, euitandumqué bidental.

Aliter Festus Pompeius lib. 2 dicit, quoddam templum esse ita dictum, quòd in eo bidentibus hostiis sacrificaretur.

l *Alij matutinos.*] Plinius lib. 18. c. 35.

m *Serena verò tempestate.*] Sueton. in Tito. cap. 10. vbi inter omnia mortis ipsius signa, id ponit, quòd tempestate serena sonuerit. Dion libr. 37. Præterea quoque alia infesta signa euenerunt: multa enim fulmina per serenum delapsa sunt. Hoc alij pro læto feliciqué auspicio obseruauerunt, sicut indicat illud Ennianum apud Cicer. libr. 2. de Diuinatione, suprà iam citatum,

Cùm tonuit læuum bene tempestate serena.

Et quòd inter omnia imperij Antoni Pij, scribit Iulius Capitolinus in vita illius, fulgur cœlo sereno sine noxa in eius domum venisse. Id autem naturali rationi tribuit Seneca lib. 1. Natural. quæst. cap. 1. ad finem, vbi ita infit, Alij inter nubes eliduntur, alij sereno, si aër ad exprimendum ignes aptus fuit. Nam sereno quoque cœlo aliquando tonat, ex eadem causa, qua nubilo aëre inter se colliso. Et lib. 2 cap. 8. Quare & sereno tonat? Quia tunc quoque per crassum & siccum aëra spiritus prosilit.

n *Hominesqué.*] T. Liuius 3. Decad. lib. 2. Iulius Obsequens Prodigiorum c. 71. 83. & 87.

o *Aut ædes sacras.*] Plutarchus in Crasso: id sæpissime inter prodigia positum fuisse, testantur Dion historicus & Liuius locis infinitis, & in 3. Decad. libro 1. 3. iterumque 8. & 4. Decad. libro. 3. rursumqué 7. Iulius Obsequens cap. 26. 55. 56. 60. & alibi, & Suetonius in Domitiano cap. 15. Continuis, inquit, octo mensibus tot fulgura facta, nunciatáque sunt, vt exclamauerit, Feriat iam quem volet. Tactum de cœlo Capitolium templúmque Flauiæ gentis. Item domus Palatinæ & cubiculum ipsius, atque etiam è basi statuæ triumphalis titulus excussus vi procellæ in monimentum proximum decidit. Anastasius (authore Volaterrano in Anthropologia) fulmine ictus periit, anno imperij 36.

p *Contrà verò Homerus.*] Scilicet libro Odyssææ 20.

ὣς ἄρα τ' εὐχόμενος, τοῦ δ' ἔκλυε μητίετα Ζεύς,
αὐτίκα δ' ἐβρόντησεν ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου

Iouem sereno intonuisse post effusas preces, felix omen & ratum auspicium fecit. [q] M. Crasso castra quæ trans Euphratem metatus fuerat, bis fulmine icta, triste prodigium & infandas cædes attulere. [r] Alij ex fulguribus quædam publica adnotarunt, alia priuata: Publica, non vltra trigesimum portendere annum, nisi in deditione oppidi: priuata, non vltra decimum augurium facere, nisi in sponsalibus & natali die auspicata: [s] ex quibus quædam postularia, alia pestifera, pleraque consiliaria dicta sunt, aut monitoria vel auxiliaria, hospitalia vel regalia, [t] nonnulla peremptalia, quæ superuenientium fulgurum significationem perimunt. [u] Ea enim tantam vim habent, vt quidquid alia portenderent, illorum interuentu tollatur. Quod verò interuentu fulminis portentum est, alterius significatione tolli nequit: [x] pestifera mortem, postularia sacrificiorum emendationem admonent. [y] Pars multo maxima, tria fulminum genera fecit: consiliarium, quod post cogitatum negotium superuenit: authoritatis, quum post rem perfectam, bonũ aut malum, quod futurum sit, prædicit: status, vbi nec opinantibus nobis fulmen interuenit. Quæ verò fortuita sunt, & in casu posita, nulla ratione subnixa, diuinationem non recipiunt: [z] Ex auibus verò, augures quasdam oscines, quasdam præpetes notarunt: oscines cantu, præpetes volatu augurium facere, & futura prædicere. [a] Semper enim cantus oscinis quum sinister est, secundissimus fuit. [b] Ex præpetibus autem aquila, vulture & buteone, sanquali & immusylo, lætantur, eáque felicis euentus esse, quum ingentibus alis patulæ & porrectæ volant. [c] Quasdam dixere

Fulgura publica, priuata. Fulgura postularia, pestifera, consiliaria, monitoria, auxiliaria, hospitalia, regalia, peremptalia. Trium fulminũ genera apud plurimos. Auguria. Aues oscines. Aues præpetes. Aues funebres. Superuaganea.

ANNOTATIONES.

ὣς ἔφατ' εὐχόμενος, τοῦ δ' ἔκλυε μητίετα Ζεύς. [Greek line, poorly printed]

Id est,

Sic dixit precatus, hunc autem audiuit consiliarius Iupiter.
Statim autem tonuit à splendido olympo
Ab Alto ex nebulis, lætatus est autem diuinus Vlysses.

Et lib. 21. non longè à fi. licet non ita clare,

—Ζεὺς δὲ μεγάλ' ἔκτυπε σήματα φαίνων,
γήθησέν τ' ἄρ' ἔπειτα πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς,
ὅττι ῥά οἱ τέρας ἧκε Κρόνου πάϊς ἀγκυλομήτεω.

Id est,

Iupiter autem valde sonuit signa ostendens.
Lætatus est posteà pertolerans diuus Vlysses,
Quod ei monstrum misit Saturni filius versuti.

q *M. Crasso.*] Plutarc. in vita ipsius, vbi de prodigiis mortem Crassorum præcedentibus loquitur.

r *Alij ex fulguribus.*] Seneca lib. 2. Natu. quæst. cap 48. Priuata enim, inquit, fulgura negant vltra decimum annum, Publica vltra tricesimum posse differri. Plinius lib. 2 cap. 52. in fine, sic scribit, Cæterùm existimant non vltra decem annos portendere priuata, præterquàm aut matrimonio primo facta, aut natali die, Publica non extra trigesimum annum, præterquàm in deductione oppidorum. Et de his duobus Iuuenalis saty. 6. loquitur,

Atque aliquis senior, qui publica fulmina condit,
Plebeium in Circo positum est & in aggere fatum.

s *Ex quibus quædam.*] De his septem primis Seneca d. libr. Natural. quæst. cap 49. & præterea de Postularibus Festus Pompeius lib. 14. Postularia fulgura, inquit, quæ votorum, aut sacrificiorum spretam religionem designant. Pestifera, quæ mortem aut exilium ostendunt.

t *Nonnulla peremptalia.*] Idem Festus autoritate Gracchi d. loco, vbi tamen corruptè legitur, Parentalia. Ea enim à perimendo dicta sunt: quia scilicet, vt ille dicit, portenta vi sua perimunt duobus modis prioribus tollendis, aut maiore manubiã, vt tertia secundæ, secunda primæ cedat. quod & planè declarat alibi eodem libro vbi de Postularibus loquitur.

u *Ea enim tantam vim habent.*] Quod iam ex Festo diximus, & id præterea scribit Seneca d. lib. 2. Natural. quæstin. cap. 34. Cuius hæc verba, Summam esse vim fulminum indicant: quia quidquid alia portendunt, interuentus fulminis tollit. Quidquid ab hoc portenditur, fixum est, nec alterius significatione minuitur. Quidquid exta, quidquid aues minabantur, secundo fulmine abolebitur. Quidquid fulmine denunciatum, nec extis, nec aue contraria refellitur. Sed hæc tamen confestim reprobat, vt ibi videre poteris.

x *Pestifera mortem.*] Festus Pompeius d. lib. 14. addit aut exilium, vt etiam facit alibi eodem lib. vbi de Postularibus loquitur. & ante eum Seneca d. lib. Natu. quæst. c. 49. Pestifera, quæ mortem exiliumque portendunt.

y *Pars multo maxima.*] Hæc vsque ad ea verba, Ex auibus sunt Senecæ vbi suprà c. 39. ex authoritate Cecinnæ.

z *Ex auibus*] Seruius in lib. 1. Æneid. ibi,

Aspice bis senos lætanteis agmine cycnos,
Ætheria quos lapsa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cœlo.

In auguriis, inquit, non solùm aues considerantur: sed volatus in præpetibus & cantus in oscinibus: quia non omnes, nec omnibus dant auguria. Et l. 3. Æneidos in eum locum,

Et volucrum linguas & præpetis omina pennæ.

Aues, inquit, Seruius, oscinæ sunt, aut præpetes. Oscinæ ab os & cano dictæ, ore futura prædicunt: præpetes verò à volatu: sed præpetes aut superiora tenent & præpetes dicuntur: aut inferiora, & inferæ appellantur. Præpetes autem, quia omnes aues superiora tenent volantes. Acron in Horatium Carminum lib. 3. Ode 27. ibi,

Oscinem coruum prece suscitabo
Solis ab ortu.

Oscines, inquit, aues dicuntur, quæ voce augurium faciunt: præpetes quæ volatu, & citat illud Virgilianum. Et de præpetibus quoque loquitur F. Pompeius lib. 14. in duobus locis. & Gellius lib. 6. cap. item 6. Cicero autem lib. 2. de Natura deorum aliter has distinguit. Atque hæ non caperentur quidem nisi hominum ratione atque solertia: quanquàm aues quaedam & alites oscines, vt nostri augures appellant, rerum augurandarum causa esse natas putamos. Idem Cicero de Diuinat. lib. 1. Eademque efficit in auibus diuina mens, vt tum huc, tùm illuc volent alites, tùm à dextra, tùm à sinistra parte canant oscines. Et apertius Epistol. fami. lib. 6. episto. quoque 6 ad Cecinnam, Non igitur ex alitis volatu, nec ex cantu sinistro oscinis, vt in nostra disciplina est, nec ex tripudiis solistimis, aut somniis tibi auguror: sed habeo alia quæ obseruem. Et apertissimè Plinius lib. 10. cap. 19. Nunc de secundo ordine dicamus, qui in duas diuiditur species, oscines & alites: illarum generi cantus oris, his magnitudo differentiam dedit. Itaque præcedent & ordine. Ex quibus intelligis hos alites vocare, quos illi præpetes appellant.

a *Semper enim cantus oscinis.*] Seruius lib. 4. Æneid. in eum locum,

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri & longas in fletum ducere voces.

Omnes, inquit, aues oscines, bonæ: præpetes malæ sunt, & contrà.

b *Ex præpetibus autem aquila.*] Festus Pompeius libr. 1. non longè post princip. has omnes aues inter alites ponit, quas hîc præpetes appellat: nam suprà diximus easdem esse alites & præpetes.

c *Quasdam dixere funebres.*] Plinius lib. 10. cap. 12. Inauspicatas aues vocat, cornicem, coruum & bubonem. de bubone

sicq

Auspicia caduca. Clivia. Auspicia ex aquila & vulturis volatu.

funebres,quæ omine auersu aliquid fieri vetant:[d] nonnullas superuaganeas,quæ ex summo acumine emittunt vocem:[e] alia caduca auspicia,cum in templo per augures metato aliquid excidit:[f] pleraque cliuia,quæ difficulter eueniunt.[g] Aquila si dextra ex parte venit,felix omen facit,[h] & magnarum rerum auspicia:[i] quas quidem volatu augurium facere, præcipuè si stridentibus alis euolare videant, omen futuri maximi boni, ac læta & magna portendere dixerunt. † Vultures quoque Romulo in condenda vrbe præsens aospicium fecere. Sed tamen vultures aquilarum fœtus implumes occidisse, nidosque euertisse, ipsosque à pasto pedibus & rostro abegisse,[k] Tarquinio Superbo exilium, & regni amissionem quæ mox sequuta sunt, portenderunt.[l] Aquilam Tarquinio Prisco pileum detraxisse in

ANNOTATIONES.

sic loquitur in fi. Bubo funebris & maximè abominatus, publicis præcipuè auspiciis, deserta incolit: nec tantùm desolata, sed dira, etiam & inaccessa: noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. Itaque in vrbibus aut omnino luce visus, dirum ostentum est. Priuatorum domibus insidentem plurimis scio non fuisse feralem. Volat nunquam quò libuit, sed transuersus aufertur. Capitolij cellam ipsam intrauit Sex. Papellio Istro, L. Pedanio Coss. propter quod nonis Martiis vrbs lustrata est eo anno. Incendiariam præterea auem inter inauspicatas enumerat cap. 13. eiusdem libri, Inaospicata est, inquit, & incendiaria auis, propter quam sæpenumero lustratam vrbem inuenimus, sicut. L. Cassio & C. Mario Coss. quo anno & bubone viso lustrata est. Ouidius lib. 1. Amorum, eleg. 12. de inauspicatis auibus scribit,

Ille dedit turpes raucis bubonibus vmbras,
Vulturis in ramis & strigis oua tulit.

Statius Thebaidos 3.

——Dira strident in nube volucres
Nocturnaquè gemunt striges, & feralia bubo
Dira canens. ——

Idem Ouid. Metamorphos. 5. bubonem ignauum & diri ominis vocat,

Fœdaquè fit volucris, venturi nuncia luctus
Ignauus bubo, dirum mortalibus omen.

Vocat & prophanum, id est execrandum, & pessimi ominis, lib. 6. Metamor.

—— Tectoquè prophanus
Incubuit bubo, thalamiquè in culmine sedit.

Funereum præterea lib. 9. vocat,

—— Ter omen
Funereus bubo, letali carmine fecit.

Ælius Lampridius in Commodo, inter prodigia eiusdem Commodi mortem præcedentia, scribit, Bubonem etiam suprà cubiculum eius deprehensum esse tam Romæ quàm Lanuuij.

d *Nonnullas superuaganeas.*] Fest. Pomp. lib. 17. Superuaganea dicebatur ab auguribus auis, quæ ex summo cacumine vocem emisisset: dicta ita, quia super omnia vagatur, ac canit.

e *Alia caduca.*] Idem Festus lib. 3. non longè à fi. Caduca auspicia dicunt, cùm aliquid in templo excidit, veluti virga è mano.

f *Pleraque cliuia.*] Idem Festus eodem libro, Cliuia auspicia dicebant, quæ aliquid fieri prohibebant: omnia difficilia cliuia vocabant, vnde & cliuia loca ardua.

g *Aquila si ex dextra parte venit.*] Suetonius in Claudio, cap. 7 Euenitque, vt primitus ingredienti cum fascibus forum, præteruolans aquila dexteriore humero consideret. & in Vitellio, cap. 9. Prætermisso agmine lætum euenit auspicium: siquidem à parte dextra repente aquila deuolauit: lustratisque signis, ingressos viam sensim antecessit. & in Domitiano, cap. 6. in fi. De qua victoria prius præsagiis, quàm nunciis comperit. Siquidem ipso, quo dimicatum est, die, statuam eius Romæ insignis aquila circumplexa pennis, clangores lætissimos edidit: paulóque pòst occisum Antonium adeò vulgatum est, vt caput eius quoque apportatum vidisse se plerique contenderent. Apud Liuium 1. Decad. libro 1. & Dionysium lib. 3. legimus quemadmodum aquila Lucumoni, qui posteà L. Tarquinij Prisci nomen adeptus est, Romam commigranti, regni augurium fecit. Alithersa senex ille Odyssææ lib. 2. ex Aquilarum volatu & genarum laceratione, reditum Vlyssis & procorum interitum auguratur, & Priamus lib. Iliados 24. ab Hecuba admonitus, Iouem orat, vt aquilam mittat, cuius volatu in bonam spem erectus, auspicióque secundo confisus ad naues Græcorum sese conferat,

πέμψον δ' οἰωνὸν ταχὺν ἄγγελον, ὅς τέ σοι αὐτῷ
φίλτατος οἰωνῶν, καί οἱ κράτος ἐστὶ μέγιστον,
δέξιον, ὄφρα μιν αὐτὸς ἐν ὀφθαλμοῖσι νοήσας,
τῷ πίσυνος ἐπὶ νῆας ἴω Δαναῶν ταχυπώλων.

Id est,

Mitte autem velocem nuncium, qui tibi ipsi,
Dilectissimus inter alites, & cuius fortitudo est maxima,
Dextrum, vt eum ipse oculis percipiens,
Hoc fretus in naues eam Danaorum equitum.

h *Et magnarum rerum auspicia.*] Seneca libr. 2. Naturalium quæst. cap. Cur, inquit, aquilæ hic honor datus est, vt magnarum rerum faceret auspicia?

i *Quas quidem volatu augurium facere.*] Cornelius Tacitus libro 17. Lætum augurium Fabio Valenti, exercituique, quem in bellum cogebat, ipso profectionis die, aquila lenti meatu prout agmen incederet, velut Dux viæ præuolauit, longúmque per spatium, is gaudentium militum clamor, ea quies interritæ alitis fuit, vt haud dubium magnæ & prosperæ rei nomen acciperetur. Dion in Augusto, sic scribit, Cæsari aquila statim inito fœdere cum ambobus (Antonio scilicet & Lepido) supra tentorium stetit, móxque coruos duos aduolantes, qui ex alia eius plumas euellere conabantur, occidit: itaque ex vtroque victoriam portendit. Hæc Dion lib. 47. in prin.

† *Vultures quoque Romulo.*] Liulus 1. Decad. libro 1. Dionysius Halicarnasseus lib. 1. Plutarchus in Romulo & omnes vbique. Et quòd vultures faciant bonum auspicium testis est Appianus libro 3. bellorum Ciuilium. Statius lib. 3. Thebaid.

Non venit auguriis melior quàm vultur.

Vbi Lactantius interpres scribit, vulturem solere bona omina augurantibus ferre.

k *Tarquinio Superbo.*] Et alia ex hac aue auspicia, vide apud Herodotnm libro 3. vbi Dario cum septem Persis disceptante, apparuerunt septem accipitrum paria, insectantium duo paria vulturum, eósque vellicantium & infestantium. Plutarchum problem. cap. 93. & in vita Marij. Dion historicus auctor est libro 46. Post C. Cæsaris cædem Octauio in Campum Martium descendente vultures sex augurium fecisse: mox verò apud milites concionanti duodecim. Id ad Romulum, auguriúmque eidem oblatum referens, regno quoque eius constanter se potiturum sperabat. idem in Vitellio.

l *Aquilam Tarquinio Prisco.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. de Lucumone, cui Tarquinio Prisco edidere nomen, loquens, Ei carpento sedenti cum vxore aquila suspensis demissa leniter alis, pileum aufert: supérque carpentum cum magno clangore volitans, rursus velut ministerio diuinitùs missa, capiti aptè reponit: inde sublimis abiit. Accepisse id augurium dicitur Tanaquil, perita, vt vulgo Hetrusci, cælestium prodigiorum mulier excelsa & alta sperare virum iubet: eam alitem, ea regione cœli, & eius Dei nunciam venisse: circa summum culmen hominis auspicium fecisse: leuasse humanum superpositum capiti decus, vt diuinitus eidem redderet.

ſublimi, deinde capiti repoſuiſſe, regnum ominatā ferunt: [m] ſicut Ariſtander aquilæ augurio victorem Alexandrum prædiuinauit. Rurſus correptum iaculum è manu ſatellitum abſtuliſſe, & in profundum deieciſſe, [n] velut prodigioſum oſtentum Dionyſio exilium, & regnum ſibi abrogati, funeſtáſque calamitates præmonſtrauit. [o] fuitque diu quæſtionis, an ſanqualis & immuſylus inter aquilas cenſendi forent: quorum volatus licet æuo priore incognitus, ſecundiſſimos habere euentus cenſebatur. [p] Cumque ex auibus omnia multi obſeruarint, præcipui fuere Cares, [q] quibus rex Caras ex auibus auſpicium dedit primus. [r] Poſtea Arabes, Phryges, Cilices, Piſcides, Pamphilij, & [s] Galli, auium cantus & volatus religioſe obſeruarunt: ex quibus vera auſpicia ominati ſunt: quibus obſeruatis, haud ſecus quàm ex oraculis euenta rerum & negotiorum præſumpſere. [t] Sæpe tamen vulturem in ædem Iouis, aut deorum volaſſe, prodigij loco receptum eſt: ideo velut portentum malique auſpicij, procuratum fuit. [u] Si tamen vultures, corui, & aquilæ in vnum coirent, cædem haud dubiam: [x] & ſi grues volantes à recto flecterent curſu, & retrocederent, infandam nautis tempeſtatem, & mare procelloſum, mox turbines & fluctus prænunciarunt. Ciconiam non vt grues prodigium facere dicunt, ſed in auguriis non dubiam ferre concordiæ ſignificationem. [y] Proxima eſt accipitrum natura: præcipuum verò genus, [z] quod circum appellant, altero pede claudum, quod fortunatum nuptiis & pecuariæ rei opinati ſunt. [a] Contrà miluus diri maliqueominis, ſemperque infortunia præmonſtrare creditus. [b] Triorchen

Quæ gentes auguria potiſſimum obſeruarint.
Sinistrū omen ex vulturibus.
Ex vulturibus, coruis & aquilis congregatis.
Ex gruibus.
Ex ciconia.
Ex accipitre.
Ex miluuo,

ANNOTATIONES.

redderet. eadem ferè ſcribit Dionyſius lib. 3.

m *Sicut Ariſtander.*] Plutarchus in Alexandro. Q. Curtius lib. 4. non aquilam, ſed coruum glebam vnguibus ferentem fuiſſe ſcribit.

n *Velut prodigioſum oſtentum Dionyſio exilium.*] Plutarch. in Dione. Sed & alia ex aquila auſpicia vide apud Homerum libro 15. iterúmque 20. Odyſſeæ, Xenophontem Pædiæ Cyri libro 2. iterúmque poſteà libro 6. expeditionis Cyri non vno in loco, Ciceronem libr. 2. de Diuinat. vbi de Deiotaro, Diodorum Siculum lib. 16. c. 6. Virgi. lib. 12. Æneid. Valerium Maximum lib. 1. cap. 4. vbi de M. Bruto & Rege Deiotaro, Plinium lib. 15. cap. 13. & li. 25. cap. 5. Suetonium in Galba, cap. 1. & 4 & in Veſpaſiano, cap 5. Plutarchum in viris Timoleonis, Bruti & Marij, & in lib. de claris mulier. c. 15. & in Parallelis, cap. 11. Appianum bellorum Ciuilium, lib. 4 Iuſtinum lib. 12. ad finem. & li. 20. vbi de pugna Crotonienſium, & Locrenſium, & iterum lib. 23. ad fi. Ælianum de nat. Animalium lib. 13. c. 1.

o *Fuitquè diu quæſtionis.*] Plinius li. 10. cap. 7. & vide Liuium 1. Decad. lib. 1. Et Feſtum Pompeium lib. 9. vbi de Immuſculo aliter loquitur, & Iulium Obſequentem Prodigiorum cap. 63. vbi de Sanquali.

p *Cúmque ex auibus omina multi.*] Et inter cæteros, præter eos quos hîc noſter author numerat, Vaſcones, Hiſpani & Pannonij ex Ælio Lampridio in Alexandro Seuero. Quod & de Pannoniis aſſeuerat Spartianus in Septimio Seuero.

q *Quibus Rex Caras.*] Plinius lib. 7. cap. 56. Auguria ex auibus Car, à quo Caria appellata, reperit, vbi dicit Tireſiam Thebanum auſpicia auium repeiiſſe. Vide Polydorum Virgilium Vrbinatem lib. 1. c. 24. de Inuentoribus rerum.

r *Poſteà.*] De his ſex prioribus nuncupatim tradit Cicero lib. 1. de Diuinat. non ſemel & iterum 2. Et præterea de Arabibus Philoſtratus in vita Apollonij lib. 1. cap. 14. Arabes, inquit, ab auibus, non ſecus: atque ab oraculis, eorum quæ ventura ſunt, auguria captant: id autem aſſequūtur (vt aiunt) draconum corde, aut epate in cibis aſſumpto. De Phrygibus Iuuenalis ſaty. 6.

Diuitibus reſponſa dabit Phryx augur, & Indus
Conductus dabit aſtrorum.

Nam Phryges, Cilices & Arabes (vt ſcribit Cicer. in 1. de Diuin.) auium ſignificationibus plurimum obtemperarerūt: quod idem factitatum in Vmbria ſe accepiſſe inquit. Et de Cilicibus Tacitus libr. 18. non multò poſt princ. vbi tradit ſcientiam artémque aruſpicum Myram, aut, vt alij legunt, Thamyram Cilicia accitam in templum Paphiæ Veneris intuliſſe.

s *Galli.*] Nuper diximus de Vaſconibus, qui & ipſi Galli ſūt.

t *Sæpe etiam vulturem in ædem Iouis.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. Adde & frequenti foro in tabernam deuolaſſe.

u *Si tamen.*] Dion hiſtoricus Roman. lib. 47. poſt princip. vbi prodigia Lepido facta deſcribit, ſic inquit, Vultures complures in templo Genij P. R. ac Concordiæ inſederant, quibus adhuc in eodem loco commorantibus, cædes illæ, quales olim Sylla proſcriptione viſæ fuerat, editæ ſunt, ac tota vrbs cadaueribus impleta Eodem lib. vbi de prodigiis, quæ pugnam Philippenſem præceſſerant, ſic ſcribit, Et (quod maximè perniciem eis ſignificauit, ita, vt hoſtes quoque id animaduerterent) moli vultures aliæque aues, quæ cadaueribus paſcuntur, ſolos ipſos, exercitum ſcilicet Caſſij & Bruti, volauere: in eos intuiti ſunt, terribilémque clangorem & ſtridorem ediderunt.

x *Et ſi grues volantes.*] Virgil. Georg. lib. 1.

— Nunquam imprudentibus imber
Obfuit: aut illum ſurgentem vallibus imis
Aeriæ fugere grues.

Et lib 10. Æneidos,

— Quales ſub nubibus atris
Strimoniæ dant ſigna grues, atque æthera tranant
Cum ſonitu, fugiuntquè notos clamore ſecundo.

Nam grues, inquit, ſignificant tempeſtatem futuram, citátque priorem illum locum Virgil. Geor. 1. Horum enim (notorum ſcilicet) calorem fugiunt, cùm reuertuntur in Thraciam. Plinius autem lib. 18. cap. 35. eóque vlt. Grues, inquit, ſilentio per ſublime volantes ſerenitatem ſignificant.

y *Proxima eſt accipitrum natura.*] Quorum augurium eſſe bonum affirmat Stat. lib. 3. Thebaidos, ſubiungens iis quæ ſuprà diximus de vulture,

— Et Altis
Deſuper accipitres exultauere rapinis.

z *Quod circum appellant.*] Plinius lib. 10 cap. 8. Homerus autem lib. 15. Odyſſeæ Circum pro felici augurio memorat.

ὣς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις,
κίρκος ἀπόλλωνος ταχὺς ἄγγελος
Τηλέμαχ' οὔ τοι ἄνευ θεοῦ ἔπτατο δεξιὸς ὄρνις.

Vbi tamen Andreas Diuus vertit *κίρκος*, accipiter. Aliud autem ex accipitribus auſpiciis videbis apud Herodotum l. 2.

a *Contrà miluus.*] Plinius lib. 10. cap. 10. & c. 18. & vide Iul. Obſequentem Prodigiorum c. 71.

b *Thriorchen verò.*] Idem Plinius libro 10. cap. 8. Triorchen à numero teſtium, cui principatum in auguriis Phœmonoë dedit: Buteonem hunc appellant Romani: familia etiam ex eo cognominata, cùm proſpero auſpicio in ducis naui ſediſſet. Æſalona Græci vocant, qui ſolus omni tempore apparet, cæteri hyeme abeunt. Diſtinctio generum ex auiditate. Alij non niſi ex terra rapiunt auem, alij non niſi circa arbores volitantem, alij ſedentem in ſublimi, aliqui volantem in aperto. Itaque & columbæ nouere ex iis pericula viſoque conſidunt, vel ſubuolant, contra naturam eius auxiliantes ſibi.

Ex falcone. Ex buteone. Ex pico & luscinia. Ex Ardeola. Ex hirundinibus. Ex pico martio. Ex columba. Ex cygno. Arist. circum inter accipitrum genera recenset.

verò, cui principatum dedere augures, [c] & falconem felicis euentus, futurique maximi boni spem habere augurio expertissimo compertum est. Est autem triorches quem buteonem antiquitas dixit, quique tres testes habeat, triorches dictus. Falconis verò augurium tam auspicatissimum Thuscis fuit, vt viso augurio, Capuam in solo felicissimo condiderint. [d] Dario accipitrum visio duo vulturum paria vellicantium, omen fuit, quod è coniuratis sumpto supplicio, haud multò pòst Persarum regno potiretur. [e] Picus verò martius & luscinia efficaci auspicio habentur, prosperaque semper & felicia decreuerunt. [f] Inter quæ ardeolas, quas leucos vocant, quum ad Austrum volant vel septentrionem, magna semper portendere voluerunt: soloi enim pericula, & metus exinaniri eorum aspectu, multorum opinio fuit. [g] Luscinia quæ in ore Stesichori infantis cecinit, talem illum futurum designauit, quantus postea fuit. [h] Contrà hirundines infausti ominis esse, & ancipitem afferre fortunam, multi prodiderunt: [i] Nam Cyro regi, dum contra Scythas bellum parat, hirundinum visio infaustam fecit expeditionem. [k] Eædem quoque Pyrrhi tabernaculo, [l] & naui Antonij insidentes, suscepti belli infelicitatem, & funestas clades portenderunt. [m] Picus quoque martius in capite prætoris iura reddentis deprensus & occisus, futurum excidium auguratus fuit: [n] vexillis verò Sabinorum insidens, felix augurium fecit. [o] Columba si comitia est, prosperos successus auguratur: cæteris autem nullius auspicij credita est: [p] sicut cycnus nautis, & his qui freto agi volunt, prosperos cursus denunciat: reliquis verò inauspicatus Circum tamen de genere aquilarum columbam discerpentem vnguibus, felix nuncium attulisse [q] Homerus voluit. [r] Præposteros aut vespertinos gallorum cantus, optimi

ANNOTATIONES.

c *Et falconem.*] Seruius in Virgil. lib. 10. Æneid. eo loco,

Et Capys, hinc nomen Campana ducitur vrbi.

Scribit ab augurio falconis Capuam esse appellatam, quod Hetrusci eius vrbis conditores Capyn inaugurantes viderunt, quo nomine falconem appellabant. Tamen quis alius eius vsus fuerit in augurijs non declarat.

d *Dario.*] Herodotus lib. 3. vbi de Smerde mago, à septem persis occiso, loquitur. & diximus suprà hoc eodem cap.

e *Picus verò Martius.*] Plinius lib. 10. cap. 18. Pici, inquit, principales in Latio sunt in augurijs, à Rege qui nomen huic aui dedit.

f *Inter quæ ardeolas.*] Plinius lib. 11. cap 7. Et inter aues, inquit, ardeolarum genere, quos Leucos vocant, altero oculo carere tradunt. Optimi autem augurij, cùm ad austrum volant Septemtrionémve. Solui enim pericula & metus narrant.

g *Luscinia quæ in ore Stesichori.*] Plinius lib. 10. c. 19.

h *Contrà hirundines.*] Horatius lib. 4. Carm. Ode 12.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix auis & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quòd malè barbaras
Regum est vlta libidines.

Pausanias lib. 1. qui de Atticis, hirundinem infelicem vocat, ob miserabiles & luctuosos cantus. quod patet exemplo seq.

i *Nam Cyro Regi.*] Xenophon expeditionis Cyri lib. 1.

k *Eadem quoque Pyrri tabernaculo.*] Plutarchus in Pyrrho.

l *Et naui Antonij.*] Plutarchus in vita illius. Dion. l. 50. scribit hirundines circa Antonij tentorium, ac in prætoria naui ipsius nidificasse. Et adde quod ab Iulio Obsequente prodigiorum cap. 87. sic est traditum, Antiocho Regi Syriæ ingenti exercitu dimicanti, hirundines in tabernaculo nidum fecerunt: quo prodigio neglecto, prælium commisit & à Parthis occisus est. Et quod etiam ab Arriano Rerum gestarum Alexandri libro 1. non adeò longè à fi. sic scriptum est, Dum Alexander Halicarnassum obsideret, quiescente eo sub meridiem, hirundo quædam cum garritu maximo super dormientis caput volitare, & modò in hanc, modò in illam lecti partem sese inferre, ac turbulentiores quàm sit earum auium natura garritus edere, conspecta fuerat. Alexandrum tunc, vtpote labore fatigatum, somnus oppresserat: sed acutissimo auiculæ garritu tandem excitatus, eam continuò manu repulit. Tantum verò abfuit, vt vel repulsa aufugerit, vt rursus ipsius capiti insideos non prius discesserit, quàm prorsus expergefactus sit. Eam rem Alexander minimè negligendam arbitratus, cùm Aristandrum Telmissum peritissimum vatem consuluisset, parari sibi à domesticis insidias respondit: Cæterùm fore, vti insidiæ deprehenderentur. Hirundinem enim cùm hominibus consuescere, ac cæterarum auium loquacissimam esse.

m *Picus quoque Martius.*] Plinius lib. 10. c. 18. de Pico Martio loquens sic scribit, In capite prætoris vrbani L. Tuberonis, in foro iura pro tribunali reddentis, sedit ita placidè, vt manu prehenderetur. Respondere vates exitium imperio portendi si dimitteretur: at si exanimaretur, Prætori. Et ille protinus cõcerpsit: nec multò pòst impleuit prodigium. Valerius Maximus libro 5. cap. 6. de Pietate erga patriam: vbi de Ælio Prætore, qui non modò suam, sed vniuersæ familiæ & generis incolumitatem patriæ saluti postposuit: qui maluit picum, qui sibi ius dicenti in vertice consederat, eo fato vt capto & occiso eius domus grauissimam perniciem: respublica verò non paruam consecutura esset felicitatem, necare cum exitio suo, quàm eum conseruare cum reipub. detrimento. Frontinus Stratagematôn libro 4. cap. 5. Cælius, inquit, Prætor vrbanus, cùm ei ius dicenti picus in capite insedisset, & aruspices respondissent, dimissa aue, hostium victoriam fore: necata, popul. Romanum superiorem, ac Cælium cum familia periturum, auem occidit: qua occisa, nostro exercitu vincente, ipse cum 14. Cæliis ex eadem familia in prælio est occisus. Hunc quidam non Cælium, sed Lælium fuisse, & Lælios, non Cælios perisse credunt. Hincque illud Horatij Car. lib. 3. Ode 27.

Tequè nec læuus vetat ire picus,
Nec vaga cornix.

Vbi Acron à sinistra picum, mali ominis dicit, & vagam volatu cornicem.

n *Vexillis verò Sabinorum.*] Strabo lib. 5.

o *Columba.*] Apollonius Rhodius lib. 3. Argonauticôn. Virgil. lib. 6. Æneidos,

Vix ea fatus erat, geminæ cùm fortè columbæ, &c.

Vbi Seruius, Ad Reges columbarum pertinet augurium: quia columbæ nunquam solæ sunt: sicut nec Reges vnquam soli incedunt. Quod ad Cæsaris felicitatem pertinuisse, qui per Æneam à Venere oriundus est, videtur asserere Sueton. in Augusto, cap. 94. vbi de Palma arbore, quam Diuus Iulius conseruari, in omen victoriæ iussit.

p *Sicut cycnus nautis.*] Virgil. lib. 1. Æneidos,

Aspice bis senos lætantes agmine cycnos,

Et ibi Seruius, qui cycnus dicit solùm nautis augurium date, vt apparet in Ornythogonia,

Cycnus in augurijs nautis gratissimus ales,
Hunc optant semper, qui nunquam mergitur vndis.

q *Homerus voluit.*] Scilicet libro 15. Odysseæ, vt suprà dictum est.

r *Præposteros aut vespertinos gallorum cantus.*] Plinius lib. 10. cap. 21. Habent, inquit, ostenta & præposteri eorum vespertinique

euentus multi notauere.[s] Themistocli pridie quàm in Xercem duceret, auditus gallorum cantus, victoriæ mox futuræ prænuncium fecit: idque ideo, quòd victus nequaquam canit: victor verò obstrepit & murmurat.[t] Contrà verò gallinarum: nam dit aliquid imminere, aut futurum incommodum, illarum cantus designauit. Inter reliquas verò inauspicatissima fertur [u] incendiaria & piacularis, propter quam vrbs sæpe lustrata fuit. [x] Quæ autem hæc fuerit, maximæ quæstionis est. [y] Coruus quoque inter aues inauspicatæ est garrulitatis: pessimam verò coruorum significationem maximè quum glutiunt vocem velut strangulati, Plinius notauit: [z] si verò ab ortu clara voce occinuerint, præsentem felicitatem: contrà verò ab occasu, exitium apportant. [a] Coruos tamen pullos deuorasse, reliquiásque in nidum detulisse, dissidium inter Syllam & Marium, quo plurimo sanguine pugnatum est, designauit. [b] Coruos quoque aurum corrosisse, velut dirum malique portenti, procuratum fuit. Eædem quoque aues inuolantes obstrepentésque, [c] Alexandro Babyloniam ingressuro [d] & Ciceroni imminentes periculū extremúsq; ærumnas præmonstrarunt. [e] A dextra tamen coruus, [f] & à sinistra cornix

Ex gallorum cantu. *Ex gallinarum cantu.* *Ex coruo.*

ANNOTATIONES.

tinique cantus. Namque totis noctibus canendo, Bœotiis nobilem illam aduersus Lacedæmonios præsagiuere victoriam, ita coniecta interpretatione, quoniam victa ales illa non caneret.

s *Themistocli.*] Cicero lib. 1. & 2. de Diuinat. id tribuit victoriæ Thebanorum sic enim scribit, Cúmque eodem tempore apud Thebaidam Triphonio res diuina fieret: gallos gallinaceos in eo loco sic assiduè canere cœpisse, vt nihil intermitterent. Tum augures dixisse Bœotio Thebanorum esse victoriam: propterea quòd auia illa victa silere solet, canere si vicisset. Plinius autem d. li. 10. c. 21. tribuit eam victoriam Bœotiis aduersus Lacedæmonios, vt patet in præced.

t *Contrà verò gallinarum.*] Alia gallinarum auspicia, vide apud Plinium lib. 15. c. 30. & Suetonium in Galba, c. 1. & gallinacei apud eundem in Vitellio, c. 9. Mox Viennæ pro tribunali iura reddenti gallinaceus supra humerum, & deinde in capite astitit.

u *Incendiaria*] Plinius lib. 10. cap. 13. Ælius Lampridius in vita Commodi Antonini, non procul à fi. scribit, Et ante lucem fuerant etiam incendiariæ aues, ac diræ. & Iulius Obsequens Prodigiorum cap. 100. Auis incendiaria & bubo in vrbe visæ. & 111. Auis, inquit, incendiaria visa occisáque.

x *Quæ autem hæc fuerit.*] Plinius dicto lib. 10. cap. 13. de ea loquens, Quæ sit auis ea, nec reperitur, nec traditur. Quidam ita interpretantur, Incendiariam esse quęcunque apparuerit carbonem ferens ex aris vel altaribus. Alij spinturnicem eam vocant. sed hæc ipsa quæ esset inter aues, qui se scire diceret non inueni.

y *Coruus.*] Cornix dicere debuit ex eodem Plinio, qui hæc eadem verba de ea dicit lib. 10. c. 12.

z *Si verò ab ortu clara voce.*] Horat. lib. 3. Car. Ode 27.

Oscinem coruum prece suscitabo
Solis ab ortu.

Vbi Acron interpres, Ab ortu enim solis prospera corui omina sunt, aduersa ab occasu Liuius 1. Decad. lib. 10. Hæc dicentem, inquit, coruus voce clara occinuit, quo læto augurio Coss. affirmans nunquam humanis rebus magis præsentes interfuisse deos signa canere & clamorem tolli iussit.

a *Coruos tamen pullos deuorasse.*] Plutarch. in vita Syllæ, vbi prodigia, quæ bellum sociale præcesserant describit: Tres corui, inquit, pullos in viam productos, deuorarunt, corúmque reliquias intra nidum retulerunt.

b *Coruos quoque aurum corrosisse.*] Liuius 3. Decad. li. 10. post princ. Aurum in Capitolio corui non lacerasse tantùm rostris crediti, sed etiam edisse. & Plutarchus in Nicia describens portēta, quæ expeditionem Atheniensium in Siciliam præcesserant, sic scribit, In Delphis autem Palladis aureum simulachrum æneę palmæ superpositum stabat, quod Athenienses pro re bene ac feliciter aduersus Medos gesta, constituerant. Hoc diebus plurimis corui rostro vnguibúsque petentes, quodammodo lacerare conabantur, ac palmæ fructus, qui ex auro fabricati erant, partim vorantes absumpsere, partim vi conuulsos deiecerunt.

c *Alexandro Babyloniam ingressuro.*] Plutarchus in vita illius non longè ante fi. Quod cum pauci faciens (Alexander scilicet) procederet, propinquus vrbi complures altercantes seque mutuò ferientes coruos aspexit, ex quibus nonnulli penes illum delapsi sunt.

d *Et Ciceroni.*] Plutarch. in vita ipsius prodigia Ciceronis mortem præcedentia describens, ita scribit, Hîc Apollinis erat sacellum mari imminens, ex quo cùm Cicero adremigraret littori, corui elati pennis, magno clangore nauiculam impetunt: deinde super vtrisque cornibus antennarum insidentes, partim clamore strepere, partim capita funium exagitare. Tum omnibus id infaustum ostentum visum est: verùm descendit è puppi Cicero, & in diuersorio, veluti quietem captaturus, accubuit. Hinc corui super poste sedentes magis, ac magis tumultuoso clangore perstrepunt. Horum vnus descendens in cubiculum Ciceronis, pallium, quo cubans erat opertus, rostro ab eius fronte deduxit. Valerius Maximus lib. 1. ca. 4. de Auspiciis, Cùm in villa Caietana esset, coruus in conspectu eius horologij ferrum loco motum excussit, & protinus ad ipsum tetendit, ac laniam togæ eousque morsu tenuit, donec seruus ad occidendum eum milites venisse nunciaret. Appianus bellorum Ciuilium lib. 4. Tacitè accedentibus his, qui Ciceronem inquirebât, corui aduolantes obstrepere cœperunt, eundem è somno excitantes, vestem quoque rostris, eousque attraxere è quiescentis corpore, quoad serui id signum à Deo missum arbitrati, lectica impositum iterum ad mare per profundam syluam occulto calle detulere.

e *A dextra autem coruus.*] Probus in 9. eglogam Virg. ibi,

—Sed carmina tantum
Nostra valent Lycida tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.

Quoniam, inquit, in Chaonia regione Epyri in quercu arbore sedisse dicuntur, & humana voce dedisse responsa, & ita bonum augurium erat, si coruus dextra, cornix sinistra volaret, vt Cicero lib. 1. de Diuinatione non semel scribit, Quorum à dextris coruus, sinistra cornix facit augurium. Plautus in loco, quem mox citabo. Alia autem ex coruis auspicia, prætet ea quæ enumerauimus, vide apud Liuium 1. Decad. lib. 7. vbi de T. Manlio, & 3. Deca. lib. 1. ad finem. Valerium Maximum lib. 1. ca 4. vbi de Tiberio Graccho, atque etiam de Metello, Plutarchus in eodem Tibe. & Parallelis, scribit, Metellum, hominem patricium, suburbanum suum petentem, vidisse cædentes se inuicem alis coruos, augurijque religione deterritum, Romam rediisse, vbi cùm Vestæ templum incensum conspicatus esset, Palladiúmque eripuisset, oculis captum fuisse, & postmodum visum recuperasse. Iulius Obsequens Prodigiorum cap. 31. 34. 79. & alibi.

f *Et à sinistra cornix.*] Nam Mancinellus exponens carmen illud Virgilij in Tityro,

Sæpe sinistra caua prædixit ab ilice cornix

Aduertendum, inquit, cornicem videre vnicam, mali ominis esse: duas verò ominis boni. quod quidem & legi & expertus sum pluries, adeò ipsa est inauspicatæ garrulitatis,

Ex bubone.

vel [g] picus, ſpem non ambiguam & rarum auſpicium fecere. [h] Maximè verò abominatus eſt bubo, triſtis & dira auis, voce funeſta & gemitu, qui formidoloſas. diráſque neceſſitates & magnas moles inſtare portendit; ipſum tamen cantu [i] & ſtridore querulo, dirum facere auſpicium putant. [k] tacens, non ſemper malus fuit: quippe bubonis aſpectus, [l] Agrippæ captiuo Iudæorum regnum portendiſſe fertur. [m] Noctua quoque non ſemper infortunia facit: namque volans, inſignem de hoſte victoriam quandoque apportauit. [n] Apud Athenienſes enim, noctuæ volatus victoriæ ſemper fecit auſpicium. [o] Si tamen ſereno canit, tempeſtatem: tempeſtate verò ſi occinnerit, ſerenũ nunciare fertur. [p] Eadem verò in haſta Regis Pyrrhi inſidens contra Argos euntis, fatum illi & diſcrimen extremum prædixit.

Ex noctua.

[q] Apes quoque ſuo examine dira oſtenta ſæpe & triſte auſpicium fecere, [r] ſicut ante pugnam Pharſalicam in ara inſidentes, [s] & in nauibus cõſpectæ, dum per æquora ferrentur, Dioni & Pompeio Magno cladem pernicioſam, & calamitoſos caſus prænotarunt. [t] Et quum in caſtris Bruti examen conſpiceretur, mutari caſtra haruſpices iuſſerunt, ne quid diri portenderent. Nonnumquam felici euentu [u] ſicut quum in caſtris Druſi vua dependente inſedére, quo tempore ad Arbalonem proſperrimè

Ex apibus.

ANNOTATIONES.

vt Plinius ſcribit lib. 10. c. 12. id eſt, infelicis, quaſi auſpiciis repugnantibus. Ante hos Plautus in Aſinaria act. 2. ſce. 1.

Picus & cornix eſt ab laua, coruos porrò ab dextera:
Conſuadent.

g *Vel picis.*] Plautus vbi ſuprà, & iam ſatis amplè diximus in hoc cap.

h *Maximè verò abominatus eſt bubo.*] Ouid. Metam. lib. 15. inauſpicatam auem bubonem vocat, his verbis,

Triſtia mille locis Stygius dedit omina bubo.

Seneca In Hercule furente,

Hic vultur, illic luctifer bubo gemit.

Lucanus lib. 5.

Et laua iurantur aues bubone ſiniſtro.

Silius Italicus lib. 8. belli Punici ad fin. recenſens prodigia belli Cannenſis.

Obſedit; frequens caſtrorum limina bubo.

Et Claudianus in Eutropium lib. 2.

Protinus excitus iter irremeabile ſignis
Arripit infeſtoq; iubet bubone moueri
Agmina. ——

Vide Iulium Obſequentem prodigior. c. 85. 86. 90. & 92. & quæ ſuprà diximus de bubone, infelici aue.

i *Stridore querulo.*] Verba ſunt Apuleij lib. 3. Aſini aurei, fit bubo Pamphile, ſic edito ſtridore querulo, iam ſui periclitabunda, paulatim terra reſultat, mox in altum ſublimata, forinſecus totis alis euolat. Nam auium ſtridor, in auibus, augurij ſignum eſt, Virg lib. 1. Æneid.

Vt reduces illi ludunt ſtridentibus alis.

Et ibi Seruius.

k *Tacens non ſemper malus eſt.*] Seruius (vt iam dictum eſt) in 4 Æneid. ibi,

—— Ferali carmine bubo.

Nam non eſt mali ominis ſemper bubo, ſed quum canit.

l *Agrippa captiuo.*] Ioſephus Antiqoitatum Iudaicarum lib. 18. c. 8. vbi & aliud huius bubonis, ſcribit auſpicium.

m *Noctua quoque.*] Virgilius lib. 12. Æneidos,

Poſtquam acies videt Iliacas, atque agmina Turni,
Alitis in paruæ ſubitò collecta figuram,
Quæ quondam in buſtis, aut culminibus deſertis
Nocte ſedens, ſerum canit importuna per vmbras:
Hanc verſa in faciem, Turni ſe peſtis ad ora
Fertq; refertq; ſonans, clypeumq; euerberat alis.

Vbi Seruius noctuam dicit non bubonem: nam ait, Alitis in paruæ. bubo autem maior eſt. Et Statios qui eam inter felicia auguria poſuit lib. 3. Thebaid.

Flauaq; ſonans auis vnca Mineruæ
Non venit auguriis melior quàm vultur.

n *Apud Athenienſes.*] Plutarchus in Themiſtocle ſic ſcribit, Produnt quidam authores Themiſtocli de rebus ex ſuperiori nauis tabulato diſſerenti, noctuam viſam ad dexterã nauium partem volatu delatam malo inſediſſe: quo omine in eius ſententiam ierunt omnes, decertaturiq; nauali prælio parabantur. Sed & quod noctuæ volatus Athenienſibus ipſis victoriç ſymbolum eſſet, tradunt. Suidas & Xenodotus in enarratione illius prouerbij γλαὺξ ἵπταται, ſiue ἵπτατο. id eſt noctua volat, ſiue volauit. De quo Eraſm. Chil. 1. cen. 3 76.

o *Si tamen ſereno canit.*] Plinius lib. 18. ca. 35. eodémque vlt. Noctua in imbre garrula, ſerenitatem: ſereno, tempeſtatem indicat.

p *Eadem verò in haſta Regis Pyrrhi.*] Ælianus hiſtoriæ animalium lib. 15. c. 59. de hoc augurio ſic ſcribit, Accedenti ad ſeriam actionem homini, occurrentem noctuam inauſpicatam ſignificationem dare aiunt. Cui quidem rei teſtimonio fuit Pyrrhus Epirotarum Rex. cùm in illius Argos proficiſcentis haſta, quá erectam ferebat, hæc auis ſediſſet, ei malum auſpicium dedit: Nam Argos ingreſſus, valde ingloria, atque ignobili morte occubuit. Quare mihi Homerus, lib. Iliados 10. præclarè intellexiſſe videtur, auem hanc mali auſpicij eſſe, cùm Diomedi ad Caſtra Troianorum explorãda proficiſcenti, Mineruam facit auſpicatò mittentem Erodium, non noctuam. Contrà, Hieroni Adoleſcenti prima bella ineunti, aquila in clypeo, noctua in haſta conſedit. Quod oſtentum & in conſilio cautum & manu promptum Regémque futurum ſignificabat, vt ſcribit Iuſtinus lib. 23. ad fi. De infelici noctuarum augurio Dion lib. 41. in prodigiis cladem Pompeij ſignificantibus, Noctuas frequentes apparuiſſe ſcribit.

q *Apes quoque ſuo examine.*] Liu. 3. Dec. lib. 1. iterum 4. & 7. Dion Nicæus lib. 41. paulò ante fi. inter ſigna Pompej cladem denunciantia, ſcribit apes Pompeij ſignis militaribus inſediſſe. Plinius lib. 11. c. 17. vbi de apum regiminis ratione ſcribens, dicit, Apes tunc oſtenta facere priuata ac publica, vua dependente in domibus templiſve, ſæpe expiata magnis euentibus. Cui concinit illud Iuuenalis ſatyra 13,

Atque examen apum longa conſederit vua
Culmine delubri.

Sed & Tacitus lib. 2 inter prodigia, quæ M. Aſilino M. Acilio Coſſ. Romæ euenere, poſuit, Faſtigio Capitolij examen apum inſediſſe. Iulius Obſequens Prodigiorum cap. 95. & Claudianus in victoria Stiliconis contra Alaricum,

Et ſi quod fortaſſe quies neglexerit omen,
Addit cura nouis lapidoſos grandinis ictus,
Molitaq; examen apes.

r *Sicut ante pugnam Pharſalicam.*] Id reſpicit Pompeium, de quo ſtatim loquitur, eſtque Valerij Maximi lib. 1. c. 6. Appiani li. 2. bellorum Ciuilium. Iulij Obſequentis Prodigiorum cap. 124.

s *Et in nauibus conſpecta.*] Id etiam reſpicit Dionem: ſed id aliter refert Plutarchus in vita illius. At cùm, inquit, examẽ apum circa Dionis naues à puppe conſpectum eſſet, de illo ſeparatim ſibi & amicis explicauit. Timere enim ſe ne res illius gerendæ cùm honeſtate quidem plenæ ſint, vbi perfloruerint, breui contabeſcant tempore.

t *Et quum in caſtris Bruti.*] Plutar. in Bruto, ſcribit, Examen etiam apum circa locum quendam intra vallum inſediſſe, quem locum augures, ſuperſtitione commoti, clam excluſere à caſtris.

u *Sicut cùm in caſtris Druſi.*] Plinius lib 11. cap. 17. Sedere

in caſtris

Pugnatum fuit. [x] Ipsas verò apicem arboris insedisse, oppugnationis futuræ, & teterrimi belli afferre signa, multi adnotarunt. [y] quæ verò apes in ora infantis Platonis aduolarunt, haud dubiam spem eius magnitudinis attulerunt. [z] Aliter vesparum examen: nam calamitosum auspicium facere probatum est. Aues autem omnium generum circumuolasse, felicitatem magnæ fortunæ, diademáque regium mox futurum [a] Gordio ostenderunt. [b] Ferunt in Alexandriæ descriptione, cum ob gypsi inopiam mœnia farina frumenti designarentur, aues omnis generis illam depascentes, omen fecisse horreum viciois gentibus quandoque futuram. [c] Ex tripudiis verò esse auguria, veteres fabulati sunt: [d] vt si pulli non addixissent, [e] vel si vitulus è sacrificantium manibus se proripuisset, [f] aut hostia profugisset, vel percussa mugitum dedisset, vel si inter sacrificandum aliquid triste oculis aut auribus occurrisset, [g] seu in extis caput iecinoris defuisset, quæ omnia fœdi euentus esse, nemo dubitauit. [h] Flaminio sacrificanti, vitulus qui multos cruore inspersit, omen magni terroris fecit. [i] Vel quum pulli è cauea addicerent & pascerentur, [k] ita quòd tripudium facerent solistimum, [l] quæ secundissima traduntur auspicia in pascentes aues videre, felicitatē portendere multi censuerunt, Lydi, [m] Persæ, Iberi & Thraces non ex auibus, sed maxima auguria ex vino obseruarunt. Nam vinum effundere, aut vestes vino

Ex vespis. Ex omni generis auium circumuolatu. Auguria ex tripudys. De hoc plurali. 5.c.29. Ex vino.

ANNOTATIONES.

in castris Drusi Imperatoris, cùm prosperrimè pugnatum apud Arbalonem est, haud quaquam perpetua aruspicum coniectura, qui dirum id ostentum existimant semper. Sed aliter Iul. Obsequens Prodig. c.132. In Germania; in castris Drusi, examen apum in tabernaculo Hostilij Rutilij, præfecti castrorum, consedit, ita vt funem prætendentem præfixámq; tentorio lanceam amplecteretur. Multitudo per insidias subiecta est. Ælian. autem Variæ historiæ lib. 12. c. 46. Dionysium, inquit, Hermocratis filium, aiunt, flumen equo traiecisse. cúmque in luto equus concideret, eum desiluisse, & ripæ compotem esse factum: atque si relicto postmodum equo, quasi non amplius suo decessisse. Cùm autem sequeretur equus & hinniret, reuersum esse. cúmque apprehenderet eius iubam ad ascendendum, apum examen continuò manum circumdedisse: atque de his interroganti, respondisse Dionysio Galeotas, Monarchiam ea re præsignificari. Cic. lib. 1. de Diuinat.

x *Ipsas vero apicem arboris insedisse.* Virg. lib. 7. Æneidos de lauro.

Huius apes summum densæ (mirabile dictu)
Stridore ingenti, liquidum trans æthera vectæ.
Obsedere apicem, & pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Aduentare virum, & partes petere agmen easdem
Partibus ex iisdem & summa dominarier arce.

y *Quæ vero apes in ora infantis Platonis.*] Cicero lib. 1. de Diuinat. Plinius lib. 11. c. 17. Valerius Maximus lib. 1. c. 6. Ælianus de varia Historia lib. 10. ad fin. & iterum lib. 12. De Platone, inquit, dicitur quòd apes in ipsius ore fauum effecerint. Pindarum etiam, cum è patria domo fuisset expositus, aluerunt apes, pro lacte mella præbentes. Alia autem ex apibus auspicia, vide apud Plutarchum in vita Bruti alio in loco; quàm ex quo suprà citauimus, videlicet in postrema pugna.

z *Aliter vesparum.*] Liuius 4. Dec. lib. 5. A Capoa nonciatum est examen vesparum ingens in forum aduolasse, & in Martia æde consedisse. eas collectas cum cura & igni crematas esse. Horum prodigiorum causa, Decemuiri libros adire iussi & nouendiale sacrum factum, & supplicatio indicta est, atque vrbs lustrata.

a *Gordio.*] Diodorus Siculus.

b *Ferunt in Alexandria.*] Valerius Maximus lib. 1. c. 4. vbi de Alexandro Magno. Plutarchus in Alexandro, De hanc vrbis formam pro illius loci similitudine designari iussit. Quam ad rem cùm tellus alba deesset, in nigri campi planitie, gyratum farina signum deducunt: cuius actæ rectius, velut ex fimbria, lineę chlamydis instar, interiorem efficiunt vrbem. Eius formam, summa cum delectatione, intueote Rege, infinitæ multitudinis & generis omnifariam aues è proximo lacu ac flumine in eum repentè locum, nubia in modū, prouolant, ita vt nihil farinæ relinquerent. Id Alexandrum perturbauit augurium: ast illum bona spe esse Aruspices monent: ab eo enim vrbem condi, quæ feracissima variis hominibus futura sit educatrix. Ex passeribus quoque vide augurium apud eundem Plutarchum in Sylla. Cicero de Diuinatio. lib. 2. scribit Chalcantem ex passerum numero belli Troiani annos auguratum fuisse.

c *Ex tripudiis.*] Cic lib. de Diuina. 2. & Liuius Dec. 1. lib. 10.

d *Vt si pulli non addixissent.*] Liuius 1. Dec. lib. 1. Cùm omnium sacellorum inaugurationes admitterent aues, in Termini fano non addixere. & 3. Dec. lib. 2. & 10. Fabio auspicanti, inquit, priusquàm egrederetur ad Tarento, aues semel atque iterum non addixerunt. & vide omnino quæ diximus suprà lib. 2. c. 29.

e *Vel si vitulus.*] Liuius 3. Decad. lib 1. in fi. Immolantíque ei vitulus, iam ictus, è manibus sacrificantium sese cùm proripuisset, multos circunstantes cruore respersit. Fuga procul etiam maior apud ignaros quid trepidaretur & concursatio fuit: id à plerisque in omen magni terroris acceptum.

f *Aut hostia profugisset.*] Dion historicus lib. 45. scribit, Taurum in templo Vestæ mactatum, post rem sacram exiluisse; terroremque maximum intulisse.

g *Seu in extis caput iecinoris.*] Sicut contigit Cneo Seruilio Cepione, & Cn. Seruilio Gemino Coss. vt scribit Liuius 3. Decad. lib. 10. Consulum, inquit, alteri primam hostiam immolanti, caput iecinori defuit.

h *Flaminio.*] Liuius 3. Dec. lib. 1. in fi. Paucos post dies magistratum iniit: immolantíque ei vitulus iam ictus, &c. vt paulò antè dictum est.

i *Vel quum pulli è cauea addicerent*] Liuius 1. Decad. lib. 1. in duobus locis, & 3. Dec. lib. 7.

k *Ita quod tripudium facerent solistimum.*] Cicer. lib. 1. & 2. de Diuination. quid sit tripudium solistimum exponit. Liuius præterea lib. 10. 1. Decad. Cùm pulli non pascerentur, pullarius auspicium mentiri ausus, tripudium solstimum Coss. nunciauit. Coss. lætus, auspicium egregium esse & diis authoribus rem gesturos pronunciat, signúmque pugnæ proponit.

l *Quæ secundissima traduntur auspicia.*] Cic. d. lib. 2. de Diuin. Cum igitur offa iam cecidit ex ore pulli: tum auspicanti tripudium solistimum nunciant: Ergo hoc auspicium diuini quicquam habere potest. Liu. paulò pòst ea, quæ nuper citauimus, Coss. verba referens sic inquit, Mihi quidem tripudium nunciatum, Populo Romano exercituíque egregiū auspicium est. & paucis interiectis. cùm audisset pullarium emisso pilo ante signa cecidisse, Dij in prælio sunt inquit, habet pœnam noxium caput. Ante Coss. hæc dicentem coruus voce clara occinuit. Quo lætus augurio consul affirmans, nunquam humanis rebus magis præsentes interfuisse deos, signa canere & clamorem tolli iussit.

m *Persæ.*] Herodotus li. 1. Persarum mores describens, Poti, inquit, de rebus maximè seriis consultare consueuerunt Nam si quando ipsis consultandum videtur, tum postera

Odyss. 13. Ex bin nitu & fremitu equorum. Ex virgultis. Ex oculis. Ex piscibus. Ex tiliæ fronde. Ex somnys. Byzantij. Ex quadrupedibus. Ex lupo.

inquinare, felicis haud dubiæ fortunæ signa esse, augurati sunt: idque attestante [n] Homero, qui Vlysse discedente, & bona verba precante, Alcinoi vxorem humi facit vinum fundere, velut preces ratas diis habituris. [o] Germani ex hinnitu & fremitu equorum, motitus futurorum prædici putant, quos nullo opere contactos, candidi coloris plurimos educebant. [p] In Cappadocia ex myrrhinis virgis, in [q] Scythia ex salignis humi constratis: [r] alij ex vibrata salitione oculi, [s] quod augurium palmicum: in [t] Lycia ex piscibus, quos ichthyomantes vocant: [u] atque Enaries Androgeni ex tiliæ fronde vaticinantur, [x] Nasamones verò ex somniis ad sepulchra defunctorum. Fuitque apud Byzantios receptus mos, vt scombrorum regem videre, qui inter conchylia est miri aspectus, aut iunctum iumentum stercus emittere, fortunatissimos euentus faciat: quæ singula augurum disciplinis latius tradita & præcepta sunt. [y] Ex quadrupedibus autem fuere quæ pedestria dicuntur auguria: vt quæ à lupo, serpente, equo, vulpe, cæterisque reptilibus fiunt. [z] Lupum, si ad dextram commearit pleno aute, magnæ & prosperæ rei augurium faceret, & nullum præstantius esse opinantur. [a] contrà, lupos in Capitolio visos, prodigij loco est habitum, cuius causa lustratum Capitolium quandoque videmus. [b] Lupum quoque castra introisse, & laceratis obuiis intactum abiisse, exitium & cladem portendisse euëtus docuit, toto postea exercitu ingenti clade affecto. [c] Rursus, quum cerua à lupo fugata, inter duas acies euasisset illæsa, insignem victoriam Romanis dedit. [d] Lupos quoque in foro visos, incolumes euasisse, armis opprimi patriam, & magna rerum momenta designauit. [e] Quum in Lybiam colonia duceretur, lupos metas quibus ager designabatur, mordicus dissipasse, velut diri euëtus, effecit quo minus deduceretur. [f] Non sic Samnitibus deduceñtibus coloniã, quo duce auspicatã deduxere, quare Hirpini dicti. [g] Fuitq;

ANNOTATIONES.

die ieiunant, proponítque is, qui ędibus illis, in quibus fortè consulatur, præest: & si placuerit atque ieiunauerint, vtuntur ipso: sin minus comprobetur abrogant: & de quibus ieiuni deliberauerint, de eisdem poti pronunciant.

n *Homero.*] Is poëta lib. 13. paulò post princ. Odysseæ, scribit Vlyssem descendentem ab Alcinoo Rege Pheacum & Aretæ eius vxoris, posuisse poculum rotundum, & vndique intrò flexum in manibus ipsius Aretæ ἀμφικύπελλον. (de quo diximus suprà lib. 3. cap. 10. vbi hunc locum Homeri citauimus) illique bene precatum, maritóque ac filiis. Sed nihil aliud, nec ibi, nec alibi, quod ad hanc rem pertineat, dicit: si me non fallit memoria

o *Germani ex hinnitu & fremitu equorum.*] Tacitus li. de Moribus Germanorum, Proprium gentis, ait, equorum quoque præsagia ac monitus experitiri. publicè aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru, sacerdos ac Rex, vel Princeps ciuitatis comitantur, hinnitúsque ac fremitus obseruant. Nec vlli auspicio maior fides non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim ministros deorum, illos conscios putant.

p *In Cappadocia ex myrrhinis virgis.*] Cælius Antiq. lect. lib. 7 c. 29. Myrcinas virgas, non Myrrhinas legit.

q *In Scythia.*] Herodotus lib. 4.

r *Alij ex vibrata salitione oculi.*] De qua re Theocritus in Amaryllide, ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός. Id est, Salit mihi oculus dexter. Plautus autem in Pseudolo id supercilio tribuit, cùm dicit,

At id futurum vnde vnde dicam, nescio.
Nisi quia futurum est, ita supercilium salit.

Saliatores à nonnullis dicuntur, qui salientes oculos intuiti, odorantur præsagium. Cælius d. lib. 7. c. 29.

s *Quod augurium palmicum*] De quo Possidonios scribit, ab oculi vibrata subsultatione, quæ res dicitur Græcè παλμός. id est, vibratio, seu subsultatio, apud Gregorium Nazianzenum in Orat. de radio solis in aqua reflexo. Marcellus Virgilius apud Dioscoridem lib. 1. in fi. vbi recenset quædam à se versa, palpitationem ea voce dicit significari.

t *Lycia ex*] Plinius lib. 32. cap. 2. de ingeniis & mansuetudine piscium & responsis, quæ dantur ex piscibus loquens, Nam in Lyciæ, inquit, Myris in fonte Apollinis, quem Curium appellant, ter fistula euocati veniunt ad augurium. Plutarchus de industria animalium, & alij, quos tibi citaui suprà lib. 1. c. 29. Nec ibi solùm ex piscibus sumuntur auguria, sed & alibi quoque ex eodem Plinio lib. 9. c. 16. in prin.

u *Atque Enaries.*] Herodotus lib. 4. Enaries, inquit, qui sunt Androgyni, aiũt, sibi à Venere traditam diuinationem, tiliæ fronde vaticinantes. Tiliam vbi quis tripharìam sciderit, digitis suis eam implicando ac resoluendo tractat, atq; hunc in modum vaticinantur. Sunt qui Narées legunt. Cælius loco suprà citato.

x *Nasamones.*] Herodot. d. lib. 4. Diuinantur ad suorum accedentes monumenta, & illi, vbi preces peregerunt, indormiunt. Vbi quodcunque per quietem insomnium videtur, eo vtuntur.

y *Ex quadrupedibus.*] Festus pompeius libro 14. Pedestria, inquit, auspicia arbitrabantur, quæ dabantur à vulpe, lupo, serpente, equo, cæterisque animalibus quadrupedibus.

z *Lupum.*] Plinius lib. 8. ca. 22. de lupis loquens, sic scribit, Inter auguria ad dexteram commeantium præciso itinere, si pleno id ore fecerit, nullum omnium præstantius.

a *Contrà, lupos.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. & 4. Deca. lib. 2. & 3. Iulius Obsequens Prodigiorum c. 17.

b *Lupum quoque castra intrasse.*] Liuius 3. Decad. lib. 1.

c *Rursus cum cerua à lupo.*] Liuius 1. Dec. lib. 3. & Appianus lib. 1. bellorum Ciuilium. Et è diuerso cerua à lupo fugata & occisa, ab eo exercitu ad quem fugeret, illi exitum portēdit ex eodem Liuio eiusdem 1. Dec. lib 10

d *Lupos quoque in foro visos.*] Liuius 4. Decad lib. 3.

e *Cum in Lybiam.*] Plutarchus in vita C. Gracchi, & Iulius Obsequens c. 93.

f *Non sic Samnitibus deducentibus.*] Festus Pompeius lib. 9. vbi Irpinos eos appellat à nomine Irpi, quem lupum dicũt Samnites: eum enim ducem sequuti, agros occupauere, vbi Irpinos eos appellat sine aspiratione. Nam & ea dictio est sub litera, I. Seruius autem libro 11. Æneidos in eum locum,

Summe deûm sancti custos Soractis Apollo, &c.

Soractis, inquit, mons est Harpinorum in Flaminia collocatus: in hoc autem monte cùm aliquando Diti patri sacrũ persolueretur, nam Manibus consecratus est, subitò venientes lupi exta rapuerunt: quod cùm diu sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam halitum ex se pestiferum emittentem, adeò vt iuxtà stantes necaret, exinde orta pestilentia, quia fuerant lupos sequuti, de qua responsum est, Posse eam sedari, si lupos imitarentur. id est, rapto viuerent. quod postquam factum est, dicti sunt populi Hirpini Sorani. Nãlupi Sabinorum lingua Hirpi vocantur: Sorani verò à Dite. Nam Ditis pater Soranus vocatur, quasi lupi Ditis patris. Vnde memor rei paulò pòst Virg. Aruntem comparat lupo, quasi Hirpinum. In hoc autem Seruij loco semper Hirpius cum aspiratione scribitur.

g *Fuitq; animaduersum.*] Alia autem ex lupis auspicia vide apud

animaduersum, lupum subnigrum obuiam factum, grande discrimen afferre. Iuuenca si anniela, aut mula si gemellos pepererit: ostentum dirum pestemq; denunciat. Sicut leonis aspectus famosus fuit & inglorius, itineráq; infesta facere creditus: namque hostium pugnam sæpe portenderunt: [h] capræ verò salutaris: hæ enim [i] Carano eximiæ felicitatis duces fuere. k Asinum leonem occidisse, omen magni terroris fecisse, necemq; Alexandro portendisse, literis mandatum est. [l] Serpentem per impluuium decidisse, aut iter commeantium interrupisse illæsũ, vel fœtam vulpem obuiam habuisse, [m] aut canem alienas ædes introisse, formidolosos casus, & insignem calamitatem facere periti aenorarunt. Serpentem quoque extis solennibus depastum, diri ominis & extremi exitij loco est habitum. [n] Contrà, Syllæ inter sacrificandum serpens visus & elapsus, felicem victoriam dedit. [o] Suburbana verò colubris plena, equosque illis depastos, Crœso Lydorum regi ab externis regnum subigi portenderunt. [p] Mures quum candidi sunt, lætum auspicium faciunt, [q] licet illorum occentu ditimi auspicia dicantur. namque occentus soricis auditus, [r] Fabio Maximo dictaturam, [s] & C. Flaminio magisterium equitum, deponendi causam dedit. [t] Mures quoque in Argillæ fundamentis apparuisse pugnantes, ciues præferoces & militares haud dubio argumento præsignauit. Ea enim vrbs ad Strymonem bonis auspiciis condita, à muribus dicta est: sicut Coronæ ciuitas in Peloponneso ad Pamisi flumen, quod cornix ænea de fundamentis apparuit, felix nomen tulit. [u] Si quid tamen mures arroserint, tristia semper & dira portenderunt. [x] Carboni Imperatori corrosis fasciis, quibus in calceatu vtebatur, exitium prædixerunt: aurúmque & clypeos corrosisse, Marsicum portendére bellum. [y] Lepus quoque occurrens in via: infortunatum iter præsagit & ominosum, idem vulpes fœta, & canis prægnans. [z] Mustela

Ex iuuenca anniculâ aut mula partus Ex leonis aspectu Ex caprâ Ex asino leonem occidēte. Ex serpēte vulpe, cane Ex muribus.

Ex lepōre. Ex mustelâ.

ANNOTATIONES.

apud Liuium 3. Decad lib.1.& lib.7.& 4. Decad. lib. 2. &.5. Decad.lib.1.& Plutarchum in Sylla. Iustinum lib. 23.ad fin. Iul. Obsequens Prod.c.63.73. & 86. Appianum lib.4 bellor. Ciuil.

h *Capra verò salutaris.*] Quòd probat exemplo seq.

i *Carano.*] Solinus c.14.aut vt alij computant, 15. Macedonem Caranus insequitur Dux Peloponnesiacæ multitudinis, qui iuxta responsum datum à Deo, vbi caprarium pecus rescdisse animaduerterat, vrbem cõdidit, quam dixit αἰγάς, in qua sepeliri Reges mos erat. Hanc historiam Iustinus lib. 7. sic explicat, Caracanus cum magna multitudine Græcorum, sedes in Macedonia, responso oraculi, quærere iussus, cùm in Æmathiam venisset, vrbem Edyssam, non sentientibus oppidanis, propter imbrium & nebulæ magnitudinem, gregem caprarum imbrem fugientium, secutus occupauit: reuncatùsque in memoriam, quo iussus erat, ducibus capris imperium quærere, regni sedem statuit, religiosèque posteà obseruauit, quocunque agmen moueret, ante signa easdem capras habere, cœptorum duces habiturus, quas regni habuerat authores. Vrbem Edyssam ob memoriam muneris Ægeam, populósque Ægeadas vocauit.

k. *Asinum leonem occidisse.*] Plutarchus in vita Alexandri, inter prodigia, quæ Alexandrum perturbabant, hoc scribit, Ex his enim, quos educabat, leonem quendam eximiæ magnitudinis ac formæ, mansuetus asellus calcibus exanimarat.

l *Serpentem quoque.*] Liuius 3. Decad. lib.5. Graccho, priusquàm ex Lucanis moueret, sacrificanti, triste prodigium factum est. ad exta sacrificio perpetrato angues duo ex occulto allapsi edêre iecur, conspectíque repente ex oculis abierunt. Id cùm aruspicum monitu sacrificium instauraretur, atque intentius exta referata seruarentur. iterum ac tertium venisse tradunt, libatóque iecinore intactos angues abiisse.

m *Aut canem.*] Canis (vt scribit Dion historicus) lib.45. Canes multi, inquit, noctu totam vrbem peruagati, ac maximè ad Lepidi Pontif Max. ædes, concursu facto, vlularunt. Et lib. 50. canem in circo, cùm maximè equestre certamen fieret, laniauit ac deuorauit.

n *Contrà, Sylla*] Cicero lib.1. de Diuina. Valerius Maximus lib.1.cap. 5. Alia autem ex serpentibus auspicia, vide apud Ciceronem d.lib.1. de Diuinat. vbi de Roscio. & Virg. lib.5. Æneidos.

Dixerat hæc, aditis quum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,
Amplexus placidè tumulum, lapsusq; per aras:
Cærulea cui terga notæ: maculosus ab auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios aduerso sole colores.
Obstupuit visu Æneas. ille agmine longo
Tandem inter pateras, & læuia pocula serpens,
Libauitq; dapes, rursusq; innoxius imo
Successit tumulo, & depasta altaria liquit.

Et tibi Seruium: Liuium 3. Decad. lib 1. vbi de quodam Hannibalis somnio, & idẽ lib.7. non multò post princ. & lib. 8. Valerium Maximum lib. 1. cap.7. vbi de Hannibale. Iulium Obsequen. Prodigiorum c.83. & 87. Cæterùm Fla. Vopiscus in vita Aureliani Imperat. ponit inter omnia imperij ipsius, serpentem eius pueri peluem plerunque cinxisse, nec vnquã occidi potuisse. Et Iulius Capitolinus scribit serpentem circundedisse caput Maximini dormientis. & Dionem lib.47. initio in portentis Cæsaris Augusti contra Lepidum & Antonium.

o *Suburbana verò colubris plena.*] Herodotus li.1. Hæc Crœso ratiocinante, omnia suburbana colubris impleta sunt: Quos, vt existebant, equi inter ambulandum cùm ad pascua irent, comedebant. quod portentum coniectores Thelmisses interpretati sunt, Exercitum externum Crœso affuturum. qui cùm afforet, indigenas subigeret, quod didicerant colubrum terræ filium esse: equum hostem & aduenam.

p *Mures cùm candidi sunt.*] Plinius lib.8. c.57.

q *Licet illorum occentu.*] Plinius ibi: sed de sorice loquitur, non de mure.

r *Fabio Maximo dictaturam.*] Val. Maxim. lib.1.c.1. Plutarchus autem in Marcello, hunc non Fabium Maximus, sed Minutium vocat: nisi fortè vtrique id acciderit.

s *Et C. Flaminio.*] Valerius & Plutarchus ibi.

t *Mures quoque in Argilla fundamentis.*] Heraclides in Politicis ad fin.

u *Si quid tamen mures arroserint.*] Cicero lib.1. de Diuinatio. Liuius 3. Decad. lib.7.& 10. post princ. & 4. Dec. lib.10. in fi. Plutarchus in Sylla & Marcello.

x *Carboni.*] Hæc vsque ad versi. Lepus quoque occurrens, sunt Plinij d. lib.8.c.57.

y *Lepus quoque.*] Herod. lib.4. vbi de pugna Darij Apud Scythas. Idq; præsertim, si lepus iter ineundum transuerso saltu velut discerneret, vt tradit Suidas, Polin. quẽdam authorem laudans. Alia autem de lepore auspicia vide apud Plutarch. in Apophthe. Archidami Zeuxidami.

z *Mustela.*] Apud Plautum in Stycho act.3. scen. 2. Gelasimus Parasitus pro optimo auspicio accipit, quòd mustela murem ei abstulit, his verbis,

Ex arie-te Dira. quoque, [a] ficut picus, à finistra veniens, infausti ominis est, Ferúntque arietem insolito colore natum miram felicitatem prænotasse, [b] Ex diris sunt offensiones pedum, [c] voces exauditæ, [d] res oblatæ oculis & alia id genus, ex quibus certa captantur auspicia. [e] limen offendisse, laciniam adhæsisse, vel prolapsum cecidisse, obscenum ostentum esse, vulgò receptum est. [f] C. Flaminius quo tempore ad Thrasimenum oppressus interiit, quum in equum insiluisset, equo prolapsus, repentè corruit, diro & fœdo euentu, quo ad interneccionem crudelem in modum cæsus, occubuit. [g] Neroni Cæsari Alexandriam profecturo, licinia adhæsit. [h] Diuus verò Augustus læuum sibi calceum præposterè indutum animaduertit, qua die seditione militari propè afflictus est. [i] Et Pompeio Magno pullum amiculum qua die ad Pharsaliam profligatus fuit, diras vastitates præmonstrauit. [k] Voces quoque exceptæ, in vtramque *Ex vocibus exceptis.* partem magnopere augurium fecerunt: [l] idcirco in rerum principiis, quod bonum, felix, faustúmque foret, præfabantur veteres. [m] Quum maximas clades vrbs perpessa fuisset, & ancipiti contentione agerent patres, an relicto patrio solo Veios migrarent, vox centurionis audita: HEIC MANEBIMVS

ANNOTATIONES.

Auspicio hue hodie ego optumo exiui foras,
Mustula murem mihi abstulit præter pedes.
Tum strenua obsonauit: spectatum hic mihi est.

Mox cùm parasitatio parum prosperè procederet, damnans augurium mustelæ, sic inquit,

Certum est mustelæ posthac non credere:
Nam incertiorem nullam noui bestiam:
Quin & ipsa decies in die mutat locum.
Eam auspicaui ego in re capitali mea,

Aliud præsagium mustelæ, vide apud Apuleium lib. 9. Visa est, inquit, interea mustela mortuum serpentem forinsecus mordicus attrahens. Vbi Beroaldus interpres dicit vulgò receptum esse, Mustelam dira portendere, si viatori iter intercuperit.

a *Sicut picus.*] Dictum est suprà ex Horatio libr. 3. Carmin. Ode 27.

b *Ex diris sunt offensiones.*] De hoc iam diximus suprà lib. 2. c. 26. vbi videre poteris.

c *Voces exauditæ.*] Vide infrà.

d *Res oblatæ oculis.*] Dion historicus lib. 42.

e *Limen offendisse.*) Valerius Maximus lib. 1. tit. 4. Tiberius Gracchus cùm ad res nouas pararetur, auspicia domi prima luce petiit, quæ illi perquàm tristia responderunt, & ianua egressus; ita pedem offendit, vt digitus ei decuteretur. Iulius Obsequens Prodigiorum cap. 86. vbi loquitur de Tiberio Gracchо. Proditum est, inquit, memoriæ Tiberium Gracchum, quo die periit, tristia neglexisse omina, cùm domi & in Capitolio sacrificanti dira portenderentur: domóque exiens, sinistro ad limen offenso pede, decusserit pollicem.

f *C. Flaminius.*]Cicero lib. 1. de Diuination, vbi ostendit C. Flaminij ostenta nullius esse momenti, ait, Quid bello Punico secundo? nonne C. Flaminius Coss. iterum neglexit signa rerum futurarum, magna cum clade Reip. qui exercitu lustrato, cùm Aretium versus castra mouisset, & contra Annibalem legiones duceret, & ipse & equus eius ante signum Iouis Statoris sine causa repentè concidit. Titus Liuius 3. Decad, libr. 2. Hæc simul increpans (de Flaminio loquitur apud Aretium sedenti) cùm ocyus signa conuelli iuberet, & ipse in equum insiluisset, equus repentè corruit, consulémque lapsum super caput effudit. Valerius Maximus lib. 1. ca. 6. C. Flaminius, inauspicatò Coss. creatus, cùm apud locum Thrasimenum conflicturus, conuelli signa iussisset, lapso equo super caput eius, humi prostratus est. Verùm huius temeritatis vtinam sua tantùm, non etiam pop. Rom. maxima clade pœnas pependisset. In ea namque acie 15. millia Romanorum cæsa, 6. millia capta, 20. millia fugata sunt. Consulis obtruncati corpus ad funerandum ab Annibale quæsitum est, qui quantum in ipso fuerat, Rom. sepelierat imperium,

g *Neroni Cæsari.*] Suetonius in vita illius, c. 19. Nam cùm circuitis templis in æde Vestæ resedisset, consurgenti ei primùm lacinia adhæsit: deinde tanta caligo coorta est, vt dispicere non posset. Addit Tacit, lib. 15. omnes per artus Neronem contremuisse.

h *Diuus verò Augustus.*] Plinius lib. 2. c. 7. Diuus Augustus læuum prodidit sibi calceum præposterè inductum, quo die seditione militari prope afflictus est. Sueto. cap. 92 in prin. Auspicia, inquit: & omnia quædam pro certissimis obseruabat, Si manè sibi calceus perperam ac sinister pro dextero induceretur.

i *Et Pompeio Magno.*] Neque enim vlli alij prætexta pulla vti licebat, quàm ei, qui funus faciebat. Festus Pompeius lib. 14.

k *Voces quoque exceptæ.*]Cicero lib. 1. de Diuinat. Dionysius Halicarn. lib. 7. non adeò longè à fi. in principio Consulatus Q. Sulpicij Camerini, & Sp. Largij Flaui, Et (inquit) exauditæ voces emissæ à nemine. Et iterum lib. 8. paulò ante fi. Interea dum hæc in castris geruntur, in vrbe obseruata sunt multa prodigia deorum iram significantia, exauditæ ominosæ voces incerto authore, obseruatæ oculis nouæ spectrorum facies. Virg. lib. 1. Georg. illo carmine,

Vox quoque per lucos vulgo exandita silentes
Ingens, & simulacbra modis pallentia miris.
Visa sub obscurum noctis. ——

Et lib. 4. Æneidos,

Hinc exaudiri voces, & verba vocantis
Visa viri, nox cùm terras obscura teneret.

Plutarchus in Themistocle. Iulius Obsequens Prodigiorum cap. 83. vbi loquitur de C. Hostilio Mancino Coss. Iosephus de bello Iudaico, lib. 7. cap. 12 recensés prodigia excidium Hierosolymæ præcedentia, sic scribit, Festo autem die, quam Pentecosten vocant, nocte sacerdotes intimum templum, more suo, ad diuinas res celebrandas ingressi, primúm quidem motum quendámque strepitum senserunt: posteà verò, subitam vocem audiere, quæ diceret, Migremus hinc. Et Eusebius historiæ Ecclesiasticæ libr. 3. cap. 6.

l *Idcirco in rerum principiis.*] Sic enim loquotus est interrex in oratione ad populum de creando post Romuli mortem alio Rege, apud Liuium 1. Decad. lib. 1. sic in oratione legatorum ad plebem quæ in sacrum montem secesserat, apud eundem 1. Dec. lib 3.

m *Cùm maximas clades.*]Valerius Maxim. lib. 1. c. 5. in prin. Vrbe à Gallis deleta, deliberantibus P. C. vtrum Veios migrarent, an sua mœnia restituerent, fortè eo tempore è præsidio cohortibus redeuntibus, Centurio in Comitio exclamaret. Signifer statue signum: hîc optimè manebimus. Ea enim voce audita, Senatus accipere omen se respondit e vestigióque Veios transeundi consilium omisit. Liuius 1. Decad. libr. 5. ad finem. Sed rem dubiam, inquit. decreuit opportunè vox emissa, quòd cùm Senatus pòst paulò de his rebus in curia Hostilia haberetur, cohortésque ex præsidiis reuertentes fortè agmine forum transirent, Centurio in Comitio exclamauit: Signifer, statue signum, hîc manebimus optimè. Qua voce audita & Senatus accipere se omen ex curia egressus conclamauit & plebs circumfusa approbauit. Antiquata deinde lege, promiscuè vrbs ædificari cœpta. Plutarchus in Camillo eadem scribit

o *Aliter-*

OPTIME, vrbis sedem stabilisse fertur.[n] Aliter Crasso in bellum profecturo, qui Cauneas ficus venales clamabat, illud omen fecit, quo spoliatus fama & fortunis omnibus, memorabili clade profligatus interiit.[o] Neroni rursus paucis ante ipsius cædem diebus, de Mausoleo vox exaudita fertur, nomine eum ciens.[p] Augusti quoque Cæsaris supremo digressu ab vrbe vox temerè emissa, augurium fecit, non amplius Romæ eum futurum: sicut [q] Scipioni in Africam profecturo, promontorium Pulchri incolumem spem ostendit: [r] contrà Hannibali, quum ex Italia Africam peteret, sepulchrum diruptum, auspicium ferale.[s] Bruto etiam & Cassio prodituris in aciem obuius Æthiops, calamitates præsignauit. Quare fœdissimè & cruento bello, atque intestina clade ita conflictati sunt, vt ambo vno prælio conciderent.[t] Fertur quoque Adrianus Cæsar ex Mauri occursu futuram mortem imaginatus.[u] Non sic Octauio Augusto, namque asinus, cui Nicontæ nomen, & asinarius cui Eutycho obuiam facti: omen certæ victoriæ attulere: Ac ne nimius videar, néve diutius studiosos fatigemus, de his hactenus dixisse, abundè fuerit. Illud quoque haud dubium,[x] sues comesse fœtus, inter prodigia minime reputari: siquidem id frequens, neque propterea ominosum fuisse, assiduis exemplis comprobatum est.

En Æthiopes occursu.

ANNOTATIONES.

n *Aliter Crasso.*] Plinius lib. 15.c.19. ad fi. Ex hoc genere sunt, vt diximus, coctana & caricæ, quæque conscendenti nauim aduersus Parthos omen fecere M. Crasso, venales prædicantis voce cauneæ.

o *Neroni,*] Suetonius in vita illius, c.46.

p *Augusti quoque Cæsaris.*] Sueton. in vita illius, cap. 97. Tiberium igitur in Illyricum dimissurus, & Beneuentum vsque prosecuturus, cùm interpellatores aliis atque aliis causis in iure dicendo detinerent, exclamauit (quod & ipsum mox inter omina relatum est.) Non si omina morarentur, amplius se posthac Romæ futurum.

q *Sicut Scipioni.*] Liuius 3. Decad. lib. 9 Scipio, inquit, quod esset proximum promontorium percunctatus, cùm Pulchri promontorium id vocari audisset, Placet omen, inquit. huc dirigite naues.

r *Contrà Hannibali.*] Liuius 3. Decad. lib. 10. Iussus è nautis vnus ascendere in malum, vt specularetur quam tenerent regionem, cùm dixisset sepulchrum dirutum proram spectare, abominatus &c.

s *Bruto etiam & Cassio.*] Appianus de vtroque loquens lib. 4. bellorum Ciuilium non adeò longè à fi. sic scribit, Exercitui è castris exeunti, Æthiopem obuium factum memorant, quem vt iniquum omen auersati, interemere milites. Et Plutarchus in vita Bruti, de ipso Bruto tantùm loquitur, nam, vt ipse dicit, priore pugna Cassius interemptus fuerat. De hoc quoque Iul Obsequens Prodigior. c. 130. in fi.

t *Fertur quoque Hadrianus.*] Imò verò Septimius Seuerus ex Ælio Spartiano in vita illius, nec quicquam tale de Hadriano legitur.

u *Non sic Octauio Augusto.*] Sueton. in vita illius, cap. 96. Apud Actium descendenti in aciem asellus cum asinario occurrit, Eutychus homini, bestiæ; Nicon erat nomen. Vtriusque simulachrum æneum victor posuit in templo, in quod castrorum suorum locum vertit. Plutarchus in M. Antonio, Cæsari, inquit, ante lucem castris egresso, nauésque reuisenti, hominem, qui asinum agitabat, obuium factum: roganti autem quódnam ei nomen esset, respondisse, sibi quidem Eutychum nomen esse: asinum autem Niconta appellari: quamobrem posteà cum ea loca ornaret Cæsar, statuit inter cætera hominem & asinum æneum.

x *Sues comesse fœtus.*] Plinius lib. 8. c. 51. Sed ominibus præcedentibus adde, ex ouis quoque augurium veteres sumere solitos: si igni scilicet, imposita oua rupto putamine effluxissent, portendere ei periculum, pro quo ea obseruatio facta fuisset à sacerdotibus. Ex quo illud Persij satyra 5.

—Ouóque pericula rupto.

Quid senserit Hieronymus Porcarius de iniquo iudice, quibúsque modis litigantes frustretur & deludat:

CAPVT XIV.

HIERONYMVS Porcarius, diuini humanique iuris sciens, homo liberi animi & acris ingenij fuit, prætérque vberem facundiam, mira in eo eruditio, & in maledicendo libertas admista sale: erat enim acri iudicio, & ad irridendū contentiosus & audax, non infacetus, ita vt iocis vrbanis vnumquemque carperet, & ad viuum vsque lacesseret. Is in consessu nobilium, dum apud eum pro familiari consuetudine diuerterem, dicere solebat, quatuor modis iudicia eludi, veterum scitis traditum esse: odio, gratia, pretio, aut timore: præter quæ nihil esse quod iudicum animos flectat à vero, literis mandatum dicebat. Sed tamen, si quis improbum aut perniciosum iudicem nactus fuerit, qui iudicio & legibus abuti velit, innumeris ferè modis iudicia eludi & præuaricari solere, contra ius, fasque. Quibus verò modis id fieret, memoriter ipse & expedite disserebat, neque enim solum iniquus iudex, inquit, qui alteri parti pronior est, longis interuallis differendo iudicium clientem pro quo ius stare videt, frustratur & decipit, ita vt longa mora fatigatus, iudicium relinquere cogatur, aut donec alius instructior fiat, expectet, vt alter interim dolo victus occumbat: sed etiam quum non ex fide bona acta proponit & refert quum quæ vnius partis causam agunt, diligenter enunciat: quæ verò contrà, supprimit & tacet, bonum ius alterius partis eludi atque obteri dicebat. Quin etiam multos vidisse asserebat, qui illum cum quo lis est, cui plus nimio fauet, quo pacto aduersarij telis se opponat, instruere non verentur, quum quid in re quaque consilij capiendum sit, alteri parti enuncient, ita vt ille paratior factus, bonum alterius ius euertat, & cōuincat: quum alterius neque voces animis, nec querelas auribus admittant: & quum miser ille timidus imprudénsque rerum, iudicis fidem implorando, frustra ipsius aures fatigauerit: iudex interim seuerus & vehemēns loquēti obstrepat, eúmque vel difficulter admittat, aut impotenti ore obiurget: vel si admittit ægre & perinuitus,

Quatuor modis iudicia eludi.

 dissimulato

dissimulato sermone vultúque, cum tædio admittere cogatur, Quorum quidem nequitiæ, & animi ad fallendum destinati, nulla maiora, inquit, argumenta sunt, quàm quum reconditus ille sensus, & abstrusus animus, quam labem misero illi afferat, nõ facile dignoscatur. Quinetiam persæpe euenire dicebat, vt malus iudex, vt illum improuidum ad insidias ducat, & vana spe ludificetur, se dubitare in quo nihil verendum sit, assueuerit: si quod autem in causæ disceptationem anceps dubiúmve fiat, illud dissimulanter omittat: vt cum maxime vicisse te credas, tunc tibi præcipuè subeundum periculum sit. Nonnunquam euenire, vt quum diutius litigantem frustrari nequeat, precibus seu querelis fatigatus causam in iudicio se producturum prædicat, aliorúmque iudicium exploret vota, non vt causam æquo iudiciu terminet, sed vt quo pacto inuadat ius alterius, solerter inquirat: illorúmque votis in illius miseri perniciem exploratis, sine religione & fide ipsum perditum eat. Si verò non dubiam spem victoriæ viderit, iudiciorum & litium mora ita rem producat, vt quum finire nutu omnem disceptationem valeat, neutro inclinatis sententiis, suspensa omnia infectáque relinquat. Deúmque ille cõtestans & hominum fidem, si quidem quem appellet, quem obtestetur, quem imploret, nullum habet, diuturna expectatione & ampliore sumptu vexatus, de suo iure tandẽ decedere cogatur, quo fœdius dici æstimarique nihil potuit. Atque vtinã non his artibus fœdissimè vexatos, nec quotidianis damnis tenore vno opprimi miseros videremus. Postremò morem pessimo exemplo inualuisse dicebat, vt iudices non iure nec iudicio, sed per factionem & gratiam, aut libidinem, perque inuidiam iudiciorum vota conferant, illi præserim, vbi in orbem super iure controuerso sententiæ explorantur. In qua quidem re, tãto certamine hincinde exardescont studia, vt maledictis inter se & conuiciis, & plerunque manibus vix temperent, tantáque indiciorũ turpitudo fiat, vt nec iudicio, nec disceptatione, sed libidine, pérque omnes cupiditates suffragentur, studiumque & gratiam aliquorum potius, quàm vera iudicia inquirant. Ac mille modos referebat, quibus iniquus iudex, non iudicis, sed impuri latronis modo, velut officina nequitiæ, per auaritiam & sordes bonum alterius ius inuadat, vanáque iudicia pretio aut gratia nundinetur: qui quidem non legũ periti, sed euersores potius humani iuris dicendi sunt. Rectè igitur Isocrates nũqũã effici existimauit posse, vt hi qui malè instituti, aut moribus prauis & inciuilibus sunt, iustitiam assequãtur. Denique nihil malo iudice peius est, aduersus quem nec imperia magistratuum, nec leges valent: neque facile esse inuenire hominem, quem nec flectant preces, nec dona transuersũ agant. Inualuitque vetus adagium apud causarum patronos, omni dimicatione, contentione, atque cura enitendum, vt iudicem quem quis nactus fuerit, partim gratia, partim pretio aut pactione, dando & pollicendo, propensiorem sibi quoquo modo pareat, quo incolumi amico, nihil amplius quærendum illi sit, isto enim maximè effici modo, vt eum ad voluntatem suam ille nutúmque cõuertat, & qui gratia plus possunt, causa plus valuisse videantur, illíque vel nunquam causa cadant, vel præter ius fasque iudicata ferant, & victores fiant. Sed iam latius processi liberius, quia me morum piget tædétque. Male profectò humanis ingeniis nostra vitia consuluere, quum iudicia quæ fidei tutelæque nostræ credita sunt, non ad salutem, sed ad perniciem humani generis cæci cupiditate vertamus.

Vbi sententia in orbem explorantur.

Isocratis dictum

Adagium scelerarũ apud patronos causarũ.

ANNOTATIONES IN CAP. XIV.

Nihil est in toto capite quod scholiis & illustrationibus nostris indigeat.

Quæ in sermonibus quotidianis vulgata prouerbia apud Romanos in vsu fuerint, & quæ apud exteros frequentia.

Capvt XV.

Vlgata [a] apud maiores prouerbia, quæ magis fuerint obuia, de quibus meminisse potuimus, præ multis & ferè innumeris, hæc plane accepimus: eáque licet breuibus conclusa sententiis, in sermone quotidiano vsurpata, aliud dicere videantur, vt aliud sonent verba, aliud sentias, tamen sub alieno intellectu obliquis orationibus, quin magna plerumque sensa & rerum documenta appareant, nulli dubium fuit. Horum exemplorum plena vetustas est, nam si quos mutuo studio teneri, & consociatos sibi inuicem operas dare designabant, [b] mutuum mulos scabere dicebãt: quod scilicet ita opibus se iuuarent, & alter alteri præsidio esset, quemadmodũ muli inuicem se confricantes scabunt. Contrà verò quum aliquis nihil proficit, & frustra operando fatigatur, ingenti periculo, fructu nullo, [c] oleum simul & operam perdere aiebant. Sicut Græcum adagium fuit, ὄνου πόκας ζητεῖς, hoc est, [d] asini vellera quæris, quasi ad id operam daret, vbi laborando nihil

Mutuum muli scabunt.

Oleum & operã perdere.

Asini vellera quærere.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

a *VVlgata apud maiores prouerbia.*] Est diuinum Erasmi Roterodami Adagiorum opus.

b *Mutuum mutos scabere.*] Erasmus Chiliadis primæ, centuria septima. c. 96.

c *Oleum & operam perdidi.*] Erasm, Chilia. 1. centu. 4. c. 62. Sed vt nonnihil leuem legentium laborem, primus locus Ciceronis illic citatus est ex lib. 7. epistol. famil. epist, eiusdem lib. prima. Secundus ex 3. epist. ad Atticum epistola vnica. Tertius ex lib. 2. earundem epistol omnium 32. incip. Prorsus vt scribis Locus autem Macrobij est ex lib. 2. Saturnal. quod ab Erasmo dictum est, cap. 4.

d *Asini vellera quæris.*] Siue, Ab asino lanam. Erasm. Chiliadis 1. centur. 4. c. 79. locus autem Aristophanis illic citatus est ex fabula, cui nomen Plutus.

proficeret. Cui affine est, φάλακρον τίλλεις, hoc est, [e] caluum vellis. Et quum quis lacessit ad pugnam, mox linquitur animo, vt comminus congredi non audeat, [f] cantherium in fossa dixere: [g] sunt enim cantherij, equi testiculis desectis, & exectis genitalibus: qui quũ semine careant, languidiores & degeneres sunt: [h] quare Scythis & Sarmatis peculiare est, equos præferoces eunuchos facere, quò mollitis animis mitiores fiant. Græco quoque prouerbio increbuit, vt quum aliqua ita essent dissociata, vt non facile conuentura putarentur, [i] nihil esse cum fidibus graculo, [k] vel cum amaracino sui, dicerent. Fuisse enim amaracinum fragrantissimi odoris vnguentum, ex amaraco dilutum, authores memorant. Ad hunc sensum, [l] In lente vnguentum, cui proxime accedit, ὄνος πρὸς αὐλόν, hoc est, [m] asinus ad tibiam, [n] & ὄνος λύρας. Et quum quis diuersus agitur, & ita dubius animi fluctuatur, vt nec abnuere, nec polliceri audeat, & in quamuis partẽ declinet, præsens damnum aut exitium videat, [o] se inter sacrum & saxum positum, vulgo iactitant: deductum ab eo, qui in fœdere ineundo porcam saxo ferit: sicut Græcum est adagium, [p] Διομήδεια ἀνάγκη, quòd scilicet ita astrictus maneat, velut apud Diomedem hospites quorum visceribus equas depauisse dicitur. In eum verò quem diuersæ trahũt curæ, & incertus nutat, vt nunc in vnam, nunc in alteram incliner sententiam, εὐμεταβολώτερος κοθόρνου, id est, [q] mutabilior cothurno, sermo percrebuit, cothurnum enim calceamenti genus esse quatuor angulorũ, fabrefactum ita, vt vtrique pedi, [r] & viris ac mulieribus aptetur commodé, perspicuè constat. Rursus, si quid certum & destinatum esset, nec vana expectatione ferretur, [s] hoc te ad Sagram gesta certius esse: contrà verò, quum irrita caderent promissa, & vana spe ducerentur, se [t] auribus lupum tenere dicebant. Huc pertinet quod quotidiano fertur adagio, [u] inter os & offam multa incidere, quum aliquid discriminis in re certa & ferè explorata futurum timemus. Sicut Græco fuit adagio vsurpatum, πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου, id est, [x] Multa cadunt inter calicem, supremáque labra. [y] Quod autem est de Sagra dictum, inde fluxit adagium, quòd quum decem Locrorum millia ad Sagram insperata victoria potiti essent aduersus Crotoniatarum centum & triginta millia, idque vix credibile videretur, postea certis authoribus re comperta, in prouerbium cessit, vt quum quid certo certius significarent, re ad Sagrã gesta nihil certius dicerent. Cúmque ingenti animi solicitudi ne premitur quispiã résque ita vno in angusto sunt, vt trepidum diffidentémque animũ gerat, omnisque moles negotiorũ vno in loco inclinatura videatur, [z] hîc mihi aqua hæret, dicere solemus: tractum ab eo qui naufragium facit, qui aqua ori admota penè submergitur. Et quum ex re quapiam totum pendet negotiũ, vbique tota moles periculi imminet, hîc [a] mihi prora & puppis est, vulgatus sermo fuit. Contrà verò, quum

Caluum vellere. Cantherius in fossa. Nihil est fidibus graculo, vel amaracino sui. In lente vnguentum. Asinus ad tibiã. Asinus ad lyrã. Inter sacrum & saxum stare. Diomedea necessitas. Mutabilior cothurno. Hoc ad Sagram gesta certius. Auribus lupũ tenere. Inter os & offam. Multa cadunt inter calicem. Locri ad Sagram victores. Aqua hæret. Prora & puppis.

ANNOTATIONES.

e *Caluum vellis.*] Erasmus Chiliad.2.centur.8.c.37. Simillimum est illi Plautino in Persa act.1.scena 1.

Qua confidentia rogare tu à me tantum audes
Argentum impudens? quin si egomet totus veneam, vix potest
Recipi, quod tu rogas. Nam tu aquam è pumice nunc postulas.

f *Cantherium in fossa*] Erasm. Chiliad.1.cent 6.c.21.

g *Sunt enim cantherij,*] Varro de Agricultura lib.2.c.7. in fi. de equis & equabus loquens, sic inquit, Demptis enim testiculis fiunt quietiores & ideò quòd semine carẽt, ij Cantherij appellati, vt in suibus Maiales: gallis gallinaceis. Capi. Festus Pompeius lib. 3. Cantherius hoc distat ab equo, quo Maialis à verre, capus à gallo, veruex ab ariete. Est enim Cantherius equus, cui testiculi amputantur.

h *Quare Scythis & Sarmatis.*] Strabo lib. 7. de vtrisque loquens, sic scribit, Scythicæ gentis & Sarmaticæ mos proprius est, equos eunuchos facere, vt mansuetiores ad parendum fiant. Parui enim sunt: at celeres & acres atque rebelles.

i *Nihil esse cum fidibus Graculo.*] Erasmus Chil. 1. cent. 4. cap.37. Locus Quintiliani ibi citatus est Institutionum lib. 1.cap.17.

k *Vel cum amaracino sui.*] Erasm. vbi suprà cap. seq. Locus Seruij est in lib.1. Æneidos in eum locum,

— Vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur vmbra.

Dioscoridus lib.3.c.38. Virgil. lib. 1. Georgicôn. Flacci primus locus est libr. Epistol. 1, epist.2. Secundus eiusdem operis lib.2. epist. item 2. Sed illi addas & lutulentam quoque suem Cice. in 1. in Sallustium Orat. Itaque nihil aliud studet nisi vt lutulentus sus cum quouis volutari. Locus Tullij est. lib.2. Academic. quæstionum.

l *In lente vnguentum.*] Erasm. Chiliad. 1.cent.7.cap.23. Locus Dioscoridis est lib.2.cap.99. Tullij est lib.1. ad Atticum epist 14. incip. modò. Sed super hoc adagio, vide Cælium Rhodiginum lib.7.c.17. vbi latentet carpit Erasmum.

m *Asinus ad tibiam.*] Erasm. Chiliad.4.centur. 1.c.47.

n *Ὄνος λύρας.*] Id est, Asinus ad lyram, de quo Erasm. Chil. 1. cent.4.c.35. Locus Gellij est lib.3.c.16, Athenæi lib.8.c.7. Luciani 3. loco citati est in lucio, siue asino.

o *Inter sacrum & saxum.*] Erasmus Chilid.1.centur. 1. c. 15. Locus Plauti est in Captiuis, actus 3. scena 4.

p *Διομήδεια ἀνάγκη.*] Id est, Diomedea necessitas, de quo Erasm. Chil.1.cent.9.c.4.

q *Mutabilior cothurno.*] Idem Chil. 1.centu. 1. c. 94. Locus Virgilij est lib. 1. Æneid. Plutarchi in Pompeio, & Nicia. Homeri 1. locus est lib. Iliados 20. vbi illum inconstantem vocat.

r *Viris & mulieribus.*] Suidas, & vide nostras leges Connubiales parte 3. in ornamentis muliebribus, & infra eodem lib.c.18.

s *Hoc te ad Sagram gesta certius esse.*] Erasmus Chil.1.cent.9. c.23. Vide Strabonem lib.6.

t *Auribus lupum tenere.*] Idem Erasm. Chil.1.cent 5.c.25. Locus Terentij in Phor. est actus 3. scena 2. Locus Suetonij in Tiberio, est cap.25. Sed adde iis quos citat Erasm. Diuum Hieronymum aduersus Ioannem Origenistam: cuius hæc verba sunt, Nunc verò quasi auribus lupum apprehenderis, nec tenere potes, nec audes dimittere.

u *Inter os & offam.*] Idem Eras. Chil.1.cent.2.cap.2. Locus Gellij est lib.13.c.16.

x *Multa cadunt inter calicem supremáque labra.*] Eras. Chil. 1.cent.1.c.1. Sed hîc vide omnino quæ scripsimus in nostris legibus Connubialibus glos.2.nu.31. incip. In quam rem.

y *Quod autem de Sagra.*] Strabo lib.6,

z *Hic mihi aqua hæret.*] Erasm. Chil. 1.cent. 4.c. 100. Locus Ciceronis ap Q. Fratrem lib.2. est epist. eius lib.5. in fi. cuius initium est, O literas mihi.

a *Hic mihi prora & puppis.*] Idem Eras. Chil.1. cent. 1. c. 8. Locus Tullij Epist. fam. lib. vlt. est epist. eiusd. lib. 23. omnium verò epist. 42. incip. Etsi manè Harpalum. Locus Apocalypsis

exoneratum animum cutis, discussa solicitudine ger mus, vt bona spe impleamur, securos in [b] vtramque aurem dormire pollicemur. Sicut rem saluam dicimus [c] saltante sene, tractum ab eo, quod cum circenses Romæ fierent, & turbatis ludis aduentu Hannibalis, in omeo magni terroris receptum esset postea reuersi, quum saltantem in circo senem inuenissent, rem saluam dixerunt. [d] Clitellas quoque boui admotas, quum munus viro inerti collatum viderent. Quique de rebus quarum nescius est, diiudicat, [e] sutorem supra crepidas iudicare dicũt. Nono quoque genere prouerbij in vsu venit, vt qui tam ad imperandum, quàm parendum iuxta paratus foret, quique non segniter mandata exequitur, [f] mulus Marianus diceretur, námque Marius quacunque militibus mandauit onera, ipse inter infimos obiuit in primis. Quamuis furculas quibus sarcinas viatores gerunt, quas Marius primus commentus fuit, mulos Marianos alij dictos velint. Quotiésque victoria sine labore quæsita foret alicui, [g] ἀκονιτὶ vicisse: contrà verò vbi multo negocio victoria potiretur quispiam, κονιτὶ vicisse dicimus, quum enim puluere aspersus athleta esset, κονιτὶ vicisse dicebatur. Solere enim athletas, & multarum palmarum pugiles, ad vires refouendas puluere luctatorio inspergi, quo fortius dimicent, ferè peruulgatum est, [h] quem ex Nilo præcipuum fuisse volũt. Pari exemplo quum parum commodi affert victoria, & haud magno discrimine à victore victus abest, [i] Cadmea victoria dicitur. Apud Græcos verò ἀδακρυς πόλεμος, hoc est, [k] bellum sine lachrymis. [l] Latinis autem laureola in mustaceis. [m] Bullam quoque dicebant, siquid haud multò post desiturum cernebant. Est enim in aquis spuma tumens, quæ ex crebra agitatione nascitur, punctóque temporis dissoluitur. [n] Quare sermo Diogenis in eos qui ob coronas olympicas lasciuirent gaudio, percrebuit, vt bullas accepisse diceret. [o] Et calcaria sponte currenti addita, si quem sua sponte ad audendum agendúmque hortamur [p] Oleum verò in ore gestare dixerunt cui loqui inhibitum est, cuíque verbum facere non licet. Contrà, vbi quis lingua immodicus infinitæ licentiæ & audaciæ est, qui moderari linguam nesciat, [q] Byzena temeritas dicebatur: fuit enim Byzenus Neptuni filius, procax nimium & insolens. Et qui ingenio timido & diffidenti scrupulum facit, vbi faciendus minime foret, [r] nodum in scirpo quærere dicebant. Si quem verò probum virum designabant, qui nihil contra honestum moliretur, totóque eius fidei crederẽtur omnia, dignum esse cum [s] quo in tenebris micent, asserebant. Qui verò ingenio perspicaci, nulli occasioni fraudis patet, γέρων πίθηκος οὐχ ἁλίσκεται, hoc est, [t] Senex simia non capitur, prouerbium fecit. Contrà, si quis improbus ad nocendum paratus venit, [v] fœnum habere in cornu dictus est, erat enim prisci moris, bobus qui cornu

In vtrãque aurẽ dormire. Saltante sene. Clitellas boui. Sutor supra crepidas. Mulus Marianus. ἀκονιτὶ. κονιτὶ. Cadmea victoria. Laureola in mustaceis. Bulla. Calcaria currenti addere. Oleum in ore gestare. Byzena temeritas. Nodum in scirpo quærere. Dignus cum quo in tenebris mices. Fœnũ in cornu habere.

ANNOTATIONES.

calypsis est eius operis cap. 1.

b *In vtramque aurem dormire.*] Erasm. Chil. 1. cent. 8. c. 19. Et vide nostras leges Connubiales parte 5. nu. 2.

c *Saltante sene.*] Erasmus Chil. 3. cent. 1. c. 40. Sed quòd ibi dicit Titum Liuium eius rei alicubi meminisse, Ni me, inquit, fallit memoria. Certè illum memoria fefellit, neque enim vspiã meminit Liuius: nisi etiam me fallit memoria.

d *Clitellas quoque boui.*] Erasm. Chil. 2. cent. 9. cap. 94. Locus Quintiliani lib. 5. est cap. 11. Tullij ad Attic. lib. 5. epist. eiusdem lib. 15. omnium 101.

e *Sutorem suprà crepidas.*] Erasm. Chiliad. 1. cent. 6. c. 16. Sed quod ibi de huius nepote, intellige Plinium, cuius locus est Epistolarum lib. 1. epist. 10. incip. Si quando vrbs nostra, cuius hæc verba sunt, Vt enim de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex iudicare: ita nisi sapiens non potest perspicere sapientem. Aristotelis locus est lib. 1 Ethicorum cap. 3. Atqui (ait) bene quisque iudicat ea, quæ cognoscit, & ipsorum bonus est iudex. Is ergo in vnaquaque re bene iudicat, qui in illa est eruditus.

f *Mulus Marianus.*] Erasm. Chil. 4. cent. 4. c. 79. At locus Festi Pompeij est lib. 10. Iulij Frontini Stratagematûn c. 1.

g ἀκονιτὶ.] Id est, Citra puluerem, de quo Erasm. Chil. 1. cent. 5. c. 79. Locus Plinij est lib. 35. c. 11. Gellij lib. 5. cap. 6. Horatij in epist. scilicet lib. 1. epist. quoque 1. & hoc quoque vsus est Thucydides lib. 4. ὥστε μοι ὄντες εἰμώνεαξ, καὶ αὐτοῖς ὑπερμάχοντι ἐλυκῶντ' ἂν τὴν νίκην τίθεσθε, vbi Græcus interpres exponit ἀμαχητὶ, id est, citra pugnam. Lucianus in dialogo quodam, cuj titulus est, πλοῖον, ἀκονιτὶ κρατήσομεν.

h *Quem ex Nilo.*] Corporibus athletarum (vt scribit Cælius lib. 25. cap. 16. ad fin.) iniectus puluis frigefacit & sudores restinguit.

i *Cadmea victoria.*] Erasmus Chiliad. 2. cent 8. c. 34. Sed & adde, hoc prouerbium vsurpasse Galenum tum in libro Hæreseon cap. (vt vulgò diuiditur) 15. tum in libro de Dipnoen.

k *Bellum sine lachrymis.*] Idem Chil. 2. cent. 6. cap. 23. Sed & adde hæc ex Plutarcho in Agesilao, cùm de hac pugna sic scribit, Agesilaus militiam iam omnem propter senium penitus abdicarat: filius autem Archidamus, auxiliis à Siciliæ tyranno acceptis, Arcadas pugna quam ἄδακρυν. id est, sine lachrymis, vocant, superauit: vbi ex suis nemine amisit, hostium verò plurimum cecidit.

l *Latinis autem, laureola in mustaceis.*] Eras. Chiliad. 4. cent. 9. c. 87. Locus primus Tullij ad Atticum lib. 5. episto. eiusdem lib. 21. omnium eius operis 107. Secundus 2. libr. Epistolar. famil. epistol. eius lib. 9. omnium 20. incip. Tu vide. Catonis autem de Agricultura est cap. 121. & vide Plinium lib. 15. cap. 30. & vlt. vbi loquitur de lauro mustace in princ. ex Pompeio Lenæo.

m *Bullam.*] Erasm. Chil. 2. cent. 3. c. 48. vbi id latissimè & elegantissimè tractat.

n *Quare sermo Diogenis.*] Laërtius in vita Diogenis.

o *Et calcaria sponte currenti.*] Erasm. Chil. 1. cent. 2. c. 47 Locus Plinij est lib. epistolar. 1. epist. 8. incip. per opportunè in princ. Ouid. lib. 2. de Arte amandi. Tullij primus locus ad Attic. lib. 6. epistol. eius lib. 1. omnium verò totius operis 210. incip. Accepi tuas literas. Secundus eiusdem epistolæ, sed longè postea. Estque eadem eiusdem Tullij sententia lib. 3. de Oratore.

p *Oleum verò in ore gestare.*] Cælius Rhodi.

q *Byzena temeritas.*] Eras. Chil. 4. cent. 2. c. 11.

r *Nodum in scirpo quærere.*] Idem Chilia. 2. cent 4. cap. 76. Festi autem locus est cap. 14. Locus Plauti in Menæchmis est act. 2. scena. 1. Terentij in Andria est actus 5. scena 4. Gellij est lib. 12. c. 6.

s *Cum quo in tenebris micent.*] Eras. Phar œmiographus Chil. 1. cent. 8. c. 32.

t *Senex simia non capitur.*] Erasm. Chiliad. 1. centu. 10. c. 31. Locus Laërtij est in vita Heraclidis Pontici.

u *Fœnum habere in cornu.*] Erasm. Chiliad. 1. centur. 1. c. 81. Locus Horatij est Sermonum lib. 1. saty. 4. D. Hieronymi est in epist. ad Ianuar.

x *Dixi*

peterent, fœni manipulos apponere, quò ad præcauendum homines paratiores forent: quare verbum Sicinij scurræ fuit in Crassum, ideo conuiciis parcere, quod fœnum habere in cornu videret. [x] Dici quoque ius ad assem, quum et à minima librata examine moderata fuissent, voluere: & qui se victum fatebatur, [y] herbam do, prouerbio iactabatur: quippe supplices, & qui pacem petunt, [z] oleæ ramos, velamenta supplicum, aut gramen cum terra euulsum, victori offerebant, vel barbarico more sertis coronati occurebant: quasi illos quibus porrigerent, ducerent meliores: [a] Mittere autem noctuas Athenas, γλαῦκα εἰς Ἀθήνας, vetus adagium fuit, quum ea quæ illi supersunt, alicui damus. Quum enim Athenis noctuæ affatim exuberent, qui illuc noctuas mitteret, nimirū ad ea loca merces ferret, vbi illæ redundarent. Ecum quis nescire simulat quæ percallet, [b] Cretes nescire pelagus vulgò dicitur: ex illo traditum quòd nemo Cretensis nauiculariam, & pelagi commercia nesciret. Quinetiam ex locis plura fluxere prouerbia. Nam siqui opibus claros & præpotentes flocci faciunt, [c] illis ne decimam quidem Siracusanorum esse: & cum loca & salubrem aërem celebrant, [d] Crotone salubriora dicunt: scilicet quod Syruensas ditissimas, sicut Orchomenon in Bœotia, & Crotonem, compositæ aeris temperie saluberrimam ferunt. Etiam à personis plura adagia fluxerunt: nam & [e] Zenone continentior, & [f] Catone constantior, & [g] Aristide iustior crebrò vsurpatum est. Eò pertinet, [h] non esse hominis cuiusque Corinthum petere, quòd præceps in luxuriam ciuitas, ibique illecebræ libidinum forent, quæ magno parabantur. Tum si quem affectum, & negotiis inutilem dicebant, in quo nihil adiumenti, nihil consilij foret, eum [i] de ponte deiici oportere monebant: siquidem grandæuos ætate, ad suffragia quæ comitiis dabantur, non admittebant. Quum verò vehementer laboratur, fortunæque in extremo sunt, ita vt nulla daretur spes melior, [k] rem ad triarios venisse, in prouerbium venit. Quum enim triarij in vltimo essent præsidio, vltra quos nihil opis sperabatur, quum ab scissa omni spe, ad vltimum ventum esset, rem ad triarios venisse dicebant. Si quid autem tardè cogitatum, aut salubre consilium serò expensum fuisset, [l] serò Phryges sapere sermo fuit, quod à Græcis fluxisse autumant: nam quum decimo exacto anno, post magnas clades Troiani Helenam, simul & iure belli quæsita, Græcis restituenda censerent, serò Phryges sapere, prouerbium deductum est: Et qui in re quapiam parum sapere visus, damnum patitur qui sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapere dicitur: ad quam sententiam accedit Euripidis versus, μισῶ σοφὸν ὅς τις οὐχ αὑτῷ σοφός, hoc est, [m] odi sapientem qui sibi sapiens non est. Et qui astu & dolis nimium valet, [n] Corycæus nuncupatur, ex eo deductum, quòd ex Coryceo latrones prædæ assueti, audacis ingenij & summæ solertiæ forent. In eos quoque qui præferunt lætitiam, quum intus angantur curis quique blanditiis velant odium [o] risus Sardonius dicitur, quòd in Sardinia apiastro similis herba nascatur, cuius esus deducto ore velut ridentes homines mortem oppetere cogit. Si quis verò obrutus malis cum fortuna fluctuaut, vt nihil

Dicerē ius ad assem. Herbam dare. Noctuas Athenas. Cretes nescire pelagus. Ne decima quidem Siracusanorum pars. Crotone salubrius. Zenone cōtinentior. Catone constantior. Aristide iustior. Non est cuiusque adire Corinthum. De ponte deiicere. Ad triarios rem venisse. Serò sapiunt Phryges. Nequicquam sapere. Corycæus. Risus Sardonius.

ANNOTATIONES.

x *Dici quoque ius ad assem.*] Nullum huiusmodi Prouerbium est apud Easmum. Sed id sumpsisse videtur Alexander ex Plinio Nepote epistol lib.1.episto.15.incip. Heus tu. At vereor ne is deceptus sit. Sunt enim verba Plinij hæc, Heus tu, promittis ad cœnam, nec venis. Dicitur ius ad assem impendium reddes, nec id modicum, neque enim illud (ad assem) refertur ad (redditur ius) sed ad verba sequentia: vt scilicet ad assem reddat impendium, id est, in solidum, siue integrum impendium vsque ad assem, vt scitissimè annotauit interpres.

y *Herbam do.*] Erasm. Chiliad 2. centur. 9. c. 78. Locus Festi Pompeij lib. 8. in princ. Et vide suprà lib. 4. c. 7.

z *Oleæ ramos.*] Virgil. lib. 8. Æneid. oliuam paciferam vocat his verbis

Paciferaque manu ramum prætendit oliuæ.

a *Mittere autem noctuas Athenas.*] Erasm. Chiliad. 1. cent. 2. c. 11. Vlulas Athenas. Locus Ciceronis primus ad Torquatum est lib. epistolar familiar. 6. epist. 3. totius operis 81. incip. Superioribus literis. Secundus est lib. eiusdem operis epist. vlc. & vide suprà lib. 4. c. 15.

b *Cretes nescire pelagus.*] Erasmus Chiliad. 1. cent. 2. cap 31. Crecensis mare: Locus Horatij ad Octauium est lib. epist. 2. epist. 1.

c *Illis ne decimam quidem Syracusanorum.*] Erasm. Chil. 2. centr. 4. c. 45. & Strabo lib. 6.

d *Crotone salubriora.*] Ibi cap. 43. Locus Dioscoridis lib. 4. c. 145. Sed illi adde Phalerium in epist. ad Simylum inter epistolas rusticas Æliani.

e *Zenone continentior.*] Eras. Chiliad. 1. cent. 10. c. 83.

f *Catone constantior.*] Id prouerbium non extat apud Erasmum. nec scio ao fuerit à quopiam antiquorum vsurpatum. Illud scio Catonem Vticensem fuisse omnium constantissimum, vt satis colligitur ex Plutarcho in vita illius, & Cicerone ad Atticum lib. 1. epistol. 14. vbi illi tribuit constantiam & integritatem.

g *Aristide iustior.*] Nec id quoque ab Erasmo inter prouerbia positum. Illud autem constat hunc iustum fuisse cognominatum, ex Diodoro Siculo lib. 11. & Plutarc. in vita illius, & etiam in Apophthegmatis eiusdem.

h *Non esse hominis cuiusque adire Corinthum.*] Erasmus Chiliad. 1. cent. 4. c. 1. Locus Horatij in epist. est lib. 1. epist. 17. ad Scœuam. Hic autem adde Platonem lib. 3. de Repub. vituperasse Corinthium luxum blandientium meretricularum, quod & nos alibi diximus.

i *De ponte deiicere.*] Erasm. Chialiad. 1. centur. 5. c. 37. Sexagenarios de pōte deiicere. Locus Festi est lib. 4. vbi de Depontanis loquitur, & lib. 17. vbi exponit qui Scaptæ dicebantur Macrobius lib. 1. Satur. c. 5.

k *Rem ad triarios venisse.*] Erasm. Chiliad. 1. cent. 1. c. 23. & vide suprà lib. 1. c. 5. & lib. 4. c. 7.

l *Serò Phryges sapere.*] Eras. chil. 1. cent. 1. c. 28. Locus Ciceronis est epist. famil. lib. 7. epist. eius lib. 16. omnium 116. Festi Pompeij lib. 17.

m *Odi sapientem qui sibi sapiens non est.*] Erasm. 1. Chil. cent. 16. c. 20. Nequiequam sapit, qui sibi non sapit. Locus primus Ciceronis est libro 7. epistolar. fami. epist. eius lib 6. omnium 106. incip. In omnibus meis epistolis. Secundus lib. 13. eiusdem operis epistol. libr. est 27. omnium 288. incip. Præcilium tibi commendo. Suetonij in Tiberio Cæsare, cap. 59.

n *Corycæus nuncupatur.*] Erasmus Chiliad 1. cent. 1. cap. 44. Locus Pomp. Melæ de situ orbis, est libr. 1. cap. 17. vbi de Ionia.

o *Risus Sardonius.*] Erasmus Chiliad. 3. cent. 5. cap. 1. Locus

Solini

Equus Seianus. *Aurum Tolosanū.* *Vt cacias nubes.* *Grauiora Sambico.* *Opprobrii victis.* *Iucundi acti labores.*

sibi prosperè cedat, illum p equum habere Seianum, q aut aurum Tolosanum assenerant: quòd scilicet ita excidio & continuis cladibus premitur, vt qui aurum Tolosanum habuere, aut Seiani equum sicut r de segmentis Helenæ, & Eriphyles s aut Hermionæ monili authores tradunt, quorum participes, ærumnarum continua mole oppressi, in extremum venere discrimen: sicut de t Agaue, u Iocasta, x Semele, y Argia & z Eriphyle apparet: quod & Græcis quoque vice prouerbij fuit, κακ' ἐφ' αὑτὸν ἕλκων ὡς καικίας νέφος, a mala ad se trahens, vt cæcias nubes. Id etiam apud Eleos in prouerbium cessit, vt in eum qui continuis premitur malis, b grauiora Sambico pati dicerent. Quum verò quispiam iniqua contentione victus, vlterius damno premitur, c Opprobrium victis, adagium erat: quod à Brenno, quum se Romani auro redimerent, sumptum memorant. Tritum quoque prouerbium fuit d Incundi acti labores, quum bené nauatam à nobis operam, suani memoria repetimus. Et cum inter

ANNOTATIONES.

Solini est c.10. Seruij in Virg. eclog. 7. Apuleij lib. 2. Dioscoridis lib. 6. c. 14. Aristotel. de partibus animal. lib. 3. c. 10. Tullij epist. fam. lib. 7. epist. eius lib. 26. totius operis 126. incip. Quòd epistolam. Lucani secundus locus est in Ioue Tragœdo.

p *Equum habere Seianum.*] Erasmus Chil. 1 centur. 10. cap. 97. Locus Virgi. est lib. 2. Æneidos. Trebellij Pollionis est in vita Quieti Tyranni 13. his verbis, Videtur non mihi prætereundum de Macrianorum familia, quæ hodiéque floret, id dicere, quod speciale semper habuerunt, Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, exculptum semper habuerunt: eousque vt tunicæ & limbi penulæ matronales in familia eius hodiéque sint, quæ Alexandri effigiem deliciis variantibus monstrent. Vidimus proximè Cornelium Macrum, in eadem familia virum, cùm cœnam in templo Herculis daret pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiam contineret signis breuibus & minutulis, pontifici propinare: quam quidem circunferri ad omnes tanti illius viri cupidissimos iussit. Quod idcirco posui, quia dicuntur iuuari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant vel argento.

q *Aut aurum Tolosanum.*] Idem ibi cap. seq.

r *De segmentis Helenæ & Eriphyles.*] De his vtrisque Diodorus Siculus lib. 16. c. 15. Vxores quoque Phocensium Principum, quæ ausæ sunt monilibus raptis se exornare, impij facinoris pœnas non euitarunt. Quæ enim Helenæ monile gestare est solita, in meretricium probrum incidit, pulchritudine sua eam expetentibus prostrata. Altera, eo quòd fuerat Eriphylæ, subinde ad ornatum vtens, cùm filius, quem natu maximum habebat, in furorem concitatus, ignem domui iniecisset, intra eam viua incendio extincta est. Eóque pacto qui Deum contemptui habere veriti non sunt, suppliciis, quæ narrauimus, ab vltoribus diis affecti sunt. Loquitur autem de templo Delphico expilato, cui affixa erant huiusmodi Helenæ & Eriphyles segmenta, vt tradit Athenæus lib. 16, c. 4 Apollodorus Atheniensis Bibliotheces suæ de Deorum origine lib. 3. Plutarchus in libr. de Sera numinis vindicta, tradit Aristonem Eriphyles mundum muliebrem è templo Delphico rapuisse, vxoríque dono attulisse: filium autem matri eius succensentem, domum incendisse, & omnes, qui in illa erant, concremasse.

s *Aut Hermionæ monili.*] Id ipsum autem erat quod posteà ad Eriphylem peruenit. Id enim primùm à Vulcano Veneri fabricatum fuisse dicitur, & deinde reginarum omnium, quæ Thebis vixerunt: quas istius monilis omine infeliciter deperisse scribit Statius his verbis,

Nec mirum: nam tu infaustos donante marito,
Ornatus Argia geris, diruumque monile
Hermiones, longa est series: sed nota malorum
Prosequar, vnde nouis tam saua potentia donis.
Lemnius hac, vt prisca fides, Mauortia longa
Furta dolens, capto postquàm nihil obstat amori
Pœna, nec vltrices castigauere catenæ,
Hermiones dotale decus sub luce iugali
Struxerat. ——

Paulò post periculum huius monilis fidem fecit Hermione quæ proximè experta est: nam in angues versa est cum marito: ob hanc causam, quòd Agenoris & Europe filius draconem Martis, qui fontem custodiebat, occidit. Ideo vult Statius hoc contigisse, quia nuptialibus donis hoc monile possederat,

Prima fides operi Cadmum comitata iacentem,
Hermione, versis in sibila dira querelis,
Illyricos longo sulcauit pectore campos.

t *De Agaue.*] Huiusmodi venenis infecerat hoc monile Vulcanus (vt d. lib. scribit Statius) vt necesse esset hoc monile gestanti ærumnarum mole opprimi. Hoc enim vsa est Hermione, Agaue, Iocasta, Semele, Argia, vltimò Eriphyle, vt ex seqq. patebit. De Agaues furiis Lucanus lib. 1.

——Ingens vrbem cingebat Erynnis,
Excutiens pronam flagrantis vertice pinum,
Stridentésque comas: Thebanam qualis Agauem
Impulit. ——

Vbi Sulpitius Lucani Interpres, Agaue, inquit, Cadmi & Hermiones filia, & Echionis vxor, subito furore correpta, Pentheum filium, Bacchi contemptorem, quem aprum esse putabat, dilaniauit. Idem Lucanus lib. 7.

Cùm fureret Pentheus, aut cùm desciffet Agaue.

u *Iocasta.*] Nam & Statius, vbi suprà, ad ea, quæ ex eo adduximus, id quoque addidit,

Téque etiam infelix perhibent Iocasta decorum
Possedisse nefas, vultus hac laude colebas,
Heu quibus, heu placitura toris? post longius ordo.

Infelix (inquit Lactantius interpres) quia non imposuit, per malorum experimenta, finem cupiditati. Nam hoc monile certum est Iocastam post Agauem habuisse.

x *Semele.*] Idem Statius, ibidem id quoque subiungit.

Improba mox Semele vix dona nocentia collo
Induit, & fallax intrauit limina Iuno.

Vbi Lactantius, Vult Semelen infelicitate huius monilis extinctam, & magis ornatus inuidia à Iunone, quàm pellicatus inductam, vt à Ioue improbè posceret, quid nefas esset corpus sustinere mortale. Semelen autem optimè improbam dixit, quòd voti fuit immodica: vt Iouem vellet cum fulmine.

y *Argia.*] De qua iam suprà ex Statio, qui & postea quoque subdidit,

Tum donis Argia nitet, vilesque sororis
Ornatus sacro praculta superuenit auro.

z *Et Eriphyle.*] Suprà dictum est, & minor quòd repetit.

a *Mala ad se trahens, vt cacias nubes.*] Erasm. Chil. 1. cent. 5. cap. 62.

b *Grauiora Sambico pati.*] Erasmus Chilia. 1. centur. 1. c. 80. Locus Plutarchi est in Problematis c. 160.

c *Opprobrium victis.*] Eras. Chiliad. 2. cent. 6. c. 1. Quid nisi victis dolor. Ex quo intelliges non illic opprobrium, sed dolor legendum, nam apud Plutarchum in Camillo, ex quo id sumptum est, legitur, ἢ τοῖς νενικημένοις ὀδύνη. quæ postrema dictio dolorem significat, non opprobrium. Sed quod væ victis scribit Eras. id ante Festum Pompeium scripserat Liuius 1. Dec. lib. 5.

d *Iucundi acti labores.*] Erasm. Chil. 2. centur. 3. c. 43. & iterum Chil. 4. cent. 9. c. 27. Iucunda malorum præteritorum memoria.

inter loquendum medio affatu is superuenit, de quo sermo fit, [c] lupum in fabula, qui minimè nos loqui sinat, esse dixerunt: nam ferè costat, quem prior lupus viderit, proloqui nequisse. Cúmque fraus animo ingrata, à bono honestóque in prauum transit, atque in authoris redit perniciem, [f] Malum cõsilium consultori pessimum, in adagium venit. [g] Ac mille modis euulgata prouerbia fuere. quotidiano sermone vsurpata, quæ recensere superuacuæ disputationis foret: quare ne exequar singula,

Lupus in fabula. *Malum consilium consultori pessimum.*

ANNOTATIONES.

memoria, Virgilij locus est lib. 1 Æneid. Senecæ in Herculè furente.

c *Lupus in fabula.*] Eram. Chil. 4. cent. 5. c. 50. Locus Terentij in Adelphis est act 4. sce. 1.

f *Malum consilium, consultori pessimum.*] Erasm. Chil. 1. cent. 2. c. 41. Locus Valerij lib. 7. est tit de sapienter dictis & factis, qui primus est eiusdem lib. 7. vbi de Papyrio Cursore Coss. loquitur.

g *Ac mille modis euulgata prouerbia.*] Erasm. collegit 4151. eadémque doctè & eleganter locupletauit. Et ille quidem omnem diligentiam in illis coaceruandis adhibuit, vir quidem cùm in cæteris rebus, tum verò hîc (vt ex illis videre est) diligentissimus. Sed quis omnia posset? Ego autem nonnulla, ab eo prætermissa, hic summatim subnectéda duxi. Nec dubito quin & alia sint multò plura, quæ ipse Erasm. si diutius vixisset, in infinitum auxisset.

κόπῳ κόπος λύεται. 1.

Est apud Oribasium lib. 1. Euporistoo c. 1. vbi apertè declarat id esse antiquum prouerbium. Idque peræquè est, labor laborem soluit, vel pellit. Estq; illis simile Clauus clauum, Paxillus paxillum pellit scilicet, aut excutit.

Syri aduersus Phœnices. 2.

Est apud Suidam Σύροι πρὸς φοίνικας, vbi versutus decipere versutum satagit. Simile illis, Cretensis Cretensem; Cretensis cum Æginetа, de quibus Erasmus Chil. 1. cent. 2 c. 26. & 27. cùm improbus agit cum improbo, perfidos cum perfido.

Dixerat ille aliquid. 3.

Virgilius lib. 10. Æneidos, vbi Anxurum, vt ineptum factorum & virtutis suæ ostentatorem perstringit, sic scribit,

Dixerat ille aliquid magnum, vimq́; affore verbo
Crediderat, cœloq́; animum fortasse ferebat.

Quo loco Seruius admonet prouerbialiter esse dictum, ac si diceret, Non mirũ sic occisum esse eum qui sibi plurimùm arrogabat.

Solus hoc potuit Deus. 4.

Lat. Pacatus in Panegyrico, quem Theodosio scripsit, indicat id esse prouerbium, Mirabamur te, inquit, post imperiũ esse priuatum: multò magis mirum est imperium ferre post otia. Solus hoc (vt dicitur) ponit Deus.

Amicus amico bona, illius gratia vlt, 5.

Aristoteles lib. 8. Ethicorum tum c. 2. tum quoque 7 in fin. ostendit id vice prouerbij celebratum.

Area scelerum. 6.

Et id quidem prouerbialiter dictum videtur eadem figura, qua Ilias malorum, apud Ciceronem etiam ad Attic. libr. 9. epist. epist. incip. Vtrunque ex tuo consilio. Reliqua (ô dij,) (qui comitatus, quæ (vt tu soles dicere) νεκυία, in qua erat area scelerum.

Vereor Troas. 7.

Αἰδέομαι Τρῶας. Habet speciem prouerbij de formidolosis, qui vel effœminatissimos ac profligatissimos quosque timét apud Ciceronem multis in locis, vt intelligas id vice prouerbij celebrasse: scilicet ad Atticum lib 2. epist. eius lib. 5. & totius operis 20. incip. Cupio quidem. Et lib. 7. epistol. 1. & omnium 119. incip. Dederam quidem. & rursum epist. 10. & omnium 129. incip. Vnam adhuc. & lib 8. epist. vlt. incip. Omnia mihi. Quod & sumptum est ex illo versu Homeri lib. 9. Iliados, quem integrum posuit Cicero primo illo loco, vbi de Hectore loquitur,

αἰδέομαι Τρῶας, καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.
Id est,
Vereor Troas, & Troianas longa pepla ferentes.

Ne pilum quidem. 8.

Idem Cic. eiusdem operis li. 5. epist. 20. omnium 107. incip. Saturnalib. manè. Interea è Cappadocia ne pilum quidem. Quod habet formam similem illius, Ne punctum quidem. Chil. 4. cent. 4. c. 85. Simile etiam est illud, Cum puluisculo. de quo Erasm. Chil. 2. cent. 8. c. 85.

Perire non posse, nisi crura fracta essent. 9.

Idem quoque Cicero Philip. 13. docet id Prouerbij loco dici solitum. Illud tamen mirum, inquit, quod in hoc Planco prouerbij loco dici solet, Perire enim noo posse, nisi crura fracta essent. Sic etiam ludit in Erucinum pro Sex. Roscio Amerino, Crura quidem vobis, inquit, nemo suffrioget.

Manum & mentum. 10.

Pestus Pompeius lib. 11. id dicit esse prouerbium ex Græco tractum, sed tam corrupti sunt ipsius codices, qui circunferuntur, vt vix sensum aliquem excerpere queas.

Lacuna in auro. 11.

M. Tullius oppidò quàm decenter dixit (epistol. lib. ad Attic. 12. epist. eius lib. 5. omnium 136. in princ.) Lacunam in auro factam. Ne, scilicet, in te apparentes bona subsit fraus aut malitia, intelligi volens exinanitionem auri, & quasi voraginem quandam ex furto & rapina. Cui simile est & illud Persij saty. 5.

Ne qua sub erato mendosum tinniat auro.

Sensus est, Ea es prudentia, vt æs auro coopertum etiam dignoscas, vt solent mensarij. Agllegoricos hoc dicit, cum vitia velamento quodam virtutis obuoluta cognoscere. Hócque sapientis est, qui vera libertate fruitur. Ita Britannicus interpres. Scio autem illius loci Tulliani meminisse Erasmum in prouerbio Lacunam explere, Chiliad. 4. centur. 10. cap. 88.

Cum insanis insanire & ipsi debemus. 12.

Galenus lib. 1. de Virtutibus naturalibus cap. 15. eodémque penult. Quia verò, inquit, iam satis fabulati sumus & quidem nolentes: sed vt est in prouerbio, Cum insanis insanire coacti.

Cæcæ diuitiæ. 13.

Plato lib. 1. de Legibus indicat id vice prouerbij fuisse vsurpatum: Duplicia, inquit, bona dicuntur: alia enim humana sunt, alia diuina: dependent autem à diuinis & humanis. Diuinis igitur quæ maiora sunt, susceptis, minora etiam possidentur. Illis autem spreris vtrisque ciuitas priuatur. Minorum verò primùm est sanitas, deinde pulchritudo, tertiò vires ad cursum & ad alios corporis motus: quartò diuitiæ, quæ non cæcæ sunt, vt vulgò dicitur, si prudentiam sequantur.

Pennatis pedibus. 14.

Sed & id prouerbium fuisse declarat Diuus Hieronymus in epist. ad Florentium incip. Quantus cùm dicit, Ita vt ego ille tardissimus, quem intolerabilis languor vexat, pennatis, vt aiũt, pedibus, certè charitate & voto te salutauerim. Quibus verbis, vt Erasmus dicit in scholiis, significabat miram celeritatem, sumpto prouerbio è Mercurio, cui pedibus alas addidere Poëtæ. Sed id ipsi Erasmo, sua prouerbia congerenti, effluxit.

Vitroneas putere merces. 15.

Est eiusdem Hieronymi ad Marcellam incip. Nuper cùm pariter essemus (sunt enim multæ ipsius ad eandem) in fine

Pollicem premere. In sinum despuere. Vbi quis malè audisset aut verbo offensus fuisset.

quum non sit animus ea consectari quæ ab aliis vberius explicata sunt & latius, de his hactenus dixisse satis habeam. Illud vtique antiqui moris erat, quod cum alicui precabantur benè, vt quicquid fuisset cupitum, eueniret, ne quid diri aut infausti successum læderet, [h] pollicem premere iubebant. Quotiésque in propinqua spe futuri boni, veniam à diis petimus, [i] in sinum despuere solemus, velut ratas preces diis habituris. Cùmque in sermone quotidiano quispiam malè audisset, aut verbo vocéve offensus foret, [k] dicto veniam poscere: in aduersis verò enunciatis, [l] meliora ominari, atque [m] inuidiam verbo abesse iubebant. In mentione defunctorum, illorum memoriam non sollicitari: in sordidis & obscœnis dictis, [n] honorem auribus seruare, & [o] præfari honestatem, veteres consuesse, memoriæ & literis proditum est.

ANNOTATIONES.

eiusdem epistolæ, vbi dicit, velle se aliquid illi scribere de quibusdam, quæ memorat, Nisi, inquit, & modum epistolici characteris excedentem, & tibi auiditatē magis delatæ deberent facere quæstiones. Tritum quippe est prouerbium, Vltroneas petere merces: vnde & nos de industria reticemus, vt auidius velis audire quæ tacita sūt. Vbi & ipse Hieronymus in scholiis, Nam suspectæ sunt, ait, emptori. Sic Horatius epistol. libro 2. epistol. item 2. in princ. ad Iulium Florum,

Multa fidem promissa leuant, vbi plenius æquo
Laudat, venales qui vult extrudere merces.

Ego verò mallem ad id referre, quòd quæ spontè & sine labore, & veluti gratis offeruntur, minus placent, quàm quæ cum labore & pretio adipiscimur. Scitum est illud Ausonij epigram. 39.

Hanc volo, quæ non vult: illam quæ vult, ego nolo:
Vincere vult animos, non satiare, Venus.
Oblatas sperno illecebras, detrecto negatas:
Nec satiare animum, nec cruciare volo.
*Nec * discincta Diana placet, nec nuda Cythere:*
Illa voluptatis nil habet, hæc nimium:
Callida sed media Veneris mihi venditet artem
Fœmina, quæ iungat, quod volo nolo vocet.

* *bis vincta.*

Et illud item, Aquæ furtiuæ dulciores sunt: & Panis absconditus suauis,

Nec ferre videt sua gaudia ventos. 16.

Virgil. 10. Æneidos, quo loco Seruius, Prouerbium est, inquit, venti ferunt gaudia. id est, lætatur incassum. Sic suprà lib. 9.

—Sed aura
Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.

Vbi & idem Seruius, Quæ, ait, inutiliter iubentur, dicitur ventus discerpere: citatque priore loco illud eiusdem Virg. lib. 11. Æneidos,

Audiit: & voti Phœbus succedere partem
Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.

Illud autem Virgilij sumptum videtur ab Homero Odyssæa lib. 8.

—— ἔπος δ' εἴπερ τι βέβακται
δεινόν, ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.

Id est, ad verbum,

—Verbum si aliquod dictum est
Durum, citò illud ferant rapientes procellæ.

Philadelphea opera. 17.

Philo ille Iudæus in lib. de vita Mosis, sic scribit, Ptolemæus fuit is, Philadelphus cognomine, tertius ab Alexandro Ægypti Rex, virtutibus regiis supra omnes ætatis suæ, superiorúmque seculorum Principes nobilis, cuius nunc quoq; ex tāto temporum interuallo decus est inclitum, ob tot relicta per ciuitates regionésque monumenta magnificentiæ, vt in prouerbium abierint sūptuosa opera ab illo Philadelphea denominata.

Plus apud Campanos vnguenti, quàm apud cæteros oleis. 18.

Plinius lib. c. 11. id prouerbio celebratum fuisse satis declarat: vnde vulgò dictum, Plus apud Campanos vnguenti, quàm apud cæteros olei fieri.

Dioscuri saluatores. 19.

Ælianus Variæ historiæ lib. 1. ca. 30. Græcè quidem scripsit, sed hoc sensu, Ptolemæus Rex amasium habebat Galetam, pulcherrima forma præditum. Animus verò iuuenis longè formam superabat. persæpe igitur etiam Ptolemæus testimonium ei perhibebat, inquiens, O lepidum caput, nulli vnquam vllius author incommodi extitisti: at multorum vtilitatem promouisti. Accidit aliquando, vt cum Rege adolescens equitaret. Cùm verò procul aliquos ad supplicium trahi videret, non oscitanter in hæc verba Regem affatus est. Sed ô Rex, inquit ad Ptolemæum, quandoquidem prospera quadam sontium istorum fortuna, equos conscendimus, age, si gratum est, calcaribus admotis & velocia persequentes, appareamus miseris, quasi Dioscuri saluatores & aduocati salutem ferentes: quod communi prouerbio de his diis vulgatum est. Verùm ille maximam voluptatem capiens ex eius bonitate, & propensum ad misericordiam animum amplectens, tum nocentes seruauit, tum amoris, quem erga puèrum gerebat, intentionem multum confirmauit & auxit. Hæc ille. Hoc autem prouerbium proximè accedit ad illud, θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ἐπιφανείς. id est, Deus ex improuiso apparens. De quo Erasm. Chiliad. 1. cent. 1. cap. 68.

[h] *Pollicem premere.*] Erasmus Chiliad. 1. cent. 8. cap. 46. Locus Iuuenal. est satyra 3. Horat. epistol. lib. 1. epistol. 17. ad Lollium 2.

[i] *In sinum despuere.*] Id sumptum est ex Tibullo lib. 1. eleg. 2. in fine.

Tunc puer, hunc iuuenis turba circumstetit arcta:
Despuit in molles & sibi quisque sinus.

Erasmus autem Chiliad 5. cent. 1. cap. 25. Despuere malum inter prouerbia posuit, nec citat Tibullum, vbi suprà: sed Plinium non designato loco, sed est lib. 28. c. 4. Plauti autem locus est in Captiuis. Sed tu hîc omnino vide, quæ scripsimus in legibus nostris Connubialibus parte 1. nu. 17. incip. Hincque illud.

[k] *Dicto veniam petere.*] Plinius Iunior lib. epist. 5. epist. eius lib. 6. totius operis 112. incip. Amaui curam. in fi. Vsque, inquit, adhuc certe neminem ex his, quos eduxeram mecum venia sit dicto, ibi amisi.

[l] *Meliora ominari.*] Cicero de claris Orat. Melius, quæso, ominare, inquit Brutus.

[m] *Inuidiam verbo abesse.*] Liuius 1. Dec. lib. 9. Absit verbo inuidia, & ciuilia bella sileant. Et 3. Decad. lib. 8. Vt non modo nobis (absit verbo inuidia) sed ne posteris quidem timenda nostris esset.

[n] *Honorem auribus seruare.*] Q. Curtius lib. 5. Ad vltimum opus (honos auribus habitus sit) ima corporum velamenta proiiciunt.

[o] *Præfari honestatem.*] Honorem, ni fallor, voluit dicere. Cicero li. 2. de Finibus, Eam autem ita persequitur, quæ palato percipiatur, quæ auribus: cætera addit, quæ si appelles, honos præfandus sit. Et epist. fa. lib. 9. epist. eius lib. 22. totius operis 174. incip. Amo verecundiam. Nos autem ridiculè si dicimus, ille patrem strangulauit, honorem non præfamur: sin de Aurelia aliquid, aut Lollia, honos præfandus est. Nusquam autem, quod meminerim, legi honestatem præfari.

a *Tarquinius.*

Qui primus legem theatralem Romæ tulerit, & quot leges plebem ab optimatibus postea distinxerint.

CAPVT XVI.

INTER eos qui à prima origine spectacula Romæ ediderunt, [a] Tarquinius Priscus opulentius instructiusq; quàm aliqui Regum ludós fecisse dicitur. Is enim in ludorum apparatu, cultu & magnificentia omnes antecessit. Ab ipso enim [b] circus maximus spectaculis designatus locus fuit, qui postea ædificiorum magnitudine, & aulico apparatu præcipuus semper exhibendis ludis est habitus, in quo munera ingeti apparatu mox exhibita fuere, diuisis locis plebi per singulas curias. [c] Cumq; intercedentibus annis, patribus equitibusq;, ac plebi Romanæ confusa loca fuissent vbi spectarent, Corn Scipione & T. Tempronio consulibus, ludis Romanis per ædiles curules discreta loca senatoria à populo fuere: vtq; suus cuique honos seruaretur, lege cantum fuit vt optimatibus subsellia proxima darentur. Quo tempore præcipua loca [d] in orchestra Senatoribus data sunt, [e] vbi in scena saltabatur; & chorus inducebatur: [f] podium imperatori & consulibus, [g] proscenia

Tarquiny Prisci in edēdis spectaculis studium.

Circus maximus.

Loca in spectaculis prius confusa discreta.

Senatorū locus.

Imperatoris.

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

a TArquinius Priscus.] Dionysius Halicarnasseus lib. 3. in fin.

b *Circus maximus.*] Halicarn. vbi suprà, Liuius 1. Decad lib. 3. Varro lib. 1. aut aliorum supputatione 4. de ling. Lat.

c *Cumq; intercedentibus annis.*] Liuius 4. Decad. lib. 4. Sextus Ælius Pætus, & C. Cornelius Cethegus Censores, gratiam ingentem apud Senatum pepererunt, quòd ludis Romanis Ædilibus Curulibus imperarunt, vt loca senatoria secernerent à populo: nam anteà in promiscuo spectabant. Sed & posteà eiusdem Decad. lib. 5. Megalesia, inquit, ludos scenicos, C. Atilius Serranus, L. Scribonius, Libo Ædiles curulea primi fecerunt. Horum Ædilium ludos Romanos primùm Senatus à populo secretus spectauit: præbuitque sermones (sicut omnis nouitas solet) aliis tandem quod multò antè debuerit, tributum censentibus amplissimo ordini: aliis demptum ex dignitate populi quicquid maiestati patrum adiectum esset, interpretantibus: & omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur, & concordiæ & libertati æquè minuendæ esse. At quingentesimum octauum annum in promiscuo spectatum esse: quid repente factum, cur immisceri sibi in cauea patres plebem nollent? cur diues pauperem consessorem fastidiret; nouam & superbam libidinem ab nullius antè gentis Senatu neque desideratam, neque institutam. Postremò ipsum quoque Africanum, quòd Consul author eius rei fuisset, pœnituisse ferunt. Adeò nihil motum ex antiquo probabile est veteribus nisi quæ vsus euidenter arguit, stari malunt. Hæc ille Cicero autem in Orat. de Aruspicum responsis, Nam quid ego, inquit, de illis ludis loquar, quos in palatio nostri maiores ante templum in ipso Matris magnæ conspectu, Megalensibus fieri celebrarique voluerunt? qui sunt more, institutisque maximè casti, solennes, religiosi: quibus ludis primum ante populi consessum Senatui locum P. Africanus iterum Coss. ille maior, dedit: vt ludos hæc lues impura pollueret. Idem in Oratione pro Cornelio maiestatis reo, P. Africanus ille superior, vt dicitur non solùm à sapientissimis hominibus, qui tum erant, verumetiam à seipso sæpe accusatus est, quòd, cùm Coss. esset, cum T. Longo, passus esset tum primùm à populari consessu senatoria subsellia separari. Quo in loco Appianus interpres, Hoc inquit, factum est secundo consulatu Scipionis, post septimum annum quàm Carthaginensibus bello secundo data est pax. Factum id esse autem Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt Ædiles curules, Attilius Serranus, T. Scribonius Libo: id eos fecisse iussu Censorum Sex. Ælij Peti, C Cornelij Cethegi. Et videtur in hac oratione hunc quidem auctorem sequutus Cicero dixisse, passum esse Scipionem secerni à cætero consessu spectacula Senatorum. In ea autem, quam post aliquot annos habuit, de Aruspicum responso, non passum esse Scipionem, sed ipsum auctorem fuisse dandi eum locum Senatoribus, videtur significare, verba eius adducit, quæ nos suprà adscripsimus. Et postea subiungit. Non præterire autem vos volo, esse oratoriæ calliditatis, vt, cùm opus sit, eisdem rebus ab vtraque parte, vel à contrariis vtantur. Nam cùm secundum Ciceronis opinionem, auctore Scipione Coss. Ædiles secretum ante omnes locum spectandi Senatoribus dederint, eodem illo facto Scipionis in hac quidē oratione, quia causa popularis erat premebatúrque Senatus auctoritate, atque ob id dignitatem eius ordinis quàm possit maximè eleuari causæ expediebat, pœnituisse ait Scipionem, quòd passus esset id fieri. In ea Orat. de Arusp. respons. quia in Senatu habebatur, cuius auribus erat blandiendum, & magnopere illum laudat, & non auctorem fuisse dandi: nam id erat leuius, sed ipsum etiam dedisse dicit. Valerius Maximus lib. 2. cap, 1.

d *In Orchestra.*] Vitruuius lib. 5. cap. 6. In Orchestra autem Senatorum sunt sedibus loca designata, & eius pulpiti altitudo sit ne plus pedum quinque, vti qui in Orchestra sederint spectare possint omnium agentium gestus. Iuuenalis saty. 3.

— Similemq; videbis
Orchestram & populum. —

Suet. in Nerone, c. 12, Deinde in Orchestram Senatúmque descendit, & orationis quidem carminísque Latini coronā, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit. Ex quo clarè intelliges Orchestram non patuisse populo.

e *Vbi in scena saltabatur.*] Orchestra ab ὀρχεῖσθαι, id est, salto, siue gesticulor, dictam, locum esse in theatro, vbi sunt designata Senatorum loca, voluit Vitruuius loco proximè citato. Id quidem apud Romanos: Nam Iulius Pollux libro 4. cap. 19. Chori dicit esse propriam, vt scenam actorum.

f *Podium Imperatori & Coss.*] Idem Suet. in Nerone, d. c. 12. paulò antè. Nam per rarò, inquit, præsidere, Cæterum accubās primùm paruis foraminibus: deinde toto podio adaperto spectare consueuerat. Verùm ex Iuuen. sat. 2. id omnibus patuisse videri potest, cùm scribit;

Omnibus ad podium spectantibus.

Et in hac quoq; significatione podij vocabulo vsus est Ælius Spartianus in Septimio Seuero. Vitruuius lib. 3. ca. 3. lib. 5. c. 7. lib. 6. c. 4. lib. 7. c. 4. Podium menianorum habet speciē, locus scilicet ad spectandum habilis, cuius pars, quæ magis prouehitur, pulpitum est veluti pergula quædam. Græci Podia Orthas appellant, vt scribunt Theodosius & Honorius Imp lib. 8. C. de ædificiis priuatis. Vlpianus, sed in alia significatione, in l. quæsitum. §. item perticæ. ff. de fund. instruct. & Plinius lib. 37. c. 3. eius nepos epist. lib. 5. epistol. l. 6. incip. Amaui.

g *Proscenia & pulpita optimatibus.*] Budæus in l. athletas. ff. de iis qui notantur infamia, Ex Diomede, Proscenium sic definit, Erat in scena proscenium, id est, locus ante scenam porrectus, vbi pulpitum excitatum erat, quò actores fabularum prodirent: ita vt scena altior esset pulpito, pulpitum autem altius orchestra: quæ ipsa erat locus saltantium, ob id orchestra dicta, quasi saltatorium. Virg. lib. Georg. 2.

& pulpita optimatibus,nonnunquam principi: [h] siquidem Nero è proscenio sæpe spectauit,[i] aliquando è puluinari,quod in prima fronte theatri,spectaculorum locus erat. [k] Fertur tamen Augustus Cæsar,legatos sociarum fœderatarúmque gentium,in orchestra considere vetuisse,quum quosdam libertini generis illic spectare deprebendisset. Post aliquot verò ætates, vt imperator vnà cum sacerdotibus in sella imperatoria ludis præsideret, consuetudo inualuit. [l] Quæ quidem scena in fronte theatri ab vno cornu ad alterum porrigebatur versatilis, plerunque ductilis, multis columnis & epistilis fulta: [m] quæ primò parietem non habuit, sed frondibus obumbrabatur: postea tabulis pictis in parietis morem componi cœpta, quæ spectaculorum sedes præcipuæ inde babitæ. [n] Ea enim triplicis generis erat,namque tragica columnis & deorum signis exornabatur, quibus & tabulis pictis, partim ab amicis,partim è Græcia commodatis,vtebantur:comica,ædificiorum figuram præfert:satyrica verò,montibus inumbratur & syluis. [o] In ea enim histrionum sedes erant, qui ad edendas in scena operas locabantur [p] In orchestra autem chori: reliqua verò loca popularia fuere, in quibus omnis sexus & ætas, atque infimus ordo sine discrimine spectabat: qui verò à sedibus exclusi fuerant, [q] excuneati dicti. [r] Græci verò præter hæc buleuticum construxere in theatro,vbi seniores: sicut ephebicum,vbi iuuenes spectarent. [s] Ante hanc verò legem, per annos quingentos sexaginta à condita vrbe, populus vna cum patribus promiscua iniquitate spectauit. [t] Postea verò P. Africanus superior quum consul esset cum T. Longo, ludis Romanis plurima senatorum subsellia à populari consessu separari iussit. Et quum eo discrimine aliorum studium,aliorum indignatio esset, præbuisse eius rei nouitas non mediocrem plebi sermonem dicitur, [u] adeò vt ipsum Africanum, quod eius rei autbor fuisset, pœnituisse ferant: gratiámque ingentem apud ordinem senatorium ædiles pepererunt, qui sanxerunt, vt gradus dignitatísque cuiusque & fortunæ discrimen foret:mansitque aliquandiu lex seruata,vsque] didicêre, multò præstabilius esse, seruato gradu cuiusque, quàm in colluuione omnium spectaculis interesse.[x] Proditum tamen memoriç est, tempore quo promiscuus spectaculorum vsus erat, nunquam plebeium

Optimatum. Qui ludis præsidebat. Scena ludorum Tragica scena. Comica. Satyrica Histrionũ locus Chori. Populi. Excuneati. Græci. Senatorũ. Iuuenũ. Senatorũ subsellia à popularibus seiuncta.

ANNOTATIONES.

— Baccho caper omnibus aris
Caditur, & veteres ineunt proscenia ludi.

Vitruuius libro 5. cap. 5. vbi Guilielmus Philander,interpres.

h *Siquidem Nero.*]Suetonius in d.c.in princ. Ludos spectauit,inquit, è proscenij fastigio.

i *Aliquando è puluinari.*]Quod de Aug.Cæsare tradit Suet. in vita illius,ca.45.in prin.Ipse,inquit, Circenses ex amicorum ferè libertorúmque cœnaculis spectabat, interdum è puluinari, & quidem cum coniuge ac liberis sedens.

k *Fertur tamen Aug Cæsar.*]Idem Sueto.in vita illius,c,44. Romæ legatos liberarum sociarúmque gentium vetuit in orchestra considere, cùm quosdam etiam libertini generis mitti deprehendisset.

l *Quæ quidem scena.*]Id ex Seruio est enarrante illud Virg. lib. 3. Georgicôn.

Ipse caput tonsæ foliis ornatus oliuæ
Dona feram. ——

m *Quæ primò parietem non habuit.*] Seruius in lib.1.Æneid. eo versu,

—— Tum syluis scena coruscis
Desuper. ——

Antiquitus,inquit,theatrali scena parietes non habebat,sed de frondibus vmbracula quærebant. Postea tabulata composuerunt in modom parietis.

n *Ea enim triplicis generis erat.*]Vitruuius lib.5.c.8.in princ, Genera autem,ait, sunt scenarum tria, Vnum quod dicitur Tragicum:alterum Comicum: Tertium Satyricum.

o *In ea enim histrionum sedes erant.*] Vitruuius d.lib.5. cap. 8. Ideóque apud eos Tragici & Comici actores in scena peragunt:reliqui autem artifices suas per ochestram præstant actiones.Itaque ex eo scenici & thymelici Græcè separatim nominantur. Vbi Philander interpres,Scenici,inquit,complectuntur Comicos & Tragicos: Thymelicorum verò nomine intelligimus ludios citharœdos, citharistas & tibicines, atque id genus symphoniacorum ἀπὸ τῆς θυμέλης. Est autem θυμέλη theatri pars vbi histriones suas actiones perficiunt.

p *In orchestra autem Chori.*] Iulius Pollux lib 4.cap.19.dicit Orchestram Chori esse propriam, vt scenam actorum. Quẽ locum legas oportet, si theatri partes scire cupis.

q *Excuneati dicti.*] Apuleio lib.10.Excuneati decenti vocabulo dicuntur,qui in cuneo theatrali sedẽdi locum non habent,quasi extra cuneum exclusi.Cuneati autem,qui in cuneo dispositi sunt,& cunei figuram repræsentãt.Ita Beroaldus Apuleij interpres de quibus Iuuenalis satyra 6.

— Cuneis an habet spectacula totis
Quod securus ames, quodq́, inde excerpere possis.

Martialis epigram. lib.1.epig.83.in Sextilianum.

Æra sed à cuneis vlteriora petis.

Suetonius in Augusto,ca 44.Maritis è plebe proprios ordines assignauit:prætextatis cuneum suum, & proximum pedagogis. Vitruuius lib.5.cap.6.Cunei spectaculorum in theatro ita diuiduntur. & ante hos Virg. lib.5. Æneidos,

Nuncius Anchisæ ad tumulum cuneosq́, theatri
Incensas perfert naues Eumelus.

r *Græci verò præter hæc buleuticum.*]Idem de vtroque scilicet Buleutico & Ephebio, scribit Cælius Rhodiginus lib.8.c. item 8.nullo quoque authore citato. Scio autem βουλευτικὸν Græcis aliud significare:nempe,consularem senatorium ad consultandum aptum, ad Senatum pertinens, vt βουλευτικοὺς νόμους, leges ad curiam, siue Senatum pertinentes apud Demosthenem. βουλευτικὸς ὅρκος,iusiurandum Senatorum apud Xenophontem lib. ἀπομνημονευμάτων. id est,de factis & dictis Socratis,1.De Ephebico autem pro loco in scena, vbi ephebi, id est,iuuenes spectabant,siue pro epheborum & puberum multitudine, est locus apud Lucianum. De bouleuterio Plinius lib. 36 ca.15. sic scribit, Cyzici & Bouleuterium vocant ædificium amplum, sine ferreo clauo ita disposita contignatione,vt eximantur trabes sine fulturis ac reponantur.

s *Ante verò hanc legem.*] Vide suprà in princ.

t *Posteà verò P. Africanus.*]Iam diximus suprà in princ. ex Liuio & aliis:sed & præterea videbis apud Valerium Maximum lib.4.ca.5.post princ.vbi de populi Romani verecundia scribens,Sed vt, inquit, à laudibus eius ad facta veniamus:A condita vrbe vsque ad Africanum, & Tiberium Lõgum Coss. promiscuus Senatui & populo spectandorum ludorum locus erat: nunquam tamen quisquam ex plebe in theatro ante patres Cõscriptos spectare sustinuit. Adeò circunspecta nostræ ciuitatis verecundia fuit.

u *Adeò vt ipsum Africanum.*] Iam & ibi dictum est.

x *Proditum est memoria.*] Id ex Valerio Maximo vt suprà diximus.

y *Tametsi*

præ modestia & verecundia, ante virum senatorium aut consularem spectare sustinuisse. Cúmque post aliquot tempora, plebs enim patribus confusis ordinibus nihilominus spectaret, Sext. Ælius Pætus, & L. Cornelius Cethegus censores, ne turba patribus misceretur, quum tantum hominum conflueret in theatrum, alio edicto statuere, quod non sine indignatione plebis factum memorant, quæ se despectui haberi, & contemptam esse arbitrata est: [y] tametsi Ælium Pætum in censura collegam prioris Scipionis fuisse nonnulli tradant: [z] Rursus quum haud longo post interuallo constitutione abrogata, senatus & populus solutissimo more spectarent, Attilius Serranus, & L. Scribonius Libo ædiles curules scenicis ludis & Romanis, vt diuersa loca plebeiorum à patribus essent, populúsque discretus à senatoribus spectaret, quarta promulgata lege statuere, spectauerúntque aliquandiu, [a] donec lege Iulia theathral. [b] & Roscia, vt in quatuordecim ordinibus & subselliis proximioribus senatores atque equites spectarent semota plebe, optimatibus data facultas fuit. [c] Quorum numerum à diuo Iulio adeò excretum fuisse constat, vt quatuordecim ordines, & proxima subsellia, solis senatoribus non sufficerent: [d] adeò vt Laberius Mimus inter equites sedere iussus, præ angustia recipi vix potuerit. [e] Quod & Syllæ temporibus iterum confusum fuisse crediderim: nam gladiatorum munus dedit, viris æque & mulieribus, locis promiscuis & indistinctis, in magna licentia spectandi, & sine vllo discrimine honorum. [f] Cautum deinde lege Othonis fuit, quam Tribunus tulit, vt magis fortunarum & pecuniæ, quàm generis aut honorum ratio haberetur: [g] & non modo patriciis, aut equestris ordinis, & senatoriis viris, sed summis honoribus functis, quibus quadringentorum sestertiorum ipsi, patri, auóque census non fuisset, spectandi in quatuordecim subselliis ius non esset, eáque loca honoris causa

Ædilitiæ factio de dignitatis cuiusque & gradus distinctione.

Ælij Pæti & L. Cornelij edictum.

Attilij Serrani & L. Scribonij lex.

Senatoribus & equitibus 14. subsellia in spectaculis; Othonis lex.

ANNOTATIONES.

y *Tametsi Ælium Pætum.*] Titus Liuius 4 Deca. lib. 2. Multis, inquit, claris petentibus viris, creati Censores P. Corn. Scipio Africanus, & P. Ælius Pætus.

z *Rursus cum non longo pòst interuallo.*] Dictum est suprà in prin c. ex Tito Liuio, & Asconio Pædiano.

a *Donec lege Iulia theatrali.*] Plin. lib. 33. c. 2. Hac de causa, inquit, constitutū, ne cui ius id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri auóque paterno sestertia cccc. census fuisset. & lege Iulia Theatrali in 14. ordinibus sedendi.

b *Et Roscia.*] Cor. Tacitus li. 15. ita scribit. & Horat. lib. epist. 1. epist. item 1.

Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum est
Nænia, quæ regnum rectè facientibus offert.
Et maribus Curiis & decantata Camillis?

Nam paulò antè dixerat;

Et quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, & lingua, fidesq́;
Plebs eris, at pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si rectè facies. ——

Quo in loco Porphyrion, Lex, inquit, Roscia est, qua cauetur, vt proximis ab Orchestra 14. gradibus spectent, quibus census est quadringentorum sestertiorum. Et paulò pòst, Hæc lex Roscia equitibus data est, vt in primis 14. gradibus sederent ij, qui quadraginta sestertia haberent. Et de hac quoque lege Roscia idem Horatius Epodi Ode 4. ad Menā libertum Pompeij Magni,

Sedilibusq́; magnus in primis eques
Othone contempto sedet.

Vbi Acron interpres. Quia L. (ait) Roscius Otho legē Theatralem tulerat, vt in 14. ordinibus sederent equites. Et idem propemodum Porphyrion ibi. Pædianus in Orat. Ciceronis pro Cornelio, Roscia est, quam L. Roscius Otho biennio antè Coss. firmauit, vt in theatro equitibus Ro. 14. ordines spectandi gratia darentur. Seneca ad Lucilium lib. 5. episto. 44. At mehercules multis quatuordecim gradus sunt clausi. Idem lib. 7. de beneficiis, c. 12. Equestria omnium equitum Romanorum sunt. Et lib 4. Controuersiarum, Hos 14. gradus Equestria, ab ipsis equitibus appellat. L. Florus epit Liuij li. 99. L. Roscius Trib pleb. legem tulit, vt equitibus Ro. in theatro 14. gradus proximi assignarentur. Ante hos Cic. in Orat. pro Muræna, L. Otho, vir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solùm dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quòd honestissimo ordini cum splendore, fructus quoque iucunditatis est restitutus. Plin. d. lib. 33. c. 2. Plutar. in Cicerone, Cùm hactenus in theatris equites commixti plebi spectarent ludos, primus Otho eos à plebe disiunxit, eúmque sessum illis in spectacula designauit, quem nunc vsque præcipuum retinent. Quam rem cùm plebs ad ignominiam sibi existimaret, prodeunte in spectaculum Othone, cōtumeliosè aduersus illum sibila efferre: tum equites contra læto plausu illum suscepere. Verùm mox cùm iteratis alius sibilis, & iterum à maiori plausu equitum in iurgia alter in alterum prodiret, omne id theatrum inhonesta specie completum est. Quare cùm ea nouisset Cicero, plebem in phano Bellonæ ad se vocatam, adeò modestè increpuit, monuítq;, vt cùm in spectaculum rediissent, Othoni alacri plausu allluderent, & equitibus de gloria & laude viri concertarent.

c *Quorum numerum à D. Iulio.*] Nam & Suetonius in Augusto, cap. 35. in princip. scribit, Senatorum affluentem numerum deformi & incondita turba (erant enim super mille & quidem indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmium allecti, quos abortiuos vulgus vocabat) ad modum pristinum, & splendorem redegit. Et vide in sequent.

d *Adeò vt Laberius.*] Ex Macrobio lib. 2. Satur. 3. cuius hæc verba sunt, Deinde cùm Laberius in fin. ludorum anulo aureo honoratus à Cæsare, e vestigiò in 14. gradus ad spectandum transisset, violato ordine: & cùm detractus esset eques Romanus, & cùm Mimus remissus, ait Cicero prætereunti Laberio, & sedile quærenti, Recepissem te, nisi angustè sederem: simul & illum respuens, & in nouum Senatum locatus, cuius numerum Cæsar supra fas auxerat. Nec impunè, respondit enim Laberius, Mirum si angustè sedes, qui soles duabus sellis sedere: exprobrata leuitate Ciceronis, qua immerito optimus ciuis male audiebat.

e *Quod & Syllæ temporibus.*] Plutarch. in Sylla. non longè à fi. Paucos post menses gladiatorum spectaculum edidit. Locis necdum distinctis, ac promiscuis in theatro viris, ac mulieribus, decoram specie fœminam & genere illustrem prope Syllam sedere contigit.

f *Cautum deinde lege Othonis.*] Vide suprà in verbo, Et Roscia. & adde præterea Iuuenalem satyra 3.

Sic libitum vano, qui nos distinxit Othoni.

Et satyra 14. ad fi.

—— Effice summam
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis
Hæc quoque si rugam trahit, extenditq́; labellum,
Sume duos equites, fac tertia quadraginta, &c.

g *Et non modò patriciis.*] Hæc vsque ad ea verba, Tantáque diuitiarum ratio. sunt Plinij li. 33. c. 2. cuius verba attulimus suprà ibi, Donec lege Iulia. satisque probantur ex his, quæ diximus in præced.

diuitibus solùm constituta fuere. Quippe tenues & sordidæ inopiæ viros, quamuis claros illustrésque, quibus quinquaginta sestertiorum non esset census, mixtim cum ditioribus in quatuordecim sedere, minimè decere arbitratus est. Tantáque diuitiarum ratio fuit, vt duo primi ordines tribunitiis & plebeiis ditioribus, exclusis patriciis, vacarent: idque non sine graui offensione nobilitatis. Quæ quidem subsellia ita compta habuere, vt [h] crocum & vinum per singulos cuneos spargerent, [i] illósque præcipuis odoribus diluerent, [k] ac picturis exornarent, [l] nonnunquam minio, & [m] chrysocolla arenam circi sternerent, [n] ita vt Hadrianus balsama & crocum per gradus theatri strauisse feratur. [o] Primúsque Claudius Pulcher fuisse traditur, qui scenam variis picturis signísque & tabulis ornauit: Trebonius auro, alij argento, plerique ebore. [p] Q. Catulus velis [q] Carbasinis theatrum texit: Lentulus Spinther [r] byssino velo. [f] Nero Cæsar auri ramenta pro arena strauit, [t] & vela stellata colore cœli posuit, [u] totumq; Pompeij theatrum in vnum diem auro operuit. [x] C. verò Antonius & Murena scenam fecere argenteam. [y] Caius etiam Princeps pegma ex argento duxit. [z] Nonnunquam qui ludos dabãt, ne populo sol officeret, aulæa suspendebant, plerunque suppato vsi sunt, quod posterior ætas pro aulæis accepit, [a] quæ non modò in theatro, sed in cubiculis ferè singulis habuere, vt siquid pulueris caderet exciperetur. [b] Proditumq; memoriæ est, Cn. Pompeium, ne populum æstus officeret, etiam aquæ decursum per subsellia duxisse: † mox diuum Cæsarem in ædilitate omni scenæ apparatu argenteo

Subsel- liorum ornatus.

ANNOTATIONES.

h *Vt crocum & vinum.*] Plinius lib. 21. ca. 6. ad finem de croco loquens, Vsus eius, inquit, in coronis nusquam. Herba enim est folio angusto penè in capillamenti modum. Sed vino mirè congruit, præcipuè dulci: tritum & ad theatra replenda.

i *Illosque præcipuis odoribus.*] Id exemplis sequent. probat ex Adriano.

k *Ac picturis exornarent.*] Plinius lib. 35. cap. 4. cuius verba referemus infrà ibi, Primúsque Claudius vbi de Claudio Pulchro.

l *Nonnunquam minio.*] Plinius lib. 33. c. 6.

m *Et Chrysocolla.*] Plius lib. 23. c. 5. Visúmque iam est Neronis Principis spectaculis arenam Circi Chrysocolla sterni, cùm ipse concolori panno aurigaturus esset, introducta opificum turba. Et adde etiam ramentis lapidis specularis ex eodem Plinio lib 36. c. 22. Inuenere, inquit, & alium vsum in ramentis quoque, Circum maximum ludis Circẽsibus sternendi, vt sit in commendatione candor.

n *Ita vt Adrianus.*] Ælius Spartianus in Adriano Cæsare, sic scribit, In honorem Troiani Balsama & crocum per gradus theatri fluere iussit.

o *Primumq; Claudius Pulcher.*] Hæc vsque ad ea verba, Q. Catulus. sunt Valerij Maximi lib. 2. c. 1. vbi de Claudio Pulchro loquitur: nisi quòd Petreium ille, quem hic Trebanũ vocat. Et interim tamen vide Plinium lib. 35. ca. 4. de his ludis hæc scribentem, Habuit & scena ludis Claudij Pulchri magnam admirationem picturæ, cùm ad regularum similitudinem, corui decepti imagine, aduolarent.

p *Q. Catulus.*] Hic deest dictio, vmbris, ex Val. Max. vbi suprà, vbi de Catulo, & Claudio Pulchro loquitur Reonem ludorum, inquit, crescentibus opibus, sequuta lauticia est. Eius instinctu Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium consessum velorum vmbraculis texit. Plin. lib. 19. ca. 1 de lino & lini satione & eius generibus loquens, Postea in theatris, inquit, tantùm vmbrã fecere: quod primus omnium inuenit Q. Catulus, cùm Capitolium dedicaret. Nam quòd hic subiicitur, Velis carbasinis, ad Lentulum Spinthrem refertur, vt mox dicemus.

q *Velis carbasinis.*] Ita id debes legere vno spiritu, Velis carbasinis theatrum texit Lentulus Spinther, & delendus est punctus, qui hic ponitur post verbum, Texit, ex Plinio vbi suprà, cuius verba hæc sunt, Carbasina deinde vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis. Valerius autem Maximus loco suprà citato, dicit hunc Lentulum adornasse argentatis choragiis locum versatilem, quem fecerunt Lucius & Cinna.

r *Byssino velo.*] Hic deest nomen eius, qui id fecit.] Neque enim is Spinther fecit, sed alia, quæ iã diximus: nec si id fecisset omisissent Suetonius & Plinius eo loco, quo huiusmodi velorum theatralium differentias adscripserunt, nec memini me legisse, qui hoc velo Byssino theatra texerunt.

s *Nero Cæsar auri ramenta.*] Dion Nicæus in Nerone de Tyridate, Armeniorum Rege, scribens, dicit celebrem conuentum, decreto Senatus, in theatro actum esse, cuius non modò scenam, sed etiam ipsum totum circuitu initus inauratum, item cætera omnia, quæ intromittebantur, auro ornata fuisse: ipsúmque diem his de causis Aureum cognominatum.

t *Et vela stellata.*] Idem Dion d. loco, Peripetasmata, inquit, quæ in aëre extenta erant ad defendendos solis ardores, purpurea fuerunt, stellis aureis circum vndique relucentibus. Plin. d. lib. 19. c. 1. Vela nuper colore cæli stellata per rudentes, terra etiam in amphitheatris Principis Neronis rubente: in cauis ædium, & muscum à solo defendunt.

u *Totumq; Pompeij theatrum.*] Plinius libro 33. cap. 3. Nero, Claudij Cæs. successor, Pompeij theatrum opperuit auro in vnum diem, quod Tyridati, Regi Armeniæ, ostenderat.

x *Caius verò Antonius.*] Idem Plinius eodem loco, C. Antonius ludos scena argentea fecit. Valerius Maximus d. lib. 2. c. 1. vbi de Claudio Pulchro.

y *Caius etiam Princeps.*] Idem Plinius in eod. c. Item Lucius Murena, & Caius Princeps in Circo pegma duxit in quo fuere argenti pondo 124.

z *Nonnunquam qui ludos dabant.*] Id sumptum videtur à Donato in fine præfationis Commentariorum in Terentiũ, cuius hæc verba sunt, Aulæa quoque in scena in terra sternuntur, quòd pictus ornatus erat ex Attalica regia, Romam vsque perlatus: pro quibus Siparia ætas posterior accepit. Est autem minutum velum, quod populo obsistit, dum fabularum actus commutantur. Quod tamen nonnihil differt ab his, quæ hic scripsit Alexander. Aulæa autem in vsu scenarum fuisse testimonio est illud Virgilij libro 3. Georg.

Vel scena vt versis discedat frontibus, vtq;
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

a *Quæ non modo in theatro.*] Horat. Sermonum lib. 2. saty. 8. eadémque vlt.

Interea suspensa graues aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulueris atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

Quia, vt dicit ibi Porphyrion interpres, Consuetudo apud antiquos fuit, vt aulæa sub cameras tenderent, vt si quid pulueris caderet, ab ipsis exciperetur.

b *Proditumq; est memoria Cneum Pompeium.*] Valerius Max. lib. 2. cap. 1. Cneus Pompeius ante omneis, aquæ per semitas decursu, æstiuum minuit feruorem.

† *Mox Diuum Cæsarem.*] Sueto. in vita illius, c. 10. loquitur de gestis ab eo in sua ædilitate: nec aliquid tamen de huiuscemodi rebus dicit: nisi quòd Ædilis, præter comitium ac forum basilicásq;, etiam Capitolium ornauit porticibus ad tẽpus extructis, in quibus abundante rerum copia, pars apparatus

visum esse, [c] qui etiam in munere gladiatorio, forum Romanum & viam sacram in cliuum vsque Capitolinum linteis contexit. [d] Apud Lacedæmonios verò in omni commissione ludorum, regum erant loca præcipua, quibus vt inter spectandum cuique liceret inuiti, priuilegium datum est. Athenis si peregrinus publicis ludis in theatro saltaret, mille drachmarum pœna mulctabatur. [e] Qua etiam Othonis lege decoctoribus, qui fortunæ naufragio, non suo vitio decoxissent, certus in theatro locus constitutus erat, [f] sicut viatoribus tribunitiis, vt eorum quoque vera & salubris ratio haberetur. His quoque qui artem ludicram exercuissent, ne in quatuordecim sederent, eadem lege cauebatur. Qui verò quæstum sui corporis fecissent, quique vilitate & gula aut luxuria se authorassent, vel ære obligassent, à theatro arcebantur penitus. Quod Athenis quoque statutum ferunt, vt qui multis flagitiis dedecoratus, aut nota turpitudinis nefariæ insignis foret, à suggestis & ludis arceretur: idque adeò procaciter seruarum est, vt præfecti subselliorum per cuneos dispositi, à subselliis, in quibus immeriti sedebant, quibus equester non fuisset census, vi spectatores deiicerent. [g] C. tamen Gracchum accepimus, cum animaduertisset contra instituta maiorum, patriciis & plebeiis loca spectaculorum mercede locari nullo delectu, accitis operariis & fabris illa fuisse demolitum. Solitósque Romanos Principes, ob multa in rempublicam merita, [h] Massiliensibus, [i] exterarúmque gentium legatis ab vltimis oris, locum inter senatores spectandi, pro insigni munere largiri: in quo proditur memoriæ de Germanis lepidè factum, qui cùm alios de Romanis benemeritos in senatorum subselliis spectassent, ne inferiores officio viderentur, ipsos non admissos, sua sponte subsellia adiisse, & vnà consedisse. [k] Contrà verò L. Flaminium Q. Fratrem, cum senatu motus, in commissione ludorum humilis & despectus extrema in parte sederet, populus vniuersus ob fratris egregia facinora reuocauit, & inter consularia subsellia admisit. [l] Idem tamen Massilienses tam seueræ disciplinæ fuere, vt nullum aditum iuuentuti in scenam vel theatrum darent, quòd essent morum corruptela, ne per obscœnos motus iuuenes impudicitia lasciuirent. [m] Augustus verò Cæsar milites atque equites ita discreuit à populo, vt eos qui bellis ciuilibus attrito patrimonio, equestrem censum non haberent, si tamen ipsis aut parentibus antea fuissent, in quatuordecim spectare permitteret, edicto legis non obstante: [o] qui etiam cuneum suum prætex-

Peregrino Athenis saltare in theatro non licebat. A theatris arciti.

Romani autem viris in suum in spectaculis dabant.

Massilienses iuuenes in scenam vel theatrum non admisere.

ANNOTATIONES.

paratus exponeretur. Verùm id est Plin. lib. 31. c. 3. cuius hæc sunt verba, Cæsar, qui postea Dictator fuit, primus in Ædilitate munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo vsus est, ferásq; argenteis vasis incessere tum primùm visum.

c *Qui etiam in munere gladiatorio.*] Plinius lib. 19. c. 1. ad finem. Mox Cæsar Dictator totum forum Romanum intexit, viámque sacram à domo sua ad cliuum vsque Capitolinum, quod munere gladiatorio mirabilius visum tradunt. Dion Historicus in Iulio Cæsare, Porrò autem magnificentissimi apparatus argumentum est, quòd ne sol spectatoribus molestus esset, peripetasmata sericæ suprà extensa fuerunt: qui panni facti primò ad barbarorum voluptatem, ab illis ad nos ad muliebres delicias fuerunt importati.

p *Apud Lacedæmonios.*] Herodotus Halicarnasseus in Erato, qui 6. liber est, Quoties aliqua publica visceratio fit, primi in cœna Reges discumbant, & iis primis distribui incipiat vtrique eorum duplum omnium, & in spectaculis singulorum certaminum certis locis præsideant.

e *Qua etiam Othonis lege.*] Tullius Philippica 2. Illud tamen audaciæ tuæ, quòd sedisti in 14. ordinibus, cùm esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus: quamuis quis fortunæ vitio, non suo, decoxisset. Spartianus de constitutionibus Adriani Principis loquens, Decoctores, inquit, bonorum suorum, si suæ auctoritatis essent, catamidiari in amphitheatro & dimitti iussit: id est, deridendos per theatrum præberi.

f *Sicut viatoribus Tribunitiis.*] Tacitus lib. 16. Liberto & accusatori operæ, locus inter viatores tribunitios datur.

g *C. tamen Gracchum.*] Plutarchus in eius vita, Cum esset populus gladiatores in foro spectaturus, plerique magistratuum pulpita ad spectandum circa forum extruxerant, eaque mercede locabant. Hæc eos amoliri Gracchus iussit.

h *Massiliensibus.*] Iustinus lib. 43. Ob quod meritum & immunitas illis decreta, & locus spectaculorum in senatu datus, & fœdus æquo iure percussum.

i *Exterarúmque gentium*]. Hæc vsque ad versic. Contrà verò. sunt Cor. Taciti lib. 13. non procul à fi. vbi de Frisiorum legatis loquitur, cuius hæc verba sunt, Profectique Romam, dum aliis curis intentum Neronem operiuntur, inter ea, quæ Barbaria ostentantur, intrauêre Pompeij theatrum, quò magnitudinem populi viserent. Illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur) dum consessum caueæ, discrimina ordinum, qui eques, vbi Senatus percunctantur, aduertere quosdam cultu externo in sedibus Senatorum: & quinam forent rogitantes, postquam audiuerant, earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute & amicitia Romana præcellerent, *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse*, exclamant, degrediunturque & inter patres considunt: quod comiter à visentibus exceptum, quasi impetus antiqui, & bona æmulatio.

k *Contrà verò L. Flaminium.*] Valerius Maximus lib. 4. c. 5. post princ. scribens de pop. Romani verecundia, & L. Flaminio Senatu moto à Catone ob scorti amores, propter quos captiuum Gallum, aut propria manu confoderat, aut turpiter feriri iusserat, L. Flaminibus, xit, extrema in parte theathri constitit, qui à M. Catone & Flacco Censoribus senatu motus fuerat, consulatus iam honore defunctus, frater etiam T. Flaminij Macedoniæ, Philippíque victoris: omnes enim eum transire in locum dignitati suæ debitum coëgerunt. Plutarch. in T. Flaminio, Cùm ludi publicè spectarentur, & Patres conscripti digniori de more sedissent ordine, L. Flaminius in extremo theatri sede abiectus humilisque conspectus, populi in se misericordiam commouit. Mox itaque populus id acerbis ferens oculis, crebris eum clamoribus superiorem in partem transire coëgit, quem e vestigio Consulares inter se viri sessum receperunt.

l *Idem tamen Massilienses.*] Valerius Maxi. lib. 2. c. 1 Eadem ciuitas (de Massiliensibus loquitur) seueritatis custos acerrima est, nullum aditum in scenam mimis dando, quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus; ne talia spectandi consuetudo, etiam imitandi licentiam sumat.

m *Augustus verò.*] Suetonius in vita illius, cap. 40. Quum autem plerique equitum, attrito bellis ciuilibus patrimonio, spectare ludos è quatuordecim non auderent metu pœnæ theatralis, pronunciauit non teneri ea, quibus ipsis, parentibúsue equester census vnquam fuisset.

n *Qui etiam cuneum suum.*] Hæc vsque ad verba, Mox Tiberius, sunt eiusdem Sueton, in Augusto, cap. 44.

Matrona ab athletarum spectaculis reiecta. Vestales. Nero. Domitianus. Alexander. Cæsarum constitutum.

tatis & pædagogis assignauit: fœminas quoque, quæ promiscuæ anteà assuerant, nisi ex superiore loco spectare iussit, adeo vt summa theatri deinceps solis matronis paterent: licet ab athletarum spectaculis noua constitutione omnem muliebrem sexum postea abdicaret. Virginibus verò vestalibus contra prætoris tribunal locum dedit. Vtque senatoribus quoties quid spectandum publicè ederetur, primus subselliorum ordo vacaret, cauit edicto. [o] Mox Tiberius spectantium immodestiam exilio mulctauit: & quum confusis nihilominus ordinibus, & sine discrimine personarum spectarent, [p] Claudius Cæsar senatoribus loca restituit. Nero verò equitum subsellia sedibus plebeiorum, & inconditæ turbæ præposuit, ne equester ordo à plebe vulgari & sordidis hominibus indistinctus foret. [q] Quod & Domitianus sequutis temporibus renouata lege theatrali, penè obliterata, iterum fecisse dicitur. [r] Alexander autem Macedo militibus qui secum militiam meruissent, post emerita stipendia, priores sedes in theatro, vtque coronati spectarent, pro munere largitus fuit. [s] Erátque constitutum Cæsarum temporibus, vt statio cohortis ludis assideret, vt theatralem licentiam cohiberent: & si quid turbarum aut maioris tumultus ingrueret, præsto forent. [t] Quam Nero Cæsar diuouit, quò maior species libertatis foret, & plebs modestiæ experimentum sua sponte daret. Illud sine controuersia conuenit, adeò post temporum curricula degenerasse Romanos & census æstimatione ferri solitos, vt non solùm ad implendas equitis facultates, [u] non minus millibus quadringentis opus esse ducerent, [x] sed ad Decurionatum nullos, nisi quibus centum millium nummûm census fuisset, promouendos putarent. [y] Qui quidem decurionatus, & domi & foris magistratus præcipuus fuit. Namque erat [z] decurio cubiculariorum præfectus, [a] & municipalis: tum ille [b] qui decem equitum turmis præfectus militabat, Decurio dictus est. [c] Fuitque Pomponij opinio, eos etiam qui in Senatum & concilium publicum adsciti fuerant, cum coloniæ deducebantur, quasi Principes coloniæ, quæ pars decima colonorum erat, decurionum numero censeri.

Romani degenerarunt. Decurio.

ANNOTATIONES.

o *Mox Tiberius*] Suetonius in eius vita, c. 35.

p *Claudius Cæsar.*] Suetonius in vita illius, c. 21. Circensibus loca equiti secreta à cæteris tribuit. Tacitus lib. 15.

q *Quod & Domitianus.*] Suetonius in vita illius, c. 8. Suscepta morum correctione, licentiam theatralem promiscuè in equite spectandi inhibuit.

r *Alexander autem Macedo.*] Curtius lib. 10. Eis deinde, inquit, nunc modestè insularis, nunc comiter appellatis, complures bello inutiles exauthorauit, magnificentissimeque donatos dimisit. Scribens quoque ad Antipatrum, Macedoniæ præfectum, eis ad spectanda certamina priores in theatro sedes assignari, coronatósque sedere iussit.

s *Erátque constitutum Cæsarum temporibus.*] Quod ex iis quæ sequuntur, patet.

t *Quam Nero Cæsar diuouit.*] Tacit. lib. 14.

u *Non minùs millibus quadringentis.*] Quod & nos suprà diximus & dicemus in seq. ex Plinio.

x *Sed ad Decurionatum.*] Plinius Iunior epistolarum libr. epistu. 19. incip. Municeps meus. Esse autem ibi centum millium censum, satis indicat quod apud nos Decurio est. Igitur vt te non Decurione solùm, verumetiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equitis facultates 300. millia nummum. Et nescio an alibi reperies de censu Decurionum.

y *Qui quidem Decurionatus.*] Quod in sequentibus dicetur.

z *Decurio cubiculariorum.*] Suetonius in Domitiano, c. 15. vbi loquitur de Saturio Decurione Cubiculariorum. Et is fortè est quem Ammianus Marcellinus lib. 20. vocat Decurionem Palatij; Sed cùm ad latebras, inquit, secessisset occultas, accidentium varietate perterritus Iulianus, aliquis Palatij Decurio, qui ordo est dignitatis, pleniore gradu signa Petulantium ingressus atque Celtarum, Facinus indignum turbulentè exclamat. Palatij Decurio dictus est is qui præpositus erat Palatio.

a *Et Municipalis.*] De quo titulus est ff. & C. de Decurionibus. Is autem apud nonnullos de causis capitalibus cognoscebat, vt intelliges ex Apuleio lib. 10. Meta. Nec in stabulo, sed in domo cuiusdam Decurionis diuertimus: statimque me commendato cuidam seruulo, ipse ad præpositum suum qui mille armatorum ducatum sustinebat, sollicitè proficiscitor. Vbi Beroald. interpres, Potest, ait, etiam accipi pro Senatore municipali. Etenim in municipiis dicitur Decurio: modò verò Decurionem accipe pro turmæ equitum præfecto. Cicero in Orat. pro Sextio loquitur de Decurionibus Capuæ. De Decurionibus scribit Pomponius in lib. pupillus est, de verb. sig. Valla lib. 6. c. 32.

b *Qui decem equitum turmis.*] Sed & decem equitibus, vt scribit Pompeius lib. 4. & qui item præest vni turmæ equitum, quæ 32. equitus habet, vt tradit Vegetius de Re militari lib. 2. c. 14. Varro ante hos lib. 1. aut aliorum computa. 4 de ling. Latina, Turma, inquit, Terma est: Et in V abiit, quòd terdeni equites ex tribus tribubus Titiensium, Ramnium, & Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum Decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis, sunt etiam nunc terni.

c *Fuitque Pomponij opinio.*] Scilicet Iurisconsulti in d. l. pupillus est. §. Decuriones. ff. de verb. significat. Decuriones quidam dictos aiunt ex eo, quòd initio cùm coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducerentur, consilij publici gratia conscribi solita sit. Alciat. in d. l. de Decurionibus amplissimè disserit.

Quid apud Scæuolam Iurisconsultum sit hierosiarchus, & quid sit calix diatretus.

CAPVT XVII.

l. annua, §. Attilia. ff.

HESTERNO die inter duos iurisperitos, vesanos an furiosos verò magis nomine censendos, nescio, clamosa disceptatio, & animosa contentio fuit, quid sibi vellet [a] Scæuola de legatis annuis, qui censuit. quod si testator ex redditu cœnaculi & horrei [b] hierosiarcho & libertis qui in templo illo erunt, decē annua reliquisset, non ipsius modò, sed & successoribus

ANNOTATIONES. IN CAP. XVII.

a SCæuola.] In l. Annua his verbis. §. Attia fideicommissum, ff. de annuis legatis.

b *Hierosiarcho.*] In ea l. non Hierosiarcho, sed hierophylaci: cùm in cæteris codicibus, qui extant, tum in Pandectis

legatum videri. Quid esset hierosiarchus, ab altero exquirebatur. Cúmque nugator ille vultu & voce immodesta sacellum esse diceret, vel locum diuino cultui destinatum, & pleráque nugalia ex authoritate interpretis effunderet: alter qui non minus insipiens & delirus erat, quonam modo successor sacello dari posset, edoceri postulabat, cum Iureconsultus hominem signare videatur, non locum. Ille autem cum insolentius & audacius eódem se volueret, & iam non disceptatione, sed petulantissimis verbis vociferarentur tanto tumultu, vt vix manibus temperarent, tandem cum multum fuissent innicem debacchati, sedato clamore, & contentione deposita, me, qui ad hos tumultus forte incideram, velut communem arbitrum appellarunt. Dixi ego falsa illos duci opinione, qui hierosiarchum locum dicerent: aut sacellum: sed eum dici conuenire, qui præpositus rebus sacris fuisset, quasi princeps sacrorum, ἀπὸ τ͂ ἱερῦ, quod est sacrum, ϗ ἀρχῆ quod princeps, quasi sacrarum rerum & sacerdotij caput, quod pontificis maximi proprium esse conuenit, ἱερεὺς enim sacerdos vocatur, cuius diuinarum rerum cura & procuratio est. Eum Græci ἀρχιερέα dicunt, quod idem plane significat. Quippe sacris præsunt cæremoniis, prædictionibúsque deorum multiplici nomine censentur: namque [c] hierophantas aliquos, † alios hierodidascalos, nonnullos [d] hieronomos, plerosque [e] hierophylaces, [f] aut nomophylaces, qui frequentes erant, appellarunt, [g] aut stephephoros qui flaminum, [h] vel oronopolos, qui augurum loco fuere. Etiam quæsiuere ex me, quis esset calix diatretus vt explicarem, [i] de quo Vlpianum legem Aquiliam interpretatum, mentionem facere aiebant. Dixi ego quantum comminisci potui, diatretum calicem dici (vt Suidas interpretatur) vas torno politum & detornatum, cuius generis frequentia apud veteres fuere: tametsi diarectum nonnulli dici putent, quod (authore Festo) per antiphrasim malum diem significat, qui sensus haud dubiè absonus foret atque impertinens. Censuit verò Vlpianus, quòd si calicem diatretum, hoc est, torno expolitum, artifici reficiendum aut aptandum dederit, si imperitia effractus foret, damni iniuria teneri qui suscepit: si verò quòd rimas habebat vitiosas, fuerit excusatus, artificem non teneri Aquilia, nisi periculo suo se facturum conuenisset: tunc enim ex locato agi oportere, Aquilia agi non posse.

Hierosiarchus.

L. si seruus seruum § si calicem diatretum.

Calix diatretus.

Diarectum.

ANNOTATIONES.

Florentiois, vnde magis miror, quòd Alexander hîc Hierosiarcho legit. Præsertim quòd vix id nomen alibi reperies. Est autem Hierophylax, cuius mentio fit in d.l. annoa. §. Artia, sacrarum rerum custos, quia ἱερὸς, ὁ, prima syllaba communi dicitur, sacer, diuinus, sanctus, sacrosanctus, & φύλαξ custos, vigil, asseruator, quem Latini Æditimum & Æditnum, id est, sacræ ædis tutorem, sine curam gerentem ab ædibus sacris, quas tuetur, vocant.

c *Hierophantas.*] Apud Plutarchum in Numa, Philostratum de vita Apollonij lib. 4. cap. 6. vbi sic scribit, Verùm sacrorum antistes, quem illi hierophantam appellant, illum sacris admittere noluit: asserens nunquam se initiaturum esse hominem incantatorem & dæmonibus non liberum. D. Hieronymus de Monogamia ad Geruntiam, & contra Iouinianum. In quem locum annotauit Erasm. Hierophantas non propriè dici sacerdotes, sed sacrorum custodes, quos Latinè vocamus æditues, sic dicti sunt, siue ab eo quòd sacra ostenderent, siue quòd sacris vescerentur cibis. Dionysius Halicarnasseus lib. 2. de maximis apud Rom. sacerdotibus loquens, sic ait, Id genus sacerdotes, siue sacri doctores, siue sacrarum legum consulti, siue sacrorum custodes, rectè dicendi sunt, ego Hierophantas nostris appellari dixerim.

† *Alios Hierodidascalos.*] Id est, sacrorum professores.

d *Nonnullos Hieronomos.*] Id est, sacræ disciplinæ & institutionis magistros & exactores, de quibus Budæus in Asse, libr. 4.

e *Plerosque Hierophylaces.*] De quibus diximus supra in verbo, Hierosiarcho.

f *Nomophylaces.*] Pollux lib. 8. Nomophylaces, id est, legum custodes strophio candido redimiti sunt. In concionibus præsidibus assident, intercedentes siquid quod è repobl. non sit, sciscatur. Hi numero x 2. erant, legúmque custodiam habebant, ac magistratus omnia ex legum præscripto agere cogebant, hominúmque facta ad leges reuocabant. Sic Rhadamantus in vrbe, Talos in agris iuxta Platonem in eo libro, qui Minos, vel de lege inscribitur, Νομοφύλακες fuerunt, tales ferè erant quales Triûmuiri Romæ. Budæ. in Pand tit. de offic. præfec. prætorio. Plato Epist 8 vult in rep. esse quinque & triginta bello & paci præfectos, legum obseruatores & custodes. De Nomophylacibus sic Columella lib. 12. cap. 2. ad finem, scribit, Quod etiam in bene moratis ciuitatibus semper est obseruatum, quarum primoribus, atque optimatibus, non satis visum est bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos ciues creassent, quos Græci νομοφύλακας appellant. Horum erat officium, eos, qui legibus parerent, laudibus prosequi, nec minus honoribus: eos autem, qui non parerent, pœna mulctare. Quod nunc scilicet faciunt magistratus assidua iurisdictione vim legum custodientes. Cicero lib. 3. de Legibus, Legum, inquit, custodiam nullam habemus. Itaque hæ leges sunt, quas apparitores nostri volunt: à librariis petimus: publicis literis consignatam memoriam publicam nullam habemus. Græci hoc diligentius, apud quos Nomophylaces creantur.

g *Aut stephephoros.*] Sterophoros legendum: nam sic Græci Flamines vocant.

h *Vel Oronopolos.*] Nec id quid sit, nec vnde accepit, scio.

i *De quo Vlpianum.*] In l. si seruus seruum. §. si calicem diatretum, vt hic in margine annotauit vir certè doctissimus familiaris meus Ioannes Fetterius Pedemontanus. Quid autem sit calix diatretus, de quo ibi loquitur Vlpianus, explicat Budæus in Annotationibus eius loci. Cælius Rhodiginus lib. 27. c. 27. & de his diatretis fit mentio à Martiale lib. Epigrammaton 12. epig. 71.

O quantum diatreta valent & quinque comati!
Tunc cum pauper erat, non sitiebat Aper.

Hincque Diatretarij horum calicum artifices in lib. 1. C. de excusat. artif. lib. 10.

In quo

In quo discretus ordo plebeius à patricio fuerit, & in quo patricius à senatorio, quódve discrimen in vestibus apud diuersas gentes. CAPVT XVIII.

Ro. in duos ordines diuisit. Patriciorum artes. Plebeiorum. Aduenarum. Quæstus, Romanis contemptus. Theseus. Hippodamus. Athenienses. Thespienses. Nobiles qui. Scytha,

ROMVLVM [a] vrbis authorem in duos ordines populum diuisisse, plebeium scilicet & senatorum, illorúmque progeniem patricios seu optimates, exemplo Atheniensium, quos εὐπατρίδας vocant: humiliores verò & inopem vulgum, plebeios nuncupasse: [b] hisque ingenuas artes reliquisse, videlicet patriciis militiam & magistratus gerere, sacra facere, ius dicere, publica & vrbana negotia administrare: plebeiis autem militiam, & agrorum curam, pecorísque depascendi, reliquásque ingenuas artes demandasse, satis constat: mercaturam, sordidas pudendásque artes, vt popinariam, & quæ manuales sunt, ad vsum mortalitatis, aduenis, & his qui recens aduenerant, delegasse: Romanos verò seruile ministerium & laboriosa negotia exercere noluisse, quibus omnem quęstum sordidum interdixit: nam quæstus omnis patribus indecorus visus. Quod Theseum in Athenarum institutione, & Hippodamum Milesium in constituẽdo optimo reipublicæ statu aliósque vrbium conditores fecisse, vt secreti ciuium ordines, & ingenua officia à seruilibus distincta forent, plerique literis adnotarunt, hi enim remp. in triplicis status, qualitatísve homines diuisere. [c] Ion verò Athenas in quatuor distinxit ordines: nam ex ciuibus quosdam agricolas, alios opifices designauit, nonnullos sacris, reliquos vrbi præfecit. Thespienses autem in duo diuisi sunt genera, opifices & nobilitatem: [d] qui adeo sordidas artes & omnem quæstum aduersati fuere, vt ministerium aliquod didicisse, vel aruo studuisse, polluere nobilitatem crederent: itaque illorum paupertas maximè insignis fuit. [e] Denique Ægyptij, Græci, Scythæ, Persæ & Lydi, omnes qui artificio incumberent, pro ignobilibus ducebant: qui verò militiæ, generosos. [f] Scythis quoque & † Thracibus, qui in otio degunt, honestissimi habentur, qui pru-

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

a ROmulum vrbis authorem.] Totum id principium vsque ad ea verba, Ion verò Athenas, sunt partim ex Diony. Halicarnassæo lib. 2. cuius hæc verba sunt, Ita distributo per tribus atque curias populo, agro quoque in triginta sortes æquales diuiso, singulas curias sortiri iussit, excepto prius quantum in ministerium sacrorum ac templorum sufficeret, & quadam parte, quæ esset iuris publici. Atque hæc fuit vna diuisio tam virorum, quàm agrorum, in qua Rex summam æqualitatem obseruasse visus est. Nũc alteram dicturus sum virorum duntaxat, quæ ad subditorum curam, honores ac dignitates pertinet. Illustres genere & virtute celebres, opibúsque, vt tum ferebant tempora, abundantes, quibus essent liberi, secreuit ab obscuris, egenis & humilibus. Inferioris fortunæ homines, Plebeios vocauit. hi Græcis sunt δημοτικοὶ: potiores verò, Patres, siue quòd ætate anteirent alios, siue quòd haberent liberos, siue propter nobilitatem generis, siue propter hæc omnia, exemplo, vt videtur, ab Atheniensium repub. sumpto, quæ florebat illo tempore. Hi enim, bifariam distributa multitudine, Patricios appellabant ex illustribus familiis, & pollentes opibus, penes quos fuit ciuitatis reginem: cæteros ciues Rusticos, quibus nullum erat in repub. suffragium: licet tandem hi quoque ad magistratus gerendos admissi sunt. Principium, inquam, id partim est ex Plutarcho in Theseo, sic enim scribit, Haud tamen confusum populum & indigestum ob multitudinem quæ nullo delectu, ac discrimine in vrbem confluerat, contemnendum putauit: verùm primus nobiles, quos εὐπατρίδας ipse vocauit, seiunxit tum agricolas & artifices. Nobilibus quidem tractandi rem diuinam, magistratus ex suo ordine creandi, administrandique leges, tum pia religiosáque interpretandi, definiendique potestatem fecit, eósque cum cæteris ciuibus quasi ad æqualitatem redegit, cùm honore quidem & gloria nobilitas, vsu verò ac necessitate agricolæ, multitudine verò artifices superare viderentur.

b *Hisque ingenuas artes*] Halicarnasseus d. lib. 2. ad ea, quæ suprà adduximus, hæc paulò pòst subiungit, Romulus porrò postquam discreuit potiores, ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit quid vtrisque faciendum: Vt Patricij sacra curarent, magistratus gererent, ius redderent, secum rempub. administrarent, res vrbanas obirent: Plebeij verò ab his negotiis immunes, quippe qui talium imperiti essent, nec vacaret eis propter inopiam, agros colerent, pecora alerent, exercerent quæstuosa opificia, ne seditiones orirentur, sicut in aliis ciuitatibus, dum humiliores protruduntur subito è potentioribus, aut egeni ac viles excellentioribus inuident. Commendauit autem patriciis plebeios, optione cuique è vulgo data, vt quem vellet patronum, sibi legeret.

c *Ion verò Athenas.*] Strabo libr. Geographiæ 8. sic scribit, Ion superatis Eumolpi commilitonibus Thracibus, tantum famæ ludisque consequutus est, vt Athenienses illi reipublicæ gubernacula committerent. Qui primum quidem omnium multitudinem quaternas diuisit in tribus, dehinc in quatuor degendæ vitæ vias, quosdam enim agricultores designauit, alios opifices, aliquos sacrorum faciendorum curæ præfecit, nonnullos ciuitatis custodes.

d *Qui adeò sordidas artes.*] Heraclides in Politiis in fi. Cælius lib. 22. c. 48. eodémque vltim. in fine eadem scribit quæ Alexander, sed nullũ citat authorem: Apud Thespienses, inquit, turpe censebatur artem didicisse, vel aruo studuisse: propterea illorum paupertas, tum frequens, tum insignis præcipuè.

e *Denique Ægyptij.*] De his quoque Herodotus libr. 2. Ægyptij, inquit, ex omnibus hominibus, atque ex omnibus Ægyptiis, maximè illaboratum percipiunt fructum, qui neque proscindendis aratro sulcis, neque subigendo solo, neque quidam aliud exercendo eorum, qui in aruis colendis, cæteri mortales laborem tolerant: sed postquam fluuius sua sponte superueniens irrigauit rura, & rursus irrigata deseruit, tunc in suum quisque rus, iacto semine, sues mittit, conculcatóque à suibus semine, messem deinde expectat, atque vbi suibus semen versauerit, ita demum frumentum percipit.

f *Scythis quoque.*] Iustinus lib. 2. de Scythis loquens, Hominibus, inquit, inter se fines nulli: neque enim agrum exercent, nec domus illis vlla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Vxores liberósque secum in plaustris vehunt: quibus, coriis imbrium hyemísque causa tectis, pro domibus vtuntur. Iustitia gentis ingeniis culta non legibus. Aurum & argentum perinde aspernantur, ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle vescuntur. Lanæ his vsus ac vestium ignotus. Hæc continentia illis morum quoque iustitiam dedit, nihil alienum concupiscentibus, &c. Strabo lib. 15. scribit Indos (qui Scytharum moribus vtuntur, vt 8. lib. scribit Arrianus in Alexandro) ætati senum prærogatiuam nullam tribuere, ni prudentia excellant.

† *Et Thracibus.*] Herodotus lib. 5. post princip. Otiosum, inquit,

dentia & authoritate anteibant cæteris.[g] Arabes autem illorum politiam trifariam diuisere, cx quibus sacerdotes primi sunt, his addunt artifices, secundum agricolæ, tertium milites tenent locum. Quam institutionem ab Ægyptiis otiundam, multi in formandis vrbibus & moribus instituendis sectati fuere.[h] Quibus verò rebus patricij à plebe secernebantur, pluribus exemplis perspectum est, siquidem patricij, & qui nobilitate præstant, quique honestè geniti & liberaliter educati erant,[i] bullam in pectore,[k] lunulas in pedibus habebant. erant enim fibulæ eburneæ corniculantes instar lunæ. Quod à Numa institutum ferunt, vt senatores, corúmque posteri nigris calceis lunas annecterent.[l] Ab Arcadibus deductum, vt se proselenos designarent, velut amplissimum testimonium nobilitatis ferrent, quippe in calceis senatorum lunam adscripsisse, centenum numerum designauit, quo tunc senatores continebantur. Ea enim bulla, aurea fuisse traditur,[m] figuram cordis habens, qua etiam obsignasse dicuntur veteres:[n] cum plebeij & libertini scorteo loro munirentur: quam quidem pueri ingenui,[o] & illorum qui equo meruissent, filij, ad pubertatem vsque[p] vnà cum prætexta induebant:[q] illámque exacta pueritia, solenni festo Laribus suspendebant: sicut Romanæ puellæ, puellare rudimentum,[r] puppas Veneri Argiuæ: & maturæ viro compositum capillum Palladi,[s] Trœzene verò puellæ Hippolyto

Arabes. Patriciorum à plebeiis distinctio. Arcades proseleni. Bulla. Bullam Laribus suspendebant. Puellæ puppas Veneri, & crinem Palladi offerebant.

ANNOTATIONES.

inquit, esse pro honestissimo habetur. Agricolatorem verò pro contemptissimo. Et è bello atque rapto viuere pulcherrimum. Atque hi quidem sunt eorum insignissimi mores. Sed adde quòd & Lacedæmoniis Lycurgus abundantiam otij instituisse visus est: Nam & sordidam artem exercere prorsus non licebat, vt tradit Plutarchus in eorum institutis.

g *Arabes autem.*] Diodorus Siculus lib. 6. c. 10. sic scribit, Politia eorum trifariam partita est. Primum locum sacerdotes tenent, quibus adduntur artifices. Secundum agricolæ habent. Tertium milites, quibus pastores adiiciuntur. Sacerdotes omnium sunt duces: quibus & controuersiarum iudicia, & publicarum rerum arbitria permissa sunt. Rustici agros colunt, fructus omnes in commune conferentes. Pastores tum ea quæ ad sacra pertinent, tum reliqua in publicum, alia numero, pondere, alia cum omni serunt diligentia. Nil enim priuatum cuiusdam est, domo atque orto exceptis. Milites patriam armis tutantur, Sacerdotes, vltra reliquos, deliciis vacant, vitam ducentes mundam & sumptuosam. Strabo lib. 16. non adeò longè à fi. de Arabiæ diuisione sic scribit, Sed alia quadam diuisione totam felicem regionem in quinque regna partiuntur, quorum aliud bellatores, & omnium propugnatores habet: aliud agricultores, à quibus frumentum ad alios importatur: aliud eos, qui opificia & artes tractant: aliud myrrham fert: aliud thus.

h *Quibus verò rebus.*] Ad Romanos redit.

i *Bullam in pectore.*] Plinius lib. 33. c. 1. A Prisco Tarquinio omnium primo filium, cùm in prætextæ annis occidisset hostem, bulla aurea donatum constat, vnde mos bullæ durauit, vt eorum, qui equo meruissent, filij insigne id haberent, cæteri lorum. Plutarch. problem. c. 101. Asconius in 3. in Verrem actio. Simul cum prætexta bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea, quasi bullientis aquæ sinus communiens pectúsque puerile. Macrobius lib. Saturnal. 1. c. 6 Et vide in nostris Commentariis Nobilitatis cap. vlt. num. 160. incip. Suprà sæpe.

k *Lunulas in pedibus.*] Plutarchus probl. c. 76. Ratio ostendit longa disputatione, Quid est quod qui nobilitate præstare videntur, lunulas in calceis ferunt? An, vt dicit Castor, signum est eius, quæ in Luna esse dicitur habitationis, & quòd post mortem animæ sursus Lunam sub pedibus habeant. An quòd Arcades, qui cum Euandro in Italiam venerunt, Proselenes appellati, hoc est, Antelunares, eo calcei genere vtebantur. Omittò cætera quæ apud Plutarc. legi possunt. Ex quo illud Iuuenal. satyra 7.

Et nobilis & generosus
Appositam nigra Lunam subtexit aluta.

Et Statius Syluarum lib. 5 in Protreptico ad Crispinum,

—Genitum si curia sensit
Primaqué patritia clausit vestigia Luna.

Martialis Epigrammatum lib. 2

Lunata nusquam pellis & nusquam toga.

Diximus in d. Commentariis Nobilitatis vbi suprà.

l *Ab Arcadibus deductum, vt se Proselinos.*] Id est, ante lunam natos, vt diximus suprà. Id etiam tradit Seruius in lib. 8. Æneid. in enarratione illius loci;

—Arcades ipsum
Credunt esse Iouem, quum sæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra, nymbosqué cieret.

Sane, inquit, ad illud alludit, quòd primi dicuntur Ioui templa fecisse: nec enim longè sunt à monte Olympico: vnde eos dixit, Iouem vidisse, & quòd ipsi sunt Arcades προσέληνοι id est, ante Lunam creati, vt Stat. lib. 4. Thebaidos,

Arcades huic veteres, astris, Lunaqué priores
Agmine fida satis.——

Ouidius Fastorum lib. 1.

Orta prior Luna (de se creditur illi)
A magno tellus Arcade nomen habet.

Idem lib. 2.

Ante Iouem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, & Luna gens prior illa fuit.

Diximus in illis nostris Commentariis Nobilitatis cap. 19. num. 29.

m *Figuram cordis habens.*] Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 6. Nonnulli, inquit, credunt ingenuis pueris attributum, vt cordis figuram in bulla ante pectus annecterent: quam inspicientes; ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent.

n *Cum plebeij & libertini scorteo loro.*] Diximus suprà in verbo, Bullam in pectore ex Plinio, & Asconio Pædiano. Macrob. lib. 1. Satur. c. 6. sic scribit, Ex quo concessum, vt libertinorum quoque filij, qui ex iusta duntaxat matrefamilias nati fuissent, togam prætextam & lorum in collo pro bullæ decore gestarent. Ex quo illud Iuuenal. sat. 5.

Vel nodus tantùm, aut signum de paupere loro.

o *Et illorum qui equo meruissent.*] Plinius d. lib. 33. cap. 1. & Macrob. d. lib. 1. c. 6.

p *Vnà cum prætexta.*] Macrob. vbi suprà. Et Festus Pompeius lib. 2. ad fin. dum dicit, Bullam auream insigne fuisse puerorum prætextatorum, quæ dependebat eis à pectore, vt significaretur eam ætatem alterius regendam consilio.

q *Illámque exacta pueritia.*] Persius saty. 5.

Bullaqué succinctis laribus donata pependit.

Huc quoque spectat illud Horatij Sermonum lib. 1. saty. 5.

Donasset iámne cathenam
Ex voto laribus, quærebat.

Ad lares pueri generosi, inquit Porphyrio interpres, egressi pueritiæ annos, bullam auream suspendere consueuerant: sicut virgines, renunciantes virginitati, puppas deæ Veneri condonabant.

r *Puppas Veneri Argiua.* Persius saty. 2.

Nempe hoc quod Veneri donata à virgine puppa.

Nupturæ virgines, vt diximus suprà, suas puppas Veneri, vt felix faustúmque esset matrimonium, consecrabant: vt & pueri virilem togam sumpturi, bullas laribus.

s *Trœzene verò puella Hippolyto.*] Pausanias libr. 2. Apud Trœzenios, inquit, Hippolyto omni vitæ tempore sacerdos con

Sanitatis simulacrum. *Atheniensium adolescentes.* *Barba prima diis oblata.* *Romuli & Camilli statuæ.* *tunica manicata.* *Interula.* *Subucula.* *Indusio.* *Prætexta.* *Purpura.*

crinem consecrabant. [t] In Sicyonia quoque ὑγιείας, hoc est Sanitatis simulacrum fuit, cui virgines crines resecare, & capillos dicare solebant. [u] Athenienses cum ex ephebis excessissent, primitias crinium Delphos deferebant: & cum antiquiores comam circa tempora, aut posteriorum crinem Apollini & fluminibus tonderent, æuo succedente Theseus anteriorem capillum Delphis dedicauit, vnde Theseis tonsura prodita est: cuius exemplo iuuenes cum primùm ex ephebis excessissent, anteriorem comam Phœbo & Æsculapio aut Libero obtulere primitias: [x] postea Romani adolescentes magnæ indolis, primæ lanuginis barbam diis consecrare vsurparunt. Et quum primò Romani ciues sine tunicis sola toga amicti forent, postea substrictas breuésque tunicas citra humerum desinentes habuere. Talares verò & manicatas (quas Græci chirodotas vocant) aut discinctas induere, pro flagitio fuit, quòd erat barbaris proprium, talares ferre & manicatas tunicas. Ideò Æmylianus Pauli filius, P. Sulpitio Gallo, quòd tunicis manus totas operientibus vteretur: [y] & Cicero Verri, quòd cum talari tunica & pallio purpureo incederet, vt probrum obiectauit. [z] Quæ quidem tunica toga tegebatur, sæpius prætexta. [a] Cato verò senior cum tunica sine manicis per hiemem incessit: [b] & Iunior nudis pedibus, veste fusca & sine tunica, sola toga accinctus, in foro dicit. Idque ex vetere instituto vsurparunt, quod [c] Romuli statuæ & Camilli in Capitolio & rostris togatæ sine tunicis erant: [d] Aurelianus tamen Cæsar manicatas & albas tunicas ex prouinciis diuersis, congiarium populo dedisse fertur. [e] Fuitque is corporis habitus non munditiis cultus, sed virilis, in quo personæ decor, & multa maiestas inerat: [f] intra tunicam verò interula, quam subuculam dixere, carni proxima, æquè à viris & mulieribus nullo discrimine sumebatur. Nam postquam binas tunicas Romani habere cœperunt, [g] Varro ait interiorem instituisse vocare subuculam, & indusiam. [h] Prætextam verò supra tunicam quisque honoratus & nobilis habebat, quam quidem [i] pueri patricij aliquando purpuream induebant. Inde enim

ANNOTATIONES.

dos consecratur, ei que sacrificia persoluuntur annua. Præterea & tale quippiam faciunt, Cuilibet puellæ ante nuptias coma detondetur, templóque illatam ipsi detonsa dedicat.

t *In Sicyonia.*] Pausanias in Corinthiacis de Sicyoniorum templis & simulachris loquens, Eodem, inquit, fermè habitu est Hygeæ signum, neque enim illud facilè conspicias: Velatum enim vndecunque est, partim comis, quas deæ mulieres detonderunt, partim verò Babyloniæ vestis laciniis: qua verò cumque te litare quis voluerit, eadem traditum est, illud etiam numen placari, cui est Hygeæ nomen (valetudinem bonam appellamus) Alexandri verò & Euamerioni, sua enim & ipsis signa sunt.

u *Athenienses cùm ex ephebis.*] Super his vsque ad ea verba, Posteà Romani, vide omnino quæ scripsi in Commentariis Primigeniorum in præfat.

x *Posteà Romani.*] Suetonius in Nerone, cap. 12. sic scribit, Gymnico, quod in septis edebat, inter Buthysiæ apparatum, barbam primam posuit, conditum in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Capitolio consecrauit. Martialis libr. 1. epigram. 88. vbi Encolpus, Auli Pudentis Centurionis puer, Phœbo consecrat comam,

Hos tibi, Phœbe, vouet totos à vertice crines.
Encolpus, domini Centurionis amor:
Grata Pudens meriti tulerit cùm præmia pili,
Quamprimum longas, Phœbe recide comas.

Et vide in dicta præfatione Primigenior. vbi suprà. Dion in Nerone, Post hæc celebrauit festa alterius generis, quæ dicuntur Iuuenalia: ea propter barbam eius, quæ tum primùm rasa fuerat, facta sunt: cuius pilos in sphæram auream coniectos, Ioui Capitolino consecrauit.

y *Et Cicero.*] In Verrem act. 6. Hoc in Verre reprehendit, quòd Imperator populi Roma. qui cæsis victimis paludatus ex vrbe exisset, in prouincia sua non modò sine paludamento: sed etiam cum tunica pulla, quæ infimæ plebis & artificum propria est, in publicum prodiret. Valerius Maximus lib. 1. c. 6. in mali ominis numero posuit, quòd M Crasso, qui à Parthis cæsus est, pullum paludamentum sit traditum, cùm in prælium exeuntibus album aut purpureum dari soleret.

z *Quæ quidem tunica*] Budæus in l. vlt. de Senator. Tunica autem, inquit, vestis est, cui toga superinduitur: nostri sericum vel setam vocant lingua vernacula. citátque Quintil. lib. 11. c. vlt. Nonius Marcellus vbi de generibus vestimentorum, Prætexta, ait, insigne Rom. quod supra tunicas honorati quique sumunt.

a *Cato vero senior.*] Plutarchus in Catone Censorio, Cùm autem, inquit, domum reuerteretur, hyeme quidem tunica, demptis manicis indutum, æstate verò nudum, labore cum seruis certare, quibus cum sedere solitum, eodem pane, eodémque vino vesci.

b *Et Iunior.*] Plutarchus Catonis Vticensis laborum tolerantiam describens, Omnibus, inquit, ætatis suæ moribus se opposuit, vtpote improbis & à quibus contraria via eundum censebant. Itaque cùm cæteris hominibus purpuream vestem saturatam murice, atque rutili coloris placere videret, ipse fuscam gerebat: interdum verò nudis, pedibus & absque tunica in publicum prodibat, non gloriam aliquam ex hac nouitate captans, sed seipsum assuefaciens obscœnis rebus duntaxat erubescere: cætera verò, vt ignobilia, aspernari.

c *Romuli statua & Camilli.*] Plinius lib. 34. c. 6.

d *Aurelianus.*] Fla. Vopiscus in vita illius, ad fi. sic scribit, Sciendum tamen, congiaria illum ter dedisse: donasse etiam pop. Romano tunicas albas manicatas ex diuersis prouinciis, & lineas Afras atque Ægyptias puras.

e *Fuitque is corporis habitus.*] Vopiscus in eodem Aureliano.

f *Intra tunicam verò interula.*] Vide omnino nostras leges Connubiales glos. lib. 3. inter ornamenta muliebria, vbi de interula, atque etiam de subucula loquor.

g *Varro.*] Lib. 1. de vita populi Romani, vbi illum citat Nonius Marcellus in generibus vestimentorum.

h *Prætextam verò.*] Asconius Pædianus in 3. in Verrem actione, sic scribit, Prætextam fuisse honestiorum, togam viliorum: communem etiam fuisse habitum & marium & fœminarum. Fuisse quoque Regum docet Plinius lib. 8. c. 48. & prætorum. Plutarchus in Pompeio dum dicit Prætores duos Sextilium & Belinum in ipsis prætextis cum ministris lictoribúsque, ac cæteris eius magistratus insignibus, captiuos abductos fuisse. Hîc vide omnino Macrobium lib. 1. Saturnalium cap. 6. vbi prætextæ originem & quomodo vsurpari cœperit à pueris, scribit.

i *Pueri patricij aliquando purpuream.*] Nam soli patricij purpura vtebantur, vt scribit Plinius lib. 9. c. 36. Distinguit ab equite curiam, diis aduocatur placandis, omnémque vestem illuminat, in triumphali miscetur auro. Sed de hoc vide, quæ scripsi in Commentariis Nobilitatis, c. 37. eodémque vlt. num. 160. incip. Suprà sæpe.

prima commendatio ineuntis ætatis, & specimen virtutis haberi cœptum. k Libertinis autem & peregrinis, cum quibus nulla esset necessitudo, aut coniunctio sanguinis, prætexta vti olim non licebat: post aliquot verò tempora, vt libertinorum filij illa vterentur, vsus obtinuit. l Quam quidem purpuram magno honori patriciis fuisse accepimus. Erat enim pro maiestate in pueritia, maximéque patricium ordinem à plebe diuidebat: nanque patriciis Tyriæ muricis purpura dabatur, cum equester ordo & plebeins purpuram non inducerent, cuius vsum antiquissimum m Plinius notauit. Sequutis inde temporibus, ad tantum fastigium deuenit, vt n Catoni Vticensi ludos in veste purpurea spectandi facultas à senatu pro summo honoris gradu tributa sit. o Tribuno enim plebis, p vel plebeio homini purpuram inducere, nulli erat fas. Hi enim penulis breui villo, q præcipuè pluuio tempore, r aut lacerna vtebantur: quippe vestis tribuni plebis plebeiorúmque, penula plerúque fuit, s sicut sagi, t endromis, & u cuculli. x Erant enim frigoribus apti, y quibus Imperatores vti non decebat, z tametsi legamus Caligulam depictas penulas sæpe induisse. Et plebeiam purpuram distinctam à patricia in vsu fuisse: erat enim fusca & obsoleta, non murice & cocco, sed herbarum succis infecta. a Eadem verò penula senatores plerunque vsos foris inuenimus: intra vrbem verò non licuit, donec Alexander imperator dum ætati consultum voluit, vt senatores ingrauescenti ætate intra vrbem penulis vterentur, legem promulgasse dicitur, quas supra tunicam induebãt, quòd essent villi grossioris: b sicut endromis longiori villo, pinguis & crassa, in frigoribus à diuitibus vsurpata. c Quam quidem prætextam ad virilem ætatem pueros deferre licuit; d post pubertatem verò, in septimo & decimo ætatis anno, dimissa prætexta, togam induebant, e aliquando puram f niuei candoris, quæ g virilis dicta est.

Tribunorum & plebeiorũ vestes.

Purpura plebeia.

Endromis.

Toga qua ætate sumebatur.

ANNOTATIONES.

k *Libertinis autem.*] Hæc vsque ad versic. Quam quidem. sunt Macrobij, vbi nuper citauimus.

l *Quam quidem purpuram.*] Suprà in verbo, Pueri patricij aliqui

m *Plinius notauit.*] Lib. scilicet 9. cap. 39.

n *Catoni Vticensi.*] Plutarchus in vita illius.

o *Tribuno enim plebis.*] Plutarchus Proble. cap. 81. vbi quærit quare Tribunus purpuram non portat, cùm cæteri magistratus purpurati incedant. Cuius rei multas rationes subiungit, quas ille qui volet, videbit.

p *Vel plebeio.*] Iam id dictum est.

q *Præcipuè pluuio tẽpore.*] Spartianus enim in Adriano scribit, Tribunos plebis pluuiæ tempore penulis vti solere. Notum est autem illud Quintiliani lib. 6. cap 4. Galba penulam roganti respondit, Non pluit, non est opus tibi: si pluit ego vtar. Sed hic omnino vide nostras leges Conubiales, l. 3. inter vestimenta muliebria.

r *Aut lacerna.*] Vide infra in verbo, Supra quam multi lacernas.

s *Sicut sagi.*] Quid sagus sit vel sagum & quorum sit vestis, disces ex Cicer. Philipp 8. & iterum 14. Suetonio in Augusto, cap. 26. & in Othone cap. 2. & Nonio Marcello, quo loco tractat de genere vestimentorum. & vide infrà.

t *Endromis.*] De Endromide vide dict. nostras leges Conubiales, vbi suprà & infrà in verbo, Sicut endromis.

u *Cuculli.*] Vide infrà in verbo, Et cuculli.

x *Erant enim frigoribus apti.*] Ex quo illud Horatij Epistola. lib. 1. epist. 11. ad Bullatium,

Incolumi Rhodos & Mitylene pulchra facit, quod
Penula solstitio, campestre niualibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.

y *Quibus Imperatores.*] Ælius Spartianus in Adriano.

z *Tametsi legamus Caligulam.*] Suetonius in vita illius. c. 52. Sæpè, inquit, depictas, gemmatásque indutus penulas, manuleatus & armillatus in publicum processit, aliquando sericatus & cycladatus.

a *Eadem verò penula.*] Id vsque ad versic. Sicut endromis. est Lampridij in vita Alexandri Imperatoris.

b *Sicut endromis.*] Ex Martiale lib 4. epigr. 19. & vide suprà in verbo, Endromis. & infrà.

c *Quam quidem prætextam.*] Vide infrà in verbo, Quæ virilis. Pueritia ex censione Seruij Tullij 16. anno finiebatur, puerique esse existimabantur, qui minores essent annis septemdecim

d *Post pubertatem verò.*] Macrob. lib. 1. cap. 6. Ouid vide. infrà ibi, Quam festa solemnique die.

e *Aliquando puram.*] Cicero ad Atticum lib. 5. epist. 21. quæ omnium est 107. Ego cum Laodiceam venero, Q. Fratris tui filio togam puram iubebo dari. & lib. 6. episto. 1. Q. togam puram Liberalibus cogitabam dare. Et lib. 7. epistol. 8. omnium 126. Habebamus autem in manibus Antonij concionem habitam 10. Caled. In qua erat accusatio Pompeij vsque à toga pura, id est ab eius tyrocinio. Et iterum lib. 9. epistol. vltim. in princip. Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimùm, togam puram dedi. Plinius lib. 8. cap. 48. Tanaquil prima texuit rectam tunicam, qua simul cum toga pura tyrones induuntur nouæque nuptæ. Ex poëtis Catullus ad Mallium, epigr. 65.

Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est:
Iucundum quum ætas florida ver ageret.

Lucanus in principio libri septimi,

—— Pura venerabilis æquè
Quàm currus ornante toga. ——

Id est nec picta, nec triumphali, nec prætexta. Toga virilis etiam pura dicebatur, hoc est nullo purpuræ prætextu distincta.

f *Niuei candoris.*] Hinc candidus vmbo dictus est Persio satyr. 5.

Cum blandi comites, totáq; impunè Suburrà
Permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo.

Nam ibi interpretes, Vestis pura & candida, quam adolescentes tyrocinij die induebãt, quæ à forma vmbonis & clypei (qui rotundus esse solet) Vmbo dicitur. Hanc Cicero appellat togam puram. Scribit enim ad Atticum (vt iam diximus) in tyrocinio filij Ciceronis, togam illi puram dedisse Arpini. Vel vmbo vestis huiusmodi appellatur: quia sit velut vmbonis & clypei loco, aduersus acerbiores & grauiores pædagogorũ reprehensiones & castigationes: Vide Cælium Rhodiginum lib. 14. cap. 16. Sed huc spectari potest, quod Martialis togam niueam vocat lib. 1. epig. 114. ad Attalum,

Sordida cùm tibi sit, verum tamen, Attale, dicit
Quisquis te niueam dicit habere togam.

g *Quæ virilis dicta est.*] Cicero in Lælio, Horatius Car. lib. 1. Ode 36.

—— Memor
Actæ non alio Rege puertiæ,
Mutatæq; simul togæ.

Puërtiæ ibi dicit pro pueritiæ per syncopam. Nam, vt scribunt ibi interpretes, adolescentes deposita prætexta, togam accipiebant virilem. Seneca lib. epist. 1. Tenea vtique memoria quantum gaudium senseris, cum, prætexta posita, sumpsisti virilem togam, & in forum deductus es. Et de hac toga virili Liuius 3. Decadis libro 6. vbi loquitur de

[h] Eam tamen in quarto & vigesimo à multis sumptam comperimus, sæpius in decimoquinto, & sexto ac decimo, [i] quippe Augustus Octauius annorum sedecim, & [k] Caius Cæsar io vode uigesimo, [l] Nero autem [y] vix pubescens, togam virilem sumpsit ante tempus, quò maturus imperio videretur. Diuus quoque [m] Antoninus philòsuphus, & ex Cæsaribus complures, in quintodecimo virilem delumpsere togam, tunc cum præceps & lubrica iuuenum ætas videbatur. Quam supra prætextam nonnunqoam Patricij sumebant, [n] cum plebeij sine prætexta, simplici toga amicirentur: quippe toga erat plebeiorum, & infimi ordinis, prætexta honestorum & nobilium. o Quod etiã circa mulieres seruabatur. nam toga priscis seculis in vsu promiscuo tam virorum quàm mulierum, nocturnúmque ac diurnum indumentum fuit, [p] sicut palliolum & penula, postea verò illam distinxere. [q] quam festa solemníque die, amplissimo cultu & apparato magnifico probi adolescentis sumere solebant præcipuè Bacchanalibus festis mense Martio, quibus diebus sumere virilem togam in religione fuit, [r] qua signabatur liberioris vitæ pueris facultatem dari. [s] Potentiores & insignes nobilitate & honoribus, etiam purpuream cum frequenti comitatu [t] apud delubra deorum induebant, [v] indéq; in forum excepti, sulenni officio deducebantur. [x] Tenuiores etiam arctam induxere togam: nam pro opibus veteres, magnas & paruas habuerunt. [y] Clandius tamẽ Cæsar toga virili, die, sine apparatu aut solemni officio, in Capitolium deduci voluit. Supra tunicam verò vela pro togis induisse, animi fuit imbellis & eneruati. [z] Ea quidem toga cui purpura prætexebatur, illis tantùm dari assucrat quorum patres magi-

Toga vestis promiscua ad vtrúque sexu. Bacchanalibus toga virilis sumebatur. Toga arcta.

Vela pro togis.

ANNOTATIONES.

P. Cornelio Scipione, Ad hæc, inquit, iam inde ab initio præparans animos, ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius nullam publicam priuatámque rem egit, quàm in Capitolium iret. Sueton. in Augusto, cap. 94. & in Claudio, cap. 2. Lampridius in Commodo, Apuleius Apol. 2. non semel, & omnes vbique.

h *Eam tamen*, &c. Hoc probat exemplis sequentibus.

i *Quippe Augustus.*] Suetonius in vita illius, cap. 8. Quadrimus patrem amisit: duodecimum annum agens auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit. Quadriennio pòst virili toga sumpta, militaribúsque donis triumpho Cæsaris Africano donatus est: quamquam expers belli propter ætatem.

k *C. Cæsar.*] Suetonius in Caligula, c. 10. Quam defunctam prætextatus etiam tum, pro rostris laudauit: transiitque ad Antoniam auiam, & vndeuicesimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio, vno atque eodem die togam sumpsit, barbámque posuit, sine vllo honore, qualis contigerat tyrocinio fratrum eius.

l *Nero autem vix pubescens.*] Cornelius Tacitus lib. 12. T. L. Claudio Quintum, Ser. Cor. Orfito Coss. virilis toga Neroni maturata, quò capescendæ reipub. habilis videretur. Et Cæsar adulationibus Senatus cessit, vt vicesimo ætatis anno consulatum Nero iniret: atque interim designatus proconsulare imperium extra vrbem haberet, ac princeps iouentutis appellaretur.

m *Antoninus Philosophus.*] Iulius Capitolinus in vita illius, Virilem togam sumpsit quintodecimo ætatis anno, statímque ei. L. Ceionij Commodi filia desponsata est, ex Adriani voluntate. Nec multù pòst præfectus Latinarum feriarum fuit.

n *Cum plebeij.*] Id iam suprà diximus ex Asconio in 3. in Verrem act.

o *Quod etiam circa mulieres.*] Asconius vbi suprà, & Seruius in lib. 1. Æneidos, eo loco,

Romanos rerum dominos gentémque togatam.

Bene, inquit, togatam: quia omnis sexus & conditio, toga vtebatur. & Nonius Marcellus Afranij authoritate: & diximus in nostris legib. Connub. l. 3. inter vestimenta muliebria.

p *Sicut palliolum & penula.*] Vlpianus Iurisconsultus in l. vestis. §. communia sunt. ff. de auro & argento lega. scribit pallium & penulam communia esse virorum & mulierum. Verùm in § virilia sunt, eiusdem l. ponit inter virilia. Sed vide dictas nostras leges Connubiales, vbi suprà in Palliolo & penult.

q *Quam festa solemnique die.*] Ad togam refertur, & id est Ouidij lib. 3. Fastorum.

Restat, vt inueniam, quare toga libera detur,
Luciferis pueris candide Bacche tuis:
Siue quòd ipse puer semper iuuenisque videris,
Et media est ætas inter vtrumque tibi.
Seu quia tu pater es, patres sua pignora natos
Commendant curæ numinibúsque tuis.
Siue quòd es liber, vestis quoque libera per te
Sumitur, & vitæ liberioris iter.
An quia cùm colerent prisci studiosius agros,
Et faceret patrio rure Senator opus.
Et caperet fasces à curuo Consul aratro,
Nec crimen duras esset habere manus.

r *Qua signabatur liberioris vitæ.*] Ouidius vbi suprà, & lib. 4 de Tristibus eleg. 9.

Interea tacito passu labentibus annis,
Liberior fratri sumpta mihíque toga est.

Et Statius Syluarum lib. 5. sylua 2.

Quem non corrumpit pubes effrænæ, nouæque
Libertas properata togæ.

Propertius lib. 4. eleg. 1.

Mox vbi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris & ante deos libera sumpta toga.

s *Potentiores.*] Macrobius dicto libro Saturnalium, 1. capit. 6. Libertinis verò nullo iure vti prætextis licebat, ac multò minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo: sed postea libertinorum quoque filiis prætexta concessa est.

t *Apud delubra deorum.*] Id dictum est in verbo, Quam festa solemnique.

u *Indéq; in forum excepti.*] Seneca lib. epist. ad Lucil. 1. cuius verba adduximus suprà in verbo, Quæ virilis dicta est.

x *Tenuiores etiam.*] Ad quod respicit illud Horatij epistol lib. 1. epist. 18 ad Lollium 2.

Arcta decet sanum comitem toga.

Vtebantur laxioribus & amplioribus togis diuites, quàm tenues homines, vt idem Horatius Ode 4 Epodon,

Vides vt sacram, metiente te, viam
Cum bis ter vlnarum toga.
Vt ora vertat, & huc euntium
Liberrima indignatio?

Porphyrius iustam togæ magnitudinem sex vlnis constitisse vult intelligi.

y *Claudius tamen Cæsar.*] Suetonius in vita illius, cap. 2. Togæ virilis die, circa mediam noctem, sine solemni officio, lectica in Càpitolium latus est.

z *Ea quidem toga.*] Toga virilis à puerili distincta erat, quæ prætexta appellabatur: de qua loquens Macrobius in primo Satur. cap. 6. ita inquit, Hinc deductus mos, vt prætexta & bulla in vsum nobilium puerorum vsurparentur ad omen & vota conciliandæ virtutis.

a *Nanque*

ſtratus curules & inſignes geſſerant honores. [a] namque hic primus iuuentæ & bonæ indolis habitus eſt honos omẽnque futuræ virtutis, & magni nominis æſtimabatur. [b] Germani vero in primis experimentis framea & ſcuto adoleſcentes exornabant: illinc enim commendationẽ ineuntis adoleſcentiæ auſpicabantur. [c] Cretenſibus militaris ſtola, his & patera, Bithynis & Ponticis, ſocci & pallium, Argiuis pueris deferre clypeum, inſigne munus: & primum decus adoleſcentiæ cenſebatur. [d] Eam verò togam extremam inducebant Romani, ſæpius raſam, nonnunquam pexam & villoſam: namq; erat Romana grauitate digna, quam propriam habuere, ſicut Græci pallium. Ideo qui Romani ciues eſſe deſierant, aut ciuitatis iura amiſerant, quiſque relegati, [e] quibúſque aqua & igni interdictum foret, togam induere non poterant: hi enim toga dimiſſa, pallium ſumebant, quod Græcum fuiſſe ſatis conſtat. Togam verò raſam Phrygianam primùm Auguſti temporibus vſurpatam [f] Plinius aſſeuerat: [g] ſupra quam multi lacernas induxere, ſæpe ludis feſtis in theatro, quæ amphitheatrales dictæ, [h] & militares erant: [i] aliæ coccineæ, [k] Bœoticæ verò albæ. [l] Quam togam plerique laxiorem, nõnulli breuiorem vſurparunt. [m] Legimus Catonem ſeniorem præcurta toga & candida vſum, & nunquam centum drachmis maiore ſumptu: [n] Cæſarem laticlauo fimbriato, laxiore cinctura: [o] Auguſtum quaternis tunicis, [p] togíſq; nec reſtrictis, nec fuſis, [q] cum thorace laneo femoralibúſq; & tibialibus in-

Toga eſt purpura. Germani. Cretẽſes. Bithyni. Pontici. Argiui. Pallium.

Toga raſa. Lacerna. Toga amphitheatrales. Coccinea. Bœotica.

ANNOTATIONES.

a *Nanque hic primus.*] Cicero lib. 3. de Legib. ſic ſcribit, Suntóque Ædiles curatores vrbis, annonæ, ludorúmque ſolemnium. Olliſque ad honoris amplioris gradum is primus aſcenſus eſto. Hi iuriſdictionem quidem habebant, quæ Pars erat Prætoriæ, vt ait Vlpianus in l. ſtipulationum aliæ. ff. de verb. oblig. & Iuſtinianus in §. proponebant. de iore natur. gent. & ciu. imperium verò non habebant. ex minoribus enim magiſtratibus erant, vt ex Liuio & Gellio lib. 14. cap. 13. intelligitur: quorum alter prehendi ducique à maioribus magiſtratibus Ædilem ſcribit, alter à priuato in ius vocari. Itaque Verrina ſecunda ſic ſcribit Tullius, Erit tum Conſul Hortenſius cum ſummo imperio & poteſtate: ego autem Ædilis, hoc eſt paulò amplius quàm priuatus.

b *Germani verò.*] Cornelius Tacitus de Moribus Germanorum, ſic ſcribit, Sed arma ſumere non antè cuiquam moris, quàm ciuitas ſuffecturum probauerit. Tum in ipſo concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus, ſcuto frameáque iuuenem ornant Hæc apud illos toga, hîc primus iuuentæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicæ.

c *Cretenſibus.*] Strabo Geographiæ lib. 10. Exinde ad vrbem reuertuntur, puérque cum muneribus abſcedit, tum adductum bimeſtri tempore in vrbem reducunt muneribus, & militari ſtola, & boue & patera donatum.

d *Eam verò togam.*] Vt propria Romanorum toga, qui & ex hoc, gens togata dicta eſt: ita & Græcis pallium. Quod oſtendit Quintilianus lib. 11. cap. 3 quod de Pronunciatione eſt, cuius hæc verba ſunt, Veteres ad calceos vſque togam demittebant, vt Græci pallium. Et Suetonius in Auguſto, cap. 98. Sed & cæteros continuos dies inter varia munuſcula, togas inſuper ac pallia diſtribuit: lege propoſita, vt Romani Græco, Græci Romano habitu & ſermo ne vterentur. Hæc ille. Comœdiæ autem palliatæ dicebantur, quæ ſecundum ritus Græcorum Palliatorum fiebant, vt tradunt Donatus in præfatione Terentij & Diomedes Grammaticus.

e *Quibúſque aqua & igni interdictum fuit.*] Iure togæ (vt inquit Plin. epiſt. 5. epiſt. 11. omnium 77. incip. Audiſtine.) carent, quibus aqua & igni interdictum fuit.

f *Plinius aſſeuerat.*] Lib. ſcilicet 8. c. 48. Togas raſas Phrygianáſque D. Augusti nouiſſimis temporibus cœpiſſe, ſcribit Feneſtella.

g *Supra quam multi lacernas induxere.*] Martialis libro 14. epigr. 137.

Amphitheatrales nos commendamur ad vſus
Cùm tegit algentes noſtra lacerna togas.

Et Iuuenalis ſaty. 9.

—Pingues aliquando lacernas.
Munimenta togæ, duro craſſique laboris.

Et Suetonius in Auguſto, cap. 40. in fin. Negotium Ædilibus dedit, ne quem poſthac paterentur in foro, circóve, niſi poſitis lacernis, togatum conſiſtere.

h *Et militares.*] Propertius lib. 4. eleg. 3.

Omnibus, heu, portis pendent mea noxia vota.
Texitur hæc caſtris quarta lacerna tuis.

Et Ouid. lib. 2. Faſtorum loquens de Lucretia, quæ lacernam texebat marito ſuo, qui in caſtris erat.

Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant,
Inter quas tenui ſic ait illa ſono:
Mittenda eſt domino (nunc nunc properate puellæ)
Quamprimum noſtra facta lacerna manu.

i *Aliæ coccineæ.*] Eſt Martialis apophoretum lacernarum coccinearum lib. 14. cap. 131.

Si Veneto Praſinóque faues qui coccina ſumis?
Ne fias iſta transfuga ſorte, vide.

k *Bœoticæ verò albæ.*] Beticæ legendum eſt ex eodem Martiali, cuius item eſt aliud apophoretum hoc titulo lacernæ Beticæ, num. eiuſdem lib. 133.

Non eſt lana mihi mendax, nec mutor aheno:
Sic placeant Tyri, me mea tinxit ouis

Quo ſignificatur eas eſſe albas & nullo colore mutatas. Nam & his lacernis albis vtebantur in ſpectaculis, teſte eodem Martiale lib. 4. epigr. 2.

Spectabat modò ſolus inter omneis
Nigris munus Oratius lacernis:
Cùm plebs & minor ordo, maximíſque
Sancto cum duce candidus ſederet.
Toto nix cecidit repente cœlo.
Albis ſpectat Oratius lacernis.

l *Quam togam.*] Dictum eſt ſuprà in verbo, Eam verò togam.

m *Legimus Catonem Seniorem.*] Plutarchus in vita illius, Nunquam enim, inquit, veſte maiore centum drachmarum ſumptum vſum ſe refert. Vnde & eſt illud Horatij epiſt. lib. 1. epiſt. 20. ad Mœcenatem 9.

Quid? ſi quis vultu toruo ferus & pede nudo,
Exiguæque toga ſimulet textore Catonem:
Virtutémne repræſentet, moréſque Catonis?

n *Cæſarem laticlauo.*] Suetonius in Iulio Cæſare. cap. 45. ſic ſcribit, Etiam cultu notabilem ferunt: vſum enim lato clauo ad manus fimbriato, nec vnquam aliter, quàm ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: vnde emanaſſe Syllæ dictum conſtat, optimates ſæpius admonentis, Vt male præcinctum puerum cauerent. de laticlauo, vide Budæum in Pandect. in l. vlt. de Senat.

o *Auguſtum quaternis tunicis.*] Suetonius in vita illius, cap. 82. in princ. Hyeme quaternis, inquit, cum pingui toga tunicis, & ſubucula & thorace laneo & feminalibus & tibialibus muniebatur.

p *Togíſque, nec reſtrictis, nec fuſis.*] Sunt verba Suetonij in Auguſto, cap. 73.

q *Cum thorace laneo.*] Id quod diximus & mox ſequitur, de femoralibus & tibialibus eſt Suetonij d. cap. 82.

Mœcen. Malacinus appellatus.

cessisse: [r] Mecœnatem molliori veste discinctum, [s] quare Malacinus dictus: [t] Marcum Antonium, tunica ad coxam cincta, & villosa chlamyde: & [v] Sextum Pompeium magni filium, post naualem victoriam, cæruleam semper desumpsisse: [x] Hortensium, cultiore habitu & elaborato: [y] Neronémque nullam vestem bis induisse, sæpiúsque in ornatu tragico cum cothurnis prodiisse: & [z] Caligulam cum deorum insigniis, aurea barba & fulmine, aut cum fuscina & caduceo, plerumque Veneris habitu, aut gemmatum manuleatum & cycladatum, sempérque triumphalia ornamenta gestasse: Vespasianúmque, veste & habitu neglecto, & vix à gregario milite differente: [a] sicut de Alexandro Macedone proditum est, cultu habitúque paulùm à priuato abhorrente fuisse: [b] & Hierone Syracusano, qui regi vix decoro habitu incessit. [c] Sic diuus Seuerus vili amiculo & exigua veste adopertus, & à plebe vulgari nihil excellens. [d] Et Tacitus simili cultu cum æqualibus, nam in toga qua priuatus vtebatur, in imperio sæpe visus fuit. [e] Contra Heliogabalus nimis sumptuosa & magni census. Is enim primus holosericam vestem induit. [f] Gallienus quoque cum chlamyde purpurea gemmatis fibulis, sæpius tunica aurata prodiit. [g] Fertur tamen Octauius Cæsar liberis Senatorum, in quibus esset virtutis specimen, quo frequentius Senatui assuescerent, sumpta virili toga laticlauum protinus dedisse. [h] togam verò prætextam, ædiles, quæstores, & qui magistratus honores gerunt, veluti honoris ornamentum insigne.

Holoserica vestis. Prætexta qui induebantur.

ANNOTATIONES.

r *Mecœnatem.*] Is Mœcenas alioqui vir multis virtutibus: maximè verò liberalitate in doctos adornatur: mollis tamen & delicatus fuit, & sermone & cæteris rebus, vt videre licet ex Seneca lib. epist. ad Lucilium 20. omnium 114. Suetonio in Augusto, cap. 86. Macrobio lib. 2. Saturn. c. 4. Ex quo & illud Iuuenalis satyr. 12. post princ.

—— Vestem
Purpuream teneris quoque Mæcenatibus aptam,
Atque alias, quarum generosi graminis vsum.
Infecit natura pecus. ——

s *Quare Malacinus dictus.*] Id sumptum est, ni admodum fallor, ex Horatio lib. Serm. 1. satyr. 2. intelligente de Mœcenate, vt nonnulli asserunt: alij suspicantur, vt tradunt interpretes ibi,

Malchinus tunicis demissis ambulat.

Sic enim legunt, illi ipsi interpretes: atque ita dici molles, delicatos, dissolutos, dicunt. Alij ibi dicunt Malacinus, siue Malacus, quæ item dictio mollem significat, & Græcis & Latinis. Nam & Aristodemus, Aristocratis filius, Cumarum tyrãnus, Malacus cognominatus est, quòd mollis esset, miniméque iracundo ingenio, vt scribit Dionys. Halicar. li. 7. post princ. Nonnulli legunt Malthinum Mœcenatem ab Horatio ficto nomine esse appellatũ, vel ἀπὸ τῆς μάλθης, quæ est pix cum cera mixta: vel ἀπὸ τοῦ μαλθακοῦ, quod molle significat. Verùm difficile creditu est Horatium, vsque eò vel improbum, vel impudentem, vel maledicendi cupidum fuisse, vt ne Mœcenati quidem optimè de se merito & gratiosissimo apud Augustum viro pepercerit. Verisimilius itaque est alium quempiam suæ ætatis, conficto nomine ab eo designari, qui nimis lóngis & demissis tunicis vteretur.

t *M. Antonium.*] Plutarchus in vita illius, sic scribit, Semper enim cùm in oculis plurium erat futurus, tunicam ad coxam cingebatur, permagnum suspendebat gladium, chlamydem insuper asperam circundabat. Sed & adde veste quadrangula & calceamento Attico, ex Appiano lib. 5. bellorum Ciuilium.

u *Et Sex. Pompeium Magni filium.*] Appianus bellor. Ciuil. lib. 5. Ferunt, ait, ob hæc gloriabundum, solitum ab imperatoribus deferri chlamydem, Neptuni in morem ex purpureo in cæruleum mutasse colorem.

x *Hortensium.*] Gellius lib. 1. cap. 5. Macrobius lib. Saturn. cap. 13.

y *Neronem.*] Suetonius in vita illius, c. 30. Hoc idem Heliogabalum fecisse scribit Lampridius in vita illius: Nam calceamentum nunquam iterauit: annulos etiam negatur iterasse.

z *Et Caligulam.*] Hæc vsque ad versic. Vespasianúmque. Sunt Suetonij in Caligula, cap. 52.

a *Sicut de Alexandro Macedone.*] Plutarchus in Alexandro.

b *Et Hierone Syracusano.*] Liuius 3. Decad. lib. 4. Nam qui, inquit, per tot annos Hieronem, filiúmque eius Gelonem nec vestis habitu, nec alio vllo insigni indifferentes à cæteris ciuibus vidissent, conspexere purpuram ac diadema, ac satellites armatos, quadrigísque etiam alborum equorum interdum ex regia procedentem, morem Dionysij tyranni.

c *Sic Diuus Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita illius, Gemmas de calceamentis & vestibus tulit, quibus vsus fuerat Heliogabalus, veste, vt & pingitur, alba vsus est, nec aurata, penulis, togísque communibus. Herodianus de Seuero lib. 2. loquens, Ipse, inquit, inter primos laborans, vilíq; tabernaculo vtens, cibum potúmque eundem, quem etiam cæteri milites capiebat. Nihil vnquam Imperatoriæ luxuriæ, nihil delitiarum ostentans, sic vt acceptior indies militibus fieret.

d *Et Tacitus.*] Flauius Vopiscus in vita Taciti Imperat. Togis, inquit, & tunicis iisdem est vsus quibus priuatus. Holosericã vestem viris omnibus interdixit. Et adde quòd Annibal sæpe militari sagulo operiebatur, & vestitu nihil è cæteris excellenti, teste Liuio 3. Decad. lib. 1. Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, authore Plutarcho, linea vilíque veste vtebatur. Et Viriatus ille Hispanorum Dux, tantæ virtutis continentiæq; fuit, vt cùm Consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis, non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutauerit: sed in eo habitu, quo primum bellare cœpit, perseuerauerit, vt quiuis gregarius miles ipso Imperatore etiam opulentior videretur, vt tradit Iustinus lib. 44.

e *Contrà Heliogabalus.*] Ælius Lampridius in illius vita, sic scribit, Primus Romanorum holoserica veste vsus fertur, cùm iam subserica in vsu essent. Linteamen lotum nunquam attigit, mendicos dicens, qui lineis lotis vterentur.

f *Gallienus quoque.*] Trebellius Pollio in Gallienis, Decennia ludos, & pompam exquisito genere voluptatum, describens, ait, Ipse Gallienus medius cum picta toga & tunica palmata inter patres, omnibus sacerdotibus prætextatis Capitolium petiit.

g *Fertur tamen Octauius Cæsar.*] Sueton. in Augusto, c. 38. Liberis Senatorum, quo celerius reipub. assuescerent, protinus virilem togam, latum clauum inducere, & curiæ interesse permisit.

h *Togam verò prætextam.*] Cicero in Oratione, quam habuit post reditum suum ad Senatum, Ille, inquit, vnguentis oblitus cum toga prætexta, quam omnes Prætores Ædilésque tum abiecerant, irrisit squalorem vestrum & luctum gratissimæ ciuitatis. Et Liuius 4. Decad. lib. 4. in Oratione Valerij Trib. plebis. Et de Ædilibus item Cicero in Oratione in Vatinium, Te, inquit, Æditiam prætextam togam, quam frustra confeceris, vendidisse. Et in 7. in Verrem actione, post enumerata ea, quæ sibi incumberent in munere Ædilitio, Ob earum, inquit, rerum laborem & solicitudinem fructus illos dator, antiquiorem in Senatu

senten

induere soliti sunt, quæ ex purpura fuisse traditur, [i] nonnunquam bis tincta, quod acrius coloratur: dibapha dicta, quam Lentulus Spinther in ædilitate primus induisse fertur, cuius valor denariis mille in libras taxabatur. [k] Sed quod discriminis inter patricios & plebeios purpura facieb et, vt distinctum vtrumque ordinem notaret, [l] hoc nimirum inter patricios & senatores laticlauus & tunica latiore purpura efficiebat. Is enim laticlauus & latior tunica, insignia ordinis Senatorij fuere, quæ ordinem senatorium à patricio discernebant, quibus amplissimus ordo notabatur: quum reliquis patriciis, qui ad Senatum admissi non erant, illis vti non liceret. [m] Quamuis post aliquot ætates, etiam equestri ordini laticlauum distinctum à senatorio tributum inueniamus, [n] cuius vsus postea à Cæsaribus pro insigni decoro impetrari consueuit. [o] In eo enim aureus clauus affigebatur, quem, quia frequens & promiscuus erat, [p] Tacitus Cæsar interdixit, auróque clauatis vestibus vti prohibuit. [q] Erat præterea toga prætexta, consularis & prætoria quam hi qui consulatu præturámve gerebant, ferre solitae erunt: [r] quàm etiam in coloniis & municipiis cuicunque magistratui deferre ius erat. Ipsa enim & laticlauus inter antiquissima censentur vrbis ornamenta: [s] quippe à Tullo Hostilio, [t] nonnulli à Balearibus inuentas primùm autumant, quæ in omnem æuum postea mansere, sicut vestem papaueratam antiquissimam habere originem volunt. [u] Etiàm tunica palmata; & palmata toga triumphalis;

Dibapha. *Distinctio vestium inter patricios & senatores.* *Toga prætexta, stolaris, & prætoria.* *Vestis papaverata.* *Palmata vestis.*

ANNOTATIONES.

sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, ius, imagines ad memoriam prodendam.

i *Nonnunquam bis tincta.*] Id vsque ad versic. Sed quod discriminis. est Plinij Natu. historiæ lib. 9. cap. 39.

k *Sed quod discriminis.*]De quo suprà.

l *Hoc nimirum inter patricios.*] Latum clauum fuisse nobiliorum satis constat ex Horatio sermonum lib. 1. satyr. 6.

Et latum demisit pectore clauum.

Id est, tunicam latis clauis ornatam. Erant autem hi claui ornamenta quædam purpurea clauorum speciem præbentia, tunicis attexta, seu fortasse assuta: à quibus latus clauus dictus: id est, tunica lati claui, quod erat insigne maiorum magistratuum, vt Ædilium maiorum, Prætorum, Consulum, deníque Senatorum. Plin. lib. 33. cap. 1. Annuli distinxere alterum ordinem à plebe, vt semel cœperunt esse celebres, sicut tunica ab annulis senatum tantùm. Sueton. in Vespasiano, cap. 2. Sumpta toga virili, latum clauum, quanquam fratre adempto, diu auersatus est: nec, vt tandem appeteret, compelli, nisi à matre potuit. Idem Suetonius in Tiberio, cap. 35. Senatori latum clauum ademit. Idem in C. Claudio, cap. 24. Latum clauum, quamuis initio affirmasset non lecturum se Senatorem, nisi ciuis Rom. ad nepotem, etiam libertini filio tribuit: sed sub conditione, si prius ab equite Rom. adoptatus esset. Et Mart. lib. epigr. 5. epig. 17. in Gelliam,

Dum te posse negas, nisi lato, Gellia, Clauo
Nubere: nupsisti, Gellia, cistifero.

Liuius 3. Decad. lib. 7. inter munera, quæ Scipio Masanissæ filio dedit, tunicam lato clauo fuisse scribit, Tum puero, inquit, annulum aureum, tunicam lato clauo cum Hispano sagulo, & aurea fibula, equúmque donat. Sueton. in Augusto, cap. 94 inter alia præsagia felicitatis Augusti, ponit, quòd sumenti togam virilem, tunica lati claui resuta ex vtraque parte ad pedes decidit: fuisséque qui interpretarentur, non aliud significare, quàm vt is ordo, cuius insigne id esset, quandoque ei subsiceretur. Valerius Maximus lib 5. cap. 1. Tunica laticlauia donatum ad Masanissam remisit. Ouidius libro 4. Tristium eleg. 9. significans se latum clauum: id est, Senatorium dignitatem non esse assecutum.

Cepimus & teneræ primos ætatis honores,
Déque viris quondam pars tribus vna fui.
Curia restabat, claui mensura coacta est.
Maius erat nostris viribus illud opus.

m *Quamuis post aliquot ætates.*] Vide Lampridium in Alexandro Seuero.

n *Cuius vsus postea à Cæsaribus.*] Nam & id Plinius Sextio cuipiam à Traiano Cæsare impetrauit, vt ipse retulit lib epistol. 2. epistol. 9. omnium 33. ad Apollinarem. sic enim scribit, Ego Sexto latum clauum à Cæsare nostro, ego quæsturam imperaui: meo suffragio peruenit ad ius tribunatus petendi, quem nisi obtinet in Senatu, vereor vt decepisse Cæsarem videar.

o *In eo enim aureus clauus affigebatur.*] Festus Pompeius lib. 14. in verbo, Picta: scribit tunicam palmatam à latitudine clauorum esse dictam, Quæ nunc, inquit, ille à genere picturæ appellatur. Quibus verbis satis indicat clauos illos in tunicis acu fuisse depictos. Varro lib. 8. de lingua Latina. Nam si quis tunicam ita consuit, vt altera plagula sit angusta clauis: altera latis, vtraque pars in suo genere caret analogia.

p *Tacitus Cæsar.*]Flauius Vopiscus in vita illius: Auroclauatis vestibus idem interdixit. Nam & ipse authot Aureliano fuisse perhibetur, vt aurum à vestibus & cameris & pellibus submoueret.

q *Erat præterea toga prætexta Consularis.*]Iam dictum est ex Plutarch. in Pompeio.

r *Quam etiam in coloniis & municipiis.*]Liuius 4. Decad. li. 4. in Orat. Valerij Tribuni plebis, Purpura, inquit, viri vtemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis: liberi nostri prætextis purpura togis vtentur: Magistratibus in coloniis municipiísque, hic Romæ infimo genere magistris virorum, togæ prætextæ habendæ ius permittemus.

s *Quippe à Tullo Hostilio.*]Plinius lib. 9. cap. 39. Nam toga prætexta & latiore clauo Tull. Hostilium è regibus primum vsum, Hetruscis deuictis, satis constat. Liuius 1. Decad. li. 1. scribit, Togam prætextam apud Romanos ab Hetruscis sumptam fuisse.

t *Nonnulli à Balearibus.*] Strabo lib. 3. Balearum ritus & mores describens. Hi, inquit, primi mortales laticlauum induisse feruntur.

u *Etiam tunica palmata.*]Liuius 1. Decad. lib. 10. de insignibus triumphalibus loquens, Quod cùm ita se habeat, cui deorum hominúmve indignum videri potest, inquit, eis viris, quos vos sellis curulibus: toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureáque honoraritis, quorum domos spoliis hostium affixis insignes inter alias feceritis pótificalia atque auguralia insignia adiicere? & 3. Decadis lib. 10. Masanissam primùm Regem appellatum, eximiísque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli & scipione eburneo, toga picta & palmata tunica donat. Sueton. in Claudio, cap. 17. in fin. Secuti triúphalia ornamenta eodem bello adepti, sed cæteri pedibus, & in prætexta, Crassus frugi equo phalerato & in veste palmata, quòd eum honorem iterauerat. Apuleius Apolog. 5. Vbi triumphantium, inquit, quadrigas albas & togam palmatam. Capitolinus in Gordianis, Palmatam tunicam & togam pictam primus Romanorum priuatus suam propriam habuit, cùm antè Imperatores etiam de Capitolio, vel Palatio acciperent. Seruius enarrans eum locum Virgil. lib. 11. Æneid.

Munera portantes eborisque aurique talenta,
Et sellam regni, trabeamque insignia nostri.

Sic scribit, Rom. enim Imperatorum insigne fuit sella curulis,

[x] & toga picta, quas consules, & hi qui deuictis hostibus triumpharũt, veluti augustas, atque illustri & excelso honori debitas, accipiunt: præcipui cultus ornatúsque fuere: in quibus decus totius imperij, ingentisque virtutis specimen noscebatur. [y] Etenim palmata vestes in pace, consulis: victoria verò parta, triumphantis indumentum erat: quæ quidem purpureæ, [z] auro intextæ erant: [a] & nisi triumphalibus viris, [b] atque ex Capitolio & Palatio haud aliter dari essent Iouis solitæ, eo quòd tunicæ perquam similes, [c] tametsi scutulatam, Phrygiatam, surculatam quoque, vndulatam atque clauatam, inter triumphales aliqui annotarint. [d] Quam scutulatam Galli primum intexerunt, sicut Phrygiatam Phryges. [e] Fertur tamen Gordianus tunicam & togam pictam primus ex Cæsaribus, dum priuatus ageret, propriam induisse: neque ex Capitolio (vt moris [f] erat) publicam desumpsisse. [g] Abolla autem externorum regum fertur, [h] sicut Romanorum trabea: magni tamen splendoris, qua rarenter Romanos vsos inuenimus. nam soli reges aut [i] consules trabeati incessere, [k] tametsi militarem [l] nonnulli senatorium amictũ abollam fuisse dicant. [m] Quam plerique philosophi desumpsere, [n] licet Græ-

Vestes triumphales.
Abolla.
Trabea
Philosophorum vestis.

ANNOTATIONES.

rulis. Sicut etiam palmata toga dicitur, quam merebantur ij, qui de hostibus palmam reportassent. Et rursus eclog. 10. in eum locum,

Sanguineis ebuli baccis, minióque rubentem.

Triumphantes, ait, qui omnia habent Iouis insignia, sceptrum & palmatam togam, qua vtebantur illi, qui palmam merebantur.

x *Et toga picta.*] Liuius, vbi suprà. Festus Pompeius vbi nuper citauimus, eandem dicit togam pictam & purpuream. Plinius lib. 8. c. 48. scribit pictas vestes iam apud Homerum fuisse, vnde triumphales natæ.

y *Etenim palmata vestis.*] Ausonius in Panegyrico, Palmata, inquit, vestis, vt in pace Consulis est, sic in victoria triumphantis.

z *Auro erant intexta.*] Plutar. in Paulo Æmylio, Ipse sequebatur ornatissimo curru inuectus, purpuram auro intextam indutus.

a *Et nisi triumphalibus.*] Quod satis constat ex superioribus.

b *Atque ex Capitolio.*] Vide omnino quæ dicam lib. 6. cap. 6. in fine. & diximus ibi, Etiam tunica palmata, ex Capitolino in Gordianis.

c *Tametsi.*] Plinius lib. 8 c. 48.

d *Quam scutulatam Galli.*] Plinius in eodem cap. 48. Ex quo disces hîc non Phrygiatam, sed Phrygianam esse legendum, nec scurulatam, sed soriculatam. Scutulatæ vestes appellantur, quòd orbibus quibusdam, quasi scutulis depictæ sint, Iuuenalis satyr. 2.

Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

e *Fertur Gordianus.*] Vide in verbo, Etiam palmata tunica. ex Iulio Capitolino in Gordianis.

f *Vt moris erat.*] Infrà lib. 6. cap. 6. ad fin, Lampridius de Alexandro, Prætextam & togam pictam nunquam, nisi Consul, accepit: & eam quidem, quam de Iouis templo sumptam alij quoque accipiebant Prætores, aut Consules.

g *Abolla autem.*] Suetonius in Caligula, c. 35. vbi de Ptolemæo, cui vestis pretiosa, causam mortis præstitit apud Caligulam. Ptolemæum, inquit, & accersitum è regno, & exceptum honorificè, non alia de causa percussit, quàm quòd edente se munus ingressum spectacula, conuertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animaduertit. Seruius in lib. 5. Æneid. in eum locum,

—— Duplicem ex humeris reiecit amictum.

Id est, inquit, abollam, quæ duplex est, sicut chlamys, Martialis lib. 8. epigr. 48.

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus abollam:
Dum mutat cultus induitúrque togam.

h *Sicut Romanorum trabea.*] Scilicet Regum ex Plinio d. lib. 8. cap. 48. Trabeis vsos accipio Reges. Et 9. lib. cap. 39. Purpuræ vsum Romæ semper fuisse video: sed Romulo in trabea. Nam & hinc Romulus trabeatus dicitur Ouid. lib. Fast 1.

Hic igitur vidit trabeati cura Quirini,
Cum rudibus populis annua iura daret.

Virgil. Æneid. 7.

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Insignis. ——

Vbi Seruius, ex Suetonij authoritate lib. de Vestium generibus, Trabearum tria genera ponit, Vnum diis consecratum, quod est tantùm è purpura: Aliud Regum, quod est purpureum: habet tamen album mixtum purpuræ: fuitque (teste Virgilio lib. 11. loco, quem ibi, Etiam tunica palmata citauimus) Roman. Regum insigne. Tertium augurale, quod est è purpura & cocco. Ex hócque est illud Iuuenalis satyr. 8. ad fi. loquentis de Seruio Tullio Romanorum Rege 6.

Ancilla natus trabeam & diadema Quirini.
Et Fasces meruit Regum vltimus ille bonorum.

Cuiusmodi autem ea fuerit, declarat Dionys. Halicar. li. 2. circundistinctam fuisse purpura, sub tegmine puniceo, vestémque fuisse gentilem Romanis honorificam.

i *Aut Consules.*] Dionys. Halicar. lib. 5. Ammianus Marcellinus lib. 26. Agentes igitur in memoratis vrbibus Principes, sumpserunt primitus trabeas consulares, omnisque annus dispendiis grauibus rem Romanam afflixit. & Ausonius in Protreptico ad nepotem de studio puerili,

Vt trabeam, pictamque togam mea præmia, Consul
Induerer, fastisque meis prælatus haberet.

Sed & adde quoque Duces ex Dionys. Halicarn. d. lib. 5. Augures, vt dictum fuit in præced. & dicetur postea, & Equites Rom. Idibus Iulij, ex Valerio Maximo lib. 2. cap. 1. vbi de ordine equestri, his verbis, Trabeatos verò Equites Idibus Iulij Q. Fabius transuehi instituit. Vtebantur etiã trabea in funebri pompa, si Cornelio Tacito credimus, qui lib. 3. in princip. in Germanici funere, sic ait, Igitur Tribunorum Centurionúmque humeris cineris portabantur, præcedebant incompta signa, versi fasces: atque vbi colonias transgrederentur, atrata plebs, trabeati Equites, pro opibus loci vestem, odores, aliáque funerum solemnia cremabant.

k *Tametsi militarem.*] Nonius Marcellus vbi de generibus vestimẽtorum, authoritate Varronis in Cosmophthorine.

l *Nonnulli Senatorium.*] Ex quo Iuuenalis satyra 4.

—— Rapta properabat abolla
Pegasus, attonita positus modo villicus vrbi.

Is Pegasus fuit Iurisconsultus celeberrimus, qui à Vespasiano vrbi præfectus fuit, vt illic dicit Iuuenalis & scribitur in l. 2. §. vlt. ff. de orig. iur.

m *Quam plerique Philosophi.*] Martialis lib. 4. epigr. 56. loquens de Cosmo Cynico Philosopho,

Cerea quem nuda tegit vxor abolla
Cui dat latratos obuia turba cibos.

Et Iuuenalis satyra 3. de Stoico quodam Philosopho.

—— Atque audi facinus maioris abollæ
Stoicus occidit baream, delator amicum,
Discipulumque senex. ——

Vbi Britannicus interpres, Ergo, inquit, maioris abollæ, id est non militaris, sed philosophicæ: & ideo maioris & grauioris authoritatis.

n *Licet Græcos milites.*] Iam dictum est supra pallium proprium esse Græcorum.

o Philo

cos milites & [o] philosophos palliatos, [p] nonnunquam chlamydatos legamus. [q] Primus enim Romulus trabea vsus fuit, [r] quæ triplicis generis erat: namque vnum diis consecratum, sola purpura intexebatur: aliud regium ex purpura, immixto albo, quam Reges Consulésve induebāt: tertia auguralis fuit quæ ex purpura fiebat & cocco: quo genere augures vti assuerant, dum auguria captant. Sæpius tamē sub tegmine puniceo, alterno textu purpura distinguebatur: neque sum ignarus, [s] Maurorum Numidarumque Regum amictum esse purpureum sagum. [t] Quare Iuba rex sagulo vsus purpureo dicitur. [u] Assyriorum tunica partim purpurea fuit: [x] partim alba [y] Medis autem, [z] Persis, & Armenis regibus ac Lydis, amictus purpureus quadrangulari figura, & [a] Cidaris, [b] quamuis Persici reges triplici anaxyride & cultu duodecim millium talentorum quandoque vsi sint. [c] Phœnicibus verò, [d] Syris, & [e] Cilicibus regibus chlamys cum crepidibus: [f] Romanis quoque læna, [g] quæ χλαῖνα dicta, regales

Trabea triplicis generis. Sagum. Assyrij. Medis. Armeni. Persa. Lydi. Phœnices. Syri. Cilices. Romani.

ANNOTATIONES.

o *Philosophos palliatos.*] Herodes Atticus apud Gellium lib. 9. cap. 2. Video, ait, barbam & pallium, Philosuphum non video.

p *Nonnunquam chlamydatos.*] Chlamys est propriè vestis militum, quæ & paludamentum vocatur apud Nonium Marcellum de generibus vestimentorum. & probat illud Plauti in Milite glorioso, actus 5. sce. 1.

Magis sapis, de tunica, chlamyde, & mucrone, qui speres.

Et Virgilij lib. 8. Æneidos,

—Ipse agmine Pallas

In medio, chlamyde & pictis conspectus in armis.

Ideo si hæc verba Alexandri ad milites referas, bene est: si ad Philosophos, vt verum fateat, nescio vbi ita Philosophi dicti sint. Eutropius autem de Gestis Roman. lib. 9. cap. vlt. tradit quòd ante Domitianum imperij insigne in chlamyde purpurea tantùm erat, reliquaque communia, quod etiam scribit Eusebius in Chronicis.

q *Primus enim Romulus.*] Plinius lib. 9. c. 39. Hincque trabeatus dictus est Ouidio lib. 1. Fastorum, vt suprà diximus. Diony. Halicarnass. lib. 2. loquens de Romuli primo triumphò, sic scribit, Ipse pompam extremus claudebat indutus purpuram, & coronatus laurea, quadrigisque inuectus, quò augustiorem se faceret.

r *Quæ triplicis generis erat.*] Hæc vsque ad versic. Sæpius tamen. Sunt Suetonij in libro de genere Vestium. & ex eo Seruij, vt diximus suprà in verbo, Sicut Romanorum trabea.

s *Maurorum, Numidarúmque Regum*) Quod probat exemplo sequenti Iubæ, qui Rex fuit Maurorum ac Numidarum.

t *Quare Iuba Rex.*] A. Hirtius In Comment. de bello Africo.

u *Assyriorum tunica partim purpurea fuit.*] Herodotus libro 1. Assyriorum amictum describens; Duabus tunicis, inquit, amiciuntur: vna linea vsque ad pedes demissa, altera super hanc lanea: postremò candida & breui penula circundantur.

x *Partim alba.*] Strabo lib. 16. Assyriorum mores describens, Vestes, inquit, gerunt interiorem tunicam ex lino talarem, exteriorem ex lana, amictum album.

y *Medis.*] Xenophon Pædiæ Cyri lib. 1. Medorum (ait) tunicæ sunt purpureæ & amictus candidi.

z *Persis*] Strabo libr. 15. ad finem, de Persarum habitu sic scribit, Persæ amictum æstate purpureum vel varium, hyeme autem varium, tiaras, Magorum infulis similes. Q. Curtius lib. 3. Cultum Regis luxuria notans, Purpureæ tunicæ medium album intextum fuisse, scribit.

a *Et Cidaris.*] Q. Curtius libro 3. Cidarim, inquit, Persæ capitis vocabant insigne: hoc cærulea fascia albo distincta circuibat. In Leuitico capit. 8. Moyses, cùm ante fores Tabernaculi lauisset Aaron & filios eius, vestiuit pontificem subucula linea, accingens eum baltheo, & induens eum tunica hiacynthina, & desuper humerale imposuit, Cidari quoque texit caput. A quibusdam Cidaris tiaxa creditur, alij coronam, alij strophium sacerdotale esse contendunt.

b *Quamuis Persici Reges.*] Strabo lib. 15. paulò ante fi. de Persarum Principum cultu loquens, Principes, inquit, anaxyridem triplicem habent, & tunicam manicatam, duplam, genu tenus, cuius suffultura candida est, exterior verò pars colore infecta. Q. Curtius d. lib. 3. Persarum Regis cultum describens, Pallam, inquit, auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant: & zona aurea muliebriter cinctus, acinacem suspenderat, cui ex gemma erat vagina.

c *Phœnicibus verò.*] Herodotus lib. 7. Phœnicum & Syrorum, qui Palæstinam incolunt ornatum hunc in modum describit, Circa capita galeas Græcanicis proximas gerunt, induti thoracibus lineis, cum scutis vmbone carentibus, cúmque iaculis.

d *Syris.*] Dictum est in præced, de militum, non Regum ornatu.

e *Cilicibus regibus.*] Herodotus eodem libro 7. in Catalogo copiarum Xerxis scribit, Cilices laneis indutos vestibus, tulisse circa capita gentiles galeas, pro scutis parmulas è crudo bouis corio. & ibidem scribit, Reges Cypriorum mitris redimitos centum quinquaginta naues armatas duxisse.

f *Romanis quoque læna.*] Varro lib. 4. linguæ Latinæ, Læna, inquit, quòd de lana multa: duarum enim togarum instar. vt antiquissimum mulierum Ricinium, sic hoc duplex virorum. Lænam Festus Pompeius scribit esse vestimenti genus habitus duplicis, eam quidam appellatam existimant Tuscè, quidam Græcè, quam Clæoam dicunt. Nonius verò lib. de Vestimentorum generibus, putat esse Vestimentum militare, quod supra omnia vestimenta sumitur, citans illud Virgilij lib. 4. Æneidus,

—Tyrioque ardebat murice læna

Demissa ex humeris. ——

Vbi Seruius dicit, genus esse vestis, & propriè togam duplicem, amictum angularem. Eam verò Virgilius tribuit Æneæ, vt hinc fortè acceperit, quod Alexander hìc dicit. Cicero de Claris Orat. docet lænam etiam fuisse vestem sacerdotalem, qua Flamines vti solebant, quum sacrificia facerent, Qui, inquit, quum Coss. esset, eodémque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quòd erat Flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione & seditione nunciata, vt erat læna amictus, ita venit in concionem. Dionysius libro 6. loquens de Castore & Polluce, sic scribit, Adolescentes dicuntur duo bellicas induti lænas in foro Ro. apparuisse.

g *Quæ χλαῖνα dicta.*] Erasmus Chiliad. 1. cent. 10. cap. 100. χλαῖνα inquit, summa vestis est, quæ pro tempore sumitur ad ventos, pluuiam, frigúsque depellendum, quasi Latinè dicas Penula: citátque illud Iuuenalis satyra 5.

—— Et multo stillaret penula nimbo.

Pollux lib. Onomasticôn lib. 7. cap. 13. de Vestium speciebus duo Chlænarum genera potissimùm fuisse tradit: alterum simplex ἁπλοΐς, ὡς ὅμηρος, χλαίνας τ' ἐνθέμεναι οὔλας καθ' ὕπερθεν ἕσασθαι. Alterum doplex. διπλῆν ἐκταδίην, vt apud eundem, contra frigora comparatum. Mos autem erat Gallis lanis villosis vti. Galli lana quidem aspera, cæterùm oblongis villis, vnde & hirsuta texunt sagula, quæ Lænæ vocantur: authore Strab. libr. 16. vbi Gallorum habitus & arma describit. Homerus lib. 2. Iliad. vbi Agamemnonem vestibus & armis instruit, videtur vsurpasse pro paludamento, seu pallio militari, quod Græci chlamyda vocant.

Taprobanæ. Nabathæi.

Sexticula. Vestes ex prouinciis nominata. Discrimē vestitus in mulieribus. Matronæ Meretrices.

cultus ornatusque fuere.[h] Taprobanæ rex syrmate vestitur,[i] Cyrus stola medica,[k] Nabathæorum reges sola purpura [l] Cleomenes sæpius breui tunica amictus apparuit,[m] Antigonus &[n] Aristippus agresti,& regi vix decoro habitu.[o] Contrà Demetrius non modo diademate,sed veste ex auro & purpura conspicuus erat. [p] Sexticula verò non regia, sed imperatoria vestis fuisse traditur. [q] Athenienses autem reges sæpe.Creticum induebant : apud quos ex prouinciis vestes nomina sumpsere ; nam præter [r] tarentinidam fuit Sardonica, [s] sicula , [t] therea, [u] phrygia, & [x] casiaca militibus propria, ac [y] deutoruga. [z] diphthera, [a] pastoricia & [b] byssacæna , [c] ac aliæ multiplicis generis. Sed quod discriminis inter viros senatorios & consules actriumphales, purpura & palmata vestis faciebat, vt cæteris præstarent : idem discriminis cultus, vestitusque in mulieribus fuit. Etenim matronæ & spectatæ pudicitiæ mulieres, [d] nisi nigro capillo , [e] & longè latéque fusa toga ad talos demissa , stoláque & [f] flammeo, ac [g] vittis & [h] reticulo , quo capita velarent , vtebantur : cum [i] meretrices flauum capilium

ANNOTATIONES.

h *Taprobane Rex.*] Solinus cap.66.Cultu,inquit,Rex dissimili à cæteris.Vestitor syrmate, vt est habitus, quo liberum patrem amiciri videmus.

i *Cyrus stola Medica.*] Xennphon Pædiæ Cyri lib.8.Itaque elegit stolam Medicam,& ipse ferre,& vt familiares ea vterentur persuasit.Hæc enim visa est ei occultare, si quis defectum aliquem haberet in corpore:præterea ea indutos & pulcherrimos,& maximos ostendere.

k *Nabathæorum Reges.*]Strabo libro 16.non longè à fi. Nabathæorum mores describens, tradit Reges purpuratos incedere.

l *Cleomenes.*] Plutarchus Cleomenis facilitatem atque humanitatem describens, sic scribit , Qui verò Cleomenem adibant , cùm tamen Rex dici simul & haberi vellet, non purpuram,non laticlauum,non tricliniorum , aut sellarum ingentes apparatus conspiciebant , non lictorum , aut ianitorum turbam , non scribarum multitudinem, qui diu multúmque rogati,vix tandem per literulas respondere dignantur:sed ipse breui tunica amictus, vltrò sese venientibus offerens aderat,petentibus comiter benignéque respódens,summáque humanitate,& loqui & audire paratus.

m *Antigonus.*] Plutarchus in Demetrio.

n *Et Aristippus.*] Id(puto)accepit à Plutarcho in Arato:sed is,ni fallor,de Arato intelligit,non de Aristippo:licet de eo eodem in loco loquatur.

o *Contrà Demetrius*] Plutarchus in illius vita. Demetrium diadema gestare,vestibúsque auro contextis,& purpura vti tradit.

p *Sexticula.*]Vnde id accepit,nescio.

q *Athenienses autem Reges sæpe Creticum.*]De hoc Rhodiginus lib.16 cap.10.in princip.sed nullo authore citato.Ad id est Pollucis lib.7.cap.17.de Byssinis, vbi vestem hanc Clauatam vocat.sic enim ait,Clauata quoque dicebatur Athenis,qua Rex vtebatur.

r *Tarentinidam.*]De hac quoque Cælius Rhodiginus d.lib. 18.cap.10.sed nullo authore citato.Est autem Pollucis dicto cap.17.li.7.vbi scribit,Tarentinidium, perspicua vestis est,à Tarentinorum vsu & luxoria denominata.

s *Sardonica,sicula.*]Idem Cælius ex Polluce dd.lib.& cap.de Byssinis.

t *Theraa.*]Pollux d.lib.cap.17. Therea, inquit,variegata.ca. autem 13. declarat quare Teræum vocetur, his verbis , Et Theræum indumentum, aut ab insula, aut quòd feram intextam habet,dicitur.

u *Phrygia.*] Cælius vbi suprà. Togas rasas , Phrygianásque D Augusti tēporibus nouissimis cœpisse , scribit Fenestella apud Plinium lib.8. cap. 48. Pollux d. cap. 17. de Byssinis, Phrygia,inquit,mulibris,ab illis,quorum frequentissimus vsus est denominata.

x *Cassiaca.*] Cælius vbi suprà , vbi declarat quare ita vocetur.

y *Ac deutoruga.*] Deuterurga legendum. Iulius Pollux d. lib.7.cap.17.Bis,inquit,operatam autem tunicam appellauerunt,quam nunc interstioctam vocitant,& Deuterurgos eos qui huiusmodi conficiunt. quod & Lysippus in Bacchidibus ostendit.

z *Diphthera.*] Cælios vbi suprà, de hac , nullo item citato authore. Sed Iul.Pollux d.lib.7. cap. 15. declarat cuiusmodi sit:sic enim scribit,Diphthera,tunica stricta, habens ceruical.Sed reperies in alia significatione apud eundem eodem lib.7.in fine.Herod.lib.5.

a *Pastoritia.*]Cælius vbi suprà,hanc eandem cum superiore esse dicit.

b *Byssacana.*]Idem Cælius ibid.

c *Et alia multiplicis generis.*] De quibus Nonius Marcellus de genere Vestimen.Cælius & Pollux vbi suprà, & è recentioribus in libro de Re vestiaria.

d *Nisi nigro capillo.*] Vide quæ statim dicam in verbo, Meretrices flauum capillum haberent.

e *Et longè latequé fusa toga.*]Voluit aut certé debuit dicere, Stola ad talos demissa ex Horatio lib.1.Serm.sat.2.

Ad talos stola demissa & circundata palla.

Stolam esse muliebrem vestem Vlpianus putauit in l.vestis §.muliebria. ff. de auro & argento mundo leg. Muliebria inquit , sunt , quæ matrisfamilias causa comparata sunt, quibus vir non facilè vti potest sine vituperatione : veluti stolæ, pallia, tunicæ, capitia , zonæ, mitræ (quæ magis capitis tegendi , quàm ornandi causa sunt comparata) plagulæ , penulæ. Cui Cicer. locus Philip. 2. suffragari potest , Sumpsisti virilem togam, quàm statim muliebrem stolam reddidisti. Ouidius libro 3. de Ponto , elegia 5. ad Maximum,

—— *Quarum nec vitta pudicos*
Attingit crines,nec stola longa pedes.

Ex quo Cæsar Caligula(vt scribit Sueton.in vita Caligulæ, cap.23.)Liuiam proauiam suam, Vlyssem stolatum nominare solebat, significans eam mulierem esse astutissimam.Vide nostras leges Connubiales l. 3. inter ornamenta muliebria vbi de Stola.

f *Et Flammeo.*]Hoc enim siue vestis,siue tegmen capitis,quo magis,puto,vtebantur matronæ, vt tradit Nonius Marcellus,vbi de genere vestimentorum disserit.& vide in nostris legibus Connubial.vbi suprà.

g *A vittis.*] Vide infrà in verbo , Absque flammeo & vitta.

h *Et reticulo.*]Et id matronas decet,vt patet ex eo,quod scribit Lampridius in vita Alexandri Seueri, Matronas autem, inquit,regias contentas esse debere vno reticulo, atque inauribus.Hoc nobiles Italicæ matronæ vtuntur.

i *Meretrices flauum capillum haberent.*] Seruius enarrans illud Virgilij ad fin.lib.4. Æneid.

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat. ——

Matronæ,inquit,nunquā datur flauus crinis,sed niger tātū, cōtrà flaua coma dabatur meretricib. vnde Iuuenalis sat.6.

Et nigrum flauo crinem abscondente galero
Intrauit calidum veteri centone lupanar.

Ibi enim loquitur de Messalina,Claudij Imperatoris vxore, quæ matronalem pudicitiam mentiens , nigros crines ferebat : sed , vt erat omnium impudentissima , cùm ad lupanar iret suam libidinem expletura , ne agnosceretur,flauo galero caput tegebat. Et huc quoque spectare potest

quod

haberent, [k] & togam subductiorem [l] absque flammeo & vitta: [m] quam togam virilem, quæ adulterij crimine damnatæ erant, dimissa stola, sumere cogebantur. namque meretrices prostabant cum toga [n] & stolis pullis, [o] quibus etiam ianthino & cocco vti inhibitum est. [p] Fuitque aliquando mulieribus vetitum, ne versicolori veste vterentur, lege Oppia: [q] quod etiam à Nerone factum memorant, qui mulieribus amethystini & Tyrij vsum interdixit. [r] Quæ quidē stola plebeiis, quamuis honestis, non dabatur: siquidem patriciæ & grandes natu matres, illam honoris causa deferebant. erat enim ad imos pedes fluxa, [s] quam instita contexta ambibat. [t] Rectam verò tunicam & puram togam noua nupta induebat: quam etiam tyronibus, dum militiæ adscribuntur, tributam inuenimus. [u] Cyclas quoque, [x] palla & [y] ricinus [z] cum crocoto honestarum vestes fuere virginum & matronarum, [a] licet cytha-

Stola. Noua nupta. Cyclas. Palla. Ricinus. Crocota.

ANNOTATIONES.

quod Horatius lib.1. Car. Ode 5. Pyrrhæ meretrici flauum crinem tribuit,

Cui flauam religas comam
Simplex munditiis?

Et ante hos Euripides in Electra, introducit Electram hæc de Clytemnestra, matre impudica, dicentem,

ξανθὸν κατόπτρῳ πλόκαμον ἐξήσκεις κόμης.

Id est.

Flauos speculi iudicio cincinnos componebas.

Verùm huic sententiæ contradicit, quod scribit Ouidius de Lucretia loquens, matrona castissima, lib. 2. Fastorum non adeò longè à fi.

Forma placet, niueusque color, flauique capilli.
Quique aderat nulla factus ab arte decor.

Et Catullus in Argonauticis, siue de Nuptiis Pelei, & Thetidos de Ariadna loquens,

Non flauo retinens subtilem vertice mitram:

Et in epig. de Coma Berenicis,

Fixa corona foret: sed nos quoque fulgeremus
Deuota flaui verticis exuuia.

k *Et togam subductiorem.*] Nonius Marcellus, vbi de genere Vestimentorum: Meretrices, inquit, succinctiore veste vtebantur. citátque illud Afranij, Meretrix cum veste longa, peregrino in loco solet tutandi causa sese sumere.

l *Absque flammeo & vitta.*] Vitta honestarum matronarum, virginum & vestalium capitis tegmen erat. Tibullus lib.1. eleg.6.

Sit modò casta doce: quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Ouidius lib.3. Fastorum de Rhea Syluia Vestali,

Ignibus Iliacis aderam, cùm lapsa capillis
Decidit ante sacros linea vitta focos.

Et lib.4. de Veneris festo,

Rite deam colitis Latiæ matresque nurusque,
Et vos queis vitta, longaque vestis adest.

Et lib.2. de Tristib. volens ostendere, se libros de Arte, non scripsisse grauioribus fœminis, post horum versuum repetitionem.

Este procul vitta.—

mox addit,

Ecquid ab hac omnes rigidas summouimus arte,
Quas stola contingi, vittaque sumpta vetat?

Et alij, quos & nos adduximus in illis nostris legibus Connubialibus l.3. inter ornamenta muliebria: vbi de vittis & de instita loquor. Ex quibus etiam intelligis vittam meretricibus denegari, ex Seruio lib.7. Æneidos.

Soluite crinales vittas, capite orgia mecum.

Vittæ, inquit, solarum matronarum erant: nam meretricibus non debebantur. Et Virgilio d.lib.7. paulò antè, de Alecto loquente, quæ reginam Amatam, Latini Regis vxorem, inuaserat, totúmque illius corpus & habitum occuparat,

—Fit tortile collo
Aurum ingens coluber: fit longæ tænia vittæ,
Innectitque comas, & membris lubricus errat.

m *Quam togam virilem.*] Nescio cur virilem addit: cùm toga (vt iam diximus) fuerit communis virorum & mulierum, nemóque de his, qui de hac re loquuntur, de virili dicit. Illud autem certum, quòd mulieres adulterij damnatæ, aut compertæ remota stola togam induebant, vt meretrici aptam. Ita enim prostare solebant cum togis puellæ, vt discernerentur à matronis: vt scribunt Acron & Porphyrion in id trahentes illud Horatij lib.1. Ser. satyra 2.

—Quid inter—
Est in matrona, ancilla, peccésne togata?

Illic enim togatam, meretricem significare, quam opponit matronæ. Sed & huc propius accedit illud Tibulli lib.4. ad Sulpitiam,

Sit tibi cura togæ potior, pressumque quasillo
Scortum quàm Serui filia Sulpitia.

Nam illic togam pro meretrice posuit. Et illud quoque Iuuenalis saty. 2.

Damnetur si vis, etiam Carphinia, talem
Non sumet damnata togam.

Et Martialis lib.2. epig.39.

Coccina famosæ donas & ianthina mœchæ,
Vis dare, quæ meruit, munera? mitte togam.

Et nos quoque diximus in nostris legibus Connubialibus.

n *Et stolis pullis.*] Pullus ex Virg.3. lib. Georgic. pro nigro. & Tibullo lib.1. eleg.2. & infinitis aliis locis.

o *Quibus etiam ianthino.*] Quod satis innuit Martialis vbi nuper citauimus.

p *Fuitque aliquando mulieribus vetitum.*] Id est ex Liuio 4. Decad. lib.14. in princ.

q *Quod etiam à Nerone.*] Tranquillus in Neronis vita, cap. 32. Et quem interdixisset, inquit, vsum amethystini ac Tyrij coloris, summisissetque, qui nundinarum die, pauculas vncias venderet, præclusit cunctos negociatores.

r *Quæ quidem stola*] Iam suprà dictum est non semel.

s *Quam instita contexta ambibat.*] Horatius lib.1. Serm. sat.2.

Quarum subsuta talos tegat instita veste.

Ouidius lib.1. de Arte amandi,

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæque tegis medios instita longa pedes.

Diximus in dictis nostris legibus, vbi de Instita loquor inter ornamenta muliebria.

t *Rectam verò tunicam.*] Plinius lib.7. cap.48. & alibi dictum est suprà lib.2 c.5.

u *Cyclas quoque.*] Iuuenalis sat.6.

Hæ sunt quæ tenui sudant in Cyclade.

Et vide nostras leges Connubiales, vbi de Cyclade loquor.

x *Palla.*] Nonius Marcellus, Pallam honestæ mulieris vestimentum esse scribit, hoc est tunicę pallium. quod & hinc satis liquet, quòd Senatus Ro. misit dono ad Reginam Cleopatram pallam pictam cum amiculo purpureo, apud Liuium 3. Dec. lib.7. non adeò longè à princ. & de hac quoque in dd. ll. Connub.

y *Et Ricinus.*] Dicitur etiam Ricinius. Marcellus dicit esse Palliolum fœmineum breue. Varro de vita populi Romani lib.1. Et quo, inquit, mulieres in aduersis rebus, ac luctibus cùm omnem vestitum delicatiorem, ac luxuriosum posteà institutum ponunt, Ricinia sumunt. Vide dict. leg. Connub. vbi de Ricinio.

z *Cum crocoto.*] Vide dict. leg. Connubial. & infrà in verbo Crocoton quoque.

a *Licet citharœdis quandoque palla.*] Horatius in Arte poëtica:

Post

Syrma. rœdis quādoque palla in vsu fuit,[b] quæ syrma dicta est[c] erat enim tragœdorū. [d] Cyclas verò rotunda, [e] quam Alexander Romanus imperator matronis regiis dedit, quæ plus sex vnciis auri non haberet cum reticulo: & pallium auro aspersum cum inauribus, & monili bacchato.[f] Crocoton quoque ro- *Virgines.* tunda & fimbriata, sed tantum locupletibus concessa.[g] Vittasque & [h] supparum,[i] ac togam prætextam, solæ virgines deferebant, quæ nuptis non dabantur: Erant enim insignia pudoris & verecundiæ, *Vittarum duo genera.* quibus mos erat, capillos aut humeris defluentes, aut reticulo collectos ferre:[k] licet vittarum duo genera inueniamus: virginalem vnam, alteram nuptialem, aut qua nubentes velabantur.[l] Strophium *Strophiū. Ancilla. Fasciola crurales. Pueri. Calcei muliebres.* verò pectoralem fasciam, vel capitis ornatum, nonnulli cingulum fuisse autumant, & soleas purpureas puellarū calceos. Sed tamen strophium, mitras & purpureas fasciolas, ancillarum fuisse amictus, multi testati sunt:[m] idque à Cicerone Clodio obiectū, quòd in strophio, mitra & purpurea fasciola, se ancillam mentitus, sacra Bonæ deæ polluisset.[n] Fasciolas verò crurales, crurum pedumque velamēta, æquè viris ac mulieribus communes aliqui volunt,[o] quo sæpe purpureæ,[p] nonnunquam conchyliatæ erant, [q] Fasciæ verò pectorales dabātur pueri,[r] quæ virides fuere.[s] Sicyonia[t] & socci, calcei muliebres deli-

ANNOTATIONES.

Pisthunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus. ——

Et Iuuenalis de Citharœdis loquens sat. 10.

Et quibus aurata mos est decurrere palla.

b *Quæ Syrma dicta est.*] Syrmate vti Reges insulæ Taprobanæ diximus suprà ex Solino c.66.

c *Erat enim tragœdorum.*] Syrma genus vestis, quæ in grauioribus poëmatis recitandis trahebatur ab histrionibus, Martialis lib.4. ad Flaccum,

Musa nec insano Syrmate nostra tumet.

Et lib.12. epig.95. in Tuccam,

Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos,
Aptasti longum tu quoque Syrma tibi.

Iuuenalis satyra 8. vbi Neronem irridet, qui tragœdias egit,

Ante pedes Domitij longum tu pone Thyestæ
Syrma, vel Antigones, seu personam Menalippes,

Et iterum satyra 15. post princ. ponit Syrmata pro tragœdiis.

Nam scelus à Pyrra, quanquam omnia Syrmata voluas,
Nullus apud tragicos populus facit.

d *Cyclas verò rotunda.*] Quod nomen ipsum indicat. nam Græci κύκλον, circulum, & κυκλόω, circundo dicunt. Videtur autem esse vestis tenuissima, explicabilis & spatiosa.

e *Quam Alexander Rom. Imp.*] Lampridius in vita illius.

f *Crocoten quoque rotunda.*] Crocotæ dicuntur tunicæ infectæ croceo colore: talia autem vestimenta delicata sunt & fœminea. Marcellus Mollicina, à mollicie dicta putat. Apud Græcos κρόκωτος est εἶδος χιτῶνος, id est species tunicæ: & vt inquit Suidas, Crocotos est ἔνδυμα ἐγκύκλιον. id est, vestimentum orbiculatum. Plautus in Aulularia act.3. scena 5. Crocotarios infectores dixit. qui crocota inficiunt, tinguntque vestes crocei coloris.

g *Vittasque.*] Vide, quæ suprà diximus, & in nostris legibus Connubialibus.

h *Et supparum.*] Sext. Pompeius lib. 17. Supparum vestem puellarem interpretatur, eandémque esse existimat cum ea quæ, & subcula & camisia dicitur, quod Afranij testimonio probat, Puella non sum, supparo si induta sum. Varro autem libro 4. de ling. Lat. dicit esse genus togæ leuis & angustæ, quòd suprà induatur: quemadmodum subucula, quòd subtus induatur. Sed vide in nostris legibus Connubialibus.

i *Ac togam prætextam.*] De hac suprà dictum est.

k *Licet vittarum duo genera.*] Vide in nostris legibus.

l *Strophium.*] Nonius Marcellus de genere Vestiment. dicit esse fasciam breuem, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet, authoritate Turpilij, Plauti, Tullij, & Varronis, quibus alios addidimus in nostris legibus Connubialibus, vbi omnino vide. Hinc strophiarij dicti, strophiorum artifices, quorum meminit Plautus in Aulul. act.3. scena 5. Martialis fasciam pectoralem appellat, sic scribens in Apophor.134.

Fascia crescentes dominæ compesce papillas:
Vt sit, quod capiat nostra, tegatque manus,

m *Idq; à Cicerone Clodio obiectum.*] Ciceronis verba ex Oratione de Aruspicum responsis ad Senatum, hæc sunt, P. Claudius à crocota, à mitra, à muliebribus soleis, purpureisque fasciolis: à strophio, à flagitio, à strupro est factus repente popularis: nisi enim mulieres exornatum ita deprehendissent, nisi ex eo loco, quo eum adire fas non erat, ancillarum beneficio emissus esset, populari homine populus Rom. respub. ciue tali careret,

n *Fasciolas verò crurales.*] Valerius Maximus lib.6. cap.2 de Pompeio candida fascia crus alligatum habente, Faunnium dixisse, Non refert qua in parte corporis sit diadema. Quintil. lib.2. c.3. Fascias, inquit, quibus crura vestiuntur. Sed tu omnino vide nostras leges Connubiales, ex quibus disces fascias fuisse pectorales & crinales.

n *Quæ sæpe purpureæ.*] Quod constat ex eo loco Tullij citato in verbo, Idque à Cicerone. & præterea ex C. Caligula cap. 17. vbi illum dicit viris, pueris ac fœminis fascias purpuræ ac conchylij distribuisse. Et Iulius Capitolinus in vita Claudij Albini, Accessit, inquit, omen, quod cùm pueri eius familiæ russulis fasciolis illigarentur: quò fortè lotæ atque vdæ essent russulæ fasciolæ, quas mater prægnans parauerat, purpurea matris illigatus est fascia: Vnde illi ioco nutricis etiam Porphyrij nomen inditum est.

p *Nonnunquam conchyliata.*] Ex eodem illo loco Suetonij.

q *Fascia quoque pectorales.*] Vt patet ex illo Iulij Capitolini loco citato ibi, Quæ sæpe purpureæ. Sed & puellis & fœminis ad cohibendas earum mammas, vt patet ex Martialis apophoreto, citato in verbo, Strophium. & ex aliis, quos citō in legibus Connub.

r *Quæ virides fuere.*] Iuuenalis sat. 5.

—— *Viridem thoraca iubebit.*
Afferri. ——

Thorax enim Græcis pectus est, vt intelligi potest ex Celso libro 3. capit. 5. & Plinio lib. 20. cap. 12. & Iulio Polluce libro 7.

s *Sicyonia.*] Lucilius à Festo Pompeio citatus.

Et pedibus læua Sicyonia demit honesta,

Lucretius lib.4.

Vnguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Et Tullius lib. 1. de Oratore, de Socrate loquens, Si mihi calceos Sicyonios attulisses, non vterer, quamuis essent habiles & apti ad pedem, quia non essent viriles. Et horum etiam meminit Pollux lib.7. c.22. vbi scribit nomen ipsum indicare quorum inuentum sit.

t *Et socci.*] Hinc Socculi. Suetonius in Caligula, cap.52. scribit, Caligulam nonnunquam in publicum processisse cum socco muliebri. Idem in Vitellio, cap. 2. Claudium vxoribus, libertisque addictum, ne qua non arte demereretur, pro maximo munere à Messalina petiit, vt sibi pedes præberet excalceandos: detractúmque socculum dextrum inter togam, tunicásque gestauit assiduè, nonnunquam osculabundus. Plinius lib.9. cap.35. Quin & margaritas pedibus, nec crepidarum tantùm obstragulis, sed totis socculis addunt, & lib.37. cap.2. de C. Caligula loquens, qui super

omnia

catioris cultus & amatorij.Erant enim veteribus calcei specie varia: nam [u] & gallicæ & [x] soleæ & [y] cothurnatum [z] mullei albi, hederacei, cerei, & linrei, calceorum species funtiqui [a] cum antea communes viris æquè ac mulieribus forent, sequuti Cæsares, inter quos [b] Aurelianus, illos viris ademere, & fœminarum calceis addidere, [c] quas etiam ferunt compedes habuisse ex argento, cum ex auro veterentur. [d] Qui mullei, sicut veteribus monumentis extat, olim fuere calcei Albanorum regum, deinde patriciorum facti, demum patriciis adempti, & mulieribus traditi. [e] sicut crepidas antea senatores, mox equites, demum milites habuere proprias. [f] Soleas autem calceaméta dixere, quibus plantarum calces in fine teguntur, habenis iuncta, cæteris propè nudis. [g] Apud Achæos autem calcei fœminarum fuere albi & tenués. Atheniensibus elaboratæ artis, [h] iphicratides dicti. Græcis [i] nymphides, & [k] arpides, multiplici sutura, [l] sicut Scythicę, [m] Laconicę, [n] Persica, [o] Amyclaidę & [p] Alcibiadę. [q] Per-

Calceorũ species.

Mullei.

Crepida.

Solea.

Iphicratides.

Nymphides.

Arpides.

ANNOTATIONES.

omnia muliebria socculos induebat è margaritis. [i] Isidorus lib. 19 Etymologiarum, cap. 33. eodémque vlt. dicit soccos & socculos ita dictos, quòd soccum habeant, in quo pars plantæ iniciatur.

u *Gallicæ.*] Gellius lib.13.cap.20.refert T. Castritium discipulis suis probro vertisse, quòd feriato die conspicerentur, lacernis induti & Gallicis calceati. scribitque id verbum esse nouũ, nec diu ante ætatem Ciceronis vsurpari cœptum, citatque illud ipsius in secunda Antonianarum (id est Philippicarum, ita enim appellat ipse Cicero) cum Gallicis & lacerna cucurristi. Cui adde & alium eiusdem Ciceronis eadem Philipp. locum: Nam quod quærebas, quomodo redissem, primùm luce, nõ tenebris: deinde cum calceis & toga, nullis nec Gallicis, nec lacerna. Gallicæ sunt soleæ ligneæ, aut è subere, quibus fœminæ potissimum vtebantur, quas crepidas appellari posse Gellius, vbi suprà affirmat. Hoc calceamenti genere vtuntur Galli pluuioso tempore. Vulgus (inquit Baifius libro de Re vestiaria.) Galozas vocat, *des Galoches.*

x *Et solea.*] Gellius vbi suprà, & Isidorus libro Etymologiarum 19 cap.33. Solea, vt scribit Pompeius lib. 17. dicta est, quòd solo pedis subiiciatur. Eas autem muliebres esse iam intelligis ex eo loco Ciceronis de Arusp. responsis, citato suprà in verbo, Idque à Cicerone. Solea (vt Pollux libro 7. cap. 22. definit) est leuis, vt pes puluerem tantùm non contingat. Vulgus (vt scribit Baysius) vocat, *Souliers à l'Apostolique*, quòd iis calceati Apostoli domini pingi soleant. Inde soleatus soleis indutus. Cicero 7. in Verrem act. Stetit soleatus prætor populi Romani cum pallio purpureo. Sed & alia quoque significat solea, vt videre est apud Pompeium eod. lib.17. sed alio loco.

y *Cothurni.*] Genus calceamenti, subere quodammodo sublevati, quo vtebantur Tragœdi: vt eminentiores apparerent: & viatores, ne tam facilè impingerent in lutum: item etiam virgines, vt grandiores apparerent sub longa stola. Quapropter cothurnos ipsos de suris vincire solebant. Virgil. lib.1. Æneidos, vbi Venus aduenienti filio, noluit se deam fateri, illique primùm occurrit,

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque altè suras vincire cothurno.

Ex quo patet & his mulieres esse vsas, vt & ex illo loco Iuuenalis sat.6.

—— Aliam credas, cedo, si breue parui
Sortita est lateris spatium, breuiorque videtur
Virgine Pygmæa, nullis adiuta cothurnis.

Sed de hoc amplius in nostris legibus Connubialibus, & vide præterea Isidorum, vbi suprà. Cothurnus (inquit Pollux lib.7.cap.22.) vtrique pedi conuenit: vnde & Theramenem cothurnum vocarunt, propter eam, qua in rep. vtebatur, alterationem.

z *Mullei albi.*] Genus calceamẽtorum, vt tradit Festus Pompeius lib.11. Sed quod Alexander subiungit albi, hederacei &c. nescio vnde acceperit. Scio autem Plinium lib.9 ca. 17. authoritate Fenestellæ, scripsisse Mullo pisci datum nomen à colore mulleorum calceamentorum: ipsumque mullum (vt paulò post subdit) expirantem versicolori quadam & numerosa varietate spectari.

a *Qui cum anteà communes.*] Vt patet ex sequentibus.

b *Aurelianus.*] Vopiscus in vita illius ad finem, Calceos mulleos, inquit, & cereos, & albos, & hederaceos viris omnibus tulit, mulieribus reliquit.

c *Quas etiam ferunt compedes.*] Pollux lib. 7.c.22. inter calceos memorat κονίποδας. id est, compedes calceos, scilicet, tenues & seniles, Iacobus Tusanus in Lexico Græcolatino κονίπους ποδὸς, inquit, calceamentum lacerum, non cooperiens totum pedem, præterea angustum. Hesychius scribit κονίποδες, id est, ὑποδήματα μουγκά.

d *Qui mullei.*] Festus Pompeius lib.17. Mulleos, inquit, calceamentorum aiunt esse, quibus Albanorum Reges primi, deinde Patricij vsi sunt, quod probat authoritate M. Catonis li. Orig. 7. Qui magistratum curulem cœpisse calceos mulleos allucinatos, cæteri perones. Item Tintinij in Setina, Iam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatis in calceos, quos putant à mullando, id est, suendo dictos.

e *Sicut crepidas.*] Seruius libro 8. Æneidos, in eum locum,

Et Tyrrena pedum circundat vincula plantis.

Eadem propè ad verbum dicit Pollux lib.7.cap. 22. Crepidæ, inquit, habitus militaris: quas nonnulli poëtarum, Arpides vocarũt. Quidam hoc nomen à crepitu, hoc est à sono, quem ambulando reddunt, dicunt appellatum. Certius tamen est ex Gellij li.13.cap.20. & Persij sat.1 authoritatibus, dicere vocem esse Græcam. Eius calceamenti sutores crepidarios dixerunt.

f *Soleas autem.*] Gellius ex T. Castritio Rhetore lib.13. cap. 20. Omnia, inquit, fermè id genus, quibus plantarum calces tãtùm in fine teguntur, cætera propè nuda, & teretibus habenis iuncta sunt, soleas dixerunt, nonnunquam, voce Græca, crepidulas.

g *Apud Achæos.*] Appianus bellor. Ciuil. lib. 5. scribit M. Antoniũ sibi assumpsisse calceamenta candida, qualia Atheniensium sacerdotales, quos Phecasios vocant, deferre consueuerunt, Pollux lib.7.cap.22. scribit, albos calceos maximè fuisse meretricios.

h *Iphicratides.*] Pollux vbi suprà ab vtentibus dictos scribit.

i *Nymphides.*] Cælius lib.28. cap.27 Nymphides, inquit, calceamenta sunt muliebria & sponsalia.

k *Et arpides.*] Pollux lib.7 cap.22. in princ. scribit crepidas à nonnullis poëtarum ἀρπῖδας vocari, vt suprà in verbo, Sicut crepidas.

l *Sicut Scythica*] Ab ea gente inuentæ, vt scribit Pollux vbi suprà.

m *Laconica*] Laconibus quoque inuentæ, vt ille dicit.

n *Persica.*] Huiusmodi calceos fuisse proprios mulieribus, scribit Pollux, vbi suprà, & vide infrà in verbo, Persæ enim.

o *Amyclaida.*] Et de his Pollux vbi suprà, qui dicit calceos liberaliores: ipso verò nomine locum significare, scilicet Amyclas.

p *Et Alcibiaca.*] Ab Alcibiade, qui iis vtebatur Polluci eodem loco, & Athenæo ex Satyro lib. 12. Dipnosophist. cap.16.

q *Persæ enim.*] Strabo lib. 15. Persarum cultus & mores describens, Calceamentum, inquit, altum ac duplum. Xenophon Pædiæ Cyri lib.8. Calceos taleis habeant, in quibus, qui eos ferunt, clàm aliquid subiicant, quo maiores esse videantur quàm sunt.

r *Assyrij.*]

Nabathæi. Indi. Nudo pede qui incedebant. Hispani. Ligures. Antigonus. Galli. Imperatorum. Puellæ innuptæ apud Ægyptios. Cupezia

ſæ enim calceo vtuntur alto & duplo, vt magni appareant: [r] Aſſyrij paruo, [ſ] Ægyptij papyraceo, [t] Babylonij ſoleis Thebanis ſimillimo, [u] Cretenſes militari, [x] Nabathæi ſandalio. [y] Indi ex arborum corticibus nonnunquam ſoleas pedibus addebant. [z] Phocion vero nudo pede inceſſit, & [a] Cato Vticenſis mira patientia, ita vt vix eruda hyeme calcearetur: [b] quod de Socrate & [c] Ariſtodemo legimus. [d] Lycurgus quoque pueris Spartæ pro calceamento pedum nuditatem dedit, quò facilius accliuia aſcenderent, & decliuia peragrarent. [e] Empedocles ferreo calceo incedebat. [f] Hiſpani è Sparto, Ligures Cantabrico, [g] Galli agreſtes perone. [h] Demetrius verò Antigoni eò vanitatis proceſſit, vt aureo calceo calcearet. [i] Auguſtus altinſeulo vſus fuit, vt procerior videretur, [k] Caligula ſocco muliebri, [l] Diocletianus & [m] Heliogabalus gemmato, [n] Carinus gemmatis fibulis. [o] Apud Ægyptios autem innuptas puellas calceis vti non licet, vt euagandi licentia cohiberetur, quum nudo pede extra ſepta prodire nefas foret, [p] Cupezia, vero non muliebres, ſed tibicinum calcei erant. [q] Palla vero picta cum amiculo

ANNOTATIONES.

r *Aſſyrij paruo.*] Strabo libro 16. ornatum ſcribens, ſic inquit, Calceamentum gerunt non ſanè magnum.

ſ *Ægyptij papyraceo.*] Herodotus libro 2. iterumque 2 Sed poſteriore loco de ſacerdotibus tantùm Ægyptij loquitur. Nec hi ſolùm, ſed & hi, qui ſecundum flumen Indum habitant calceamenta geſtant ea papyro.

t *Babylonij ſoleis Thebanis ſimillimo.*] Herodotus lib. 1. Babyloniorum cultus deſcribens Calceos, inquit, gerunt gentis more, ſoleis Thebanis ſimillimos.

u *Cretenſes militari.*] Strabo lib. 10. de Cretenſium moribus loquens, Prætetea, inquit, & ſagulo & calceo vti militari, eiſque arma in ..timis pretioſiſſima fieri munera.

x *Nabathæi ſandalio.*] Strabo lib. 16.

y *Indi ex arborum corticibus.*] Philoſtratus in vita Apollonij libro 2. cap. 9. ſcribit eos qui ſecus Indum fluuium habitant, calceamenta ex arborum corticibus facta geſtare. Arrianus in vita Alexandri lib. 8. ſcribit, Indos calceis vti corio elaboratis albo, altioribus, ac ſoleis variis, quò proceriores appareant.

z *Phocion nudo pede.*] Plutarchus in vita illius, Ruri, inquit, ac militiæ nudo ſemper inceſſit pede: niſi hyemis atrocitas illum ad calceos impuliſſet. ideirco ferunt inter iocantes milites nullum fuiſſe ſignificandi crudelis frigoris certius argumentum, quàm affirmare calceatum Phocionem tunc fuiſſe.

a *Et Cato Vticenſis.*] Plutarchus in vita illius, Tantæ illum laboris patientiæ fuiſſe ſcribit, vt cùm amici, qui vnà iter faciebant, equis veherentur, ſingulos ipſe adiens, & pariter cùm illis loqueretur, pedibus ipſe vadens, cùm illi veherentur. Idem Plutarchus in eodem Catone, Sæpe ſine calceis, & ſine tunica in publicum prodibat à prandio. Hinc illud Horatij lib. 1. epiſtol. epiſt. 19. ad aliud ſuprà eodem ca. citatum.

Quid? ſi quis vultu toruo ferus, & pede nudo,
Exiguequé toga ſimulet textore Catonem,
Virtutémve repræſentet, moreſque Catonis?

b *Quod de Socrate.*] Ariſtophanes apud Laërtium, ſic ſcribit,

Elatus faſtu vias terit, oculiſqué innuit,
Et diſcalceatus multa tolerat,
Et inter nos vultu grauitatem præſe fert.

c *Et Ariſtodemo.*] Atque etiam de P. Scipione, & Germanico apud Cornelium Tacitum libro 2. vbi Germanici in Ægyptum profectionem deſcribit, Leuauit, inquit, apertis horreis pretia frugum, multáque in vulgus grata vſurpauit, ſine milite incedere pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu, P. Scipionis æmulatione, quem eadem factitaſſe apud Siciliam, quamuis flagrante adhuc Pœnorum bello, accepimus.

d *Lycurgus.*] Plutarchus in Lycurgo, de adoleſcentum Spartanorum educatione loquens, Progreſſu ætatis eam iis iunioribus ſcilicet, exercitationem intendebant, vt ad cutem vſque ſeipſos tonderent, & diſcalceatos incedere, ac frequentius nudos ludere conſuefacerent.

e *Empedocles ferreo calceo.*] Imò æreo ex Laërtio in vita illius: Phauorinus (inquit Laërtius) in commentariis author eſt, crepidas item æreas & Delphicam ſumpſiſſe coronam. Ælianus de Varia hiſtoria, lib. 12. cap. 32. ſcribit Empedoclem vſum fuiſſe calceis æneis.

f *Hiſpani è Sparto.*] Plinius Naturalis hiſtoriæ lib. 19. cap. 2. Sparti naturam & vſum eius deſcribens: Hinc, inquit, ſtrata ruſticis (Carthaginenſis Hiſpaniæ citerioris ſcilicet) eorum, hinc ignes faceſque, hinc calceamina, & paſtorum veſtis.

g *Galli agreſtes perone.*] Pero ruſticum eſt calceamentum, vt inquit Seruius lib. 7. Æneidos, vbi priſcos Latinos perone in bellis vſos oſtendit,

—— Veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedis, crudus tegit altera pero.

Alius autem erat ad mediam tibiam, quominus limo ac luſo aratorum pedes inficerentur. Iuuenalis. ſa. 14.

Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet alta
Per glaciem perone tegi.

Budeus in annotationes in Pandectis in l. in naue, titulo locati, Perones tibialia ſunt laxa, quibus noſtrates ruſtici vtuntur, ſic dicta (vt arbitror) quòd peræ modo ſint informia. Hinc peronatus, peronibus calceatus apud Perſium ſat. 5.

Nauim ſi poſcat ſibi peronatus arator
Luciferi rudis. ——

Vulgus Gallicum *gueſtres* vocat, ſiue, *trique-houſes, ou botte & bourde.*

h *Demetrius.*] Plutarchus Demetrij mollem veſtitum taxans, ſcribit eum auratis calceis pedes ornare ſolitum.

i *Auguſtus*] Suetonius in vita illius, c. 79.

k *Caligula ſocco muliebri.*] Plinius lib. 9. cap. 35. Sueton. in Caligula, cap. 52. Et diximus ſuprà, vbi de ſocco.

l *Diocletianus.*] Eutropius libro de Geſtis Rom. 10. cap. 19. eodémque vbi. ſcribit Domitianum Imperatorem, ornamentum gemmarum veſtibus calceamentiſque indidiſſe. Et idem Euſebius in Chronicis: & Caſſiodorus in Coſſ. Romanis.

m *Et Heliogabalus.*] Lampridius in vita illius, Habuit, inquit, & in calceamentis gemmas & quidem ſculptas: quod riſum omnibus mouit, quaſi poſſent ſculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant. Idem Lampridius in Alexandro Seuero non longè à princip. ſic ſcribit, Gemmas de calceamentis & veſtibus tulit, quibus vſus fuerat Heliogabalus.

n *Carinus.*] Flauius Vopiſcus in Carino, inquit, gemmas in calceis: niſi gemmata fibula vſus non eſt.

o *Apud Ægyptios.*] Plutarchus in præceptis Connubialibus num. 31. Ægyptiis mulieribus vti calceamentis patrius mos non fuit, vt ſeſe domi continerent.

p *Cupezia verò.*] Nullibi legi Cupezia, & puto hic errorem eſſe in verbo, vel authoris, vel librarij, quod magis credo, & legendum eſſe Crupezia, de quibus Iulius Pollux li. 7. Onomaſticôn cap. 22. τὰ δ̕ κρουπέζια ξύλινον ὑπόδημα ποιητικόν εἰς ἐνδόσιμον χόρου. Crupezia autem ligneum calceamentum factum ad auſpicationem chori. Vnde Crupeziphori Bœotea exiſtunt.

q *Palla verò picta.*] Vide ad quid id referatur, niſi velit hanc quoque eſſe tibicinum.

r *Apud*

purpureo. [r] Apud Persas, stola Medica cum armillis & torque. Ægyptiis, sacra Isidis vestis, reginarum amictas ornatúsque fuere, quibus insigniis velut verissimis notis, à vulgo secernebantur. Quam quidem pallam pueris, puellisque quandoque traditam legimus. [s] Apud Græcos verò, Arabes, [t] Lydos, Phryges [u] & Assyrios, longa stola, mitris & mitellis matronas & viros ornari, traditum est: [x] virorum apud eosdem, frequens vestis stola quadrata fuit. [y] Thessalis demissa clamys erat omni tempore accommodatior. [z] calantica autem Romanis capitis fuit ornatus, non vestis. [a] Lycurgus iuuenibus vna tantùm veste, eáque obsoleta, & nullo discrimine à cæteris vti toto anno permisit. [b] Zeno quoque nullum discrimen vestis esse inter ciues, sed eosdem amictus viros ac mulieres ferre præcipiebat. [c] Solon plus tribus vestibus quenquam vti, lege prohibuit. Apud reliquas vero gentes vestitus habitúsque dissimiles fuere. [d] nam Gallis nobilioribus tinctas gestare vestes, aut saga hirsuta virgata: hyeme crassiora, æstate subtiliora longis villis, & [e] brachas [f] longis femoralibus [g] auro pictas, [h] intonsas, & varij coloris, [i] quas anaxyrides Græci vocant: tum [k] collo torques & monilia, frequens mos fuisse traditur. Quas quidem brachas, non apud Gallos modo, [l] sed Medos & [m] Scythas [n] aliosq; barbaros

Persæ. Reginarũ amictus apud Ægyptios. Mitra. Mitella. Thessala. Calantica. Vna tantum veste qui vtebantur. Galli nobiliores. Anaxyrides. Bracha.

ANNOTATIONES.

r *Apud Persas.*] De habitu Persarum, & calceamẽtis, & stola medica iam diximus suprà hoc eodem c. ex Xenophonte & Strabone.

s *Apud Græcos.*] Plutarch. in Solone. Quos vbi conspexit Solon ab insula eò contendere, mulieres longè abire iussit, ex iuuenibus impuberes deligens, earum vestitu, mitris & calceamentis ornauit.

t *Lydos, Phryges.*] Seruius enarrans illud carmen Virgilij Æneidos 4.

Mæonia mentum mitra, crinemq́, madentem.

Scribit Lydios, qui Mœones dicuntur, & Phryges mitris vsos fuisse.

u *Et Assyrios.*] Id est Babylonios ex Herodoto li.1. Capita, inquit, habentes comata mitris rediminunt.

x *Virorum apud eosdem.*] Appianus de Ciuilib. Ro. bellis, lib. 5. de M. Antonio sic scripsit, Exutus nempe curis omnibus, & Imperij obsequiis, stolam quadratam Græcorum more, pro patria & domestica induit.

y *Thessalis.*] Thessalicarum chlamydum meminit Pollux lib. 7. c. 13. cùm scribit, Chlamydes verò Thessalicas, alas Thessalicas nuncuparunt. Et Thessalicanis, pro chlamydibus induimur.

z *Calantica.*] Tegmen est muliebre, quod capiti innectitur. Cicero in Clodium apud Nonium Marcellum, Tún' cùm vincirentur pedes fasciis, cùm Calanticam capiti accommodares? Vide in nostris legib. Connub.

a *Lycurgus.*] Plutarchus in Antiquis Lacedæmoniorum institutis, Emenso, inquit, duodecimo ætatis anno, sine tunica iam degebant, pallium vnum in annum capientes. Iustinus lib. 3. inter præclara Lycurgi instituta, hoc refert, iuuenibus non amplius vna veste vti toto anno permissum, nec quenquam cultius quàm alterum progredi, nec epulari opulentius, ne imitatio in luxuriam verteretur. Sed & apud Cretenses pueri vna tantum veste tam per hyemem, quàm per æstatem vtebantur, authore Heraclide in Politicis.

b *Zeno quoque.*] Citticus scilicet ex Laërtio in vita illius Zenonem scribit eandem vestem viros ac mulieres indui præcepisse, nullámque corporis nudare partem.

c *Solon.*] Plutarch. in vita illius, Egressioribus quoque mulierum, ac fletibus, ac celebritatibus lege prospexit, vt omnem immodestiam intemperantiamq; cohiberet, exire cum tribus tantum vestibus iubens.

d *Nam Gallis nobilioribus.*] Strabo lib 4. Gallorum habitus scribens, sic ait, Etenim aurea illis sunt gestamina, collo quidem torques: manibus autem & lacertis armillæ, dignitatis honores tinctas gestant vestes, & auro pictas. & paulò antè, Lana quidem aspera, cæterùm oblongis villis, vnde & hirsuta texunt sagula. Diodorus Siculus lib. 6. aut aliorum supputatione 5. cap. 9. Manuum articulos, inquit, & brachia armillis aureis exornant. Circa collum insuper grandes torques gestant ex solido auro, & in digitis annulos. Et aliquot intericctis, Sagula ferunt virgata: hyeme quidem crassiora, æstate subtilia. Et ad id quod de Sagis dicitur spectat quod Cicero in Oratió. pro Fonteio Gallos vocat Sagatos.

e *Brachas.*] Sueton. in Iul. Cæsare, ca. 80. Galli in curia brachas deposuerunt, latum clauum sumpserunt. Vopiscus in Aureliani triumpho de Xenobia Imperatrice, Inter hæc fuit Tetricus chlamyde coccinea, tunica Galbina, brachis Gallicis ornatus. Tacitus lib. 18. Ornatum Cecinnæ mancipia & coloniæ in superbiam trahebant, quòd versicolore sagulo; brachas tegmen Barbarum indutus, Togatos alloqueretur. Hinc Narbonensem prouinciam antè Brachatam dictam fuisse constat Plinij testimonio lib. 3. c. 4. Cæterùm D. Hieronymus ad Fabiolam de veste sacerdotali, & Diuus Ambrosius lib. Officior. 1. Brachas appellant feminalia, siue femoralia, quibus pudibunda velantur. Græci σκελεαλῆ, vocantur. Nostri vulgò *brayes, ou haut de chausses*, vocant. Alij scribunt gemino cc. sine aspiratione.

f *Longis femoralibus.*] Strabo d. lib. 4. Sagis, inquit, vestiuntur, comas nutriunt, prolixis vtuntur femoralibus.

g *Auro pictas.*] Strabo ibi.

h *Intonsas & varij coloris.*] Strabo dicto libro 4. Diodorus vbi suprà, Vestes ad terrorem intonsas ac coloris varij ferunt. Et huc alludit Tacitus loco citato in verbo, Brachas.

i *Quas Anaxyrides Græci vocant.*] Diodorus vbi suprà, scribit Gallos Anaxyridas brachas vocare, his verbis, ἐσθῆσι δὲ χρῶνται ἐκπληκτικαῖς, χιτῶνας μὲν βαπτοῖς χρώμασι παντοδαποῖς διηνθισμένους, καὶ ἀναξυρίδας ἃς ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσι. id est, vestibus autem vtuntur mirabilibus, tunicas quidem tingũt floridas, & Anaxyridas illi appellant.

k *Collo torques & monilia.*] Dictum est suprà in verbo, Nam Gallis nobilioribus.

l *Sed Medos.*] Brachatos appellat Persius saty. 3,

Quæq́, docet sapiens brachatis illita Medis
Porticus insomnis. ——

Et quisquis est in carmine Priapeio,

Medis laxior Indicisq́, brachis.

Ex quo etiam intelligis Indos his vti solitos.

m *Et Scythas.*] Hoc etiam vestium genere vsos esse Scythas testatur Ouidius lib. 5. Tristium eleg. 8.

Pellibus & laxis arcent mala frigora brachis,
Oraq́, sunt longis horrida tecta comis.

n *Aliósque Barbaros.*] Brachis Persas vsos esse, testis est Herodotus libro 8. breues arcus ac breuia spicula, longas brachas gerentes, in pugnam eunt. Ouid. dict. lib. Trist. 5. eleg. 11.

Hos quoque, qui geniti Graia creduntur ab vrbe,
Pro patrio cultu Persica bracha tegit.

Et Sarmatas apud Pomponium Melam lib. 2. ca. 1. Valerium Flaccum lib. Argonauticôn 5.

Et iam Sarmaticis permutant carbasa brachis.

Lucanum lib. 1. Pharsaliæ,

Et qui te laxis imitantur Sarmata brachis
Vagiones. ——

De Indis autem iam diximus ex obscuro carmine.

io vsu comperimus: ° Tum eodromides p & cuculli frigoribus apti, q Gallorum propria commenta sunt, r Apud Vectooes s & Caotabros, mulieres monilia ferrea collo circundare, & à froote proteosum vmbraculum, quod attrahant, quum velint, & retraheot. t Alias proteotas comas in altum erigere, illásque baculo obuoluere: nōnullas frōcipur expilare, magni decoris putabatur. u Gnidaoorum vxoribus, qui iuxta Lotophagos sunt, multi æstimabatur fimbrias pelliceas ferre plurimas, quas munera adulterij sumebant, illáque præcipuæ dignationis erat, quæ puribus fimbris muniretur. x Sicut Curetibus, qui Æoliam iocolunt, loogasstolas puellares induere. y Et Aodrimachidarum vxoribus vtroque crure æneam armillam innectere. z Arabibus Nabathæísque, tunicas cum subligaculis ferre. a Indorum fuit ornatus in veste caodida, & carbasis miræ tenuitatis auto purpuráque distinctis. b Medorum oculis pictis iocedere, colorato capillo, côma proiensa, circa collum monili, & armillis circa manus, capite velato, c veste pellocida & fluida. d Contrà verò Persarum: oam crassiore vtebantur, laxa & fluxa cioctura, nonnunquam stola Semiramidis. e Quare Alexaoder Macedo vtrorumque inspecto habitu, Persicam induit vestem, Medorum admittere recusauit. f Sic Gratianus Cæsar, deuictis Germaois, Romanum oeglexit cultum, amictu Alano atque equo pariter vsus. g Assyriorum mos erat duplici amiculo vestiri, altero lineo ad pedes demisso, altero laneo quod superinduebaot. Maurusiis crassam vestem, aut laceram quam induebant, pro tempore variare vetebatur. h Persæ amictum habeot æstate purpureum, hyeme varium, i Troglodytæ serpentum m & piscium coria. l Massagetæ ex arbotum corticibus amictus intexebāt, Scythicis ferè similes. m Mardorum genti proprium fuit, crassiorem vestem & non vltra genua inducre, próque capitis oroatu fundam ironti annectere. n Indi quo-

ANNOTATIONES.

o *Tum endromides.*] De his bis dictum est suprà: sed quod frigori arcendo conueniat, vt hic dicit, testimonio est Martialis lib. 4. epig. 19.

Sordida, sed gelido non aspernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus endromidem.

Et Iuuenalis satyr. 3. ostendens Græcos peritissimus esse ad adulandum,

— Igniculum Brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem: si dixeris, Æstuo, sudat.

Idem saty. 6. taxat mulieres Romanas quòd endromide Tyria vterentur.

p *Et Cuculli.*] Columella lib. 1. c. 8. eodemque vlt. Cultam vestitúmque familiam magis vtiliter, quàm delicatè habeat, munitámque diligenter à vento, frigore, pluuiáque, quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel sagis cucullis. Id si fiat, nullus dies tam intolerabilis est, quo non sub dio moliri aliquid possit. Est autem capitis tegmen, quod vulgò nostrates *Cappam* vocant. Ex quo Martialis lib. 5. c. 14.

Illinc cucullo prospicit caput tectus.

Et de hoc quoque Iuuenalis sat. 3.

Contentusq́; illic Veneto, duroq́; cucullo.

Et saty. 6. Et hunc alij cucullionem diminutiuè, Græcorum forma, vocant: & in his Cato Rei rusticæ, c. 2. & 135. & Iulius Capitolinus in vita Veri, his verbis, Fertur intantum vitiorum Caianorum & Neronianorum ac Vitelliorū fuisse æmulum, vt vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio.

q *Gallorum propria commenta.*] Scilicet ipsi cuculli, qui propriè Gallorum sunt, præsertim Santonum Galliæ populorum. Iuuenalis saty. 8.

— Si nocturnus adulter,
Tempora Santonico velas te bardocucullo.

Et Martialis lib. 14. epig. 128.

Gallia Santonico vestit te bardocucullo.

Nam ita appellat veluti cucullum bardorū: qui ipsis ex Gallis erant, in primis studio philosophiæ, vaticinationibus, & carminum laudsti Straboni lib. 4. Diodoro Siculo lib. 6. c. 9. & Lucano lib. 1. Cucullorum etiam bardicorum mentio fit apud Iul. Capitolinum in vita Pertinacis.

r *Apud Vectones.*] Vetiones legendum est ex Strabone, qui hæc de illis scribit lib. 3.

s *Et Cantabros.*] Idem Strabo ibid.

t *Alias protentas.*] Hæc vsque ad versi. Gnidanorum vxoribus. sunt Strabonis ibi. d. lib.

u *Gnidanorum vxoribus.*] Herodotus lib. 4. Gnidanos hos vocat.

x *Sicut Curetibus.*] Strabo lib. 10. Curetum nominis rationem reddens, sic ait, Curetas Æoliam habitantes nomē hoc adeptos esse ferunt, quia sicuti κόραι, hoc est, puellæ, muliebres longas stolas induant.

y *Et Andrimachidarum.*] Strbo lib. 4.

z *Arabibus Nabathæisq́.*] De his duobus Strabo libro 16. paulò ante finem, Tunicæ, inquit, in subligaculis & sandaliis.

a *Indorum.*] Strabo lib. 15. & Q. Curtius lib. 8.

b *Medorum.*] Hæc vsque ad es verba, Veste pellucida, sunt Xenophontis Pædiæ Cyri lib. 1. Et idem de Persis, vt scilicet, oculos suppingerent coloribus, tradit idem author eiusdem operis lib 8.

c *Veste pellucida & fluida.*] Iustinus lib. 41. vbi idem dicit de Persis.

d *Contrà verò Persarū.*] Diximus suprà ex Strabone & Curtio in verbo, Quamuis Persici reges.

e *Quare Alexander Macedo.*] Plutarchus tū in vita ipsius, tum in lib. de Fortuna, aut virtute eiusdem Alexandri, & Q. Curtius lib. 6. Iustinus lib. 12.

f *Sic Gratianus Cæsar.*] Paulus Diaconus lib. 11. de Gestis Roman.

g *Assyriorum.*] Herodot. de Babyloniis loquens, qui & ipsi Assyrij sunt, lib. 1. & Strabo lib. 16.

h *Persæ.*] Scilicet Principes ex Strabone lib. 15. cuius hæc sunt, vt & suprà diximus. Nam, vt illic subdit, Multitudo tunicam duplam gerit, ad mediam vsq; tibiam descendentem, circum caput Sindonij panni volumen.

i *Troglodytæ serpentum.*] Troglodytæ vesci non vestiri, carnibus serpentum, tradit Solinus c. 45.

k *Et piscium coria.*] Vt & Chelonophagi ex Pomponio Mela lib. 2. c. 8. quo de sinu Persico loquitur: Plinio lib. 6. ca. 24. Solino c. 67. in fi. Chelonophagi coriis piscium vestiuntur. Strabo lib. 16. Chelonophagi testudinum testis vestiuntur, quæ adeò magnæ sunt, vt vel in eis nauigent.

l *Massageta.*] Strabo lib. 11. Idémque de Germanis dicit Pomponius Mela lib. 3. cap. 3. vbi de Germania sic scribit. Viri, inquit, sagis velantur & libris arborum. Strabo lib. 15. scribit, Indicos philosophos, quos Syluicolas appellant, vestes ex arborum corticibus habere. Herodotus lib. 1. paulò ante fin. Massagetæ, inquit, & amictum, & victum habent Scythico similem.

m *Mardorum.*] Q. Curtius Mardorum mores & cultum corporis describens, sic ait, Comæ prominent hirtæ, vestis super genua est, funda vinciunt frontem: Hoc & ornamentum capitis & telum est.

n *Indi.*] Strabo lib. 15. in diuersis locis. Pomponius Mela lib.

que dissimiles habitus corporis mira specie variarunt. Namque alij nudi agunt, [o] nonnulli piscium, [p] ferarum aut [q] auium pellibus amicti sunt, [r] plerique lino, multi lana vestiuntur: alij in cultu corporis ita accurati, vt [s] faciem coloribus pingant, [t] candidam vestem induant, aurum gestent, [u] lapillis ornentur. [x] Mauri leonum, pardorum & vrsorum tergoribus, [y] alij serpentum & piscium coriis velantur. [z] Scythiæ magna pars tergore vulpium & murium operti incedunt, [a] sicut Geloni hostium cutibus. [b] Britanni reliqua nudi, ventrem & ceruicem ferro cingunt. [c] Hispani primùm breue sagulum, mox stolas & togas Romano more accepere, quare stolati dicti & togati. [d] Gymnesiarum incolæ iunceo ornantur amictu, [e] Belgæ hirsuto sagulo, [f] Germani sago cum fibula: aut si desit fibula, spina conserta: locupletes verò stricta veste singulos artus exprimente. Quinetiam apud veteres sapientiæ professores, diuersi cultus corporis ornatúsque fuere. Namque, [g] Diogenes corpore seminudo fuit veste humili & sordida; qui quum Rhodios veste conspicuos cerneret, illos dixit nimium insolentes: rursus quum Lacedæmoniis in veste sordida & inhonesta occurrisset, etiam hos inso-

Mauri. Geloni. Britanni. Hispani. Gymnesia. Belgæ. Germani. Philosophorum vestes.

ANNOTATIONES.

lib 3.cap.7. de India Solinus c. 65.

o *Nonnulli piscium.*] Arrianus lib.8. Rerum gestarum Alexandri. Solinus c. 67. in fi.

p *Ferarum.*] Scilicet Sobij Indorum populi apud Curtium lib.9. Sobiis pelles ferarum pro veste, clauæ pro telo erant. Inde quoque apud Arrianum d. libr.8. cuius hæc sunt verba. Indi Pastores fuere, quemadmodum & Scythæ, qui neque agriculturæ student, neque vrbes incolunt, neque templa diis extruunt: sed plaustris errabundi in alia atque alia loca pro tempore commeant: pellibus ferarum, quas venando occiderãt, amicti arborum foliis pascebantur, & Sibesij, gens Indica, pellibus amiciebantur, vt Arrianus scribit eod. lib.8. Atque etiam Indi maritimi, apud eundem Curtium d. lib.9. his verbis, Ferarum pellibus tecti, piscibus sole duratis & maiorũ quoque belluarum, quas fluctus eiicit, carne vescuntur. Qui & ipse posteà in genere dicit Indos pellibus ferarum, quas venando occiderant, amictos fuisse. Quod & ipsum de Gemanis tradit Tacitus de Moribus German. & Ægyptiis Diodorus Siculus lib.2.c.1. Et ex his est illud Lucretij lib. 5.

Nec dum res ignis scibant tractare, neque vti
Pellibus & spoliis corpus vestire ferarum,

Cæterùm alij caprarum pellibus vestiebantur, vt Getuli & Sardi ex Varrone lib.2. Rei rusticæ, c. 11. ad fi. Scythas quoque pellibus pro vestibus vti testimonio illud Arriani, quod hoc superius citauimus. Et Virgil. de his loquens libro 3. Georg.

Et pecudum fuluis velantur corpora setis.

Vbi Seruius tradit huiusmodi vestes, Rhenones dici, citátque Sallustium in historiis. Sed cui adde quod scribit Cæsar lib. 6. belli Gallici, Germanos vti paruis rhenonum tegmentis. Húcque etiam spectat quod de Camilla scribit Virg. lib. 11. Æneidos.

Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ.
Tigridis exuuiæ per dorsum à vertice pendent;

Et de alio quopiam lib. 8.

—— Quem fulua pelle leonis
Pellis obit totum, præfulgens vnguibus aureis.

Strabo lib.15. scribit Montanos Indiæ pellibus ceruorũ vti; & peras radicibus, & medicamentis plenas gestare.

q *Aut auium.*] Seneca ad Lucilium epist. lib. 14. epist. eius lib. 2. omnium eius operis 90.

r *Plerique lino, multi lana vestiuntur.*] Solinus cap.65 de Indorum cultu loquens. sic scribit, Alij lineis, alij lineis peplis vestiuntur, pars nudi. Pomponius Mela lib.3. cap. 7. de India loquens, eadem scribit Adde & alios ex Indis ferre vestem de tegete, quam vbi è flumine messuerunt. incederúntque, plectentes in modum storeæ, tanquam thoracem sibi induunt.

s *Faciem coloribus pingant*] Strabo li.15 Arrianus lib.8. Barbam, ait, Indos alio atque alio colore fucare: vt in aliis alba, in aliis phœnicea, in nonnullis ruffa, in quibusdam viridis, in aliquibus nigra videatur. Similiter Agathyrsi. Virg. lib.4. Æneidos.

Pictíque Agathyrsi.

Vbi Seruius Agathyrsi, populi sunt Scythiæ, colentes Apollinem Hyperboreum, Picti, non stigmata habentes, sed pulchri, id est, Cyanea coma placentes. Hos Plinius lib.4. ca.12. scribit habere capillos cæruleos. Pomponius Mela libro 2. cap. 1. vbi de Scythia Europæa loquens sic scribit, Agathyrsi ora artúsque pingunt, vt quique maioribus præstant, ita magis vel minus: cæterùm iidem omnes notis, & sic vt ablui nequeant. Solinus cap. 25. Gelonis, inquit, Agathyrsi collimitantur cæruleo picti colore, fucatis in cæruleum crinibus. Et Geloni, de quibus & Virgilius libro 2. Georgicôn,

Eoasque domos Arabum, pictósque Gelonos:

t *Candidam vestem induant.*] Strabo lib.15. In cultu, inquit, corporis nimij: nam & aurum gestant, & lapillis ornantur, & sindonem candidissimum induunt; & vmbrellas secum portant.

u *Lapillis ornentur.*] Vt Nisæi, & qui ipsi sunt Indorum populi, vtebantur veste distincta maculis, vt prodit Arrianus lib. de Gestis Alexan.8.

x *Mauri.*] Strabo lib. 17. Leonum, & pardalium, & vrsorum pelles induunt, & dormientibus substernunt.

y *Alij serpentum.*] Strabo dict. lib. paulò pòst, Nonnulli ex iis barbaris serpentum ac piscium coriis indumentis ac stramentis vtuntur:

z *Scythia magna pars.*] Seneca li.14. epist. ad Lucilium epist. eius lib. 2. omnium eius operis 90. Num hodiéque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur, quæ tactu mollia & impenetrabilia ventis sunt?

a *Sicut Geloni.*] Herodotus libr. 4. Solinus c. 25. Geloni de hostium cutibus, & sibi indumenta faciunt & equis suis tegmina. Pomponius Mela. lib.2. cap. 1. ad finem, Geloni hostium cutibus equos seque velant: illos reliqui corporis, se capitum.

b *Britanni.*] Herodotus lib 5.

c *Hispani.*] Liuius 3. Dec. lib.2.

d *Gymnesiarum.*] Strabo lib.3. authoritate Philetæ in lib. Interpretationum, Hirta, inquit, vestis, sordida, rarus limbus inuoluitur, & iunceum ornamentum, perinde ac iuncis circuncinctis: fundas verò aut iunceas, aut è setis, aut neruis contextas gestant.

e *Belgæ.*] Strabo lib. 4.

f *Germani.*] Pomponius Mela lib.3. ca. 3. quo de Germania scribit, Viri, ait, sagis velantur, aut libris arborum. Cornelius Tacitus de Moribus Germanorum, sic scribit, Tegmen omnibus sagum fibula: aut si desit, spina consertum. Cæsar lib. 6. belli Gallici, Pellibus, inquit, aut paruis rhenonum tegumentis vtuntur, magna corporis parte nuda. De Rhenonibus autem suprà diximus.

g *Diogenes.*] Ælianus lib.9. de varia Historia, tit. de Splendidè vestitis, sic scribit. Diogenes cùm venisset Olympiam, & Rhodaicos quosdam adolescentes videret pretiosis magnificísque vestibus amictos, cùm risu inquit: Hoc nihil præter fastum. Deinde cùm incideret in Lacedæmonios laceris squalentibúsque tunicis amictos: Hæc, inquit, longè alia est superbia, Et vide in nostris legibus Connubial.

Corona aurea Pythagoræ.

lentes nuncupauit. [h] Pythagoras alba amictus veste, [i] neque ex mortuo animali quippiam ferens, auream coronam gestabat, [k] nonnunquam purpuratus. [l] Crates manticam & sordidum palliolum. [m] Aristippus Socraticus Milesiam chlamydem, aliquando amictum viliorem induebat, cætera nudus. [n] Aristoteles verò decorus habitu, & nitido vestitu fuit, tonsa coma, digitis redimitis auro. [o] Hippias cultu visendus suis manibus elaborato, sicut [p] Apollonius Tyaneus linteis, & [q] Gorgias purpura conspicui erant. [r] Heraclides molliori veste, [s] Zeno tenui pallio. [t] Empedocles Agrigentinus præter purpuram, etiam calceamentis æreis incedebat, [u] Demosthenes molli tunica & nimis accurata, [x] Aristides trita lacerna, [y] Socrates velissima stola, [z] Xenophon cum thorace & clypeo. Fuitque Homeri opinio, antiquissimos Græcorum, pelles leonum, [a] pardorúmque, ouium & capratum ac luporum à principio induisse. Postea impotentia muliebri eò vesaniæ processum fuit, vt maximos indultæ cultus, [b] purpuraque & auro, ac gemmis redimitæ procederent: armillas annulósque in digitis aureos, collóque monilia, & catenas circa latera margaritis inserta, in auribus verò vniones & cylindros ad ostentationem luxus, Romanæ mulieres ferrent: ipsásque auro fulgentes iuncto vehiculo & carpentis, festis profestísque diebus per vrbem pérque oppida vehi proditum sit. Quod non modo Romanis, sed & sociorum Latini nominis vxoribus decoris causa tributum ferunt: quibus quidem vehiculis nisi castæ & spectatæ probitatis fuissent, aliàs vti non decebat: à quibus viri vnà sedentes, descendere minimè cogi poterant, quasi in tuto essent præsidio, priuilegio vxoris. [c] Quare Domitianus Cæsar nouo statuit edicto vt probrosis fœminis lecticæ vsus adimeretur. [d] Fuitq; apud Athenienses seruatum, vt Atticæ fœminæ Doridam vestem, quam prius induebant, simillimam Corinthiæ, ne fibulis necterentur, in lineam commutarent: [e] & à Syracusanis lege sancitum, ne viri aut mulieres maiori sumptu ornarentur, ni prius se constupratas, & omni nequitia impudicas docerent. [f] Quod propè cum Ephesiis cōpar fuit, qui quum

Antiquorum vestitus ex animantium pellibus.
Cultus Romanorum.
Lectica mulierib.
Viri vxorum nomine priuilegium.
Athenienses.
Syracusani.
Ephesij.

ANNOTATIONES.

l. 3. num. 56. incip. Diogenes.

h *Pythagoras.*] Laërtius in vita illius. Ælianus de varia Historia, lib. 12. cap. 32. Pythagoras, inquit, Samius alba veste amiciebatur, & gestabat coronam auream, atque Anaxyrides. Maximus Tyrius, Philosophus Platonicus, Sermone 37.

i *Neque ex mortuo animali.*] Philostratus in vita Apollonij, lib. 1. in princ. Vestitum, inquit, ex morticina materia confectum, renuisse Pythagoram dicunt, & ab animantium omnium esu abstinuisse: nec tale quicquam omnino sacrificandum putasse.

k *Nonnunquam purpuratus*) Maximus Tyrius vbi suprà in fin. Pythagoram quidem purpura vestitum, Socratem vilissima stola, Xenophontem & thorace & clypeo armatum, Sinopeum pugilem, Telephis ipsius exemplo, baculo ac pera instructum: quorum omniū ornatus cum persona, quam gererent, optimè faciebat.

l *Crates.*] Thebanus scilicet. Laërtius in Cratis Thebani vita.

m *Aristippus.*] Laërtius in vita ipsius, & Plutarchus in lib. de Fortuna aut virtute Alexandri. Maximus Tyrius vbi suprà, Aristippus, inquit, ille, qui purpuram gestaret, vnguentísque oblitus esset, haud intemperantior Diogene fuit.

n *Aristoteles.*] Eadem scribit Rauisius Textor Niuernensis in sua officina: sed nullum citat authorem. Sed id est Diogenis Laërtij in vita Aristotelis in princ.

o *Hippias.*] Ælianus de varia Historia. lib. 12. cap. 32. scribit Hippiam purpureis vestibus amictum in publico versatum esse.

p *Sicut Apollonius.*] Philostratus in vita illius, lib. 1. c. 6. Primùm, ait, ex animalium vellere confectas vestes respuens, linteis amiciri decreuit, & simul comam nutrire cœpit. & alibi sæpe apud eundem Philostrat.

q *Gorgias.*] Ælianus d. li. de varia Hist. c. 32. scribit eum purpureis vestibus vsum fuisse.

r *Heraclides.*] Ponticus scilicet. Laërtius in vita illius. Hic, inquit, mollicula veste vtebatur, tumentíque fuit corpore, adeò vt illum Attici non iam Ponticum, sed Pompicum vocarent.

s *Zeno.*] Laërtius de Zenone Cittico hæc scribit, Erat autē patientissimus, & simplissimi victus, crudísque cibis tantùm vtebatur, & tenui pallio.

t *Empedocles.*] Laërtius in vita illius, authoritate Neanthis & Phauorini. Ælianus variæ Historiæ, lib. 12. c. 32. Empedocles verò Agrigentinus, inquit, purpura vtebatur & calceis æneis. Philostratus in Helladicis.

u *Demosthenes.*] Gellius li. 1. c. 5 Demosthenem, ait, tradunt & vestitu cæteróque cultu corporis nitido, venustóque, nimísque accurato fuisse. Petrus Crinitus lib. 6. c. 9. vti etiam Demades eiusdem temporis orator eximius, ex Plutarch. in Phocione, cuius hæc verba sunt, Nam tibi vni, inquit Phocion, maximè omnium ciuitas iure crediderit, homini vnguentato, & myrtum vndique redolenti, quòve nemo videri cupiat, aut in vestitu splendidior, aut domi lotior, aut in omni luxus genere delicatior.

x *Aristides.*] Plutarchus in Aristide. Cùm ipsum trita lacerna indutum, in luce omnium, in oculis ciuitatis venire intueamini. Philostratus in vita Apollonij lib. 6. c. 11. scribit Aristidem Athenas rediisse eadem veste, & quidem vili ac semilacera.

y *Socrates.*] Maximus Tyrius d. Sermone 37. iam suprà citato, vbi de Pythagoræ purpura scripsimus. Sed adde & crepidibus ex Æliano variæ Historiæ, lib. 4. c. 11. vbi de Socratis delitiis.

z *Xenophon.*] Maximus Tyrius vbi suprà, & Ælianus eiusd. illius operis, li. 3. c. 24. de Xenophontis pulchritudinis amore, Dicitur, inquit, habuisse scutum Argolicum, thoracem Atticum, Galeam Bœotio artificio factam, equum Epidaurium.

a *Pardorumq;.*] Homerus lib. 3. Iliados post princ. vbi non Græci, sed Paris introducitur,

παρδαλέην ὤμοισιν ἔχων.

Id est:

Pellem pardi humeris habens.

b *Purpuraq; & auro.*] Valerius Maximus lib. 2. ca. 1. de vsu vini mulieribus interdicto, Cæterùm, inquit, vt non tristia earum & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset indulgentibus maritis, & auro abundanti & multa purpura vsæ sunt: & quò formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt.

c *Quare Domitianus.*] Suetonius in vita illius, c. c. 8.

d *Fuitq; apud Athenienses.*] Strabo lib. 5.

e *Et à Syracusanis.*] Philarchus lib. Historiarum 25. & ex eo Athenæus Dipnosop. li. 12. c. 6. legem apud Syracusios fuisse scribit, qua cautum erat, ne mulieres auro ornarentur, néve floridas vestes gestarent, ac neque purpureos habentes cōtextus, nisi siqua se publicam amicam esse fateretur.

f *Quod propè cum Ephesiis.*] Cicero libro 5. Academicarum

Quæstio

vitiis inquinatissimi essent, neminem frugi viuere posse sunt. Hermadorúmque, quòd vir probatissimus esset, vrbe exegere: [g] qui Romæ postea leges decemuirales interpretatus, [h] statua in comitio à populo donatus fuit. Hoc quoque inter cætera notatum est, [i] consules paludatos, [k] nonnunquam trabeatos, [l] paludatis lictoribus ad bella ducere solitos. [m] Namque erat paludamentum vestis imperatorum, qua summi duces persæpe vtebantur: [n] ornatus tamen militaris, [o] quam chlamydem appellarunt. [p] Militesq; sagatos militiæ domique incedere consuesse. [q] Saga enim, [r] chlamys & [s] Lacerna, militum vestes fuere. [t] adde etiam lænam quam supremam induebant, licet subsequutis temporibus [u] Antonius Philosophus Augustus milites sub se stipendiarios, togatos esse iusserit, nec vnquam sagatos incedere passus sit. [x] Mansitque diu Romæ constitutum, vt serui ingenuorum veste non vterentur: [y] quippe qui nec colobia nec calceos habebant, quæ liberis dabantur. Crepidis quoque aut mulleis vti seruos aut plebeios, erat lege vetitum. [z] Syracusani verò, vt discrimen ingenuæ & seruilis personæ notaretur, seruis equi charactere inusserunt: [a] Samij quoque captiuos Athenienses, noctuæ figura: [b] Athenienses verò Samios bello captos, Samææ nauis signo deformarunt. Nonnunquam seruis literas

Hermodorus. Paludamentum. Chlamys. Saga. Lacerna. Læna. Serui ab ingenuis distinctio. Nota frontib. inusta seruis & captiuis. Literati serui.

ANNOTATIONES.

Quæstionum, vbi Heraclytus Physicus Ephesios taxans ob expulsum vrbe Hermodorum, Vniuersos, ait, esse morte mulctandos, quòd cum ciuitate expellerent Hermodorum, ita locuti sunt, Nemo de nobis vnus excellat, sed siquis extiterit, alio in loco, & apud alios sit. Strabo lib. 4. huic sententiæ quadrat, sic scribit, In Epheso fuere viri memoratu digni, ex antiquis Heraclitus, cui cognomentum fuit Scotinos: item Hermodorus, de quo hîc idem Strabo inquit, Dignos esse omnes Ephesios strangulari, qui Hermodorum virum inter eos frugi eiecerunt, dicentes, Nemo nostrum frugi esto, alioquin cum aliis eiiciatur. Laërtius in Heraclito Ephesio, in princ. Acriter, inquit, Ephesios carpit, quod amicum suum Hermodorum eiicerent, dicens, Merentur Ephesij omnes adulti mori, impuberibúsque vrbem derelinquere, quoniam Hermodorum sui præstantissimum expulerunt dicentes, Nostrum nemo inæqualis sit: quoniam si quis erit talis, alibíque & cum aliis.

g *Qui Romæ.*] Strabo ad hæc quæ in præced. diximus subiiciens, inquit, Hic vir leges quasdam videtur Romanis conscripsisse. Hunc Plinius lib. 14. c. 5. scribit interpretem fuisse legum Decemuiralium. Plinij verba in seq. subscribemus. Pomponius Iurisconsult. in l. 2. ff. de origine iuris. §. exactis deinde regibus. Hermodorum quendam Ephesium in Italia exulantem, authorem fuisse Decemuiris tradit duodecim tabularum ferendarum.

h *Statua in comitio.*] Plinius d. lib. c. 5. de Statuis Romæ positis, loquens, sic ait, Fuit & Hermodori Ephesij statua, in comitio legum, quas Decemuiri scribebant, interpretis, publicè dicata.

i *Consules paludatos.*] Varro lib. 3. aut aliorum supputatione 6. linguæ Latinæ. Liuius 1. Deca. lib. 9 loquens de T. Veturio Caluino, & Sp. Posthumio Coss. sub iugum missis apud Furculas Caudinas, tum à Coss. abire lictores iussi, paludamentáque detracta. Et 3. Decad. lib. 1. & 5. Deca. lib. 2. de Licinio Coss. & diximus suprà lib. 3. c. 3.

k *Nonnunquam trabeatos.*] Dionys. Halic. lib. 5. & diximus etiam vbi suprà.

l *Paludatis lictoribus*] Liuius 1. Decad. lib. 1. & iterum 5. in Oratore M. Seruilij Coss. Et diximus quoque suprà d. lib. 3. cap. item 3.

m *Namque erat paludamentum.*] Varro lib. 6. ling. Lat. Valerius Max. lib. 1. c. 6 vbi de M. Crasso. Corn. Tacit. li. 18. vbi de Vitellio loquitur. Plutarch. in Crasso, & in Cæsare. Plin. lib. 22. c. 2. Coccum Imperatoriis dicatum paludamentis. Et vide suprà lib. 2. c 8. & lib. 3. c. 3.

n *Ornatus tamen militaris.*] Varro vbi suprà. Liuius 1. Deca. li. 1. Princeps Horatius ibat tergemina spolia præ se gerens: cui soror virgo, quæ desponsa vni ex Curiatiis fuerat, obuia ante portam Capenam fuit: cognitóque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipse confecerat, soluit crines, & flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Et iterum lib. 9. & 3. Decad. lib. 5. Inter hæc dicta, paludamento circum læuum brachium intorto (nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes impetum fecit. Et alibi sæpe. Festus autem Pompeius libro 14. tradit omnia ornamenta militaria paludamenta dici. Et Marcellus de Genere vest. dicit Aulæam esse tanquam paludamentum barbarici habitus militaris.

o *Quam chlamydem appellarunt.*] Nonius Marcellus d. lib. de Genere vestiment. Eutropius autem lib. 10. c. 29. eodémque vlt. de Diocletiano Imperat. loquens, Nam prius Imperij insigne in chlamyde purpurea tantùm erat, reliquáque communia.

p *Milites\[q\]; sagatos.*] Capitolin. in M. Philosopho, Per Brundusium veniens in Italiam, togam & ipse sumpsit, & milites togatos esse iussit: nec vnquam fuerunt sagati sub eo milites.

q *Saga enim.*] Sagum, vestis est index belli, vt toga pacis, quam tamen Consulares non gestabant: id quod ostendit Cicero Antoni. 8. Equidem P. C. quanquam hoc honore vsi, togati esse soleat, cùm est in sagis ciuitas: statui tamen, à vobis, cæterísque ciuibus in tanta atrocitate temporis, tantáq; perturbatione populi Romani non differre vestitu. Sagum Nonius, vbi suprà, dicit esse vestimentum militare. Nam & hinc ad saga iri, pro eo quod est apparari bellum & ad arma procurrere: quod probat multis authoritatibus Erasm. Chil. 4. centu. 8. c. 10. Sagati etiamnum erant ad bella exeuntes, vt paludati Consules, & reliqui exercituum Duces, qui Imperatores etiam vocabantur.

r *Chlamys.*] Nam & inter militares vestes ponitur Polluci lib. 7. ca. 9. & Cassiodoro Variarum lib. 14. epist. 9. & dictum quoque est suprà.

s *Et lacerna.*] Iam diximus & probauimus esse militarem.

t *Adde etiam lænam.*] Nonius vbi suprà. Læna, inquit, vestimentum militare quod supra omnia vestimenta sumitur. Et vide suprà.

u *Antonius Philosophus.*] Suprà in verbo, milit esque sagatos. ex Capitolino.

x *Mansitq; diu Romæ.*] Vt constat ex seq.

y *Quippe qui nec colobia.*] Seruius enarrans eum locũ Virg. lib. 1. Æneid.

Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.

Colobia autem appellant vestimenta mutila sine manicis & quasi trunca, à verbo Græco κολοβὸν, id est, breuio, decurto, mutilo. De quibus crebra fit mentio apud scriptores Eccles. & in decretis Canonicis 19. q. 4. Colobiis antiqui vtebantur, & vt author est Gel. lib. 7. c. 12. substrictas & breueis tunicas citra humerum desinentes, sine manicis habebant: quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας. Nam tunicæ manicatæ non sine probro habebantur. Hæc Beroaldus interpres, in lib. 8. & 11. Metamor. Apuleij.

z *Syracusani verò.*] Plutarch. in Nicia, ad fi. Nõnulli quoque pro seruis venditi, quibus equi characterẽ in fronte inurebant, quod seruitutis volebant argumentum esse.

a *Samij quoque.*] Herodotus lib. 4. Plutarc. in Pericle, Samij persecuti contumeliis Athenienses, captiuis noctuam in frontibus inusserunt.

b *Athenienses verò.*] Plutarchus vbi nuper citauimus.

 Ælianus

Comam quare, tr ebant. Amphimaschalos. Heteromaschalos. Radenda barba & furtunda quando introducta. Romana aurea in capillis.

inusserunt, [c] qui literati dicti. [d] Apud Lacedæmonios quoque ingenui alebant comam: namque omnes comati erant, [e] cum seruos crines habere non deceret. [f] Idem in omni fere Græcia, vbi seruis nutrire comam nefas erat: qui etiam ab ingenuis distinguebantur runica: [g] namque amphimaschalos liberis, [h] heteromaschalos seruitiis dabatur. [i] Apud Romanos vero ab vrbe condita ad annum CCCCLIIII. iuuenes pariter ac [k] senes intonsos fuisse liquet. [l] Sed postquam Publius Ticinius è Sicilia tonsores adduxit Romam, inde vt iuuenes rasitarent barbam, capillumq; tonderent, ad annum quadragesimum institutum mansit: post eum verò non licebat. Primus enim qui barbam quotidie rasitaret, Africanus traditur: deinde Augustus: [m] quod seruis vilioribus erat inhibitum, qui intonsa barba & capillo hirto fuere. [n] Fuitq; animaduersum, ante Hadrianum Cæsarem imperatores barbam sæpe rasitauisse. Ipse enim ex Cæsaribus primus promissa barba incessit & capillo. [o] Commodus imperator cum nulli tonsori crederet, sicut [p] Alexander Phêræus [q] & Dionysius, sibi ipse candente carbone iuglandium putaminibus barbam adurebat, [r] qui etiam fucato capillo cum ramentis aureis incessit. [s] Quod de Lucio Vero [t] & Galeno imperatoribus traditum est, qui auri scobem crinibus adspersere.

ANNOTATIONES.

Ælianus variæ Historiæ, li. 2. c. 9. sic scribit, Athenienses captiuos Samiorum punctis in facie notabant, quæ noctuam referrent: quod ipsum etiam Atticum erat psephisma.

c *Qui literati dicti.*] Serui literati dicuntur à literis fronti inustis. Fortasse autem id accepit ex eo, quod Plutarch. vbi suprà, tradit Aristophanem comicũ ad ea stigmata, de quibus postremo loco dictum est, respicere, cùm scribit,

σαμίων ὁ δῆμός ἐστιν ὡς πολυγράμματος.

Id est,

Populus Samiorum valde literatus est.

d *Apud Lacedæmonios.*] Herodotus lib. 1. Lacedæmonij, inquit, legem tulerunt, vt in posterum comati essent, cùm ante hac non fuissent. & lib. 7. Ea Lacedæmoniorum est consuetudo: Quoties adire animæ periculum debent, tunc capita comunt. Plutarchus in Lysandro, in prin. vbi scribit, vnde capitis intonsi orta sit consuetudo. & in Apophthegmatis Imperatorum vbi de Lycurgo, & in Apophthegmat. laconicis vbi de Nicandro, & Philostratus in vita Apollonij, lib. 8. cap. 3. Spartanorum Rex Leonidas, fortitudinis causa, comam gestabat, quòd amicis modestiorem, hostibus verò terribiliorem, propter ipsam videri se arbitrabatur. Hinc & Spartani omnes nutrire comam cœpere, quòd non minus hunc Regem, quàm Lycurgum, aut Iphitum venerarentur.

e *Cum seruos.*] Aristophanes in Auibus.

ἔπειτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις,

Id est,

Ac dein seruus cùm sies, portas comam?

Nam seruis apud Græcos comam nutrire nefas habebatur.

f *Idem in omni Græcia.*] Cæteri autem ingenui ciues alebãt, quod ex eo vel satis liquet: quod Homerus sæpe *ἀχαιοὺς καρηκομόωντας.* id est, Græcos crinitos vocat, quod videre licet ex lib. 2. Iliados non semel.

g *Namque amphimascalos.*] Vestis habens duas manicas, quæ liberis congruebat, ab asillis ita cognominata, quæ Græcis vocantur *μασχάλαι*, vt Etymologici author annotat. Et Rhodiginus lib. 16. c. 10.

h *Heteromascalos.*] Dicebatur vestis seruitij dicata, manicam tantùm habens, ex etymolog. Cælius Rhodiginus vbi suprà.

i *Apud Romanos.*] Plin. Varronis authoritate lib. 7. cap. 59. Gellius li. 3. c. 4. Varro autem lib. Rei rusticæ, 2. c. 11. eodemque vlt. Omnino tonsores in Italia primùm venisse, ex Sicilia dicuntur post Romam conditam anno quadringentesimo quinquagesimo quarto, vt scriptum in publico Ardeæ in literis extat, eósque adduxisse P. Ticinium Menam. Olim tonsores non fuisse adsignificant antiquorum statuæ, quòd pleræque habent capillum & barbam magnam. Hinc Ouid. lib. 2. Fastorum auos intonsos vocat,

Denique quodcunque est, quo corpora nostra piantur,
Hoc apud intonsos nomen habebat auos.

Et Capillatum Consulem Iuuenal. Et Catonem intonsum. Horatius Car. lib. 2. Ode 15.

—— Non ita Romuli
Præscriptum, & intonsi Catonis
Auspiciis, veterumq; norma.

De quo etiam Lucanus lib. 2.

Ille nec horrificam sancto dimouit ab ore
Cæsariem, duroq; admisit gaudia vultu.
Vt primùm tolli feralia viderat arma,
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mœstamq; genis increscere barbam.

k *Ac senes intonsos.*] Hæc alibi latius & suo loco explicantur.

l *Sed postquam P. Ticinius.*] Hæc vsque ad ea verba, Quod seruis sunt Plinij lib. 7. c. 59.

m *Quod seruis.*] Diximus rasuram Seruilem fuisse, & Græcorum mancipia rasa fuisse, idque probauimus authoritate Aristophanis in Auibus.

n *Fuitq; animaduersum.*] Dion Nicæum in Traiano. Ælius Spartianus in Adriano, Statura fuit procerus, forma comptus, flexo ad pectinem capillo, promissa barba, vt vulnera quæ in facie naturalia erant, regeret.

o *Commodus Imperator.*] Lampridius in vita illius, Fuit forma quidem corporis iusta, vultu insubido, vt ebriosi solent, & sermone incondito, capillo semper fucato, & auri ramentis illuminato, adurens comam & barbam timore tonsoris.

p *Sicut Alexander Pheræus.*] Cicero lib. Offi. 2. Plutarch in Pelopida, Talamus, in quo dormire consueuerat, erat in fastigio, atque ante illum custos, canis ligatus, terribilis omnibus, preterquam illis, qui consueuerant ibi versari, & ei qui dabat cibum. Valerius Max. lib. 9. c. 14.

q *Et Dionysius.*] Cicero lib. 5. Tuscul, quæst. Ita propter iniustam dominatus cupiditatem in carcerem quodammodo ipse se incluserat. quia etiam, ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. ita sordido ancillarique artificio regiæ virgines, vt tonstriculæ, tondebant barbam & capillum patris. & tamen ab iisipsis, cùm iam essent adultæ, ferrum remouit: instituítque vt candentibus iuglandium putaminibus, barbam sibi & capillum adurerent. Idem Cicero Offi. lib. 2. Quid censemus superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitũ, qui cultros metuens tonsorios, candente carbone sibi adurebat capillum? Plutarchus in Dione, Eo timoris senior Dionysius processerat, vt cùm nemini fidem haberet, suspectos omnes duceret mortales, ita vt capitis crines tonsorio radere cultro nequaquam auderet, sed pigmentarius quidam accedebat, adurens carbone cæsariem. Valerius Maximus libro nono cap. 14.

r *Qui etiam.*] Scilicet Commodus: Id enim (vt diximus supra in verbo, Commodus Imperator.) de eo refert Lampridius in vita illius.

s *Quod de Lucio Vero.*] Spartianus in Ælio Vero.

t *Et Galeno*] Gallieno legendum est, qui Imperator fuit. Idque de eo tradit Trebellius Pollio in vita illius, Crinibus suis auri scobem aspersit, radiatus sæpe processit. Nullus autem ex imperatoribus Galenus dictus est.

u *Arabes.*]

[u] Arabes, [x] Abantes & Mysij, ne constictu belli, hostibus præda forent, anteriorem capillum rasitarunt: [y] qui etiam puellarem capillum in rotundum tondebant, tempora subradentes. Ferunt [z] Curetas & Ætolos pariter, quum à fronte essent capillati, & crinibus ab hostibus raperentur, frontem abrasisse, & ab occipite cæsariem nutrisse. [a] Quod de Alexandro Macedone proditum est, qui barbam militibus radi iussit, ne hostili prædæ ansam darent. [b] Feruntque quoque Machlyes natiua consuetudine occiput crinitum gestare: sicut [c] Auses anteriorem capitis partem. [d] Contrà Lycurgus Spartanos milites promisso capillo & comatos esse voluit, [e] licet more Laconico barbam ad cutem rasitarent: illos propterea aut venustiores, aut visu terribiliores esse arbitratus, apud eos enim populares à cæsarie noscitabantur. [f] Quod Mauris & [g] Britannis in more fuit, vt cincinnis ornati essent rutilis comis, & tam composito capillo, vt in incessu vix se contingi paterentur, omni corporis parte abrasa, præter caput & labrum. [h] Lycij comam tanti fecerunt, vt ne crines tonderent, æra pœnæ nomine Mau-

Qui caput tondebant.

Coma cura apud quos.

ANNOTATIONES.

u *Arabes.*] Plutarchus in Theseo, Abantes primi anteriorem capitis partem abraserunt: quem quidem morem non ab Arabibus, vt quidam existimant, didicerunt; nec Mysios imitati, sed quòd natura bellicosi essent, & comminus pugnandi, ac præter cæteros manus cum hostibus conferendi peritiam tenerent. & paulò pòst infert, Ne igitur vllas hostibus ad capiendum ansas darent, tondebantur.

x *Abantes.*] Idem Plutarchus vbi suprà. & longo antè tempore Homerus lib. 2. Iliados in Catalogo non multò post princip.

τῷ δ' ἅμ' Ἄβαντες ἕποντο θοοὶ ὄπιθεν κομόωντες.

Id est,

Hunc & simul Abantes sequebantur veloces à tergo comati.

Vocat enim à tergo eos comatos, veluti essent à fronte decapillati. Statius lib. 7. Thebaidos,

— Chromin atque in terga comantes
Non ego Abantiadas, non te saxosa Cariste
Non humiles Ægas, altúmque Caphærea dixi.

Pollux composita voce eos ὀπισθοκόμους eosdem appellat.

y *Qui etiam.*] Scilicet Arabes ex Herodot. lib. 3. non adeò longè à princip. cuius in eam rem hæc verba sunt, κείρονται δὲ περιτρόχαλα, περιξυροῦντες τοὺς κροτάφους. id est, tondentur in orbem leniter, rasis circunquaque temporibus. Quòd & de Macis tradit idem Herodot. lib. 4. Quod scilicet summum verticem capitis tondebant, in medio capillos crescere sinentes, hinc atque hinc in orbem tendentes. Sed & Iudæi Solymos montes incolentes comam in orbem tondebant, si credimus Chœrilo veteri poetæ, cuius hunc versum citat Iosephus in libro contra Appianum, & Eusebius Euangelicæ Demonstrationis lib. 9.

αὐχμαλέοι κεφαλὰς τροχοκουράδες.

Hoc est,

Squallentes capita, & tonsi orbiculariter omnes.

z *Curetas & Ætolos.*] De his duobus Strabo lib. 10. vbi & ob id illos κουρῆτας, id est, detonsos appellatos fuisse ἀπὸ τῆς κουρᾶς, id est, tonsura, quod & ipsum tradit Athenæus lib. 12. c. 11. vbi adducit in eam rem hos Æschyli versus ex Philarcho lib. 11. Historiarum,

χλιδῶντα πλόκαμον ὥστε παρθένοις ἁβραῖς·
ὅθεν καλεῖν Κουρῆτα λαὸν ἤνεσαν.

Id est,

Fluens capillus mollium instar virginum,
Hinc virginalis dicier gens ambiit.

Eustathius in lib. 23. Iliados scribit, Curetes ad delitias alentes cincinnos, venustarum virginum more, à tonsura nomen esse adeptos. Priori etymo Curetes succenturiantur apud comicum Agathonem in Thyeste fabula, gloriantes nomen se accepisse à detonsa coma, postquam à connubio ambitæ puellæ reiecti fuerant, his versibus,

— ἐπὶ τῷ τεκόντος
θυγατέρα μνηστεύοντες οὐκ ἐτύχομεν
γάμων, κόμας κειράμενοι, μάρτυρας τρυφῆς.
ὅτι τοιοῦτον χρῆμα παιζούσῃ φρενί,
ἐπαινοῦμεν νῦν αὐτῆς ὁμολογοῦντες,
κουρῆτες ἐκ κουρίμου χάριν τοι χθές.

Hos versus tumultuaria opera Latinos fecit Hadrianus Iunius, Hormani Medicus in Commentario de Coma, cap. 6. de Tonsuræ generibus,

Pronubit ambientes gnata nuptias
Passi repulsam, mox testes libidinis
Comas totondimus, animi solatium
Prostrati: gloria hinc sequitur cognominis
Tonsum ob capillum quòd Curetes dicimur.

Quanquam & ipse Strabo, & alij id quoque nomen aliunde illis datum dicunt.

a *Quod de Alexandro Macedone.*] Plutarchus in Apophthegmatis ipsius Alexandri, & in Theseo. Chrysippus autem lib. 4. de Voluptate, & ex eo Athenæus lib. 13. c. 6. tradunt, Alexandri temporibus radendæ barbæ morem fuisse primùm excogitatum, anteà inusitatum, quando ille luxu Persico fractus atque enirvatus, Macedoniam asperitatem prorsus exuisset.

b *Ferunt quoque Machlyes.*] Herodotus lib. 4 Machlyes quidem Africæ populi, occiput crinitum gestant, Auses verò anteriorem capitis partem.

c *Sicut Auses.*] Herodot. vbi suprà. Sed his adde Arcades testimonio Virg. aut alterius authoris obscœni carminis,

Fronte crinitos Arcades vides.

d *Contrà Lycurgus.*] Plutarchus in vita illius, & in Apophthegmatis Laconicis.

e *Licet more Laconico.*] Apud Lacædemonios, vt esset discrimen aliquod inter magistratus & promiscuum vulgus, cum etiam vt plebs, in minimis morigera, imperio assuesceret, Ephori magistratum ineuntes, præcipere solebant, authore Plutarcho in Agide, & in lib. de Sera numinis vindicta, vt mentum tonderent, legibúsque obtemperarent, ne sæuire cogerentur, teste Aristotele: Græcè enim est, κείρεσθαι τὸν μύστακα ex quo liquet noluisse eos tollere penitus virilitatis signum: sed intra quosdam mediocritatis cancellos coërcuisse. Hæc citat Hadrianus Iunius in Comment. de Coma, cap. 2. Idem Plutarch. in Alcibiade, & in Cleomene.

f *Quod Mauris.*] Strabo lib. 17. Ornare se satagebant comæ implexu & barba: quo fiebat vt inter ambulandum rarissime se mutuò contingerent, vt intactum maneret capillorum decus.

g *Et Britannis.*] Cæsar lib. 5. de bello Gallico, tradit Britannos omnem corporis partem rasitauisse, præter caput & superius labrum, quod barbatiei illatum attribuendum est. Cicero pro Roscio Comœdo, in C. Fannio Cherea rasuram vix mancipio dignam detestatur his verbis. Qui idcirco capite & superciliis semper est rasis, ne vllum viri boni pilum habere dicatur. Et iterum, Nonne ipsum caput, & supercilia penitus abrasa, olere malitiam & calliditatem videntur?

h *Lycij.*] Lycij tanti comam fecerunt, vt ne dubitarint quidem mulctæ nomine fiscum Mausoli Cariæ Regis incaplebilem, & hydropis instar, semper siticulosum, explere, quo liberis esse & immunibus liceret à legis imperio, quæ crinium tondendorum necessitatem proponebat, vti refert Aristoteles Oeconomicôn lib. 2. quam legem Condalus, Regis præfectus, commentus fuerat, vt ἐπὶ κεφάλαιον, hoc est, congiarium eliceret.

solo regi Cariæ soluere non dubitarent.[l] Argiui cùm antea criniti essent, victi à Lacedæmoniis, amissis Tyriis, deplorandæ calamitatis causa capillos totonderunt, vouentes se non resumpturos, nisi Tyrias recepissent: [k] sicut Sybari à Crotoniatis direpta, vniuersi Milesij capita detonderunt, & ingentem luctum ediderunt. † Maxies vero dextram capitis partem comatam gerunt, sinistram radunt. [l] Lusitani autem comas tondere nefas ducunt, itaque illas diffundunt vt fœminæ. [m] Idem & Galli comati, quibus plurimus capillus erat, æquè maribus & fœminis,inde nomine imposito. [n] Inde capillū pectunt sæpius quàm tondent, barba semper intonsa. [o] Agathyrsi cæruleo fucantur capillo. [p] Arabes quoque intonsi fuere,barba fulum abrasa. [q] Authores habeo,Scythas & [r] Parthos,quò maiorem terrorem incutiant, quóque subita & improuisa formidine hostes magis afficiant, hirsutis crinibus fuisse. [s] Idem apud Germanos Cattósque,quibus ruffus erat crinis coactus in nodum:qui etiā duxere nefas barbam capillúmque tondere, aut alio cultu esse,nisi hostis caput ex acie retulissent.[t] Quamuis tradatur Parthorum esse, capillum effundere, Germanorum iungere, Scytharum spargere.[u] Ægyptiis vero flaua coma despectui erat, & lege cautum, ne quis eam ferret, quod ea Typhonus fuisse dicebatur, [x] sicut Agrigentini cæruleum colorem interdixerunt, quod eo Phalaridis satellites vsi sunt. [y] Apud Suenos

Flaua coma à pud Ægyptios contempta.

ANNOTATIONES.

[i] *Argiui.*] Argiuus ob amissam in campis Thyreaticis victoriam, accitis in rebus lege cauisse, Ne quis comam nutriret ante recuperatum pristinæ gloriæ decus, ab Herodoto lib. 1. proditum legimus,derelicto priore comam alendi studio. E diuerso, Lacones tum victores sanxere, Ne quis comam tonderet,abrogato more isto ipsis soleuni.

k *Sicut Sybari.*] Idem quoque nuper scripsit vir vtique multiscius Hadrianus Iunius in Commentario de Coma, cap. 2. nullo præter morem authore citato. Verùm id est Strabonis lib. 6. & Herodoti in Eratho.

† *Maxies.*] Herodot.lib.4. scribit Maxies dextram capitis partem capillatam gessisse, læuam rasisse. Credo tamen illos dici etiam Machlys, de quibus diximus in verbo, Feruntque quoque Mach yes.

l *Lusitani.*] Strabo lib. 3.scribit Lusitanos,qui in montibus horridam, & incultam vitam, humi ferarum ritu strati, degebant, longas, vt fœminæ, inferius diffundere comas solitos. Nec Persæ quoque comam tondebant,ex quo à Delphico oraculo peculiari epitheto Criniti vocati sunt apud Herodotum lib. 6. Marcellinus lib. 23. Persas longis capillis hirsutos tradit.

m *Idem & Galli comati.*] Strabo lib. 4.Plinius lib. 11.c.37. Ex quo & comata Gallia eidem Plinio lib. 4. c.17. & Ciceroni Philippic 8. Virgil. lib. 8. Æneidos loquens de Gallo, qui in summum capitolij euaserat, quem Manlius, anserum clangore casu excitatus, vmbone deturbatum facilè prostrauit, his verbis,

Aurea Cæsaries illis, atque aurea vestis.

n *Indi.*] Quintus Curtius lib. 8.scribit, Indos sæpius capillum pectere, quàm tondere, mentum semper intonsum esse,reliquam oris cutem ad speciem læuitatis exæquare:quinetiam Regem ipsum in pectendo, ornandóque capillo, responsa legationibus, & iura popularibus reddere solitum. Solinus cap.65. Indorum mores scribens,ait, Indis omnibus promissa cæsaries non sine fuco cærolei, aut crocei coloris. Diodorus Siculus lib.4.c.5. scribit, Indorum moris esse per omnem vitam barbam nutrire, honeque morem à Dionysio accepisse, quem barbatum nominauerunt. Strabo lib. 15.scribit. Indos in victu frugales esse, præsertim in castris, comam & barbam nutrire, ornatu plori no vti, & à furtis magnopere abstinere. Quin & Indos multum posuisse studij in pectendo,testimonio Ouidij lib. 3. Fastor. innotescit, epitheto isto hos insignientis,

Interea liber depexis crinibus Indos,
Vincit, & Eoo diues ab orbe redit.

o *Agathyrsi.*] Agathyrsos cæruleo capillo notabiles facit Plinius lib.4.c.12.non adeò procul à fine.Solinus c. 20. aut aliorum compos. 25.

p *Arabes.*] De his dictum est suprà.

q *Authores habeo Scythas.*] Scilicet Plutarc. in Crasso, & Quintum Curtium lib. 4. ita de Scythis loquentem. At interdiu primùm occursuras terribiles Scytharum facies, Bactrianorúmque, hirta illis ora,& intonsas comas esse.

r *Et Parthos.*] Plutarc. in Crasso. Cùm Parthorum cæteri sicut Scythæ penitus inculti, atque intonsis de industria crinibus vtantur, quo aspectu etiam & facie maiorem videntibus terrorem incutiant.

s *Idem apud Germanos Cattósque.*] De vtrisque Cornelius Tacitus lib. de Moribus Germanorum, Apud Cattos, inquit, in consensum vertit, vt primùm adolescentes adoleuerint,crinem barbámque summittere,nec, nisi hoste cæso, exuere votiuum, obligatúmque virtuti, oris habitum.Et de Sicambris, qui & ipsi Germani sunt, Martialis in Amphitheatro Cæsaris, epig. 3.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

Et de Germanis in vniuersum Iuuenalis sat. 13.

Cærula quis stupuit Germani lumina? flauam
Cæsariem? & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quòd hæc illis natura est omnibus vna.

Et Seneca lib. 3. c. 26. de Ira, Non est Æthiopis inter suos insignitus color, nec rufus crinis & coactus in nodum apud Germanos dedecet.

t *Quamuis tradatur Parthorum esse.*] Hadrianus Iunius in Commentario de Coma, eadem scribit, citátque Senecam. Adde & Euboicos,qui sinciput radebant,occipitium comatum relinquentes:vnde ὀπισθοκόμοι,composita voce,dicebantur apud Pollucem lib. 2.περὶ τριχῶν. Et è diuerso Thiseum in frontem muliebriter demittere, ex quo & ipsi Homero ἀκείκομοι. id est, vt interpretantur nonnulli, in summo capite comantes,neque promissam crinium syluam alentes: sed ad iostium & medium quendam statum crinitos, vt libr. 4. Iliados ad finem annotat doctissimus Eustathius, quod & ipsum dicit Pollux vbi suprà, licet Homerum non citeri quanquam alij aliò eam appellationem trahant, scilicet ad longos crines.

u *Ægyptiis verò.*] Diodorus Siculus lib. 2.c. 4 loquens de Animalibus diis apud Ægyptios sacris, eorúmque cultu, sic scribit, In Osiridis, veluti frugum ac fructuum repertoris memoriam apud posteros immortalem, boues rufos, quoniam videntur colore similes Typhoni, qui Osiridem necauit, immolari permissum. Et homines quoque colore Typhonis antiqui Reges ad sepulchrum Osiridis sacrificio mactabant. Qua ea causa pauci rufi Ægyptij reperiebantur, cæteroi plures.

x *Sicut Agrigentini.*] Plutarc. in Politicis, Agrigentini, inquit, contrà tyrannide liberati, publicè sanciuerunt, nulli cæruleo colore vestimentum gestare liceret, ideò quòd tyranni satellites & corporis eius stipatores eo colore subligaculis vti soliti erant.

y *Apud Suenos.*] Tacitus libello de Germanor. moribus, insigne scribit fuisse Sueuorum gentis, obliquare crinem nodóque substringere: quæ nota eos à reliquis Germanis, & ingenuorum conditionem à seruili separabat, & paulò pòst.sic scribit,Ea cura formæ, sed innoxiæ. Nequeenim vt ament, amentúrve, in altitudinem quandam & terrorem adituri

vſurpatum eſt, horrentem capillum ligare in ſummo, vt hoſtibus terrori ſint, vel retro flectere.[a] Dacæ cum caput radant totum, in ſummo vertice cirrum creſcere ſiount.[a] Contrà Riphæi: nam mulieres pariter & viri detonſo ſunt vertice, & capillo deraſo, adeò vt glabri videantur:[b] ſicut Myconij omnes caluitio laborant,[c] æquè vt in Cauoo omnes lienoſi.[d] Non ſic in Ægypto, vbi raro caluitium fuit.[e] Produnt authores, Athenienſiũ vetuſtiſſimos capillis colligendis cicadas aureas annectere, vt eo argumento autochthones, hoc eſt primos & ſine origine ſe probarent.[f] Caius vero Cæſar comatos tanto deſpectui habuit, vt quoties occurrerent, occipitio raſo deturparet.[g] Capillum vero aut barbam inficere coloribus, imbellis fuiſſe & eneruati, exẽpla ſunt. In primis[h] Philippi Macedonis, qui quum ex amicis Antiparri arbitrum delegiſſet, quem aduertiſſet barbam & capillum inficere, protinus gradu deiecit, & iudicare vetuit, velut mendacem. Quod compar fuit cum eo qui Spartæ concionabatur, quem quum Archidamus rex fucato capillo vidiſſet, profari vetuit, & in medio affatu exigi iuſſit. Cui non inconuenit,[i] quod de Gorgia Leontino proditum eſt: qui cum in Olympiis de communi Græcorum concordia inſigniter peroraret, Melanthus eum ludibrio habuit, quòd de totius Græciæ concordia agitaret, qui ſe, vxorem & ancillam concordes habere neſciret: quæ ob zolotypiam irata, quotidie diſſidium peteret.[k] In quo fuit experimentis cognitum, quòd his qui è Sybari biberent, fucarentur capilli nigri:[l] qui

Ri. bal. Myconij.

Athenienſium cicada in comis.

Barbam aut capillum inficere imbelle.

Capillorum lauac.

ANNOTATIONES.

adituri bella compri, vt hoſtium oculis, ornantur.

a *Daca.*] Idem ſcribit Hadrianus Iunius in dicto Commentario de Coma, c. 2 nullum tamen authorem citat.

a *Contrà Riphai.*] Legendum Arymphæi, ex Pomponio Mela 1.cap. vltim. ad fin. his verbis, Tum continuis rupibus latè, aſpera & deſerta regio ad Arymphæos vſque permittitur. His iuſtiſſimi mores, pro domibus nemora, alimenta baccæ, & maribus & fœminis nuda ſunt capita. Libet adſcribere Plinij verba, quæ cap. 13. lib. 6. vbi Riphæorum meminit, hæc ſunt, Ibique Arymphæos quoſdam accepimus, haud diſſimilem Hyperboreis gentem. Sedes illis nemora, alimenta baccæ, capillus iuxtà fœminis viriſque in probro exiſtimatur, ritus clementes. Solinus cap. 27. omnia quæ de Arymphæis ſcribit ex Plinio, vbi ſuprà, mutuatus eſt.

b *Sicut Myconij.*] Strabo lib. 10. Myconios, inquit, etiam quidam caluos appellant, cùm illud vitium ea paſſim exuberet in inſula. Idem affirmat Plinius lib. 11. cap. 37. Atqua etiam nomina ex eo pilo ſcilicet capillatis Alpium incolis, Galliæ Comatæ, vt tamen ſit aliqua in hoc terrarum differentia. Quippe Myconij, carentes eo gignuntur, ſicut in Cauno lienoſi. Donatus interpretans Hecyram Terentij act. 3. ſcena 4. ibi,

—Callidemidem hoſpitem.
Myconium, qui mecum vnà aduectus eſt, conueni.

& paulò pòſt,

Magnus, rubicundus, criſpus, craſſus, caſius.

Imperitè, inquit, Terentium de Miconio criſpum dixiſſe aiunt, cùm Apollodorus caluum dixerit: quod proprium Myconiis eſt, vt Lucilius,

Myconi calua omnis iuuentus.

Vti etiam Orgenippæi tam viri quàm mulieres. Quod ferunt accidere propter vim natiuam aquæ, quam bibunt, apud Xenodotum in Collectaneis in prouerbio νίμ& ἐγ χδeu. & Argippæi apud Herodotum lib. 4. niſi idem ſint.

c *Æquè vt in Canno.*] Diximus ex Plinio in præced. Et adde quòd Pella ciuitas lienoſos facere ſolebat in balneis, vt ex Machone apud Athenæum lib. 8 c. 7. non longè à princ.

d *Non ſic in Ægypto.*] Ægyptios pauciſſimos habuiſſe caluos prædicatur, quòd ſoliti fuerint à pueris ad viuam vſque cutem radi, quò compactius ſpiſſiúſque ad ſolem capitis os redditur, vt in Thalia non longè à princ. author eſt Herodotus, & ex eo Euſtathius in Dionyſium Periegetem.

e *Produnt authores Athenienſium.*] Plato in Menexeno, Lyſias in funebri concione. Ariſtophanes in Auibus. Apuleius lib. vltimo Aſini aurei. Thucydides initio hiſtoriæ de Athenienſibus loquens, Poſtquam, inquit, deſiere vti tunicis, & religatis capitis cirris aureas implicare cicadas. Philoſtratus lib. 2. Hellinicôn, Draco Mineruæ, qui etiamnum in arcesta, videtur populum Athenienſium ſalutare, propter aurum, quod illi in cicadas capitum ornamenta conuertebant. Gregorius Nazianzenus,

Cecropida indigena natam tellure cicadam.
Innodant. ——

Lucianus in Nauigio, Maioribus noſtris decorum videbatur ſenes coma luxuriare, ſeligantes crobylum aurea cicada exceptum. Quem morem expreſſit & in Ciri Virg. ſeu quicumque alius eius poëmatij author eſt, de Niſo Pandionide loquens,

Aurea ſolenni comtum quem fibula ritu
Mopſopio, tereti nectebat dente cicada.

Et nos quoque diximus in noſtris Commentariis Nobilitatis.

f *Caius verò Caſar.*] Scilicet Caligula apud Suetonium in illius vita, c. 35. Pulchros & comatos quoties ſibi occurrerent, occipitio raſo deturpabat. Sed & idem cùm aliquando magnam hominum multitudinem, ſiue eorum, qui erant in vinculis, ſiue aliorum quorundam, eos omnes à caluo ad caluum, vt dici ſolet, occidi iuſſit ἀπὸ τοῦ φαλακροῦ μέχρι τοῦ φαλακροῦ. Hæc ſunt verba Dionis referentis lib. 58. quo illius vitam deſcribit.

g *Capillum verò.*] Hoc probat exemplis ſeqq.

h *Philippi Macedonis.*] Eraſmus ex Plutarcho in Apophthegmatis Philippi, Ex Antipatri amicis, inquit, quendam in iudicum numerum aſcripſerat. Verùm pòſt vbi cognouit illum tingere barbam & capillos, ſubmouit eum, dicens, Qui in capillis fidus non eſſet, eum in rebus gerendis non videri dignum cui fideretur. Fuco vtebatur in tingendis capillis, vbi non multum erat lucri: multò magis vſurus erat fuco in publicis negotiis, vbi dolus interdum ingens adfert emolumentum.

i *Quod de Gorgia Leontino.*] Plutarchus in Præceptis Connubialibus, c. 45. Gorgia Oratore in Olympia Græcis orationem de concordia recitante, Melanthus quidam, Iſte, inquit, de concordia diſputat, qui ſibi, vxori & ancillæ, tribus ſolis, vt concordes eſſent, non perſuaſit. Nam Gorgiæ amor quidam, & vxori zelotypia aduerſus ancillam eſſe videbatur.

k *In quo fuit experimentum cognitum.*] Plinius lib. 31. cap. 2. Theophraſtus in Thuriis, inquit, Crathim candorem facere, Sybarim nigritiam bobus & pecoribus. Quin & homines ſentire differentiam eam. Nam qui Sybarim bibant, nigriores eſſe, durioréſque & criſpo capillo. Et vide in ſeq.

l *Qui verò è Crathi.*] Plinius ad ea, quæ ſuprà proximè adduxi, hæc ſubiungit, Qui ex Crathide bibant, candidos mollioréſque ac porrecta coma. Strabo lib. 6. Crathis homines in eo lotos cæſarie candidos & flauos efficit, ac multis medetur morbis. Sorion, Heſigonus hiſtoricus, & tragicus Euripides, vbi ait: ἂν ὑγραίνει καλλιστεύων ὁ ξανθὰς χαίτας πυρσαίνων Κρᾶθις. Hoc eſt, Quam rigat pulchrè, qui flauos rutilare facit crines Crathis. Eſt enim ea emendatior lectio, quàm quæ in libris, qui circumferuntur legitur, in hunc modum, ἂν ὑδραίνει καλλιστεύων ὁ ξανθὰς χαίτας πυρσαίνων Κρᾶθις. Illam lectionem agnoſcit Euſtathius. Idem de hoc amne

teſtatur

verò è Crathi, flaui & fluxi,[m] ficut de Clitumnn proditur in Meuania.[n] Legimus tamen Hannibalem ducentem in Italiam, crinibus sæpe mutatis, se à Gallorum perfidia vindicasse, & Pyrrum coma coloribus fucata incessisse,[o] Romanásque matronas rutilare capillos consuesse. Mansitque Romæ obseruatum,[p] in Saturnalibus synthesibus vti, quibus diebus dimissa toga synthesim sumebant,[q] quamuis Nero Cæsar citra dies Saturnalitios synthesim induit discinctus & discalceatus. Diebus autem natalitiis, quibus natalem quisque suum annuum celebrabat, & calendis Ianuariis,[r] nonnunquam ludis Romanos, albas lacernas prætextásque indutos incedere, & ludos spectare,[s] nam in veste pulla ludis interesse Augustus inhibuit, néve quis pullatorum media cauea sederet, edicto cauit.[t] In ludis verò funebribus penulati spectatores erant. Penulas enim tunc populus sumebat, cum in cæteris togati conuenirent, nisi in gladiatorio munere, ad quod frequentes penulati conuenere, quod Commodus imperator seruari iussit.[u] Ferunt primos Lacedæmonios, ne populus in ludis algeret, penulas sumpsisse.[x] Antoninus verò Bassianus nouo vestis genere populum donauit, quare Caracallæ nomen tulit.[y] Augusti verò tempore, toga rasa & Phrygiana dari cœptæ. Illud etiam admonendum existimo, quoties insigni calamitate vel clade, aut aliis belli casibus populus affectus esset, in magna consternatione[z] iusti

Synthesis. Lacerna alba quando sumebatur. In veste pulla ludis interesse non licebat. In calamitate publica luctus indicta.

ANNOTATIONES.

restatur Ouidius lib. 15 Metamorph. & de Sybari fluuio similiter, in hæc verba,

Crathis & hinc Sybaris vestris conterminus oris,
Electro similes faciunt, auróque capillos.

m *Sicut de Clitumno.*] Quod apertè innuit illud Virgilij lib. 2. Georgicôn,

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima: sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa deûm duxere triumphos.

Vbi Seruius scribit Clitumnum fluuium esse in Meuania, quæ pars est Vmbriæ partis Thusciæ: de quo fluuio dicit Plinius in Historia naturali, quòd animalia, quæ eum potauerunt, albos fœtus creant. Subiungitque ideo maxima victima Virgilio dici, quia triumphantes de albis tauris sacrificabant. Locus autem Plinij, à Seruio citati, est lib. 2. c. 103. cuius hæc verba sunt, In Phalisco Clitumni amnis aqua pota, candidos boues facit. Sed & quoque id patet ex Statio Syluarum lib. 1. sylua 4 ad fi. in Soteria pro Rutilio Gallico,

——Nec si vacuet Meuania valles,
Aut præstent niueos Clitumna noualia tauros
Sufficiam.——

n *Legimus tamen Hannibalem.*] Liuius 3. Decad. lib. 2. in princ. dicit illum mutasse vestem & tegumenta capitis, nulla crinium mentione facta. Plutarchus autem in vita illius, de ea re loquens, illud tantùm dicit, eum Gallorum insidiis propè circumuentum, calliditate ingenij periculum euasisse. At Polybij est lib. 3. cuius hæc verba, vt Latinè versa sunt à non indocto interprete. Hannibal dum in hybernis ageret, insidiis à Gallis sæpenumero petitus, Punico ingenio se defenderat: crines diuersarum ætatum artificiosè compositos, ac laruatos parari iussit. His assiduè mutatis, variis etiam vestibus laruatis, crinibus conuenientibus vtebatur: adeò vt non solùm his, qui raro eum viderant, sed etiam familiaribus ignotus esset.

o *Romanásque matronas.*] Cato in Originibus Mulieres, inquit, nostræ capillum cinere vngitabant, vt rutilus esset crinis. Valerius Maximus lib. 2. c. 1. titul. de vsu vini mulieribus interdicto, memoriæ prodidit, Mulieres Rom. indulgentibus maritis, quòd earum pudicitia honesto comitatis genere temperata esset, & quò formam suam conciniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilasse

p *In Saturnalibus synthesibus.*] Ex quo illud est Martialis Apophoretum, Synthesis c. 141.

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere iure tuo.

Nam Saturnalia, festa erant quinque dierum, vt hîc Martialis, aut septem dierum, vt scribit Macro. Saturnal. lib. 1. c. 10. mense Decembri Saturno dicata, quibus Romani, togis depositis, Synthesim, breuem vestem & negotiis aptam sumebant, seruísque discumbentibus inseruiebant, munera vltro citróque mitti, remittique solebant.

q *Quamuis Nero.*] Suetonius in vita illius, c. 51. Staturam & cultus corporis eius scribens, sic inquit, Plerumque synthesim indutus, ligato circum collum sudario, prodierit in publicum sine cinctu & discalceatus.

r *Nonnunquam ludis Romanis.*] Lacernis in spectaculis vsos fuisse, & potissimum candidis quæ togis superinduebantur, satis indicat illud Martialis epigramma lib. 4. epig. 2. in Oratium quendam, qui cùm solus nigra lacerna spectaculis interesset, cæteris omnibus albatis, factum est, vt repente candente niue, cæteris concolor redderetur. Verba eius hæc sunt,

Spectabat modò solus inter omnes,
Nigris munus Oratius lacernis,
Quum plebs, & minor ordo maximúsque
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repentè cœlo:
Albis spectat Oratius lacernis.

Idem Martialis lib. 14. c. 137.

Amphitheatrales nos commendamur ad vsus,
Cùm tegit algentes nostra lacerna togas.

Quod nos suprà ad aliud citauimus.

s *Nam in veste pulla.*] Suetonius in Augusto, c. 44. scribit, Augustum sanxisse, ne quis pullatorum media cauea sederet. Quamuis quidam codices habeant bullatorum (vt scribit Beroaldus interpres) tunc ad pueros ingenuos, qui bulla antea vtebantur erit referendum.

t *In ludis funebribus.*] Hæc vsque ad versicul. Ferunt primos Lacedæmonios. sunt Lampridij in vita Commodi.

u *Ferunt primos Lacedæmonios.*] Tertullianus in Apologetico, cap. 6.

x *Antoninus verò Bassianus.*] Ælius Spartianus in vita illius, Ipse, inquit, Caracalli nomen accepit à vestimento, quod populo dederat, demisso vsque ad talos, quod antè non fuerat: vnde hodiéque dicuntur Caracallæ huiusmodi, in vsu maximè Romanæ plebis frequentatæ.

y *Augusti verò tempore.*] Plinius lib. 8. c. 48. & dictum est suprà hoc eodem cap.

z *Iustitium indici.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. Dictator cum Magistro equitum in concionem venit, iustitium edicit, claudi tabernas tota vrbe iubet, vetat quenquam priuatæ quicquam rei facere. Et eiusdem Decad. lib. 4. vbi de bello Veientium, Iustitium in foro, tabernæque clausæ, & lib. 9. loquens de exercitu Romano sub iugum misso à Samnitibus apud Caudinas furculas, Postquam, inquit, deditionem tam fœdè factam acceperunt: extemplóque, sine vlla publica authoritate, concessum in omnem formam luctus est. Tabernæ circa forum clausæ iustitiúmque in foro sua sponte cœptum prius, quàm indictum. Cornelius Tacitus lib. 2. vbi de morte Germanici, Hos, inquit, vulgi sermones audita mors adeò incendit, vt ante edictum magistratuum, ante Senatusconsultum, sumpto iustitio desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia gemitus, nihil compositum in ostentationem. Ouidius in Consolatione ad Liuiam,

tium indici, [a] claudi ærarium [b] & tabernas, ac iudicia tolli solere. Et quod per magnas calamitates fiebat in mœstitia publica, Romanos [c] dimissis togis, [d] positísque laticlauis & aureis annulis, [e] saga sumere, velut in luctu & summa solicitudine se esse denotarent. [f] Si tamen consulares viri forent, licet ob calamitatem populus in sagis esset, ipsi tamen in togis erant, ne deformi tetróque habitu tantam dignitatem fœdarent. [g] Sed nec saga, donec lætiore fortuna, aut illustri victoria clades emendata foret, dimittebant. Qua victoria politi, vel quum fusis fugatísque hostibus, fœdissimum bellum finitum foret, exuto iustitio, in communis signum lætitiæ, populus vniuersus prætextas, reliqui vero magistratus insignia & ornamenta sua ac pristinum ornatum cultúmque sumebant. Illud quoque discrimen ordinum personatúmque est notatu dignum, quod [h] apud Tapyras, [i] Basteranos & Iberos, incultásque nationes circa Hyrcaniam seruari meminimus, vt viri atras vestes induant, crinésque longiores gerant: fœminæ verò albis tunicis, ac breuibus tonsisque comis incedere cogantur. [k] Apud Parthos autem [l] Persásque equo vehi, vel pedes ire, nobilitatem à vulgo distinguebat, nullus enim honestè genitus, pedibus incedebat: quod compar ferè cum Romanis fuit, quibus plebeiæ pedibus incedunt, matronæ nobiles lecticis vectabantur: [m] eiusdémque Parthis qui principem locum habent, anaxyridem triplam induunt, & manicatam tunicam: plebs vero erat in tunicis sine manicis. [n] Apud Indos byssum induere, nisi nobilis, nemo poterat. [o] Thracibus punctos esse in facie, nobiliures demonstrauit: non punctos, ignobiles & obscuros. [p] Idem Britannis, [q] Gelonis

Apud Tapyras, Basteranos & Iberos discrimen ordinum. Parthis. Persa. Indi. Thraces. Britanni. Geloni.

ANNOTATIONES.

Liuiam, loquens de morte Drusi ad Liuiam, iustitium describit,

Incerti clauduntque domos, strepitantque per vrbem,
Hic illi pauidi clamque palamque dolent.
Iura silent, mutaque tacent sine vindice leges,
Aspicitur toto purpura nulla foro.

Et Suetonius in Tiberio, cap. 52. Itaque, inquit, ne mortuo quidem perinde affectus est, sed tantùm non statim pòst, à funere ad negotiorum consuetudinem rediit, iustitio longiore inhibito. Apuleius lib. 4. Metamorph. Cuncta etiam ciuitas congemebat, luctúque publico confestim congruens edicitur iustitium. Iustitium dicitur luctus publicus, sicuti docet Fulgentius Placiades, quod indici solebat in reipub. calamitatibus.

a *Claudi ærarium.*] Cicero Orat. de Aruspicum responsis, Quæ sunt occultiora, quàm eius, qui ausus in concione est dicere, iustitium edici oportere, iurisdictionem intermitti, claudi ærarium, iudicia tolli. Sed & domus claudi in luctu publico iam diximus ex Tacito & Ouidio.

b *Et tabernas.*] Hoc iam vidimus ex Liuio vbi suprà in verbo, Iustitium indici, & videre quoque poteris apud eundem 3. Decad. lib. 3.

c *Dimissis togis.*] Vide infrà in verbo, Saga sumere. in loco Orosij ibi citato.

d *Positísque laticlauis.*] De his duobus Liuius 1. Decad. lib. 9. vbi de pacis Caudinæ nuncio, ad ea, quæ suprà ibi, Iustitium indici, ex eo diximus, subiungit, Lati claui, aurei annuli positi. & iterum eodem lib. ad fin. vbi etiam dicit phaleras depositas Suetonius in Augusto, cap. 100. Alij, inquit, exequiarum die ponendos annulos, ferreósque sumendos censuerunt. Quod & nos alibi annotauimus. Sed ad id, quod de phaleris dictum est, adde Plinium libro 33. cap. 1.

e *Saga sumere.*] Iulius Florus epitome Liuij lib. 72. Q. Seruilius Proconsul in oppido Asculo cum omnibus ciuibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est. Saga populus sumpsit. Et lib. seq. L. Cæsar Coss. feliciter contra Samnites pugnauit, ob eam victoriam Romæ saga posita sunt, quæ scilicet sumpserant d. lib. præcedenti. Paulus Orosius lib. 5. c. 18. Cúmque L. Iulius Cæsar ab exercitu Imperator appellatus esset, Romámque nuncios de victoriá misisset, Senatus sagum, hoc est, vestem mœroris, quam exorto sociali bello sumpserat, hac spe arridente deposuit, atque antiquum togæ decorem recuperauit.

f *Si tamen consulares viri.*] Cicero Philippica 8. Equidem P. C. quanquàm hoc honore vsi, togati esse solent, cùm est in sagis ciuitas. Iam diximus suprà vbi de toga.

g *Sed nec saga.*] Quod videre licet ex locis Iulij Flori, & Orosij suprà citatis in verbo, Saga sumere.

h *Apud Tapyras.*] Strabo lib. 11. Tapyri atras vestes gerunt & comas longas, mulieres vestes candidas, & comas breues.

i *Basteranos & Iberos.*] Strabo lib. 3.

k *Apud Parthos.*] Iustinus lib. 41. Parthi equis omni tempore vectantur. Hoc discrimen inter seruos liberósque esse, quòd serui pedibus, liberi non nisi equis incedunt.

l *Persásque.*] Strabo lib. 15.

m *Eisdémque Parthis.*] Strabo dicto lib. 15. Apud Athenienses autem tunica vtrimque manicata liberorum erat: vnicam autem manicam habens seruorum, vt scribit Pollux Onomasticôn lib. 7. cap. 13. Verùm apud Rom. minimè honestum erat tunicas ferre manicatas. Apud Virgilium lib. 9. Æneidos, Romulus Numanus Troianis hostibus ignauiam, & vt ita dicam effœminationem obiiciens ait,

Vobis picta croco & fulgenti murice vestis.
Et tunica manicas & habent redimicula mitræ.

Quem locum in id trahit Gellius lib. 7. c. 12. dicitque Q. Ennium Carthaginensium tunicatam iuuentutem non videri sine probro dixisse. Et P. Africanum Pauli filium, virum omnibus bonis artibus, atque omni virtute præditum, P. Gallo homini delicato, inter pleraque alia, quæ obiectabat, id quoque probo dedisse, quòd huiuscemodi tunicis, manus totas operientibus, vteretur. Cicero quoque Catili. 2. probro Catilinæ obiecit quòd manicatus esset, his verbis: Postremum autem genus est non solùm numero, verumetiam genere ipso atque vita, quod proprium est Catilinæ, de eius delectu, imò verò de complexu eius ac sinu, quòd pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis & talaribus ac tritis tunicis, velis amictos, non togis. Quod etiam vituperat Varro (testimonio Seruij, locum Virgilij suprà dictum enarrantis) dicens, Manicatis & talaribus tunicis. Nam colobiis vtebantur antiqui.

n *Apud Indos.*] Philostratus in vita Apollonij, lib. 2. cap. 9. scribit, Nobiliores Indiæ bisso indui. Byssum autem ex arbore nasci ferunt, quæ altitudine quidem populus æquat: foliis autem salici æquiparatur, hæc Philostratus.

o *Thracibus.*] Herodotus lib. 5. post princ. Thracum mores scribens, sic ait, Punctas notis esse frontes, nobile indicatur: non esse notatas punctis, ignobile. Cicero Offi. libr. 2. de Alexandro Pheræo, Barbarum, & eum quidem compunctum notis Threiciis distincto gladio, iubebat anteire.

p *Idem Britannis.*] Herodianus lib. 3. vbi de Britannorum moribus, Britanni, inquit, ipsa notant corpora pictura varia, & omnifariam formis animalium: quocirca nec induuntur quidem, videlicet picturam corporis ne adoperiant. Vide ll. Connub. l. 3. num. 18. vbi de Glasto.

q *Gelonis.*] Nam & hoc pingi tradit Solinus lib. 25. Gelones Agathyrsis collimitantur cæruleo picti colore, fucatis in cæruleum crinibus. Hos pictos vocat Virgilius l. 2. Georgicôn,

Eoásque

Agathyrsi. Aurum. Atheniensium. Persæ. Germanorum vestes. Sueuorum. Libyci. Ægyptij. Circumpadanorum luctus ob Phaethontis casum.

& [r] Agathyrsis, apud quos qui cæruleo pinguntur, honoribus præstant: minus autem pingi, humilitatis signum erat. [s] Indis quoque, [t] Atheniensibus [u] & Persis, in auribus ferre aurum, nobilitatem designauit. [x] Ex Germanis viri clari illustrésque, stricta nec fluitante vtuntur veste: cæteri, sagis cum fibula. [y] Apud Sueuos ingenui obliquant crinem, & nodo substringunt, quum serui fluxa coma & crinibus incedant. In [z] Libya primores sagis velantur, vulgus vero bestiarum pellibus amicti sunt. [a] In Ægypto viri binis vtuntur vestibus, fœminæ singulis: [b] vniuersis nisi lineas ferre vestes non licebat. [c] Neque referre alienum fuerit, quod circumpadanis populis vsuuenisse tradunt, vt lugubres vestes longo tempore induerent, intestino mœrore affecti propter Phaethontis casum, quod de cælo præcipitatus, fulmine ictus, & in Eridanum deiectus foret. Sicut in Daunia [d] Aristoteles refert mares & fœminas lugubria vestire, quo post Troiæ euersionem, quum illuc delati sedes occupassent, vt orbatos se patria & fortunis indicarent, in posterum candidis abstinuisse, & pullas vestes desumpsisse.

ANNOTATIONES.

Eoásque domos Arabum, pictósque Gelonos.

Id est, stigmata habentes (inquit Seruius) & sunt populi Scythiæ: citatque locum ipsius Virgil. quem mox adducemus.

r *Et Agathyrsis.*] Et hos pictos scribit Virg. Aeneidos 4.

Cretesqué Dryopesqué fremunt, pictiqué Agathyrsi.

Vbi Seruius, contrà quàm dixerat priore loco, Populi sunt, inquit, Scythiæ, colentes Apollinem Hyperboreum: Picti, non stigmata habentes, sed pulchri: id est, Cyanea coma placentes. Pomponius Mela lib. 2. c. 1. de Scythia Europæa, Agathyrsi, inquit, ora artúsque pingunt, vt quique maioribus præstant, ita magis vel minus, cæterùm iisdem omnes notis: & sic, vt ablui nequeant. Et Solinus d. cap. ad ea, quæ proximè dicta sunt, subiungit, Nec hoc sine differentia. Nam quantò quis altero præstat, tantò propensiore nota tingitur, vt sit indicium humilitatis minus pingi.

s *Indis quoque.*] Arrianus de Gestis Alexand. lib. 8. Inaures Indi gestant ex ebore, qui locupletiores sunt tantùm: neque enim vulgò id genus ornamenti ferunt.

t *Atheniensibus.*] Apuleius lib. 1. de Dogmate Platonis, de his loquens, Auri, inquit, tantùm reliquit, quantùm puer, nobilitatis insigne, in auricula gestauit.

u *Et Persis.*] Vide tractatum nostrum Nobilitatis, ad finem.

x *Ex Germanis.*] Cornelius Tacitus in libello de Moribus & pop. Germaniæ, locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ & Parthi: sed stricta & singulos artus exprimente: cæteris omnibus tegumen, sagum, fibula, aut si desit, spina consertum.

y *Apud Sueuos.*] Idem Tacitus d. lib. quem citauimus suprà, vbi de Sueuorum coma, id tamen addemus ea eodem Tacito, Sueuos vsque ad canitiem horrentem capillum retrò sequi, ac sæpe in ipso solo vertice religare, Principes ornatiorem habere. Apud Ægyptios verò coma prolixa insigne nobilitatis fuit, teste Luciano in Nauigio.

z *In Libya.*] Pomponius Mela lib. 1. cap. 8. quo Cyrenaicam describit, Primores, inquit, sagis velantur: vulgus bestiarum pecudúmque pellibus.

a *In Ægypto.*] Herodotus eodem lib. 2.

b *Vniuersis.*] Herodotus eodem libro, sed paulò pòst.

c *Neque referre alienum fuerit.*] Plinius lib. 3. c. 16. & lib. 37. cap. 2.

d *Aristoteles refert.*] Si is est: sunt enim qui addubitant, in de Mirabilibus auscultationibus, c. 106. Daunij omnes accolæque tam viri, quàm fœminæ atratis tantùm vestibus vtuntur: ea nimirum de causa, quòd Troianæ mulieres, dum captiuæ ad ea loca essent traductæ, metuentes ne grauem seruitutem sub mulieribus Græcis experirentur (nam tum ea loca inhabitabant) naues incenderunt: tum vt iugum seruile effugerent, tum vt viros, manendi necessitate imposita, detinerent. Adde superioribus quòd Persæ subligacula coriacea, reliquámque vestem è corio deferebant, ex Herodoto lib. 1.

Qui numerus augurum, quave Potestas aut ius quondam fuerit, & quomodo auguria captarentur.

CAPVT XIX.

Augurum numerus tempore. Augures quatuor. Quinque. Nouem. Vigintiquatuor. Augurum dignitas.

QVÆSTIONI diu res fuit, qui numerus augurum olim apud Romanos fuerit, quod sacerdotium magnæ religionis fuisse constat. [a] Et tametsi à principio, vt in tribus centuriis, Ramnensi, Titiensi & Lucere, singuli essent augures constitutum foret, quorum numerum imparem esse decere arbitrati sunt: tamen sequutis temporibus, quin ad quatuor, mox quinque numerum aucti fuerint, nulla controuersia est: donec, vt non vltra nouem collegium excederet, senatusconsulto cautum fuit. Idque ante primum Punicum bellum, [b] quo tempore Sora & Alba coloniæ deductæ fuere. [c] Demum à Sylla dictatore collegium propagatum ferunt, vt vltra nouem, quindecim crearentur, ita vt quatuor & viginti essent. [d] Hi ergo velut interpretes internunciíque deorum, tantæ

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

a ET *tametsi à principio.*] Hæc vsque ad versic. Idque ante primum. sunt Titi Liuij 1. Decad. lib. 10. Vide de his L. Gregorium syntag. 17. Historiæ deorum Gentium fol. 742. & 743.

b *Quo tempore Sora & Alba.*] Liuius eodem libro, sed alio loco, nempe in principio eius libri. Cuius verba hæc sunt, Soram atque Albam coloniæ deductæ: Albam in Æquos sex millia colonorum scripta. Sora agri Volsci fuerat, sed possederant Samnites, eò quatuor millia hominum missa.

c *Demum à Sylla Dictatore.*] Sed aliter L. Florus epitome Liuij lib. 89. Sylla Dictator factus, quod nemo vnquam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit, rebúsque nouis reipubl. statum confirmauit: Pontificum Augurúmque collegium ampliauit, vt essent quindecim.

d *Hi ergo veluti interpretes.*] Sic enim Helenum augurem appellat Virgil. lib. 3. Æneid.

Troiugena interpres diuûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarij lauros, qui sydera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

Sic Euander Carmentam matrem, Fatiloquam, Deûm interpretem vocat apud Liu. 1. Decad lib. 1. non adeò longè à principio his verbis, Ioue nate Hercules salue, inquit. Te mihi mater veridica interpres deûm auctorum cœlestium

numerum

dignationis habiti sunt, vt enim qui atuspicinam fecerat, in senatū adscribi, & inter patres legi, fas esse duceretur. [e] Regibus quoque sicut iura dare & sapere, [f] ita diuinare, regium munus erat. Itaque à primo ortu orbis, [g] iidem Reges & augures erant, qui futura prædicerent, & iura darent. [h] Denique Romulus hoc sacerdotio prædiius, optimus augur fuisse traditur. [i] Proditúmq; est, Romæ optimatum filios sex, Hetrutiæ populis, vt augurandi artem ediscerēt, ex decreto senatus in disciplinam tradi solitos, vt Romæ augurandi scientia & ars innotesceret. Quæ quidem incredibilis & penè diuina [k] Fesulis pollebat, vbi domicilium augurum esse ferebatur, [l] quod & veteri lege sancitum erat, in hęc verba, prodigia & portenta ad Hetruscos aruspices, si senatus iusserit, deferunto, Hetruriæq; principes disciplinam discunto: quibus diuis decreuerint, procuranto, iisdem fulgura & ostenta pianto, auspicia seruanto, auguri patento. & infra: [m] Singulis quoque tribubus olim singuli augures pręficiebātur, qui sacris cæremoniis prædictionibusq; deorum præessent, publica priuatáque auspicia curarent, sicut à Romulo constitutum fuit. [n] Postea verò comitiis curiatis, quæ pontificis maximi dicuntur, non à populo vniuerso, sed à minore parte. & selectis, quibus sacerdotia mādare curæ erat, de concilij sententia eligebantur: namque ipsi nominabant, quos dignissimos iudicarunt. [o] Nonnunquam si quis augur decessisset, à duobus vnus nominari, & à toto deinde collegio expeti & cooptari poterat. Qui postquam ad sacerdotium admissi fuerant, mox inaugurati, vt mos erat, captatisq; auguriis in collegiū admittebantur: Et tametsi præsentes admitterētur soli, sæpius tamen absentium habitam rationem comperimus, quòd lege Iulia cauebatur. [p] Cúmque sacerdotia semel collata, ob plurimas causas adimi solerent, solus auguratus perpetuus fuit: ideo semel collatus, quoad vita suppetit, etiam magnis intercedentibus causis viuenti non adimitur. [q] Quare Fabius Maximus proditur duobus & sexaginta annis summa cū

Reges & augures iidem. Romulus augur. Ro. sex optimatum filij Hetruscis traditi. Augurū domicilium Fesulis. Singulis tribubus singuli augures præfecti. Augurū creatio. Auguratus munus non adimebatur.

ANNOTATIONES.

numerum cecinit, paulò ante, Euander venerabilior diuinitate credita Carmentæ matris, quam Fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam aduentum, miratæ hæ gentes fuerant. Et hi quidem nuncupatim interpretes Iouis religionum vocantur ex verbis legis 12. tabularum ascriptis Ciceroni lib. 2. de legibus. Idem Cicer. Anton. 13. Vtrum igitur augurem, Iouis Opt. Max. cuius interpretes, internunciique sumus, vtrum populus Rom. libentius sanciet?

e *Regibus quoque iura dare.*] Id enim proprium Regum fuit, vt ex pluribus docui in nostris Commentariis Nobilitatis.

f *Ita diuinare.*] Vide sequentia.

g *Iidem Reges & augures.*] Vt statim patebit. Nec id solùm apud Rom. sed & alios ex Cicerone libr. 1. de Diuinat. Sic Anius Deli insulæ Rex & sacerdos erat Virgilio lib. 3. Æneidos.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique sacerdos.

Vbi Seruius, Apud Maiores, inquit, Rex erat sacerdos & pontifex. Sic hodie Imperatores, pontifices diximus.

h *Denique Romulus.*] Cicero d. lib. 1. statim post prin. Principio huius vrbis parens Romulus, non solùm auspicatò, vrbem condidisse: sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. Idem Cicero eod. lib. Itaque Romulus augur, vt apud Ennium, cum fratre item augure.

i *Proditúmque est.*] A Cicerone eodem illo li. cuius verba adscribimus, Quocirca bene apud maiores nostros Senatus tum, cùm florebat imperium, decreuit, vt de Principum filiis sex singulis Etrutiæ populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta, propter tenuitatem hominum à religionis authoritate abduceretur ad mercedem, atque quæstum. Festus autem Pompeius libr. 18. Tages, inquit, Genij filius & nepos Iouis, puer dicitur disciplinam aruspicij dedisse duodecim populis Etruriæ traditur. De hoc Cicero lib. 2. de Diuinat. scribit ad hunc modum, Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, quum terra araretur, & sulcus altius esset impressus, extitisse repentè, & eum affatus esse, qui arabat. Is autem Tages, vt in libris est Etruscorum pueril specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. Eius aspectu cùm obstupuisset bubulcus, clamorêmque maiorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totámque breui tempore in eum locum Etruriam conuenisse: tum illum plura loquutum multis audientibus, qui omnia eius verba exceperint, literísque mandauerint: omnem autem orationem fuisse eam, qua aruspicinæ disciplina contineretur: eam posteà creuisse rebus nouis cognoscendis, & ad eadem illa principia referendis. Ouidius libro 15. Metamorphoseôn.

At nymphas tetigit noua res, & Amazone natus
Haud aliter stupuit, quàm cùm Tyrrhenus arator
Fatalem glebam motis aspexit in aruis,
Sponte sua primùm, nulloque agitante moueri,
Sumere mox hominis, terraque amittere formam,
Oráque venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixere Tagen, qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

k *Fesulis.*] Cicero vbi suprà.

l *Quod & veteri lege sancitum.*] Cicero 2. de legibus, vbi hæc omnia huius legis verba, paucis exceptis, adscripsit. Valerius Max. lib. 1. c. 1. de Cerere placanda, Tantum, inquit, studium Antiquis non solùm obseruandæ, sed etiam amplificandæ religionis fuit, vt florentissima tum & opulentissima ciuitate decem Principum filij S. C. singulis Etruriæ populis, percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia, traderentur. In quo Cicero tantùm à Valerio dissentit de numero: Sex enim Principum filios tantùm scribit Cice. Valerius autem decem.

m *Singulis quoque tribubus.*] Liuius 1. Dec. lib. 10. Cùm inter augures constet imparem numerum debere esse: vt tres antiquæ tribus, Ramnenses, Tatienses, Luceres, suum quæque habeant augurem. Pomp. Lætus de Sacerdotiis Ro. Primùm tres augures fuere, à tribus tribubus.

n *Posteà verò comitiis curiatis.*] Gruchius de Curiatis comitiis, lib. 3. c. 2. Comitia autem peculiaria auguribus creandis disces ex Liuio 4. Dec. lib. 9.

o *Nonnunquam si quis augur decessisset.*] Cicero lib. 2. de legibus & Philippica 2. Augur augurem in demortui locum nominando cooptabat; vt testatur Cicero Philipp. 13. his verbis, In primis paternum auguratus locum, in quem ego eum (vt quod a patre accepi, filio reddam) mea nominatione cooptabo.

p *Cúmque sacerdotia.*] Hæc vsque ad vers. Quare Fab. sunt Liuij 1. Dec: lib. 1. & Plutarchi probl. c. 99.

q *Quare Fabius Maximus.*] Liuius 3. Decad. libr. 10. dicit eum augurem duos & quadraginta annos fuisse. Plinius lib. 6. cap. 48. Quintus Fabius Maximus, inquit, tribus & sexaginta annis augur fuit. Valerius Maximus Alexandro subscribit, his verbis, Quintus autem Fabius Maximus duobus & sexaginta annis auguratus sacerdotium sustinuit, robusta iam ætate id adeptus: quæ vtraque tempora, si in vnum conferantur, facilè seculi modum expleuerint. Sed & Paulus Æmilius augur factus, sic patriis moribus intendit, sic veterum circa diuina obseruantiam disciplinámque cognouit,

Augur qui hulceres habet. laude auguratum gessisse ad vltimam senectam.[r] Si quis tamen augur hulcus pateretur, licet in sacerdotio foret, augurandi tamen ius non habebat. Ex hulceratis quoque auibus auguria captari non licere, (siquidem morbosæ aues auspicia nulla faciunt) sæpe relatum est.[s] *Auium hulcera.* In augurum enim collegio illud præcipue seruatur, vt sicut quisque ætate præcedit, ita maximè primatum teneat: quippe inter augures maiores natu, etiam his, qui cum imperio sunt, proferri solent.[t] *Ætatis ratio in augurum collegio.* Horum ergo proprium fuit, ex auibus vaticinia obseruare, signáque rerum futurarum, & à diis monita, contemplari: si opportunè euolassent, aut sedes idoneas accepissent, obnunciare: de prodigiis, somniis, augurijs atque oraculis, portentis, extisque responsa dare. *Auguris munus.* Tum obseruationes auspiciorum, procurationes expiationésque, vatum libros, portentorum explanationes, & monita deorum edicere, siquid ingrueret fato casurum fore, & quod salutis auspiciis fieret. Quódve augurium lætum quódve piaculare esset, quod minas cælestes ingruentéque calamitates, aut fatale exitium afferret, præmonere & vaticinari, quæ lege augurali latius decreta & perscripta sunt, cuius verba adscripsi: *Lex auguralis.* Interpretes Iouis optimi maximi publici augures, signis & auspiciis postea vidento, disciplinam tenento, sacerdotésque vineta, virgetáque & salicta publica auguranto, quique agent rem duelli, quique populare auspicium præmonento, ollique obtêperanto, diuorúmque iras prouidento: hisque parento, cœlique fulgura regionibus ratis denoranto, vrbémque & templa & agros, liberata & effata habento: quæque augures iniusta, nefasta, vitiosa, dira dixerint, irrita infectáque sunto: quique non paruerit, capitale esto: & infrà. Ipsique auguriis auspiciisque captādis interesse debent, eâque notare, ac inspicere & referre, & an egregiè esset litatum, declarate: quibúsque hostiis, & quibus sacris ac supplicationibus, & quæ ad puluinaria, terra prodigia procurarentur aut expiarentur, enūciare. Sed tamen soli auguri sine collegio auspicia interpretari nō licuit: *Non augur vnus, sed totū collegium auspicia interpretabatur.* totum enim collegium censere, & sententiam ferre decebat, si quid exquisitius interpretari vellent, si durior fortè casus ambiguæ foret interpretationis, qui in dubium controuersiámque veniret: ad quos etiam de singulis prodigiis & portentis, quæ eorum prædictio foret, & an fœdo vel felici exitu euentura essent, omnes tanquam ad adytum aliquem consultum ibant.[u] Tum si qui magistratus vitio creati forent, eorum responso vel admittebantur, vel magistratu abire cogebantur: itaque Dictatores, Consules, Prætores, & reliqui magistratus vitio creati, neqnid diuini obstaret, ex responso aruspicum, magistratu abire sæpe coacti sunt.[x] Poterántque augures propter terra prodigia, aut si quid officeret, comitia creandis magistratibus vel impedire vel vitiare. *Auguriū cum ex arce peteretur.* Quotiésque ex arce augurium petebant,[y] lituum sine nodo, hoc est baculum à summo inflexum, in parte qua robustior est, *Lituus auguris.* quod[z] insigne augurale fuit, tenebant:[a] quo cœli regiones & certa spatia, quibus videoda ad se pertinere volebant, quæ templa dicta sunt præfinirent, & certa finitione signarent, vt quod dextrum, quódve sinistrum esset, oculis & animo metiri possent: nam manu cœli spatia notare, saluis auspiciis, non licebar.[b] *Templa. Lituus regium insigne.* Quo quidem lituo augur prospectu in vrbem, atque agros captato, regiones ab oriente ad occasum terminabat, limite decumano, & cardine ex transuerso, signo merato, quo oculi ferrent quàm longissimè.[c] *Regiones in cœlo ab auguribus notata.* Qui quidem lituus etiam regium fuit insigne, in quo potestas dirimendarum litium esse noscebatur.[d] Proditúmque memoriæ est, Romuli lituum ambas cuspides ab imo &

ANNOTATIONES.

gnouit, vt nominis & honoris duntaxat gratia concupitum prius, auguratum inter supremos magistratus habendum ostenderetur, philosophis astipulatus, qui religionem scientiam cultus diuini esse definiunt, vt in eius vita scripsit Plutarchus.

r *Si quis augur.*] Hæc vsque ad vers. In augurum. sunt. Plutarchi probl. c. 57. & iterum 73.

s *In augurum enim collegio.*] Cicero io libro de Senectute, Neque, ait, solùm honore antecedentibus, sed iis etiam, qui cum imperio sunt, maiores natu augures antepònuntur.

t *Horum ergo proprium.*] Hæc propemodum sunt Ciceronis lib. 2. de legibus. vbi & ipsam legem auguralem posuit.

u *Tum siqui magistratu.*] Cicero lib. 2. de legibus Liuius 1. Decad. lib. 8. Valerius Max. lib. 1. cap. 1. vbi loquitur de Tib. Graccho.

x *Poterántque augures.*] Cicero lib. 2. de legib. & in 2. Philipp. cuius hæc verba sunt, Tum hic bonus augur eo se sacerdotio præditum esse dixit, vt comitia auspiciis, vel impedire, vel vitiare posset.

y *Lituum sine nodo.*] Cicero lib. 1. de Diuinat. Liuius 1. Dec. lib. 1. Augur dextra manu baculum, sine nodo aduncum tenens, quem lituum appellauerunt. Plutarchus in Romulo, lituus est inflexus baculus, quo ad inaugurandum sedentes cœli spatia designant.

z *Insigne augurale fuit.*] Seruius in lib. 3. Georgicôn ibi,
—*Lituósque pati, tractúque gementem.*

Ferre rotam. ——
Lituus erat augurum baculus aduncus, sine nodo. Gellius lib. 5. cap. 8. Lituus est virga breuis, in parte, qua robustior est, incurua, qua augures vtuntur. Quod & ipsum asserit Cicero lib. 1. de Diuinatione. Quid, inquit, lituus iste vester (quod clarissimum est insigne auguratus) vnde vobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit tum, cùm vrbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, id est incuruum & leuiter à summo inflexum bacillum (quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen inuenit) cùm situs esset in Curia Saliorum quæ est in Palatio, eaque deflagrasset, inuentus est integer. Macrobius lib. Saturnal. 5. cap. 8.

a *Quo cœli regiones.*] Liuius 1. Dec. lib. 1. Seruius lib. 7. Æneidos, io eum locum,

Ipse Quirinali lituo.
Lituus, inquit, incuruus augurum baculus, quo vtebantur ad designanda cœli spatia: nam manu non licebat. Et in lib. 6. Æneid.

Ipsa sub ora viri.
Et nos alibi iam latè diximus.

b *Quo quidem lituo.*] Plutarchus in Numa Pompilio.

c *Qui quidem lituus.*] Seruius ad ea quæ ibi, Quo cœli regiones, ex Virgil. io 7. Æneidos, subiungit, vel lituum, id est, regium baculum, in quo potestas erat dirimendarum litium.

d *Proditúmque.*] Plutarchus in Romulo.

e Ex

à summo inflexas habuisse, præter formam litui auguralis [e] Ex ootatis verò regiooibus, prima antica, posterior postica, tum dextra & sinistra dictæ. [f] Quamuis Hetrusci vates cœlestiom prodigiorum periti, cœlum in duodecim partes diuiserint, anticámqoe ad occiduum, quoniam omnis illuc inclinat motus & posticam ad orieotem: dextras ad septentriouem, sinistras verò ad meridiem proclinare voluerunt. [g] Sedebat enim augur velato capite, [h] & duplici toga augurali, quæ læoa dicta est, [i] vel trabea amictus ex purpura & cocco, cũ captabat auspicia, & lituo cœli regiones ootabat. [k] ipséque cæsa victima obseruatis notatísque signis, longum carmen præfatus, preces effundebat: quas si forte nõ rite didicisset, oe qoid præpostere diceretur, aliquo præeunte emittebat. Græcis verò augur non trabea amictus, sed toga caodida velatus, poscit auguria. [l] Macedonibus quoque vates in amictu candido auream gerens coronam, captat auguria, & vaticinatur. Post effusas verò preces, oculis in cœlum fixis, [m] sedere conuenit, momentis omnibus paratum intentúmque toto animo affixum, [n] facto vbique silentio, oe quid videretur audiréturve, quod auspicium dirimeret, quoad de cœlo seruasset, captataque auguria & signa missa forent: quibus missis, [o] ex auibus quæ oscines, quæ præpetes vel inferæ, & an tacitæ vel strepeotes aduolarent, & si dextra vel sioistra, quæve admissiuæ esseot, [q] & quæ arculæ, [r] quæve cliuiæ, aut inebræ, quæ vetareot. Tum si motus pronus vel obliqous, supinus an rectus, aut in latera referebat: conueniebátque extemplò augurem adire, & [s]. auguriom firmaris namque vnum vidisse auspicium, non erat satis. Adnotatúmque exemplis est, non vbique & passim auguri captare auspicia licere, quia oisi in præsctiptis destinatísque locis, [t] quibus Thesqua nomen,

Vestitus auguris & caremonia in auguriis, capitdis vide itē c.13. Græci. Macedones. Loca in quibus auguria obseruabantur. Magistri augurū munus. Notandum.

ANNOTATIONES.

e *Ex notatis verò regionibus.*] Varro lib. 6, linguæ Latinæ, non multò post princ. Eius, inquit, templi partes quatuor: sinistra ab Oriente, dextra ab occasu, antica ad Meridiem postica ad Septentrionem. Festus Pompeius lib. 14. Quæ ante nos sunt, antica, & quæ post nos sunt, postica dicuntur: & dexteram anticam, sinistram posticam dicimus. Sic etiam ea cœli pars, quæ sole illustratur ad Meridiem, antica nominatur: quæ ad Septentrionem est, postica: rursum, quæ diuiduntur in duas parteis Orientem, atque Occidentem. Seruius in 9. eclog. ibi.

Ante sinistra caua.

Augures, inquit, designant lituo spatia, & eis dant nomina, vt prima pars aotica, posterior postica, item dextra & sinistra: vt iam alibi diximus. Et in lib. 2. Æneid. ibi.

Limen erat cacaq; fores.

Per posticum, inquit, ingressus est. nam fores anteriores obsessæ erant. Est autem posticum neutrius generis. Horatius Epistolarum lib. 1. epist. 5. ad Torquatum.

Atria seruantem postico falle clientem.

Nam antica & postica, in fœminioo genere, aogurale est. Idem Seruius in lib. 6 Æneid. eo loco, vbi Moris, est, inquit, vt captantes auguria, certa sibi spatia designent, quibus volebant, videnda ad se pertinere: quod spatium totum appellatur, & extremæ partes, antica & postica vocabantur.

f *Quamuis Hetrusci.*] Aliter philosophi. Nam Pythagoras, Plato, Aristoteles, dextras mundi partes Orientales dixêre, à quibus initium motus: sinistras Occidentales. Empedocles dextras mundi partes iuxta circulum solstitialem æstiuum: sinistras iuxta hyemalem iudicauit.

g *Sedebat enim augur.*] Plutarchus Numæ imperij auspicia & ingressus scribens, Capitolium, inquit, ascendit, vbi qui auguribus præerat, illum velato capite ad Meridiem vertens, precatus est. Liuius 1. Dec lib. 1. Augur ad læuam eius, capite velato, sedem cepit,

h. *Et duplici toga augurali.*] Diximus suprà hoc eodem libro cap. 18. Lænam esse genus vestis. Quæ est propriè duplex amictus auguralis. sic etiam, vt puto, legit Alexander: quamuis in omoibus libris, quos hactenus vidi, auguralis legatur.

i *Vel Trabea.*] Diximus præterea ex Suetonij libello de genere vesti. Tertium genus trabeæ esse augurale ex purpura & cocco mistum.

k *Ipséque casa victima.*] Plotarch. in Numa.

l *Macedonibus.*] Q. Curtius li. 4. vbi loquitur de Aristandro vate Alexandri Macedonis.

m *Sedere conuenit.*] Seruius in lib. 6. Æneidos ibi,

—Sic effatus vestigia pressit.

Obseruans, qua signa ferant.

Quia, inquit, ad auguria captanda, post preces, immobiles: vel stabaot, vel sedebant. Sed idem enarrans illud ipsius Virgilij in princ. lib. 9.

—Luco tum fortè parentis

Pilumni, Turnus sacrata valle sedebat.

Secundum, ait, augureis, sedere est auguria captare: nam post designatas cœlis parteis, à sedentibus captantur auguria. quòd & ipse suprà lib. 7. latenter ostendit, inducens Picum Regem solùm sedentem,

—— Paruáque sedebat

Succinctus trabea.

Quod est augurum, cùm alios stantes induxerit.

n *Facto vbique silentio.*] Plutarchus in Numa captante auguria, sic scribit, Silentium summum tanta in multitudine totum tenebat, cunctis euentum obseruantibus, & de futuro suspensis.

o *Ex auibus qua oscines, qua prapetes.*] Dictum est supra hoc eodem lib. c. 13.

p *Quave admissiua essent.*] Festus Pompeius lib. 1. Admissiuæ aues dicebantur ab auguribus, quæ consulentem iuberent.

q *Et qua arcula.*] Idem Pompeius, Arcula dicebatur auis, quæ in auspiciis vetabat aliquid fieri.

r *Quave cliuia.*] Cliuiæ auspicia dicebant, (teste Festo lib. 3.) quæ aliquid fieri prohibebant. & iam de his cliuiis auspiciis diximus suprà d. c. 13.

s *Et augurium firmari.*] Virgilius libro secundo Æneidos.

Da deinde auxilium pater, atque hac omnia firma.

Quo in loco Seruius, Non sufficit, inquit, Romano more, vnum vidisse augurium, nisi firmetur ex simili: nam ex dissimilibus posterioribus dissoluuntur priora.

t *Quibus Tesqua nomen.*] Festus Pompeius li. 18. Tesqua loca augurio designata. Cicero aspera esse ait & difficilia. Horatius 1. Epistol. 14.

—— Nam qua deserta & inhospita Tesqua

Credis, amœna vocat, mecum qui sentit: & odit,

Qua tu pulchra vocas. ——

Vbi Acron dicit, Tesqua loca deserta & difficilia, lingua Sabinorum dici: & deserta & repleta sentibus sic nominari. Porphyrion aliter interpres, dicit esse loca aspera & syluestria. Lucanus lib. 6. non loogè à princ. Tesqua nemorosa.

Amplexus fines, saltus, nemorosáque tesqua.

Varro lib. 6. de lingua Latina, noo admodum longè à prin. Tesca scribit per c, literam, putátque tesca dicta, quasi tuesca, à tuendis sacris: locáque quædam agrestia interpretatur,

Auspicij tempora. Augur. feralia non attrectabat. Post augurium obseruata. Pontifex & augur simul. Maioris magistratus augurium minori praeferebatur.

[u] aut in arce. vel ad veteres curias, augures. [x] pontifices vero, nisi in postmurio, auspicia captare fas erat. [y] Sed sciendum non omnibus auguribus, sed solo magistro augurum de cœlo auspicari licuisse: qui huic muneri præfectus, magister à collegio eligebatur. [z] Obseruatúmque, vt si extra vrbem, aut in pomœrio, vel domo conducta, seu quouis tabernaculo, quod cœperat, augur auspicetur, & inter augurandum nondum firmis signis, vrbem aut pomœrium inauspicatò transgressus foret, vt ritè capeotur auspicia, primum omitti tabernaculum, & alterum sumi necesse fore: denuóque auspicari oportere, ex quo nouus auspiciorum instauratur aspectus. [a] Et cum certa dies auspiciis dicata esset, post mediam noctem ad mediam futuram diem auspicari licere. Septima autem aut sexta diei hora, non decebat: [b] namque incipiente aut crescente die, non autem desinente, iusta auspicia fuere. Post Sextilem quoque mensem, quo tempore aues aut imbecillæ aut morbosæ sunt, vel pulli earum imperfecti, auspicari non licebat: eo enim tempore à pontifice maximo de cœlo seruare vetabatur. In quo id fuit constitutum, vt non modò [c] morbosis auibus, sed [d] cuiconque funeri augur admouere manus, & feralia attrectare vetaretur. Si autem post augurium susceptum ad aquam venire contingeret, ne eius interuentu augurium frustraretur, quod aquæ intercessu interrumpi certum est, fusis precibus aquā hautire, & vota promittere oportebat. [e] Poterátq; idem & pontifex & augur esse, duobúsq; simul sacerdotiis præponi, cui etiam lictor præibat, sicut pontifici maximo. Et tametsi post susceptos honores, auguratus conferri soleret, tamen [f] Fabius Maximus admodum adolescens, priusquam vllum

ANNOTATIONES.

tatur, Deo cuipiam consecrata, Accij testimonio id ipsum confirmans ex tragœdia, cui Philoctetæ nomen est, in hunc modū citato, Lemnia qui tu es mortalis, quin in deserta & tesca te apportes locca? Loca enim quæ sint, designat, cùm dicit Lemnia. Præstolate & celsa Cabyrum delubra tenes, mysteriáque pristina castis concepta sacris. Deinde Volcania templa sub ipsis collibus, in quos delatus locos dicitur, Alto ab limine cœli. Et Næuius. Expirante vapore vides vnde ignes clurt mortalibus diucis. Quare hic qui tesca dixit non erraoit: neque ideo quòd sancta, sed quòd ibi mysteria fiunt, ac tuentur. tuesca dicta, pòst tesca. Hæc Varro.

u *Aut in arce.*] Plutarchus in vita Numæ scribit, Numam auguribus sacerdotibúsque assumptis Capitolium ascendisse ad captandum augurium.

x *Pontifices verò.*] Id, ni fallor, accepit à Festo Pompeio lib. 14. dum scribit, Postmurium pontificale pomœrium, vbi pontifices auspicabantur. Dictum autem pomœrium, quasi promurium, id est, proximum muro. Et vix alibi id verbum inuenies: nullibi autem (nisi admodum decipior) postmurium, quo vtitur hîc Alexanner, & credo eum legisse postmurium, non prostmurium. Scio autem pomœrium, aut, vt alij legunt, pomerium dictum, quòd esset post murum: vel testimonio Varronis lib. t. aut aliorum computatione 4. linguæ Latinæ. aut Liuij 1. Decad. libr. 1. in hunc modum, Pomœrium, verbi vim solam intuentes, postmœnium interpretantur esse. Est autem magis circamœrium, locus, quem in condendis vrbibus quondam Hetrusci, quà murum ducturi erant, certis circà terminis inauguratò consectabant: vt neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgò etiam coniunguntur, & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quàm quod murus, post id pomœrium Romani appellarunt, & in vrbis incremento semper quantùm mœnia processura erant, tantùm termini hi consecrati proferebantur. In pomœrio autem pontifices aospicari solitos, videri potest ex eo quod scribit Cicero li. 2. de Natura deorum, loquens de Tiberio Graccho augure, his verbis, Itaque tum illos exire iussit, pòst autem è prouincia literas ad collegium misit, se, cùm legeret libros, recordatum esse vitio sibi tabernaculum captum fuisse in hortos Scipionis: quòd cùm pomœrium posteà intrasset habendi Senatus causa in redeundo, cùm idem pomœrium transiret, auspicari esset oblitus. Itaque vitio Coss. creatos esse. Repetitur hoc exemplum lib. 1. de Diuinat. à Valerio libr. 1. tit. 1. de Cultu deorum, & à Plutarcho in Marcello. Sed interim aduerte ad idquod scribit Seruius enarrans eum locum Virgilij lib. 6. Æneid.

—— *Sic effatus, vestigia pressit.*

Quia, inquit, propriè effata, sunt augurum preces: Vnde ager, post pomœria, vocatur effatus, vbi captabantur auguria Gellius lib. 13. ca. 14. Pomœrium quid esset, augures populi Romani qui libros de auspiciis scripserunt, istiusmodi sententia definierunt, Pomœrium est locus intra agrum effatum, per totius vrbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem Vrbani auspicij.

y *Sed sciendum est non omnibus.*] Plutarchus in Numa, Capitolium ascendit, vbi qui auguribus præerat, Numæ caput dextra manu tenens, precatus est, & contra quàm longissimè prospectum oculi ferebant, quæ à diis immortalibus auspicia signáve mitterentur, circunlustrabat.

z *Obseruatúmque est.*] Valerius Maximus lib. 1. ca. t. de Cultu deorum, A Tiberio, inquit, Graccho ad collegium augurum literis ex prouincia missis, quibus significabat se, cùm libros ad sacra populi pertinentes legeret, animaduertisse vitio tabernaculum captum, comitiis consularibus, quæ ipse fecisset: eáque re ab auguribus ad Senatum relata, iussu eius, C. Figulus è Gallia, Scipio Nasica à Corsica Romam redierunt, & se consulatu abdicauerunt. Cicero lib. 2. de Diuinatione. Auspicium optimum habemus ad omnes res, præter quàm ad comitia: quod quidem institutum reipub. causa est: et comitiorum vel in iudiciis populi, vel in iure legum, vel in creandis magistratibus, Principes ciuitatis erant interpretes. At Tiber. Gracchi literis Scipio & figulus, quòd cùm augures iudicassent eos vitio creatos esse, magistratu se abdicauerunt. Quod & suprà proximè, vbi de postmurio pontificum diximus ex Cicerone libro 2. de Nat. deorum.

a *Et cùm certa dies.*] A. Gellius lib. 3 c. 2. Magistratus quando vna die eis auspicandum est, & id super quo auspicauerunt, agendum, post mediam noctem auspicatur, & post meridiem sole magno: auspicatique esse & egisse ex eodem die dicuntur. Macrob. lib. 1. Saturo. c. 3.

b *Namque incipiente.*] Hæc vsque ad versic. In quo id fuit const. sunt Plutarchi problem. cap. 37. vbi horum rationem reddit.

c *Morbosis auibus.*]Quod suprà dictum est.

d *Sed cuicunque funeri.*] Cornelius Tacitus lib. 1. Neque, inquit, Imperatorem auguratu, & vetustissimis cæremoniis præditum attrectare feralia debuisse.

e *Poterátque idem.*]Nam Q. Fabius Maximus augur & pontifex simul fuit ex Liuio 3. Decad. lib. 10.

f *Fabius Maximus admodum adolescens.*] Vt patet ex Liuio 4. Decad. lib. 3. Sed & idem Liuius 3. Decad. lib. 9. in fine tradit Titum Sempronium, admodum adolescentem, augurem creatum, quod tunc, inquit, perrarum erat in mandandis sacerdotiis. Titus Sempronius Gracchus (vt memoriæ prodidit Plutarchus in Gracchis) P. filius sedit in-

surum

gereret magistratum, auguratum gessisse dicitur. Quotiésque pro diuersis captarentur, illius præualere auspicia, qui in summo esset magistratu, certum est: ideo Consulis auspicia, si cum Prætoris confundantur, præponi haud dubium esse. [g] Fuitque exemplis cognitum, apud augures optimis auspiciis ea geri, quæ pro Reipubl. salute susciperentur: quæ contra, inauspicata esse & monstrifica Illud quoque dixisse non ab re fuerit, [h] occentu soricis dirimi auspicia, [i] sicut aquæ interuentu irrita fiunt: [k] vtque luminaria domus auguralis semper aperta sint, nulló que periculo claudantur. Quódque quum auspicia captant, cœlo non turbido nec procelloso aut pluuio, sed aura silenti & placida, vbi omnia pura & tranquilla sunt, auspicentur, ne venti flatus aut tempestas auium gressus à suo cursu diuertat. [l] Estque obseruatum, vt minora auspicia semper maioribus cedant, licet priora sint. [m] Siquidem cornicis aut columbarum auspicia, aquila superueniente irrita fiunt: aquilarum verò augurium, fulmine adueniente nullum est.

Auspicia pro reipu. optima. Soricis occentu auspicia dirēpta. Domus auguris aperta. Aura silenti & placida auguria captāda. Minora auspicia maioribus cedebant.

ANNOTATIONES.

forum Gracchorum pater, qui bis Coss. & censor fuit, idémque & summus augur & vir sapiens, vir mira fortitudine & æquitate præditus, cooptatus in collegium augurum, cùm esset admodum adolescens. Paulus Æmilius, qui Persem cepit iuuenis factus est augur, vt scribit Plutarch. in vita Pauli Æmilij.

g *Fuitque exemplis cognitum.*] Id dictum est Q. Fabij Maximi apud Tullium in Catone maiore, vbi sic scribit, Augur cùm esset, dicere ausus est, Optimis auspiciis ea geri, quæ pro reipub. salute fierent: quæ contra remp. ferrentur, auspicia contra fieri. Cicero Philip. 11. Iupiter ipse sanxit, vt omnia, quæ reipub. salutaria essent, legitima & iusta haberentur. Vbi videtur Cicero illud Hectoris ad Polydamantem fratrem exprimere, cùm is augurem suaderet de rebus gerendis consulere Iliad. 12.

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Id est,

Augurium optimum, pro patria pugnare.

Eobanus sic vertit,

Augurium tamen est, quod præualet omnibus, vnum.
Pro patria pugnare, armis defendere ciues.

Ita etiam vertit Budæus,

Augurium felix patriam tutarier vnum.

Quæ & ipsa sententia citata est, & probata Aristoteli Rhetoricorum lib. 2. ipsi Ciceroni ad Atticum lib. 2. epistol. 2. Plinio Iuniori li. epist. 1. epist. 18. ad Tranquillum. Aphthonio in præexercitamentis, & Plutarcho in lib. de fortuna & virtute Alexandri.

h *Occentu soricis.*] Valerius Max. li 1. c. 1. de Cultu deorum, de Fabio Maximo Occentus soricis auditus, Fabio Maximo Dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi causam præbuit. Plinius lib. 8. c. 57. Soricum occentu dirimi auspicia, annales refertos habemus.

i *Sicut aquæ interuentu.*] De quo suprà dictum est.

k *Vtque luminaria domus.*] Hæc vsque ad vers. Estque obseruatum. sunt Plutarchi problemat. cap. 72. vbi horum reddit rationem.

l *Estque obseruatum.*] Seruius in 9. eclog. Virg. enarrãs illud;

Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.

Sed idem paulò aliter in 12. Æneid. in eum locum,

Cesserit Ausonio si fors victoria Turno.

Sit, inquit, in Auguriis prima posterioribus cedere. Vide Gellium lib. 13. c. 14. & in seq.

m *Siquidem cornicis, aut columbarum.*] Quod non obscurè probat illud Virgilij ecloga 9. Ex quo loco ipse Seruius dicit in posteriore illo loco, id ideo esse, quia aquila plus potest, quam columbæ. vt & ipse dicit eiusdem loci authoritate in libr. 2. eiusdem operis, ibi,

Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris vllis,
Aspice nos.—

Qui essent equi finales in Tranquillo, contra nonnullorum interpretationem probabilis opinio.

CAPVT XX.

ANCEPS quæstio fuit apud grammaticos, ambiguo sensu in vtramque partem agitata, qui essent equi funales, qui in solenni triumphi apparatu iuxta triumphantis currum incedebant. Nuper in cœtu patriciorum, in controuersiam certamenque venit, quonam modo accipi conueniat, [a] quod est in Tranquillo dictum, Tiberium Actiaco triũpho Augusti currum fuisse comitatum sinisteriore funali equo, quum Germanicus dexteriore veheretur: qui essent funales equi, quærebatur. Cúmque varia & ferè populari opinione ferrentur, nobísque quam minimè probarentur, visum tandem est, funales dici equos, qui funibus alligati currum triumphantis traherent: quibus præeuntibus, summi imperatores vectabantur triumphi die, in quibus ingenui pueri sedere veteri more solebant. Prætextatos enim filios in equis triumphantium vehi, [b] & Cicero meminit,

Funales equi apud Suetonii. Prætextati filij in equis triumphantii.

ANNOTATIONES.

a QVod est in Tranquillo.] In Tiberij Cæsaris vita, c. 6. sic scribit, Dehine pubescens, Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est sinisteriore funali equo, quũ Marcellus, Octauiæ filius, dexteriore veheretur. Itidem Statius in sexto Thebaidos, in ludis Archemori, equum nomine Thoen dixisse videtur funalem, qui iugalis erat, & in cursu equestri Armeto inseruiebat, tanquam tertius ille habenalis in triga. Sic enim ait,

—Nec verbera voce
Nominibúsque cient Pholoen Admetus & Irin
Funaléinque Thoen,—

Equi lauris iuncti hinc & inde currui triumphali, funales dicebantur, & alio nomine Habenales. Cuius rei mentio fit à Dionysio in 8. Antiquitatum, scribente Institutum verus fuisse & heroicum, vt trium equorum cursus in ludis decurrerent. Duobus enim equis iunctis tertius iuxtà adhibebatur. Habenalis, dictus: qui vinctus loris à prætertrahendo, simulque iungendo παρήορος vocabatur à priscis.

b *Et Cicero meminit.*] In Oratione pro L. Muræna, Aut cùm sedere, inquit, in equis triumphantium prætextati potissimum filij solcant.

& multi prodidere.[c] Quare Paulus Æmylius, deuicta Macedonia, filios duos impuberes: & [d] Germanicus currum quinque liberis onustum, in triumpho duxit.[e] M. quoque Antoninus Philosophus, & Verus triumphi die mille puellas virgines in equis triumphalibus vexere.[f] Vel quod in his insiderent qui funalia præferebant & faces, propterea funales dictos veterum authoritate probari:[g] nam peruulgatum ferè est, faces & lumina tam in apparatu triumphi quàm iuxta triumphantem deferri solere.[h] Diuus enim Cæsar ad lumina quadringenta in Capitolium triumphans ascendit, elephantis lychnos dextra sinistrâq; gestantibus. Quod eò constitutum ferunt, tum vt spectatior triumphi apparatus & conspectior foret, tum vt lumina, si fortè tenebris obortis, pompæ triumphali non sufficeret dies, ad arcendas tenebras præstò forent: ipséque triumphans, luminibus circa adhibitis, conspectior fieret. Propterea aud ab re visum, sicut Cæsaris trimpho elephantos lychnos gestasse legimus, compari modo funalia & faces equos iuxta triumphantem ferre, dici probabiliter posse. Vnde funales equos à funalibus, quæ in equis triumphalibus præferebant, probè dici argumentamur. Ex quibus licuit nobis æstimare, vel quòd funibus currum traherent, vel quod faces iuxta triumphantem deferrent, sicut veteri exemplo probatum est, funales equos dici & æstimari.

Vnde funales dicti.

ANNOTATIONES.

c *Quare P. Æmylius.*] Id accepisse videtur à Plutarcho in vita ipsius.

d *Et Germanicus.*] Cornelius Tacitus de Germanici Triumpho sic scribit, C. Cœlio, L. Pomponio Coss. Germanicus Cæsar ad 7. Calend. Iunias triumphauit de Cheruscis Cattísque, & Angriuariis, quæq; aliæ nationes vsque ad Albim colunt: lecta spolia, captiui, simulachra montium, fluminum, præliorum, bellúmque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. Augebat intuentium visus eximia ipsius species, currúsque quinque liberis onustus.

e *M. quoque Antoninus Philosophus.*] Iulius Capitolinus in vita illius.

f *Vel quod in his insiderent.*] Vtruncunque sit, certè clarum est, funale dici à fune: nam & funale pro ipso fune accipitur apud Liuium 5 Deca. lib. 2. paulò ante fi. Funda media, duo funalia imparia habebat. Accipitur & pro re quapiam lucente ex fune, aut cera, aut alia re pingui composita. Vnde & funalis cereus apud Valeriũ Maximum, vbi loquitur de C. Duillio, lib. 3. c. 7. C. autem Duillius, qui primus naualem triumphũ ex Pœnis retulit, quotiescunque epulaturus erat: ad funalem cereum, præeunte tibicine & fidicine à cœna domum reuerti solitus est. Et simpliciter funali pro cereo apud Cicero. de Senect. Delectabatur, inquit, crebro funali & tibicine. quæ si nullo exemplo priuatus sumpserat, tantùm licentiæ dabat gloria. Et Plinius, aut quisquis est, in lib. de viris Illust. Duillio, inquit, concessum est, vt prælucente funali & præcinente tibicine, à cœna publica rediret. Hic simpliciter funale appellat, quod Valerius, vbi suprà, vocat cereum funalem. Ouid. lib. 12. Metam.

> —— *Et primus ab ade*
> *Lampadibus densum rapuit funale coruscis.*

Sylius Italicus libr. 6. in fine. De hoc eodem Duillio, loquens, ait,

> *Cui nocturnus honos funalia clara facérque*
> *Post epulas tibicen adest.*

Seruius in illud lib. 1. Æneidos in fine,

> —— *Et noctem flammis funalia vincunt.*

Funalia, inquit, à funibus, qui intra ceram sunt. Hos ante vsum papyri cera circundatos habebant. Vnde funera dicta: quia funes incensi illa præcedebant.

g *Nam peruulgatum est faces.*] Vt patet exemplo seq.

h *D. enim Cæsar.*] Sueto. in vita illius, c. 37. sic tradit, Ascendítque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus.

Qui fuerit apud veteres cœnandi vsus, quave hora prandij & cœna, quótque singulis lectis cœnitabant, & quid apud exteros. CAPVT XXI.

Torum & cibus primo. cœnabi. Mensa.

ANTIQVSS[a] torum ex palustri vlua, &[b] ex stramento,[c] vel ex cespite fuisse,[d] & longo tempore ex pulte non pane Romanos victitasse, perspicuum exemplis & probatum est: postea quum annis intercedentibus ex illo agresti cultu desitum esset,[e] mensas in quibus epularentur, ex

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

a *Antiquis torum ex palustri vlua.*] Naso libr. Fastorum primo, inopiam & frugalitatem priscorum Romanorum graphicè describens, ait,

> *Dum casa Martigenam capiebat parua Quirinum,*
> *Et dabat exiguum fluminis vlna torum.*

Et paulò pòst,

> *Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem,*
> *Et fœnum capiti supposuisse, fuit.*

b *Et ex stramento.* Iuuenalis sat. 6. in princ.

> *Syluestrem montana torum cùm sterneret vxor*
> *Frondibus, & culmo. vicinarumque ferarum*
> *Pellibus.* ——

Plinius lib. 18. c. 3. Quies, somnúsque in stramentis erat. vide in præced.

e *Vel ex cæspite.*] Seneca in Hercule Oetæo act. 2.

> *Cespes Tyrio melior ostro*
> *Solet impauidos ducere somnos.*

Virgilius libro 8. Æneidos describens Euandri in Æneam beneuolentiam, qui eum epulis solemnibus accepit, Sic, enim ait,

> *Hæc vbi dicta: dapes iubet & sublata reponi*
> *Paucula, gramineoqúe viros locat ipse sedili,*
> *Præcipuumqúe toro & villosi pelle leonis*
> *Accipit Æneam.*

d *Et longo tempore ex pulte.*] Plinius libro 18. cap. 8. Pulte non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum: quoniam inde & pulmentatia hodiéque dicuntur. Et Ennius, antiquissimus vatea, obsidionis famem exprimens, offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat. Et hodie sacra prisca atque natalium pulte fritilla conficiuntur: videtúrque tam puls ignota Græciæ fuisse, quàm Italiæ polenta. Valerius Maximus libro 2. cap. 1. de modo comedendi antiquorum, Erant, inquit, adeò continentiæ attenti, vt frequentior apud eos pultis vsus, quàm panis esset.

e *Mensas, in quibus epularentur, ex acere.*] Ex Plinio lib. 33. c. 11. Ante se autem puulò lignea rotunda solida, nec multò maiora quàm mensas fuisse. Se quidem puero quadrata & compacta, aut acere operta, aut citro cepisse. Et de acere quoque probat illud Virgilianum lib. 8. Æneidos,

Selióque

acere aut fraxino [f] quadratas, [g] deinde orbiculatas fecisse, in quibus pranderent & cœnarent, satis cõstat. Quem morem à Laconibus Romanos sumpsisse crediderim, quibus nullæ fuere mensæ nisi ex robore. Romanis enim antea lecti erant [h] Archiaci & Bœotici, humiles breues. [i] Labentibus deinde moribus, tátæ luxuriæ factæ sunt, vt ærati primùm lecti, abaci, triclinia, & monopodia, quę Cn. Manlius Asia deuicta primùm vexit in triumpho, deinde [k] citreæ mensæ, [l] quæ elephantinis pedibus sustinebantur, [m] orbiculatæ, magno sumptu fierent, [n] quarum pretium auro appendebãt, [o] aut ex ebore [p] vel testudine, sectis putaminibus in laminas, quod Carbilius Pollio instituit primus: adeò vt nõ modò mẽsas, sed lectos & repositoria testudinũ putamine vestirent. [q] In cœnaculis enim domorũ aut [r] triclinijs

ANNOTATIONES.

— *Solióque inuitat acerno.*

Illudque Martialis mensæ acernæ apophoretum 90. libro 14.

Non sum crispa quidem, nec sylua filia Maura,
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

f *Quadratas.*] Plinius di lib. 33. c. 11.

g *Deinde orbiculatas.*] Athenæus lib. 11. c. 13 reddit rationem quare prisci circulares mensas parabant. Quod in orbem & circuitum factum est, orbiculatum dicitur. Vnde poma orbiculata à Varrone lib. 1. de Re rusti. c. 59. quæ rotunda sunt, figuramque habent orbis in rotundum circumacti. Vide infrà ex Seruio. Et Suetoo. io Nerone. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus, vice mundi circumageretur.

h *Archiaci.*] Horatius Epistolarum lib. 1. epist. 5. In princ.

Si potes Archiacis conuiua recumbere lectis.

Archaicis nonnulli doctissimi viri legunt. Sunt autem Græco nomine Archaîci lecti Latino antiqui: id est, antiquo modo & more fabricati. Vtitur hoc nomine Dionysius Halicarnasseus lib. 2. Quomodo autem mensæ Archaïcæ, eodem modo, & lecti Archaïci sunt appellati: suntqúe intelligendi lecti imperitè & parum eleganter facti.

i *Labentibus deinde moribus.*] Hæc vsque ad ea verba. Deinde citreæ mensæ. sunt Liuij 4. Dec. lib. 9 non adeò procul à princ. Et super eo quod dictum est de Asia, Plinius lib. 33. cap. 11. sic scribit, Asia primum deuicta luxuriam misit in Italiam, &c.

k *Citrea mensa.*] Est huiusmodi mensæ citreæ apophoretum Martialis lib. 14. c. 89.

Accipe felices, Athlantica munera syluas,
Aurea quæ dederit dona, minora dabit.

Athlantica autem appellat, quòd in Athlante monte Mauritaniæ sylua est, quæ citrum arborem & cedrum producit, vnde mensarum insania: quas fœminæ viris contra margaritas regerent, vt scribit Plinius lib. 13. c. 15. in princ. vbi & tu videbis immensa mensarum pretia. Et de his mensis citreis est illud Lucani lib. 9.

Sed citri contenta comis viuebat, & vmbris
In nemus ignotum nostra venere secures,
Extremoque epulas mensasque petiuimus orbe.

Sunt tamen qui ibi legunt cedri: nam & ex ea arbore mensas fuisse factas satis constat ex Plinio lib. 13. c. 15.

l *Quæ elephantinis pedibus sustinebantur.*] Vide infrà proximè.

m *Orbiculata.*] Seruius in eum locum Virgilij lib. 3. Æneidos,

Ambesas subigat malis absumere mensas.

Ambesas, inquit, vndique esas: id est, rotũdas. Maiores enim has habebant, in honore deorum Paniceas.

n *Quarum pretium auro appendebant.*] Ad quod nonnihil illud Martialis nuper citatum.

o *Aut ex ebore.*] Celsus Iurisconsult. in l. Labeo. ff. de suppel. leg. Nam, inquit, fictili, aut lignea, aut vitrea, aut ærea denique suppellectili vtebantur: nunc ex ebore, atque testudine & argento: iam ex auro etiam atque gemmis supellectili vtuntur. Iuuenalis satyra 11.

At nunc diuitibus cœnandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama sapit, putere videntur
Vnguenta, atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obscurior Indus,
Et quos deposuit Nabathæo bellua saltu,
Iam nimios capitique graues.

p *Vel testudine, sectis.*] Hæc vsque ad ea verba, In cœnaculis enim. sunt Plinij lib. 9. c. 11. Testudinum putamina, inquientis, secare in laminas, lectósque & repositoria his vestire Carbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenij. Sed & lectos olim ex testudine factos fuisse, testis est Philo Iudæus in lib. de vita contemplatiua his verbis, Triclinia lectos habent eburneos, aut testudineos, aut pretiosioris materiæ, gemmatos plerosque, stratos auro intexta purpura, vel aliis floridis coloribus variis oculos allicientibus. Et Lucianus in Asino aureo, κλίνη ἦν μεγάλη ἀπὸ χελώνης ἰνδικῆς πεποιημένη. id est, lectus erat magnus ex Indica testudine factus. Et ex eo Apuleius libr. 10. eiusdem tituli, Lectus, inquit, Indica testudine perlucidus, plumea congerie tumidus, veste serica floridus. Iuuenalis satyr. 11.

Nemo inter curas & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Troiugenis factura & nobile fulcrum.

Vnde est illa indignatio Senecæ in lib. 7. de beneficiis cap. 9. Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & fœdissimorum pigerrimorúmque animalium testas, ingentibus pretiis emptas, in quibus ipsa illa, quæ placet varietas, subditis medicatis, in similitudinem veri coloratur. Plinius lib. 16. cap. 43. Portentosa ingenia appellat, quæ materiam in mari quæsiuere ad lectos, testudinémque in hoc secuere. Idem quoque Plinius libr. 33. cap. 11. authoritate Fenestellæ, dicit Tiberij Cæsaris principatu testudine repositoriis argentum addi cœptum. Vide præterea in præced.

q *In cœnaculis.*] Varro lib. 4. Vbi cubabant, cubiculum: vbi cœnabant, cœnaculum vocitabant. Posteaquàm in superiore parte cœnitare cœperũt: superioris domus vniuersa cœnacula dicta. Posteaquam vbi cœnabant, plura facere cœperunt, vt in castris ab hyeme hyberna. Hybernum domus vocarunt: contra æstiuum. Cœnacula dicuntur ad quæ scalis ascenditur, vt scribit Festus Pompeius lib. 3. Sed & de cœnaculo diximus suprà lib. 3. c. 14.

r *Aut tricliniis stratis tribus lectis*] Seruius lib. 1. Æneidos in eum locum,

— *Aulæis iam se regina superbis*
Aurea composuit sponda. —

Scribit antiquos stratis tribus lectis epulari solitos, errareque eos, qui triclinium dicunt ipsam basilicam, aut cœnationem. Vnde Cicero in Oratione pro Murena. Atque ille rogatus, vt triclinium sterneret, strauit pelliculis hœdinis lectulos punicanos. Et Horat. Serm. lib. 1. sat. 4.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Vbi Acron interpres, id est duodecim in triclinio: nam & inde triclinium dictum est, à tribus lectis. Iuuenalis sat. 5.

— *Ergo duo post,*
Si libuit, mensæ neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo cessaret culcitra lecto,
Vnà simus ait. —

Ex quibus Iuuenalis verbis apertissimum est, triclinium discubitorium tribus fuisse instructum lectis, atque inde nomen accepisse.

Tres lecti in cœnaculo & triclinio. Persæ. Pausaniæ frugalitas. Græci. Romani. Mensæ argenteæ. Prandium & cœna in propatulo. Cœnæ initium. Secundæ mensæ.

tribus lectis, [s] prisci illi sedentes cœnitabant, in quibus tres fuisse mensas [t] Varro significat, ex quibus vna vinaria orbiculata, cylibantum dicta, à poculis quas κύλικας Græci vocant: altera lapidea oblonga columella suffulta, cui cartibulum: tertia, quadrata quæ vasa detinebat, cui vasarium dixere nomen. [u] Persæ verò, quum antea in vimineis toris discumberent, postea lectos auro fulgentes, & gemmis magnificè construxere, in quibus vasa non minoris census adæquarunt, quos tanto censu excultos, ac regium apparatum in castris, Pausanias quum deuicto Mardonio ad Platæas vidisset illo neglecto, modica mensa Laconicam cœnam fecisse dicitur. Græci in symposio Græciensi frequenter cœnitarunt. [x] Apud Romanos verò Heliogabalus argenteas primus mensas habuisse dicitur: [y] quibus in solemni epulo duæ tantùm mensæ adhibebantur, vna carnium, altera pomorum. [z] Namque veteribus cibus mundus erat & simplex, neque operosis condituris, aut appetentia exquisitus, sed sine apparatu & sine impensa. [a] Prandium enim & cœna in propatulo fiebat, quia palam cœnitare dedecus non erat: secretò verò cœnitasse, probro & ignominiæ fuit. [b] Id quod Lacedæmoniis Lycurgi lege cauebatur: quod ideo constitutum ferunt, ne quis splendidius altero vesceretur. Hyeméque ad focum, æstiuo anni tempore in aprico cœnitabant. [c] Oua verò & mel, initiũ cœnæ fecere, [d] in secundis mẽsis, poma & [e] mel, sicut ad principia conuiuij, [f] & multiformes nuces dari assueuere. [g] Apud maiores autẽ semen candidi papaueris cum melle & [h] lactuca plerunque mensas secundas fecit. [i] deinde

ANNOTATIONES.

s *Prisci illi sedentes.*] Vide infrà.

t *Varro.*] Lib 4. de lingua Lat.

u *Persæ verò.*] Hæc vsque ad vers. Græci in symposio. sunt Herodoti libr. 9. Plutarchi in Apophtheg. Pausaniæ, & Cleombroti.

x *Apud Romanos verò Heliogabalus.*] Lampridius in vita illius. Primus deinde mensas & capsas argenteas habuit.

y *Quibus.*] Seruius in lib. 1. Æneidos ibi,

Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ.

Vbi non carnium dicit, sed epularum, quod non longè distat: nisi quòd alterum altero generalius est. Verùm idem Seruius in lib. 8. eiusdem operis in eum locum,

Instaurant epulas & mensæ grata secundæ
Dona ferunt. ---

Idem dicit quod hîc Alexander.

z *Namque veteribus*] Hoc in sequentibus videbitur.

a *Prandium enim & cœna in propatulo fiebat.*] Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. Fuit, inquit, etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo humanitatis simul & continentiæ certissimus index. Nam maximè vitis prandere & cœnare in propatulo, verecundiæ non erat, nec sanè vllas epulas habebant, quas populi oculis subiicere erubescerent. Et Isidorus libr. Etymologiarum 20. cap. 2. Macrobius verò lib 3. Saturnal. cap. 17. in princ. scribit legibus Rom. præceptum fuisse, vt patentibus ianuis pransitaretur & cœnitaretur. Sic vt oculis ciuium testibus factis, luxuriæ modus fieret. Hinc est quòd Iuuenalis sat. 1. conqueritur suorum temporum mores, qui à prisca illa viuendi norma declinassent, quòdque suæ ætatis homines maiorum instituta mutassent, propter luxuriam, nec iam in propatulo, sed intra priuatas ædes multiiuga, luxuriosáque, & lautè parata cœna cœnarent,

--- Quis fercula septem
Secretò cœnauit auus. ---

b *Id quod Lacedæmoniis.*] Plutarc. in probl. c. 32. & ante illum, Strabo libr. 15. vbi idem dicit de Indis. Sed & Reges ipsi Lacedæmonij, cùm domi erant, in commune conuiuabantur, vt tradit idem Plutarch. in Agesilao, Et Ægyptij, & Mosynœci in propatulo vescebantur. Priorum, scilicet, Ægyptiorum testis est Herodotus, cùm ait, Domi ventrem exonerant, exterius in viis comedunt: reddentes rationem. Quæ sunt turpia, sed necessaria, ea in occulto fieri debere: palam verò quæ non sunt turpia. Posteriorum Pomponius Mela lib. 1. c. 21.

c *Ouum verò.*] Horatius Serm. lib. 1. sat. 3.

— Si collibuisset, ab ouo
Vsque ad mala citaret, Io Bacche, modò summa
Voce, modò hac resonans, quæ chordis quatuor ima.

Vbi Porphyrion interpres, Ouum enim, inquit, hodiéque initium cœnæ, quippe cùm in gustu statim a balneis offeratur: mala autem apud veteres inter cætera secundæ mensæ offerebantur. Athenæus libr. 2. Dipnosoph. authoritate Naucratitæ, scribit in conuiuiis oua apponi solita. Idem tradit lib. 14. c. 17. etiam in secunda mensa oua apponi, his verbis, ἐδίδοτο δὲ καὶ ἐν τῇ δευτέρᾳ τραπέζῃ.

d *In secundis mensis poma.*] Iam dictum est nuper ex Horatio & ipsius interprete. Sed non omittendus Ouidius in elegia de Nuce,

Poma cadunt mensis non interdicta secundis.

Vbi etiam intelligit de nucibus. Pollux libr. 6. cap. 11. speciatim nominat ea, quæ secundæ mensæ erant apud Græcos.

e *Et Mel.*] Infrà in verbo, Apud maiores autem.

f *Et multiformes nuces.*] Suprà ibi, In secundis mensis poma. & infrà ibi, Deinde vt vua. ex Horatio. Præterea videbis Athenæum lib. 14 cap. 17. ex Clearcho in Pandroso, his verbis,

Cape aquam in manus, nequaquam: bene habet, capè bone.
Nihil peius puer, impone mensæ nuces ac bellaria.

Et Macrobium lib. 3. Satur. c. 18.

g *Apud maiores autem.*] Plinius lib. 19. cap. 8 non procul à fin. Papaueris, inquit, satiui, candidi semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur.

h *Et lactuca.*] Horatius Serm. lib. 2. sat. 4.

--- Nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho.

Vbi Porphyrion interpres, Hinc, inquit, apparet apud veteres vltimis mensis lactucam dari solitam & Martialis lib. 13 epig. 14.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum.
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Athenæus autem lib. 3. c. 11. Omnibus, inquit, antiquis in more positum erat, vt neque vuas ante cœnam afferrent, neque lactucas, vel aliud huiusmodi quidpiam, velut nostris temporibus inualuit consuetudo.

i *Deinde, vt vua.*] Virgilius loquens de vua Rhodia lib. 2. Georg.

Non ego te mensis & diis accepta secundis
Transierim Rhodia. ---

Et Horatius Serm. lib. 2. sat. quoque 2.

——Tum pensilis vua secundas,
Et nux ornabat mensas, cum duplice ficu.

Martialis lib. 5. epig. 120. ad Toranium,

Mensæ munera si voles secundæ,
Marcentes tibi porrigentur vuæ,
Et nomen pyra, quæ ferunt Syrorum:
Et quas docta Neapolis creauit.
Lento castaneæ vapore tostæ.
Vinum tu facies bonum bibendo.
Post hæc omnia forte, si mouebit

Bacchus,

vt vua, ficus, pyrum, & alia pomorum genera darentur [k] bellaria in vsu fuit: Iberis autem, vt in symposiis glandem in secundis mensis tribuant, magni putabatur. [l] Græcis oua cum turdis & leporinis carnibus, ac mellitis placentis, secundæ mensæ frequentius data sunt: quibus erat iste mos, vt in fine cœnæ linguas igne torridas, post sermones degustandas darent. [m] Præcipua tamen bellaria traduntur fuisse Attica lauta atque eximia. [n] Platonis vero bellaria fuere ficus, cicer, faba, myrti baccæ, & ex fago glans prunis tosta. [o] Fertur Heliogabalus pro luxus affluentia parasitos in secundis mensis nouo genere edulij saginasse: nam cereas dapes, aut lignea edulia vel eburnea, sæpe fictilia aut marmorea exhibuit, quum per singulos missus tantum biberent, velut vescerentur, & manus abluerent. [p] Panem verò paniceásque mensas non argenteis vasculis, sed vimineis canistris Romani inferebāt: Græci verò per promas. [q] Quos ex multiplici genere variarunt: [r] nam & plebeius erat, & siligineus, qui candore præstabat: & tritico, præcipuè [s] Campano, quod (authore Varrone) cæteris præstaret, [t] ficut in Falerno vinum, [u] in Casinati oleum, in [x] Tusculano ficum, in [y] Tarentino mel præferebatur cæteris. [z] Erat &

Iberi. Græci.

Attica bellaria. Platonis bellaria. Panes & paniceæ mensæ. Panis species.

ANNOTATIONES.

Bacchus, quam solet, esuritionem,
Succurrent tibi nobiles oliuæ,
Piceni modò, quas tulere rami,
Et feruens cicer, & tepens lupinus.
Parua est cœnula, quis potest negare?

Ex quibus intelligis quæ eo tēpore fuerunt secundæ mēsæ.

k *Bellaria.*] Ea significant omne genus secundæ mensæ, nam quæ τέμματα Græci, vel τραγήματα dixerunt, ea veteres nostri bellaria appellarunt, vt tradit Gellius lib. 13. c. 11. & Macrobius lib. 2. c. c. 8. & lib. 3. c. 18. in princ. Scriblitas autem, quæ inter bellaria sunt, esse secundæ mensæ docet Martialis lib. 3. epig. 17. his verbis,

Circumlata diu mensis scriblita secundis
Vrebat nimie saua calore manus.

Heraclides autem Tarentinus apud Athenæum lib. 2. c. 10. vtrum bellaria in principio cœnæ apponi debeant, vt in quibusdam Asiæ locis, & in Græcia consueuerunt, an in fine. Nam si in fine, maiore accidit nutrimento in ventrem & viscera prius ingresso, nucea, bibendi gratia, illatas cibísque immixtas, inflationes & nutrimenti ipsius corruptiones operari, quia id quod sequitur natura supernatare, & ad digerendum est operosum: ex quo cruditates fiunt & ventris oppressiones.

l *Græcis oua.*] Hæc vsque ad versi. Quibus erat. sunt Athenæi lib 14 Dipnosophist. c. 17. authoritate Aristophanis in Leptinisco, Alexidis in Polychlea & aliorum. Dabatur, inquit, ouum etiam in secunda mensa, velut lepores, turdique cùm placentia inferebantur. Sed quòd ad placentas, de quibus hîc. Varro in satyra Menippea apud Gellium libro 12. (aliàs 13.) cap. 11. & Macrob. lib. 2. Satur. cap. 8. de secunda mensa eas remouet.

m *Præcipua tamen bellaria.*] Plato lib. 3. de Republ. vitupetat huiusmodi bellaria, quæ tamen plurimis, vt dicit, iucunda & & delicata videntur.

n *Platonis.*] In lib. 2. de Iusto.

o *Fertur Heliogabalus.*] Lampridius in illius vita, Parasitis in secunda mensa sæpe ceream cœnam, sæpe ligneam, sæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam marmoream etiam, vel lapideam exhibuit: ita vt omnia illis exhiberentur videnda de diuersa materia, qua ipse cœnabat, cùm tantùm biberent per singula fercula, & manus, quasi comedissent, lauarent.

p *Panem verò paniceásque mensas.*] Seruius libr. 1. Æneidos eo loco,

Dixit, & in mensa laticum libauit honorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore,

Tangit, inquit, morem Rom. qui Paniceas sacratásque mensas habebant, in quibus libabant.

q *Quos ex.*] Scilicet panes, & quod mox dicit, variarunt, scilicet, Romani, vt vtrumque ex sequentibus apparet.

r *Nam & plebeius & siligineus.*] Plebeius quis sit nomen indicat: Siligineus autem delicatior erat. Seneca ad Lucillium epist. 120. Vtrum hic panis sit plebeius, an siligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri, & rursum 124. Non habet panem meus pistor, sed habet villicus, sed habet atriensis, sed habet colonus: Malum panem, inquis. Expecta, bonus fiet, etiam illum tenerum tibi, & siligineum fames reddet. Ideò non est ante edendum quàm illa imperet. Licet sint qui vtroque loco similagineum legant. Plinius autem lib. 18. c. 8. tradit Siliginem proprie dici tritici delitias. & cap. seq. in princ. E siligine, inquit, lautissimus panis, pistrinarúmque opera laudatissima. Sed & iterum c. 10. princ. tradit similaginem ex tritico fieri laudatissimam. Et vt intelligas an, & quid inter vtramque, scilicet, siliginem, & similaginem intersit, vide ipsum Plinium dictis locis. Cæterùm panis similaginei meminit Ecclesiasticus c. 39. his verbis, Initium necessariæ rei vitæ hominum. aqua, ignis, & ferrum: sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus vuæ, & oleum, & vestimentum. Sed & in interim vide quid de albo pane scripsimus in Commentariis Nobilitatis cap. 20.

s *Campano.*] Imò verò ipse Varro lib. 1. Rei rusticæ, cap. 2. tritico Apulo primas, vt farri Campano tribuit. Quod far, ait, conferam Campano? quod triticum Apulo? quod vinum Falerno? quod oleum Venafro? & Plinius lib. 18. cap. 7. triticum Italicum cæteris præfert.

t *Sicut in falerno vinum.*] Varro vbi suprà, de quo & nos diximus in dictis Commentariis Nobilitatis, cap. 31. nu. 454. incip. in libello.

u *In Casinati oleum.*] Varro vbi suprà, non Casinati, sed Venafro, siue Venafrano principatum tribuit, vt etiam Strabo lib. 5. non semel, & Plinius lib. 15. cap. 2. Vnde & Horatius Car. lib. 2. Ode 6.

— Vbi non Hymeto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro. —

Et lib. Serm. 2. sat. 4.

— Insuper addes
Pressa Venafrana quod bacca remisit oliua.

Idem Sat. 8. huius lib.

His mistum ius est oleo, quod prima Venafri
Pressit cella.

Iuuenalis sat. 5.

Ipse Venafrano piscem perfudit. Subsudi oleo.

Præstitisse cæteris oleum Venafranum declarat hoc Martialis distichon lib. 13. Xenio 98.

Hoc tibi Campani sudauit bacca Venafri:
Vnguentum quoties sumis, & istud olet.

Verùm Casinum & Venafrum eadem aut proxima videri possent ex Catone Rei rusticæ cap. 136. dum scribit quo pacto pollintionē in agro Casinate & Venafri sic dari oporteat. Sed eadem non esse constat ex eodem, qui ea separat cap. præcedenti, & Plin. lib. 3. c. 5.

x *In Tusculano ficum.*] Laudantur & ficus Atticæ, & Laconicæ, & aliæ apud Athenæum multorum authoritate lib. 3. cap. quoque 3.

y *In Tarentino mel.*] Quod & affirmat Horat. loco illo Car. lib. 2. Ode 6.

z *Erat & secundarius panis.*] Plinius lib. 18. cap. 9. vbi hunc cibarium appellat his verbis. Et Cibarij, quod secundarium vocant

secundarius panis, & a ostrearius, b artolaganus, c speusticius, d subcinericius, & e artoptesius: inter quæ ptisanam velut salubertimam f magnopere commendarunt, quæ à Græcis sumpta origine ad Romanos fluxit, g Post quam alicam Romani iouenere, cuius Græci inexpertes sunt. Græcis quoque multiplicia panum genera comperimus: h nam & zymiras, hoc est fermentatos, & obelias, & cribanitas & caphrydias & apyritas, pytirias & pyrinos, panes legimus. i Placentarum quoque genera varia, tarentinas, crassianas, ficulas, clustras, plicias, guttatas, mondanas, mustaceas & spiras, quæ fiunt ex caseo. k Proditúmque memoriæ est, antiquissimos Romanorum, cœnæ tantùm panem adhibuisse, prandio verò carnibus vesci, l non elixis, sed assis & veru decoctis, aut frictis: m quibus Parthi abstinebant, n & nisi venatu quæsitis, nulli vesci permissum. o Et quum paucissimi conuiuæ erant, non minores tribus: quum plurimi, non vltra nouem in eadem mensa eisdémque lectis cœnitabant: p tametsi vetus feratur adagium, Septem conuiuium, nouem conuicium facere, quòd scilicet obstrepente multitudine tumultuatur potius quàm in sobrio conuictu sint. q Græcis quatuor aut quinque conuictores vnis mensis adhibere, satis erat. Carmanis verò separatæ singulis conuiuis sedes

Placenta. Cœnæ veteram Romanorum. Conuiuarum numerus. Adagium. Græci. Carmani.

ANNOTATIONES.

vocant, sextarios quatuor. Suetonius in Augusto, c.76 Secundarium panem, & pisciculos minutos, & caseum bubulum manu pressum, & ficos virides biferas maximè appetebat. Isidorus lib. 1. Etymologiarum c. 2. Horatius epistol. lib.2. epist 1.

—Viuit siliquis & pane secundo.

a *Et ostrearius.*] Plinius lib.18.c.11. Panis, inquit, ipsius varia genera prosequi superuacuum videtur: aliàs ab obsoniis appellati, vt Ostrearij: aliàs à delicijs, vt Artolagani: aliàs à festinatione, vt Speustici: necnon à coquendi ratione, vt Furnacei, vel Artopticij, aut in clibanis cocti.

b *Artolaganus.*] Plinius d. lib. & cap. Hos tamen pro minus delicatis accipere videtur Cicero lib. 9. Epistolarum familiar epistol 20. eius lib. omnium verò 172. ad Papyrium Pætum, Dedifcendæ tibi sunt sportellæ & artolagani tui. Artolaganos autem genus cibi ab ἄρτος, id est, panis, & λαγάνον, quod Græcè dicitur, vt exponit Hesychius, authore Græcus, genus placentæ ex simila in oleo coctæ in patella: est etiam, eodé authore, genus panis oleo aspersi. Et Athenæus lib.3.c.16.

c *Speusticius.*] Plinius d. 11. cap. lib. 18. à festinatione dici scribit: σπεύδω enim Græcè, festino significat.

d *Subcinericius.*] A ratione coquendi quidam panes nuncupati fuêre, vt furnacei & subcinericij, qui sub cinere coquuntur. Græcè ἐγκρυφίας ἄρτος. At non memini me legisse apud Latinos de subcinericio pane, præterquam in sacris Bibliis, vt Genesis c.18. Iudicum c.7. & 3. Regum 17. & 19. Oseæ cap.7. & fortè alibi. Subcinericij panis mentionem facit apud Athenæum lib.3.c.15. Nicostratus in Æditui, & ingeniosus obsonator Archestratus.

e *Artoptesius.*] Plinius lib.8.c.9. & 11. Dicitur autem Artoptesius, ab artoptesia instrumento panibus coquendis accommodato: cuius meminit Plautus in Aulularia act. 2. scæ. quoque 2.

Ego hinc artoptam ex proximo vtendam peto
A Congrione, —

Talis autem panis erat tostus & inde nomen. nam Græcè ὀπτάω, est asso, siue torreo, & ἄρτος, panis: vnde & artoptesia instrumentum ad panem tostum faciendum. Hæc Beroaldus in Suet. Augustum c.76. Est & alius panis Despticius (vt Id addas) apud Catonem Rei rusticæ, cap.74. Sed nonnulli ibi legunt Depsticium.

f *Magnopere commendarunt.*] Plinius lib.18.c.7. & lib. 22.c. 25. & Galenus lib.1. de Facultate aliment.

g *Post quam, Alicam Ro inuenere.*] Plinius lib. 18.c.11. Galenus vbi suprà. Athenæus libro 1. Dipnos. in vniuersum tribuit Italis. De ea autem est apud Martialem libr. 13. xenium 6.

Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere diues,
Si tibi noluerit mittere diues, eme.

Porrò quo pacto ex hordeo aut zea, alica confici possit, docet Palladius lib.7. qui Iunius inscribitur, c.12. & Constantinus Cæsar lib. de Agricultura 3.c.7.

h *Nam & zymiras.*] De his septem, præter quàm Apyritis scribit Iulius Pollux lib. 6. c. 11. dicunturque ὀβελίαι, tanquam dicas vernales, quòd scilicet verubus sunt assati, vel conspirati: vel quia venderentur obolo. κριβανίται, clibanarij, de quibus Plinius d. lib 18.c.11. καχρυδίαι, vt legit Pollux vbi suprà, siue etiam καγχρύδιαι, qui aliquibus apyritæ, ex eo genere tritici, de quo Theophrastus lib. 8. historiæ Plantarum, c. 4. πιτυρίαι, furfuracei cæteris (vt scribit Pollux) viliores. πύρινοι, triticei. zymitis aduersi sunt azymi. Sed alia multa genera panis videbis apud eundem Pollucem in d. lib. Isidorum Etymologiae, lib. 20.c. 2. Rhodigin. lib.9.c.16.

i *Placentarum quoque genera.*] Vide de his Cælium Rhodiginum vbi suprà, & de aliis Pollucem in d. lib. cap. 11. & Athenæum lib.14.c.19.

k *Proditúmque est memoria.*] Valerius lib.2.c.1.

l *Non elixis, sed assis.*] Hic omnino vide in nostris Commentariis Nobilitatis, cap.31. vbi apertè multisque testimoniis docui veteres illos, & Græcos, & Romanos his vti solitos.

m *Quibus Parthi abstinebant.*] Veluti in sequentibus patebit.

n *Et nisi venatu quæsitis.*] Iustinus lib. 41. Parthorum mores & victum describens, tradit Parthos carne non nisi venatibus quæsita vesci.

o *Et cum paucissimi conuiuæ erant.*] Gellius authoritate M. Varronis ex satyris Menippæis, lib.13.c.11. sic scribit, Dicit autem conuiuarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi vsque ad Musarum: id est, proficisci à tribus, & consistere in nouem: vt cùm paucissimi conuiuæ sunt, non pauciores sint, quàm tres: cùm pluris mi, non plures quàm nouem. Macrobius eiusdem Varronis authoritate lib.1.c.7. Hucque alludit illud Horatij Car. lib. 3. Ode 19.

—Da, puer, auguris
Murenæ, tribus aut nouem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amabat impareis,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates, treis prohibet supra
Rixarum metuens, tangere Gratia
Nudis iuncta sororibus.

p *Tametsi vetus feratur adagium.*] Apud Iulium Capitolinum in vita L. Veri Imperatoris. De quo vide Erasmum Chiliadis primæ centuria 5.c.97.

q *Græcis quatuor aut quinque.*] Athenæus libr. 1. Dipnosophist. cap.1. vbi describit in eam rem versus Archestrati Syracusij, vel Geloi in inscripta castronomia, vt voluit Chrysippus.

Cœnare vnâ homines hinc diuite mensa,
Atque adsint illi vel tres, vel quattuor omnes:
Nonplues, vel quinque, foret nam cœna parata
Militibus rapidè promptas rapientibus escas,

Quo significatur cóuiuas aut tres, aut quatuor, aut ad summum quinque esse debere: aliàs mercenariorum & rapto viuen

sunt, & sua cuique in accubitu mensa. [r] Fertur tamen L. Verus imperator præter exempla maiorum, cum duodecim solenni conuiuio primus accubuisse. Homerus vsque ad decem probauit. [s] In symposio autem Platonis octo conueniunt & viginti: [t] In quibus mensis Romani liberos cum pueris puellisque adhibebant, qui ad fulcra lectorum. [u] serui ad pedes. [x] In ipsis autem lectis cum viris cubantibus fœminæ sedentes cœnitabant: [y] à principio enim maiores nostri sedentes epulabantur

L. Verus numerū conuiuarū auxit.

ANNOTATIONES.

vioentium conuentum esset. Sed id perpetuum non erat apud Græcos: quandoqoidem apud Lacedæmonios conuenire solebant ad cœnam quindeni, aut paulò pauciores, vel plures, vt air Plutarchus in vita Lycurgi. Alexander Seuerus multitudinc conuinarum offendebatur, dicens, se iu theatro & circo inanducare.

r *Fertur tamen L. Verus.*] Iulius Capitolinus iu vita illius, Et notissimum eius quidem, inquit, fertur rale conuiuium, iu quo primùm duodecimus accubuisse dicitur: quum sit notissimum dictum de numero conuiuarum, Seprem conuiuium, nouem verò conuicium.

s *In symposio autem Platonis.*] Athenæus dicto lib. 1. c. item 1. ad finem. Verùm in Timæo ipsius Platonis rrea aut quinque requiruntur εἷς δύο τρεῖς ὁ δὲ τέταρτος. At Lacedæmoniis in suis conuiuiis (vt suprà hoc eodem cap. diximus) conueniebant quindeni: ferebántque singuli farinæ medimnum singulis mensibus, vini choas octo, casei quinque minas: præterea obsonij gratia, perparum quiddam nummorum: ad hęc verò, siquis sacrificasset primitias: aut si quia venatus esset, partem prædæ in conuiuium mittebat, vt tradit Plutarc. in Lycurgo.

t *In quibus mensis.*] Suetonius in Claudio, c. 32. Adhibebat, inquit, omni cœnę & liberos suos cum pueris, puellisque nobilibus, qui, more veteri, ad fulcra sedentes, vescerentur. Cornelius Tacitus libr. 13. scribit moris fuisse principum liberos cum cæteris eiusdem ætatis nobilibus sedentes vesci io aspectu propinquorum propria, & parciore mensa.

u *Serui ad pedes.*] Seneca lib. 3. de Beneficiis, c. 17. Seruus, inquit, qui cænanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cænam ebrius dixisset Sueton. in vita Caligulæ, c. 26. illum arguit quòd nihilo reuerentior leniórque erga Senatū: quosdam summis honoribus functos, cœnanti ipsi modò ad pluteum, modò ad pedes stare succinctos linteo, passus esset. Cæterùm scribit Agretius Grammaticus, circum pedes dici obsequia seruorum, ante pedes amicorum. Hinc est illud Cicero. dictum in 3. in Verrem actione, Seruos artifices pupilli cum haberet domi, circum pedes autem homines formosos & literatos suos esse dicebat, se emisse. Martialis autem lib. 3. epig. 40. seruos, qui conuiuiis assistunt ad pedes simpliciter appellat.

At ipse retro flexus ad pedum turbam
Inter catellas anseruus exta lambentes
Partitur apri glandulas palæstritis.

Idem lib. 7. epig. 19. ad pedes dicit,

Nec esculenta sufficit gula præda.
Misto lagenam replet ad pedes vino.

Et lib. 12. epig. 88.

Bis Cotta soleas perdidisse sequestus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui solus inopi præstat & facit turbam:
Excogitauit homo sagax & astutus,
Ne facere posset tale sæpius damnum,
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

x *In ipsis autem lectis.*] Sunt verba Valer. Maximi lib. 2. c. 1. post princ. Et ad id quod dicitur, Viris cubantibus illud sciendum est, de cœnantibus vel vescentibus dici solitum, accumbere, discumbere, recumbere: sed id inter ea differre, quòd acumbere, deorum est: Virgil. lib. 1. Æneid.

—Tu das epulis accumbere diuûm.

Discumbere, hominum est. Idem Virgil. in eod. lib.

Iam pater Æneas & iam Troiana iuuentus
Conueniunt, stratoque super discumbitur ostro.

Et paulò post,

—Toris iussi discumbere pictis.

Recumbere ferarum est, hincque illud lib. 8. Æneidos de Cerbero,

—Te ianitor Orci
Ossa super recubans antro semesa cruento.

Hæc Acroo in Horat. Carm. lib. 1. Ode 27. Verùm hæc differentia non semper obseruatur. Nam & accumbere de bominibus dicitur apud Plautum in Amphitryone actus 2. scena 2.

ALC. *Cœna apposita est, cœnauisti mecum, ego accubui simul.*
AMPH. *In eodem lecto?* ALC. *in eodem.* SOS. *hei non placet conuiuium.*

Cicerooem in 3. in Verrem actione, Tum ille negauit, moris esse Græcorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres. De qua re loquens idem ipse Cicero paulò antè, verbo discumbendi vsus est. Et 7. in Verrem actione, Muliebria quotidie conuiuia essent, vir accumberet nemo, præter ipsum. Liuius 3. Decad. lib. 8. Cœnatúmque simul apud Regem est, eodem etiam lecto Scipio atque Asdrubal (quia ita cordi Regi) accubuerunt. Vti etiam verbum accubare quod est eiusdem significationis apud Ciceronem libr. 4. Tusculaoar. quæst. Grauissimus author in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, vt deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum landes atque virtutes. & io Catilinam, Qui mihi accubantes in conuiuiis eructant in sermonibus suis cædem bonorum. Et Columellam lib. 11. c. 1. Nec nisi sacris diebus accubans cœnet. Sed & recumbere de hominibus quoque dici, probat illud Plinij Iunioris Epistolar. lib. 4. epist. eius lib. 22. omnium autem 88. incip. Interfui Principis. Cœnabat Nerua cum paucis, Veiento proximus, atque etiam in sinu recumbebat. Et iterum epist. omnium 100. Recumbebat mecum vir egregius Fidius Rufinus, super eum municeps ipsius. Et Mart. lib. 1. epigr. 19,

Debet Aricino conuiua recumbere cliuo,
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit,

Et lib. 7. epig. 77.

Sportula nulla datur, gratis conuiua recumbis.

Sed qoicquid sit de ea Acroois differentia, satis constat viros in conuiuiis cubare solitos, siue id accumbere, aut accubare: siue discumbere, aut recumbere vocemus. Quod & videre quoque licet ex Cicerone ad Atticum lib. 5. epistol. eius lib. 1. omninm 87. Discubuimus omnes præter illum: cui tamen Quintus de mēsa misit, illa reiecit. Et Gellio lib. 3. c. 19. Apud cænam Fauorioi Philosophi cùm discubitum fuerat, ceptúsque apponi cibus, seruus assistens mensæ legere inceptabat. Quod iotellige secundum ea, quæ sequontur.

y *A principio enim maiores,*] Virgilius lib. 7. Æneidos,

Hæ sacris sedes epulis, hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis

Vbi Seruius, Maiores enim, inquit, nostri sedentes epulabantur: qoem morem habuerunt à Laconibus & Cretensibus, vti Varro docet in libris de Gente populi Romani, in quibus dicit quid à quaque traxerit geore. Quem etiam locum Virgilij in id expendit ipse Seruius in eundem lib. 1. Æneidoa eo loco,

At domus interior regali splendida luxu
Instruitur.

Quod & ipsum antiqui Græci obseruabant ex Homero lib. 3. Odissæ,

ἀμφοτέρων ἕλε χεῖρα, καὶ εἷσεν δαιτί.

Idest,

Amborum prehendit manum, & sedere fecit ad conuiuium.

Et ite

[a] Laconum more, [a] adhibitis etiam principum liberis apud summos viros, cum cæteris id ætatis pueris nobilibus, qui propria & parciore mensa. in conspectu affinium vescebantur. Apud [b] Græcos verò fœminas in vili conuiuio accumbere, nisi propinqoorum, non licebat: [c] quibus coosuetudo mansit vt in primis epulis breuioribus poculis transigerent, in fine verò laxiora adhiberent: quare [d] Græco more bibere, est capacioribus poculis haurire, [e] quibus lex data, vt in symposiis aut biberent, aut abirent. [f] Sicut apud Scythas scythissare, erat intemperantius bibere. [g] Nonnulli Græco more bibere dicunt esses quoties deos aut amicos inter pocula appellarent singulos nominatim, toties haurire, & largè merum bibere: vtque quum magistratus & honores dabant, vina pateris circumferrent: cúmque alicui propinassent, nominatim designare cui poculom darent: & primò deos, deinde amicos appellare: totiésque haurire affatim, & bona à diis precari. [h] Et tametsi vino vim sapientiæ adhiberi putarent, si quando tamen vinum aqua admiscerent, illud tepefactis niuibus diluebant, nonnunquam marinam vino adhibebant, quo incorruptius foret. [i] Romanis etiam corollas poculis accipere,

Fœmina apud Græcos non accūbebant cū viris. *Græcorū bibendi mos.* *Scythissare.* *Propinatio.* *Vini dilutio apud Græcos.*

ANNOTATIONES.

Et iterum ad finem eiosdem libri,

—δαίνυνθ᾽ ἑζόμενοι.

Id est,

— Epulabantur sedentes.

Ægyptij testimonio sacrorum Bibliorum, Genesis c. 43. ad finem, vbi sic scribit, Rursumque lota facie egressus Ioseph, continuit se, & ait, Ponite panes. Quibus appositis, seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, Ægyptiis quoque, qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptiis comedere eum Hebræis, & prophanum putant huiusmodi conuiuium) sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimos iuxta ætatem suam. Id quod expoodens Philo Iudæus in libro, cui titulus est, de Ioseph, Nondum, ait, discumbendi mos receptus erat. Et Heroës & Macedones, vt tradunt Duris, & Egesander, & ex eo Athenæus lib. 1. c. 11. Quod & testimonio Homeri scribit Athenæus lib. 5. c. 3.

Inde thronos sedere super, sedesque paratas.

Idem dicit Athenæus lib. 8. c. 13.

a *Laconum more.*] Quod iam dictum est, ex Varrone & Seruio in præced.

a *Adhibitis etiam Principum liberis.*] Hæc sunt Suetonij & Taciti, qoorum verba sopra adduximus io verbo, Io quibus mensis.

b *Apud Græcos.*] Cicero in 3. in Verrem actio. cuius etiam verba attulimus ibi, Serui ad pedes & Probus Æmylius in procemio eius lib. quo clarorum virorum vitas describet. Et idem quoque apud Macedones obseruatum fuisse, intelliges ex Herodoto lib. 5. & Iustino lib. 7. Mulier enim quæ contra viri voluntatem, vel eo ignorante, extraneorum conoiuia petierit, repudiari poterit iuxta l. consensu. C. de repud. Conuiuia enim, Veneris præludia sunt. Accurs. io l. quod ait lex. ff. ad leg. Iul. de adult.

c *Quibus consuetudo mansit.*] Alexander Aphrodisæus huios rationem reddit proble c. 81. Et ex hoc miratur Anacharsis apud Laërtiom in vita illius, cur Græci initio conuiuij paruis poculis vterentur: vbi verò saturati essent, maioribus. Athenæus lib. 1. c. 18. authoritate Aristotelis in Tyrrhenorum legibus, scribit Tyrrhenos cœnare cum mulieribus dispositis sub eodem vestimento.

d *Græco more bibere.*] De quo Cicero in 3. io Verrem actione. Vos omnes Verres certiores facit quid opus esset, maturè veniunt, discumbitur: fit sermo ioter eos & inoitatio, vt Græco more biberetur: hospes hortatur, poscunt maioribus poculis, celebratur omnium sermone lætitiáque conuiuium. Sed vide infrà in verbo, Nonnulli Græco more.

e *Quibus lex data est.*] Cicero lib. 5. Tusculan. quæst. Mihi, ait, quidem in vita seruanda videtur illa lex, quæ io Græcorum conuiuiis obtinetur: Aut bibat, inquit, aut abeat, & rectè. Aut enim fruatur pariter cum aliis voluptate potandi: aut, ne sobrius violeotiam vinolentorum incidat, antè discebat Sic iniurias fortunę, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. Cantio Græca conuiualis hæc erat, πέντε πῖνε, τρεῖς πῖνε, ἢ μὴ τέτταρα. hoc est, bibe quinque, bibe tres, bibe quatuor cyathos.

f *Sicut apud Scythas scythissare.*] Herodotus libr. 6. & ex eo, & Chameleoore Heracleote in libro de Temulentia Athenæus lib. 10. Dipnosophist. cap. 8. & rursus ex Hieronymo Rhodio in lib. de Ebrietate 11. c. 17. Erasm. Chil. 2. cent. 3. c. 17. Quid autem sit Abscythissare videbis apud eundem Athenæum lib. 12. c. 8. in fi.

g *Nonnulli Græco more.*] Asconius Pædianus in d. 3. actio, in Verrem Ciceronis: Græco more bibere est cum cyathis mero plenis saltare: & primò deos, deinde amicos suos nominantes, toties merum bibere, quoties Deum & charos suos nominatim vocant. ad quem morem allosit Horatius lib. Car. 3. Ode 19.

Da Lunæ properè nouæ

Da noctis mediæ, da puer auguris, &c.

Vbi Acron, Hoc modo veteres festiuitatem conuiuiorum celebrare consueuerant, vt singulos vini cyathos sub singulorum deorum, aut charissimorum hominum nomine in poculis apponi iubereot. & vide infrà io verbo, Et ne intepescerent.

h *Et tametsi vino.*] Martialis lib. 5. epig. 65.

Sextantes Calliste duos infunde Falerni

Tu super æstiuas Alcine funde niues.

Et lib. 12. epig. 17.

Ebria Setino fit sæpe & sæpe Falerno:

Nec nisi post niueam cæcuba potat aquam.

Et lib. 14. epig. 103.

Setinos moneo nostra niue frange trientes,

Pauperiore mero tingere lina potes.

Et seq. epigram.

Attenuare niues norunt & lintea nostra:

Frigidior colo non salit vnda tuo.

Et epig 117.

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem,

De niue commenta est ingeniosa sitis,

Et Plioius lib. 19. c. 4. Hi niues, ili glaciem potant, pœnasque mootium in voluptatem gulæ vertuot. Seruatur algor æstibus, excogitatúrque, vt alienis meosibus nix algeat. Alter Plioios Iunior Epistolarum lib. 1. epist. 15. de quodam suo conuiuio loquens, Paratę erant, inquit, lactucæ frigidæ, cochleæ ternæ, oua bina, alica cum mulso, & nioe. Athenæus quoque lib. 3. c. 21. authoritate Alexidis & Dioxicratis io Inscripto: Euthyclis io Decoctoribus, Xenophontis io Memorabilibus, Charetis Mytilenæi in Historiis de Alexandro: Strattidis io Refrigeratoriis, & Callistrati Commistorum lib. 7. Ostendit veteres oiuibus in potu cum vino vsos fuisse. Quibus adde Ciceroo em lib. 4. de Finibus, Quibus vioum diffusum sit è pleno œnophoro, cui nihil dempserit nix. Ita enim eum locum emendauit Paulus Manutius. Sed illud tamen non omiserim huiusmodi aquam niualem esse admodom insalobrem, vt videre licet ex Aristotele probl. sectio. 24. quæst. 19. & Gellio lib. 19. cap. 5.

i *Romanis etiam corollas.*] Hinc enim illud Virgilij libro 1. Æoeidos.

Crateras magnos statuunt & vina coronant.

Quia

k festisque diebus coronatos & sertis redimitos epulari mos erat [l] cùm lemniscis. erant enim fasciæ coloratæ, quæ coronis addebantur. cautúmque fuit, vt Hetruscis corollis lemnisci tantùm aurei darentur, [m] sumpta ab Ionibus consuetudine, qui in lautioribus culinis primi corollas inuenere: [n] quod ab Indis vsurpatur, vt ad familiare conuiuium coronati accedant. Quinetiam vetusti moris erat, fercula exquisita & lautiora à ministris coronatis cum cantu & tibicine in cœnis solennibus afferri, [o] poculisque coronatis bibere, summámque cœnarum lautitiam tripatina distinguere, vna murænarum, altera luporum, tertia myxionis piscis: [p] & ne intepescerent, cum obsoniis focos quoque transferri institutum. Singulisque poculis singulos deos aut heroas, nonnunquam amicos aduocare, adstante cantorum turba, ac toto seruitio & famulatu: quorum alter reliquias colligit, quæ è mensa eadunt, alter murmur cōpescit, alius sputa è pauimento, & si quid immundi est verrit. eoq; pro-

Corona in conuiuiis. Lemnisci. Ferculorum in cœnis solennibus afferendi ratio. Potandi ratio. Famulorum munera in conuiniis solennibus.

ANNOTATIONES.

Quia scilicet, vt scribit ibi Seruius, antiqui pocula coronabant. Et ad id quoque trahit illud libro 3. Æneid.

Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, impleuitq́; mero, diuosq́; vocauit,
Stans celsa in puppi. —

Illúdque lib. 7. eius operis,

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Vbi idem Seruius dicit vina ibi accipi pro pateris, citatq; locum illum proximum. Nec Romani tantùm, sed & Græci id faciebant, vel Homero teste lib. 21. Odyss.

— κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Quæ sententia etiam Tibulli authoritate lib. 2. eleg. 5. confirmari potest,

Aut è Vesta sacris tendent vmbracula sertis
Vincta, coronatus stabit & ipse calix.

k *Festisq́; diebus coronat.*] Coronatos antiquitus fuisse in compotationibus, testimonio sunt Plautus, Virgil. Ouidius Ille enim in Amphitryone act. 3. scena 4.

Capiam mihi coronam in caput; assimilabo me esse ebrium.

Et iterum in Pseudolo act. 5. scen. 2. post. princ.

Quid te ego video? PSEVO. *cum corona ebrium Pseudolum tuum.*

Virgilius de Sileno ebrio loquens ecloga 6.

Serta procul tantùm capiti delapsa iacebant,
Et grauis attrita pendebat cantharus ansa.

Et lib. Æneid. 7.

— *Frondenti tempora ramo*
Impliciat. —

Vbi Seruius, Diebus enim, inquit, festis ita epulabantur. Ex quo loco Alexander id accepisse videtur, quod hîc dicit; Ouid. lib. 5. Fastorum,

Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet iniecta splendida mensa rosa.
Ebrius incinctis Phylira conuiua capillis
Saltat, & imprudens vtitur arte meri.

Sutiles autem coronas solenneis fuisse, præsertim sacris, author est Plinius lib. 21. cap. 3. Sutiles, inquit, Saliorum sacris inuenimus & solemnes cœnis. Ex quibus facilè intelligis legendum apud Martialem sutilibus non subtilibus, vt quidam legunt, lib. 5. epigram. 65. quod & ad hunc locum pertinet,

Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassenturq́; rosis tempora sutilibus.

Posseq; videri Græcos obtinuisse ex Aristophane in Equitibus,

ὥσπερ κλίνας, στέφανον μὲν ἔχων ἄνευ δ' ἴσθι δ' ἀπολωλώς.

Et Cratino in Mollibus, Nicostrato, Philoxeno Dithyrambico in Inscripta cœna, & Eubulo Titheo, & ab his Athenæo lib. Dipnosophist. 15. cap. 13. Hanc autem rei causam Aristoteles & Ariston Peripateticus prodiderunt, vterque in suis libris Rerum amatoriarum. Et ex eis idem Athenæus eiusdem operis lib. 15. cap. 5. Nam cùm veteres liberalius in suis symposiis, vino se inuitarent, & profusius biberent, vt capitis doloribus, qui ex vino largius hausto fiunt, occurrerent, fasciis id & aliis ligamentis circuoligabant. Posteà autem progredientibus ætatibus hominum, vt assolet, ad explenda ornandáque antiquitatis inuenta, ingeniosum semper genus, necessitati & vtilitati huic ornatum & elegantiam inesse voluit, inuentumque addidit decorem. Corollæ igitur in symposiorum licentia introductæ sunt, quæ & vsum priorem facilè præstarēt, & spectantium oculis nitidam etiam cultus elegantiam decenter afferrent. Nam & aliàs (vt id quoque addas) coronas ad veletudinē hominum compositas fuisse, testimonio est Plin. qui d. lib. 21. cap. 3. scribit in eis esse aliquam valetudinis portionem, in potu atque hilaritate præcipuè, odorum vi subrepente fallaciter. Quod & docet Dioscorid. lib. 4. c. 127. vbi de Hippoglosso tractat. Idem Plin. lib. 24. c. 10. vbi de smilace, Coronam, inquit, ex eo, smilace scilicet, factam impari foliorum numero, aiunt capitis doloribus mederi. & cap. 12. statim à princ. Spinæ albæ semen contra scorpiones auxiliatur. Corona ex ea imposita, capitis dolores minuit. Et lib. 27. c. 11. etiam statim post princ. vbi de Hippoglossa. Capitis dolorem corona ex his (Hippoglossæ foliis) imposita minuit. & cap. seq. vbi de Polygono. Plutarch. prob. symposiacōn Decad. 3. probl. 1. Galenus lib. 2. Pharmac. loc. c. 2. & Marcellus Burdigalensis cap. 1. non semel.

l *Cum lemniscis.*] Festus lib. 10. statim post prin. Lemnisci, id est, fasciolæ coloriæ dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quod antiquissimum fuit genus coronarum laurearum. Plin. lib. 21. c. 3. Crassus diues, primos argento auróque folia imitatus, ludis suis coronas dedit. Accesserúntque & lemnisci, quos adiici, ipsarum coronarum honos erat apud Hetruscas, quibus iungi non nisi aurei debebant. Seruius lib. 2. Æneid. enarrans eum locum,

Puniceis ibant euincti tempora tæniis.

Vittis, inquit, roseis. & significat lemniscatas coronas, quæ sunt de frondibus & discoloribus fasciis, vt ait Varro. Plutarchus in Sylla tradit sacrificanti Syllæ oblatam ἐκ δαφνῶν, laureæ coronæ speciem, λημνίσκων δύο κατηρτημένων, id est, lemniscis duobus propendētibus. Interpres verò pro lemniscis corymbos maluit reddere.

m *Sumpta ab Ionibus.*] Valerius Maximus lib. 2. c. 1. vbi de ciuitate Spartana, Audiuerant, inquit, inde, nempe ex Asia, & immodicos sumptos & omnia necessaria voluptatis genera fluxisse: primósque Ionas vnguenti, coronatúmque in conuiuio dandarum, & secundæ mensæ ponandæ consuetudinem, aut parua luxuriæ irritamenta, repetisse. Verùm eum morem accepisse videntur à Prometheo, qui cùm à Ioue vinculis liberatus fuisset, in Caucaso coronam habuisse dicitur, vt se victorem impunè peccasse diceret. lege Higinum.

n *Quod ab Indis vsurpatur.*] Alexander apud Q. Curtium lib. 9 exemplo Liberi patris coronatos cum exercitu, deuicta India, triumphauit.

o *Poculisq́; coronatis.*] Suprà in verbo, Romanis etiam corollas.

p *Et ne intepescerent.*] Vide suprà, vbi de Græcorū bibendi more diximus. Sed quibus adde Martialem illis, quæ ibi diximus, alludentem lib. 1. epigr. 39.

Næuia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
Quinque Lycas, Lide quattuor, Ida tribus,
Omnis ab infuso numeretur amica falerno:
Et quia nulla venit, tu mihi Somne veni.

cessere delitiæ, declinatis corruptísq; moribus,[q] vt totos apros vna mensa apponerent, quem [r] primus Romanorũ Seruilius Rullus apposuisse fertur. Deinde multam venationem, & cõdimentorum varietatem apponi vsurpatum. Quinetiam versatilia cœnationũ laquearia [s] Nero commẽtus fuit, vt quum fercula admittebãtur, alia facies cubiculi desineret, alia succederet. [t] Ægyptiorum mos traditur, vt in familiaribus cœnis brassicam præsumant in primis, eo edulij genere ebrietatẽ discuti arbitrati, [u] quam Cato oleribus præposuit cunctis, ita vt manè illam esse oporteret ieiunum. [x] Nonnulli nuces, lupinos, citrum & apium, quòd venenis prodessent, velut antidotum, præcepere. [y] Græci vino madentes, oleo perungunt & sale, [z] qui etiam ante reliquas dapes, sal velut amicitiæ symbolum hospitibus apponunt: sicut [a] Romani lactucas, quòd ebrietatem discuterent. Quinetiam [b] Ægyptiorum vsus erat, vt in solenni epulo propinquorum & affinium, qui decessere, aromatibus referta corpora iisdem lineamentis & specie recentissima, ac si viui essent, introducant: hísque præsentibus, & quasi conuiuis adhibitis, epulentũr: & si quando regum conuiuiis aduocarentur, vasa haberent, in quibus ventrem leuarent aut vomerent. [c] Cretensibus, accubantes vesci, instar magni criminis erat, itaque stantes epulabantur, [d] contrà Lusitani: nam sedentes cœnitabant: [e] quod Alexander Macedo fecit, qui sedens

Versatilia laquearia cœnationum. *Ægyptij.* *Alij.* *Græci.* *Sal.* *Romani.* *Ægypt.* *Cretenses.* *Lusitani.*

ANNOTATIONES.

q *Totos apros vna mensa apponerent.*] Ex quo illud Iuuenalis satyr. 1.

— Quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum.

Quanquam Tiberius Cæsar, vt scribit Suetonius in vitâ illius, cap. 34. affirmans omnia habere, quæ totum dimidiatum aprum apposuit. In cœnis lautioribus priscorum bini & terni mandebantur apri: quidam etiam apponebantur milliarij, sic appellati à pondere mille librarum: quorum Varro lib. 3. de Re rust. & Seneca Epist. lib. 21. meminerunt.

r *Primus Romanorum Seruilius Rullus.*] Plin. lib. 8. cap. 51. vbi loquitur de solido apro, Solidum aprum, inquit, Romanorum primus in epulis apposuit P. Seruilius Rullus, pater eius Rulli, qui Ciceronis consulatu legem Agrariam promulgauit.

s *Nero commentus fuit.*] Sueton. in vita illius. cap. 31. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, vt flores ex fistulis, & vnguẽta desuper spargerentur. Seneca lib. 14. Epist. ad Lucil. 2. omnium epist. 91. de huiusmodi Versatilibus laquearibus hæc tradit ad hanc rem apprimè conducentia, Hodie verum tandem sapientiorem putas, qui inuenit quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat, qui euripos subito aquarum impetu implet, aut siccat, aut versatilia cœnationũ laquearia ita coagmentat, vt subinde alia facies, atque alia succedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur.

t *Ægyptiorum mos.*] Athenæus lib. 1. Dipnosoph. c. 30. eodémque vlti. vbi & idem dicit de Sibaritis ex Timæo. Et quòd hæc ebrietatẽ discutiat, tradit Aristot. eius rei rationem reddens problem. sect. 3. q. 34. c. 17. Vide tamen Plin. lib. 20 cap. 9. qui scribit, Brassicam vino aduersari, vt inimicam vitibus. Antecedente in cibis caueri ebrietatem. Postea sumpta crapulam discuti. Sed vt redeam ad Athenæum, is continuò subiungit, Raphanum ebrietatem quoque prohibere & discutere, authoritate Alexidis & Ebuli. Et veteres etiam Raphanum appellasse Brassicam, etiam authoritate Apollodori Carystij, Alexandridis, Nicocharis & Amphidis: Vt interim non prætermittam brassicam, & vitem sibi natura quadam occulta aduersari, vt vitis Brassicæ odorem fugiat, testis Theophrastus, & ex eo Athenæus vbi suprà. in fin.

u *Quam Cato.*] In lib. de Re rust. cap, 157.

x *Nonnulli nuces.*] Seruius de his omnibus loquens in lib. 2. Georg ibi,

— Ac membris agit atra venena.

Radices, ait, nuces, lupini, citrum, apium prosunt contra futurum, non contra iam acceptum. Vnde etiam ante alias vllas epulas hæc solebant apponere. Hæc Seruius. Sed quod ad apium pertinet, antiquitus cœnãtes apio se coronabant. Horat. lib. 2. Carm. Ode 7.

— Quis vdo
Deproperare apio coronas,
Curáve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? non ego sanius
Bacchabor Edonis recepto
Dulce mihi furere est amico.

Quod scilicet, vt ibi tradit Acron, apij corona ebrietatem prohibere dicitur. Et idem lib. 4. eiusdem operis Ode 11.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus: est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis.

Vbi & ipse idem Acron, Alcæus, inquit, frequenter se dicit coronari, vel quia tardius deportatur, qui præcedet apio coronatus, vt,

Floribus, atque apio crines ornatus amaro.

Qui locus est apud Virgil. Eclo. 6. Plin. lib. 19. c. 8. de Apio scribit, Quòd honos erat ipsi in Achaia coronare victores sacri certaminis Nemeæ. Ænea & sociis eius, cùm primùm in Italiam deuenissent, humi discumbentibus, solum apio fuisse substratum, ídque illis mensæ loco fuisse scribit Dionys. Halicarnass. lib. 1.

y *Græci.*] Vide an ad id adaptari possit quod tradit Aristoteles lib. 2. Rhetoricorum, vbi de locis & enthymematis tractat: quanquàm aliò respicere videatur. & probl. lib. 3. cap. 34.

z *Qui etiam ante reliquas.*] Vide Erasmum Chil. 1. cent. 64. c. 10. & Chil. 4. cent. 9. c. 80.

a *Sicut Rom. lactucas.*] Plin. lib. 20. cap 7. & de his suprà ibi, Et lactuca.

b *Quinetiam Ægyptiorum.*] Herodotus lib. 2.

c *Cretensibus.*] Seruius, authoritate Varronis in lib de Gente populi Romani, in eum locum Virg. lib. 7. Æneid.

—— Hîc ariete caso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Sic scribit, longis ad ordinem exæquatis sedentium. Maiores enim nostri sedentes epulabantur: quem morem habuerunt à Laconibus & Cretensibus. Heraclides autem in Politiis scribit Cretenses sedentes in thronis epulari. Pyrgion quoque lib. 3. Legitimorum apud Athenæum libro 4. cap. 5. tradit Cretenses sedentes comedere, iunioribus illis ministrantibus. Quo etiam in loco idem Athenæus, eiusdem Pyrgionis & Dosiade libro 4. Rerum Cretensium authoritate, cuiusmodi eorum conuiuia essent memoriæ prodidit.

d *Contra Lusitani.*] Strabo lib. 3 de Lusitanorum ritibus, sic scribit, Pro oleo butyrum vsurpant, sedentes cœnitant, ædificatos in pariete hemicyclos habentes. Similiter & Illyrij apud Hermippum lib. 2. Philippicarũ rerum, & ex eo Athenæus lib. 10. cap. 14. Illyrij, ait, cœnant bibúntque sedentes, mulieresque ducunt in conuentus.

e *Quod Alexander Macedo.*] Duris apud Athenæum lib. 1. Dipnosoph. cap. 11. & Plutarchus in vita ipsius Alexandri. Subdit autem Athenæus ex Hegesandro, in more positum fuisse apud Macedones, vt nullus decumberet inter conuiuas, nisi extra retia aprum interfecisset: tunc enim sedere inter conuiuantes licebat.

f *Galli.*]

vescebatur. Cræci quoque in toris ex boum tergoribus assidentes, ordine ludunt & vescuntur. [f] Galli, dum cœnant, in stramentis assident. [g] Galatæ in pellibus luporum aut canum. Cato iunior post ciuile bellum, non accumbens vt prius, sed sedens, cibo parciore vsus fuit. [h] Contrà de Terentio Varrone & [i] Hannibale legitur, vt post afflictas res stãtes cænitarent. [k] Apud Indos solus rex in lecto ex stramẽtis facto accubat, cæteri sedentes epulantur. [l] Spartanis cõmunia erant cõuiuia, pauperes cum ditioribus eodem vescuntur obsonio: festisq; diebus, quos [m] Phiditia nuncupant, [n] nigrum ius [o] panem igni duratum apponunt: [p] vtq; regi duplum obsoniorum quàm cæteris detur, lege sancitum erat, nõ societatis gratia, sed vt posset obsonio quem vellet honorare. Qui etiã assuetant [q] excellentium virorum laudes ignauorum fæda scelera in epulis canere ad lyram, [r] quæ dicunt scolia. Idem apud Athenienses: nam in celebri epulo quod [s] Syssitiam vocant, [t] tenuiores cum ditioribus vnà cõueniunt, & æqualẽ obsoniorum partem ferunt. Cretenses eiusmodi, comessationes, [u] andria dicunt, [x] Persæ titthenidia, [y] Græci

Græci. Galli. Galatæ. Indi. Spartani. Phiditia. Scolia. Encomia ad lyrã. Syssitia. Andria. Titthenidia.

ANNOTATIONES.

f *Galli.*] Strabo lib. 4 Hanc etiam, inquit, in ætatem vulgò humi cubant, cœnitantes in stramentis assident, plurima illis cum lacte esca.

g *Galatæ*] Diodorus Siculus cap. 6. aliàs 9. Cœnant sedendo omnes, non in sedibus, sed in solo super luporum, aut canum stratis pellibus. Alia de cœnis Galatarum videbis apud Athenæum lib. 1. cap. 11.

h *Conira de Terentio Varrone.*] Iulius Frontinus lib 4. Strategematôn, cap. 5. barbam capillúmque submisit, & posteà nunquam recubans cibum cepit. eadem scribit Eutropius Rerum Rom lib. 3 cap. 5.

i *Et Hannibale.*] Plutarchus in vita illius.

k *Apud Indos.*] Philostratus in vita Apollonij, lib. 2. c. 12. cuius verba libuit subscribere, Rex in lecto è stramentis facto accubat: iuxtáque ipsum ex agnatis eius ad summum quinque; cæteri sedentes epulantur.

l *Spartanis*] Strabo lib. 10. Plutar. in Apophtheg. Lycurgi.

m *Phiditia nuncupant.*] Aristot. Politicôn lib. 2. cap. 7. Cic. lib. 5. Tuscul. quæstio. Quid? Victum Lacedæmoniorum in Phiditiis nónne videmus? vbi cùm tyrannus cœnauisset Dionysius negauit se iure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Plutarchus in Lycurgo. Cuiusmodi autem erant, ac quibus cibis in his Phiditiis vterentur, quantúmque quisque in eo conferebat, sigillatim declarant Dicæarchus in Inscripto Tripolitico, Sphærius Reipubl. Laconicæ lib. 3. Molpis in opere eiusdem tituli, & alij apud Athen. lib. Dipnosoph. 4. cap. 4.

n *Nigrum ius.*] Cicero vbi suprà, Plutarchus in Cleomene, & in antiquis Lacædemoniorum institutis statim post princ. à Cicerone paulùm dissentit. sic enim scribit, Ferunt Dionysium tyrannum emisse Laconicum coquum huiusce iuris nigri gratia, illiq; imperasse, vt sibi ius illud concinnaret, impensæ nulli parcens: quo degustato offensum despuisse: tunc Dionysio dixisse coquum, O Rex, hoc ius tunc gustandum est, cùm Laconica exercitatione te exercueris. Exercitationes autẽ Laconicæ sunt, venatus, palæstra, eurotas, sol, puluis: quibus haud dubiè rebus fames & sitis parantur: quibus condimentis condiendæ sunt epulæ, si eas suaues sciríque saporis esse concupiscimus.

o *Et panem igni duratum.*] Plutarchus in Alcibiade, Nam cùm viderent ipsum ad tondendã vsque ad cutem barbam, more Laconico, tonsores adhibere, & frigidis balneis vti & duro pane, nigróque iure vesci, vix adduci poterant vt crederent eum esse virum, quem acceperant in omni deliciarum genere fuisse versatum. Idem in Cleomene, Amicorum cuidam aliquando subiratus est, quòd hospites conuiuio suscipiens, vinum nigrum & panem duratum igni apposuisset. vbi legendum videtur, ius: non vinum.

p *Vtq; Regi duplum.*] Herodot. lib. 6. describens Spartanorum Regum dignationes & iura, sic tradit, Quoties aliquã publica visceratio fit, primi in cœna Reges discumbãt: & iis primis distribui incipiat vtrique eorum duplum omnium, quàm cæteris conuiuis. Xenophon in Orat. de Laudibus Agesilai, Duplicem, inquit, portionem in conuiuiis ex constituto accipiens, nec sic quidem tota vtebatur, verùm simplici, nec integra ea contentus, reliquum distribuebat: ratus geminam Regi portionem dari, non societatis gratia, sed quò possit, quem velit honorare. Idem Xenophon in Repub. Lacedæmoniorum non procul à fi. Atque, vt Reges in pubblico discumberent, conuiuium eis publicum, Lycurgus scilicet, instituit, & duplici parte in cœna honorauit: non vt duplo magis quàm alij ederent, sed quo & ex hoc, quem vellent honorare quirent.

q *Excellentium virorum laudes.*] Nam in Platonis Symposio Alcibiades Socratis laudes decantat. & apud Plutarchum in Aristotele Calisthenes Alexandri. Idque ipsum faciebant Romani, vt posteà dicetur.

r *Qua dicunt scolia.*] De huiusmodi carminibus conuiualibus, quæ Græci scolia vocant, meminit Plato in Gorgia, Aristophanes in Auibus & in Vespis. Plutarchus Symposiacôn lib. 1. & in Musica, vbi, Pindari authoritate, huiuscẽ carminis inuentionem tribuit Terpandro, cùm ea nullus in cantu vsus antea fuisset. Scolia autem Græci interpretantur συμποτικὰ ἄσματα, id est, conuiuales cantilenas: carmina conuiualia, sic dicta, quòd non quiuis ea caneret, sed eruditi duntaxat. Vide Rhodiginum lect. Antiquarum lib. 12. c. 15. Erasmum in Prouerbiis, Admeti nænia, Carica musa, canere ad myrtum.

s *Syssitiam vocant.*] Strabo lib. 10. sic ait, Ideóque pueri ad conuentus, quos Greges appellabant, commeare videbantur: viri autem ætatis adultæ ad conuiuia, quæ Virilia vocabant Σvoίna, vt tenuiores æqualem cum locupleribus portionem è publicis alimentis assequerentur.

t *Tenuiores cum ditioribus.*] Plutarchus in Lycurgo, Nam, inquit, neque vsus, neque fructus, neque facies omnino, aut ostentatio fuerat magni apparatus, cùm vnà cum paupere opulentus ad cœnam iret.

u *Andria dicunt.*] Aristoteles lib. Politicôn 2. cap. 3. 7. 8. & 10. Scribit Athenæus lib. 4. cap. 5. Conuiuantibus Cretensibus duas fuisse destinatas domos, vnam quarum dicerent Andrion, siue virilem: alteram in qua dormirent hospites Cœmeterium: in Andrio duæ primæ cõstituebantur mensæ hospitibus destinatæ, prætereáque Xenicæ nuncupatæ, mox sequebantur reliquæ. Idem Athenæus libro 5. cap. 1. Dionys. Halicarn. lib. 2. Strabo autem lib. 10. dicit & apud eos esse Σvσίna.

x *Persæ Titthenidia.*] De quibus etiam Rhodiginus lib. 27. cap. 25. nullo authore citato. Sed id, ni fallor, est Herodoti lib. 9. non longè à fi Cœnæ, inquit, nomen Persicæ Tycta; Græcè τέλειον, id est perfecta, in qua Rex solùm caput ornatur, Persásque strenis donat. Sed ibi loquitur de cœna regali, quæ semel quotannis eo die, quo Rex creatus est, instituebatur. quæ ex eo repetit Athenæus de Persarum conuiuiis loquens lib. 4. Dipnosophist. cap. 6. dicitque Persarum idiomatè Tycta Græcè annum appellari At Rhodig. vbi suprà, ex Athen. lib. 4. c. 4. scribit. Titthenidia conuiuia celebrari, quando Titthæ, id est nutrices pueros deferrent mares in Dianæ templum, quam Corythalliam dicunt prope Tiassum ad Cletam.

y *Græci θaλίas.*] Vide in præced. Athenæus autem libro 2. scribit Græcos sacra conuiuia θaλίas vocare. Idem libr. 14. cap. 3. Caseos latos ac tenues Cretes Thalia appellant,

tiolar, [z] Syri grammatias. Fuere quoque [a] Spartanis cœnæ copides, in quibus capra immolabatur, & [b] alia æclon. [c] Apud Indos ara mensæ in modum constituta, pluribus accubantibus circùm: in eáque carnibus appositis, quilibet conuiua è sua sede ad mensam vadit, & quam vult partem capit, atque in sedem reuersus, carnibus & pane vescitur. [d] qui etiã comessationes in propatulũ, [e] Laconico more faciebant. [f] Neque alienum fuerit, quod apud Gymnosophistas traditur, vt paratis instructísque mensis, antequam dapes apponantur, adolescentes singuli qui ad epulum cõueniunt, quid generi humano luci fecerint, quódve sapienter dictũ factúmve fuerit illa luce corã senioribus exprimere cogantur. Et qui desidiosus aut remissus, nihil, frugi in medium affert, impransus manet, & foras extruditur, quibus disciplinis illos ad virtutem acuebant. [g] Persarum mos erat, inter pocula de rebus seriis consultare: & post comessationes, si quid sanctiore fœdere cõcludi vellent, cõcubinas aduocare, & circunferre, tanquam ea adhiberẽt fœderi, quæ apud eos sancta & chara sunt. Idem Bactrianis, vt inter pocula de bellis consultent, & si quid complacitum est, merum largius infundant: & [h] Græcis, quibus vetustissimo iure vsurpatur, vt posteaquam magnificè epulati fuerant, quasi refoto animo, de bellis decernant largioribus poculis, quæ si quando circunferebant, [i] à dextris incipiebant. Thraces post intemperatissimas perpotationes, primò in vino & alea versati, mox ad illicitos concubitus accedere solebant. Si qui verò ea vecordia fuere, vt post epulas nudas mulieres introducant, [k] Dionysij prioris exemplo, aut alia quàm sibi obsonia conuiuis ministrent, fuit pro flagitio habitum, velut scelus & nequitia singularis. [l] Interq; epulas & pocula primùm libare diis dapes, & bene precari conuiuis, & secundum precationem dapibus cum modestia vesci, prisci moris erat, haud aliter quàm si sacrum epulum esset. siquidem apud maiores, [m] inter res sacras mensa habebatur, [n] nam Pisidæ cœnantes, parentum manibus primitias reddunt. Romani & Græci in conuictu familiari, ciborum particulis & vino in ignem coniectis libamina diis dabant, [o] & primitias cœnarum Laribus, quibus sal cum pane & caseo pro pulmentario cessit. [p] Vtque primus calix Ioui olympio misceatur, secundus heroibus, tertius seruatori Ioui

ANNOTATIONES.

vt ait Selucus: quos in quibusdam sacrificiis comburunt. Hæc Athenæus.

z *Syri Grammatias.*] Cælius Rhodiginus lib. 18. cap. 34. sic scribit, Posidonius Historiarum libro 16. Syrorum delicias incessens, oleo eos perungi pretioso arguit, liníque vnguentis, diei partem maximam in Grammatiis, (sic autem communes vocant concœnationes) cibis saburrati & potu.

a *Spartianis cœna copides*] De quibus etiam Rhodig. lib. 27. cap. 25. & Nicolaus Leonicus de Varia historia, lib. 2. c. 87. sed & nullo authore laudato. Pulemon autem apud Athenæum lib. 2. c. 13. in fine, author est apud Lacedæmonios in prandiis, quæ Copides dicuntur, fabas, phaseolos virides, & caricas bellaria apponi solere, & nihil aliud. At lib. 4. c. 4. dicit quod hic dicitur de capræ immolatione, ampleq; declarat cuiusmodi erant hæ Copides ex multis authoribus Græcis: nempe Polemone in Canathro, Cratino in Plutis, Eupoli in Ilotibus, Aristophane, Philyllio in Ciuitatibus, Epilyco in Adolescentulo, Molpide & Scæo, in Republic. Lacedæmoniorum, Dioscoride lib. 2. de eiusdem republ. & Aristocle de rep. Laconum lib. 1.

b *Et alia aclon.*] Idem quoque Rhodiginus vbi suprà. & huius mentionem facit idem Athenæus d. lib. 4. cap. 4. Polemonis authoritate, scribit, Illis, qui ad Phiditium accedũt in Lacedæmone, post cœnam æclon afferre consueuerunt: panes in canistro vimineo, atque singulis carnem apponũt. Eum autem qui partes distribuit, sequitur minister, qui æclon pronunciat, ac nomen mittentis solet addere.

c *Apud Indos.*] Philostratus in vita Apollonij, lib. 2. c. 12.

d *Qui etiam.*] Strabo lib. 15.

e *Laconico more.*] Suprà dictum est.

f *Neque alienum fuerit.*] Hæc vsque ad versic. Persarũ mos. sunt Apuleij lib. 1. Floridurum, de Gymnosophistarum disciplina loquens, ita scribit, Igitur vbi mensa deposita, priusquam edulia apponantur, omnes adolescentes ex diuersis locis & officiis ad dapem conueniunt. Magistri percontant, quod factum à lucis ortu ad illud diei bonum fecerit. Hic alius se commemorat inter duos arbitrum delectum, sanata simultate, reconciliata gratia, purgata suspicione, amicos ex offensis reddidisse: itidem alius, sese parentibus quidpiam imperantibus obedisse: & alius, aliquid meditatione sua repertum, vel alterius demonstratione didicisse. Denique & cæteri commemorant. Qui nihil habet adferre cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur.

g *Persarum mos erat.*] Strabo lib. 15. ad fin. De rebus maximis inter vinũ consultant, quas ipsi firmiores putant, quàm quæ in sobrietate fuerint deliberatæ. Herodot. lib. 1. Quintus Curtius, vbi etiã scribit illos inter epulas de bello consultare. Maximus Tyrius serm. 12. Xenodotus in prouerbio νίμος ἐ χώρα, Athenæus lib. 4. cap. 6. non longè à princ.

h *Et Græcis.*] Dosiadas libro 4. Rerum Cretensium apud Athenæum lib. 4. cap. 5. tradit, Cretenses post cœnam de rebus publicis primùm consultare, posteà de rebus in bello gestis mentionem facere, eósque laudare, qui viri & boni & fortes fuerunt, iuuenes interim ad probitatem strenuitatémque simul adhortantes.

i *A dextris incipiebant.*] Ælianus lib. 10. c. 10. Vide Ælianum de Varia Historia, lib. 3. Iidem verò Thraces post pocula in rixas & pugnas sanguineas vertebantur, teste Horatio Car. lib. 1. Ode 27.

> *Natis in vsum lætitiæ scyphis*
> *Pugnare, Thracum est, tollite barbarum*
> *Morem: verecundumq́, Bacchum.*
> *Sanguineis prohibete rixis.*

k *Dionysij prioris exemplo.*] Idem Neronem factitasse scribit Cornel. Tacitus lib. 15. in stagno Agrippæ, his verbis, Scorta visebantur nudis corporibus.

l *Interq́, epulas & pocula.*] Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 11.

m *Inter res sacras mensa.*] Idem Macrob. ibid.

n *Nam Pisidæ.*] Nicolaus περὶ ἐθῶν his verbis, πισίδαι δειπνοῦντες ἀπάρχονται τοῖς γονεῦσιν. quod & ex eo repetit Stobæus Serm. 42. Pisidæ conuiuantes parentibus primitias libant, vt nos diis ἐδαφαμοδίοις dictis.

o *Et primitias cœnarum Laribus.*] Vide nostros Commentarios de iure Primigeniorum, in præfatione num. 71. incip. Id quod etiam in.

p *Vtq́, primus calix.*] Pindarus Isthmiorum Ode 5. post princ.

> — ἐν Νεμέᾳ
> μὲν πρῶτον ὦ Ζεῦ τὶν, ἄωτον
> δεξάμενοι στεφάνων.
> νῦν αὖτ' ἐν Ἰσθμῷ, δεσπότᾳ
> Νηρηΐδεσσί τε, πεντή-
> κοντα παίδων ὁπλοτάτου

φυλ

[q] Et quum vinum purum dabatur, obseruatum est, vt Iouem Sospitem aduocarent, ne temulentos faceret. Quum veró aqua dilutum, Iouem appellare Seruatorem. [r] Persarum reges ante cibum de modestia disputant, ante sacrificium de iustitia, ante bellum de fortitudine. Et post trinam potationem, cum modestia epulati, bona à diis precabantur. Nonnulli inter bellaria honores diis ac magnis heroibus dabant. [s] Quum verò apparatu magnifico exquisitissimæ epulæ dabantur, trinis ferculis, sequutis mox temporibus etiam senis, Romani cœnam exhibuere: idq; luxuria erat: [t] quo modo Augustus conuiuia inisse fertur, quibus non amplius trinis ferculis, aut quum abundantissimè, senis conuiuabatur. [u] Iulius verò Cæsar in Ægypto conuiuia multiplici ferculo protraxit cum Cleopatra ad primam lucē. [x] Nero quoq; effusus in luxum & epulas, à medio die ad medias noctes, inter vina & scorta accubasse fertur. [y] Domitianus nō vltra Solis occasum. [z] Et Heliogabalus tam perditæ nequitiæ & luxuriæ fuisse, vt viginti duo fercula ingentium obsoniorū vna cœna admisetit, nunquam lotis linteaminibus vsus, sed nouis & recentibus semper, [a] sicut Galenus qui aureis linteaminibus strauit. [b] Caligula vna die centies sestertio cœnauit, qui etiam ex auro panes & obsonia apposuit. [c] Vitellius quoq; inter apparatissimas epulas largissimo sumptu discubuit, qui vna cœna à fratre exceptus fuit, in quā duo millia lectissimorum piscium, & septem auium, apposita traduntur. [d] Titus conuiuia instituit iucunda magis quàm profusa. [e] Geta maxima prandia per singulas literas iubebat, vt pullum, perdicem, pauonem, porcellum, piscem & pernam vnis epulis apponeret, & sic per singula elementa apparatus divideret. [f] Heliogabalus æstiua conuiuia coloribus distinxit, [g] sicut Lucullus per deos. Auctor est Spartianus, Ælium Verum Imperatorem omniū primum excogitasse pentapharmacum præcipui saporis, ex sumine, phasiano, crustulo, aprugna siue perna & pauone, [h] instar Vitellianæ patinæ,

Persarū reges. Post epulas. Quot fercula in apparatu magnifico. Augusti cōuiuia. Iuly. Neronis. Domitiani. Heliogabali. Galeni. Caligula. Vitelly. Titi. Geta. Æstiua cōuiuia. Heliogabal. Lucul. lus. Æly pētapharmacum.

ANNOTATIONES.

φυλακίδα πλωτῆρσ, εἶτα δὲ τρίτον
σωτῆρι προσάπτοντας ὀλυμ-
πίου, ἄγχειαν κατα-
σπένδειν μελοφθόγγους ἀοιδαῖς.

Et ibi ipsius interpres doctissimus, qui & in id citat Sophoclem in Nauplio,

ζεῦ παυσίλυπέ τε καὶ Διὸς σωτηρίου
σπονδὴ τρίτα κρατῆρος.

Et Eschylus in Epigonis,

λοιβὰς Διὸς μὲν πρῶτον ὡραίου γάμου
ἥρας τε. εἶτα τὴν δὲ τέραν γε κρᾶσιν
ἥρωσι νέμω, εἶτα τρίτον Διὸς τοῦ σωτῆρος εὐκταίαν λίβα.

q *Et cùm vinum purum.*] Athenæus lib. 2. cap. 1. Dipnosophist. & lib. 10. cap. 9.

r *Persarum Reges.*] Setinus apud Stobæum Sermone 42. οἱ περσῶν βασιλεῖς πρὸ μὲν τῆς θυσιῶν, περὶ δικαιοσύνης διαλέγονται, πρὸ δὲ τοῦ πίνειν, ἄξιος ἐστὶν ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ νόμος. Idē Stobæus de legibus & consuetudinibus, Sermone 44. sic vertit, Persarum Reges ante sacrificia de pietate differunt: antequàm bibant, de temperantia: pugnaturi verò de fortitudine.

s *Quum verò apparatu magnifico.*] Id probat ex eo quod sequitur de Augusto.

t *Quo modo Augustus.*] Suetonius in vita illius, cap. 74. Cœnam ternis ferculis, aut quum abundantissimè, senis præbebat, vt non nimio sumptu, ita summa comitate. Verùm veteres illi Rom. duobus tantùm ferculis vtebantur, vt tradit Seruius in lib. 1. Æneidos, vbi eius rei Catonem citat authorem. Satyricus & Iuuenalis satyr. 1. damnat quòd septem ferculis recentiores cœnitarent. Plin. lib. 11. cap. 53. vt perniciosam damnat ciborū varietatem, Homini cibos, inquit, vtilissimus, simplex. Aceruatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora. Sic Dissarius apud Macrobium lib. 7. cap. 4. affirmat.

u *Iulius verò Cæsar.*] Suetonius in eius vita, cap. 52. Lucan. lib. 10. Pharsaliæ luxuriosum conuiuium luculenter describit, quo Cleopatra Cæsarem accepit, quem dicit longis alloquiis produxisse noctem.

x *Nero quoque.*] Suetonius in vita illius, cap. 27.

y *Domitianus.*] Conuiuabatur frequenter, ac largè: sed penè raptim, certè non vltra solis occasum, nec vt posteà comessaretur. Author Sueton. in Domitiano, cap. 21.

z *Et Heliogabalus.*] Lampridius in vita illius, sic scribit, Exhibuit aliquando & tale conuiuium, vt haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, sed per singula lauarent, & mulieribus vterentur, & ipse & amici, cum iureiurando quod efficerent voluptatem. & paulò ante, Linteamen lotum nunquàm attigit, Mendicos dicens, qui linteis lotis vterentur.

a *Sicut Galenus.*] Imò & mantilibus, vt scribit Trebellius Pollio in vita illius. Sed hîc legendum est Gallienus, vt alibi monuimus.

b *Caligula.*] Seneca in lib. de Consolatione ad Albinam, cap. 9. C. Cæsar, inquit, quem mihi videtur rerum natura edidisse, vt ostenderet qui summa vitia in summa fortuna possent, centies sestertio cœnauit vno die, & in hoc omnium adiutus ingenio: vix tamen inuenit quo modo prouinciarum tributum vna cœna fieret. Suetonius in vita illius, cap. 37. Conuiuis ex auro panes & obsonia apponeret, Aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem.

c *Vitellius.*] Suetonius in vita illius, cap. 13. De hac cœna sic refert Eutropius lib. 8. cap. 5. & vlt. Notissima certè cœna memoriæ mandata est, quam Vitellius frater exhibuit, in qua supra cæteros sumptus duo millia piscium, & septem millia auium apposita traduntur.

d *Titus.*] Idem Sueton. in vita illius, cap. 7.

e *Geta.*] Ælius Spartianus sic in vita illius scribit, Habebat etiam istam consuetudinem, vt conuiuia, & maximè prandia, per singulas literas iuberet, scientibus seruis, velut in quo erat anser, aprugna, anas: item pullus, perdix, pauus, porcellus, piscis, perna, & quæ in eam literam genera edulium caderent: & item fasianus, farta, ficus, & talia.

f *Heliogabalus.*] Ælius Lampridius in vita illius.

g *Sicut Lucullus per deos.*] Plutarchus in Lucullo, & Carinus Imperator, authore Fla. Vopisco, per libras sed eo modo quo superiores, vt potè qui centum libras auium, centum piscium, mille diuersæ carnis in conuiuio suo frequenter exhibuit.

h *Instar Vitelliana.*] Suet. in Vitellio, c. 13. Hanc quoq; exuperauit ipse dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinē Clypeum Mineruæ ἀσπίδα πολιούχου dictabat. Plin. lib. 35. cap. 12. scribit hæc, At Hercules Vitellius in principatu suo ducentis sestertiis condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis ædificata erat: quoniam eò peruenit luxuria, vt etiam fictilia pluris constent, quàm murrhina. Propter hanc Mutianus altero consulatu suo in conquisitione exprobrauit patinarum paludes Vitellij memoriæ, quàm illa fœdiores, cuius veneno Asprenati reo Cassius Seuerus accusator obiiciebat interisse 130. conuiuas. Huius patinæ Vitellianæ meminit Dion Nicæus in Vitellio, his verbis, Patinam quidem vnam apparauit, in quam impendit decem millia aureorū, linguis cerebrisque & iecoribus

Æsopi patina. Cæsaris. Octauij. Tiberij. Theodosij. Traiani. Iuliani. Regũ Ægyptiorũ. Regum Persarũ. Antigoni. Aristippi. Agathoclis. Annari Babyl. regis luxus. Potus in cõuiuiis. Vinum græcum. D. Cæsar Vasa quibus vina in conuiuia inferebantur.

quæ immenso constitit, quam clypeum Mineruæ appellauit. Cui proxima fuit, [i] Æsopi patina, sexcentis sestertiis taxata, in qua aues vocales & canoras apposuit nummis sex singulis coemptas. [k] Pertinax verò imperator contrà, qui dimidiatas lactucas & carduos in priuata cœna apposuisse fertur. [l] Diuus quoque Cæsar, [m] & Octauius Augustus in quotidianis cœnis cibi minimi fuere & vulgaris. [n] Tiberius diebus solennibus pridiana sæpe obsonia & semesa apposuit. [o] Theodosius modico & castrensi cibo contentus fuit. [p] Traianus etiam in vescendo frugalissimus fertur. [q] Laudaturq; Iulianus imperator, quòd statarium prandium caperet, castrensi cibo & ministro obuio contentus, qui per triduum, porcellum & leporem diuisit. [r] Regibus verò Ægypti in cœnarum magnificentia & regali luxu, nihil, præter vitulum & anserem apponere licuit. Regibus Persarum, nisi pane, pulte, cardamo & sale vesci. Antigonus etiam parco & vulgari cibo cõtentus fuit. [s] Aristippus, licet tyrannidem occupasset, cibo tamen vili refotus, & exclusis stipatoribus, cœnauit: [t] sicut Agathocles nunquam sine fictilibus, memor paternæ obscuritatis, quod figulo patre genitus foret, adeo quòd inter vasa aurea figulina semper admiserit. [u] Inter cæteros autem helluones Annarus Babyloniæ rex: tanti luxus fuisse proditur, & tam profundæ gulæ, vt stola muliebri amictus, mero & vnguento madens, centum & quinquaginta psaltriis simul accubantibus, velut officina nequitiæ magnis effusionibus cœnitaret. [x] Vinum verò Græcum semel tantùm etiam in lautissimis conuiuiis apponere solebant. nauque veteribus fuere conuiuia iucunda magis quàm profusa. [y] Primusq; diuus Cæsar triumphalibus cœnis, quatuor vini genera, præter instituta maiorum dicitur apposuisse, Falernum, Chium, Lesbium, & Mamertinum. Antiquissimi (vt [z] Varro ait) primò vtres, deinde tinas, demũ vini amphoras & cupas apposuere. [a] Quod

ANNOTATIONES.

piscium, & quarundam auium in eam coniectis. Hanc patinam cùm fictilis esse non posset, propter magnitudinem argenteam fecit, eáque diu permansit, veluti res diis consecrata, quousque Adrianus eandem conspicatus, tolli ac dissipari iussit.

i *Æsopi patina.*] Plin. lib. 10. cap. 51. Clodij Æsopi, tragici histrionis patinam celebrat sexcentis sestertiis taxatam: in qua posuit aues cantu aliquo, aut humano sermone vocales, nummis sex singulis coëmptas, nulla alia inductus suauitate, nisi vt his imitationem hominis mandaret.

k *Pertinax verò.*] Iulius Capitolinus in Pertinace sic scribit Cùm verbis esset affabilis, re erat illiberalis, ac propè sordidus, vt dimidiatas lactucas & carduos in priuata vita conuiuis apponeret: & nisi quod missum esset edulium, quotquot essent amici, nouem libras carnis per tres missus ponebat.

l *D. quoque Cæsar.*] C. Oppius apud Sueto. in vita Cæsaris, cap. 53 docet C. Cæsarem adeò circa victum indifferentem fuisse, vt quondam ab hospite conditum oleum, pro viridi appositum, aspernantibus cæteris, solum etiam largius appetisse, ne hospitem, aut negligentiæ, aut rusticitatis videretur arguere. Cæsaris circa victum facilitas, vel ex eo patet, quod scribit Plutarchus in eius vita, Medionali apud hospitem Valerium Leonem cœnans, cùm appositis asparagis Valerius vnguentum pro oleo instillasset, facile commanducauit, & opiparè. Idq; molestè ferentes sodales castigauit: dicens, Debuit satis esse his, qui hoc improbant, hoc non vti: qui hanc rusticitatem culpat, non nisi rusticus esse potest.

m *Et Octauius Augustus.*] Sueton. cap. 76. de cibis Augusti loquens, Cibi, inquit, minimi erat, atque vulgaris ferè.

n *Tiberius.*] Idem Sueton. in vita illius, cap. 34. Et vt parsimoniam publicam exemplo quoque iuuaret, solemnibus ipse cœnis pridiana sæpe ac semesa obsonia apposuit.

o *Theodosius.*] Pacatus in Panegyrico ipsius Theodosij. vti etiam Septimius Seuerus ex Herodiano lib. 2. & Bassianus eius filius ex eodem lib. 4.

p *Traianus.*] Dion Nicæus in vita illius: vbi tamẽ dicit, quòd licet vinũ largius biberet, sobrius tamen erat. Verùm Aurel. Victor in epitomate vitæ illius tradit, tantùm in eo fuisse maximarũ rerum modum, vt quasi temperamento quodam virtutis micuisse videretur: nisi quia cibo vinoq; paululum deditus erat. Plin. Iunior in Panegyrico ipsius, Num tibi in medio cibus, semperq; mensa communis? Num ipsum tempus epularũ tuarum, cùm frugalitas cõtrahat, extendit humanitas? & alia multa, quæ in eam sententiam subduntur.

q *Laudaturq; Iulianus.*] Ælius Spartianus in vita illius, Iulianus, ait, tantæ parsimoniæ fuisse perhibetur, vt per triduum porcellum, per triduum leporem diuideret, si quis ei fortè misisset: sæpe autem nulla existente religione, oleribus leguminibúsque contentus, siue carne cœnauerit. Iulianum laudat Marcellinus lib. 21. quòd fuerit sobrius Imperator his verbis, Ideo latens, quòd toleranter & fortiter nullius cibi indigens mundioris, sed paucis contentus & vilibus, oppida forinsecus transibat incautè, imitatus egregium illud Cyri veteris dictum, qui cùm delatus ad hospitem interrogaretur ab eo, Quid ad conuiuium parari deberet, Panem respõderet solum: Sperare enim aiebat propè riuum cœnaturum. Mira frugalitas in Imperatore & Rege Barbaro. quibus panis erat satis pro obsonio, quique sitim aquæ spe deferebant in cœnam.

r *Regibus verò Ægypti.*] Diodor. Siculus lib. 2. cap. 3. Herodotus ante eum, qui de sacerdotibus loquitur lib. 2.

s *Aristippus.*] Quis is fuerit nescio. Scio autem Aristippum Cyrenaicum Philosophum Socraticum molliter, sumptuosè & voluptariè vixisse, vt tradit Laërtius in vita illius, M. Cicero lib. 3. ad Q. Fratrem, Tum ab Aristippo, quem illæ magis voluptariæ disputationes delectarant, Cyrenaica Philosophia manauit. Horatius Epistolarum lib. 1. epist. 17. ad Scæuam,

Si pranderet olus patienter, regibus vti
Nollet Aristippus: si sciret regibus vti,
Fastidiret olus, qui me notat.

Athenæus lib. 8. cap. 6. scribit, Aristippum Socraticum obsonij belluonem, reprehensum aliquando fuisse à Platone ob voracitatem obsonij. de Aristippi deliciis scribit idem Athenæus lib. 12. cap. 22.

t *Sicut Agathocles.*] Ausonius epigr. 9.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cùm poneret horrida vasis,
Et misceret opes, pauperiemq; simul.
Quærenti causam, respondit, Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repentè
Diues ab exili progrediere loco.

u *Inter cæteros autem helluones Annarus.*] Ctesias & ex eo Athenæus li. 12. cap. 13. vbi tamen non hunc Regem fuisse Baloniæ, sed ex primatibus regiis.

x *Vinum autem Græcum.*] Plin. lib. 14. cap. item 14. scribit, L. Lucullus puer apud patrem nunquam lautum conuiuium vidit, in quo plus semel Græcum vinum daretur.

y *Primusq; Cæsar.*] Idem Plin. eod. lib. 14. cap. 15.

z *Vt Varro ait.*] Libro de vita populi Romani apud Nonium Marcellum in generibus vasorum & ponderum.

a *Quod teste Homero.*] Libro scilicet 9. Odyss.

Bar

(teste Homero) heroicis temporibus fuit vsurpatum, vt vina vtribus inferrent. Sylla præter omnis generis condimenta, vinum suprà quadragenarium, epulo publicè præbito, populo dedit. [b] Arabes, quum longiori potu indulgerent, nemini supra duodena pocula bibere fas erat. [c] Germanis si indulseris ebrietatem, quantum, concupiscunt, licet. Augustus [d] Octauius senos sextantes non excessit. [e] Hannibal nunquam plus sestario vini indulsit. Cæsar [f] quoque vini parcissimus fuit, & bene diluti. [g] Alexander Macedo, ad vnumquenque calicem, multo colloquio sermonem protrahebat, qui [h] tamen aliquando triduo incaluit. [i] Fertur Vticensis quandoque ad auroram eum amicis perpotando vigilasse, non vt mergert, sed vt reprimeret euras: [k] quod Plato non improbauit, quum largiori vino aliquando refici animos putaret. [l] Democritus verò quaternos cyathos sestarios minimè censuit excedere oportere: [m] siquidem iuxta Anacharsim primum craterem ad sitim pertinere dixit, secundum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad insaniam. [n] Vel, vt Ebulus poëta Cyprius, qui bene sentientibus tria tantùm propinari pocula putauit: Sanitati primum, Amori alterum, tertium Somno, quartum non vtique nostrum, sed iniuriæ: vltimũ verò ὕβριν appellari voluit. [o] nam postremo Græci Mercurio litabant, velut somni largitori, & bono demoni, cui gratias agebant, κρατὴρ ἀγαθοῦ δαίμονος. [p] Persæ verò tribus libationibus factis, à diis immortalibus bona precati. conuiuium dissoluebant. [q] Tiberius

Sylla. Arabes. Germani. Augustus. Hannibal. Cæsar. Alexander. Cato Vticensis. Plato. Democritus. Anacharsidis dictum. Ebuli dictum. Persæ. Tiberius.

ANNOTATIONES.

θῦν, αὐτὰρ ἄγειον ἀσκὸν ἔχεν μέλανος οἴνοιο.

Id est,

fui, sed caprimum vtrem habebam nigri vini.

Et Iliad. lib. 3.

ἄρνε δύο, καὶ οἶνον ἐύφρονα, καρπὸν ἀρούρης,
ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ. ——

Id est,

Agnos duos, & vinum latum fructum terræ
Vtre in caprino. ——

Et id quidem videre licet ex sacris literis. Nam Iosue 9. cap. scribitur, Tulerunt sibi cibaria & vtres vinarios scissos atque consutos. & iterum paulò pòst, Vtres vini nouos impleuimus. & 1. Reg. c. 4. Et tulit ducentos panes, & duos vtres vini. & eiusdem operis, cap. 25 Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes & duos vtres vini. & Matthæi cap. 9. Non mittimus vinum nouum in vtres veteres. Quod & repetitur Marci 2. & Lucæ 5.

b *Arabes.*] Non omnes quidem, sed Nabathæi ex Strabone lib. 16. non multò ante fi. sic enim scribit, Rex Nabathæorum in apparatu maximo multa continuè conuiuia celebrat, nemo supra duodena pocula bibit.

c *Germanis.*] Cornel. Tacitus lib. de Motibus Germanorum.

d *Octauius.*] Suetonius in vita illius, cap. 77 Vini quoque, inquit natura parcissimus erat. Non amplius ter bibere eum solitum super cœnam in castris apud Mutinam Corn Nepos tradit. Posteà quoties largissimè se inuitaret, senos sextantes non excessit: aut si excessisset, reiiciebat.

e *Hannibal.*] Plutarchus in vita illius.

f *Cæsar quoque.*] Suetonius in eiusdem Cæsaris vita, c. 53.

g *Alexander Macedo.*] Plutarchus in vita illius scribit quòd maius loquendo quàm potandu tempus ad vnumquenque calicem protrahebat, semper longiùs sermone producto.

h *Qui tamen aliquando triduo incaluit.*] Ælianus Variæ historiæ, libro 3. capit. 23. de Alexandri crapula sic scribit, Verùm illa non sunt amplius laudanda in Alexandro, quòd cùm quinta die mensis, vt fama est, perpotasset apud Eumæum, deinde sexta crapulam edormierit, neque plus illo die vixerit, quàm vt surgeret, & ducibus de crastina profectione mandata daret, inquiens eam summo mane futuram, Septima deinde die epulatus est apud Perdiccam qua se rursus vino ingurgitauit. & octaua dormiuit. Et decimoquinto die eiusdem mensis, iterum indulsit vino, & sequenti, solito more crapulam somno decoxit. Vigesimoquarto cœnauit apud Bagoam. Athenæus li. 10. cap. 11. Plurimum, inquit, bibebat Alexander, ita vt ob temulentiam sæpius duos dies dormiret ac duas noctes.

i *Fertur Vticensis.*] Scilicet Cato ex Plutarcho in vita illius.

k *Quod Plato*] In lib. 1. & 2. de legib. & ex eo Gellius lib. 15. cap. 2.

l *Democritus.*] Plinius lib. 28. cap. 6. Numerum quoque quaternarium Demetrius condito volumine, & quare quaterni cyathi sextariiue non essent potandi. vbi Demetrium, non Democritum scribit. Ex concilio verò Laodicensi, sacerdoti maximè non licebat vltra tertiam vicem poculum contingere. can. quando. 44. distinct. sed quantum id poculum esset non declarat. Ad hunc autem locum pertinet vetus illud Græcorum adagium, quo præcipitur ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα. id est, Aut quinque bibe, aut tria, aut ne quatuor. Cuius meminit Plutarchus Symposiachon decade 9. Et Athenæus lib. 10. Dipnosuphist. 16. & aliis eiusdem libri locis. De quo vide plenissimè Erasmum Chiliad. 2. cent. 3, c. 1.

m *Siquidem iuxta Anacharsim.*] Laërtius in vita illius. Apuleius lib. 4. Floridorum: vbi tamen id Asclepiadi tribuere videtur, sub exemplo dictu digno & memoratu. Ait enim quatuor esse crateras vini: quarum prima pertinet ad sitim, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam. Hæc autem ipse Anacharsis cùm certamen bibendi statutum fuisset apud Periandrum, primus præsentium omnium factus ebrius præmium præposterè expetiuit, tanquam hic esset finis cuiusdam victoriæ inter potandum ● sicuti etiam meta est cursus, vt tradit Athen. lib. 10. c. 12.

n *Vel vt Ebulus poëta Cyprius.*] Eubulus legendum est ex Athenæo referente id lib. 2. Dipnos. cap. 1. recitatque versus in eam rem ipsius Eubuli, qui sunt huiusmodi, quibus introducit Bacchum dicentem,

Prudentibus viris ego tres misceo
Crateras, vnum sanitatis gratia:
Primum bibunt hunc: grati amoris alterum,
Dulcis voluptatisque Ac inde tertium
Somni; bibunt hos turba, nam prudentium
Redeuntium domum. Nec est inde amplius
Quartus virorum potus, ast iniuria.
At quintus est clamoris. Est lascinia
Sextus sacratus. Sugillationibus
Est septimus. Vocantis est octauus hinc
Est nonus ira.

Apuleius lib. 4 Floridorum, & Fulgentius in Metholugicis, vbi de Dionysio alia potariorum genera tradunt.

o *Nam postremo Græci Mercurio.*] Pollux. authoritate Homeri, Onomasticôn lib. 6. c. 16.

p *Persæ verò.*] Xenophon Pædiæ Cyri lib. 2.

q *Tiberius.*] Suetonius in vita illius, cap. 42. Plinius lib. 14. cap. vltim. loquens de Tiberio ad merum proniore: inquit, Eadem meri commendatione credidere L. Pisonem, vrbis Romæ curatorem, ab eo delectum, quòd biduo duabusque noctibus potationem continuasset apud ipsum iam Principem. Seneca quoque de hoc. L. Pisone, Tyberij combibone, ebriosoque, cui præfectura vrbis ob hoc data est, sic scribit lib. 12. Epistol. ad Lucilium, epistol. lib. 1. omnium verò 84. L. Piso vrbis custos, ebrius ex quo semel factus fuit, maiorem partem noctis in conuiuio exigebat, vsque in horam sextam ferè dormiebat: hoc erat eius matutinum. Officium suum tamen (quo tutela vrbis continebatur) dili-

verò biduum & duas noctes potu cōtinuasse fertur, [r] & Traianus capacioribus scyphis, sed citra ebrietatem bibisse. [s] Bonosus autem bibit quantum nemo alius. Proditumque memoriæ est, Commodum Cæsarem in æstuationibus ingens vini poculum haurire cunctis acclamantibus, Viue Cæsar. Inter cæteros proditur [t] Zenocrates philosophus, inuitante Dionysio, vini choam hausisse, & præmium tulisse: [u] atque Ennius nimio hausto mero, articularem morbum contraxisse, quo extinctus fuit. Apud [x] Nabathæos verò plura duodenis exiccasse pocula, erat ignominiosum: [y] Ipse verò Dionysius iunior vsque adeò vino marcidus fuit, vt ad nonaginta dies mero incaluerit. [z] Socrates tamen fertur nunquam vino hilarior fuisse, sed eodem statu semper. [a] Accusaturque Mithridates tantæ bibacitatis, vt præmia plus haurientibus proponeret. Neque subticendum, [b] quod Leonides aduersus Byzantios vinolentissimos fecisse dicitur, qui quum obsidione premeretur, neque ciues pro mœnibus continere posset, quod passim ad cauponas cursitarent, vt illos in officio haberet, ad mœnia cauponas & vinarias officinas disposuit, id quod apud [c] Phigaleos bibacissimos pariter fecit. Inter omnes autem vinolentissimos [d] Promacus Macedo memoratur, quatuor ingurgitans cantharos, & ob id ab Alexandro corona donatus, qui triduo superuixit postea. Et [e] Nouellius Tricongius raræ gloriæ inter bibacissimos. [f] prandia verò prisci antelucana habere, meridianum cibum cœnam dicere solebant. [g] Quod & Græcis vetustissimo in vsu fuit: Namque Eumæum [h] scribit Homerus matutina hora prandium fecisse. Postea illo more desito, seruatum est. [i] vt prandia in vsu non essent: sed qua hora cœna apparabatur, ea prandium fieret, † quod tempus nona esse consueuit, sæpe octaua: ante mediam verò diem pransum

Traianus. Bonosus. Commodus. Zenocrates. Dionysius iunior. Socrates. Mithridates. Leonides. Phigalei. Promacus. Nouellius. Tricongius. Prandij & cœnæ tempus. Odyss. 14.

ANNOTATIONES.

gentissimè administrauit. Huic & Diuus Augustus dedit secreta mandata, cùm illum præponeret Thraciæ, quam perdomuit: & Tyberius proficiscens in Campaniam præfecturam vrbis dedit: cùm multa in vrbe & suspecta relinqueret & inuisa: puto quòd bene cesserat illi Pisonis ebrietas. Hactenus Seneca.

r *Et Traianus.*] Dion in vita illius. Et vide quæ de eo dicta sunt suprà.

s *Bonosus autem.*] Fla. Vopiscus in vita illius, scribit eum hanc rem mirabilem habuisse, vt quantum bibisset, tantùm mingeret: neque vnquam aut eius pectus, aut venter, aut vesica grauaretur. Vnde Aurelianus imperator dicebat, Bonosum non vt viueret natum fuisse, sed vt biberet.

t *Zenocrates.*] Laërtius in vita illius, Ælianus de Varia historia lib. 2. & lib. 10. cap. 12. Ex quibus intelliges non Zenocrates, sed Xenocrates legendum.

u *Atque Ennius.*] Q. Serenus Sammonius. Nam & hinc Horatius lib. 1. Epistol. epist. 19. obiter eum perstringit, tanquam vino plus satis deditum: si tamen id seriò scripserit,

Ennius ipse pater nunquam, nisi potus, ad arma
Prosiluit dicenda.—

x *Apud Nabathæos.*] Hoc iam suprà diximus vbi de Arabibus disseruimus ex Strabone libro 16. ad finem.

y *Ipse verò Dionysius Iunior.*] Aristoteles in Republ. Syracusiorum, & eius authoritate Athenæus libro 10. cap. 12. non multò post princ. Plutarchus in Dione, & de eius vinositate. Aristotel. libro 5. Politicôn cap. 10. & Ælianus Variæ historiæ, libro 2. & iterum 6. vbi Theopompi authoritate dicit eum nimia bibacitate oculos amisisse. Quod & ipsum, eiusdem testimonio, tradit Athenæus vbi suprà. Iustinus lib. 21. Sublatis, inquit, deinde æmulis, in segnitiem lapsus, saginam corporis ex nimia luxuria, oculorumque valetudinem contraxit, adeò vt non solem, non puluerem, non denique splendorem ferre lucis ipsius posset.

z *Socrates.*] Laërtius in vita illius.

a *Accusaturque Mithridates.*] Nicolaus Peripatheticus in 103. historia, & eius authoritate Athenæus Dipnos. lib. 1.

b *Quod Leonides.*] Ælianus Variæ historiæ, lib. 3. cap. 14. Vinolentiam Byzantiorum scribens ait, Leonides, Dux militaris Byzantiorum, in acerrima vrbis oppugnatione, cùm hostes mœnia adorirentur, & illi relictis excubiis, totos dies in consuetis diuersoriis tererent, mandauit vt cauponæ ipsis in mœnia transferrentur. Quo sophismate serò tandem eis persuasit, vt aciem ne desererent, cùm prætextus & causæ, quamobrem abirent, non esset.

c *Apud Phigaleos.*] Damon in lib. de Byzantio, & eius authoritate Athenæus lib. 10 cap. 14. testatur Leonidam, Ducem Byzantiorum, cauponarum scenas apud mœnia tendi iussisse, ac vix tandem ordinem relinquentes constitisse.

d *Promacus Macedo.*] Plutarchus in vita Alexandri, & de huius quoque bibacitate Ælianus Variæ historiæ lib. 2. scribit eum consequutum fuisse victoriam in potandi vini certamine, quod Alexander instituerat in honorem Calani Brachmani Indici sophistæ. Athenæus lib. Dipnosophist. 10. c. 12 authoritate Charidis Mitylenæi in Historiis de iis, quæ pertinent ad Alexandrum.

e *Nouellius Tricongius.*] Plinius lib. 14. cap. 22. eodémque vltim. Apud nos cognomen etiam Nouellius Torquatus Mediolanensis ad proconsulatum vsque à prætura honoribus gestis, tribus congiis (vnde & cognomen illi fuit) epotis vno impetu, spectante, miraculi gratia, Tyberio Principe in senecta iam seuero, atque etiam alias sæuo, sed ipsa iuuenta ad merum proniot fuerat.

f *Prandia verò prisci.*] Prandium (inquit Festus Pompeius l. 14. ex Græco est dictum: nam meridianum cibum cœnam vocabant. Idem Festus lib. 3. Cœna, ait, apud antiquos dicebatur, quod nunc est prandium. Vesperna, quam nunc cœnam appellamus. Nonius, Quæ nunc prandia sunt, cœnas Sabini habebant, & pro cœnis vespernas appellabant. Cœnam pro prandio posuit Terent. in Eunucho actus 2. scena 3. ibi, Rogitare ad scœnam vt veniat.

g *Quod & Græcis.*] Quod probat exemplo seq.

h *Scribit Homerus.*] Odysseæ lib. 14.

αὐτὰρ ἐπὶ δεῖπνον κ' ὕεσσι θυμὸν ἐδωδῇ.

i *Vt Prandia in vsu non essent.*] Seruius enarrans eum locum Virgilij lib. 4. Æneid.

Nunc eadem labente die conuiuia quærit.

Quia, inquit, in vsu non erant prandia, vt Iuuenali,

Exul ab octaua Marius bibit.

Qui locus est sat. 1. Et Isidorus lib. 20. Etymologiarum cap. 2. At hæc Seruij sententia ab omnibus excluditur, tamque multis antiquorum scriptorum authoritatibus refellit Beroaldus in notis ipsius Seruij, cuius hæc sunt verba, Non eo inficias, olim me pedibus iuisse in sententiam Seruij: sed ex multiplici, variáque lectione deprehendi apud priscos in vsu fuisse in non minus prandia, quàm cœnas, & homines bis in die saturos fieri solitos: quod in primis affirmat Cic. in 5. quæst. Tusc. Platonem solitum improbare vitam Italicorum: quoniam bis in die saturi fiebant. Apud Plautum & Terentium vetustissimos scriptores, prandia celebrantur &c. Lampridius in Alexandro Seuero, His inquit, refectus, aliquando prandium inibat aliquando cibum vsque ad cœnam differebat, prandit tamen sæpius.

† *Quod tempus nona esse consueuit.*] Martialis lib. 4. epig. 8. ad Euphemum,

Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris,

Imperat

fuisse, [k] vel antelucanam cœnam fecisse, crimini dabatur. Idque erat dissoluti & hellunnis. [l] siquidem post forensia negotia transacta apud priscos fiebat prandium: cœnas verò, quod nocte plerunque fierent, [m] vespernas dixere. [n] Sed tamen prandium leue & modicum, cœna autem fuit copiosior: [o] tametsi Aristoteles largè prandendum, & parcè cœnandum putarit. Et licet Romanorum antiquissimos noctu cœnasse nonnulli opinati fuerint, constat tamen post multas ætates vsum inualuisse, vt postmeridianis horis vescerentur. [p] Persis quoque in meridie semel tantùm vesci consuetudo fuit: [q] qui erat Æthiopum mos, vt vnico cibo contenti essent diebus singulis, vt alerent corpus, non saginarent: [r] tametsi abusus postea Persis inualuerit, vt à mane ad vesperam quicquid esset temporis, vnico prandio concluderent. [s] Fertur Alexander Macedo appetente nocte cœnasse, & primo diluculo prandio accubuisse, [t] plerumque ad multam noctem cœnam protraxisse. [u] Galba ante lucem vescebatur, Cicero ante occasum solis perraro discubuit. [x] Præ cæteris verò Tarentini vsurparunt, matutinis se poculis ingurgitare, adeò vt temulenti in forum conuenirent. [y] Indi horam prandij aut cœnæ non nouerunt, sed vt cuique libitum, comessabantur: quod etiam Persarum [z] & Numidarum mos; vt quacunque hora vescerentur. [a] Diogenes quoque nullam temporis horam prandio definiuit. [b] Senioribusque velut ætate venerabilibus, aut his qui prudentia & autoritate anteirent, primi discubitus, & honoratior locus dari, ipsique sublata mensa primi assurgere consuerant. [c] Erat autem Romanis locus honoratior, qui summus in mensa fuit: [d] nonnulli in medio discubuisse, honoratius putarunt. [e] In imo verò conuiuij

Vesperna. *Persæ.* *Alexander.* *Galba.* *Cicero.* *Tarentini.* *Numidæ.* *Diogenes.* *Locus senioribus.*

ANNOTATIONES.

Imperat extructos frangere nona toros.
Athenis autem fieri solebat cùm aduesperasset, vt videre licet ex Gellio lib. 17. c. 8. in princ.

k *Vel antelucanam cœnam.*] Nam & hanc cœnam Catilinæ & sociis, vt probrum obiecit Cicero in 2. in eum Oratione: Quorum, inquit, omnis industria vitæ & vigilandi labor in antelucanis cœnis expromitur. Talis ebrietas in Pisonem arguitur. Vbi galli cantum audiuit, auum suum reuixisse putat, mensam tolli iubet.

l *Siquidem post forensia negotia.*] Martialis id videtur exprimere d. lib. 4. epig. 8.

Prima salutantes atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies lassis, septima finis erit.

Sufficit in nonam vt supra proximè,
Hora libellorum decima est Pheme meorum,
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.

m *Vespernas dixere.*] Festus Pompeius vbi suprà in verbo, Prandia verò. Isidorus lib. Etymologiarum 20. cap. 2. Est, inquit, cœna vespertina, quam Vespernam antiqui dicebant. Sic enim legendum est, non vespertina, vt vulgò legitur.

n *Sed tamen prandium leue.*] Cor. Celsus lib 7. eum de hyeme loquitur, sic ait, Si prandet aliquis, vtilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum sine carne, sine potione sumere. Æstate verò & potione & cibo sæpius corpus eget: ideò prandere quoque commodum est. Plinius lib. 28. cap. 5 Hippocrates tradit non prandentium exta celerius senescere.

o *Tametsi Aristoteles.*] Lib. probl. c. 32.

p *Persis quoque in meridie.*] Nam & Xerxem Persarum Regem Herodotus libr. 7. tradit non solere bis in die cibum capere.

q *Qui erat Æthiopum mos.*] Diodorus Siculus lib. 2. c. 1.

r *Tametsi abusus postea Persis.*] Strabo lib. 15.

s *Fertur Alexander.*] Plutarchus in lib. 2. de Fortuna & virtute Alexandri, sic scribit, Alexander prandio cùm primùm diluculasset accumbebat, cœnæ verò iam appetente nocte, & de eius vinositate iam suprà diximus.

t *Plerumque ad multam noctem.*] Plutarchus in Alexandro.

u *Galba.*] Cibi plurimi traditur, quem tempore hybetno etiam ante lucem capere consueuerat. autor Suetonius in Galba, c. 22.

x *Præ cæteris verò Tarentini.*] Ælianus de Varia historia, lib. 12. cap. 30. Tarentinorum temulentiam hanc fuisse scribit his verbis, Tarentinis à summo mane poculis indulgere mos erat, & in medio plenóque hominum foro inebriari. De eorum præterea temulentia Plato lib. 1. de legibus, & Athenæus, Clearchi authoritate, lib. Dipnos. 12. c. 7.

y *Indi.*] Strabo libro 15. Cætera, inquit, non facilè admittat, vt quòd soli degant, & quòd non vna omnibus & cœnandi & potandi hora sit, sed vt cuique libitum sit.

z *Et Numidarum.*] Strabo lib. 17. scribit necesse esse Numidas inopes esse, & plerunque radices edere, & carne, & lacte, & caseo vti. Sallustius in Iugurtha, scribit Numidas plerunque lacte & ferina vesci: & neque salem, neque alia gulæ irritamenta quærere; cibúmque illis aduersus famem, atque sitim, non libidini, neque luxuriæ esse.

a *Diogenes quoque.*] Nam is percontanti qua quis hora prandere debeat. Si diues est, inquit, quum vult: si pauper, quum potest. Author Laërtius in vita illius.

b *Senioribusque.*] Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. De honore impenso senibus à iuuenibus, Gellius lib. 2. cap. 15. Iuuenalis satyr. 13.

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat.

Communi omnium gentium more comprobatum est (vt testatur Cicero lib. 1. de Inuentio.) vt maioribus natu à natu minoribus assurgatur. Id quod idem lib. 1. Officior. confirmat: Est igitur, inquit, adolescentis maiores natu vereri, exque iis deligere optimos & probatissimos, quorum consilio & authoritate nitatur.

c *Erat autem Romanis.*] Vide nostros Commentarios Primigeniorum in præfat. num. 15. incip. Vndecimò. Seniores.

d *Nonnulli in medio.*] Homerus lib. Iliados 24. Priamum collocat inter liberos,

— ἐσθ᾽ ἐν μέσσοισι γέγωνε
ἐπισδὲ ἐν χλαίνῃ κεκαλυμμένος.

Et Virgilius Didonem reginam mediam quoque constituit lib. 1. Æneidos,

—— *Aulæis iam se regina superbis*
Aurea composuit sponda, mediamque locauit.

Ex quo Donatus & Seruius interpretes annotarunt, eum locum apud veteres fuisse potiorum. Asserúntque illud Sallustij in historia Roman. quæ vtinam etiamnum extaret, Discubuere Sertorius inferior, in medio super eum T. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis, in summo Antonius, & infra scriba Sertorij Versius, & alter scriba Mecænas in imo, medius inter Tarquinium & Denatium Perpernam. Hactenus Sallustius, qui ita Sertorij conuiuium describit, vt ipsum, quia dominus conuiuij erat, in imo loco, Senatorem in medio, tanquam honoratiori, collocarat. Idem autem Sallustius in Iugurtha, scribit apud Numidas medium locum honori duci. Et Xenophon Pædiæ Cyri libr. 2. tradit, Cyrum solitum fuisse medium inter amicos honoratos discumbere. De quo & tu vide quæ plenius diximus in dictis Commentariis Primigeniorum in præfat. nu. 16. incip. Hoc intellige, & seq.

e *In imo verò conuiuij.*] Iam dictum est in præced. ex Sallustij,

Græci. Indi. Persæ. Ægyptij. Post epulas. Abydeni. Moriones. Romani. Sybaritæ. Galatæ. Celtæ. Samnites. Indi. Octauius.

dominus cœnabat. [f] Apud Græcos non modo loci dignitate viros fama præcellentes in concilio vel mensa, sed poculis maioribus, & carne opimiore honestabāt. [g] Indis vt cuique in mentem venit, in quacunque parte lecti discumbere licet. non honorum personæue ratio in mensa habetur. [h] Apud Persas magna ratio mensæ, præsertim regiæ fuit, in qua præter matrem, & regis coniugē, nemini interesse permittitur, [i] tametsi matronas quandoque adhibitas legamus. Ægyptiis autem si quis ad cœnam regis non vocatus accederet, capitis luit pœnam. Post epulas verò [k] eruditas confabulationes, [l] deinde fides & tibias, ac symphonias & cantus, illorum qui maiorum laudes carmine decantabant, adhibere antiqui moris erat. [m] Abydeni in hospitali mensa & festis epulis postquam oppiparè epulati fuerant, infantes admittunt garrulos & festiuos, vt his obstrepentibus garrientibusque, conuiuæ alacriores fiant. [n] Romani etiam moriones, vt oris deformitate & stultitia oblectarentur: nonnunquam petulantes & improbos scurras, qui lasciua licentia, & impudentissimis iocis, derisui essent. [o] Neque omittendum, quod de Sybaritis proditum est, apud quos omnium libidinum illecebræ fuere, vt ad festum conuiuium & solemne epulum non psaltrias modò & histriones, sed equos composito saltatu ad symphoniæ cantum psallentes introducant. Apud [p] Galatas & Celtas ad mensam, postquam vino incaluerant, ex prouocatione dimicatur ad vulnera: sicut apud Samnites inter epulas erat mos digladiari: & [q] quod mox Campani odio in Samnites detractis armis vendicarunt, vt pro cœnarum magnificentia, paria pugnatorum destinarent. [r] Idem factum memoratur ab Indis, qui quum post epulas aureos crateres circumtulissent, strenuitatis & fortium factorum periculum facerent. [s] Octauius verò postquam fuerat discubitum, picturas inuersas conuiuiis venditabat, vt aut expleret desiderium, aut frustraretur, [t] nonnun-

ANNOTATIONES.

fllij, Donati & Seruij sententia.

f *Apud Græcos.*] Vt suprà de Spartanorum Regum dignationibus, & iure diximus ex Herodoto & Xenophonte. Et vide suprà in duobus locis, vbi declaratum est quid sit Græco more bibere.

g *Indis.*] Philostratus in vita Apollonij, lib. 3. c. 8. Discubuerunt, inquit, velut in cœnaculo, nullum tamen Regi præcipuum locum assignantes, quod apud Græcos Romanosque maximi existimatur: sed vt cuique in mentem venit, accubuere.

h *Apud Persas.*] Plutarchus in Artaxerxe. Sed & quod ad coniugem pertinet, idem Author in Præceptis Connubialibus, cap. 16. Cum Persarum, inquit, regibus legitimæ vxores accumbunt, vnàque comessant: cùm verò ludere lasciuiréque, ac se plusculum vino inuitare volunt, dimotis istis, citharistrias, meretriculas quoque ac pellices adhibent. Et rectè quidem vxores non sinunt intemperantiæ, ebrietatum que participes fieri. At Heraclitus Cumanus, qui Persicas res scripsit, lib. 2. Inscriptorum apparatuum apud Athenæum lib. 4. cap. 6. Sæpius, inquit, Rex solus & prandet & cœnat: quamuis aliquando vnà mulier cœnet & nonnulli filiorum: Post cœnam pellices canunt coram illo & tripudiant.

i *Tametsi matronas.*] Herodo. lib. 5. tradit, Persarum morem fuisse, vt quoties cœnam magnam exhiberent, concubinas & adolescentulas vxores ad assidendum introducerent. Sed & Plutarchus in Artaxerxe, tradit, Artaxerxem fratres Ostanem, Oxathrem, natu iuniores, ad eandem mensam vocasse, & vnà secum epulari voluisse. Et ibi quoque tradit Cyrum iuniorem Aspasiam, & alias mulieres intromissas ad cœnam admisisse.

k *Eruditas confabulationes.*] Gellius libro 13. cap. 11.

l *Deinde fides & tibias.*] Hæc vsque ad versic. Abydeni. sunt Tullij & Valerij Maximi. Ille enim lib. 1. Tusculan. quæst. post princip. scribit esse in Catonis Originibus, Solitos esse in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. Et lib. 4 eiusdem operis etiam post princ. ex illis quoque Catonis Originibus, Morem, inquit, apud Maiores hunc epularum fuisse, vt deinceps, qui accumberent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. Hic autem, scilicet Valerius lib. 2 cap. 1. de Institutis antiquis. sic scribit, Maiores natu in conuiuiis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quò ad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderent. Sed quod ad tibias pertinet, illud addendum ducimus, quod Vlysses apud Homerum lib. 21. Odysseæ ad filio. pronunciauit,

νῦν δ' ὥρη καὶ δόρπον Ἀχαιοῖσιν τετυκεῖν
ἐν φάει, αὐτὰρ ἔπειτα καὶ ἄλλως ἑψιάασθαι
μολπῇ καὶ φόρμιγγι, τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός.

Id est,

Nunc autem hora & cœnam Achiuis preparare
In luce, at postea & aliter delectari
Cantu & cithara. Hæc enim additamenta conuiuij.

Sic enim ad verbum traducit Andræas Diuus. Et quod scribit Quintilianus lib. 1. cap. 17. Sed & vide insià in verbo, Hadrianus. vbi de Hadriano.

m *Abydeni.*] De Abydenorum deliciis Athenæus lib. 12. ca. 9. ex Hermippo in Militibus, Aristophane in Galatea, Antiphone in lib. Contumeliæ in Alcibiadem, Callino in Elegiis, & Archiloco.

n *Romani etiam moriones.*] Suprà lib. 3. c. 21. diximus.

o *Neque omittendum, quod de Sybaritis.*] De horum luxu & libidine Ælianus de Varia historia, lib. 1. cap. 19. & lib. 14. cap. 20. Plutarchus in Pelopida post princip. Athenæus lib. 12. Dipnosophist. ca. 6. Maximus Tyrius Ser. 11. 31. & 33. Ex recentioribus Erasmus Chil. 2. centur. item 2. cap. 65. Cælius Rhodiginus lib. 7. cap. 9. Leonicus Variæ historiæ, lib. 3. cap. 97. Sed quod de equis priuatim dieit, id Suidæ est, & Æliani de Natura Animalium libr. 6. c. 23. & Athenæi vbi suprà.

p *Apud Galatas & Celtas.*] De his duobus Diodorus Siculus lib. 2. cap 9. Et de Celtis Posidonius lib. Historiarum 23. & ex eo Athenæus libro 4. cap. 17.

q *Quod mox Campani.*] Strabo lib. 5. ad fin. Eo, inquit, deliciarum prouecti sunt, vt ad gladiatorum paria depugnaturorum, conuiuas inuitarent ad cœnam, numerum quidem eorum pro censium dignitate definientes. Et Posidonius libro 30. apud Athenæum libro 4. cap. 17. attestatur nonnullos ex Campanis singulari certamine inter conuiuia digladiari.

r *Idem factum memoratur ab Indis.*] Philostratus in vita Apollonij, lib. 2. c. 12.

s *Octauius verò.*] Suetonius in Augusto, cap. 75. Solebat, inquit, & inæqualissimarum rerum sortes & auersas picturas in conuiuio venditare, incertoque casu spem mercantium, vel frustrari, vel explere: ita vt per singulos lectos licitatio fieret, & seu iactura, seu lucrum communicaretur.

t *Nonnunquam histriones, aut aretalogos*] De vtrisque idem Sueton. in Augusto, cap. 74. Nam & ad communionem sermonis tacentes, vel summissim fabulantes prouocabat, & aut acroamata & histriones, aut etiam triuiales ex circo ludios interponebat, ac frequentissimè aretalogos. Aretalogus autem is dicitur, qui fingendis mendaciis auditores mouet ab arte verborum. Nam ἀρετὴ significat virtutem, & λόγος verba. Iuuenal. sat. 15.

quam histriones, aut aretalogos admittebat. [u] Vespasianus dicacitati super cœnam & iocis scurrilibus vsque ad ineptias vacabat. [x] Tiberius ex lectione quotidianas quæstiones freqoenti conuiuio proponebat. [y] Neto Cæsar citharœdos aduocabat primi nominis. [z] Cato Vticensis à cœna deambulabat, [a] Pomponius Atticus libellos lectitabat. [b] Quod Alexander Seuerus fecit, vt in mensa familiari sæpe librum legeret: solitus vel legentes audire, vel aliis legentibus vesci. [c] Hadrianus comœdias, lectores & poëtas admittebat. [d] Heliogabalus sortes conuiuales post cœoam proponebat, vt alius haberet decem camelos, alios muscas, vel auri libras, aut decem oua, vrsos, glires & lactucas decem. [e] Sylla quamuis ferox & impotens, in comessationibus comis erat & facilis. [f] Fertor quoque idem Seuerus Alexander, post epulas catulos cum porcellis & perdices ad pugnam sæpe committere, [g] & Cleomenes, sublatis mensis, vinum crateris circunferre. [h] A Græcis verò ænigma & gryphos post conuiualia lusus proponebatur, cuius captiones soluenti præmium carnis portio, non soluenti pœna erat vt salsum hauriret poculum. [i] Parthis admittere concubinas post epulas non improbatur: vxores autem domi abditas, io virorum conspectum nou abducunt. [k] Babylooiis autem in conuiuiis à principio, fœminarum modestus est habitus: paulatim deinde pudore prophaoato, summa velamenta exuunt: & post epulas vltimis amiculis reuelatis pudibunda ostendunt, in omnemque licentiam iocorum & lasciuiarum, pudorem abiiciunt. [l] Fuitque veteri more seruatum, quòd bibente aliquo ex conuiuis, mensam tolli non sinerent: namque auspicij mali & detestabilis putabatur. Quòd si inter cœnandum ferculum à mensa reuocatum foret, nisi cœna continuaretur, nisique appositis epulis vescerentur, inter dira fuisse. Quinetiam per mensas deflare, aut prolapsum cibum è mano non reddi, ominosum erat: [m] tametsi quorundam opinio fuerit, quæ è meosa decidunt in communi conuictu, nec tollere, nec gustare, illa heroum esse opinati. [n] Quodque apud honoratos & doctos viros, nunquam ferè sine lectione cœna fuit. Et quum conuictus frequens in cœnam & prandium diuisus foret, plerique

Vespasianus. Tiberius. Nero. Cato Vticensis. Pomp. Atticus. Alex. Seuerus. Hadrianus. Heliogabalus. Sylla. Alex. Seuerus. Cleomenes. Græci. Parthi. Babylonij. Auspicia & omnia in conuiuiis. Lectio in cœna. Temperantis exempla.

ANNOTATIONES.

—— Aut risum fortasse quibusdam
Mouerat, vt mendax aretalogus.

u *Vespasianus.*] Idem Suetonios in vita illios, cap. 22. Et, inquit, super cœnam aotem & semper aliàs comissimus multa ioco transigebat. Erat enim dicacitatis plurimæ, & sic scurrilis ac sordidæ, vt ne prætextatis quidem verbis abstineret.

x *Tiberius.*] Idem Soeton. io vita Tiberij, cap. 70.

y *Nero Cæsar.*] Inter cæteras disciplinas (vt memoriæ prodidit Sueton. in Netooe, cap. 20.) pueritiæ tempore imbutus & mosica, statim vt imperium adeptus est, Terpoom citharœdum, vigentem tunc præter alios, accersiit: diebúsque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paulatim & ipse meditari, exercerique cœpit. Sic quoque Alcinous apod Homerum tom lib. 8. tum lib. 13 post princ. continuò adhibent Demodocom citharœdum Sic & Dido apud Virgiliom libro 1 Æneid. Iopam. Et in conuiuio deorum citharam pulsat Apollo apud eundem Homerum lib. Iliad. 1. ad finem,

—— ἐδέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης
ἐ μὲν φόρμιγγος περικαλλέος ἣν ἔχ' Ἀπόλλων.

Id est,

—— Neque amplius indiguit conuiuio æquali;
Neque lyra pulchra, quam tenebat Apollo.

Plinius Secuodus Epistolarum lib. 1. epist. 15. scribens ad Ericium, qui ad cœnam illius, cùm promisisset, non venetat: Audisses, inquit, comœdum, vel lyristen, vel, quæ mea liberalitas, omneis.

z *Cato Vticensis.*] Plutarchus io vita illius, non multò ante fi.

a *Pomponius Atticus.*] Cor. Nepos, aut quisquis is est, qui vitam illius diligentissimè & eloquentissimè scripsit.

b *Quod Alexander Seuerus.*] Ælius Lampridius io vita illius.

c *Hadrianus.*] Ælius Spartianus in vita illios, ad finem, In conuiuio, inquit, tragœdias, comœdias, attellanas sambucas, lectores, poëtas pro re semper exhibuit. Vide Plinium citatum suprà ibi, Nero Cæsar.

d *Heliogabalus.*] Lampridius in vita illius.

e *Sylla.*] Plutarchus in vita illius, scribit, Syllam inter potsodum quotidianis dicacitatibus certasse. & cœnanti Syllæ nullum circa seria vsum fuisse.

f *Fertur quoque idem Alexander.*] Lampridius in vita illius, Voluptates aut, scenicas io conuiuio ounquam habuit, sed summa illa oblectatio fuit, vt catuli cum porcellis luderent, aut perdices inter se pugnarent, aut aues paruulæ sursum ac deorsum volitarent.

g *Et Cleomenes.*] Sublatis mensis tripes æneus cum æneo cratere, qui vino plenos erat, inferri consueuit. Duæ præterea ex argento phialæ cotylas binas capientes, & argentea pocula admodum parua: his quantum cuique libuisset bibere licebat, oolenti autem nemo poculum porrigebat. Hæc Plutarchus io Cleomene. De alterius autem Cleomeois vinolentia Ælianus de Varia historia, lib. 2. cap. 20. Quidam dediti potationibus & multipoti.

h *A Græcis verò ænigma & gryphos.*] Quales scripsit Ausonius Edylium lib. 15.

i *Parthis.*] Iustioos lib. 41. Quamobrem (de Parthis loquitur) fœminis ooo conuiuia tantùm virorom, verumetiam conspectum interdicunt. Macrobius lib. 7. Satur cap. 1. Doceat nos, inqoit, vel peregrina institutio, & disciplina à Parthis petita: qui solent com concubinis, non cum coniugibus inire coouiuia: taoquam has & in vulgus produci, & lasciuire quoque: illas noo nisi abditas tueri deceat tectum pudorem. Quomodo autem Parthorum cœoæ fierent, videbis apod Athenæum lib. 4. cap. 14.

k *Babyloniis.*] Id vsque ad versic. Fuitque veteri more, sunt Q. Cortij lib. 5. non adeò longè à princ. Babylonij, inquit, maximè in vinum, & quæ ebrietatem sequuntur, effusi sont. Fœminarum conuiuia ineuntium in principio modestus est habitus: deinde summa quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem prophanant, ad vltimum (honos auribus habitus sit) ima corporum velamenta proiiciunt, nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum virorúmque, apud quos comitas habetur vulgati corporis vilitas.

l *Fuitque veteri more seruatum.*] Hæc omnia vsque ad versic. Quinetiam per mensas deflare. sunt Plinij lib. 28. c. 2. in diuersis locis.

m *Tametsi quorundam opinio.*] Nam Aristophanes ἐν τοῖς ἥρωσι in Heroibus, apud Laërtiom in vita Pythagoræ, scribit, Heroum esse, quæ deciderint è mensa: ideóque ea gustare fas non erat. Quod & ipsum inter symbola Pythagorea multi reponunt τὰ πεσόντα μὴ ἀναιρεῖσθαι, id est, Quæ deciderint ne tollas. Aut vt alij efferunt, μηδὲ γεύεσθαι ἅττ' ἂν ἐκτὸς τῆς τραπέζης πέσῃ, id est, Ne gustato quæcunque to mensa deciderint.

n *Quodque apud honoratos.*] Quod suprà dictum est de Pomponio Attico.

o *Asinius*

tanto temperamento & tenui conuictu fuere, vt sula cœna contenti, nunquam ante Solis occasum, & nisi post decimam accumberent: inter quos memoratur [o] Asinius Pollio, qui quum esset tota die negotiosus, ita post decimam animum relaxauit, vt nec legendis minimis literulis vacaret. Quidam noctu alij media die negociis pausam fecere. [p] Nonnulli autem tanta ingluuie, & ventre tam voraci fuere, vt velut impuri helluones effusas perpotationes, & exquisita obsonia quadrifariam diuiderent, in ientacula, prandia, cœnas, & comessationes, semper instructis paratisque mensis tanto apparatu, donec vino madidi & crapula distenti fierent Quod quidem obscuris fæuientibus moribus, à nonnullis pessimo exemplo factitatum est. Antea veró non licuit, ne ingentia animi bona, ingluuie corporis fœdarent. [q] Apud Siculos autem vsus erat, bis in die epulis saginati, & saturum fieri, quibus templum Saturitati dicatum erat. [r] Quare Siculæ mensæ, & Syr eusanæ deliciæ tanquam lautissimæ in prouerbium venere, [f] & sicut apud Græcos Pharsali & [t] Bœotij voracissimi habiti. Quare ab Atheniensibus fatui, rudes, & [u] pingues dicti sunt, propter ἀδηφαγίαν: quippe quum è conuiuiis crudi discederent, distenti rursus se ingurgitabant. [x] Quod & Plato in probauit, [y] & Romani duxere nefas, vt bis in die saturum fieri, vecordis esse ducerent [z] Hoc quoque apud conuiuas seruatum legimus, vt in familiari conuiuio, aut epulis lautioribus aliquem attractum, aut, pulla in veste discumbere ducerent nefas, nam depulso languore animi, non in tristitia côuiuio interesse decet. [a] propterea Vatinio, quod in epulo Q. Arij atra in veste accubueras, à Cicerone obiectum, & criminatum est: quippe bellos conuiuas, & conuictores, faciles in candida, non pulla veste accumbere decet, tametsi cœnatoria & tricliniaria conuiuis dari antiqui moris fuerit. [b] Fertorque Hadrianus Cæsar semper aut toga summissa, aut pallio tectus, accubuisse. Et [c] Saloninus imperator, mi'ites epulari cum sagis iussisse, hyeme gra-

Ingluuies. Siculi. Saturitatis templum. Sicula mensa. Syracusana delicia. Pharsali. Bœotij. Pulla veste conuiuis interesse non decebat. Cœnatoria & tricliniaria conuiuis data. Hadrianus. Saloninus.

ANNOTATIONES.

o *Asinius Pollio*] Cælius Rhodiginus antiquit. lect. lib. 1 2. c. 1. sed nu'lo authore citato.

p *Nonnulli.*] Vt Vitellius, de quo Suetonius in vita illius, cap. 1 3. ita infit, Sed vel præcipuè luxuriæ sæuitiæque deditus, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in ientacula. & prandia, & cænas comessationésque, facilè omnibus sufficiens vomitandi consuetudine.

q *Apud Siculos.*] Plato in epistola ad Dionis propinquos, & ex eo Cicern lib. 5 Tusculana quæst. Est præclara epistola Platonis ad Dionis propinquos: in qua scriprum est his ferè verbis, Quò cùm venissem, vita i'la beata, quæ ferebatur, plena italicarum Syracusia úmque mensarum, nullo modo mihi placuit, bis in die saturum fieri, nec vnquam pernoctare solum. Athenæus li. 1 2. cap. 10. Idem de Tyrrhenis tradit Diod. Siculus lib. 6. c. 9

r *Quare Sicula mensa & Syracusane.*] De his Plato & Cicero vbi supra. & Plato lib. 3. de Rupubl. Aristophanes *in Δαιταλεῦσιν.* Aristides in Pericle, Lucianus in dialogo Simili & Polæstrati. Meminit & Macrobius Siculæ mensæ lib. 7. cap. 5. Vide Erasmum Chil a. cent. 2. c. 68.

s *Sicut apud Græcos Pharsali.*] Athenæus lib. 10. cap. 2. Carpuntur, inquit, & Pharsalij, tanquam voraces, vnde Mnesimachus in Philippo,

Venit quis, vt mensas comedat & Pharsaliis,
Hic nullus est, agunt bene isti, nunquid &
Vrbem vorant Achaicam coctam simul?

Et lib. 1 1. c. 1 0 authoritate Theopompi Philippicarum lib. a 1 sic ait, Sumptuosissimi sunt omnium hominum Pharsalij ac pigerrimi.

t *Et Bœotij.*] Athenæus dicto libro 10. cap. a. authoritate Eubuli in locis plurimis, Diphili in Bœotico, Mnesimachi in Bu'yride. Alexidis in Trophonio, Achæi in certaminibus, Polybij Megalopolitani libro 20. Historiarum.

u *Et pingues.*] Homerus lib. 5. Iliados Bœotos populum valde pinguem dicit,

—— παρ δ' ἐν ἄλλοι
ναῖον βοιωτοὶ μάλα πίονα δῆμον ἔχοντες.

Id est,

—— Apud autem ipsum alij
Habitabant Bœotij valde pinguem populum habentes.

Horatius Epistol. lib. 2. epist. 1. ad Augustum,

—— Quòd si
Iudicium subtile videndis artibus illud
Ad libros, & ad hæc Musarum dona vocares,
Bœotum in crasso iurares aëre natum.

M. Tullius lib. de Fato, ostendens quantum inter locorum naturas intersit, ita scribit, Inter locorum naturas quantum intersit, videmus: alios esse salubres, alios pestilentes: in aliis esse pituitosos & quasi redundantes: in aliis exiccatos atque aridos: multá que sunt alia, quæ inter locum & locum plurimum differunt: Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiá putantur Attici: Crassum Thebis: itaque pingues Thebaos & valentes. Quo ex loco intelligere licet Bœotios, qui crasso cœlo vterentur (Thebæ enim in Bœotia fuerunt) pingues, crassos, atque hebetes fuisse.

x *Quod & Plato improbauit.*] In d. epistol. ad propinquos Dionis, & ex eo Athenæus lib. 1 2. c. 10.

y *Et Romani.*] Cicero d. lib. 5. Tuscul. quæst.

z *Hoc quoque apud conuiuas.*] Quod videre licet ex eo quod sequitur. sed hic legendum atratum, non attractum: ex iis, quæ illico sequentur. Sed hic fuit error librarij, vt opinor.

a *Propterea Vatinio.*] Cicero in Oratio. contra Vatinium: cuius hæc verba sunt, Atque illud etiam scire ex te cupio: quo consilio, aut qua mente feceris, vt in epulo Q. Arrij, familiaris nostri, cum toga pulla accumberes? quem vnquam videris? quem audieris: quo exemplo, quo more feceris? Et paulò infrà, Quis vnquam cœnauit atratus? Ita enim illud epulum est funebre, vt munus sit funeris: epulæ quidem ipsæ dignitatis. Et rursum paulò pòst, quis vnquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnauit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla data est? cùm hominum millia accumberent: cùm ipse epuli dominus Q. Arrius albatus esset, tu in templum Castoris te cum C. Fidulo atrato, cæterique tuis furiis funestum intulisti?

b *Ferturquè Hadrianus Cæsar.*] Ælius Spartianus in vita illius, sic scribit, Ad conuiuium venientes Senatores, stans excepit: semperque aut pallio tectus discubuit, aut toga submissa.

c *Et Salonius Imperator.*] Hæc vsque ad versicul. Tum frequens, sunt Trebellij Pollionis in vita Salonini Gallieni: cuius verba quia memoratu & cognitu digna videntur, hic apponam, Cùm cingula sua plerique militantiú, qui ad conuiuium venerant, ponerent, hora conuiuij Salonius puer, siue Gallienus, his aurstos constellatósque balteos rapuisse perhibetur: & cùm esset difficile in aula Palatina requirere quod perisset, ac, taciti militares viri detrimenta pertulissent, posteà rogati ad conuiuium, cincti accubuerunt. Cúmque ab his quæreretur, cur non soluerent cingulum, respondisse dicútur, Salonino deferimus. Atque hinc tractú morem, vt deinceps cum Imperatore cincti discumberent.

d *Tum*

uibus, ætate tenuibus. Quo tempore seruatum est, vt milites cum imperatore cincti discumberent. d Tum frequens hæc fuit obseruatio, quòd si quis ad cœnam benignè inuitatus iret, alios pari affectu aut sanguine coniunctos eisdem aduocare epulis nō vetabatur, veluti comites secum & vmbras ducere. e Sua autem sponte conuiuio aliis parato, se intromittere non decebat. Si qui verò nō accersiti & αὐτόματοι irent, in imam lecti spondam deduci iubebant. Tum si forsan minùs tempestiuè, neque ad horam constitutam, conuiua accederet, illum nisi triclinio circuito, admitti non sinebant: & tunc epulari iussus, discumbebat. f Reges tamen Spartanorum serò prodeuntes, cœnæ parte mulctantur: quippe ad cœnam non euntibus binæ chœnices farinæ, & vini singulæ cotylę mittuntur, g dupla verò pręsentibus. h Ideo ephori Agidi regi Lacedæmoniorum quum ad Phiditia non accederet, cœnæ partem peteti abnegarunt. i Tum siquando inter epulas incendium quisquam nominaret, ne quid ea res diri portenderet, aquam sub mensam inspergebant: à quibus obseruatum est, vt aliquo ex cōuiuarum numero è triclinio prodeunte, verri solum nullo modo sinerent; hoc infandum omen & perniciosum portentum augurati. Si tamen ad lumina cœnarent, aut illa in triclinio essent, veteris instituti fuit, vt lumen in lychno non extinguerent, sed illud sua sponte emori sinerent. k Quodq; mensam prisci nunquam vacuam tolli iubebant, sempérq; prandij partes superesse voluere: siue antiqui victus parsimoniam, siue morem, quo aliquid reliquiarum in mensa superesset, felix omen erat, veteri instituto adnotantes. Legimus, tamen, cœna peracta, reliquias & semesa obsonia ministris astantibus diuidi & circumferri, antiqui moris & exempli fuisse.

Vmbræ adducere ad conuiuium.

Leges aliquot conuiuales.

ANNOTATIONES.

d *Tum frequens hæc fuit obseruatio.*] Plato in Symposio, & Plutarc. lib. 7. eiusdem operis, vbi de huiusmodi vmbris loquitur, Horat. Epist. lib. 1. epist. 5. ad Torquatum;

—— *Locus est & pluribus vmbris:*
Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ.

Quem locum exponit Erasmus Chiliad. 1. centur. 1. c. 9. his verbis, Admonet Torquatum, vt ad cœnam veniat paucis comitatus, videlicet Bruto, Septimio & Sabino: non quòd sit defuturus in accubitu locus, si velit plures vmbras secum adducere: verùm id futurum incommodi, vt alarum odor offendat conuiuij suauitatem, si angustius sedeatur. Deinde, si velit omnino plures vmbras, id est, comites, præmoneat se de numero, ne non respondeat apparatus. Idem Horatius sat. 8 lib. 2.

—— *Quos Mæcenas adduxerat vmbras.*

Vmbræ autem dicuntur conuiuæ, qui ad conuiuium eunt, à conuiuatore quidem non vocati; sed à vocatis ducti: illos videlicet sequentes, vt vmbra corpus.

e *Sua autem sponte.*] Macrobius Homeri testimonio libr. 2. Saturna. c. 7. Superuenire fabulis non euocatos, haud equidem turpe existimatur: verùm sponte irruere in conuiuium aliis præparatum, nec ab Homero sine nota, vel in fratre memoratum est. Locus autem Homeri est lib. 2. Iliados, vbi Menelaus non inuitatus, iuit ad conuiuium ab Agamemnone fratre summis Græcorum præparatum. Huius in eam rem carmen est,

κίκλησκεν δὲ γέροντας ἀριστῆας Παναχαιῶν.
νέστορα μὲν πρώτιστα καὶ ἰδομενῆα ἄνακτα.
αὐτὰρ ἔπειτ' αἴαντε δύο, καὶ τυδέος υἱόν.
ἕκτον δ' αὖτ' ὀδυσῆα διὶ μῆτιν ἀτάλαντον.
αὐτόματος δέ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος.
ᾔδεε γὰρ κατὰ θυμὸν ἀδελφεὸν ὡς ἐπονεῖτο.

Id est,

Vocauit insuper senes optimates ex omnibus Græcis.
Nestora quidem in primis & Idumeneum Regem:
Sed posthac Aiaces duos & Tydei filium.
Sextum autem rursus Vlyssem, Ioui consilio parem.
Vltroneus autem ei venit voce bonus Menelaus.
Nouerat enim in animo fratrem, quomodo operaretur.

Lampridius autem in vita Alexandri Seueri, tradit ipsum non vocatum sæpius ad amicorum conuiuia isse.

f *Reges tamen Spartanorum.*] Herodotus lib. 6.

g *Dupla verò præsentibus.*] Suprà dictum est.

h *Ideo Ephori Agidi.*] Plutarchus in Apophthegmatis Lycurgi. vbi præterea dicit Ephoros Agidem mulctasse quòd ad Phiditia non accessisset; sed apud vxorem cœnasset. Quod & nos suprà retulimus.

i *Tum si quando inter epulas.*] Hæc vsque ad versicul. Si tamen ad lumina, sunt Plinij libr. 28. cap. 2. Incendia inter epulas nominata, aquis sub mensas profusis abominamur: recedente aliquo ab epulis, simul verri solum: aut bibente conuiua; mensam vel repositorium tolli inauspicatissimum iudicatur.

k *Quodque mensam.*] Plutarchus problem. c. 64.

Quæ ipse dictu admirabilia de vmbrarum figuris noctibus ferè singulis Romæ expertus fuit.

CAPVT XXIII.

NOTA a & vulgata res est, ædes quasdam Romæ, quas ego incolui, euidentissimis ostentis ita infames, vt nemo illas incolere ausus fuerit, quin assiduis vmbrarū illusionibus, & tetris imaginibus, noctibus ferè singulis inquietetur: in quibus præter nocturnos tumultus, quos medio ferè noctis silentio audiebamus, & horrendos fremitus cum eiulatu, stridulóque vocis sono, quibus lachrymari & tremere videbatur, speciē hominis squalida facie, vultu minaci, nigro corpore, & aspectu formidabili, nomen suum exprimentē, & opem implorantē, cernebamus. Sed

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

ID caput nullum est in Alexandro, verendúmque ne Librarius, pro 22. posuerit 23, eúmque numerum posteà secutus sit: verùm ita, vt reperi, reliqui.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIII.

a NOta & vulgata res est.] Simile quippiam refert Plin. Iunior Epist. li. 5. epist. 5. omnium 104, ad Maximum incip. Nunciatum est. Sed, vt semel dicam, quid de hisce rebus sentiam, ego mera somnia esse puto.

ne quis hoc fabulosum aut commetitium putet, author est Nicolaus Tuba, vir multę & expertę fidei, qui quum rei explorandæ gratia, cum nonnullis doctis iuuenibus prima facie ad nos aduenisset, cupido incessit animo, hæc quæ à me promebantur, vero testimonio experiri, & an vera essent intueri. Et ne quid inexpertum relinquerent, noctem peruigilem egere mecum, vt rem notam exploratámque haberent: neque eos opinio fefellit: nam cum accensis luminibus peruigiles starent, haud procul species hæc dira terribilísque facie, & vultu tetro repræsentata est, quam ipsi tumultuari, & diris nos vocibus agitare videbant; cúmque omnia clamore & tumultu strepetent, post multa oculorum ludibria, tantum formidinis pauorísq; intulit, vt territi & trepidi vix mente incolumi satis constarent. Et cùm totæ ædes gemitu funesto miscerentur, singulísq; cubiculis pestis illa importuna obuersaretur, dum propius accederemus, illam retro cedere, & querula voce lumen effugere cernebamus. Demum cum multum diúque tumultuata fuisset, haud multo post vbi multum noctis processit, visio omnis illa dilapsa est. Sed præ cæteris quæ ibi expertus sum, non omittam miraculum ingens, quod mihi planè vigilanti maiore aliquando trepidatione haud multo post obuenit: nam cum tenebris obortis, cubiculi fores obseraſſem firma sera, iacerémque in lectulo, nulla adhuc quiete cōposita, lumine accenso, horribilem illam speciem foris iam tumultuari, & cubiculi forem manibus pulsare sentiebam. Nec multo pòst simulacrum illud, opertis adiectisq; foribus (vix credibile dictu) per commissuras & rimas in cubiculum se intromisit: quod sub lectulo meo iacens, cum Marcus alumnus & cliens meus, vtpote qui è conspectu cubabat, tetra & dira facie aspiceret, pauore subito consternatus, luctu & gemitu omnia opplebat, ipsámque intromissam non sine formidine clamabat. Idque cum mihi, qui clausum cubiculi ostium aspicerem, vix credibile videretur, interim ditum illud simulacrum quod sub lectulo iacebat meo, manum & brachium protendere, luménque quod iuxtà aderat, extinguere vidimus: quo extincto, libellos meos, & quicquid rerum erat, querula voce miscere, ac omnia euertere non destitit. Mox cum ad tumultum exciti socij eò se contulissent, luménq; intromissuri obuersarentur vestibulo, interim ipsam opertum cubiculi ostium magna aperire, & foras effugere vidimus. Erat enim ipsius species, vt planè perspeximus, simulacro hominis nigerrimo non absimilis. Illud vtique mirum fuerit, dignúmque memoratu, figuram illam, dum nobiscum sic luctaretur, quum fores cubiculi reseraſſet, ab his qui lumen intromisere, minimè conspectam: sed quum primùm cubiculi fores exiuit, elapsam ex oculis illico discessisse, & in auras euanuisse.

Qui cultus domorum quondam fuerit. & quare maiorum imagines in postibus, & arma in atriis & vestibulis haberent, & quid de exteris. CAPVT XXIV.

Vestibula domorum.

QVIBUS pristini decoris memoria relicta fuit, hoc etiam literis adnotasse accepimus, amplas domos in primis gressibus [a] vestibula habuisse, quæ spatia licet pars ædium forent, tamen illa pro ædibus fuisse nemo ignorauit: erat enim locus vacuus, per quem de via ad fores patebat aditus, in quo præstolati qui salutatū venerant, aut si conuento opus foret, tempus operiri solebant: [b] quod quidem prima aut altera diei hora esse consueuit. Fuit enim apud maiores non modica laus illis qui ex claris familiis erant, quamplurimos clientes, non modo cateruas togatorum, sed & tenuiores amicos habere, à quibus obseruaretur quotidie & coleretur, cúmque his ad forum deducerentur frequenti comitatu: namque maximi decoris erat, amplos viros illustrésq; etiam ab infima plebe quotidie salutari, appeti, deduci, reduci & consuli, eisq; decedi & assurgi. [c] Fiebat enim

Salutādi mos apud veteres.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIV.

a VEstibula habuisse.] Plautus in Mostellaria actu 3. scena quoque 3.

Viden' vestibulum ante adeis & ambulacrum cuiusmodi?

Virgilius lib. 2. Æneidos,

Vestibulum ante ipsum, primóque in limine.

Vbi Seruius, Vestibulum, inquit, dicitur prima ianuæ pars. Dictum autem vel quòd ianuam vestiat, vt videmus cameram sustentatam columnis. Vel quoniam Vestæ consecratum est: vnde nubentes puellæ limen non tangunt, ne numini dicatum locum calcantes sacrilegium committant. Singula enim domus sacrata sunt, vt culmina diis penatibus: Maceries, quæ ambit domum, Herceo Ioui. Idem Seruius alibi, scilicet, lib. 6. Æneidos, ibi,

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus orci.

Vestibulum, inquit, non habet etymologiæ proprietatem, vt ait Varro: sed fit pro captu ingenij. Dicitur enim vestibulum, quòd vestiat ianuam. Alij vestibulum à Vesta dictum volunt: nam illi ianua consecrata est: alij quòd nemo illic stet. In limine enim solus est transitus, vt enim vesanum non sanum, sic vestibulum non stabulum. Ouid. lib. 6. Fastorum, Vestibulum à Vesta nomen accepisse ait,

Hinc quoque vestibulum dici reor, vnde precamur
Qua famur, Vesta est, quæ loca prima tenet.

Gellius libro 16 cap. 5. authoritate Cæcilij Galli in libro de significatione verborum, quæ ad ius pertinent, Vestibulum, inquit, non in ipsis ædibus, neque partem ædium: sed locum ante ianuam domus vacuum, per quem à via aditus accessúsque ad ædeis est: cum dextra sinistráque inter ianuam tectáque, quæ sunt viæ iuncta, spatium relinquitur: atque ipsa ianua procul à via est vacanti intersita. Et quibusdam interiectis. Qui domo, igitur amplas antiquitus faciebant, locum ante ianuam relinquebant, qui inter fores domus & viam medius esset. In eo loco qui dominum eius domus salutatum venerant, prius quàm admitterentur, consistebant: & neque in via stabant, neque intra ædes erant. Et eadem propemodum scribit, tacito Gellij nomine (vt semper aliàs) Macrobius libr. 6. Saturn. cap. 8.

b *Quod quidem prima.*] Martialis lib. 4. epigr. 8. vt iam scripsimus suprà cap. 21.

c *Fiebat enim salutatio.*] Seruius enarrans eum locum lib. 1. Æneidos.

Cur

salutatio more prisco dextram iougendo dextræ: quippe cum referat Varro, omnem antiquorum honorem, dextrarum constitisse virtute, [d] nonnunquam osculo, [e] plerumque assurgeudo, [f] capútque denudando, quod apud nostrates frequenti in vsu est: mansitque obseruatum, [g] vt salutantes imperatorem, antequam admitterentur, interiores aulici scrutarentur, sinúmque prætentarent, ne quis cum telo esset. Nonnunquam vt valentissimi serui catenis religati, pro ostio aditum custodirent, ne non vocati admitterentur. [h] Laudatúrque Vespasianus, [i] M. Antoninus & [k] Alexander Seuerus imperatores quòd salutarentur patente cubiculo, ministris admissionalibus remotis. Apud Parthos verò regem adire vel salutare siue munere, nulli licitum erat. Quibus clientibus ab his quos sectabantur, [l] frequens sportula dabatur. [m] quæ prius centum quadrantes fuit: [n] deinde rectam dari institutum: [o] quare vocatores principis dicti, qui ad cœnam conuiuas admittebant: quorum nonnulli mercede accepta aliquos subdititios principum sæpe cœnis aduocarunt. [p] Quam Nero ad sportulas reuocauit qui etiam plebi congiarium quadragenos nummos viritim dedit. [q] Siquidem imperatoris munus, quod populo dabatur congiarium dictum est; quod verò militibus, donatiuum. [r] Mox Domitianus sportulas ad cœnas reduxit. in [s] qua frequens obsonium panis, oleum & porcina caro dati solita absque

Imperatorē salutaturi. Ostiarij serui. Sportula clientibus salutantibus data. Vocatores. Congiarium. Donatiuum. Congiaria diuersa à diuersis imperatoribus populo data.

ANNOTATIONES.

—— Cur dextrà iungere dextram
Non datur?

Maiorum fuit, inquit, hæc salutatio, cuius causam dicit Varro, Callimachum sequutus, asserens, omnem eorum honorem dexterarum constitisse virtute: ob quam rem hac se venerabantur corporis parte.

d *Nonnunquam osculo.*] Id de Iuda proditore, qui osculo Iesum Christum tradidit Iudæis, vt scribitur Lucæ 22. Iudas, vnus ex duodecim appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum. Iesus autem dixit illi, Iuda, osculo Filium hominis tradis? Persæ (vt scribunt Herodot. lib. 1. & Strabo lib. 15. ad fin) salutationis locu se mutuo, si in via inuicem sibi occurrant, osculantur, si pares sint. Quòd si alter fuerit humilior paulò, genas osculantur duntaxat. Vide Plutarch. in problem.

e *Plerunque assurgendo.*] Suet. in August. c. 56. scribit, Augustum acerbè tulisse, quòd populus honoris causa assurrexisset filiis suis adhuc prætextatis. sic enim scribit, Eisdem prætextatis adhuc assurrectum ab vniuersis in theatro, & à stantibus plausum, grauissimè questus. Idem in Tyberio, ca. 31. Nec mirum, cùm palam esset, ipsum quoque eisdem assurgere, & decedere via. Plutarchus in Pompeij vita, & Appianus de Ciuilibus Rom. bellis lib. 1. tradunt, Syllam dictatorem solitum fuisse de sella assurgere priuato Pompeio, & equo descendere, & caput aperire. Seruius enarrans illud Virg. lib. 1. Georg.

Tmolus, & assurgit quibus & Rex ipse Phanaus.

Sic ait, Assurgit significat cedit: quod tractum est à sedentibus, qui in honorem alicuius surgere consueuerunt.

f *Capútque denudando.* Plutarchus problem. ca. 10. vbi rationem reddit cur deos salutantes caput operiunt: viros autem dignitate præditos & honore dignos, si etiam velati occurrerint, caput aperiunt: nam Æneas, prætereunte Diomede, caput operiens, rem diuinam fecit. Diximus & in præced. ex Plutarcho in Pompeio.

g *Vt salutantes Imperatorem.*] Suetonius in Claudio, ca. 35. Reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus & acerbissimos. Herodia. lib. 3. Neque enim temere quisquam à Seuero missus ad illum introducebatur, nisi prius deposito militari gladio, sinuque excusso.

h *Laudatúrque Vespasianus.*] Suetonius in vita illius c. 21.

i *M. Antoninus.*] Iul. Capitolinus in vita illius.

k *Alexander Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita illius, Salutaretur quasi vnus de Senatoribus patente velo, admissionalibus remotis. Admissionales autem dicuntur, qui aulicos admittunt in cubiculum Principis ad eum salutandum. Qui verò ei rei præerant, vocabantur Magistri admissionum, quorum Ammianus Marcellinus mentionem facit lib. 15.

l *Frequens sportula.*] Iuuenalis Satyra 1. conqueritur imminutam esse prioris sportulæ liberalitatem.

—— Sportula primo
Limine parua sedet, turba rapienda togata.

Martialis est distichon in Apophoretis, cui inscriptio est, Toga;

Si matutinos facilè est tibi rumpere somnos,
Mentita veniet sportula multa toga.

m *Quæ prius centum quadrantes fuit.*] Huc alludit Martialis lib. 1. epig. 2. ad Flaccum de sportula,

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum,
Inter delicias quid facit ista fames?

Et lib. 3. epist. 7. de sportula:

Centum miselli iam valete quadrantes,
Anteambulationis congiarium lassi:
Quos diuidebat balneator elixus.
Quid cogitatis ô fames amicorum?
Regis superbi sportula recesserunt.

n *Deinde rectam.*] Idem Martial. lib. 8. epig. 50. ad Cæsarem Domitianum,

Grandia pollicitis quanto maiora dedisti,
Promissa est nobis sportula, recta data est.

Domitianus enim (vt scribit Suet. in vita illius, c. 7.) sportulas publicas sustulit, reuocata cœnarum rectarum consuetudine. Recta cœna sportulæ opposita erat. Liberaliores enim diuites, ciuilioresque salutatoribus suis legitimum conuiuium exhibebant: quæ recta cœna dicebatur. Sordidi autem & maligniores rectæ cœnæ loco sportulam tantùm præbebant. Author Budæus ex l. si mulier. ff. de donat. inter vir. & vxorem.

o *Quare vocatores Principis.*] Plinius lib. 35. ca. 10. de Apelle, sic ait, Subornato fraude æmulorum plano regio inuitatus, ad Regis cœnam venit. Indignantique Ptolemæo, & vocatores suos ostendenti, vt diceret à quo eorum inuitatus esset, arrepto carbone extincto è foculo, imaginem in pariete deliniauit, agnoscente vultum plani rege ex inchoato protinus.

p *Quam Nero ad sportulas reuocauit.*] Suetonius in vita illius, c. 16. Adhibitus sumptibus modus, publicæ cœnæ ad sportulas redactæ.

q *Siquidem Imperatoris munus.*] Cornelius Tacit. lib. 12. Additum nomine eius donatiuum militi, congiarium plebeiis. Plinius Iunior in Panegyrico laudat Traianum quòd congiarium populo dedisset, quo locupletatæ sunt tribus; cùm donatiuum accepissent milites. Seneca lib. 4. de Beneficiis, Congiarium, inquit, munus est Imperatorium, quo donabatur populus, sicut donatiuo milites. Et vt author est Quintil. lib. 6. c. 4. de risu. Congiarium commune est liberalitatis atque mensuræ. Alexander Seuerus congiarium, authore Lampridio, ter populo dedit: donatiuum militibus ter: carnem populo addidit. Clauarium autem donatiui nomen est, vt scribit Tacitus lib. 19.

r *Mox Domitianus.*] Hoc iam diximus suprà ibi, Quæ prius centum quad. cùm declararemus locum Martialis.

s *In qua frequens obsonium.*] Scilicet sportula. Iuuenalis satyra 1.

vino. [t] Diuus verò Iulius ad conciliandum populi fauorem, frumentum viritim dedit ternos modios, & totidem olei libras, trecenos quoque nummos singulis, & centenos pro mora. [u] Augustus Octauius frumentum plebi gratuitum & menstruum, [x] Nero quadragenos nummos viritim congiarium largitus fuit. [y] Caius verò Cæsar trecenos sestertios, & forensia viris & pueris, ac fœminis fascias purpuræ & conchylij, nonnunquam pro sportulis panaria cum obsonio. [z] Domitianus etiã congiarium nummorum CCC. senatui, & equestri ordini panaria, plebi verò sportellas cum obsonio. [a] Cato Iunior nouo more tribuit sportulas: Græcis ex tritico, raphano, blito & apio, Romanis autem vini amphoras, carnes porcinas, ficus, & lignorum fasces. Quamuis apud antiquissimos sextarij lactis darentur, vini nunquam, [b] nisi quòd à Cornelio Cethego in consulatu mustum rutatum populo datum est. Ancus verò Martius rex, salis modia sex millia congiarium populo erogasse fertur, ex quo tantum quisque ferebat, quantum in singulorum capita descriptum erat, ab vndecimo ætatis anno. [c] Augustus etiam tricenos & quadrigenos, nonnunquam singulis quinquagenos & ducentenos nummos largitus fuit, ac ne minores quidem pueros præteriit, [d] sicut Traianus infantes quoque ad sportulas admisit. Tiberius trecentenos viritim dedit, & prãdium mille mensis. [e] Galba dedit populo congiarium, & epulum senatui & equestri ordini, ac præter epulas forensia viris fœminis ac pueris fascias purpuræ & conchylij, quibus veteres pro caligis vtebantur. [f] Et mox Nero, [g] Domitianus, [h] Hadrianus [i] & reliqui Cæsares munera populo sæpe largiti sunt. [k] Sed Hadrianus nouo more, aromata balsama & crocum: nonnunquam duplex congiarium, ternis per singulos aureis diuisis. [l] Commodus singulis denarios septigenos vicenos quinos. [m] Aurelianus verò ad Parthicum profecturus bellum, quum bilibres coronas singulis promisisset, & aureas populus expectaret, siligineas dedit nouo genere panis, quo deinceps vsi fuere: qui tamen populo vniuerso panem oleũ & suillam carnem postea diuisit, [n] vinũq; dare statuerat, nisi morte præuentus fuisset. [o] Fuitque obseruatum, vt principes assumpto imperio, ad conciliãdum fauorem, congiarium darent populo, quod annuum plerũque homines clarissimi & summis honoribus functi pro officio & clientela velut stipendium capiebant. Erant ergo hi quos illi sectabantur, illorum patroni & defensores: suíque officij ducebant, in fidem illos & clientelam habere, tutelæque suæ ducere, & ope iuuare. Quinetiam non foris tantùm, sed intra domesticos Lares, liberos seruosq; salutatores comperimus, qui bis in die frequentes aderãt: vt mane saluere, vesperi valere, domino aut patrono dicerent. [p] Nec nõ populis & nationibus, ac bonis & fidelibus sociis, patronos pu-

Duplex congiarium. *Congiariũ sũpto imperio.* *Patroni. Clientes. Domesticorũ salutationes. Populorũ & nationum patroni.*

ANNOTATIONES.

Sportula quid referat, quantum rationibus addat.
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est.
Et panis fumúsque domi? densissima centum
Quadrantes lectica petit, sequitúrque maritum
Languida, vel prægnans & circunducitur vxor.

Vbi Domitius interpres, Ex sportula, inquit, omnia sibi coëmebant, quæ & ad victum & cultum pertinerent. Vnde Martialis lib.5. epig.77.

Sportula nulla datur, gratis conuiua recumbis:
Dic mihi; quid Romæ Gargiliane facis?
Vnde tibi togula est, & fusca pensio cella?
Vnde datur quadrans, vnde vir es Chiones?

t *Diuus verò Iulius.*] Suetonius in vita illius, ca.38. Populo, præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, tricenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diuisit: & hoc amplius centenos pro mora.

u *Augustus Octauius.*] Suet. c.40. Ac ne plebs, frumentationum causa, frequentius à negotiis auocaretur, ter in annum quaternûm mẽsium tesseras dare destinauit: sed desideranti consuetudinem veterem, concessit rursus, vt sui cuiusque mensis acciperet. Et cap. seq. Frumentum quoque in annonę difficultatibus sæpe leuissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est, tesseráſque nummarias duplicauit.

x *Nero quadragenos.*] Idem Sueton. in Nerone, c.10.

y *C. vero Cæsar.*] Scilicet Caligula ex eodem in vita illius, cap.17.

z *Domitianus.*] Idem Suet. in vita illius, c.4.

a *Cato Iunior.*] Plutarchus in vita Catonis Vticensis, Dona attribuit, Græcis quidem ex porro, & lactuca, & raphano, & blito, & apio: Romanis autem vini amphoras, carnes porcinas, & ficus, & cucumeres, & lignorum fasces.

b *Nisi quod à Cornelio Cethego.*] Plin. li.19. c.7. Inuenio mustum rutatum populo datum à Corn. Cethego, in consulatu collega Quintij Flaminij, comitiis peractis.

c *Augustus.*] Sueton in vita illius, c.41.

d *Sicut Traianus.*] Plin. Iunior in Panegyrico laudat Traianum, quòd in dando congiario infantes quoque admisisset, vt ita alimentis Principis crescerẽt, experirentúrque ab infantia parentem publicum in munere educationis. Nullum est enim magno Principe, immortalitatemq; merituro impẽdij genus dignius, quàm quod erogatur in posteros. Pauperibus educandis vna ratio est, bonus Princeps. Dion. in Traiano, scribit eum ciuitatibus Italiæ multa largitum esse, ad educationẽ liberorum, in quos magna cõtulit beneficia.

e *Galba.*] Tacitus lib.17.

f *Et mox Nero.*] Dion in Nerone.

g *Domitianus.*] Idem Dion in vita illius.

h *Adrianus.*] Idem Dion. in vita illius.

i *Et reliqui Cæsares.*] Vt scribunt Ælius Spartianus in Septimio Seuero, Lampridius in Heliogabalo & Alexandro Seuero.

k *Sed Adrianus.*] Hæc vsque ad versic. Commodus. sunt Ælij Spartiani in vita Adriani.

l *Commodus.*] Lampridius in vita illius.

m *Aurelianus.*] Flauius Vopiscus scribit, Aurelianum quo tempore proficiscebatur ad Orientem, bilibres coronas populo promisisse, si victor rediret: & cum aureas populus speraret, neque Aurelianus aut posset, aut vellet, coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siliginei vocantur, & singulas quibusque donasse: ita vt siligineum suum quotidie toto æuo suo & vnusquisque reciperet & posteris suis dimitteret. Nam & carnem porcinam idem Aurelianus populo Rom. distribuit, quæ hodiéque diuiditur.

n *Vinúmque dare statuerat.*] Idem Vospicus in Aureliano multo ante fi. Statuerat, inquit, & vinum gratuitum populo Rom. dare: vt quemadmodum oleum, & panis & porcina gratuita præberetur, sic etiam vinum daretur, quod perpetuum hac dispositione conceperat.

o *Fuitque obseruatum.*] Vt patet ex iis, quæ dicta sunt suprà in verbo, Siquidem Imperatoris munus. vbi de Imperatoris munere, & multis seq.

p *Necnon populis & nationibus.*] Dionysius Halicarnasseus

lib. 2.

blicè fuisse Romæ homines honestissimos summo loco natos, qui fortunarum propugnatores erant, & ciuitarum defensores non pœnitendi, quorum studio & fide singula negotia in senatu facesserent, & promouerent: [q] siquidem Syracusani in clientela Marcellorum fuere, Lacedæmonij in Claudiorum, Puteolani Brutorum, Neapolitani Liciniorum, [r] Bononienses Antoniorum, [s] Allobroges patrono Fabio Sanga vsi sunt. [t] Marius Herenniis, [u] Cæsar quoque Græcorum patrocinio plerunque affuit. Plebs [x] denique ipsa sub patriciorum equitúmque Romanorum tutela per clientelas diuisa erat, quod à Romulo à primis originibus institutum ferunt, vt plebeij singulos patronos ex patribus legerent, quorum consilio & authoritate niterentur. Prætérque vestibula fuere [y] caua ædium, & [z] peristylia, ad quæ quisque suo iure non vocatus admittebatur. [a] In foribus verò & atriis domorum, ara, focus & Lar familiaris erant. [b] namque focus erat ara deorum penatum, quem instar numinis habebant: [c] in quibus non deorum modò simulacra, quos singulis ædibus in larario colebant, sed imagines ac expressos vultus illorum qui familiæ decus fuere & ornamentum, ac principum & patronorum quos quisque colebat, habere assuerant. [d] Quare L. Vitellij, Vitellij pater, Narcissi & Pallantis imagines inter lares coluisse fertur. [e] ceræ enim imagines in atriis domorum singulis disponebantur armariis: quos ita celebrabant colebántque, ac si illi quorum vultus exprimebantur viuerent, Quas festis diebus, &

Plebs per clientelas diuisa.

Caua ædiû & peristylia.

In foribus & atriis.

Ceræ imagines in armariis.

ANNOTATIONES.

lib. 2. Plutarchus in Romulo. Cicero Philipp. 2. Vexauit Puteolanos, quòd C. Cassium, quòd Brutos patronos adoptassent. Mos enim fuit (vt ibi scribit Beroaldus (iste priscorum, vt singulæ nationes, atque adeò populi patronos Romæ peculiares haberent, in quorum essent clientela. Sic Siculi Marcellos habuerunt: Lacedæmonij in tutela Claudiorum extiterunt: Fabius Sanga patronus fuit Allobrogum. Quinetiam municipes mei Bononienses fuere in tutela Antoniorum, secutíque sunt partes Antonianas in bellis Ciuilibus: vnde fit, vt cùm patroni clientibus parentum loco sint, nefas esse videatur Bononiensem quempiam Antoniorum nomen incessere, & Antonio stilo perstringere. Hæc Beroaldus.

q *Siquidem Syracusani.*] Cicero in 6. in Ver. act. Itaque ille noster ciuis, summúsque Imperator M. Marcellus, cuius virtute captæ, misericordia conseruatæ sunt Syracusæ, habitare in ea parte vrbis, quæ insula est, Syracusanum neminem voluit. Liuius I. Dec. lib. 6. Legati (Syracusanorum scilicet) benignè appellati, ac dimissi, ad genua se Marcelli Coss. proiecerunt: obsecrantes, vt quæ deplorandæ ac lauandæ calamitatis causa dixissent, veniam eis daret, & in fidem, & clientelam se, vrbémque Syracusas acciperet. Post hæc Consul clementer appellatos eos dimisit. Asconius Pædianus in 1. in Verrem act. Valerius Maximus lib. 4. c. 1. Cicero lib. Offic. 1. Apud maiores nostros, inquit, tantopere iustitia culta est, vt hi, qui ciuitates, aut nationes deuictas bello recepissent, earum patroni essent more maiorum.

r *Bononienses.*] Suetonius in Augusto, cap. 16. Bononiensibus quoque publicè, quod in Antoniorum clientela antiquitus essent, gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro partibus suis.

s *Allobroges.*] Dionysius Halicarnasseus lib. 2. vbi abundè scribit de coniunctionibus clientum & patronorum, quæ nihil distabant à necessitudinibus propinquorum: & quemadmodum clientes patronis indigentibus succurrebant. Appianus libro 2. bellorum Ciuilium, Legati, inquit, rem Fab. Sangæ annunciant. Erat autem is Allobrogum patronus in vrbe, vt cæteris populis olim Romæ adesse mos fuit. Sallust. in Catil. Itaque Q. Fab. Sangæ, cuius patrocinio plurimum ciuitas vtebatur, rem omnem, vt cognouerant, aperiunt.

t *Marius Herenniis.*] Plutarchus in Mario, vbi dicit Marium & eius parentes, Henniorum familiæ semper clientes fuisse.

u *Cæsar quoque Græcorum patrocinio.*] Adde & tu quòd Getuli fuere in tutela Marij ex Hircio in bello Africano. Nisæi Neronum ex Cicerone Epistolarum familiar. lib. 13. episto. 66. eiusdem lib. & omnium 337. Cyprij & Cappadoces Catonis, ex eodem Cicerone eiusdem operis lib. 15. epistol. 6. ad eundem Catonem. Locri, eiusdem Cicero. lib. de legib. 2. Atque etiam Campani, ex eodem in Oratio. in I. Pisonem. Mamertini, Q. Claudij Pulchri ex eodem Cicer. in 6. in Ver. act. Segestani, P. Scipionis, ex eadem act. Magna pars citerioris Hispaniæ, Pompeij ex Cæsare lib. 2. belli Ciuilis. Samnites, Fabritij, ex Valerio Maximo lib. 4. cap. 3. Tifernates, Plinij Secundi ex eodem Plinio libr. Epist. 4. epist. 1. his verbis, Oppidum est prædiis nostris vicinum, nomen Tifernium, Tiberium, quod me penè adhuc puerum patronum cooptauit.

x *Plebs denique.*] Hæc vsque ad verba, Præterque sunt Dionysij Halicarnassei, & Plutarchi in Romulo.

y *Caua ædium.*] Vitruuius lib. 6. c. 3. in prin. vbi ea quinque generibus esse distincta dicit, quæ declarat. Id autem vno verbo Cauædium vocat Plinius Iunior Epist. lib. 2. epist. eius lib. 17. omnium 41. non semel.

z *Et peristylia, ad quæ.*] Vitruuius eodem lib. 6. c. 7.

a *In foribus autem & atriis domorum.*] Vbi quæ seq.

b *Namque focus erat ara.*] Cato de Re rustica, cap. 5. dum loquitur de re diuina in foco facienda. Virgilius libro 12. Æneidos,

In mediósque focos, & diis communibus aras.

Et ibi Seruius. Et Ouidius lib. 1. de Tristibus, eleg. 3. vbi describit lachrymas, quas fudit vxor, posteaquàm iussit Cæsar eum in exilium abire,

Illa etiam ante Lares sparsis prostrata capillis,
Contingit extinctos, ore tremente cibos.

Hincque etiam illud Horatij Epodon Ode 2.

Sacrúmque vetustis extruat lignis focum
Lassi sub aduentum viri.

Vbi Porphyrion, Sacrum, ait, dicit, quia ara deorum penatum est focus. Et Acron, Diis, inquit, Penatibus sacer est. Et illud quoque plauti in Aulularia act. 2. scena 5.

Hæc imponentur in foco nostro, lari,
Vt fortunatas faciat gnatæ nuptias.

c *In quibus.*] Scilicet atriis, ex Plinio lib. 35. c. 2. Apud maiores in atriis imagines hæ erant, quæ spectarentur: non signa externorum artificum, nec æra, aut marmora. Seneca libr. 3. de Beneficiis, c. 28 Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis quàm nobiles sunt. Et ad Lucilium episto. 44. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Vide infrà lib. 6. cap. 14.

d *Quare L. Vitellius.*] Suetonius in Vitellio, cap. 2. scribit, Vitellium coluisse inter lares aureas Narcissi & Pallantis imagines.

e *Ceræ enim imagines.*] Plinius lib. 35. c. 2. ad id, quod nuper diximus, addit; Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, vt essent imagines; quæ comitarentur gentilicia funera. Sempérque defuncto aliquo totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat, populus. Stemmata verò lineis discurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur, & monomentis rerum in magistratu gestarum. Et Ouidius lib. Amorum primo, eleg. 8.

in summa gratulatione & lętitia, laureis sertis & floribus ornare, illorúmque natales dies festa luce celebrare solebant. In luctu verò & gemitu familiæ tãquam conscij doloris essent, & tacita mœstitia funestarentur, deformare: [f] tantóque honore dignos putabant, vt illas cum singulis imaginum titulis, illorum præcipuè quorum dignitas maximæq; res gestæ fuere, in exequiali pompa & apparatu funeris extra ædes producerent, & longa serie velut familiæ decora repræsentarent, illæque defunctorũ exequias, & vnà funus comitarentur. [g] Ita traditur more, vt domino aut aliquo ex familia vita functo, illius imago tam circa limina domos, quàm pro foribus locaretur, vt defuncti desiderium repręsentata illa species leniret, posterósque ad præclara facinora domi forísque obeunda inuitaret. [h] In eisdem quoque atriis & foribus, ac circa domorum limina, hostium spolia, quos quisque vicisset, quorúmque victor extitisset, etiam enses & clypei, galleáque & currus, ac deuictarum nauium rostra, veluti auitæ gloriæ, & fortium factorum ornamenta affigi assueuere: quæ quanto vetustiora erant, tanto plus decoris & maiestatis habebant. [i] Ideo nec vetustate consumpta reficiebantur, nec effracta resarciebantur. Hæc enim omnium ad se vertebãt oculos, quò intuentium animos cogitatio subiret, vt pari ipsi exemplo ad magna facinora, magnásque res inuitarentur. Nec solùm priuatas domos, sed porticus & deorum templa hostilibus spoliis tanquam trophæis exornare, vetusti moris erat: tantíque exempli fuere vt illa posteris non mediocris stimulatio fuerit, ne degeneres ipsi, néve ignaui tam claros triumphos turpibus factis dictísque fœdarent. [k] Adeóque hæc propria familiæ ornamenta sunt habita, vt quamnis alienatis ædibus, nouo domino spolia & imagines refigere non liceret. Hâsque statuas, quibus splendor & vetustas familiæ notabatur, amouere, est habitum nefas: Belgarum verò fuit mos barbaricus, cæsorum hostium capita postibus tanquam spolia affigere. [m] Qui etiam Galatarum, qui vltra Rhenum incolunt, vsus traditur, vt spolia hostium sanguine perfusa, & trunca capita foribus affigant. [n] Gelonorum hostium cutes, vt eæ omnibus spectaculo sint, ac fortium factorum insigne documẽtum, & hostibus pertimescendum foret. In Ægypto autem in vestibulis domorum alas vulturum proponere, indicium nobilitatis & vetustatis familiæ censebatur. Apud Phryges pardalis pro foribus affixa (Homero teste) signum immunitatis erat, ne hostium incursibus pateret. [o] Alexander verò captis Thebis, vt Pindari domui parceret, illam inscribi iussit. [p] In eisdem quoque atriis pinacothecæ non mediocri paratu dispositæ erant: in quibus tabulæ pictæ, cælatum argentum, stragula vestis, signa & ornamenta reponebantur. [q] Sicut Græcis fuere cheli & [r] cistæ, [s] phalcoli & [t] riscus, in quibus egregia

Imagines familia in exequialibus pompis eductæ.

Hostium spolia in atriis.

Deorum templa spoliis ornata.

Belgarũ mos.

Galatarum

Gelonorũ

Ægyptiorum

Pardalis immunitatis signum.

Pindari domui ab Alexandro parcitum.

Pinacotheca.

ANNOTATIONES.

Nec te decipiam veteri plena atria cera
Tolle tuos tecum pauper amator aues.

Et Iuuenalis sat. 8.

Tota licet veteres exornent vndique cera
Atria, Nobilitas sola est atque vnica virtus.

Et in tota hac satyra insectatur eos, qui aut maiorum gloria, aut falsis fortunis bonis efferuntur, existimantes veram inde hominis nobilitatem pendere. Apuleius lib. 6. Metam. Et depictam in tabula fugæ præsentis imaginem, meæ domus atrio dedicabo.

f *Tantóque honore.*] Hæc vsque ad versi. Ita tradito. sunt Plinij lib. 35. ca. 2. & aliorum, quos longo ordine tibi in eam rem cito in nostro Commentario Nobilitatis c. 20. num postremæ editionis 150. incip. Id quod etiam.

g *Ita tradita more.*] Suprà ex Plinio lib. 35. c. 2.

h *In eisdem quoque atriis.*] Plinius vbi suprà, Aliæ, inquit, foris & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis.

i *Ideo nec vetustate.*] Plutarchus, c. 36.

k *Adeóque hæc propria.*] Plinius d. lib. 35. c. 2. vbi ad illud quod suprà ibi, In eisdem quoq; adduximus, illud subiungit. Quæ nec emptori refringere liceret, triumphabantque, etiam, dominis mutatis, ipsæ domus. Et erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum introire in alienum triumphum. Cicero Antoniana 2. Antonij improbitatem arguit ex virtutis insigniis, quibus Pompeij domus erat ornata, quòd eam ingredi ausus sit, his verbis, An tu illa vestibula, rostra, spolia, cùm aspexisti: domum tuam te intrare putas? fieri non potest.

l *Belgarum verè.*] Strabo de his loquens lib. 4. E prælio decedentes ceruicibus equorum hostium capita suspendunt, eáque domum delata, vt sint spectaculo, postibus affigunt.

m *Qui etiam Galat[...]*] Diodor. Siculus lib. 9. cap. 9. Capita hostium, in acie cadentium, abscissa equorum alligant collo. Hostium spolia sanguine perfusa, famulis tradunt, in foribus domorum cum cantu atque hymnis affigenda. Vide Strabonem lib. 4.

n *Gelonorum.*] Herod. lib. 4. Plin. lib. 7. c. 2. Solinus c. 25.

o *Alexander.*] Plutarchus in eius vita, dicit eum pepercisse stirpi Pindari, vti etiam Arrianus de Gestis illius, lib. 1.

p *In eisdem quoque atriis.*] De huiusmodi pinacothecis Vitruuius lib. 1. c. 2. & lib. 6. c. 4. & 6. Varro lib. Rei rusticæ, 1. c. 2. & 59 & Plinius lib. 35. cap. 2. post princ. inquit, Tabulæ pictorum pinacothecas implent. Sunt autem pinacothecę repositoria tabularum pictarum. Ita exponit Beroal. in Sueto. Aug. cap. 72.

q *Sicut Græci fuere cheli.*] Apud Homerum libr. 8. Odyssææ,

Δεῦρο γυναὶ φέρε χηλὸν ἀριπρεπῆ ἥτις ἀρίστη.

Id est,

Age mulier, fer arcam pulchram, quæ optima.

& paulò pòst.

τόφρα δ' ἄρ' Ἀρήτη ξείνῳ περικαλλέα χηλὸν
ἐξέφερεν θαλάμοιο. ———

Id est,

Interea verò Arete hospiti pulchram cistam
Extulit è thalamo.

r *Cistæ.*] Apud Ciceronem in 5. in Ver. act. Quaternos H.S. quos mihi Senatus decreuit, & ex ętario dedit, ego habebo, & in cistam transferam ex fisco. Et Iuuenalem satyra 3.

Iamque vetus Græcos seruabat cista libellos.]

Et Vlpianus Iurisconsultus in l. 1 §. si cista. ff. depositi. Si cista, inquit, signata deposita sit, vtrum cista tantùm petetur, an & species comprehendendæ sint: Has Græci τηλέρους vocant, de quibus Homerus lib. 4. Odyssææ,

φωλὸ δ' ἀργύρεον τάλαρον φέρε.

Loquitur autem de ornamentis Helenæ. Iul. Pollux cap. 19. ponit cistas inter vestium repositoria.

s *Pascoli.*] Apud Pollucem lib. 7. c. 59.

t *Et riscus.*] Terentius in Eunucho act. 4. scena. 6.

e. Viden' tu illum Thais? P. vbi sita est? T. in risco.
Odiosa cessas?

Riscus Donato cista est pelle contecta. Fenestra dicitur

patua

supellex, & muliebris mundus seruabantur. Quæ atria plerumque inaugurata fuere: namque haud aliter in illis senatus cogi poterat, quàm si inaugurata templa fuissent. Non tamen omnes, sed solas palatinas ædes inaugurari seruatum est, vt habita in his senatus decreta, rata forent. Eas quidem ædes veluti augustissimas. vestibula regalia habere, cognitum est: atriáque patentiora, [u] peristylia amplissima, [x] & conclauia [y] insigni pauimento: [z] tricliniáque & [a] ampla prætoria: ac [b] cœnationes mira cælatura & arte. [c] Nonnunquam xysta, colles, nemora, hortos, [d] piscinas, [e] euripos, amnes, & aquarum ductus, [f] porticúsque pauimentatas, cultu & laxitate conspicuas, [g] syluásque & [h] ambulationes. [i] Siquidem in his publica concilia & iudicia, arbitriáque & conuentus frequentes fieri consuerant: inque earundem palatinarum ædium vestibulo, & pro foribus regiæ, laurus semper & ciuica ex quercu, præcipuum insigne clementiæ Cæsarum, affixæ visebantur. [k] Quæ quidem atria in primo aditu domus, & proxima ianuis extruebantur, in quibus matresfamilias degere, [l] & lanæ operam dare assuerant: [m] quod aliter à Græcis seruatum meminimus, quibus andronitis in primis ædibus erat, gynæceum verò vbi mulieres operabantur, in conclaui & recessu intimo, præ pudore & modestia locabantur. [n] Ideo non extra, sed ab intus fores pulsabantur, ne imparatas offenderẽt. [o] quod etiam à Parthis vsurpatur, vt gynæconitin in secreto domus à viris semotam haberent: [p] quippe quum non modò vxorum sed pellicum pudicitiã ita suspectam habeant, vt nisi capite operto, & velato vehiculo, illas in publicum prodire sinant, nemínique propius accedere liceat, [q] Apud quos reges quoque in penetralibus regiæ occlusi, sub specie maiestatis delitescunt, [r] Sed tamen triumphales domos hoc amplum habuisse ferunt, vt fores de via aperiantur, non intus: sicut de Publicolæ familia proditum est. Præter quæ

Atria inaugurata. *Senatus in atriis cogebatur.* *Matresfamilias in atriis.* *Græci.* *Andronitis.* *Gynæceũ.* *Parthorũ zelotypia.* *Reges clausi apud Parthos.*

ANNOTATIONES.

parua in pariete, ad rerum repositionem plerumque relicta. Troianum est vocabulum, siue Phrygium. Nonius scribit esse loca in parietibus angusta.

u *Peristylia.*] De quibus Vitruuius lib.3.c.1.lib.5.c.11.& lib. 6.c.3.7.9.non semel.& lib.7.c.5.& 9.

x *Et conclauia.*] De his Vitruuius c.4.& 8.& lib. 7.c.2. in fi. & c.3.non semel.& c.5.in princ.& c.9.

y *Insigni pauimento.*] De pauimentorum differentiis & nobilitate videbis apud Vitruuium sæpe, vt lib.3.c.10. & lib. 7.c.1.& alibi. Et Ciceronem lib. 3. de Orat. Plinium lib. 36. c.25.in princ.& Festum lib.14.

z *Tricliniaque.*] De his Vitruuius lib.6.c.6. non semel. &c. 7.8 & 9.in princ.

a *Et ampla prætoria.*] Asconius Pædianus in 3. contra Verrem actione, Veteres, inquit, omnem magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellauerunt. Vnde & Prætorium tabernaculum eius dicitur, & in castris porta prætoria, & hodie quoque præfectus prætorio. Tranquillus in Augusto cap.72. Ampla & operosa prætoria grauabatur, id est iniquo animo ferebat Augustus villas quasdam elegantius & sumptuosius extructas. Et in C. Caligula, c.37 In extructionibus prætoriorum, atque villarum omni ratione post-habita, nihil tam efficere concupiscebat, quàm quod posse effici negaretur. Vlpianus in l.plenum. ff. de vsu & habit. Prætorinm vrbanam villam appellauit, his verbis, Plenum autem vsum habere debet, si & villæ & prætorij relictus est. Vide Budæum in l.videamus. ff. loc.& cond.

b *Et cœnationes.*] Budęus in l.si cuius rei vsus fructus.§.item si domus. ff. de Vsufructu & quemadmodum quis vtatur. scribit, Cœnationes potentiorum esse, vt cœnacula inquilinorum & pauperum. Citátque illud Iuuenalis sat.7.

— *Et algentem rapias cœnatio solem.*

De his meminit Columella lib.1.cap. 6. Plinius Iunior lib. 2. epistolarum eius lib. epist. 17. omnium 41.non semel. & lib. 5.cap.6. Gustatorium, graniorque cœnatio marginio imponitor. hoc est, locus vbi cœnabant. Sueton. in Nerone, cap.31. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus, ac noctibus vice mundi circumageretur. Martialis lib. 2.epig.59.

c *Nonnunquam xysta.*] Vitruuius lib. 5.cap. 11. Hæc autem porticus ξυϛὸς apud Græcos vocitatur, quòd athletæ per hyberna tempora in tectis stadiis exercentur. Faciunda autem xysta sic videntur, vt sint inter duas porticus syluæ, aut platanones, & in his perficiantur inter arbores ambulationes, ibique ex opere signino stationes. Et lib.6. c.10. Item aliæ res sunt similes, vti xystus, prothyron, telamones, & nonnulla alia eiusmodi. ξυϛὸς enim Græca appellatione, est porticus ampla latitudine, in qua athletæ per hyberna tempora exercentur. Nostri autem hypæthras, ambulationes xystos appellant, quas Græci παραδρομίδας dicunt. Sed & xysti meminit Cicero in lib. de Claris Oratoribus. & libr. Academ. quæst.4.& ad Atticum lib.1.epist.5. Plinius Iunior lib. Epist.2.epist.17.non semel.lib.5.epist. eius operis 6. omnium 102.ad Apollinarem.

d *Piscinas.*] Plinius Iunior in priore illo loco, & lib.5.epist. 6. Varro Rei rust.lib. 3. cap.item 3. Cicero ad Attic. lib. 2. epist.16.& ad Q. Fratrem lib.3.epist. 23. Columel. lib. 1.c. 5. Plinius lib.8.c.16.& lib.9.c.17.

e *Euripos.*] Vitruuius lib.7.c.5. Cicero lib.2. de Legibus in princ. Ductus aquarum, quos isti Nilos & Euripos vocant, quis non, cùm hæc videat, irriserit? Nam & statim hîc noster Alexander ductus aquarum subiungit.

f *Porticúsque pauimentatas.*] Ego admodum decipior, nisi id acceperit à Cicerone in Oratione pro Domo sua, In palatio pulcherrimo prospectu porticum cum conclauibus pauimentatam trecentum pedum concupierat,

g *Syluasque.*] Vitruuius d.lib.6.c.10. & Plinius in d. epist. lib.2.epist.17.

h *Et ambulationes.*] Idem Plinius eiusdem operis lib.5.c. 5. Et Iulianus Iurisconf. in l.si cuius rei vsus fr.(quæ olim incipiebat, æquissimum esse)§.fructuarius. versic. & si fronte. ff. de vsufru.& quemad. quis vtatur fruatur. Vitruuius lib. 5. cap.11.

i *Siquidem.*] Scilicet porticibus.

k *Quæ quidem atria.*] Festus Pompeius lib.1. vbi dicit vnde atrium dicatur. Et vide Vitruuium lib.6.c.9.

l *Et lanæ operam dare.*] Nam Asconius Pædianus in Orat. Cicer. pro Milone, scribit telas ex vetere more in atrio texi solitas.

m *Quod aliter à Græcis.*] Paulus Æmylius in proœmio vitarum illustrium virorum. Vitruuius lib.6.c.9. & vide omnino nostras leges Connub.l.10.nu.21.& 22.

n *Ideo non extra.*] Ad Romanos redit, qui id faciebant, vt tradit Plutarch. probl.c.9.

o *Quod etiam à Parthis.*] Vide nu. seq.

p *Quippe cùm non modo.*] Idem propemodum de Persis scribit Plutarch. in Artaxerxe, Et vereor ne Alexander hîc lapsus sit, Parthis tribuens quod Persarum est: presertim cùm nihil tale de Parthis loquitur.

q *Apud quos.*] Hoc absque dubio de Persis est intelligendum, vt patet ex Herodoto lib.3.

r *Sed tamen triumphales domos.*] Ad Romanos reuertitur: idquè vsque ad versi. Prætérque. est Plinij libro 36. cap.15.

Basilica ante potentiorũ domos. Scholastica exercitationes & declamationes. Thalami descriptio. Cultus simplex à principio vrbis. Platonis dictum. Indi. Galli. Britanni Sueui. Ligures. Germani Medi. Lateritia domus.

potentiorum domos [s] basilicas habere ante vestibulum, magno ornamento duxere, [t] in quibus esset tribunal,tanquam plus inesset authoritatis, quòd iudicia publica ante ædes darentur : nonnunquam scholasticæ exercitationes & declamationes in his fierent,quippe quum frequens ibi esset auditorij locus:licet basilicas foro coniunctas plerumque legamus,in quibus cõuenirent negociatores,& merces exponerent.Communis tamen thalami descriptio sic erat,vt primo poneretur loco septum,vbi ianua,mox aula,inde porticus peristylos soli exposita,postea [u] prodromus, vltimo domus, & in posticis ædium hortus.[x] Cœnaculum verò supra ædes erat,scalis ferentibus in publicum,nõnunquam in ędes versis.[y] A principio verò vrbis tam simplex vitæ cultus,vt rudi cæmento constructas domos,& scandulis robusteis aut stramenteis contectam vrbem per annos quadringentos vsque ad Pyrrhi bellum legamus , [z] qui modicus cultus Hispanis, Aquitanis & [a] Lusitanis , [b] atque Ægyptiis fuit , quibus in modicis diuersotiis degere,sepulchra verò magnificẽtissima extruere patrij moris erat.[c] Non sic Agrigentini & Megarenses : [d] nam iuxta Platonis verbum,ædificabant vt semper victuri,epulabantur vt morituri.[e] Indi quoque in cultu corporis accuratissimi erant:in sepulchris verò extruẽdis,parci & modici,[f] Gallis domicilia pluteis & cratibus intexere mos erat.[g] Britannis & [h] Sueuis,in tuguriis vnà cum armentis stabulari : [i] Liguribus montanis,speluncas & vastissimos specus in colore,aut cubilia modica & subobscura.[k] Germani non cohærentibus ędificiis habitant,sed suam quisque domum spatio circundat.Medi diuersoria habent magnis recessibus circundata,& nemoribus manu consitis:[l] alij late-

ANNOTATIONES.

s *Basilicas.*] Cicero ad Atticum lib. 2. epist. 29. in Verrem actione 6.& in Oratin.pro Murena. De Basilicis autem publicis dictum est suprà lib.2.c.12.c.12.

t *In quibus esset tribunal.*] Quintilianus lib.12.c.5.ad fi.Seneca lib. de Benefic. Fremitu iudiciorum basilicæ resonant Plinius Iunior Epistola.lib.2.epist.11.Sequuntur auditores, actoribus similes,conducti & redempti mancipes : conuenitur in media basilica , vbi tam palàm sportulæ quàm in triclinio dantur.Et lib.5.epist.vltim.in princ.Descenderam in basilicam Iuliam,auditurus, quibus proxima comperendinatione respondere debeam.

u *Prodomus.*] Nescio cur Alexander inter partes ædium prodromum posuerit,cuius significatio Latina est præcursor,antecedens,emissarius,de quo Cicero ad Atticum libr. 1.episto 9.Nam mihi Pompeiani prodromi nunciant à parte Pompeium acturum.Et lib.16.epistn.3.Prodromi nulli,satis illud oportunè.Hinc Aquilones prodromi apud Plinium lib.2.cap.47. his verbis, Huius exortum diebus octo fermè Aquilones antecedunt,quos prodromos appellant. Et ficus prodromi apud eundem lib. 16.c.26. in fine,Ficus & præcoces habet, quas Athenis prodromos vocant. Apud Theophrastum lib.1 c.1.πρόδρομοι καρποὶ,præcoces fructus dicuntur.Et apud eundem Plinium lib.18.c.28.Etesiarumque prodromi flatus incipiunt. Columella lib.11.c.2.Sexto, inquit, Idus Iulias prodromi flare incipiunt. Et hîc certè errauit Alexander,vel librarius,quod magis puto:nam prodomus legendum est, non prodromus. Est autem prodomus pars ædium quam Latini vestibulum vocant. De quo Homerus lib.14 Odissææ parum post princ.

τὸν δ' ἄρ ἐνὶ προδόμῳ εὗρ' ἥμενον ἔνθα οἱ αὐλὴ
ὑψηλὴ δέδμητο περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ.

Id est.

Hunc autem in vestibulo inuenit sedentem,vbi ei porticus
Alta ædificata erat circumspicuo in loco.

Et lib.15.eiusdem operis etiam post princ.

εὗρε δὲ Τηλέμαχον καὶ Νέστορος ἀγλαὸν υἱὸν
εὕδοντ' ἐν προδόμῳ Μενελάου κυδαλίμοιο.

Id est,

Inuenit autem Telemachum,& Nestoris inclitum filium
Dormientem in vestibulo domus Menelai illustris.

Nec tantùm domorum priuatarum pars erat:sed & templorum,ex Polluce lib.1.c.2.post princ.

x *Cœnaculum.*] Varro lib.5. de lingua Latina, & dictum est suprà lib.3.c.14.

y *A principio verò vrbis.*] Hæc vsque ad vers. Qui modicus cultus.sunt Plinij lib.16.cap.10.post princ.authoritate Cor. Nepotis.

z *Qui modicus cultus Hispanis.*] Iustin.lib.43.

a *Et Lusitanis.*] Diod.Siculus lib.6.cap.9.

b *Atque Ægyptiis.*] Id vsque ad verba , Non sic. est Diod. Siculi lib.2.c.1.

c *Non sic Agrigentini.*] Ælianus de Varia historia,lib.12.c.29. Plato,inquit,filius Aristonis,cùm videret Agrigentinos magnis impensis ædificare,eodémque modo cœnare:Agrigentini,inquit,ædificant, quasi semper victuri : & comedunt, quasi semper morituri.

d *Nam iuxta Platonis.*] Id non Platoni,sed Diogeni tribuit Tertullianus in Apologetico,cap. 39. Plutarchus problem. 131. Megarensium luxum describens , sic ait , Megarenses Theagene tyranno eiecto,parum diu in administranda republ.modestos se & temperatos præstiterũt. Inde multam, vt ait Plato,& intemperantem libertatem tribunis popularibus ipsis propinantibus, penitus corrupti, cùm cæteris in rebus in locupletes & copiosos insolenter se gerere cœperunt,tum verò eorum domos inuadentes, homines pauperes splendidè,& effusè conuiuari ac cœnare volebant : idque si negaretur, omni violentia & petulantia vtebantur. Denique facto plebiscito,vsuras à creditoribus,quas antea soluissent,repetebant:idque Palintociam appellauerunt.

e *Indi.*]Strabo lib.15.Indi,inquit,in tumulis & sepulturis faciendis perparci,in cultu corporis nimij.Nam & aurum gestant & lapillis ornantur , & sindonem candidissimum induunt,& vmbellas secum portant.

f *Gallis domicilia.*] Idem Strabo lib.4.Domicilia & pluteis & cratibus ad testudinem habent , & quidem permagna, multis impositis lacunaribus.

g *Britannis.*]Idem Strab.d lib.4.non multò post ea, quæ suprà adduxi,hœc subiungit,cùm de Britannorum moribus & statura loquitur,Eorum vrbes sunt nemora:latissimos enim circos,deiectis obstruunt arboribus , vbi constructis tuguriis,& ipsi pariter & armenta stabulantur.

h *Et Sueuis.*]Tacitus in libello de Moribus Germanorum.

i *Liguribus.*] Diodorus Siculus lib.6.cap.9. non longè ante fi.Ligures in terra cubant vt plurimum:rari sub tecto,aut in tuguriis iacent:plures ad caua saxa, speluncásque a natura factas,vbi tegantur corpora,diuersunt.

k *Germani.*] Cornelius Tacitus de Morib. Germanorum, Nullas,inquit,Germanorum populis vrbes habitari satis notum est,ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diuersi,vt fons,vt campus,vt nemus placuit. Vices locant non in nostrum morem conneais & cohærentibus ædificiis. Suam quisque domum spatio circundat , siue aduersus casus ignis remedium,siue inscitia ædificandi.Herodianus lib.7.non multò post princ.Rara,inquit , apud Germanos structura è lapide ac lateribus coctilibus,densisque potius syluis,quorum confixis coagmentatísque lignis,quędam quasi tabernacula ædificant.

l *Alij lateritias.*]Hæc vsque ad versicul.Scythæ. sunt Plinij lib.7.

titiasfecere domos, quas Eutyalus & Hyperpius inuenere primi.[m] Scythæ & [n] Nomades, quia fusi per agros sunt, carris quocumque fors tulit, pro tecto & lare vtuntur.[o] Hyperboreis nemora, vel luci, ac spatia tuguria domus sunt: nam præaltas syluas & rupes inuias incolunt.[p] Dardani foueas sub fimo, & fordidas ædes habent. Phryges olim &[q] Troglodytæ sub effossis tumulis,[r] Baleares in saxis concauis, cuniculis ad corporis magnitudinem dimensis: alij ex vlua palustri latibula intexerunt.[s] Mardorum gẽs specus infodiunt montibus, in quos se, cõiuges & liberos recepiant.[t] Æthiopes[u] & Indorum magna pars subterraneas domos habent. Massilienses ex paleis: in [x] Meroë ex palma,[y] Cathromotitæ ex ligno.[z] Indi quoque,[a] Ægyptij & † Britanni, ex arundinibus.[b] Ichthyophagi ex ostreis marinis, aut ex piscium ossibus tecta contignant.[c] Chelonophagi partim ex alga, partim ex testudinũ testis,[d] gens circa Nasamones & Troglodytas, &[e] Chaldæi profugi ex sale.[f] Spitamæi ex ouorum putaminibus & pennis.[g] Contrà verò Arabes & Sabæi: nam limina, postes, cellas, fulcimenta, parietes & domorum tecta habent augustissima, ex ebore, auro & argento atque sumptuoso lapide & smaragdo, luxu ingẽti, laquearia verò citro & ebore extructa, qualẽ Alcinoi domum[h] Homerus tradit, auro, argẽto, electro

Nomades. Hyperborei. Dardani. Phryges. Troglodytæ. Baleares. Mardi. Æthiopes. Indi. Massilienses. In Meroë. Cathromotitæ. Ichthyophagi. Chelonophagi. Chaldæi. Spitamæi. Arabes. Sabæi. Odyss. 7.

ANNOTATIONES.

lib 7.c.56. Quintus autem Curtius lib.7.tradit, Parapamisadas, qui Bactrianis ad Occidentem coniuncti sunt, tuguria latere primò struere, & vsque ad summum ædificiorum fastigium eodem laterculo vti. Cæterùm structuram latiorem ab imo, paulatim incremento operis in arctius cogi, ad vltimum in carinæ maximè modum coire.

m *Scythæ.*] Herodotus lib. 4. Strabo lib. 7. vbi de Sarmatis. Iustinus lib. 2. Scytharum mores scribens, ait; hominibus inter se fines nulli, neque enim agrum exercent, nec domus illis vlla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Philostratus in vita Apollinij, lib 7 9.12. tradit, Scythas in curribus vitam degere. Iidem Nomades à Geographis dicuntur.

n *Et Nomades.*] Strabo lib.7. Nomades vocat ἁμαξοίκους. id est, plaustris ædium vice vtentes his verbis, Sed qui nunc carros habitant pro domibus, & Nomades, id est, pastores vocantur, qui pecoribus lactéque & caseo degunt, præsertim equino. Et idem repetit lib 11. non procul à princ. Philostratus in vita Apollonij lib.6.c.12. Illic, inquit, Æthiopes habitant, Nomades appellati, qui ciuitates in curribus positas habent. Sed & adde quòd Agathyrsi & Sauromatæ pro sedibus plaustra habent, teste Pomp. Mela lib.2.c.1. post princip.

o *Hyperboreis.*] Pomp. Mela lib. 3. cap. 45. vbi de Scythia. Plinius lib.4.cap.12. & lib. 6.c.13. vbi idem dicit de Arymphæis: vti idem etiam Mela lib.1.c.21. eodémque vlt. Solinus lib.26.

p *Dardani.*] Strabo lib. 7. Dardani, inquit, natio prorsus agrestis, adeò vt sub fimo speluncas defossas incolant, delantque: studio tamen capti musicæ tibias & fides & id genus instrumenta vsurpant.

q *Et Troglodytæ.*] Diodor. Siculus lib. 4. c.3. Strabo lib. 11. vbi eos dicit habitare in cauernis. Plinius lib.5.c 8. scribit eos specus excauare, & hæ, inquit, illis domus. Et idem propemodum Solinus c.44. Pomp. Mela lib.1.c.8. Cyrenaicam describens, dicit eos specus subire alique serpentibus. Et Arrianus lib. 8. Nam & hinc ita appellari videntur ἀπὸ τῆς τρώγλης, id est, specu siue cauerna. & Martianus Capella lib. 6. quo loco de Africa loquitur, dicit eos habitare in specubus. Et Ælianus de Annnalibus, lib.9 c.44. Troglodıtæ, inquit, natio hominum in subterraneis degit cauernis, atque inde hoc nomen sibi vendicant. De quibus est & illud Virgilij lib.3. Georg.

Ipsi in defossis specubus, secura sub alta
Otia agunt terra. ——

Sed & his adde Sarmatas ob sæua hyemis admodum demersis in humum sedibus specus, aut suffossa habitant, apud Pom. Melam lib.2.c.1.

r *Baleares.*] Diodorus Siculus lib. 6. c. 5. Habitant in saxis concauis, iuxtaque præcipites petras. Effossis cuniculis ad corporum tegumenta viuntur, & vitæ securitatem.

s *Mardorum gens.*] Q. Curtius lib.5.

t *Æthiopes.*] Herodotus lib. 3.

u *Et Indorum.*] Idem Herod. ibi, Æthiopes, eorúmque finitimi, eodem quo Indi Calandiæ vtuntur semine, subterraneasque obtinent domos.

x *In Meroe ex palma.*] Strabo lib.17.

y *Cathromotita ex ligno.*] Id est lignorum compage ex Strabone lib.16.

z *Indi.*] Q. autem Curtius lib.9 scribit Indos maritimos tuguria conchis & cęteris purgamẽtis maris instruere. Herod. d.lib.3. dicit quosdã illorũ habitare in palustribus fluminis.

a *Ægyptij*] Diodor. Siculus lib.1.c.3. & li.2.c.1. post prin.

† *Et Britanni.*] Et similiter Sardienses ex Herodoto lib.5. & Septentrionales populi ex Plinio lib.16.c 36.

b *Ichthyophagi.*] Strabo lib. 15. de his loquens, Domicilia ex ossibus cetorum & ostreorum conchis magna ex parte faciunt. Nam trabium & fulciorum vsum costæ præbent, portas maxillæ, è vertebris fiunt mortaria, in quibus pisces subiguntur. Et rursus lib. 16. de eisdem loquens, Hi in speluncis habitant: vel tuguriis oleæ frondibus contectis, & trabibus ac tignis ex ossibus ac spinis cetorum perfectis.

c *Chelonophagi.*] Strabo d.lib.16. ad ea, quæ proximè adduximus, subiungit, At Chelonophagi testudinum testis conteguntur, quæ adeò magnæ sunt, vt vel in eis nauigent. Nonnulli ex alga mari eiecta ingentes & montuosos cumulos facientes, eos suffodiunt atque inhabitant. Plinius de testudinibus tantùm lib.6 c.24. Sed & eos, qui Taprobanem habitant, testudinum superficie domos operiebant, vt tradit Martianus Capella lib.6. vbi de India.

d *Gens circa Nasamones.*] Hi sunt Hammanientes, qui sunt inter Nasamones (quos anteà Mesammones Græci appellauere ab argumẽto loci medios inter arenas sitos) & Troglodytas, qui domos sale montibus suis exciso, ceu lapide, construunt, vt scribit Plinius lib.5.c.5. Solinus c.41. Et vide interim Herodotum lib.4. & Plinium lib 31.c.7. vbi & de Carrhis loquitur, qui muros domósque massis faciunt. At ipsa Nasamonum domicilia virgultis erant compacta suspensis circa lentiscos, & ea quoquò versus versatilia, vt scribit Herodotus illo lib.4.

e *Chaldæi profugi.*] Strabo lib.16. In interiore, inquit, sinu vrbs iacet nomine Gerrha, quam Chaldæi tenebant, à Babylonia profugi, loca salsa, & domos ex sale habitantes, quas cùm salis squamæ, propter solis ardorem separatæ, continuè cadunt, crebrò aquis aspergant, atque eo pacto continuant, parietes. Suntque & alij, qui ex sale domos suas conficiunt, vt Athlantes ex Herodoto lib.4. Et Carrhis habitant, oppido Arabiæ, vt diximus suprà proximè ex Plinio.

f *Spitamæi.*] Strabo lib.16. Plinius lib.7.c.2. scribit, Casas Spitamæorum luto, plumísque, & ouorum putaminibus construi. Aristoteles (teste idem Plinio) in cauernis viuere Pygmæos Spitamæos tradit.

g *Contrà verò Arabes & Sabæi.*] De vtrisque Strabo lib. 16. Nabathæis autem, qui & ipsi sunt ex Arabibus, domus sunt ex lapide sumptuoso, vrbes sine mœnibus, vt idem Strabo tradit eodem lib. non multò ante fi.

h *Homerus tradit.*] Lib.7. Odyssææ non adeò procul à prin.

Adde

Persæ. Indorum regia. Lycurgi institutum. Athenienses. Augusti edictum. Tyrij. Instrumenta domus Vlpianus in l. quæsitum. § Centones.

atque ebore fulgentem.[i] Persæ quoque magnas gratas, & quicquid est auri, in domibus ponũt, Regum Indorum regia argenteis imaginibus tota distinguitur, eámque ex auro vites percurrũt, fultę aureis columnis.[k] Fuitque institutum Lygurgi apud Spartanos, vt domorum culmina securi, ianuas verò serra discindant, ne quis insignius altero ædificaret.[l] Quare Agesilai domus ab inopi & priuata haud dissimilis fuit,[m] sicut Pompeij domus vsque ad tertium triumphum.[n] Athenientes quom antea specus & abditos saltus incolerẽt, primi lateritias ædes calce & cæmentis construxere: Postea verò in tantum magnitudinis vrbis ædificia processere, vt tota ædificiis exsurgens, in quatuor aut quinque contignationes, & multa tabulata tecta excitarent, maximásque domos maximis domibus imponerent, vt orator[o] Aristides professus fuit,[p] ita vt Augusto Cæsari, ne vrbs ruinis laboraret magna mole ædificiorum, ne quis suprà septuaginta pedes sublimius ædificaret, inhibere necesse fuerit,[q] licet ipse modicas ædes incoleret, & toro modicè instrato cubaret.[r] Quod & Nero Cæsar post incensam vrbem, dimensis vicorum ordinibus & viarum spatiis, statuit, ne vltra prœscriptum ædificia tollerẽtur. Quare Æmylius Porcina à L. Cassio accusatus, & pœna mulctatus fuit, quòd villam nimis sublimem ædificasset: prodũntque Tyrios adeò editas maximis contignationibus domos aliquando struxisse, vt parum abfuerit quin tota terræmotu corruerit. Sed quæ sint instrumenta domos, quæ relicta domo instructa ad nouum dominum transeãt, sæpe qœsitum est: &[s] præter imagines & affixa spolia, ista etiam[t] Paulus Iureconsultus de instructo fundo adnotaoit: Specularia, pegmata, canales, harpagones,[u] hamos, centones, siphones, scalas perticas, spongiasque, quibus instrumentis domus contra vim ignis ad incertos casus defenditur, squalor abluitur, & immunditiæ purgantur. Dixere autem centones, ex

ANNOTATIONES.

Adde autem Afrorom pastoralium domos fuisse compactas virgultis suspensis cum Lentiscis, & eas quoquò versus versalites ex Herod. lib. 4.

i *Persæ quoque.*] Strabo lib. 15. ad fi.

k *Fuitque institutum Lycurgi.*] Hæc vsque ad versicul. Quare Agesilai. sunt Plutarchi in Apophthegmatis ipsius Lycurgi, in hæc verba, Percontantibus quibusdam, cur tectum à securi fabrefactum domibus imponi iussisset: ianuam autem solùm à serra, nullóque aliorum instrumentorum: Vt ciues, inquit, omnibus in rebus, quas in domum inferunt, mediocritate vtantur, & nihil eorum, quæ aliis chata sunt, habeant: qualia sunt pocula, & lecti ac mensæ pretiosæ.

l *Quare Agesilai domus.*] Plutarchos in Agesilao. Sed & Romuli domus canna, & straminibus composita erat, ex Ouidio de ea loquente lib. 3. Fastorum,

Quæ fuerit nostri, si quæris, regia nati,
Aspice de canna straminibusque domum.
In stipula placidi capiebat munera somni,
Et tamen ex illo venit in astra toro.

Virgilius lib. 8. Æneidos,

Romuleoque recens horrebat regia culmo.

Vbi Seruius ait, Curiam Calabriam dici, quam Romulus texerat culmis. Idem Ouid. lib. Fastor. Romuli regiam casam vocauit, vt,

Dum casa Martigenam capiebat parua Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis vlua torum.

Hæc posteà summæ apud Ro. religioni fuit.

m *Sicut Pompeij domus.*] Plutarchus in vita illius, Atqui, inquit, Pompeius ipse vsque ad tertium triumphum modicè atque incompositè habitauit. Pulchrum deinde cùm illud theatrum à Ro. longè diffamatum construxisset, splendidiorem domum, veluti à theatro appendicem, ædificauit: qua etiam ab inuidia intactus est.

n *Athenienses.*] Plinius lib. 7. cap. 56.

o *Aristides.*] Plutarchus in vita illius.

p *Ita vt Augusto Cæs.*] Strabo lib. 5.

q *Licet ipse.*] Suetonius in Augusto, cap. 72. & 73.

r *Quod & Nero.*] Cornelius Tacitus lib. 15. Cæterùm, inquit, vrbis, quæ domus supererant, non, vt post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erectæ: sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatiis, cohibita ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additisque porticibus, quæ frontem insularum protegerent.

s *Et præter imagines & affixa spolia.*] De quibus suprà dictum est.

t *Paulus Iurisc.*] Imò verò Vlpianus in l. quæsitum. §. si domus. & multis seqq. ff. de fundo instr. & instru. leg.

u *Hamos.*] Hamas legendum est, non hamos in hoc loco Iurisconsulti, vt etiã Alciatus lib. 1. Prætermissorum. Quod vel satis probatur ex alio loco Pauli Iurisconsul. in l. nam salutem. §. sciendum est autem. ff. de offi. præfect. vigi. vbi ita scribitur, Sciendum est autem, præfectum vigilum per totam noctem vigilare debere: & oberrare calceatum, cum hamis & dolabris, vt curam adhibeat, omnes inquilinos admonere, ne per negligentiam aliquam incendij casus oriatur. Plinius Iunior lib. Epistolar. 10. episto. 34. omnium 293. ad Traianum, Cùm diuersam partem prouinciæ circumirem, Nicodemiæ vastissimum incendium multas priuatorum domos, & duo publica opera, quanquam via interiacente. Gerusiam & Iseon, absumpsit. Est autem latius sparsum, primùm violentia venti, deinde inertia hominum, quòd satis constat otiosos, & immobileis tanti mali spectatores perstitisse, & alioqui nullus vsquam in publico sipo (aut, vt alij legunt, & verius, sipho) oulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda, & hæc quidem, vt iam Principi parabantur. Catellianus autem Cotta memor. incip. Harpago. dicit in hoc loco Iurisconsul. hîc citato ab Alexandro, legendum Amas, sine aspiratione, vti etiam scribitur in Pandectis Florentinis. Sed in iisdem in d. §. sciendum, cum aspiratione legitur. Vide ipsum Cottam.

x *Dixere autem centones.*] De his Sisenna lib. 4. Historiarum apud Nonium Marcellum, Toppis aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classi suspensa cilicia obtenduntur. Plautus in Epidico actus 3. scena 4.

Quin tu alium quæras, qui centones sarcias.

Id est (vt interpretatur Erasmus Chiliad. 2. cent. 4. quem tu gloriosis mendaciis & consarcinatis fabulamentis expleas Cato Rei rusticæ, c. 2. Funes veteres, nouósque fieri: Centones, cuculiones familiam oportuisse sibi sarcire. Et cap. 59. Quoties cuique tunicam, aut sagum dabis, prius veterem accipito, vnde centones fiant. Cæsar lib. 2. bellorum Ciuilium, de obsidione Massiliæ loquens, Centonésque insuper iniecerunt, ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent, aut saxa ex catapultis lateritiam discuterent. Et paulò pòst, Coria autem, nè rursus igni ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. Et lib. 3. tradit milites aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas sibi fecisse, quibus tela vitarent. Columel. lib. 1. c. 8. Cultam vestitámque familiam magis vtiliter quàm delicatè habeat, munitámque diligenter à vento, frigore, pluuiáque, quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel sagis cucullis. Iuuenalis sat. 6. de Messalina loquens,

Intranti

villis grossioribus sagula intexta vilioribus pannis, quibus domorum tecta, tabulata aut ligneæ machinæ militares, aduersus incendia, si ignis maior vis ingruat, muniuntur. [y] Siphones verò, fistulas follibus iunctas, seu machinas hydraulicas, quibus agitatis, ad superiora ædium, exhauriunt aquam, qui etiam [z] organa pneumatica dicti. [a] Harpagones, ferreas manus, seu asseres ferro vnco præfixo, quò igni furenti obuiam irent, [b] quos ab Anacharse Scytha inuentos nonnulli volunt. [c] Pegmata verò compactam machinam ex ære, marmore vel ligno, tum ornatus, tum commodi causa, instar illorum quę in pompæ apparatu producuntur, quibus etiam intra ædes vti assuerant. [d] Addit Paulus horologium æreum domi non affixum, & prothyrum, relicta domo instructa ad dominum transire. [e] Est autem prothyrum instar vestibuli, plerumque opertum, quod ante ædes & ostium sit: quod non esse vestibulum meritò nonnulli putant, sed ligneam structuram in isto vestibulo ante fores: qua obstāte quasi repagulo apertis ianois; quæ intus fiunt, non apparent, sumpsitque nomen à πρὸ quod ante significat, θύρα autem ianua, vnde hypothyra valuatum illa hians cauitas dicti. [f] Censuitque Pomponius iureconsultus ex authoritate Labeonis, prothyra eiusmodi si pro ædibus sint affixa, ædium partem esse, tametsi facilè demi possint & reponi: sicut ligneam structuram, quæ æstate tolli, hyeme reponi solet, ædium esse. Labeo putauit, quoniam perpetua causa parata forent: itaque alienata domo, prothyra eiusmodi vnà cum domo ad emptorem transire voluit. Verba verò Pomponij iureconsulti de verborum significatione, hæc sunt. Idem Labeo ait, Prothyrum quod in ædibus fieri solet, ædium est.

Siphones — *Harpagones.* — *Pegmata* — *Prothyrū* — *Hypothyra.*

ANNOTATIONES.

Intrauit calidum veteri centone lupanar.

Ex quibus locis facilè intelliges non vnam esse huius vocabuli significationem, prætęr eam qua significat opusculum structum variis de locis, sensibúsque diuersis carminibus: cuius scilicet structura ita solidatur, vt coëant in vnum, aut cæsi duo versus, aut vnus, aut sequens cum medio. Nam duoa iunctim locare ineptum est, aut tres vna serie, meræ, nugæ vt tradit Ausonius, qui & ipse Centonem consuit ex solis poëmatis Virgilij, vti etiam Falconia opus alterius argumenti: vnde & Virgilij centones atque ex Homero centones dicti, de quibus D. Hieronymus in præfatione veteris Testamenti.

y *Siphones.*] De his quoque Cornelius Celsus. Columella lib. 5. cap. 10. Naturali enim spiritu omne alimentum virentis, quasi quædam anima per medullam trunci, veluti per siphonem, quem Diabetem vocant mechanici, trahitur in summum. Et lib. 9. c. 14. de apibus loquens, Optimum est per aditum vestibuli siphonibus dulcia liquamina immittere, & ita penuriam temporum sustinere, dum Arcturi ortus, & hirundinis aduentus commodiores polliceantur futuras tempestates. Plinius lib. 2. c. 65. ad fin. de aqua in summa iuga erumpente, Quo spiritu acta, & pondere terræ expressa, siphonum modo emicat. Et lib. 32. c. 10. Ergo sugentia ora forficibus præcidunt, ac veluti siphonibus defluit sanguis, paulatimque morientium capita se contrahunt, nec relinquuntur. Et Iuuenalis sat. 6.

—— Micturiunt hic,
Effigiemque deæ longis siphonibus implent.

Et Plinius Iunior quo loco citauimus suprà in verbo, Hamoa. Indeque diminutiuum Siphunculus apud eundem Plinium Iuniorem lib. 5. epistol. eius lib. 6. omnium 101. In fonte crater, circa hoc siphunculi plures, qui miscent incundissimum murmur. Rursusque, E stibadio aqua, velut expressa cubantium pondere, siphunculis effluit, cauato lapide suscipitur, gracili marmore continetur.

z *Organa pneumatica.*] Plinius lib. 19. cap. 4. Si minus, è puteo pertica, organísve pneumaticis, vel tellemonum haustu rigandos. Ita enim dicuntur, tanquam dicas spiritalia, quæ scilicet, vt flatus, vel spiritus aliquid hauriunt, vel attrahunt.

f *Harpagones.*] Liuius 3. Decad. lib. 10. Asseres, inquit, ferreo vnco præfixi (harpagonas vocant milites) ex Punicis manibus inijci in Romanas cœpti. Cæsar belli Ciuilis lib. 1. Antesignanos, centuriones, Cęsar ei classi attribuerat, qui sibi id muneris depoposcerant, hi manus ferreas atque harpagones parauerant. Hirtius de bello Hispaniensi, Secumque extulerant calcatas ad fossas complendas, & harpagones ad casas, quæ stramentis à nostris hybernorum causā ædificatæ erant, diruendas & incendendas. Dicuntur autem ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν. id est, rapere. A quo etiam verbum harpagare in eadem significatione vsurpauit Plautus in Aulularia act. 1. sce. 4.

—— Hei misero mihi,
Aurum mihi intus harpagatum est.

Et in Bacchidibus actus 4. scena 4.

—— Nullus frugi.
Esse potest homo, nisi qui bene, & malè facere tenet. improbus
Cum improbus sit, harpaget, furibus furetur, quod queat.

c *Quos ab Anacharse Scytha.*] Plinius lib. 7. c. 57. in fi.

c *Pegmata.*] Seneca ad Lucilium, epist. 88. apertè ac disertè declarat quæ, & qualia sint huiusmodi pegmata, vbi videre poteris: vti etiam Iosephus de bello Iudaico, lib. 7. c. 1. Festus autem tradit pegmata esse ex ære, aut marmore armamenta, quæ, vt plurimum, in atris, quandoque in porticibus aulisque affigebantur, maiorum aliorūmque fortium virorum gesta certius quàm pictura ostendentia. Et de his quoque Cicero ad Aticum lib 4. epistol. eius lib. 8. omnium 77. Plinius lib. 33. c. 3. Sueton. in Claudio, c. 34. Iuuenalis sat. 4. Martialis in Amphitheatro Domitiani Cæsaris epigram. 2. lib. 8. epigr. 33. ad Paulum.

d *Addit Paulus horologium.*] Imò Vlpianus in d. l. quæsitum. §. Papinianus. ff. de fun. instr.

e *Est autem prothyrum.*] Vitruuius lib. 6. c. 10. Prothyra Græcè dicuntur, quæ sunt ante in ianuis vestibula. & subdit, Nos autem appellamus, prothyra, quæ Græcè dicuntur διάθυρα.

f *Censuitque Pomponius.*] In l. statuæ, quæ est penul. ff. de verbor. signific. Et ibi Alciatus eo nomine intellexit, quæ ex tabulis conficiuntur, ad arcenda, dum valuæ aperiuntur, irrumpentia frigora: aut tabularum vice, appositos ostiis tapetas, siue aulæa.

In extis inspiciendis quæ prospera, quæve dira sint, & quæ boni, quæve mali prænuncia.

CAPVT XXV.

Vi augurum disciplinam obseruarunt, quique illorum præscita perserutari sunt in fibris extisque inspiciendis, inter ea quæ dira aut secunda essent multum interfuisse volunt: licet alij alio modo

modo illa interpretari,& eorum euenta prædicere solebant.[a] Et tametsi in extis contineri cor, cerebrum, pulmonem, stomachum, lienem, hepar, seu iecur, communi opinione receptum fuit,[b] quas Græci σπλάγχνα dicunt, incredibili fabrica conuicta, quorum ex habitu & colore, salubritatis & pestilentiæ signa ostenduntur: tamen nullum discrimen vehementius fuit,[c] quam si caput iocinoris,[d] vel ipsum iecur in extis defuisset,[e] quod caput extorum dicitur, tunc omē exitij malorumq; fuisse, funestúmque & magni terroris, nisi in solicitudine & metu, quia curas tunc perimere[f] putarunt.[g] Cúmque hepar ex non puro sanguine sit, quia sanguis purus cogitur circa cor: tamen in hepate sedem vaticinij esse, & præsagium futurorum, periti haruspices opinati sunt, Quo mense[h] Claudius Cæsar veneno interceptus fuit: sacrificanti iocinoris caput defuisse constat,[i] quod & Caio principi euenisse memorat:[k] quę exta pestifera dicta fuere.[l] Si verò in iecore extremum[m] quod fibra dicitur, ita locaretur, vt ab ima fibra iocinera intrinsecus replicata essent,[n] aut si geminum iecur foret, per hæc læta & magna portēdi argumentáque felicitatis esse nemo dubitauit.[o] Auctum iecoris caput aut duplicatum, nimis lætū auspiciū facere, sicut exta duplicata magnas facere accessiones prolationemq; finium & triumphū portendi voluerunt.[p] Et tametsi circa Brilerum & Thermē in Thracia, & in Chersoneso iuxta Propontidem tradat Plinius bina iocinora leporibus inesse, & si aliò transferātur, alterum interire: tamē id nō esse prodigium, omnium opinione receptum est.[q] Syllæ immolanti iecur extrema sui parte speciem laureæ coronę præ se tulit, mirabili ostento felicitatis futuræ. Si verò liuidum esset aut vitiosum,[r] vel si in coquendo distabuit,[s] aut sanies purulenta efflueret,[t] caputve fibratum pustulas haberet, piaculare esse, & magna facere infortunia: constans opinio fuit.[u] Idcirco denuo augebantur victimæ, donec irerum cæsis hostiis litatū foret.[x] Ex corde quoque vnde sanguinis origo manat, licet à principio auspicia

Capite iocinoris non inuento inter exta. Sedes vaticinij in hepate. Exta pestifera. Omen felicitatis ex inspectione iocinoris. Infelicitatis. Ex corde

ANNOTATIONES IN CAP. XXV.

a *ET tametsi in extis.*] Cicero lib.1. de Dininatione. Plinius lib. 11.c. 37. Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membranis, quæ præcordia appellāt, quia cordi prætenduntur, quod Græci appellantur phrenas. Festus lib.5. dicit, Exta dicta, quòd ea diis prosecentur, quæ maximè extant, eminéntque.

b *Quas Græci σπλάγχνα.*] Suprà in præcedenti ex Plinio.

c *Quam si caput iocinoris.*] Cicero lib.1.& 2. de Dininat, Liuius 3 Decad.lib.7. & 30. post princ. & 5. Dec.lib.1. vbi de Cneo Cornelio,& Q. Petilio Coss. Plinius d. lib. 11. c. 37 Plutarc.in Cimone ad fi.& in Alexandro Magno non multum procul à fi, Iul. Obsequens Prodigiorum c. 76. & 126. Appianus lib.2 bellorum Ciuilium, vbi de prodigiis mortis Cæsaris.

d *Vel ipsum iecur.*] Liuius Decad.5.lib.1. Cneus Cornelius euocatus à viatore, cùm templo egressus esset, paulò pòst rediit confuso vultu:& exposuit patribus conscriptis, bouis sescenati, quem immolauisset, iecur defluxisse, id se victimario nuncianti parum credentem, ipsum aquam effundi ex olla, vbi exta coquerentur, iussisse,& vidisse cæteram integram partem extorum, iecur omne inenarrabiliter absumptum.

e *Quod caput extorum dicitur.*] Ex Plinio vbi suprà id sumptum videtur: qui tamen id dicit. Hæc enim sunt ipsius verba, Iecur in dextra parte est: in eo quod caput extorum vocant, magnæ varietatis.

f *Putarunt.*] Plinius d.lib.11.c.37.

g *Túmque hepar.*] Hæc vsque ad verba, Quo mense. sunt Apollonij Tyanæi apud Philostratum in vita illius, lib.8.c. 3. non multò aute fi. cuius hæc sunt verba, Hepar, in quo vaticinij sedem esse dicunt artis periti, ex non puro sanguine constat: totum enim syncerum purúmque sanguinem continet cor, eúmque per venas in vniuersum corpus diffundit. Sed miror quòd Alexander hic ponere videtur iecur & hepar vt diuersa, cùm idem sunt: alterum autem Latinum, alterum Græcum.

h *Claudius Cæsar.*] Plinius lib.11.c.37.

i *Quod & Caio Principi.*] Idem Plinius ibi.

k *Quæ exta pestifera dicta sunt.*] Fest. Pompeius lib. 14. Pestifera, ait auspicia esse dicebant, cùm cor in extis, aut caput in iecore non fuisset.

l *Si verò in iecore.*] Plinius vbi suprà, Diuo. inquit Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suæ die, sex victimarū iocinora replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt: responsúmque duplicaturum intra annum imperium. Eadem fermè scribit Tranquillus in Augusto, c.95.

m *Quod fibra dicitur.*] Seruius in 10. lib. Æneidos in eum locum,

Cui pecudum fibræ: cœli cui sydera parent.

Fibræ, inquit iecoris extremitas.

n *Aut si geminum iecur esset.*] Plinius vbi suprà ità de hac re loquitur, vt nesciam an de gemino iecore, an de gemino capite iecoris intelligat, nam ad ea, quæ ea eo adduximus suprà ibi, Claudius Cæsar addit' continuò, M.Marcello circa mortem, cùm petiit ab Hannibale, defuit in extis: Sequenti deinde die geminum repertum est. At Valerius Maximus lib.1.c.6. scribit, M.Marcello sacrificanti iecur victimæ sine capite inuentum fuisse, cùm proxima victima iocinoris duplex caput habuisset, quibus inspectis aruspex respondit, non placere sibi exta, quæ prima trunca, secunda nimis læta apparuissent. Sed siue fuerit duplex iecur, siue iecoris caput duplex (vt scribit Valer.) id fuit inauspicatum Marcello, contrà quàm hîc dicit Alexander ab Alexandro.

o *Auctum iecoris caput*] Vide præced. Sed ita vt non omittas quod Liuius 3.Decad.lib.7. de eodem Marcello loquens in hunc modum scribit, Immolasse eo die quidam memoriæ prodidere Coss. Marcellum:& prima hostia cęsa, iecur sine capite inuentum: in secunda omnia comparuisse, quæ assoleut. Auctum etiam visum in capite, nec id sanè aruspici placuisse, quòd secundum trunca & turpia exta, nimis læta apparuissent. Ex quo loco hæc Alexander accepisse videtur. Plutarchus in vita illius, scribit, Marcellum sumpto vate immolasse, primæque hostiæ iecur sine capite fuisse: secundæ quàm immensum caput apparuisse.

p *Et tametsi.*] Plinius d.lib.c.37.

q *Syllæ.*] Plutarchus in vita illius.

r *Vel si in coquendo distabuit.*] Liuius 5. Dec. lib. 1. Dum de his rebus in Senatu agitur, Cn.Cornelius euocatus à viatore, cùm templo egressus esset, paulò post rediit confuso vultu:& exposuit Patribus conscriptis, bouis sescenatis, quem immolauisset, iecur defluxisse: id se victimario nuncianti parum credentem, ipsum aquam effundi ex olla, vbi exta coquerentur, iussisse,& vidisse cæteram integram partem extorum, iecur omne inenarrabiliter consumptum.

s *Aut sanies purulenta.*] Cicero lib. 2. de Diuin. Iul. Obsequens Prodig.c.64. in princ.

t *Capútve fibrarum.*] Cic.d.lib.2.

u *Idirco denuo,*] Vide omnino nostros Commentarios in l. boues.§.hoc sermone.

x *Ex corde quoque.*] Hæc vsque ad versic. Hoc obseruarunt. Sunt Plinij d.lib.11.c.37.

y Vt

ſumere minimè ſolerent, poſteaquam in extis corda rimari cœperunt, quo tempore Pyrrhus poſt multiplices clades Italia pulſus fuit, hoc obſeruarunt haruſpices,[y] vt ſi cor ſilens iaceret, neque palpitaret,[z] aut in extis defuiſſet, calamitates portendi & magnas fortunæ minas crederent.[a] Diuo Cæſari, dum rerum potiretur, immolanti cor defuiſſe dicitur, triſtiſſimo euentu: namque haud multo pòſt conſpiratione coniunctiſſimorum cæſus occubuit.[b] Quod de Pertinace proditum eſt, vt qua die morte ſublatus fuit, ſacrificanti non modò cor victimæ, ſed hepar deeſſet. Si autem in ſummo corde[c] pinguedo foret, aut ſolito maius,[d] raptúmve ab aquila aut auibus fuiſſet, nimium propitios deos oſtenderunt.[e] Dum Hermocrates diis ſacra faceret, raptum cor victimæ, & à coruo elatum in ſublime, felix auſpicium fecit, quo Cardiam vrbem ad Corinthum auſpicatiſſimè condidit.[f] Sicut auo Galbæ, fulgur procuranti, cùm aquila exta rapuiſſet, & in ſublimem quercum detuliſſet, imperium portendit.[g] Fuitque animaduerſum, cor quibus prægrande eſſet, pauidos facere: quibus exiguum, aſpectu formidabili, & audaces: quare Hermogenis ſummi rhetoris, & qui præcociſſimi ingenij fuit, mortui diſſecto corpore, hiſpidum cor inuentum eſt.[h] Tametſi tradatur apud eruditos, eos qui hebeti eſſent ſenſu, corde duro & ſpiſſo: qui verò ingenio valerent, molli fuiſſe: id[i] quod Plinius de Ariſtomene Meſſenio, &[k] alij de Lyſandro, cuius defuncti cor piloſum inuentum eſſet, meminere. Fel quoque in extis augurium facere proditum eſt, quod ſub hepate anguſto ore, & fundo ampliore apparet, vt purum illud clarumq; reddit.[l] Si tamen geminum reperitur, licet prodigium ſit, tamen magnæ ſpei fortunam portendit.[m] Quo enim tempore Auguſtus apud Actium profligato Antonio victor fuit, eo ipſo victoriæ die, geminum fel in extis inueniſſe traditur.[n] Arato quoque ſacrificanti, cum geminum fel haruſpex inſpexiſſet, quæ capitali odio diſſiderent, mox ſyncera fide conciliari, ſocietatesq; & fœdera iungi prædixit, quod veriſſimò euentu poſtea conſequutum eſt. Fuitque diſciplina augurali traditum,[o] vt vel Neptuno perpetuò dicatum ſit, velut humoris authori.[p] Quod ſi in extis prægrande fel inueniretur, prodigij loco eſt habitum. Sed quamuis prodigioſum, magna ſemper & felicia portendit.[q] Fert tamen Ariſtoteles in Naxo prægrande fel pecoribus innaſci:[r] circa Chalcidē Eubœæ,[s] in Ponto, pecori nullum eſſe:[t] ceruo

Cordis prægrandis vel exigui indicia. Hermogenis & Ariſtomenis corda hiſpida. Et ſelle.

Fel Neptuno dicatum.

ANNOTATIONES.

y *Vt ſi cor ſilens iaceret.*] Cicero in lib.2.de Diuinatione.

z *Aut in extis defuiſſet.*] Cicero lib.2. de Diuin. Plin. lib.28; c. 2. Val.Max.lib.1.c.6. vbi de Pompeio. Plutarch. in Cæſare inter mortis prodigia. Feſtus Pompeius lib. 14. vbi de peſtiferis Vide in ſeq.

a *Diuo Cæſari.*] Cicero lib.1.de Diuinat. Maximo eſt argumētò, quòd paulò ante interitum Cæſaris contigit, qui cùm immolaret illo die, quo primùm in ſella aurea ſedit, & cum purpurea veſte proceſſit, in extis bouis opimi cor non fuit. & lib. 2. eiuſdem operis hanc reperit hiſtoriam. Meminit & Plinius dict. lib 11.c.37. Cæſari Dictatori, quo die primum veſte purpurea proceſſit, atque in ſella aurea ſedit, ſacrificanti bis in extis cor defuit. Ouid. Metam. li 15. enumerans prodigia quæ C. Cæſaris cædem præceſſerunt, ait, Cæſumque caput reperitur in extis. Vbi Raphaël interpres, Exta ſine capite ſignificant mortem alicui imminere.

b *Quod de Pertinace.*] Iulius Capitolinus in vita illius, Eadem die (qua ſcilicet cæſus eſt) immolante Pertinace, negatur in hoſtia cor repertum: & cùm id vellet procurare: caput extorum non deprehendit.

c *Pinguedo foret.*] Plinius lib.11.c.37. In corde ſummo, pinguedo eſt quædam lætis extis.

d *Raptúmve ab aquila aut auibus.*] Vt ex ſequentibus videbitur in verbo, Sicut auo Galbæ.

e *Dum Hermocrates.*] Imò Hermocates ex Stephano, qui hæc de illo deſcribit in lib. de Vrbibus.

f *Sicut auo Galbæ.*] Sueton. in Galba, c.4. Auo quoque eius fulgur procuranti, cùm exta de manibus aquila rapuiſſet, & in frugiferam quercum contuliſſent, ſummum, ſed ſerum imperium portendi familiæ reſponſum eſt.

g *Fuitq; animaduerſum.*] Plinius li.11.c.37. Bruta exiſtimantur animalia, quibus cor durum, riget: audacia, quibus paruum eſt: pauida, quibus prægrande. Ariſtoteles de Partibus animalium lib. 3. c.4.

h *Tametſi tradatur.*] Ariſtoteles vbi ſuprà, Quæ ſenſu, inquit, hebeti ſunt, cor habent durum & ſpiſſum: quæ autem ſenſu valent, mollius.

i *Id quod Plinius.*] Hæc oratio non rectè hîc ponitur, ſed poni debuit ante præcedentem, continuò poſt verbum, inuentum eſt. Eſtque Plinij d. lib.11. c. 37. cuius verba libuit adſcribere, quia notatu digna, Hirto corde gigni quoſdam homines proditur, neque alios fortioris eſſe induſtriæ, ſicut Ariſtomenem Meſſenium, qui trecentos occidit Lacedæmonios. Ipſe conuulneratus & captus ſemel per cauernam latomiarum euaſit, anguſtos vulpium aditus ſequutus. Iterum captus, ſopitis cuſtodibus ſomno, ad ignem aduolutus, lora cum corpore exuſſit. Tertiò capto Lacedæmonij pectus diſſecuere cauſa videndi, hirſutúmque cor repertum eſt.

k *Et alij de Lyſandro.*] Et de Leonide Lacedæmonio Plutarch. in Paralellis cap.7. authoritate Ariſtidia primo rerum Perſicarum lib. Homerus lib.2. ad fi. Catalogi, Pylæmenium vocat hirſutum corde,

Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ.

Id eſt,

Paphlagonibus autem Pylæmenius habens denſum cor.

Sed id aliò ſpectat, neque enim is mortuus erat: ſed ad animum, ni fallor, referebat.

l *Si tamen geminum.*] Quod patet exemplo ſeq.

m *Quo enim tempore Auguſtus.*] Plinius lib.11.c. 37.

n *Arato.*] Plutarchus in vita illius, Dicitur non multò antè Arato ſacra facienti, in iecore duos felles extitiſſe, eadem pinguedine obuolutos: vatem quoque conſultum dixiſſe, quæ capitaliſſimo odio diſſiderent, ea per breui inter ſe firmiſſima amicitia coitura.

o *Vt fel Neptuno.*] Plinius d.lib.11.ca.37. de felle loquens, Aruſpices, inquit, id Neptuno & humoris potentiæ dicauere.

p *Quod ſi in extis.*] Vide quæ ſequuntur.

q *Fert tamen Ariſtoteles.*] Lib. de Hiſtoria animalium cap.1. 18. Fellis priuationem, vel in victimis non vſquam percipi certum eſt: quippe cùm parte quadam agri Chalcidici Eubœo fel nūquam pecori ſit: aut in Naxo omnib. fermè quadrupedibus adeò grande, vt qui ſacra fecerint aduenæ ſtupeſcant: rem ſcilicet, prodigij loco, ſibi arbitrantes, non talem eſſe naturam terræ illius quadrupedum. Et idem Ariſt. lib. 2. de Partibus animalium, cap.2. Plinius lib.11. cap.37. At Ælianus lib. Animal.11. cap.29. ſcribit duplici felle in Naxo ſues eſſe.

r *Circa Chalcidem.*] Plinius & Ariſt. vbi ſuprà.

s *Et in Ponto.*] Ælian. de Natura animal. lib.11.c.29. At Plinius vbi ſuprà, non id dicit ſimpliciter, ſed eo carere, qui abſynthio veſcuntur in Ponto.

t *Ceruo*] De his omnibus idem Plinius vbi ſuprà.

quoque & damæ, equo, mulo & asino, camelo atque apro, vsque defuisse. [u] Sicut perdices in Paphlagonia bina corda habere, [x] & in Bisaltia lepores bina iecora. Et in agro Cretensi pecora circa Gnoson splenem habere tradunt, circa Cortynam non habere. Vel quod idem tradit in [y] Seripho insula, & in [z] Acantho Macedoniæ, & [a] apud Cyrenem ranas non coaxare. Et [b] in Emathia Macedoniæ sues vnongulos nasci: atque [c] in Cappadocia mulas fœtus parere, & [d] in Eleo agro mulos non educi, neque propterea ominosum aut prodigium videri. Pulmo verò sub corde est, [e] spirandi officina: is incisus & geminus, tempus dirimere, & [f] diem differre traditur. [g] Si verò simplex esset & solidus, continuare temporum curricula, nullasq; cunctationes & moras afferre, opinati sunt. [h] Si verò pulmonis fibra lateret, aut cum corde & iecore coniunctus foret, vel si paruo distinguitur interuallo, miseros casus portendere voluerunt. [i] Lien aduersus iecur, sinistra in parte est: siquidem ventriculo annectitur in intestino: vt iecur purū reddat. Quod si in dextram vergeret, ferale auspicium, & prædicere quæ magno malo luuntur, haud dubium esse: [k] qui tamen abundans, homines decolores facit. [l] Quare in terra Caria Caunios, quòd sub graui cœlo degunt, mirum in modum lienosos dicunt esse [m]. Vnde verbum Stratonici citharœdi, illic ambulare mortuos, quòd omnes mirificè pallerent facie tabifica. In fordicidiis sacris, [n] quibus hostias quæ vterum ferunt, immolare præcipitur, si fœtus biceps aut mancus in vtero esset, [o] vel interaneis exhulceratis appareret, exta eiusmodi imminentium malorum nuncia esse, creditum est. [p] Dracones in extis apparuisse, lætum fecere auspicium, [q] contra Graccho sacrificanti, ad exta irrepsisse adeso iecinore, necem futuram & inimicos fatum portenderunt, quæ mox sub-

Ex pulmone.

Ex liene.

Fordicidia sacra.

Dracones in extis apparuisse.

ANNOTATIONES.

n *Sicut perdices.*] Plin. vbi suprà, Theophrastus apud Gelliū lib. 16 c.15. Ælianus de Animal. lib 10.c.35.

x *Et in Basaltia.*] Gellius, vbi suprà authoritate Theopompi, & Ælianus de Animalib. lib.1.c.27. Aristoteles, aut quisquis is est, Mirab. Auscul. c.118. Plinius autem d. lib. 11. c. 37. sic scribit, Bina iocinora leporibus circa Briletum, & Tharnen, & in Chersoneso ad Propontidem. vbi de Bisaltia non meminit.

y *In Seripho insula.*] Plinius lib.8.cap.58. Mutæ sunt, inquit, ranæ in Seripho. vnde extat prouerbium, Rana Seriphia. de quo Erasmus Chiliad.1. cent.5.c.31.

z *Et in Acantho Macedonia.*] Plin. lib.11.c.51.

a *Et apud Cyrenem.*] Plinius lib.8 c.58. Cyrenis mutæ fuere ranæ, illatis è continente vocalibus durat genus earum. Aristoteles d. lib. de Mirabilib. auscultationibus. ca.64. scribit, In Cyrene ranas mutas & sine voce esse.

b *In Emathia Macedonia.*] Plinius lib. 11 cap.46. & Aristot. d. lib. & c. In Macedonia Ematheoclis suibus solidas vngulas esse scribit.

c *Atque in Cappadocia.*] Aristot. d. lib. c.65. Plin. lib.11. c. 44. authoritate Theophrasti, scribit in Cappadocia vulgò mulas parere: sed esse id animal ibi sui generis.

d *Et in Eleo agro.*] Pausanias Eliacorum priore lib. qui 5. est, sic scribit, Rhedam trahebant muli iugales bini, inuento neque prisco, neque eleganti: & alioqui antiquitus inter portenta Eleis muli fuere, atque adeò, vt animal id intra fines ali religio esset.

e *Spirandi officina.*] Verba sunt Plinij lib.11. cap. 37. sic scribentis, Sub eo, corde scilicet, pulmo est, spirandique officina, attrahens ac reddèns animam, idcirco spongiosus, ac fistulis inanibus cauus. Aristoteles lib.3. de Partibus animalium cap.6. Pulmo igitur spirandi officio delegatus est, qui originem quidem sui motus accipit ex corde: sed sua tum amplitudine, tum inanitate, aditum spiritui patefacit: tùm enim attollitur, influit spiritus: cùm contrahitur, effluit, & non multò pòst in eiusdem ca. fin. Pulmo igitur, inquit, spirandi gratia datus omnino est, sed exanguis. Idem Aristot. in lib. de Spiratione, loquens de Cordulo pisce, qui pedibus subnititur, & brancias gerit. sic tradit, Huiusce rei causam illam ponimus, quòd pulmones adiunguntur causa refrigerationis, quam flatus ipse præstitaturus est. Ac spirabile quidem viscus, propterea Pnemon, hoc est, pulmo appellatus videtur, quòd pneumatos, id est, flatus receptaculum se præbeat.

f *Et diem differre traditur.*] Cicero lib.1. de Diuinatione.

g *Si verò simplex esset.*] Cicero eod. lib.

h *Si verò pulmonis fibra lateret.*] Idem Cicero ibidem.

i *Lien.*] Hæc vsque ad ea verba, Qui tamen, sunt Plinij d. lib. 11. c. 37. Aristot. de Historia animalium lib.1. c.18. Lien à læuo æquè in omnibus, quæ membra ista disposita habent per Naturam, non prodigiosè. Iam enim legitimum illum locum in nonnullis quadrupedum lienem cum iocinore permutasse visum est. Ventri lien annectitur, qua omentum obducit.

k *Qui tamen abundans.*] Vide infrà ibi, Vnde verbum Stratonici.

l *Quare in terra Caria Caunios.*] Plinius dicto libro 11. cap. 36.

m *Vnde verbum Stratonici.*] Strabo lib.14. de Cauno ciuitate loquens, Cùm regio, ait, valde felix sit, omnes tamen confitentur vrbem & æstate & autumno grauem esse. propter æstus ac pomorum copiam. Vnde huiusmodi quædam narrantur, quòd Stratonicus citharœdus videns Caunios colore admodū viridi, dixit hoc illud esse, quod poëta (Homerus lib. 6. scilicet) inquit,

οἵηπερ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.

Id est,

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.

Cùm verò illum incusarent, quòd vrbem, vt morbidam, carperet: Ego (inquit) eam morbidam dicere ausim, vbi mortui ambulant.

n *Quibus hostias quæ vterum.*] Varro lib.5. ling. Latinæ. Festus Pompeius lib. 6. non longè à princ. Fordicidiis, inquit, boues fordæ, id est, grauidæ immolabantur, dictæ à fœtu. Ouid. 4. Fastor.

Forda, ferens bos est: fœcundaq; dicta ferendo:
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.

Et Columella lib.6.c.24. Post vnum coitum forda non admittit taurum.

o *Vel interaneis.*] Hæc superius explicata.

p *Dracones in extis.*] Plinius lib.11.c.37. Cecinæ Volaterrano dracones emicuisse de extis læto prodigio traditur.

q *Contra Graccho sacrificanti.*] Titus Liuius 3. Decad. lib.5. Tib. Graccho, inquit, priusquam ex Lucanis moueret, sacrificanti, triste prodigium factum est, ad exta sacrificio perpetrato, angues duo ex occulto allapsi, edêre iecur, conspectiq; repentè ex oculis abierunt. Id cùm aruspicum monitu sacrificium instauraretur, atque intentius exta referata seruarentur, iterum ac tertiùm venisse tradunt, libatóque iocinore intactos angues abiisse. Cùm aruspices ad Imperatorem id pertinere prodigium præmonuissent, & ab occultis cauendum hominibus, consiliisque nulla tamen prouidentia fatum imminens moueri potuit. Vbi, non de dracone, sed de anguibus, loquitur. Aliter Plutarch. in Gracchis. Alia autem ex dracone auguria, id apud Homerum lib.2. Iliados, & Plutarchum in Crasso, vbi de Spartaco loquitur.

r *Exta*

sequuta sunt. [z] Exta quoque de sacrificantis manu ab aquila fuisse rapta, tam efficaci auspicio fuere, vt nullum præsentius aut felicius fuerit. [s] Si tamen è manu decidissent vel viscera cruore infecta essent aut liuida, nigrisque distincta maculis, vel si omentum & membrana viscera continens, hians foret, aut sanguine suffusa, indubiam necem & fatale exitium portenderunt: [t] quale Crasso euenit, cum contra Parthos ducturus lustraret exercitum, documento futuræ magnæ calamitatis. Præcisa verò bestiarum capita suum sanguinem aut exta lambere, [u] Pyrrho sacrificanti obitum luctuosum & fœdos euentus designarunt. [x] Iidem Cimoni formicarum cateruas sanguinem victimæ corripuisse, adnotarunt. Ferunt tamen diuinandi periti, sanguinem victimæ crassiorem & calidiorem, efficaciorem vim portendere: qui verò tenuior esset & frigidior, maiorem habere intelligentiam. Estque inter exempla, præcisum caput victimæ fluctu maris absortum, atque exta non comparuisse, [y] Callicratidi Lacedæmonio interitum vitæ attulisse. Subit tamen illa reputatio, veteribus tradi monumentis, [z] gallinaceorum fibras maximè diis gratas videri, [a] sicut talparum magi verissima dicunt, illisq; haud secus quàm soleoni victima pulcherrimè litari. Hæc enim sunt exta argutissima, in quibus diuina mens inesse creditur. Fuisseque Cypriorum inuentum, ex suillis extis fieri diuinationem, quódque nisi ex sana victima, neque litari, nec futura prænosci poterant. Ea verò exta quæ nihil habent diuinationis, quæque expianti non litant, tanquam sine nutu, nullóque afflatu diuino, [b] muta dicuntur, quibus non esse litatum notabatur. Quæ autem multum felicitatis & fortunæ pollicentur, † regalia dicta sunt. Apud magos verò, talparum exta & [c] ranarum euentus fortunatos, nonnunquam magnos casus prædicere crediderunt. Cúmque cętera viscera, detractis extis, postquam litatum erat, aræ imposita igni darentur, ipsa tamen exta nunquam elixa: sed veru decocta apponebantur: sola tamen arietis exta aqua elixa sacris epulis apponuntur. [d] Neptuno verò & fluctibus quum sacra faciunt, mare ingressuri, aliquando ipsam hostiam, nonnunquam cruda exta in mare proiiciunt, & vina infundunt. Illud vtique non ab re fuerit meminisse quod periti rerum literis adnotarunt, singulis visceribus hominum suam vim & affectus innatos fuisse: idcirco [e] homines splene ridere, [f] felle irasci, [g] iecore amare, [h] corde sapere & [i] timere.

Exta ab aquila rapta. Exta è manu lapsa. Capita bestiarũ præcisa suum sanguinem lambentia. Crassi aut tenuis sanguinis in victimis iudicia. Ex gallinaceorũ fibris. Ex talparum. Ex suillis extis. Sanam victimã esse oportebat: Exta muta. Regalia. Exta qua apponerentur in victimis: Neptuno & fluctibus sacrificãdi ratio. Sua quibusque visceribus vis.

ANNOTATIONES.

z *Exta quoque de sacrificantis.*] De aquilæ auguriis suprà ca. 13. diximus.

s *Si tamen è manu decidissent.*] Plutarc. in Crasso, Cùm Crassus, vt moris erat, sacrificio instituto lustraret exercitum, porrecta ab aruspice viscera è manibus cecidere: quod cum grauiter omnes, qui adstabant, perturbasset, arridens Crassus, Talia nobis, inquit, incommoda senectus adfert: attamẽ arma nunquam è manibus ceciderunt. Huius celebris dicti meminit Erasmus in Apophthegmatis M. Crassi.

t *Quale Crasso euenit.*] Appianus in lib. qui Parthicus inscribitur, Postremo, inquit, cùm solito more lustraret exercitũ, & mactatis hostiis augur exta illi porrexisset; decidere è manibus. Qua in re cùm præsentes subtristari cerneret, risu edito, Huiusmodi, inquit, senectus est: sed nec armorum vlla è manibus effugient nostris. Quod iam suprà ex Plutar. dictum est.

u *Pyrrho*] Plinius lib. 11. c. 37. Et profectò nihil incredibile sit, existimantibus, Pyrrho Regi, quo die periit, præcisa hostiarum capita repsisse, sanguinem suum lambentia.

x *Iidem Cimoni.*] Plutarch. in vita illius ad finem, Cùm vates de more victimam cædisset, id sanguinis, quod iam humi congelatum erat, formicarum caterua paulatim corripientes ad Cimonem deportabant, & circa pedis pollicem extẽdentes, diu huic rei intentæ singulos latuere.

y *Callicratidi.*] Plutarchus in Apophthegmatis illius, Facto sacrificio, cùm ex vate audisset, exta exercitui quidem victoriam portendi, sed Imperatori mortem: nihil expauefactus, Haud penes vnum (inquit) sunt res Spartæ: me siquidem mortuo, nihil deterius habitura est patria: sed si hostibus cessero, aliquid decedet patriæ. Itaque cùm Cleandrum pro se ducem designasset, nauali prælio cum hostibus congressus, fortiter pugnans vitam cum morte commutauit. Non tamen declarat eorum extorum formam. Xenophon Rerum Græcarum lib. 1. tradit illum naui excussum in mare decidisse. Quod proximè accedit ad prodigium hic ab Alexandro relatum.

z *Gallinaceorum fibras.*] Cicero lib. de Diuination. Plinius lib. 10. ca. 21. de Gallis, & quo modo castrentur loquens, Hi, inquit, maximè terrarum imperio imperant: extis etiam fibrísque haud aliter quàm opimæ victimæ diis grati.

a *Sicut talparum.*] Plinius lib. 30. c. 3.

b *Muta dicuntur.*] Festus Pompeius lib. 11. Muta exta appellabant, ex quibus nihil diminutionis animaduertebant.

† *Regalia dicta.*] Pompeius lib. 16. Regalia, inquit, exta appellantur, quæ potentibus insperatum pollicentur honorem, priuatis & humiliores hæreditates, filio familiæ dominationem.

c *Et ranarum.*] Nam ex ranæ visceribus, hoc est liene, iecinore, corde, lingua & ossiculo, multa veneficia posse fieri tradit Plinius lib. 32. c. 5. Hinc illud Iuuenal. sat. 3.

—— Ranarum viscera nunquam
Inspexi. ——

d *Neptuno verò & fluctibus.*] Liuius 3. Decad. lib. 9. post Scipionis precationem, hæc scribit, Secundum eas preces cruda exta, cæsa victima (vti mos) in mare proiecit.

e *Homines splene ridere.*] Persius sat. 1.

Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.

Id est lasciuo & in risum prurienti. Nam, vt scribit Plin. lib. 11. cap. 37. Splen, siue lien, risus atque iocorum sedes est. Et Seruius in illud Virg. lib. 8. Æneid.

Hic verò Alcidæ furiis exarserat atro
Felle dolor. ——

Quo, inquit, ita irascimur, & secundum Physicos, vt splene ridemus. Hinc illud peruulgatum,

Splen ridere facit, cogit amare iecur.

f *Felle irasci.*] Plinius lib. 11. c. 37. & lib. 28. c. 9. Fellis naturam & vsum describens, inquit, Inter omnia autem communia animalium, fel præstantius in effectu. Est enim vis eius excalfacere, mordere, scindere, extrahere, discutere. Et hinc illud Virgilij citati in præced.

g *Iecore amare.*] Suprà in verbo, Homines splene ridere.

h *Corde sapere.*] Plinius dict. lib. 11. cap. 37. dicit, mentem in corde habitare.

i *Et timere.*] Lactantius lib. 6. c. 15. de affectibus loquens, sic scribit, Quod si, vt medici dicunt, lætitiæ affectus in splene est, iræ in felle, libidinis in iecore, timoris in corde: facilius est interficere animal ipsum, quàm ex corpore aliquid euellere: quod est animantis naturam velle mutare.

Consualia, equitia, & ludi Apollinares, quando à Romanis fierent, quóve modo Diti sacra fiant, & quo tempore. CAPVT XXVI.

Consualia. Consus, atq; eius templũ.

ROMVLVM [a] vrbis conditorem, pace cum finitimis parta, Neptuno equestri solennes fecisse ludos, Consualiáque appellasse, in [b] quibus Sabinas rapuit, authores memorant. [c] Fuit enim Consus consilij deus, cuius ara in circo maximo, vndique aggesta humo, abdita erat, quòd arcanum esse consilium putarunt: [d] quam aram cum ludos celebrant, omnibus adire fas est, reliquo anni tempore non est licitũ: in [e] qua Romani sacrificiis igneis aliisq; solennibus festos agere dies assuerant, quæ feriæ publicæ dictæ sunt, [f] in quibus sacris victima erat mulus, quoniam id genus quadrupedum primum vehiculo iunctum fuisse credunt, eò quòd [g] Lunæ vehiculum traherent, [h] equósque & asinos coronis sertisque exornare, & feriari, neque illos labori admittere mos erat, quòd instituta nauigatione, quum omnium generum merces nauibus aduehantur, otium quodammodo

Victima in Consualibus.

ANNOTATIONES.

a ROmulum] Dionysius Halicarnasseus libro 2. Cùm multæ ac validæ gentes Rom. essent finitimæ, amica nulla, volens eas conciliare sibi per connubia (qui mos contrahendæ societatis antiquis habebatur firmissimus) cogitánsque alias ciuitates aspernaturas nouos conuenas, nec opibus potentes, nec rebus gestis nobiles: nullam tamen ex aduerso contentionem fore, si vim excusaret necessitas ex consensu Numitoris aui suis cepit cõsilium, raptis non paucis simul virginibus connubium quærere, Quæ sententia postquam placuit, primùm Conlo Deo, consiliorum occultotum præsidi vouit, si conatus succederet, solemne festum & sacrificium: deinde re cum Senatu communicata, illis quoque comprobantibus, indixit celebritatem festúmque Neptuno diem, dimissis circum finitimas vrbes qui inuitarent ad conuentum & certamina, quæ tunc istarent, tum virorum, tum equorum varia. Titus Liuius 1. Decad. libr. 1. paulò videtur dissentire à Dionysio, cùm inquit, Iam res Romana adeò erat valida, vt cuilibet finitimarum ciuitatum bello par esset: sed penuria mulierum, hominis ætatem duratura magnitudo erat: quippe quibus nec domi spes prolis, nec cum finitimis connubia essent. Tum ex consilio patrum Romulus legatos circa vicinas gentes misit: qui societatem connubiúmque nouo populo peterent. Nusquam benignè legatio audita est: adeò simul omnes spernebant, simul tantam in medio crescentem molem sibi ac posteris metuebant: Ægrè id Romana pubes passa, & haud dubiè ad vim spectare res cœpit: cui tempus locúmque aptum vt daret Romulus, ægritudinem animi dissimulans, ludos ex industria parat Neptuno equestri solennes: Consualia vocat. Plutarchus in Romulo etiam huius historiæ meminit.

b *In quibus Sabinas.*] Halicarnasseus ad ea, quę dicta sunt in præced. adiungit, Facto deinde ad eam celebritatem confluxu plurimorum hospitum cum vxoribus, simul & liberis, peractisque sacris Neptuni & certaminibus, extrema ludorum die, cum iam soluenda esset celebritas, mandat iuuenibus, dato signo, rapiant virgines, quæ spectatum venerant, quam cuique fors obtulerit, seruentq; castas illam noctem, postridie verò ad se adducant. Tum iuuenes cateruatim diuisi, vbi quod conuenerat signum elatum viderunt, discurrunt ad rapiendas virgines, magno tumultu ac vociferatione hospitum, maius aliquod malum suspicantium. Sequenti verò luce adductarum virginum mœstitia: deiectos animos Romulus consolatus est, rapinam eam non ad iniuriam spectare, sed ad coniugium dictitans. Post hæc comperto puellarum sexcentarum octogintatrium numero, delegit totidem viros cœlibes, quibus eas in matrimonium dedit ritu cuiusque patrio, ignis & aquæ societatem inter coniuges pactus. Tit. Liuius & Plutarch. vbi suprà. Cornelius Nepos, si is est, lib. de Viris illustribus, c. 2. Præterea Varro lib. 5. de ling. Latina, Consualia à Conso dicta sunt, quòd tum feriæ publicæ ei Deo, & in circo ad aram eius ab sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines raptæ.

c *Fuit enim Consus.*] Dionysius Halicarnasseus vbi suprà. Ouidius 3. Fastorum,

Festa para Conso, Consus tibi cætera dicet,
Illo festa die, dum sua sacra canes.

Festus Pompeius lib. 3. inquit, Consualia ludi dicebantur, quos in honorem Consi faciebant, quem Deum consilij putabant. Seruius in eum locum lib. 8. Æneidos.

—— *Magnis Circensibus actis.*

Raptæ, inquit, sunt Sabinæ cõsualibus, hoc est mense Martio. Consus autem est deus consiliorum: qui ideo templum sub tecto in Circo habet, vt ostendatur, tectum debere esse consilium: Hinc est quòd & fidei panno velata manu sacrificabatur: quia fides tecta esse debet, & velata. ideo autem dicato Consi simulachro, rapuerunt Sabinas, vt tegeretur initum de raptu consilium. Arnobius lib. 3. aduersus Gentes, Salutaria, inquit, & fida consilia nostris suggerit cogitationibus Consus: & in cõtrarios exitus cur assiduè vertitur placitorum inopinata mutatio; Dionysius lib. 1 ait, Neptuno equestri templum ab Euandro in latio erectũ, diémque festum statutum, quem illi ἱπποκρατίας, Latini Consualia nominant, quo die cessabant ab opere equi & muli sertisque redimebantur. Diuus Augustinus lib. 4. cap. 11. Ipse sit Deus Consus, præbendo consilia, & ipsa dea Sentia, sententias inspirando.

d *Quam aram.*] Plutarch. in Romulo, inquit. Fama vulgata ab eo primùm est, cuiusdam Dei aram conditam sub terra inuenisse, eique Deo Conso nomen indiderunt, siue à consilio, quòd consiliarius foret, siue Neptunus equestris. Nam ara in circo maximo posita, qua reliquum quidem tempus latet in equestribus autem certaminibus aperitur.

e *In qua Romani sacrificijs igneis.*] Dionys. Halicar. d. lib. 2. & ex eo Lilius Gyraldus Historiæ deorum, Syntagmate 5. sic scribit. Sacraram autẽ illam solennitatẽ nunc etiam Romæ celebrant, & Consualia vocãt, in qua etiam ara subterranea constructa iuxta Circum maximum, circunfossa terra sacrificiisquè & igneis solennitatibus colitur, cursúsqq; equorum iunctorum agitur, & non iunctorum, Consus à Romanis, quem quidam interpretes in linguam Grçcam, ποσειδῶνα, & ἐνοσίχθονα esse dicunt, hoc est Neptunum & Terriquassatorem: ac propterea subterranea coli ara eum tradunt, quòd hic Deus terram habeat.

f *In quibus sacris.*] Festus Pompeius libro 11. ex quo Alexander hunc locum, ni fallor, accepit, id non ita dixit: sed eius hæc verba sunt, Mulis celebrabantur ludi in Circo maximo Consuales: quia id genus quadrupedum primùm putatur cœptum currui, vehiculóque adiungi. Hæc ille, quibus nihil de immolatione dicit: sed his, non equis, hos ludos celebrari.

g *Lunæ vehiculum traherent.*] Idem Pompeius continuò ante id quod supra proximè ex eo adduximus, Mulus, inquit. vehiculo Lunæ habetur, quòd tam ea sterilis sit, quàm mulus: vel quòd vt mulus non suo genere, sed equis creetur, sic ea Solis, non suo fulgore luceat.

h *Equosq;.*] Diximus suprà ibi, Fuit enim Consus. ex Halicarnassei lib. 1. Plutarchus probl. c. 47.

iumentis & remissio data sit : [i] vel quòd equos primùm Neptunus domuerat, & equitandi artem in uenerat, [k] quare Hippius dicebatur. Huic [l] Sextili mense die octauo post decimam, equestres ludos Romulum instituisse ferunt, quarto ab vrbe condita anno, qua die raptas Sabinas volunt : [m] tametsi mense Martio primùm Consualia instituta, eóque tempore raptas Sabinas nonnulli testati sint [n] Plerique diis Laribus dum Romani ludos celebrant, Romulum Sabinas rapuisse dicunt. [o] Erat ergo is ludus, vt equi & muli iuncti & soluti in circo maximo, magno spectantium studio currerent. [p] Qui verò fuerit raptarum numerus, inter authores discrepat: quidam non vltra triginta fuisse tradunt, quæ curiis nomina dedere: nonnulli quingentas, plerique septem & viginti, vt Valerius Antias: alij sexcentas & tres supra octoginta. Prætereque ludos Consuales, Marti quoque in Martio campo idem Romulus ludos instituit, quos ab equorum cursu. [q] Equitia nuncupauit: [r] qui, siquando alluuione Tiberis inundasset campũ, in Cælio monte, vbi Martialis campus erat, colebãtur. [s] sicut vi fluminis inundato circo maximo, extra portam Collinam ad ædem Veneris Erycinæ Apollinares celebrarunt. [t] Erant enim ludi Apollinares ex prædicto Martianorum carminum, quibus Cannensis clades scripta fuit, bello Punico secundo victoriæ causa instituti. Alij à Cornelio Sylla prætore vrbis ex responso Martianorum fratrũ, à quibus fata Romanorũ præscripta erant, inuentos dicunt fuisse. [u] In quibus decemuiri Apollini boue aurata & duabus capris auratis, Latonæq; boue aurata, sacra Græco ritu facere assuerant, quos prætore præsidente, populum laureatum spectasse, Apollini pro cuiusque copiis stipe data, Titus Liuius author est [x] Cumq; antea incerto die fierent, Publius Licinius Varus prætor vrbis legem tulit, vt dies ante tertium Nonas Quintiles his ludis status foret: isq; in perpetuum sacer haberi cœptus est. [y] In quorum celebritate, matronas spectatæ pudicitiæ in propatulo epulari, omniq; cæremoniarum genere festũ diem agere produnt, puerosq; manibus amplexos psallere, & hymnos Apollini canere, [z] sicut Dianæ virgines. [a] Quæ quidem Equitia singulis annis duodecimo calendas Maias in circo maximo celebrarunt, qui dies Cerealibus incurrebat. in quibus post equos, vulpes stipulis alligatæ, accensa flamma, cursitabãt. [b] Prætereq; aram Consi, quæ in circo fuit, ab accessu hominum semota, etiam ara Ditis & Proserpinæ in loco abdito in Martio campo ad Tarentum colebatur, locum denominãtum, quòd ibi Tiberis

Neptunus equorum domitor. Cõsualia quando celebrata. Ludi fer. mam Consuali. bus. Sabinarũ raptarũ numerus. Equitia. Apollinares ludi. Sup. lib. 3. c. 12. Apollinares que die celebrati. Equitia quando celebrabantur. Ara Ditis & Proserpinæ.

ANNOTATIONES.

i *Vel quòd equos primùm Neptunus.*] Pausanias in Achaicis, qui 7. lib. est.

k *Quare Hippius dicebatur.*] Pausanias ibi, & in Arcadicis. Festus Pompeius lib. 8. rationes huius nominis tres addit, in hæc verba, Hippius, id est, equester Neptunus dictus est, vel quòd Pegasus ex eo & Pegaside natus sit : vel quòd equuleus, vt putant, loco eius suppositus Saturno fuerit, quẽ pro Neptuno deuoraret : vel quòd tridentis ictu terra equum exierit, cui ob hoc in Illyrico quaternos equos iaciebant nono quoque anno in mare.

l *Sextili mense, die octauo.*] Plutarch. in Romulo.

m *Tametsi mense Martio.*] Seruius lib. 8. quo loco suprà citauimus.

n *Plerique diis laribus.*] Asconius Pædianus in 2. in Verrem Ciceronis act.

o *Erat autem is ludus.*] Vide suprà ibi, In quibus sacris.

p *Qui verò fuerit numerus raptarum.*] Plutarchus in Romulo eadem, sed diuersis verbis, scribit, quæ hîc Alexander, qui sic ait, Raptas esse quidam triginta tantùm tradunt, à quibus & curias nuncupatas esse. Valerius autem Antias quingentas viginti & septem. Iuba autem (& Dionysius libr. 2) sexcentas octuaginta tres.

q *Equitia.*] Equiria legendum ex Varro. libr. 5. de ling. Lat. Ouid. lib. 2. Fast. ad fin.

Iamq; duæ restant noctes de mense secundo,
Marsq; citos iunctis curribus vrget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ deus in campo prospicit ipse suo.

r *Qui si quando alluuione Tiberis.*] Ouidius lib. 3. Fastorum,

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curuis in latus vrget aquis.
Qui tamen eiecta si forte tenebitur vnda,
Cœlius accipiet puluerulentus equos.

Festus Pompeius lib. 5 Equiria, inquit, ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur. Et lib. 11. Martialis campus in Cœlio monte dicitur, quòd in eo Equiria solebant fieri, siquando aquæ Tiberis campum Martium occupassent.

s *Sicut vi fluminis.*] Liuius 3 Decad. lib. 10. Inter quæ etiam aquarum insolita magnitudo in religionem versa : nam ita abundauit Tiberis, vt ludi Apollinares, circo inũdato, extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati sint.

t *Erant enim ludi Apollinares.*] Liuius eiusdem Decad. lib. 5. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 17. Seruius in lib. 6. Æneidos in eum locum,

— Festosq; dies de nomine Phœbi.

Ludos Apollinares, inquit, qui secundum quosdam, bello Punico secundo, instituti sunt, tempore Syllano, ex responso Martiorum fratrum, quibus Sibylla prophetauerat, quorum extabant, vt Sibyllina responsa.

u *In quibus decemuiri.*] Hæc vsque ad versic. Cúmque. sunt Liuij 3. Decad. lib. 5. & Macrobij vbi suprà, & Festi Pompeij lib. 1. Hincque extat illud Ouidij lib. Metamor. 7.

— Indutaq; cornibus aurum
Victima, vota facit.

Et eiusdem operis lib. 10.

— Et blandis induta cornibus aurum,
Conciderant icta niuea ceruice iuuencæ.
Thuraq; fumabant. —

Vbi Raphaël Regius interpres inquit, Cornua victimarum inaurari solebant.

x *Cumq; antea.*] Hæc vsque ad versi. In quorum celebritate. sunt Liuij 3. Dec. lib. 7.

y *In quorum celebritate.*] Liuius 3. Dec. lib 5. Hæc est, inquit, origo Ludorum Apollinarium, victoriæ nõ valetudinis ergô, vt plerique rentur, votorum. Fastósque populus coronatus spectauit, matronæ supplicauere, vulgò apertis ianuis in propatulo epulati sunt: celeberq; dies omni ceremoniarum genere fuit. Macrob. vbi suprà.

z *Sicut Dianæ virgines.*] Titus Liuius 3. Decad. lib. 7. scribit, Tum septem & viginti virgines lõgam indutæ vestem carmen in Iunonem Reginam canentes ibant. Sed an ad rem faciat, vide.

a *Quæ quidem Equitia.*] Suprà diximus ex Ouidio.

b *Prætereq; aram.*] Festus Pompeius li. 18. Terentum, inquit, locus in campo Martio dictus, quòd eo loco ara Ditis patria terra occultaretur. Sed hîc & apud illum legendum est Terentum ex his, quæ dicam in seq.

c *Ruinon.*]

Deorum inferorũ ara sub terra. Sacra & ludi ad arã Ditis & Proserpinæ. Plutonis templũ. Eumenidũ templum. Quibus victimis Diti sacrificabatur, & qua cæremonia. Manes.

ripas tereret, qui [c] Rumon propterea dictus [d] & Serra, ad quam rarus erat accessus hominum. [e] Diis enim inferis aram non à terra sublimem, sed sub effossa humo statui decere putabant, ad quam ex præcepto Sibyllini carminis, altero & quinquagesimo anno ab vrbe condita, sacra & ludos institutos memorant, ad eámque ter annis singulis accessum placandis manibus patere: videlicet postridie Vulcanalia, & ante sextum Idus Nouembris, & ante tertium Nonas Octobris. [f] Apud Eleos verò Plutonis templum semel tantum patefit, & quamuis patens, nulli introire licitum est. [g] Sicyonij quoque semel annis singulis Eumenidum prope Asopum diem agunt, & sacrum faciunt. [h] Cumq; humanis capitibus prius Ditem placarent, postea ab Hercule admoniti, hominũ simulacra victimas dederunt. [i] Obseruatumque fuit, vt sterilibus pecudibus & iuuencis, ac vino, melle, lacte & sanguine Diti sacra fiant: [k] Quanquam Numæ legibus inferis diis vina libare vetaretur, his verbis: Vino rogum ne respergito. [l] Eas quidem aras, quæ plerumque [m] geminæ fuerunt & pares, dum sacra faciunt, sicut reliquas inferorum, nigris vittis aut cæruleis ornant, & cupresso. [n] Cumq; pecudes immolant, spirantem cruorem in effossam terram mittunt: vinumq; lac & mel vnà infundunt, visceráque cæsæ victimæ ter circum aras ducunt, igne accenso, hoc piaculari sacro inferos euocari arbitrati. [o] Inualuitq; mos, vt infernis diis facturi sacra, pares victimas eásque sinistra immolent: [p] & quum manes expiandi sunt, pocula libent, rogúmque vino, aut sepulchrum conuersa manu inspergant, in quibus litasse piaculum erat: nigrásque hostias immolent, vinaque effundant: vasaq; in ignem mittant, visceráque igni apposita oleo inspergant, quippe Diti sacra exhibentes, cui omnia perdere proprium est: lignáque sterilia è sepulchris eruta, atro igni apponãt: neque oriente luce, vt superis, sed noctu, vel meridie, aut decrescente die, hostiam immolare conuenit, capite ita constituto, vt terram non cœlum spectet. [q] Cúmque in deorum sacris qui rem diuinam facit, corporis prius ablutione purgetur: inferis qui funebria exhibiturus est,

ANNOTATIONES.

c *Rumon.*] Hæc eadem Gyraldus Syntagmate 17. nullo authore laudato. Sed hæc sunt Seruij enarrantis illud Virgilij lib. 8. Æneidos,

— Ego sum, pleno quem gurgite cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Cæruleus Tibris, cœlo gratissimus amnis.

Stringentem, inquit, id est radentem, imminuentem: Nam est Tiberini fluuij proprium: adeò vt ab Antiquis, Rumon dictus sit: quasi ripas ruminans & exedens. Etiam in sacris Serra dicebatur: vnde ait,

— Et pinguia culta secantem.

In aliqua etiam vrbis parte, Terentum dicitur, eò quòd ripas terat. Hæc ille.

d *Et Serra.*] Vide præcedentia.

e *Diis enim inferis.*] Fest. Pompeius lib. 1. paulò ante fi. Altaria ab altitudine dicta sunt, quòd antiqui diis superis in ædificiis à terra exaltatis sacra faciebant, diis terrestribus in terra, diis infernalibus in terra effossa.

f *Apud Eleos.*] Gyrald. de Diis Gentium, lib 17. nullo quoque authore citato. sed id est ex Pausania lib. 6. qui de Eliacis est non longè à fine. Iam verò (inquit Pausanias) Summani ambitum & ædem (vtrunque enim Elei Summano dedicarũt) semel quotannis aperiunt, neque tunc introire cuiquam, præterquam sacrificulo, fas est. Soli omnium ex cognitis gentibus, Elei Ditem patrem ob huiusmodi causam venerantur. Cùm exercitũ ad Pylon, quæ in Elide est, oppugnandum Hercules adduxisset, opem ei ferente Minerua, præsto etiam sibi ad ferendum auxilium Summanum fuisse dicũt, quòd ei honores habuissent: vt qui in Herculem offensiore animo essent.

g *Sicyonij.*] Idem quoque Gyraldus vbi suprà, quod est ex Pausaniæ 2.

h *Cumq; humanis capitibus.*] Idem Gyraldus ibi, ex Macrobio libro 1. cap. 7. cuius in eam rem verba adduxi, Cúmque diu humanis capitibus Ditem, & virorum victimis Saturnum placare se crederent propter oraculum, in quo erat,

καὶ κεφαλὰς ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Herculem ferunt posteà cum Geryonis pecore per Italiam reuertentem, suasisse illorum posteris, vt faustis sacrificiis infausta mutarent, inferentes Diti non hominum capita: sed oscilla ad humanam effigiem arte simulata: Et aras Saturnias non mactando viros, sed accensis luminibus excolentes: quia non solùm virum, sed & lumina φῶτα significant.

i *Obseruatumq; fuit.*] Idem Gyraldus vbi suprà, Virg. Æneid. 6. ostendens cæremonias sacrorum, quæ diis inferis fiebant,

Quattuor hic primùm nigrantes terga iuuencos
Constituit, frontiq; inuergit vina sacerdos,
Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten cœloq; Ereboq; potentem.

& paulò pòst,

— Ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæq; sorori
Ense ferit, sterilemq; tibi Proserpina vaccam.
Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superq; oleum fundens ardentibus extis.

Tibullus lib. 3. eleg. 5. in fi.

Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et niuei lactis pocula mixta mero.

Horatius lib. 2. Carm. Ode 14.

Non si tricenis, quotquot eunt dies,
Amice places illachrymabilem
Plutona tauris.

k *Quanquam Numæ legibus.*] Plinius li. 14. c 12. Numæ Regis, inquit, Posthumia lex est, Vino rogum ne respargito. dátque huius legis rationem.

l *Eas quidem aras.*] Idem Gyraldus vbi suprà.

m *Feminæ fuerunt & pares.*] Vide infrà in verbo, Inualuitque mos.

n *Cumq; pecudes immolant.*] Virgilius 5. Æneidos parentalia Anchisæ describens, ait,

Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho,
Fundit humi duo lacte nouo, duo sanguine sacro
Purpureosq; iacit flores, &c.

o *Inualuitq; mos.*] Plutarchus in Numa, vbi & illud dicit, Superis imparia litari. Quod & obseruans Seruius in illud Virgilij lib. 6. Æneidos, post iusta Miseno peracta,

Idem ter socios pura circumtulit vnda, &c.

Aut sæpius, aut re vera ter. Licet enim à funere, contraxerit pollutionem: tamen omnis purgatio ad superos pertinet. vnde & ait, imparem numerum: aut quia hoc ratio exigit lustrationis.

p *Et cùm manes expiandi sunt.*] Lilius Gyraldus vbi suprà.

q *Cumq; in deorum sacris.*] Et idem quoque Gyraldus vbi suprà, nullo item authore citato: sed id ipsum scribit Seruius in enarratione eius loci lib. 4. Æneid.

Dic corpus properet fluuiali spargere lympha.

omissa ablutione, leui tantum spargitur ramo.[r] Est tamen Fabij Seruiliani pontificis maximi disciplina traditum, vt atro die manibus parentare non liceret, ne infesti manes fierent: quia quum in his sacris Ianum & Iouem præfari necesse sit, quem atro die aduocare piaculare est, eo die solemni precatione vti, & inferis sacrum facere vetabantur. [s] Hi tamen ludi ad Tarentum seculares dicti, qui non stato die, sed à prima origine singulis centum annis, ex præcepto Sibyllinorum carminum fiebant, quorum [t] author Valerius Publicola fuit, qui primus cæsis atris bobus, Diti maribus, Proserpinæ fœminis, trinoctio ludos ad Tarentum fecit. Proditur tamen decretum inter Pontifices, vt si defuncto cadaueri iusta quispiam exhibere vult, & an humatum esset, in dubium veniret, satis haberent, si quibusdam sacris precationibúsque exhibitis, glebam absenti cadaueri, aut terram iniicerent, térque iniecto puluere, à labe erroris cadauer, manésque expiatos ducerent: atque si operto humo cadauere, os exceptum fuisset, donec purgetur, inhumatum videri. [u] Est quoque notatum, in æde Libitinæ ea quæ humandis corporibus vsui sunt, Romanos venditare, qui nisi mense exacto, & vesperi ac Februario mense, mortuis dare inferias solebant.[x] Delphi verò apud aram Epitymbiæ Veneris manes euocabant, & defunctis parentabant: Græci autem paucis à morte diebus feralia litabant defunctis obsequia, obseruatúmque vt reliquo corpore combusto, plerumque digitum, membrúmve, aut crines seponerent, quibus tanquam cadaueri iusta persoluerent & parentarent. Exteris verò gentibus diuersa parentatio fuit. [y] namque apud Platæenses manibus peremptorum ciuium dabantur inferiæ, vt præcedente tibicine, vehicula multa lauro & myrto fusca, cum coronis sequantur, mox lactis, vini & olei libationes succedant: deinde purpuram indutus Princeps, cuius ductu res geruntur, exclusis seruis, mactato ante pyram tauro, vbi Iouem & Mercurium adorasset, manes illorum qui pro patria ceciderant, ad cœnam aduocet: postea cratere merum libans, se, defunctorum manibus propinare asseueret: hoe modo illos velut claro præconio excitos, expiari opinati. Achillis verò manes in Sigæo nisi nudos & vnguentis delibutos circa sepulchrum decurrentes, nudos expiare competens est.[z] Apud Albanos, manibus defunctorum parentare, aut iusta persolnere, nulli permittitur, quòd defunctos humana ope putabāt non egere.[a] Essedones purgatum defuncti caput inaurant, illique quotannis hostias mactant, & iusta persoluunt.[b] Augilæ, qui vltra Cyrenem sunt, nullos deos, præter defunctorum manes, putabant, ab illis vbi tumulis incubuere, per somnia responsa accipere opinati. Ægyptij dum manibus defunctorum parentant, post preces oppleti lacrymis, tumulum amplexātur & coronant:[c] quibus mos erat, in insula quæ

Manibus atro die parentare nefas. *Ludi seculares.* *Cadaueribus inhumatis iusta exhibita.* *Romani.* *Delphi.* *Græci.* *Exteri.* *Albani.* *Essedones.* *Augilæ.* *Ægyptij.*

ANNOTATIONES.

In eum locum trahens & illum eiusdem operis lib. 6.

Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

Et illum lib. 2. eiusdem operis,

— Donec me flumine viuo.

Abluero. ——

Quia sacrificantes, vt Seruius ait, diis superis abluebantur.

r *Est tamen Fabij Seruiliani.*] Gyraldus vbi suprà. Macrobius à me ante citatus lib. 1. Satur. c. 16. Sed & Fab Max. Seruilianus Pont. io lib. 11, negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Ianum, Iouéque præfari necesse est, quos nominari atro die non oportet.

s *Hi tamen ludi ad Tarentum.*] Terentum legendum est, vt suprà diximus, & docet Martialis lib. 4. epig. 1.

Hic colat ingenti redeuntia secula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.

Et lib. 10. epig. 63.

Bis mea Romano spectata est vita Terento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.

Et Statij Syluarum lib. 1. syl. 4.

Nec tantum induerint fatis noua secula crimen;
Aut instaurati peccauerit ara Terenti.

Et Ausonij in Gripho ternario,

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo:
Qualia bis genito Thebis Trieterica Baccho.

Vide tamen Valerium Maximum, qui de his loquens Tarentum vocat lib. 2. c. 1. vbi de Valesio quodam loquitur viro locuplete & rusticæ vitæ, qui duobus filiis ægrotantibus, & filia ad desperationem vsque medicorum laborantibus, aquam calidam iis à foco petens genibus innixus, lares familiares, vt puerorum periculum in ipsius caput transferrent, orauit: otta deinde vox est, Hibiturum eos saluos, si continuo flumine Tiberis deuectos Tarentum portasset.

t *Author Valerius Publicola.*] Plutarchus in vita illius. Et ei, quod de Trinoctio dicit, astipulatur Valerius Maximus, & Antonius vbi suprà, & Horatius de his ludis loquens in carmine seculari,

Certus vndenos decies per annos
Orbis, cantus, referatque ludos,
Ter die claro totiésque grata
Nocte frequentes.

Nam, vt dicit Acron interpres ibi, Ludi seculares ternis diebus & noctibus agebantur, pro cultu Solis die, & nocte Lunæ.

u *Est quoque notatum.*] Plutarchus problem. t. 22.

x *Delphi verò.*] Plutarchus d. prob. 22. sic scribit, Delphis enim Epitymbiæ Veneris exigua sanè statua posita ostenditur, ad quam manes ad parentiones & libationes, & eliciere, & euocare consueuerunt.

y *Namque apud Platæenses.*] Id totum vsque ad versic. Achillis verò, est Plutarchi in Aristide.

z *Apud Albanos.*] Strabo lib. Geographiæ 11. eorum mores describens, sic ait, Albani præcipuè senectutem venerantur non parentum modò, sed etiam cæterorum. Mortuorum curam habere, aut meminisse nefas est: nam cum mortuis pecuoias defodiunt Idcirco pauperes viuunt, cùm patrimonium nullum habeant.

a *Essedones.*] Herodotus in Melpomene, talibus eos mōribus vti tradit, Quoties pater alicui decessit, omnes eius propinqui pecora adducunt, quæ vbi mactauērūt, conciderūntque, concidunt & mortuum patrem illius, à quo conuiuio accipiuntur, commistísque carnibus conuiuium exhibent. Caput tamen defuncti denudatum, purgatúmque inaurant, eóque pro simulachro vtuntur, agentes illi quotannis maiores hostias ceremoniásque. Non diuersa ab his tradunt Solinus c. 25. Pomponius Mela in princ. Geographiæ lib. 2.

b *Augilæ.*] Pompo. Mela Geograph. 1. c. 8. vbi Cyrenaica describit, Augilæ, inquit, manes tantùm deos putant, per eos deierant, eos vt oracula consulunt precatíque quæ volunt, vbi tumulis incubuere, pro responsis ferunt somnia. Solinus c. 44. quod de Augilis scribit, sumpsit ex c. 8. lib. 5. Plinij.

c *Quibus mos erat.*] Seruius in illud Virgilij lib. 6. Æneidos,

Sic demum lucos Stygios, regna inuia viuis Aspicies. ——

Abatos dicitur, vt si quo mersum in flumine cadauer non appareret, centũ annis illi funus facerent & ita manes expiarent.[d] Delphi cum Pyrrhi tumulum nullo honore antea coluissent, postea cum didicissent illum contra Gallos pro Delphis adfuisse, Pyrri manibus in posterum parentarunt. Delij verò pueri & puellæ, Hyperboreis virginibus vita functis, tonsis crinibus parentasse dicuntur, quos fusis inuolutos, supra illarum monumentum puellæ deponunt, pueri verò in sepulchris. Getarum lex erat, manes viri defuncti non aliter nisi morte vxoris expiari.[e] Ad Terei sepulchrum si qui parentant, aut immolant, hordei luco calculis vtuntur.[f] Romani verò floribus ornare sepulchrum, & sacrificio atque epulo defunctis parentare solent, nonnunquam thure & mero supplicare [g] sine tibicine, quibus in acie cæsis, fuit tam ara quàm annua parentatio constituta. Et tametsi mense Februario mortuis dare inferias consuessent,[h] Decius tameo & Brutus, contra maiorum instituta, Decembri mense parentabant. Proditúrque memoriæ Traianus imperator, in ea domo qua Alexander Macedo morte sublatus fuit, eius manibus parentasse, & sacrum fecisse. Maxima verò manium euocatio [i] (Homeri testimonio) apud Auernum traditur fuisse; in quo cæsis victimis, & carmine effuso, manes defunctorum ab inferis per diras execrationes eliciunt: mox tenuissima effigie, & hominis simulacro sub noctem apparente, responso excepto super quo consulturi venerant, è conspectu imago in auras puncto temporis dilabitur.[k] Notatúmque & illud, in deorum manium sacris & feralibus cœnis, præter lentes & offas, apiam apponi, quibus qui sacris intererant, vescebantur.[l] Neque solum spectacula & ludos, sed deorum sacrificia & manium parentationes, si quando minus rite exhibita, aut si non omnia iusta & solennia seruata essent, ex leuibus omissis causis, aut plus iusto seruatis, secundò & tertiò ac sæpius veteres instaurare & reficere consuesse.

Delphi. Delij. Getæ. Parentatio ad Terei sepulchrũ. Romani. Inferiæ mense Decembri. Manium euocatio apud Auernum. Apium in manium sacris & feralibus cœnis.

ANNOTATIONES.

Seneca, inquit, de sacris Ægyptiorum scribens refert, iuxta Syenem, extremo Ægypti locum esse, quas Philas, id est, amicas vocant: quia illic placata est Isis nata, quòd membra Osiridis mariti, non inueniebat: quæ inuenta, quum sepelire vellet, elegit vicinæ paludis tutissimum locum, quem ad transitum constat esse difficilem. Limosa enim est palùs, & papyris referta, vltra hæc breuis insula inaccessa hominibus: dicta ab hoc ἄβατος. Hinc Lucanus lib. 10.

Hinc Abatos, quod nostra vocat veneranda vetustas.

Hæc palus Styx vocatur, quòd tristitiam transeuntibus afferat: sanè ad illam insulam, ab iis, qui sacris imbuti sont, certis transitur diebus. Vicini autem populi cadauera suorum ad alteram regionem transferunt: sed, si quis in fluuio periret, nec eius inueniatur cadauer, post centum ei annos persoluunt officia. Hinc tractum est,

Centum errant annos, volitantqué hæc litora circum.

d *Delphi cum Pyrrhi.*] Pausanias in Atticis.

e *At Terei sepulchrum.*] Idem Gyraldus suprà sæpius nullo authore laudato. Id autem est Pausaniæ in Atticis.

f *Romani verò.*] Ouidius lib. 2. Fastorum,

Est honor & tumulis amicas placare paternos,
Paruaqué in extructas munera ferre pyras.
Parua petunt manes, pietas pro diuite grata est
Munere, non auidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, paruaqué mica salis.
Inqué mere mollita Ceres, violaqué soluta:
Hæc habeat media testa relicta via.
Nec maiora veto: sed & his placabilis vmbra est:
Adde preces positis & sua verba focis.

g *Sine tibicine.*] Seruius l. 11. Æneidos in funere Pallãtis ibi,

It cœlo clamorqué virûm, clangorqué tubarum.

Antè eum, inquit, mortui ad tubam deducebantur, citâtque illud Persij sat. 3.

Hic tuba candelæ, tandemqué beatulus alto
Compositus lecto. ——

h *Decius tamen & Brutus.*] Textor in officina Sacrificiorum & victimarum genera describens, cum Parentalia definit, sic ait; Decius & Brutus parentabant Decembri mense: quia Saturno consecratus est hic mensis, quem habent in numero deorum inferorum.

i *Homeri testimonio.*] Odyssæ lib. 11.

k *Notatúmque illud.*] Plinius lib. 20. cap. 11. Plutarchus in Timoleone

l *Neque solùm.*] Hîc omnino vide, quæ scripsi in Commentariis in l. boues. §. hoc sermone.

Quæ sacra expiationis causa à Romanis seruabantur, & quibus ex causis fierent, quæve apud exteros.

CAPVT XXVII.

Sacra solennia & stata.

INTER plurima sacra quæ vetus religio habuit, quædam [a] solennia & stata fuerunt, quæ eodem stylo modoq; indici semper & seruari solita sunt, quorũ ritus & cæremonias trãsgredi aut omittere, [b] nulli

ANNOTATIONES IN CAP. XXVII.

a *QVadam solennia & stata fuerunt.*] Stata sacrificia sunt, quæ certis diebus fieri debent. Cato in ea, quam scribit de L. Vecturio, de sacrilegio commisso: cùm ei equum ademit, apud Festum Pompeium, Tu, inquit, quod in te fuit, sacra stata, solẽnia sancta deseruisti. Cicero lib. 1. Tuscula. quæst. Cùm enim illum ad solenne & statum sacrificium curru vehi ius esset. Et in Oratione de Aruspicum responsis, Maiores statas solennésque ceremonias. Ouid. l. 1. Fastorum,

Cùm mihi (sensit enim) lux hæc indicitur, inquit
Musa, quid a Fastis non stata sacra petis?

Liuius 3. Decad. lib. 10. Statius lib. 1. Thebaidos,

— Inde hæc sacra stata quotannis
Sollennes recolunt epulæ. ——

Sacra stata (inquit Lactantius interpres) constituta, quæ differri nefas est: Stata, ab eo quòd stent, neque mutentur, neque differri possunt, vt Virgilius lib. 8. Æneidos,

Interea sacra hæc, quando huc venistis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate fauentes
Nobiscum, & iam nunc sociorum assuescite mensis.

Macrobius Satur. lib. 1. c. 16.

b *Nulli fas erat.*] Vt patet ex eo loco Catonis, qui L. Vecturio equum ademit, quòd ea sacra deseruisset.

c *Siquidem*

fas erat:[c] siquidē si lapidibos pluisset, Nouendiali semper sacro expiatū fuit, hoc enim sacrum [d] nouem dies colebatur,[e] quod vel prætor vrbanus,[f] vel pontifex maximus ex senatus decreto indicebat.[g] idq; vel cœlesti voce in Albano missa, vel aruspicum mooitu. Si verò cælestes minæ terroréſve, aot terra renunciatētur prodigia formidinésque, vel si terribilis species, aut quid oouum & inopioatū oblatū esset, [h] vt eū duo visi soles, [i] facésve de cælo colluxissēt [k] aut crinita sidera insigni nouitate, vel igneus turbo, atque iosolita mundi facies fulsisset, [l] strepitúsve armorum de cælo auditus, [m] & ingentibus procellis effusus imber foret, [n] vel misto sanguine Tiberis fluxisset, [o] tectáque publica [p] ædésve deorum de cælo tacta essent, [q] aut alia terribilia monstra & prodigia cælestia ostentaoiia minas apparerent, his auertendis terroribus, piacularibus sacrificiis factis ad placandas iras, [r] vel feriæ indicebantur, [s] aut lecti-

Expiatio vbi lapidibus pluisset, vbi ex cælo ostenta apparuissent.

ANNOTATIONES.

c *Siquidem si lapidibus pluisset.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. & 3. Decad. lib. 1. paulò ante fi & iterum lib. 2. scribit, Præneste ardentes lapides cœlo cecidiss. iterum 3. 5. 6. 7. & 10. vbi ita scribit, Et in palatio lapidibus pluit. id prodigium, more patrio, nouendiali sacro expiatum. Et 4. Decad. lib. 45 8. 9. Et 5. Decad. lib. 4. & alibi sæpe. Iulius Obsequens Prodigiorum c. 3. 3 5. 5 1. 5 2 & 5 4. & alibi sæpe. Appianus lib. 4 bellorum Ciuilium, Imbres lapidei è cœlo missi, continua fulmina in exempla statuásque deciderunt.

d *Nouem dies colebatur.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. Festus Pompeius lib. 12. vbi de Nouendialibus feriis.

e *Quod vel prætor vrbanus.*] Sueton. in Claudio, c. 22.

f *Vel Pontifex maximus, &c.*] Liuius 3. Decad. lib. 7.

g *Idque vel cœlesti voce.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. Romanis quoque eodem prodigio Nouendiale sacrum publicè susceptum est: seu voce cœlesti ex Albano monte missa (nam id quoque traditur) seu aruspicum monitu: mansit certè solenne, vt quandocumque idem prodigium nunciaretur (scilicet cùm lapides cœlo caderent) feriæ per nouem dies agerentur. Iul. Obsequens cap. 3. eadem scribit.

h *Vt cùm duo visi soles.*] Liuius 3. Decad. lib. 8. Et Albæ duos soles visos referebant. & eiusdem Decad lib. 9. & 5. Dec lib. t. tres simul soles effulsisse tradit. Iulius Obsequens Prodig. c. 41. 43. & 72. & tres soles simul apud eundem cap. 66. 127. & 129. Et Capenæ duas interdiu lunas ortas tradit idem Liuius 3. Decad. lib. 2. post princ. Obsequens cap. 30. Arimini tres lunas distantibus cœli regionibus exortas memoriæ prodidit. Appianus lib. 4. bello. Ciuil. Circa solem insolita apparuere signa.

i *Facésve de cælo colluxissent.*] Liuius 3. Dec. lib. 3. & 5. Dec. lib. 1. non semel. & iterum lib. 3. & 5. & alibi sæpe. Iul. Obsequens c. 69. 88. 113. & 127. Ouid. Metam. lib. 15.

Sæpe faces visa mediis ardere sub astris.

k *Aut crinita sydera.*] Plinius lib. 2 c. 25. Obsequens c. 127. Sueton. in Iulio Cæsare c. 88. Stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa vndecimam horam Et Maro in laudem Cæsaris, illud videtur cecinisse ecloga 9. quæ Mœris inscribitur,

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Idem Suetonius in Nerone, cap. 36. Nec minore sæuitia foris, & in exteros grassatus est. Stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere vulgò putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Seneca lib. Naturalium quæstionum 7. eodémque vltimo in quo agitur de Cometis, cap. 21. tradit hæc, Sex mensibus hic cometes, quem nos Neronis principatu lætissimo vidimus, spectandum se præbuit in diuersum illi Claudiano circumactum. Cornelius Tacitus lib. 14. Sydus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem Regis portendat. & lib. 15. Fine anni vulgantur prodigia imminentium malorum nuncia: Vis fulgurum non aliâs crebrior, & sydus cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum. Dion in Vespasiano, Iis, inquie, qui de comete nescio quid inter se colloquebantur, ait, Non mihi, sed Parthorum Regi mortem portendit: ille comatus est, ego caluus sum. κομήτης γὰρ ἐκεῖνος, ἐγὼ δὲ φαλακρός εἰμι. Albertus Magnus lib. 1. Meteororum vbi huius rei rationem reddit. Lucanus lib. 1.

Ignota obscuræ viderunt sydera noctes,
Ardentemque polum flammis, cœloque volantes,
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Syderis, & terris mutantem regna cometem.

Cicero lib. 2. de Natura Deorum, Tum facibus visis cœlestibus, tum stellis his, quas Græci cometas, nostri cincinnatas vocant, quæ nuper bello Octauiano magnarum fuerunt calamitatum prænunciæ. Virgil. lib. 2. Georg. in fi.

Non aliâs cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere cometæ.

l *Strepitúsve armorum.*] Virgilius lib. 1. Georgicôn,

Armorum sonitum toto Germania cœlo
Audiit, insolitis tremuerunt motibus Alpes.

Ouidius libr. 15. Metamorphoseôn enumerans prodigia, quæ ante cædem Iulij Cæsaris apparuerunt, inquit,

Arma ferunt nigras inter crepitantia nubes,
Terribilesque tubas, auditaque cornua cœlo
Præmonuisse nefas: solis quoque tristis imago
Lurida sollicitis præbebat lumina terris.

Appianus lib. 4. bellorum Ciuilium, scribit hominum immanes voces auditas, armorum strepitus, equorum cursus, inspectante nemine, auditos. Iulius Obsequens c. 105. scribit fremitus armorum ex inferno auditos.

m *Et ingentibus procellis.*] Liuius 1 Dec. lib 5.

n *Vel misto sanguine.*] Virgi. lib. Æneid. 12.

— Recalent nostro Tyberina fluenta
Sanguine adhuc campique ingentes ossibus albent

Et idem de aliis fluminibus & lacubus, ex Liuio 3. Decad. lib. 2. post princ. Nunciatum est, inquit, aquas Cærete sanguine mixtas fluxisse & 4. Decad. lib. 3. scribit flumen Amiterni cruentum fluxisse. Et 3. Decad. lib. 7. de aqua Albana, quæ cruenta fluxit. & eodem lib. Vulsiniis sanguine lacum manasse, & non multò pòst, Minturnenses, terribilius quod esset, adiiciebant: Sanguinis riuum in porta fluxisse. Et Obsequens c. 30. vbi de fluuio Piceni.

o *Tectaque publica.*] Liuius 3. Decad. lib. 4. scribit, atrium publicum in Capitolio tactum de cœlo fuisse. Et eiusdem Decad. lib. 6. Murus ac portæ tactæ, & Aniciæ etiam Iouis ædes de cœlo tacta fuerat. & lib. 5. murus turrésque quædam Cumis non ictæ modò fulminibus, sed etiam decussæ.

p *Ædesque deorum.*] Idem Liuius 3. Decad. lib. 1. ad fin. Ædem Spei, quæ in foro Olitorio est, fulmine ictam. & lib. 4. Ædem in campo Vulcani de cœlo tactam. & lib. 7. Minturnis ædem Iouis, & lib. 8 & 4. Decad. lib. 1. & 7. & lib. 9. vbi de æde Opis, & alibi sæpissimè, & Obsequens cap. 71. vbi de æde Salutis.

q *Aut alia terribilia*] Liuius 3. Decad lib. 10. post princ. & sæpe aliâs, aut si pestilentia grassaretur ex eodem 4. Decad. lib. 10. Aut si lacte plueret, ex eodem 3. Dec. lib. 7. Aut si luce tenebræ obortæ essent. 4. Decad. lib. 8. Et apud Obsequentem cap. 30. Aut stellæ per diem perpetuò apparerent, aut stellæ in longum productæ medio quasi aëre suspensæ, & Herodiano lib. 1.

r *Vel feriæ indicebantur.*] Liuius 4. Dec. lib. 10. Senatus censuit & Coss. edixerunt, vt per totam Italiam triduum supplicatio & feriæ essent. Et 5. Decad. lib. 2. Horum prodigiorum causa, res diuinæ factæ, & supplicatio vnum diem feriæque habitæ. Et 5. Decad. lib. 1.

s *Aut lectisternia.*] Liuius 1. Decad. lib. 5. vbi primum lectisternium factum est, & lib. 7. post princ. & 3. Decad. lib. 1. ad finem, & lib. 2. post princ. Et de huiusmodi lectisterniis vide

eundem

sternia tribus stratis lectis.[t] Ioui, Vulcano & Mineruæ (siquidem hi iactus fulminum possidebant)[u] nonnunquam ludorum celebritate, decreto pontificum procurabantur. [x] Fiebant enim supplicationes cum solenni precatione vrbe tota, circa omnia delubra phanáque & puluinaria, in quibus honos diis dabatur: senatorésque & patricij [y] cum coniugibus & liberis, [z] plerumque coronati, nonnunquam omnes tribus & ordines, præeunte pontifice maximo, aliquando duumuiris, præcedentibus pueris ingenuis & libertinis, ac virginibus [a] patrimis & matrimis coronatis, vel [b] lauream tenentibus manu, [c] voce modulata pronunciantibus carmen, prælata pompa, frequentes supplicare, & pacem deum exposcere solebant. Græci verò si quando territi malis supplicabant, vetustum carmen inter vota precésque cani iubebant, hoc tenore. Beatorum antiquissima sanitas, in omni tempore tecum sum. [d] Quæ quidem puluinaria, apparatæ lecticæ diuorum erant, in quibus numina pro maiestate iuxta aras sublimia extabant, [e] quibus fasciculi ex verbenis (struppi vocati) pro capitibus locabantur. Hæ quoque supplicationes, si quod iustum bellum in exteras nationes indictum, aut si pro aris focísque & deorum templis, ac solo patrio pugnandum foret, vt ea res populo Romano sociísque ac nomini Latino bene & feliciter eueniret, vtque bonis auspiciis ac diis bene iuuantibus arma sumerent. [f] Ac victoribus bello viris, ob res feliciter ductu eorum gestas, in quibus grates diis agebant, [g] mulierésque eximios cultus, viri prætextas atque amplissima ornamenta sumebant à senatu maximi muneris loco sæpe tributæ sunt, [h] modò plurium dierum, modò paucorum, prout magnificè gesta, & prosperi successus postulabant.[i] Diuo Iulio in expeditione Gallica, contra quos multiplici clade dimicatum est, ob claras pugnas quindecim dierum supplicatio decreta fuit. [k] Et D. Brutus ob profligatum Antonium bello Mutinensi (quod antea contigit nulli) quinquaginta dierum supplicationes meruit. [l] Cicero quoque in senatu C. Octauio ob res feliciter gestas, per omnia templa phanáque pariter quinquaginta dierum supplicationes decreuit. In quibus grandes natu matres manibus amplexæ, atque viri seorsim coronati procedere & cum bonis precationibus & faustis ominibus ad templa conuenire, & diis gratias agere solebant. In his quoque præcipuè ciues lætati, [o] quod vitulari dixe-

Supplicationes quibus ceremoniis fiebant.

Græci.

Puluinaria in lectisterniis.

Alia supplicationum causa.

Supplicatio D. Iulio decreta. D. Bruto. C. Octauio.

Vitulari.

ANNOTATIONES.

eundem 4. Dec. lib. 6. in princ. Et Valerium Maximum lib. 2. c. 1. vbi de Valesio quodam loquitur. Et de P. Valerio Publicola, qui primus Coss. fuit cum Bruto, fecitque lectisternium per trinoctium. Vide prætereà Seruium in 12. libr. Æneid. Virgilij in eum locum,

— *Et diri sacraria Ditis.*

Vbi sic ait, Lectisternia dicuntur, vbi in templo homines sedere consueuerunt. Diuum Augustinum lib. Ciuitatis 3. c. 17. & Censorinum de die Natali.

t *Ioui, Vulcano, & Mineruæ.*] Liuius 3. Decad. lib. 2.

u *Nonnunquam ludorum celebritate.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. Et cùm vis morbi nec humanis consiliis, nec ope diuina leuaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, noua res bellicoso populo (nam circi modo spectaculum fuerat) inter alia cælestis iræ placamina instituti dicuntur. Et eiusdem Decad li. 7. vbi, vt prodigia, quæ nunciata erant, procurarentur, decretum fuit, vt C. Hostilios prætor ludos Apollinis, sicut his annis voti factíque erant, voueret faceretque, & iterum eodem lib. 7. & eiusdem Dec. lib. 10.

x *Fiebant enim supplicationes.*] Liuius 3. Dec. lib. 1. ad fin. & 4. Decad. lib. 10. & sæpe aliàs, & Iulius Obsequens cap. 54.

y *Cum coniugibus & liberis.*] Liuius 3. Decad. lib. 2.

z *Plerumque coronati.*] Liuius 4. Decad. lib. 4. cuius verba afferemus infrà. & lib 6. & 10. & 5. Decad. lib. 3.

a *Patrimis & matrimis.*] Liuius 4. Decad. lib. 7. post princ. Supplicatio earum religionum causa fuit, quibus diis Decemuiri ea libris vt fieret, ediderunt. Decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes, matrimique omnes ad id sacrificium adhibiti, & Decemuiri lactentibus nocte rem diuinam fecerunt. Patrimi & Matrimi dicuntur, qui patrem, aut matrem adhuc viuentem habent. Iulius Obseq. c. 55.

b *Lauream tenentibus manu.*] Liuius 4. Deca. lib. 10. Maiores duodecim annis omnes coronati, & lauream in manu tenentes supplicauerunt.

c *Voce modulata pronunciantibus carmen.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. quo loco infrà citabimus, & 4. Decad. lib. 1. Carmen prætereà ab ter nouenis virginibus cani per vrbem iusserunt, donumque Iunoni Reginæ ferri.

d *Quæ quidem puluinaria.*] Seruius lib. 3. Georgicôn ad finem, Puluinaria, inquit, pro templis ponimus, cùm sint propriè lectuli, qui sterni in quibusdam templis consueuerant. Acron in Horatium lib. 1. Carm. 17. Puluinaria, ait, dicebantur, aut lecti deorum, aut tabulata, in quibus stabant omnia, vt eminentiora viderentur. Solebant Rom. vel deuictis hostibus, vt vidimus, vel quouis alio modo rep. bene gesta, & periculo propulsato, ad omnia puluinaria deorum supplicationem decernere, atque aliquot dies festos ferias publica celebrandos indicere. Sic Cicero Catilin. 3. Quamobrem Quirites quoniam ad omnia puluinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum coniugibus & liberis vestris.

e *Quibus fasciculi ex verbenis.*] Festus Pompeius lib. 17. non adeò longè à fi. Struppi, ait, vocabantur in puluinaribus fasciculi de verbenis facti, qui pro deorum capitibus ponebantur.

f *Ac victoribus bello viris.*] Quod exemplis posteà probatur.

g *Mulierésque eximios cultus.*] Liuius 3 Decad. lib. 7. & 8. dicit amplissima veste, omni soluta metu, cum liberis, diis immortalibus gratias egisse.

h *Modò plurium dierum.*] Liuius 1. Decad. libr. 3. vbi de supplicatione decreta ob victoriam L. Valerij & M. Horatij Coss & lib. 5. vbi de supplicatione etiam decreta ob Veios captos, & alibi sæpe, & videbis etiam ex seq.

i *Diuo Iulio.*] Plutarchus in vita illius, Hæc vbi Senatui renunciata sunt, per sacrificia indictásque solennitates, quindecim dierũ supplicatio, quantum vlla in victoriam nũquam superiori tempore obtigerat, diis immortalibus decreta est. Cæsar l. 2. belli Gallici in fi. Ob eásque res ex literis Cæsaris dies quindecim supplicatio decreta est: quod ante in tempus acciderat nulli. Sed & eidem supplicatio viginti dierũ à Senatu decreta est, vt & idem scribit lib. 4. eiusdem operis in fi.

k *Et Decius Brutus.*] Legendum Decimus ex Appiano Alexandrino, qui id refert lib. bellorum Ciuilium 2. & 3.

l *Cicero quoque in Senatu C. Octauio.*] Cicero Antoniana 14. nomine trium Imperatorum Octauij Cæsaris, Hirtij & Pansæ Consulum, quinquaginta dierum supplicationes decreuit ob res in Antonium gestas. Appianus bellorum Ciuilium lib. 3. supplicationes ob res in Antonium gestas 50. dierum anniuersarias Senatus habendas censuit, quod nec vnquam bello Celtico, aut aliis in præliis decreuere Rom.

m *In quibus grandes natu matres.*] Liuius 1. Dec. lib. 5.

n *Quod vitulari dixere.*] Macrobius lib. 3. c. 2. authoritate

re, [o] delubra patere, [p] aras sacrificiis fumare, [q] honoréque ac donis cumulari, [r] nonnunquam vinum [s] & thus publicè dari legimus. Fuitque supplicatio aliquando prærogatiua triumphi: nam quibus ob res bene gestas supplicationes decretæ sunt, haud multo pòst feliciter confectis bellis, à senatu speciosos triumphos datos comperimus. Obseruatúmque, vt quoties obsecrationes, supplicationésque aut lectisternia indicebantur, [t] à iurgiis & litibus temperarent, [u] vinctísque vincula demerent: & tametsi ob rei militaris facinora aut partam victoriam supplicatio decerni soleret duci absenti, [x] vni tamen Ciceroni togato & præsenti, quod rempub. è coniuratorum manibus eripuerat, & ciues conseruarat, supplicatio decreta fuit. Estque animaduersum, plerumque à matronis quibus viri essent, Iunoni supplicatum, primùm in Capitolio, deinde in mari proximo, vnde hausta aqua templum & simulacrum inspergebant. [y] Post aliquot verò ætates, defluxis moribus, & collapsa disciplina militari, ob leuissimas sæpe causas, & quæ ad rempub. vix pertinerent, supplicationes decretas inuenimus: [z] quippe Neroni ob recitationem carminum in theatro, vel ob fugas ciuium infandas, & ob publicas clades, quòd sæuitum esset in noxiorum bona, & leuibus de causis sæpe decreuit supplicationem senatus, nam quoties fugas aut cædes iussisset Nero, toties diis grates habitas authores referunt. Fuitque ista vaga popularis supplicatio. Græcis autem ob prosperos successus, & partam de hostibus victoriam, rarenter supplicatio, sæpius epulum per singulas tribus publicè dari, & ludi indici solebant. Si cui tamen supplicatio pro insignibus factis dabatur, apud Athenienses seruatum est, vt vasa aurea & argentea in pompis efferrent, & sacra decernerent, quasi hoc magnificum laudationis munus foret. [a] Si verò semimares, aut insoliti animalium partus, & alia monstra informia edita essent, iusso fœtu exportari, & in mare vel flumen

Supplicatio triumphi prærogatiua.

Ciceroni.

Iunoni. Supplicationes ob leuissimas causas. Neroni.

Græci.

Athenienses. Vbi monstra edita essent.

ANNOTATIONES.

Titij & Varronis. Nonius Marcellus, Vitulantes, inquit, veteres gaudentes dixerunt, dictum à bonæ vitæ commodo: sicuti qui nunc est in summa lætitia viuere eum dicimus: Nonius Lycurgo, Vt in venatu vitulantes ea fuis non mittant pœnis decoratos feris. Hæc Nonius. Festus lib. vltim. à vitulis deducit, qui summa in pratis lasciuia exultant. Vitulans, inquit, lætans gaudio, vt prato vitulus. Ennius, Habet is coronam vitulans victoria. Quibus adde Plautum in Persa actus 2. scena 3.

Opes, spes bonas, copias, commodanti lubens, vitulorqué merito.

o *Delubra patere.*] Supplicationem solennem Romæ scribit Liuius 3. Decad. lib. 2 Idem 4 Decad. lib. 10 ritus supplicationis in pestilentia describit Virgil. lib. 4. Æneid.

Principiò delubra adeunt, pacemqué per aras
Exquirunt. ——

Vbi Seruius, Delubrum, inquit, dictum est, vt suprà, propter locum, in quo manus abluuntur, vel propter tectum coniunctum, aut ligneum simulachrum, delubrum dicimus libro, id est, raso ligno factum: quod Græcè ξόανον dicitur. Macrobius lib. 3. cap. 4. Varronis authoritate scribit, Delubrum alios existimare locum esse, in quo, præter ædem, sit area assumpta: alios in quo Dei simulachrum dedicatum sit. Ita dictum, quòd in eo dij ponantur: sicut candelabrum dicitur: vbi candela figitur. Cicero lib. 3. de Natura Deorum. Est mihi tecum pro aris & focis certamen & pro deorum templis atque delubris.

p *Aras sacrificiis fumare,*] Seruius in eum locum Virgilij ecloga 1.

—— *Quotannis*
Bissenos cui nostra dies altaria fumant.

q *Honoréque ac donis cumulari.*] Liu. 3. Dec. lib. 7. Vide Gyraldum histo Deor. syntagmate 17. vbi de supplicationibus & lectisterniis.

r *Nonnunquam vinum.*] Liuius 1. Dec. lib. 10. Auerruncorum causa supplicationes in biduum Senatus decreuit: publicè vinum ac thus præbitum.

s *Et thus.*] Plinius lib. 22. c. 24. ad fi. scribit thure & vino supplicari. Liuius vbi suprà.

t *A iurgiis & litibus.*] Apud Ciceronem lib. 2. de legibus: Lex est, Feriis iurgia amouento, easque in famulis, operibus patratis, habento. Sic lib. 1. de Diuinat. se ita explicat, Rebúsque diuinis, quæ publicè fierent, vt fauerent linguis imperabatur: inque feriis imperandis, vt litibus & iurgiis se abstinerent; quod ad omnia pertinet. Hincque illud Ouidij loquentis de sacrificiis lib. Fastorum 1.

Prospera lux oritur, linguisqué animisqué fauete:
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanáque protinus absint
Iurgia, differ opus liuida turba tuum.

u *Vinctísqué vincula demerent.*] Liuius 1. Decad. lib. 5. vbi de lectisternio primùm Romæ facto loquitur.

x *Vni tamen Ciceroni.*] Cicer. in Catil. Orat. 3. Atque etiam, inquit, supplicatio diis immortalibus pro singulari eorum merito, meo nomine decreta est, Quirites: quod mihi primùm post vrbem conditam togato contigit: & his decreta verbis est, Quòd vrbem incendiis, cæde ciues, Italiam bello liberassem. Quæ supplicatio, si cum cæteris conferatur, Quirites, hoc interfit, quòd cæteræ bene gestæ, hæc vna conseruata Repub. constituta est: Et in Pisonem, Mihi togato Senatus, vt multis bene gestæ, sed vt nemini, conseruatæ Reipub. singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit. Et Antoniana 2. & 14. item in Catilin. Orat. 4. item pro Sylla.

y *Post aliquot verò ætates.*] id probat ex sequentibus.

z *Quippe Neroni.*] Hæc vsque ad versic. Fuitque. sunt Cor. Taciti lib. 14. sæpe, & præsertim in fi.

a *Si verò semimares.*] Liuius lib. 4. Decad. 1. obscœnos animalium, & errantis in alienos naturæ fœtus scribens, ait, Ante omnia abominati semimares, iussique in mare extemplò deportari: sicut proximè C. Claudio: M. Liuio Coss. deportatus similis prodigij fœtus erat: nihilominus Decemuiros adire libros de portento eo iusserunt. Decemuiri ex libris res diuinas easdem, quæ proximè secundum id prodigium factæ essent, imperarunt. Carmen præterea ab ter nouenis virginibus cani per vrbem iusserunt, donúmque Iunoni Reginæ ferri. Et lib. 9. Sub. idem tempus & ex Vmbria nunciatum est, Semimarem duodecim fermè annos natum inuentum. Id prodigium abominantes, arceri Rom. agro, necarique quamprimùm iusserunt. Semimares autem appellat his locis Androgynos, siue Hermaphroditos, qui scilicet ambigui, siue vtriusque sexus sunt, vt declarat ipse Liuius illo priore loco. Nam & hi primùm pro prodigio & monstro habiti sunt, vt tradit Cicero lib. 1. de Diuinatione, Quid ortus Androgyni? nonne fatale quoddam monstrum fuit? Plinius lib 7 c. 3 Gignuntur & vtriusque sexus, quos Hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos, & in prodigiis habitos, nunc verò in deliciis. Quod & ipsum iisdem verbis repetit Gellius lib. 9. c. 4. in fi. Nam & hos partus prodigiosos fuisse constat ex eodem Liuio 3. Dec. lib. 7. vbi inter alia quædam prodigia id ponit. Et Sinuessæ natum ambiguo inter marem ac fœminam sexu infantem, quos Androgynos vulgus; vt pleraque faciliore ad duplicanda verba Græco sermone, appellat Et lib. 7. de simili partu loquens, Id verò aruspices ex Hetruria acciti fœdum ac turpe prodigium

Ob bubonem aut lupum cellam Iou. aut Capit. ingressum. Amburbialis victima. Solitaurilia. & eorundem caeremonia. Quid in lustris condendis precabatur à diis.

deiici, à ternnuenis virginibus carmen per vrbem canebatur, donum deinde Iunoni ferebatur. [b] Quòd si bubo [c] vel lupus cellam Iouis, aut Capitolium intrasset, propter id prodigium, tedæ aut victimæ, nonnunquam sulphuris [d] & aquæ lustratione vrbem aut Capitolium expiarunt & lustrarunt, [e] quæ victima Amburbialis dicta. Licet singulo [f] perfecto quinquennio, per censores vrbem lustrarisue, oue & tauro, aut verre, & tauro, & ariete, qui circunducebantur, quæ Solitaurilia vocantur, inueniamus. In quo fuit constitutum, vt mense Februario, [g] quo tempore vrbs lustratur, [h] Februo (qui lustrationi præest) in primis litarent, & factum facerent: mox censor in magna ordinum frequentia deos imperij præsides solenni precatione aduocaret, vt rem Romanam, vrbes, templa, fines, aquas perpetuò seruarent incolumes, & prosperos successus darent, dubiisque conatibus adessent: malàque auerruncarent, votáque in sequens lustrum promitterent: circúmque vrbis pomœrium sereno cælo, pontifices, flamines, & omnes augures, sacrificuli & vates, Vestales virgines, galli sacerdotes, septemuiri epulonum, quindecimuiri sacrorum, & salij, sequentibus patribus & omni plebe, [i] Gabino ritu cum solenni precatione procederent. Cúmque in precationis carmine, quum lustrum conderent, antea rogaretur, vt dij immortales rem Romanam volentes propitiique propagarent, & ampliorem facerent: postea aucto propagatóque latè imperio ad summum culmen, Scipio Æmylianus censor, in condendo lustro, non vt ampliorem facerent, sed tantùm vt rem Romanam seruarent incolumem, rogari iussit, tanquam ad vltimum amplitudinis prouecta esset. Mansitque diu mos, vt in omni precatione quam pro populo facerent, pro senatu quoque & quiritibus precarentur. neque fas esset, in solenni prece sine altero alterum nominare: sicut [k] Athenienses (vt refert Theopompus) quum vota diis effunderent, Chiis & sibi prospera precabantur, & in Panegyris, quæ singulis quinquenniis fiebant, per præconem sibi & Platæensibus bona precari vsurparunt. [l] Deinde Philippo subirati propter continuas clades & belli mala decreto sanxerunt, vt quoties sacerdotes prospera Atheniensi populo, socii que & exercitui precabantur, toties Philippum, liberos, terrestres naualésque copias, atque omnem Macedoniam, exitiali carmine & diris

Athenienses.

ANNOTATIONES.

prodigium dicere: exitorrem agro Rom. procul terræ contactu alto mergendum, viuum in arcam condidere, prouectúmque in mare proiecerunt. Decreuere item Pontifices, vt virgines ter nouenæ per vrbem euntes carmen canerent. Et Iulius Obsequens c. 81. Lunæ inquit, Androgynus natus, præcepto aruspicum in mare deportatus. Postea verò desiit id prodigium haberi ocariq;, sed in delicijs haberi, vt diximus ex Plinio: hincq; cæptū est quæri, Vtrum mas, an fœmina existimandi sint: responsumque est, Eius sexus esse existimandū, qui in eo præualet. l. quæritur. ff. de statu hominum.

h *Quodsi bubo.*] Plinius lib. 10. c. 12.

c *Vel lupus.*] Liuius 5. Decad. lib. 5. Lupos, inquit, in Capitolio visos ferunt à canibus fugatos: ob id prodigium lustratum Capitolium esse.

d *Et aqua lustratione.*] Vide infrà in verbo, Sulphur. & iterum in verbo, Ouo. & duobus seqq.

e *Quæ victima Amburbialis dicta.*] Festus Pompeius lib. 1. Amburbiales, inquit, hostiæ dicebantur, quæ circum terminus vrbis Romæ ducebantur. Gyraldus de Hist. Deorum syntag 17.

f *Perfecto quinquennio.*] Asconius Pædianus 1. in Verrem act. quæ Diuinatio dicitur, Censores, inquit, completo quinquennio vrbem lustrabant, & Solitaurilia sacrificia de sue, oue, tauro faciebant. Et de huiusmodi Solitaurilibus Cato rei Rusticæ c. 141. non semel, Vbi Suouitaurilibus (sic enim ea sacra nominat) dicit immolari porcum, agnum & vitulum: docétque sacrificij ritum. Varro lib. quoque rei Rusticæ 2. c. 1. Et quòd, inquit, populus Romanus cùm lustratur, Suouitaurilibus circumaguntur, verres, aries, taurus. Dionysius Halicarn. Solitaurilibus, inquit, hostiæ taurus, aries, & hircus ter circunductæ circum exercitum, Marti mactatæ sunt Liuius 1. Decad. lib. 8 Quintilianus lib. 1. cap. 10. Festus Pompeius lib. 17. non longè à princip. tradit Solitaurilia hostiarum trium diuersi generis immolationem significare, tauri, arietis, verris: quòd omnes eæ solidi integrique sunt corporis. Pomponius Lætus de Magistrat. Rom. Diomedes autem Charisius lib. 1. Artis Grammaticæ, Solitaurilia, ait, quidam putant dicenda à victimis sue, oue, & tauro: sed Valgius de Rebus per epistolam quæsitis, Solitaurilia dicta ait esse, & à solis maribus sumptum esse: Hæc Diomedes.

g *Quo tempore vrbis lustratur.*] Ouidius lib. 2. Fastorum statim post princ. Et Festus Pompeius lib. 6. vbi de Februario mense Varro lib. 5. de lingua Latina. Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 13.

b *Februo.*] Macrobius vbi suprà. Censorinus de die Natali, cap. 18. Diuus Augustinus lib. 7. cap. 7. Ciuitatis Dei, Ideò, inquit, terminalia eodem mense Februario celebrari dicunt, cùm sit sacrum purgatorium, quod vocant Februum, vnde mensis nomen habet. Ouidius loco suprà proximè citato,

> *Februa Romani dixere piamina patres:*
> *Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.*

Et paulò pòst,

> *Denique quodcunque est, quo corpora nostra piantur,*
> *Hoc apud intonsos nomen habebat auos.*
> *Mensis ab his dictus: sancta quia pelle luperci*
> *Omne solum lustrant: idqué piamen habent.*
> *Aut quia placatis sunt tempora pura sepulchris,*
> *Tunc cùm ferales præteriere dies.*
> *Omne nefas, omnemqué mali purgamine causam,*
> *Credebant nostri tollere posse senes.*

i *Gabino ritu.*] Liuius 1. Decad. lib. 8. deuotionis faciendæ ritus scribens, de Decio Coss. ait, Ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit: ac se in medios immisit. Lucanus Pharsaliæ lib. 1. Romanorum morem in vrbis lustratione graphicè describens, sic inquit,

> *Mox iubet, & totam pauidis à ciuibus vrbem*
> *Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro,*
> *Longa, per extremos pomœria cingere fines.*
> *Pontifices sacri, quibus est permissa potestas,*
> *Turba minor sequitur ritu succincta Gabino:*
> *Vestalemqué chorum ducit vittata sacerdos,*
> *Troianam soli cui fas vidisse Mineruam.*

k *Sicut Athenienses.*] Herodotus lib. 6. scribit, Athenienses sibi & Platæensibus bona precari solere.

l *Deinde Philippo.*] Liuius 4. Decad. lib. 1. de Atheniensibus loquens, Sacerdotes, ait, publicos, quotiescunq; pro populo Atheniensi, sociisque, & exercitibus, & classibus eorum precarentur, toties detestari atque execrari Philippum & liberos eius, regnúmque, terrestres naualésque copias, Macedonum genus omne, noménque. Nec hîc omittendum quod etiam de Lacedæmoniis tradit Plutarchus in Antiquis eorum institutis, illos suis precibus adiicere solitos, vt iniurias

quoque

imprecationibus detestarentur. [m] Nero tamen dum Isthmi opus auspicatur, in præfationis carmine sibi tantum & populo Romano bona precatus fuit, dissimulata senatus mētione. [n] Vtque cum lustrum fieret, publicus luctus populo minueretur, qua in publica lætitia illuuie & luctu fœdari non decebat. [o] Sulphur quoque lustrationibus adhiberi plerique volunt. fuit enim religiosum, maximéque valuit procurandis religionibus ad expiandas suffitu domos, quæ lustratio in rebus pluribus fiebat ob incolumitatem. [p] nam vitula præcedente, aut agna coronata, messis, ager, fundus, terra, grex vel pecus [q] ter circumlustrabatur, prosequente agrestium turba cum fistula solenníque psaltatu & clamoribus, deum deámve cui sacra fiunt, inuocante, vti morbos, vastitudinem, calamitates & intemperies prohiberent, frumentáque grandire & bene venire finerent, pastores pecoráque seruarent. Quod quidem ambaruale sacrum etiam tutandis imperij finibus fiebat. Primus enim imperij finis, festi locus, ad quintum sextúmve lapidem ab [s] vrbe notabatur: Mox Lauini, vbi diis patriis Romani reges pro salute vrbis sacrum facere assuerant. Postea Anco regnante, vsque ad mare imperium prolatum. Ostiáque in ora Tiberis condita. Tempore deinde procedente, longè dilato auctóque imperio, post magnos progressos aliis in locis, vbi fines Romani imperij erant, pontifices vno simul tempore velut in patrio solo sacrum concelebrarunt, & ambarualem victimā fecerūt: [t] donec Romani imperij terminus à Gadibus ad mare rubrū & Oceanum, & ab oriēte ad Euphratem, quò Lucullus processit, & Oluros, quò ductu Pompeij Magni Romana signa illata sunt, imperij terminus propagatus fuit: à meridiano verò ad tractum Libyæ, & à Septentrione ad Rhenum & Istrum, qui quidem latius processerunt, [u] quàm Cyri imperium fuisse traditur, cuius regnū terminos habuit ab oriente mare rubrum, à septentrione Pontum Euxinum, ab occidente Cyprum & Ægyptum, à meridie verò Æthiopiam. [x] Si tamen ager lustrandus foret, ita lustrabatur, vt Iunoni & Iano vina libarēt prius, mox Martem patrem, vt sciens voléns que propitius adesset sibi & familiæ, aduocarent, agrú mque perfecto sacrificio lustrarent. [y] Apud Græcos vrbs exēplo Epimenidis lustrabatur, vt binas oues nigri & cādidi velleris ex vrbe pagóve, quò ire vellent, liberas, dimitterent, subsequutis custodibus, qui illas vbicunque accubuissent, benefacienti deo immolarent. [z] Gallis verò lustrandi vrbem vsus erat, vt hominē purioribus cibis anno saginarent, ac festo die vrbe tota circunductum, extra pomœrium educerent, eúmque mox lapidibus obruerent. [a] Si autem oues lustrarentur, obseruatū est, vt pastor summo diluculo aqua illas inspergeret & sulphure, herbáque Sabina & lauro igne succensis circum ouilia suffumigaret: cúmque sacro carmine, milio & libo cū lacte & sapa Pali sacra faceret: quo suffitu pecora expiari, & morbos depelli, ac diras tabes

Nero. *In lustro publicus luctus minuitur.* *Sulphur lustrationibus adhibitum.* *Ambaruale sacrum ad tutandū imperiū.* *Ostia quando condita.* *Agri lustrandi ratio.* *Græci.* *Galli.*

ANNOTATIONES.

quoque affici possint. Preces autem ipsorum esse, vt ex bonis actionibus bona darentur, & nihil aliud.

m *Nerò tamen.*] Cornel. Tacitus lib.6.

n *Vtque cum lustrum fieret.*] Fest. Pompeius lib.11. Minuebatur, inquit populo luctus ædis dedicatione, cùm à Censoribus lustum condebatur, cùm votum publicè susceptum soluebatur.

o *Sulphur quoque lustrationibus.*] Dioscorides lib.7. cap.78. Plinius lib.35. cap.15. author est, sulphur habere in religionibus locum ad expiandas suffitu domos. Proclus nobilis Platonicus scribit in lib. de sacrificiis, Sacerdotes in purificationibus, vti solitos sulphure, atque asphalto, hoc est, bitumine, aqua marina aspergentes: quoniam (vt ille inquit) purificat sulphur propter odoris acumen, aqua verò marina propter igneam portionem. Apuleius triplicem in sacrificiis purgationem signat. Ibidem, inquit, simulachris ritè dispositis, nauem fabertime factam, picturis miris circunseptus variegatam, summus sacerdos teda lucida: & ouo, & sulphure, solemnissimas preces de casto præfatus ore, quàm purissimè purificatam, deæ nuncupauit dedicauítque. Ouid. Metam. lib.7.

Térque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.

Tibullus lib.1. eleg.5.

Ipséque ter circum lustraui sulphure puro,
Carmine cùm magico præcinuisset anus.

Et Propertius lib.4. eleg.9.

Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Térque meum tetigit sulphuris igne caput.

Iuuenalis satyra secunda, quem infrà citabimus, cum de triplici animarum purgatione agetur. Et diximus etiam in nostris Commentariis Nobilitatis, cap.31. num.199. incip. & cùm sulphur. & vide etiam infrà ibi, Ouo. vbi de ouo & duobus seq.

p *Nam vitula præcedente.*] Seruius in Virgil. eclog.3. ibi.

Cùm faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

q *Ter circum lustrabatur.*] Suprà in verbo, Sulphur quoque.

r *Quod quidem Ambaruale sacrum.*] Suprà lib.3. cap.12.

s *Ab vrbe notabatur.*] Strabo lib.5.

t *Donec Rom. Imperij.*] Appianus in Prooemio historiæ Libycæ.

u *Quàm Cyri Imperium.*] Xenophon Pædiæ Cyri lib.8.

x *Si tamen ager lustrandus foret.*] Id Catonis est rei Rusticæ cap.141. Virgil.1. Georg.

—— Et cum lustrabimus agros.

y *Apud Græcos.*] Gyrald. syntag 17. nullo authore citato.

z *Gallis verò.*] Idem Gyraldus eodem lib. nullo item authore citato: sed ex Lactantio interprete Statij lib.10. Thebaidos in eum locum.

— Et tandem matri data flere potestas:
Lustralémne feris ego te puer inclyte Thebis,
Deuotúmque caput, vilis ceu mater alebam?

Lustrare ciuitatem, inquit, humana hostia Gallicus mos est: nam aliquis de egentissimis pollicebatur præmiis, vt se ad hoc venderet, qui anno toto publicis sumptibus alebatur purioribus cibis: denique certo & solenni die per totam ciuitatem ductus ex vrbe, extra pomœria saxis occidebatur à populo.

a *Si autem oues lustrarentur.*] Idem Gyraldus vbi suprà, sed nullo authore citato, verùm hæc vsque ad versic. Quòd si exercitus. sunt Ouidij lib.4. Fasto.

Pastor oues saturas ad prima crepuscula lustret:
Vnda prius spargat, virgáque verrat humum.
Frondibus & fixis decorentur ouilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cæruleæ fiant puro de sulphure fumi,
Tactáque fumanti sulphure balet ouis.
Vre maris rores, tedámque herbásque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus adusta focis.
Libáque de milio milij fiscella sequatur,
Rustica præcipuè est hîc dea læta cibo.

Exercitus. exterminari putarunt. [b] Quòd si exercitus lustrandus esset, is instructus, præcedente suo aut hirco, oue & tauro, in campo Martio lustrabatur, armatósque milites, pedites equitésque lauro coronatos rem diuinam & lustrale sacrificium facere oportebat [c] sub dio, vt fuit à Seruio institutum, qui hoc lustrationis genus inuenit primus: [d] quem diem *Armilustrum.* Armilustrum nuncupant: [e] in quo id magnopere seruatur, vt qui hostias ducunt, eligantur bonis nominibus, inde certa omina & felices successus toto exercitui captantes. [f] Mansitq; constitutum, vt quum exercitus & castra lustrabantur, triticum militibus pro cuiusque cõtubernio daretur, & singulis drachmæ, muneráque & donatiuũ, votáque in proximum lustrum exoluenda duces promitterent. [g] *Macedones.* Macedonibus verò inter diuisam hostiam, priorem ad dextram, posteriorem ad læuam, viæ, aut discissæ canis viscera, armatas copias & exercitum traducere, instructo paratóque milite præcedere, & simulacrũ pugnæ edere: cúmque cohorte regia, & omni belli apparatu, arma ab vltima origine regum proferre, & sacrum piaculare facere, lustrandi mos fuit. [h] *Xerxes.* Xerxes autem milite detrectante militiam, in duas partes dissecto, exercitum traduxit, & hac victima execrabili milites lustrauit, & crimina expiauit. [i] *Classium armanalium expiandi lustrandi mos.* Si verò classes naualésque copiæ lustrarentur disposita classe in litore, aram quæ mari abluebatur, construere conuenit: in qua sacerdotes victimas cæderent, mox circunstante exercitu, cæsam victimam atque exta per classem in litore dispositam nauiculis circunferrent, cum solenni carmine & precatione ducibus vnà insidẽtibus in scaphis: diuisæq; hostiæ partem in mare cum visceribus porricerent, partẽ verò flãmis adolerent, eo modo classem lustrari, & calamitates depelli opinati. [k] *Rogi lustratio.* Rogusquoque militari more lustrabatur vt instructæ armatæq; acies ter circum incensam pyram, vbi defunctos in acie cremabant, arma quatientes cum luctu & lamentabili carmine, nunc frena & balteos, nunc galeas & cristas sæpius enses & arma spoliáque in ignem mitterent, & cum tripudiis decurrerent: hostiísque ad rogum immolatis, inferias occisorum manibus darẽt flammáque extincta, occisorum cineres multo arenæ aggere cumularent, quum tot vrnæ singulis non

ANNOTATIONES.

Adde dapes mulctrámque suas, dapibúsque refectam
Syluicolam tepido lacte precare Palem.

Ad id quoque pertinet quod Tibullus lib 1. eleg. 1. scribit,

Hic ego pastorémque meum lustrare quotannis,
Et placidam soleo spargere lacte Palem.

Et ad id quoque quod de sapa etiam hîc dicitur, est ipsius Ouidij non adeò longè ab his, quæ ex illo suprà diximus.

Quæ precor, eueniant: & nos faciamus ad vnum
Pastorum dominæ grandia liba Pali.
His dea placanda est, hæc in conuersus ad ortus
Dic quater, & viuo perlue rore manus.
Tunc licet apposita veluti cratere camella,
Lac niueum potes, purpureámque sapam.

b *Quod si exercitus lustrandus esset.*] Gyraldus vbi suprà. Ar id est Liuij 1. Decad. lib. 1. in regno Seruij Tullij (& Dionysij Halicarnassei lib. 4.

c *Sub dio.*] Plutarchus in Bruto.

d *Quem diem Armilustrum.*] Varro libro 4. linguæ Latinæ hoc nomen ab ambitu lustri dictum existimat, quòd ibi circunferretur pompa & equi currerent. Aliter Plutarchus in Romulo.

e *In quo id magnopere seruatur.*] Cicero lib. 1. de Diuinatione, In lustranda colonia ab eo qui eam deduceret: & cùm Imperator exercitum. Censor populum lustraret, bonis ominibus, qui hostias adducerent, eligebantur.

f *Mansitque constitutum.*] Plutarch. in Bruto.

g *Macedonibus verò.*] Id vsque ad versic. Xerxes autem, est Liuij 4. Decad, lib. 50. & Q. Curtij lib. 10. Macedonum, inquit, Reges ita lustrare soliti erant milites, vt discissæ canis viscera vltimo in campo, in quem deduceretur exercitus, ab vtraque abiicerentur parte. Intra id spatium armati omnes starent, hinc milites, hinc equites, illinc phalanx.

h *Xerxes autem.*] Herodot. lib 7. scribit quòd cùm Pythius, Lydius, cœlesti ostento perterritus, à Xerxe petiisset militiæ vacationem pro suo filio natu maximo: is ob id admodum indignatus, iussit eundem filium discindi medium: eiúsque discissi dimidium ad dexteram viæ, & dimidium ad sinistram disponi, illácque exercitum transire.

i *Si verò classes.*] Idem Gyraldus vbi suprà, & in libro de Nauigiis. Sed id est ex Liuio 3. Decad. lib. 9. sic scribente, Vbi illuxit: Scipio è prætoria naue, silentio per præconem facto, Dij deæque, inquit, qui maria terrásq; colitis, vos precor, quæsóque, quæ in meo imperio gesta sunt geruntur, postq; gerentur: ea mihi populo, plebique Romanæ, sociis, nominique Latino, qui populi Romani, quique meam sectam, imperium, auspiciúmque terra, mari, amnibúsque sequuntur, bene vertant: eáque vos omnia bene iuuetis: bonis auctibus auxitis: saluos incolumésq; victis perduellionibus, victores spoliis decoratos, præda onustos, triumphantésque mecũ domos reduces sistatis: inimicorum hostiúmq; vlciscendorum copiam faxitis: quæque populus Carthaginensis in ciuitatem nostram facere molitus est, ea vt mihi populóque Rom. in ciuitatem Carthaginensem exempla edendi facultatem detis. Secundum eas preces cruda exta cæsa victima (vti mos) in mare proiecit, tubáque signum dedit proficiscendi. Ita enim vulgò legitur: sed ego nõ proiecit, legendum puto, sed proricit: per ea, quæ alibi de proriciendo verbo diximus. Sed & de huiusmodi classium lustratione, Appianus lib. 5. belli Ciuilis, Cæsar classis exercitum hoc modo purgauit, Altaria primùm maris in littore sita alluuntur vndis, multitudo omnis circunquaque magno silentio per naues assidet: Sacerdos in mari considentes sacra faciunt, térque per exercitum scaphis circumuecti, purgamina sacra deferunt, ducibus vnà adnauigantibus & purgamina extollentibus, vt ab exercitu infelicia quæque depellant. Diuidentes deinde ea, partem in mare proriciunt, partem altaribus impositam flammis adolent, ac protinus multitudo omnis ea benedicit. Sic Romani classem solent perpurgare. Virgil. lib. 5. Æneid.

Dij quibus imperium pelagi, quorum æquora curro.
Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus, extáque salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

k *Rogus quoque militari more lustrabatur.*] Hæc omnino sunt Virgilij lib. 11. Æneidos, cuius hæc verba sunt,

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter mæstum funeris ignem
Lustrauere in equis, vlulatúsque ore dedere.
Spargitur & tellus lachrymis, sparguntur & arma.
It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.
Hinc alij spolia occisis direpta Latinis
Coniiciunt igni, galeas, ensésque decoros,
Frenáque, feruentésque rotas: pars, munera nota.
Ipsorum clypeos, & non felicia tela
Multa boum circa mactantur corpora morti.
Setigerósque sues, raptásque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes: tum littore toto
Ardentes spectant socios, semustáque seruant,

Bust-

sufficerent. [l] Curias quoq; & populum purgari accepimus, vt excerptum virulum ex fordæ bouis immolatæ vtero (sicut in [m] Fordicidiis mos est) per vestalem natu grandiorem igni comburerent, exque illius cinere, & equi sanguine, adustísque fabarum stipulis suffi nen fieret, quo populus & curiæ Palilibus purgantur: quod quidē in templo Vestæ præcipua cura ad dubios casus & incerta fortunę seruabatur, hoc modo ab infortuniis populum vniuersum expiari putantes. [n] Præterquæ, Tubulustria veteres celebrarunt, diebus quibus Martio mense tubæ sacrorum in atrio Sutorio lustrabantur. Somnia quoque meticulosa & curas, fluminis ablutione purgari, & fascinationes, [o] saliua ieiuna repelli, veteri superstitione creditum est. [p] Apud Athenienses & [q] Lydos sacrum piaculare fit, vt conciones, theatra & populum minutis porcellis lustrent per peristiarchos, & ita calamitates auerterēt & auerruncarēt. Sed quod est de sulphure dictum, idem de laure & verbena compertum est: [r] siquidem verbena [s] & laurus suffirionibus frequens fuit, propter religionem animo incussam, quòd qui aliquo essent piaculo polluti sæpius sulphure, † nonnunquam aqua, [t] ouo, igni, verbena & lauro expiantur. [u] Tres enim istæ species veteribus fuere vsu frequentes: aut enim teda & sulfure purgari, vel aqua ablui, vel aëre ven-

Curiarū ac populi lustratio. Tubulustria. Somniorū, curarum & fascinationum. Athenienses. Peristiarchi. Sulphur in sacris. Verbena. Laurus. Tres purgandi species.

ANNOTATIONES.

Busta: neque auelli possunt; nox humida donec
Inuertit cœlum stellis ardentibus aptum.

l *Curias quoque & populum purgari.*] Suprà cap. 25. ex Varrone. Ad illas autem lustrationes adde & domorum lustrationem fieri solitam aqua pura & oliuæ frondibus, vt satis colligitur ex illo loco Virgilij lib. 6. Æneidos,

Spargens rore leui & ramo felicis oliuæ
Lustrauitque domos. ——

Vbi & id annotauit Donatus, vbi & hac lustratione dicit homines & classes, & cætera omnia purgari & expiari. De vrbis lustratione diximus suprà ex Lucano.

m *Sicut in Fordicidiis.*] Diximus suprà cap. 25. non adeò longè à fi.

n *Præter quæ, Tubulustria.*] Varro lib. 5. de ling. Lat. Tubilustrium, inquit, appellatur, quòd eo die in atrio sutorio sacrorum tubæ lustrantur. Ouid. lib. 3. Fastorum,

Summa dies è quinque tubam lustrare canoram
Admonet, & forti sacrificare deæ.

Et lib. 5.

Proxima Vulcani lux est, quam lustria dicunt:
Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ.

Festus Pompeius li. 18. Ex quibus intelliges nonnullos hæc Tubilustria vocare. Et de his quoque diximus suprà lib. 2. cap. 22. ad fin. & iterum lib. 3. cap. 6.

o *Saliua ieiuna repelli.*] Plin. lib. 28. cap. 4.

p *Apud Athenienses.*] Cælius Rhodiginus lib. 6. cap. 12. & lib. 27 cap. 17. vbi sic scribit, Morem quippe Athenis fuisse produnt conciones expurgandi atque theatra, & omnino quemlibet populi conuentum. Id verò minutis fiebat porcellis, quos nominabant Catharsia. Eiusmodi obibant munus, qui dicebantur à collustratione Peristiarchi.

q *Et Lydos.*] Herodot. lib. 1.

r *Siquidem verbena.*] Terent. in Andria act. 4. scena item 4.

—— Ex ara hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne. ——

Vbi Donatus interpres, Verbenæ quasi herbenæ redimicula sunt ararum. Et paulò pòst, Verbenæ sunt omnes herbæ, frondesque festæ ad aras coronandas: vel omnes herbæ frondésque ex aliquo loco puro decerptæ. Et Virgil. ecloga 8.

Verbenásque adole pingues, & mascula thura.

Et lib. 12. Æneidos ibi,

—— Et verbena tempora vincti.

Vbi Seruius, Abusiuè Verbenas vocamus omnes frondes sacratas, vt est laurus, oliua, vel myrthus: citátque illud Terentij suprà adductum, nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit. Et Horatius lib. 1. Carminum Ode 19. de Glycera.

Hic viuum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite, thuráque
Bimi cum patera meri.
Mactata veniet lenior hostia.

Vbi Acron, Verbena, inquit, aut terra virens, aut cespes ad sacrificium. & Ode 11. lib. 4.

—— Ara castis
Vincta verbenis auet immolato
Spargier agno.

Vbi idem Acron, Verbenæ sunt omnes herbæ, frondésque festæ ad aras coronandas: dictæ quasi herbenæ. Est autem Verbena (vt scribit Plinius li. 22. c. 2.) gramen ex arce cum sua terra euulsum. Hac vtebantur legati cùm ad hostes clarigatum, id est, res raptas clarè repetitum, mittebantur. Hac Iouis mensa verrebatur domus purgabantur, ac lustrabantur, vt scribit idem Plin. lib. 25. c. 9. Dioscorides autem ante Plinium lib. 4. c. 56. dicit quòd ἱερὰ βοτάνη dicta est, id est, sacra verbena, quòd scilicet, vt omnes tradunt, ad amuleta & expiationes commendetur. Sed & ex Apuleio Apolog. 1. & Metam. lib. 11. perspicuè intelligitur Verbenæ vsum esse in sacris. Quintus Curtius lib. 4. scribit, Verbenas in auguris manu præferri dum litaret, his verbis, Alexander non aliàs magis territus, ad vota & preces Aristandrum vocari iubet. Ille in candida veste verbenas manu præferens, capite velato præibat preces Regis, Iouem, Mineruam, Victoriámque propiciantis.

s *Et laurus.*] Plinius lib. 15. cap. 30. eodémque vlt. & Festus Pompeius lib. 10. vbi loquitur de laureatis militibus. & Iuuenalis quo loco quem tibi infrà citabo.

† *Nonnunquam aqua.*] Virgil. d. lib. 12.

—— Alij fontem, ignémque ferebant.

Vbi fontem pro aqua posuit, vt & ibi annotauit Seruius.

t *Ouo.*] Oua adhiberi in lustrationibus, sacrificiis & expiationibus, multorū testimoniis docemur. Ouid. li. 2. de Arte,

Et veniat, quæ lustret anus lectúmque, locúmque:
Præferat & tremula sulphur & oua manu.

Et Iuuenalis sat. 6.

Grande sonat, metuique iubet Septembris & Austri
Aduentum, ni se centum lustrauerit ouis.

Hincq; Lucianus in dialogo, cui titulus est, κατάπλους ἢ τύραννος, dixit τὰ ἐκ τῶν καθαρσίων ὠά, id est, purgationum oua, ostendens oua esse. Apul. lib. 11. dicit, summum sacerdotem Isidis teda lucida, & ouo, & sulphure, solennissimísque precibus in nauis expiatione vsum fuisse: quod iam suprà diximus. Cælius lib. 27. cap. 17. huius rationem reddit.

u *Tres enim istæ species.*] Hæc vsque ad versic. Quod Homeri. sunt Virgilij lib. 6. Æneidos, vbi Anchises de animarum purgatione poëticè respondet Æneæ filio,

—— Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Nam, vt scribit Seruius ibi, In sacris omnibus triplex est hominis purgatio: aut teda purgantur & sulphure, aut aqua abluuntur, aut aëre ventilantur. quod erat in sacris Liberi. Hoc enim est quod inquit Virgil. lib. 2. Georg.

Et te Bacche vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Nam, vt ibi inquit Seruius, per oscilla genus purgationis, quod maximum est, intelligimus. Id autem quod apud Iuuenalem tangitur sat. 2.

Odyss. χχ. circa fine.

Expurgādi genus, diis perpetuò alicui iratis.

Myrtus. Oleū, bitumē & æs cū sulphure lustrationibus adhiberi solitum.

Portētorum expiatio in terræmotu.

Nomen dei subticebatur in terræ motu enūciato.

tilari solebant, [x] quod Homeri testimonio à Græcis seruatum legimus: apud quem Vlysses cædem procorum igoe & sulphure expiari iussit, [y] & Orestes aqua, quæ septem fluminibus confundebatur, ablutus, dimisit furorem: [z] quam marinam esse conuenit, quum propter vim igneam magnopere purgationibus consentanea putetur: nanque mari sæpe expiantur quæ violata sunt. [a] Troezeni quoque vt à materna cæde Orestem expiarent, ex Hippocrene aquam adhibuerũt. Inter reliquas verò expiationes proditur rarum expiandi genus, vt qui deos sibi iratos & nunquam propitios cerneret, linteatus lucernam & laurum manu tenẽs, genibus obrepere debeat, & vocibus acclamare, numináque sibi irata palam profiteri. [b] Ipsam verò laurum, quum suffitionibus & magieæ adhiberetur, accendere & igni admouere conuenit: quæ si admota sonantius crepat, haud dubiè propitia numina designabit: si verò nullo murmure tacet, infelicitatem. [c] Aliter in prophanis vsibus oleam aut laurum comburere, infandi auspicij erat: [d] præterque laurum etiam myrtum suffitionibus addiderunt. Oleúmq; & bitumen marina inspersum aqua, admisto sulphure, atque æs, in lustrationibús expiationibúsque adhiberi compertum est. maximáque dabatur opera, ne quibus diebus vrbs populúsve excidium aut calamitatem insignem passi fuissent, lustrum quoquo modo fieret, quia fœdo exitu & graui strage omnia casura putabantur. Quod si bouem aliúdve animal loquutum, aut hoc genus portenta nũciata forent, veteris instituti erat, sub dio senatum & parrum concilium haberi, quod expiationis genus putarunt. Fiebat enim senatus non in Rostris, neque in curia, [e] vbi habetur frequens: sed in loco aprico, & patenti cælo, ab auguribus tamen inaugurato, ne irritum senatusconsultum fieret. [f] Si verò terra ingenti concussa motu aut vrbs agrive contremiscerent, quod raró euenire, & magna portendere dixerunt, sæpius supplicationem in triduum decreuere, duumviris præeuntibus: nonnunquam vt ex vna familia omnes coronati supplicarent, [g] vel ferias prætor vrbanus ægris leuandis mentibus indiceret, concione aduocata. [h] Nomen verò dei cui sacrum fieret, supprimebat, [i] vtque iurgiis & litibus temperarent, admonebat. [k] Fuitque animaduersum nunquam vrbem Romam tremuisse, quin alicuius futuri mali prænuncium esset: [l] vtque semel motu terræ enunciato, pro quo feriæ indictæ, conceptæve erant,

ANNOTATIONES.

—— Quoties hic talis ad illos
Vmbra venit, cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tedis. & si foret humida laurus.

Subditque Seruius Virgilium in illo loco bonum ordinem executum fuisse: vt antè aëriam. inde aquæ, post ignis, diceret purgationem. Sed & idem Seruius enarrans d. locum lib. 2. Georg. dicit, Sacra Liberi patris ad purgationem animæ pertinere. Omnem item purgationem, aut per aquam, aut per ignem, aut per aërem fieri.

x *Quod Homeri testimonio.*] Lib. scilicet 22. Odyss. ad fin.
οἶσε θέειον γρηῦ κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ,
ὄφρα θεειώσω μέγαρον. ——

Id est,
Porta sulphur anus malorũ medelam, porta autẽ mihi ignem,
Vt suffiam domum. ——

y *Et Orestes aqua.*] Pausanias lib. 2.

z *Quam marinam esse conuenit.*] Cicero in Oratione pro Sexto Roscio, Mare, inquit, quo omnia, quæ violata sunt, expiari putantur. Et vide omnino, quæ de hoc scripsimus in nostris Comment. de Nobilitate cap. 31. nu. posterioris editionis 580. incip. Præsertim autem. & num. seq.

a *Troezeni.*] Pausan. d. lib. 2. qui Corinthiaca inscribitur.

b *Ipsam vero laurum,*] Eustathius in lib. 1. Iliados Homeri. Et hinc illud Tibulli lib. 2. eleg. 6.
Vt succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo fœlix, & sacer annus eat.
Laurus vbi bona signa dedit, gaudete coloni:
Distendet spicis horrea plena Ceres.

Et Propert. lib. 2. eleg 27. ad Iouem pro amica ægrotante,
Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
Et tacet extincto laurus adusta foco.

Claudianus de ea lib. 2. de Raptu Proserpinæ,
—— Venturi prascia laurus
Fluctuat. ——

Et 3. Panegyri Fatidicam eam vocat, vel quòd Apollini fatidico Deo dicata est: vel quòd ex eius crematæ strepitu futura colligebant, vt iam probauimus, sic autem ait Claud.
- - - Qua numine tanto.
Littora fatidicas attollunt Delia lauros.

Quanquam & hæc posteriora loca ad aliud referri possunt ex Antiphone, Philochoro, Artemone, Seraphione, & Ascalone, vt eos refert Fulgentius Placiades lib. 7. vbi loquitur de lauro.

c *Aliter in prophanis vsibus.*] Plin. lib. 15. cap. 30. eodémque vltimo, sic scribit, Adeóque in prophanis vsibus pollui laurum & oleam fas non est, vt ne propiciandis quidem nominibus accendi ex his altaria aræve debeant.

d *Praterque laurum etiam myrtum.*] Plin. eod. lib. 15. c. 29. & lib. 16. cap 32.

e *Vbi habetur frequens.*] Liuius 1. Decad. lib. 5. ad finem.

f *Si verò terra ingenti concussa motu.*] Liuius 4. Decad. lib. 4. non adeò procul à fine, Principio, inquit, anni, quo L. Cornelius, Q. Minutius Coss. fuerunt, terræ motus ita crebri nunciabantur, vt non rei tantùm ipsius, sed feriarum quoque ob id indictarum homines tæderet. nam neque Senatus haberi, neque respubl. administrari poterat, sacrificando expiandóque occupatis Consulibus. Postremò decemuiris adire libros iussis, ex responso eorum supplicatio per triduum fuit coronati ad omnia puluinaria supplicauerunt.

g *Vel ferias prator vrbanus.*] Suetonius in Claudio, cap. 22. Obseruauitque sedulò, vt quoties terra in vrbe mouisset, ferias aduocata concione, prætor indiceret.

h *Nomen verò Dei.*] Gellius Noctium Attic. lib. 2. cap. 28. Veteres, inquit, Rom. cùm in omnibus aliis vitæ officiis, tum in constituendis religionibus, atque in diis immortalibus animaduertendis castissimi cautissimíque, vbi terram mouisse senserant, nunciatúmve erat, ferias eius rei causa edicto imperabant. Sed Dei nomen, ita vti solet, cui seruari ferias oporteret, statuere & edicere quiescebant, ne alium pro alio nominando falsa religione populum alligarent. Eas ferias si quis polluisset, piaculóque ob hanc rem remotus esset: hostiam si deo, si deæ immolabant. Idque ita ex decreto Pont. obseruatum esse M. Varro dicit: quoniam & qua vi, & per quem deorum dearúmve terra tremeret, incertum esset.

i *Vtque iurgiis & litibus temperarent.*] Cicero libro secundo de legib. & lib. 1. de Diuinatione. & dictum est suprà hoc eodem cap.

k *Fuitque animaduersum.*] Plin. lib. 2. cap. 84. in fi. Nusquam vrbs Roma tremuit, vt non futuri euentus alicuius id prænuncium esset.

l *Vtque semel motu terra enunciato.*] Liuius 4. Dec. lib. 4. vbi his.

alium remotum eadem die nemo enunciaret, quod fœdum & magni discriminis foret. [m] Cur autem dei nomen cui sacrum fieret, supprimebant, illud causæ traditur, quòd eum telluris motorem certum deum, qui eam vim haberet, veteres non dignoscerent, illum qui huic rei præesset, nuncupare pontificales vetarunt libri: & ne ancipiti æstimatione ferrentur, aliúmque pro alio deo colerent, aut non offensum numen placarent, satius duxere, dei nomen cui sacra fierent, supprimere, quàm illum frustra aut perperam nominare. [n] Illud verò non est ab re dixisse, quod apud Athenienses seruatum legimus, vt si qua enonciarentur monstra, quæ expiatione egerent, Agyis, id est vestibulariis diis, in semitis viarum sacra exhiberent: [o] quare Agyleus Apollo colebatur eximiè, vt si id bene & feliciter casurum esset, prosperos successus darent, & promissa firmarent atque admitterent: si verò moles aliqua instaret mali, aditu inhibito & obsepto auerterent & auerruncarent.

Atheniensium expiatio in monstris enunciatis.

ANNOTATIONES.

his, quæ ex eo adduximus suprà ibi, Si verò terra Ingenti. hæc subiunxit, Item ex authoritate Senatus Coss. edixerunt, ne quis quo die terræ motu nunciato, feriæ indictæ essent, eo die alium terræmotum nunciaret.

m *Cur autem Dei nomen.*] Hæc sunt Platonis in Philebo, Æschyli in Agamemnone, Euripis apud Clementem Alexandrinum li. 5. Stromatôn, Catulli in hymno ad Dianam, & Gellij d. lib. 2. cap. 28.

n *Illud verò non est ab re dixisse.*] Interpres Aristophanis. Sed quod hic author noster interpretatur Agys (id est, vestibularius, reprehenditur, nomine tamen suppresso, à Lilio Gyraldo de diis Gentium, lib. 7. vbi de Agyeo Apolline loquitur: vbi tu, si libet, videto.

o *Quare Agyleus Apollo.*] Horat. lib. 4. Carm. Ode 6. & ibi Acron & Porphyrius, & Pausanias in Arcad. & Eleorum lib. 1. & Macrob. lib. 1. Saturn. c. 9. Gyrald. vbi suprà.

Quæ affinitas cum Sexto Tarquinio Superbi filio, & quæ Collatino cum Bruto, & Lucretiæ cum vtrobique fuerit. CAPVT XXVIII.

SVPER Ouidij Nasonis versu de Fastis secundo, vbi Lucretia Sextum Tarquinium Superbi filium singulari scelere & audacia, domi excepit, hostem pro hospite, quum illius stuprandæ mala cum libido cepisset, dum inquit,

Comiter excipitur, sanguine iunctus erat

Ouid. locus in Fastis.

Quo iure cognationis Lucretia Sexto Tarquinio iūgeretur, & quid Iunio Bruto, qui Tarquinium regno eiecit, affinitatis cum Lucretia fuerit, apud studiosos, animo tunc otioso &, remisso inter circulares iocos quærebatur, super vacua tunc forsan disputatione. Cúmque nonnulli ob incertam cognationem Tarquinij, Collatini & Egerij, ancipiti æstimatione ferrentur: nos in re obscura ob vetustatem, dum cognationis gradū per omnia exempla colligimus, inuenimus Iunium Brutum Tarquinia sorore Superbi regis natum, vtpote ex sorore genitum, Superbo nepotem fuisse. Collatinus verò, cui Lucretia nupta fuit, quum Egerij filius foret, siue (vt nōnulli tradunt) nepos: ipséque Egerius cū Tarquinij Prisci frater fuerit, nihil ambigitur, quod si Tarquinius Priscus Superbo auus extitit, quin Collatinus nepos Egerij, frater patruelis Superbo, & Sexto auunculus fiat. Quod si Egerium Collatino patrem dicamus fuisse, prout frequens opinio est, haud dubiè Collatinus Superbo non frater, sed velut ex fratre aui natus, maior auunculus foret, inuicemque Sextus Tarquinius Collatino pronepos fieret: Lucretia verò eo gradu quo Sextus Tarquinius Collatino sanguine iunctus erat, eodem affinitatis iure Sextum attingeret. Quod si Collatinus & Brutus ex duabus Tarquinij sororibus editi sint, prout alij censent, nulla controuersia est, quin Collatinus & Brutus arctissimo gradu cōiuncti fiant, ipseq; Sextus Lucretiæ nepos sit. Si autem Tarquinius Priscus Superbo non auus, sed pater fuit, vt multi exequuti sunt, Collatinus Egerij filius, & Superbus, velut ex duobus germanis prognati, fratres patrueles erūt, Lucretiaque Collatini vxor, nulla dubitatio foret, quin Sexto † auuncula censeatur, intérque Sextum & Lucretiam iura summæ necessitudinis forent. [a] Hic est enim ille Brutus omnium sermone celebratus, qui legū & libertatis summus autor & vindex, cum futere se simulasset, latétem animum nimium diu reconditum, suo tempore detexit: magnificáq; oratione, non vecordis & dementis auunculo imperium abrogauit: populúsq; Romanus auspicium imperiúmque sequuti suum, ex graui seruitio & dominatu regio se in libertatem vendicauit. Sed quod de Iunio Bruto, qui Tarquinium regno eiecit, [b] idem de Decio Bruto, qui conspirans cum Cassio, necem Caio Cæsari intulere, ducésque & assertores Romanæ maiestatis fuere, factum comperimus. [c] siquidem hic propiore affinitate Cæsari, quàm Iunius Brutus Tarquinio iunctus fuit: nō enim nepos, vt ille, sed filius esse creditus est. Nā quum Semilia soror Vticensis, matérque Bruti fuerit, cum qua adulescens Cęsar consuetudinem non sine probro habuisse fertur, cúmque eo tempore Brutus ex Seruilia natus foret, haud dubiè Cæsaris filius vulgo habitus est. [d] Quod ipsum Cæsaté die cædis suæ,

Iunius Brutus Tarquinij superbi nepos.

Collatini cum Superbo cognatio.

Collatini & Bruti cognatio. Iunius Brutus. Decius Brutus.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVIII.

† SExto auuncula.] De Lucretia loquitur, quam Sexti Tarquinij auunculam esse dicit, & noué, vt arbitror.

a *Hic est enim ille Brutus.*] Liuius 1. Decad. lib. 2.

b *Idem de Decio Bruto.*] Legendum Decimo, vt præced. cap. admonuimus, quanquam non is est de quo loquitur, sed M. Brutus, vt videre licet apud Suetonium in Cæsare. c. 82. Plutarchum in vita eiusdem Cæsaris Appianum bellorum Ciuilium lib. 2.

c *Siquidem hic propiore affinitate.*] Suetonius, Plutarchus & Appianus vbi suprà.

d *Quod ipsum.*] Sueton. vbi suprà, Etsi, inquit, tradiderunt quidam M. Bruto irruenti dixisse, καὶ σὺ τέκνον; Et tu fili.

 e *Iunia.*]

quum vndique Infestis mucronibus appereretur, dixisse ferunt. [e] Iunia verò tertia soror Bruti, Cassio nupta fuit. [f] Porcia autem Catonis filia, mulier non muliebris spiritus, quum Bruto nupsisset, cum miris modis, & super omnium amorum ardores amasse fertur, [g] ex qua Bibulum tulit. [h] Quæ cum post afflictas fortunas Bruti necem audisset, quum mori animo destinasset, idque fixum statutúmque haberet, & ne vim sibi afferret, vetita arma fuissent: ea præsentia animi fuit, vt clauso cubiculi ostio, ne cuius interuentus facinus moraretur, incenso carbone, & sibi in fauces indito, memor generis & Romani nominis, necem sibi ipsa consciuit: tantus vigor animi ingeniique fuit, tantique spiritus mulier admonitu patris, qui pariter manus sibi mortifero vulnere intulerat, fuisse credita est. [i] In qua quidem re subit recordatio, veteribus literis & annalium monumentis extare, quod tametsi apud varias gentes vim sibi afferre, & necem sua sponte consciscere, dignum laude & magni fuerit habitum: apud Thebanos tamen qui mortem sibi consciuit, & nulla fuit laude dignus: quin potius id crimini dabatur & probro, eóque facinore pudendam inscitiam & imperitiam coarguebat suam, velut sui carnifex, immanísque naturæ foret. [k] Athenienses verò cum necem quisquam sibi manu consciuisset, defuncto cadaueri manum tanquam facinorosam abscindunt: illámque diuisam à corpore, inhumatam relinquunt, reliquum verò cadauer humo regunt. [l] Quod Platonis documentum fuit, qui censuit optimum quémque infracto animo vim fortunæ & incursus calamitatum potius ferre, & nisi cum dies promissus aduenerit, neminem iniussu Dei mortem sibi consciscere, aut ante tempus fato fungi oportere: idque magnificentius præclariúsque videri.

Iunia Bruti soror.

Porcia Catonis filia.

Mortem sibi consciscere apud quos contra probro dabatur.

Platonis sententia de morte sibi non consciscenda.

ANNOTATIONES.

e *Iunia.*] Plutarchus in Bruto.

f *Porcia autem.*] Plutarchus ibi. Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. vbi quod hic dicit, non muliebris spiritus: alter, minimè muliebris animi dixerat.

g *Ex qua Bibulum tulit.*] Hic memoria lapsus est Alexander: nam Porcia non ex Bruto, sed ex priore marito hunc Bibulum susceperat vt tradit Plutarchus vbi suprà

h *Quæ cum post afflictas fortunas.*] Valer Maxi. lib. 4. cap. 6. Plutarchus in Bruto in fine, Porcia, inquit, cùm mori statuisset, & nemo amicorum assentiebat: imò diligenti cura id prohibebant, ex igne ardentes prunas arripuisse, atque bibisse: deinde os claudentem sic vitam extinxisse. Martialis lib. 1. epigr. 99.

Coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti;
Et subtracta sibi quæreret arma dolor;
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari:
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas:
I nunc & ferrum turba molesta nega.

i *In qua quidem re.*] Vide omnino quæ scripsimus in nostris Commentariis Nobilitatis, cap. 31. num. 501. incip. Ex quo illud. & seq. & iterum incip. Præter ea & eos qui sibi & multis seq.

k *Athenienses.*] Æschines in Oratione aduersus Ctesiphontem.

l *Quod Platonis documentum.*] Tum in Phedone, tum in lib. 9. de legib.

ALEXANDER

ALEXANDRI AB ALEXANDRO IVRISPERITI NEAPOLITANI GENIALIVM DIERVM LIBER SEXTVS.

Locus ex tertio Ciceronis de Officiis, quid venditor emptori præstare teneatur, cum Sigismundo in suburbano discussus.

Capvt I.

Sigismundus Fulginas.

CVM Sigismundo Fulginate, viro docto, & multarum rerum cognitione claro, vetus mihi à prima adolescentia consuetudo fuit. Is quanquam multis rerum actionibus, pluribusque muneribus apud pontifices magno vsui foret, siquando tamen negotiis pausa fieret, (quod vix illi contingere poterat, vt in tanta mole rerum ab immodico labore conquiesceret) id quod otij dabatur, lectioni clarorum virorum, aut suorum temporum scribendis annalibus, rebusque vel pace vel bello gestis, perlibenter exhibebat. Nonnunquam in suo prædiolo in monte Ianiculo, miro prospectu & cultibus amœno, vbi ædiculas habebat, cum amicis se recipiebat, ibique lepidis iucundisque sermonibus, id quod erat laxamenti, vnà familiarissimè conferebat. Præstabat nonnunquam nobis ipse cœnulam, vt non nimis insolentem, sic profectò sobriam & modestam, ac temporibus consentaneam: & vt erat ipse comis, facilisque natura, ita facilem nobis victum, non exquisitis valde obsoniis apparabat, siquidem asparagos altiles acido vino & pipere conditos cum iusculo tepidulo, ac ferculum cucurbitæ, cum immatura vua ibidem expressa & decocta largo succo, quibus perlibenter vescebatur, obsonia nobis exhibebat: addebat etiam pyrum pomumque persicum miro odore fragrantia. Post cœnulam verò, siquando otium erat à negotiis, vt animo vacaret, illius sermonibus & congressus spectatæ virtutis ac pacis artibus & ingenio clari viri diutius perfruebar. Forte autem quum æstiuo anni tempore postmeridianis horis, eius rogatu accersitúque ad eum ventitaremus, eundem ad aquulam perspicuo liquore & frigore manantem per roseta, arbosculasque vndique topiario opere dispositas, perque hortensia ablaqueata, & lætissima vitera nacti sumus: aderant ibi complures honesti adolescentes, latinæ græcæque eloquentiæ professores, cum quibus de litterarum studiis perquam libenter sermocinabatur, quos ipse minutis quæstiunculis variæ eruditionis diuersimodè exercebat. Inter quos adolescens quispiam indolis bonæ, libellum Ciceronis de officiis tertium lectitabat, præterque multa ad edictum ædilium pertinentia, quæ ex fide bona emptorem venditori præstare oportere censuit, hæc legebantur: Si pestilentes ædes quis vendat, quæ salubres habebantur, aut in quibus serpentes sint, teneri venditorem ex edicto ædilium, id quod dolo vendiderat, recipere, emptorique pretium reddere. Idem: Si in annonæ caritate frumentum aliquò aduexerim, solusque ego sciam multos illuc frumenta aduecturos, ita vt illorum aduentu inopiam paulò post leuaturi sint, illa me etiam nota facere, neque subticendum, vt taciturnitate mea capiantur, plurisque quàm æquum sit, frumentum ego vendam: omnia denique quæ venditor sciat, ne emptor ignoret, in distrahendis rebus ex bona fide præstari oportere. & pleraque hoc genus periucundè lectitabat, Cúmque hæc & multa in hanc sententiam ille legisset: Quónam, inquit Sigismundus, istud accidat modo, vt venditor ea quæ diuersa & longè aliena sunt, in distrahendis mercibus pręstare teneatur, equidem ignoro: nam vt in re quam distrahere quispiam vult quid morbi vitiique sit, emptori palam facere debeat, puto ad edictum ædilium pertinere, vt si seruus fur erróve sit, aut equus calce, vel bos cornu petere soleat, aut quod nunc Cicero dixit, ædes pestilentes sint, habeanturque salubres, vel quid occulti vitij latentísque morbi sit illud enunciari debere, facile, inquit, assenserim: quæ verò extrinsecus manent in casu posita, illa per venditorem prædici, ad eáque edictum ædilium, legésve vllas extendi, nequaquam, inquit, mihi quisquam persuadet. Ideo se mirari Ciceronem, qui tanquam aliquid morbi vitiique inesset in re vendita, perinde id quod postea euenturum, & in casu & fortuna situm esset, per venditorem prænunciari voluerit. Cúmque ex his qui assistebant, quidam ætate & grauis, & in literis satis proficiens, se arbitrari respondisset, quòd sicut quædam ad morbum vitiúmque rei venditæ vix pertinent, sed tamen quouis modo profutura sunt, nosse ædiles, ne emptores capiantur, à venditoribus enunciari & palam fieri mandaue-

Ciceronis locus.

runt, ita hoc quoque iussisse: Sicut (inquit) vetus edictum ædium fuit, ne veteranus seruus pro nouitio veneat, etiam si nullo morbo vitióque affectus sit: vtque si mulus castratus sit, tametsi æquè bonus, emptorem non latere voluerunt: ita si sciam aliquos in summa frumenti inopia, paulò post annonæ caritatem leuaturos, illa à me prænosci debere, ne fraudis occasio detur, pariter censuerunt, atque ex æquo & bono iusserunt, vt quod proscribenti liquet, etiam si fortè euenturum sit, enunciari debeat, ne quod venditor sciat, emptor ignoret. Nunquam (inquit Sigismundus) id mihi in mentem venire posset; neque quisquam mihi argumentis defendet, vt edictum ædilium hoc comprehendere sentiam, vt euenta negociorum, quæ temere & fortuitò futura sunt, per venditorem prædici debeant, quæ si reticeantur, redhibitioni propterea locus sit, quum illud asserere, summæ mihi videatur improbitatis & inscitiæ. Cúmque ex me quid mihi probaretur exquireret, respondi magni referre, in re de qua agitur, quid morbi vitiíque esset enunciare, an quæ casu futura sint, prędicere & diuinare. Quæ enim insunt in re quę distrahitur, & ad ipsius pertinent notionem, quam venditor antè præsentit, vt si quo morbo vitióque laboret; vel labe afficiatur, ex edicto ędilium nota facere iubemur emptori: quæ verò pendent à casu & fortuna, & diuersa sunt, nullis nos legibus aut edictis cogi enunciare. Quid enim interest mea, si nauis ex Asia veniens, huc merces allatura, & paulò post artissimam annonam leuatura sit, dummodo in re de qua agitur, nihil dolo malo factum sit? Alioqui dicendum foret, an frumenti, olei & vini, quod distrahere quispiam volet, annona vel caritas eo anno futura sit, vel si cancri sidere, aut vastitate, seu alia frugum peste, aut ira deûm, fata interitura, vel hostium strage, vel chasmate, ea res deperitura sit: quod (vt videtis) non est in re de qua agitur, sed in casu positum: & illa prædicere, profectò ridiculum foret. Nam quod edicto ædilium cautum est, vt præstetur à venditore, ne quid in re proscripta vitij lateat, néve quid veri reticeatur aut fictum quid accersitúmve aliquid sit aliunde, & quòd stetur pacti & conuenti formulæ, satis, esse lege prospectum, ne quid vitij latentis supprimatur, quod ipse sciat, emptor ignoret. Alioqui ipsum redhibitorio iudicio teneri certum est, idque non adeò seuerè & restrictè iure ciuili traditum esse, sed parce & molliter: quippe si quid venditor dixit commendandæ suæ mercis causa, illud præstari ædiles non coegere, vt si seruum frugi, dicto audientem esse venditor dixerit, quæ enim commendandæ mercis causa in venditionibus dicuntur, venditorem non obligant: neque enim constituta auctione ita quis proscribit, fundum sterilem aut domum pestilentem vendo. At si dicat seruum literatum, artificem, nomenclatorem, arithmeticum, fabrum aut textorem, quò pluris veneat, id præstare proculdubio cogitur. Præterea in re modica decipi emptorem posse, etiam iureconsulti voluere. Non enim redhibitorio iudicio teneri dixerunt eum, qui pluris aliquanto rem distraxit, quàm quanti æstimata sit: siquidem res bona fide vendita, propter minimam rem inempta fieri non debet. Sed vbi ita immenso mercatur quispiam, vt magnam pati iacturam necesse habeat, tunc redhibitioni locum fore, edicto ædilium cautum fuisse. Quod si ita est, huic sententiæ conuenit, hocque argumento conuincimur, vt neque eum qui nauem huc frumentum aduecturam, cuius aduentus annonæ caritatem & arctos commeatus leuaturus sit: neque eum qui frumenta diripi, agros vastari, vel annum aduersum frugibus, longè antè præsenserit, & minimè enunciarit, redhibitorio iudicio teneri arbitrer: cum hæc non insint in re quæ proscribitur, sed in euentu fortunæ. Et quod nunc Cicero inquit, eum qui rem distrahit, debere, etiam quæ aliunde futura sunt, enunciare, vt si nauem huc frumentum aduecturam sciat, quo vtilitas annonæ consequutura, aut venditæ merces viliores futuræ sint, emptori prædicere, profectò eò pertinere crediderim, vt præcipi intelligamus, ab eo qui ex intimo artificio virum bonum instituit, & ita instituit, vt ne minima quidem in re quouis prętextu contra iura legesque contráque humani generis societatem aliquid admissurus sit: non eum qui de ciuilibus actionibus, quantúmque moribus, legibusque permissum sit, inquirat. Quæstioni diu res fuit, quid virum bonum, quid ciuilem & politicum deceat. Viro enim bono hoc datur, vt vbique sanctus vbique castus, honesti cultor, pius & integer sit, cuius ne erratum quidem minimum fuerit, ne dicam vitium: qui nullo malo perterritus, nulla calamitate victus fortunæ cedat, nihil expetat, nihil dicat, nihil faciat in vita, nisi summa cum laude & dignitate, in nulla re delinquat, nullius rei pœniteat seruétque fœdera humani generis ita inuiolata in magnis minimisque rebus, vt ne minima quidem conscientiæ labe detineatur. Ciuilem verò dixere hominem, qui legum iudiciorúmque metuens, quantum moribus legibúsque tributum est, id tanto temperamento agit, vt quoad fieri possit, nihil perperam aut inconsultè admissurus sit qui sua prouidentia, religione, fide, quantúmque ratione prouideri potuit, reipublicæ & ciuium saluti consulat, legibus pareat, patriam tueatur, proximos amet, refrenet libidines, & indomitas cupiditates, verecundiam seruet, atque etiam si in aliquo delinquit, id tamen agit, vt ciuilia officia, humanique generis fœdera quam minimum lædat. quippe quum nos optimum dicimus, cui pauciora desunt. Quæ cum ita sint, non fuit ab re, vt sanctus iste homo tam defæcati animo & tam integer, quem nos magis fingimus quàm inuenimus, nun modo si quid esset in re vitij, sed & si quid aliunde futurum putaret, vt nullam officij partem deserat, quamuis minimum prædicere teneatur. Hæc nos cum Sigismundo Fulginate, ingenij magni & spectatę virtutis viro, flagrante diei ęstu incredibili suauitate differebamus.

Edictum vetus ædilium. *Alexandri enarratio loci Ciceronis.* *Emptori in re modica decipi posse.* *Vir bonus.* *Ciuilis.*

Quo

Quæ maxima fuerint oracula, quave templa celebria apud plerasque gentes, in magna religione & cultu.

CAPVT II.

INTER [a] oracula quæ apud Græcos Afrosque præcipuo cultu fuerunt, ad quæ homines ventitabant, [b] Delphicum in terris clarissimum fuisse cultu, & religione longè excellens, vno omnium testimonio traditum est. fuit enim Delphos totius orbis [c] vmbilicus, commune humani generis oraculum, [d] in monte Parnasso excelso & prærupto a to sita ciuitas, nullis mœnibus, sed tantùm abruptis rupibus saxisque munita, arduo & difficili ascensu, in quo Nysa ciuitas Libero consecrata, Cyrrha verò ad montis radices iuxta mare. [e] Erat autem Parnassus Phocidis mons in Bœotia, in duos diuisus colles, Thitorea & Hyampeum, quorum alter Libero, Apollini alter dicati fuere. [f] Helicon verò Musis. [g] In Cythæronis autem vertice Sparticarum nympharum antrum colebatur: qui mons iuxta Olympum situs erat, supra quem Olympi editissimus vertex decem fere stadiis attollebatur. Qui eiusdem nominis mons & [h] in Macedonia, [i] & in Thessalia, [k] Mysia, [l] Cilicia, [m] Elide, & [n] Arcadia excelsus quidem attollitur.

Delphicũ oraculum Delphis.

Parnassus bicollis.

Cytharõ Sparticarum nympharum antrum.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

a *INter oracula.*] Horum omnium dæmones authores esse tradit Eusebius Præparationis Euangelicæ, libro 1. cap. 3. in fi. & Demonstrationis Euangelicæ, libro 5. cap. 1. post princ.

b *Delphicum.*] Huius oraculi meminit Homerus lib. Odyssææ 9 cùm scribit Agamemnonem ab illo respõsum petiisse,

εἰς γάρ οἱ χρείων μυθήσατο φοῖβος ἀπόλλων
πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ.—

Et ij quos infrà citabo.

c *Vmbilicus.*] Author Priapeorum,

Delphos Pythius orbis vmbilicum.

Strabo lib 9. In medio namque quodammodo Græciæ, & intra & extra Isthmum, imò & totius orbis consistere videbatur: vnde & telluris vmbilicum appellabant. Et ante hos Pindarus, & Ennius apud Varronem lib. 3. aut aliorum supputatione 6. linguæ Latinæ, O sancte Apollo, qui vmbilicum terrarum obtines. Id quod etiam citat ex poëta, quem non nominat, Cicero libro 2. de Diuinatione, Nam vmbilicum (inquit Varro) dictum aiunt ab vmbilico nostro, quòd is medius locus sit terrarum, vt vmbilicus in nobis: quod vtrunque est falsum. Neque hic locus est terrarũ medius, neque noster vmbilicus est hominis medius. Itaque pingitur, qui vocatur. ἰκθὺν à Pythagora, vt media cœli ac terræ linea ducatur infrà vmbilicum, per id, quo discernitur homo mas, an fœmina sit, vbi ortus humanus similis, vt in mundo. Ibi enim omnia nascuntur in medio, quòd terra mũdi media. Præterea si quod medium, id est vmbilicos vt pila terræ: non Delphis medium, & terræ medium non hoc, sed, quod vocant, Delphis in æde foramen. adlatum est quiddam, vt thesauri speciem, quod Græci ὀμφαλὸν vmbilicum dixerunt. Vitruuius autem lib. de Architectura, 3. cap. 1. Item, inquit, corporis centrum medium naturaliter est vmbilicus. Namque si homo collocatus fuerit supinus, manibus & pedibus pansis, circinique collocatum centrum in vmbilico eius, circumagendo rotundationem vtrarũque manuum & pedum digiti linea taugentur. Hæc ille. quibus docet vmbilicum hominis esse medium totius corporis: non vt par sit distantia ab eo ad verticem capitis & ad pedes ipsius, sed vt passis manibus & pedibus fiat similis rotunditas. Idem censet Galenus lib. 2. de Placitis Hippocratis, & Platonis: & lib. 15. de Vsu partium. Ex quo fit, vt vmbilicos pro medio in quacunque re ponatur. Cicero in 6. in Verrẽ actione, Ennam, ciuitatem Siciliæ, vocat eius insulæ vmbilicum. Raptam, inquit, Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemure arbitrantur, qui locus, quòd in media insula est situs, Siciliæ vmbilicus nominatur. Liuius 4. Dec. lib. 5. Iam primùm Ætolos, qui vmblicum Græciæ incolerent, in armis eum inuenturum, antesignanos ad asperrima quæque belli paratos. Sicuti Italiæ vmbilicus in Reatino agro ponitur Plinio lib. 3. cap. 12. & Solino cap. 8. vterque Varronis authoritate. Ante hos Plautus in Menæchmi actu 1. sce. 2.

Dies quidem iam ad vmbilicum est dimidiatus mortuus.

Scio autem aliàs vmbilicum vsurpari pro fine. Horat. Epod. Ode 14.

Deus, deus nam me vetat,
Inceptos olim, promissum carmen, iambos
Ad vmbilicum adducere.

Id est, absoluere, finire Solebant enim veteres illi librorum suorum tegumenta vmbilicis ornare. Aut (inquit Porphyrion) in fine lib. vmbilici ex ligno, aut osse solent poni. Catullus ad Varum,

Noui vmbilici, lora rubra, membrana
Desecta, plumbo & pumice omnia æquata.

Et Martialis ideò librum quartum hoc epigrãmate clausit,

Ohe iam satis est, ohe libelle
Iam peruenimus vsque ad vmbilicos,
Tu procedere adhuc & ire quæris.
Nec summa potes in scheda teneri.

Et lib. 5. epig. 6.

Nunquam grandia nec molesta poscit,
Quæ cedro decorata, purpuraque
Nigris pagina crevit vmbilicis.

Et alibi sæpe.

d *In monte Parnasso.*] Hæc descriptio maxima ex parte est Strabonis lib. 9.

e *Erat autem Parnassus.*] Herodotus lib. 8. vbi & hos colles ita vt hic appellat. Seruius lib. 10. Æneidos in eum locum,

Pandite nunc Helicona deæ, cantusque mouete.

Parnassus mons, inquit, Thessaliæ iuxta Bœotiam, qui in duo finditur iuga, Citheronem Liberi, & Heliconem Apollinis & Musarum. Hanc Seruij opinionem sequitur Lactantius Grammaticus primo Thebaidos Statij.

f *Helicon verò Musis.*] Seruius & Lactantius vbi suprà: & ante hos Strabo lib. 10. Qui, inquit, Musis Helicona consecrarunt, Thraces fuere, Bœotiæ accolæ. & libro 9. Helicon mons Bœotiæ iuxta Thebas, atque Phocidi vicinus, non procul à Parnasso, eique æmulus & altitudine & circuitu, qui & ipse Apollini sacer est & Musis. Plinius libro 4. capit. 7.

g *In Cithæronis autem vertice.*] Pausanias in Bœoticis. vbi nymphas has Cithæronidas vaticinatas priscis temporibus sermone hominum vulgatum fuisse scribit. vocat autem eas Sphragidas, non Sparticas.

h *Et in Macedonia.*] Varro lib. 6. de lingua Latina, & Seruius in lib. 4. Æneidos.

i *Et in Thessalia.*] Vt dictum est ex Seruio suprà in verbo, In monte Parnasso. Mela lib. 2. c. 3.

k *Mysia.*] Strabo lib. 12. Prusa vrbs est, in Olympo Mysiæ sita. Et eodem lib. Propontidi imminent Olympus Mysius, & Ida. Vide etiam Herodotum libro 1.

l *Cilicia.*] Idem lib. 14.

m *Elide.*] Idem Strabo lib. 8.

n *Et Arcadia.*] Pausanias in Arcadicis, qui est liber octauus. Ad læuam Heræ Lycæum mons est, quem Olympum etiam Sacrum alij Arcadum iugum nuncupant.

Templi Apollinis locus apud Delphos. Caeremoniae & ritus Delphici oraculi consulendi.

[o] Templum verò intra vrbis ambitum fuit, quod pariter non manu extructa, sed natiua præcipitia muniuere aditu difficili & angusto: quippe quem ex quinque lapidibus tantum, velut mole obiecta, obstructum ferant. in medio autem exigua planities, & in ea hiatus, ex quo ventus & acer spiritus manans, mentes vatum in vecordiam vertit. Eoque spiritu ex infimo specu edito, quasi diuino afflatu Phœbas in tripode stans, mente furibunda, statis diebus quibus fari licet, consulentibus responsa canit: licet [p] ferant Apollinem sex mensibus apud Lycios, sex apud Delum vaticinari, reliqua verò oracula aliquando Idibus, nonnunquam calendis: nunc die oriente, nunc desinente, responsa dabant: [q] quæ à mulieribus tantùm, quę erant templi vates, vaticinantis in modum ferebantur. [r] In quo id pręcipuum fuit, vt qui oraculum consulit, breui admodum oratione quid velit exposcat, [s] vtque nullum Latinè edatur oraculum, neque edi priusquam ab imo, dum sacrificant, tota victima contremiscat: nec capitis commotionem satis esse, sed omnibus illam partibus quati oportere. [t] In quo proditur memoriæ, cum infasto die Pythiam reluctantem & inuitam Alexander cogeret, illam vi coactam, quòd esset inuictus, respondisse: quod pro omine acceptum veridico pręsagio, futuræ magnitudinis prænuncium fecit. In eo quidem templo, Apollinis simulacrum fuit humana effigie: in [u] Delo, Draconis: [x] in Licia vero lupi. [y] Quam vrbem Python, ob interfectum Pythonem, dictam comperimus: nam [z] & Pythius Apollo, [a] & Pythia festa, & [b] ludi Pythij, & [c] ipsa vates Pythia dicta, & [d] Pytheum oraculi locus. Spartæ quoque Pythios nuncupant, qui Delphos ad consulendum oraculum mittebantur, qui publicè cum regibus cibaria habent, & vescuntur vnà. [e] Huc ex omni orbe praua religione incussa, qua se hominum vanitas confundebat, viri principali dignitate insignes, frequentes consultum ibant, eáque ex omnibus vera & longè clarissima oracula habita sunt. Quare regum populorumque amplissimis donis, muneribusque, & multarum vrbium thesauris refertum templum fuit: inter quos

Alexander Pythiam cogit vaticinari. Python. Pythia festa. Pythij ludi. Pythia. Pytheum. Pythij. Stateanorum.

ANNOTATIONES.

o *Templum verò.*] Iustinus lib. 24. Strabo lib. 9. Diodorus Siculus lib. 16. cap. 6. vbi huius oraculi rationem describit Plinius lib. 24. c. 43. ad fi.

p *Licet ferant Apollinem.*] Hæc vsque ad versi. Quæ à mulieribus sunt Seruij tum lib. 4. in enarratione eius loci,

Qualis, vbi hybernam Lyciam, Xantique fluenta.
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo.

Aliud, inquit, agens, aliud ostendit. Nam Apollo sex mensibus hyemalibus, apud Pataram Lyciæ vrbem: & sex æstiuis, apud Delum dat responsa. Tum lib. 6. statim post princ.

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.

Et huic, quod de Lyciis dicitur, adstipulatur, quod Homerus libro 4. Iliados, Apollini nomen dedit λυκηγενεῖ,

εὔχεο δ' Ἀπόλλωνι λυκηγενέϊ κλυτοτόξῳ.

Id est,

Voue autem Apollini Lycegeni, glorioso in arcu.

Lycium quoque eum appellatum fuisse constat ex Pausania in Atticis & Corinthiacis, Diodoro Siculo lib. 6. cap. 17. Macrobio Satur. lib. 1. cap. 17. Propertio lib. 3. eleg. 1. & aliis. Et quod in Lycia fuerit Apollinis oraculum, tradit Fest. Pompeius lib. 10. Ex quo & Lyciæ sortes Virgil. li. 4. Æneid.

Italiam Lyciæ iussere capessere sortes.

& paolò pòst.

Nunc Lyciæ sortes: nunc & Ioue missus ab ipso
Interpres diuûm fert horrida iussa per auras.

Et Statio lib. 3. Thebaidos,

—Lyciæque parent contendere sortes.

q *Quæ à mulieribus tantùm.*] Strabo lib. 9.

r *In quo id præcipuum fuit.*] Philostratus in vita Apollonij lib. 6. cap. 5. de oraculo Delphico loquens, inquit, Ibi, vt tu ipse nosti, qui ab oraculo aliquid poscit, breui admodum oratione, quid poscat, exponit.

s *Vtq; nullum Latinè edatur oraculum.*] Quanquã apud Apuleium lib. Asini aurei 4. Apollo Milesius, Græcus & Ionicus propter Milesiæ conditorem, sic Latina sorte respondit,

Montis in excelsi scopulo desiste puellam,
Ornatam mundo funerei thalami.
Nec speres generum mortali stirpe creatum,
Sed sæuum atque ferum, vipereumque malum.
Qui pennis volitans super æthera cuncta fatigat,
Flammaque & ferro singula debilitat.
Quem tremit ipse Iouis, quo numina terrificantur,
Flumina horrescunt & Stygiæ tenebræ.

t *In quo proditur memoriæ.*] Plutarchus in Alexandro, sic scribit, Volens, Alexander scilicet, illius gratia expeditionis, diuinum consulere oraculum, Delphos venit. Tum fortè nefasti dies agebantur, in quibus ne fari quidem illi mos est oraculo. Quamobrem cùm ipsam primò vatem reluctantem, seque lege tuentem oraslet, ipse inuitam trahens templum ascendit. Ea verò studio ac hominis importunitate victa, Inuictus es, inquit, fili. Qua voce accepta Alexander, haud alio sibi opus esse vaticinio dixit, verum assequutum se, quod ab ea cupiebat, oraculum. Nec multò antè, scilicet anno sexto Philippi patris Alexãdri (vt scribit Diodorus Siculus lib. 16.) Philomelus Pythiam vti aliquid sibi de patriæ rebus prædiceret, monuit: & cùm vates eam ipsius patriam sibi videri responderet, minari & cogere eam, vti tripoda incenderet, cœpit Philomelus. At cuius vim inferentis asperitatem offensa mulier, cùm dixisset, Tibi quidem quodlibet permittitur: lætus plurimum, verbum id, vt pote oraculum rebus suis aptissimum, accepit Philomelus, quod tamen tandem ei cessit pessimè.

v *In Delo, Draconis.*] Strabo lib. 9.

x *In Lycia verò lupi.*] Pausanias in Corinthiacis.

y *Quam vrbem Python.*] Pausanias lib. 10.

z *Et Pythius Apollo.*] Propertius lib. 2. e. 29.

Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

Pausanias libro 2. & 5. Ita autem dictus à Pythone serpente, Terra genito, quem Apollo, adhuc puer, sagittis suis confecit, apud Ouid. lib. 1. Metamor. cuius hæc verba sunt,

Illa quidem nollet, sed te quoque maxime Python
Tum genuit populisque nouis incognite serpens
Terror eras, tantum spatij de monte tenebas.
Hunc Deus Arcitenens, & nunquam talibus armis
Antè, nisi in damis, capreisque fugacibus, vsus,
Mille grauem telis exhausta penè pharetra
Perdidit: effuso per vulnera nigra veneno.

Arnobius contra Gentiles lib. 3. & 8.

a *Et Pythia festa.*] Ouid. lib. 1. Metamor.

Instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia perdomita serpentis nomine dictos.

Huius certaminis victores, teste Luciano, lauro coronabantur, additis pomis ex Apollinis templo sumptis.

b *Ludi Pythij.*] Strabo lib. 9. & vide sup. lib. 5. c. 8.

c *Et ipsa vates Pythia.*] Strabo d. li. 9. Diod. li. 16. sup. citato.

d *Et Pytheum oraculi locus.*] Herodotus lib. 6. Suos autem Pythij, qui Delphos ad consulenda oracula mittuntur, quique publicè cum regibus pascuntur.

e *Huc ex omni orbe.*] Strabo lib. 9.

f Quod

Agillinorum & Spinensium non in postremis gazæ fuere. [f] Quod quidem cuncta oracula antiquitate excellebat. Proximum huic fertur [g] Dodonæi Iouis oraculum. [h] Dodona enim ampla in Epiro ciuitas, & satis florens habita. Epirus autem Molossorum regnum erat. Templum verò iuxta nemus Ioui sacrum, in quo arbores responsa dare dicebantur, omnibus circà populis sanctum à Pelasgis constructum, & paludibus circunfusum, [i] quercusque vocales illic fuisse fama vulgauit, ad quas vt in dubiis casibus responsa acciperent, capti superstitione homines religiose accedebant. [k] Fuitque proditum memoriæ, quercui Dodonææ famulantes, diuinandi facultatem accipere: [l] solisque Bœotiis, siquando consulto opus foret, viros responsa dare, [m] primamque fagum & columbam Dodonæ vaticinatam quotiesque oraculum edebatur, [n] lebetes æneos ad numerum, siue casu, siue consultò, tinnitus edere canoros [o] In quo Deucalion & Pirrha desinentibus aquis, post diluuium concedisse, & numen consuluisse perhibentur. [p] Subinde Alexander Epiri rex eodem oraculo monitus, vt vrbem Pandosiã & amnem Acherusium, tanquam fatalia loca vitaret, in responsis habuit, oraculi sortem de his quæ in Thresprotis essent, intelligere arbitratus: qui quũ infestissimas gentes in Brutiis armis peteret, & belli iure vastat, apud eiusdem nominis loca, infanda strage victus, oraculi fidẽ veram impleuit. [q] Quod quidem templum Philippus Mecedo (velut immanis prędo) sicut pleraque omni rapinarũ genere vastauit & incendit: vasaque & quæ preciosa erant, immisso exercitu diripuit. [r] In eo quoque fons sacer vise-

Agillinorum & Spinensiũ gaza in templo Apollinis Delphici. Dodonæũ oraculũ. Epirus. Oracula Apollinis ambigua. Templum Apollinis. Delphici à Philip. vastatũ.

ANNOTATIONES.

f *Quod quidem cuncta oracula.*] Nam & id antiquitate dicit insigne Strabo d. lib. 9.

g *Dodonai Iouis.*] Vt etiam tradit Seruius in lib. 3. Æneid. quo loco statim citabimus.

h *Dodona enim ampla in Epiro.*] Herodotus lib. 2. non semel. Strabo lib. 5. 7. & nonnihil lib. 16. Liuius 1. Decad. lib. 8. Pomponius Mela lib. 2. cap. 3. vbi de Macedonia. Plinius in Præfatione li. 4. Probus in lib. 1. Georg. Virgilij. Solinus ca. 22. Stephanus de vrbibus in Dodona, Lactantius, Statij interpres lib. 3. Theb. ibi,

Et nemorum Dodona parens.

Scribit Dodonæum oraculum fuisse in Epiro, vbi de quercu columba omnibus responsa dabat. Ipse autem Strabo d. lib. 7. non multò ante fin. dicit hoc oraculum, quemadmodum & cætera, quodammodo derelictum esse.

i *Quercusque vocales.*] Ex quo illud Homeri loquentis de huiusmodi oraculo lib. Odysseæ 19.

τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο
ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσαι.
Hunc autem in Dodonem dicebat ire, vt Dei
Ex quercu alta Iouis consilium audiret.

Illud Hesiodi apud Strabonem libro 7. non procul à fine;

Δωδώνην φηγόν τε Πελασγῶν ἕδρανον ἦεν. id est,
—Atque habita Graiis oracula quercus.

Et ibi Probus & Seruius interpretes, & idem Probus in lib. 1. eiusdem operis.

k *Fuitque proditum.*] Herodotus lib. 2. hanc historiam copiose explicat. De hac ipsa re etiam plura, & quidem doctè, congessit Ianus Parrasius 1. Raptus Proserpinæ super illud,

Vnde data populis fruges, & glande relicta
Cesserit inuentis Dodonia quercus aristis.

l *Solisque Bœotiis.*] Strabo libro 9. vbi eius rei rationem reddit.

m *Primamque fagum & columbam.*] Herodotus dicto lib. 2. Id tamen fabulosum esse autumat Strabo lib. 7. paulò ante fin. Vide tamen Dionysium Halicarnasseum libr. 1. & Probum in d. lib. 1. Georg. Seruium in 9. eclog. Virgilij paulò post prin. In Epiro, inquit, dicitur nemus fuisse, in quo responsa dabant columbæ: quod ideò fingitur, quia lingua Thessala Peliades & columbæ & vaticinatrices vocantur, Ouid. Metamor. 13.

Vocalemque sua terram Dodonida quercu.

n *Lebetes æneos.*] Erasmus Chiliadis 1. centur. 1. cap. 7. Dodonæum æs tam apud Græcos, quàm Latinos in prouerbium cessisse de homine improbæ & importunæ loquacitatis ex diuersis scriptoribus ostendit. In Dodona duæ fuerunt sublimes columnæ, in altera peluis ærea, in altera pensile pueri simulachrum, flagellum æreum manu tollentis. Quoties autem ventus vehementius flasset, fieri consueuit, vt scutica impulsa crebrius lebetem feriret. Is autem percussus tinnitum reddebat, multum temporis durantem. At Suidas tradit ex quodam Damone, Iouis Dodonæi oraculum lebetibus æreis vndique septum fuisse, ita coniunctim collocatis, vt inuicem sese contingerent. Itaque necesse erat fieri, vt vno aliquo lebetum percusso, vicissim omnes resonarẽt, sonitu mutuo contactu ab aliis ad alios succedente. Durabatque in longum tempus tinnitus ille; videlicet in orbem redeunte sono. Ad has pelues respexit Virgi. lib. 3. Æneidos, commemorans hospitalia dona, quæ priscorum consuetudine, Æneæ digressuro, tum hospiti, tum ciui suo, Helenus, Epiri, post Pyrrhum, Rex, & Andromachę maritus, donarit his verbis,

Ingens argentum, Dodonæosque lebetes.

o *In quo Deucalion & Pyrrha.*] Parnassus, sicut Stephanus narrat, olim Larnassus vocari erat solitus, propter ea quòd Deucalionis illuc appulit λάρναξ, hoc est linter contectus, siue arca, quam Deucalion ædificauit cõsilio Promethei patris. Ludou. Viues in cap. 10. lib. 18. Ciuitatis Dei.

p *Subinde Alexander Epiri Rex.*] Hæc vsque ad versicul. Quod Quidem templũ. sunt Strabonis li. 6. & Iustini lib 12.

q *Quod quidem templum Philippus Macedo.*] Sed Aetoli huius templi porticus omnes demoliti sunt: ornamenta, quæ maximo studio atque impensa adhibita fuerant, deiecerunt neque solum superiorem partem incendio concremarunt verum etiam mœnia ipsa funditus eruere. Euerterunt statuas numero vltra duo millia, quamplurimas etiam fregerunt, ab his duntaxat abstinentes, quæ vel figuras, vel inscriptiones deorum habebant, vt scribit Polybius lib. 5.

r *In eoque fons sacer.*] Pomponius Mela lib. 2. cap. 3. In Epiro Dodonæi Iouis templum, & fons ideo sacer, quòd cùm sit frigidus, & immersas faces, sicut cæteri, extinguat: vbi sine igne procul admouentur, accendit. Huius fontis meminit Solinus cap. 12. Plinius cap. 103. libro 3. In Dodone, inquit, Iouis fons cùm sit gelidus; & immersas faces extinguat, si extinctæ admoueantur, accendit. Idem meridie semper deficit, qua de causa Anapauomenon vocant. Mox increscens ad medium noctis exuberat, ab eo rursus sensim deficit: Lucretius hunc fontem describens, in 6. causam cur id accidat, conatur ostendere. Eius versus, quòd elegantes sint, adscripsimus,

Frigidus est etiam fons, supra quem sita sæpe
Stuppa iacit flammas, concepto protinus igni,
Tedaque consimili ratione accensa per vndas
Collucet, quocunque natans impellitur auris,
Nimirum quia sunt in aqua permulta vaporis
Semina, de terraque necesse est funditus ipsa
Ignis corpora per totum consistere fontem,
Et simul expirare foras, exireque in auras,
Non tam viua tamen, calidus queat vt fieri fons.

Diuus Augustinus lib. 21. cap. 7. Ciuitatis Dei, Prodigiosis huiusmodi naturæ operibus rarò aliam rationem prætexi ait, quàm quòd talis eorum sit natura.

Fons in templo. *Oraculũ Apollinis Dindymæi. Branchus.*

batur,qui quum faces accensas extingueret,admotas procul accendit. [s]Tertiũ verò Dindymæi Apollinis oraculum antiquissimum, & multi nominis habetur,quod Branchidarum nuncupant.Branchus enim Thessalus fuit Apollini dilectus, & filius habitus,quem interfectum dolens, templo & diuinitate sacrauit. [t]Is autem Apollo Milesius dictus, [u]Est autem Miletus totius Ioniæ caput. Templum verò ad decem & octo stadia ab vrbe, à litore autem viginti aberat, maxima mole & profusis sumptibus extructum, auctumque amplissimis donis. [x]quod Xerxes deorum hominumque contemptor, dum innumerabilibus copiis Græciæ bellum parat, nulla religione aut deûm verecundia,sicut multa incendiis & ruinis deformauit, templumque & aras euertit. [y]Annis deinde intercedentibus,Milesij oraculo moniti, vberiori impensa illud omnium maximum & dignum tanto nomine restaurarunt, ita vt ob magnitudinem fastigio extruendo nullæ contignationes suffecerint. [z]Quartum in vrbe Bruti Latonæ oraculum inclytum diuitiis memorant. Vrbs autem Bruti in Ægypto contra Nili ostium, quod Sebeniticum dicitur. Templum verò media in vrbe situm, omnibus circa populis sanctum, & cæremoniis sacrum erat, porticum habens decem passibus altam,in quo [a]oraculum Cambysi redditum est,in Ecbatanis illum decessurum,ambiguo nomine decepto.cũ alteræ apud Syros,alteræ in Medis essent. [b]Delij quoque sortes & oracula,indubia semper habita sunt.Fuit autem Delos vna ex Cycladibus,cui nomẽ [c]Ortygia: [d]ædes verò mari imminebat,à qua proximus in Eubœam traiectus erat: quinque enim passuum millibus ab [e]Tanacra aberat.Tanacra autem in Eubœa vetus traditur ciuitas. [f]In quo quidem templo ipsum Apollinem natum & altum fabulantur, [g]tantæ religionis, vt ne Persæ quidem cum innumerabilibus copiis bellum parant, & omnia belli iure vastant, violentas aut sacrilegas admouere manus ausi fuerint: in cuius ara nullum immolari animal proditum est: quare morbo & pestilenti contagione coacti Delij, id decreto sanxerunt, ne homines defunctos ibi crema-

Oraculũ Latonæ. Brutus vrbs. *Delij sortes.* *Tanacra. Templi Apollinis in Delo honos.*

ANNOTATIONES.

s *Tertium verò Dindymæi Apollinis.*]Hæc sunt Herodoti lib. 5.Strabonis lib.11. & 14 non multò post princ. Pomp. Melæ lib.1.cap 17.vbi de Ionia in princip. Post Basilicum, inquit, Ionia aliquot se ambagibus sinuat, & primum à Possidio promontorio inflexum inchoans,cingit oraculum Apollinis dictum olim Branchidæ,nunc Didymi.& Plinij lib.5. c. 29. Statius lib.3.Thebaidos,

— Patrioque æqualis honori
Branchus.—

Vbi Lactantius Placidus,eiusdem Statij interpres, Terentiani versus sic citat.

— Branchiada Phœbo cantasse Iouisque
Pastorem Branchum,cum captus amore pudico,
Fatidicas sortes docuit depromere Pæan.

Branchus Thessalus fuit dilectus Apollini, vt Hiacinthus, quem acriter interfectum dolens,templo & sepulchro consecrauit.Hæc Lactantius.Legendum esse autem Didymæus non Dindymæus,authoritatibus suprà citatis patet.

t *Is autem Apollo Milesius.*]Nam & hunc Milesium appellat Apuleius Metam.lib.4 Dei,inquit,Milesij vetustissimum percontatur oraculum, quem posteà Apollinem esse dicit. Huius etiam oraculi Milesij meminit Apul.lib.5.Metam.& Sozomenus in historia, vbi de Licinij interitu agit, huius oraculi ita meminit,Denique etiam Græci dicunt,tunc eum expertum fuisse diuinationem Milesij Didymæi Apollinis, eique consulenti de bello, respondisse Deum per hos Homeri versus,

O senior,seruat iuuenis te miles in armis,
Te durè excipiet senium,& tua vita soluta est.

In vulgatis Sozimeni excerptis pro Milesij & Didymæi,Latinus interpres parum hoc tenens,Miletij & Gemni interpretatus est,vt scribit Gyraldus Historiæ Deorũ, syntag. 7.

u *Est autem Miletus.*]Plinius lib.5.cap.29. Miletus, inquit, Ioniæ caput,Lelegeis antè & Pityusa & Anactoria nominata,super 80.vrbium per cuncta maria genitrix Mela d.lib.1. c.17.vbi de Ionia.

x *Quod Xerxes.*] Strabo lib. 14. post princip. de Didymæo Milesio, sic scribit, Post Posidium Milesium est oraculum Apollini Didymæo sacrum apud Branchidas ad decem & octo stadia ascendenti:id á Xerxe incensum est, quemadmodum cætera templa omnia,Ephesio excepto. Branchidæ autem Dei thesauris Persæ traditis,cum eo fugiẽtes abicesserunt,ne proditionis & sacrilegij pœnas penderent.

y *Annis deinde intercedentibus,*] Idem Strabo ad ea subiũgit, Postea Milesij templum construxerunt omnium maximum quod propter magnitudinem remansit sine tecto,variis antiquarum artium donis sumptuosissimè honoratum.

z *Quartum in vrbe Bruti Latonæ.*]Herodotus lib.2. in duobus locis.Strabo lib. 17.Sed hic ex iis legendum est Buti, non Bruti.

a *Oraculum Cambysi redditum.*] Herodotus in Thalia, qui tertius liber est, Sed cùm fuisset iam antea Cambysi redditum ex vrbe Buti oraculum, eum in Ecbatanis decessurum, ipse interpretabatur se in Ecbatanis Mediæ. vbi res eius omnis erat, senem vita functurum:at oraculum in Ecbatanis Syriæ loquebatur.

b *Delij quoque sortes.*]Seruius in lib.3.Æneidos,ibi.

Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri.——

Dicta est insula, Delos scilicet,primò Ortygia, quia Græcè ὄρτυξ dicitur coturnix: & quia posteà emergẽns apparuit, Delos. Nam Δῆλον, manifestum dicunt. Vel quod verius, quia Apollinis oracula,quę vbique obscura sunt,illic manifesta dantur.Plinius c.12.lib.4.Ipsa,inquit,longè clarissima, Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos.

c *Ortygia.*] Strabo lib.10.Solinus c.17. & 18.

d *Ædes verò mari imminebat, à qua.*] Liuius 4.Decadis libro 5. ad finem, Templum, inquit, est Apollinis Delium imminens mari, quinque millia passuum à Tanagra abest, minus quatuor millium inde in proxima Eubœæ est mari traiectus.

e *Tanagra autem in Eubœa.*] Ptolemæo lib.3.ca. 15. Tanagra est oppidum Bœotiæ Mediterraneæ.

f *In quo quidem templo.*] Cicero in 3. in Verrem act. de eo templo loquens. est enim tanta apud eos eius fani religio atque antiquitas,vt in eo loco ipsum Apollinem natum esse arbitrentur.

g *Tantæ religionis, vt ne Persæ quidem.*] Cicero in eaipsa Oratione paulò pòst ea, quæ nuper ex eo diximus, de eodem templo loquens, Tantaque eius authoritas religionis & est,& semper fuit, vt ne Persæ quidem cùm bellum toti Græciæ,diis hominibúsque indixissent,& mille numero nauium classem ad Delum appulissent,quicquam conarentur, aut violare,aut attingere. Hanc historiam abunde scribit Herodotus lib.6.

h *Quare morbo & pestilenti.*]Thucydides libro 4. scribit in Delo nec parere, nec sepelire, nec canem alere fas fuisse.

Strabo

rent, néve sepelirent, [i] neque in Delo canes alerent, scilicet vt ab omni cæde insula immunis foret. [k] Cúmque oraculo moniti Athenienses Delum expiarent, hoc expiationis genus inuenere, vt cadauera sepulchris condita inde eruerent: [l] atque edixere, ne quis in Delo moreretur, néve quis homo nasceretur: sed morituri & pariturae mulieres, in Rhenam insulam Delo proximã transmigrarent. [m] Cuius aræ hoc proditur mirum & monstrificum, vt ex dextris cornibus animaliũ mira arte compactis erecta fuerit: [n] sicut Thebis aram Apollinis Spodij ex sacrificiorum cineribus constructã ferunt, vnde cognomen tulit, [o] quam nonnulli inter orbis miracula adnumerant: [p] ad quam quum accessisset Pythagoras, ipsum ob religionem adorasse fertur: [q] & ne aram sanguine fœdaret, hostiam immolare minimè voluit, sed frumento, hordeo, atque placenta, sine igne sacrum fecit. [r] Quæ insula tantæ sanctitudinis habita est, vt ad eam quotannis Athenienses tacti religione, variis mercibus onustam nauim mitterent, quo tempore quenquam vinciri, aut supplicio affici, religioni fuit, donec rediret nauis. [s] Cúmque cætera responsa Apollinis sub nubilo verborũ & sensu ambiguo redderentur, [t] sola Delij oracula nullo tegmento exposita atque aperta fuere. [v] Etiam in Attica ara Iouis supremi exemplo haud dissimili traditur, ad quam nihil conuenit animarum immolari: sed variis libamentis & bellariis absque vino sacrificatur. [x] In Paphiæ quoque Veneris ara, licet ex cæsis hostiis captentur auspicia, illic tamen sanguinem effundere non decebat: igne enim puro & precibus tantum altaria adolentur, in cuius sacris certissima hœdorum fibris fides habita semper. [y] In Patara quoque Lyciæ oraculum

In Delo nemo vel nascebatur, vel moriebatur.

Ara Apollinis Spodij.

Rhena insula sanctitudo.

Delij oracula aperta.

Ara Iouis in Attica.

Ara Paphia Veneris.

In Patara.

ANNOTATIONES.

Strabo lib. 10. Haud enim, ait, inter Delon mortuos aut sepelire, aut cremare fas est,

i *Neque in Delo canem.*] Strabo d. lib. ad ea subiungit, Canem etiam in Delo alere nefas.

k *Cúmque oraculo moniti, &c.*] Strab. d lib. 10.

l *Atque edixere.*] Plutarchus in Apophtegmatis Pausaniæ Cleobroti scribit, Mulierem ex lege, quæ apud Delios erat, neque parere, neque mortuos sepelire. Et Pausanias libr. 2. idem de Æsculapij luco dicit, ait enim, Æsculapij lucum circunquaque montes cingunt, intra cuius ambitum mori nequaquam, aut nasci religio est. eodem scilicet ritu, qui & in Deo insula seruatur.

m *Cuius ara.*] Id Plutarchi est in libello, quo differit, vtra animalia prudentiora sint, an aquigena, an verò terrigena. Verùm idem in Theseo de ara in Delo scribit, non quidem ex dextris, sed ex sinistris tantùm cornibus compactam, quã κεράτωνα βωμὸν appellat, id est corneam aram. Sed vtcunque sit, Ouidius non exprimens ex veris sit, in epistola Cydippes ad Acontium hæc de ea re scribit,

Miror & innumeris structam de cornibus aram,
Et de qua pariens arbore nixa dea est.

Quin & Callimachus poëta in Apollinis hymno, quadrimum adhuc Apollinem scribit ex cornibus Cynthiadum caprarum, quas soror Diana in venatu occiderat, aram compegisse, fundamentáque item & parietem è solis struxisse cornibus. ipsius autem sunt hæc verba,

τετραέτης τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξε
καλῇ ἐν Ὀρτυγίῃ περιηγέος ἐγγύθι λίμνης,
ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων,
δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους.

Quadrimus prima fundamenta Phœbus iecit.
Pulchra in Ortygia orbiculari in lacu.
Diana venata cornua assiduè caprarum
Cynthiadum tulit, ipse verò connexuit aram Apollo,
Extruxit quidem cornibus fundamenta, compegit autẽ aram
Ex cornibus, corneos verò circunduxit parietes.

Laërtius quoque Diogenes ceratinæ aræ, hoc est, cornibus factæ, mentionem nonnullam facit in Pythagoræ vita.

n *Sicut Thebis aram Apollinis Spodij.*] Pausanias lib. 9. qui de Bœoticis est. Supra lapidem, inquit, Sophronistera est Apollinis ara, cognomento Spodij, à victimarum cineribus congesta.

o *Quam nonnulli inter orbis miracula.*] Cassiodorus autem lib. 7. Variarum, epistolar. incip. Romanę. inter septem orbis miracula id minimè ponit.

p *Ad quam cùm accessisset Pythagoras.*] Diogenes Laërtius in vita ipsius, & Macrobius lib. 3. Satur. c. 6 post princ. Constat enim (sicut Cloatius Verus Ordinatorum lib. 2. docet) esse Deli aram, apud quam hostia non cæditur, sed tantùm solenni Deum prece venerantur. Verba Cloatij hæc sunt, Delij ara est Apollinis Γενέτορος, in qua nullum animal sacrificatur: quam Pythagoram, velut inuiolatam, adorasse produnt. Vbi Macrobius Apollinem Γενέτορα: id est genitorem, non spodium vocat. Spodos autem siue Spodium, cineris genus est, quod ex fornacibus ærariis sursum euolat, atque inde recidit in pauimentum.

q *Et ne aram sanguine fœdaret.*] Laërtius vbi suprà. Vide Censorium de die Natali.

r *Quæ insula.*] Herodotos lib. 6. Erat enim Atheniensium in Sunio biremis quædam, quam Delum iam inde à Theseo quotannis mittebant.

s *Cúmque cætera responsa.*] Herodotus libro 1. in Græcorum oraculis & alibi sæpè. Eusebius Præparationis Euangelicæ lib.

t *Sola Delij oracula.*] Id ex Seruio suprà diximus hoc eod. c. 2. ibi, Delij quoque sortes. & ad ea adiungit idem Seruius, quòd quamuis quædam oracula Apollinis obscura sint, tamen semper vera sunt. Philostratus item in vita Apollonij lib. 6. tradit Apollinem Delium, nullis portentis præmissis, quæ sibi videntur respondere.

u *Etiam in Attica ara Iouis supremi.*] Deorum enim supremus est Iupiter Pausaniàs lib. 1. qui de Atticis est, In vestibulo Iouis supremi ara est, ad quam victimas non cædunt: sed liba duntaxat apponunt, ac vino quo minus vtantur religione probantur. Et de huiusmodi quoque Ioue Hypato, id est, altissimo, supremo. Idem Pausanias lib 9. qui de Bœoticis est, Gyraldus Historiæ deorum syntag. 11. Orphei carmen citat his verbis.

χαῖρε ἄνα παγγενέτωρ ζεῦ ἄφθιτε, χαῖρ' ὕπατε ζεῦ.

x *In Paphia Veneris ara.*] Cornelius Tacitus lib. 18. Titus Vespasianus, oram Achaiæ & Asiæ, ac læua maris præteruectus, cùm in Cyprum insulam peruenisset, cupido illum incessit adeundi visendíque templum Paphiæ Veneris inclytum per indigenas aduenásque. Tãtùm Ciniarades sacerdos consulitur. Hostiæ, vt quisque vouisset, mares deliguntur. Certissima fides hœdorum fibris. Sanguinem aræ offundere vetitum, precibus & igne puro altaria adolentur, nec vllis imbribus, quanquam in aperto, madescunt. Simulachrum deæ non effigie humana, Continuus orbis latiore initio, tenuem in ambitum, metæ modo exurgens.

y *In Patara quoque.*] Pomp. Mela lib. 1. c. 15. de Lycia. Vnde Pataræus Apollo dictus Horatio lib. 3. Carm. Ode 4.

---Qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalémque syluam,
Delius & Patareus Apollo.

In Patara (vt diximus ex Seru. suprà in verbo incip. Licet

Lycia sortes. Amphiaraj & Trophonij oracula.

Apollinis & delubrum magnæ felicitatis fertur, in quo sex anni mensibus responsa dantur, quæ Lyciæ sortes dictæ. [z] Eò enim excellentiæ creuit, vt opibus ac fide Delphico haud absimile fuerit. [a] Præter quæ, Amphiaraj & [b] Trophonij oracula, Græcis inclytæ religionis fuere: ea enim vetustate & fide præcipua habita sunt. Fuit enim Amphiaraus diuinus vates, [c] cui Oropij diuinos honores decreuere, ædémque illi candido marmore dedere: quem tanto cultu studióque Græcia honorauit, [d] vt inter deos illum reciperet: in eóque solo ac sede vbi humatus sepultúsque est [e] certissima responsa daret, [f] quæ quidem in somniis edebantur: nam post purgationem & sacrificia diis, quorũ nomina in ara insculpta erant, mactato ariete, pellem substernebant, in qua incubantes, somnia captabant, illorum significatus & euenta mox interpretati. [g] Erátque publica constitutione sancitum, vt in Amphiarai tẽplo nullus Thebanus obdormisceret, aut vatic naretur. [h] Fons quoque in eo visebatur, ad quẽ qui accepto oraculo morbo leuabantur, argentum & aurum signatum mittere tenebantur. [i] Apud Canopum quoque in templo Serapis, [k] & in phano Pasiphaes, & in [l] Pergamo Æsculapij [m] atque in Narbaca apud Hyrcanos oracula pariter ex somniis edebantur. [n] & apud Troezenos Ardali ara, in qua Somno & Musis immolabatur: quíque responsa accipiunt, integrum diem à cibo, à vino autem triduum abstinere conuenit. [o] à quibus edita sors olim Mardonio fuit, qua contra Spartanos in acie pugnans occubuit. Quibus quidem oraculis populi omnes cæca opinione ducti, tantum fidei dedere, vt eorum responsis moniti, sæuientes tempestates & prælia vitasse credantur. Quod quidem [p] Amphiaraj templum in Attica: [q] Trophonij verò apud Thebas Bœotiæ fuit, [r] à Cadmo (vt dicitur) conditas,

Fons in Amphiaraj tẽplo.

Ara Ardali.

Trophonij & Amphiaraj tẽpla.

Thebæ à quo.

ANNOTATIONES.

ferant Apollinem.) sex mensibus hyemalibus Apollinis dabantur responsa. Statius lib. 1. Thebaid. ad fin.

Phœbe parens, seu te Lyciæ Pataraea niuosis
Exercent dumeta iugis.----

Festus Pompeius lib. 10. scribit, Lycij Apollinis oraculum in Lycia maximæ claritatis fuisse ob luporum interfectionem. λύκος enim lupus est.

z *Eò enim excellentiæ*] Pomponius Mela, vbi suprà proximè, de Patara, Lyciæ oppido, loquens, ait, Illam nobilem facit delubrum Apollinis, quondam opibus, & oraculi fide Delphico simile.

a *Præter quæ Amphiaraj.*] Cic. lib. 1. de Diuin. Atque etiam ante hos Amphiaraus & Tyresias non humiles & obscuri, neque eorum similes, vt apud Ennium est, qui sui quæstus causa facta suscitant sententias: sed clari, & præstantes viri, qui auibus & signis admoniti, futura dicebant: quorum de altero etiam apud inferos Homer. ait solùm sapere: cæteros vmbrarum vagari modo. Amphiaraum verò sic honorauit fama Græciæ, Deus vt haberetur, atque vt ab eius solo, in quo est humatus, oracula peterentur. Amphiaraj templi meminit Strabo lib. 9. & Val. Max. lib. 9. c. 16.

b *Et Trophonij.*] Herodotus lib. 1. Cicero Tusculan quæstio. lib. 1. Liuius 5. Deca. lib. 5. Strabo lib. 9. Plura Erasm. scribit Chil. 1 cent. 7. cap. 77. paræmia. In antro Trophonij vaticinatus est:

c *Cui Oropij.*] Strabo dict. lib. 9. Pausanias lib. 1. In deorum, inquit, numerum Amphiaraum primi omnium Oropij retulerunt, quos reliqui Græci sequuti sunt. Et paucis interiectis, apud Oropios templum Amphiarao, & eidem è candido lapide signum dedicatum est, &c.

d *Inter deos illum reciperent.*] Cicero loco nuper citato ibi, Præter quæ Amphiarij. & seq.

e *Certissima responsa daret.*] Cicero d. loco. Statius lib. 7. Pausanias d. lib. 1. & 2. Amphiaraum coniectandi somnij solertissimum fuisse ostendit his verbis, Constat illum somniorum diuinatione tradita, tum demum in deorum numerum relatum. Consulendi quidem causa qui accedunt, lustrantur omnes. Pro piaculo res diuina est, quam cum Amphiarao ipsi faciunt, tum cæteris, quorum in eadem ara inscripta sunt nomina. Deinde arietem immolant, cuius substrata pelle dormientes, nocturna visa expectant.

f *Quæ quidem in somnis.*] Pausanias d. lib. 1. Et huius quoque meminit Herodotus li. 8. & Philostratus in vita Apollonij, lib. 2. c. 14. vbi sacerdotes eos, qui responsa accipere volunt, integrum diem à cibo, à vino autem triduo iubent abstinere, vt pura expurgatáque anima ostensorum rationes colligere melius possint.

g *Erátque publica constitutione sancitum.*] Herodotus d. lib. 8.

h *Fons quoque in eo visebatur.*] Pausanias d. lib. 1. Est etiam, ait, apud Oropios fons templo proximus, quem Amphiarai nuncupant: ad quem neque diuinam rem faciunt, neque aut ad lustrandum, aut ad manus lauandas, aqua ea vti fas putant: Solùm, qui morbo, oraculi monitu, leuati fuerint, signatum aurum, argentúmve, more maiorum, in fontem abiiciunt.

i *Apud Canopum quoque in templo Serapis.*] Strabo lib. 17.

k *Et in phano Pasiphaës.*] Plutarchus tum in vita Agidis, tum Cleomenis.

l *Et in Pergamo Æsculapij.*] Pausanias lib. 4. Nam & hic Pergameus & Pergameous dictus est. Martial. lib. 9. epigr. 17. de coma Earinoi,

Consilium formæ speculum, dulcésque capillos
Pergameo posuit dona sacrata Deo.

Statius de eadem Earini coma loquens Syluarum libro 3. sylua 4.

Pergameas intrasse domos, vbi maximus ægris
Auxiliator adest, & festinantia sistens
Fata, salutifero mitis Deus incubat angui.

Et Q. Serenus Santonicus statim post princ.

Túque potens artis, reduces qui tradere vitas
Nosti, atque in cœlum manes reuocare sepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum.

m *Atque in Narbaca apud Hircanos.*] Strabo lib. 11. Hic etiam Narbaca ciuitas est, in qua oraculum est eorum, qui ex insomniis respondent.

n *Et apud Troëzenos Ardali ara.*] Pausanias lib. 2. qui de Corinthiacis est, & Stephanus in lib. de Vrbibus.

o *A quibus edita sors olim Macedonio.*] Plutarch. in Aristide.

p *Amphiaraj templum in Attica.*] Pausanias lib. 1. qui Attica inscribitur.

q *Trophonij verò apud Thebas Bœotiæ.*] Herodotus lib. 8. Strabo lib. 9.

r *A Cadmo, vt dicitur, conditas.*] Diodorus Siculus lib. 5. c. 2. in princ. & lib. 6. ca. 11. & Lactantius Placidus in lib. 7. Thebaidos Statij. Et hinc illas Cadmeas vocat Homerus Iliados lib. 5.

ἄγγελος ἐς Θήβας πολέας μετὰ Καδμείωνας.

Id est,

Legatus ad Thebas multos inter Cadmæos.

Et Propertius lib. 1. eleg. 7. in princ. ad Ponticum poëtam,

Cùm tibi Cadmeæ dicuntur Pontice Thebæ,
Armáque fraternæ tristia militiæ.

Alij ab Amphione, vt Strabo lib. vltim. Solinus c. 12. sic scribit, Bœotia, Thebis enitet. Thebas condidit Amphion, non quòd lyra saxa duxerit, (neque enim par est id ita gestum videri) sed quòd affatus suauitate homines rupium incolas,

[s] Bacchi & Herculis patriam, [t] quas Alexander Macedo diruit, ciuibus sub corona venundatis, [u] quæ ἑπτάπυλαι dictæ sunt, quæ ciuitas iuxta Magnesiam & Thessaliam haud longè à mari sita est: vbi Trophonij oraculum multi nominis, qui quum à Bœotiis de Thebano bello consuleretur, ibiq; res diuina fieret, [x] gallos gallinaceos perpetim cecinisse ferunt, quo concentu Thebanis insignis victoria prædicta fuit. [y] Aliæ verò Thebæ in Ægypto fuere in regione Thebaida † ἑκατόμπυλαι, [z] quas nonnulli Heliopolim, plerique Thebas dixere, [a] quæ ciuitas à Busiri condita, stadiorum centum quadraginta ambitu ferebatur. [b] Aliæ in Thessalia iuxta Amphisum amnem, quæ [c] Phthioticæ dictæ. Et in [d] Lycia aliæ Thebæ, patria Andromedes. [e] Aliæ iuxta Miletam: in [f] Ionia quoq; in [g] Syria, [h] in Attica, Cataonia, & in [i] Italia apud Lucanos Thebæ fuisse traduntur. [k] Præter quod fuit Trophonij Iouis oraculũ in Lebadia Bœotiæ, in hiatu subterraneo, tetro & horrido, imo & angusto recessu, ad quem scalis descen-

Trophonij Iouis oraculũ.

ANNOTATIONES.

incolas, incultis moribus rudes, ad obsequij ciuilis pellexerit disciplinam. Alij denique ab Ogyge Rege, vt Varro Rei rusticæ, lib.3 c. 1.

s *Bacchi & Herculis patriã.*] Plautus in Amphitryone. Diodorus Siculus d. lib.6.c.11. & Solinus d.c. 12. ad hæc quæ in præced. citauimus, subiungit. Vrbs ista numinibus apud se ortis gloriantur, vt perhibent, qui sacris carminibus Herculem & Liberum celebrant. Vnde à Seneca in Hercule furẽte, Ferax deorum terra vocatur. Plin lib.4.c.7. Hincq; Theocritus ipsum Herculem Bœotium vocat.

t *Quas Alexander Macedo diruit.*] Plutarchus in Alexandro, & Demosthene. Arrianus quoque in vita Alexandri lib. 1. Polybius lib.5 & Q. Curtius lib.2.

u *Quæ ἑπτάπυλαι dictæ sunt.*] Id est, septem portarum. Homerus lib 4. Iliados,

ἡμεῖς καὶ Θήβης ἕδος εἵλομεν ἑπταπύλοιο.

Id est,

Nos etiam Thebarum sedem cepimus septem portarum.

Ouidius lib. 13. Metam. de eadem,

Vrbs erat & septem posset ostendere portas,
Hæ pro nomine erant, & quæ foret illa docebant.

Et Pindarus sæpe tum in Nemæis, Ode 9. tum in Isthmiis Ode 1. ad fin. & Hesiodus lib: 1. Operum & dierum,

—— ἐφ' ἑπταπύλῳ Θήβῃ Καδμηΐδι γαίῃ.

Ouidius lib 2. Tristium eleg.1. eadémque vlt.

Cur tacui Thebas & mutua vulnera fratrum?
Et septem portas sub duce quamque suos?

Et Statius lib.3. Thebaidos, volens ostendere Niobem quatuordecim filios habuisse ait,

—— Miseroq; tumultu
Bina per ingenies stipabant funera portas.

Et rursum paulò antè,

—— Tunc visa leuari
Culmina, septenaq; iugo concurrere porta.

Lactantius in lib.7. Thebaidos Statij. Apuleius li.4. Metam. Vix enim Thebas Heptapylas accessimus, quod est huic disciplinæ primarium studium. Pausanias lib. 9. septem portarum nomina ponit.

x *Gallos gallinaceos.*] Cicero lib.1. de Diuinatione. & Plin. lib. 10. cap. 21.

y *Aliæ verò Thebæ in Ægypto.*] Plinius lib.36.c.8. & ca.14. vbi tradit hoc totum oppidum pensile fuisse.

† ἑκατόμπυλαι.] Id est centum portarum. Homerus lib. 9. Iliados,

—— οὐδ' ὅσα Θήβας
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται,
αἵθ' ἑκατόμπυλοί εἰσι. ——

Id est,

—— Nec quanta Thebas
Ægyptias, vbi multa in domibus opes iacent,
Quæ centum portarum sunt. ——

Et ex eo Strabo lib.17. Diodorus Siculus lib.1.c.2. Iuuenalis sat. 15. statim post princ.

Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.

z *Quas nonnulli Heliopolim.*] Diodorus Siculus lib.1.ca.2. & lib.3.c.1. Herodotus autem libr. 2. dicit Heliopolim distare à Thebis Ægyptiis spatio quatuor millium octogintorum & sexaginta stadiorum: verùm Strabo d.lib.17. non Heliopolim, sed Diospolim vocat. Et de his Thebis vide præterea Pomp. Melam lib. 1.

a *Quæ ciuitas à Busiri.*] Id vsque ad versic. Aliæ in Thessalia. est Diodori Siculi lib.1.c. 2.

b *Aliæ in Thessalia.*] Apud Solinum li.13. aut aliorum comput. 14.

c *Quæ Phthioticæ.*] Apud Liuium 4. Decad. lib.3. Thessalorum, inquit, genti, præter libertatem concessam, Achæi Phthiotæ dati, Thebis Phthioticis & Pharsalo excepto. Et eiusdem Dec. lib.9. Thebas Phthias vnum maritimum emporium fuisse quondam Thessalis quæstuosum & frugiferum. Et 3. Decad. lib. 8. Incolebant vrbem eam profugi ab Thebis Phthioticis Et apud Strab. lib.9. Thessalis apud Plinium lib.4.c. 8.

d *In Lycia aliæ Thebæ, patria Andromaches.*] Vnde illã Thebanam vocat Ouid. lib.4. Tristium, eleg. 3.

Nec cruciere minus, quàm cùm Thebana cruentum
Hectora Thessalico vidit ab axe rapi.

Hæ ὑποπλακίη dictæ sunt Homero lib.6. Iliados, vnde scribit, Andromacham Hectoris vxorem & Astianactis matrem, natam esse ex Eetione Cilicensibus imperante. Ex quo intelligis hîc Cilicia, non Lycia legendum esse. Versus Homeri hi sunt,

Ἀνδρομάχη θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος,
Ἠετίων, ὃς ἔναιεν ὑπὸ Πλάκῳ ὑληέσσῃ,
Θήβῃ Ὑποπλακίῃ, Κιλίκεσσ' ἄνδρεσσιν ἀνάσσων.

Id est,

Andromache, filia magnanimi Eetionis.
Qui quidem Eetion habitabat in Hypoplaco syluoso,
Thebis in Hypoplacis, Cilicibus viris imperans.

Et paulò post,

ἐκ δὲ πόλιν πέρσεν Κιλίκων εὖ ναιετάουσαν
Θήβην ὑψίπυλον, κατὰ δ' ἔκτανεν Ἠετίωνα.

Id est,

Et ciuitatem deuastauit Cilicum bene habitatam:
Thebas celsi portas: interfecit autem Eetionem.

Et interim non omittas eundem Homerum lib. 1. eiusdem operis,

ᾠχόμεθ' ἐς Θήβην ἱερὴν πόλιν Ἠετίωνος.

Id est,

Iuimus in Thebem sacram ciuitatem Eetionis.

Sed & de Thebis Hypoplaciis Strabo lib.13.

e *Aliæ iuxta Miletum.*] Vide Stephanum in libr. de Vrbibus.

f *In Ionia.*] Hæ, ni fallor, sunt Thebæ Dirceæ, vel Asopiæ, de quibus Strabo lib.8.

g *In Syria.*] } Stephanus in libro de vrbibus.
h *In Attica & Cataonia.*] }

i *Et in Italia apud Lucanos.*] Cato hanc interiisse tradit, & ex eo Plinius lib. 3. c. 11. Fuere & aliæ Thebæ Corsicæ cognominatæ apud Iones iuxta Heliconem Plinio lib. 4. c. 3. Aliæ item à Libero conditæ in Africa Diuo Hieronymo in epistolam Diui Pauli ad Galatas, quas nunc dicit Thebesten vocari. Aliæ item in Pamphylia Straboni li.14. Stephanus autem in lib. de Vrbibus nouem Thebas annumerat.

k *Præter quod fuit Trophonij Iouis oraculũ in Lebadia.*] Herodotus

fus erat: quò consulentes magnis difficultatibus descendere nudos, aut in veste alba, & lineo vel purpureo amiculo, placentásque lumeribus offerre oportebat, ne quo periculo forent aut noxæ, haustóque oraculo, per altum terræ hiatum ad superiora ossi [l] in quo illud proditur mirum, eum qui post consultum oraculum inde digressus foret, animo semper afflicto & iacenti, nunquam redire solitum esse: [m] iuxta quod duo fontes visebantur, alter Lethæ, cuius aquam descensuri si haurirent, omnium daretur obliuio: alter Memoriæ, ex cuius haustu, omnium quæ vnquam vidissent, recordatio subiret. [n] Sicut Thasiis duo vini genera nasci produntur, alterum quod somnum conciliaret, alterum quod fugaret. [o] Ipsius verò statua non in templo, sed in tumulo nimis edito visebatur, quæ ferreis obeliscis obsepta erat. Fuit quoque vltra Cyrenes & in extimo sinu [p] apud Garamantes [q] Iouis Ammonis augustissimû & antiquissimum oraculum, in vastis solitudinibus & campis torridis, siccitate sterili, ac nudo solo, ad quod sole exurente, æstu flagrantissimo, [r] per immensas arenarum moles, vastamq; planitiem calore & siti infestam, vix iter cuiquam tolerabile fuit: siquidem ventus eas sicut fluctus nunc huc, nunc illuc agitare, & campos velut maria infestare solet: nubes enim pulueres vehit, & fœda tempestate vexat. Post quæ nemus frequenti sylua oleáque, & proceris arboribus, [s] fontibusq; passim manantibus amœnum, in mediis arenis & situ arido haud plus quadraginta stadiorum oraculi septa claudebat: vltra verò latè deserta regio, vestigio humano inaccessa. Circa verò Ammonij passim loca incolunt. [t] Ipse verò Ammon hirci capite & pelle amictus multis cæremoniis colebatur. [u] Hunc sacerdotes, quum responsa petunt, aurato nauigio vectare, & patrium carmen canere, eoque propitiato, petentibus responsa dare solebant, quæ non verbis, [x] sed nutu signisq; subobscuris ab Ammone edebantur. [y] Quod quidem ad tantæ maiestatis fastigium venit, vt illuc post Cambysem, Alexandrû Macedonem, per ingentes æstus, omni tractu sitiente, penetrasse, pro miraculo fuerit: [z] In Ægypto quoque Apis oraculum omnium

Ex Trophonij antro reuersi ſemper triſtes. Letha fons. Memoria fons. Thaſiorũ vina. Trophony ſtatua. Iouis Ammonis oraculum. Caremonia. Ioui Ammonio exhibita. qua eius imago. Apis oraculũ & eius forma.

ANNOTATIONES.

dotus lib. 8. Strabo lib. 4. Pausanias in Bœoticos. Liuius 5. Dec. lib. 5. Maximus Tyrius Sermo 26. post. princ. sic scribit, Sed in antro quoque Trophonij (nam & huius herois oraculum est circa Lebadiam vrbem) qui dæmonem adire velit, amictu induitur lineo, talari purpureóque, libáque in manibus habens, supinus angusto ingreditur hostiolo, vbi vel visu, vel auditu consequitur, vt quum inde erepserit, sibi ipse interpres vatésque fiat. Plutarchus in Sylla, Philostrat. in vita Apollonij lib. 8. c. 8. ex quo maxima pars eorum, quæ hic Alexander dicit, sumpta est.

l *In quo illud proditur.*] Imò verò Pausan. in Bœoticis scribit, digressos ab antro resipiscere paulò pòst, & pristinam mentem cum risu recipere.

m *Iuxta quod duo fontes.*] Hæc vsque ad versicul. Sicut Thasiis, sunt Plinij lib. 31. cap. 2. Pausanias loco proximè citato hæc scribit, Sunt fontes duo inter se proximi. Bibenda illic est Lethes, quæ dicitur aqua, quò cunctorum ei, quæ memoria complectebatur, obliuio contingat: Mnemosynes deinde, id est, Memoriæ, aquas potat, vt ne mens effluat, quominus, quæ intra ea penetralia viderit, omnia memoria contineat.

n *Sicut Thasiis.*] Theophrastus Historiæ plantarum libro 9. ca. 20. ad finem, Apud Thassum, inquit, vinum somnificum arte quadam conficitur: & aliud, quod potum vigilantissimos facit. Plinius lib. 14. cap. 18. Thasios duo genera vini facere proditur: Vnum quo somnus concilietur, alterum quo fugetur.

o *Ipsius verò statua.*] Redit ad Trophonium: idque est ex Philostrato & Pausania vbi suprà.

p *Apud Garamantes.*] Vnde Garamanticus dictus est Silio Italico lib. 14.

Fer pater afflictis, fer, ait, Garamantice vates
Rebus opem: inq; Italos da certa effundere tela.

q *Iouis Ammonis.*] De huiusmodi Ammone Herodot. lib. 2. & lib. 4. Diodorus Siculus lib. 4. cap. vlt. Strabo lib. 17. qui scribit hoc oraculum suo tempore omnino defecisse. Pomponius Mela lib. 1. cap. 7. vbi Cyrenaicam describit. Lucanus lib. 9.

Ventum erat ad templum Libycis quod gentibus vnum
Inculti Garamantes habent: stat corniger illic
Iuppiter, vt memorat, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro: sed tortis cornibus Ammon.

Silius Italicus lib. 3. in princ.

Qua sublime sedens Cyrrhais annulus antris
Inter anhelantes Garamanthas corniger Ammon
Fatidico pandit venientia secula luco.

Et in fine eiusdem libri,

Hic vbi nunc aras lucosq; videtis opacos,
Ductore electo gregis (admirabile dictu)
Lanigeri capitis media inter cornua perstans,
Marmaricus ales populis responsa canebat.

Solinus cap. 40. Plutarchus in Alexandro. Q. Curtius lib. 4. Arrianus. lib. de Gestis Alexand. 3. Seruius in 4. lib. Æneid. Virgilij ibi.

Hic Ammone satus rapta Garamantide nympha.

Lactantius Placidus in lib. 3. Thebaidos Statij ibi,

Caonias frontes sibi: licet aridus Ammon
Inuideat. ——

r *Per immensas arenarum moles.*] Nam, vt inquit Seruius loco nuper citato, inde nomen sumpsit, quia ἄμμος arena est.

s *Fontibusq;.*] Hæc sunt verba Q. Curtij d. lib. 4.

t *Ipse verò Ammon.*] Herodotus tum lib. 2. tum lib. 4. Macrobius libro 1. cap. 21. Festus Pompeius lib. 8. Eustathius in Dionysium de Situ orbis. Seruius in eum locum libro 4. Æneidos,

Protinus ad Regem cursus detorquet Hiarbam.

Qui locus in memoriam reuocat id, quod scribit Plin. lib. 37. c. 10. Lapidem quendam vocari, Hammonis cornu inter sacratissimas Æthiopiæ gemmas, aureo colore, arietini cornu effigiem reddentem, promittentémque prædiuina somnia repræsentare.

u *Hunc sacerdotes.*] Curtius d. lib. 4. Hunc, inquit, cùm responsum petitur, nauigio aurato gestant sacerdotes, cum multis argenteis pateris ab vtroque nauigij latere pendentibus. Sequuntur matronæ virginésque, patrio more incondítum quoddam carmen canentes, quo propitiari Iouem credunt, vt certum edat oraculum.

x *Sed nutu signisq; subobscuris.*] Strabo lib. 17. Hinc Seruius vbi suprà, dicit illius simulachrum capite arietino fuisse.

y *In Ægypto.*] Strabo lib. 17. Plinius lib. 8. cap. 46. Statius lib. 3. Thebaidos ibi,

Niliacumq; pecus, patrioq; aequalis honori
Branchus. ——

Et ibi Lactantius interpres, Apim, inquit, dicit taurum lunatum Isidis, quod Ægyptiis motu corporis sui & quibusdam signis futura prædicit. Solin. in Polyhistore c. 45. Pomponius Mela lib. 1 c. 9. vbi de Ægypto.

z *Apud Æthiopes.*] Ælianus Historiæ animalium, libro 5. cap. 17.

a E

sermone celebratur: erat enim bos, qui & Serapis dictus, corpore niger, candida fronte, in tergore alba nota insignis duplicibus pilis, in cauda, & lingua canthoro notatus, quem certos vitæ annos excedere nõ licebat. Hunc in lacum demersum Ægyptij, indicto iustitio, veste abscissa, & laceratis crinibus defunctum plangebant: inuento verò, mirificè lætabantur. Responsa autem dare non vt reliqua oracula solitus, sed si manu oblatum pabulum sumpsisset à consulentibus, secundos euentus, atque omnia prospera decernebat: si verò abnueret, in dubio malo & memorandis cladibus casura diuinabat. Ideo quũ à Germanico pabulum oblatum renuisset, funestum omẽ & indubiam necem, quæ paulò post sequuta est, prænunciauit. A Tenediis verò seruatũ est, prægnantem vaccam enutriri, cui veluti puerperæ famulantur. Apud Æthiopes gens est (Nubas vocant) & [a] in Africa Ptoembari, quibus regis vice, canis dominatur, quem mirificè obseruant, ex illius motu & nutu imperia, & quæ sint placita augurantes. [b] Persis quoque (vt author est Aristophanes) aliquãdo gallus regis vice præfuit & imperitauit. Sed præter hæc oracula, quæ augustissima & sancta habita sunt, tẽpla quoque diuitiis & sanctitate inclyta præcipua celebrantur: [c] in Græcia, Olympij: in [d] Arabia, Triphili: in Cydonia, Dictæi: in Alexandria, Iouis Sinopitæ: in Libya & Andro Dionysij: [e] in Epidauro, Æsculapij: [f] in Isthmo & [g] Tænaro, [h] Sumio Eubœæ, [i] atque Attice [k] & Calabris, Neptuni [l] in Arcanania, * Apollinis Actij, [m] in Claro,

Responsa Apis. *Tenedij. Æthiopes. Ptoembari. Persæ. Templa diuitiis & sanctitate inclyta.* * *Vide Strabonẽ lib 7.*

ANNOTATIONES.

a *Et in Africa Ptoembari.*] Plin. lib. 6. c. 30. At ex Africæ parte Ptoembari, Ptoemphanæ, qui canem pro Rege habent, motu eius imperia augurantes. Solinus cap. 43. His proximi, inquit, summam regiæ potestatis cani tradunt, de cuius motibus quidnam imperitet, augurantur. Cicero autem lib. 1. de Legibus, tradit gentes esse quæ canem, vt Deum colunt. Vide eundem lib. 1. de Natura Deorum.

b *Persis quoque, vt author est Aristophanes.*] In Fabula, cui titulus ὄρνιθες id est, de Auibus.

ὡς δ' οὐχὶ θεοὶ τοίνυν τῶν ἀνθρώπων ἦρχον τὸ παλαιὸν
ἀλλ' ὄρνιθες, κἀβασίλευον πολλ' ἐστὶ τεκμήρια τούτων,
αὐτίκα δ' ὑμῖν πρῶτ' ἀποδείξω τὸν ἀλεκτρυόν' ὡς ἐτυράννει,
ἦρχέ τε Περσῶν πρῶτον πάντων, Δαρείου καὶ Μεγαβύζου,
ὥστε καλεῖται Περσικὸς ὄρνις, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἔτ' ἐκείνης.

Id est,

Quod autẽ non Dei igitur hominibus imperauit antiquitus.
Sed aues & regnabant, multa sunt signa horum?
Statim autẽ vobis primùm ostendam gallum, quòd regnabat,
Imperabátque Persis primũ omnibus, Dario & Megabyzo,
Quare vocatur Persica auis, à dominatione adhuc illa.

c *In Græcia, Olympij.*] Vide paulò infrà.

d *In Arabia, Triphili.*] Diodorus Siculus lib. 6. c. 10.

e *In Epidauro Æsculapij.*] Plinius lib. 4. c. 5. In Saronico, inquit, Epidaurum oppidum, Æsculapij delubro celebre. Strabo lib. 8. Epidaurus non parum insignis est ciuitas, præsertim ex Æsculapij claritate nobilitata, quem varia morborum genera curasse somniati sunt homines. Erat verò templum ægrotantium multitudine vsquequaque refertum, pendentibúsque tabellis, in quibus sanati langores erant inscripti. Solinus c. 2. Epidauro decus est Esculapij sacellum, cui incubantes ægritudinum remedia capessunt de monitis somniorum. Meminit Aristophanes in Pluto, & Plautus in Curculione, actus 2. scena 1. in prin. his verbis,

Migrare certũ est iam nunc è phano foras.
Quando Æsculapi ita sentio sententiam:
Vt qui me nihili faciat, nec saluum velit.
Valetudo decrescit, accrescit labor:
Nam iam, quasi zona, liene cinctus ambulo:
Geminos in ventre habere videor filios.

Hinc Epidaurus dictus est Ouidio lib. 15. Metamor.

Æquore placato patrias Epidaurius aras
Linquit.----

f *In Isthmo.*] Vnde Isthmius dictus est. Strabo libr. 8. Ad Schœnuntem portum angustissima Isthmi tellus est, quâ nauigia transuectantur, vbi est Neptuni phanum Isthmij. Et eodem li. in Isthmo Neptuni, quem Isthmium vocant, templum eminet, picearum arborum luco circunclusum, vbi Isthmios ludos celebratosq; Corinthij celebrare soliti sunt. Solinus c. 12. Pausanias in Corinthiacis, & Laconicis.

g *Et Tænaro.*] Vnde Tænarius Neptunus dictus, vt Suidas tradit. Est autem Tænarus authore Seruio in lib. 4. Georg. promontorium Laconiæ, circa fauces Maleæ, vbi inferorum dicitur esse descensus. Virg. d. lib. 4. de descensu Orphei ad inferos:

Tænarias etiam fauces, alta hostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, manésque adiit Regémque tremendum,
Nesciáque humanis precibus mansuescere corda.

Hinc igitur Tænarius Deus Neptunus dictus Propertio 1. eleg. 13. ad Gallum,

Non sic Æmonia Salmonida mistus Enipeo
Tænarius facili pressit amore Deus.

Vnde Tænarium malum in prouerbium abiit, de quo Erasmus Chilid. 3. cent. 7. c. 85.

h *Sumio Eubœæ.*] Herodot. lib. 7. Polymnia, scribit templum Neptuni cognomine Liberatoris in Euboicis ad Artemisium structum esse.

i *Atque Attica.*] Pausan. lib. 1. qui de Atticis est.

k *Et Calabris, Neptuni.*] Plutarchus in Demosthene, scribit, Demosthenem confugisse in Calabriam ad templum. Neptuni. Quod & ipsum antè scripserat Pom. Mela lib. 2. c. 7. vbi de Mediterranei maris insulis. Attamen aduerte quòd plerique omnes codices Plutarchi & aliàs viri minimè indocti Calabriam Ægei referunt, pro Calauria falsò: putóque hîc legendum Calauria ex Pausania in Atticis Strabone lib. 8. Ouidio lib. Metamor. 10. & Mela hoc loco posteriore, cuius hæc sunt verba, Trœzonio Calauria inter ignobiles, alias leto Demosthenis nobilis.

l *In Acarnania Apollinis Actij.*] Stephanus de Vrbibus.

m *In Claro.*] Posset videri Alexandrum debuisse dicere in Colophone, vbi est Clarij Apollinis oraculum apud Plin. lib. 2. c. 103. in cuius Clarij specu lucana est, cuius potu mira redduntur oracula, bibentium breuiore vita Solinum c. 43. aut aliorum supputatione 53. Non longè Epheso Colophon ciuitas nobilis oraculo Clarij Apollinis. Vide tamen Pomponium Melam lib. 1. c. 17. de Ionia. Plinium lib. 5. c. 29. & Iamblichum de Mysteriis Ægyptiorum. Et de hoc quoque oraculo est illud Virgilij lib. 3. Æneidos,

Qui tripodas, Clarij lauros, qui sydera sentis.

Vbi Seruius dicit, Clarium oppidum est in finibus Colophoniorum: vnde Apollo Clarius: & per lauros oraculum intelligit. Id quod facit pro Alexandro: nisi quòd pro Claro, Clario debuit dicere: nisi hîc mendum sit. quod magis credo: nam posteà Clario dicit. Et de hoc quoque Statius libro 8. Thebaidos,

Nec clarias hac luce fores, Didymaéque quisquam
Limina.----

Cæterùm Strabo lib. 14. scribit ante Colophonem, ciuitatem Ionicam Apollinis Clarij, lucum esse: móxque Clarum, non Clarium vocat locum ipsum, vt proinde intelligas Clarum & Clarium indifferenter vocari. Apollo apud Ouidium Metamorph. libr. 1. artificiosè potentiam suam commemorans, ait,

Mihi Delphica tellus,

n Actio o & Leucade, p Lycia & q Selenuntia, Apollinis: r in Cappadocia, Bellonæ: s in eadémque, & t Ionia atque t Epheso, Dianæ: u in Halicarnasso, Mineruæ: x in y Papho: Veneris: in y Bosphoro, Apaturiæ: in z Cypro, Acreæ Veneris: in a Locris Proserpinæ: in b Achaia c & Catina, Cereris: in d Samo, e Argis, f Metaponto, & in g Lucania, Iunonis. Sed quod est de Olympio dictum, hoc templum

Templum in Olym. Pie.

ANNOTATIONES.

Et Claros, & Tenedos, Patareaque regia seruit.

n *Actio.*] Actæ Apollinis oraculum memorat Strabo libro 13. Et hinc Actius Apollo dictus Virgilio lib.8.

Actius hæc cernens arcum tendebat Apollo
Desuper.---

Et Propertius lib. 4. eleg.6. de Pugna Actiaca nauali, qua rorum historiam complexus est, quæ apud scriptores est celebratissima,

Actius hinc traxit Phœbus monimenta, quòd eius
Vna decem vicit missa sagitta rates.

Callimachus apud Hyginum, de Argo, in finibus Magnesiæ ad Actij Apollinis templum, quod Argonautæ proficiscentes statuisse existimantur, Argon constructam fuisse dicit. Cæterum Actium (authore Dione Romanæ historiæ, lib.50.) Apollinis templum est è regione portuum, qui sunt apud Nicopolim, ante fauces sinus Ambracij situm: qui sinus per angustias longè sese effundens, ipse, & qui ante eum positi sunt loci, appellendis nauibus, stationisque sunt commodatissimi. Hoc templum Cæsar Octauius, vt idem Dion. scribit, lib.51. in princip. maius extruxit, & ludos Musicos & Gymnicos, & equestre certamen cum sacro quinquennali, eidem Apol. constituit, & nauium genera vsque ad decimemem & captis nauibus consecrauit.

o *Et Leucade.*] Idem Apollo à Leucade promontorio Leucadius Deus dictus est. Propertius lib.3. eleg 10. tit. Fœminas imperare amantibus, io fin.

Leucadius versas acies memorabit Apollo:
Tantum operis belli sustulit vna dies.

Ouid. lib. Tristium 3. eleg.1. reddens rationem cur Augusti ianua lauro velaretur, & ea Augustus coronaretur,

An quia perpetuos meruit domus ista triumphos?
An quia Leucadio semper amata Deo est?

Et lib.5. eleg.3.

Vel rapida flammis vrar patienter in Ætna,
Vel freta Leucadij mittar in alta Dei.

Et Sappho apud Ouidium,

Phœbus ab excelso, quantum patet, aspicit æquor:
Actiacum populi, Leucadiumque vocant.

Strabo lib.8 scribit, Corinthios Leucadem in Insulæ formam redegisse: & habere Apollinis Leocatæ phanum. ibique saltem fieri, qui ad sedandos amores valere creditur. Quo in loco Sappho prima dicitur, superbè ab excelsa se deiecisse petra, stimulante Cupidine. Insula hæc Leucara, mutato nomine, Leucada vocata est: redditque rationem ibi idem Strabo.

p *Lycia.*] Vt suprà dictum est.

q *Et Seleuncia.*] Strabo lib. 10. post principium. Fuit & Seleouncij, inquit, Apollinis oraculum. Verùm Hellopienses Istiæa transtulerunt, & vrbem amplissimam reddiderunt, violentius ingruente tyranno Philistide, post rem apud Leuctram gestam: Alia Apollinis oracula videbis infrà in fin.

r *In Cappadocia, Bellonæ.*] Strabo libro 12. non multò post princip. vbi de Cappadocia loquitur, sic ait. In Antitauro conualles sunt profundæ & angustæ, in quibus sunt Comana ciuitas memoratu digna & Bellonæ fanum, quod illi Comana vocant.

s *Eo Ionia.*] Pausanias in Achaicis.

t *Atque Epheso Dianæ.*] Solinus cap.53. Ephesi decus templum Dianę Amazonum fabrica adeò magnificum, vt Xerxes cùm omnia Asiatica templa igni daret, huic vni pepercerit. Plinius lib.36. c.14. templum hoc Dianæ ita describit, Magnificentiæ vera admiratio extat téplum Ephesiæ Dianæ ducentis viginti annis factum à tota Asia, in solo id palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret, Rursus ne in lubrico atque instabili fundamenta tantę molis locarentur, antè calcatis ea substrauere carbonibus, dein velleribus lanæ. A quibus autem & qua materia constructum sit, scribit idem Plinius c.40. lib.16. & alibi. Fuisse etiam ab Amazonibus conditum author est etiam Mela lib.1. cap.17. Ibi Ephesus & Dianæ clarissimum templum. quod Amazones Asia potitæ consecrasse traduntur. quod confirmat Iustinus lib.2. Meminit etiam huius templi D. Lucas Actorum c.19. Adde & Ortygia insula ipsius Dianæ ex Diodoro Siculo lib.6. c.2. post princ. Diana, inquit, in Syracusis insulam à diis accepit Ortygiam ab ea tum oraculorum responso, tum voce nominatam.

u *In Halicarnasso Mineruæ.*] Herod. lib.13.

x *In Papho, Veneris.*] Cornelius Tacitus libr. 18. quem locum iam adduximus suprà hoc eodem cap. vbi de Veneris Paphiæ ara. Suetonius in Tito, cap.5. Adeòque, inquit, Paphiæ Veneris oraculo, dum de nauigatione consuluit, etiam de imperij spe confirmatus est. Virg. lib.1. Æneidos de Venere loquens,

Ipsa Paphum sublimis abit, sedésque reuisit
Læta suas, vbi templum illi, centumque Sabæo
Ture calent aræ, sertisque recentibus halant.

Strabo lib. 14. non procul à fin. Paphum & Palæpaphum celebrat, Paphum quidem ab Agenore conditam: Palæpaphum verò vetustiorem, Veneris templo illustrem.

y *In Bosphoro, Apaturia.*] Scribit Pausanias in Corinthiacis. Æthram compressam à Neptuno: Eam ob rem Æthram Mineruæ Apaturiæ delubrum, quasi Fallacis dixerit, dedicasse, insulamque Sphæria, quæ antè dicebatur, Sacram nominasse: Instituisse eandem, vt Trœzeniorum virgines ante nuptias zonam Apaturiæ Mineruæ dicarent.

z *In Cypro, Acreæ Veneris.*] Strabo li.14. de Cypro loquens, scribit, Montis summum Olympum dici, vbi Veneris Acreæ templum est, quod nec videre, nec adire mulieribus licet. De Iunonis autem Acreæ oraculo videbis posteà in fine.

a *In Locris, Proserpina.*] Titus Liuius 3. Decad. lib.9. in egregia illa Locrensium oratione, Fanum est apud nos Proserpinæ, de cuius sanctitate templi credo aliquam famam ad vos peruenisse Pyrrhi bello: qui cùm ex Sicilia rediens Locros classe præteruehereretur, inter alia fœda, quæ propter fidem nostram erga vos in ciuitatem nostram facinora edidit, thesauros quoque Proserpinæ intactos ad eam diem, spoliauit: atque ita pecunia in naues imposita, ipse terra est profectus. Quid ergo euenit P.C. classis postero die fœdissima tempestate lacerata, omnésque naues, quæ sacram pecuniam habebant, in littora nostra eiectæ sunt: qua tanta clade edoctus tandem deos esse superbissimus Rex, pecuniam omnem inquisitam in thesauros Proserpinæ referri iussit. Valerius Maximus li.1. c.1. de Neglecta religione. Lactantius lib.2. c.8.

b *In Achaia.*] Plutarchus in Iside & Osiride, & alij, quos statim citabo.

c *Et Catina.*] Vnde Catinensis Ceres dicta ab oppido Siciliæ Ætnæ propinquo, vt ostendit Lactantius lib.2. cap.4. Cuius tanta fuit religio, vt adire templi eius secreta penetralia nefas esset.

d *In Samo.*] Diodor. Siculus lib.6. c.12. Pausanias in Achaicis. Tertullianus in Apologetico, c.24.

e *Argis.*] Pausanias in Atticis & Corinthiacis.

f *Metaponto.*] Plinius lib. 14. c.1. Metaponti templum Iunonis vitigineis columnis stetit. De hoc etiam paulò post dicetur in verbo, Metapontinæ Iunonis.

g *Et in Lucania, Iunonis.*] Strabo lib.6. in princ. Plutarch. in Pompeio.

h *In*

[h] in agro Pisano fuit, haud procul ab Elide, ante quod Lucus agresti olea consitus, & stadium omnium maximum, iuxta quod Alpheus præterfluens ex Arcadia, mare ingreditur. [i] In phano autem Iouis Triphili, columna ex solido auro multo æuo vetusta, cum titulis rerum gestarum sacrata visebatur, quam ipsum Iouem statuisse ferunt. [k] Acreæ verò Veneris templum mulieribus nec videre, nec adire fas est. [l] Sicut Eunosti phanum in Tanagra adeò mulieribus interdictum fuit, vt si quo infortunio aut vastitare Tanagræi opprimerentur, diligenter inquirerent, nequa mulier consultò aut casu templo appropinquasset. [m] Castabalis Persicæ Dianæ phanum tantæ fuit religionis, vt illic dicatæ virgines (quod vix credi potest) super prunas nudis pedibus ambulent innoxiæ: [n] sicut in templo Feroniæ super ignem afflati numine incedebant: [o] & ad montem Soractis, familiæ quas Hirpias vocant, super incensam struem insultabant impunè, [p] quibus perpetuo senatusconsulto vacatio munerum data est. [q] In Achaiæ autem Cereris templo fons manat cæremoniis sacer, in quem grauiore morbo implicati introspicientes, speculo in fontem demisso, euenta valetudinis internoscant: [r] sicut Trallibus in antro Charonio, [s] & apud Ægyptios in Isidis, [t] & in Melopidæ semideæ templo in Bubasto, ab ægrotis valetudinis remedia insomniis præsciuntur. Fuitque mos, vt hi qui morbis leuari meruissent, remedia, & qua curatione leuarêtur, [u] in æde Æsculapij velut in albo proponerêt, vt essent sempiterno monumento, & cæteros exemplo iuuarent. [x] Contrariæ verò religionis Catinensis Cereris, quàm Achaiæ sacrarium fuit, ad istud enim viris accedere non licet, sacra verò per mulieres ministrari, & virgines perfici solebant: cuius simulacrum non modò tangere, sed ne videre quidem homini fas. [y] Samiæ autem Iunonis dignum sua amplitudine templum, inter septem orbis miracula adnumeratur, quod ab

Columna in templo Iouis Triphili. Templi Acreæ Veneris & Eunosti mulieribus adire nefas. Persicæ Dianæ phanum. Fons in Achaia Cereris templo. Catinensis Cereris sacrarium. Samiæ Iunonis templum.

ANNOTATIONES.

h *In Agro Pisano*] Strabo lib. 8.

i *In phano autem Iouis Triphili.*] Diodorus Siculus lib. 6. c. 10. in fi. dicit, Iouis Triphili sacerdotes scripta ostendere quædam ab Ioue relicta, quo tempore templum construxit: scribit præterea patriam illam refertam esse auro, argento, ære, stanno ferro: quorum nil extra insulam asportari licet: & alia multa. Sed nihil de Columna aurea. Verùm Lactantius Diuinarum institutionum, lib. 1. c. 11. huius columnæ meminit, his verbis, Antiquus author Euhemerus, qui fuit ex ciuitate Messana, res gestas Iouis & cæterorum, qui dij putantur, collegit, historiámque contexuit ex titulis & inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur, maximéque in phano Iouis Triphilij, vbi auream columnam positam esse ab ipso Ioue, titulus indicabat: in qua columna gesta sua perscripsit, vt monumenta essent posteris rerum suarum.

k *Acreæ verò Veneris templum.*] Dictum est suprà ex Strab. lib. 14. non multò antè.

l *Sicut Eunosti phanum.*] Plutarchus Proble. 153. Sed & in Italia olim sacro Herculis mulieribus interesse non licebat ex Macrobio lib. 1. c. 12.

m *Castabalis Persicæ Dianæ phanum.*] Strabo libr. 15. non adeò multò post princ. Castabalis, inquit, est Dianæ Persicæ phanum, vbi dicunt sacras mulieres illæsas nudis pedibus super prunas ingredi.

n *Sicut in templo Feroniæ.*] Strabo lib. 5. Sub monte autem Soractæ vrbs est Feronia, quo nomine & dea quædã nuncupatur, quàm finitimi miro dignantur honore. Eodem in loco ipsius templum est mirificum sacri genus habens. Nam qui eius numine afflantur, nudis pedibus prunas, & copiosum inambulant sub hac dæmone, nulla læsione, cinerem,

o *Et ad montem Soractis, familiæ, quas Hirpias vocant.*] Plinius lib. 7. c. 2. Haud procul vrbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur. Et ex Plinio Solinus cap. 8. sic scribit, Perpaucæ familiæ sunt in agro Faliscorum, quos Hirpios vocant. Hi sacrificium annuum ad Soractem montem Apollini faciunt. Idque operantes gesticulationibus religiosis impunè exultant, ardentibus lignorum struibus, in honorem diuinæ rei flammis parcentibus. Cuius deuotionis ministerium munificentia Senatus honoratum, Hirpis perpetuò omnium munerum vacationem dedit. Hanc rem decinit Virgil. libr. 11. Æneidos his versibus,

Summe deûm sancti custos Soractis Apollo
Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna.

Super quo loco plura Seruius ad huius rei notitiam doctè tradit, inter quæ hæc scribit, Varro vbique expugnator religionis, ait, quum quoddam medicamentum describeret, Vt solent Hirpini, qui ambulaturi per ignes medicamento plantas tingunt. Silius Italicus de eadem re sic lib. 5. cecinit,

Tum Soracte satum, præstantem corpore, & armis
Æquanum noscens, patrio cui ritus in aruo
Cùm pius arcitenens accensis gaudet aceruis,
Exta ter innocuos latum portare per ignes.
Sic in Apollinea semper vestigia pruna
Inuiolata teras, victorque vaporis ad aras
Dona serenato referas vestigia Phœbo.

Strabo lib. 5. scribit ea sacra non Phœbo, sed Feroniæ celebrari solita, vt diximus in præced. Hirpi autem Sabinorum lingua lupi vocantur Lege Seruium vbi supra.

p *Quibus perpetuo Senatusconsulto.*] Plinius vbi supra ad ea, quæ nuper adduximus subiungit, Et ob id perpetuo S. C. militiæ, omniúmque aliorum munerum vacationem habent. Solinus d. cap. 8.

q *In Achaia autem Cereris templo.*] Achææ legendum est ex Herodoto in Terpsicore. Pausanias in Achaicis, Pro Cereris æde, inquit, fons est, qui à templo lapideo pariete secluditur: ad eum fontem per exteriorem tramitem descenditur. Ibi oraculum maximè veridicum est. Cognoscuntur ex eo non rerum omnium, sed morborum duntaxat euenta. Speculum tenui suspensum filo demittunt, vt in fonte omnino non mergatur, sed imo ambitu summam aquam contingat. Vbi odores adoleuerint, & ritè deam precati fuerint inspiciunt in speculum, & ex eius imaginibus perituríne an victurus is æger sit, de quo consuluerunt, diuinant. Neque latius huius aquæ diuinatio patet.

r *Sicut in Trallibus in antro Charonio.*] Strabo lib. 14.

s *Et apud Ægyptios Isidis.*] Diodor. Siculus lib. 1. c. 2. tradit Isidem in somnis opitulari palam eis, quos cẽsuerit dignos.

t *Et in Melopidæ.*] Vide Iamblichum de Mysteriis Ægyptiorum.

u *In æde Æsculapij.*] Strabo lib. 8. de eo loquens, Erat, verò templum ægrotantium multitudine vsquequaque refertum pendentibúsque tabellis, in quibus sanati languores erant inscripti. Et de eo dictum est suprà.

x *Contrariæ verò religionis Catinensis Cereris.*] Lactantius lib. 2. cap. 4. vbi & hanc Cererem Ennensem quoque vocatam dicit.

y *Samiæ autem Iunonis.*] Huius templi Samiæ Iunonis meminit Diod. Siculus lib. 6. c. 11. Lactantius lib. 2. cap. 17. vbi

vrbe haud plus viginti stadiis aberat.[z] In Laciniæ Iunonis ara miracula affingunt, vt cineres in ara perflantibus ventis immobiles maneant, [a] sicut ara Veneris Paphiæ sub palustri cælo nullis pluuiis humectatur.[b] Metapontinæ Iunonis templum hoc pro miraculo habuit, vt vitigineis columnis fulciretur. In Libya Liberi patris templum & oppidum ab vno eodémque bis inueniri negant. [c] Ephesiæ autem Dianæ supra omnium seculorum memoriam celebratissima & augustissima ædes fuit, magnis effusionibus & profusissima impensa à tota Asia constructa septem stadiis ab vrbe, nudo & palustri solo in cuius festo annuo iuuenes primo flore ætatis, & virgines cultu excellenti procedere ad templū prælata pompa, & festum diem agerē, sponsaliáque inuicem inire consuerant.[d] Delubrum verò Neptuni in Achaia, Erechtheum cognominatum, hoc memorabile habuit, vt aqua in puteo flante austro fluctuaret, cæteris verò perflantibus vētis iaceret immota: cui compar Aristoteles tradit de Pythopoli vrbe ad Ascaniam paludē, cuius putei hyeme exsiccantur, æstate verò ad superficiem redundant.[e] & apud Gades in Herculis tēplo, puteum inundante Oceano exsiccari.[f] Quod verò de Clario dicimus, est animaduertendum; in Claro Iouem, Neptunum & Plutonem, mundum fuisse sortitos, qui mox nugis innumeris orbem impleuere. [g] Et Colophone in Apollinis delubro vates multa aqua epota, ex subiecta lacuna spiritu diuino tactos responsa dare:[h] sicut apud Ligiræos in Thracia, ex intimo adyto Libero consecrato plurimo mero exhausto, veluti numine afflatos vaticinari.[i] Fuítque animaduersum in Clario Apollinis, non fœminam, vt Delphis, sed certis è familiis sacerdotes, aut ex Mileto accitos, plerumque literarum ignaros, hausta fontis aqua, vaticinia referre.[k] Et in Andro, in templo Liberi patris manare fontem, qui Nonis Ianuarij vini saporem habeat: quod si è conspectu templi auferatur, rursus in aquam transeat. Nec defuere qui crederent [l] apud Heleos in Bacchi festo, quod Θύια vocant, tres lebetes in templo sua sponte repleri vino.[m] Et in Bisaltia templum Dionysij esse, in quo cùm sacra persoluuntur, si grata deo sunt, mira lux effunditur: contra verò, miræ tenebræ.[n] Atque in Ægira, nisi sanguine tauri epoto, sacerdotem non vaticinari. [o] Cui compar miraculum fertur Hierapolis antrum esse, quod quum mortiferum exhalet, in eo intereunt omnia, nisi eiacta, & quę virilitatem amisere.[p] Et apud Potnias Bœotiæ manare fontem, ex quo equæ indigenæ haurientes, concitentur in rabiem.[q] Mirum quoque quod circa Halicarnassum antistiti Mineruæ euenire traditur, vt quoties Amphictyensibus, qui ea loca incolunt, aliquid aduersi casurum foret, grandis illis nascatur barba, quasi eo portento futuras illis calamitates respondere, [r] sicut in terra Caria, mulieribus templo dicatis, pilos in genis aut mento innasci, futuræ diuinationis signum erat.

Laciniæ Iunonis ara. Paphiæ Veneris ara. Metapontinæ Iunonis tēplū. Liberi patris. Ephesiæ Dianæ. Neptuni. Putei apud Pythopolim. Colophonij vates. Ligræi. Vates Apollinis in Clario. Fons Liberi in Andro. Sacra Dionysij in Bisaltia. Ægirēses. Hierapolis antrū. Fōs apud Potnias.

ANNOTATIONES.

Varro insulam Samum prius Partheniā nominatam scribit.

z *In Lacinia Iunonis ara.*] Liuius 3.Dec.lib.4.post princ. de templo Iunonis Laciniæ loquens, ait, Fama est aram esse in vestibulo templi, cuius cinerem nullus vnquam moueat ventus. Valerius Maximus lib.1.cap.8.de Miraculis. Plinius lib.2.c.107.

a *Sicut ara Veneris Paphia.*] Plinius lib.2.c.96. Celebre phanum habet Veneris Paphos, in cuius quandam aream non impluit.

b *Metapontina Iunonis.*] Plinius lib.14.c.1.post principium.

c *Ephesia autem Diana.*] Strabo lib.14. Plinius lib.6.c.40. & lib.36.c.14.& iam diximus suprà non multò antè.

d *Delubrum verò Neptuni.*] Pausanias in Atticis qui primus liber est.

e *Et apud Gades in Herculis templo.*] Strabo lib.3. vbi multas eius rei rationes reddit ex aliis authoribus. Et Plinius lib.2.c.97.ad fin.

f *Quod verò de Clario diximus.*] De hac diuisione vide omnino quæ scripsi in nostris Commentariis Primigeniorum.

g *Et Colophone in Apollinis delubro.*] Plinius lib.2. cap. 103. Tacitus lib.2. de Clarij Apollinis oraculo Colophone, ait, Non fœmina illic, vt apud Delphos, sed certis è familiis & fermè Mileto accitus sacerdos, numerum modo consultantium, & nomina auditum in specum digressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerumque literarum & carminum, edit responsa, versibus compositis, super rebus, quas quis mente concepit: & ferebatur, Germanico per ambages (vt mos oraculis) maturum exitium cecinisse. Et ad id quod de aqua epota dicit, vide Macrob.lib.1. Satur.cap.18. post princ.

h *Sicut apud Ligiraos.*] Lege Ligyreos ex Macrobio, qui id dicit d.lib.Satur.1.c.18.ad princ.

i *Fuitque animaduersum, in Clario Apollinis.*] Hæc vsque ad versic. Et in Andro. sunt Cor. Taciti vbi suprà ibi, Et Colophone in Apollinis.

k *Et in Andro.*] Plinius lib.2.c.103.

l *Apud Heleos in Bacchi festo.*] Eleos scribendum est ex Pausania, qui hæc de illis scribit lib. 6. qui de Eliacis est, non longè ante fi.

m *Et in Bisaltia templum Dionysij.*] Herodotus lib.7.

n *Atque in Ægira.*] Plinius lib.28.c 9.

o *Cui compar miraculum fertur Hierapolis.*] Strabo lib.13.ad finem, scribit, Gallos gallinaceos exectos ad aquam, quæ apud Hierapolim est, & Plutonium os, illæsos accedere, ita vt etiam vsque ad os appropinquent & introspiciant, & immergantur, quousque possint spiritum continere: reliqua verò animalia, si introrsum progrediantur, statim mori.

p *Et apud Potnias Bœotia.*] Paulò aliter Plinius lib. 25. c.8. Circa Abderam, inquit, & limitem, qui Diomedis vocatur, equi pasti inflammantur rabie, circa Potnias verò asini.

q *Mirum quoque quod circa Halicarnassum.*] Herodotus libr. 8. Incolunt Pedesenses super Halicarnassum: apud quos hoc rei fertur contingere, vt quoties Amphictyensibus (qui circa eam vrbem habitant) aliquid aduersi certum intra tempus est euēturum, tunc antistiti, quæ illic Mineruæ est, grandis barba nascatur: quæ res bis apud eos accidit.

r *Sicut in terra Caria.*] Sed hîc adde alia multa oracula præter ea, quæ ab Alexandro in hoc capite relata sunt: scilicet, in Hysia ciuitate Bœotiæ tēplum Apollinis dimidiata sui parte perfectum erat: Sacer præterea puteus, de quo bibentes vaticinabātur. author Pausan.lib.9. qui de Bœoticis est. Et in Meroë Iouis oraculum apud Herodotum lib.2. Et Laij oraculum apud eundem lib.5. Et Baccidis apud eūdem lib.7. & 8. non admodum longè à principio. & Pausaniam lib.4. Et oraculum Martis apud eund.lib.2. & Mysos Thraces, eodem teste eod.lib.7. Et in Matiera oraculum Martis antiquissimum, non absimile illi Dodonęo celebrato in fabulis, nisi quòd illic in sacra quercu sedentem columbam dicunt vaticinari solitam. Apud Aborigines auis diuinitus

missa

missa, quam picum vocant, Græci [illegible] numinant, idque faciebat in columna lignea, author Dionysius Halicarnasseus. Et Dionysij apud Satras, Thraciæ populos, oraculum in editissimis montibus ex Hero.lib. 7. Et Apollinis Ptoi in phano ipsius sito supra paludem Copaidem, ante montem, proximè Acræphiam, ex eodem Herodot. lib. 8. Et Iouis Ithomitæ Thucydidi, & Archegetæ eidem lib. 6. & Monesthei lib. 3. Et Palicorum Macrobio lib. 5. Satur. c. 19. Et Amphilochi in Mallo vrbe Ciliciæ, quod Pausanias lib. 1. scribit sua ætate fuisse omnium verissimum. Et de eo nonnihil Iustinus martyr Apologia 2. Ad Antoninum Pium, & Liuius 5. Decad. lib. 5. vbi id templum dicit esse in Oropo; ibique ipsum Amphilochum coli pro Deo. Est & oppidum Abydum (vt scribit Ammianus Marcellinus lib. 19.) Thebaidis parte situm extrema. Hîc Besæ Dei localiter appellati, oraculum quoddam futura pandebat, priscis circumiacentium ceremonijs solitum coli. Et Theagenis apud Thasios oraculum, de quo Pausanias lib. 6. Et Aristei Proconnesij & Cleomedis apud Astypalæos Plutarcho in Romulo. Et Telluris, Pausaniæ in Eliacis. Et Carmeli Dei, si verum dicit Suet. in Vespasiano, cap. 5. & Nicephorij loco Spartiani in vita Adriani post principium, ex libro Apollonij Syri Platonici. Et Fauni apud Virgil. lib. 7. Æneidos, vbi docet oraculis Fauni admonitum Patinum, vt generum externum sibi asciscat,

At Rex sollicitus monstris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sæuamque exalat opaca Mephitim.

Et Orphei, Apollinis concessu in Lesbo, de quo Philostratus in vita Apollonij lib. 4. c 4. Et Fortunæ Prænestinæ, de qua Cicero lib. 2. de Diuinat. Suet. in Tiberio, cap. 6. & in Domitiano, cap. 15. Propert. lib. 2. eleg. 30. ad Cynthiam,

Nam quid Prænestis dubias ô Cynthia sortes,
Quid petis Achæi mœnia Thelegoni?

Et Statius lib. Syluarum 1. sylua 3.

Et Prænestinæ poterant migrare sorores.

Et Gerionis oraculum in Italia iuxta Patauium, Suetonio in Tyberio, cap. 14. Et Fortunæ Antianæ eidem in Caligula, cap. 57. Macrobius in 1. Saturn. c. 24. apud Antium Fortunarum fuisse, quæ promouebantur ad danda responsa, Martialis lib. 5. epig. 1. ad Cæs. Domitianum,

Seu tua veridicæ discunt responsa sorores,
Plana suburbani quà cubat vnda freti.

Et apud Orobiam vbi veracissimum oraculum, vt tradit Strabo lib. 10. post princ. Et Abæ, quæ sunt circa Phocidem Apollinis delubrum locuplex & thesauris donarijsque compluribus exornatum: in quo vt tunc, ita nunc redduntur oracula, Straboni lib. 9. Herodoto lib. 7. & 8. Est & in Colchica regione Leucotheæ phanum, quod Phryxus condidit, atque illius oraculum, vbi aries non mactatur, olim diues, ætate Strabonis à Pharnace, paulò post à Mithridate Pergameno direptum. author Strabo lib. 11. Autolyci in Sinope, Sthenidis opus, eid. lib. 12. Et in Cilicia Dianæ Sarpedoniæ phanum & oraculum, vbi numine perciti responsa dabant, eidem lib. 14. Est & in agro Daunio, circa tumulum, quem Drion vocant, Basilica Calchantis in summo vertice, cui petentes oracula nigrantem immolant arietem, & strata in pelle dormiunt, apud eundem lib. 6. Et in Auerno Homerica defunctorum vaticinia fuisse ferunt, ibique oraculum extitisse, eodem teste l. 5. Et Menestei quoque oraculum apud eundem lib. 3. Et Tauropolæ, apud eundem lib. 16. Et Musæi, Herodoto lib. 8. Et Iunonis Acceæ oraculum apud Corinthios inter Lechæum & Pagas Herodoto lib. 8. Est & Sena in Britannico mari Osismicis aduersa littoribus, Gallici nominis oraculo insignis, cuius antistites, perpetua virginitate sanctæ numero nouem esse traduntur apud Pomp. Melam lib. 3. c. 6. Et Erinnyum oraculum apud Herod. lib. 4. Et alia Apollinis oracula, scilicet, Tegyris apud Plutarchum in Pelopida, & in Grynæo Myrinæorum oppido ex Strabone lib. 13. Et Seruio in eum locum lib. 4. Æneidos,

Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo.

Iuxta Clazomenas, ait, vrbem Asiæ, nemus est Grynæum, vbi Apollo colitur, inde igitur sumit epitheton Grynæi, licet in Delo acceperit oraculum. Hæc ibi. Et in Daphne vrbe Syriæ Straboni lib. 16. Et in Hiera Liuio 3. Decad. lib. 8. Æsculapij in Ægis Philostrato in vita Apollonij, lib. 1. c. 5. Et apud Argiuos Apollinis Diradiotæ, vbi singulis mensibus agna noctu immolatur, mulierque fatidica, cui viri consuetudo interdicta est, victimæ sanguine libato, furore diuinitus afflatur. Pausanias lib. 2. Fuere & oracula in Ismeno, & Abis apud eundem lib. 2. & 4.

Qui fuerint legati consulum vel prætorum, quæve iurisdictio aut illorum potestas sit.

Caput III.

Consules [a] designatos cum primùm prouincias sortiti essent, legatos sibi nominare, velut comites expeditionis, & adiutores negotiorum, quorũ ope consilióque niterentur, quíque ipsorũ vices gererent quoties abesse contingeret, vulgo notatum est: qui, sicut duo erant consules, ipsi duo pariter fuere, quos vel præsentes legebat senatus, magna prudentia viros, summis honoribus functos, vel absentes nominabat: quibus post consules totius prouinciæ legionúmque atque exercitus curatio mandata est. [b] Tametsi nonnullos à consulibus nominatos, vt pari voto & vna mente rempub. administrarent, ex decreto senatus sæpissime legationis munere functos legamus. Vnusquisque ergo consul suum legatum habebat, quo præcipuo consultore ac ministro consiliorum, in rebus gerendis, delectúque habendo, totáque administranda prouincia vtebatur, quorum consilio & authoritate vel prælia suscipiebant, vel bello abstinebant: qui etiam decreta consulum, & arcana consilia sæpissime exequebantur cum fide & cura. [c] Consulibúsque functis consulatu, & finito

Singuli consules legatum sibi adsciscebant.

Legati consulum à consulibus constituti.

Annotationes in Cap. III.

a *Consules designatos.*] Dictatores, Consules, & Proconsules legatos habuisse scribunt Titus Liuius libr. 4. 1. Decadis, & multis aliis in locis. & Florus epitome Liuij lib. 70. Pomp. Lætus lib. de Magistrat. Rom.

b *Tametsi nonnullos à Coss. nominatos.*] Nam & L. Cor. Scipio Consul tres sibi legatos nominauit, Sex. Digitium, L. Apustium, & C. Fabricium Luscinum, teste Liuio 4. Decad. lib. 7. non procul à princ. Et Q. Cicero fratri duos optimos legatos sibi legit, Tuberonem, Allienum & Gratidium, vt scribit ipse Cicero Epist. ad Q. Fratrem 1. epist. 1. Quanquam, inquit, Legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suæ: de quibus honore & dignitate, & ætate præstat Tubero, quem ego arbitror, præsertim cùm scribat historiam, nullos ex suis annalibus posse deligere, quos velit & possit imitari. Allienus autem noster cùm animo & beneuolentia, tum verò etiam imitatione viuendi. Nam quid ego de Gratidio dicam? quem certò scio ita laborare de existimatione sua, vt propter amorem in nos fraternum, etiam de nostra laborat.

c *Consulibúsque functis Consulatu.*] Fenestella in lib. de Magistrat.

Quales legati consulum eligebantur. Legatorum consulum officia & authoritas.

magistratu, legatos velut legationis munere functos, honore abire oportebat: qui [d] quidem plerumque ex plebe aut patribus, [e] nonnunquam prætorij aut consulares fuere. Etiam prætores vrbis, [f] quique antea consulatum gessissent, & magnos bello viros, [g] functos honoribus & triumphis, homines fidos acceptósque, legationis munere fungi conpetimus: illorúmque procuratione & cura, prouincias ab hostili incursu defensas, & sæpe in officio retentas fuisse: quorum etiam authoritas tam in administranda prouincia, quàm ducendo exercitu aciéque instruenda, & quando essent admoturi copias, tanti fuit, [h] vt absentibus vel impeditis Consulibus, summam imperij tenerẽt Consiliorum & fortium factorum, ac meritæ virtutis & ignauiæ cuiusque qua cura, qua fide & diligentia, quáque disciplina militari, duces exercitui & castris præfuissent, si quid fictum vanúmque aut parum integra veritate afferrent, locupletissimi testes erant: soli denique gesta consulum diligenti æstimatione perpendere & pensitare debebant. [i] Tum consulibus laborantibus, aut morbo implicitis, vel fato perfunctis, ipsi superesse, & munia obire poterant: namque ipsorum erat officium, fiduciariam reipub. operam dare, post consulem prætoremve, [k] non tamen idem iuris & potestatis habere, ne imperatorias sibi partes vendicarent: siquidem legati munus est, omnia ad præscritum imperiúmque consulis agere: imperatoris verò, summæ rei consulere, & liberum tenere imperium, eo consultore & ministro. [l] M. Claudius legatus contra literas L. Cornelij consulis de pugna aduersus Boios ad senatum magnificè scriptas, priuatim de consulis negligentia pluribus per literas significanit, quæ illi mox exitio criminíque fuerunt: namque illum criminando effecit, quo minus L. Cornelius de Boiis triumpharet: ipsiúsque denegati triumphi, testimonium legati, præcipua causa fuit. [m] Quanquam Cn. Manlius, contradicentibus decem legatis, in crimen adductus, acta per se causa in senatu, crimine absolutus, de Gallo-Græcis magoificè triumpharit. [n] Quinetiam siquid per legatos in prouincia absentibus consulibus, & dum eorum vicem gerunt, fortiter ac dignum laude & triumpho gestum foret, poterat sine consule solus legatus suo iure & merito triumphare. [o] De Parthis & Pacoro Ventidius M. Antonij legatus, sine Antonio, licet nouo exemplo, triumphauit. [p] Caius etiam Marius legatus Metelli consulis, ipsum criminando, effecit, vt posthabito Metello de Iugurtha triumpharit. [q] ante cuius currum cum duobus filiis ductus est in triumpho. [r] Quinetiam patrem filio legatum fuisse, [s] & fratrem fratri, sæpissimè compertum est. [t] Q. Fabium Maximum, Q. filio consoli legatum aduersus Samnites ad Suessulam obuiam prodiisse: & cum experiri vellet an sciret consulem agere, iussum ab eo obsequium præstitisse, & equo descendisse, authores memorant. [u] P. que Scipionem, cui Africano fuit cognomen, Scipioni fratri aduersus Antiochum consuli

Legati munus. Imperatoris munus.

Legatorum triumphus.

ANNOTATIONES.

gistrar. Rom. tit. de Leg. Procoss.

d *Qui quidem plerumque ex plebe*] Vt C. Marius, Metelli legatus Arpinas erat, secundum Plutarchum in Mario, & Sallustium io Iugurtha.

e *Nonnunquam Prætorij.*] Nam & Q. Fabios Max. Rutilianos quinque Consulatibus, summa eum gloria peractis, omnibúsque & virtutibos, & vitæ emeritis stipendiis, legatus ire Fabio Gurgiti filio ad bellum difficile & periculosum, conficieudum grauatus non est, teste Val. Maximo lib. 2. c. 1. de More, quem maiores obseroabaot io vrbe. Et lib. 5. c. 7. in princ. & Plotarchos io vita ipsius Fabij Max. paolò ante fin. & io apophthegm. eiusdem, & aote hos Liuius lib. 4. 3. dec non adeò procul à fine.

f *Quique antea consulatum gessissent.*] Soprà in verbo, Nonnonquam Prætorij.

g *Functo honoribus & triumphis.*] Nam & Q. Fabios, de qoo iam diximus, antequam filio legatus fuisset, triomphos clarissimos ex infestissimis hostibus reportauerat, vt tradit Pluta. in vita ipsius.

h *Vt absentibus Coss.*] Aot etiam Dictatore, & Magistro equitum, vt videre licet ex Dionysio Halicarnasseo lib. 6. vbi loqoitur de T. Eburio Heloa Magistro equit. A. Posthumij dictatoris, & M. Valerio ipsius legato. Et ex Liuio 1. dec. lib. 8. vbi de eodem M. Valerio legato.

i *Tum Coss. laborantibus.*] Ita etiam fecit C. Sulpitius Legatos L. Genutij Cos. in bello aduersus Hernicos, occiso ipso Consule, apud Liuium 1. dec. lib 7.

k *Non tamen idem iuris.*] Cæsar lib. 3. belli ciu. de P. Sylla Legato Cæsaris loquens sic scribit: At plerique existimaot, si acrios insequi voluisset, bellom eo die potoisse finiri: cuius consiliom reprebendeodum non videtur. Aliæ eoim sunt legati partes, atque Imperatoris. Alter omnia agere ad præscriptum, alter liberè ad summam rerum cõsulere debet. Sylla à Cæsare castris relictus, liberatis suis, hoc fuit cootentus, neque prælio decertare voluit: quæ res tamen fortasse aliquem reciperet casum, ne imperatorias sibi partes sumpsisse videretur.

l *M. Claudius.*] Liuius 4. Dec. lib. 5. non multò post principium.

m *Quanquam Cn. Manlius.*] Liuius eiusdem 4 decad. lib. 8. & 9.

n *Quinetiam siquid, &c.*] Vt patet exemplis sequentibos.

o *De Parthis & Pacoro Ventidius.*] Plotarc. in Antonio. Gellios lib. 15. c. 4. Dion in historia ipsius M. Aotooij. Et vide Plinium lib 7. c. 43. & iofra cap. 6.

p *C. etiam Marius.*] Plutar. in vita illius, Paulus Orosius lib. 5. c. 14. Sallustius autem io Iugortha in fin. dicit illum Calendis Ianuariis magoa gloria Consulem de Iugurtha triomphasse.

q *Ante cuius currum.*] Paulos Orosius d. lib. 5. c. 14.

r *Quinetiam patrem filio.*] Hoc mox probat Q. Fabij Maximi exemplo. Sed adde è diuerso filium patri, aliquaodo legatum fuisse: vti fuit Titus Vespasiano patri, ex Paulo Orosio lib. 7. c. 5. in fi. & Gordianos filius Gordiano patri Procoss. Africæ, teste Iulio Capitolino io Gordianis oon semel.

s *Et fratrem fratri.*] Id quod probat exemplo Scipionix Africani ibi, P. què Scipiooem.

t *Q. Fabium Max.*] Liuius 3. dec. lib. 4. His procuratis (inquit) ex decreto Pontificum, profecti Coss. Sempronius in Lucanos, in Apuliam Fabios. Pater filio legatus ad Suessulam in castra venit. cùm obuiam filius progrederetur, lictorésque verecoodia maiestatis eius taciti anteirent noo summouentes patrem, præter vndecim fasces equo præuectus seoex, vt Consul, animaduertere proximum lictorem iussit: & is vt descenderet ex equo, inclamauit: tum demum desiliens, Experiri, inquit, volui fili, satin' scires Consulem te esse. Vale. Maximos lib. 2. c. 1. vbi de More, quem maiores obseruabant in vrbe. vt diximus suprà.

u *P. què Scipionem.*] Lius 4. Decad. lib. 7. post princ. sic scribit, Cùm res aut noua, aut vetustate exemplorum memoriæ

iam

destinato, legatum venisse: tantúmque authoritate effecisse, vt victo Antiocho, & pace Eumeni concessa, frater cuius legatus venerat, de Antiocho & omni Asia triumpharit, ob Asiámque à se victam, Asiatici cognomen reportarit. [x] Illud quodque notatum est, quoties consuli prorogatum fuisset imperium, etiam legati munus ad id tempus diffundi sæpe & prorogari. [y] Animaduersúmque & illud, à primis originibus legatum proconsulis sine equo ingredi consuesse: postea verò à Seuero institutum, vt in vehiculis sederēt, & siue morte obita, siue casu legatus in prouincia esse desiisset, legationis munus solum consulem sine senatu dedisse: ipsúmque consulem aut senatum [z] vnum pluréſve legatos imperatori impedito, qui vicem suam gererent, & rebus gerendis sufficerent, sæpius creauisse, comitésque expeditionis dedisse C. [a] Cæsari imperatori, cuius in re militari præcipua virtus fuit, dum contra efferas gentes bellum parat, decem legatos consilij socios decreuit senatus, quibus adiutatoribus & ministris magnas res gessisse fertur. [b] Pompeius quoque bello piratico, contra tot prædones & communes hostes omni genere rapinarum grassantes, quum solus superesse nequiret, quinque & viginti legatos accepit, [c] tametsi aliquando solus ipse legati munus obiret. [d] Q. etiam Fuluio consuli graui vulnere affecto, quum exercitui & castris præesse nequiret aduersus Hannibalem, ex patrum decreto tres legati additi fuere. Quinetiam in expeditionem iturum consulem, plures & vltra sex legatos comites duxisse compertum est: [e] quibus lictores cum fascibus pro muneris dignitate publicè dabantur, qui illos velut publico magistratui præcedebant. Subsequutis postea temporibus, in tātum legatorum munus processit, & ad id fastigij deuenit, vt quoties laborantibus prouinciis subsidia mittenda forent, aut si quid publici priuatíque negotij maneret, vbi plurimum laboris & periculi impēderet, ea frequens senatus per legatos decerneret, illísque prouinciæ administrandæ munus curâmque delegaret, [f] quæ libera dicta legatio est: nam soli sine consule aut prætore, legati munere fungebantur. [g] Quæ etiam legatio à senatu vel populo sæpissime dabatur his qui honestam proficiscendi causam, aut prætextum fugæ per speciē honoris quærerent, quo honoratius exciperentur. Quin & scriptum legimus obseruatúmque fuisse, legatos legionum non in senatu modò, sed á ducibus exercituum plerumque creari, [h] qui singulis [i] pluribúsque legionibus præpositi, illarum administrationem curâmque gererent: qui si quid per occa-

Legati munus prorogatum

Legatus proconsulis

Legati imperatorum.

Legatorum lictores.

Libera legatio.

Legati legionum vbi creentur.

ANNOTATIONES.

iam exoletæ, relata expectatione certaminis Senatum erexisset, P. Scipio Africanus dixit, Si L. Scipioni fratri suo prouinciam Græciam decreuissent, se legatum iturum. Hæc vox magno assensu audita sustulit certamen. Plutarc. in vita ipsius Scipionis. Gellius lib. 4 c. 18. Plinius Secundus, si is est, de Viris illustribus, cap. 49. & 53. Appianus in Syrico, Florus lib. 2. c. 8. Sed cui adde Spurio Furio Cōsuli alterum Furium ipsius fratrem ei datum legatum, apud eundem Liuium 1. Dec. lib. 3. Et Q. Fuluio Flacco Consuli, C. Fuluium Flaccum fratrem legatum datum apud eundem Liuium 3. Dec. lib. 5. & 6.

x *Illud quoque notatum est.*] Nam & Procoss. legatos habuisse docuimus suprà libr. 2. cap. 27. & hoc quoque cap. in princip.

y *Animaduersúmque illud.*] Id vsque ad ea verba, Et siue morte. sunt Spartiani in vita Septimij Seueri.

z *Vnum pluresve legatos.*] Vt patet exemplis sequentibus.

a *C. Cæsari.*] Cicero lib. 1. Epist. fam. epist. 7. non longè à fin. Stipendium, inquit, Cæsari decretum est. & decem legati, & ne lege Sempronia succederetur, faciiè perfectum est.

b *Pompeius quoque.*] Plutarchus in vita illius, 24. tantùm dicit.

c *Tametsi aliquando solus.*] Plutar. vbi suprà.

d *Q. etiam Fuluio.*] Liuius 3. Dec. lib. 7. Itaque & Q. Fabium filium ad exercitum Venusianum miserunt: & ad Consulem tres legati missi.

e *Quibus lictores.*] Legatos lictores habuisse cum fascibus constat ex Spartiano in Septimio Seuero non longè à princip.

f *Quæ libera dicta legatio est.*] Budæus in posterioribus annot. in Pādectas, tit. de legat. Legationes liberæ, inquit, olim ornamenti tantum causa ab Senatu impetrabantur: quemadmodum Honorarij magistratus à Principibus honestamenti causa conceduntur, titulóque tenus obeuntur & geruntur. Hæ ab his Senatoribus impetrabantur, quibus negotia futura erant in Prouinciis, vt qui hæreditates persequi, aut legāta, aut qui nomina exigere volebant in Prouinciis, legatorum personis acceptis commendabiliores controuersias haberent, atque fauorabiliores. Quamobrem lege XII. tabul. id vetitum erat, his verbis. Rei suæ ergo ne quis legatus esto: Quæ verba Cicero lib. de legib: 3. exponit. Hæc Budæus. Cicero contra Rullum, Legatos vestros auctoritate tenui, qui rerum priuatarum causa legationes liberas obeunt, tamen exteræ nationes ferre vix possunt. Graue est enim nomen imperij: idque etiam in leui persona pertimescitur, propterea quòd vestro non suo nomine abutūtur. Cicero has legationes liberas in suo Consulatu repressit, & annuas fecit: postea lex Iulia quinquennales indulsit. Ad Atticum libr. 15. epist. 6. Habent, vt opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Iulia, nec facilè addi potest: bella est autem huius iuris quinquennij licentia. Idem Cicero pro Flacco scribit. Liberas legationes multos sæpe bonos viros sumpsisse causa nomina exigendi, Suetonius in Tiberio, cap. 31. Prætor, inquit, designatus liberam legationem impetrauit. Legationis liberæ meminerunt Plutarchus in Gracchis, & Brutus lib. 11. Epistolarum familiar. epistola 1. Idem Cic. ad Atticum lib. 4. epist. 2. vbi legationem votiuam appellat, ad votum postulantis concessam.

g *Quæ etiam legatio.*] In illis locis, præsertim Plutarchi in Gacchis, vbi refert, Senatum Scipioni Nasicæ liberam legationem in Asia decreuisse, quum ob mortem Tiberij Gracchi, cuius author fuerat ipse Nasica, videret plebem aduersus illum malè animatam, & iam de vindicta cogitantem.

h *Qui singulis.*] Tacitus lib. 18. memorat Vedium Aquilam tertiæ decimæ legionis legatum fuisse, & lib. 19. Fabium Fabulum quintæ legionis legatum, Et Cæsar lib. 1. belli Punici ad fi. tradit se singulis legionibus sigulos legatos, & Quæstorem præfecisse, testes suæ quenque virtutis. Et ipsi Cæsari aduersus Gallos pugnanti Cicero legatus 14. legionis fuit. & Roscius 13. vt scribit Cæsar lib. belli Gallici primo. Idémque de Prolegato Cornelius Tacitus lib. 15. vbi tradit, Viuianum Annium Corbulonis generum Prolegatum quintæ legioni fuisse impositum.

i *Pluribúsve legionibus.*] Velleius Paterculus volumine posteriori, Reddatur, inquit, verum L. Asprenati testimonium, qui legatus sub auunculo suo Varo militans, gnaua, virilique opera duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tanta calamitate seruauit, maturéque ad inferiora hyberna descendendo, vacillantium etiam cis Rhenum

ſionem & licentiam dignum animaduerſione admiſiſſent poterat eis legationis munus abrogari, & de gradu deiici: quotiéſque quæſtor cum legato conſulis concurrit in eiſdem actionibus & pari cauſa quæſtor, tanquam plus ferat honoris, præponi ſolet.[k] Nec modò conſulem, ſed & prætorem legatos in prouincia vnum pluréſve habere, quorum conſilio niterentur, niſi prætores vrbani forent, quibus nihil opus eſſe legatis cenſuerunt. Illud quoque proditum eſt legatum qui in Africam accederet, ſi quid operæ pretium, aut dignum laude in prouincia admiſiſſet, haud multo poſt, inculpatæ vitæ teſtimonio illam proconſulem adminiſtraſſe. Tum ſiquando in acie vel caſtris, vrgentibus hoſtibus, conſulto opus foret, per legatum qui ſummæ rerum præerat, & primas tenebat poſt conſulem, rem ad cōſilium deferri, vbi legati legionum, primores centurionum, quæſtores, tribunique & præfecti caſtrorum conſultantes, capita conferebant: & quicquid opus erat facto, communi animo conſilióque decernebant: & demum vt erant ſententiæ, legati iudicio imperióque ſanciebant.[l] Ab exteris verò Ageſilaus proditur tanti legati munus feciſſe, vt quamuis imperator maximus, legatorum tamen officia obire non dubitarit.

Legati in ordinem redacti.

Quæſtor legato prælatus. Legatus in Africam miſſus.

Ageſilaus legatus.

ANNOTATIONES.

num ſitarum gentium animos confirmauit. Et Tacitus lib. 20. Munnium Lupercum legatum (is duarum legionum hybernis præerat) egredi aduerſus hoſtem iubet. Et Cæſar lib. 5. belli Gallici, Sed meridie cùm Cæſar pabulandi cauſa, tres legiones, atque omnem equitatum cum C. Trebonio legato miſiſſet.

k *Nec modò Conſulem aut Prætorem.*] Tacitus in vita Iulij Agricolæ. Nec legatus, inquit, Prætorios ad cohibendum potens, incertum ſuo an militum ingenio: ita ſucceſſor ſimul & vltor electus rariſſima moderatione maluit videri inueniſſe bonos quàm feciſſe. Et Ælius Spartianus in vita Adriani, Legatus, ait, Prætorius in Pannoniam inferiorem miſſus, Sarmatas compreſſit, diſciplinam militarem tenuit, procuratores latius euagantes coërcuit: ob hoc Coſſ. factus eſt.

l *Ab exteris verò Ageſilaus.*] Plutarchus in vita illius. Sed adde & alia ad huiuſmodi legatos pertinentia: Nam Ælius Spartianus in Septimio Seuero tradit, quòd tum primùm factum eſt, vt legati vehiculo ſederent, qui antè pedibus ambulabant. Idem Spartianus in vita Adriani, ſcribit ipſum Adrianum Armenis Regem habere permiſiſſe, cùm ſub Traiano legatum habuiſſent.

Qui magni dij, qui communes, aut indigetes dicti, quave deorum cognomenta, & Iunonis Romæ templa fuerint. CAPVT IV.

DEORVM[a] quos priſci coluere, nomina poteſtatéſque multiplices olim veteres ſtatuiſſe, haud ambiguum eſt: nam quidam ex his Magni, quos Græci θεοὺς μεγάλους vocant, plerique Communes dicti ſunt, inferioris notæ.[b] Magni fuere, Iupiter, Minerua, Mercurius, quos à Samothracia in Italiam Æneas attulit.[c] Alij maiorū gentium deos, duodecim ſtatuere: hi fuere Iuno, Veſta, Minerua Ceres, Diana, Venus: virorum autem, Iupiter, Mars, Mercurius, Neptunus, Vulcanus, Apollo:[d] qui etiā

Magni dij. Dij duodecim maiorum gentium. Dij Penates.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

a DEorum] Vide Tullium Tuſc. quæſt. lib. 1. Varronem lib. 1. de Re ruſtica, cap. 5. Senecam Natural. quæſt. lib. 2. cap. 41. Lactantium lib. 1. cap. 20. Liuium 3. Decad. lib. 4. & 5. in Oratione Furij Camilli & alibi ſæpe. Diuum Auguſtinum de Ciuitate Dei, lib. 4. cap. 8. Arnobius diſceptationum aduerſus Gentes, lib. 3. Deos & eorum officia ridicula ſcribens, ait, Illud verò, quod ſequitur, quale eſt, quòd deos vobis inducitis alios fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas, cithariſtas, aulœdos, venatores, paſtores, & quod ſuperat, ruſticos. Et ille, inquit, muſicus Deus eſt: & hic alter diuinus eſt. Cæteri enim dij non ſunt, & ventura prædicere inſcia neſciunt, atque ignorantia futurorum. Obſtetricis ille informatus artibus, medicorum alius inſtitutus eſt diſciplinis. Ergone ſinguli ſua in re pollent, nec in auxilium vocati alienis poſſunt in partibus ſubuenire? Hic in ſermone facundus eſt, atque in verborum continuationibus promptus: bardi enim ſunt alij, nec poſſunt aliquid ſcitum (ſi oratio facienda eſt) eloqui. Hæc Arnobius.

b *Magni fuere Iupiter.*] Seruius libr. 3. Æneidos in eum locum,

Cum ſociis, natóque, penatibus, & magnis diis.

Varro (inquit Seruius) vnum dicit eſſe, penates & magnos deos: nam ſic in Baſi ſcribebatur, Magnis diis, poteſt tamen hoc pro honore dici, nam dij magni ſunt, Iupiter, Minerua, Mercurius, qui Romæ colebantur. Penates verò apud Laurolauinium: vnde apparet non eſſe vnum. Macrob. lib. 3. cap. 4.

c *Alij maiorum gentium deos duodecim.*] Lactantius libr. de Falſa religione, 1 c. 15. Herodotus lib. 2. inter 12. deos Herculem nominat. Duodecim ſunt dij ſex mares, & fœminæ totidem, quorum imagines auratæ ad forum ſtabant, vt refert Varro Rerum ruſticarum, lib. 1. c. 1. Hos Ennius diſticho eſt complexus,

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Conſentes appellant, quaſi conſentientes in eo quod eſt gerendum, Meminit & horum deorum Diuus Auguſt. lib. 4. c. 23. Ciuitatis Dei.

d *Qui etiam dij penates &c.*] Seruius in libro 8. Æneidos, ibi,

Cum patribus populóque, penatibus, & magnis diis.

Alij, inquit, volunt vnum eſſe, alij ſeparant: vt magnos deos accipias, Iouem, Mineruam, Mercurium. quos Æneas de Samothracia ſuſtulit. Iam qui fuerint dij penates, quos Æneas in Italiam portauit, non conuenit. Macrobius lib. 3. cap. 4. ex variis varia colligit. Sunt qui Neptunum & Appollinem velint, quos Virgilius libr. 2. Æneidos muros Troianos extruxiſſe ſcribit. Alij Veſtam dicunt. Nam Virgilius cùm dixiſſet.

Sacra ſuoſque tibi commendat Troia Penates.

Mox addit,

Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem.
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Veſtam non tam puto ex penatibus fuiſſe, quàm penatibus additum focum. Ideo Dictator, cæterique magiſtratus Romani, quo die dignitatem inibant, Veſtæ & penatibus ſacra faciebant, vt ſcribit Macrob. vbi ſuprà. Cicero lib. de Natura deorum, 2. Nam Veſtæ nomen à Græcis: ea eſt enim quæ ab illis ἑστία dicuntur. Vis autem eius ad aras & focos pertinet. Itaque in ea dea, quod eſt rerum cuſtos intimarum, omnis & precatio & ſacrificio extrema eſt. Nec

longè

dij penates ab Ænea appellati : [e] Magnísque dicti, vel quòd reliquos genere famáque præcellerent, vel quòd infinitæ potestatis forent. [f] M. Varro Cœlum & Terram principes deorum, [g] Ægyptij Serapim & Isim, [h] in Latio Saturnum & Opim : [i] plerique deos penates Magnos opinati sunt. [k] Dixere autem penates, per quos spiramus, [l] & corporis & animi vires possidemus. [m] Hos dicunt esse Iouem in medio æthere, Iunonem in imo, in summo veró Mineruam, alij Apollinem & Neptunum. [n] Martem verò, Bellonam & Victoriam, communes & vsitatiores deos nuncupari, ea (vt dicunt) causa, quòd omnibus præsto sunt, & modò ab vno, nunc ab alio beneficia conferri, & passim homines iuuari putant. Nonnulli matrem deûm, Solem, Lunam, Plutonem & Martem, communes dixere deos, quòd hi fermè ab omnibus frequenti cultu curáque obseruantur : [o] nam Persæ Ignem deum colunt : [p] Scythæ præcipuum deorum Martem, cui equos immolant. [q] Massagetæ & [r] Pœni, Solem & Lunam, alij Plutonem, velut præcipua numina venerantur, [s] licet Solem Persarum, [t] Lunam Græcorum præsidem nonnulli credant. [u] Varro autem, qui magoa inquisitione collegit, ex omni deorum turba,

Magni unde. Penates qui. Dij communes. Persæ. Scythæ. Massagetæ. Pœni. Alij. Græci.

ANNOTATIONES.

longè ab hac vi dij penates, siue à penu ducto nomine (est enim omne quo vescuntur homines, penus) siue ab eo quod penitus insident, ex quo etiam penetrales à poëtis vocantur.

e *Magniq; dicti.*] Macrob. d. lib. 3. c. 4. Penates Troiani erant magni dij θεοὶ μεγάλοι, qui vrbi & Latio præsidebant. Vide D. August. Ciuitat. Dei, lib. 2. c. 3.

f *M. Varro.*] Lib. 2. aut aliorum computat. 4. linguæ Latinæ, Terra enim & Cælum, vt Samothracum initia docent, sunt Dei magni, & hi, quos dixi, multis nominibus. Nam neque, quas Ambracia ante portas statuit duas virilis species aheneas, Dei magni: neque, vt volgus putat, hi Samothraces dij, qui Castor & Pollux: sed hi mas & fœmina : & hi, quos augurum libri scriptos habent sic, Dinipotes : & sunt pro illis, qui in Samothrace δυνατοὶ θεοί. Hæc duo cœlum, & terra : quòd anima & corpus, humidum & frigidum.

g *Ægyptij.*] Strabo lib. 17. Diodorus Siculus lib. 1. c. 2. Varro d. lib. 4. Principes dei Cœlum & Terra: hi dei iidem, qui in Ægypto Serapis & Isis, & eos Harpocrates digito significat. Lactantius lib. 1. c. 13.

h *In Latio.*] Varro ad ea quæ in præced. adduxi, addit, Principes in Latio Saturnus & Ops, Lactantius lib. 1. c. 15.

i *Plerique deos penates.*] Macrobius lib. 3. cap. 4. Dionysius Halicarnasseus lib. 1. de his diis Penatibus sic scribit, Cùm Penatibus, quos Æneas à Troia deuectos Lauinij collocauerat, templum extructum esset cum adytis & delubra Lauinio translata in intimum templum recondita, sequenti nocte clausis, vt cùm maximè foribus, & inuiolatis tecto simul atque parietibus, spontè sua simulachra in pristinas bases transisse reperta sunt : denuóque Lauinió transportata cum votis & sacrificiorum placaminibus, in eundem locum rursum reuersa sunt. Dubitatum est diu quidnam facto opus esset, cùm neque sine diis patriis habitandum censerent, neque 10 semel relictas sedes remigrandum : tandem placuit sententia, quæ & religioni deorum & vtilitati hominum satisfaceret. Visum enim est simulachra suo loco sinere, & viros qui sacrorum curam gerant, ex Alba ad Lauinium habitandum reducere. Hos deos Romani Penates vocant, Græci vario modo conati significationem reddere, nunc πατρῴους, nunc γενεθλίους : alij κτησίους, aut μυχίους, aut ἑρκείους. Harum appellationum singulæ iuxta aliquam proprietatem eis congruunt: fierique potest, vt licet diuersis modis, omnes tamen eis conueniant. Eorum effigiem atque habitum Timæus describit in hunc modum. Sacra apud Lauinium reposita esse caducea partim ferrea, partim ærea, Troianúque vas fictile, idque se cognouisse ait ex ipsis ciuibus. Hæc Halicarnass. Hos Penetrales vocat Seneca in Thebaide actu 2. scena 5.

k *Dixere autem Penates.*] Macrob. vbi suprà. ex quo intelliges hîc legendum esse, per quos penitus spiramus.

l *Et corporis & animi vires possidemus.*] Macrobius ibi, & ante eum Cicero libro 2. de Natura Deorum, loco citato in verbo, Qui etiam dij Penates. Alia autem de diis Penatibus apud ipsum Macrobium vbi suprà, & Seruium libr. 3. Æneidos, ibi,

Ipsiusq; pater, genus à quo principe nostrum.

Quod dicit, inquit, A quo principe genus nostrum est, potest generaliter intelligi : vnde origine ducimus, vt deos Penates, quasi Troianos intelligas: & ad ritū referri, de quo dicit Labo in libris, qui appellantur de Diis animalibus, quibus ait esse quædam sacra, quibus animæ humanæ vertuntur in deos, qui appellantur Animales, quòd de animabus fiant. Hi autem sunt dij Penates & viales.

m *Hos dicunt esse.*] Hæc vsque ad versic. Martem verò. sunt Macrobij vbi suprà, sed diuersis in locis.

n *Martem verò.*] Et hæc vsque ad versic. Nam Persæ. sunt Seruij in lib. 12. Æneid in eum locum,

In mediosq; focos, & diis communibus aras.

Sic enim scribit ibi Seruius, Dij communes sunt, vt alij dicunt, Mars, Bellona, Victoria: quod hi in bello vtrique parti possunt fauere. Vt autem altioris scientiæ hominibus placet, Dij communes sunt, qui ἄζωνοι dicuntur. id est, qui cœli certas non habent parteis, sed generaliter à cunctis coluntur : vbique enim eos esse manifestum est, vt Mater deûm, cuius potestas in zonis est. Nam & ideo Mater deûm dicitur, quòd cum omnibus eius est communis potestas. Alij communes deos volunt, Solem, Lunam, Plutonem, Martem: hi enim apud homines inueniuntur, & sunt in omnibus terris. Prior tamen sensus est simplex & magis aptus negotio. Hæc ille. Sed his diis communibus adde & Herculem, Virgilio teste lib. 8. Æneid. de eo loquente,

Communemq; vocate deum.

Et ibi omnino vide Seruium declarantem quare deus communis Hercules dicatur.

o *Nam Persæ ignem deum colunt.*] Herodotus in Thalia, qui tertius liber est: Strabo lib. 15. & alij plurimi à me memorati in Commentariis Nobilitatis, c. 31. nu. 138.

p *Scythæ.*] Herod. lib. 5. At idem lib. 4. dicit, Hos solos deorum propitiare, Vestam ante omnes! deinde Iouem ac Tellurem, existimātes Iouis coniugē esse. Post hos Apollinem, & Cælestem Venerem, & Martem & Herculem. Pauióque pòst scribit eos immolare Marti, cùm boues & alia pecora, tum præcipuè equos.

q *Massagetæ.*] Strabo lib. 11. Scythæ, inquit, tantummodo Solem deum putant, atque illi equum mactant. Tomyris Massagetarum regina, teste Herodot. lib. 1. Clio, in epistola, quam ad Cyrum misit, iurat per Solem Massagetarum dominum. Ex diis (idem inquit paulò pòst in fi. eiusdem lib. de Massagetis loquens) vnū Solem venerantur, cui equos immolant. Hic autem est eis mos sacrificandi, vt deorum pernicissimo è pecoribus omnibus pernicissimū mactent. Xenophon expeditionis Cyri libr. 4. memorat apud Barbaros moris fuisse, Soli equum sacrificare.

r *Et Pœni.*] Idem Gyraldus de diis Gentium, ad fi. sed id est Herodoti lib. 4.

s *Licet Solem Persarum.*] Herodotus lib. 1.

t *Lunam Græcorum.*] Cicero lib. 2. de Natura deorum.

u *Varro autem.*] Apud D. Augustinum Ciuitatis Dei, libr. 4. c. 23. & lib. 7. c. 2. & vide Max. Tyrium Serm. 1.

Dij selecti. [x] quos supra triginta millia fuisse autumat, quosdam seclusit, quos selectos nuncupauit: [y] hi fuere, Ianus, Iupiter, Saturnus, Mercurius, Mars, Apollo, Genius, Vulcanus, Sol, Neptunus, Liber, Orcus, Iuno, Tellus, Ceres. Luna, Diana, Venus, & Vesta, illosq; selectos velut vsitatiora numina appellauit. Geniales dij. [z] Geniales verò deos multi putant, Aquam, Terram, Ignem & Aerem: his addunt Solem & Lunam, ex quibus seminibus gignuntur omnia, quibus natali die quisque sacrum facit, quòd gignendarum rerum vim haberent, Genius. [a] qui Genius deorum filius, & parens hominum habetur. Genij. Tametsi binos Genios ab ipso natali die cuique mortali deorum munere datos, bonum scilicet & malum, [b] Empedocles reputarit, [c] Menander vnum. Sua cuiq; Iuno & Genius. [d] Alij Iunonem & Genium suum singulis dederunt, quasi præsides & oppugnatores. Lares. [e] Lares quoque inter deos receptos fuisse, multorum testimonio probatur, quos antiqui inferiores dixere deos, qui priuatarum ædium, [f] triuiorum, viarumq;, [g] atque vrbis curam agunt: ideo [h] Præstites nuncupati. Lares quatuor. [i] Hos Ægyptij quatuor fuisse putant, quos simularque in lucem editus fuisset homo, illius peruigilem curam agere opinantur, quorum nomina Dymon, Tychis, Heros & Anachis. [k] Fuitque

ANNOTATIONES.

x *Quos supra 30. millia.*] Apud ipsum Augustinum vbi suprà. Pindarus ante illum dicebat 30. esse millia. At Max. Tyrius, qui illum citat d. Ser. 1. dicit innumerabiles esse: sed id refert ad opera & effectus diuinitatis.

y *Hi fuere Ianus.*] Augustinus vbi suprà.

z *Geniales verò deos multi putarunt.*] Festus Pompeius lib. 7. Geniales deos dixerunt, Aquam, Terram, Ignem, Aerem. Ea enim sunt semina rerum quæ Græcorum alij στοιχεῖα, alij σπέρματα, alij ἀτόμους vocant. Duodecim quoque signa Lunam & Solem inter hos deos computabant. Geniales autem dicti à gerendo, quia plurimum posse putabantur, quos postea gerulos appellarunt.

a *Qui Genius deorum filius & parens.*] Fest. Pompeius d. lib. 7. Genium (inquit) appellabant deum, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum. Aufustius: Genius (inquit) est deorum filius & parens hominum, ex quo homines gignũtur. Vt propterea Genius meus nominatur: quia me genuit: Alij Genium esse putarunt vniuscuiusque loci deum. Hæc Festus D. Augustinus lib. 7. Ciuitatis Dei cap. 13. ex Valerio Sorano, sic scribit: Quid est Genius? Deus est (inquit) qui præpositus est, ac vim habet omnium rerum gignendarum. Quem alium hanc vim habere credunt, quàm mundum, cui dictum est, Iupiter omnipotens progenitor genitrixque? Et cum alio loco Genium dicit esse vniuscuiusq; animum rationalem, & ideo esse singulos singulorum: talem autem mundi animum deum esse, ad hoc idem vtique reuocat, vt tanquam vniuersalis Genius ipse mundi animus esse credatur. Hic est igitur quem appellant Iouem. Nam si omnis Genius Deus, & omnis viri animus Genius: sequitur, vt sit omnis viri animus deus: quod si & ipsos abhorrere absurditas ipsa compellit, restat vt eum singulariter & excellenter dicant deum Genium, quem dicunt mundi animum, ac per hoc Iouem. Christophorus Lãdinus in Horatium Carminum lib. 3. Ode 17. ad Ælium Lamiam, ibi,

—— Cras Genium mero
Curabis & porco bimestri. ——

Genio, inquit, sacrificabant optimo vino, & lautissimis epulis: Ergo quando bene corpus curabant, Genio indulgere dicebantur. Contrà quando paruo difficiliq; victu vtebantur, Genium suum fraudare putabant.

b *Empedocles.*] Apud Plutarchum in lib. de Tranquillitate animi. Et id ipsum voluit Euclides Socraticus, & Lucilius li. 9. Satyrar. apud Censorium lib. 2. de die Natali, & Seruius in eum locum quem paulò infrà citabimus.

c *Menander vnum.*] Vt tradit Plutar. vbi suprà. Quanquam & ipse Menander duos tribuit illis senariis,

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαραστατεῖ
εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου,

d *Alij.*] Scilicet Epistolarum lib. 2. epist. 19. aliàs 20. Alia de Genijs, vide apud Plutarchum de Placitis philosoph. lib. 1. c. 8. & Lactantium lib. 2. c. 15. Seruium enarrantem supplicia, quæ sunt apud manes, in lib. 6. Æneidos, ibi,

Quisque suos patimur manes.

[illegible] hæc sunt verba, Nam cùm nascimur, duos Genios [illegible]. vnus est qui hortatur ad bona: alter, qui deprauat, ad mala. Nec incongruè dicuntur Genij: quia cùm vnusquisque genitus fuerit, ei statim obseruatores deputantur, quibus assistentibus post mortem, aut asserimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem: per quos aut vacationem meremur, aut reditum in corpora. Ergo manes, Genios dicit, quos cum vita sortitur.

e *Lares quoque.*] Laris familiaris meminit Cato Rei rusticæ, c. 2. Plautus in Prologo Aululariæ,

Ego Lar sum familiaris ex hac familia,
Vnde exeuntem me aspexistis.

Sallustius in Catilinæ Oratione, Illos binas, aut amplius domos continuare: nobis Larem familiarem nusquam vllum esse. Apuleius in lib. de Deo Socratis. Cæterùm Lares deos domesticos fuisse scribit Tertullianus in Apologet. c. 13. & domus custodes esse Plutarchus problem. c. 51. & Arnobius contra gentes. lib. 3. Et vide suprà lib. 5. c. 24.

f *Triuiorum viarumq;.*] Arnobius vbi nuper, scribit vulgus arbitrari Lares vicorum atque itinerũ deos esse, ex eo quòd Græci vicos cognominant Lauras.

g *Atque vrbis.*] De Laribus vrbium custodibus Ouid. lib. 5. Fastorum,

Stant quoque pro nobis, & præsunt mœnibus vrbis,
Et sunt præsentes, auxiliumq; ferunt.
Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat qua standi cum Lare causa fuit?
Seruat vterque domum, domino quoque fidus vterque est.
Compita grata Deo: compita grata cani.

Et Lucanus lib. 1. Pharsaliæ.

—— Vrbisq; laborem
Testatos sudore Lares. ——

Et idem Ouid. Fastorum lib. 2.

Fitq; grauis, geminosq; parit, qui compita seruant:
Et vigilant nostra semper in vrbe lares.

h *Ideo Præstites nuncupati.*] Ouidius lib. 5. Fastorum,

Præstitibus Maiæ Laribus videre Calendæ
Aram constitui, paruaq; signa Deûm.

Et paulò pòst cur sic dicantur declarat,

Causa tamen positi fuerat cognominis illis,
Quòd præstant oculis omnia tuta suis.

Præsides autem hos vocat Plutarchus, problemat. cap. 51. quòd scilicet præsunt. Festus Pompeius lib. 14. Præstitem, inquit, in eadem significatione dicebant, qua nunc dicimus antistitem.

i *Hos Ægyptij.*] Macrobius lib. 1. Satur. c. 19. paulò ante fi. Ex quo intelliges Alexandrum aberrasse in appellationibus quorundam ex his quatuor. Huius verba sunt, Ægyptij deos Præstites homini nascenti quatuor adesse memorant, δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην. horúmque rationem reddit. Scio autem Plinium locutum fuisse de Ananchitide lib. 37. cap. 4. ad finem, vbi ita dicit vocari adamantem lapidem, quòd metus vanos expellat à mente. Idem eiusdem lib. cap. 11. dicit Ananchitide gemma euocari imagines deorum in hydromantia.

k *Fuitq; Platonis opinio.*] Vide Apuleium tum in libro de Deo Socratis, tum lib. de Dogmate Platonis: Marcianum

Capel

Platonis opinio, homines qui somma integritate vixissent, post fata effici Lares: si verò improbi detestabilésque fuissent, Lemures. [l] Ipse enim trinas fecit deorum species, ex quibus vnus est summus, primus & solus deus: alteri medij, quos cælicolas vocat: tertij, qui diis sunt minores, cælicolis maiores. [m] Dæmooes verò ministros deorum, custodes autem hominum putauit. [n] Dij nempe ruris & agricolarum, quos vitæ agrestis homines & rustici coluerunt, hi feruntur: Iupiter, Tellus, Sol & Luna, Ceres & Liber, Rubigos & Flora, Minerua & Venus, Lympha & Bonus euentus, qui morbos, vastitudinem, calamitatem, intemperiesq; depellunt. [o] Præter hos fuere dij indigetes, qui ex hominibus in deorum numerum asciti, propter eximias belli pacisque artes, quòd de genere humano bene meriti essent, post mortem numioibus æquati, celebrem posteris memoriam reliquerunt, vt [p] Hercules & Æneas, quem vocant indigetem, Castor & Pollux, Æscolapius & Romulus: [q] atque alij, qui dum vixere, functi laboribus, ob fortia facinora generi humano exhibita, tanto honore habiti cultíque sunt, vt ex hominibus in deorum cœtum asciti; pro diis celebrarentur & colerentur, quos velut asscriptitios & nouos incolas post fata in cœlum receptos putauere. Fuit enim hæc consentiens obseruatio, [r] præcipuè apud Laeones, vt eximius præclarósque viros, qui obuiam eundo periculis, rempub. auxissent, ob egregia facinora ciuibus & patriæ exhibita, vt gratiam meriti redderent, in deorum sedes receptos coosecrarent, & in cœlum tollerent, illísque diuinos honores & humaoo fastigio ampliora decernerent: templáque, flamines, puluinar & aras, ac sedes immortalitatis exhiberent. Græci verò propter beneficia viuentes etiam cœlo coosecrare & immortalitate donare consueuerunt, [s] quam apotheosin dixere: [t] sicut de Plantone & [u] Agesilao legimus, atque aliis, qui in cœtum cælestium recepti, in vita diuinos

Platonis opinio. *Dæmones.* *Dij agricolarum.* *Dij indigetes.* *Lacones homines de repub. bene meritos in deorum catalogū referebant.* *Græci viuentes.* *Apotheosis.*

ANNOTATIONES.

Capellam in Nuptiis Mercurij & Philologiæ. Diuus Augustinus li. de Ciuitate Dei, 9. c. 11. opinionem Platonicorum, qua putant animas hominum dæmones esse post corpora, sic scribit, Dicit quidē & animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri Lares, si boni sunt: Lemures seu Laruas, si mali.

l *Ipse enim trinas.*] Apud Apuleium de Dogmate Platonis.

m *Dæmones verò ministros deorum.*] Apul. ibi, vbi & hos dicit Genios Lares posse nuncupari.

n *Dij nempe ruris & agricolarum.*] Varro, qui & hos nuncupatim, vt hîc, nominat, lib. 1. de Re rustica. c. 1. Et hos deos Rurationis vocat Apuleius Apologia 1. quibus dicit primitias segetis, vitis & gregis impertiri debere.

o *Præter hos fuere dij Indigetes.*] Seruius enarrans illud libr. 1. Georg. ad finem,

Dij patrij Indigetes, & Romule, Vestaq́; mater.

Indigetes, ait, propriè sunt dij ex hominibus facti, quasi in diis agentes. Abusiuè autem omnes dij possunt dici Indigetes, tanquam nullius rei egentes. Sed & idem in enarratione eius loci lib. 12. Æneidos.

Indigetem Æneam scis ipsa, & scire fateris
Deberi cœlo, fatisq́; ad sydera tolli.

Indigetes, inquit, dij duplici ratione dicūtur. Vel secundum Lucretium, quòd nullius rei egeant, qui ait,

—— Nihil indiga curæ.

Vel certè Indigetes dij sunt ex hominibus facti, & dicti Indigetes quasi in diis agentes. Quod quidem hoc postêrius satis indicat illud ipsius Virg. dicto lib. 12. Æneidos. Et hinc hanc quoque sententiam Macrobius lib. 1. de Somnio Scipionis, cap. 9. adfert versus Hesiodi in Latinum sermonem ita versos,

Indigetes diui fato summi Iouis hi sunt,
Quondam homines, modò cum superis humana tenentes,
Largi, ac munifici, ius Regum nunc quoque nacti.

Versus autem Græci hi sunt,

τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς,
ἐσθλοὶ ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων,
οἵ ῥα φυλάσσουσίν τε δίκας καὶ σχέτλια ἔργα.
πλουτοδόται, καὶ τοῦτο γέρας βασιλήιον ἔσχον.

Festus autem Pompeius lib. 9. Indigetes dij, quorum nomina vulgari non licet. Ex quibusdam interiectis, Indiges, inquit, Æneas ab Ascanio appellatus est, cùm pugnans cum Mezētio nusquam apparuisset, in cuius nomine etiam templum construxit.

p *Vt Hercules.*] Hæc vsque ad vers. Atque alij. præter quàm quod de Ænea dicitur, sunt Ciceronis ex Legibus 12. tabul. lib. 2. vt nonnulli existimant, quarum hæc verba sunt Diuos, & illos, qui cœlestes semper habiti, colunto, & ollos, quos endo cœlo merita vocauerint, Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum. In quam etiam sententiam Cicero li. 2. de Natura deorum. Suscepit autem vita hominum, & consuetudo communis, vt beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent: hinc Hercules, Castor & Pollux, hinc Æsculapius, hinc liber. Et paucis interiectis, item hinc etiam Romulum, quem quidem esse Quirinum putant: quorum cùm remanerent animi, atque æternitate fruerentur, dij ritè sont habiti, cùm & optimi essent, & æterni. Sed quod de Ænea hîc dicitur, constat ex eo loco Virgilij lib. 12. Æneidos Indigetem fuisse vocatum. Quod & asserit Ouidius lib. 4. Metamor. de eodem loquens,

Lustratum genitrix diuino corpus odore
Vnxit, & ambrosia, cum dulci nectare mixta,
Contigit os, fecitq́; deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploq́; arisq́; recepit.

Tibullus lib. 2. elegia 6. de eo loquens,

Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Vnda, deum cœlo miserat Indigetem.

Liuius 1. Decad. lib. 1. post princ. cùm scribit, de eo loquens, Situs est, quemcunque eum dici ius fasque est, super Numicum fluuium. Iouem Indigetem appellant. & Gellius lib. 2. c. 16 & Solinus c. 8. Sed & de diis Indigetibus. Ouidius lib. Metam. 15. ad fi.

Dij precor Æneæ comites, quibus ensis & ignis
Cesserunt, dijq́; Indigetes, genitorq́; Quirine
Vrbis & inuicti genitor Gradiue Quirini,
Vestaq́; Cæsareos inter sacrata penates:
Et cum Cæsarea tu Phœbe domestice Vesta.

Liuius Decad. 1. lib. 8. Lares diui Nouensiles, diui quorum est potestas nostrorum hostiumque.

q *Atque alij.*] Vt Liber, ex Cicerone in locis suprà citatis. Nam & Plinius lib. 2. c. 7. Hic est vetustissimus referendi benemerentibus gratiam mos, vt tales numinibus adscribantur. Idem Cic. lib. de Natura deorum 3.

r *Præcipuè apud Lacones.*] Vide Aristotelem lib. 7. Ethicorum cap. 1.

s *Quam apotheosin dixere.*] Herodianus lib. 4. in princ. quibus cæremoniis hæc inter deos relatio, & in catalogum deorum adscriptio, apud Rom. fieri consueuit, eleganter describit. Seruius in lib. 5. Æneidos post princ. & dicetur quoque posteà.

t *Sicut de Platone.*] Non memini id legisse de Platone. sed vide in seq.

u *Et Agesilao.*] Plutarchus in Apoph. Agesil. Et vereor

Cæsares Ro. inter deos relati. Nominis mutatio, cum quis in deorū numerū refertur. Indorum dij indigetes. Meroitarum. Germanorum.

honores meruere: illisq; certamine, ludos & sacra anniuersaria dicarunt: tanquam numinibus aut heroibus: illis præsertim, qui tyrannos exegerunt, aut vindices libertatis fuerunt, Hi tanquam mortale fastigium egressi, omnium consensu in conciliū cælestium asciti, pro diis haberi & coli cœpti sunt. [x] Hinc etiam Romani Cæsares, quorum opera & virtute res Romana creuit, & imperij fines latè propagati sunt, post funera immortali memoria consecrarunt, & in deos receperunt, qui ob æternam gloriam dij indigetes dicti, nominibus plerunque mutatis, & nouis cooptatis: [y] siquidem Romulus, Quirinus: [z] Ino, Mutata Leucothea, [a] Albunea: [b] Melicerta, Palæmon & Portumnus: [c] Leda, Nemesis: [d] Circe, Marica: [e] Nersilia, Hora: [f] Rhea, deorum mater Idæa, Diodymena: Philena, Pessinuntia, & Cybele, [g] Berecynthia, dictæ sunt. [h] Indi verò Iouem pluuialem, & Gangem flumen: velut indigetes deos, carmine incondito venerantur. [i] Meroitæ Herculem, Pana, & Isim: [k] Germani Tuistonem

ANNOTATIONES.

ne hic vel Alexander, vel librarius aberrarit, & sit legendum de Plutone Agesilao. Nam Eschilus apud Athenæum lib. 3. c.10. scribit ipsum Agesilaum Plutonem fuisse vocatum, vti Aristarchum Iouem, Simonides poëta.

x *Hinc etiam Ro. Cæsares.*] Id videre licet ex Sueton. & aliis vitarum Imperatorum scriptoribus vbique.

y *Siquidem Romulus, Quirinus.*] Vt & suprà dictū est ex Cicerone in verbo, Vt Hercules. & præterea scripserunt Liu. 1. Dec lib. 1. Plutarch, in Romolo, Lactantius lib. 1. cap. 21. Et vide infrà ibi, Nam & Curetis.

z *Ino.*] Ino, Matuta, Leucothea eadem Ciceroni 1. Tuscul. cuius hæc verba sunt, Quid? Ino Cadmi filia, nónne Leucothea nominata à Græcis, Matuta habetur à nostris? Et lib. de Natura deorum 3. Quid deinde Ino dea dicetur, & Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicetur, cùm sit Cadmi filia? Et paulò antè, Iam verò in Græcia multos habent ex hominibus deos, Alabandum Alabandi, Teoendi Tenem: Leucothoem, quæ fuit Ino, & eius Palæmonem filium cuncta Græcia, Herculem Æsculapium, Tyodaridas: Romulū nostri aliósque complures quos quasi nouos & ascriptitios ciues in cœlum receptos putant. Ex quo & Ouidius lib. 6. Fastorum,

Leucothea Graiis, Matuta vocabere nostris.
In portus nato ius erit omne tuo.

Ouid. 4 Metamor.

— Abstulit illis
Quod mortale fuit, maiestatemq; verendam
Imposuit, nomenq; simul faciemq; nouauit,
Leucotheamq; deam cum matre Palæmona dixit.

Hanc Orpheus *ῦῦυ ουτῦῦρα* nominat. Hinc apud Propertiū,

Hanc miser implorat nauita Leucotheam.

Vide Hyginum Fabularum c. 224. Plutarchum in Camillo, Pausaniam lib. 4. Messenica. Lactantium Firmianum lib. 1. c. 21. vbi ita scribit, Solent enim mortuis consecratis nomina immotari: credo ne quis putet eos homines fuisse. Nam & Romulus post mortem Quirinus dictus est, & Leda, Nemesis: & Circe, Marica: & Ino, postquàm se præcipitauit in mare, Leucothea, materque, Matuta, & Melicertes filius eius Palæmon atque Portumnus. Vide præterea Lactantium interpretem Statij lib. 1. Theb. post princ.

a *Albunea.*] De qua Virgilius lib. 7. Æneidos,

— Lucosq; sub alta
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sæuamq; exhalat opaca Mephitim.

Et ibi Seruius, Albunea dicta est ab aquæ qualitate, quæ ex eo fonte est: vnde etiam nonnulli ipsam Leucotheam volunt. Acron & Porphyrioo interpretes Horatij lib. 1. Carm. Ode 7. ibi,

Quam domus Albuneæ resonantis.

Lactantius Diuinarum institut. lib. 1. c. 6.

b *Melicerta, Palæmon & Portumnus.*] De his tribus, quos eundem esse his tribus nominibus vocatum, vide Ciceronem dict. lib. 3. de Natura deorum, & lib. 1. Tuscul. quæst. & Ouidium lib. 6. Fast. cùm scribit,

Quem nos Portumnum sua lingua Palæmona dicet,
Este precor nostris æquus vterque locis.

Festus Pompeius libr. 14. vbi de Portumno, & libr. 3. vbi de Claue. Seruium & Probum alterum interpretem, in 5. libr. Æneidos in eum locum,

Et pater ipse manu magna Portumnus euntem
Impulit.

Et iterum lib. 1. Georg. ibi,

Votaq; seruati soluent in littore nauta
Glauco, & Panopeæ, & Ino Melicertæ.

Lactantium lib. 1. c. 21. & alterum Lactantium Statij interpretem lib. 2. Thebaidos in eum locum,

— Iamq; arua gradu Themnesia, & arces
Intrat Agenoreas. —

Et lib. 7. ibi,

Thebanum toto planxisse Palæmona ponto.

c *Leda, Nemesis.*] Lactantius Diuinarum instit. d. lib. 1. c. xx. At Pausanias in Atticis, & Isaacius eas diuersas faciunt. De hac autem Virg. lib. 7. Æneidos.

d *Circe, Marica.*] Lactantius Firmianus vbi suprà ibi, Albunea. Et Seruius lib. 7. Æneidos in eum locum,

Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. —

Maricam dicit vxorem fuisse Fauni, quæ est dea littoris Minturnensium, iuxta Lirim fluuium. Horatius lib. 3. Carm. Ode 17.

Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Marica
Littoribus tenuisse Lyrim
Latè tyrannus.

Vbi Porphyrion interpres inquit, Maricam autem Minturnenses maximè colunt, cuius etiam lucus in ipsa Minturnensi ciuitate est. Lucanus lib. 2.

— Et vmbrosa Liris per regna Maricæ.

Et Liuius 3. Decad. lib. 7. vbi dicit Minturnis lucum Maricæ de cœlo tactum.

e *Hersilia, Ora*] Ouid. Metamor. lib. 14.

— Romuleos cum virgine Thaumantea
Ingreditur colles: vbi sydus ab æthere lapsum
Decidit in terras, à cuius lumine flagrans
Hersilia crinis cum sydere cessit in auras.
Hanc manibus notis Romanæ conditor vrbis
Excipit, & priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, oramq; vocat, quæ nunc dea iuncta Quirino est.

Ex quibus verbis Hersilia, non Norsilia legendum esse intelligis.

f *Rhea.*] Hæc vsque ad verbum, Berecynthia. sunt Strabonis lib. 10. Et præterea de Idæa & Pesinuntia Liuij 3. Deca. lib. 9. rursúsque de Pesinuntia Plutarchi in Mario, & Apuleij lib. 11. Metamor. & Herod. lib. 1.

g *Berecynthia.*] Vide infrà hoc eod. cap.

h *Indi verò.*] Hæc vsque ad verbum, Meroitæ. sunt Strabonis lib. 15.

i *Meroitæ.*] Strabo li. 17. Meroitæ, inquit, vltra alium quendam barbarum, deum etiam Herculem, Pana, & Isim colunt. Herodotus autem lib. 2. tradit eos solos deorum Iouem & Liberum colere.

k *Germani.*] Cornelius Tacitus de moribus Germanorum. in princip. Celebrant, inquit, carminibus antiquis (quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuistonem deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditorémque fuisse. Berosus de regibus Babyloniæ & Assyrio

deum terra editum, & Mannum filium: [l] Astymphalyssi Achillem: [m] Persæ; Amanum & Anandatum: [n] Veneti Diomedem instar numinis habent, cui etiam [o] candidum immolabant equum. [p] Sicut Ægyptij Isidem, Mauri Iubam, Pœni Vranum, Macedones Gabyrum, Latini Faunum, [q] Siculi Adranum, [r] Libyci Psaphonem, ne omnes percenseam deos. Is enim Psaphon quum despectissimus esset, & vltimæ notæ, vocales aues edocuit hæc verba eloqui, Magnus deus Psaphon: quibus dimissis in lucos, audita voce, apud rudes populus est pro deo habitus. [s] Thraces Zamolxin, [t] Syri Astarten, [u] Adad & [x] Agartin: [y] Arabes Dyasarem, [z] Horici Tibilineum, [a] & Afri Cælestum. [b] Ægiolenses, Maceranas deas: [c] & gens iuxta Naucratim Ægypti, Theutum, velut præsentissima numina coluerunt, qui omnes ex hominibus post funera diuinitate donati, diique indigetes post consecrationem habiti sunt. [d] Quam quidem sic fieri nouimus, vt imperatore qui referendus in deos & consecrandus erat, vita functo, pyram in tabernaculi formam construerent, quod auro & ebore, signisq; & tabulis pictis exornatum mirificè, alio le super breuiori, vsque ad tertiam contignationem erigebant, aquila cum omnium deorum aggestu in summo culmine locata: lectoq; constrato purpura & auro, in quo defuncti effigies iacebat: senatus, equester ordo, ac viri triumphales, quiq; amplissimos honores gesserant, procedentes lectum deferebant in pyram, cum carmine & hymnis, omnibúsque humanis diuinísque aggestis honoribus.

Persarũ. Venetorum. Ægyptiorum. Maurorum. Pœnorũ. Macedonum. Latinorum. Siculorũ. Lybiorũ. Psaphon. Caeremonia referendi aliquẽ inter deos.

ANNOTATIONES.

Assyriorum. Vide Corn Tacitum in libello de Motib. Germanorum.

l *Astymphalissi, Achillem.*] Vbi id scriptum sit nescio: sed nec qui sint hi Astymphalissi scio. In Epiro tamen legi Achillem vt deum coli, & lingua eorum *Asteum* vocari, vt tradit Plutarchus in Pyrrho in princ. Eíque sacram ædem in insula, in qua sepultus est, ante Borysthenem apud Plinium lib 10. cap 28. aut aliorum computat. 22. templum Achillis esse, & eidem solemnes ludos Biasiis. Pausanias lib. 3. scribit. Et in Euxino circa Nili hostia insulam Achilli sacram. cui Luce nomen. Denique Achillis fanum esse in Arcadia, quod recludi religio est: at puberibus omnibus, quotcunque pugnaturi descendunt, solemne esse Achilli, ante pugnam, rem diuinam facere, scribit Pausanias lib. 3. qui de Laconicis est.

m *Persæ Amanum & Anandatum.*] Strabo de vtroque lib. 11. & iterum lib. 15. paulò ante fi.

n *Veneti Diomedem.*] Strabo lib. 5. non adeò longè à princ. & lib. 6.

o *Candidum immolabant equum.*] Strabo d. lib. 5. In Venetis sanè, inquit, quidam Diomedi insignes existunt honores. Nam candidus illi immolatur equus.

p *Sicut Ægyptij Isidem.*] Hæc vsque ad verbum, Siculi. sunt. Lactantij lib. 1. cap. 15. Ex quo, ex eodem loco, adde, Sabini Sancum, Romani Quirinum. Sed quod de Ægyptiis tradit, tradiderunt & omnes rerum Ægyptiacarum scriptores. Sed & quod de Iuba hîc dicitur, præter Lactantium, tradit etiam Tertullianus in Apolog. cap. 21. & Arnobius contra Gentes lib. 8.

q *Siculi Adranum.*] Plutarch. in Timoleone, & in Paralellis.

r *Libyci Psaphonem.*] Hæc vsque ad versicul. Thraces. sunt Max. Tyrij Serm. 19. & Apostolij Brizantij Et vide Erasmum Chil. 1. cent. 2. ca. vlt. Ψάφωνος ὄρνιθες. id est Psaphonis aues. Simile quippiam de Annone Carthaginensi, qui seipsum pro deo venditare voluit, narrat Ælian. variæ historiæ libr. 14. cap. 30.

s *Thraces Zamolxin.*] Herodotus lib. 4. de Getis loquens, qui sunt fortissimi Thracum, vbi dicit eum, qui defunctus est, meare ad Zamolxin dæmonem, quem nonnulli eorum opinantur eundem esse Gebeleizem. Strabo lib. 7. de iisdem Getis loquens, hos Menandri versus Græcos citat,

πάντες μὲν οἱ Θρᾷκες μάλιστα δ' οἱ Γέται ἡμεῖς ἁπάντων
καὶ γὰρ αὐτὸς εὔχομαι ἐκεῖθεν εἶναι τὸ γένος,
οὐ σφόδρ' ἐγκρατεῖς ἐσμέν.

Et Origenes aduersus Celsum li. 3. & Laërtius in Pythagora in princ. Herodotus autem lib. 5. post princ. scribit Thraces è diis hos solos colere, Martem, Liberum, Dianam: sed reges, præter populares, etiam Mercurium, eúmque è diis præcipuè, per quem solum iurant. At idem lib. 9. ad fin. tradit eosdem Thraces Plestoro Indigenæ deo immolare. Adde & tu Scythas Zamolxin colere ex Luciano in Scytha siue Hospite. Sed hic alius est ab illo Zalmoxi, quem Thraces colunt, vt videre licet ex Strab. lib. 4.

t *Syri Astarten.*] Herodotus lib. 1. Arnob. aduersus Gentes lib. 8. Tertullianus, in Apolog. cap. 23. & vide nostras leges connubiales in l. 15. num. 30.

u *Adad.*] Macrobius lib. Satur. 1. c. 23 scribit Iouem, & Assyriorum Adad, eundem esse quem Solem his verbis, Et ne sermo per singula nomina deorum vagetur, accipe quid Assyrij de Solis potentia opinentur. Deo enim, quem summum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt, Eius nominis interpretatio significat, vnus. Hunc ergo, vt potentissimum deum, adorant,

x *Et Agartin.*] Lege Atargatim ex Macrobio vbi suprà, qui ad ea, quæ proximè adduxi, hæc subiungit. Sed subiungunt eidem deam nomine Atargatim: omnémque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem, Terrámque intelligentes. Sed adde & easdem colere Adadunephron gemmam ex Plin. lib. 37. c. 11. quæ fortè est is Adad, de quo Macrob. vbi suprà.

y *Arabes Tyasarem.*] Tertullianus in Apolog. cap. 23. Dusarem autem hunc vocat Stephanus. Herodot. autem lib. 3. post princ. solos deorum arbitrati Dionysium, quem Vrotalt: & Vraniam, quam Ailat appellant. Strabo tamen lib. 15. scribit, duos tantum deos ab illis Arabibus coli, Iouem scilicet, & Bacchum, qui quæ ad vitam pertinent, principalia dant.

z *Horici Tibilineum.*] Lege Norici, ex Tertulliano, qui hæc de illis scribit d. c. 23.

a *Et Afri Cælestum.*] Tertullianus d. c. 23. & hic Cælestus is est, quem Græci Vranum vocant, quem Pœnos, qui ipsi Afri sunt, colere dictum est. Vlpianus autem epitome instit. c. s. § deos. scribit Cælestum Salinensem coli Carthagine. Et hic Cælestus, siue Vranus is idem est, qui Clus Eunio & aliis vocatur.

b *Ægiolenses, Matcranas deas.*] Eugionenses, siue Eugiates, & Maceras legendum ex Plutarch. qui idem de illis dicit in vita Marcelli.

c *Et gẽs iuxta Naucratim Ægypti, Theutum.*] Plato in Phædro non adeò longè à fi. vbi ait, Audiui equidem circa Naucratim Ægypti priscum quendam fuisse deorum, cui dicata sit auis, quam Ibim vocant, Dæmoni autem ipsi nomen Theuth. Et de eo quoque idem Plato in Philebo, & dicemus postea eodem c. Sed his adde Cilices, Mopsum: Acharnanes, Amphilocum: Thebanos, Amphiaraum: Lebadios, Trophonium, pro diis colere apud Originem aduersus Celsum lib. 3.

d *Quam quidem sic fieri nouimus.*] Apud Herodianũ describentem Septimij Seueri Apotheosin lib. 4. in princ. Herodotum, & Prudentium in Apotheosi 14. Platonem lib. vlt. de Repub. Ciceronem in Somnio Scip. & Lucanum describentem apotheosim Pompeij lib. 9. in princ.

Demum incensa pyra, quum vapore & fumo aquila agitata, è summo culmine tabernaculi aera petiisset, religio incussa fuit, ipsius animam per inane cœlum petiisse, ipsumq; defæcato quod mortale erat & caducum, in numero cœlestium & concilio deorum recipi & haberi. [e] Quam consecrationem apotheosin Græci nuncuparunt, qui deinceps inter diuos relatus, pro deo colebatur. Fuitq; senatusconsulto cautum, ne quis ex Cæsaribus nisi ex decreto patrum, inter deos referretur. [f] Mirum tamen de Diocletiano proditur, quòd sponte deposito imperio, nonum post annum, primus sine imperio, populi iussu, patribus authoribus, cœlestes honores & apotheosin meruit. Et de Constantino Maximo, qui diuersarum religionum assensu, ab ethnicis inter diuos relatus fuit, & à Christianis inter sanctos [g] Feruntq; magnum illum Agesilaum, cum à Thasiis apotheosi honoratus, & inter diuos relatus fuisset viuens, illos interrogasse, vt si deos faciendi potestatem haberent, prius seipsos consecrarent, postea se deificarent. [h] Contrà Empedocles: nam tanto studio captus fuit, vt pro numine coleretur, vt in medium Ætnæ incendium viuens se deiiceret. [i] Inter cæteros proditur Eutimus poëta Locris oriundus oraculi iussu viuens consecratus, & inter diuos relatus. [k] Patrios autem dixerunt deos, qui singulis vrbibus præsunt, illarúmque præsides & propugnatores sunt, [l] vt Apollo & [m] Minerua Athenis, [n] Iliensibus & Gnosiis, qui inde illam oriundam ferunt, [o] licet Alalcomenij suam dicant [p] Thebis Bœotis Liber [q] & Hercules, [r] Iuno Carthagini, quam humano cruore placabant, [s] eademq; Samo, [t] Spartæ [u] & Mycenis, [x] atque

Senatusconsultũ. Diocletianus. Constantinus. Agesilai dictum. Empedoclis ambitio. Eutimus. Dij patrij.

ANNOTATIONES.

e *Quam consecrationem apothesin Græc.*] Vt iam intelligis ex præcedentibus, atque etiam ex Tertulliano in Apolog. cap. 34. in fine. & Seruio in lib. 5. Æneid. Virgil. in duobus locis.

f *Mirum tamen de Diocletiano.*] Eutropius de Gestis Romanorum, lib. 9. cap. vlt. Pomponius Lætus in Compendio Ro. historiæ, vbi de Nemesi dea, sic de Diocletiano scribit, Diocletianus, qui ab tanto rerum culmine secesserat, nullius consilio adduci potuit, vt pœniteret. Igitur priuatus cùm esset, post mortem inter diuos relatus est.

g *Ferunt magnum illum Agesilaum.*] Dictum est suprà in verbo, Et Agesilao.

h *Contrà Empedocles.*] Strabo lib. 6. Laërtius in vita illius, & diximus in nostris commentariis Nobilitatis.

i *Inter cæteros proditur Eutimus poëta.*] Pyctа legendum est ex Plin. qui id de eo refert lib. 7. c. 47 Est autem Pycta idem quod pugil. Vide omnino Hermolaum Barbarum in Castigationibus Plinij lib. 9. aliàs 7. c. 47.

k *Patrios verò dixere deos.*] Seruius lib. 1. Georgic. ad finem, eo loco,

Dij patrij Indigetes.

Patrij dij sūt, inquit, qui præsunt singulis ciuitatibus, vt Minerua Athenis, Iuno Carthagini. Et alibi horum deorum mentionem facit Virgilius lib. 2. Æneidos,

Dij patrij seruate domum.

Et Cicero in Verrem act. 3. & vide infrà eodem lib. cap. vlt. ad finem.

l *Vt Apllo.*] Cicero lib. 3. de Natura deorum. Vulcani item complures. Primos cœlo natus, ex quo & Minerua Apollinem eum, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt.

m *Minerua Athenis.*] Seruius vbi suprà proximè, Lucianus in lib. de Sacrificiis. Plutarchus in Themistocle, & Lactantius lib. 1. c. 15. sic scribit, Nempe Apollinem Delphi Delijq;, Mineruam Athenienses: quæ quidem Græcis Athena dicta, vel ipso vocabulo se ei Reipu. familiarem esse testatur.

n *Iliensibus.*] Strabo lib. 13.

o *Licet Alalcomenij suam dicant.*] Strabo lib. 8. Alalcomenij, inquit, vetustum Mineruæ templum habent, eximia veneratione cultum, ibique deam natam esse aiunt, sicut & Argis Iunonem. Proinde Poëtam Homerum vtramque per earum patriam nominatim protulisse. Nam lib. Iliados 4. post princ. ἀλαλκομενηὶς vocatillo versu,

ἥρη τ' ἀργείη ἠ ἀλαλκομενηὶς ἀθήνη.

Statius lib. 7. Thebaidos,

Ducit Ithonæos & Alalcomenæa Mineruæ.

Agmina.

Vbi Lactantius Grammaticus, interpres scribit, Alalcomæna ciuitas est Bœotiæ, in qua regnauit Herculis filius. Et paulò pòst, In qua nata Alcmena, Herculis mater, & in qua etiam colebatur Minerua, Pausan. in Bœoticis, Alalcomenæ (inquit) non magnus est vicus, ad radices imas modicè editi montis. Loco nomen datum ferunt ab Alalcomeno homine indigena, à quo fuerit Minerua enutrita. Sed & Mineruæ Alalcomenidis meminit Ælianus Variæ historiæ libro 12. cap. 59.

p *Thebis Bœotiis Liber.*] Pausanias lib. 9.

q *Et Hercules.*] Plinius lib. 4. c. 7. & Pausanias io dict. lib. 9. de Bœoticis.

r *Iuno Carthagini.*] Venus apud Virg. lib. 1. Æneidos, periculum, in quo versabatur Æneas apud Didonem, exaggerans à persona Iunonis aduersariæ, Iunonia Hospitia (vt interpretator Seruius) Carthaginensia vocat, his verbis,

Verò quò se Iunonia vertant

Hospitia.

Et antè aliquot versibus interiectis.

Hic templum ingens Iunoni Sidonia Dido

Condebat, donis opulentum & numine diuæ.

Et in eod. lib. paulò post princ. tradit, Carthaginem præ cæteris locis contempta patria præcipuè à Iunone cultam fuisse, cùm ait

Quam Iunò fertur terris magis omnibus vnam

Posthabita coluisse Samo: hic illius arma,

Hic currus fuit, hoc Regnum dea gentibus esse

(Si qua fata sinant) iam tum tenditq́; fouetq́;.

s *Eademq́; Samo.*] Diuus Augustinus lib. 6. de Ciuitate Dei, c. 7. Sacra sunt Iunonis, & hæc in eius dilecta insula Samo celebrantur, vbi nuptum data fuit Ioui Lactantius ex Varrone lib 1. c. 17. Plutarch. in Pompeio, Pausanias in Achaicis, Tertullian. in Apolog. c. 24. Et vide suprà ibi, Iuno Carthagini. quod Seruius scribit in postremum Virg. locum citatum, dum interpretans illud,

Posthabita coluisse Samo. ———

Non contempta, inquit, sed in secundis partibus habita. Amabat enim Samum genitale solum, sed magis Carthaginem. Sic Iuuenalis sat. 16.

Et Samia genitrix, quæ delectatur arena.

Cicero lib. 2. de Legibus, Atheniensis, inquit, Clisthenes Iunoni Samiæ, ciuis egregius, cùm rebus timeret suis, filiarum dotes concredit. Apul. lib. 6. Metamor.

t *Sparta.*] Homerus lib. 4. Iliados de Iunone,

ἤτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες,

ἄργος τε, Σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια μυκήνη.

Certè mihi tres quidem multò dilectissimæ sunt ciuitates,

Argosq́; Spartaq́; & latiuta Mycena.

u *Et Mycenis.*] Homerus vbi suprà, & præterea Pausanias in Corynthiacis.

x *Atque Argis.*] Homerus ibi, Plutarchus in Pompeio, Lucianus in lib. de Sacrificiis, Interpres Theocriti, Tertullianus in Corona militis. Hincque etiam illud Virgilij libr. 1. Æneidos non longè à princ.

——— *Veterisq́; memor Saturnia belli,*

Prima

Argis, [y] vbi nata fertur: [z] Venus Cypro & [a] Papho, Apollo Rhodiis, [b] Lemno Vulcanus, [c] Naxus Libero: [d] idemque Apollo Delphis, [e] Tænarus Neptuno, [f] Cyzicenis Pallas, [g] quòd ea vrbs pro dote illi fuerat, [h] Tenediis, Tenes deus: [i] Alabandensibus Alabandus, [k] Cretensibus Diana, quam Britomartem vocant: [l] Thespiensibus [m] & Parianis Cupido, [n] Romanis verò Mars: qui præcipuo honore insignes à suis ciuibus colebantur eximiè: quamuis numen quod vrbi præesset, [o] palam facere nefas putarent, ne euocationes quæ ad auertenda numina quæ vrbibus præsunt, fieri ab hostibus solent, ipsis aliquando innotescerent. [p] Erat enim vetus mos, vt in vrbium obsidione, vbi ad vltimam dimicationem ventum esset, tutelares deos, sub quorum præsidio vrbs foret, certo carmine & verbis conceptis in nouas sedes euocarent, templáque ampliora & solennes aras illis promitterent, nefas opinati, deos vrbium præsides, vrbe hostiliter direpta, velut mancipia captiuos habere. Persis verò & Æegyptiis nullos patrios habere deos in vsu fuit, quòd euocationibus illos migrare ex oppidis, & sine tutela deseri timerent. [q] Alij vincla & catenas annectebant diis. Nonnulli sponsores à diis petebant.

Dii non men sea cultum, in cuius tutela, erat vrbs. Vrbem expugnaturi, diis tutelaribus alia loca pro mittebant. Persæ. Ægyptij.

ANNOTATIONES.

Prima quod ad Troiam pro charis gesserat Argis.

Vbi Seruius, Charis, ait, Argis. Illic enim eam coli omnibus notum est.

y *Vbi nata fertur.*] Nam & eam ἀργείην vocat Homerus lib. Iliados 4. post princ. Ἥρη τ' Ἀργείη. quem locum citauimus ibi, Licet Alalcomenij, quòd scilicet eam Argis natam dicunt, vt scribit Strabo lib. 9.

z *Venus Cypro.*] Cor. Tacitus lib. 18. & omnes vbique. Nam & hinc Cypria dicta est, Tibullus lib. 3. leg. 3.

Et faueat concha Cypria vecta sua.

Ex quo Fest. Pompeius, Cypria, inquit, Venus, quòd ei primùm in Cypro insula templum sit constitutum: vel quia parientibus præsideat, quòd Græcè κύειν parere fit.

a *Et Papho.*] Lactantius lib. 1. c. 15. Tertul. in Apologetico cap. 24. Lucianus d. lib. de Sacrificiis. Hincque illud Virg. lib. 1. Æneid.

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque reuisit
Læta suas.

Estque Tegeæ templum Veneri Paphiæ apud Pausaniam lib. 8. non adeo longè à fine.

b *Lemno Vulcanus.*] Lactantius vbi suprà. Solinus cap. 21. Lemnij, inquit, Vulcanum colunt idem in Lemno metropolis Hephæstia. Vulcanum Virg. lib. 8. Æneid. Lemnium patrem vocat,

Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius oris.

Vide suprà lib. 2. c. 14.

c *Naxus Libero.*] Lactantius eodem loco.

d *Idemque Apollo Delphis.*] Hinc Delphicus cognominatus est. Ouid Fastor. lib. 3. ad fi.

Mittitur ad Tripodas certa qui sorte reportet,
Quam sterili terra Delphicus edat opem.

Et Metamorphoseon lib. 2.

— Placuit tibi Delphica cortis,
Dum vel casta fuit, vel inobseruata.

Et lib. 1. Metamorp.

— Mihi delphica tellus,
Et Claros, & Tenedos, Pataræaque regia seruit.

Orpheus in Hymnis,

Τρίποδ᾽ ἐξ ὁμφαῖον, πυθοκτόνε, δελφικὰ μάντι.

Sed & adde & Delius ex Luciano vbi suprà. Nam & hinc Delius vocatus est. Tibullus lib. 3. eleg. 6.

Fulserit hic niueis Delius alitibus.

Et Cynthius vbique: nam Delus Cynthus appellatur, vt tradit Stephanus. Aut certè Cynthus Deli mons est, vt scribit Festus Pompeius lib. 3. ex quo dicit Apollinem Cynthium vocatum. Sunt tamen qui aliò referunt hanc Delij appellationem, de quo Macrob. lib. Saturn. c. 17.

e *Tænarus Neptuno.*] Strabo lib. 8. Probus Æmylius in Pausania, & Plutarchus in Pompeio.

f *Cyzicenis Pallas.*] Adde & Nemesis ex Strabone lib. 13.

g *Quod ea vrbs illi pro dote fuerat.*] Plutarchus in Lucullo.

h *Tenediis, Tenes.*] Cicero in Verrem actio. 3. Tenedo (præterea pecuniam, quam eripuit) Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus Deus habetur, qui vrbem illam dicitur condidisse, cuius ex nomine Tenedus nominatur: hunc ipsum, inquam, Tenem, pulcherrimè factum, quem quondam in comitia vidistis, abstulit, magno cum gemitu ciuitatis. Idem Cicero libro 3. de Natura deorum. Strabo libr. 13. Diodorus Siculus libr. 6. cap. 17. Plutarchus problem. cap. 141. Hæc Tenedus multis notata est prouerbiis, de quibus Erasm. in prouerb. Τενέδιος ἄνθρωπος. Vide Ciceronem libro de Natura deorum, fol. 130. in 8. Rob. Steph.

i *Alabandensibus.*] Cicero d. lib. 3. de Natura deorum, Alabandenses quidem sanctius Alabandum colunt, à quo est vrbs illa condita, quàm quenquam nobilium deorum, apud quos non inurbanè Stratonicus, vt multa, cum quidam ei molestus Alabandum Deum esse confirmaret, Herculem negaret. Ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules sit iratus. Stephanus de Vrbibus.

k *Cretensibus Diana, quam Britomartem vocant.*] Strabo lib. 10. Pausanias lib. 2. qui de Corinthiacis est, & iterum lib. 3. qui de Laconicis.

l *Thespiensibus.*] Cicero in Verrem actione 6. Strabo lib. 9. Thespias, inquit, prius nobilitauit Cupido, Praxitelis opus suis sculptum manibus. Donum verò confecerat Thespiensibus Glycerium meretrix ab illis genus ducens, munus illud ab artifice consecuta. Plinius lib. 36. cap. 5. Pausanias libro 9.

m *Et Parianis.*] Plinius vbi suprà, sic scribit, Eiusdem & Cupido à Cicerone obiectus Verri, ille propter quem Thespiæ visebantur, nunc in Octauiæ scholis positus. Eiusdem & alter nudus in Pario, colonia Propontidis, par Veneri Gnidiæ nobilitate & iniuria.

n *Romanis verò Mars.*] Adde & Mygdoniis Rheam ex Luciano in lib. de Sacrificiis.

o *Palam facere nefas putauerunt.*] Plutarchus problem. cap. 61. Seruius in lib. 1. Geor. ad fi. Macroc. lib. 3. c. 9. & vide suprà lib. 2. c. 22.

p *Erat enim vetus mos.*] Liuius 1. Decad. lib. 5. Plinius lib. 28. c. 2. Verrius, inquit, Flaccus authores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitum à Romanis sacerdotibus euocari Deum, cuius in tutela id oppidum esset: promittique illi eundem aut ampliorem locum apud Ro. cultumve. Durat in Pontificum disciplina id sacrum: constatque ideo occultatum, in cuius Dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent. Desigi quidem diris imprecationibus nemo non metuit. Macrob. d. Saturn. lib. 3. c. 9.

q *Alij vincla & catenas.*] Vt statim probat Tyriorum exemplo, cui adde Lacedæmonios simulachrum Martis, quem Enyalium vocant, compedibus illigasse, vt tradit Pausanias lib. 3. id eos fecisse eodem consilio, quo Athenienses victoriam ἄπτερον, id est, sine pennis, aut inuolucrem, siue implumem appellant: illi enim vinculis impeditum à se nunquam Martem discessurum: hi semper manoiam secum, quæ pennis caret, Victoriam interpretantur. Sed & idem Pausanias lib. 5. scribit, Calamidem apud Mantinenses eandem Victoriam sine alis effinxisse, imitatus statuam illam, quæ Athenis ἄπτερος dicitur.

bant ne euocarentur & abirent.[r] Tyrij enim obsidione pressi, Herculis simulacrum, quod magna religione colunt, ne vrbem desereret, aurea catena deuinxere. Neque solùm insignes vrbes conspicuæ magnitudinis, [s] sed oppida penè deformata, & modici vici, ne hostili vastarentur incursu, patrios deos coluisse feruntur, [t] siquidem Crustumeni Deluentinum peculiarem habuere, Narnienses Viridianum, Asculani Ancariam, Volsinienses Nurciam, Otriculani Valentiam, Sutrini quoque Norciam. [u] Sed tametsi peculiaris Iuno Carthagini fuerit, & præcipuum numen, Romæ tamen non minoris obseruantiæ cultúsque habita est: quippe quàm cordi Romanis, & quàm regali magnificentia culta celebratáque sit, illud argumento fuerit, quòd post initum consulatum consules [x] Iunoni Sospitæ sacrum faciunt, [y] quódque singulorum mensium calendas, præcipuè Martias, suo numini dicarunt, & sanctas habuerunt: quare matronalia dicta, quòd matronæ illas celebrant pro coniugiis, & sacrum faciunt, [z] quódque ea die Iunonis ædes coli cœpta fuit: [a] sicut Aprili mense Veneri matronæ myrto coronatæ lauant. [b] Eius variæ [c] potestates & nomina olim fuere: [d] nam & Curetis, [e] Lucina,

Patrij dij & tutelares.

Matronalia. Iunonis varia potestates.

ANNOTATIONES.

r *Tyrij.*] Plutarc. problem. cap. 61. & in Alexandro. Q. Curtius in rebus gestis eiusdem lib. 4. Diodorus Siculus, vbi dicit, hinc Apollinem Philalexandrum eum fuisse cognominatum, cum Alexander Apollini cathenas aureas & compedes, à Tyriis iniectos detraxisset.

s *Sed oppida penè deformata.*] Hoc probat exemplis seqq.

t *Siquidem Crustumeni.*] Hæc vsque ad vers. Sed tametsi, sunt Tertulliani in Apologet. c. 23. Sed & de Nortia est illud Liuij 1. dec. lib. 7. Volsiniis quoque clauos indices numeri annorum fixos in templo Nortiæ Hetruscæ deæ comparere, diligens talium monumentorum author Cincius affirmat. Iuuenalis sat. 10.

— Idem populus, si Nortia Tusco
Fauisset.

Huius autem deæ nomine sortem fortunámque significari Martianus Capella in libr. de nuptiis Philologiæ cap. 9. scribit.

u *Sed tametsi peculiaris Iuno Carthagi.*] Vt supra dictum est.

x *Consules Iunoni Sospitæ.*] Cic. pro L. Muræna in fin. sic scribit, Date etiam Lanuuino municipio honestissimo, quod in hac causa frequens mœstúmque vidistis. Nolite à sacris patriis Iunonis Sospitæ, cui omnes Coss. facere necesse est, domesticum & suum Consulem potissimum auellere. Liuius 1. dec. lib. 8. Iunonis Sospitæ meminit his verbis, Lanuuinis ciuitas data sacráque sua reddita cum eo, vt ædes lucúsve Sospitæ Iunonis communis Lanuuinis municipibus cum popu. Romano esset. Et 4. dec. lib. 5. scribit votam ædem Iunoni Sospitæ à Cn. Cornelio cos. bello Gallico, quo victoriam reportauit. Et eiusdem dec. lib. 10. Lanuuij simolachrum Iunonis Sospitæ lacrymasse.

y *Quódque singulorum mensium Cal.*] Seruius enarrans illum locum Virgilij lib. 8. Æneid.

Curibusqué seueris.

In communem (inquit) mulierum honorem Calendæ eius dicatæ sunt Martiæ. Horat. lib. 3. ad Mœcenatem ode 8.

Martiis calebs quid agam Calendis.

Atque idcirco Iuuenalis sat. 9 Martias fœmineas appellat.

— Longáque cathedra
Munera fœmineis tractat secreta Calendis.

Vbi Ioannes Britannicus interpres sic scribit, Calendis igitur Martiis munera mulieribus mittebantur ab amicis, sicuti mense Decembri quinque diebus viris, quo tempore Saturnalia celebrabantur. Et quemadmodum mulieres Cal. Martiis seruos cœna excipiebant, tanquam exhortantes eos ad insequentis anni operam: sic & viri in Saturnalibus seruos in cœnam admittebant, tanquam eis gratias agentes operæ toto anno nauatæ. Vnde Tibullus in primo limine 3. lib. ad Neæram,

Martis Romani festa venere Calendæ,
Exoriens nostris hic fuit annus auis:
Et vaga nunc certa discurrunt vndique pompa,
Perqué vias vrbis munera, perqué domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, chara Neæra tamen.

Colebant eundem & puellæ. Idem Tibull. lib. 4.

Sulpitia est tibi culta tuis, Mars magne Calendis:
Spectatum è cœlo (si sapis) ipse veni.

Mittebant & sua matronæ munera. Plautus in Milite glorioso, act. 3. scena 1.

Da mihi vir Calendis, quo mittam, quum Martia venerint.

Mulieres autem Martias Calendas colebant (vt scribit Seruius d. loco in memoriam belli cum Sabinis compositi: nam tali die Sabinæ mulieres bella sedarunt. Sed hæc latius describuntur ab Ouidio lib. 3. Fast. illis versibus,

Cùm sit officiis Gradiuus virilibus aptus,
Dic mihi matrona cur tua festa colant?

Et multis seqq.

z *Quódque ea die.*] Festus Pompeius lib. 11. Martias, inquit, Calendas matronæ celebrabant, quòd eo die Iunonis Lucinæ ædes coli cœpta sit. Ex quo & illud Ouidij l. 3. Fastorum,

Illic à nuribus Iunoni templa Latinis
Hac sunt (si memini) publica facta die.

a *Sicut Aprili mense Veneri.*] Ouidius lib. 4. Fastorum,

Vos quoque sub viridi myrto iubet illa lauari,
Causaqué cur iubeat, discite, certa subest.

Et Macrob. lib. 1. Satur. c. 12.

b *Eius*] Scilicet Iunonis, vt ex sequentibus patet.

c *Variæ potestates.*] Seruius de ipsa Iunone loquens libr. 1. Æneidos ad princ. in eum locum,

Quo numine læso.

Et in lib. 8. Æneid. ibi,

— Tibi enim tibi maxima Iuno.

Variæ, inquit, sunt eius potestates, vt Curetis, Lucina, Matrona, Regina. & dicunt Theologi ipsam esse Matrem Deûm, quæ Terra dicitur. Macrobius lib. 1. Satur. c. 27. non multò post princ.

d *Nam & Curetis.*] Cato in lib. de Originibus, si eius est liber, qui ipsius nomine circunfertur in fi. Quirinalis, inquit, collis à Iunone Sabinorum dea, quam illi Curitim, id est, hastatam Iunonem vocant. Etenim hastam Curim & Curinam proferunt: quia his simul & Hetruscis non est litera q. sicut Romanis. Inde Quirites. Festus Pompeius lib. 3. vbi de Cœlibari hasta loquitur, Matronæ, ait, in tutela Iunonis Curetis sunt, quæ ita appellabatur à ferenda hasta quæ lingua Sabinorum Curis dicitur. Et alibi eodem libro, Curis est sabinè hasta: vnde Romulus Quirinus, quia eam ferebat, dictus: & Romani à Quirino Quirites dicuntur. Et paulò pòst, Curitim Iunonem appellabant, qui eandem ferre hastam putabant. Et alibi quoque eodem libro, Curiales mensæ, in quibus immolabatur Iunoni, quæ Curis dicta est. Seruius in libr. 1. Æneid. quo loco in præcedentibus citauimus, Multa, inquit, habet nomina Iuno, quæ vtitur curru & hasta, affertque illud ipsius Virgilij eod. lib. 1.

— Hîc illius arma,
Hic currus fuit. —

In quo à nonnullis reprehenditur ob id quod de curru dicit, tanquam ab eo intelligeret Curitim eam vocari.

e *Lucina*] Terentius in Andria, actus 3. scena 1.

Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro.

[f] Matrona, [g] Regina, & [h] Opigena, quoniam parturientibus opem fert, [i] Hera, [k] Iterduca, [l] Cinxia, atque Hippia: [m] à Thuscis Cypra, [n] à Laurentibus Calendaris, à [o] Corinthiis Anetistos dicta est, quam matrem quoque Deûm nuncupant, [p] alij Pelasgam: [q] sicut Venus, Cypris, [r] Adonis, [s] Verticorda, [t] Afrodite [u] ab Assyriis Melitta, [x] ab Arabibus Alitta, [y] à Græcis Pitho, [z] ab Eleis Vrania, [a] à Scythis Arginipasa, [b] à Cypriis Barbata, [c] etiam Calua, [d] Armata, [e] Pandemus, [f] Apostropha & [g] Callipyges: à [h] Thebanis

Veneris diversa nomina apud diversos.

ANNOTATIONES.

Vbi Donatus, Latinè, inquit, Iuno à iuuando dicta, Lucina, ab eo quòd in lucem producit. Et eius loci Terentiani authoritate, Seruius vbi nuper citauimus, post ea, quæ ibi ea eo dicimus, subiunxit, de eadem Iunone loquens, dicit eam præesse parturientibus. Varro autem lib. 4. de lingua Latina, A Latinis, ait, Iuno Lucina dicta; vel quòd terra, vt Physici dicunt, iuuat & lucet: vel quòd ab luce eius, qua quis conceptus est, vna iuuat, donec mensibus actis producit in lucem. Facta igitur à iuuando, & luce Iuno Lucina: à qua parientes eam inuocant. Plinius lib. 16. cap. 44. Iunonem ita dictam putat à luco, vbi & eius ædes condita fuit, & lotos miræ vetustatis. Cui adstipulatur illud Ouidij lib. 2. Fastorum,

Gratia Lucinæ dedit hac tibi nomina lucus
Aut quia principium tu dea lucis habes.
Parce precor grauidis facilis Lucina puellis;
Maturumquè vtero molliter aufer onus.

Meminit & Lucinæ Iunonis D. August. cap. 11. Ciuitatis Dei, lib. 4.

f *Matrona.*] Liuius 3. Decad. lib. 11. non multò ante fi. dicit signum æneum Matronæ Iunoni in Auentino fuisse ædificatum.

g *Regina.*] Varro lib. 4. paulò ante eá, quæ suprà ibi, Lucina. diximus, scribis, Quòd Iouis Iuno coniux, & is cœlum, hæc terra, quæ eadem tellus: & ea dicta, quòd ea cum Ioue iuuat Iuno: & Regina, quòd hæc omnia terrestria regit. Liuius 1. Decad. lib. 5. in Oratione Camilli Dictatoris. & 3. Dec. lib. 2. post princ. vbi de Iunone Regina in Auentino. & iterum lib. 7. non semel. Plinius l. 35. c. 10. ex carmine, quod in pictura Ardeatis templi insculptum est. Plutarchus in vita Camilli. P. Victor in 13. regione vrbis Romæ. Ante hos Cicero in Oratione ad Equites Ro. antè quàm in exilium iret. Húcque alludit Virg. lib. Æneidos,

Ast ego quæ diuûm incedo Regina, Iouisque
Et soror & coniux.

h *Opigena.*] Festus Pompeius libro. Opigenam, inquit, Iunonem Matronæ colebant, quòd eam ferre opem in partu laborantibus credebant. D. August. Ciuit. Dei, lib. 4 c. 11.

i *Hera.*] Ennius apud Ciceronem lib. 1. Officior.

Vósne velit, an me regnare Hera, quidve ferat fors,
Virtute experiamur.

Plato autem in Cratylo ἥρα, inquit, verò Iuno, quasi ἐρατὴ. id est, amabilis, propter amorem, quo Iupiter in eam afficitur.

k *Iterduca.*] Aut, vt alij pronunciant, Iterducam apud Martianum Capellam in nuptiis Mercurij & Philologiæ. & D. August. de Ciuitate Dei, lib. 7. cap. 3. & Arnob. contra Gentes, lib. 3.

l *Cinxia.*] Martianus Capella, & Arnobius vbi suprà, & Festus Pompeius lib. 3 Cinxiæ, inquit, Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quòd initio coniugij solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta.

m *A Thuscis Cypra.*] Strabo lib. 5. sic scribit, Piceni emporium Castellum est. Porrò verò Cypræ templum situm est, Thuscorum ædificium: nam illi Iunonem Cypram nominant. Et Silius Italicus lib. 8.

Et quis littorea fumant altaria Cupra.

Cupræ enim pro Cypræ more antiquorum.

n *A Laurentibus Calendaris.*] Macrob Satur. lib. 1. vbi huius appellationis rationem reddit.

o *A Corinthiis Anetistos.*] Vnde id acceperit Alexander prorsus ignoro, nec memini me vspiam legisse.

p *Alij Pelasgam.*] Propertius lib. 2. c. 28.

An contempta tibi Iunonis templa Pelasga?

Cur autem sic vocata sit, disces ex Eustatio, qui scribit Samum Pelasgam dictam à quibusdam Pelasgis, ex quibus & Iuno Pelasga dicta est, vt quæ Samia esset, vt dictum est suprà.

q *Sicut Venus Cypris.*] Vbique apud Homerum, & alios scriptores Cypris & Cypria vocatur, de quo & nos aliquid suprà diximus.

r *Adonis.*] Ausim sanctè deierare, nusquam id nomen tributum fuisse Veneri. Noti autem sunt omnibus ardentissimi Veneris in Adonidem speciosissimum adolescentem amores descripti ab Ouid. Metamor. 10. Hinc Adonia Adoniorum, festa, Adoniæ dicata. Ammianus Histor. lib. 22. Euenerat iisdem diebus annuo cursu completo Adonia celebrari, ritu veteri, amatu Veneris (vt fabulæ fingunt) apri dente ferali deleto.

s *Verticorda.*] Valerius Maximus lib. 8. c. vlt. vbi de Sulpicia Seruij Paterculi filia, Quinti Flauij vxore, loquens, huius nominis causam & originem reddit. Et nos quoque diximus in nostris legibus Connubialibus l. 15. num. 45.

t *Afrodite.*] Vide omnino eas leges Connub.

u *Ab Assyriis Melitta.*] Herodotus lib. 1. Clio.

x *Ab Arabibus Alitta.*] Idem Herodotus dicto lib. 1.

y *A Græcis Pitho.*] Id accepit à Plutarcho prob. c. 10. sed erraret. Nam Plutarchus ibi, vt diuersas appellat Venerem & Pitho, id est, suadelam.

z *Ab Eleis Vrania.*] Pausanias in Atticis iterúmque in Eleis & Bœoticis. & vide Lucianum in Amoribus.

a *A Scythis Arinipasa.*] Strabo lib. 4. Melpomene, scribit, Scythas cœlestem Venerem Artimpasam, Neptunum Thamimasadem nuncupare.

b *A Cypriis Barbata.*] Vide Macrobium lib. 3. Saturnal. c. 8. interpretantem eum Virgi.. locum lib. 2. Æneidos,

Descendo, ac ducente Deo flammam inter & hostes
Expedior. ——

Vbi etiam Seruius scribit in Cypro Barbatæ Veneris simulachrum esse, quæ ἀφρόδιτον vocatur.

c *Etiam Calua.*] Lactantio Diuinarum institutionum, lib. 1. c. 20. Vrbe à Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, cùm ea mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri Caluæ consecrarunt. Iulio Capitolino in vita Maximinorum. Et vide nostras leges Connubiales l. 15. num. 34.

d *Armata.*] Lactantius ibi. Pausanias lib. 3. Vide etiam dictas leges Connub. l. 15. num. 34.

e *Pandemus.*] Id est, Popularis Venus, Pausanias lib. 6. iterúmque 9. Theocritus in Epigrammate. Artemidorus in lib. de Interpretatione somniorum. Pandemu etm sacram facit Lucianus in Dialogis amatoriis. Laërtius vbi suprà.

f *Apostropha.*] Tres Veneres sunt, quarum vnam Cœlestem, Popularem alteram, tertiam Apostrophiam nominant. Cognomina imposuit Harmonia. Vraniæ putum significas, & corporum cupiditate vacantem amorem: Popularis, ob Venerios congressus: Iam verò Apostrophiæ nomen coli instituit: id est, Aduersatricis, quo ab exlege cupiditate, & incestis stupris hominum genus auerteret. Hæc Pausanias lib. 9. Hanc nos vertibilem Venerem dicere possumus: seu, vt Gyraldus Historiæ deorum Syntagmate 13. scribit, Verticordam. Et Epistrophiæ aliud Veneris nomen apud eundem Pausan. lib. 1. quod ab animaduertendo deductum est.

g *Callipygos.*] Athenæus lib. 12. c. 32. ex Cercida Megalopolitano in suis Iambis, huius nominis causam & originem scribit, hunc videre licet. Callipygos Latinè Venus dicitur pulchriclinis narium dea.

h *A Thebanis Prepotens.*] De hoc nihil reperi. Pausanias autem libro 9. memorat simulachra apud Thebanos antiquissima.

i A Persis

Apollinis.

Præpotens, à [l] Persis Mitra appellata est. [k] Nec minus Apollinem nominibus variis vocatum ferunt: nam [l] apud Athamanas Titan, [m] apud Ægyptios Osiris: [n] à Persis, vbi in antro colitur, Mithra nuncupatur, à [o] Lydiis Lymios, [p] ab aliis Eleus: [q] In Taurominio Archigetes, à [r] Syracusanis Themites, à [s] Græcis Tyreos, cui sacrum ante fores faciunt: [t] apud Pachynoi incolas Libyssinos, [u] à Scythis Oetoscyros, [x] à Lesbiis Myricæus, quòd myrices, hoc est, virgas teneret: [y] apud Spartanos Carnius dictus est, [z] ab Atheniensibus Patrous & [a] Alexicacos, [b] à Milesiis & Deliis Vlios & † Pæonicus, [c] in Arcadia Epi-

ANNOTATIONES.

i *A Persis quoque Mitra.*] Herodotus in Thalia. Statius lib. 1. Thebaid. in fi.

Adsis ô memor hospitij: Iunoniaque arua
Dexter ames: seu te roseum Titana vocari
Gentis Achemeniæ ritu, seu præstat Osyrim
Frugiferum: seu Persai sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mitram.

k *Nec minus Apollinem.*] Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 17.

l *Apud Athamanas Titan.*] Statius loco suprà allegato ibi, A Persis quoque Mitra. & ibi Lactantius interpres dicis Apollinem à diuersis gentibus variis appellari nominibus. Apud Achemenios enim Titan vocatur, apud Ægyptios Osiris, apud Persas vbi in antro colitur, Mitra vocatur. Quod autem dicit (Statius scilicet) torquentem cornua, ad illud pertinet, quod simulachrum eius fingitur reluctantis tauri cornua retentare: quo significatur Lunam, ab eo lumen accipere, cum cœperit ab eius radiis segregari. Ex quibus intelligis hic non Athamanas, sed Achemenios esse legendum. Solem autem, qui & ipse est, vbique Titanum vocari palam est. Ouidius Fastorum lib. 1.

Respiciet Titan actas vbi tertius Idus,
Fient Parrasia sacra relata dea.

Alia autem de Titane reperies apud Pausaniam lib. 2.

m *Apud Ægyptios Osiris.*] Herodotus libr. 2. Laërtius in Proœmio. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 21. Statius vbi suprà, & ibi Lactantius interpres sic scribit,

—Sed præstat Osiri.

Secundum Ægyptios, qui Osirim Solem interpretantur: per quem prouentum frugibus existimant posse contingere, quæ sacra primùm Persæ habuerunt, à Persis Phryges, à Phrygibus Romani.

n *A Persis.*] Duris lib. 7. historiarum apud Athenæum lib. 10. c. 3. Lactantius Grammaticus vbi suprà.

o *A Lydiis Lymios.*] Læmius legendum est ex Macrob. lib. 1. Saturn. c. 17. vbi declarat eius cognominis rationem.

p *Ab aliis Eleus.*] Eleleus voluit, aut certè debuit dicere ex Macrobio eo in loco, qui originem & rationem eius nominis tradit. Quanquam & ipse ἥλιος vocetur Euripidi apud eundem Macr. eo ipso loco.

q *In Taurominio Archigetes.*] Thucydides lib. 6. & Appianus Bellorum ciuilium lib. 5. Ad Taurominium itaque (inquit) delatus, copias veluti ingressurus emisit. Non suspicientibus ipsum custodibus, vltra Onobalam fluuium, & Veneris templum classem impulit, & ad Archigetum cursum dirigit, deum quasi vallum eo loco positurus, & Taurominium abinde expugnaturus. Archigetes quidem ex Apollinis habetur simulachris, quod primum illi sacrum statuere in Siciliam sedes transferentes.

r *A Siracusanis Themites.*] Cicero in Verrem acti. pro signis, vbi Siracusæ describuntur, quæ est quinta, cuius hæc verba sunt, Præterea duo templa sunt egregia, Cereris vnum, alterum Liberi, signúmque Apollinis, qui Themistes vocatur, pulcherrimum & maximum: quod iste si portare potuisset, non dubitasset auferre. Suetonius in Tiberio c. 74. quo in loco Philippus Beroaldus interpres, vir doctissimus, sic scribit, Cum his M. Tullij verbis ita quadrant Tranquilli verba, vt ab illo mutuatus esse videatur. Cicero Appollinem Temenitem vocat pulcherrimum & maximum. Hic (Tranquil. scilicet) dixit amplitudinis & artis eximiæ. Sed hoc vnum, quæso, lector attende, quòd in codicibus Tullianis Apollo Themites vocatur, quem Tranquillus Temenitem dicit. Ex quo videtur aut hic aut illic esse mendum. Nam si à fonte Temenite, qui in agro Siracusano est (cuius meminit Plinius lib. 3. c. 8.) nomen accepit, erratum erit in libris Ciceronianis: & pro Themites corrigendum Temenites. Sed vide ne potius Themites apud Suetonium Tranquillum legendum sit, sicut & apud Ciceronem passim legitur: tanquam Apollo Themites cognominetur à Themi dea fabulis celebrata, quæ fatidica fuit, & ante Apollinem tenebat oraculum Delphicum, vt dicit Ouidius Metamor. lib. 1. quam præesse vaticiniis prodidit Marcellinus lib. 23. &, vt author est Strabo lib. 9. olim & Apollo & Themis humano generi vtilitatem afferre cupientes, oraculum simul comparare decreuerunt. Hæc Philippus Beroaldus.

s *A Græcis Tyreos.*] Macrobius lib. 1. satur. c. 9. Etenim (inquit) sicut Nigidius quoque refert. apud Græcos Apollo colitur, qui Θυραῖος vocatur. Eiúsque aras ante fores suas celebrant; ipsum exitus & introitus demonstrantes, potentem. Et Tertullianus lib. de Coronis.

t *Apud Pachyni incolas Libyssinus.*] Macrobius d. lib. 1. c. 17. Hinc est, quòd apud Pachynum, Siciliæ promontorium, Apollo Libystinus eximia religione celebratur. Nam cùm Libyci inuasuri Siciliam, classem appulissent ad id promontorium: Apollo, qui ibi colitur, inuocatus ab incolis, immissa hostibus peste, & penè cunctis subita morte interceptis, Libystinus cognominatus est. Ex quibus intelligis hîc legendum Libystinus.

u *A Scythis Oetoscyros.*] Herodotus lib. 4. & Hesychius. Ex quibus intelliges hic Oetosyros esse legendum.

x *A Lesbiis Myricæus.*] Interpres Nicandri in Theriacis in eum locum.

— ἠ δ' ἐν Ἀπόλλων
μαντοσύνας μυρικαῖος ἐθήκατο καὶ θέμιν ἀνδρῶν.

Multa de Myrica, deque eius vaticiniis subinfert.

y *Apud Spartanos Carnius.*] Macrobius d. lib. 1. c. 18. vbi & huius nominis rationem dat. Pausanias lib. 1. 3. & 4. declarat & huius cognominis originem.

z *Ab Atheniensibus Patrous.*] Macrob. vbi sup. Pausan. lib. 1.

a *Et Alexicacos.*] Macrobius ibi, & Pausanias l. 6. & iterum lib. 8. ex quibus intelliges quare ita dictus est, & nos quoque diximus in nostris Commentariis Nobilitatis cap. 31. num. 9. incip. Pausanias.

b *A Milesiis.*] Strabo lib. 14. non multò post prin. Quidam Apollinem, inquit, Vlion vocant, vt Milesij ac Delij. id est salutiferum & Pæonicum. Nam ὕλω. idem est, quod valeo: hinc οὐλή. id est, cicatrix dicitur. & illud οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε. id est, iámque vale & salue. Apollo enim salutifer est, & Artemis, ex eo quòd integros faciat. Macrobius lib. 1. cap. 17. ex Menandro, scribit, Milesios Ἀπόλλωνι οὐλίῳ pro salute ita immolare. Et subdit Pherecidem referre, Thesea, cùm in Cretam ad Minotaurum duceretur, vouisse pro salute, atque reditu suo, Ἀπόλλωνι οὐλίῳ, καὶ Ἀρτέμιδι οὐλίᾳ. Sed & paulò antè, Eundem (inquit, de ipso Apolline loquens) deum præstantem salubribus causis οὔλιον appellant. id est sanitatis authorem, vt ait Homerus,

οὖλέ τε καὶ μάλα χαῖρε.

Qui locus est in hymno ipsius Apollinis. Et vide in dictis nostris Commentariis Nobilitatis vbi suprà, num. 8. incip. à medicina.

† *Et Pæonicus.*] Macrobius d. lib. 1. c. 17. Iuuenalis sat. 6.

Parce precor Pæan & depone sagittas,
Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem,
Amphion clamat: sed Pæan contrahit arcum.

Claudianus in Gigantomachia,

Implorat Pæana suum conterrita Delos.

c *In Arcadia Epicurus*] Legendum Epicurius, id est, auxiliaris,

curus,[d] apud Eleos Obsophagus: [e] ab aliis Lycius, [f] Phœbus, [g] Phaneus, [h] Ismenus, & [i] Orius dice-

ANNOTATIONES.

liaris, ex Pausania lib. 8. non semel.

d *Apud Eleos Obsophagus.*] Polemon in epistola ad Attalum, idque perinde significat ac obsonatorem siue mandonem, apud Athenæum lib. 8. c. 6.

e *Ab aliis Lycius*] Siue Lycæus. Pausanias lib. 1. & 2. non semel. Philostratus in Imaginibus. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap 17. vbi huius nominis caussas varias ex antiquis authoribus recenset. Festus Pompeius libr. 10. Lycij, inquit, Apollinis oraculum in Lycia maximæ claritatis fuit, ob luporum interfectionem. λύκος enim lupus est.

f *Phœbus.*] Cornificius apud Macrobium vbi suprà, ita dicit illum appellari ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν βίᾳ, id est, quod vi fertur. subdítque Macrob. pleroſque à specie & nitore Phœbum dictum putare, id est, καθαρὸν, καὶ λαμπρὸν. Et vide Phurnutum, & Apollinis Rhodij interpretes in lib. 2. Argonauticon, & Heraclidam Ponticum in Allegoriis Humen.

g *Phaneus.*] Macrobius vbi suprà, Phanetа, inquit, Apollinem appellant ἀπὸ τοῦ φαίνειν, ἐπειδὴ φαίνεται νέος, quia Sol quotidie renouat sese. Vnde Virgil.

Mane nouum. ——

Qui locus est lib. 3. Georgic. Alij autem dicunt ita vocari, vel ab apparitione, vel quòd eo nomine coleretur à Chiis, cuius meminit Achæus in Ophale, & Hesychius. Stephanus autem in Vrbibus φαίνας promontorium Chij scribit, vnde Phanæus Apollo dicitur: sic verò dictum ab ἀναχωρήσεως, quòd illic apparuerit Delos Latonæ. Phurnutus scribit Apollinem Delium & Phanæum denominatum ἀπὸ τοῦ δηλοῦν, id est, à manifestando, quòd videlicet omnia illustret, quæ sunt in mundo: sicut Phaniæ Apollinis phanum constructum ἀναφαίνοντος, id est, illustrantis omnia. Quæ maiori ex parte etiam memorat Lilius Gregorius Gyraldus de Diis Gentium, Syntag. 7.

h *Ismenus.*] Hinc Ismenius: Herodotus libr. 1. Clio. Siquidem apud Thebas Bœotias tripus aureus, quem illic Apollini nuncupauit Ismenio. Et iterum lib. 5. Quin ipse vidi apud Thebas Bœotias in Ismenij Apollinis templo, literas Cadmæas in tripodibus quibusdam incisas, magna ex parte consimiles. Ionicis. Pausanias in Corinthiaca & Bœoticis. Stephanus in libro de vrbibus vult Apollinem Ismenium appellatum fuisse à fluuio Ismeno.

i *Orius.*] Horius dicendum cum aspiratione, ex Pausania lib. 2. non adeò longè à princ. Horium, inquit, quam ob rem appellent, nihil pro certo habeo dicere: coniectura adducor, finibus, vel armis, vel iure potitos, Apollini Horio, hoc est, ac si Terminatori dicas, vota soluisse. Sed his adde multa cognomina Apollinis ex Macrobio eodem lib. 1. cap. 17. videlicet Hermes ἑρμῆς, Ieius ἰήιος, Pæan παιὰν: de quo Festus Pompeius libr. 14. Pæan, inquit, Apollinem vocauerunt, quòd sagittarum ictu eum nocere putabant. Est enim παίειν ferire. Alij quòd remedians faceret finem telis grauitatis. Loxias, Delius, Nomius, de quo Phurnutus, & Cicero lib. 3. de Natura deorum. ἀρνοκόμης, id est, agnorum custos, de quo Philostratus in Heroicis, Pollux lib. 1. & diximus in legibus Connubialibus in l. 2 glos. a nu. 53. καρνεῖος. de quo & Stephanus de Vrbibus, & Hellanicus in secundo Lesbicon. Chrysocomos, id est, auricomus, de quo etiam Phurnutus, & ita sæpe Homerus & Hesiodus eum vocarunt. ἀκερσεκόμης, id est, intonsus. Argyrotoxus, Smyntheus, σμίνθιος, τυμβραῖος. de quo Strabo lib. 13. Virgilius lib. 5. Æneidos, & Statius lib. 1. Thebaidos, & vtriusque interpretes. πατρῷος, Pythius, & horum omnium origines & caussas describit. Et ex his Pausanias meminit. Smynthæi lib. 10. & Pythij lib. 1. non semel, & lib. 2. 4. 5. & 8. ad fi. Sed & præter hæc alia multa cognomina ipsius Apollinis memorat idem Pausanias hæc sunt, scilicet, lib. 1. Delphinius de quo etiam Plutarchus in Theseo, & in lib. de Industria animalium, Atqui, inquit, & Dictynnæ Dianæ, & Delphinij Apollinis aræ, templáque per Græciam multa passim sunt. Pollux Onomasticon lib. 8. c. 33. Forum apud Delphinum, ab Ægeo constitutum est: dedicatum autem est Apollini Delphinio & Delphiniæ Dianæ, primúmque ibi iudicatus est Theseus, expians cædem ab illo occisorum latronum & Pallantidarum, quos occidisse quidem confessus est: hoc autem iure fecisse affirmauit. Decatephorus, id est, Decumanus. Parnopius, tanquam dicas Locustarius à locustis, aut Culicarius, siue Bruchis aut culicibus ab eo expulsis. Dionysodotus, id est, à Baccho dictus. Agyieus, id est Compitalis, seu mauis, Compitalicius, siue etiam viarum præses, non semel in eo lib. & iterum lib. 2. & 8. Et de hoc quoque Horatius lib. 4. Carm. Ode 6.

Phœbe, qui Xantho lauis amne crines,
Daunia defende decus camœnæ
Leuis Agyieu.

Et ibi interpretes, Suidas, & Arpocration, & Pollux lib. 9. προόψιος, id est, præsagus, siue præuidens. Pæon. Agræus, id est, agrestis Prostaterius, cuius etiam meminit Sophocles in Electra, & Hesychius. Dictus est autem Apollo Prostaterius, quod ante ianuas statueretur. Latous ad fin. eius lib. 1. de quo Horat. lib. 1. Car. Oda 31.

Frui paratis & valido mihi
Latoe dones,

Statius lib. 1 Syluarum syl. 2. In Epithalamio Stellæ & Violantillæ,

Latous vatum pater, & Semelius Euan.

Item lib. 2. Clarius, Didymæus. De quo Strabo lib. 14. & Vlpianus Epitoma institutionum, c. 22. § deos, vbi ita scribit, Deos hæredes instituere non possumus, præter eos, quos Senatusconsulto, constitutionibus principum instituere concessum est: sicuti Iouem Tarpeium, Apollinem Didymæum, Matrem in Gallia, Mineruam Maliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Ephesiam, Matrem deorum Cybelen, eam, quæ Smirnæ colitur, & Cœlestem Salinensem, Carthaginis. Diradiotes, Ægyptius, Maleates, de quo etiam lib. 3. Thearius, Epibaterius. tanquam dicas conscensorius. Platanistius, Pythaëus non semel in eo lib. 2. Hic enim alius est à Pythio, de quo suprà. Et de hoc quoque ipse Pausanias lib. 3. Item ex lib. 3. Acritas, Carnias, Epidelius: nisi is locus sit, qui Apollini sacer est: nam id incertum est apud Pausaniam. Amazonius. Et lib. 4. Amyclæus. De quo & Thucydides lib. 5. Polybius lib. item 5. Strabo lib. 8. Athenæus lib. 6. c. 4. & lib. 5. Thermius. & lib. 6. Acesius. de quo & nos diximus in Commentariis Nobilitatis, cap. 3. num 9. incip. Pausanias. & lib. 7. Thyrxeus, Theoxenius. & lib. 8. Actius, de quo Virgilius lib. 8. & Propertius (vt iam diximus) lib. 4. eleg. 6. de pugna Actiaca nauali. Cereates, Oncæates, Parrhasius, Clarius. Et lib. 9. Spodius, id est, Cinericius: quoniam eius ara de victimarum cineribus esset extructa. Polios, quòd æquè ac canus dicitur. Boëdromius, de quo & Callimachus in Hymno. Prous, de quo Herodotus lib. 7. Lycophron, Stesichorus & Alexander, & ab eo fortè πτῶον ὄρος, Proum templum in Bœotia supra paludem Copiadem lib. 8. Et idem Pausanias lib. 10. Sitalcas. Alia quoque Athenæus, scilicet, Grynæus. Is namque lib. 4. citat Hermiam in lib. 2. de Apolline Grynæo. & Cumæus eodem loco. Sunt & alia, præter illa, plurima à Lilio Gregorio Gyraldo ex antiquis authoribus recensita in libris de Diis Gentium, Syntagmate 17. videlicet, Lycoctonus, Lycegenes, ex Homero, cuius locus est lib. 4. Iliados, licet eum locum non designet. Lycoreus, Cœlispex, Delphicus, Triopius, κερδῷος, id est Lucrio, Pythoctonos, Hecatombæus, Philesius, Parparius, Tortor, Hyperionides, siue Hyperion, Phaësimbrotus. Epitropius, μαλλόεις, Homerodromus, Bel, siue Beles, Hecatebeletes, Hecatebolos, Hecaërgos, Pegasæus, ἄναξ, id est, Rex, Thyreus, Dicæus, siue Dircæus, Palatinus, Leucadius, Theoxenius, Hysius, Patareus, Cyrinus, Daphnæus, Corypæus, Hylata, Tegyræius, μεταγείτνιος, Abæus, Lichesius, Geruntios, Thelchinius, Mystes, Genitor, Eutresites, Acræphius, Helius, Embasius, & Ecbasius, Gergithius, Hyacinthides,

Apollinem & Liberum eisdem sacris coli. Bacchi cognomina diuersa. Mineruæ varia cognomina.

batur. [k] Obseruatúmque apud Thraces, Lacedæmonios & Bœotios fuit, Apollinem & Liberum patrem eadem sacra habere, iisdémque honoribus coli. [l] Baccho veró Siculi Morichum dixere nomen: [m] Arabes, Oracal & [n] Adoneum: [o] alij Lyæum, [p] Erebinthium, [q] Sabazium: [r] Lacedæmonij Scythitem & Milichium vocitarunt, cuius faciem musto intingere, & fucis ornare vetus mos erat. Tradunt quoque Mineruas diuersis cognominari nominibus: [s] nam & Trigemina,

ANNOTATIONES.

chides, Cons, Thymbræus, Tytbanos, Aphetor, Enholmos, Chrylotoxus, Clytotoxos, Arcitenens, Chrysocbeses, Crinitus, Chrysaor, Leschecurius, Leschinarios, Orchestes, Phyxius, Nappæus, Telmissius, Eutryptos, Tornax, Larissenus, Stobæus, Tilphossius, Tilphusa, Telphusius, Phyllæus, Tarrhæus, Seliuuncius, Salgaoeus, Musagetes (nec in repertorio Pausaniæ, vbi Musarum ductor, nam idem est) Marmatinus, Aleuromantis, Tiagius, Ixius, Styracites, Illeus, Ægletus, Mancons, Dynastas, Carson, Cillæus, Hellius, siue Hielios, Ecisatheus, Cassius, Astypalæus, Odryssens, Euryalus, Zotestas, Zotelestes, Therelimius, Eresins. Thyius, Thoapus, Thecmius, Sosianus, siue Susianus, Aperca. Quibus & tu adde quod *ἰσομφῖος* à Sophocle dicitur. ab ea parte scilicet, Tripodis, in qua Vates sedere solebat, vt scribitur in Commentariis Aristophanis.

k *Obseruatúmque.*] Id vsque ad versic. Bacchu. est Macrobij multorum testimoniis lib. 1. Saturnal. c. 18.

l *Baccho verò Siculi Morichum*] Xenodotus, aut, vt alij vocant, Zenobius, in collectaneis.

m *Arabes, Oracal.*] Herodotus lib. 3. non longè post princ. scribit hos Dionysium, quem Vrotalt, & Vraniam, quam Alilat vocant, solos deorum esse arbitrari.

n *Et Adoneum.*] Ausonius Epigrammate 30.

Ogygia me Bacchum vocat,
Osirim Ægyptus putat,
Mystæ Phanacem nominant,
Dionyson Indi existimant,
Romana sacra Liberum,
Arabica gens Adoneum,
Lucaniacus Pantheum.

o *Alij Lyæum.*] Plutarchus in lib. de Cohibenda iracundia Ouid. lib. Metam. 4. post princ. nomina Bacchi enumerans, sic ait,

Thuraqué dant, Bacchumq; vocant, Bromiúmque. Lyæúmque,
Ignigenámque, satumque iterum, solumque Bimatrem.

Idem Ouid. Amorum lib. 2. eleg. 11.

Illic apposito narrabis multa Lyæo,
Penè sit vt mediis obruta nauis aquis.

Et lib. 3. eleg. 15. & vlt.

Corniger increpuit thyrso grauiore Lyæus:
Pulsanda est magnis area maior equis.

Phurnutius & Seruius huius cognominis rationem reddit lib. 4. Æneidos, ibi,

Gens apulata toris Lenæum libat honorem.

p *Erebinthium.*] Hesychius ἐρέβινθος διόνυσος, vsurpat pro eo, qui nullius rei homo sit, nec dignus: iuxta, inquit, prouerbium, Ciceriuum ius. de quo Erasmus Chil. 2. cen. 6. c. 47.

q *Sabazium.*] Strabo lib. 10. ex Demosthene in oratione de corona. Diodorus Siculus lib. 4. cap. 2. vbi de Baccho & eius cognominibus, sic ait, Tradunt quoque & alter multa prior ætate fuisse Bacchus, quem aiunt ex Ioue & Proserpina natum, & nonnullis appellatum Sebazim. Huius genus sacra, honoréſque propter pudorem nocturna occultáque agunt. Stephanus de Vrbibus, vbi de Sabis loquitur, Cic. lib. 2. de legib. Nouos verò deos (inquit) & in his colendis nocturnas peruigilationes sic Aristophanes facetissimus poëta veteris comœdiæ vexat, vt apud eum Sabazius, & quidam alij dij de peregrinis iudicati è ciuitate eiiciantur. De Sabazio sic Cicero lib. 3. de Natura deorum scribit. Tertium Dionysium Caprio patre eúmque regem Asiæ præfuisse dicunt, cui Sabazia sunt instituta. Citatur τὸ σαβάζιν epicheton ex Orpheo. Reperitur certè apud Aristophanem cùm in Vespis, tum in auibus. Commentator ait sic Bacchum, seu Dionysium à Thracibus nominari. Atque idem in Auibus annotat, Sabazion à Phrygibus coli, eiusque sacerdotes σαβοὺς fuisse dictos citatque authorem Heracleoten. Monet præterea hanc appellationem ipsum habere à sacris. Nam barbaros σαβάζειν dicere τὸ εὐάζειν καὶ τὸν ἀλαλαγμὸν σαβασμόν.

r *Lacedæmonij Scythitem & Milichium.*] Sosibius tradit Sycitem Dionysium à Lacedæmoniis cultum, quod petræque significat atque ficulneum: verùm Hesychius Sycearem legere videtur. Atque ideo sic appellatum, quòd ab eo ficum repertam dicunt: quo etiam nomine Milichius aliquando dictus est, quòd & milica ficus appellata est. Pausanias autem lib. 1. iterúmque 2. Milichij Iouis meminit & lib. 10. ad finem, Milichiorum deorum, quos interpretantur blandos, placidos, mites, iucundos, mansuetos, clementes, placabiles. Et Plutarch. in lib. de cohibenda ira scribit deorum regem Milichium appellari. Extatque epigramma Leonis Philosophi de Milichio Ioue lib. epigram. 1.

— μηδ' ὁ νοίων,
ζῶσδε μειλιχίοιο λαχὼν θρόνον ἀνέρος ὄιτον.

Id est,

Ne quidem intelligam Iouis Milichij sortitus solium, hominis perniciem. His autem Bacchi cognominibus adde Omesten & Mænolen, quæ sunt crudelitatis & insaniæ cognomina ex lib. Plutar. de cohibenda ira. Et Euion ex Horatio Carm. lib. 1. ode. 18.

Monet Sithoniis non leuis Euius.

Et Ouid. lib. 3. de arte amandi,

Pars Hymenæa canunt, pars Euio, euio clamat:
Sic coeant sacra nupta deusque toro.

Persio Satyra 1.

— Et Lyncem Mænas flexura Corymbis
Euion ingeminet, reparabilis adsonat Echo.

Statio lib. 2. Thebaidos,

Et tunc forte dies noto signata Tonantis
Fulmine, prærepti cùm te tener Euie partus
Transmisere patri.

Dictus est autem Euius Bacchus, quòd cùm in Gigantomachia dimicans non apparuisset, Iupiter pater eum à Gigantibus discerptum iudicauit, dixitque Heu, quæ vox gementis est, deinde adiecit υἱὸς, id est, filius. Acron tamen in Horatium ait, Bacchum in ea contra Gigantes pugna in leonem à Ioue mutatum, Gigantem interfecisse in conspectu patris, ad cuius facinoris comprobationem, dixerit Iupiter, εὖ υἱὲ, id est, ô bone fili. Horatius 2. Car. ode 19.

— Euœ, parce Liber.
Parce graui metuende thyrso,

Et paulò post:

Tu, cùm parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhœtum retorsisti, leonis
Vnguibus, horribilique mala.

Hinc patronymicum Euias, quod Bacchi sacerdotem significat. Hor. Car. lib. 3. ode 25.

— Non secus in iugis
Ex somnis stupet Euias,
Hebrum prospiciens & niue candidam Thracem.

De nominibus Bacci copiosè Ouid. lib. Metam. 4. Diod. Siculus l. 4. c. 2. & Lilius Gyraldus de Diis gentium Syntag. 8.

s *Nam & Trigemina.*] Nullibi, quod sciam, Mineruam Trigeminam vocatam legi: verùm Tritoniam & Tritogeniam sæpissimè. De primo Herodotus 4. lib. Silius Italicus lib. 3.

Hinc

[t]Glaucopis & [u] Sais ab Ægyptiis appellatur: [x] à Milesis Assisia, apud quos mirificum fuit templum: à [y] Græcis Artemis, [z] à Cretensibus Dictynna, [a] Phebe & Diana: [b] à Siculis Lyen, quia parturientium soluit dolores, [c] Prima enim fertur Iouis filia: secunda, Nilo orta, quã Ægyptij Saleten dixerunt: tertia quam Arcades Chorion nominant quarta Pallantis, quæ patrẽ interemit ipsam vitiare conantem, cui pinnarum talaria affinxerunt. Mercurium quoque multiplici ferunt vocatum nomine: [d] Galli

ANNOTATIONES.

Hinc qui stagna colunt Tritonidos alta paludis,
Quia virgo, vt fama est, bellatrix inclyta lympha,
Inuento primam Libyen perfudit oliuo.

Idem lib. 9.

Et Pallas Libycis Tritonidos edita lymphis.

Pomeonius Mela lib. 1. cap. 7. Vbi Africam minorem describit, Super hunc, inquit, ingens palus amnem Tritona recipit ipsa Tritonis: vnde & Mineruæ cognomen inditum est, vt incolæ arbitrantur ibi genitæ, faciúntque ei fabulæ aliquam fidem, quòd, quem natalem eius putant, ludicris virginum inter se decertantium celebrant. Lucanus Melæ accinit lib. 9. his versibus.

Torpentem Tritonos adit illæsa paludem.
Hanc (vt fama) deus, quem toto littore pontus
Audit ventosa perflantem littora concha:
Hanc & Pallas amat, patrio quòd vertice nata,
Terrarum primam Libyen (nam proxima cælo est,
Quod probat ipse calor) tetigit, stagnique quieta
Vultus vidit aqua, posuítque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab vnda.

De secundo Diodorus Siculus lib. 3. cap. 5. & lib 6. cap. 15. Custodiam, inquit, filiæ Mineruæ permisit, paulò ante hæc tempora circa Tritonem fluuium; vnde & Tritonia dicta est, genitæ. Sext. Pompeius lib. 18. scribit Tritogoniam Mineruam à ripa Tritonis fluminis dictam, quòd ibi primitus sit visa. Seruius in lib. 2. Æneidos ibi,

Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.

Critonia (inquit) aut quasi terribilis ἀπὸ τοῦ τρεῖν. id est, timere, aut secundum Lucanum, vt diximus. Hesychius. Plutar. in lib. de Iside & Osiride. Verùm Hecaten Tergeminam dictam probat illud Virgilij lib. 4. Æneid.

Tergeminámque Hecaten, tria virginis ora Dianæ,

Ex quo Alexander posset hîc excusari: quoniam nonnulli putant Hecaten & Dianam eandem esse. Cui opinioni refragatur ille idem locus, qui eas, vt diuersas ponit, ne longè testimonia alia petamus.

t *Glaucopis.*] Hoc est, glauca oculos, vel cæsia Minerua. Cicero lib. 1. de Nat. deor. Isto enim modo dicere licebit Iouem semper barbatum, Apollinem semper imberbem, cæsios oculos Mineruæ, cæruleos esse Neptuni. Mineruæ autem perpetuum esse apud Homerum. & alios videbis in nostris legibus connubialib. l. 2.

u *Et Sais.*] Herodot. lib. 2. Cicero lib. 3. de Natur. deorum, quo loco infra citabimus Propertius lib. 2. elegia 2.

Mercurióque Sais fertur Boebeidos vndis
Virgineum primò composuisse latus.

Arnobius aduersus gentes lib 4.

x *A Milesiis Assisia*] Asia scribendum est, aut Assesia: vtroque enim nomine cognominata est. Priore scilicet apud Pausan. lib. 3. non adeò longè à fin. Inter eas ipsas ruinas templum extat Mineruæ cognomento Asiæ. Pollucem & Castorem erexisse tradunt, quo tempore è Colchica expeditione reduces reuerterunt, fuisse verò & Colchis Asiæ Mineruæ templum. Altero verò apud Herodotum libro 1. Duodecimo autem anno incensis ab exercitu segetibus, hoc rei fieri contigit, segetes vt erant incensæ, valido vrgente vento celerrime peruaserunt Mineruæ templum, cognomento Assesia, quo incendio templum deflagrauit. Et Stephanus de Vrbibus authoritate Theopompi lib. 24:

y *A Græcis Artemis.*] Non memini me legisse Mineruam Artemidem dictam, sed tantùm Dianam vbique, & huius appellationis rationem docet Plato in Cratylo, vti etiam Strabo lib. 14. Apollo, inquit, salutifer est. Et Artemis ex eo dicitur, quòd integros faciat. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 15. & Phurnutus. sed vide, quæ dicam infrà.

z *A Cretensibus Dictynna.*] Nec Mineruam quoque ita vocatam à Cretensibus, aut aliis, sed Dianam apud Diodorum Siculum lib. 6. cap. 15. aut aliorum computatione lib. 5. c. 15. Palephatus in lib. ἀπίστων. Et hoc quoque nomine appellat Tibullus lib. 1. eleg. 4. ad Priapum,

Perque suas impunè sinit Dictynna sagittas,
Affirmes, crines pérque Minerua suos.

Ouid. Metamorph. lib. 2.

Ecce suo comitata choro Dictynna per altum
Mænalon ingrediens. ——

Et Statius lib. 9. Thebaidos.

Per te Maternos mitis Dictynna labores,

Et ibi Lactantius interpres sic scribit, Dictynna ob id dicta Diana Britomartis filia, virgo Cretensis Dianæ à retibus piscatorũ, quæ Græcè δίκτυα nominantur: à quibus huius corpus inuentum, extractum est. Insula tamen Creta pestilentia laborauit, quam euadere penitus nequiuissent, nisi templum Dianæ instituissent, eamq; Dictynnam vocassent à retibus. Et Pausan. lib. 3. non longè à fin. & iterum lib. 10. quam (inquit) Ambrossenses potissimum venerantur.

a *Phœbe & Diana.*] Nec vsquam reperies Mineruam Phœbam dictam, sed Lunam, quæ à plurimis eadem cum Diana existimatur. Virgil. lib. 1. Georg. de Luna.

----Vento semper rubet aurea Phœbe.

Ouid. lib. 1 Metamorph. non longè post princ.

Nec noua crescendo reparabat cornua Phœbe.

Et iterum eodem lib. de Diana,

----Fugit altera nomen amantis
Syluarum latebris, captiuarúmque ferarum
Exuuiis gaudens, innuptæque æmula Phœbes.
Vitta coercebat positos sine lege capillos.

Et lib. 2. eiusdem operis de Luna,

Quantò splendidior, quàm cætera sydera fulget
Lucifer, & quantò, quàm Lucifer aurea Phœbe.

Et lib. 6. eiusdem operis de Luna,

Desine, Phœbus ait, pœna mora longa querela est.
Dixit idem Phœbe.

Et in epist. Acontij ad Cydippen ad fi. in epilogo de Diana,

Hæc tibi me in somnis iaculatrix scribere Phœbe,
Hæc tibi me vigilans scribere iussit Amor.

b *A Siculis Lyen.*] Diomedes & Probus id cognominis Dianæ à Siculis adscribunt: eiusq; rei causam afferunt. Hæc eorũ verba sunt, Antequam Hiero Syracusas expugnaret, morbo Sicilia laborabat (vel, vt Probus ait, lue pecora interibant) varia & assiduis cæremoniis Dianam placantes, finem malis inuenerunt, eandem Lyen cognominauerunt, quasi solutricem malorum.

c *Prima enim.*] Hæc vsque ad verbum, Mercurium, sunt Ciceronis lib. 3. de Natura deorum Minerua prima, inquit, quam Apollinis matrem suprà diximus. Secunda orta Nilo, quam Ægyptij Saitæ colunt. Tertia, quam è Ioue generatam suprà diximus. Quarta, Ioue nata, & Coryphe Oceani filia, quam Arcades Coriam nominant, & quadrigarum inuentricem ferunt. Quinta, Pallantis, quæ patrem dicitur interemisse, virginitatem suam violare conantem, cui pinnarum talaria affingunt. Ex quibus vides Alexandrum hîc vnam omisisse, & perperàm Saleten, pro Saiten hîc posuisse. Ex hísque intelligis totum hunc Alexandri locum ab illis verbis, A Græcia Artemis. esse corruptum ac confusum.

d *Galli Theutatem.*] Id est, mortis deum Lucan. lib. 1.

etenim Theutatem, [e] Ægyptij verò Their appellarunt, [f] quos quinque numerari plerique autumant, [g] sicut Vulcanos plures. [h] Cybelem quoque alij Rheam dixere, [i] alij Berecynthiam. [k] plerique Bonam deam. [l] iisdem verò Phryges Pessinuntiam matrem deûm vocant: [m] Attici Cecropiam Mineruam, Cyprij Paphiam Venerem, Cretes Dictynnam Dianam, Siculi Stygiam Proserpinam, Eleusini vetustam Cererem, alij Iunonem, nonnulli Bellonam, plerique Hecatem. [n] Prima verò iunonia ædes à Camillo dicata est in Auentino, quæ cæteris longè multùmque præstitit, ad quam simulachrum Iunonis Veientanæ allatum memorant, quam Reginam nominatam volunt. [o] Altera in Capitolio, iuxta [p] quam sacri anseres pascebantur, quæ & Regina dicta est. [q] Tertia in arce, cognomento Monetæ, in area in qua M. Manlij Capitolini domus fuit, quam à L. Furio dictatore votam nonnulli memorant. nam quum nouo motu tota vrbs contremisceret, & quibus piamentis, cùm ve

Cybeles nomina.

Iunonis ædes & aræ diuersæ Romæ.

ANNOTATIONES.

Ex quibus immitis placatur sanguine diro
Theutates, horrénsque feris altaribus Hesus.

Lactantius lib.1. cap.21. Liuius 3. Decad. lib.6. in oppugnatione nouæ Carthaginis, Quod vbi versus Scipio in tumultum, quem Mercurium Theutatem appellant, aduertit, multis partibus nudata defensoribus mœnia, esse omnea è castris excitos ire ad oppugnandum vrbem & ferre scalas iubet.

e *Ægyptij Their.*] Plato in Philebo & Phædro Theuth dicit. de quo & nos suprà diximus. Lactantius Diuinarum Inst. lib.1. cap.6. Apud Cicer. lib. scilicet 3. de Diuinat. inquit, C. Cotta Pontifex disputans contra Stoicos, de religionibus & varietate opinionum, quæ solent esse de diis, vt more Academicorum omnia faceret incerta, quinque fuisse Mercurios ait: & enumeratis per ordinem quatuor, quintum fuisse eum à quo Argus occisus sit, ob eámq; causam in Ægyptum profugisse, atque Ægyptiis leges ac literas tradidisse. Hunc Ægyptij Theuth. appellant, à quo apud eos prima anni sui mensis, id est, September, nomen accepit. idem oppidum condidit, quod etiam nunc Græcè vocatur Ἑρμόπολις, & Saitæ seruant & colunt eam religiosè: Qui tametsi homo fuerit antiquissimus, tamen & instructissimus omni genere doctrinæ, adeò vt ei multarum rerum & artium scientia Trismegisto cognomen imponerent. Hactenus Lactantius.

f *Quos quinque numerari.*] Scilicet Mercurios ex Cicerone vbi suprà.

g *Sicut Vulcanos plures.*] Cicero d. lib.3. de Natura deorum, paulò ante ea quæ suprà adduximus, sic scribit, Vulcani item complures. Primus cœlo natus, ex quo & Minerua Apollinem eum; cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt. Secundus in Nilo natus Opas, vt Ægyptij appellant, quem custodem esse Ægypti volunt. Tertius è tertio Ioue & Iunone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse. Quartus Mænalio natus, qui tenuit insulas propter Siciliam, quæ Vulcaniæ nominabantur.

h *Cybelem quoque alij Rheam dixere.*] Strabo libro 10. non semel

i *Alij Berecynthiam.*] Strabo ibi, & Virgil. lib.6. Æneid.
—— *Qualis Berecynthia mater*
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes.
Et lib.9.
Ipsa deûm fertur genitrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Iouem.

Et ibi Seruius declarans cur ita vocetur, & D. Augustinus lib. Ciuitatis Dei 2. cap. 4. & Fulgentius Mythologicôn lib.3. vbi de ipsa Berecynthia & Aty. Hincque cornu Berecinthium Horatio lib.1. Carm. Ode 18.
—— *Saua tene cum Berecynthio*
Cornu tympana.
Quo scilicet excitabantur ad furorem sacerdotes Cybeles Berecynthiæ. Ouid. lib.4. Fastorum,
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & idea festa parentis erunt.
Atque etiam tubæ Berecynthiæ eidem Horat. lib. 3. Carm. Ode 19.
—— *Cur Berecynthia*
Cessant flamina tibia?

Vbi Acron & Porphyrion interpretes scribunt, Berecynthiam esse vrbem Phrygiæ: vnde & tibiæ Phrygiæ, quæ sacris Matris deûm adhiberi consueuerant.

k *Plerique Bonam deum.*] Vide infrà cap.7.

l *Iisdem verò Phryges.*] Strabo lib.10. & Apuleius lib.11. non multò post princ.

m *Attici Cecropiam Mineruam.*] Hæc omnia vsque ad verbum, Prima, sunt Apuleij d. lib.11.

n *Prima verò Iunonis ædes à Camillo.*] Liuius 1. Decad. li.5. in tribus locis, & 3. Decad. lib. 2. post princip. iterúmque lib.7. vbi dicit, tactam de cœlo ædem in Auentino Iunonis Reginæ. Valerius Maximus lib.1. cap. 8. Plutarchus in Camillo, Lactantius lib. 2. cap.17. P. Victor in 13. regione vrbis. Pomponius Lætus in Compendio Historiarum Rom. vbi de Magnitudine imperij Rom. loquitur, scribit, M. Furium Camillum, capitis Veiis, Veientanam Iunonem vrbi intulisse.

o *Altera in Capitolio.*] Cicero in Orat. ad Equites Rom. antequàm iret in exilium, Nunc ego, inquit, Iupiter Opt. Max. cuius nutu ac ditione sola terrarum gubernantur: téque particeps connubij socia ac regni Regina Iuno: téque Tritonia armipotens, Gorgona, Pallas, Minerua, cæterique dij, deæque immortales, qui excellenti tumulo ciuitatis sedem Capitolij incolitis constitutam, &c. oro atque obsecro, ferte opem pariter Reip. cunctæq; ciuitati, meisq; fortunis. Templum etiam Iunonia Reginæ babuisse Capitolium, testis est Liuius, vbi de bello gesto à Cn. Flaminio contra Ligures. Valerius Maxim. lib 1. cap. 8. de Miraculis, scribit, Voluntarium Iunonis Monetæ, quam Liuius Reginam vocat, in vrbem Rom. transitum.

p *Iuxta quam sacri anseres.*] Anseres Romanis curiæ fuisse ob capitolium defensum eisque cibaria à Censoribus locari testantur Plinius libro 10. cap. 22. & Seruius in libro 8. Æneid. ibi.
Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus Gallos in limine adesse canebat.
In capitolio, inquit, in honorem illius anseris, qui Gallorum nunciarat aduentum positus fuerat anser argenteus. Marlianos lib.2.c.5.

q *Tertia in Arce.*] Monetam à monendo dictam esse Cicero de Diuinat. 1. monet his verbis, Vocem ab æde Iunonis ex arce extitisse, quo circa Iunonem illam appellatam Monetam. Ouidius lib. 1. Fastor.
Candida te niueo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus.
Nunc bene prospicies Latiam Concordia turbam,
Nunc te sacrata constituere manus.
Furius antiquum populi superator Hetrusci
Vouerat, & voti soluerat ille fidem.
Id Camili voto factum canit idem Ouidius libro Fastor.6.
Arce quoque ex summa Iunoni templa Moneta,
Ex voto memorant facta Camille tuo.
Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Ioue.
Liuius 1. Dec. lib.7. Anno, inquit, postquàm vota erat, ædes Monetæ dedicatur, C. M. Rutilio III. T. Manlio Torquato II. Coss. Prodigium extemplò dedicationem sequutum, simile vetusto montis Albani prodigio. Plutarchus in Romulo

deo sacrum fieret, non dinoscerent, ex arce vocem auditam ferunt, monentem, vt sue plena sacrum Iunoni & procuratio fieret: inde Monetę nomen datum. [r] Nouimus quoque in vico Iugario aram Iunonis Iugę conspici, quę coniugiis pręesse dicebatur, [f] sicut Cinxia & [t] Gamelia Iuno, à nubentibus sanctè colebatur: cui sacrificantes obseruabant vt bilem à visceribus hostię dimoueant, illamq; iuxta aram defodiant loco abdito & operto, vt signarent sine bili matrimonia esse oportere. [u] In Exquiliis quoque Lacinię Iunonis templum fuit, & [x] in foro Olitorio ara Iunonis Matutę: [y] Ædem in Palatio etiam Iunonis Sospitę summo honore cultam inuenimus, iuxta templum Cybeles, [z] cuius aram Numę legibus pellex tangere vetabatur. [a] Nam in colle Viminali, [b] & in porticu Octauię, Iunonis templum & aram fuisse vulgo proditum memorię est. Neque omittendum, noua religione & barbara cęremonia apud diuersas gentes Iunoni sacrum fieri: [c] nam Lauini templum Iunonis erat, & iuxta specus, vnde prodiens draco, virginis manu pascebatur. [d] In Syria in phano antiquissimo sacerdotes dum Iunoni sacrificant, inuicem digladiantur, [e] sicut Corybantes in sacris magnę deę, & [f] in templo Dianę apud Ariciam: apud Crotonem sacerdos breui scuto superstans sacrum facit, & victi-

Sacra Iunonis diuersa.

ANNOTATIONES.

Romulo scribit, Tatium Sabinorum Regem eam vrbis partem incoluisse. vbi nunc Monetæ est templum, qua ex Palatio in Circum maximū itur, iuxta queın locum sunt, quos pulcræ Monetæ gradus vocant. Tatius in arce, vbi nunc est ædes Iunonis Monetæ, qui anno quinto, quàm ingressus vrbem ferat, à Laurentibus interemptus, septima & vigesima Olympiade, hominem exuit, vt inquit Solinus cap. 1. Lactantius cap. 8. lib. 2. Monetæ ædem Cal. Iun. dedicatam scribit Macrob. Satur. lib. 1. cap. 12. Hanc Lucanus lib. 1. Castrensem vocat,

Numina miscebit castrensis flamma Moneta.

r *Nouimus quoque in vico Iugario.*] Festus Pompeius lib. 9. non longè post princ. Iugarius vicus dictus Romæ; quia ibi fuerat ara Iunonis Iugæ, quam putabant matrimonia iungere. Et de hac quoque Iunone Iuga, siue Iugali, Seruius in 4. lib. Æneid. super hæc Didonis verba,

Ne cui me vinclo vellem sociare iugali.

Propter iugum, inquit, quod imponebatur matrimonio coniungendis: vnde & Iuno Iugalis dicitur.

s *Sicut Cinxia.*] Iam de ea suprà diximus.

t *Et Gamelia.*] Hoc est, Nuptialis Iuno, in nuptiis colebatur. Plutarchus in Præceptis Connubialibus cap. 28. Eusebius Præparationis Euangelicæ, lib. 3. Et huius quoque meminit Græcus Pindari interpres.

u *In Exquiliis quoque Lacinia.*] Virgil. lib. Æneid. 3.

—— Attollit se diua Lacinia contra.

Et ibi Seruius, Lacinia, inquit, templum Iunonis Laciniæ, à rege conditore, vt quibusdam placet, dicitur. Vel, secundum alios, à latrone Lacinio, quē illic Hercules interemit: & in hoc expiato loco, templum Iunoni condidit. Strabo lib. 6. Post Scylletium Crotoniarum fines sunt & Iapygum terna promontoria: deinde Lacinium Iunonis templum, superiori ætate locupletissimum, donisque frequentissimis plenum. Liuius 3. Dec. lib. 4. Sex millia aberat ab vrbe nobile templum, ipsa vrbe nobilius, Laciniæ Iunonis, sanctum omnibus circa populis. Et lib. 8. in fin Propter Iunonis Laciniæ templum æstatem Hannibal egit, ibique aram condidit, dedicauitq; cum ingenti rerum ab se gestarum titulo Punicis, Græcisq; litteris insculpto. Et lib. 10. eiusdem Dec. Hannibal, quod roboris in exercitu erat in Africam transuexit: multis Italici generis, quia in Africam sequuturos abnuentes, concesserant in Iunonis Laciniæ delubrum, inuiolatum ad eam diem, in templo ipso fœdè interfectis. Et 4. Dec. lib. 7. post princ. Romæ Iunonis Laciniæ templum de cœlo tactum erat, ita vt fastigium valuæq; deformarentur. Et 5. Dec. lib. 2. post prin. Iterúmque postea aliquot interiectis scribit eius templi violationem. Plin. lib. 7. c. 7. scribit in Laciniæ Iunonis ara sub dio sita, cinerem immobilem esse, perflantibus vndique procellis. Valer. Max. li. 1. cap. 2. de Neglecta religione, scribit Ful. Flaccum non impunè tulisse quòd in Censura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ equestris, quam Romæ faciebat, transtulerit. Lactant. lib. 2. cap. 8.

x *In foro Olitorio ara Iunonis Matutæ.*] Liu. 4. Decad lib. 4. non longè à fi. Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt: vna Iunonis Matutæ in foro Olitorio, vota locatáq; quadriennio antè à C. Cornelio Coss. Gallico bello. Cēsor idem dedicauit. Altera Fauni. P. Victor in vndecima vrbis regióne eam in foro Olitorio constituit.

y *Ædem in Palatio etiam Iunonis Sospitæ.*] Ouidius Fastor. lib. 2.

Principio mensis Phrygiæ contermina matri.
Sospita delubris dicitur aucta nouis.

Cicero lib. 1. de Natu. deorum, quatuor Iunones inter se confert: duas Sospitas prius, vnam nimirum quæ Romæ colebatur, cuius templum in Palatino fuisse memoratur: alteram Lanuuinam. Romanorum Sospita, Lanuuinórumque Iuno, velut eadem suo apud Cic. d. loco depingitur habitu. Fuit enim eadē id quod ex oratione pro Murena sub finem, & ex Liuio lib. 8. ab V. C. colligitur. Textum & Cicer. & Liuij iā suprà adduximus, P. Victor in decima regione delubrum Sospitæ Iunonis ædis matris deûm fuisse conterminum, scribit. Cic. lib. 1. de Diuin. Marlianus lib. 2. c. 18.

z *Cuius aram Numa legibus.*] Gellius lib. 4. c. 3. Legis hæc verba sunt, Pellex ædem Iouis ne tangito. Fest. Pompeius eius legis verba ponit, in quibus Iunonis simpliciter, non Sospitæ fit mentio.

a *Nam in colle Viminali.*] P. Victor in regione quinta, constituit templum Iunonis Lucinæ in colle Viminali.

b *Et in porticu Octauia.*] Plinius lib. 37. cap. 5. Intra Octauiæ porticus, inquit, in Iunonis æde Æsculapius & Diana. Marlianus lib. 3. cap. 11. Porticum Octauiæ ἀκροπαρχὸν significauit Ouid. lib. 1. de Arte hoc versu,

Aut vbi muneribus nati sua munera mater
Addidit externo marmore diues opus.

c *Nam Lauini.*] Cicero lib. de Natu. deorum 1. Liuius 1. Dec. lib. 8. & 3. Decad lib. 2. post princ. & lib. 9. & 4. Decad. lib. 10. vbi scribit Lauinij simulachrum Iunonis Sospitæ lachrymasse.

d *In Syria.*] Lucianus in Lucio, siue asino, de Syraicis sacerdotibus scribens, inquit, Illi mitras proiicientes, & ceruicem subtus intorquentes, gladiis brachia dissecabant.

e *Sicut Corybantes.*] Vide Platonem in Euthydemo, Strabo lib. 10. Lucanus lib. 1.

—— Crinemq́; rotantes
Sanguineum populis vlularunt tristia Galli.

Corybantes, qui & Galli dicebãtur, sacerdotes sunt Cybeles deûm matris. Hi insani caput per furorē rotant cultrisque faciem & masculos corporis totius dissecant, morsibus quoque seipsos impetunt, cum maiore se correptos furore, vel simulant, vel reuera sentiunt. Apul. lib. 8. Metam.

f *Vel in templo Dianæ apud Ariciam.*] Iuxta Ariciam lucus est Dianæ, Artemisium vocant, vbi Barbaricus Scythicúsque mos obseruatur. Namque sacerdos instituitur fugitiuus quidam vir gladium tenens, & insultus semper circumspectans, & vt inquit Strabo lib. 5. ad se tuendum strenuè paratus. Scribit Seruius in hoc Artemisio fuisse arborem illam quam celebrat Virgil. in 6. (ibi)

mam Iunoni cædit. In Samo nisi habitu rubentis & nuptiarum solennibus seruaris, Iunoni sacrum facere non licet. In [g] Stymphalo Arcadiæ Iunoni triplex sacrum ex tribus cognominibus fit: vnum, velut puellæ: alterum, vt Ioui nuptæ: tertium, velut viduæ. [h] Sami quoque, vt dicata Iunoni templa, Lysandria vocentur, senatusconsulto cautum fuit: & Argis in ara Iunonis nulli externo aut peregrino sacrum facere permittit.

Lysandria.

ANNOTATIONES.

Aureus, & foliis, & lento vimine ramus.) de qua infringi ramum non licebat. Hanc historiam Pausanias in Corinthiacis tangit, qui sacerdotes apud Ariciam alij aliis succedebant: non enim ingenui hoc munus obibant, sed serui idem fugitiui: qui singulari certamine inter se dimicant, cum victoria etiam sacerdotium aspiciebantur: sempérque victor idem & successor alterius erat, quem morem etiamnum suis temporibus durasse scribit. Id peculiariter regnum vocabatur, & ipse sacerdos rex Nemorensis dictus à nemore illo Dianæ sacrato, quòd Artemisium noncupari significauimus. Hioc ab Ouidio dictum est in 3. Fastor.

Regna tenent fortes manibus, pedibúsque fugaces,
Et perit exemplo postmodo quisque suo.

Item in primo de Arte amandi,

Ecce suburbana templum memorale Dianæ,
Partáque per gladios regna nocente manu.

Hinc Val. Flaccus in 2. Argonaut.

—— *Et soli non mitis Aricia regi.*

Lucanus quoque lib. 3.

Qua sublime nemus, Scythicæ qua regna Dianæ.

Caligula, qui omnium commodis incommodabat, immisit quendam fugitiuum robustiorem, qui cum rege illo Aricino sacerdote, qui iam multos annos sacerdotio potitus erat, depugnaret: vt ita superatus & vita spoliaretur & sacerdotio, etsi sacerdotium erat viliotis coodicionis Author Tranquillus in Caligula cap. 35.

g *In Stymphalo.*] Pausan. lib. 8. In antiqua Stymphalo (inquit) Temenum habitasse aiunt, Pelasgi filium, cúmque Iunonem educasse, & tria templa Deæ extruxisse, totidem etiam indidisse ei cognomenta. Cum virgo adhuc esset παῖδα, id est adolescentulam appellauit, Ioui autem iam nuptam, τέλειαν, id est perfectam. A Ioue denique, cùm ob dissidium, qualecunque tandē id fuerit, discessisset, & Stymphalum rediisset, χήραν, id est, Viduam nominauit.

h *Sami quoque.*] Plutarchus in Lysandro.

Ex quibus oppidis, quibúsque regionibus, aut terrarum oris ingenio clari & præcipua doctrina viri plures euasere. CAPVT V.

EX multis magnis animis, amplissimísq; ingeniis, quæ vnquam vidimus aut legimus, illorum qui studio disciplinarum exteras nationes conquisiuere, in primis [a] Homerus fuit, Orpheus, [b] Eudoxus, [c] Democritus, [d] Pythagoras, [e] Archyta, & [f] Plato, clari sapientia: qui ad Gymnosophistas, spectandósque siderum motus, disciplinásque ediscēdas, tanquam ad mercaturam bonarū artium profecti sunt. [g] Is verò Eudoxus summus perhibetur astrologus, qua tēpestate Galli Senones vrbē peruastarunt. [h] Pythagoras Tarquinij Superbi tempore viguit. [i] Platonem verò post quadringentesimum vrbis annum ad Dionysium venisse fama vulgauit. Archyta autem dum

Eudoxus. *Pythagoras.* *Plato.* *Archita.*

ANNOTATIONES IN CAP. V.

a HOmerus.] Herodotus in libello de vita Homeri.

b *Eudoxus.*] Diogenes Laërtius in vita illius.

c *Democritus.*] Idem Laërtius in vita illius post princ. & Cicero lib. 5. de Finib. Platonis & Pythaguræ peregrinationes scribens de Democrito sic tradit, Cur hæc eadem Democritus [qui verè falsóve quereremus) dicitur ocolis se priuasse: certè vt qoàm minimè animus à cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deseruit incultos, quid quærens nisi aliud beatam vitam, quam si etiam in rerum cognitione ponebat: tamen ex illa inoestigatione naturæ consequi volebat, vt esset bono animo. Idem enim ille summum bonum εὐθυμίαν, & sæpè ἀθαμβίαν appellat: id est animum terrore liberum.

d *Pythagoras.*] Id enim amore indagandæ veritatis, ad Ægyptios, Magos, & Persas vsque penetrauit, vt scribit Lactantins lib. 4, cap. 2. & ante eum Cicero lib. 5. de Finibus.

e *Archita.*] Laërtios in vita illius, & Platonis. Huius Architæ modestiam in ira sic scribit Cic. Tusc. 4. ex quo illud laodatur Architæ, qui cùm villico factus esset iratior, Quo te modo, inquit, accepissem nisi iratus essem.

f *Plato.*] Nam idem de eo scribit ac de Pythagora Lactantius, vbi nuper citauimus. Et de Platone quoque Cic. dicto lib. de Finib. Cur, inquit, Plato Ægyptum peragrauit? vt à sacerdotibus barbaris numeros & cælestia acciperet? cur post Tarentum ad Architam? cur ad cæteros Pythagoreos Echecratem, Timeum, Acrionem: Locros, vt cum Socratem expressisset, adiungeret Pythagoreorum disciplinam, eáque quæ Socrates repudiabat, addisceret? Plato post Socratis obitum ad Italiam iterum venit, & Pythagoreos Eurytum Tarentinum, & seniorem Architam sectatus, atq; ad Indos & Magos intendisset animum, nisi eum bella tunc vetuissent Asiatica. Author Apuleius in Dogmate Platonis. Et Cicero Tuscul. 1.

g *Is verò Eudoxus.*] Eusebios Cronographus in Olympiade 97. Aul. verò Gellius lib. 17. cap. 21. scribit, hunc Eudoxum Astrologum in Græcia nobilitatum fuisse, non longo tempore post bellum Senonicum, cùm Galli Romam præter Capitolium cœperunt, Lacædemoniique ab Athenensibus apud Corinthum superati fuit duce Phormione. Strabo lib. 17. scribit Eudoxum cum Platone in Ægyptum profectum, & cum sacerdotibus annos tredecim versatum fuisse.

h *Pythagoras.*] Liu. 1. Decad. lib. 1. de Numæ electione loquens, sic scribit, Authorem doctrinæ eius, quia non extat alius, falsò Samium Pythagoram edunt, quem Seruio Tullo regnante Romæ, centum amplius post annos, in vltima Italiæ ora, circa Metapontum Heracleámque & Crotonem iuuenum æmulantium studia cœtus habuisse constat. Aul. Gell. vbi sup. Postea, inquit, Pythagoras Samius in Italiam venit, Tarquinij filio regnum obtinente, cui cognomentum Superbus fuit. Euseb in Olymp. 64. Cic. lib. 2. de Orat. Quidam (inquit) Numam Pompilium illum regem nostrum, fuisse Pythagoreum ferunt, qui annis permultis antè fuit, quàm ipse Pythagoras: quo etiam maior vir habendus est, cùm illam sapientiam constituendæ ciuitatis duobus propè seculis antè cognouit, quàm eam Græci natam esse senserunt. Pythagoras Samius floruit in ea parte Italiæ, quæ magna Græcia dicta est, regnante Tarquinio Superbo, vt ait Cic. Tuscul. 1.

i *Platonem verò.*] Gellius vbi suprà scribit, Paucis annis

post

discendi studio flagrat, multas per oras peregrinatus, captus à piratis, & venundatus est.[k] Sic Thales ille Milesius, cuius sunt multa & miranda inuenta, [l] deinde Solon & [m] Lycurgus, vt legum sanctionúmque quas tulere, causas rationésque curiosius pensitarent, aliique illustres viri, nullū viro cultum aut paratum requirētes, partim Ægyptios & Æthiopes, partim Syros, Arabas, Persas, Parthos, Hyrcanos & Indos, omnes denique terrarum fibras, ac diuersi orbis vltimas oras rimando, nihil inexpertum reliquere, dum studia bonarum artium, & veri cognitionem vndique emendicarent, ita vt ex omnibus sapientissimis viris, quos vlla vnquā tulit ætas, in patrio solo paucissimos feneratos inuenias. Quibus exculti doctrinis, tantum processere, vt multa ingeniorum doctrinarúmque monumenta posteris reliquerint, suásque non vrbes modò & oppida, sed regiones & gētes magnis nominibus nobilitarint. [n] Præcipuè verò Miletus Ioniæ, multiplici doctrina præditis viris excelluisse fertur: nam & Thaletis astrologi, qui inter sapientes adnominatur, Anaximenis philosophi mathematicorum nobilissimi, qui horologium ostendit primus: Timothei musici, & Anaximandri physici, Hecatei historici, atque Æschinis oratoris, qui magno in precio fuere, aliísque scientissimis viris floruisse fertur. [o] Ingenia quoque Asiatica sua laude fraudanda non sunt. Ex hac enim porta Anacreon, Mymnermus, & Antimachus, claro præconio celebrati: deinde Hipponax, & Sappho, atque Alcæus poëta, qui lyricos inuenit. Præter hos, Xanthus, Hecatheus, Herodotus, Ephorus & Theopompus historici, [p] aliíque præcipua doctrina viri, illam sempiternæ laudi memoriæque commendarunt.[q] Fuit præterea Cartheia seu Iulis, parua circa Delon insula, clara ingeniis virísque: ex ea enim Simonides poëta, qui scripsit multa præclarè & Bacchylides, deinde Erasistratus medendi arte clarus, cuius plura documenta sunt: atque Aristo Bionis æmulus ex Peripatetica disciplina, duxere originem, [r] Nec minus ex Bithynia & Cyrenis, non dispari laude censendi. Ex illa enim Zenocrates philosophus, & Dionysius dialecticus, Hipparchus & Theodosius. Item Theophanes orator, in causis forēsibus versatus egregiè, & Asclepiades medicus. Ex [s] Cyrenis verò Callimachus, qui elegos scripsit primus, quo tempore Liuius poëta Romæ fabulā dedit: & Aristippus Socraticus floruisse dicitur,[t] cuius filia Areta tantum ingenio valuit, vt post Aristippum scholas cum laude rexerit, & disciplinas docuerit. [u] Præter quas vr-

Thales. Solon. Lycurgus.

Ex Mileto Ionia.

Ex Asia viri docti.

Ex Cartheia seu Iulide.

Ex Bithynia. Ex Cyrenis.

Alia vrbes doctis viris clara.

ANNOTATIONES.

post Alexandrum natum, Platonem philosophum ad Dionysium Siciliæ tyrannum posteriorem profectum fuisse.

k *Sic Thales ille Milesius.*] Laërtius in vita illius.

l *Deinde Solon.*] Plutarchus & Laërtius, vterque in vita illius.

m *Et Lycurgus.*] Plutarchus in vita quoque illius.

n *Præcipuè verò Miletus.*] Hæc vsque ad vers. Ingenia quoquè sunt Strabonis lib 14. non multò post princ. & alibi quoque eodem libro. Et de ipso Thalete, Timotheo & Anaximandro. Pomp. Mela lib. 1. cap. 17. Sed quod hîc dicitur, Anaximandrum primùm ostendisse horologium, Plinij est lib. 2. cap. 76. Sed qui primus Romanis id fecit, disces ex eodem lib. 7. cap. 60.

o *Ingenia quoque Asiatica.*] Hæc magna ex parte vsque ad versic. Aliíque præcipua. sunt Solini cap. 43. aut aliorum computatione 53. quibus addit Poëtas, & multos alios excellentes doctrina & ingenio viros: sic enim inquit, Ingenia Asiatica inclyta per gentes fuere. Poëtæ Anacreon, inde Mimnermus & Antimachus: deinde Hipponax, deinde Alcæus, inter quos etiam Sappho mulier. At historiæ conditores Xanthus, Hecateus, Herodotus, cum quibus Ephorus & Theopompus.

p *Aliique præcipua.*] Vt Xenophantes physicus qui poëmata de Sillis fecit, & Polymnastum in musica doctum, ex eodem Strabone lib. 14. Bias, Pittacus, Cleantes, Anaxagoras & Heraclitus ex Solino vbi suprà, & priuatim de singulis Diogenes Laërtius.

q *Fuit præterea Cartheia siue Iulis.*] Hæc vsque ad vers. Nec minus. sunt Strabonis lib. 10. Duæ verò, inquit, restant, Cartheia scilicet, & quam Iulidem appellant, ad quas reliquarum habitatores concurrunt, Cartheiam quidem à Pœëessa, Iulidem verò è Corissia. Ex Iulide Simonides condendorum author carminum, duxit originem, necnon illius ex fratre nepos Bacchylides & posteà Erasistratus medicus insignis. & ex Peripateticorum secta philosophorum Aristo, Bionis Borysthenensis æmulus.

r *Nec minus ex Bithynia.*] Hæc vsque ad vers. Ex Cyrenis. sunt eiusdem Strabonis lib. 12. Sed & Hipparchum Bithynium fuisse constat ex Æliano lib. de Animalibus 7. c. 8.

s *Ex Cyrenis verò Callimachus.*] Ea vrbs, vt Strabo lib. 17. scribit, viros claros complures habuit, qui & libertati optimè præesse poterant & imminentibus Barbaris fortiter resistere. Et paulò post sic scribit, Ea Cyrene illustres fuere, Aristippus Socraticus, qui Cyrenaicam philosophiam instituit, & Areta eius filia, quæ in schola successit, & Aristippus filius, qui matri successit, & μητροδίδακτος cognominatus est, & Anniceris, qui Cyrenaicam sectam videtur emendasse, & Annicetiam ab ea deriuasse. Callimachus quoque Cyrenæus est & Eratosthenes, ambo ab Ægypti regibus in honore habiti. Alter poëta simul & grammaticæ studiosus: alter & in his, & in philosophia, & in mathematicis præstantissimus. Hæc Strabo. Quòd autem de Liuio poëta hîc dicitur, nonnihil diffidet ab eo quod scribit Gellius d. lib. 17. cap. 21. cùm ait, Neque diu pòst Callimachus poëta Cyrenensis Alexandriæ apud Ptolemæum Regem celebratus est. Annis deinde posteà paulò pluribus, quàm viginti, cum Pœnis pace facta, Coss. Claudio Centone Appij Cæci filio, & M. Sempronio Tuditano, primus omnium L. Liuius poëta fabulas docere Romæ cœpit.

t *Cuius filia Areta.*] Diogenes in Aristippo. Strabo vbi suprà.

u *Præter quas vrbes, Tharsus.*] Strabo libro 14. refert tantum studium Tharsensibus circa philosophiam fuisse & alias disciplinas, quæ in corona versabantur, vt Athenas & Alexandriam & alia loca, in quibus scholæ & philosophiæ exercitationes fierent, superarent: Sed & in hoc plurimum excellere, quòd hîc indigenæ discunt, peregrini verò non multi huc adueniunt. Ex Tarso, vt scribit ibidem Strabo, viri illustres fuere, ex Stoicis, Antipater, Archelaus, & Nestor, & duo Athenodori: quorum qui Cordylion dictus est, cum M. Catone vixit, & apud eum mortuus est. Alter verò Sandonis filius, quem à vico quodam Cananitam dicunt, Cæsaris præceptor fuit, & in honore maximo apud illum habitus est. Charissima præterea hæc vrbs fuit eo ipso, quòd Paulum Apostolum alumnum habuit, virum vnicè in religione nostra Christiana memorabilem, vt scribitur Acto. cap. 22. in princ. Solinus cap. 51. Matrem vrbium Tarson vocat, tum ob eius vetustatem, tum ob excellens in ea vrbe studium.

Simonides. Asclepiades. Anacreontis interitus.

bes, Tarsus, [x] Alabanda, [y] Tyrus, z Gnidus, [a] Rhodus, variis eruditionibus & doctrinis excelluere, præcipuósque & summo ingenio viros eduxere. [b] Sed quod est de Simonde dictum magni exempli illius casus fuere, bis monitu diuûm, partim ruina, partim naufragio erepti, [c] Asclepiades verò publico fertur præconio, quòd phreneticos, & mente imminuta laborantes, concentu sonorum, mirabili experimento ad sanitatem reuocarit. [d] De Anacreonte inter mira exempla farum memoratur, & memorabilis, illa mors, acino vuæ passæ strangulati: quæ res infirmitatis humanæ nos commonefacit, fortunæque varietatis, atque imminentium calamitatum, vitæque variis casibus expositæ, magna nobis documenta dari.

ANNOTATIONES.

x *Alabanda.*] Alabanda (vt scribit lib. 14. idem Strabo) vrbs duobus montibus subiecta est, ita dispositis, vt sistæ inuersæ aspectum exhibeant, &c. Alabanda homines molles & suffitos habet, & psaltrias multas. Hinc viri memorabiles fuere duo fratres, oratores, Menecles & Hierocles: item Apollonius & Molon, qui Rhodum migrauerunt.

y *Tyrus.*] Fuit nomen proprium patris Didonis, vt author est Iustinus lib. 18. qui ab aliis Belus est. Hæc vrbs Maximum Tyrium, Philosophum Platonicum, alumnum habuit. Is de variis quæstionibus multas philosophiæ partes pertinentibus, perpetuæ orationis composuit Sermones, quos anno 1557. excudit Henricus Steph. Typographus.

z *Gnidus.*] Strabo lib. 14. Viri, inquit, è Gnido memorabiles fuere, primùm Eudoxus Mathematicus, Platonis sodalis: posteà Agatharchides, Peripateticus, vir historicus, ætate contra Theopompus, Diuo Cæsari familiaris, & qui apud eum maximè potest. Item Artemidorus eius filius. Hinc Ctesias fuit, qui Xerxem medicatus est, & res Syricas & Persicas conscripsit.

a *Rhodus.*] Strabo d. lib. 14.

b *Sed quod de Simonide.*] Cicero lib. 1. de Diuinatione Simonidis somnium referens, Quid, inquit, illa duo somnia, quæ creberrimè commemorantur à Stoicis? Quis tandem potest contemnere vnum de Simonide? qui cùm ignotum quendam proiectũ mortuum vidisset, eúmque humauisset, haberétque in animo nauim conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat: si nauigasset, eum naufragio periturũ. Itaque Simonidem rediisse, periisse cæteros, qui tum nauigassent. Hoc somnium refert etiam Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. tit. de Somniis. Hunc etiam Simonidem beneficium salutis à diis accepisse scribit Cicero lib. 2. de Oratore ad finem, his verbis, Cùm cœnaret Cratone in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem & nobilem, cecinissétque id carmen, quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa poëtarum more, in Castorẽ scripta & Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium eius ei quod pactus esset, pro illo carmine daturum: reliquum à suis Tyndaridis, quos æque laudasset, peteret, si ei videretur. Paulò post esse ferunt nunciatum Simonidi vt prodiret: iuuenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum magnopere euocarent, surrexisse illum ipsum, prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spatio conclaue illud, vbi epularetur Scopas, concidisse, ea ruina ipsum oppressum cũ suis interiisse: quos cùm humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere vllo modo Simonides dicitur ex eo quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator vniuscuiusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus inuenisse fertur, ordinem esse maximè qui memoriæ lumen afferret. Hactenus Cicero. Valerius Maximus hanc etiam historiam narrat lib. 1. tit. 8. de Miraculis.

c *Asclepiades.*] Cælius Aurelianus Chronicôn lib. 1. cap. 5. Censorino de die Natali. & Martiano Capella lib. 9. cap. 6. & diximus in nostris Commentariis Nobilitatis, cap. 31.

d *De Anacreonte.*] Valerius Maximus lib. 9. cap. 12. tit. de Mortibus non vulgaribus, scribit, Anacreontem bis humanæ vitæ modum supergressum, & vuæ passæ succo tenues & exiles virium reliquias fouentem, vnius grani humore pertinacius faucibus inhærente, absumptum fuisse. Plinius verò lib. 7. cap. 7. conceptum hominum & generationem scribens, inquit, Atqui etiam hodie minoris potes, quantulo serpentis ictus dente: aut etiam, vt Anacreon poëta, acino vuæ passæ: vt Fabius Senator Prætor, in lactis haustu vno pilo strangulatus. Is demum profectò vitam æqua lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanæ memor fuerit.

Quo apparatu, & qua pompa quantóque omnium studio olim Romani triumphos agerent: quis ordo seruari, & quæ in triumpho ferri consuerant.

CAPVT VI.

Triũphũ petenti quæ prius facienda & obseruanda erant.

QVÆ [a] triumphantium pompa & quis ordo fuerit, quantóque omnium studio & apparatu ducibus exercituum, post res feliciter gestas triumphus deferri consuesset, intercise veterum monumentis traditum est. [b] In primis fuit obseruatum, vt qui imperatores rebus bene gestis, post multa facinora militaria, domitis hostibus triumphum poscerent, pacatam prouinciam successori in primis traderent, exercitúmq; victorem, & opimum præda, testémque virtutis & ignauiæ cuiusque, meritiq; & immeriti, Romam reducerent. [c] Inq; ædem Bellonæ extra vrbem senatu euocato, [d] (neque enim triumphum petenti, vrbem inire fas erat) de rebus à se gestis magnificè,

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

a *QVæ triumphantium pompa.*] De triumphis in vniuersum vide Valerium Maximum lib. 2. cap. 3. quod est de Iure triumphandi. Plutarch. in Romulo. Sed quibus adde & Dionysium Bacchum omnium primum de Indis triomphasse elephanto Indico vectum, vt scribit Diodorus Siculus lib. 5. cap. 2.

b *In primis fuit obseruatum.*] Hoc paret ex infinitis Liuij locis.

c *Inq; ædem Bellonæ.*] Liuius 3. Decad. lib. 6. vbi de Marcelli triumpho loquitur. & lib. 8. vbi de triumpho Scipionis loquitur. iterúmque vbi de triumpho Neronis & Claudij. rursúmque lib. 9. vbi de triumpho siue ouatione L. Manlij. Et 4. Decad. lib. 3. vbi de triumpho Cethegi de Insubribus. Et 4. Decad. lib. 2. vbi de triumpho C. Cicereij prætoris, & alibi sæpe. Adde etiam in ædem Apollinis apud eundem 4. Decad. lib. 7. non multò ante fin. vbi de L. Æmylio Regillo, qui classe præfectum Antiochi Regis deuicerat. Extra vrbem, inquit, in æde Apollinis cùm Senatus data esset, auditis rebus gestis, L. Æmilij Regilli, quantis cum classibus hostium dimicasset, quot inde naues demersisset, aut cepisset, magno consensu patrum triumphus naualis est decretus. & iterum lib. 9. post princ. vbi de M. Fuluij Proconsul. triumpho ex Ætolia.

d *Neque enim triumphum petenti vrbem inire fas erat.*] Celius inter

quæ oppida, quasque prouincias bello vicissent, aut quibus cum hostibus signis collatis conflixissent, quæque egregia ipsi fecissent, quotque hostium millia cecidissent, omnia denique belli decora, ordine differebant: [e] vbi legatos, tribunos militum, centuriones, milites denique exercitus, quò notior testatiorque eorum virtus foret, adesse oportebat, vt meritæ illius virtutis, cui tantus honor debebatur, si quid veri vanique referretur, testes forent. [f] Augustus verò Octauius in templo Martis Vltoris, quod in foro suo posuit, senatum de bellis, deque triumphis consuli, vtque prouincias cum imperio petituri inde deducerentur, in eóque reuersi ex prouincia triumphorum insignia deponerent, decreto sanciuit. [g] tametsi in Martio campo, & in pratis Flaminiis, non semel de triumpho actum inueniamus. Apud Argiuos ex militia reuersi duces, cum militum agmine totoque exercitu, in Charadro extra vrbem concilium aduocabant: ibique de militaribus donis, quæ cuique deberētur, optimatum consensu decernebant. [h] Sæpius tamen absenti duci: quum de rebus gestis egregiè, maximè cognitum esset, à senatu decretus triumphus fuit. [i] Cúmque res bello gestæ, triumpho dignæ viderentur, prout erant sententiæ populi iussu, patribus authoribus, triumphum decernebant: aut si senatus aduersaretur, per tribunos ad populum ferri posse populumque citra senatus authoritatem triumphos sæpe decreuisse compertum est. [k] Valerio & Horatio consulibus, victis Sabinis & Volscis, quum triumphus negaretur, L. Icilius tribunus plebis de illorum triumpho ad populum tulit, qui primi ex scito plebis, nullo decernente senatu, triumpharunt. Et [l] M Rutilio dictatori de plebe homini, deditis & victis hostibus, sine patrum authoritate, solo iussu populi triumphare licuit. [m] Tametsi plures, quum Romę aduersante senatu honos negaretur, in Albano honestos triumphos egisse legamus. [n] Primusque M. Papyrius Masso, quum Romæ negaretur, in Albano, & [o] alij illius exemplo triumpharunt. [p] M. verò Antonio magnæ inuidiæ fuit, quòd quum deberet Romæ, Alexandriæ de Parthis triumphauit. Et [q] Domitio Ænorbarbo, quòd deuictis Aruernis, nullo decernēte senatu, elephanto vectus, velut triūphans totam Italiā peruagarit. Mansitque diu mos Romæ de domitis nationibus & hostibus bello victis triumphandi, [r] ad Probum vsque imperatorem: is enim vltimus Cæsarum triumphasse traditur: post quem oblitterata virtute militari, quum vigor ille animi desinisset, & imperium deflexisset, nulli Cæsarum triumphasse leguntur: [s] quamuis alij Bellisarium, qui sub Iustiniano meruit coronam, postremum omnium triumphasse contendant. Fuitque maximè cognitum, a condita vrbe ad Vespasianum & Titum, deuictis debellatisque nationibus ab vltimo orbe, Romanos per tot secula [t] viginti suprà trecentos triumphos egisse. [v] exque Samnitibus solùm, hostibus præualentibus, multiplici tandem clade affectis & debellatis, quatuor suprà triginta triūphos iuisse: [x] pluriesque de Gallis quàm de reliquo

Argiui.

Absentibus decretus triumphus.

Triūphi à populo decreti sine senatus authoritate.

Probus vltimus Cæsarum triūphauit.

Bellisarius.

Ro. de Gallis sæpe triumpharunt.

ANNOTATIONES.

inter Epistolas familiares Ciceronis lib.8. epistol. eiusdem. lib.6. totius verò voluminis 140. cùm scribit, Neque enim stultè Appius, qui simulatque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in vrbem, triumphique postulationem abiecerat. Suetonius in Cæsare, cap.18. Plutarchus in eodem Cæsare, & Pompeio, & Catone Vticensi, Appianus bellorum Ciuilium, lib.2. non adeò longè à princ. vbi de Cæsare loquitor.

e *Vbi.*] Totus hic locus sumptus est ex Liuio 4. Decad. lib. 1. ad fi. cuius hæc verba sunt, C. Aurelius Coll. cùm ex prouincia comitiorum causa venisset, quæstus est L. Forio Prętori ita triumphum decreuisse Senatum, vt nullius, nisi eius qui triumphaturus esset, haud eorum, qui bello interfuissent, verba audiret. Maiores ideo instituisse, vt legati, Trib. militum, Centuriones, milites denique triumpho adessent, vt virtutes rerum gestarum eius, cui tantus honos haberetur, publicè viderentur. Ecquem ex eo exercitu, qui cū Gallis pugnauerit, si non militem, lixam saltem fuisse, quē percunctari posset Senatus, quod veri prætor vaniue referret. Sed & idem eiusdem Decad. lib.7. loquens de triumpho M. Acilij de Rege Antiocho & Ætolis, Milites, inquit, tantùm, qui sequerentur currum, defuerunt: alioqui magnificus, & spectaculo, & facie (aliàs fama.) rerum triumphus fuit.

f *Augustus verò Octauius.*] Suetonius in vita illius, cap. 29.

g *Tametsi in Martio Campo, & in pratis Flaminiis.*] De vtrisque Liuius 1. Dec. lib. 3. vbi de triumpho L. Valerij & M. Horatij agit.

h *Sæpius tamen &c.*] Ad Romanos redit.

i *Cumque res bello gesta.*] Hæc ex sequentibus patebunt.

k *Valerio & Horatio.*] Id vsque ad versicul. Et M. Rutilio. sunt Liuij d. 1. Decad. lib. 3. vbi suprà, & Dionysij Halicarnassei lib. 2.

l *Et M. Rutilio.*] Idem Liuius eiusdem 1. Decad. lib. 7.

m *Tametsi plures.*] Vt retulit ipse Liuius 5 Dec. lib. 5. ex Oratione M. Seruilij & ex sequentibus quoque patebit.

n *Primusq; M. Papyrius Masso.*] Valerius Maximus lib. 3. cap. 6. Plinius lib. 15, cap. 29. ad fin. sic scribit, L. Piso tradit, Papyrium Massonem, qui primus in monte Albano triumphauit de Corsis, myrto coronatum ludos Circenses spectare solitum.

o *Et alij.*] Vt M. Marcellus apud Plutarchum in vita illius, & Liuium 5. Decad. lib 6 & Plinium Secundum, si is est, de Viris illustribus, ca. 41. Et Q. Minutius apud Liuium 4. Dec. lib. 5. Et C. Circeius apud eundem 5. Decad. lib. 2. Et P. Seruilius Priscus apud Dionysium Halicarnasseum lib. 6.

p *M. verò Antonio.*] Plutarchus in vita illius.

q *Et Domitio Ænorbo.*] Suetonius in Nerone, cap. 2.

r *Ad probum vsque.*] Hunc enim triumphasse de Germanis & Blemys, venationemque in Circo amplissimam populo dedisse, scribit Flauius Vopiscus in vita illius.

s *Quamuis alij Belisarium.*] Pomponius Lætus in vita Fl. Val. Iustiniani de Belisarij triumpho sic scribit, Persas, qui transgressis limitibus, Mesopotamiam, Cœlesyriam, Syriamque prædati sunt, Belisarius legatus, ab Augusto missus, prælio fudit fugauitque. Trans Euphratem abire coëgit, veteres firmauit limites. Iura imperij toto Orienti asseruit, cùm victoria redeuntem, & aureo curru triumphantem, Iustinianus magna lætitia excepit. Idemque dux triumpho insignis & rebus gestis clarus, recuperata Africa, Gelimerem, Vuandalorum Regem, vinctum catenis Constātinopolim misit, Carthaginem firmius, quàm anteà, restituit. Triumphus maior ac pretiosior Persico fuit &c.

t *Viginti supra trecentos.*] Paulus Orosius lib. 7. cap. 6.

u *Exq; Samnitibus.*] Multos ex his triumphos describit Liuius vbique. At is 1. Decad. lib. 7. scribit triumphos ex ipsis plures penè quàm annos ab vrbe condita.

x *Pluriesq; de Gallis.*] Liuius 4. Decad. li. 6. in Oratione Cn.

orbe terrarum, duces Romanos triumphasse. Et tametsi Romanis tantum ciuibus olim triumphus decerneretur,[y] vni tamen Cornelio Balbo externo & Gaditano, ob deuictos Garamantes, tributum legimus:[z] Mirumque prodi de Ventidio Basso, qui ductus in triumpho, & mulio, eò processit, vt Romanorum primus felicitate mira de Parthis triumpharit.[a] Fuluius postea Thusculanus, cùm & ciuis & consul Thusculi fuisset, & ad Romanos transisset, tam feliciter egit, vt Thusculũ extra sortem velut prouinciam assequutus, triumphum Romæ de sua patria egerit, eo ipso anno ciuitate donatus, & consul factus.[b] M. quoque Perpenna Græcus homo, postea, consul, de Aristonico iustissimum Romæ duxit triumphum.[c] Proditus tamen est Fuluius Flaccus tantæ moderationis fuisse, vt decretum sibi triumphi honorẽ ob modestiam recusarit,[d] Et M. Fabius, quia fratrem bello amiserat, triũpho cessisse.[e] Tiberius quoque Cæsar de Illyriis parta victoria triumphare noluit, consternata tunc ciuitate propter Varianam cladem:[f] sicut Marius deuictis Theutonis triumphum distulit, conspicatus patriam aduentantibus Cimbris laborare.[g] Septimius quoque Seuerus, deuictis Parthis, quum pedum valetudine laboraret, triumphũ recusauit. Igitur decreto triũpho, Romani magistratus & omnes tribus obuiæ, flaminesque purpura, & sacerdotes ac pontifices apiculis velati, laudantes gratantesque, atque viri triumphales consularesque, cunctaque nobilitas & senatus in prætexta & laticlauis, tum omnis sexus & ætas frequentes cum coniugibus & liberis in lætitia publica, omnibus denique ordinibus effusis, cum gaudio ad excipiendum visendumque prodibant.[h] Apud Athenienses verò siquando summi duces rebus feliciter gestis vrbem inirent, non modo à magistratibus & omnibus ordinibus frequenter obuiam itum est: sed deorum quoque imagines producere obuiam, & diem Victoriæ consecrare mos erat.[i] Ingredienti deinde, longo ordine, montium fluminum, oppidorum & vrbium species, quas bello peruicerat, & vi expugnarat, præcedebãt. Vrbes enim, montes & flumina, regionesque, quas imperatores bello domuissent, in triumpho duci vetusti moris erat:[k] quare T. Quintius dictator, Præneste in deditionem accepto, signum Præneste duxit triumphans,[l] & M. Marcellus Syracusas; &[m] Scipio

Quitriũphare recusarint

Triũphi caremoniæ Romani.

Athenienses.

ANNOTATIONES.

Manlij Coss. & Florus Epit. lib. 1. c. 6. de bello Samnitico.

y *Vni tamen Cornelio Balbo.*] Plinius libro 5. cap. item 5. & iterum lib. 7. cap. 43. & Solinus cap. 42.

z *Mirumque prodi de Ventidio Basso.*] Plutarchus & Dion vterque in vita M. Antonij. Valerius Maximus libro 6. cap. 10. Plinius lib. 7. cap. 43. Triumphare, inquit, P. Ventidium de Parthis voluit quidem solum, sed eundem in triumpho Æsculano Cn. Pompeij Strabonis duxit puerum. quanquàm Massurius author est, bis in triumpho ductum: Cicero, mulionem castrensem suffarraneum fuisse: plurimi, iuuentam inopem in caligula militari tolerasse. Gellius lib. 15. cap. 4. Iuuenalis sat. 7.

> *Ventidius quid enim? quid Tullius? an ne aliud quàm*
> *Sydus, & occulti miranda potentia fati?*
> *Serui regna dabunt, captiuis fata triumphos:*
> *Felix ille tamen, coruo quoque rarior albo.*

a *Fuluius verò Tusculanus.*] Plinius d. libro 7. c. 43. varia Fortunæ exempla describens, sic inquit, Est & L. Fuluius inter insignia exempla Tusculanorum rebellantium Consul: eodémque honore, cùm transisset, exornatus confestim à populo Rom. qui solus eodem anno, quo fuerat hostis, Romæ triumphauit ex iis, quorum Consul fuerat.

b *M. quoque Perpenna.*] Valerius Maximus lib. 3. cap. 4. de his qui humili loco nati, clari euaserunt. Paulus Orosius lib. 5. cap. 10. Et Eutropius lib. 4. cap. 3. scribunt illum deuicto Aristonico apud Stratonicem ciuitatem, Pergami morbo correptum diem obiisse. De quo & Iustinus lib. 36. in fi.

c *Proditus tamen est Fuluius Flaccus.*] Vale. Maximus libro 2. capit. 3. de iure triumphandi. Quid facias, inquit, Cn. Ful. Flacco, qui tam experendum aliis honorem triumphi, decretum sibi à Senatu ob res bene gestas spreuit ac repudiauit.

d *Et M. Fabius.*] Dionysius Halicarnasseus lib. 9. Liuius 1. Decad. libr. 2. Itaque Consul, inquit, decernente Senatu triũphum, si exercitus sine imperatore triumphare possit, pro eximia eo bello opera facile passurum respondit: se familia funesta Q. Fabij fratris morte, rep. ex parte orba Consule altero amisso, publico priuatóque deformem luctu lauream non accepturum. Valerius Maximus lib. 5. ca. item 5. de pietate erga fratres, Paulus Orosius lib. 2. cap. 5.

e *Tiberius quoque Cesar.*] Suetonius in vita illius, cap. 17. triumphum ipse distulit, mœsta ciuitate, clade Variana. Nihilominus vrbem prætextatus & laurea coronatus intrauit positumque in septis tribunal Senatu astante, conscendit: ac medius inter duos Coss. cum Augusto simul sedit: vnde, populo consalutato, circum templa deductus est.

f *Sicut Martius.*] Plutarchus in vita illius, & L. Florus Epitome Liuij lib. 68.

g *Septimius quoque Seuerus.*] Ælius Spartianus in vita illius Inde, ait, in Syriam rediit victor, & Parthicum sibi deferentibus Patribus triumphum, idcirco recusauit, quod consistere in curru affectus articulari morbo non posset. Quibus adde quod Cicero cùm sibi Senatus triumphum decerneret, Gratius sibi, inquit, fore cõposita intestina seditione, se triumphum Cæsaris sequi, vt scribit Plutarch. in Cicerone. Et P. Scipio Nasica, à Senatu vir optimus iudicatus, imperatoris nomen à militibus, & ab Senatu triumphum recusauit oblatum, vt scribit Plinius Secundus, si is est, de Viris illustribus, cap. 44.

h *Apud Athenienses.*] Sic enim fecerunt cum Alcibiades ab exilio reuerteretur, authore Plutarcho in vita illius.

i *Ingredienti deinde longo ordine.*] Plinius lib. 2. cap. 5. Et de montibus & fluminibus Cornelius Tacitus lib. 2. Germanicus Cęsar ad 7. Cal. Iunias triumphauit de Cheruscis Cattisque & Angriuariis, quæque aliæ nationes vsque ad Albim colunt: vecta spolia, captiui, simulacbra montium, fluminum, præliorum: bellumque, quia conficere prohibitus erat: pro confecto accipiebatur.

k *Quare T. Quintius.*] Titus Liuius 1 Decad. lib. 6. T. Quintius semel acie victos, binis castris hostium, nouem oppidis vi captis, Præneste in deditionem accepto, Romam reuertit triumphansque signum Præneste deuectum Iouis Imperatoris in Capitolium tulit, Vide Festum Pompeium lib. 18. vbi de triente loquitur,

l *Et M. Marcellus.*] Negat Valerius Maximus lib. 2. cap. 3. titu. de iure triumphandi, ei decretum fuisse triumphum ob captas Syracusas: quia sine vllo magistratu ad id missus fuerat. Plutarchus verò in vita illius dicit eum triumphasse in Albano monte, ac in vrbe ouationem fecisse, quod & ipsum tradit fecisse Liuius 3. Decad. li. 6. & detulisse in triumphum simulachrum Syracosarum.

m *Scipio Asiaticus.*] Liuius 4. Dec, libr. 7. ad fin. Haud ita multo post, inquit. L. Scipio ad vrbem venit: qui ne cognomine fratri cederet, Asiaticum se appellari voluit: & in Senatu,

Asiaticus centum triginta oppidorum simulacra vno triumpho detulit, [n] & C. Cæsar Massiliam, Nilum, Rhenum, Rhodanumque ex auro, & fatum ex ebore. Sæpe etiam præ multitudine oppidorum [o] effictas turres pro expugnatis vrbibus, captarum ciuitatum simulacbra ferentes, in triumpho, detulere. [p] Fertur Sylla quum omnes Asiæ & Græciæ vrbes bello domitas in triumpho duxisset, nolla Romanorum oppida, aut ciuium imagines ducere voluisse: [q] non sic Cæsar: nam imagines Scipionis, Petreij & Catonis, inter pompæ fercula repræsẽtauit. [r] Inter quæ tabellas grandioribus literis inscriptas cum titulis, in quibus naues captæ, vrbes tributo affectæ, seruæ, aut vectigales, in fidémve acceptæ, oppidaque expugnata, gentes perdomitæ, & reges bello victi continebantur. [s] Tum pegmata in tertium quartumque nidum velut exteris ramis, surgentia, & simulacbra bellorũ artifici manu elaborata, præferebant: vbi captarum vrbium præliorũque effictæ species erant: vbi acies victas & fugatas, perculsos cõsternatosque hostes, castellorũ excidia, exercitusque intra fusos, vrbes, populari, ferro ignique vastari, ædificia incendi, mœnia disturbari, claustra reuelli, totasque imagines præliorum effictas facile erat cernere. [t] His succedebant spolia hostiũ, & captiua arma, tum currus spoliis onusti, militariaque signa ex domitis gentibus non erecta, sed inuersa. [u] Post bæc catapultæ, ballistæ, & tormentorũ omne genus vi expugnatum, ac belli apparatus, macbinæque ad vrbiũ excidia, rostraque nauium vi captarũ, [x] nauesque rostratæ bello victæ proferebantur: [y] quare Lucullus longas & rostratas decem vltra centũ in triumpbo dixit. [z] Prætcrea falcati currus, clypeique insignes & scuta, quibus [a] L. Papyrius dictator de Samnitibus triumphans forum ornauit, tum lecticæ aureæ, [b] æneáque vel argentea signa ex deuictis gentibus, quorum supra ducenta octoginta, & marmorea ferè totidem, [c] M Fuluius in triumpbo quem de Ætolis & Cephalenia habuit, carpentis vexit. [d] Currusque aurei vel argentei, [e] vasaque aurea & argentea omnis generis, spoliáque ciuitarum vi captarum: [f] tum coronæ aureæ, & vrbium dona, & populorum, quibus à sociis & fœdere iunctis pro virtute dux donatus fuerat, suo ordine sequebantur, [g] quarum nonnullos supra octingentas & duo millia detulisse comperimus. [h] Quodque auri vel argenti facti signatique ex manubus & vrbium spoliis, partim rudibus massis quæsitum foret, id omne deferri in triumpbo, & perscriptum in tabulis in ærarium est condi solitum. [i] Legimus Scipionem, cui Africano fuit cognomen, bello Carthaginensi, ex præda argenti cælati pondo numero quadringenta, & vasorum aureorum pondo ducenta millia: [k] Paulúmque Æmylium, deuicta Macedonia,

ANNOTATIONES.

Senatu, & in cõcione de rebus ab se gestis disseruit. Et paucis interiectis, sic scribit, Triumphauit mense intercalario pridie Cal. Martias, qui triumphus spectaculo oculorũ maior quàm Africani fratris eius fuit. Tulit in triumpho signa militaria 234. oppidorum simulachra 134. &c.

n *Et C. Cæsar.*] Massiliam in triumphum à Cæsare portatam fuisse testatur Ciceronis lamentatio lib. Offic. 2. his verbis, Itaque vexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperij, portari in triumpho Massiliam vidimus, & ex ea vrbe triumphari, sine qua nunquam nostri imperatores ex Transalpinis bellis triumpharunt. Id confirmat Philippica 8. Quousque enim Massiliam oppugnabis? ne triomphus quidem finem fecit belli, per quem sublata est vrbs ea sine qua numquam ex Transalpinis gentibus maiores nostri triumpharunt? Triumphorum C. Iulij Cæsaris meminerunt Appianus bellorum Ciuilium lib. 4. Plutarchus & Tranquillius vterque in C. Cæsare. Sabellicus Enneadis 6. lib. 7. & Velleius Paterculus Historiæ Ro. lib. 1.

o *Effictas turres.*] Nam Strabo scribit libro 3. in triumphos turres ductas, quas in gratiam triumphantium vrbes appellabant.

p *Fertur Sylla.*] Valerius Maximus li. 2. cap. 3. de iure triumphandi.

q *Non sic Cæsar.*] Appianus bellorum Ciuilium lib. 2. & vide infrà.

r *Inter quæ.*] Hæc maxima ex parte sunt Liuij in triumpho Q. Cincinnati ab eo descripti 1. Decad. libro 3. Plutarchi in vita Romuli, Pauli Æmylij & Luculli. Sunt hæc præterea Iosephi belli Iudaici, lib. 7. cap. 24. in triumpho Vespasiani & Titi.

s *Tum pegmata in tertium quartúmve nidum.*] Id priuatim est Iosephi vbi suprà. & vide suprà lib. 5. c. 24.

t *His succedebant spolia hostium & captiua arma.*] Liuius in triumphis M. Fuluij, & Cn. Manlij 4. Dec. lib. 9. post prin.

u *Post hæc catapultæ &c.*] Liuius in triumpho, aut potius Ouatione M. Marcelli 3. Dec. li. 6. & in triumpho M. Fuluij 4. Dec. lib. 9.

x *Nauesq́ue rostratæ.*] Vt patet ex seq. exemplo.

y *Quare Lucullus.*] Plutarchus in vita illius.

z *Præterea falcati currus.*] Plutarchus ibi.

a *L. Papyrius Dictator.*] Liuius 1. Dec. lib. 9.

b *Æneaq́ue vel argentea signa.*] Cic. in Verrem act. 3. P. Seruilius quæ signa, atque ornamenta ex vrbe hostium & virtute capta, belli lege, atque imperatorio iure sustulit, ea populo Rom. apportauit, per triumphum vexit, in tabulas publicas ad ærarium perscribenda curauit. Liuius in triumpho Marcelli. 3. Decad. libr. 6. & in triumpho Q. Flaminij 4. Decad. lib. 4. & in dicto triumpho Fuluij eiusdem Decad. libro 9.

c *M. Fuluius.*] Liuius 4. Decad. lib. 9. non multò post princ.

d *Currusq́ue aurei vel argentei.*] Pomponius Lætus in triumpho Diocletiani, cùm describit magnitudinem imperij Romani.

e *Vasaq́ue aurea & argentea.*] Idem Pompo. in d. triumpho Diocletiani, & in vita F. Val. Iustiniani.

f *Tum Coronæ aureæ.*] L. Manlius (vt Liuius 4. Decad. li. 9. tradit) centum quinquaginta coronas aureas in triumpho tulit, C. Calphurnius Piso Prætor de Lusitanis & Celtiberis triumphans 84. Q. Ful. Flaccus cẽtum viginti quatuor. Scribit & idem Liuius 4. Decad. lib. 10. L. Aemylium Paulum triumphantem de Liguribus quinque & viginti aureas coronas transtulisse.

g *Quarum.*] Scilicet coronarum aurearum. Nam Appianus lib. bellorum Ciuilium 2. tradit Cæsarem in suis triumphis tulisse coronas aureas duas, & viginti ac octingentas supra duo millia, quæ quatuor supra decem & quadringentarum amplius vigintique millium librarum pondus excederent, ex quo haud dubiè id Alexander accepit.

h *Quodq́ue auri vel argenti facti signatiq́ue.*] Id videre licet in omnibus triũphis descriptis à Liuio, Plutarcho & cæteris.

i *Legimus Scipionem.*] Plinius libro 33. cap. 11. scribit, Scipionem Africanum, cùm de Pœnis triumpharet 4470. pondo transtulisse. Aliter Liuius 3. Decad. lib. 10. ad fin. Nam scribit Scipionem tulisse in ærarium argenti pondo centum millia 23.

k *Paulumq́ue Æmylium.*] Plutarchus in vita illius. Valerius Maximus

Herculis signum ante triumphantem praelatum. vasorum aureorum, aurique & argenti signati tantum detulisse, vt ex illo populus Romanus tributum pendere desierit. [l] Quinetiam Herculis signum ante triumphantem non raro in pompa vehi solere, [m] tum si quid visendum & memorabile, atque æuo priore incognitum, in deuicta prouincia fuisset, velut rem spectatissimam nouo inuento vna afferri compertum est. [n] Vespasianus Iudæa capta, balsamum nunquam aliàs visam arborem, & [o] Pompeius victo Mithridate ebenum, primi ostenderunt. [p] Eundemque Pompeium tertio triumpho, quem de Asia & Ponto habuit, inter solemnia, alueum cum tesseris lusorium è gemmis duabus magnitudinis miræ, nulla gemmarum ad eam accedente, detulisse: [q] & Aurelianum Cæsarem, præter alia spectatissima, tigrides, alces, & camelopardales in triumphi pompa ostendisse, authores memorant. [r] Præter quæ, elephantos aut [s] equos in bello captos, [t] simul & obsides eui à fœderatis gentibus & sociis dati erant, tanquam pacis pignora deduci notatum est. [u] Qui mos Syracusanis frequens erat, vt captiuos equos tonsis crinibus, victores autem lauro coronatos ducerent in triumpho. [x] Elephantos autem Curius Dentatus post Italia victum fugatumque Pyrrhum, quatuor captiuos detulit primus. [y] L. quoque Cæcilius Metellus, rebus aduersus Pœnos feliciter gestis, primo Punico bello centum & viginti: [z] & P. Cornelius Nasica triumpho Gallico, præter multa memoranda, equorum gregem bello captorum: & [a] Scipio Asiaticus, deuicto Antiocho, vltra mille & ducentos eburneos dentes: & [b] Cn Manlius, deuicta Asia, monopodia & abacos, ac triclinia ærata, vestemque stragulam, detulere. [c] post hos tubicines multiplici sono classicum canentes incedebant, quos longo ordine candidi boues, [d] taurique auratis cornibus, infulisque & vittis ornati & auro, mox immolandi sequebantur. [e] Hos comitabantur succincti adolescentes, aureas argenteasque patinas tenentes. [f] Quibus succedebant tribuni militum, centuriones, præfecti, equitesque insignes ac pedites victoris exercitus, qui ob egregia facinora & nauatam in bello operam, dona militaria meruissent. [g] Nec non milites, quorum spectatissima virtus in bello fuit, quique ab imperatore ciuicis, muralibus, castrensibus ve coronis, torquibusque aureis, phaleris aut armillis donati etiam, insignes militaribus donis spoliis armisque fulgentes præibāt, sequentibus mox legatis & tribunis legionū in equis. [h] Tum reges & [i] captiui

Syracusani.

ANNOTATIONES.

Maximus lib. 4. cap. 3. de Abstinentia & continentia: Plinius lib. 33. cap. 3. Intulit & Æmylius Paulus, Perseo Rege Macedonico deuicto, prædam pondo trium millium: à quo tempore populus Rom pendere tributum desiit.

l *Quinetiam Herculis signum*] Asconius Pædianus in 3. in Verrem act. Herculis, inquit, signa ante triumphantem vehi per vrbem solebant.

m *Tum si quid visendum &c.*] Quod probat exemplis seqq.

n *Vespasianus.*] Plinius lib. 12. c. 25.

o *Pompeius victo Mithridate.*] Idem Plinius lib. 12. c. 4. Solinus c. 55. aut aliorum computatione. 65. Ebenum ex India Romæ Mithridatico triumpho primùm Magnus Pompeius exhibuit.

p *Eundemque Pompeium.*] Plinius lib. 37. c. 2.

q *Et Aurelianum Cæsarem.*] Princeps totius orbis Aurelianus (vt scribit Flauius Vopiscus in vita illius) pacatis per Occidentem Gallis atque vndique terris, Romam iter flexit, vt de Zenobia & Tetrico, hoc est, de Oriente & Occidente triumphum Romanis oculis exhiberet. Triumphantem præcesserunt elephanti viginti, feræ mansuetæ Libycæ, Palæstinæ diuersæ ducentæ, quas statim Aurelianus priuatis donauit, ne fiscum annonis grauaret. Tigrides quatuor, camelopardali, alces, cætera talia per ordinem ducta.

r *Præter quæ elephantos.*] Vt videbis paulò pòst.

s *Aut equos.*] Quod statim etiam exemplo comprobabit.

t *Simul & obsides*] Nam & Q. Flaminius in suo triumpho obsides multos duxit: & inter hos Demetrium Regis Philippi filium, & Armenem Nabidis Lacedæmoniorum tyranni filium, vt tradit Liuius 4. Decad. lib. 4. & Eutropius de Gestis Romanorum libr. 4. cap. 2. Pompeius quoque multos obsides in suo triumpho duxit, vt paulò pòst dicemus.

u *Qui mos Syracusanis.*] Plutarchus in Nicia paulò ante fin. Ipsi coronati, suisque eleganter exornatis equis, hostium tonsis, in vrbem redierunt.

x *Elephantos autem Curius Dentatus.*] Seneca lib. de Breuitate vitæ, cap. 13. vbi tamen deridet eos, qui hæc scrutantur. Et Marcellus quoque captis Syracusis, octo elephantos, Punicæ victoriæ signum duxit, vt scribit Liuius 3. Dec. lib. 6. & vide Plinium lib. 8. cap. 6.

y *L. quoque Cæcilius Metellus.*] L. Flor. Epit. Liuij c. 19. scribit, Cæcilium Metellum, rebus aduersus Pœnos prosperè gestis, speciosissimum egisse triumphum, 13. ducibus hostium & centum viginti elephantis in eo ductis. Seneca vbi suprà. Plinius lib. 7. cap. 43. & lib. 8. cap. 6. & lib. 18. cap. 3. Et ante hos Dionysius Halicarnasseus libr. 2. loquens de incendio, quod accidit quando primùm Romani cum Pœnis bello cōflictabantur propter Siciliam, scribit L. Cæcilium Metellum, virum Consularem, qui deuictis in Sicilia Carthaginensibus, in celebri illo triumpho 130. elephātos traduxerat, posthabito publicæ vtilitatis priuato periculo, irrupisse in ardens penetrale, sacraque à virginibus deserta è flammis eripuisse.

z *Et P. Cor. Nasica.*] Liuius 4. Decad. lib. 6. ad fi. scribit, P. Cor. Nasicam Coss. triumphasse de Boiis, & in eo Gallicis carpentis arma, signaque & spolia omnis generis transuexisse, & vasa ænea Gallica: & cum captiuis nobilibus equorum quoque gregem traduxisse.

a *Scipio Asiaticus.*] Liuius 4. Decadis lib. 7. dicit 1231.

b *Et Cn. Manlius.*] Plinius lib. 34. cap. 3.

c *Post hos tubicines.*] Plutarchus in Paulo Æmylio, & Iuuenalis describens pompas triumphorum satyra 10.

Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niueos ad frena Quirites.

d *Taurique auratis cornibus.*] Pomponius Lætus in Diocletiani triumpho de Persis ac Assyriis, sic scribit, Hinc ferculorum multitudo, & hos sequebantur tubicines bellicum clangorem intonantes: deinde boues auratis cornibus, quorum medios vittæ cingebant: necnon & frontibus vittatos ad sacrificium succincti popæ, hoc est, ministri agebant. Seruius in lib. 2. Georg. Virgilij in eum locum,

— *Et Maxima taurus* *Victima.* —

Et Plutarchus vbi suprà.

e *Hos comitabantur succincti adolescentes.*] Plutarchus ibi.

f *Quibus succedebant Tribuni.*] id reperies in omnibus penè triumphis ab authoribus descriptis.

g *Necnon milites.*] Et id quoque. Sed quod hîc addes, Hi laureati in triumphum procedebant, Liuius 5. Dec. l. item [illegible] in Oratione M. Seruilij, Militum quidem proprium est causas qui & ipsi laureati, & quisque donis, quibus donati sunt insignes, triumphum nomine cient, suasque & Imperatoris laudes canentes per vrbem incedunt.

h *Tum Reges.*] Plutarchus in Paulo Æmylio & Pompeio.

i *Et Captiui nobiles.*] Liuius 4. Decad. lib. 3. in triumpho Cn. Cornelij

nobiles, & si qni bello capti insignes forent, [k] præcipuè hostium duces, contra quos indictum fuisset belluin,ex tanto fastigio deiecti,in vehiculis aut ferculis,cæteri verò caternatim[l] vincti catenis in seruitij notam,præcedebant.[m] Quare Pompeius Magnus regum filios & obsides numero quatuor & triginta supra trecẽtos pretulisse fertur, inter quos Tigranem, Aristobulum,& Mithridatis filios quinque filias verò duas.[n] Caius quoque Cæsar Africano triumpho, Iubæ regis filium infantem,qui mox clarus ingenio euasit, ante currum duxit. [o] Et quum Catonis, Scipionis & Petreij,aliornmque imagines variis casibus affectas detulisset,Pompeij simulachrum deferri passus non fuit.[p] Quòd si morte obita maximè duci valuissent,illorum imagines & simulachra persæpe delata sunt.[q] Cum enim Scipio,deuicta Carthagine,Hasdrubalem,&[r] Paulus Æmylius Perseum & filios, [s] Mariusque Iugurtham regno deturbatos,cõtra decus regium duxissent captiuos in triumpho,[t] Augustus post bellum Actiacũ Alexandrino triumpho.quum Cleopatram ducere nequiret,ipsius imaginem quæ manu sibi mortem cõsciuerat,exanguem detulit.In quo omns gazas Ptolemæorum congestas,tantumque auri & pecuniarum inuexit, vt pretia pòssessionum venalium exinde duplicia statuerentur. [u] Proditumque memoriæ est, Lucullum triumpho Mithridatico aureum Mithridatis simulachrum sex pedum , & clypeum ex pretiosis gemmis præter alia insignia detulisse:&[x] Pempeium Magnum Pharnacis statuã argenteam, [y] suam verò ex margaritis,& signa aurea tria,& alia myrrhina , coronasque ex gemmis & margaritis tres & tringinta adduxisse:[z] captiuosque belli iure vinctos duci noluisse.sed patrio more succinctos itẽ iussit,quos,exacta pompa,regali munificentia liberos donatosque remisit.Scipio verò æmylianus expugnata Numantia,nec spolia,nec prædã,nec captiuos tulit:quippe quum quicquid esset auri vel argenti,& spoliorum ac pretiosissimarum rerum,& demũ se ipsos Numantini cæde & incendio absumpserint, nulláque re nisi victoria ipse potitus fuerit.[a] Id tamen in triumphali pompa seruatum meminimus,vt quum de foro in Capitolium flecteret triumphans,hostium captiuos insignes, qui semina discordiatum & belli authores fuissent , in custodiam detrudi iuberet , vt exacta pompa necei darentur : [b] quare quum Adiatorix tetrarcha Galatarum,quod in triumpho Actiaco ductus,seruato more iugu-

Captiui in triumphũ ducti.

Imagines ducum hostium mortuorum in triumphũ ducta.

Hostium captiuorum insigniores in custodiam tradebantur.

ANNOTATIONES.

Cornelij de Gallis & Insubribus.& eiusdem Decad.lib.7.in triumpho M.Acilij,& lib.10.in triumpho L. Aemylij Pauli Procons. de Liguribus Ingaunis, vbi captiui multi Principes ante currum ducti sunt. Iosephus de bello Iudaico lib. 7.cap.24.in triumpho Vespasiani & Titi.& Dionysius Halicarnasseus lib.8.in triumpho Sicinij.Ex quo & illud Iuuenalis sat.10,de triumpho Marij loquentis,

— Quid ille ciue tulisset
Natura in terris,quid Roma beatius vnquam,
Si circunducto captiuorum agmine,& omni
Bellorum pompa,animam exhalasset opimam?

k *Præcipuè hostium duces.*]Liuius vbi supra,scilicet 4.Decas: lib. 3. vbi dicit, Amilcarem ducem Pœnorum ductum fuisse in triumpho Cn. Cornelij. & d.lib. 7. captiuos nobiles, Ætolos,& regios duces sex & triginta in triumpho M.Acilij , & eodem libro ad finem , duces regios & purpuratos duos,& triginta in triumpho Scipionis Asiatici.& li.9.non multò pòst prin.septem & viginti duces. Et rursum eo lib. duo & quinquaginta duces hostium ducti ante currum Cn. Manlij.

l *Vincti catenis.*]Hinc illud Propertij lib.2.ele.1.

Aut Regum auratis circundata colla catenis,
Actiaq; in sacra currere rostra via.

Statius libro Syluarum 3. sylua 2. in Propontico Metij Celeris,

Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.

Nec tantùm cæteri, sed & Reges & Reginas catenatas duci,vt probatur ex illo Statij loco,& ea eo quod Perseus Macedoniæ Rex,ita ductus est à Paulo Aemylio apud Liuium 5.Decad.lib.5.& Zenobia Orientis Regina , vincta, triomphata est ab Aureliano , vt author est Flauius Vopiscus in vita Aureliani.

m *Quare Pompeius Magnus.*] Plutarchos in vita illios,tradit eum in triumpho non Tigranem sed ipsius filium, cum vxore & filia ipsius Regis , & Tigranis vxorem Sosimam, Aristobulum Regem Iudæorum, Mithridatis sororem cum quinque liberis, Scytharum quamplurimas molieres,Albanorum & Iberorum ac Regis Commagenorum obsides. Pompeij triumphum splendidissimum scribit Apianus in libro, qui Mithridaticus inscribitur,ad fin,

n *C. quoque Cæsar.*]Plutarchus in vita illius, Appianus lib.2. bellorum Ciuilium.

o *Et cum Catonis.*]Hæc vsque ad versi.Quod si morte. sunt Appiani vbi suprà.

p *Quòd si morte obita.*]Id patet ex sequentib.

q *Cum enim Scipio.*] Scilicet posterior nepos prioris,ex Eutropio li.4 cap.3. Et ipse prior Syphacem Massiliorum Regem ex Polybio lib.16.

r *Et Paulus Æmylius.*]Liuius 5,Decad. libro 5. Plutarchus in vita illius, Eutropius lib.4,c.1. Addé & quòd confestim Anitius in triumphum duxit Gentium Illyrcorum Regem cum coniuge & liberis, & Carauantium fratrem Regis, & aliquot nobiles,vt etiam Liuius paulò post eodem li,5.scribit,& Eutropius vbi suprà.

s *Mariusq; Iugurtham.*]Plutarchus in vita ipsius Marij.

t *Augustus post bellum Actiacum.*] Plutarchus in vita Antonij.

u *Proditumque est memoria Lucullum.*] Plutarchus in vita illius Luculli.

x *Et Pompeium Magnum Pharnacis.*] Plinius lib. 33. c. 12. Iam enim,inquit,triumpho Magni Põpeij reperimus translatam Pharnacis,qui primos regnauit in Ponto, argenteam statuam item Mithridatis Eupatoris & currus aureos argenteósque.

y *Suam verò ex margaritis.*] Idem Plinius li.37.cap. 2. Pompeij luxum reprehendens sic scribit : Imago Cn. Pompeij è margaritis, illa regio honore grata, illius probioris venerandique per cunctas gentes; illa inquam ex margaritis seueritate victa & veriore luxuriæ triumpho.

z *Captiuosque.*] Appianus in libro qui Mithridaticus inscribitur,non procul à fine,hunc Pompeij Magni triumphum copiosissimè describit.

a *Id tamen in triumphali pompa seruatum.*] Id patet ex seq.& ex Iosepho lib.7.cap.24.

b *Quare cum Adiatorix.*] Strabo libro 12.in duobus locis. Posterioris loci libuit verba adscribere , propter singularem duorum fratrum inter se amorem. Quare Strabonis verba sunt hæc , Augustus , scilicet Cæsar , Adiatorigem cum vxore ac filiis in triumphum ducens , illum cum filio maiore statuit interimere.Maior verò hic erat : sed eum secundus ea fratribus militibus, qui eum ducebant , se maiorem affirmaret,diu inter ambos contentio fuit, quousque

parentes

Traiani mortui triumphus. Veientū dux in imago representata per senem decrepitum inter solennia. Corona triumphanti ex prala. Citharœdi & tibicines. Delirus. Ciceria & Manduci effigies. Apparatus magnificentia Triūphantis ornatus.

latus fuisset cum filio, insciente Augusto, nimium indoluisse Augustus,& lachrymas effudisse fertur. [c]Hadrianus quoque triumphum qui Traiano debebatur, quum morte obita triumphare nequisset, illi defuncto exhibuit: quippe triumphi apparatu præcedente, & omni præda, Traiani Imaginem tanquam victoris insignis victoriæ, cuius ipse dux & author fuit, in triumphali curru vexit. Et † quia Romulus patrum memoria captis Veiis, Veientium ducem senio affectum in triumpho captiuū duxit, inde vt inter solēnia decrepitus senex, exoletus &, excors, qui æmula facie illud mereretur, puerili bulla ornatus ante currum duceretur, aliquandiu mansit, præcone Sardianorum senem proclamante: nam Veios Sardianorum fuisse coloniā veteres tradidere. [d]Imperatorique triumphanti olagineis ferris ornati [e]aureas coronas præferebant ministri, quæ his qui triumphum meritum procurassent, dari assuerant. [f]Vniuerso mox senatu in albis prætextis iuxta currum longè maximum triumphi spectaculum exhibente. [g] Tum citharœdorum & tibicinum solertissimi artifices, quos Lydios vocant, canentes psallentesque ibant coronati. [h]In quorum medio quispiam penè delirus, qui incōditis iocis ineptire videbatur, in talari veste, fimbriis aureis & armillis ornatus, lasciua gesticulatione vsque ad ineptias, risus commouebat. [i] Inter quos Ciceriæ effigiem argutam, & [k]Manduci, magnis malis, ore hianti, cum crepitu dentiū, [l] aut Petreiæ quæ ebriam anum effingebat, nonnunquam adhibuere: [m]Tantaque erat apparatus magnificentia, vt cum dies exponendis rebus sufficere non videretur, plerunque triduū, nónunquā dies integros & noctes totas in apparatu pōpæ tributos legamus, [n]Siquidem Æmylius Paulus de rege Persa, & [o]Q. Flaminius de Macedonia triduo triumpharunt. [p]Iulius Cæsar quater eodē mense, & [q] diuus Augustus tres egit triumphos continuo triduo. Ipse verò triumphās, cui tantus honos dabatur, [r] curru

ANNOTATIONES.

patentes Dyrenito persuasere, vt iuniori cederet, afferentes cùm ipse ætate esset prouectior, maiorem de matre ac reliquo fratre curam habiturum. Itaque alter cum patre interemptus est: alter verò seruatus. Cæsar vbi viros interēptos sensit, doluit vehementer. Quare eos, qui seruati erant, beneficio & cura prosecutus, dignitatem eis impertiuit.

c *Hadrianus.*] Id vsque ad versicul. Et quia. est Ælij Spartiani in vita ipsius Hadriani, sic scribentis, Cùm triumphum ei Senatus, qui Traiano debitus erat detulisset, recusauit ipse, atque imaginem Traiani curru triumphali vexit, vt optimus Imperator, ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem.

† *Et quia Romulus.*] Id vsque ad versic. Imperatorique triūphanti. est Plutarchi in vita ipsius Romuli.

d *Imperatoriq; triumphanti.*] Hîc vide Plinium lib. 33. c. 1.

e *Aureas coronas.*] Festus Pompeius lib. 18. cuius verba afferemus posteà.

f *Vniuerso mox Senatu.*] Ælius Lampridius in Alexandro Seuero; Post hæc cum ingenti gloria, comitante Senatu, equestri ordine, atque omni populo, &c.

g *Tum citharædorum & tibicinum.*] Dictum est suprà.

h *In quorum medio.*] Id probatur ex seqq. Sed quod hîc Alexander dicit inconditis iocis, Liuius 1. Decad lib. 4. carmina incondita appellat in triumpho Mamerci Æmylij Dictatoris de Veientibus & Fidenatibus.

i *Inter quos Ciceria.*] Citeriæ legendum ex Festo Pompeio lib. 3. Citeria, inquit, appellabatur effigies quædam arguta & loquax ridiculi gratia, quæ in pompa vehi solita sit. in idque allegat Catonem in M. Cecilium. Vide infrà in verbo, Aut Petreiæ.

k *Et Manduci.*] Idem Pompeius lib. 11. Manduci effigies, ait, in pompa antiquorum inter cæteras ridiculas, formidolosasque ire solebat magnis malis, ac latè dehiscens, & ingentem dentibus sonitum faciens, de qua Plautus ait in Rudente act. 2. sce. 6.

Quid si aliquò ad ludos me pro manduca locem.
L. Quapropter? C. quia pol clarè crepito dentibus.

Vide in seq

l *Aut Petreia.*] Idem Festus lib. 14. Petreia, inquit, vocabatur, quæ pompam præcedens in coloniis, aut municipiis, imitabatur anum ebriam, ab agri vitio scilicet petris appellatam. Sed nota quòd ex his tribus nullum comperitur nominatim fuisse triumphis adhibitum, vt hic noster Alexander contendit.

m *Tantaq; erat apparatus magnitudo.*] Id ex sequētibus patet.

n *Siquidem Æmylius Paulus.*] Liuius 4 Decad. lib. 4. & Plutarchus in vita ipsius Æmylij.

o *Et Q. Flaminius.*] Liuius in eodem illo libro, & Plutar. in Flaminio.

p *Iulius Cæsar.*] Suetonius in vita illius, cap. 37. & Appianus li. 2. bellorum Ciu. Romam reuersus, inquit, Cæsar quatuor interpositis diebus peregit triumphos.

q *Et Diuus Augustus.*] Suetonius in vita illius, cap. 22. & Seruius ad fin. lib. 8. Æneidos, ibi,

At Cæsar triplici inuectus Romana triumpho
Mœnia, diis Italis votum immortalè sacrarat.

Treis enim, inquit, Augustus habuit triumphos, Nam primo die triumphauit exercitus, qui Antonium vicerat. Secundo, qui Dalmatas vicerat. Tertio ipse cum Alexandrino est ingressus triumpho.

r *Curru aurato.*] Liuius 1. Deca. lib. 10. Appianus in Libyco, Scipionis triumphum duobus locis describens in priore sic ait, Scipio post hæc ex Libya in Italiam profectus, vniuersas copias classe traduxit, Romamque ad triumphum reuersus est, quem omnium ante se splendidissimum dicitur egisse. Eius forma, vt nunc fit, ab illis seruata est. fuit autem eiusmodi. Sertis redimiti omnes, præcinentibus tubis currus spoliis refertos deducebāt. Ferebantur & ligneæ turres captarum vrbium simulacbra præferentes: scripturæ deinde & imagines earū, quas gessissent. Aurum deinceps & argentum partim rudibus massis, partim notis, aut huiusmodi impressum figuris. Coronæ præterea, quas virtutis gratia vrbes, aut socij, aut exercitus vbi parentes militibus dedissent. Candidi subinde boues & elephanti illos sequebantur. Post hos Carthaginensium ac Numidarum Principes bello capti. Imperatorem lictores præibant purpureis amicti vestibus. tum citharœdorum ac tibiarum turba ad Hetruscæ similitudinem pompæ Hi succincti, coronisque aureis redimiti, suo quique ordine canentes psallentesque prodibant. Hos Lydios appellant: vt facilè crediderim Hetruscos à Lydiis sumpsisse originem. Horum in medio quispiam talari veste, fimbriis ac armillis auro splendentibus amictus, gestus varios edebat, hostibúsque deuictis insultans, risus vndique ciēbat. Post thuris & odorum copia Imperatorem circumsteterat, quē curru deaurato, multifariamque notis refulgente, candidi vehebant equi, auream capite gestantes coronam lapillis ornatam gemmisque. Hic vestem succinctus purpuream, patrio more, aureis intextam syderibus, altera manu eburneum sceptrum, & altera laurū præferebat, quem Romani victoriæ insigne profitētur. Vehebantur & cum eo pueri virginésque, & ad habenas hinc inde cognati iuuenes: deinum, qui exercitum secuti fuerant scriptores, ministri, scutiferíve: postremò exercitus in turmas aciésque diuisus, currum sequebantur. Milites quoque

lauro

aurato sublimis, atque ornatu humano augustior, [s] quatuor insignibus equis, cæteris altior & magnificentior vehebatur, præcedentibus lictoribus, coronatus [t] in purpura, cum insigniis imperij & magistratus quem gerebat: qui vt conspectior videretur, [u] minio illini solebat, exemplo Assyriorũ & [x] Medorum, apud quos iungi oculos, & faciem pingi, ex Cyri instituto assuetum est. [y] Persarum reges heliathe cum adipe leonino, & [z] Æthiopum proceres minio colorantur, quò facie non inuenusta, sed pro imperij maiestate, forma conspicui fiant. [a] Scire tamen licet, Romulum cum de Veientibus triumphauit, sine curru egisse triumphum. [b] Primúmque Tarquinium Priscum, vt verò plures certioresque tradunt, Valerium Publicolam, quòd Thuscos bello vicerat, quadriiugo curru triumphasse. Gestaméntque triomphantium apud prius seculum bullam fuisse, remediis inditis in ea, quæ cõtra inuidiam proficerẽt, [c] postea Camillum, quod antea licuit nulli, in triumpho albentibus equis vrbem inisse tradunt. Procedente mox tempore, [d] Pompeius magnus triompho Africano, [e] & D. Cæsar Gallico, elephantis, [f] & Marcus Antonius leonibus ad currum, præter aliorũ instituta, triumpharunt. [g] Nero autem Cæsar monstrifico inuento hermaphroditas equas potrenti loco ad currum duxit. [h] Heliogabalus maiore insania, quaternis canibus, mox tigribus vectatus fuit. [i] Aurelianus etiam ceruis ad currum triumphauit. [k] Inter cæteros proditur Sesostris Ægypri rex, regno impotenti insolens, eò ferociæ processisse, vt sorte ductos reges, annis singulis ad currum iungeret, vt ea pompa per omnium ora vectaretur triumphans. [l] Quod non absimile à Tigranis insolentia videtur, qui tanta fuit socordia, vt reges & dynastæ seruilia præberent. [m] Alexander tamen Seuerus imperator, quum de Persis triumpharet, non curru triumphali, sed pedibus, sequente curru quatuor elephantorum, palatium ascendit. [n] Tarquinius verò

Romulus sine curru triumphans.
Qui primum in curru triumpharit.
Sesostris insolentia.
Tigranis insolentia.

ANNOTATIONES.

lauro redimiti, laurum manu ferentes, quibus meritorum insignia adiuncta aderant, qui primores hos quidem laudibus ferrent, hos salibus insectarentur, nonnullos infamia notarent. Hæc Appianus.

s *Quatuor insignibus equis.*] Vide paulò pòst & in præced. Hos autem equos triumphantium niueos vocat Tibullus lib. 1. eleg. 7.

At te victrices lauros Messalæ gerentem,
Portabat niueis currus eburnus equis.

t *In purpura, cum insigniis.*] Miror quomodo Alexander Insigniis dixerit, non insignibus, cùm notum sit omnibus, Bartolum à Laurentio Valla fuisse derisum in titulo illius libelli de Insigniis & armis. Sed, quod ad rem pertinet, Seruius eclo. 10. cuius titulus est Gallus, ibi,

— Quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioq; rubentem.

Scribit triũphantes habere omnia Iouis insignia, sceptrum & palmatam togam, qua vtebantur illi, qui palmam merebantur. Vnde, inquit, ait Iuuenal.

—— In tunica Iouis.

De quo & nos alibi diximus.

u *Minio illini solebant.*] Plinius lib. 33. cap. 7. tradit Iouis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, & triumphantum corpora: sic Camillum triumphasse. Seruius ad id, quod proximè diximus, addit, triumphantes faciem illinire de rubrica instar coloris ætherei.

x *Ex Medorum.*] Xenophon Pædiæ Cyri lib. 8. ad finem, scribit, Medos habere ornatores, qui & coloribus eos liniunt, infricántque, aliáque decenter aptent.

y *Persarum Reges.*] Plinius lib. 24. c. 17. scribit, Heliathe cum adipe leonino decocta, addito croco & palmeo vino, perúngi Magos & Persarum Reges, vt fiat corpus aspectu iucundum.

z *Et Æthiopum proceres.*] Plinius lib. 33. c. 7.

a *Scire tamen licet Romulum.*] Plutarchus in vita ipsius Romuli. Cõtrà verò Dionysius Halicarnasseus lib. 2. dicit eum in curru triumphasse.

b *Primúmque Tarquinium Priscum.*] Plutarchus in Romulo, & Publicola. Adde autem quòd Fabius auus Fabij illius Maxi. curru triiugo triumphauit, vt author est Plutarchus in vita ipsius Fabij Maximi. Pomp. Lætus in Compendio Ro. historiæ, vbi de triumpho & ouatione differit.

c *Postea Camillum.*] Liuius 1. Dec. lib. 5. Plinius Secundus, aut quisquis is est, in lib. de viris illustribus, c. 23. Veios, inquit, decenni obsidione domuit, déque iis triũphauit. Postmodum crimini datum, quòd albis equis triumphasset, & prædam iniquè diuisisset: die dicta, ab Apuleio Tribuno plebis damnatus, Ardeam concessit. Et Plutarchus in vita illius. Verùm Seruius in 4. Æneidos, ibi,

— Sola fuga nautas comitabor ouantes.

Ita de ea re loquitur, tanquam id perpetuum esset, vt triumphantes quatuor albis equis vterentur. Appianus in Libyco de quatuor equis non scribit, sed simpliciter de equis candidis. Et Apul. apol. 1. idémque, inquit, triumphantibus quadrigis. Idem etiam Tibullus loco nuper suprà citato.

d *Pompeius Magnus.*] Plinius lib. 8. c. 2.

e *Et Diuus Cæsar.*] Suetonius in vita illius, c. 37. Sed Gordianus Imperator in triumpho quoque suo elephantis vectus est, vt tradit Iulius Capitolinus in vita ipsius.

f *Et M. Antonius.*] Plinius lib. 8. c. 16. vbi de leonibus, sic scribit, Leones iugo subdidit, primúsque Romæ ad currum iunxit M. Antonius, & quidem Ciuili bello, cùm dimicatum esset in Pharsalicis campis: non sine quodam ostento temporum, generosos spiritus iugum subire illo prodigio significante.

g *Nero autem Cæsar.*] Plinius lib. 11. c. 49.

h *Heliogabalus.*] Ælius Lampridius in vita illius, sic scribit, Canes quaternos ingentes iunxit ad currum, & sic est vectatus intra domum regiam: idque priuatus in agris suis fecit. Processit in publicum, & quatuor ceruis iũctis ingentibus Iunxit sibi & leones, Matrem magnam se appellans. Iunxit & tigres, Liberũ se vocans, eodémque hãbitu agens, quo dij pinguntur, quos imitabatur.

i *Aurelianus.*] Flauius Vopiscus in vita illius, Fuit, inquit, alius currus quatuor ceruis iunctus, qui fuisse dicitur Regis Gotthorum: quo, vt multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus inuectus est, vt illic cæderet ceruos, quos cum eodem curru captos vouisse Ioui optimo maximo ferebatur.

k *Inter cæteros proditur Sesostris.*] Diodorus Siculus lib. 2. c. 1. Plinius lib. 33. c. 2. Lucanus lib. 10.

Venit ad occasum mundiq; extrema Sesostris,
Qui Pharios currus Regum ceruicibus egit.

l *Quod non absimile.*] Plutar. in Lucullo.

m *Alexander tamen Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita illius, Particum Seueri triumphum scribẽs, ait, Post hæc cum ingenti gloria, comitante Senatu, equestri ordine, atque omni populo, circunfusis vndique mulieribus & infantibus, maximè militum coniugibus, pedes palatium conscendit: cùm retro curru triumphalis à quatuor elephantis traheretur. Leuabatur manibus omnium Alexãder: vixque illi per horas quatuor ambulare permissum est, vndique omnibus clamantibus, Salua Roma, quia saluus est Alexãder.

n *Tarquinius verò Priscus.*] Plinius libro 33. cap. 3. paulò ante fin.

Ex quibus corona triũphales concinnabãtur. Seruius in curru triumphali.

Corona post triũphum Iouis Capit. vel templis dicata. Equis triumphantiũ insidētes. Florum sparsio. suffimenta.

Priscus aurea tunica processit ornatus. [o] Pompeius chlamyde Magni, Alexandri. Ipsos verò triumphantes [p] myrto prius (authore Masurio) [q] mox lauro plexa, & ex laureto, [r] quod à Liuia Augusta pactum erat, postquam Cæsares imperitarunt: [s] deinde aurea coronari institutum ferunt. Ex lauro autem ideo, vel quòd spectatissima [t] in monte Parnasso, vel quòd fulmine afflari nunquam compertum sit. [u] Quam quidem coronam, non ipsos triumphantes gestare, sed seruum in curru eodem, qui supra illius verticem ipsam teneret, post se habere tradunt. [x] Suspicari licet, vel quòd onere ferendo triumphantem fatigari minimè volebant, vel vt humanæ fragilitatis memor foret, quũ iuxta assidere seruum in eodem videret curru, ne per insolentiam nimis sibi placeret, & triumphatu superbiret. Quam quidem exacto triumpho [y] in gremio Capitolini Iouis locare, [z] vel templis dicare solebant, quòd beneficio deorum immortalium de hostibus triumphare contigisset. Sunt tamen authores, in altera triumphantis manu laurum, [a] in altera teneri sceptrum, dum triumphali vehitur curru. In equis verò triumphantium, [b] ingenui pueri, aut virgines nondum adultæ, proxima cognatione iunctæ, ad habenas cognati & affines [c] in veste candida, [d] iuxta latera scribæ & ministri, qui ducem sequuti comites expeditionis fuerant, comitabantur. [e] Interim per vias effusi omnis sexus & ætas in cõmuni gaudio flores iacere, & passim diis libare, alij victimas cædere, vndique thuris & odorum copia exhalãte. [f] Post currum verò captiui, seruitute exempti, & libertate donati, sequebantur, omnes capitibus rasis & pileati, quasi effugisse seruitij tempestatem viderẽtur. [g] Quare Titi Flaminij currum, qui de Macedonia & Nabide triumphauit, Romanorum supra duo millia captiuorum, qui bello capti ab Hannibali diuidenti fuerant, quos per vniuersam Græciam conquisitos redemerat, liberi postliminio capitibus rasis sequuti sunt. [h] Et Cneo Cornelio, qui de Insubribus & Cenomanis triumphauit, turba Cremonẽsium Placen-

ANNOTATIONES.

ante fin. Verrij authoritate.

n *Pompeius chlamyde.*] Appianus in Mithridatico ad fi.

p *Myrto, prius authore Masurio.*] Plinius lib. 15. c. 29.

q *Mox lauro.*] Idem Plinius eodem lib. 15. c. 30. eodémque vlt. & Gellius lib. 5. c. 6. cuius hæc verba sunt, Triumphales coronæ sunt aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Id vulgò dicitur Aurum coronarium. Hæ antiquitus ex lauro erant, pòst fieri ex auro cœptæ. Et huc pertinet illud Virgilij eclnga 8.

— Atque hanc sine tempora circum.
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Et ibi Seruius. Et Horatius Carm. lib. 2. Ode 1.

Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Et vide Seru. lib. 6. Æneid. ibi,

— Et ramo felicis oliuæ.

Et quod dicetur in verbo, Deinde aurea coronari.

r *Quod à Liuia Augusta.*] Plinius d. lib. 15. cap. 30. Dion in vita Augusti.

s *Deinde aurea coronari.*] Suprà dictum est, ibi, Mox lauro. Sed adde Dionysium Halicarnass. & Festum Pompeium lib. 18. vbi triumphales, inquit, coronæ sunt, quæ Imperatori victori aureæ præferuntur, quæ temporibus antiquis, propter paupertatem, laureæ erant.

t *In monte Parnasso.*] Plinius lib. 15. c. 30.

u *Quam quidem coronam.*] Vt satis innuit Pompeius nuper citatus, & Plinius lib. 33. c. 1. his verbis, Et cùm corona ex auro Hetrusca sustineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æquè triumphantis, & serui fortasse coronam sustinentis. Et Iuue. qui hunc seruum publicum fuisse dicit satyr. 10.

Quid si vidisset Prætorem in curribus altis
Extantem, & medio sublimem in puluere Circi
In tunica Iouis, & picta Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnaq; corona
Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit vlla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Consul
Ne placeat, curru seruus portatur eodem.

x *Suspicari licet.*] Rationem secundam amplectitur Iuuenalis vbi suprà.

y *In gremio Capitolini Iouis locare.*] Seneca in lib. de Consolat. ad Albinam, c. 10. vbi de Curio Dentato, quem tamen non nominat, loquens, Sed minùs beatè, inquit, viuebat Dictator noster, qui Samnitum legatos audit, cùm vilissimum cibum in foro ipse manu sua versaret, illa, qua iam sæpe hostẽ percusserat, lauréamque in Capitolini Iouis gremio reposuerat. Plinius d. lib. 15. c. 30. inquit, Fasces Imperatorum decorat. Ex his in gremio Iouis optimi maximi deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit. Alter Plinius Iunior in Panegyrico, Allata erat ex Pannonia laurea, id agentibus diis, vt inuicti Imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret. Hanc Imperator Nerua in gremio Iouis collocarat. Et rursus, Nec quia vel pater tibi triũphalis, vel adoptionis die dicata Capitolino Ioui laurus idcirco ex occasione omni quæris triumphos. Dion de Domitiani triumphis, De Sarmatis, inquit, lauream Capitolino Ioui retulit. Et Pacatus in Panegyrico Theodosij, Depositis in gremio Capitolini Iouis laureis, triumphales viri rusticabantur.

z *Vel templis dicare.*] Plinius lib. 5. c. 4.

a *In altera teneri sceptrum.*] Id enim inter cætera triumphantium insignia ponit Seruius enarrans illud Virgilij, quod suprà eodem cap. retulimus. Et planè indicat Iuuenalis Sat. 10. non longè à princ.

Da nunc & volucrem sceptro, qui surgat eburno.

Vbi interpres Georg. Valla, Volucrem, aquilam, quæ in sceptri eburnei vertice consedit. Nam & Dionysius Halicarn. lib. 5. loquens de triumpho Menenij Agrippæ, scribit triumphantes sceptrum gestare: ouantes verò minimè.

b *Ingenui pueri aut virgines.*] Appianus in Libyco. Iul. Capitolinus in vita Marci Antonini.

c *In veste candida.*] Ad quod potest videri allusisse illud Martialis lib. 8. epig. 64. ad Domitianum.

Hic lauro redimita comas, & candida cultu
Roma salutauit voce, manuq; ducem.
Grande loci meritum, testantur & altera dona,
Stat sacer edomitis gentibus arcus ouans.

d *Iuxta latera scribæ & ministri.*] Appianus in Libyco.

e *Interim per vias.*] Idem Appianus loco, quem suprà citauimus.

f *Post currum verò captiui seruitute exempti.*] Quod videre licet ex Valer. Max. lib. 5. cap. 2. de Gratis, vbi de Terentio Culeone loquitur, qui Scipionis Africani superioris currum triumphantis, quia captus à Carthaginensibus & ab eo recuperatus fuerat, pileum capite gerens, secutus est.

g *Quare Titi Flaminij.*] Plutarchus in vita illius. Vallerius Maximus d. lib. cap. 2. dicit id contigisse Flaminin non cùm de Nabide, sed cum de Philippo Rege trimpharet. Et de hoc quoque loquens Liuius 4. Decad. lib. 4. Præbuerunt, inquit, speciem triumpho capitibus rasis secuti, qui seruitute exempti fuerant. Idem scribit Eutropius de Gestis Rom. lib. 4. cap. 1.

h *Et Cn. Cornelio.*] Liuius 4. Decad. lib. 3.

i *L. Furio.*]

tinorúmque colonorum, ab eo obsidione & seruitute exempti, pileati post currum incessere. Proditum tamen memoriæ est, [i] Lucio Furio qui in prætura de Gallis triumphauit, nec captiuos præcessisse, nec spolia prælata, nec milites sequutos. [k] Marcúmque Aciliũ de Antiocho & Ætolis sine militibus triumphasse, & sine exercitu. [l] Fuere tamen qui traderent, tribunos præfectósque legionum, centuriones & legatos, equis aut carpento insidentes, interdum pedibus, in pompa triumphali currum prosequutos: [m] nam Tiberium triumphantem legati legionum cum triumphalibus ornamentis sequuti fuere. [n] Et Messalina post Claudij Cæsaris currum carpento vecta fuit. [o] Et Aurelianus Cæsar Zenobiam vinctam aureis catenis carpento duxit. [p] Post hæc victrices legiones, militésque victoris exercitus armati, ac diuisi in turmas, pleni fortunarum gloriæque cum iocorum lasciuia, & [q] carmine triumphali, ludibundi, & spoliis ornati, [r] verba & inconditos versus in triumphantem militari modo iactantes, sequebantur. [s] Quare Camillus, Romulus, & parens patriæ, ac conditor vrbis: [t] sicut Marius Cimbrico triumpho, tertius conditor appellatus est, [u] & Cæsar inter militares iocos à Nicomede subactus, & mœchus Gallus, Lapsanaque quoque se vixisse apud Dyrrachium, milites in Cæsarem inter iocos cauillati fuere. [x] M. verò Manlium in triumpho quem de Gallogræcis habuit, milites inter iocos velut nimis indulgentem & ambitiosum taxauere. [y] Dúmque per vrbẽ pompa & tantus ordo procedit, per vias perque omnes aditus & deorum templa patentia passim tricliniis stratis, omnium generum, ætatum & ordinum effusa multitudo inter vota precésque ad aras diis libabant, hostias mactabant, grates diis agebant, conceptámque lætitiam, cantu & carmine, ac lætis acclamationibus significabãt: donec cum omni apparatu, cúmque his militaribus iocis [z] per mediam vrbem & Velabrum, pérque Sacram viã læti & ouantes [a] in Capitolium ascenderent, [b] vbi tauros in pompa ductos in Iouis optimi maximi templo immolabat, [c] quos priusquam de nece hostium ducis certissimis constaret argumentis, triumphantem minimè immolare debere, multi arbitrati sunt. [d] Epulũ post hæc magnificentissimum, & lautum omni apparatus genere, vberrimis amplissimísque obsoniis ac sumptu magnifico publicè dabatur, in quo

Ioci liberi & acclamationes in triumphantē.

Sacrificia in Capitolio.

Epulum triumphale.

ANNOTATIONES.

i *L. Furio.*] Liuius 4. Decad. lib. 1. non multò ante fi. & diximus suprà.

k *Marcúmque Acilium.*] Idem Liuius 4 Dec. lib. 7.

l *Fuere tamen qui tradiderunt.*] Quod probat ex sequẽtibus.

m *Nam Tiberium.*] Suetonius in vita illius, c. 20. A Germania, inquit, in vrbem post Biennium regressus, triumphum, quem distulerat, egit, prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat.

n *Et Messalina.*] Idem in vita Claudij, c. 17.

o *Et Aurelianus Cæsar.*] Flauius Vopiscus in vita illius, Incedebat, inquit, Zenobia, ornata gemmis, catenis aureis, quas alij sustentabant. Trebellius autem Pollio in Zenobia paulò diuersius, historiam hanc scribens, ait, Ducta est igitur Zenobia per triumphum ea specie, vt nihil pompabilius paulo Romano videretur, iam primum ornata gemmis ingentibus, ita vt ornamentorum onere laboraret. Fertur enim mulier fortissima sæpissime retulisse, cùm diceret se gemmarum onera ferre non posse. Vincti erant pedes auro, manus etiam catenis aureis: nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat.

p *Post hæc victrices.*] Iam satis dictum est suprà.

q *Carmine triumphali.*] Liuius 5. Decad. lib. 5. in triumpho Acilij & Appianus in Libyco. Huic sententiæ adstipulatur Martialis lib. 1. epigram. 5. ad Cæsarem,

Consueuere iocos vestri quoque ferre triumphi:
Materiam dictis nec pudet esse ducem.

r *Verba & inconditos versus.*] Suprà dictum est de inconditis iocis & carminibus, quibus adde quod scribit Dionys. Halicarn. lib. 7. paulò ante fi. his verbis, Hi serias illas saltationes ridiculè imitabantur deprauantes per ludibrium, quibus lusibus satyricis salibúsque iam inde à priscis seculis delectatos Romanos apparet è triumphis etiam. Permittitur enim victores deducentibus Iambos & dicteria iacere in Imperatores clarissimos; quemadmodum Athenis solebant pompam in plaustris ducentes, scommatibus obuios impetere: nunc autem extemporalibus vtuntur versiculis.

s *Quare Camillus.*] Plutarchus in vita illius, Liuius 1. Dec. lib. 5. Dictator, Camillus, recuperata ex hostibus patria, triumphans in vrbem redit: interque iocos militares, quos inconditos iaciunt, Romulus, ac parens patriæ, conditorque alter vrbis, haud vanis laudibus appellabatur. Et iterum lib. 7. in princ.

t *Sicut Marius.*] Plutarchus In Mario, Populus, inquit, præsertim tertium Romæ instauratorem Marium appellabat, quòd non minori discrimine tunc Romã seruauisset, quàm Gallico bello. Itaque læti omnes Romani cum filiis atque vxoribus Mario & diis domi libabant.

u *Et Cæsar.*] Suetonius in vita illius, c. 49. sic scribit, Gallico denique triumpho milites eius inter cætera carmina, qualia currum prosequentes, ioculariter canunt, etiam vulgatissimum illud pronunciauerunt,

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.
Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias,
Nicomedes non triumphat qui subegit Cæsarem.

x *M. verò Manlium.*] Liuius 4. Dec. lib. 9. non multò post princ. Multi, inquit, omnium ordinum donati militaribus donis, currum secuti sunt: carminàque à militibus ea in imperatorem dicta, vt facilè appareret in ducem indulgentem ambitiosumque ea dici, triomphum esse militari magis fauore, quàm populari celebrem.

y *Dúmque per vrbem pompa, &c.*] Id dictum est. Præterea Pomponius Lætus magnitudinem imperij Rom. scribens, hunc triumphantium mortem graphicè tradit.

z *Per mediam vrbem & Velabrum.*] Suetonius in Cæsare, cap. 37. Gallici triumphi die Velabrum prætervehens, penè curru excussus est, axe defracto.

a *In Capitolium ascenderent.*] Suetonius vbi suprà proximè, Iosephus belli Iudaici, lib. 7. c. 24. in descriptione triumphi celeberrimi Vespa. & Titi.

b *Vbi tauros.*] Seruius in lib. 9. Æneidos, ibi,

Et statuam ante aras.

Pomponius Lætus vbi suprà.

c *Quos priusquam.*] Iosephus vbi suprà, sic scribit, Pompæ finis fuit Capitolini Iouis templum, quò postquam ventum est, constitere. Erat autem vetus mos patrius, operiri donec ducis hostium mortem quispiam nunciaret. Is erat Simon Gioræ, tunc inter captiuos in pompa traductus: laqueo verò circundatus per forum trahebatur, quo eum simul cæderent, qui ducebant. Postquam igitur eum finem vitæ habere nunciatum est, omniúmque fauor secutus est, tunc hostias inchoauere: hísque secundo per vota solennia omine peractis in palatium recessere.

d *Epulum.*] Columella lib. 9. Et de triumphantium epulo Posidonius lib. 2. historiarum, & ex eo Athenæus lib. 4. c. 15.

turdos & murenas inter obsonia apparari, & vina præcipua, atque vnguénta minio delibuta exhiberi consuerant. [e] Quare diuus Cæsar meritò celebratur, qui Africaoo triumpho, præter obsonia apparatissima, vno die in duobus & viginti mollibus tricliniorum instructis, paratisq; mensis epulum regali magnificentia, ac vini falerni amphoras centum, & Chij cados centum populo dedisse fertur, vbi [f] sex murænarum millia vna cœna exhibuit. [g] Tiberius quoque mille mensis prandium parauit. [h] Ad illud etiam consules inuitari, mox ne venirent rogari solebant, scilicet ne quis maior triumphante honorem qui illi debebatur, præriperet, vtq; locus honestissimus triumphanti, cui tantus honos habitus est, daretur, vt illum à cœna omnis ordo & ætas officij causa domum sine offensione reduceret, quæ præsentibus consulibus alteri tribui non decebat. [i] Interdum verò notatum est, epulas, extructásque mensas, ante domos in promiscuo vsu rerum omnium victricibus legionibus, quo agmine triumphantem sequebantur, exhibitas fuisse. Et post triumphum, vt gratia esset cumulatior, [k] aurum coronarium ex victis bello gentibus, ob concessam vitam, imperatori dari: [l] quod quidem nisi triumpho recepto præstari non decebat, pro eo quòd pro corona triumphi à sociis & bello victis gentibus quasi vectigal dabatur, [m] quod Hadrianus primò Italiæ remisit, & in prouinciis minuit. [n] Deinde verò Alexander Seuerus voà cum negociatorio, populo illud dono dedit. Togas quoque [o] & sagula, [p] æráque & dona multiplicia, singulis militibus pro meritis ab imperatore elargiri. [q] In quo id seruatum est, vt quod pediti, duplex centurioni, triplex equiti daretur, vnà cum stipendio militari & frumento duplici: tribuno verò, multo magis. Animaduersúmque & illud est, imperatorem, cui belli summa commissa fuit, decreto iam triumpho, antequam vrbem iniret, sæpe tribunos, præfectos, equites, centurionésque ob fortia facinora militaribus donis in primis ornasse, & benemeritis præmia largitum esse: ipsosq; cum donis & insigniis militaribus in pompa triumphi præcedere triumphantem, nonnunquam sequi consuesse. [r] Præterq; assuetos honores, vel locum in Circo ad spectandum cum laurea & sella curuli inter viros triumphales consularésque sibi & posteris, [s] vel vt in veste triumphali ludos spectaret, arcúmque marmoreum, [t] nonnunquam statuam in foro pedestrem aut equestrem, ampliore sumpto cum decretis & titulis honorum, in Comitio, in Rostris, in Foro, in Palatio, in Capitolio, [u] aut in cella Iouis (qoi rarissimus honor contigit) senatum & populum triumphanti, aliáque insignia virtutum dona honores dedisse.

D. Cæsaris epulum.
Tiberij.
Epulæ legionibus victricibus ante fores exhibitæ.
Coronarium aurum imperatori datum post triumphum.
Munera data militibus.
Dona triumphanti à senatu & populo data.

ANNOTATIONES.

& lib. 5. c. 15 eodémque vlt. Ex quibus præterea intelliges id conuiuium fieri solitum in templo Herculis.

e *Quare diuus Cæsar.*] Suetonius in vita illius, c. 38. Plutarchus in vita illius. Plinius lib. 14. c. 15.

f *Sex muranarum millia*] Plinius lib. 9 c. 55.

g *Tiberius quoque.*] Suetonius in vita illius, c. 20. Prandium, inquit, dein populo mille mensis, & congiarium tricenos nummos viritim dedit.

h *Ad illud etiam Coss*] Hæc vsque ad vers. Interdum verò. sunt ex Plutarcho probl. 80.

i *Interdum verò notatum est epulas, &c.*] Nam Cæsar in suis triumphis adiecit epulum & visceratonem apud Sueton. in vita ipsius, c. 38. Idque solum fieri in triumphis tradit Columella lib. 9.

k *Aurum coronarium.*] Id iam suprà dictum est ex Gel. ibi, 5. c. 6. atque videre licet ex Seruio lib. 8. Æneidos ad fin. ibi,

Dona recognoscit populorum aptatq; superbis
Postibus. ——

Aurum, inquit, coronarium dicit, quod hodie à victis gentibus datur. Imponebant autem hoc Imperatores propter cõcessam vitam. Et de huiusmodi auro coronario, meminit Cicero in Oratione in Pisonem, Mitto aurum coronarium, quod lex & decerni & accipi vetat, nisi Imperatoribus ex prouincia decedentibus ad decorandum triumphum. Præter hos, vide l. Iudæorum. C. de Iudæis. & l. 1. C. de auro coronario. & Spartianum in Hadriano, Capitolium in Antonino Pio, Lampridium in Alex. Seuero, Ammianum Mattellinum lib. 2. Dionem lib. 49.

l *Quod quidem nisi triumpho recepto.*] Quod patet ex eo quod confestim subdit de Hadriano.

m *Quod Hadrianus primò.*] Spartianus in vita illius.

n *Deinde verò Alexander Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita illius.

o *Et sagula.*] Titus Liuius 1. Dec. lib. 10. in triumpho Q. Fabij scribit, Data ex præda militibus æris octogeni bini, sagáque & tunicæ, præmia illa tẽpestate militiæ haudquaquam spernenda. Verùm ista latius, & suo loco explicantur.

p *Æraq;*] Vt in triumpho Pompeij apud Plutarchum In vita illius.

q *In quo id seruatum est.*] Et id quidem factum fuisse in triũpho Q. Flaminij de Macedonia & Nabido refert Liuius 4. Decad. lib 4. Atque etiam in triumpho P. Scipionis Nasicæ eiusdem Dec lib. 6. Et in triumpho Scipionis Asiatici eiusd. Dec. lib. 7. ad fin. Et in triumpho M Fuluij Flacci lib. eiusd. Decad. 10. Et in triumpho Q. Fuluij ex Liguribus non multò post, ad fin. eiusdem lib. 10. Et in triũpho Tiberij Sempronij Gracchi. Et in triumpho C. Claudij Pulchri. 5. Deca. lib. 1. & in triumpho Pauli Æmylij. 5. Deca. lib. 5. & Anitij ibid. At idem 4 Decad. lib. 3. dicit in duobus triumphis Cn. Cornelij de Insubribus & Cenomanis, & Q Minutij de Liguribus & Boiis septuagenos æris militibus diuisos: duplex equiti, triplex centurioni. Et eodem lib 3. in triumpho Marcelli in pedites singulos, datos octingentos æris, triplex equiti centurionique. Sed & illo eodem Deca. lib. 4. tradit in triumpho M. Portij Catonis ex Hispania militibus ex præda diuisos fuisse in singulos ducenos septuagenos æris, triplex equi nec quicquam loquitur de centurionibus: vti similiter 5. Decad. lib 5. scribit, de victa Macedonia, ex præda 400. denarios in equitem, & ducentos fuisse peditibus diuisos, nec de centurionibus loquitur.

r *Præterq; assuetos honores, vel locum in circo*] Liuius 1. Dec. lib. 2. vbi id scribit tributum fuisse M. Valerio Dictatori post triumphum posterísque ipsius. Hæc enim sunt verba illius, Super solitos honores locus in circo ipsi, posterísq; ad spectaculum datus, sella in eo loco curulis posita.

s *Vel in veste triumphali.*] Id enim fuisse concessum. L. Paulo Æmylio tradit Plinius, aut quisquis est, qui illum elegantissimum librum edidit de Viris illustribus, c. 54.

t *Nonnunquam statuam.*] Sic Q. Martio Tremulo statua equestris decreta est in foro, apud Liuium 1. Decad. libr. 9. paulo ante fin. Cuius hæc verba sunt, Martius de Hernicis triumphans in vrbem rediit: statuáque equestris in foro decreta est, quæ ante templum Castoris posita est.

u *Aut in cella Iouis.*] Vnde id accepit nescio. Illud autem scio,

scio, triumphantes plerunque sibi solere induere tunicam Iouis, vt tradit Seruius in eclo. 10. Virgilij, quam ex templo Iouis sumebant, ex Liuio 1. Dec. lib. 10. vbi sic scribit, qui Iouis Opt. Maximi ornatu decoratus, curru aurato per vrbem vectus in Capitolium ascenderit. Ex quo illud Iuuenalis satyra 10. in princ.

Quid si vidisset Pratorem in curribus altis
Extantem & medio sublimem in puluere Circi,
In tunica Iouis. —

De hac autem re ita loquuntur Lampridius in Alexandro Seuero, & Capitolinus in Gordianis, vt videri possit huiusmodi tunicas, scilicet prætextã, pictam togam, & palmatam non nisi ex templo Iouis etiam Imperatores, & quosuis alios sibi sumere consueuisse, non etiam priuatos habuisse.

Responsum Raphaeli Volaterrano, quare legum & causarum studio intermisso in his mitioribus studiis oblectaremur.

Capvt VII.

Qværebat aliquando ex me, dum Romæ agerem, Raphael Volaterranus, vir insignis doctrinæ & virtutis, cui ad mores emendatissimos, grauitas libero homine digna, non modicam accessionem faciebat, quid causæ foret, quòd quum causarum patrociniis & foro vsque à pueritia essem addictus, illis posthabitis, & quasi forensibus negotiis prætermissis, in his studiis mitioribus ita me oblectarem, vt causarum patrociniis bellum indixisse viderer. Cui hoc causæ referebam, quòd leges quæ ad communem vtilitatem editæ, studio & labore maximoque quæsitæ & meditatæ nobis forent, neque ab his qui iura darent coli, neque perinde vt oporteret, præcipi viderem, dolerémque iuridicundo illos plerunque præsidere, qui eas vel turpiter ignorarent, vel per gratiam & sordes facilè corrumpi sinerent: & quibus seruandarum legum præcipua immineret cura, hi maximè legum scita contemnerent: quibus rebus effici, vt tot scita & decreta veterum monumentis nobis tradita, maximisque ingeniis eleborata, & tam pensiculatè expensa, vnus homunculus nequissimus audacissimúsque, ignarus legum, iudiciorum & fori, qui magistratui præesset, non salubri temperamento, nec disceptatione ac iudicio, sed ausu temerario, & omni iure neglecto, ad suam libidinem per scelus & nequitiam euerteret. Horum non minima exempla dicebam fore ea quæ dudum experti vidimus. Nuper quum Romę custodias cognoscerem, operæ pretium fuit videre, quæ rerum miracula monstris & portentis similia, ac dictu fastidienda, quæve turpitudines ad aliquotum libidinem admitterentur contra ius fasque, siquidem sacerdotem quempiam in his nacti sumus, grauem & sanctum virum, vita & moribus ornatissimum, hominem profectò honestæ & magnæ laudis, diu tenebris & carcere maceratum, indignissimam fortunam subire coactum, pro eo quòd pecuniam sibi traditam ab eo qui illam furto subtraxerat, vt vero domino restitueretur, illius iussu mandatóque restituerat, suppresso authore: ipsúmque quæstionibus subdi vidimus, & tormentis vexari, vt illum qui conscientia culpæ, & spe veniæ adductus, abstulisse confessus fuerat, palam faceret, delinquentísque delicta, quæ ille pœnitens culpę dixerat, enunciaret: quo discrimine adactus pauper senior, confitentis peccatum & delinquentem enunciare coactus fuit: quod quidem scripto iure vetitum, sanctionibúsque & decretis interdictum esse constat. Rursus alium immani scelere coopertum, hominem impurissimum turpissimúmque, qui maximorum criminum reus, testibus, tabulis, testimoniis, & certissimis documentis conuictus fuerat, quæ nec ipse gloriabundus diffitebatur, quísque legum iudiciorúmque pœnis sæuissimè coercendus erat, ab eisdem ergastulis, sola præsidentis temeritate, nullo negotio dimitti & liberari; aliásque audacias & turpitudines, ne dicam scelera indigna auditu profanáque; quæ vix credenti non modò enunciata, sed visa & comperta fuere. Iason Marassalanus, & Ludouicus Matha, quum sacerdotalibus quibus fungebantur muneribus cedere nollent, quæsitis occasionibus ad inimicorum libidinem, tetro carcere vsque eò tenti fuere, donec illorum arbitrio singulis ornamentis, fama, & fortunis omnibus exturbati, quoad illis liberet, excruciati sunt; non vero iudicio, sed præsidentis sola temeritate & libidine: ne prosequar viros vitæ inculpatissimæ, summa integritate & fide, falsis criminibus circumuentos ab impotentibus inimicis miseros & laborantes, in quos grauiter crudelitérque consultum vidimus, vel vt afflictas fortunas inuaderent, ipsósque de possessione & antiquissimis sedibus deturbarent, vel vt inuidorum libidini obtemperarent: aliáque in miseros edita exempla, nulla pietate in supplices & calamitosos, eósque innoxios turpibus iudiciis conflictari, & vsque premi ab his, qui gratia & opibus plus possunt polléntque: alios vero authores manifesti facinoris, ne appellari quidem. Quæ quum viderem, patronísque contra vim potentiorum aut gratiam nihil præsidij esse, nihil opis; frustra nos in legum controuersiis, & ediscendis tot casuum varietatibus tam pensiculatè editis, tantum laboris & vigiliarum suscipere, tantóque nos studio fatigari dicebam, quum ab ignauissimi impurissimíque cuiusque temeritate, qui iuri dicundo præsideret, quem leges virum bonum esse volunt, non æquo iure, sed ad gratiam & libidinem iudicia ferri, decretáque legum tanto consilio edita, conuelli & labefactari viderem.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

Hoc caput nullis indiget Commentariis.

Quæ sit Bona dea, & quæ à veteribus illi sacra fierent, quidve Rubigalia, Foralia & Vinalia forent.

CAPVT VIII.

Varia sententia quæ esset Bona dea.

INTER eos quibus ista indagare curæ fuit, sæpe quæsitum est, [a] quæ sit bona dea, cuius numen tantopere coli à Romanis legimus: quod sacrum à principio originum inchoatum, dum imperium stetit, incredibili cæremonia colebatur. Multi putauere Floram, Bonam deam esse, quæ Flauij seu Fauni quondam vxor, vino madens, [b] myrteis flagris à viro cæsa, postea cùm facti pœniteret, & ipsius desiderio tabesceret, diuinis honoribus coli cœpta fuit: in cuius ædem licet florum omne genus importarent, myrtum tamen inferre non decebat, in memoriam veteris mulctæ, [c] sicut in Tenedo tibicinem adire Tenis templum, aut Achillis mentionem facere ob veteris ignominiæ memoriam vetabatur. Et apud Rhodios præconem accedere ad Occidionis templum, interdictum erat. [d] Quidam Græcorum ex Liberi matribus illam effinxere: alij Medeam, plerique Semelem, multi Proserpinam putant: [e] Romani Dryada Fauni vxorem, [f] cuius ne nomen quidem viros intelligere fas erat. [g] Qui verò Bonam deam dicunt Fauni vxorem, illam tam illibatæ castitatis fuisse opinati sunt, vt extra Gynæceum nunquam egressa, nec virum viderit vnquam, nec à viro conspecta, nomenque fando nullibi auditum sit. Quæ quidem sacra quum Maio mense pro salute populi fierent, quicquid esset masculum, [h] domo exigebatur, ita vt non modò extra conspectum summonerentur viri, [i] sed masculæ quoque picturæ tegerentur: [k] quod compar Misiæ Cereris sacrum obtinere dicunt: in quo [l] quum septem operentur dies, tertia à templo exacti viris, [m] pulsis etiam canibus maribus, mulieres celebrabant. Cumq; in sacris Bonæ deæ vino libetur, illud non suo nomine nuncupant, [n] sed lac dicunt esse, vini tamen amphoram in sacris obuolutam apponunt, [o] quam dixere Mellariam: [p] ad quod sacrum nisi castas, quæq; à viris abstinuissent, nullas accedere licebat, [q] templúmque deæ neque

Cæremonia in sacris Bonæ deæ.

Sacra Bonæ quo in loco fierent.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

QVæ sit Bona dea.] Hic omnino vide Macrob. lib. 1. Saturnalium cap. 12.

b *Myrteis flagris.*] Plutarch. probl. c. 19. Quid est, quòd Floræ quam Bonã deam nominant, omni florum genere templum exornantes mulieres, domum myrtos nõ importent: præsertim cùm ambitiosius cunctis germinum ac florum varietatibus vti soleant? An illud est quod à fabulatoribus dicitur, Floram Flauij diuinatoris vxorem fuisse, quæ cùm vino clanculum vberius vteretur, deprehensam myrtheis virgis ac flagris à viro cæsam fuisse, dicitur inde factum esse, vt myrtus in eius ædem nõ inferatur? Vinum autem cum mulieres ei libant, lac appellant.

c *Sicut in Tenedo.*] Idem Plutarch. eiusdem operis. c. 141. vbi eius rei rationem reddit. Diodorus Siculus li. 5. c. 17. Verum, inquit, propter cuiusdam tibicinis testimonium, qui nouercæ insidiis fauerat, legem sanxit, ne quis tibicen templum ingrederetur. Belli Troiani tempore, cùm Achilles Tenem occidisset, quo tempore Græci Tenedum depopulati sunt, statuerunt postea Tenedij, vt nulli deinceps liceret templo restituto, in eo Achillem nominare.

d *Quidam Græcorum.*] Hæc vsque ad versicul. Romani. sunt Macrobij d. lib. 1. Satur. c. 12.

e *Romani Dryada.*] Plutarchus. Varro autem filiam ipsius Fauni hanc putat apud Macrobium vbi suprà.

f *Cuius ne nomen quidem.*] Macrobius ibi, Hæc, inquit, apud Græcos θεὸς γυναικεία dicitur, quam Varro filiam Fauni tradit, adeò pudicam, vt extra γυναικωνῖτιν nunquam sit egressa, nec nomen eius in publico fuerit auditum, nec virum vnquam viderit, nec à viro visa sit: propter quod nec vir templum eius ingreditur.

g *Qui verò.*] Macrobius loco præced. citato. Et Lactantius ex Varrone lib. 1. c. 22. & vide nostras leges Connubiales, l. 10. num. 26. incip. Et huc quoque.

h *Domo exigebatur.*] Plutarch. in Cæsare, & probl. c. 19. & ante hoc Cicero in Oratione de Aruspicum responsis, in P. Clodium de sacris bonæ deæ loquens, sic scribit, Quod quidem sacrificium nemo, nisi P. Clodius, omni memoria violauit: nemo in quem adiit, nemo neglexit, nemo vir aspicere non horruit, quod fit per virgines Vestales, fit pro P. R. in ea domo, quæ est in imperio, fit incredibili ceremonia: fit ei deæ, cuius ne nomen quidem viros scire fas est: quam iste idcirco bonam dicit, quod in tanto sibi scelere ignorauerit, & in eundem, Hominémque eum, qui puluinaribus Bonæ deæ stuprum intulerit, eáque sacra, quæ viri oculis, ne imprudentis quidem aspici fas est, non solùm aspectu virili, sed flagitio stupróque violarit.

i *Sed masculæ quoque picturæ.*] Seneca ad Luciliũ, li. 16. epist. scribit, viros omnes à conspectu religionis Bonæ deæ sic arceri, vt picturæ quoque masculorum animalium contegantur De quo & illud Iuuenalis sat. 2.

—— Vbi velari pictura iubetur,
Quæcunque alterius sexus imitata figuram est.

Et vide omnino dictas nostras leges Cõnubiales vbi suprà.

k *Quod compar Mysiæ Cereris.*] Idem scribit Lilius Gyrald. de Diis Gentium. syntagm. 14. nullo quoque authore citato. Sed, ne ignores, id totum est Pausan. lib. 7. quo Achaica describit, in fin. Sed addendum Catanensis quoque Cereris eam fuisse religionem, vt adire eius templi secreta penetralia viris nefas esset, vt tradit Lactantius lib. 2. c. 4.

l *Cum septem operentur dies.*] Vide nostras leges Connubiales, l. 15. num. 115. incip. Illud quoque ex antiq. & seq.

m *Pulsis etiam canibus maribus.*] Pausanias d. lib. 7. de Mysiæ Cereris sacrificiorũ ritibus scribẽs, ait, Solenne item septem dierum Cereri celebrant. Die autem festi tertio è templo viri se subducunt. Relictæ itaque mulieres ea noctu peragunt. quæ ritus postulat. Non autem viri solum expelluntur, sed è canibus etiam mares. Postero autem die reuersos in templum viros derident, & dicteriis exagitant mulieres, & has vicissim viri.

n *Sed lac esse dicunt.*] Plutarch. probl. c. 19. Macrob. d. lib. 1. c. 12. Athenæus autem lib. 10. Dipnosoph. c. 15. scribit, Aristophanem vocasse vinum ἀφροδίτης γάλα, Lac Veneris, quòd sit ipsius Veneris incitamentum.

o *Quam dixere Mellariam.*] Plutarch. vt suprà citauimus.

p *Ad quod sacrum nisi castas.*] Idem Plutarch. ibi, An quòd, inquit, à multis tum verò rebus Veneris castæ ac puræ sacrum illud obeunt? Non solùm enim viros excludunt, sed cùm solenne sacrificum faciunt, quicquid masculum est domo exigunt.

q *Templumq́; deæ nec virum ingredi.*] Tibullus lib. 1. eleg. 6.

Exibit quam sæpe time: seu visere dicet
Sacra Bonæ maribus non adeunda deæ.

Et vide nostras leges Connubiales vbi suprà, & quod suprà diximus.

r *Quæ*

virum ingredi, nec interesse permittitur: cuius limina purpureis vittis velabantur, [r] quæ non vbique & passim, sed in maximi pontificis domo, in recessu intimo, nocte, non autem die fiebant. [s] Et licet nocturna sacra prisco ritu mulieribus interdicta fuerint, [t] in hoc tamen sacro quum pro populo facerent, mulieres noctu interesse non vetantur: quod quidem tantæ religionis est habitum, [u] vt illud vestales virgines obirent, & per illas sacrum fieret. [x] Cuius ædes altera in Auentino, [y] altera iuxta Isidis templum fuere, ad nouam viam. Alij dixere Bonam deam, [z] quam Græci Gynæceiam nuncupant, cuius festis diebus palmite tabernacula mulieres intexunt, interque solennia draconem apponunt. [a] Quod sacrum non in pontificis domo, sed in ædibus quisque suis celebrare assuetat, aut illis quæ essent in imperio consulari, vel prætoria dignitate. Dúmque sacrum fit, [b] cunctos mares domo exigunt, ne polluerentur, & piaculum fieret, quum ritu sacrorum neque deam conspici, neque sacerdotes palam fieri liceat: Vxor enim exornata, domo maribus exactis, [c] nouem continuas noctes operata furiali incessu, cum æris crepitu & phanatico discursu sacra peragit: aliis simili temulentia ad id sacrum accitis mulieribus: [d] vnde occasio frequens mœchandi. & facultas adulteris data est. [e] In cuius sacrificiis canes immolantur: quique huic supplicant, maledictis & probris deam incessunt, neminemque optant bonum inuenire, qui domi nascatur: quippe eam dixere Bonam deam quæ ex corruptis generationes faciat, quare illam Gynæceiam quasi rerum genitricem, vocant. [f] Quod sacrum Damium à more præpostero, ipsaque Damia, sacerdósque Damiatrix dicta. [g] Cuius instar apud Siculos dicunt fuisse, apud quos sacrum Cereri decem diebus, verbis turpibus & obscœnis celebrari produnt, magna verborum licentia, scilicet arbitratæ, ex obscœnitate verborum, & iocorum lasciuia, Cereris luctum mœroremque leuari, quem ex raptu filiæ conceperat. [h] Nonnulli Opem dixere Bonam deam, quæ & Maia dicta est, quam nominibus variis, Faunam & Fatuam, [i] & matrem deûm, & [k] Idæam, Pessinuntiam, Cybelem, [l] Rheam [m] & Phrigiam nuncupant, quia hominibus fauet, [n] & opem liberis

Religio.
Ædes Bonæ deæ.
Gynæceia.
Ceremonia.
Mœchādi occasio in sacris Bonæ deæ.
Damiū.
Cereris sacrum.
Ops.
Opis varia nomina.

ANNOTATIONES.

r *Quæ non vbique & passim; sed in maximi pontificis domo.*] Scilicet sacrificie deæ, de quo pauló infrà.

s *Et licet nocturna sacra.*] De quo omnino vide quæ scripsimus in nostris legibus Connubialibus l. 16. nu. 42. incip. Septimum, ne vxores. & seqq.

t *In hoc tamen sacro.*] Nam & in hoc sacro, quod nocturnum erat à mulieribus tantùm celebrabatur ex Plutarcho in Cæsare, & in Cicerone, & aliis vbique, & dicetur mox posteà.

u *Vt illud Vestales.*] Cicero in Oratione de Aruspicum responsis loco suprà citato, & Plutarchus in Cicerone.

x *Cuius ædes altera in Auentino*] Scilicet Bonæ deæ. Idque est P. Victoris in 13. regione vrbis Romæ.

y *Altera iuxta Isidis templum.*] Idem Victor in 12. regione.

z *Quam Græci Gynæceiam.*] Macrobius, vt diximus suprà, lib. 1. c. 12. aliàs Genesiam. Vide Plutarch. in Cæsare.

a *Quod sacrum non in Pontificis domo.*] Plutarchus in Cicerone dicit ea sacra fieri quotannis in domo Consulis. Videeundem in Cæsare.

b *Cunctos mares domo exigant.*] Plutarchus proble. c. 19. vt suprà dictum est.

c *Nouem continuas noctes.*] Id non in sacris Bonæ deæ fieri, sed Isidis scribit Propertius lib. 2. elegia. 33.

Tristia iam redeunt iterum solennia nobis
Cynthia iam noctes est operata nouem.
Atque vtinam Nilo pereat, quæ sacra repentè
Misit matronis Inachis Ausoniis.
Quæ dea tam cupidos toties diuisit amantes,
Quæcunque illa fuit, semper amara fuit.

Et de Cereris sacris, quæ Græci Thesmophoria vocant, Ouid. lib. 10. Metamor.

Perquè nouem noctes Venerem, tactusque viriles
In vetitis numerant.

Vide nostras leges Connubiales l. 15. num. 115. incip. Illud quoque patebit ex seq.

d *Vnde occasio frequens mœchandi.*] Vide dictas leges Connub. l. 16.

e *In cuius sacrificiis.*] Hæc vsque ad vers. Quod sacrum. sunt Plutarchi probl. c. 52.

f *Quod sacrum Damium.*] Hæc vsque ad vers. Cuius instar. sunt Festi Pompeij lib. 4. cuius hæc verba sunt, Damium sacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonæ deæ, dictum à contrarietate, quòd minime esset *δημόσιον*, id est, publicum, Dea quoque ipsa *δάμια*, & sacerdos *δαμιάτρις* appellabatur.

g *Cuius instar apud Siculos.*] Diodorus lib. 5. c. 2. non adeò procul à fi. Cereri verò, inquit, cùm semen in terram iicitur, apparatu ac magnificentia exquisita decem dies festos agunt; priorem repræsentantes vitam: quibus diebus turpiloquio iuuicem vti consueuêre, vt deæ dolor ex filiæ raptu conceptus, risu & verborum scurrilitate mitigeretur.

h *Nonnulli Opem dixere Bonam deam.*] Hæc vsque ad verba, Et Matrem deûm, sunt Macrobij lib. 1. Satur. c. 12. aliorum authoritate.

i *Et Matrem deûm.*] Varro lib. 1. aut aliorum computatione 4. de lingua Latina.

k *Idæam, Pessinuntiam, Cybelem.*] Hæc tria sunt Strab. lib. 10. & primum quoque Liuij 3. Decad. lib. 9. Ex quo etiam est illud Tibulli lib. 1. eleg. 4.

At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
Idæa currus ille sequatur Opis.

Et Virgilij lib. 10. Æneidos,

Alma parens Idæa deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque vrbes, biiugique ad fræna leones.

Et rursus lib. 9.

Tympana vos, buxúsque vocat Berecynthia matris
Idææ. ——

Et Ouidij lib. 4. Fastorum,

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit & Idææ festa parentis erunt.

Et ante hos Lucretij de eadem loquentis lib. 2.

Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocitant matrem, Phrygiasque cateruas
Dant comites: quia primùm ex illis finibus edunt
Per terrarum orbem fruges cœpisse creari.

l *Rheam.*] Vide Strabonem d. lib. 10. & suprà eod. lib. c. 4.

m *Et Phrygiam.*] Vide eundem. Et huic illud Virg. lib. 4. Æneidos,

—— Qualis Berecynthia mater
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes.

Et ibi Seruius, & Hesichius, & Phurnutus, qui ita eam dicit vocari, quòd à Phygibus maximè coleretur.

n *Et Opem liberis præstat.*] Id respicit quod suprà dixit, eam Opim à quibusdam, à quibusdam verò Bonam deam nuncupari. Et hîc vide Macrob. lib. 1. cap. 12. & Mythologicon lib. 1. cap. 3.

Fatua. Ceremonia. Opis simulacrum. Ceremonia in sacris Isidis.

præstat: [o] Fatuámque dictam, quòd infantes in lucem editos, fandi modos & verba edoceat. [p] cui qui vota concipiunt, manu terram tangentes velut parenti & genitrici supplicant. [q] Cúmque in omnibus sacris, qui rem diuinam facit, velare caput soleat, huic aperto capite & inuelato sacrificat. [r] Quam deam Ægyptiis celebre numen fuisse asseuerant: [s] cuius simulacrum sinistra scyphum tenet, dextra sistrum: hoc est æneum crepitaculum, quod non spiritu, sed motu concussum personat, ab illísque Isis dicta, cui peruigilia excubiæque nocturnæ à puellis peraguntur. [t] Cuius sacerdotes linea amicti stola, per vrbem lugentes vagabantur, mox læti sacra perficiunt: [u] in cuius festo qui ex collegio sunt sacerdotes, diuersas facies induunt ornatu vario: nam alius incinctus balteo, militem agit, alius venabulo venator incedit, alius longa stola fœminam mentitur, nonnulli cum fascibus præcedunt velut magistratus. [x] Post quæ mulieres candidis amiculis serta ferentes cum speculis & pectine ante simulacrum deæ famulantur, ipsamque comeotes cum lucernis & lampade sequuntur. [y] Et quia Saturni & Vulcani vxor dicitur, ideo flamen Vulcanalis calendis Maiis illi rem diuinam facit, & prægnantem suem mactat Maiæ & Mercurio, [z] cuius ferias Saturnalibus incurrere notatum est, festósque illi dies Opalia fuisse, quæ tertio die post Saturnalia aguntur: [a] sicut Robigalia, Floralia, Vinalia Agonalia, Carmentalia, Angeronalia & Vertumnalia. [b] Præter quæ fuerunt sacra popularia non certis familiis tributa, vt [c] Fornacalia, [d] Palilia, Laralia: [e] Fuit autem ædes Opis in Capitolio vna, [f] altera in vico Iugario Opis & Saturni. Notatúmque his qui Ope indigerēt, ad asylum Cereris panem dari, quibus nunquam templum claudebatur, [g] sicut ædem Hortæ reclusam esse voluerunt, quum sit hortari, ad res magnas adducere. [h] Isidis verò ædes vna patricia, altera verò Antenodora dicta est, cuius templum in re-

Feriarum quarundam nomina. Sacra popularia. Opis ædes. Ædes Hortæ semper reclusa. Isidis ædes.

ANNOTATIONES.

o *Fatuámque dictam.*] Et hîc quoque.

p *Cui qui vota concipiunt*] Diuus Augustinus Varronis authoritate lib. 7.

q *Cúmque in omnibus sacris.*] Plutarchus proble. c. 11.

r *Quam deam.*] Scilicet Isidem, de qua aliquid suprà dixit, & statim pòst declarat.

s *Cuius simulacrum.*] Seruius in lib. 8. Æneidos enarrans illud,

Regina in mediis patrio vocat agmina sistro.

Isis, ait, est genius Ægypti, qui per sistri motum, quod gerat in dextra, Nili accessus significat & recessus: per situlam, quam sinistra retinet, ostendit fluentiam omnium lacunarum. Isis autem lingua Ægyptiorum est terra, quam Isim volunt esse. Alibi autem ostendimus sistrum Ægyptiorum esse proprium.

t *Cuius sacerdotes linea.*] Iuuenalis de his loquens saty. 6.

Qui grege linigero circundatus, & grege caluo
Plangentis populi currit latrator Anubis.

Hincque dea linigera dicta est Ouidio lib. 1. Meta.

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.

Et lib. 1. de Ponto eleg. 1. ad Brutum,

Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem
Isidis, Iliacos ante sedere focos.

Et alibi quoque diximus, scilicet lib. 2. c. 9.

u *In cuius festo.*] Hæc sunt Apuleij lib. 11. Metamorphoseos huiusmodi festum describentis, Hic incinctus balteo militem gerebat, illum succinctum chlamyde crepidæ & venabula venatorem fecerant. Alius socceis obauratis indutus serica veste, mundoque precioso, & adtextis capite crinibus, incessu perfluo fœminam mentiebatur. Et post pauca, Nec illic deerat, qui magistratum fascibus purpuráque luderet.

x *Post quæ mulieres.*] Hæc quoque sunt Apuleij eodem libro quibusdam interiectis, Mulieres, inquit, candido splendentes amicine, vario lætantes gestamine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, qua faces incedebat comitatus, solum sternebant flosculis, aliæque nitentibus speculis ponè tergum reuersis, venienti deæ obuium commonstrarent obsequium. Et quæ pectines eburneos ferentes, gestu brachiorum, flexúque digitorum, ornatum & obpexum crinium regalium fingerent: illæ etiam quæ cæteris vnguentis & geniali balsamo, guttatim excusso, conspergebant plateas.

y *Et quia Saturni & Vulcani vxor.*] Ad Romanos redit, & de Ope intelligit, quam vxorem & sororem Saturni fuisse scribit Fulgentius libro Mythologicon 1. c. 3. Macrob. lib. 1. Saturnal c. 10. Lactantius lib. 1. c. 13. & ante hos Diodorus Siculus lib. 3. Bibliothecæ: aliàs 4. c. 5.

z *Cuius ferias.*] Varro lib. 1. aut aliorum computatione 5. linguæ Latinæ, Saturnalia, inquit, dicta à Saturno, quòd eo die feriæ eius fierent.

a *Sicut Robigalia.*] De his septem, sex vide paulò infrà. Sed quod hîc Angeronalia vocat, Agonalia dicendum est, vt patet ex his, quæ statim dicet de Agonalibus. Quanquàm etiam fuerunt festa Angeronalia dicta ab Angerona Varroni lib. 4. aut aliorum computatione 5. linguæ Latinæ.

b *Præter quæ fuerunt sacra popularia.*] Fest. Pompeius lib. 14. Popularia, inquit, sacra sunt (vt ait Labeo) quæ omnes ciues faciunt, nec certis familiis attributa sunt: vt Fornacalia, Palilia, Laralia.

c *Fornacalia.*] De quibus Plinius lib. 18. c. 2. de Numa loquens, sic scribit, Is & Fornacalia instituit farris torrendi ferias, & æquè religiosas terminis agrorum. Plutarchus problem. c. 89. & in Numa Pompilio. Festus Pompeius lib. 5 Et ex poëtis Ouidius 2. Fastor.

Curio legitimis nunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec stata sacra facit.

Hincque dea Fornacalis eidem lib. 6, eiusdem operis.

Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et Fornacali sunt sua sacra deæ.

Nam & ea Fornax dicta est apud eundem lib. 2. eiusdem operis,

Facta dea est Fornax: læti fornace coloni
Orant, vt fruges temperet illa suas.

De qua Lactantius Falsæ religionis lib. 1. cap. 20. & Festus Pompeius lib. 6. in princ.

d *Palilia.*] De quibus etiam Varro lib. Rei rusti. 3. c. 1. & linguæ Latinæ d. lib. 5. Cicero lib. 5. de Diuinat. Tibullus lib. 2. eleg. 6. Ouidius lib 14. Metamorp. & lib. Fastor. 4 itémque 6. Propertius lib. 4. eleg. 1. & 4. Persius sat. 1. Festus Pompeius libri 5. vbi de Pale & Parilibus loquitur. Ex quibus intelliges & hæc Parilia quoque vocari, de quibus alibi diximus.

e *Fuit autem Opis in Capitolio vna.*] Liuius 4. Decad. lib. 9. Addita, inquit, & vnum diem supplicatio est decreto Pontificum, quòd ædes Opis in Capitolio de cœlo tacta erat.

f *Altera in vico Iugario &c.*] P. Victor in 8. regione vrbis Romæ meminit ædis Opis, & Saturni in vico Iugario.

g *Sicut ædem Hortæ.*] Plutarchus proble. c. 45.

h *Isidis verò ædes vna patritia.*] P. Victor in 5. regione vrbis Romæ. Spartianus in vita Adriani. Ex quo illud Iuuenalis satyr. 6.

A Meroë portabit aquas, vt spargat in æde
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ouili.

Et horum prior Dionysius Halicarnasseu lib. 5.

i Sciendum

gione Martij campi fuit, proximum Tiberi, iuxta Septa & Ouile. Sed quia de Agonalibus loquor, [i] sciendum Agonalia statiuas ferias fuisse, [k] quibus Iano V. Idus Ianuarias mactatur aries: [l] dictique Agonales dies, quòd à principe ciuitatis princeps gregis immolabatur: quippe antiqui agein mactare dixerũt, quod verbum in solennibus frequens vsurpatur, [m] quorum authorem Numam Pompilium ferunt. [n] Carmentalia verò à matribus familias annis singulis fiunt decimo octauo calendas Februarias, [o] in quibus aliquid scorteum aut sua morte peremptum attulisses magnum crimen erat. [p] Robigalia à Numa quoque instituta sunt, ne rubigo segetes, néve vredo, aut grando inuaderet. Ideo sexto calendas Maij agebantur, quo die [q] Robigo deo sacrum fieri docuit, [r] Floralia à Flora sumpsére nomen, qui vt arbores affatim efflorescerent, ad iustámque magnitudinem fructus accederent, quarto calendas Maij, oraculo moniti sacra constituerũt, namque hæc tempora frugibus metuenda sunt. [s] In cuius festis diebus fœminas quæ vulgato corpore quæstum faciunt, denudari, & pudendis obscœnísque inuelatis, per luxum & lasciuiam currere, & impudicos iocos agere seruatum est. [t] quibus etiam ædiles cicer, fabas & missilia plebi spargere assuerant, leporésque & capreas, aliáque mitia animalia ludis admittere, quos in vico patricio, aut proximo celebrabant, noctúque accensis facibus, cum multa obscœnitate verborum per vrbem vadere, & ad tubæ sonitum conuenire. [u] Fuit enim Flora nobile scortum, huius author argumenti, quæ quum præpotens esset, & diuitiis affluerет, populum Romanum morte obita hæredem fecit, pecuniamque annuam ludis exhiberi voluit. [x] quorum instar ludorum Antisteria apud Athenienses simili licentia fuere. [y] Vertumnalia verò dies festos Vertumno dicatos habuere Octobri mense, cuius sacellum in vico Turario erat vertẽtibus se ad dexteram sub basilicæ angulo: [z] qui deus mercaturæ & vertendarum rerum habitus. [a] Vinalia autem erant duplicia: altera vinis degustandis duodecimo calendas Martias, quum vina pura sunt, quo die Ioui nouum vinum libare mos est, quod ex dolio haustum, calpare eximebant. [b] Altera, quibus flamen dialis vindemiam auspicatus maturis vuis, vinum legere, & vindemiam fieri iubet: quibus diebus agnam Ioui immolant, interque cæsa & porrecta, vinum legit, quo tempore ex phano Veneris vinũ affatim effundebant. [c] Fuitque veteri lege sancitum, vt flamen Martialis diceret diem veteri vino libando, medicaminis causa. Inde vsurpatum verbum: *Nouum vetus vinum bibo, nouo veteri vino morbo medeor.* Vnde Medittinæ nomen deæ, cuius sacra Meditrinalia, & dies Meditrinalis. Sicut ad primitias pomorum noua esse dicebant vetera, & alia exoptabant noua, ominis causa. [d] Præter quæ fuerunt Rustica vinalia, quòd Veneri ædes tunc dicata foret,

Agonalia. Agonales dies. Agon. Carmentalia. Robigalia. Floralia. Caremonia in floralibus. Flora. Antisteria. Vertumnalia. Vinalia. Meditrinalia sacra. Rustica vinalia.

ANNOTATIONES.

Sciendum Agonalia] Macrobius lib. 1. c. 4.

k *Quibus Iano V. Idus.*] Ouidios lib. 1. Fastor.

Quatuor adde dies, ductis ex ordine Nonis,
Ianus Agonali luce piandus erit.
Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cœlitibus quo feriente cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper agátne rogat, nec nisi iussus agit.
Pars quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.

Et cætera quæ sequuntur.

l *Dictique Agonales dies.*] Varro lib. 2, aut aliorum computatione 5. linguæ Latinæ, his verbis, Dies Agonales per quos Rex in regia arietem immolat, dicti ab agone, eo quòd interrogatur à principe ciuitatis, & princeps gregis immolatur. Alij autem alias causas afferunt, vt Ouidius vbi suprà.

m *Quorum authorem Numam.*] Plutarchos in vita ipsius.

n *Carmentalia vero.*] Varro dicto lib. 5. & idem Plutarchus in Romulo, Dionysius Halicarnassens lib. 1. Antiquitatum Rom. scribit, Euandro & Carmentæ Romanos quotannis sacrificasse, quemadmodum reliquis heroibus ac dæmonibus: arã que dicatas eis etiam fuisse, Carmentæ apud Carmentalem portam sub Capitolio, Euandro apud Auentinum collem prope portam Trigeminam.

o *In quibus aliquid Scorteum*] Gyraldus syntagmate 17.

p *Robigalia.*] Varro lib. 1. Rei rusticæ, cap. 1. & d. lib. 5. de ling Lat & Plinius lib. 18. cap 29. Rubigalia, inquit, Numa constituit anno regni sui 11 quæ nunc aguntur ad 7. Cal. Maij: quoniam tunc ferè segetes rubigo occupat. Festus Pomp. lib. 16

q *Robigo deo.*] Plinios, & Festus Pompeius vbi suprà.

r *Floralia.*] Varro d. lib. 1. Rei rusticæ, c. 1. Plinios d. lib. 18. cap. 29. Lactantius lib. 1. c. 20. Macrobius lib. 1. c. 4. D. August. Ciuitate Dei, lib. 4. c. 8 & lib. 6. cap. 7.

s *In cuius festis diebus.*] Plinius vbi suprà. Gyraldus Historiæ deorum syntag. 1.

t *Quibus etiam Ædiles.*] Valerius Maximus lib. 2. c. 5.

u *Fuit enim Flora.*] Lactantius lib. 1. c. 20 Huic deæ Ouid. Fast. 5. quòd floribus præsit, Zephyrum ventũ dat maritum.

x *Quorum instar, &c.*] Gyraldus in libro de Annis & mensibus, cæterísque anni partibus, de his pluribus scribit. Rhodiginus lib. 29. c. 1. authoritate Apollodori, scribis Antisteria in vniuersum quidem vocari festa Bacchi, priuatim verò Pithœgia.

y *Vertumnalia verò.*] Varrò lib. 5. de lingua Latina. Festus Pompeius lib. 19.

z *Qui Deus.*] Donatus in Adelphos Terentij in duobus locis.

a *Vinalia autem.*] Varro d. lib. 5. linguæ Latinæ. Plinius lib. 18. c. 29. Vnde Ouidius lib. 4. Fastorum,

Cur igitur festum Veneris Vinalia dicant,
Quæritis? & quare sit Iouis ista dies?

Et paulò pòst,

Hostica Tyrrheno vota est vindemia Regi,
Iuppiter è Latio palmite dona feres
Vota valent meliora: cadit Mezentius ingens,
Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat Autumnus calcandis sordidus vuis.
Redduntur meritò debita vina Ioui.
Dicta dies hinc est Vinalia, Iupiter illa
Vendicat, & festis gaudet inesse suis.

b *Altera, quibus flamen dialis.*] Vinalia (inquit Varro vbi suprà) à vino. Hic dies Iouis, non Veneris. Huius rei cura non leuis in Latio. Nam aliquot locis vindemiæ primùm à sacerdotibus publicè fiebant, vt Romæ etiam nunc: nam Flamen Dialis auspicatur vindemiam: & vt iussit vinum legere, agna Ioui facit: inter cuius exta cæsa, & porrecta flamen prorsus vinum legit.

c *Fuitque veteri lege sancitum.*] Varro ibi, & Festus Pompeius lib. 10. non longè ante fin. vbi de Meditrinalibus.

d *Preter quæ fuerunt rustica Vinalia.*] Varro vbi suprà, Vinalia, inquit, rustica dicuntur ante duodecimum diem Calendas

eiúsque tutelæ olitores addicerentur, quibus diebus erant feriati, quæ dies tempestatibus leniendis solennis habebatur, qua nouum vinum in vrbem ferre, & in cellis vinariis condere assuerant. [e] Apud Thusculanos lege cautum erat, ne quis nouum vinum, antequam Vinalia calcentur, in vrbem inueheret: Laurentibus, ne quis pomum ex alieno legeret in arimum, quod humeris vectaretur: Græcis, ante vernum æquinoctium, ne quis vitem incideret, neque vuam ante æquinoctium autumnale gustaret: [f] Romanis vino & nouis frugibus, antequam sacerdos primitias libasset, vesci non licuit: [g] Græcis quoque in vsu erat, in festo cui Pithœgia nomen, quo dolia relinuntur, vinum affatim haurire, ad cuius potum non seruos modò, sed mercenarios, clientes & rusticam turbam adnocabant.

Lex apud Thusculanos. Laurentium lex. Græcorum. Romani.

ANNOTATIONES.

lendas Septembris: quod tum Veneri dedicata ædis, & orti eius tutelæ adsignaotur, ac tum sunt feriati olitores. Festus Pompeios lib. 16. vbi de rusticis Vinalibos.

e *Apud Tusculanos.*] Varro noo multò ante ea, quæ io præced. citauimus, In Tosculanis, ait, sacris est: Vinum nouum ne vehatur in vrbem antè, qoàm Vinalia kalentur.

f *Romanis.*] Plinius lib. 18. cap. 2. Ac ne, ioquit, degustabant quidem nooas fruges aoc vioa, antè quàm sacerdotes primitias libassent.

g *Græcis quoque in vsu erat, in festo, cui Pithœgia.*] Cælios Rhodigioos Antiquarum lectiooum, lib. 28. c. 25. sic scribit, Pithœgia, inqoit Proclos, festum veteribus erat, qoo in vini participatum & seruos aduocabant & merceoarios: relinebantur enim tuoc primùm dolia, proinde facta re diuina, Diooysiaci doni commooicatio omnibus patebat. Comprecabantur verò, vt Plutarchos inquit, ἀβλαβῆ ϗ σωτήριον αὐτοῖς τ̃ φαρμάκου τ̃ χρῆσιν γενέσθαι, id est, ionoxiam salubremque ipsis medicamenti potionem. Vndecima mensis die factitari hoc Athenis consueuisse, produnt auctores. Hactenos Cælius.

Tantum & quantum comparatiuo nonnunquam coniungi, ademque pro domo sæpe apud authores inueniri.

CAPVT IX.

CVM à tumultuariis negotiis ingenij vegetandi causa animum ad mansuetiores musas quandoque diuerterē, incidimus fortè ad id temporis quum hæc commentaremur, in libellum Elegantiarum (quem sic inscripserat) grammatici cuiuspiam docti hominis & confidentis, qui pleraque exquisitè & non indiscertè ex authoribus adnotasse videbatur. In quibus ita scriptum legimus: Tantum & quantū, verbo & positiuo: tanto & quanto, comparatiuo iungi oportere, vt quanto es doctior, tanto es melior: quantum potes, tantum elabora. Arguitque Lactantium velut parum discertè loquutum: Quanto frequenter impellitur tanto firmiter roboratur. Sed quum nos longè secus à probatissimis hæc obseruata legissemus, profectò id non vsquequaque verum putamus: ipsumque qui inter grammaticos principem locum facilè tenuit, quod citra calomniam dictum sit, incuriose processisse. Esto enim quòd sic fuerit ab authoribus sæpe vsurpatum, quin secus dici scribíque possit citra reprehensionem, non negauerim: siquidem & tantum cum quanto & cum positiuo aut comparatiuo iungi non indiscerté, plerumque videmus. Fuitque hæc oratio non erudita solùm, sed suis numeris omnibus absoluta. Titus Liuius tertio ab vrbe condita: Quantum iuniores patrum plebi se magis insinuabant, eo acrius contrà tribuni tendebant. Lucius Florus epitomarum secundo: Numancia, inquit, quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior, ita virtutis nomine & honore par omnibus. Idem de Cassiano bello: Sed quanto est efficacior fortuna quàm virtus, tantum esse virtutem. Plinius Nepos epistolarum vltimo: Quantum ab huiusmodi cupiditatibus remotior eius animus esset, tanto impensius, &c. Tacitus historiarum quinto: Tiberius, inquit, quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in lusus. Plinius quoque historiæ naturalis decimoseptimo, multum superlatiuo iunxit: Domus, inquit, multum pulcherrima consensu omnium ætate ea in colle Quirinali, C. Aquilij fuit. Quin etiam dixit grammaticus noster, proximè accedere ad vim comparatiuorum ante & post, vt tanto ego ante veni, non tantum. Contra quod authoritas Plinij & aliorum obuia est Naturalis historiæ 18. Quantum igitur vniuersas terras ager Campanus antecedit, tantum ipsum pars eius quæ Laboriæ dicitur. Cæsar commentario 6. Omni, inquit, nobilitate Heduorum interfecta, tantum potentia antecesserunt, & aliis passim authoribus probatissimis, in quibus liquet, tantum cum quanto, & comparatiuo & positiuo, non absque cultu Latini sermonis iungi licere. In eodem quoque libello scriptum fuit, Ædem singulari pro templo, plurali numero pro domo accipi oportere, nisi sacras adieceris, quod tamen secus dictum definitúmque plerúmque est. Q. Curtius lib. 5. (Stabant inquit) ad fores ædis eius, in qua rex vescebatur, & alibi: Excubabant seruaris noctium vicibus, proximi foribus ædis. Cicero pro Cluentio: Atque illo tempore, inquit, in æde T. Annij hominis honestissimi Scalenus accersitus ab Oppianico venit. Rursus ædes plurali pro templo T. Liuius non semel ponit: Duumuiri, inquit, creati fuere ædibus dedicandis. Suetonius in Claudio: Spectacula, inquit, edidit, quum prius ad superiores

Tantum Laurentius. Valla Elegantiarum lib. 1. c. 18.

Cap. 1.

In eiusdem lib. 3. c. 7.

ANNOTATIONES. IN CAP. IX.

ID caput ex eorum num. est, quibus Alexander Laurentiom Vallam vellicat, eius tamen nomine suppresso: idque ex duobus locis ipsius Vallæ. Primus est in lib. Elegantiarum primo cap. 18. alter libro eiusdem operis tertio cap. 7. Sed aduerte quòd locus Cornelij Taciti hîc designati lib. 5. est mendosus. Is enim est lib. 4. vbi sic scribitur, Sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus & molibus insederat, quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in

luxus

ædes supplicasset. Neque abnuerim, quin frequens habeat vsus, vt ædes pluratiuo numero pro domo, pro templo verò singulari diei conueniat. Sed tamen quin altero etiam modo Latinè dici possit, isque sermo citra reprehensionem probabilis sit, licet parcius circunspectiúsque antiqua dicta & veterum authoritas facit.

ANNOTATIONES.

lusus & molam otium resolutus, vbi legendum, vt vides, in luxus non lusus. Locus autem prior Plinij est lib. 17. cap. 1. Sed hic locus est hic corruptus, nam in emendatioribus codicibus ita legitur, Multò verò pulcherrima consensu omnium ætate ea in colle Viminali C. Apulij equitis, Rom. Posterior autem locus ipsius Plinij est lib. 18. c. 11.

Quæ lege duodecim tabularum vtiliter & commodè, quæve parum consultè, & nimis seuere scripta videbantur.

Caput X.

A Condita [a] vrbe ad annum ferè trecentesimum, populum Romanum ancipiti bello distractum, sine legibus certis, suis tantum moribus vixisse, neque externas leges conquisisse satis constat. trecentesimo demum exacto anno post finitimos superatos bello, quietis rebus, quum respublica legibus formanda videretur, decemuiros legum ferendarum causa crearunt: qui Athenas profecti ad iura statuenda, vt peregrina instituta, scita, moresque noscerent, diuino consilio leges duodecim tabulis in æs incisas, in foro proposuere, excerptas à Solonis legibus, quæ axibus ligneis continebantur, quibus boni æquique iussa, praui delictorúmque depulsio, cum iudiciorum ordo, & bene viuendi norma, pœnæque ac præmia constituta sunt: à quibus postea omnis diuini humanique nostri iuris sanctior manauit. Quæ quidem leges quum longi temporis abusu antiquatæ essent, & vetustate consenuissent, nouis postea editis, quæ eadem illa continerent, licet mutatis verbis, eadem tamen scita & constituta mansere. Primi enim qui leges scriptas proposuere, æquandæ libertatis causa. [b] Zephyrij fuere Locri in Brutiis, à Zephyrio promontorio dicti, Aiacis Oilei socij: [c] licet alij in Bœotia Locri Opuntij prodantur: [d] Patrocli patria: [e] alij Epicnemedij in eadem Bœotia: alij Ozolæ à malo odore nuncupati, in Libia. [f] His ergo Zephyriis Zeleucus, Spartanorum & Cretensium placita imitatus, qui à Minoë vetustas leges acceperunt, acerbiores leges conscripsit, pœnásque iure debitas, iuris atque iniuriæ regulas, scripto præfiniuit, vt metu iudiciorum & pœnarum à criminibus abstinerent. Antea enim omnis animaduersio criminis, non scripto iure, sed iudicis arbitrio edebatur. [g] Postea Athenienses à Dracone & Solone scriptas leges in Prytaneo ab eo fixas & propositas, iuráque & iudicia acceperunt. [h] Demum Romani moderando iura, summis infimísque æquando, illorum exemplo scriptas promulgarunt. [i] Et sicut Cretensibus Minos, sic [k] Zoroastes Bactrianis & Persis leges dedit, [l] Charonda Carthaginensibus, [m] Zamolxis Scythis, [n] Plato & Magnesiis & Siculis, [o] Ægyptiis

Populus Romanus trecentos annos sine legibus vixit. Decemuiri quando primum creati. Leges 12. tabularum. Athenis Romam traductæ. Leges scripta à quibus primum proposita. Zeleucus. Legum latores diuersarum gentium.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

a *A Condita vrbe.*] Hæc sunt Liuij 1. Decad. libr. 3. & Pomponij Iurisconsulti in l. 2. ff. de orig. iur.

b *Zephyrij fuere Locri.*] Strabo lib. 6. Ex quo intelliges hic legendum esse Epizephyrii, & iterum lib. 9.

c *Licet alij in Bœotia Locri Opuntij.*] Strabo d. lib. 9.

d *Patrocli patria*] Cæterùm (inquit Strabo d. l. 9.) ex Opuntia terra natum esse Patroclum testatur Homerus, qui cùm cædem patrasset inuitus, fuga se subtraxit ad Peleum.

e *Alij Ozolæ à malo odore nuncupati.*] Strabo ibi. Plutarchus problem. c. 128. vbi & alias rationes huius appellationis affert & Seruius lib. 3. Æneidos in eum locum,

Hic & Naritij posuerunt mœnia Locri.

f *His verò Zephyriis Zeleucus.*] Diodorus lib. 12. Strabo lib. 6. Ephori authoritate & ante eum Aristoteles Politicon lib. 2. c. 10.

g *Postea Athenienses à Dracone & Solone.*] Plutarchus in Solone, Diogenes Laërtius in vita ipsius Solonis, Gellius lib. 12. c. 18 & alij plurimi. Sed tu adde alios Atheniensium legum latores Cædem, aut, vt alij vocant, Caladem, ex Pausania lib. 1. qui de Atticis est.

h *Demum Romani.*] Liuius & Pompeius suprà iam citati.

i *Et sicut Cretensibus Minos.*] Aristoteles lib. 7. Politicon c. 10. Strabo lib. 16. Diodorus Siculus lib. 2. c. 1. & lib. 6. c. 15. Leges præterea multas, inquit, Cretensibus dedit, simulans eas ab se in quadam spelunca meditatas. Et hinc legifer Minos dicitur Ouidio lib. 3. Amorum elegia nona, aut decima ad Cererem,

Optauit Minos similes sibi legifer annos.

Sed & Ceres ipsis quoque Cretensibus leges dedit, ex Diodoro lib. 6. aut 5. cap. 2.

k *Sic & Zoroastes Bactrianis*] Zoroastes, (authoribus Plinio lib. 7. cap. 16. & lib. 30. cap. 1. Iustino lib. 1. & Sabellico Enneadis 1. lib. 5.) Bactrianorum Rex, Astrologiæ peritissimus, Magicas artes creditur inuenisse, legesque Bactrianis dedisse.

l *Charonda Carthaginensibus.*] Charondas legendum est. nec is quidem Carthaginensibus, sed Thuriis, aut, vt alij vocant, Tyriis, leges dedit apud Diodorum Siculum lib. 12. & Valerium Maximum lib. 6. c. 5. de Iustitia.

m *Zamolxis Scythis.*] Herodotus lib. 4. Melpomene, Strabo lib. 7. Diodorus Siculus lib. 2. cap 5. memoriæ prodiderunt Zamolxin Getis (qui ex genere Scytharum sunt) leges dedisse.

n *Plato Magnesiis & Siculis.*] Sed & ipsis Siculis Timoleon vnà cum Cephalo & Dionysio Corinthiis leges tulit ex Plutarcho in Timoleone. At Plato rogatus à Cyrenensibus, vt ipsis leges scriberet, ac reip. statum componeret, recusauit dicens: Perdifficile esse condere leges tam felicibus: indicans (vt scribit Erasmus Rhoterod. ex Plutarch. in Lucullo in Apophthegmatis Platonis) eos non facilè parere salubribus monitis, qui successu rerum elati sibi felices viderentur.

o *Ægyptiis verò Minos.*] Diodorus Siculus lib. 2. c. 5. Post antiquam, inquit, Ægyptiorum vitam, quam deûm heroumque tempore fuisse fabulantur, tradunt persuasisse primum multitudini scriptis vti legibus Menam, magni animi virum, vitæque inter omnes probatæ. Ex quibus verbis intelligis Menam, non Minoem legendum.

p *Trisme*

verò Minas, [p] Trismegistus, [q] & Bocorus, [r] Thebanis Philolatis, [s] Andronodorus Chalcidensibus, qui in Thracia sunt, [t] Protagoras autem Thuriis, [u] quibus postea abrogatis & inductis, Metellus deuicta Creta, illas cum Romanis commutauit. [x] Lacedemonij verò non iure scripto, sed moribus tantum vsu annorum comprobatis, pro lege vsi sunt. Ideo Lycurgus leges scriptas Spartanis nullas dedit, sed omnium consensu mores, tanquam si lex edita fuisset, experiundo obseruarunt. [y] Indi quoque literas non nouere, sed æquissimos mores, legis vice habuere: hique adeò tenaces fuere, vt omni scripto iuri anteirent. Sed quæ priscis institutis per conditores Romani iuris eisdem tabulis ad verbum scripta fuerint, parum comperta sunt, quum ad manum non sint, nullique annales extent, nullàque monumenta vetustatis: nisi quòd pauca quæ ad morum disciplinam & iudicia spectant, intercise authores produnt. [z] Extantque (vt multi asserunt) Hermodori Ephesij legum decemuiralium primi interpretis scripta relata, cuius statua ob id fuit in comitio erecta. [a] Ex quibus pleraque explorate & satis vtiliter, quædam duriter, & inhumanè, nonnulla remissè & leniter videntur constituta, quorum aliqua probanda, multa velut immitia & agrestia refellenda sunt, nisi fortè multo æuo interceptos & reconditos illius sensus non tenemus. Ex his non alienum fuerit aliqua, licet nimis peruetusta & obsoleta, annotasse: [b] nam faciem carpere, [c] & genas radere virginibus, mulieres percommodè vetabant: [d] neque magicis artibus segetē ex alieno traducere, [e] neque defunctorum corpora in vrbe vri aut sepeliri vtiliter sanciuerunt: [f] eiulatúsque

Lacedæmonij non iure scripto vtebantur. Indi. Quæ etiam in 12. tabulis scripta, parum comperiuntur. Hermodorus. Quædam ex 12. tabulis relata.

ANNOTATIONES.

p *Trismegistus.*] Hunc quintum fuisse Mercurium scribit Cicero lib. 3. de Natura deorum, his verbis, Quintus, Mercurius scilicet, quem colunt Pheneatæ, qui & Argum dicitur interemisse, ob eámque causam Ægypto præfuisse, atque Ægyptiis leges & literas tradidisse. Hunc Ægyptij Theyn appellant, eodémque nomine anni primus mensis apud eos vocatur. Hactenus Cicero. Lactantius Firmianus lib. Diuinarum institutionum, cap. 6. de hoc Mercurio loquens, Idem, inquit, oppidum condidit, quod etiam nunc Græcè vocatur ἑρμόπολις: & Saitæ seruant & colunt eum religiosè. Qui tametsi homo fuerit antiquissimus, tamen & instructissimus omni genere doctrinæ: adeò, vt ei multarum rerum & artium scientia, Trismegisto cognomen imponerent.

q *Et Bocorus.*] Diodorus Siculus lib. 2. c. 3. vbi hunc Bocchoridem appellat, cùm sic scribit, Legum, quæ ad hominum commercia pertinent, Bocchoridem latorem scribunt fuisse. Eusebius lib. Chronicon 3. c. 10. vbi hunc vocat Bocchorum Sed Sasochis, vir prudentia excellens, geometriæque inuentor, leges multas, quæ ad deûm religionem cultúmque pertinent, prioribus addidit, ac Ægyptiis astrorum cursus ostendit apud Aristotelem Politicon lib. 7. cap. 10. & Diodorum Siculum lib. 2. cap. 5. vbi vltra ipsum Sasochim, tradit & Sesostrem, Verchorim, Amasim, & Darium Xerxis patrem, leges tulisse. Sed & Isidem Ægyptiis leges statuisse, quibus iustitia æquè omnibus seruaretur, vi atque iniuria, timore pœnæ, sublatis: hacque de causa priscos Græcos Isidem legiferam appellasse, tanquam primam legum inuentricem, scribit ipse idem Diodorus Siculus lib. 1. cap. 1.

r *Thebanis Philolaus.*] Aristoteles libro 2. Politicon capit. 10.

s *Andronodorus Chalcidensibus.*] Imò Androdamas ex Aristotele vbi suprà proximè.

t *Protagoras autem Thuriis.*] Diogenes Laërtius in vita illius in princ.

u *Quibus posteà abrogatis & inductis Metellus.*] Sed & superioribus adde Pythagoram Crotoniatis leges dedisse ex Diogene Laërtio in vita illius. Saturnum Latinis ex Virgilio lib. 8. Æneid.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legésque dedit, Latiúmque vocari
Maluit: his quoniam tutus latuisset in oris.

Phidonem Corinthiis ex Aristotele lib. 2. Politicon cap. 4. Hippodamum Milesiis eodem lib. cap. 6. Italum Oenotriis, qui nunc Ausonij dicuntur ex ipso Aristotele lib. 7. Politic. c. 10. Meteromasdem Persis, vt coniectari potest ex Plutarcho in libello, cui titulus est, In principe requiri doctrinam. Zaraastem simulato nomine Arianis ex Diodoro Siculo lib. 2. c. 5. Macarium, Cyrenaici Iouis filium, Lesbiis ex eodem lib. 6 c. 16. Diolem Syracusiis ex eod. Diodoro lib. 12. Nicodorum Mantinensibus ex Æliano lib. 2. de Varia historia. Arymbam & Tharcitam Epirotis, vt de primo testatur Iustinus lib. 17. de secundo Plutarchus in Pyrrho post princ. Dionysium Bacchum Indis ex Diodoro Siculo lib. 3. c. 10. & Arriano de gestis Alexandri lib. 8. & Charondam Rheginis ex Heraclide in Politicis, vt interim prætermittam Mosem Iudæis ex sacris nostris Bibliis. Cererem autem primam omnium leges tulisse, quibus homines iuste piéque viuere assuescerent, & inde Legiferam dictam tradit Diodorus Siculus lib. 6. c. 2. & iterum 15. Ex quo illud Virgilij lib. 4. Æneidos.

—— Mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri. ——

Vbi Seruius scribit, Leges enim ipsa dicitur inuenisse. nam & sacra ipsius Thesmophoria vocantur, sed hoc ideo fingitur, quia ante inuentum frumentum à Cerere, homines passim sine lege vagabantur, quæ feritas interrupta est inuento vso frumentorum, postquam ex agrorum diuisione nata sunt iura.

x *Lacedemonij verò.*] Plutarchus in Lycurgo.

y *Indi quoque.*] Diodorus lib. 3. Strabo lib. 14.

z *Extantque (vt multi asserunt) Hermodori.*] Hic vir, vt inquit Strabo lib. 14. leges quasdam videtur Romanis conscripsisse. Hermodorum in Italia exulantem, fuisse authorem decem viris 12. tab. ferendarum, quæ ea de causa Decemuirales dicuntur, diximus suprà lib. 5. c. 18.

a *Ex quibus pleraque.*] Aul. Gellius lib. 20. c. 1.

b *Nam faciem carpere.*] Seruius in 12. Æneid. Virgilij eo loco,

Et roseas laniata comas.

Vbi Seruius, Moris fuit, inquit, vt ante rogos humanus sanguis effunderetur, vel captiuorum, vel gladiatorum: quorum si fortè copia non fuisset, laniantes fœminæ genas, suum effundebant cruorem, vt rogis illa imago restitueretur. Tamen sciendum, cautum lege duodecim tabularum, ne mulieres carperent faciem: his verbis, MVLIER FACIEM NE CARPITO. Cicero lib. 2. de Legibus.

c *Et Genas radere virginibus.*] Plinius lib. 11. c. 37. Infra oculos malæ, homini tantum, quas prisci genas vocabant, duodecim tabularum interdicto radi à fœminis eas vetantes. Pudoris hæc sedes.

d *Neque magicis artibus segetem.*] Vide paulò infrà.

e *Neque defunctorum corpora in vrbe vri.*] Cicero in secundo libro de Legibus, vbi huius rei rationem reddit, & de hoc satis abundè diximus suprà lib. 3. c. 2.

f *Eiulatúsque.*] Vt patebit ex seq. & tradit etiam Cicero lib. 2. Tuscul. quæst. Ingemiscere, ait, nonnunquam viro concessum est, idque raro: eiulatus ne mulieri quidem. Et hic nimirum est fletus, quem duodecim tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt.

g *Sicut*

& flebiles questus, quotidianásque lachrymas, & cātus lugubres in funeribus inhibuere: [g] Sicur à Solone constitutū fuerat. Verba ex ea lege hæc funt: [h] Faciem ne carpiro, [i] néve alienam segerem pellixeris. [k] mulieres genas ne radunto, [l] néve lessom funeris ergô habeto [m] in vrbe ne vrito, néve sepelito, [n] Tum si qùis in suo arborē panxit, à vicini fundo quinque saltē pedes abesse voluit, in hęc verba, Si quid in agro plantaueris, quinque pedes à vicino abesto: Si ficum aut oleam, pedes nouem abesto. [o] Quod autem alienam segerem pellicere veneficiis lex vetuit, ideo cautū est, quòd carmine euocari fruges, & aliò transferri veteres credidere: quòd ne liceret ad alterius iniuriam condere, etiā lege sanxerunt. [p] Insuper filios sub patris iure esse: illósque victus necessitatisve causa patrio iure vendere, & precium quæstui esse, vsque ad tertiam auctionem, néve id fraudi ignominiæve esset, [q] neq; filiis quicquam in bonis esse, patribus viuentibus, voluere nisi patrio iure emācipatione solutus foret, [r] aut se iubente sponsam filius duxisset, quod antea à Numa Pomplio cautum fuerat, [s] quem etiam pater occidere poterat. Sed quum à prisca illa seueritate postea desiuissent, sequuti interpretes ius naturæ, meritò

Carmine euocabantur fruges. Sanctio de patribus ergo filios, & contrà.

ANNOTATIONES.

g *Sicut à Solone constitutum fuerat.*] Cicero libro 2. de Legibus, Plutarchus in Solone, *ἀμυχὰς κοπτομένων ἀφεῖλεν*, id est, lacerationes Plangentium sustulit.

h *Faciem ne carpito.*] Seruius, vt diximus suprà, verbum legis immutat: nam cum in lege dicatur, Genas ne radunto, ipse legit, Faciem ne carpito: fortassis vt intellectus fieret illustrior.

i *Néve alienam segetem.*]] Plinius lib.18. cap.6. quo loco loquitur de C. Forio Cresino. & vide eundem lib.28. c.2. vbi mentionem facit 12. tabul.

k *Mulieres genas ne radunto.*] Et id item suprà. Sed adde Ciceronem lib. 2. de Leg. vbi duobus locis adscribit hæc verba huius legis.

l *Néve lessum funeris ergô habento.*] Cicero eodem libro in duobus locis; & in priore exponit eam dictionem lessum pro lugubri eiulatione: vóxque est fictitia per Onomatopæiam. Plautus in Truculento act.4. sce.2.

—Thetis quoque etiam
Lamentando lessum fecit filio.

m *In vrbe ne vrito, néve sepelito.*] Suprà ibi, Neque defunctorum corpora.

n *Tum si quis in suo arborem panxit.*] Hæc verba legis 12. tabul. sunt apud Cicer. d. lib. 2 de legibus.

o *Quòd autem alienam segetem.*[Plin. lib. 28. cap. 6.

p *Insuper filios sub patris iuris esse.*] Dionysius Halicarnasseus libro 2. vbi describit leges Romuli, Romanus, inquit, legislator permisit etiam patri vendere filium, nihil deterritus crudelitatis specie, quòd res grauior videri posset, quàm pro affectu domestico, qoódque maximè quia miretur in hac dissoluta disciplina Græcorum educatus, quasi durum & tyrannicum, hoc quoque patri concessit, licere illi terna filij venditione pecuniam quærere, maiorem largitus potestatem patri in filium, quàm hero in mancipium. Seruus enim semel venditus, deinde libertatem adeptus, in posterum sui iuris est. Filius verò à patre venditus, si liber fieret, rursum sub patris potestatem redigebatur. Iterum quoque venundatus & liberatus, seruus, vt antè, patris reddebatur: post tertiam demum venditionem eximebatur è patris potestate. Hactenus Dionisius. Hinc, vt scribit Francisc. Balduinus Iurisconf. in legem Romuli 17. tres illæ in emancipandis liberis imaginariæ venditiones & manumissiones; quarū fit in iure Ciuili mentio. Sic enim demum extincto patris iure filij ius magis in tuto veteres fore iudicabant. Atque hanc quidem Romuli legē tam placuisse Romanis, ait Dionysius, vt etiam relata sit inter 12. Tabul. & multis annis seuerissimè seruata. Numa tamen ab initio eam non nihil mitigauit. Cæterùm ius alioqui vendendi filijfamil. planè patri ademptum fuisse tempore nostrorum Iurisconsultorū, certo affirmare non possum: quamuis eorū responsa nullam esse tradant liberi hominis venditionem: & creditorem tradant relegandum esse, qui sciens à parente pignori acceperit filiumfamilias, & patrem euictionis nomine obligari, qui filium suū tanquam seruum ignoranti emptori vendidisset. Sed posteriorum Cæsarum rescriptis planè sublatam fuisse hanc venditionis speciem satis constat. Extat Diocletiani atque Maximiani rescriptum in l.1. C. de patribus qui filios suos distrax. Liberos à parentibus neque venditionis, neque donationis titulo, neque pignoris iure, aut alio quolibet modo, nec sub prætextu ignorantiæ accipientis in aliū transferri posse. Constantinus tamen posteà in l.2.C. illo titulo, singularem vnum (vt vocat) casum excepit. Voluit enim, vt inops pater, non habēs vnde se alat, possit filium vendere sanguinolentum, hoc est, recens natum, & adhuc à matre rubentem: qui tamē in suam iterum ingenuitatē asseri possit, restituto emptori precio, aut alio oblato mancipio. Sed humaniores sunt illæ aliæ duæ, quæ extant lib. 11. integri Codicis Theodosiani, de alimentis, quæ inopes parentes de publico petere debent, si domi non habent quo suam sobolem alant. Hæc Balduinus. Huius Constitutionis verba hīc libuit adscribere, Prouinciales egestate victus atque alimoniæ inopia laborantes liberos suos vendere, vt oppignerare cognouimus. Quisqois igitur huiusmodi reperietur, qui nulla rei familiaris substantia fultus est, quique liberos suos ægrè ac difficilè sustollent per fiscum nostrum, antè, quàm fiat calamitati obnoxius, adiuuetur, ita, vt proconsules præsidésque, & rationales per vniuersam Africam habeant potestatem, & vniuersis, quos aduerterint in gestate miserabili constitutos stipem necessariam largiantur, atque ex horreis substantiam tribuant competentem.

q *Neque filiis.*] Alciatus in l. pactum, quod detuli. C. de pactis. num. 5. post Bart. in l. Gallus. §. & quid si tantum. ff. de liber. & posthum. & ante eos Dionys. Halicarn. lib. 8. de Sp. Cassio loquens, qoi ob affectatum regnum de rupe præcipitatus est, sic ait, Quid si pater eius iudex simul & accusator punitórque fuisset, nec domus eius esset diruta, nec bona publicata. Apud Romanos enim nihil filij possideot viuis patribus: sed licet eis & pecuniis & corporibus filiorum vti arbitratu suo.

r *Aut se iubente sponsam filius duxisset.*] Numa Pompilius Romuli successor, ab initio hanc Romuli legem nonnihil mitigauit, vt his verbis scribit idem Dionysius lib.2. Si pater filio concesserit vxorem ducere, futuram sacrorum ac bonorum iuxta leges participem, patri posthac nullum ius esto vendendi filium, quod ille non scripsisset, nisi antè ius fuisset patri vendendi filios. Sicuti & Vlpianus l.1. §. vlt. ff. de libe. exhib. ait, non posse patrem filiam nuptam abducere: ne bene concordantia matrimonia iure patriæ potestatis turbentur.

s *Quem etiam pater occidere poterat.*] Romanorum legislator Romulus (authore Dionysio d. lib. 2.) Solonis, Pittaci, Charondæq; leges permittentes patribus filios exhærédare, domóve pellere, non satis graues esse iudicans ad coërcendam iuuenum contumaciam, & vt parenti suus honos conseruaretur, omnem, potestatem patri dedit in filium, idque toto vitæ tempore, siue in carcerem eum mittere, siue flagris cædere, siue vinctum ablegare ad rustica opera, siue necare libeat, etiamsi filius tractet Rempubl. etiamsi magistratus gerat maximos, etiamsi liberalitatis laudem publicè sit promeritus. Quo iure vsi sunt Brutus, Manlius

Modus venditionis puerorum aut mancipia.

cauerunt, vt [t] liberi parentes alant, aut vinciantur. [u] Quam emancipationem, seu cuius rei alienationem, secundum formulas antiqui iuris ita fieri iubebat, vt non minus quinque testibus Romanis ciuibus & libripende, qui libram æneam tenebat, is qui mancipium accipit, æs tenens, ita dicat, *Hunc ego hominem ex iure Quiritum, meum esse aio*: post quæ verba, ære percutit libram, atque illi æs dat, à quo mancipium accipit, quasi per imaginariam venditionem pretij loco, in ius suum & ditionem vendicaret de alterius manu. Quæcunque igitur alienatio duodecim tabulis haud aliter nisi hac solennitate fieri iure poterat, aut cessione, quæ fieret apud magistratũ populi Romani, vt cui res iure ceditur, rem tenens ita vendicet: Hunc ego hominẽ ex iure Quiritum meũ esse in aio: mox prætor interroget eum qui cedit, an contrà vendicet: quo negante aut tacente, ei qui vendicarat, rem addicit. Idq; legis actio dicitur, quia traditione pura cessio rei mancipi non explicabatur. Quare vsurpatur, vt in emptione rerum quæ mancipi sunt, libra interponeretur, & libripens. Si [x] tamen filius è muliere quæ vulgato corpore quæstum fecit, & non iustis nuptiis editus, aut à patre nullis foret artibus instructus, lege Solonis patrem alere minimè cogi poterat. [y] Glandem quoque suam in alienum fundum pro-

Legis actio. Filius meretricis, aut artibus non instructus, patrem alere non cogebatur.

ANNOTATIONES.

Torquatus & Sp. Cassius, vt idem dicit idem Dionys. lib. 8. Non fuit tamen (vt Balduinus scribit in d. 17. l. Romuli.) ea semper qualem Romulus instituit. M. Brutus in quadam sua ad Atticũ epistola, Dominum, inquit, ne parentem quidem Maiores nostri voluerũt esse. Sed & in pietate magis, quàm atrocitate consistere debere patriam potestatem, iudicauit Adrianus Imperator l. 5. ff. ad leg. Pomp. de parricid. & temperatissimam eam esse oportere Seneca pronunciauit. Sanè ius olim patri fuisse vitæ & necis in filiũ Constantinus ait l. vlt. C. de pat. potest. & Paulus noster fatetur l. 11. ff. de lib. & posthu. non minus licuisse occidere, quàm exhæredare filium familiás. Sed licuisse magis aliquando, quàm licere non obscurè significant. Nam & abdicationem, qua Græci vtebãtur, sustulerunt l. abdicatio. C. de pat. potest. & ne maiorem quidem vllam parentum asperitatem in castigandis filiis leges Romanæ tolerarunt. Certè Traianus l. vlt. ff. si quis à paren. manu. voluit, vt pater cogeretur emancipare filium, quem contra pietatem malè tractabat, & ex consilio Neratij Prisci, & Aristonis. tam inhumano patri denegauit bonorum possessionem, quæ manumissori datur. Sed & memoriæ proditum est, Auxonem Equitem Romanum, quòd filium suum virgis immoderatius cæcidisset, sic Romæ publicè a parẽtibus omnibus, & filiisfamilias, nihil equestrem dignitatem tueri tis obsessum esse, vt suis eum stylis confoderent: & Augustus vix potuerit cõfossum liberare. Certè rescripta Cæsarum non patiuntur emendationem propinquorum (vt vocant) in immensum extendi: & si quod sit delictum filiusfamiliás, grauiori aliquo supplicio dignum dedi nolunt magistratuum iudicio. Sed & cùm videret Romuli lex, ideóq; pater Horatij illius Tergemini, qui, quòd sororem occideret, homicidij accusabatur, contenderet iudicem se esse debere: reclamauit Rex Seruius Tullius, populóque Rom. iudicium relinqui voluit. Testis est Dionys. li. 3. Ergo nunc parens sit potius accusator, quàm iudex. Durus fortasse videbitur & crudelis pater, qui filium capitis faciat reum. Sed ô singularem legum Romanarum humanitatem. Si quis pius clemensque parens infelicem filium, ne alius eum accuset, cogatur offerre iudicium misericordiæ: volunt filio remitti extremũ supplicium: ne contra pietatem, atque humanitatem, pater filio vitam, quam dedit, sua delatione eripere videatur. Sic enim dicitur (l. 13. §. vlt. de re militari.) Diuus Pius desertorem, qui à patre suo fuerat oblatus, in duriorem tantùm militiam dari iussisse: ne videretur pater ad supplicium filium obtulisse. Hactenus Balduinus.

t *Liberi parentes alant, aut vinciantur.*] Parentum necessitatibus liberos succurrere iustum esse scripsit D. Antoninus Pius li. 1. C. de alendis liberis à parentib. Diui fratres à competenti iudice cogendos filios, vt patri alimenta præstent, rescripserunt l. 2. C. eod. Iustinianus in l. fin. §. ipsum autem filium. ab ipsis liberis parentes alendos esse, si inopia ex vtraq; parte vertitur, edixit. Sed & naturali ratione eos cogendos liberos Vlpianus respondit in l. si quis à liberis. §. parens. ff. de agnoscen. vel alend. lib. vel parent. Huius legis meminit Quintil. lib. 5 [c. 10. hanc prætetea legem sæpe videbis apud Declamatores, scilicet, Senecam, Quintilianum, & reliquos. Hæc enim facit initium 1. & 7. declamat. lib. 1. Declamationum Senecæ: rursúmque 7. lib. 2 & 20. lib. 4. Controuersiarum ipsius Senecæ. & 5. declam. Quintiliani.

u *Quam emancipationem.*] Hæc sunt Cicer. lib. 2. de Legib. & Boetij in tertia parte Commentariorum in Topic. Ciceronis in eum locum, Abalienatio est eius rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, &c. Definit enim, inquit Boëtius, quid sit abalienatio eius rei, quæ mancipi est, dicens, Abalienatio est rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut cessio in iure, inter quos ea iure ciuili fieri possunt. Nam iure ciuili fieri aliquid non inter alios, nisi inter ciues Rom. potest: quorum est etiam ius ciuile, quod 12. tabul. continetur. Omnes verò res, quæ abalienari possunt, id est quæ à nostro ad alterius transire dominium possunt, Mancipi dictæ sunt. Mancipi res veteres appellabant, quæ ita abalienabantur, vt ea abalienatio per quandam nexus fieret solennitatem. Nexus verò est quædam iuris solennitas, quæ fiebat eo modo, quo in Institutionibus Caius exponit. Eiusdem autem Caij lib. 1. Instit. de Nexu faciẽdo, hæc verba sunt, Est autẽ Mancipatio, Imaginaria quædam venditio, quod ipsum ius proprium Rom. est ciuium. eáque res ita agitur, Adhibitis non minus quàm quinque testibus ciuibus Romanis puberibus. & præterea alio eiusdem conditionis, qui librã æneam teneat, qui appellatur Libripens. Is. qui mancipium accipit, ita dicit, Hunc hominem ex iure Quiritium meum esse aio, isque mihi emptus est ære, æneáq; libra. Deinde ære percutit libram: idq; æs dat ei à quo mancipium accipit, quasi pretij loco. Quæcunque igitur res lege 12. tabul. aliter, nisi per hanc solennitatem, abalienari poterat. Sui iuris autem cæteræ res nec mancipi vocabantur. Eædem verò etiam in iure cedebantur. Cessio verò tali fiebat modo, Apud magistratum populi Romani, vel apud Prætorem, vel apud Præsidem prouinciæ, is, cui res in iure ceditur, rem tenens ita vindicat, Hunc hominem ex iure Quiritium meum esse aio. Deinde postquam hic vindicauerit, Prætor interrogat, qui eum cedit, an contrà vendicat. quo negante, aut tacente tunc ei, qui vindicauerit, eam rem addicit. idque legis actio vocabatur. Hactenus Boëtius. Huius abalienationis meminit Hor. epist. libro 2. epist. vlt. illis carminibus.

Si proprium est, quod quis libra mercatur & ære,
Quædam (si credis consultis) mancipat vsus.

Meminit & Plutarch. in lib de Sera numinis vindicta.

x *Si tamen filius.*] Plutarchus in vita Solonis authoritate Heraclidis Pontici, nam ibi subdit, Qui in congressione & commercio mulieris decorum non seruat, is facilè declarat, se non liberorum gratia ad eam rem impelli, sed voluptati potius indulgere. Ideóque mercede se priuat, nec sibi ius parentis in liberos reliquum facit, quibus ipsa procreatione dedecus & ignominiam attulit. Aliud tamen nostris legibus, quibus pater & filius naturales sese mutuò alere debent, vt suprà diximus.

y *Glandem quoque suam.*] Plinius lib. 16. cap. 5. Cautum est, inquit,

cidentem,vt liceat tollere in alieno:[i] quisque iniuria alterius arbores cæcidisset, in singulas siclos æris vigintiquinque pœnam soluere cogebat. [a] Tum inter iura stillicidiorum & parietum, nequis ædibus tignum iniunctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præstari, [b] néve quadrupes pauperiem alteri faxit,sed dari animal pro noxa, aut eius offerri æstimationẽ lege cauebatur. [c] Quod à Solone statutũ erat, vt si canis morsu affecisset quippiam, quatuor pedum capistro nexus dederetur, quod de omni quoque pecore sancitum est. [d] Iisdémque legibus quoties de alicuius statu causa agitur, vt liber an seruus sit, in dubium veniat, dari vindicias secundùm libertatem aut seruitutem cauebatur.[e] Vtque ad agrum meum per tuum eunti via mihi pateat, quæ in porrecto octo, in anfractu sedecim pedum foret.[f] Dari autem vindicias secundum libertatem tũc dicebatur,quum prętor super assertione liberi capitis, aut seruilis personæ, quem assertor seruum aut liberum dicit, de quo ambigitur, datis induciis,decernit edicto,nẽ interim asserto vis inferri valeat per assertorem, sed in libertate qua fungitur, maneat. Cùm verò prætor assertum in seruitute pro seruo teneri apud assertorem interim iubet,vindiciæ secundum seruitutem dicuntur dari.[g] Furta quoque eadem lex vsque adeo auersata est,& tam seuera correctione plectit, vt furem manifestum in seruitutem tradat illi cui furto quid subtractum foret Furem verò nocte deprehẽsum quoquomodo die verò,si telo se defenderet,& demũ cũ clamore occidi permiserit,in hæc verba:Si † nox furtum factũ sit, si aliquis occisit, iure cæsus esto.[k] Furta

De stillicidiis & parietibus.

Vindiciæ secundũ libertatẽ.

De vindiciis vide l.2. §. initiũ ff. de orig. iur.

Vindiciæ secundũ seruitutem.

Lex de furibus l. si pignore ff. finem ff. de fur.

ANNOTATIONES.

inquit lege 12. Tabul vt glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere. Idque etiam attestatur Iurisconsultus in l.vnica. ff. de glande legenda. Sed & tu interim vide l. Iulianus §.2.ff. ad exhib.

i *Quique iniuria alterius arbores cæcidisset.*]Idem Plinius lib. 17.cap.1. Fuit,inquit,& arborum cura legibus priscis : cautúmque est duodecim tabulis,vt qui iniuria cæcidisset alienas,lueret in singulas æris 25. De quo & tu vide l. 1. ff. arbor.furtim Cæsar.& totum tum tit.& l.duobus.§. colonus. ff. de iureiur.

a *Tum inter iura stillicidiorum & parietum.*]Vlpianus in l.1. ff.de tigno iniuncto.& l.gemma ff.ad exhibendum. & Paulus in l.in rem actio.§.tignum.ff. de rei vendit. Idem l. de eo.ff.de donat. inter virum & vxor. Cajus l. adeo quidem, §.sed & si. ff.de acquir.rer.dom. vbi sic scribit, omne,quod inædificatur solo cedit:nec tamen ideo is,qui materiæ dominus fuerit, desiit dominus eius esse : sed tantisper,neque vendicare eam potest, neque ad exhibendum de ea agere, propter legem 12.tabulatum : qua cauetur ne quis tignum alienum ædibus suis iniunctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præstet.& Paulus l. qui res suas. §.vlti. in fi.ff. de solut.& liberat.& Iustinianus in §.cum in suo.instit. de rerum diuisione.

b *Néve quadrupes.*] Vlpianus.l.1. in princ. ff. si quadrupes pauper. fec. dicat. Si quadrupes, inquit, pauperiem fecisse dicatur,actio ex l.12.tab.descendit:quæ lex voluit, aut dari. quod nocuit,id est,animal,quod noxiam commisit:aut æstimationem noxiæ offerri. Noxia autem est ipsum delictum. Quæ actio ad omnes quadrupedes pertinet. & Iustinianus in §.1.instit.eod.tit. sic scribit,Animalium nomine,quæ ratione carent,si qua lasciuia, aut pauore, aut feritate pauperiem fecerint : noxalis actio lege 12. tabul. prodita est.

c *Quod à Solone.*] Plutarchus in Solone, Noxa, inquit,quadrupedum legem tulit, qua canem, qui quidpiam morsu affecisset,trunco quatuor pedum alligatum dedi iussit,commentum ad securitatem elegans.

d *Iisdémque legibus.* Pomponius Iurisconsultus in l.2. ff. de orig. iur. & ante illum Dionysius Halicarnasseus libro 2. Paulus in lege,ordinata. Caius in l.si de libertate ff. de liberali causa.

e *Vtque ad agrum meum*]Caius l.viæ.ff.de seruit.rust.præd. Viæ ex l.12.tab. in porrectum octo pedes habeat:in anfractum,id est vbi flexum est, sedecim. Varro lib.6. ling. Lat. in verbo,Anfracto.

f *Dari autem vindicias.*] Pomponius in l.2. §. initium. 13. ff. de orig. iuris. & ibidem Budæus & Zasius. Vide præterea Festum Pompeium lib. 19.

g *Furta quoque eadem lex,* Totum hoc 12. Tab. caput commemorat Gellius lib.11. cap. 18. cùm probare vult Decemuiros neq; pari seueritate in puniendis omnium generum furibus, neque remissa nimis lenitate visos esse. Audiebant illi quàm acerbè Draco Atheniẽsis furta omnia puniri voluerat, quàm leniter Solon, qui sublato mortis supplicio, dupli tantùm pœnam furibus indixit. Audiebant apud Lacedæmonios quanta esset furtorum & quàm impia licentia. Prudenter ipsi delegerunt mediam quandam rationem puniendi coërcendiq; furti : quod quidem impunè grassari nõ potest,quin omnia tollatur humana societas. Et quidem quod attinet ad primum caput huiusce legis Decemuiralis, extat quoque apud Ciceronem. Is enim in Oratione pro Milone,Duodecim Tabulæ,inquit,nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem si se telo defenderet, interfici impunè voluerunt.Sed & Caius noster scribit l.4. ad legem Aquiliam,Legem 12. Tabul. furem noctu deprehẽsum occidere permisisse : vt tamen id ipsum cum clamore testificatur. hàncque legem enarrans lib.1. ad leg.12.Tabul.quid hîc telum appelletur, quámq; latè pateat eius significatio, pluribus verbis explicuit:extátq; eius interpretatio in Pãdectis l. 233. si cauillatur.§. telum vulgò. ff.de verb. signif. & à Iustiniano repetita in instit.§.telum.Instit. de pub.iud. Sanè tamen Vlpia. adiicit (l. furem nocturnum. ff. ad leg. Corn.de sic.)furem nocturnum si quis occiderit,ita demum impunè ferre,si parcere ei sine periculo non potuit. Porrò, vt Romani post Decemuiros prohibuerunt aliquem de saxo præcipitari, l.si diutino.25. ff. de pœnis. sic & liberum hominem alicui addici, seruúmque illi fieri pœnæ causa, noluerunt. Ergo furti siue manifesti,siue nec manifesti pœna mutata est, & ad pecuniariam reuocata. Testis quidem est Polybius, extremum illud supplicium ξυλοκοπίας masisse in castris Rom.aduersus eos,qui quid in iis furarentur. Sed aliorum furtorum, quæ quidem priuata essent (nam peculatus & sacrilegij grauior pœna est) nonnisi multam pecuniariam esse voluerunt. Pœna manifesti furti(inquit Iustin. l.vlti. de fur.) quadrupli est tam ex serui, quàm liberi persona : nec manifesti dupli. Hæc Franciscus Balduinus in leg.54. 12. Tabul.

† *Si nox furtum.*] Hîc nox inusitatissimè legitur. Ab eo autem quòd is, non eum casu accusatiuo, sed im dixerunt. Sic Macrobius. Nam Festus non im, sed en ab eo quod est is,deduci scribit. Ego tamen em per in, in fine scribendum puto. Moueret me vetusti codicis Macrobiani auctoritas, vt im legendum putarem, incastigató que Festi exemplar suspicarer, nisi id esset scriptum in dictionibus ab E, litera incipientibus. Vide Cœlium Calcagninum Lect.antiquarum lib.2.cap.3.

h *Furta quoque per lancem & licium.*]Francisc.Balduinus in leg.57.12. Tabul. FVRTA PER LANCEM LICIVMQVE CONCEPTA SICVT MANIFESTA VINDICANTOR. Sic scribit, Decemuiros furta, quæ per lancem liciúmque concepta essent, perinde ac si manifesta forent, vindicasse, testis est Gellius lib. 11. c. 18. Sed vellem etiam addidisset atque explicuisset, quæ tandem ea furta

fint.

Furta per lancem & licium concepta. Spartanis furta impunita. Cardaces. Scythæ. Indi. Taurosscythæ. Solonis sanctio. Draconis lex.

quoque per lancem & licium concepta, velut manifesta, seueriori pœna puniuit. [i] E diuerso Lycurgus Spartanis furta impunita esse voluit, quò magis acuerentur ingenia, animóq; essent vegeto & solerti. [k] exemplo Cermanorum [l] & Ægypriorũ qui furta legibus inulta reliquere. [m] Si tamen sacerdoti exhibita fuissent, furi ablatæ rei pars lucro accedebat. [n] Apud Persas fuere Cardaces, quibus nullus erat rapinis modus: nam per occasionem & licentiam rapto viuere permittitur. [o] Fertur tamen Dionysius senior, quum sceleris conuictos grauius puniret, illos qui vestes furabantur, impuuè abire iussisse. [p] Contra verò apud Scythas, quibus nihil erat furto grauius, seuerissima enim plectebantur pœna, qui turbato gentium iure, de possessione dominos euerterent. [q] Indi quoque à rapinis velut contra hominum societatem, contráque diuinum humanúmque ius magnopere abstinuere, adeò vt siquis vectigal furatus esset, capite lueret: tametsi Herodotus autor sit, Tauroscythas furandi licentia sibi victum quæritare. Id [r] quod Solon apud Athenas sanctionibus magnopere vetuit, cauens vt siquis quod non posuisset tolleret, tanquam improbus pœnas daret. [s] Præ cæteris Draco legumlator, vt ab

ANNOTATIONES.

sint. magna certè molestia posteritatem liberasset, quam tantò etiam magis id ignorare puduit, quod etiam Gellius alio loco (scilicet, lib.16.cap.10.) vehementer rideat quendam Iurisperitum, qui vt ignorantiam in hoc genere suam excusaret, causabatur furtorum quæstiones cum lance & licio euanuisse, omnémque illam 12. Tabul. antiquitatem. Tatij Alpini coniectura. aliorum interpretum commentis probabilior esse videtur, furta hæc fuisse, quæ religionis obtentu impostores quidam, tanquam sacrificuli, licio succincti, & lancem ad colligendas stipes circunferentes committebant sacrilegis proxima, nempe rerum, si minus, ad ministerium Dei consecratarum, collectarum tamen ad sacrificia, & eorum nomine. Sacrorum ministros licio succinctos fuisse, ideóque etiam Lictores dictos esse, ostendit Ouid. lib. 2. Fastorum. Lances quoque inter sacrificia fuisse vel illud Virgilij lib.8. Æneidos indicio est,

Dona ferunt, cumulántque oneratis lancibus aras.

Si sacrilegos huius generis fures atque impostores coërcere voluerunt 12. Tabul. & prudenter & religiosè factum id est. Eorum nequitiæ si posteà indulsit posteritas vel superstitione fascinata, vel talium nebulonum furtis iam satis assueta: nimium certè vecors fuit. Sanè Cicero lib.2. de Legibus odit hanc legem, PRÆTER IDÆÆ MATRIS FAMVLOS, EOSQVE IVSTIS DIEBVS, NEQVIS STIPEM COGITO. Deinde subiicit, Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idææ Matris excepimus. Implet enim superstitione animos, & exhaurit domos. Tolerat ergo Cicero *μητραγύρτας*. (sic enim vocabantur) cum sua mendicitate, cum suis stipulationibus, alios eius farinæ non tolerat stipulatores. Hactenus Franciscus Balduinus.

i *E diuerso Lycurgus.*] Xenophon Pædiæ Cyri lib. 4. & in Republica Lacedæmoniorum. Gell. d. lib. 11. cap. 18. Plutar. in Lycurgo. Sed ne fallaris, ita furari apud eos licebat, modò ne deprehenderentur in furto, vt scribit idem Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis, Alius, inquit, quidam puellus, cùm adesset tempus quo lege cautum erat, vt ingenui pueri quod quisque posset ita furarentur, ne deprehenderentur in furto (nam id turpe erat) viuam vulpeculam, quam pueri, quibus cum erat, furati fuerant, accepit seruandam. Sed aduenientibus iis, qui amiserant, ad quærendum illam, sub veste quamprimùm occultauit. Fera verò sæuiente, ac pueri ipsius latus ad viscera vsque lacerante, tantisper tolerauit ne deprehenderetur, dum ij, qui quærebant, abissent. Sed cùm pueri, id quod factum erat, vidissent, accusaréntque dicentes: Melius erat manifestare vulpeculam, quàm vsque ad mortem occultare. Minimè verò, inquit, sed satius est doloribus immori, quàm in furto deprehendi, ac propter mollitiem turpiter vitam affectasse videri. Est non multò pòst. Furantur, inquit, illic pueri etiam ex esculentis quicquid possunt, discentes dextrè imponere vel dormientibus, vel in diligenter sua seruantibus. Deprehenso pœna erat vapulare & esurire.

k *Exemplo Germanorum.*] Cæsar lib. 6. Commentariorum Germanorum mores & victus rationem scribens, ait, Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cuiusque ciuitatis fiunt: atque ea iuuentutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant.

l *Et Ægyptiorum.*] Diodorus Siculus lib. 2. cap. 3. Gellius lib. 11 cap. 18.

m *Si tamen sacerdoti.*] Diodorus vbi suprà, Lex præterea priuatim de furibus apud solos Ægyptios hæc erat. Iubebat eos qui furari volebant, nomen suum apud Principem sacerdotum scribere, atque euestigiò furtum ad eum deferre. Similiter quibus res furto erepta erat, apud eundem rei sublatæ tempus, diem & horam scribere tenebantur. Hoc modo facilè inuento furto, qui rem amisisset, quarta multabatur parte, quæ daretur furi. Satius lator legis esse duxit, cùm impossibile esset furta prohiberi potius alicuius portionis, quàm totius rei amissæ homines iacturam pati: Similiter & Samij Mercurio Charidotæ rem diuinam facientes, volenti & furari & latrocinari permittunt. Quia oraculo relicta insulà Mycalem cum migrassent, præda ac rapinis decem annis vitam duxerunt: deinde in insulam reuersi Samij hostes superarunt. Plutar. problem. cap. 168.

n *Apud Persas.*] Strabo lib. 15. ad fin.

o *Fertur tamen Dionysius senior.*] Dionysius, authore Plutarcho in Apophthegmatis eiusdem, cùm in aliorum scelerum patratores seuerè animaduerteret, vestium furibus parcere solet: vt Syracusij cœnare intér se & inebriari desinerent. Solent enim lopodytæ, id est vestium fures in balneis frequentibúsque conuiuiis venari. Quemadmodum autem in balneis vestes deponuntur: ita in conuiuiis summæ vestes abiici solent, vt togæ palliáque. Hæc Erasmus ex Plutarcho in Apophtheg. Dionysij.

p *Contrà verò apud Scythas.*] Iustinus ex Trogo Pompeio, lib. 2. Scytharum mores describens, Nullum, ait, scelus apud eos furto grauius: quippe sine tecto, munimentóque pecora & armenta, habentibus, quid saluum esset, si furari liceret?

q *Indi quoque.*] Hæc vsque ad versic. Tametsi. sunt Strab. lib. 15. Quinetiam apud Bactrianos, qui vel pauca furatus esset, sputis dedecorabatur, vt ex authoritate Bardasanis scribit Eusebius Præparationis Euangelicæ, lib. 6. cap. 6. Et qui apud Artios aliquid, vel minimum furabatur, obruebatur, vt ille quoque dicit eodem loco. Et apud Locros, si quis in furto deprehenderetur, oculis priuabatur, vt testis est Heraclides in Politicis.

r *Id quod Solon.*] Laërtius in vita illius. Vide nostras Consuetudines.

s *Præ cæteris Draco.*] Plutarchus in vita Solonis ἅπασι ἁμαρτάνουσι μία ζημία θάνατος· τοὺς λάχανα κλέψαντας ἢ ὀπώρας ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις, καὶ ἀνδροφόνοις. id est, omnium flagitiorum vna pœna mors, qui olera, aut mollioris corticis fructus surripuerint, vt sacrilegi & homicidæ puniantur. Gellius lib. 11. cap. 18. post princ. Draco, inquit, leges, quibus Athenienses vterentur, primus omnium tulit. In illis legibus furem cuiuscunque modi furti, supplicio capitis puniendum esse, & alia quæ nimis seuerè censuit sanxitque.

c Cen

alieno omnes manum abstinerent, furta tam morosissimè pensitauit, vt eum qui stercorandi causa stercus bubulum abstulisset, aut olera, capitis supplicio afficeret: [t] censuitque furto teneri etiam qui iumentum aliorsum, quàm quò vtendum acceperat, deduceret. [u] In Lycia ferunt constitutum, vt si liber homo quippiam furatur, libertate amissa, seruus cogatur esse & mācipium. [x] Alexander quoque Seuerus adeò vindex furtorum fuit, vt præter seuerissimas pœnas, nullum raptorem aut furem salutationi admiserit, illósque velut nequissimos è conspectu summouerit. [y] Dixere autē furta per lancem & licium, quòd fures qui in alienas penetrabant ædes, plerunque (vt est sagax furum solertia) licium ferebant, quo furta alligarent: & lancem præ oculis, ne innotescerent. [z] Eadem quoque lex cœtus nocturnos & coitiones in vrbe nocte fieri vetuit: [a] quod lapsu mox temporis obliteratum, postea Gabinia lege innouatum fuit. [b] Noctémq; ita lex definiuit, vt post solis occasum noctem esse decernerent. Verba legis hæc sunt: Ante meridiem causam coniicito, quum perorant ambo præsentes: post meridiem præsenti litem addicito, si ambo præsentes. Sol occasus suprema tempestas esto. [c] Venditæq; rei & traditæ, nisi persoluto precio vel satisfacto, haud aliter rem ad emptorem transferri voluit. [d] Furtiuæque rei vsucapionem & dominium inhibuit. [e] Quo etiam iure cauebatur, in rebus vendundis ea præstari oportere, quæ essent nuncupata, ita vt pacti & cōuenti stetur formulæ: quæ qui inficiatus foret, duplicē subiret pœnam. Quod mox à iureconsultis, qui formulas de dolo malo inuenerūt, cautius statutum est. nam in [f] re vendita si quid esset vitij, quod emptor ignoret, venditor sciat, reticentiam quoque mulctari iusserunt. [g] Erat tamen lege constitutum, vt si quis peteret quod inficiaretur dubia argumentorum fide, ambo, petitor & reus æreos quingentos apud pontificem deponerent, quod iuramentū dicebatur: & demum re discussa, victor pro quo iudiciū staret nummos reciperet: victi verò ad ærarium ferebatur. [h] Et tametsi lege duodecim tabularū, vsucapione biennali fundi dominiū transiret ad emptorem, nihilque de vrbanis caueretur prędiis, iureconsulti postea legem interpretati, idem pla-

Lycij. *Alexander Seuerus.* *Furta per lancē & liciū.* *Noctis definitio secundū legem.* *De rebꝰ venditionibus.* *Reticentia in venditione mulctāda.* *Iuramētum per pecuniā depositā.*

ANNOTATIONES.

t *Censuitque furto teneri.*] Gellius lib. 7. cap. 11. & hoc quoque nostris legibus obseruatur, vt scribitur in l. qui iumenta 40. ff. de furtis. Qui, inquit, iumenta sibi commodata longius duxerit, alienáve re inuito domino vsus sit: furtum facit. & l. si vt certo loco. 5 §. sed interdum. Vlpianus sic scribit, Sed interdum & mortis damnum ad eum, qui commodatum rogauit pertinet. nam si tibi equum commodauero vt ad illam adduceres, tu ad bellum duxeris: eiusmodari tenebris: idem erit & in homine. Restringitur si volente domino id facere existimauit. Angelus in §. furtum. ff. de oblig. quo ex malefic.

u *In Lycia.*] Nicolaus περὶ ἐθῶν. & ex eo Stob. Serm. 42.

x *Alexander quoque Seuerus.*] Lampridius in vita illius. Ti. autem Iunius, vt id addas, eum apud Claudium Cæsarem cœnaret, argenteū poculum (siue scyphum aureum, vt scribit Sueton. in vita Claudij cap. 32.) clam sustulit: quod cùm Cæsar audisset, furtum illud non alia pœna vltus est, quàm postridiè eum rursus ad cœnam inuitauit, qui cùm venisset, iussit ministris, vt nullum illi argentum poculum, sed fictilia omnia afferrent atque apponerent. Plut. in vita Galbæ. Hanc historiam Corn. Tacit. lib. 17. sic scribit, Titus Iunius seruili deinceps probro respersus est, tanquam scyphum aureum in conuiuio Claudij furatus. Et Claudius postera die, soli omnium Iunio fictilibus ministrari iussit.

y *Dixere autem furta per lancem & licium.*] Festus Pompeius lib. 10. Lance, inquit, & licio dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancémq; ante oculos tenebat, propter matrum familiæ, aut virginum præsentiam. Scribit quidem Festus antiquam illam quærendi furti in ædibus alienis fuisse solennitatem, vel ne viderentur vxores & mulieres, quas religiosè ac seuerè olim & Græcos & Latinos obseruasse, vt nunc etiam, nullus ignorat: vel ne terrerentur, vel aliam ob causam. Furtum autem quod quis committebat, furtum quærens in ædibus alienis, per lancem & licium conceptum dicebatur: quia licio cinctus & lancem ante oculos tenens furtum faciebat. De huiuscemodi furto iam non multò antè ex Francisco Balduino satis amplè diximus.

z *Eadémque lex cœtus nocturnos.*] Portius Latro in illa elegantissima declamatione aduersus Catilinam, Primùm, inquit, 12. Tabul. cautum esse cognoscimus, ne quis in vrbe cœtus nocturnos agitaret.

a *Quod lapsu temporis.*] Idem Portius ibi ad suprà proximè dicta adiūgit, Deinde lege Gabinia promulgatum, qui conciones vllas clandestinas in vrbe conflauisset, more maiorum, capitali supplicio mulctarentur.

b *Noctémque ita lex definiuit.*] Macrob. lib. 1. Satur. c. 3. Censorinus de die Natali, cap. 19.

c *Venditæq; rei & traditæ.*] Id ex legibus 12. Tab. esse testator Iustinianus in §. venditæ. Instit. de rerum diuis. Paulus in l. quod vendidi 19. ff. de contrahenda empt. Quod vendidi & tradidi, ait, nō aliter fit accipientis, quàm si aut pretium nobis solutū sit, aut satis eo nomine factum: vel etiam fidem habuerimus emptori sine vlla satisdatione. Et Vlpianus in l. procuratoris. §. sed & si dedi. ad finem scribit, Quia res venditæ, non aliàs desinent esse meæ (quamuis vendidero) nisi ære soluto, vel fideiussore dato, vel aliàs satisfacto: dicendum erit, vindicare posse me.

d *Furtiuæque rei vsucapionem.*] Id & ex legibus 12. Tab. tradit idem Iustinianus in §. Furtiuæ. instit. de vsucap. Et id quidem posteà confirmatum est lege Attilia, aut, vt alij vocant, Atinia apud Gellium lib. 17. cap. 7. & Paulus l. 4. §. quod autem. ff. de vsucap.

e *Quo etiam iure cauebatur.*] Hæc lex 12. Tabul. ex Græcis legibus esse videtur. Idem quoque cauisse videntur Ædiles apud Vlpianum in l. 1 ff. de ædil. edict.

f *In re vendita si quid esset vitij.*] Venditorem vitium morbúmve scientem omnia detrimenta, quæ ex emptione emptor traxerit, præstare oportere Iulianus apud Vlpianum scribit l. Iulianus. ff. de actione empti. ex dicto ædilium quod extat in l. 1. ff. de ædilitio edict. Huius legis meminit Cicero lib. 3. de Offic. vbi sic scribit, Ac de iure quidem prędiorum sancitum est apud nos in iure ciuili, vt in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota essent venditori. Nam cum ex 12. Tabul. satis esset ea præstari, quæ essent lingua nuncupata, quæ qui infieiatus esset, dupli pœnam subiret, à Iurisconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quicquid est in prædio vitij, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere.

g *Erat tamen lege constitutū.*] De hoc articolo vide ff. iudicatum solui. & ff. in ius vocati vt eant. & ff. qui satisd. cog. & C. de iureiur. propter calum. dan. Cui satisdationi successit hodie ex Francisci Regis I. constitutione apud Gallos domicilij electio. Porrò non legi litigatores deponere 50. aureos. Tu tamen interim vide tit. de satisdat. Iosti, lib. 4. c. 11.

h *Et tametsi lege duodecim tabularum, vsucapione biennali fundi.*] Cicero in Topicis, & Oratione pro Cecinna, & in Oratione de Aruspicum responsis.

citum iuris æquitate ad vrbana transtulere. [i] qua etiam lege cautũ fuit, vt vestibulum sepulchri, sicut sepulchrum, vsucapere non liceret. [k] Frugem quoque alterius aratro quæsitam nocte pauisse, vel infame carmẽ proposuisse, puberi duodecim tabulis capitale fuit: impuberi verò, prętoris arbitratu fustis pœna. [l]. Eúmq; qui hostem concitasset, aut opẽ tulisset, capite puniuit. [m] Furti quoque noxalis actio, lege duodecim tabularum constituta erat, vt si seruus quadrupesve furtum damnúmve admisit, vel fraude aut perfidia quid patrauit, dedendo seruum aut quadrupedem liberetur dominus. [n] Quod si seruus equúsve meus in stadio coronã meruisset, domino deberi cauebatur, his verbis: Qui coronam parit ipse, pecuniámve, eius virtutis ergô arguitur, quam seruus equíve meruissent. Et hæc omnia sapientia prope singulari eisdẽ tabulis sancita & sacrata fuere. [o] Nec tantùm circa corrigendos plectendósque mores, sed circa vltimas voluntates, & bonorum successiones testamento debitas, & ad parentum bona admissionẽ, eisdem tabulis iura perscripta sunt. [p] Nam masculos æquè ac fœminas ad bona parentum pariter vocauit, [q] eósq; siue testamẽto valido, siue nullo. [r] nec solùm natos, sed posthumos, [s] inuitos & necessarios hæredes esse iussit, [t] próque hereditariis portionibus legata distribui voluit. [v] Quod olim Ephialtes ephorus Lacedæmoniis lege prohibuit: nam rogationem tulit nimis insolentem, vt liceret patri, filiis omissis, extraneos scribere successores: hoc agens, vt filium quem odio prosequebatur, exhæredaret. [x] Solon verò, nisi extarent filij, quos testator voluit, scribi hæredes iussit pro voluntate. [y] Apud Arabes legu cauetur, vt fratres gentilium hæreditatũ successores antecedànt filios,

Furti actio.

Leges 12 Tabul circa vltimas voluntates.

Ephialtis rogatio.
Solon.
Arabes.

ANNOTATIONES.

i *Qua etiam lege cautum fuit, vt vestibulum sepulchri.*] Cicero lib. 2. de Legibus.

k *Frugem quoque alterius aratro.*] Plinius lib. 18. cap. 3. Frugem quidem, ait, aratro quæsitam furtim nocte pauisse, ac secuisse puberi 12. Tabul. capitale erat, suspensúmque Cereri necari iubebant grauius quàm in homicidio cõuictum: Impubem prætoris arbitratu verberari, noxiamve duplionémve decerni. Idem libro 28. cap. 2. cùm probare vult magicarum incantationum aliquam esse vim, ait legum ipsarum in 12. Tab. verba fuisse, QVI FRVGES EXCANTASSET. & alibi, QVI MALVM CARMEN INCANTASSET. De eo quod de impubere dixit, vide Gellium lib. 11. cap. 18.

l *Eúmque qui hostem concitasset.*] Huius legis testis est Martianus in l. 3. ff. ad leg. Iul. maiest. his verbis, Lex 12. Tabul. iubet eum, qui hostem concitauerit, quíve ciuem hosti tradiderit, capite puniri. Vbi aduerte in antiquis Digestorũm libris scriptum esse, Quíve opem hosti tradiderit. & non ciuem.

m *Furti quoque noxalis actio.*] Vlpianus Celsi authoritate in l. 2. ff. de noxa act.

n *Quod si seruus equúsque meus.*] Plinius lib. 21. cap. 3. totum hoc caput nobis suppeditauit (vt scribit Franciscus Balduinus in l. 14. duodecim tab.) & aliqua etiam in parte interpretatus est. Sic enim lib. 21 cap. 3. loquens de coronis ait: Semper authoritas vel ludicro quæsitarum fuit. Nanque ad certamina in circum per ludos & ipsi descendebant, & seruos suos quoscunque mittebant. Inde illa 12. Tab. lex, QVI CORONAM PARIT, IPSE PECVNIAVE EIVS, VIRTVTIS ERGO ARGVITVR. Quam serui equíve meruissent, pecunia partam lege dici, nemo dubitauit. Quis ergo honos? vt ipsi mortuo, parentibúsque eius, dũ intus positus esset, forísve ferretur, sine fraude esset imposita. Aliàs in vsu promiscuo ne ludicræ quidem erant. Hæc Plin. Cicer. quoque lib. 2. de Legib: huius nobis rei testis esse potest. Cùm enim dixisset, Per 12. Tabul. sublatam esse seruilem vncturam, & circumpotationem funebrem, & sumptuosam respersionẽ: addit, Longas quoque coronas esse sublatas. Coronas lemniscatas intelligit, quas cadaueribus imponi prohibuerunt Decemuiri. Tum verò subiicit, Illa iam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quòd coronam virtute partam. & ei qui peperisset, & eius parenti, sine fraude esse lex impositam iubet.

o *Nec tantum circa corrigendos plectendósque mores.*] Leges enim 12. Tab. circa successiones prouidisse author est Vlpianus in l. is autem 11. ff. de iure patron. Idem Vlpianus in l. lege obuenire. 131. ff. de verb. signif. Lege, inquit, obuenire hæreditatem non impropriè quis dixerit, & eam, quæ ex testamento defertur: quia lege 12. Tabul. testamentariæ hæreditates cõfirmantur, & Iustinianus in l. lege 12. Tabul. 14. §. vlt. C. de legit. hæred. & in §. intestatorum autem. Instit. de hæred. quæ ab intest. defer. & in §. necessarij. Instit. de hæred. qualit. & differ.

p *Nam masculos æquè ac fœminas.*] Iustinianus in d. l. lege 12. Tabul. in princ. C. de legit. hæred, Lege, inquit, 12. Tab. benè humano generi prospectum est, quæ vnam consonantiam tam in maribus quàm in fœminis legitimis, & in eorum successionibus necnon & liberis obseruandam esse existimauit: nullo discrimine in successionibus habito, cùm natura vtrunque corpus ediderit, vt maneat suis vicibus immortale, & alterum alterius auxilio egeat, & vno semoto, & alterum corrumpatur.

q *Eósque siue testamento valido, siue nullo.*] Lege vlt. C. famil. erciscun. vbi sic scribit, Iudicio familiæ erciscundæ (licet ab intestato ad successionem liberi vocentur) seruato Senatusconsulti auxilio, defuncti dispositio custodiatur. & l. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testamentis.

r *Nec solùm natos, sed posthumos.*] Vlpianus in l. intestato. 3. §. vtrique. & Iulianus in l. Titius 6. ff. de suis & legit. Diocletianus & Maximianus in l. intestato. C. eod. tit. Iustinianus in §. 1. Instit. de hæred, quæ ab intest. defer.

s *Inuitos & necessarios.*] Iustinianus in §. necessarij. Instit. de hæred. quali. & diff. Necessarij verò, inquit, ideo dicuntur, quia omnino siue velint, siue nolint, tam ab intestato, quàm ex testamento ex lege 12. Tab. hæredes fiunt. quod & ipsum traditur in l. is, qui putat 15. & l. necessariis. 57. ff. de acquir. vel omitten, hæred: l. conditionib. 5. ff. de conditione & demonstr. vbi Paulus eleganter & ad instituti sermonis nostri rationem accommodate scribit, Necessarios hæredes propter patriam potestatem dici.

t *Próque hereditariis portionibus.*] Iustinianus in l. maximum vitium 4. de liberis præter. scribit l. 12. Tab. fœminas æquè ac mares ad intestatorum successiones admisisse.

u *Quod olim Ephiales.*] Franciscus Balduinus in 26. duodecim Tab. legem hunc Epitadem vocat. sic enim scribit, Initio mirari aliquis posset, Decemuiros liberam patribus dedisse potestatem filiorum exhæredandorum, aliorúmque quos vellent hæredum instituendorum, cùm quidem Solon legem ferens testamentariam, filiorum causam exceperit, quos bonis paternis iniuria fraudari iniquum esse iudicabat. quanquam & apud Græcos inuentus vnus Epitades sit, qui dixerit in fraudem filiorum, vt cuique liberum esset, cuicunque tandem vellet, patrimonium suum legare ac testamento relinquere: hoc interim agens captans, vt filium, quem oderat immerentem etiam posset exhæredare. Ac primùm quidem populus non intellexit astuti hominis mentem: sed vbi patefactum id est, iniusta lex hæc repudiata fuisse dicitur.

x *Solon verò.*] Plutarchus in vita illius.

y *Apud Arabes.*] Strabo lib. 16.

z Ea

quia natu grandiores sunt: Lycij populi filias, non filios, hæredes nuncupant, z & à matribus cognomenta ferunt. a quinetiam apud Cantabros vetus erat mos, vt maribus omissis filias ex asse instituant. b Germanis verò de bonis testari non licebat: sed si liberi extarent, ad intestati patris hæreditatem admittebantur: si minus proximiores propiuqui. c Apud Æthiopes ad regni successionem, non regis, sed fratrum filij vocabantur. Proditum tamen memoriæ est, d Metelli filios Romæ à patre hæreditate exclusos, testamentum tamen irritum non fecisse, satius arbitrati, bonorum extorres fieri, quàm quadameuque patris voluntatem non tueri. e Non sic Hortensius orator, & Fuluius Flaccus, nãm celestissimos filios, & parricidij conuictos, quamuis bonis se abdicaturos iurassent, hæredes tamen bonorum reliquere. f Attilia verò Variola cum à patre octogenario hæreditate exclusa esset, centumuirali tamen iudicio ad patris bona admissa fuit, pro eo quòd vndecimo pòst die nouercam ei superduxerat, velut decepitus pater ætate desiperet. Libertorum quoque hæreditatem, & tutelam filiorum, si intestati decessissent, ad patronum pertinere. Quibusque tutor datus non esset, proximos agnatus, velut fide & constantia singulari, ad tutelam & curam aduocauit, Fuitque apud Thurios lege cautum, vt bonorũ & fortunarum pupilli, agnati proximi curam agerent: ipsius veró educatio, & morum institutiu, maternis affinibus daretur. g Solonis tamen lege cautum fuit, ne is tutor esset, ad quem post obitũ, pupilli bona redundarent, nequa fraus, neu quis dolus compositus pupillo exitio foret: h quæ tutela fiduciaria dicta: i quippe fiduciam is habere dicitur, cui res aliqua mancipatur & creditur, vt haud multo post illam mancipanti reddat. k Eos Lacedæmonij πρόδικοι noncupant, qui alterius tutelam curamque suscipiunt Apud Indos lege cauetur, vt patre defuncto, filiis tutores duo, qui illorum cura agerent, peregrini: nõ ciues dentur. l Atque si nemo suus hæres patri existeret decedenti, proximos agnatos hæredes iussit esse, his verbis: Agnatus proximus familiam habeto. Si tamen capite minuti essent, illos ad bona decedentis lex non admittebat. m Patronumque ad bona liberti tunc demum peculiumque admisit, si nemo suos hæres foret. n Suspectumque tutorem à pupilli tutela amoueri, o foriososque & prodigos, quique patrimonium profusis sumptibus debacchantur, in agnatorum tutela & cura esse voluit: quibus etiam bonorum administratio lege interdicta fuit. p Viro quoque ab vxore diuertere, q aut res

Lycij. Cãtabri: Germani Æthiopũ regni hæredum.

Libertorũ bona. Tutores. Thuriorũ lex. Solonis lex. Tutela fiduciar. & Lipódixos Tutores duo filiorũ apud Indos. Capite minuti ad hæreditatem non admissi. Diuortiũ

ANNOTATIONES.

z *Et à matribus cognomenta ferunt.*]Plutarch. de Claris mulieribus, cap. 9. in fi. Lege, ait, apud Xanthios cautum est, vt à matribus non à patribus filij generis nomen sortiantur. Hoc etiam refert Herodot. lib. 1.

a *Quinetiam apud Cantabros.*] Strabo lib. 3.

b *Germanis.*] Tacitus de Moribus Germanorum, Sororum filiis, inquit, idem apud auunculum, qui apud patrem honor & paulò pòst, Heredes tamen successorésque sui cuique liberi: & nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, auunculi.

c *Apud Æthiopes.*]Liuius 3. Decad. lib. 9. hoc Numidis, non Æthiopibus tribuit, his verbis de Masanissa loquens. Regnum ad fratrem Regis Desalcem prægrandem natu (mos ita apud Numidas est) peruenit.

d *Metelli filios.*] Valerius Maximus lib. 7. cap. de Testamentis, quæ rata manserunt.

e *Non sic Hortensius orator, & Ful. Flaccus.*]De his duobus idem Valerius lib. 2. cap. 9. de Parentum moderatione aduersus susceptos liberos.

f *Attilia verò Variola.*] Plinius Iunior Epistol, li. 6. epist. 33. ad Romanum quæ in c.tollite cuncta, vbi tamen non Attilia hæc nominatur, sed Acera.

g *Solonis tamen lege.*]Dioge. Laërtius in vita illius.

h *Quæ tutela fiduciaria.*]Ad Romanos redit. & de hac Iustinianus in §. 1. Insti de fiduciaria tutela.

i *Quippe fiduciam is habere dicitur.*] Boëtius li. 4. Commentariorum in Topica Ciceronis. De quo omnino vide nostrum tractatum Retractuum tit. 2. in præfat. nu. 37.

k *Eos Lacedæmonij πρόδικοι.*]Plutarchus in vita Romuli, & vide nostros Commentarios Iuris primigeniorum, quæst. 40. nu. 208. incip. Idque iure veteri.

l *Atque si nemo suus hæres.*] Vlpianus in illis fragmentis iuris ciuilis, quæ ipsius nomine circunferuntur. & huius quoque legis meminit Iustinianus in §. 1. Instit de leg. agnat. succes.

m *Patronúmque ad bona liberti.*] Iustinianus in §. 1. Institut. de successione libertorum. vbi sic scripsit, Nam ita demum lex 12. Tabul. ad hæreditatem liberi vocabat patronum, si intestatus mortuus esset libertus, hærede suo nullo relicto,

n *Suspectumque tutorem.*] Vlpianus in l. 1. ff. de suspectis tutoribus, Sciendum est, inquit, suspecti crimen è lege 12. Tabul. descendere. & Iustinianus in §. 1. Instit. eod. tit. vbi eadem sunt verba.

o *Furiososq; & prodigos.*]Vlpianus in l. 1. in princip. ff. de Curatoribus furioso, & aliis, extra minores, dandis, Lege, ait, 12. Tabul. prodigo interdicitur bonorum administratione: & Paulus in l. sæpe. 13. eod. tit. Sępe ad alium è lege 12. Tab. curatio furiosi aut prodigi pertinet, alij Prætor administrationem dat: scilicet cùm ille legitimus inhabilis ad eam rem videatur. Huius legis verba lib. 1. Rhetor. ad Herennium; referuntur, Si furiosus existet, agnatorum gentiliúmque in eo pecuniaque eius potestas esto.

p *Viro quoque ab vxore diuertere.*] Lege, cõsensu. C. de repudiis scribit Iustinianus, matrimonium non posse dissolui ab altero coniugum sine legitima causa. Plutarch. in vita Romuli, scribit eum tribus tantùm de causis diuortium maritis permisisse: quarum prima est, si vxores veneficium in liberos commisissent: altera, si partum subiecissent: tertia, si probri quid cum alienis viris fecissent. Quod si quis alia de causa vxorem dimisisset, tum statuisse, vt eius bonorũ pars vxori adiudicaretur: pars Cereri sacra esset.

q *Aut res suas sibi habere.*]Hæc verba erant propria diuortij ex l. 2. ff. de diuortiis, vbi verba hæc Caij ex lib. 12. ad edictum prouinciale proferũtur, In repudiis autem & renunciationibus cõprobata sunt hæc verba, RES TVAS TIBI HABETO. item hæc, TVAS RES TIBI AGITO. Cicero Philippica 2. Frugi factus est. Mimam illam suam suas res sibi habere iussit. Ex 12. Tabulis causam addidit, exegit. Hinc Alcmena in Plauti Amphitryone act. 5. scena 2. diuertens à marito, ait,

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas,

Quintil. declamat. 263. Martialis lib. 10. epigram. 41. in Proculeiam,

Mense nouo iam veterem Proculeia maritum
Deseris, atque iubes res sibi habere suas.

Apuleius libro 5. Metamor. Confestim, inquit, toro meo diuerte, tibique res tuas habeto. Plura diximus in nostris legibus Connubialibus, in glossa 8. num. 2. incip. Hincque prodierunt.

Seletio debiti. Diuortio nis erga clientem Persarũ & Indorum lex. Mẽdacij detestati & cõdemnatio mendacium vere secũdum veri speciem. ... t punitur.

suas sibi habere, nisi causa legitimè cognita, eiusdẽ tabulis vetabatur: r quo diuortio null[a v]xoris culpa subsequuta, dos integra repetebatur. s Si verò culpa inesset, vsque ad dimidium dotis in [sin]gulos liberos sexta à marito retinebatur. Interdum si diuortium fieret, quod melius æquius esset, a[pud] virum manere: quòd verò non esset melius æquius, id vxor post diuortium vendicare iubebatur. t Quod si in confessum aut iudicatum lis data foret, triginta dies exoluendo debito præfixi fuere. Ver[ba] legis sunt: æris cõfessi, rebusque iudicatis, triginta dies iusti súnto, post deinde manus iniectio esto. u Quod si clientem, aut eum qui in fidem patrociniumque venit, quisquam nequam & improbus frau[de] aut dolo frustraretur, eum lex haud secus puniuit, ac si capitali iudicio esset effectus, in hæc verba: Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto. Neque enim leui animaduersione dignum censuit [e]um qui fidem labefactasset, quique frustraretur illum, qui in suam fidem & cliẽtelam venit, seque illi c[om]misit & credidit: x Nam clientem qui tutelæ patroni se commisit, chariorem haberi quàm propinq[u]os affinesque, veteres voluere: id quod Persis y & Indis magni criminis instar erat, quorum lege cauet[ur], vt qui clientem decepisset, z quique ter mendacio abusus fuisset, illi omnẽ vitam silentium indiceret[ur], nulloque magistratu aut honore dignus haberetur. a Artaxerxes quoque mirificè mendaciũ auersatu[s] fuit, adeò vt mendacis hominis linguã triplici clauo affigi iusserit. b Fertur Epãminundas tam seuerus

ANNOTATIONES.

r *Quo diuortio nulla vxoris culpa.*] Iustinianus in d. l. consensu. §. vir quoque pari. vers. sin autem aliter. C. de repudiis sic scribit, Sin autem alter vxori suæ renunciare voluerit, dotem redhibeat, & ante nuptias donationem amittat.

s *Si verò culpa esset.*] Idem in eadem l. §. si verò filio. C. eod.

t *Quod si in confessum aut iudicatum.*] Gellius lib. 20. cap. 1. vbi hæc verba legis 12. Tabul. sic ponit, Sic enim, opinor, verba sunt legis, Æris confessi, rebusque iure iudicatis, triginta dies iusti sunto. Post deinde manus iniecto esto. in ius ducito In iudicatum facit. Hæc Gellius.

—Et fraus innexa clienti.

u *Quod si clientem.*] Hæc lex sumpta videtur ex Commentariis Seruij in libro 6. Æneidos. vbi locum illum exponens, Ea lege, inquit, 12. Tabul. venit, in quibus scriptum est, PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FECERIT, SACER ESTO. Si enim clientes, quasi colentes sunt, patroni, quasi patres: tantundem est clientem, quantum filium fallere. Et hoc posse fieri ex Horatij dictis intelligimus, qui cùm loqueretur (lib. Carm. 2. Ode 18.) de auaris potentibus, ait de vicino cliente,

—Pellitur paternos
In sinu ferens deos,

Vrbano tamen hoc displicet, & dicit rarum esse hoc, magisque contrarium, cùm magis patronos decipiant frequenter clientes. Vult autem intelligi præuaricatores, qui patroni sunt clientum, quos nunc Susceptos vocamus. Hactenus Seruios.

x *Nam clientem.*] Dionysius Halicarnassens li. 2. tum etiam Plutarchus in Romuli vita in hęc ferè verba scribit, Vt cùm de plebe quisque ex patritiis aliquem sibi patronum cooptasset, eumque hic illum in fidem suam recepisset, tum alter alteri pro sua quisque facultate opem ferret: patronus quidem authoritate & potentia: cliens autem obseruantia, &, cùm opus esset, fortunis. Nam ille se clienti in ciuilibus negotiis iuris interpretem, in iudiciis defensorem, in rebus denique omnibus consiliarium præstabat: hic contrà patronum honore & obseruantia prosequebatur, in filiabus etiam elocandis, liberis ab hostibus redimendis, mulctis pecuniariis præstandis, ære alieno dissoluendo, pecunia, cùm opus erat, iuuabat. Mutua autem hæc inter se iura habebant, vt neque accusandi, neque testimonij dicendi, neque exercendarum inimicitiarum potestas inter illos esset. Itaque Aulus Gellius lib. 20, cap. 1. & lib. 5. c. 13. scribit, Moris obseruationisque populi Rom. fuisse, vt clientem in fidem receptum, patroni chariorem haberent, quàm propinquos: eumque etiam aduersus hos tuerẽtur: neque peius vllum facinus existimasse, quàm si quis probaretur clientem derisui habuisse: quin & licuisse patronis testimonium pro cliente aduersus cognatos dicere, aduersus clientem non licuisse. Iam verò quod in hac lege sancitur, vt si patronus ius illud violarit, sacer sit: consentaneum est cum iis, quæ Dionysius eo, quem antea citauimus loco, scribit: Romulum sanxisse, vt cuius ius esset illum, tanquam diti sacrum interficere: morémque Romanis fuisse, vt quos impunè occidi vellent, eorum corpora Deo cuipiam, ac præcipuè alicui ex inferis deuouerent. Quapropter per multas ætates permanserunt (vt addit Dionysius) mutua patronorum ac clientum officia, haud secus quàm cognatæ necessitudines, posteris per manus tradita: & maxima laus erat nobilium habere clientes quàmplurimos, tam hæreditariarũ clientelarũ, quàm partarum virtute propria: ingensque certamen erat vtrisque ne vincerentur mutua gratia & beneuolentia, dum clientes nullum patronis negant ministeriũ, vicissim patroni nullo corrumpi possunt pretio, vt clientes molestari sinerent.

y *Et Indis.*] Huius rei rationem reddit Ælianus Variæ historiæ, li. 4. in princ. his verbis, Sed neque fas est, hominem Indum aut iniuriam inferre, aut pati. Proinde neque syngrapham, aut depositum faciunt.

z *Quique ter mendacio abusus fuisset.*] Diodorus Siculus libro 3. Bibliotheces cap. 10. Apud Indos, inquit, qui philosophus falsa prædixerit, nullam, præter quàm quòd perpetuo silet, pœnam subit. Strabo lib. 15. de iisdem loquens, ait: Publicè Reges in eo conuentu, qui maximus apud eos fit, cùm nouo anno incipiente, philosophi omnes cum Rege ad ianuam exeunt: & quicquid quisque composuerit, vel obseruauerit eo anno de fructibus, de animalibus, de republica, in medium proferunt, vbi qui ter mendax deprehensus fuerit, ei per totam vitam ex lege silentium indicitur: qui vera dixerit, immunis & omni tributo exemptus censetur. Arrianus lib. 8. gestorum Alexandri, de Indorum Sophistis ita scribit, Si quis eorum ter in diuinando errauerit, silentij tantùm pœna multatur. Deinde scribit mentiri apud eos nefas esse: nec Indorum quenquam in iudicium, quod mentitus esset, vocatum esse: Tantum apud eos verum ac fides valet. Philostratus in vita Apollonij, libro 2. adolescentes apud Indos omni vitio carere oportere ostendens, ait, Quòd si in mendacio deprensus, aut deceptus ipse vnquam fuerit, hac multatus pœna, vt nullo amplius magistratu, aut dignitate fungi possit, quia communem hominum societatem mentiendo fraudauerit. Persæ (de quibus hîc loquitur Alexander) liberos suos, vt tradit Herodotus lib. 1. Clio, à quinto anno incipientes vsque ad vicesimum, tribus duntaxat instituũt, equitare, arcu sagittas excutere, vera loqui. & paulò pòst, Turpissimũ apud eos ducitur mentiri: secundo loco, æs alienum debere, cùm ob alias multas causas tum quòd necessum est eum, qui debet, mendacio quoque obnoxium esse. Xenophon Pędiæ Cyri libro 3. scribit mendacium odiosum esse apud Persas.

a *Artaxerxes.*] Plutarchus in vita illius, Alterius, inquit, quòd ad defectionem duos quoque ex hostibus se additurum pollicitus in mendacio deprehensus esset, linguam tribus clauis configi iussit.

b *Fertur Epaminundas.*] Probus Æmylius in vita illius, Adeo. inquit, veritatis fuit diligens, vt ne ioco quidem

mentire

veritatis culto fuisse, vt ne ioco quidem quandoque mentitus sit. E diuerso Ægyptiis nullus mentiendi modus, summaque mentiendi impunitas erat. Eademque [c] lex, vt ex duabus pluribúsve sententiis decretísve, quoties ancipiti res contẽtione distrahitur, semper vt antiquo abroget nouum, vtque [d] postremum quod populus iussisset, id ratum foret, sancitũ voluit, [e] & pleraque notatu & scitu digna: quæ omnia perpenso iudicio, & librato moderamine, à priscis legum conditoribus commodè constituta sunt: quorum argumento coniicimus, quàm examinato modo prisci, iuris interpretes scita legum promulgarunt. Contra verò multa incuriosè & subrusticè, partim insolenter & inhumanè, non probabili, nec recto iudicio eadem lege decreta videntur & constituta, quæ forsan aut segniter peruisa, aut negligenter animaduersa fuere: nam de qua re iudicio disceptabatur, in re præsenti & apud prætorem exhibita, ex lege duodecim tabularum correptio manus fiebat, [f] quod ex iure manu consertum dicitur, atque de ea nisi coram exhibita, minimè decerni, aut iure agi lege poterat. [g] Quodque si homo in iudicium citatur, & morbo aut senio affectus, ad ingrediendum inualidus foret, iumentum aut plaustrum lex dari iubebat, quo æger ille fortè spiritũ exhalans, supremis annis sisteretur: videlicet nõdum per patronos & assertores aut sponsores agendi forma constituta: cuius verba adscripsi: Si in ius vocat si morbus, æuitasve vitium escitit, qui in ius vocabit, iumentum dato: si nolet, arceram ne sterniro. [h] Id quod lege Ælia postea fuit sublatũ, cautumque vt locuples in iudicio clienti adesset, in hæc verba: Assiduo vindex assiduus esto. [i] Dixere autẽ assiduum, qui pluribus assibus & fortunis locuples foret. [k] Nec

Nouum antiquo arrogat.
Quædam inciuiliter & incuriose decreta.
Ex iure manu cõsertum.
Assiduus

ANNOTATIONES.

mentiretur.

c *Eademque lex, vt ex duobus.*] Ad Romanos redit, idque est Titi Liuij 1. Dec. lib. 9.

d *Vtque postremum quod populus iussisset.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. & 8.

e *Et pleraque.*] Hæc vsque ad versicul. Nam de qua re, sunt maxima ex parte Sex. Cecilij Iurisconsulti, & Phauorini apud Gellium lib. 20. c. 1.

f *Quod ex iure manu consertum.*] Cicero lib. 1. de Oratore; Multisque præessem qui aut interdicto tecum contenderẽt aut te ex iure manu consertum vocarent, quòd in alienas possessiones tam temere irruisses. Budæus in Pandectas, Transeundum, inquit, ad alia, quorum in primis occurrit, ex iure manu consertum, quod verbum est antiqui iuris. Varro libro 2. de lingua Latina, Conserere manum dicimus cum hoste, inde ex iure manu consertam vocant. Quid autem sit manu consertum, Gellius libro 20. capit. 9. docet, cuius verba hoc pauca transcripsimus. De vindicatione enim loquens, id est, rei vendicatione, quæ olim in re præsenti ex 12. Tabul. iure fiebat, ita inquit, Sed postquam prætores propagatis Italiæ finibus, latis iurisdictionibus, negotiis occupati, proficisci, vindiciarum dicendarum causa, in longinquas res grauabantur, institutum est contra 12. Tab. tacito consensu, vt litigantes non ex iure apud Prætorem manum consererent, sed ex iure manu cõsertum vocarent, id est, alter alterum ex iure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret. Atque profecti simul in agrũ de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, vti vnam glebam in ius in vrbem ad Prætorem deferrent, & in ea gleba, tãquam in toto agro, vindicarent. Cicero pro Muræna formulę verba huiusmodi fuisse ait, Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, meus est. eum ego ex iure meum esse aio. Ibi ego te ex iure manu consertum voco. Hæc erant verba eius qui vindicabat. A quo verò vindicabatur, eius hæc erant, verba, Vnde tu me ex iure manu consertum vocasti, inde ibi ego te reuoco. Cicero in Oratore loco nuper citato metaphoricôs hac locutione vsus est in persona Scæuolæ. Hæc Budæus.

g *Quodque si homo in iudicium citatur.*] Phauorinus Philosophus apud Gellium libro 20. capit. 1. existimans morbum sic appellari ægrotationem grauem cum febri rapida: & iumentum dici pecus aliquod vnicum tergo vehens, inhumanam esse hanc legem iudicat, vt qui ægrotum domi suæ cubantem, iumento impositum in ius rapi & veluti afferri, noua funeris specie, iuberet. Sed Cæcilius Iurisconsultus, nequaquam ita esse probat. Nam, inquit, morbus in lege ita non febriculosus, neque nimium grauis: sed vitium aliquod imbecillitatis atque inualentiæ demonstratur, non periculum vitæ ostenditur. Iumentum quoque non id solùm significat, quod nunc dicitur: sed vectabulum etiam, quod adiunctis pecoribus trahebatur. Veteres enim nostri iumentum à iungendo dixerunt. Arcera autẽ vocatur plaustrum tectum vndique & munitum, quasi arca quædam magna vestimentis instrata, qua nimis ægri, aut se nes portari cubantes solebant. His explicatis sic Phauorino respondet: Quænam tibi igitur acerbitas esse visa est, quòd in ius vocato pauperrimo homini, vel inopi, qui aut pedibus fortè ægris esset, aut quo alio casu ingredi non quiret, plaustrum esse dandum censuerunt: neque insterni tamen delicatè arceram iusserunt: quoniam satis esset inualido huiusmodi vectabulum. Atque id fecerunt, ne causatio ista ægri corporis perpetuam vacationem daret fidem detrectantibus, iurisque actiones declinantibus. Hæc Cæcilius. Legis autem verba apud eundem Gellium hæc sunt, Si in ius vocat, si morbus, æuitasque vitium esset, qui in ius vocabit, iumentum: si nolet, arceram ne sternito.

h *Id quòd lege Ælia.*] Cicero in Topicis non adeò longè à princ. Cùm, inquit, lex Ælia Sentia, assiduo vindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti. Locuples enim assiduus, vt ait Ælius, appellatus est ab ære dando. Hoc caput ita scriptum esse testatur Gellius libro 16. capit. 10. Assiduo vindex assiduus esto, Proletario ciui quiuis volet vindex est. Huc pertinere videtur, quod Caius libro 2. ad l. 12. Tabul. posuit in l. quos nos hostes. §. locuples. 234. ff. de verborum significatione, Locuples est, qui satis idoneè habet pro magnitudine rei, quam actor restituendam esse petit.

i *Dixere autem assiduum.*] Cicero & Gellius vbi suprà. Assiduus in 12. Tabul. & pro locuplete. & facilè munus faciente: dictus ab assibus, id est, ære dãdo, cùm id tempora Reipublicæ postularent. Aut à muneris pro familiari copia faciendi assiduitate. Quintilianus lib. 5. cap. 10. Festus Pompeius lib. 1. Alij assiduum, inquit, locupletem, quasi multorum assium dictum putauerunt. Alij eum, qui sumptu proprio militabat ab asse dando vocatum existimarunt.

k *Nec minus seuerè.*] Phauorinus Philosophus, apud Gellium d. lib. 20. cap. 1. hanc legem reprehendebat, quòd in ea scriptum esset, *Quin & si membrum alter imprudens ruperit.* Cæcilius respondet, Decemuiros iniuriis atrocioribus talionem apposuisse, dum eo metu coërcere homines volunt, & mouere extinguereque violẽtiam pulsandi atque lædendi. Neque eius, qui membrum alteri rupisset, & pacisci tamen de redimenda talione nollet, tantam esse habendam rationem, vt an prudens imprudénsve rupisset, spectandum putarent. Deinde subiicit, Et quæ, obsecro te, ista acerbitas est. si idem fiat in te, quod tute in Alio feceris? Præsertim cùm habeas facultatem paciscendi, & non necesse sit pati talionem: nisi eam tute legeris? Quod edictum Prætorum

de æstiman

Lex ... in debitores.

minus seuerè quam duriter: quòd si quis consultò aut casu, alterius membrum rupit aut secuit, è pacto talio pœna erat.[l] Tum quod simile monstri est, & omnem exuperat socordiam. Si ob æs alienum creditori debitor addictus foret, post distractum patrimonium, re familiari destitutus, postque vincula & catenas, membra eius breuissimo laniatu ád creditorum libidinem diuidi iubebat, iniquissimo decreto sæuæ atrocitatis immanitatisque. Verba legis sunt: In ius ducito, ni iudicatum faxit, aut se vi & iure vendicat, statim ducito, vincito, aut neruo & compedibus quindecim pondo nec minore: si volet, maiore vincito: si volet, suo viuito: ni suo viuit, qui cum vinctum habet, libras farris io dies: si volet, plus dato. Tertiis nundinis parteis secanto, si plus minusve secuerint, sine fraude esto, & infra.[m] Hanc verò legem Athenis Solon antea abrogarat: nam corpus pro re addici, aut super eo fœnerari, sanctionibus vetuit, quæ lex Seisachtheia dicta, quasi oneris leuamen, qua antea cauit, vt præter bona debitoris, in tergum & corpus nulla vexatio esset: sicut post 30. tyrannos, parta libertate,[n] Atheoiēses Amnestiam, hoc est, malorum obliuionem, legem edidere, qua veterum admissorum impunitas dabatur.[o] Idem ab Ægyptiis cautum affirmant, vt vltra res & bona debitoris, nulla in corpus animaduersio foret: nam pecuniæ creditæ bona, non corpus dixere obnoxium,[p] quibus in vsu erat, vt defunctorū corpora unguentis delibuta, ac si viui essent, creditori oppignorarent, & super his fœnerarētur, magno dedecore illorum qui constituta die non reluissent.[q] Post aliquot verò tempora ab Atheniensibus cautum fuit, vt si litem pater nō persoluisset, filius exoluere, & vinclis publicis interim detineri cogeretur sicut de Cimone & aliis traditur. Apud Bœotios qui æs alienum non dissoluit in foro sedere cogitur: & circunstante plebe, in os & ora corbē accipere: qua nulla fuit ignominia maior. Indis verò qui creditū moratur, á creditore reus agitur: mox præfixa die, si non soluit, manu trūca, & oculo effosso, morte afficitur. Apud Pisidas quoque de abrato deposito maximum erat iudicium, vt abiurans facinus morte lueret.[r] Nec minus seuere, quod falsum testimoniū dixisse cōuictum, de saxo lex deiici iubebat.[s] quod ab Ægyptiis ductum facile crediderim, quibus omne periurium, & veri ludificatio, diis abiuratis, morte luebatur, quód deos vna atque homines offendisset.[t] Mox subsequutis legibus, mitior pœna periurio data est, quarum verba sunt: Periurij pœna diuina, exitium: humana, dedecus violati iurisiurandi esto.[v] Apud Indos verò de periurio conuictus, manuum pedumque digitis & extremis membris decurtabatur.[x] Iudicem quoque aut arbitrum iure datū, conuictum ob rem iudicandam pecuniā acci-

Seisachtheia. Amnestias lex. Ægyptij. Defunctorum corpora oppignorata. Athenienses. Bœotij. Indi. Depositū abiuratū. Falsi testimonij conuictus. Periurij conuictus. Periurij conuicti. Iudicis corrupti pœna.

ANNOTATIONES.

de æstimandis iniuriis probabilius esse his potest? Nolo hoc ignores, hanc quoque ipsam talionem ad æstimationem iudicis redigi necessariò solitam. Nam si reus, qui depacisci noluerat, iudici talionem imperanti non parebat, æstimata lite, iudex hominem pecuniæ damnabat: atque ita si reo & pactio grauis, & acerba talio visa fuerat, seueritas legis ad pecuniæ mulctam redibat. Hæc Cæcilius vbi suprà.

l *Tum quod simile monstri.*] Hæc vsque ad versic. Hanc verò sunt Gellij eod. lib. 20. c. 1.

m *Hanc verò legem Athenis Solon abrogauit.*] Diodorus Siculus lib. 2. cap. 3. Plutarchus & Laërtius, vterque in vita ipsius Solonis. Idem Plutarchus in Politicis ad Traianum & in libro de Fortuna & virtute Alexandri, & dictum est suprà lib. 1. cap. 8.

n *Athenienses Amnestiam.*] Cicero Philippica 1. in princ. sic scribit, Nec verò vsquam discedebam, nec à republica deiiciebam oculos, ex eo die quo in ædem Telluris conuocati sumus, in quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Atheniensiumque renouaui vetus exemplum: Græcum etiam verbum (ἀμνηστίαν) vsurpaui, quod tum in sedandis discordiis vsurpauerat ciuitas illa, atque omnem memoriam discordiarum obliuione sempiterna delendam censui. Historia apud luculentos scriptores sic perscripta est, Thrasybulus ciuitatem Athenarum oppressam à triginta tyrānis, cùm in libertatem vindicasset, atque Atticos palabundos in patriam reduxisset, non minori prudentia ac moderatione vsus, quàm fortitudine, ad cuncta pacificāda, pacemque reconciliandam, legem tulit saluberrimam, Ne quis anteactarum rerum accusaretur: Ne qua præteritarum iniuriarum mentio fieret: Ne quis mulctaretur. Et hanc Athenienses ἀμνηστίαν vocauerunt, hoc est, legem obliuionis: qua concussus & labens Atticæ reipublicę status in pristinum habitum est reuocatus. Multi authores huius legis meminero. Valerius Maximus lib. 4. titu. 1. de Modetatione. Plutarchus in Politicis ad Traianum. Flauius Vopiscus in vita Aureliani. Paulus Orosius lib. 2. cap. 15. paulò ante fi. Paulus Æmylius in Thrasybulo. Iustinus lib. 5. Extat quoque Emblema Clarissimi viri D. Andreæ Alciati, cuius titulus est, Optimus ciuis.

Dum instus patriam Thrasybulus vindicat armis,
Dumque simultates ponere quenque iubet.
Concors ordo omnis, magni instar muneris, illi
Palladia sertum frondis habere dedit.
Cinge comam Thrasybule, geras hunc solus honorem:
In magna nemo est æmulus vrbe tibi.

o *Idem ab Ægyptiis.*] Diodor. Siculus lib. 2. c. 3.

p *Quibus in vsu erat.*] Idem Diodorus dicto libro 2. capit. 5. circa medium, Mos est, inquit, apud eos, defunctorum parentum corpora dare in pignus creditori. Summa illos, qui non redimunt, sequitur infamia & sepultura carent.

q *Post aliquot verò tempora ab Atheniensibus.*] Paulus Æmylius in vita Cimonis. Valerius Maximus lib. 5. cap. 4. vbi de Cimonis pietate erga patrem loquitur.

r *Nec minus seuere.*] Redit ad legem 12. Tabul. Idque est ex Gellio lib. 11. cap. 18. & lib. 20. cap. 1. paulò antè fi. Hoc autem genus supplicij sublatum fuisse, neminémque sic damnari posse, vt de saxo præcipiretur, scribit Modestinus Iurisconsultus in l. si diutino. 25. ff. de pœnis. De huiusmodi autem pœna alibi diximus.

s *Quod ab Ægyptiis.*] Diodorus Siculus lib. 2. cap. 3. cuius hæc verba sunt, Periuri capite multabantur, tanquam qui duplici tenerentur scelere, vt qui & pietatem in deos violarent, & fidem inter homines tollerent, maximum vinculum societatis humanæ.

t *Mox subsequutis legibus.*] Cicero libro 2. de Legibus, vbi ponit hæc ipsa huius legis verba.

u *Apud Indos.*] Strabo de his loquens lib. 15. Qui falsus, inquit, testis deprehenditur, extremis decurtatur. Apud Scythas periurij pœna capitis amputatio est.

x *Iudicem quoque.*] Ad Romanos redit, ex quorum legibus Decemuiralibus hæc erat, vt scribit Gellius libro 20. cap. 1. Vetustissimum iudicis, qui pecunia corrumpi se passus est, seuerissimè puniti extat exemplum in Cambysis Persarum Regis historia apud Herodotum libro 5. Terpsicore. Is Sisamnem vnum ex Regiis iudicibus, quòd iniustè ob

pecuniam

pere, aut turpe iudicium nundinarur, non minore seueritate capite puniuit, cuius rei causa post aliquot secula [y] M. Cinrius legem tulit ad populū, qua causidicis munera ob patrocinia largiri vetuit, sç piusque lege reperita [z] postea Claudius iussit, vt sine patrono quisque vitæ rationem redderet. [a] Contrà vero in eum qui insigni contumelia quempiam affecisset, tam leuem mulctam dixit, vt illi qui summa turpitudine fœdatus erat, vltra vigintiquinque æris mulctam conuicians non deberet, vt tantulo impendio summa iniuria lueretur. Verba legis sunt: Si quis alteri iniuriam faxit, vigintiquinque æris pœna sunto. [b] Si quis tamen occentauisset, aut carmē condidisset, quód infamiam faceret, flagitiumque alteri, capitale sit. [c] Solon verò seueriori disciplina coercuit iniurias: nam pro conuicio popularem voluit actionem dari, ita vt cuiuis agendi facultas foret. Cumque masculorum progeniem ad parentū bona sine discrimine lex vocaret: illos qui per fœminini sexús necessitudinē pariter sunt coniuncti, ita osos habuit, vt nec inter matrem & filiam ius succedendi daret, [d] Et quum propter membrum ruptum fractúmve talionem constituerit, his verbis: Si quis membrum tupit, in eum talio esto: illi qui alteri os fregit, quum ea corporis pars sanctior in homine sit, ob id amissum nimium tenuiter pœnam dixit, cum propter oris dignitatem seueriori pœna vindicandum foret. [e] Decedentium quoque voluntates ita lex fouit, vt omne patrimonium, & quicquid in bonis esset, testatori legare permiserit, nihil apud hæredem qui onus aditionis habet, ex defuncti substantia remanente. Verba legis sunt: Vti legassit suæ rei quisque, ita ius esto. Et pleraque hoc genus quæ acerbissima, dura nimis & agrestia visa sunt. Quod autē lex, si cliens morbo sontico impediturquo minus sisti valeat, iubet diē iudicij esse diffusum, ex bono & æquo factum crediderim, Siquidem sequuti iurisconsulti legem 12. tabularum interpretari, morbo impedito, iudiciorum tempora dilabi voluere. Sed cum omnis illa decēuiralis seueritas ac tristis & iubumana ratio tam lege Ebutia quam aliis edictis, penitus inducta fuerint, postea sequuti iuris interpretes, miti & tractabili ratione easdem leges indefesso studio interpretari, abrogatis his quę duriora, quæ verò æquiora videbantúr sequuti, propositas controuersias vberius explicarunt: itaque effecerunt, vt graui perpensa iudicio, æquissima nobis iura sanctissimaque hodie tradantur.

Cinti lex. *Causidicis munera nō danda.* *Contra eos qui cōtumelia aliquem affecisset.* *Carmen in famē edidisse.* *Solon.* *Inter matrem & filiam ius succedendi negatū.* *Ratio* *De voluntate decedentiū.*

ANNOTATIONES.

pecuniam iudicasset, occidi iussit, inte rēptoque detractum corium in lora concidit, quibus tribunal, in quo ille sedens iudicauerat, intendit: ibidemque eius filium Oranem sedere iudicem præcedit, atque in memoria habere in quo tribunali iudicaret. Darius etiam ille primus Sandocem, qui iniquam sententiam ob pecuniam tulerat, cruce affixit, vt tradit idem Herodotus lib 7. Pulymnia.

y *Marcus Cintius leges tulit.*] Corn. Tacitus lib. 11. Consurgunt, inquit, Patres legemque Titiam flagitant, qua cauetur antiquitus, ne qui ob causam orandam pecuniam, donúmve accipiat.' Idem lib. 13. hanc Ciuciam vocat, Eius opprimendi gratia repertum credebatur S.C. pœnáque legis aduersus eos, qui pretio causas orauissent. Priore tamen loco Taciti nonnulli sunt, qui existiment non Titia, sed Ciocia legendum esse, quod probabilius est. Legitur in Decretis canonicis 11. quæst. 3. quòd non licet iudici vendere iustum iudicium, & si liceat aduocato vendere iustum patrocinium, & Iurisconsulto rectum consilium. Nero, vt scribit Suetonius cap. 17. voluit, vt iusta merces, à litigatoribus daretur patronis pro patrociniis, sed nullam omnino dari voluit iudici pro iudicio Quod legi Titiæ contrarium est.

z *Posteà Claudius.*] Suetonius in Claudio, c. 16. Nec quenquam nisi sua voce, vtcunque quis posset, ac sine patrono rationem vitæ passus est reddere.

a *Contra verò in eum*] Hæc vsque ad versiculum. Si quis tamen sunt Gellij lib. 20. c. 1.

b *Si quis tamen occentauisset.*] Festus Pompeius lib. 13. Occentassent, inquit, antiqui dicebant, quod nunc conuicium fecerint, dicimus: quod id clarè & cum quodam canore fit, vt procul exaudiri possit, quod turpe habetur, quia non sine causa fieri putatur. Et hoc quidem verbo vtitur Plautus act. 1. scena 2.

— Phe. Quid si adeam fores,
Atque occentem?

Et in Persa acta. 4. scena 4.

Hac enim illi noctu occentabunt ostium, exurent fores.

Sed non video quod illic id verbum eum significatum habeat, quem illi Festus tribuit, nec quoque occurit locus vnde Alexander id acceperit, quod hic dicit.

c *Solon verò.*] Plutarchus in eius vita.

d *Et cum propter membrum ruptum.*] Gellius lib. 20. c. 1. & in §. pœna autem. Instit. de iniuriis.

e *Decedētium quo voluntates.*] Vlpianus in Epitome Institutionum tit. 11. qui de Tutelis est, §. testamento. huius legis verba sic ponit, Vti legassit super pecunia tutelave suæ rei, ita ius esto: qui tutores datiui appellantur. Sunt & aliæ multæ leges 12. Tab. ab aliis authoribus memoratę, vt videre licet ex l. de eo. 64. ff. de donationibus inter virū & vxorem;

Sacrum septimontium in quibus locis vrbis fieret, quíve septem colles vrbis sint, quave in illis præcipua dignationis loca forent.

CAPVT XI.

SEPTIMONTIVM [a] festum agere Romanos, quòd septimus vrbis collis additus foret, apud authores legimus: quo tempore in septem locis sacrum fieri [b] Varro significat, Palatio, Suburra, Velia, Fagutali, Cælio, Oppio & Cespio: [c] quo die per vrbem vehiculis ferri criminosum erat, [d] qui Paganalia

Septimontium festū. Sacrū in septem locis fiebat. *Paganalia*

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

a *SEptimontium.*] Id initium vsque ad versic. Sicut inter. est propè totum Festi Pompeij li. 17. in duobus locis. Sueton. in Domitiano, cap. 4. Septimontiali, inquit, sacrorum die Senatui, equitíque panariis, plebeis sportellis cum obsonio distributis.

b *Varro.*] Scilicet lib. 2. aut, vt alij computant. 5. de lingua Latina.

c *Quo die per vrbem vehiculis.*] Plutarchus problemat. ca. 69. vbi eius rei rationem reddit.

d *Qui Paganalia dictus.*] Id, ni fallor, sumptum est ex Varrone d. lib. 5. linguæ Latinæ, qui tamen id aliter dicit. Huius verba sunt, Dies Septimontium nominatus ab his septem

montibus

Palatiar. Fagutal. Capitolinus prius Saturnius & Tarpeius dictus. Tēpla in Capitolio & iuxta. Anseres in Capitolio iuxta Iouis tonantis templum. Quæ in Capitolio seruabātur. Alia tēpla iuxta Capitolium. Iouis simulachrum.

dictus,quòd non populi,sed montanorum & agrestiom dies festus erat,Quod enim in Palatio sacrum fiebat,[e] Palatiar, [f] sicut in Viminali,Fagotal dictnm est,[g] Sicut inter vrbis colles Capitolium fuisse præcipuum nemo dubitat,qui Saturnius ab Arcadibus,qui ea loca incolebant,primò nūcupatus,portamque illic excitati castelli Saturniam habuit,phaoumque Satuini in Capitolij faucibus, quod ærarium populi Romani fuit qui etiā Tarpeius à Vestali oppressa,armis, postea Capitolinus ex hominis capite iouento dum templi fundamenta effodiunt,denominatus est:in quo præter Iouis optimi max. templū,[h] Iunonis Reginæ[i] & Mineruæ ædes fuere.[k] Tria enim sacella paruo distincta spatio visebantur,medium Iouis tonantis,ad dextram Mineruæ,ad finistram Iunonis. Quod quidem Iouis templum semper Sabiois patoisse traditū est ex fœdere quod inter Romulum & Tatiū ictum fuit.[l] Iuxta quod sacri anseres,qui peruigiles excubitores erant,affluenti cibo pascebātur,[m] In eóque fœdera eum Carthaginensibus icta & ionouata,&[n] cū Attalo Pergami rege,æneis tabulis,[o] pactionesque & prioilegia [p] senatuscō sulta,plebiscita,& immunitates,vsque ab exordio vrbis eum exteris gentibus ioita seruabantur,qoæ non modò in tabulis, [q] sed in clypeis quoque quandoque scripta fuere.Siquidem fœdos Gabiorum cum Romanis,in corio bouis rotundo instar clypei descriptom visebātor. [r] Fidei quoque & [s] Termini templa iuxta erant : Martis verò [t] & Iunoinis Monetæ in arce,i[u] cuius solum, domus M. Manlij Capitolini perniciosi ciuis fuisse traditur : qui nouarum rerum cupiens,regnum appetere aggressus est,in quem fuit iusta animaduersione viodicatum. Quæquidem atx Capitolio adhæsit, excubiis valloqne circundata, in qua situm erat Iouis simulachrum ab ortu vrbis è cupresso. [x] Mentis

ANNOTATIONES.

montibus,in queis sita vrbs est.Feriæ non populi,sed montanorum modo,vt Paganalibus,qui sunt alicuius pagi. Mōtanorum igitur dicit,scilicet eorum,qui in illis septem mōtibus habitabant.De Paganalibus autem est illud Ouidij li. 1.Fastorum,

Pagus agat festum,pagum lnstrate coloni,
Et date paganis annua liba focis.

Festum igitur Septimontium erat montanorum, Paganalia paganorum, siue rusticorum, siue agrestium, quæ hic confundit Alexander.

e *Palatiar.*] Festus Pompeius d.lib.17.vbi de Septimontio priore loco loquitur.At idē eo ipso libro paulò ante fi. Sacrificium,inquit,quod fiebat Romæ in monte Palatino,Palatiar dicebatur. Ex quibus intelligis id dici & Palatiar & Palatuar,nisi in altero locorum mendum sit.

f *Sicut in Viminali Fagutal.*] Varro lib.1. aut aliorum comput.4.linguæ Latinæ.At Festus Pompeius lib.6.Fagutal, inquit,sacellum Iouis,in quo fuit fagus arbor, quæ Ioui sacrā habebatur. De Ioue autem Fagutali Plinius lib. 16. cap. 10. post princ.Et de lacu Fagutali Solinus c.2. & Iugi Faguralis P.Victor in 5.regione.

g *Sicut inter vrbis colles Capitolinum &c.*]Hæc vsque ad versiculum,In quo.sunt Varronis de lingua Latina,dicto libro 4.& Solini cap.2. Sed de eo quod dicit ærario populi Romani,quod fuit in phano Saturni,vide ea,quæ scripsimus in nostris Retractibus. Et quod item dicit de capite hominis inuento,est etiam Titi Liuij 1. Decadis libro 5. ad finem in Oratione Camilli, Hic Capitolium est, vbi quodam capite humano inuento responsum est,eo loco caput rerom summamqúe imperij fore.& Cornelij Nepotis in eo libro, qui de Vitis illustribus inscribitur cap.8.

h *Iunonis Reginæ.*]Nam & templum huius Iunonis Reginæ fuisse in Capitolio, videre est apud Cicero. in Oratio. ad Equites Romanos, antequàm iret in exilium. Sed fuit & eiusdem Iunonis Reginę aliud templum in Auentino,& P. victorem in 13.regione vrbis,vt diximus suprà cap. 4. huius libri sexti,& vide ibi,Tria enim,

i *Et Mineruæ.*] Vide d.c.4.& in seq.

k *Tria enim sacella.*] Liuius 1.Decad.libro 6.facit Manlium Capitolinum à viatore arreptum, hæc pronnunciantem,Iupiter optime maxime, Iunoqúe Regina, ac Minerua, cæterique dij deæque, qui Capitolium arcémque incolitis, siccine vestrum militem ac præsidem sinitis vexari ab inimicis?

l *Iuxta quod sacri anseres.*] Plutarchus in vita Camilli.& vide eundem problema.98.& Plinium lib,10.cap.22. in principio. Cicero in Oratione pro Roscio, Anseribus, inquit, cibaria publicè locātur & canes aluntur in Capitolio.Bart. Marlianus Topographiæ vrbis Romæ.lib.2.cap 4. Vide suprà hoc eod.lib.cap.4.

m *In eoq́ fœdera cum Carthaginensibus icta.*] Polybius lib.3. scribit fœdera,quæ inter Romaoos & Carthaginenses icta fuerunt perscripta in tabulis, quæ conspiciebantur in templo Iouis Capitolini,vbi ab Ædilibus diligentissimè custodiebantur.Et cum cæteris,vt patet ex sequen.& ex Liuio 1. Decad.lib.2. vbi de fœdere Roman. cum Latinis populis 3. Decad,lib.6.de fœdere Rom.& Ætolorum.& 4.Decad lib. 6.de fœdere Rom.& Antiochi. Appianus in libro, qui Syrius inscribitur,& vide suprà lib.5.c.3.

n *Et cum Attalo Pergami Rege.*] Liuius Dec.4.lib 7.

o *Pactionesque & priuilegia.*] Titus Liuius 1.Dec.lib.2. scribit fœdus cum Latinis ab Sp.Cassio vno,quia collega abfuerat,ictum,columna ænea insculptum fuisse,vt monumento esset.& iam alibi dictum est.

p *Senatusconsulta.*] Suetonius in Vespasiano,cap.8.de restitutione Capitolij loquens, Instrumentum, inquit, imperij pulcherrimum ac vetustissimum confecit: quo continebantur penè ab exordio vrbis Senatusconsulta, plebiscita de societate & fœdere, ac priuilegio cuicunque concessis.

q *Sed in Clypeis quoque.*]Hæc vsque ad versic.Fidei,sunt Festi Pompeij lib.3.cuius hæc verba sunt,Clypeum antiqui ob rotunditatem etiam corium bouis appellarunt, in quo fœdus Gabiorum cum Romanis fuerat descriptum.

r *Fidei quoque.*] Nam & Fidei templum fuisse in Capitolio, testes sunt Cicero lib.3.de Officiis, & Plinius lib. 35.ca. 10. inter picturas Aristidis Thebani, Spectata est, inquit, & in æde Fidei in Capitolio magno senis cum lyra puerum docentis.& diximus lib.2,c.22.

s *Et Termini.*] Liuius 1.dec.lib.5.ad fin.

t *Et Iunonis Monetæ.*] Liuius 1.decad.lib. 7. Solinus cap. 2 Vide suprà cap.4.

u *Cuius solum,domus M.Manlij capit.*]Liuius 1.dec lib.6.de ipsius damnatione loquens,Adiectæ mortuo notæ sunt:publica vna,quòd cùm domus eius fuisset,vbi ædes atque officina Monetæ est,latum ad populum est,ne quis Patricius in arce,aut Capitolio habitaret.Plutarch.in Camillo,Ouidius lib.6.Fastorum,

Arce quoque ex summa Iunoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta Camille tuo.
Antè domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Ioue.

x *Mentis quoque.*] Liuius 3.dec.lib.3. T. Octacilius Crassus posteaquam ædem Mentis in Capitolio dedicauit: in Siciliam cum imperio qui classi præesset,missus.Sed vide suprà lib.2.cap.4.

quoque & [y] Vaneris Ericinæ, [z] atque Opis & [a] Iuuentutis ędiculæ inibi fuere: [b] atque omnia deorum simulachra in Cap.tolio fuisse produntur,[c] inter quæ ara Iouis Pistoris,[d] & Veneris Caluæ,[e] quam sub tecto nominare religio non sinebat, [f] ibíque atrium publicum, & † Curiam Calabram, quæ casæ Romuli proxima fuit, vbi minor pontifex festos ennunciabat dies.[g] Ædémque tonantis Iouis ab Augusto, [h] nouámque aliam custodi Ioui conditam à Domitiano, authores memorant. [i] Quæ curia & Romuli casa in memoriam vetustatis è culmo fuit & stramentis, quo mos veterum & humilis ille cultus notaretur: sicut Areopagus Athenis ad antiquitatis exemplar luto & palea tegebatur. [k] Hunc montem auspicatò cōditum post incensam à Gallis vrbem, quasi propugnaculum imperij, saxo quadrato cinctum fuisse memorant, [l] quem Horatius Paluillus vnà cum templo dedicauit.[m] Interiecto deinde quadringentorum & quindecim annorū spatio, incendio absumptum Sylla restituit. Mox magnificis operibus & imaginibus magni sumptus exornatus mons fuit, præcipuè Iouis & Apollinis statua cubitorum triginta à Lucullo ex Apollonia Ponti vrbe translata, quę deinde restitutum Quintus Catulus dedicauit, [n] quod vnū suæ felicitati defuisse Sylla testatus fuit. [o] Sed quū rursus in Vitellij seditione, dissidentibus

Omnia deorum simulachra in Capitolio.
Curia Calabra.
Casa Romuli.
Areopagus.
Capitolium exustum à Sylla restitutū.

ANNOTATIONES.

y *Et Veneris Ericynæ.*] Liuius vbi suprà, cuius hæc verba sunt, Interea Duumuiri creati sunt, Q. Fabius Maximus, & T. Octacilius Crassus, ædibus dedicandis, Menti Octacilius, Fabius Veneri Ericynæ. Vtraque in Capitolio est, canali vno discretæ. Et vide suprà dicto lib. 2.c.4.

z *Atque Opis.*] Liuius 4. Dec lib 9. Addita, inquit, & vnum diem supplicatio est ex decreto Pontificum, quòd ædes Opis in Capitolio de cœlo tacta erat.

a *Et Iuuentutis.*] Liuius 1. Decad lib.5. ad fin. & Plinius lib. 35. cap. 10. Pinxit hic, inquit, raptum Proserpinæ: quæ tabula fuit in Capitolio in Mineruæ delubro supra ædiculam Iuuentutis. Fuit autem & alia ædes Iuuentutis in Circo maximo, quam vouit M. Liuius Consul, quo die Asdrubalem exercitúmque eius cæcidit, & sexdecim pòst annis C. Licinius Lucullus Duumuir dedicauit apud Liuium 4. Decad. libr. 6.

b *Atque omnia deorum simulachra.*] Seruius in lib. 2. Æneidos in eum locum,

Panthus Otriades arcis Phœbiq; sacerdos. sic ait, Aut subrogatum intelligimus: aut, quod melius est, morem Romanum tetigit. In Capitolio enim deorum omnium simulachra colebantur. Nam Manlius Capitolinus apud Liuium 1. Dec. lib. 6. ab ea, quæ suprà ibi, Tria enim sacella ex eo adduximus: post scilicet Iouem, Iunonem reginam, ac Mineruam ab eo inuocatos, subdit, Cæterísque dij deæque qui Capitolium arcémque tenetis. Et P. Victor in 8. regione vrbis tradit in Capitolio omnium deorum simulachra celebrari, ex quo hunc locum deprompsit Alexander.

c *Inter quæ ara Iouis Pistoris.*] Ouidius lib. 6. Fastorum;

Nomine quàm pretio celebratior arce Tonantis,
Discam Pistoris quid velit ara Iouis.
Cincta premebantur trucibus Capitolia Gallis,
Fecerat obsidio iam diuturna famem.

Et cætera quæ sequuntur. Hanc historiam post Ouidium sic describit Lactantius Firmianus lib. 1. c.20. Eodem tempore Ioui quoq; Pistori ara apposita est, quòd eos in quiete monuisset, vt ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, & in hostium castra iactarent, eóque facto soluta est obsidio, desperantibus Gallis inopia subijci posse Romanos.

d *Et Veneris Caluæ.*] Lactantius dicto lib.1.c.20. Iulius Capitolinus in Maximinis ad finem scribit, quòd tanta fide Aquileienses contra Maximinum pro Senatu fuerunt, vt funes de capillis mulierum facerent, cùm deessent nerui ad sagittas emittendas: quod aliquando Romæ dicitur factum. Vnde in honorem matronarum templum Veneri Caluæ Senatus decreuit. Veneris Caluæ meminit & D. Augustinus epist.44. ad Maximum Grammaticum. Bar. Marlianus Topographiæ vrbis Romæ lib. 2. c.6. Veneri Caluæ, inquit, fanum in Capitolio Romani constituere in honorem matronarum: quia capta vrbe à Gallis, deficientibus funibus, ex illarum capillis eas fecissent.

e *Quam sub tecto nominare.*] Idem L. Gyraldus Syntag. 13. nullo etiam authore laudato.

f *Ibique atrium publicum.*] Liuius 3. Dec. lib.4. Tacta de cœlo atrium publicum in Capitolio, ædem in campo Vulcani, &c.

† *Et Curiam Calabram.*] Hæc vsque ad versic. Ædémque. sunt Macrobij, lib. 1. Saturnal. cap.15. cuius hæc verba sunt, Itaq; sacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex, calata, id est, vocata in Capitolium plebe, iuxta Curiam Calabram, quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies à Calendis ad Nonas superessent, pronuntiabat: & quintanas quidem quinquies dicto verbo καλῶ, septimanas repetito septies prædicabat.

g *Ædémque Tonantis Iouis.*] Plinius lib.34. cap.8. & lib.36. cap.6. Suetonius in Augusto cap. 29. P. Victor in regione 8. vrbis Romæ.

h *Nouámque aliam Custodi Ioui,*] Suetonius in vita Domitiani c. 5. Tacitus lib.19. in Capitolij conflagratione, Domitianus prima irruptione apud æditumm occultatus, solertia liberti lineo amictu turbæ sacricolarū immixtus, ignoratus apud Cornelium primum paternū cliētem iuxta Velabrum delituit. Ac potiēte rerum patre, disiecto æditui cōtubernio modicum sacellum Ioui Conseruatori arámque posuit, casúsque suos in marmore expressit. Mox imperium adeptus, Ioui Custodi templum ingens, séque in sinu dei sacrauit.

i *Quæ Curia & Romuli casa.*] Vrgilius lib. Æneid.8.

Romuleoq; recens horrebat regia culmo.

Vbi Seruius, Curiam, inquit Calabram dicit, quam Romulus texerat culmis. ad quam calabatur, id est, vocabatur Senatus & populus à rege sacrificulo: vt quoniam adhuc fasti non essent, ludorum & sacrificiorum prænoscerent dies.

k *Hunc montem.*] Sabellicus Enneadis 4. lib. 1.

l *Quem Horatius Puluillus.*] Liuius 1. Dec. lib. 2. non adeò longè à principio, Plutarchus in Publicola.

m *Interiecto deinde.*] Corne. Tacitus lib.19. Arserat, inquit, & antè Capitolium ciuili bello, sed fraude priuata. Appianus Bellorum ciuilium lib. 1. Plutarchus in eodem Publicola de Capitolij consecratione loquēs, sic scribit. Primum à Tarquinio exædificatum, dedicauit Horatius: bellis autem ciuilibus igni consumptum est. At secundum instaurauit quidem Sylla, dedicationi autem Catulus inscriptus, Sylla morte intercepto.

n *Quod vnum suæ fœlicitati.*] Sunt verba Plinij libro 7. cap. 43.

o *Sed cùm rursus in Vitellij seditione.*] Conelius Tacitus lib. 19. in vita ipsius Vitellij, Vix (inquit) reuersus erat Martianus in Capitolium, quod velut arcem tutissimam insederant, cùm repentè milites Vitelliani furentes, nullo duce, ascendunt erecta acie in Capitolium: vbi exorto conflictu Flauiani Vitellianos obruebant tegulis saxísque, nec tamen sisti poterant scandentes Vitelliani. Tunc Capitolium clausis foribus indefensum & indireptum flagrauit. Ambigitur vtrum oppugnatores ignem tectis iniecerint, an obsessi, quæ crebior fama est, quo nitentes ac progressos depulerint.

Capitolinus in Vitellij seditione euersus. Capitolia item in aliis locis. Byrsa. Larissa. Acrocorinthus. Munychia. Cecropia. Pelasgicum. Cyathis. Amastris. Bibracte.

prætorianis à plebe, ciuili tabie esset euersus,[p] Vespasianus illum denuo restitnere aggressus, non perfecit, morte pronentus,[q] demum Domitiaous in imperio restitutum consecrauit.[r] Sed præter hoc fuit aliud Capitolium Capuæ, arx munitissima: [s] aliud Beneuenti: [t] sicut apud Carthagineoses Byrsa opus iouictum latè prospectans,[u] Æsculapio (vt ferunt) dicatum. quod erat Carthagioi instar Capitolij.[x] Et apud Argos arces duæ, [y] ex quibus Larissa egregiè munita.[z] Et Corinthi Acrocorinthus munitissimus vextex, [a] qui vrbi imminet: [b] atque Athenis Munychia [c] & Cecropia, cui vius nomen, locus natura magis quàm opere septus: [d] nam Pelasgicum (quæ Athenatum pars editior era) incolere oraculo moniti vetabantur. [e] Susis autem Mnemonium, [f] in Samo Cyathis [g] & Amastris, iuxta Paphlagoniam Sesamis pro arce fuit & muoimēto,[h] apud Heduos Bibracte, Brutiorum Triuertex,[i] Syracusis

ANNOTATIONES.

p *Vespasianus illum denuò restituere aggressus.*] Aurelius Victor in Domitiano, Suetonius in Vespasiano c.8.

q *Demum Domitianus*] Idem Aurelius ibi, & Sueton. in vita ipsius Domitiani cap.5. Plutima & amplissima opera incendio absumpta restituit, in queis erat & Capitolium, quod rursus arserat: sed omnio sub titulo tantùm suo, ac sine vlla pristini authoris memoria. Plutarchus in Publicola ad ea, quæ sup. ibi, Interiecto deinde adduximus, subiungit, Hoc autem rursus in Vitellij seditionibus euersum ac dirutum. Tertium Vespasianus, ea qua in cæteris fœlicitate vsus, de integro reficere aggressus, opus perfecit. Sed instructi deinde à se templi euersionem non vidit: sed tantò Syllæ fortuna præstitit, quòd illum mors ante consecrationem eripuit, hic ante desolationem decessit. Vnà enim cum Vespasiani interitu inflammatum Capitolium, incensúmque est. Hoc autem quartum à Domitiano perfectum, & consecratum est.

r *Sed præter hoc fuit aliud Capitolium Capuæ.*] Suetonius in Tiberio c.40. & in Caligula, scribit hoc Capitolium Idibus Martiis de cœlo tactum fuisse. De quo Silius lib. 11. scribens Campanos monstrasse Annibali loca Capuæ illustriora, sic ait,

— Monstrant Capitolia celsa,
Stellantesq́; docent campos, Cereremq́; benignam.

s *Aliud Beneuenti.*] Suetonius, aut quisquis is est, in lib. de claris Grammaticis. vbi de Orbilio loquitur, Statua Orbilij, inquit, Beneuenti ostenditur in Capitolio ad sinistrum latus marmoreo habitu sedentis ac palliati, appositis duobus scriniis.

t *Sicut apud Carthaginenses.*] Vitgilius lib. 1. Æneidos,

Mercatiq́; solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circundare terge.

Vbi seruius sic scribit, Carthago enim antea speciem habuit duplicis oppidi, quasi aliud alterum amplecteretur: cuius interior pars Byrsa, exterior Magalia. Huius rei testis est Corn. Nepos in eo libro, qui Vita illustrium inscribitur. Strabo lib.17. Appianus in Lybico post princip. huius appellationis rationem reddit. Et circa eiusdem libri medium ita inquit, Quæ ad meridiem spectant & ad mediterranea, vbi & Byrsa est supra collum triplici muro clauduntur. Paulus Orosius lib.4.cap. 22. Carthaginis situm describens, ait, Arx, cui Byrsæ nomen erat, paulò amplius, quàm duo millia passuum tenebat.

u *Æsculapio, vt ferunt, dicatum.*] Strabo lib. 17. In media, inquit. ferè vrbe arx fuit, quam Byrsam vocarunt. Supercilium satis erectum est circumcirra habitatum, in cuius vertice Æsculapij templum erat, quod Asdrubalis vxor capta vrbe secum concremauit.

x *Et apud Argos arces duæ.*] Liuius 4 Decad. lib. item 4. vbi tamen eas non nominat.

y *Ex quibus Larissa.*] Apud Strabonem lib. 9. & ipsum Liuium 4. Dec. lib.1. & Pausaniam lib.2. & 3. & Statium lib. 1. Thebaidos,

Donec ab Inachiis victa caligine tectis
Emicuit lucem deuexa in mœnia fundens
Larissæus apex.

Lactantius interpres ibi, Nos non debet, inquit, confundere, quòd & Thessaliæ ciuitas Laryssa dicitur: à qua & Laryssæus Achilles: hæc enim, quam nunc memorat Statius, arx est ciuitatis Argiuæ, quæ Laryssa dicitur.

z *Et Corinthi Acrocorinthus.*] Polybius lib. 2. & iterum 4. Liuius 4. Decad. lib. 3. Pomponius Mela lib. 2.c.3. Plinius lib. 4.c. item 4. Statius lib 7. Thebaidos,

Iam pronus Gradiuus equis Ephyrea premebat
Littora, quà summas caput Acrocorinthus in auras
Tollit, & alterna geminum mare protegit vmbra.

Plutarchus in Arato, Martianus Capella, vbi de tertio sinu Europæ loquitur.

a *Qui vrbi imminet.*] Videntur hic confestim subdenda esse quæ posteà 5. ab hinc linea scribuntur his verbis, Quam Acrocorinthum.

b *Atque Athenis Munychia.*] Thucydides lib.8. belli Peloponnesiaci. Strabo lib.9. Statius lib. 5. Syluarum in Epicedio ad patrem,

Quo non Munichiæ quicquam præstantius arces
Doctaq́; Cyrene, Spartéve animosa creauit.

Plutarchus in Solone, & in Demetrio, & Phocione.

c *Et Cecropia.*] Plinius lib.7.cap. 56. Oppidum, inquit, Cecrops à se appellauit Cecropiam, quæ nunc arx est Athenis. Fuit quoque Acropolis Athenarum arx, de qua Lactantius interpres Statij libr. 12. Thebaidos non multò ante fin. ibi,

Ipse quoque in pugnas vacuatur collis.

Sic scribit, Acropolim dicit arcem Athenarum, de qua Neptuno & Mineruæ dicitur fuisse certamen, percussa à Neptuno terra, equum dedit, indicium belli, Minerua verò oliuam, pacis insigne.

d *Nam Pelasgicum.*] Thucydides lib.2. Belli Peloponneasici non adeò longè à princ. Atheniensium ex agris in vrbem commigrationem scribens, sic inquit, Necnon Pelasgicum quod vocatur, summæ vrbi subiectum, quódque inhabitare nefas erat: prout & Pythici oraculi fine versus vetabatur, dicente,

— Satiúsque Pelasgicum otia seruet.

Strabo autem lib.9. scribit Pelasgicum portionem Athenarum ita dictum à Pelasgis. Pausanias lib. 1. tradit Pelasgos cinxisse muris Athenarum arcem, præter eam partem, quam Cimon, Miltiadis filius, extruxit.

e *Susis autem Mnemonium.*] Memnonium legēdum ex Strabone lib. 15. qui ita scribit, Susa enim à Titono condita dicuntur, Memnonis patre, ambitu 100. & 20. stadiorum figura oblonga, cuius arx Memnonium dicitur.

f *In Samo Cyathis.*] Liuius 4. Decad. lib. 8. Quattuor, inquit, menses obsidionem Samæi sustinuerunt: cùm ex paucis quotidie aliqui eorum caderent, aut vulnerarentur: & qui supererant, fessi & corporibus & animis essent, Romani nocte per arcem, quam Cyatidem vocant (nam vrbs in mare deuexa in occidentem vergit) muro superato in forum peruenerunt.

g *Et Amastris.*] Strabo lib. 12. in duobus locis, & Plinius lib. 6, c. 2.

h *Apud Heduos Bibracte.*] Strabo lib.4. Cæsar autem lib. 1. belli Gallici, & iterum lib.7. dicit id oppidum esse Heduorum longè maximum ac copiosissimum: &, vt dicit secundo illo loco, maximæ authoritatis.

i *Syracusis Acradina.*] Cicero in Syracusarum vrbis descriptione, act. in Verrem 5. de Acradina, sic scribit, Altera autem est vrbs Syracusis (cui nomen Acradina est) in qua forum

Acradina, [k] Messenæ autem Ithome. Quam Acrocorinthum Philippus si haberet, vtroque cornu bouem tenere [l] Demetrius dictauit: sicut Græciæ compedes, Corinthum, Chalcidem & Demetriadem, [m] idem Philippus appellauit. [n] Arx verò Thebana, Cadmæa dicebatur: [o] Ægypti regum Memphis, [p] Babyloniis Piera, Hierosolymis Mesade, [q] Massiliensibus Ephesium. [r] Palatinus verò mons Capitolio proximus, quin Arcades habeat authores, nemo dubitat, quem à Palantia vrbe Arcadiæ dictum autumant, ipsumque Aborigenes, & Reate profectos tenuisse: aut à balatu pecorum, seu Pale pastorū dea, vel à Palatia Latini vxore, siue ab Hyperborea Palantis filia, vel quòd ibi Pallas defunctus sit, nomen sortitum volunt. Constatq; prima fundamenta vrbis ibi iacta, [s] Romamq; quadratam Romulum fundasse, Palatinúmque, ne opportunus iniuriæ foret, muniuisse. [t] Postea ædem Victoriæ, [u] & templū Apollinis & Musarum, [x] quod magna mole construxit, cum bibliotheca græca latináque Augustum adddidisse: [y] ibíque sacellum deæ Viriplacæ, [z] ad quod vir & vxor dissidentes conuenire, & in gratiā æquissimis animis redire assuerant, [a] ac Febris phanum, [b] ædémque matris magnæ, [c] quæ Berecynthia dicta est, [d] ac templum Lunæ Noctilucæ, [e] delubrúmque Iunonis sospitæ haud longè pòst extructa fuisse.

Acradina. Ithome. Cadmea. Mēphis. Piera. Mesade. Ephesiū. Palatinus mons unde dictus. Victoria ædes. Apollinis. Musarū. Viriplaca. Febris. Matris magna. Iunonis sospita.

ANNOTATIONES.

forum maximum, pulcherrima porticus, ornatissimum Prytaneum, amplissima est curia, templúmque egregium Iouis Olympij. Diodorus Siculus lib. 11. Acradinam Syracusarum vrbis partem, ingenti muro munitam scribit. Acradinæ meminerunt Liuius 3. Dec. lib. 5. & Plutarchus in Timoleone, Dione & Marcello.

k *Messenæ autem Ithome.*] Strabo lib. 8. in duobus locis, & Plutarchus in Arato.

l *Demetrius.*] Scilicet Phalereus De quo idem Strabo dicto lib. 8. sic scribit, Quocirca Demetrius Palereus Philippo commodè dixisse visus est: Quin has, inquit, vt'oes ambas capessis, si adipiscendæ Peloponnesi cupiditate duceris? Vtroque enim cornu bouem continebis: cornua quidem Ithomem, atque Acrocorinthum: bouem verò Peloponnesum esse dictitans. Plutarchus in dd. locis eadem fermè refert.

m *Idem Philippus appellauit.*] Apud eundem Strabonem lib. 9. Polybium lib. 17. Liuium 4 Dec. lib. 2. Plutarchum in Arato.

n *Arx verò Thebana, Cadmæa dicebatur.*] Strabo eodē lib. 9. Paulus Æmylius, & Plutarchus vterque in Pelopida: & idem Plutarchus in Alexandro Magno, & in Agesilao, Diodorus Siculus lib. 17. c. 1. Pausanias lib. 3. & iterum lib. 9. Ammianus de gestis Alexandri, lib. 1.

o *Ægypti Regum Memphis.*] Strabo lib. 17. Diodorus Siculus lib. 2. c. 1.

p *Babyloniis Piera.*] Herodotus lib. 1. Clio, Crœsus, inquit, exercitu traiecto, venit in Cappadociæ locum, qui dicitur Prera, omnium eius regionis tutissimum, iuxta vrbem Sinopem, ferè ad pontum Euxinum. Plutarchus autem in Demetrio, scribit duas Babyloniis arces fuisse, quas non nominat.

q *Massiliensibus Ephesium.*] Adde autem superioribus Naoron arcem Ciliciæ apud L. Florum Epit. lib. 3. c. 6. in bello Piratico, & totius Græciæ arcem Peloponnesum Straboni lib. 8. non multò post princ. Byziam arcem Regum Thraciæ, à Terei nefasto crimine hirundinibus inuisam, dicit Plinius lib. 4. c. 11. Tirynthe Lycimnam, ab ædificatore Lycimno dictam, Strabo dicto lib. 8. Et Geram Chalcidēsium Diodorus Siculus lib. 16. c. 12. Et Iampharniam caput arcémque Medicæ Liuius 3. Dec. lib. 6. Pergama & Ilion Troiæ. Seruius lib. 2. Æneidos, ibi,

— Et prolapsa videntem
Pergama. —

Et de Pergamo est illud Homeri lib. 6. Iliados ad fi.

ὣς υἱὸς Πριάμοιο Πάρις κατὰ Περγάμου ἄκρης
τεύχεσι παμφαίνων, ὥς τ' ἠλέκτωρ ἐβεβήκει.

Id est,

Sic filius Priami Paris à Pergami arce
Armis vndique fulgens tanquam sol pergebat.

Salmacidam Halicarnassi Arrianus gestorum Alexandri lib. 1. Ortham Phalamæorum Strabo lib. 9. Iolysi vici arx est Chrysoma Strabo lib. 14. Et Lissi Acrolissum Polybius libr. 8.

r *Palatinus verò mons.*] Hæc sunt Varronis lib. 1. aut aliorum computatione lib. 4. linguæ Latinæ. & Virgilij lib. 8. Æneidos his versibus,

Arcades his oris, genus à Pallante profectum.
Qui regem Euandrum comites, qui signa secuti
Delegere locum, & posuere in montibus vrbem
Pallantis proaui de nomine Pallanteum.

Et Seruij ibi, & Liuij 1. Dec. lib. 1.

s *Romámque quadratam.*] Ennius,

Et quis tum curat Roma regnare quadrata.

Cato in Originibus, Plutarchus in Romulo. vbi nuncuparim dicit illam condidisse vrbem in eo loco, quem ῥώμης τετράγωνον vocabant. Dionysius Halicarnasseos non longè à fi. lib. 1. Solinus cap. 2. P. Victor in 10. regione vrbis. Festus Pompeius lib. 15. vbi illud Ennij citat.

t *Postea ædem Victoriæ*] Liuius 3. Decad. lib. 2. Victoriam, aiunt, ominéque accipere: sedémque ei diuæ dare, dicare Capitolium, templum Iouis Opt. Maximi in ea arce vrbis Romæ sacratam, volentem propitiámque, firmam & stabilem fore populo Romano. Et iterum lib. 9. Eæ per manus succedentes deinceps aliæ aliis, omni effusa ciuitate obuiam, thuribulis ante ianuas positis, quà præferebatur, atque accenso thure, precantibus, vt volens propitiáque vrbem Romam iniret, in ædem Victoriæ, quæ est in palatio: pertulere deam pridie Idus Aprilis, isque dies festus fuit.

u *Et templum Apollinis.*] Vide infrà ibi, Quod magna mole constructum.

x *Quod magna mole constructum.*] Intellige de templo Apollinis ex Suetonio in Augusto, c. 29. In æde Apollinis (quæ in Palatio erat, vt scribit Victor in 10. vrbis regione) lychni pendebant instar arboris mala ferentis.

y *Ibique sacellum deæ Viriplacæ.*] Idem P. Victor in 10. vrbis regione.

z *Ad quod vir & vxor dissidentes.*] Valerius Maximus lib. 2. c. 1. Quoties, inquit, inter virum & vxorem aliquid iurgij intercesserat, in sacellum deæ Viriplacæ, quod est in Palatio, veniebant: & ibi inuicem loquuti, quæ voluerāt, contentione animorum deposita, concordes reuertebantur. Et vide nostras leges Connubiales.

a *Ac Febris phanum.*] Cicero lib. 3. de Natura deorum, Plinius lib. 2. cap. 7. Ælianus de Varia historia, lib. 12. Valerius Maximus lib. 2. c. 1. vbi de Veneratione Febris P. Victor in 10. regione vrbis.

b *Ædémque Matris magnæ.*] Idem P. Victor ibi.

c *Quæ Berecynthia dicta est.*] Vt dictum est suprà eodem lib. cap. 4.

d *Ac templum Lunæ Noctilucæ.*] Varro libr. 1. aut aliorum computatione 4. linguæ Latinæ, Luna, inquit, quòd sola lucet noctu. itaque ea dicta Noctiluca in Palatio: nam ibi noctu lucet templum.

e *Delubrúmque Iunonis Sospitæ.*] P. Victor in 10. regione, scribit, Iunonis Sospitæ delubrum ædi Matris deum fuisse conterminum.

Vesta lucus. Lupercal. Domus in Palatino. Iouis statoris templum. * Semoni Sano. Auentinus mons vnde appellatus. Templa & ara in Auentino.

[f] Etam lucus Vestæ à Palatij radice, ad nouam vsque viam deuexus fuit: [g] & Lupercal, vbi Romulus & Remus aliti feruntur & educati. Regionémque Palatij [h] ad capita bubula multos inibi nominasse, vbi postea sacrarium fuit. [i] Hincque regioni Germalia, ac Sacriporium, & domũ Scauri spectare, quam Clodius mercatus fuerat, & ad Sacram vsque viam portendi Varro significat. Ibi quoque præclara domus Cn. Octauij, qui ex ea familia cõsul fuit primus: [k] Crassiq; oratoris, [l] Q. Catuli, atque C. Aquilij, & Lepidi. [m] Templum quoque Iouis Statoris in Palatij radice cõstructum à Romulo, quo tempore inter Romanos & Sabinos pugnatũ est, multi asseuerant. [n] Ibique Ciceronis domus, [o] quæ iussu Clodij demolita, in porticum Libertatis trãslata fuit, fuisse fertur: [p] cui postea & [q] Valerio Mximo ædes impẽsã publicę ædificatas ferunt. [r] Ac Vitrubij Vacci, qui author defectionis fuerat: quas dirutas vnà cum bonis * Semoni sango consecratas, T. Liuius author est. [s] De Auentino autem, quòd ibi rex Albanorum seu Aboriginum Auentinus, prælio fusus & sepultus, monti nomen dederit: vel ab aduectu, quòd commune omnium Latinorum Dianæ templum ibi erat, ad quod finitimi frequentes ventitabant: siue ab aduectu, quod olim paludibus disclusus mons erat, ratibúsque aduecti illuc cõmeabant: an ab Auente amne Sabinorum, qui loca tenuere (vt Varro significat) dictus sit, incerta opinio est. [t] Qui quidem collis medicè altus, duodecim fere stadiorum ambitu esse ferebatur. [u] In quo præter Dianæ templum, [x] vbi boum cornua suspẽdebant, [y] Lauretum, [z] atque Iunonis reginæ, [a] & Mineruę tẽpla fuere. [b] Ibíque

ANNOTATIONES.

f *Etam lucus Vesta.*] Marlianus Topographiæ vrbis Rom. lib. 2. c. 12. Cicero de Diuinatione, lib. 1. Exaudita vox est à luco Vestæ, cui à Palatij radice in oouam viam deuexus est, vt muri & portæ reficerentur.

g *Et Lupercal.*] Virgil. lib. 8. Æneidos,

— Et gelida monstrat sub rupe Lupercal.

Et ibi Seruius P. Victor in 10. regione. Pomponius Lætus de Antiquitatibus vrbis Romæ.

h *Ad capita bubula.*] Suetonius in Augusto, c. 5. Natus est Augustus, inquit, Marco Tul. Cicerone & Antonio Consul. lib. 9. Calend. Octobris, paulò ante solis exortum, regione Palatij, ad capita bubula, vbi nunc sacrarium habetur, aliquanto pòst, quàm excessit, constitutum.

i *Huicq; regioni Germalia ac Sacriportum.*] De his duobus Varro libr. 4. de ling. Latina, & de Sacriporto Lucanus libr. 2.

Iam quot apud Sacri cecidere cadauera portum?

Et Florus Epitome Liuij lib. 87.

k *Crassiq; oratoris.*] Plinius lib. 17. c. 1. post princ. P. Victor in 5. vrbis regione.

l *Q. Catuli, atque Q. Aquilij.*] Plinius & P. Victor iisdem locis, & præterea ipse Victor in 10. vrbis reg.

m *Templum quoque Iouis Statoris.*] Ouidius lib. 6. Fastorum ad fin.

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.

Et Liuius 1. Decad. lib. 1. Plutarchus in vita Ciceroois, & P. Victor in 10. regione vrbis.

n *Ibíque Ciceronis domus.*] Plutar. & Victor vbi suprà. Et adde etiam Tarqoinij Prisci ex Liuio 1. Dec. lib. 1.

o *Quæ iussu Clodij demolita.*] Plutarchus vbi suprà, Cæterùm, inquit, Clodius, eiecto Cicerone, incendio tradit eius villas, incendio dat eius domum, ibíque Libertatis templum erigit.

p *Cui posteà.*] Cicero in Oratione contra L. Pisonem, Me consequentibus, inquit, diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quã expilaras, quam incenderas, Pontifices, Consules, Prætores collocarunt, mihique, quod ante me oemini, pecunia publica ædificandam domum censuerunt, & ibi Asconius Pædianus interpres doctissimus, & Plutarchus ad hæc, quæ suprà ex eo adduximus, subiungit, Decreuit Senatus omnes ciuitates, quæ Cicero in exilio fouissent, ornare laudibus, domúmque ac villas, quas Clodius combussesat, ære publico reparari.

q *Et Valerio Maximo.*] Asconius vbi suprà, sic scribit, Valerio Maximo, vt Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publicè ædificata est in Palatio: cuius exitus, quò magis insignis esset, in publicum versus declinaretur: hoc est extra priuatum aperiretur.

r *Ac Vitrubij.*] Imò Vitruuij ex Liuio, qui id refert 1. Dec. libr. 8. Sic etenim scribit, Eodem anno Priuernas bellum initum: cuius socij Fundani, dux etiam Fundanus fuit. Vitruuius Vaccus, vir non domi solùm, sed etiam Romæ clarus, ædes fuere in Palatio eius, quæ Vacci prata diruto ædificio, publicatóque solo appellata. Et nonnullis interiectis, Vitruuiũ in carcerem Senatus asseruari iussit, quoad Consul redisset, tum verberatum necari: ædes eius, quæ essent in Palatio, diruendas, bona Semoni Sango censuerunt consecranda: quódque æris ex eis redactum est, ex eo ænei orbes facti, positi in sacello Sangi versus ædem Quirini. Vide Cælium Lect. antiq. lib. 2. c. 3.

s *De Auentino autem.*] Hîc vide Varrooem lib. 1. aut aliorum computatione 4. Liuium 1. Dec. lib. 1. & omnino Seruium lib. 7. Æn. in eum locum,

Pulcher Auentinus.

Festum Pompeium lib. 1. Et id quod de Dianæ templo hîc dicit, est ipsius Liuij 1. Dec lib. 1. in Seruio Tullio, & Festi Pompeij lib. 3. & ante hos Dionysij Halicarnassei lib. 3. vbi id tribuit Anco Martio. Et vide Plutarc. Probl. c. 4. Propertius lib. 4. eleg. 9.

Phyllis, Auentinæ, quædam est: vicina Dianæ,
Sobria grata parum, cum bibit omne decet.

Martialis lib. 6. eleg. 9.

Laudat Auentinæ vicinus Sura Dianæ.

Auentinensem verò vocat Val. Maximus, Quisquis, inquit, Auentinẽsi deæ immolasset, &c. Huc quoque spectat illud, *Quæque Auentinum tenet Algidumq; quindecim Diana preces virorum curet.*

t *Qui quidem collis.*] Dionysius Halicarnasseus lib. 3. scribit, Ancum, collem hunc modicè editum: & in orbem stadia fermè 18. complectentem, muro cinxisse. & lib. 10. sic scribit, Collis Auentinus est 12. fermè stadiorum ambitu comprehensus mœoibus, qui non tum totus habitabatur, sed nemorosus erat & publicus.

u *In quo præter Dianæ templum.*] P. Vict. in 13. reg. Bart. Marlia. lib. 4. Vrbis Romæ Topo. c. 3. 4. 5.

x *Vbi boum cornua suspendebant.*] Plutarchus probl. c. 4. huius rei rationem reddit.

y *Lauretum.*] P. Vict. in 13. regione, quæ de Auentino est, scribit fuisse Vicum Loreti (ita enim ibi scribitur) maioris, vbi erat Vortumnus. In Auentino) vt scribit Marlianus d. lib. 4. c. 5.) sita erat Laurentum sylua Ioui sacra, in qua Valentinianus 11. Constantini & Gallæ Placidæ filius fuit interfectus. Et Titum Tatium regem sepultum fuisse, scribit Sex. Pompeius.

z *Atque Iunonis Reginæ.*] Liuius 1. Decad. lib. 5. & 5. lib. 5. post princ. & iterum lib. 7. Plutarchus in Camillo. & Victor vbi suprà.

a *Et Mineruæ.*] P. Victor in eodem loco. Marlianus d. lib. cap. 5.

b *Ibíque ædes Bonæ deæ.*] P. Victor ibi. Marlianus d. libr. 4. cap. 3. scribit ædem Diuæ Mariæ, cognomento Auentinæ,

esse

ædes Bonæ deæ, [c] & Libertatis, [d] quam ex mulctatitia pecunia Gracchus faciendam locauit. [e] Forimque pistorium, [f] & scalæ Gemoniæ, [g] ex quibus damnati dabantur præcipites: [h] atáque Ioui Elicio, ad eliciendos fulgurum monitus, à Tullo Hostilio dicata: [i] ac ædes Lunæ, [k] Remoniúmque, quem locum Remus ad inaugurandum templa cepit, & [l] Armilustrum, vbi Tatius Romulo consors regni, sepultus erat: [m] atque ara Veneris Myrteæ, quam Murtiam vocant, fuisse traduntur. [n] Illud planè constat, primos Latinos, capta vrbe Politorio ab Anco Martio, Auentinum incoluisse. [o] Procedente mox tempore, cautum fuisse, vt in Saturnalibus ad illum frequentes Romani commearent. [p] Quódque ex septem vrbis collibus, quum cæteri intra pomœrium sint, solus ab vrbe disclusus, intra mœnia longo tempore admissus non fuit: siue quòd plebs eò secessisset, siue quòd Remo auspicante, illic non aues addixissent, velut ominosum, extra pomœrium fuisse. [q] Cælius verò à Cœlio * Iubenno Hetrusco, qui cum non parua manu Romulo contra Latinos ducenti suppetias tolit, quòd ibi locum & sedem habuere, dictus cognominatúsque est, [r] cui quondam Querculano nomẽ, quòd multiplici quercu

*Latini Auentinum primi incoluerunt. Auentinus diu extra vrbem. Cælius collis vnde dictus. * Vibēno. Querculanus.*

ANNOTATIONES.

esse in ea parte montis Auentini, quæ planiciem respicit, vbi olim fuit Bonæ deæ templum.

c *Et Libertatis.*] Idem P. Victor ibi, & Festus Pompeius lib. 10 & Marlianus d. lib. c. 3.

d *Quam ex mulctatitia pecunia Gracchus.*] Liuius 3. Dec. lib. 4. post princ.

e *Foriúnque Pistorium.*] Victor d. 13. regione.

f *Et Scalæ Gemoniæ.*] Idem Victor in eodem loco.

g *Ex quibus damnati dabantur præcipites.*] Suetonius in Tiberio, cap. 75. & in Vitellio, cap. 17. & diximus suprà lib. 3. cap. 5.

h *Aráque Ioui Elicio.*] Ouidius Fastorum lib. 3.

Elicium cælo te Iuppiter: vnde minores
Te celebrant, Eliciumq́, vocant.

Liuius 1. Decad. lib. 1. vbi tamen non Tullium Hostilium, sed Numam eam dicasse scribit. Plinius lib. 2. cap. 53. vbi de fulminibus euocandis agit, lucósque & aras & sacra habemus, intérque Statores & Tonantes & Feretrios, Elicium quoque accepimus Iouem.

i *Ac ædes Lunæ.*] Ouidius lib. 3. Fastorum in fi.

Luna regit menses, huius quoque tempora mensis
Finit, Auentino Luna colenda iugo.

Liuius 4. Decad. lib. 10. post princ. Atrox cum vento tempestas signa ænea in Capitolio deiecit: forem ex æde Lunæ, quæ in Auentino est, raptam tulit. P. Victor in d. 13. regione.

k *Remoniúmque.*] Remoriam (Festus Pompeius libr. 16. scribit) locus est in summo Auentino, vbi Remus de vrbe condenda fuerat auspicatus. Remorium vocat P. Victor vbi suprà. Dionysius Halicarnasseus lib. 1. Remurium vocat.

l *Et Armilustrum.*] Plutarchus in Romulo scribit, Armilustrum locum esse in Auentino vbi Romulus T. Tatium (is pari potestate cum Romulo regnabat, vt scribit Dionysius lib. 2.) sepeliuit. Varro linguæ Latinæ, lib. 4. Armilustrum, inquit, ab ambitu lustri locus: item Circus maximus quòd circum spectaculis ædificatus, vbi ludi fiunt, & quòd ibi circum metas fertur pompa & equi currunt. & infrà lib. 5. Armilustrium ab eo quòd in Armilustrio armati sacra faciũt: nisi locus potius dictus ab eis, sed quòd de eis priua, id ab luendo, aut lustro, id est, quod circumibant ludentes ancilibus armati. Festus verò Pompeius Armilustrum, inquit, festum erat apud Romanos, quo res diuinas armati faciebãt, ac dum sacrificarent tubis canebãt. Romani enim arma priuatim habebant, sed ad expediotiones bellicas ex Armilustro accipiebant, eóque referebant bellis confectis. Hinc Spartianus dicit, Vespasianum ex Armilustro arma legionibus permisisse.

m *Atque ara Veneris Myrteæ, quam Murtiam vocant.*] Plinius lib. 15. cap. 29. Quin & ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant. Festus Pompeius lib. 11. Murcæ deæ sacellum erat sub monte Auentino, qui antè Murcus vocabatur. Ex quibus duobus locis Alexander totam hanc orationem confecit. Ante hos Liuius 1. Decad. lib. 1. sub regno Anci Martij, Tum quoque multis millibus Latinorum in ciuitatem acceptis: quibus, vt iungeretur Palatio Auentinum ad Murtiæ datæ sedes. Marlianus lib. 4. c. 5. P. autem Victor ædem Murtiæ in 11. regione collocauit. Plutarchus in problematis c. 75. Quam modò Murciam Venerem, olim Myrteam vocabant.

n *Illud planè constat.*] Liuius 1. Dec. lib. 1. in Anco Martio, Ancus demandata cura flaminibus, sacerdotibúsque aliis, exercitu nouo conscripto profectus Politorium, vrbem Latinorum, vi cepit: secutúsque morem regum priorum, qui rem Romanam auxerant, hostibus in ciuitatem accipiẽdis, multitudinem omnem Romam traduxit. Et cum circa Palatium sedem veteres Romani, Sabini Capitoliũ & arcem, Cœlium montem Albani implessent; Auentinum nouæ multitudini datum. Vide Marlianum lib. 1. c. 4.

o *Procedente mox tempore.*] Gellius lib. 13. c. 14.

p *Quodq́, ex septem vrbis collibus.*] Hæc vsque ad versic. Cælius verò, sunt Senecæ in lib. de breuitate vitæ, cuius hæc verba sunt, Hoc scire magis prodest, quàm Auentinũ montem extra Promœrium esse, propter alteram ex duabus caussis: aut quòd plebs eò secessisset: aut quòd Remo auspicante, illo loco aues non addixissent.

q *Cælius verò à Cælio Iubenno.*] Varro lib. 1. aut aliorum computatione 4. de lingua Latina, sic scribit, In Saburanæ regionis parte Princeps est Cælius mons à Cœlio Vibenno Tusco Duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum Regem. Hi post Cœlij obitum, quòd nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum, ab eis dictus vicus Tuscus: & ideo ibi Vortumnum stare, quòd is Deus Etruriæ. Principes, qui à suspicione liberi erãt, traductos volunt in eum locum, qui vocatur Cœliolus. Festus Pompeius lib. 3. Cælius mons dictus est à Cœle quodam ex Etruria, qui Romulo auxilium aduersus Sabinos præbuit, eo quòd in eo domicilium habuit. Ouidius lib. 3. Fastorum,

Cælius ex alto qua mons descendit in æquum,
Hic vbi non plana est, sed propè plana via est,
Parua licet videas capta delubra Mineruæ,
Quæ dea natali cœpit habere suo.

Cornelius Tacitus lib. 4. Vide Seruium in lib. 6. Æneidos Virgilij, ibi,

Septem quæ vna sibi muro circundedit vrbes.

r *Cui quondam Querculano.*] Querquetulanum vocat Tacitus vbi suprà: sic enim scribit, Haud fuerit absurdum tradere montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quòd talis syluæ frequens fœcundúsque erat: mox Cælium appellitatum à Cæle Vibenna, qui Dux Gentis Etruscæ cùm auxilium appellitauisset, sedem eam acceperat à Tarquinio Prisco, seu quem alius Regum dedit: nam scriptores in eo dissentiunt. Cætera non ambigua sunt magnas eas copias per plana etiam, ac foro propinqua habitauisse, vnde Tuscum vicum è vocabulo aduenarum dictum. Hactenus Tacitus. Festus Pompeius ait, Nymphas Querquetulanas appellatas, præsidentes Querqueto, quod genus syluæ erat intra portam, quæ ab eo dicta sit Querquetulana.

septus muniretur. [f] Quum verò Tullus Hostilius, Alba diruta, Albanos Romam traduxisset, Cœlium vrbi addit quoque frequentius incoleretur, ibi sumpsit regiam, ex quo ad plana vrbis leni cliuo, & propè æquus descensus erat. [t] In eo templum diui Claudij à Nerone demolitum, postea à Vespasiano instauratum, magna mole constructum erat: ibíque [u] Mamurræ domus, [x] & Tetricorum ædes, [y] Fauni, [z] Veneris & Cupidinis templa fuere, [a] & Carnæ deæ sacellum, [b] quæ vitalia fouere dicebatur. [c] Campúsque Martialis, in quo siquando Tiberis superfusus campum Martium inundaret, Equitia fiebant. In eo quoque duo aquæductus, [d] alter Claudij in Palatium, [e] Caracallæ alter in Capitolium hodie visuntur. Constat enim, Romæ aquarum multiplices ductus fuisse temporibus varijs: [f] nam præter Appiam, [g] Cæruleam & Curtiam, [h] fuit Anio vetus, [i] Martia, [k] Tepula, Iulia, [l] Virgo,

Templa, domus, & sacella in Cœlio. Aquæductus Romæ diuersi.

ANNOTATIONES.

s *Cùm verò Tullus Hostilius*] Liuius 1. Dec. lib. 1. Roma interim crescit Albæ ruinis, duplicatur ciuium numerus, Cœlius additur vrbi mons: & quo frequétibus habitaretur, eandem sedem Tullus regiæ capit, ibique deinde habitauit.

t *In eo templum Diui Claudij.*] Suetonius Tranquillus in Vespasiano, c. 9. Fecit, inquit, & noua opera, templum Pacis foro proximum, Diuique Claudij in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed à Nerone propè funditus destructum.

u *Ibiq; Mamurra domus.*] Plinius lib. 36. c. 6. sic ait, Primùm Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cœlio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæsaris in Gallia.

x *Et Tetricorum ædes.*] Trebellius Pollio io vita Tetrici Iunioris, triginta illorum tyrannorum 23. Tetricorum domus, inquit, hodiéque extat in monte Cælio inter duos lucos contra Isium Metellinum pulcherrima, in qua Aurelianus pictus est, vtrique prætextam tribuens Senatoriam dignitatem, accipiens ab his sceptrum, coronam ciuicam picturatam de musæo.

y *Fauni.*] Marlianus Topographiæ vrbis Romæ lib. 4. c. 9. de Cælio monte, curia hostilia, & mansionibus Albanorum agens, In proximo est, inquit, templum circulari forma, multis per ambitum columnis adornatum, D. Stephano nunc sacratum: olim verò Fauno, vt ex titulo quodam ibi reperto omnes consentiunt. Fuit & aliud huius templum in insula Tiberina ex Ouid. lib. 2. Fastor.

Idibus agrestis fument altaria Fauni,
Hic, vbi discretas insula rumpit aquas.

z *Veneris & Cupidinis.*] Marlianus paulò post ea quæ nuper adduximus, scribit in hunc modum, Sesoriani palatium inter portam Næuiam & ædem núc sanctæ Crucis in Hiero. olim Veneris & Cupidinis.

a *Et Carna deæ sacellum.*] Macrobius Satur. lib. 1. c. 12. Nisi authoritate in commentariis Fastorum sic tradit, Brutus, qui primus Romæ Consul factus est, pulso Tarquinio, sacrum Carnæ deæ in Cælio monte voti reus fecit Et de hac iam diximus suprà lib. 2. c. 12.

b *Quæ vitalia fouere dicebatur.*] Macrobius vbi suprà subdit, Hanc deam vitalibus humanis præesse credunt. Ab ea denique petitur, vt iecinora & corda, quæque sunt intrinsecus viscera, salua conseruet. Et quia cordia beneficio, cuius dissimulatione Brutus habebatur idoneus emendationi publici status extitit. Hanc deam, quæ vitalibus præest, templo sacrauit.

c *Campúsque Martialis.*] Varro lib. 2. aut aliorum computatione 5. & Festus Pompeius lib. 11. Martialis, ait, campus in Cælio monte dicitur, quòd in eo Equiria solebant fieri, si quando aquæ Tiberis Martium occupassent. Ex quo intelligis fuisse diuersos campos Martialem & Martium. Et hunc quoque P. Victor collocat in 2. vrbis regione, quæ est Cælimontium.

d *Alter Claudij in Palatium.*] Videndus Front. de Aquæductibus.

e *Caracalla alter in Capitolium.*] Videndus quoque est idem Frontinus, in eodem libro de Aquæductibus.

f *Nam præter Appiam.*] De qua Liuius 1. Decad. lib. 9. Plinius lib. 36. cap. 15. P. Victor in libro, de Vrbis Romæ regionibus & locis paulò ante fin.

g *Cæruleam & Curtiam.*] Suetonius in Claudio c. 20. Claudiæ aquæ gelidos & vberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio, & Albudino nomen est, simúlque riuum Anienis nouo lapideo opere in vrbem perduxit, diuisitque in plurimos & ornatissimos lacus. Frontinus lib. 1. de Aquæductibus, sic inquit, Caligula duos ductus inchoauit, quos Claudius consummauit, alteri, quod ex fontibus Cæruleo & Curtio perducebatur, Claudiæ datum est nomen. Alter Anio nouus appellari cœperat. Plinius vbi suprà proximè, Vicit, inquit, antecedentes aquarum ductus nouissimum impédiũ operis inchoati à C. Cæsare, & peracti à Claudio. Quippe à lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, vt in omnes vrbis montes leuarentur, influxere Curtius & Cæruleus fontes. Erogatum in id opus sestertium ter millies. P. Victor vbi supra. Vide Marlianum lib. 5. c. 26.

h *Fuit Anio vetus.*] Pliniusd. lib. 36. c. 15. Frontibus lib. 1. de Aquæduc. M. Curius Dentatus, ait, qui Censuram cum L. Papirio Cursore gessit, Anienis, qui nunc dicitur Vetus, aquam perducendam in vrbem ex manubiis de Pyrrho captis curauit Sp. Caruilio, L. Papirio Coss.

i *Martia.*] Plinius lib. 31. c. 3. eam Marciam vocat, Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma præconio vrbis, Marcia est inter reliqua deûm munere vrbi tributa. Vocabatur hæc quondam Aufeia, fons autem ipse Picania. Oritur in vltimis montibus Pelignorum, transit Marsos & Fucinum lacum, Romam non dubiè petens. Mox specu Mersa, in Tiburtina se aperit 9. M. p. fornicibus structis perducta. Martialis lib. 6. epig. 42. de Hetrusci thermis loquens,

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, Martiáve mergi,
Quæ tam candida, tam serena lucet,
Vt multas tibi suspiceris vndas,
Et credas vaciam nitere Lygdon.

Et P. Victor vbi suprà.

k *Tepula Iulia.*] Plinius lib. 36. c. 15. Victor vbi suprà. Frontinus lib. 1. de Aquæduct. & Marlianus d. lib. 4. c. 17.

l *Virgo.*] M. Agrippa Virginem aquam adduxit (vt scribit Plinius lib. 31. c. 3.) ab octaui lapidis diuerticulo 11. millia passuum, Prænestina via. Iuxta est Herculaneus riuus, quem refugiens virginis nomen obtinuit. Horum omnium comparatione differentia supradicta deprehenditur, cùm quantum Virgo tactu, tantum præstet Marcia haustu. Martialis vbi nuper citauimus. Iulius Frontinus lib. 1. de Aquæductibus aliam huius nominis rationem reddens, ita scribit, Idem Agrippa cùm iam tertiùm Coss. fuisset, C. Sentio & Sp. Lucretio Consul. post annum decimumtertium, quàm Iuliam deduxerat, Virginem in agro quoque Lucullano collectam, Romam perduxit. Virgo appellata est, quòd quærentibus aquam militibus, puella virguncula quasdam venas monstrauit, quas secuti qui foderant, ingentem aquæ modum inuenerunt. Ædicula fonti apposita, hãc virginem pictura ostendit. Cassiodorus libr. Variarum 7. epist. incip. Quamuis Romulus. vbi dicit hanc appellari Virginem, quòd nullis sordibus polluatur. Cùm enim aliæ pluuiarum nimietate terrena commixtione violentur, hæc aërem perpetuò serenum purissimè labẽs vnda mentitur. Sunt

enim

m Alsietina quæ Augusta, o Claudia,& u Anio nouus,quæ in vrbem influunt: inter quas Martia præcipuo nitore fluit, ex p Fucino lacu defluens, q quam P. & Quintius Martij Romam primi deduxere. r Cærulea verò & Curtia à C.Cæsare & Claudio magno impendio,& substructionibus maximis,à quadragesimo lapide ad vrbem ductæ fuere. s Inter quas Claudia ex Cælio monte in Auentinum perenni manabat fonte:cuius aquæductus duos t Caligula innouauit,qui ex fontibus Cæruleo & Curtio deducti,pro eo quòd illos Claudius nouo lapideo opere absoluisset,Claudiæ dictæ sunt aquæ. Alter verò u Anio nouus,in plurimos & vberes lacus diuisus fuit. x Reliquæ à conditoribus, aut à locis denominantur, quarum hodie ductus sumptuosissimi operis licet inspicere, partim extantes,partim collapsos & deformatos.Hunc montem y(authore Tranquillo)quum multæ insulæ in eo deflagrassent, Tiberius Cæsar precio exhibito restituit, quem propterea Augustum ex suo nomine nuncupauit. z Exquilias autem Seruius Tullius auxit:& vt loco dignitas fieret,regiam ibi sumpsit: a quas quòd excultæ ab eo potissimè fuerint,Exquilias nuncupauit: b tametsi ab excubiis regiis dictas nonnulli credant: c antea enim quòd sexticeps erat,Cespius nomen tulit. Hic ex vrbis collibus solus duplici iugo & aggere munitur,quum reliqui singulis contenti sint:ex quibus alter Cespius nuncupatur,alter Oppius:qui & lacum Fugulatem, hortos Mecœnatis, & Larium, & Querculanum, sacellúmque & lucum Martis

Claudia aqua.

Exquiliæ.

Exquiliarum duo aggeres.

ANNOTATIONES.

enim hæc propria eius verba. Et P. Victor vbi suprà.

m *Alsietina.*] P. Victor in eodem loco, vbi ita scribit, Helsia siue Halsientena, quæ Augusta. Frontinus vbi suprà ita scribit, Augustus in suplementum Martiæ, quoties siccitates egerent auxilio, aliam aquam, eiusdem bonitatis, opere subterraneo, perduxit vsque ad Martium riuum,quæ ab inuentore appellatur Augusta. Et paulò antè,Quæ ratio mouerit Augustum prouidentissimum Principem, producendi Alsietinam aquam, quæ vocatur Augusta, non satis perspicio, nullius gratiæ, imò & parum salubrem,& nusquam in vsus populi fluentem, nisi fortè cùm opus Naumachiæ aggrederetur,ne quid salubrioribus aquis detraheret,hanc proprio opere perduxit: & quod Naumachiæ cœperat superesse, hortis subiacentibus, & priuatorum vsibus ad irrigandum concessit.

n *Claudia.*] P. Victor ibi. Cassiodorus vbi suprà,Claudiam, inquit, per totam fastigij molem sic ad Auentini caput esse perductam, vt cùm ibi ex alto ceciderit, cacumen illud excelsum,quasi imam vallem irrigare videatur. Ægyptius Nilus, certis temporibus crescens,per campos iacentes,superducto diluuio, aëre sereno turbulentus exæstuat. Sed quanto pulchrius Claudiam Romanam per tot siccas montium summitates lauacris ac domibus liquores purissimos fistularum vberibus emisisse? & ita æqualiter fluere, vt nunquam se possit desiderata subducere? Ille enim dum recedit,limus est: dum venit insperatè, diluuium.Quis ergo famosum Nilum vrbis nostræ fluminibus non æstimet esse superatum? Quando ille incolas suos,aut veniendo terret,aut recedendo testituit. Hactenus Cassiodorus.

o *Et Anio nouus.*] Frontinus lib. 1. de Aquæductibus.Quoniam, inquit, duæ Anienis aquæ in vrbem fluere cœperant, vt facilius appellationibus dignoscerentur, Anio nouus vocari cœpit: & quod illas omnes præcesserat prior Anio, cognomen ei veteris est adiectum. De hoc autem ait Ouidius lib. 4. Metamorph.

Quas Anienis aqua, cursúque breuissimus almo.

Et Plinius l.8.epist.17.illum dicit delicatissimum amnium.

p *Ex Fucino lacu.*] Vt tradit Strabo lib. 5. De Fucino lacu Martiæ aquæ fontes emanare scriptis mandatum est, quæ rigationes Romæ propinant, quæque reliquas super aquas probentur.

q *Quam P.& Quintius Martij.*] Plinius lib. 31.c.3.de Aqua Martis loquens ad ea,quæ citauimus ibi, Virgo. addit,Primus eam in vrbem ducere auspicatus est Ancus Martius, vnus è regibus: posteà Q Martius Rex in pretura. Rursúsque restituit M. Agrippa. Plutarchus in vita Coriolani in princ. Frontinus lib. 1.c.2.tradit eam Traiano in Auentinum deductam fuisse.

r *Cærulea verò & Curtia.*] Plinius lib.36.c. 15.quem citauimus suprà in verbo, Fuit Anio vetus.

s *Inter quas Claudia.*] Idem l.2.c.2. scribit solam Claudiam à Cælio in Auentinum vsque per arcus Neronianos perduci.

t *Caligula.*] Suetonius in vita illius, Plinius, Frontinus & alij vbi suprà.Et hinc,vt opinor, hæc aqua Caiana dicta est Cornelio Tacito lib.18.quod scilicet ipse C.Caligula eam inchoauerat. Nam & sic Caianam necem.vocauit Suetonius in Tito,cap.2.in princ.scilicet ipsius C.Caligulæ.

u *Anio nouus.*] Frontinus d. lib. 1. Anio nouus Sublacensi via ad milliarium 62.in suo riuo excipitur ex flumine,quod cùm terras cultas circum se habeat soli pinguis, & inde ripas solutiores,etiam sine pluuiarum iniuria limosum & turbulentum fluit: ideóque à faucibus ductum interposita est piscina limaria, vbi inter amnem & specum consisteret & liquaretur aqua. Sic quoque quoties imbres superueniunt, turbida peruenit in vrbem. Iungitur ei riuus Herculaneus oriens eadem via ad milliarium 43. è regione fontium Claudiæ trans flumen viamque natura purissimus,sed mixtus gratiam splendoris sui amittit. Cur autem vocetur Anio nouus,diximus suprà.Vide item eundem Frontinum lib. 2. cap. 1.

x *Reliquæ.*] Nam & alias multas enumerat P. victor vbi suprà: scilicet Herculaneam,Damnatam,Traianam,Aniam, Algentianam, Ciminiam, Sabatinam, Aureliam,Septimianam, Seuerianam, Antonianam, Alexandrinam.

y *Authore Tranquillo.*] In Tiberio, c. 48.

z *Exquilias autem Seruius Tullius auxit.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. Seruius,inquit,addit duos colles,Quirinalem Viminalémque: inde deinceps auget Exquilias: ibique ipse, vt loco dignitas fieret, habitat. Dionysius Halicarnasseus lib. 4. vbi duos colles Viminalem & Esquilinum addidit, singulos iuxta oppidi magnitudinem: atque ibi loca ciuibus lare carentibus ad ædificandum distribuit: ipse quoque Exquiliis habitauit, loco religionis eius commodissimo. Dionysij verba in hunc sensum accipe:quia contra Liuium sentire videtur, Romulum & Tatium illorum montium quasdam particulas vrbi addidisse,Tulliúmque Regem maiore posteà ambitu esse complexum.Id enim Liuius innuere voluit: cùm ait Exquilias auxit. Nam si auxit, ergo pars ipsarum intra vrbem fuerat recepta.

a *Quas quòd excultæ.*] Varro lib.1.de lingua Latina,aut aliorum computatione 4.

b *Tametsi ab excubiis.*] Varro ibi, & Ouidius libro 3. Fastorum,

Adde, quòd excubias vbi Rex Romanus agebat,
Qui nunc Exquilias nomina collis habet.

c *Antea enim quòd sexticeps erat.*] Hæc omnia ad verbum, Cuius festa, sunt Varronis vbi suprà, præter id quod de hortis Mecœnatis,& de templo Malæ Fortunæ, de quibus Varro nihil eo loco dicit. Sed quantum ad primum, id est, hortos Mecœnatis, testis est P. Victor in 5. regione vrbis Romæ.Alterius,scilicet, Malæ Fortunæ, Plinius lib. 2. c.7. Ideóque etiam publicè Febri phanum in Palatio dicatum est, Orbonæ ad ædem larium ara, & Malæ Fortunæ Exquiliis.

vnà complexus ex. Malæ quoque Fortunæ, & Iunonis Lucinæ templa, cuius festa dies calendis Martiis colebatur à matronis, quòd [d] parturientibus opem ferret, & [e] lucem daret. Extrà verò Exquilias locus fuit, [f] cui Puticolæ nomen, vbi puteos in quos defunctorum publicè cadauera in subiectam foueam mittebantur, fuisse proditum est. [g] exemplo Themistoclis, qui Melitæ templum iuxta domum constituit, in quo damnatorum corpora cum vestibus & laqueis condebantur. [h] Quirinalis quoque & [i] Viminalis, quin inter septem numerentur, nulla controuersia est, [k] sed Quirinalis à Quirini phano, qui ibi colebatur, siue quòd à Curibus profecti loca tenuerunt, nuncupatur, [l] qui Agonius, [m] & porta quæ illuc ferebat, Agonensis, quæ etiam Collina dicta. Cúmque in Quirinali diuersi aggeres forent, singuli sua nomina sortiti fuere. [n] Namque ex his vni Tricepsos ad ædem Quirini, [o] contra quam sacellum Semonis [*] Sangi visebatur: [p] alteri Salutari, ob Salutis ædem: tertio [q] Mutiali, àd ædem dei Diffidij, nomen erat, vt Varro inquit. [r] In eo quoque Numa Pompilius domum habuit, quæ ad Augusti tempora mansit incolumis, [s] vbi & Primogeniæ Fortunæ templum, [t] quæ Publica dicta est, ac [u] Fidij Sabini dei, [x] Salutis [y] & Floræ, templo fuere. [z] Habuitque circum multa memoria dignum, & [a] vallem Quirinalem, vbi Pomponij Attici domus, cui Tamphilianæ nomen, [b] aliásque domus clarissimas. [c] Viminalis verò, vel ab ara Iouis Viminei, vel quòd ibi vimineum sylua esset, denominatus fertur: [d] vbi campus Viminalis, [e] lucus Petelinus, & [f] templum Iunonis Lucinæ. [g] Qui quidem colles à Seruio Tullio post censum perfectum vrbi additi sunt. Hinc enim, adiecto Exquilino & Viminali, quod intermedij spatij est, stadiorum sex è Collina porta ad Exquilinam, turribus muniuit, & muro sepsit, nequando excursiones illinc fierent, & hostium præsidium foret: in cuius medio porta Viminalis nomen habet. [h] Habuitque hortos Salustianos, qui præter amœnitatem, profusissimi sumptus erant. Post aliquot verò tempora ædibus pulcherrimis magnæ molis ornatus mons fuit. Inter quas conspicuæ magnitudinis [i] M. Crassi

Quirinalis collis vnde dictus.
Quirinalis aggeres & nomina.
** Lani.*
Viminalis collis vnde.
Porta viminalis.
Salustiani horti.

ANNOTATIONES.

d *Quod parturientibus opem ferret.*] Varro lib. 1. aut aliorum computatione 4. & alibi diximus.

e *Et lucem daret.*] Varro ibi, & Ouidius, qui & aliam rationem reddit lib. 6. Fastor.

Gratia Lucina dedit hæc tibi nomina lucus.
Aut quia principium tu dea lucis habes.

f *Cui Puticola.*] Varro vbi suprà, Extra oppida, inquit, à puteis Puticolæ, quod ibi in puteis obruebantur homines: nisi potius, vt Ælius scribit, Puticulæ quòd putescebant ibi cadauera proiecta: qui locus publicus vltra Exquilias. Festus Pompeius lib. 14. non longè à princ. Puticoli, ait, sunt appellati, quod vetustissimum genus sepulturæ, vt puteos fuerit: & dicti puticuli, quia ibi cadauera putrescerent. Ex quibus intelligis hîc apud Alexandrum non Puticolæ, sed Puticuli legendum.

g *Exemplo Themistoclis.*] Plutarchus in vita illius.

h *Quirinalis quoque.*] De hoc colle Ouid. 6. Fastor. de Fidio loquens,

Hunc igitur veteres donarunt ade Sabini,
Inque Quirinali constituere iugo.

Et vide infrà in verbo, Sed Quirinalis.

i *Et Viminalis.*] Tertiæ regionis colles, inquit Varro lib. 4. linguæ Latinæ, ab quinque deorum fanis appellati: è queis nobiles duo colles, Viminalis à Ioue Viminio, quòd ibi sunt aræ eius, aut quòd ibi vimineta fuerunt. P. Victor in 5. regione.

k *Sed Quirinalis à Quirini fano.*] Varro addit ad prædicta, Collis Quirinalis vbi Quirini fanum, qui à Curetibus, qui cum Tit. Tatio Curibus venerunt Romam, quòd ibi habuerunt castra. Fest. Pompeius lib. 15.

l *Qui Agonius.*] Festus Pompeius vbi suprà, sed sunt eius rei verba corrupta. Et prætereà lib. 1. vbi de Agoniis sacrificiis.

m *Et porta, quæ illuc ferebat, Agonensis.*] Festus Pompeius in postremo loco allegato, eo nomine appellatam esse dicit, quòd inundato Circo Flaminio, Agonales ludi, qui in eo celebrabantur, extra ipsam portam essent: ludósque ipsos ideo Agonales esse dictos, quia locus in quo initio facti sunt, fuerit sine angulo. Agonia sacrificia, quæ fiebant in monte, hinc Romæ mons Quirinalis, eodem authore dicitur Agonis & Collina porta Agonensis: & vide suprà lib. 4. cap. 6.

n *Namque ex his vni Tricepsos ad ædem.*] Varro d. lib. 4.

o *Contra quam sacellum Semonis Sangi.*] Liuius 1. Decad. libr. 8.

p *Alteri Salutari.*] Varro d. lib. 4. Festus Pompeius lib. 7.

q *Tertio Mutiali.*] Varro ibi, Collis Mutialis, inquit, quinsicepsos apud ædem Dei Fidij in delubro, vbi æditus habitare solet. Sed hîc ex Varrone & aliis legendum est ad ædem Dei Fidij.

r *In eoque Numa.*] Solinus c. 2.

s *Vbi & Primogenia Fortuna templum.*] Liuius 3. Decad. lib. 9. & 4. Decad. lib. 4. & 6. Decad. lib. 5. & Plutarch. in lib. de Fortuna Rom. & problem. cap. 74. 106. & alibi quoque diximus.

t *Quæ publica est.*] P. Victor in 6. regione vrbis Romæ.

u *Ac Fidij Sabini Dei.*] Varro d. lib. 4. Ouidius Fastorum 6. Victor in d. 6. regione, & diximus suprà lib. 5. c. 10.

x *Salutis.*] P. Victor in d. 6. regione. & de hac quoque vide Liuium 1. Dec. lib. 9. & Macrobium lib. 1. c. 16. & in Festum Pompeium lib. 17. & suprà lib. 4. c. 16.

y *Et Flora.*] P. Victor ibi. Tacitus autem lib. 2. scribit ædem Floræ iuxta Circum maximum ab L. & M. Publiciis constitutam.

z *Habuitque Circum.*] P. Victor ibi.

a *Et Vallem Quirinalem, vbi Pomponij.*] Id totum est Probi Æmylij in vita ipsius Attici, sed Pamphilianam vocant eam domum, quam hîc Tamphilianam nuncupat. P. autem Victor hanc Attici domum ponit in 6. regione in qua erat collis Quirinalis.

b *Aliásque domus.*] Vt domus Domitiani, vt tradit Victor ibi.

c *Viminalis verò.*] Varro linguæ Latinæ lib. 4. Festus Pompeius lib. 19.

d *Vbi est campus Viminalis.*] Victor in 5. vrbis regione.

e *Lucus Petilinus.*] Victor in eodem loco. Marlianus lib. 1. Topographiæ vrbis Romæ, c. 8. Liuius Dec. 3. lib. 6. Ita prædicta die in Petilinum lucum extra portam Flumentanam, vnde conspectus in Capitolinum non est, concilium populi indictum.

f *Et templum Iunonis Lucinæ.*] Victor ibi.

g *Qui quidem Colles à Seruio Tullio.*] Hæc vsque ad versic. in cuius medio, sunt Varronis lib. 5.

h *Habuitqué hortos Salustianos.*] P. Victor in 6. regione vrbis. Meminit horum quoque Plinius lib. 7. c. 16. Vide Plutar. in Crasso.

i *M. Crassi domus.*] Imò verò L. Crassi illius oratoris celeberrimi ex Plinio lib. 17. cap. 1. & dictum est suprà, quanquam & P. Victor in 5. regione M. Crassi domum collocet in colle Viminali.

k *Qui*

domus, nec minore sumptu C. Aquilij equitis iuris scientissimi, [k] qui primus de dolo malo inuenit formulas, cuius pleraque extant egregie constituta: [l] necnon Q. Catuli instructas, aliásque Romanorum ciuium ædes conspicuas, in eodem colle annotauere annales.

ANNOTATIONES.

k *Qui primus de dolo malo inuenit formulas.*] Cicero lib. 3. Officiorum, Nondum enim, inquit, Aquilius collega & familiaris meus, eas pertulerat de dolo malo formulas. In quibus ipsis, cùm ex eo quæreretur quid esset dolus malus: respondebat, cùm esset aliud simulatum, aliud actum. Vide ff. ad leg. Aquil.

l *Necnon Q. Catuli.*] Plinius vbi super citauimus.

Qui Flamines primi Romæ fuerint, quódve Flaminis officium, quibúsve essent caremoniis addicti.

CAPVT XII.

NVMA [a] Pompilius summus religionum cultor, inter cæteraa inuenta & constituta, flaminem Iouis assiduum sacerdotem legisse fertur, qui re & æstimatione magna fuit, eúmque insigni veste, toga prætexta, & curuli sella, ac lictore adornasse, duósque illi flamines adsciuisse, vnum Marti, Quirino alterum, genere famáque longè principes, quibus sacra faciendi & victimas immolandi datum munus erat. [b] Post aliquot verò tempestates, aucta ciuitate, quum augeri sacerdotia oporteret, quindecim flamines constituti fuere, qui omnes à diis quibus sacra faciebant, cognomenta sortiti sunt, [c] quorum primus Dialis, vltimus Pomonalis. Pomona enim, pomorum dea est: [d] Martialis verò, Viminalis, [e] Quirinalis, [f] Vulcanalis, Carmentalis, [g] Falacer & [h] Palatualis, [i] ac Peciri flamen, Martiani sodalis, & reliqui deinceps post Dialem fuere: [k] Dialis enim, quod Iouis sacerdos foret. Furinalis à Furina, cuius etiam [l] feriæ Furinales. [m] Falacer à Falacre pomorum deo. [n] Palatualis verò quia illi deæ in cuius tutela Palatium erat, sacra faciebat, nomina cepere: post quos nonnullis ex Cæsaribus in deos relatis, post funera flamines tributi ex Cæsarum nominibus, quorum sacris præerant, denominantur: [o] vt Martianus, [p] Helianus.

Dialis. Furinales. Falacer. Palatualis.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

a *NVma Pompilius.*] id princ. est Liuij 1. Decad. lib. 1. vbi sic scribit, Sed quia in ciuitate bellicosa plures Romuli quàm Numæ similes reges putabat fore, iturósque ipsos ad bella, ne sacra regiæ vicis desererentur, Flaminem Ioui assiduum sacerdotem creauit insignique eum veste, & curuli regia sella adornauit. Huic duos Flamines adiecit, Marti vnum, alterum Quirino. Est item Plutarchi in vita ipsius Numæ, & D. Augustini de Ciuitate Dei lib. a cap. 15. Flaminis cæremonias & leges scribunt, cùm Plutarc. in Problemat. tum Gellius lib. 10. c 15. ex Fabio Pictore, Masurio Sabino, Varrone, & aliis, tum etiam Fenestella in libello de Sacerdotiis Romanorum c. 5.

b *Post aliquot verò tempora.*] Hæc vsque ad versic. Post quos, sunt magna ex parte Varronis lib. 1, aut aliorum computatione 4. & iterum 3 aut 6. Linguæ Latinæ, & aliorum, quos tibi citabo in seq. Idem Fenestella cap. 8.

c *Quorum primus Dialis.*] Festus Pompeius lib. 11. Maximæ (inquit) dignationis flamen Dialis est inter quindecim Flamines: & cum cæteri discrimina maiestatis suæ habeant, minimæ habetur Pomalis, quòd Pomona leuissimo fructui agrorum præsidet pomis. Tu tamen eundem vide lib. 13. vbi de ordine sacerdotum.

d *Martialis verò*] De quo Liuius 5. Dec. lib. 4. vbi de P. Quintilio Varo flamine Martiali vita functo. & lib. 5. vbi de L. Posthumio Albino Flamine Martiali inaugurato eo anno. Val. Maxi. lib. 1. c. 1. de cultu deorum, Metellus, inquit, Pont. Max. Posthumium Consulem, eundémque flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne à sacris discederet, mulcta indicta, passus non est. Fest. Pompeius d. lib. 13. & Macrobius lib. 3. Satur. c. 13. vbi scribit luxuriosam cœnam Metelli Pontif. max. quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est L. Iulio Cæsare Augure. Cic. Philipp. 11. Crassus Consul Pontif. Maximus Flacco collegæ Flaminij Martiali mulctam dixit, si à sacris discessisset: quam mulctam populus remisit.

e *Quirinalis*] De quo Liuius 1. Dec. lib. 1. & 4. Decad. lib. 7. in duobus locis, quibus loquitur de Q. Fabio Pictore. & Val. Maximus lib. 1. c. 1. de Cultu deor. de L. Furio Bibaculo, & Festus d. lib. 13.

f *Vulcanalis*] Varro vbi suprà.

g *Falacer.*] Vide infrà in verbo, Falacer.

h *Palatualis.*] A Palatua, inquit Varro lib. 6. & vide infrà ibi, Palatualis.

i *Ac Peciri flamen Martiani sodalis.*] Id haud dubiè accepit à Iulio Capitolino in vita Pertinacis, ad fin. vbi sic scribitur, Filius Pertinacis Peciri flamen est factus Marciani sodalis. Sic enim legebatur in antiquis codicibus, sed corruptè. Nam vera lectio hæc est, Filius Pertinacis patris flamen est factus. Marciani sodales, &c. vt dicam in verbo, Ælianus.

k *Dialis enim quòd Iouis sacerdos esset.*] Varro lib. 4. Cùm Dialis, inquit, à Ioue sit, qui Dionis est. Verùm Festus Pompeius libro 6. vbi de flamine loquitur, dicit Dialem flaminem appellari à Deo, à quo vita dari putabatur hominibus.

l *Feriæ Furinales.*] Festus Pompeius dicto lib. 6. Furinalia, inquit, sacra Furinæ, quam deam dicebant. Cicero lib. 3. de Natura deorum Eumenidas commemorans, Quæ, inquit, si deæ sunt & Athenis fanum est, & apud nos, vt ego interpretor lucus Furinæ Furiæ sunt speculatrices (credo) & vindices facinorum & sceleris.

m *Falacer à Falacre pomorum Deo.*] Id, vt iam diximus, est Varronis d. lib. 4. Sed locus ipsius Varronis adeò obscurus est, vt minimè intelligam quid velit dicere. & ei videtur contradicere id quod suprà ibi, Quorum primus Dialis. adduximus ex Fest. Pompeio lib. 11. Idem verò Varro lib. 4. Flamen, ait, Falacer à diuo patre Falacre. nec adiicit, pomorum Deo, vt hîc Alexander dicit: sed id, vt puto, voluit iungare ex eodem d. lib. 6.

o *Palatualis verò.*] Festus Pompeius lib. 14. Palatualis, inquit, flamen constitutus est ad sacrificandum ei deæ, in cuius tutela Palatium est.

o *Vt Martianus.*] Vide in seq. & suprà ibi, Et Peciri flamen.

p *Helianus.*] Heluianus legendum est ex Iulio Capitolino in vita Pertinacis ad fin. Marciani sodales, qui diui Marci sacra curabant, Heluiani dicti sunt propter Heluium Pertinacem. Ita enim habet vera lectio, quæ corrupta erat in antiquis codicibus, vt iam diximus. Sed & de his loquens Ælius Spartianus in Septimo Seuero, Funus, inquit, censo-

tium

Fla. curiales. Fla. plebis. *Singulis curiis bini præpositi sacerdotes.* *Adiiciales & adipales cœna.* *Fla. à quibus crearentur.* *Flamines vnde dicti.* *Fla dialis albo galero insignis.*

q Antoniniani,& r reliqui. s Erántque curiales flamines, maiores: plebis verò minores: nam præter præscriptos, quum in sua quisque curia publica sacra facerent, singulisque curiis sui ministri essent, à quibus sacra populo dabantur, t hi nimirum curiales flamines, eò quòd curiis præessent, dicti sunt, singulis enim curiis bini præpositi erant sacerdotes, honesti ordinis, moribus & virtute præstantes, quorum nemo citra quinquagesimum annum inferior ætate fuit: u qui nisi à collegio nominarentur, ad flaminium admitti non poterant. Quippe sacerdotes, nisi quos dignissimos putabant, ad collegium nullos admisere, admissique inaugurabantur: x quo die auguribus, pontificibus, regi sacrorum, & vestalibus virginibus, y cœnas opiparas magnificè apparabant, z quæ adiiciales seu a adipales dictæ. b Nonnunquam verò pontificem maximum flaminem creauisse exemplis relatum est, siquidem Cneus Valerius Flaecus à Publio Licinio pontifice maximo Dialis flamen creatus, sacerdotium gessit magnificè, qui quum fuisset vita & moribus inquinatissimus, & parum secunda fama, postea summa religione & continentia flaminio præfuit, magnoque honore & pudore spectatissimus euasit. Sæpe tamen à dictatore flaminem proditum, plerumque à populo vel principe, comperimus. Qui tametsi proditus esset, non tamen sacerdotium gerebat, quin à pontificibus prius esset in collegium cooptatus. c Qui quidem, quòd pileum gestaret, in quo virgula oleaginea d modicum lanæ habens in summo, instar fungi inerat, e flamines quasi filamines dicti sunt, f quem quum per æstum ferre non possent, dempto pileo, caput ligabant filo, g quòd nudo capite incedere fas non erat. Solus tamen inter reliquos flamines h Dialis albo galero insignis est, quem nisi ex ouis albæ tergore Ioui immolatæ fieri non decebat, vt eo insignis reliquis conspicuus foret. i Festo tamen die flamen & si æstu laboraret, filo dempto, pileum

ANNOTATIONES.

rium Pertinacis imagini dedit, cúmque inter diuos sacrauit, addito flamine & sodalibus Heluianis, qui Marciani fuerant: se quoque Pertinacem vocari iussit.

q *Antoninianus.*] Idem Capitolinus in Antonino Pio, & in Antonino Philosopho, & Spartianus in Caracalla.

r *Et reliqui.*] Vt Aurelianus ex Capitolino in Antonino Pio, & Alexandrinus ex Lampridio in Alexandro Seuero.

s *Erántque.*] Festus Pompeius lib. 11. Maiores, ait, flamines appellabantur Patricij generis, minores plebei.

t *Hi nimirum Curiales flamines.*] Pompeius lib. 3. Curiales flamines curiarum sacerdotes.

u *Qui nisi à collegio nominarentur.*] Augur enim Augurem cooptabat in demortui locum, vt testatur Cicero Philippica 14. his verbis. In primis paternum Auguratus locum, in quem ego eum, vt quod à patre accepi filio reddam, mea nominatione cooptabo.

x *Quo die.*] Macrobius Saturnal. lib. 3. c. 13. Cœnarum autem Auguralium meminit Cicero lib. 7. Epistolarum Familiarium ad Gallum. & Varro lib. 3. de Re rustica, cap. 6. vbi sic scribit, Primus omnium Q. Hortensius Augurali adiiciali cœna pauones posuisse dicitur, quod protinus factum, tam luxuriosi, quàm seueri boni viri laudabant.

y *Cœnas opiparas.*] Quod satis indicat Horatius Carm. 2. Ode 14. in fi.

Absumet hæres Cæcuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimentum superbo
Pontificum potiore cœnis.

Quo loco Cælius Rhodiginus scribit prælautas cœnas Pontificales dici prouerbio. Quod & Macrob. obseruat loco suprà citato, vbi vetustissimam quandam Pontificis cœnam describit dicens summo apparatu eam, & omnigenis lautitiis affatim instructam fuisse.

z *Quæ adiiciales.*] Plinius lib. 10. c. 20. Pauonem cibi gratia Romæ primos occidit Orator Hortensius adiiciali cœna sacerdotij. Et lib. 29. cap. 5. post princ. de Catulina loquens, Catulos lactentes adeò puros existimabant ad cibum, vt etiam placandis numinibus hostiarum vice vterentur his. Genito manè catulo res diuina fit, & in cœnis deûm etiamnum ponitur catulina. Adiicialibus quidem epulis celebrem fuisse, Plauti fabulæ indicio sunt. Hactenus Plinius. In qua re tamen tibi sciendum est vtrobique in quibusdam codicibus Plinij Adiciali & Adicialibus legi. Quod autem dicit Plinius de Fabulis Plauti, Fabula in Saturio nomen erat, vt videre licet ex Festo Pompeio, vbi scribit Catulinam carnem esitauisse, hoc est, comedisse Romanos. Plautus in Saturione refert. hæc ille, sed ea Comœdia iniuria temporis periit.

a *Adipales.*] Festus Adipales cœnas sacerdotum vocat, quæ & Adiiciales dicuntur.

b *Nonnunquam verò.*] Hæc vsque ad versicul. Sæpe tamen. sunt Liuij 3. Decad. lib. 7. Flaminem Dialem inuitum inaugurari coëgit P. Licinius Pontifex Maximus C. Valerium Flaecum. Sunt & Valerij Maximi lib 6. cap. 9. de Mutatione morum fortunæ. vbi paulò amplius hanc historiam scribens: ait, C. Valerius Flaccus à P. Licinio Pont. Maximo flamen factus, quo facilius à vitiis recederet, ad curam sacrorum & cæremoniarum conuerso animo, vsus duce frugalitatis religione, quantum prius luxuriæ fuerat exemplum, tantum posteà modestiæ & sanctitatis specimen euasit.

c *Qui quidem quòd pileum gestaret.*] Fest. Pompeius lib. 1. Albogalerus, ait, à galea nominatur. Est enim pileum capitis, quo Flamines, id est, sacerdotes Iouis vtebantur: fiebant enim ex hostia alba Ioui cæsa, cui affigebatur apex virgula oleaginea.

d *Modicum lanæ habens.*] Virgilius lib. 8. Æneid.

Lanigerósque apices.]

Et ibi Seruius Honoratus sic scribit, Flamines in capite habebant pileum, in quo erat breuis virga desuper habens lanæ aliquid: quod cùm per æstus ferre non possent, filo tantùm capita religare cœperunt: nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat. Vnde à filo, quo vtebantur, Flamines dicti sunt, quasi filamines.

e *Flamines quasi filamines.*] Festus Pompeius lib. 6. Flamen, ait, Dialis dictus, quòd filo assiduè veletur, idémque appellatur Flamen quasi filamen. Et Seruius vbi super. Aliter autem Plutarchus in Numa, à pileo quasi Pilamines dictos scribit. quem & ipsum vide problematum c. 39.

f *Quem cùm per æstum.*] Seruius vbi suprà in verbo, Modicum lanæ habens.

g *Quòd nudo capite incedere fas non erat.*] Flamines, scribit Varro libr. 4. linguæ Latinæ, quòd in Latio capite velato erant semper, ac caput cinctum habebant filo, Flamines dicti. Gellius lib. 10. c. 15. cæremonias & leges Flaminis scribens sic ait, Ac sine apice sub dio esse licitum non est: sub tecto vti libet. & Seruius vbi suprà ibi, Modicum lanæ habens.

h *Dialis albo galero insignis est.*] Fest. Pompeius quo loco citauimus suprà in verbo, Qui quidem quòd pileum. & Gellius d. lib. 10. c. 15. ex M. Varronis lib. 2 Rerum diuinarum verbis, Is solus, inquit, album habet galerum, vel quòd maximus est, vel quòd Ioui immolata hostia albato fieri oporteat.

i *Festo tamen die.*] Seruius in d. lib. 8. vbi suprà ad ea, quæ

addus i

sumebat: tunc enim filo ligasse caput, non satis erat. [k] Quippe celebri die flaminē sine pileo esse non conuenit. [l] Est tamen obseruatum inter flamines, Dialem assiduè pileum lanámque gestare, quum reliquis flaminibus, tunc quum sacrum faciunt, & festa ac religiosa die cum pileo esse deceat. [m] Si tamen mortem oppetere Dialem fortè contingeret, tunc quum agit animam, cum pileo esse minimè conuenit: deposito enim pileo decumbere, & animam efflare oportebant. [n] Aliter apud Ægyptios, nam sacrarum literarum scriptores, qui loco flaminis sunt, puniceum filum pro insigni capitis, non pileum deferunt. [o] Horum ergo in sacrificiis deorum, non minimum ius potestásque fuit. Nam quæ sacra diis darentur, & quæ victimæ cæderentur, & quando exta offerrentur, & an perfecto sacrificio litatum foret, enunciare debebant: tum sacrorum cura & cæremoniarum ad eos spectauit & pertinuit. [p] Quod sacerdotium non [q] sicut auguris, perpetuum erat: siquidem si sacra non ritè fecisset, aut neglectæ religionis flamen argui posset, seu aliquid aduersus constitutū faceret, flaminio abire oportebat. [r] Sulpitius enim flamen, quod inter sacrificandum apex prolapsus fuisset, sacerdotio deiectus fuit. [s] Caius etiam Claudius, & Cornelius Cethegus, quòd exta victimæ perperam dederat, abire flaminio necessum habuit. [t] Cúmque flamen sacra diis dare, & hostiam immolare vult, flamineum puerum aut puellam iuxtà habebat, qui parati intentíque ministerio, & sacrificanti præsto forent, quæque exequenda, quæ patrij moris & ritus erant, sacris ministraret: [u] quos non nisi ingenuos, patrimos & matrimos esse decebat. [x] Cui ad sacra eunti, præco Præcimitator dictus, præire & præmonere solebat populo, vt dū sacra fiunt, ab opere cessarent: quisi contumacius parerent, pignoribus & mulcta plectebantur: neque enim flaminem aut regem sacrorum religiosis diebus aut feriatis opus facientem videre fas erat. Quin etiam dum operabatur sacris, eo corporis ornatu erat, [y] vt fibulis æneis accinctus, victimas cæderet, & diis libaret. [z] Ipsiúsque vxorem, [a] cui flaminicæ nomen, quoties tonitrua andisset, feriari necessum erat. [b] Cui hoc est muneris loco datum, vt à viro diuertere non liceret: [c] namque ipse vnius vir vxoris, & flaminica viri vnius vxor eligebatur: [d] sicut Ægyptij ad Tauri sacra semel maritum assumpsere. [e] Cúmque

Sacrarū literarū scriptores loco flaminū apud Ægyptios.
Flaminum munus.
Flā quibus de causis sacerdotio discederent.
Flaminei pueri aut puella ministerio vtebantur.
Flamen in sacris. Ornatus flaminis.
Flaminica vxor flaminis.
Flamen vnicam duntaxat vxorem ducebat.

ANNOTATIONES.

adduaimos, addit, Verùm festis diebus filo deposito pilea necesse erat accipere, quæ secundum alios, ad ostendendam sacerdotij eminentiam sunt reperta: sicut columnæ mortuis nobilibus inperponuntur ad ostendendum eorum culmen. Alij dicunt propter eminentiam dignitatis: sed quia cum sacrificarent apud Lautolauinium, & eis exta frequenter aues, de vicinis venientes lucis, atriperent, eminentia virgarum eas terrere voluerint. Exinde etiam consuetudo permansit, vt apud Lautolauinium ingentes haberentur virgæ, non breues, vt in vrbe. Sunt etiam qui Flamines à gestamine pilei, quasi Pilamines dici putāt Hactenus Seruius.

k *Quippe celebri die.*] Plotarchus probl. Rom. c. 39.

l *Est tamen obseruatum.*] Apud Appianum bellorum Ciuilium lib. 1. Quo etiam pertinet illud lib. 2. Æneidos,

Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex. ——

Vbi Seruius, Apex, inquit, propriè in summo Flaminis pileo virga lanata, hoc est, cuius extremitati modica lana est: quod primum constat apud Albam Ascanium statuisse. Sed eos in capite lanam tulisse satis videri potest ex eo Prudentij loco in Apotheosi,

Flamen & ipse suas miratur vertice laurus
Cedere. ——

m *Si tamen mortem oppetere.*] Idem Appianus d. libr. 1. sed alio loco loquens de L. Merula Flamine Diali, Itaque, inquit, Merula venas sibi incidit, & ex tabellis illi adstantibus clarè deprehensum est eum pileum prius abiecisse. Non enim sacerdotem fas fuit eo indutum mortem obire.

n *Aliter apud Ægyptios.*] Vide Diodorum Siculum lib. 6. c. 10. Herodotum in Euterpe.

o *Horum ergo.*] Ad Romanos redit. Pomponius Lætus de Sacerdotiis Ro. c. 10. Fenestella c. 8.

p *Quod sacerdotium.*] Id probat ea sequentib.

q *Sicut Auguris.*] Augur enim perpetuus erat, quod dictum est lib. 5. c. 19.

r *Sulpitius.*] Val. Maximus lib. 1. c. 1.

s *C. etiam Claudius, & Cor. Cethegus.*] De his duobus Liuius 3. Decad. lib. 6. C. Claudius Flamen Dialis quòd Exta perperam dederat, Flaminio abiit. & Valerius Maximus d. lib. 1. c. 1. de Cultu deorum, vbi scribit P. Cœlium, M. Cornelium, M. Cethegum, & C. Claudium propter exta parum curiosè admota aris deorum immortalium, variis temporibus, bellísque diuersis Flaminio abire iussos ac coactos fuisse.

t *Cúmque Flamen sacra diis dare.*] Pomponius Lætus & Fenestella vbi suprà.

u *Quos non nisi ingenuos.*] Liuius Dec. 4. lib. 7. non adeò procul à princ. de procuratione prodigiorum, Decem ingenui, inquit, decem virgines, patrimi omnes matrimique ad id sacrificium adhibiti. Festus Pompeius lib. 6, non longè à fine, Flaminius, inquit, Camillus puer dicebatur ingenuus patrimes & matrimes, qui Flamini Diali ad sacrificia præministrabat: antiqui enim ministros Camillos dicebant. Et paulò pòst, Flaminia dicebatur sacerdotalis, quæ Flaminiæ Diali præministrabat: eáque patrimes & matrimes erat, id est, patrem matrémve adhuc viuos habebat. Sed & idem lib. 11. Matrimes ac patrimes dicuntur, quibus patres & matres adhuc viuunt. Et lib 14. Sed ad id quod de Camillo dictum est, vide quæ proximè dicta sunt suprà lib. 4. c. 17. Patet patrimus dicebatur apud antiquos, qui cùm iam pater ipse esset, habebat etiam tunc patrem.

a *Cui ad sacra eunti, præco Præcimitator.*] Hæc vsque ad versicul. Quinetiam, fere sunt Festi Pompeij lib. 14 apud quem tamen legitur, Præcimiatores. Sunt autem qui non ineptè proclamatores legunt.

y *Vt fibulis æneis amictus.*] Festus Pompeius lib. 9. Infibulati sacrificabant Flamines propter vsum æris antiquissimum æneis fibulis.

z *Ipsiúsque vxorem.*] Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 16. sic scribit, Flaminica, quoties tonitrua audisset, feriata erat, donec placasset deos.

a *Cui Flaminica nomen.*] Passim apud omnes. Sed & Flaminicæ dicebantur, vt ex Trogo dicemus posteà.

b *Cui hoc est muneris loco.*] Gellius lib. 10. c. 15. Flaminem amissa vxore flaminio decedere. & matrimonium Flaminis sola morte dirimi. Plutarchus probl. 49.

c *Namque ipse vnius vir vxoris & Flaminica.*] Tertullianus in libro de Exhortatione castitatis, & in libro de Monoga mia vtrobique in fi.

d *Sicut Ægyptij ad Tauri sacra.*] Diodorus Siculus lib. 1. 3. & vide infrà.

e *Cúmque ob sacerdotij dignitatem.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. C. Flaccus flamem captus à P. Licinio Pontifice Maxim, ita repente exuit antiquos mores, vt nemo tota iuuentu habe-

tetur

ob sacerdotij dignitatem, in senatum venire, & sententiam dicere, antea flamini licuerit, idqne post temporum curricula eorum desidia obliteratum esset, L. Flaccus flamen rem longè intermissam reuocauit, eíque & reliquis flaminibus, vt veteri iure vsurpato, in seoatum ingredi, & publico concilio interesse, togámque prætextam & amplissimi ordinis ornamenta habere liceret, senatus consulto datũ est, [f] tametsi carbasum flaminis indumentum proprium fuisse dicant. [g] Ex eo enim, quoties frequens senatus haberetur, flamini haud secus quàm senatori in curiam veniendi, consultaodi, suffragandi, ceosendíque potestas data fuit. Et tametsi flamines sacerdotio addicti essent, non [h] tamen à belli muoeribus erant immunes, sæpiúsque res à patribus tentata, & in vtramque partem sermonibus agitata fuit, desuperque lex lata fuisset, vt tam flamines quàm reliqui sacerdotes militiæ munere vacarent, nisi Gallorum imminente tumultu, quum respublica milite egeret, à militia minimè auocandos decreuissent. [i] Sæpe tamen flamines, ne ad bellũ irent, religione inhibitos ferunt: [k] quippe Cæcilius Metellus pontifex max. Aul. Posthumium consulem, quoniam flamen Martialis erat, ne ad bellum proficisceretur, néve stipendia faceret, inbibuit, [l] aliósque vetitos fuisse constat, ne cura belli, & rei militaris procuratio, illos à sactis auocaret. [m] Nonnunquam verò Dialem flaminem extra Italiam sortitum prouinciam inuenimus asserentem, nullas religiones Diali, Martiali, & Quirinali prouincias sortiri vetuisse. [n] Augustus tamen Octauius annuam absentiam, & prouinciarum administrationem Diali concedi vetuit, né à cura sacrorum nimium diu abesset. [o] Qui quidem sicut inter flamines honore præcipuus, sic maximis cæremoniis astrictus erat: [p] quippe soli flamini in primis iurare non licebat, nefas æstimantes, coi deorum sacra & cæremoniæ credita sunt, ipsi verbo asserenti fidem non habere: cui hoc munus impendebat, vt singulis Idibus, quas feriatas habebat, bouem Ioui immolaret: [q] vtque ad flaminium assumptus, è patrio iure immunis confestim sui potens fiat. [r] Eidemque sub dio vngi, [s] vel sine interula esse, [t] aut equo vehi, [u] noctemve vnam ab vrbe abesse non licebat. [x] Si tamen aduersa valetudo Dialem iocessisset, pontificis maximi arbitrio vltra binoctiũ abesse poterat, dum ne diebus publici sacrificij, nec sæpius

Carbasus flaminis indumentum. Fla. à belli muneribus non in totum immunes. Fla. prouinciis aliquoties præerant. Cæremoniæ quibus flamen dialis astrictus erat. Fla. dialis vxore defuncta, sacerdotio cedere cogebatur.

ANNOTATIONES.

retur pelor: nec probatior primoribus patrum, suis pariter alienisque esset. Huius famæ consensu elatus ad iustam fiduciam sui, rem intermissam per multos annos ob indignitatem Flamioum priorum repetiuit, vt in Senatum introisset. Ingressum eum curiã cùm L. Licinius Prætor inde eduxisset, Tribunos plebis appellauit Flamen. Vetustum ius sacerdotij repetebat, datum id cum toga prætexta, & sella curuli C. Flaminio esse. Prætor non exoletis vetustate annalium exemplis stare ius sed recentissimæ cuiusque consuetodinis vsu volebat, nec patrum nec auorum memoria Dialem quenquam id ius vsurpasse. Tribuoi rem inertia Flaminom obliteratam ipsis, non sacerdotio damno fuisse cùm æquum censuissent, ne ipso quidem contrà teodente Prætore magno assensu patrum plebísque Flaminem in Senatum introduxerunt: omnibus ita existimantibus, magis sanctitate vitæ, quàm sacerdotij iure rem eam Flaminem obtinuisse.

f *Tametsi carbasum Flaminis indumentum*] Vnde id acceperit nescio, illud scio Valer. Maximum id indumenti genus tribuisse Vestali lib. 1. cap. 1. de Cultu deorum, vbi de Æmylia virgine Vestali. Cæterum de Carbaso vide Nonium Marcellum de Genere vestimentorum.

g *Ex eo enim quoties.*] Id ex sequela eius est, quod suprà ibi, Cúmque ob sacerdotij. diximus ex Liuio.

h *Non tamen à belli muneribus.*] Hæc vsque ad versicu. Sæpe tamen. sunt Plutarchi in Camillo, vbi scribit apud Romanos lege cautum fuisse, vt sacerdotes immunes essent à militia: nisi vrgeret bellum Gallicum, quod & oos diximus suprà lib. 2. c. 8. vbi & de Ægyptiis & Iodis loquuti sumus.

i *Sæpe tamen Flamines ne ad bellum irent.*] Gellius d. lib. 10. cap. 15. & probatur ex seq. & vide etiam ibi, Alióſqne vetitos.

k *Quippe Cæcilius Metellus.*] Val. Maximus lib. 1. cap. 1. de Coltu deorum. & L. Florus Epitome Liuij lib. 59.

l *Alióſque vetitos.*] Vt M. Æmylium Regillum ex Liuio 3. Decad lib. 4. in Oratione Q. Fabij. Restat, inquit, vt pro ea le eis in quos prærogatiuæ fauor inclinauit, dicã, M. Æmylius Regillus Flamen est Quirinalis, quem neque mittere à sacris, neque retinere possumus, vt non deûm, aut belli deseramus curam. Et Q. Fabium Pictorem ex eodem 4. Decad lib. 7. cuius hæc verba sunt, Q. Fabius Pictor Flamen Quirinalis & Prætor, Sardiniam prouinciam sortitus est. Prius quàm in prouincias Prætores irent, certameo inter P. Licinium Pontificem Maximum fuit, & Q. Fabium Pictorem Flamioem Quirinalem, quale patrum memoria ioter L. Metellum & Posthumium Albinum fuerat. Cos. illum cum C. Luctatio collega io Siciliam ad classem proficiscentem, ad sacra retinuerat Metellus Pontif. Maxim. Prætorem hunc, ne io Sardiniam proficisceretur, P. Licinius tenuit. & in Senatu, & ad populum magnis contentionibus certatum est: & imperia inhibita vltro citróque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & Tribuni appellati, & prouocatum ad populum est. Religio ad postremum vicit, & dicto audiens esse Flamen Pontifici iussus, & mulctæ ex iussu populi remissæ. Ita prouinciæ ereptæ prætorem magistratu abdicare se conantem, patres authoritate sua deterruerunt: & vt ius inter peregrinos diceret, decreuerunt.

m *Nonnunquam verò Dialem Flaminem extra Italiam.*] Cornelius Tacitus lib. 3. vbi de Seruio Maluginensi Flamine Diali imperium Proconsulare Asiæ ambiente disserit.

n *Augustus tamen Octauius.*] Idem Cornel. Tacitus d. lib. 3. non adeò procul à fi.

o *Qui quidem sicut inter Flamines.*] Festus Pompeius lib. 11. & dictum est suprà io verbo, Quorum primus Dialis.

p *Quippe soli Flamini in primis iurare non licebat.*] Liuius 4. Decad. lib. 1. in fine. Plutarchus. problem. c. 43. Gellius lib. 10. c. 15. Festus Pompeius lib. 9.

q *Vsque ad Flaminium assumptus.*] Cornel. Tacitus lib. 4.

r *Eidémque sub dio vngi.*] Plutarchus prob. c. 39. vbi rationem reddit.

s *Vel sine interula esse.*] Gellius d. lib. 10. c. 15.

t *Aut equo vehi.*] Plutarchus & Gellius vbi supra, & præter ea Festus Pompeius lib. 5. rationem reddens, ait, æquo vehi Flamini Diali non licebat, ne si longius digrederetur, sacra negligerentur.

u *Noctemve vnam.*] Liuius 1. Dec. lib. 5. in Oratione M. Furij Camilli Dictatoris, Flamini Diali noctem vnam manere extra vrbem nefas est. Plutarchus, qui huius rationes tres affert: vbi suprà.

x *Si tamen aduersa valetudo.*] Cornelius Tacitus lib. 3. Quoties, inquit, valetudo aduersa Flaminem Dialem incessisset, vt Pontificis Maximi arbitrio dum ne plusquam binoctium abesset, dum ne diebus publici sacrificij, neu sæpius quàm bis eundem in annum.

y *Dialemque*

quàm bis eodem anno procul fiat. [y] Dialémque, coniuge defuncta, flaminio abire oportebat, quia sine coniuge esse, [z] aut iterum coniugio copulari non decebat; nanque bis nupti, sacerdotio pelluntur. [a] Quod ab Ægyptiis æquè seruatum est, vt semel tantùm sacerdoti nubere fas sit, quum reliqui pro voluntate & facultatibus plures capiant. [b] Frumentum qnoque, [c] farinam, & [d] carnem crudam, [e] canem, capram vel [f] equum tangere vetabatur. [g] Hederam Dialis si attigisset, [h] vel annulum cum gemma. [i] aut nodum habuisset, piaculum admitti putabatur: [k] fabam tangere aut nominare, [l] vel funebres tibias audire, Diali flamini non licet: [m] neque enim feralia attrectare fas erat. [n] Capillum si tonderet, nisi æneis cultris, velut turpissimo facinore tenebatur. Quod à Sabinis sumptum crediderim, quibus æneo cultro sacerdotes capillum tondere præcipitur. [o] Ignem ex Dialis flaminis domo efferri, nisi sacrorũ causa, aut [p] procinctam classem videre, paratásque ad bellum copias, piaculare est. [q] Mortuæque pecudis corio flamini calceos fieri, nefandum: [r] cuius sacerdoti ab vrbe tribus abesse noctibus non licet: [s] aliísque cæremoniis Dialis astrictus erat, quibus à vilioribus sacerdotibus reliquísque flaminibus cultu & ornatu longè sanctior erat atque conspectior, [t] Ægyptiis verò diu seruatus inoleuit mos, vt sacerdoti nec fabam serere aut comesse, neque aspicere liceret: quibus erat constitutum, lege apud Memphim lata, vt Isidis sacerdotes semper deraso sint capite: vtque tertia quaque die corpus eradant, & frigida abluant, ter die, noctu bis: piscium quoque etiã tactu abstineant, nedum esu: vestémque lineam, calceos papyraceos gerant: [u] ouillis, [x] nec suillis carnibus vescantur:

Sacerdotibus semel tantùm nubere fas.

Ægyptiorum sacerdotum cæremonia.

ANNOTATIONES.

y *Dialémque coniuge defuncta.*] Trogus historicus lib. 22. cuius hæc verba sunt apud Priscianum lib. 5. cap. 1. Papirio propter Flaminiæ flaminio abiit. Plutarch. problem. c. 49. Gellius lib. 10. cap. 15.

z *Aut iterum coniugio copulari.*] Plutarchos vbi nuper citauimus. & Tertullianus in libro de Monogamia ad fin. & in libro de Exhortatione castitatis etiam ad fi.

a *Quod ab Ægyptiis.*] Diodorus Siculus lib. 2. cap. 3.

b *Frumentum.*] Legendum est, Fermentum ex Plutarcho Problematum c. 109. vbi huius rationem reddit, & Gellio lib. 19. c. 15.

c *Farinam.*] Plutarchus & Gellius in eisdem locis.

d *Et carnem crudam.*] Plutarch. problem. c. 110. vbi huius prohibitionis rationem reddit. & Gellius vbi suprà.

e *Canem.*] Idem Plutarch. Problem. c. 111. cuius hæc verba sunt, Quid est quòd cane & capella sacerdotem adeò abstinere voluerunt, vt non modò attingere, sed ne appellare quidem liceret? An quòd capram quasi luxuriosam, atque olidam abhorrerent? an quod tanquam morbidam timerent? Videtur etenim præter cætera animalia comitiali morbo tentari, & qui gustarint aut attigerint, huiusmodi aliquid inurere. Huius rei causam assignant poros angustos, quibus clausis etiam spiritos sæpissimè includitur, quod arguit vocis tenuitas. Quicunque enim hoc morbi genere tentantur, similem capellæ vocem edunt. Canis verò est minus quidem luxuriosus & fœtidus: quanquam sunt qui dicant, ne canem quidem in Atheniensium arcem admitti fas esse, nec Delum insulam attingere, quòd in propatulo & passim coëat, qua in re aliorum animalium dissimilis sit: nam boues, equi, sues non in propatulo meunt. Sed veram causam penitus ignorant. Canis enim templis omnibus idcirco arcetur, quòd pugnax est animal, & in primis ferox, vt tutum supplicibus perfugium præbeant. Verisimile igitur est iouis sacerdotem, tanquam animatam & sacram quandam effigiem ac simulachrum, ad quod omnibus, tanquam ad aram, confugere liceat, egenis ac supplicibus repositum esse, vnde nec deterreri, nec arceri omnino possint. Quocirca in ipso ianuæ vestibulo ac limine, eidem posita erat lectica.

f *Equum.*] Gellius lib. 10. cap. 15.

g *Hederam.*] Plutarch Problem. cap. 112. Gellius vbi suprà. Festus Pompeius li. 8. rationem reddit.

h *Vel annulum.*] Gellius & Festus vbi suprà.

i *Aut nodum habuisset.*] Iidem iisdem in locis.

k *Fabam.*] Gellius quoque vbi suprà, & Festus lib. 6. vbi rationem reddit. & vide Plutarchum Problem. cap. 95.

l *Vel funebres tibias.*] Idem Festus eodem libro 6. sed alio loco.

m *Neque enim feralia attrectare.*] Cornelius Tacitus lib. 1.

n *Capillum si tonderet, nisi aneis cultris.* Seruius lib. 1. Æneid in eum locum.

> *Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque*
> *Ære trabes, foribus cardo stridebat ahenis.*

Æreâ ideo (inquit) vel quòd æs magis in vsu veteres habebant, vel quòd religioni magis apta est hæc materies. Denique Flamen Dialis æreis cultris tondebatur. Vide Gellium vbi suprà.

o *Ignem ex Dialis Flaminis domo.*] Gellius lib. 10. cap. 15. & Festus Pompeius d. lib. 6. sed alio quoque loco.

p *Aut procinctam classem videre.*] Gellius ibi. & ipse Festus Pompeius lib. 14. vbi declarat quid sit procincta classis, vt etiam facit alio loco eiusdem libri.

q *Mortua pecudis corio.*] Idem Pompeius lib. 11.

r *Cuius sacerdoti ab vrbe tribus, &c.*] Plutarch. Problematum cap. 39.

s *Aliisque caremoniis Dialis astrictus erat.*] Id constat ex Gellio vbi suprà.

t *Ægyptiis verò.*] Hæc vsque ad Versicul. Ouillis. sunt Herodoti lib. 2. Euterpe, Fabas Ægyptij in sua terra nec admodum seruot, neque natas, aut crudas, aut in aqua coctos edunt, Sacerdotes verò ne aspicere quidem sustineot, arbitrantes haud mundum illud legumen esse. Ad id quod dicit de faba, præter Herodotum, adde Plinium, qui authoritate Varronis lib. 18. c. 12. tradit Flaminem faba non vesci, quoniam in flore eius lugubres litteræ reperiantur. Et ad id quod de raso capite dicit, adde illud Appuleij loquentis de huiusmodi sacerdotibus lib. vlt. Asini aurei, Hi capillum derasi funditus, vertice prænitentes, magnæ religioni terrena sydera, æreis & argenteis, imò verò, aureis etiam sistris argutum tinnitum constrepentes Hinc calui passim à poëtis vocantur. Iuuenalis sat. 6.

> *Qui grege linigero circundatus, & grege caluo.*

Martialis.

> *Linigeri fugiunt calui.*

Quinetiam Lampridius de Imperatore Commodo scribens, sic inquit, Sacra Isidis coluit, vt & caput raderet, Anubim portaret. Qui loci probant & illud quod de veste linea dictum est, vti etiam illud Ouidij Metam. lib. 1.

> *Nunc dea Linigera colitur celeberrima turba.*

Et Suetonij in Othone cap. 12. eodémque vltimo. Sacra etiam Isidis sæpe in linea religiosáque veste propalàm celebrasse.

u *Ouillis.*] Cur Ægyptij ab ouibus & arietibus abstineant, rationem reddit Herodotus lib. 2. in Euterpe.

x *Nec suillis carnibus.*] Idem Herodotus dicto lib. 2. Euterpe, Suem Ægyptij spurcam belluam arbitrantur: quam si quis vel transeundo contigerit, abit lotũ sese cum ipsis vestimentis ad flumen, Eóq; soli omnium subulci in Ægypto,

[y] sal cibis nõ adhibeant:[z] vino abstineant, ant si bibere libet, perparco vtantur.[a] mare detestentur & nautas: à quibus institutum est, Apidi potum dare ex peculiari puteo, nõ ex Nili aqua. Apud Græcos verò flaminibus,[b] Stephanophoris nomen fuit, quibus ferre coronam & comam promissam, proprium erat: qui etiam arma sumere, aut Phocensium agros inuadere lege vetabantur:[c] Poliadis quoque Mineruæ flamini hoc dabatur præcipuum, vt caseum recentem tangere perpetua lege vetaretur: Phœbi verò aureum sceptrum coronis & vittis redimitum ferre. Flamini autem Ephesiæ Dianæ, qui eunuchus erat,[d] Megabyzo nomen fuit,[e] Cereris verò Eumolpidi.[f] Apud Hebræos Essæi summi sacerdotes loco flaminis erant, qui vino, coniugio & carnibus abstinent, & duriori cubili degunt. Sed præter Dialis præscriptas cęremonias, alię fuerũt vxori flaminis præstitutæ, quas perpetua lege seruare tenebatur, quum ex Romuli constituto sacerdotum vxores cum viris consectentur, præscriptisq; cæremoniis teneãtur, nanque [g] flaminica quũ ad Argos vadit, neque comere caput, neque capillum pectere debet:[h] quotiésque tonitrua audisset, feriata erat: cui [i] mense Iunio, nisi post Idus, nec vngues secare, nec capillum comere, neque virum tangere permissum: cuius vnguium & capilli præsegmina subtus arborem * silicam terra operiri necessum erat:[k] Illi quoque fabis vesci, aut [l] gradus suprà tres ascendere, minimè licet:[m] solaq; Dialis vxor sacrorum causa sub viri potestate &, iure est.[n] Fuítq; amictus

Græcorũ Stephanophori.

Hebræorum sacerdotes.

Flaminicæ dialis ceremoniæ.

Vide Cælium lib. 15. cap. 8.

ANNOTATIONES.

& si indigenæ, tamen nullum ingrediuntur in templum: nemóque aut filiam cuipiam eorum nuptum dare vult, aut cuiuspiam eorum filiam in matrimonium ducere. Ipsi inter se subulci dant, accipiúntque filias.

y *Sal cibis non adhibeant.*] Plutar. in Symposiacis problem. dec.5. c. 10. vbi tradit causam cur sal diuinum Poëta dixerit, scribit quòd in vniuersum à salis vsu abstineãt se Ægyptiorum sacerdotes, qui castitatẽ inoffensam seruant: adeò vt insulso pane vescãtur. Qua ergo ratione, id quod sacrosanctum est, & diuinum, prophanãt & auersantur? Nec ipsi cum Græcis pugnãt: nam castitas generis propagationem, risum, vsum vini, pleraque etiam, quæ sunt alioqui seria & haudquaquam friuola, amputat & à medio tollit. Proinde fortassis ipsi, quibus castitatis vnicum est studium, à sale, vt pote, qui caloris vi libidinem prorritat (id quod nouelli asserunt) abstinent. Adde, quod veritati est consonum, eos salem fugere, ceu delicatissimum obsonium. Sal enim tantùm non reliquorum obsoniorum obsonium est & condimentum: quapropter & Gratiam sunt qui illum appellent, quòd cibi potissimam partem & vtilem condulcoret. Sal corpori nutrimenti caput est, & cibo robur solidúmq; temperamentum ad vrgendam appetentiam præbet. Præterea illud considera, num & inde diuinitas illi accesserit, quòd & corpora mortua dio imputribilia durabiliáque conseruando morti quodãmodo reluctari videatur, nec patitur cadauer omnino computrescere atque in nihilum redigi. Et paulò post, Profectò non parum conferre ad genituram sal putatur, in qua Ægyptios esse sententia memioeras mudò. Qui canibus alendis studium ponunt, vbi in Venerem sont segniores, præter alias escas, salsis muriáque conditis carnibus excitant iacentem. Venerem, morantémque vim seminalem prouocant. Præter ea quæ per mare salem conuectant naues onerariæ, innumeram murium copiam producunt, fœmellis etiam citra congressum parientibus, vbi salem illixerint. Quinetiam arbitror Venerem Salsuginem dicere, fictitiàmque de ea; ceu mari orta, fabulam prodere poëtas, dum volunt fœcundam prolificámque salis naturam incitare. Hactenus Plutarchus.

z *Vino abstineant.*] Cœlius Rhodiginus libro 5. cap. 12.

a *Mare detestentur & nautas.*] Idem Cælius vbi suprà.

b *Stephanophoris.*] Herculis sacerdos apud Tharsos Stephanophoros dicebatur, dignitate præsigni, scribit Cœlius Rhodiginus lib. 5. cap. 12. sed nullum, more suo, citat authorem.

c *Poliadis quoque Mineruæ.*] Strabo lib. 9.

d *Megabyso.*] Laërtius in Xenophonte, Profectus deinde Ephesum, dimidium auri, quod secum tolerat, Megabyso Dianæ sacerdoti seruãdum tradit quoad reuerteretur. Plin. lib. 35. c. 10. scribit, Megabyzi sacerdotis pompam pictam esse in Dianæ Ephesiæ templo. & cap. 11. eiusdem sepulchrum ibidem ostendi. Huius præterea sacerdotis Dianæ meminerunt Quintilianus lib. 5. cap. 12. & Appian. Bellorum ciuilium lib. 4.

e *Cereris verò Eumolpidi.*] Diodorus Siculus lib. 1. c. 2. ad fi. Et vide Eschinem in Oratione aduersus Cresiphontem.

f *Apud Hebræos Essæi.*] Porphyrius in lib. de Abstinentia carnium. & ex eo Eusebius Præparationis Euangelicæ, lib. 9. cap. 1. Plinius lib. 5. cap. 17. eos Essenos vocat, eorúmque ritus, mores, & superstitionem describit. Quinetiam Philo Iudæus hæc & multa alia, miranda quidem, de his scribit in libro cui titulus est, Quod liber sit, quisquis virtuti studet.

g *Flaminica cùm ad Argos vadit.*] Gellius lib 10. cap. 15. Et Ouid. de Flaminica loquens lib. 6. Fastorum scribit.

Non mihi detonsum crinem depectere buxo.
Non vngues ferro subsecuisse licet.
Non tetigisse virum, quamuis Iouis ille sacerdos,
Quamuis perpetua sit mihi lege datus.

Et ibi Antonius interpres Gellij authoritate d. lib. 10. c. 15. Flaminica, inquit, coniunx cùm iret ad Argos, nec comebat caput, nec pectebat capillum, similiter & hoc mense Iunio, ante stercus delatum. Eidem à Calend. Iuniis ante id tempus nec licebat secare vngues, nec virum tangere, hoc est Flaminem Dialem: cuius vnguium & capilli tegmina subter arborem silicam terra operiebantur. Eiusdem capillum non tondebat, nisi qui liber homo esset. Idem Ouid. lib. Fastorum 3. de Flaminica,

His etiam coniux capitis discincta Dialis
Luctibus, impexas debet habere comas.

h *Quotiésque tonitrua audisset.*] Macrobius lib. 1. Satur. c. 16. & suprà dictum est.

i *Cui mense Iunio.*] Gellius d. lib. 10. c. 15. & diximus suprà in verbo, Flaminica cum ad Agros vadit.

k *Illi quoque fabis vesci.*] Festus Pompeius lib. 6. Fabam, inquit, nec tangere, nec nominare Diali Flamini licet, quòd ea putatur ad mortuos pertinere: nam & Lemuralibus iacitur Laruis, & parentalibus sacrificiis adhibetur, & in flore eius luctus literæ apparere videntur. Id Varro confirmat apud Plin. lib. 18. cap. 12. Eadem hebetare sensus existimata est & somnia facere. Cicer. lib. 1. de Diuinat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quòd habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis verè contrariam.

l *Aut gradus supra tres ascendere.*] Gellius dicto lib. 10. cap. 15. Flaminicæ scalas, quæ Græcè κλίμακες appellantur plus tribus gradibus ascendere religiosum.

m *Soláque Dialis vxor.*] Cornelius Tacitus lib. 4. Igitur, ait, tractatis religionibus, placitum, instituto Flaminum nihil demutari. Sed lata lex, qua Flaminica Dialis, sacrorum causa in potestate viri, cætera promiscuo fœminarum iure ageret.

n *Fuítque amictus Flaminica.*] Festus Pompeius lib. 16. Granij authoritate scribit, Ricas & Riculas esse muliebre cingulũ capitis, quo pro vitta Flaminica redimitur. Et eodem

lib.

flamminicæ purpureus quadratus fimbriatus, cui nomen ricæ, quo velut palliolo vtebatur.[o] Plerique flammeum vestem flaminicæ proprium duxere, cui cælum fulmineum color, &[p] tutulum capitis ornatus, cui inerat vitta purpurea, quæ crinibus annectitur.[q] Hoc quoque non in postremis fuerit, quòd si quis nocens ad flaminem accederet, illo die ab omni pœna criminis tutus erat: qui si vinclis nexus foret, eisdem solutos laxabatur. Ac licet sacerdoti, vt rebus diuinis impensius vacaret, néve à sacris cultuque & religione deorum, aliarum rerum cura seiungeretur, magistratus gerere nõ liceret:[r] tamen & flaminem honores gessisse, & consolatum vnà & flaminium administrasse, ac tam rebus diuinis quàm humanis præfuisse, atque vtriusque honoris ornamenta gestasse, apud multos tradita memoria est.

Flaminica amiculum. *Flamen al quãdo etiã magistratus simul gerebat.*

ANNOTATIONES.

lib. in fi. Rica. inquit, vestimentum quadratum; fimbriatum & purpureum, quo Flaminicæ pro palliolo vtebantur. Ex quo loco hæc Alexander haud dubiè assumpsit. Varro li. 4. de lingua Latina, Rica, ait, à ritu: quòd Romano ritu sacrificium fœminæ cùm faciunt, capita velant.

o *Plerique Flammeum vestem Flaminicæ.*] Festus lib. 9 Flammeo amicitur nubens omnis boni causa, quòd eo assiduè vtebatur Flaminica.

p *Et tutulum capitis ornatus.*] Festus lib. 18. non adeò procul à prin. Vide Varronem lib. 5. aut ex aliorum comput. 6. ling. Lat. & Fulgentium in lib. vocum antiq. ad Calcidium

q *Hoc autem non in postremis fuerit.*] Hæc vsque ad versic Ac licet. sunt A. Gellij lib. 10. cap. 15.

r *Tamen & Flaminem honores gessisse*] Nam eosdem fuisse Flamines & Prætores atq; etiam Consules legimus. Videlicet Q. Fabium Pictorem simul & Flaminem. Quirinalem apud Liuium 4. Decad. lib. 7. non semel. Et C. Valerium Flaminem Dialem & Prætorem eiusdem Decad. 4. lib. 9. vt non mirum videri debeat, si & Flamen Ædilis curulis esse poterat, vt fuit idem Val. Flaccus apud eundem 4. Dec. lib. 2.

In quot cohortes, manipulos, centurias, decuriásque phalanx diuidatur, & quæ illius descriptio fuerit.

CAPVT XIIII.

QVOD[a] legio quondam apud Romanos fuit, id phalangem[b] Græcis,[c] Macedonibus &[d] Dardanis,[e] exterísq; nationibus valuisse, monumentis proditum est.[f] Ea enim in libero campo, & siquando expatiari licuit, magno vsui fuit. Cùm verò arctis faucibus & præruptis saxis, aut inter viarum angusta premitur, non est ea vis potestásque: quippe Macedonica phalanx immobilis,[g] semper ex stabili peditum agmine, nec partiri, nec diuidi facilis erat, quod in Romana legione longè secus: quotiésque coniunctos seruat ordines, & suis turmis ita fertur instructa, vt conmenti agmine vir viro, armis arma coniuncta forent, magno præsidio munita, ad victoriã maxima momenta fecit: sicut Orthia phalanx, quæ in cornua procedit, & in profunditatẽ ita instruebatur, vt nec à tergu assiliri, nec à fronte occursari, neque à lateribus præ magnitudine circunueniri posset:[h] quod etiam Macedonicæ phlalangi erat proprium, prælongas hastas ante clypeos obiicere, ita vt nisi in libero campo eius nullus vsus foret.[i] Si verò laxatis ordinibus semel esset dissoluta, robore simul atque

Phalanx. *Macedonica phalanx.* *Orthia phalanx.*

ANNOTATIONES IN CAP. XIIII.

a QVod legio quondam,] Seruius libro 2. Æneid in eum locum,

Et iam Argiua phalanx instructis nauibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica silentia lunæ.

Phalanx, inquit, Macedonum lingua, legio. Quod & ipsum dicit lib. 11. eiusdem operis,

—Tum mœsta phalanx Teucriq; sequuntur.

b *Græci.*] Vt patet ex d. illo loco Æneid. 2. & lib. 6. eiusdem operis,

Et Danaûm proceres Agamemnoniæque phalanges.

Et ex Homero li. 4. Iliados, vbi de ipsis Græcis & Troianis,

ἀλλὰ νέον συνεστᾶσιν κίνυντο φάλαγγες
πεζῶν δ' ἱπποδάμων, καὶ ἀχαιῶν.

Et priuatim de Atheniensibus idem Homerus lib. 2. eiusdem operis,

τῶν δ' ἄγετ' ἅμα ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες.

c *Macedonibus.*] Quod iam suprà dictum est ex Seruio: Et eorum quidem phalanx propriè erat, vt videre licet ex Liuio 1. Decad. lib. 8. cùm dicit, Et quod anteà phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies, cœpit esse. & omnes vbique. Et vide infrà.

d *Et Dardanis.*] Nam & de his loquitur Homerus d. lib. 4. & Virgilius lib. 11. loco suprà allegato ibi, Quod legio quondam. Et de his tribus Vegetius Rei militaris, lib. 2. c. item 2. in princ.

e *Exterisque nationibus.*] Vt Arcadibus apud Virgil. libro 12. Æneidos.

At fratres animosa phalanx accensáque luctu,
Par gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, cæcique ruunt.

Et Marmaridibus apud Silium Italicum lib. 5.

Non ego Marmaridum mediam penetrare phalangem,
Cyniphiaque globos dubitarem irrumpere turmæ.

Et Heluetiis Cæsar lib. 1. belli Gallici, Milites nostri è loco superiore pilis missis, facile hostium phalangem perfregerunt. Et de Romanis, vt postea dicetur.

f *Ea enim in libero campo.*] Liuius 4. Decad. lib. 1. Erant, ait, pleraque syluestria circa, incommoda phalangi, maximè Macedonum: quæ, nisi vbi prælongis hastis velut vallum ante clypeos obiecit (quod vt fiat, libero campo opus est) nullius admodum vsus est. Ex quo loco hic haud dubiè sumptus est.

g *Semper ex stabili peditum agmine.*] Quintus Curtius li. 3. de Macedonibus loquens, Sed Macedonũ acies torua sanè & inculta, clypeis hastisque immobiles cuneos & conferta robora virorum teget. Ipsi phalangem vocant peditum stabile agmen. Vir viro, armis arma conserta sunt, ad nutum monentis intenti, sequi signa, ordines seruare didicere. Quod imperatur, omnes exaudiunt: obsistere, circuire, discurrere, in cornu mutare pugnam, non duces magis, quàm milites callent. Hactenus Curtius.

h *Quod etiam Macedonicæ phalangi.*] Hæc sunt ex Liuio 4. Decadis lib. 1. cuius verba adduximus suprà ibi, Ea enim in libero campo.

i *Si verò laxatis ordinibus.*] Hoc alibi attigimus ex Vegetio.

ordine dissiparo, omnis vis virtúsque eius puncto temporis dissoluuntur. [k] Hanc, qui de instruendis aciebus memoriam reliquere, quique in ea describenda multum studij & operæ contriuere, [l] ex nouem armatorum millibus alij ex vigintiquinque millibus, vt Syri: Persæ ex quadraginta millibus definiere. Cuius exemplo Perseus aduersus Æmylium Paulum ex quadraginta millibus phalangem instruxit, [m] Alexāder Romanus imperator ex triginta millibus, [n] Macedones verò ex sedecim millibus, trecentis octoginta quatuor militibus constare dixerunt, quos phalangitas vocant: [o] sicut à Philippo primùm, mox ab Alexandro descripta fuit, qua quidē externi duces velut firmissimo robore vsi fuere: nam tanti momenti fuit, vt incredibile dictu sit, quàm parua manu quantas copias fuderit. Sequutis inde tempestatibus, Græcorum duces diuersas rutmas legionésq; descripsere, inter quas Macedonum robur [p] Sarissophorus magni æstimatur, quo velut firmissimo munimento in posterum vsi sunt. Lacedæmonij raras instruxere phalanges, Germani densatis agminibus, scutis capita concrecti, obiectis parmis, phalangem ita composuerunt, vt ad irrumpendum magna momenta faceret. [q] Ea verò phalanx ita descripta erat, vt in minimas partes diuidi, rursus momēto temporis in vnum colligi posset: quoque distinctior esset, singulæ ipsius partes propria sortitæ sunt nomina: Siquidem hæc phalanx quadruplaris, in singulas duplares diuiditur, [r] quibus cornua nomen indidere: quarum singulæ octo millia centum nonaginta duos milites habent, decurias verò quingentas duodecim Hanc postea duplarem in duas simplares iterum partiti fuere, quarum singulas ex hominibus quatuor millibus octoginta sex effecerunt. Item simplaris ista in duas rursus diuiditur partes, quibus nomen Meros, quæ hominum duorū millium quadtaginta rium describitur, quarū quælibet ex centum vigintiocto decuriis constat. Rursus Meros cohortem milliariam facit: ea autem est hominum mille vigintiquatuor, hoc est, centuriarū sexagintaquatuor, cuius præfectus maior tribunus appellatur. Ista deinde milliaria in duas quingentarias, quarum singulæ homines quingentos duodecim, centurias trigintaduas habēt, eiúsque ductor tribunus minor: eandémq; quingentariam in duos manipulos partiri sunt. [s] Singuli verò manipuli homines recipiunt ducentos quinquagintasex, decurias verò sedecim, cui doctor manipularius præerat, quam * & Synagiam vocant. Rursus manipulū duas centurias facere volunt, [t] quarum quælibet milites centum vigintiocto, hoc est, octo decurias capit. Nam duplicata centuria manipulū facit, [v] cuius præfectus centurio ordinarius vocatur. Simplex verò centuria duas quadruplares decurias facit, quarum singulæ hominum sexagintaquatuor: quæ quadruplaris in duas duplares diuiditur, quarum ex triginta duobus militibus fiunt singulæ: duplarisque decuria in simplarem, quæ ex sedecim militibus scribi dicique consueuit. [x] Hæc enim totius phalāgis Macedonicæ, quā ex se-decim millibus trecentis octogintaquatuor militibus veteres effecerūt, percommoda descriptio fuit. In qua duo sunt cornua, duplarésque phalanges duæ, simplares quatuor, partes octo cohortes milliariæ sedecim quingentariæ trigintaduæ, manipuli sexagintaquatuor, centuriæ centum vigintiocto, decuriæ quadruplares ducentæ quinquaginta sex, duplares sexcentæ duodecim, simplares mille vigintiquatuor. Ex his ergo effici cogit, potest, quid phalanx, quid cohors, manipulus, centuria, decuriáue sit, quantúmque militum in disponēdis aciebus externa descriptione vnaquæque capere assueuit. † Qua quidem phalange Romanos duces contra exteras gentes aliquando vsos competimus, illámque non vno militum

Marginal notes: Phalanx ex quot constabat apud diuersas gentes. Phalangitæ. Sarissophorus. Singularũ partiũ phalāgis nomina. Quadruplaris. Duplaris. Cornua. Simplaris. Meros. Cohors milliaria. Tribunus maior. Quingentaria. Tribunus minor. Manipuli. Manipularius. * Synagia. Centuria. Centuria simplex. Decuria quadruplaris. Decuria duplaris. Decuria simplaris. Romanorũ phalāgis vsus.

ANNOTATIONES.

k *Hanc.*] Scilicet phalangem Macedonicam.

l *Ex nouem armatorum millibus.*] Octo dicit Vegetius lib.2. cap.item 2.

m *Alexander Rom. Imperator.*] Lampridius in vita illius.

n *Macedones verò.*] Liuius 4. Decad. lib.7. loquens de exercitu Antiochi, Regia, inquit, acies 10. & 6. millia peditum more Macedonum armati fuere, qui Phalangitæ appellabantur. Et de hac quoq; Phalangitarum appellatione, idem 5. Dec. lib.2. & iterum 3. Nec tamen idem semper fuit numerus Phalangis. Nam Polybius lib.5. Phalanx, ait, circiter vigintiquinque millia continebat. & alibi eod. lib. Phalangis multitudo vltra viginti hominum millia continebat.

o *Sicut à Philippo primum.*] Scilicet Alexandri magni patre ex Diodoro Siculo lib.16. c 1.

p *Sarissophorus.*] Id est, Sarissas deferens. Vide infrà cap. 22. De his autem Quintus Curtius libro 4. Itaque Alexander Aretem Ducem hastatorum, quos Sarissophoros vocabant, aduersus Scythas mittit. Liuius 4 Dec. lib.6. Tum Macedonum robur, quos Sarissophoros appellabant, velut firmamentum circa ipsas munitiones, constituit. Ex quo loco Alexander hunc locum desumpsit. Sarissa Macedonum describit Ælianus de Instruendis aciebus, cap.4.

q *Ea verò phalanx.*] Hæc propemodum sunt Æliani de Instruendis aciebus, & Modesti de Vocabulis rei militatis ad Tacitum Augustum.

r *Quibus cornua.*] Terentius in Eunucho act.4. sce.7.

Tu Simalio in sinistrum cornu, tu Syrisce in dextrum.

Cæsar libro 1. bel. Gall. Ipse à dextro corno prælium commisit & omnes vbique.

s *Singuli verò manipuli.*] Aliter Liuius 1. Dec. lib.8. Seruius lib.11. in eum locum,

Tu Volusce armari Volscorum edice maniplis.

Maniplis, inquit, significeris, qui secundum antiquum morem in legione triginta erant. Legio autem habebat sex cohortes, sexaginta centurias: licet in his rebus accessu temporis ducum varietas semper mutauerit militiæ disciplinam. Vide Vegetium Rei militaris lib.2. cap.6. & quæ dicta sunt suprà lib.1. c.5.

t *Quarum qualibet milites* 128.] Aliter festus Pompeius lib.3. vbi de centuria loquitur.

u *Cuius præfectus Centurio ordinarius.*] Vide tamen an & qui huic præerant Duplicarij dicebantur. Nam Liuius 5. Decadis libro 2. de Apio loquens, Ad hoc Centuriones Duplicariosque, qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi percussit.

x *Hæc enim totius phalangis Macedonicæ.*] Vide suprà in verbo, Macedones. Phalangis Macedoniæ formam describit Appianus in libro, qui Syrius inscribitur.

† *Qua quidem phalange Romanos.* Cæsar libro 1. bellorum Ciuilium, Suetonius in Nerone, cap.19. Tacitus lib.8. Herodianus lib.4. vbi de phalange Macedonica Antonini Bassiani. & in seq. Nam & Athenæus lib.6. Dipnosophistar. ca.8.

eodémque

numero descripsisse: [y] nam contra Mithridatem & Archelaum Sylla, & Romani plerique duces contra exteros phalange vsi sunt. [z] Postea verò manipulatim struere aciem cœpere, illámque in plures ordines, turmas, decurias centuriásque, atque ordines diuisere. [a] Galli verò & Celtiberi, [b] atque exteræ nationes pleræque, non phalangem, sed cateruas habuere, hominum denûm, aliquādo senûm millium. Sed quod est de cohorte milliaria dictum vel quingentaria, licet animaduertere, illam dissimili modo [c] Græcos variasse, qui pro tempore & locis, & prout quisque commodum putauit, cohortes non vna facie descripsere: [d] siquidē Polybius ex nonaginta hominibus cohortem fecit, Callisthenes ex septingentis, Ephorus ex quingentis, Gorgias ex quadringentis lectis viris, quam sacram nuncupauit. Samnites quadragenariam fecere cohortem, quæ [e] Linteata dicta. Camertes sexcentorum hominum cohortem Romanis aliquando misere ex fœdere. [f] Nestor verò apud Homerum per singulas tribus cohortes disposuit, vt in conflictu præliorum alter alteri opem ferret, & inuicem se iuuarent. Fuitq; miræ obseruationis apud Græcos, vt prima cohors tanquam firmissimum robur ex quadringentis militibus fiat, à Romanis verò præter milliariam & quingentariam, etiam ex ducentis militibus primùm Syllæ temporibus cohortem descriptam fuisse, apud multos nota memoria est.

Galli: Celtiberi.

Milliaria & quingentaria cohortis variatio apud Græcos, Iliados B.

ANNOTATIONES.

eodémque vltimo, tradit, Romanos à Tyrrhenis accepisse, easque in pugnas constituere à Samnitibus didicisse.

y *Nam contra Mithridatem & Archelaum Sylla.*] Appianus in Mithridatico.

z *Posteà verò manipul.*] Liuius 1. Decad. li. 8. & quod antea phalanges similes Macedonicis erant, hoc postea manipulatim structa acies cœpit esse.

a *Galli verò & Celtiberi.*] De his duobus & aliis pluribus Barbaricis nationibus Vegetius lib. 2. cap. item 2.

b *Atque exteræ nationes.*] Vt Germani ex Cor. Tacito li. 20.

c *Græcos variasse.*] Vt patet ex seq.

d *Siquidem Polybius.*] Lib. 12.

e *Quæ Linteata dicta.*] Liuius 1. Decad. lib. 10. huius nominis rationem reddens, loquit. Ea legio Linteata ab integumento consepti, quo sacrata nobilitas erat, appellata est. Festus Pompeius libro 10. non longè à princ. Legio Samnitum Linteata appellata est, quòd Samnites iurantes singuli ad aram velis linteis circundatam, non cessuros se Romano militi iurauerant.

f *Nestor verò apud Homerum.*] Lib. Iliad. 1.

Res sacræ, religiosæ & sanctæ, quæ censerentur apud veteres, quibúsque sacrum aut sanctum facere licuit.

CAPVT XIV.

RES [a] sacras religiosas & sanctas, in nullius semper bonis fuisse, veteri lege seruatum est: erant enim sacra diuino cultui mancipata. Ait enim Trebatius, Quicquid deorum ergò habetur, sacrū est, siue ædes, siue ara, vel signum, locus aut pecunia, siue quicquid aliud more institutóque ciuitatis ritè diis consecratum foret. [b] Ea verò consecratio, vel à consule aut imperatore [c] accenso foculo fit, [d] cum tibicine, [e] verbis priscis & solennibus, [f] præeunte verò pontifice maximo præfante carmen, [g] capite velato, & concione aduocata, ac iussu populi, [h] iniussu enim populi, iuxta diuinas traditiones, cōsecrari ædem, terram, agrum, aut sanciri, nihil poterat. [i] Postea latum ad populum fuit, plébsque sciuit, vt in templi consecratione aræve, etiā iussus senatus, tribunorumq;

Sacrum quid l. sacra. ff. de rerum diuis. & §. sacra Inst. eod. tit. Cōsecrationis caeremonia. Iniussu populi nihil cōsecrabatur.

ANNOTATIONES.

a RES *sacras.*] Id initium est ex l. intantum. §. sacræ res. ff. de rerum diuis. & §. nullius. Instit. eod. tit. & vide Macrobium lib. 3. cap. 3.

b *Ea verò consecratio.*] Liuius 1. Decad. lib. 9. ad fin. cuius hæc verba sunt, C. Flauius Cn. filius scriba, patre libertino humili fortuna natus, cæterùm callidus vir & facundus, ædem Concordiæ in area Vulcani summa inuidia nobilium dedicauit, coactúsque consensu populi Cornelius Barbatus Pontifex Maximus verba præire: cùm more maiorum negaret nisi Coss. aut Imperatorem posse templum dedicare. Sed quod dicit Consulem aut Imperatorem, adde & Prætorem, vel etiam Proprætorem ex Cornelio Tacito lib. 20. quo loco citabimus inferius.

c *Accenso foco.*] Cicero in Oratione pro domo sua ad Pontifices de Consecratione loquens, Atqui C. Attinius patrum memoria bona Q. Metelli, qui proaui tui P. Scipio consecrauit foculo posito in rostris, adhibitóque tibicine. Et infrà, Quid ergo illa tua tum obtestatio tibicina? quid foculus? quid preces? quid prisca illa verba voluerunt? Et vide infrà num. 7.

d *Cum tibicine.*] Cicero dictis locis.

e *Verbis priscis & solennibus.*] Id ex Cicerone est in ea ipsa Oratione pro domo sua ad Pontifices, Ego verò si omnia solennibus verbis veteribus & priscis institutis acta esse dicerem, &c. Et paulò pòst, Si Tribunus plebis verbis non minus priscis & solennibus bona ciuis cuiuspiam consecrarit, non valebit? Et vide in præced.

f *Præeunte verò Pontifice Maximo.*] Liuius vbi suprà lib. 3. & Corn. Tacitus lib. 20. quo loco infrà citabimus.

g *Capite velato & concione aduocata.*] Cicero in d. Oratione pro domo sua, Sed quid ego cæteros? Tu tu, inquam, capite velato concione aduocata, foculo posito, bona tui Gabinij, cui regna omnia Syrorum, Arabum, Persarúmque donaria consecrasti.

h *Iniussu populi.*] Cicero in illa eadem Oratione, Video, inquit, esse legem veterem Tribunitiam, quæ vetet iniussu plebis ædes, terram, arcem consecrare. quam postea dicit Q. Papyrium rogasse, ob idque legem Papyriam vocatam fuisse. Idem ad Atticum epist. 2. lib. 4. loquens pro domo sua, quam dedicari Clodius contendebat, Cùm Pontifex, inquit, ei rei præfectus esset, neque populi iussu, neque plebiscitis id facere iussus esset, videri, posse sine religione eam partem areæ mihi restitui.

i *Posteà latum ad populum fuit.*] Liuius 1. Decad. lib. 9. ad finem subdens ea quæ suprà ex eo adduximus, Itaque, ait, ex authoritate Senatus latum ad populum est, ne quis templum arámve iniussu Senatus, aut Tribunorum plebis partis maioris dedicaret.

Plebis maior pars interesset: in [k] quod illud seruatum est, ne vlla cella duobus diis dicetur.[l] Demum lege Papyria non modò templa & aras, sed ne priuatas quidem ædes sine iussu populi consecrare, aut sempiterna religione obligare licuit: nam quod priuatus religionis ergò sacrauit, sacrum non esse consentiunt omnes. Fuitq; Platonis sententia, vt deorum delubra nemo priuatus cōstituat, satis arbitratus ad immolādum publica templa patere,[m] Funestámq; familiam, aut hominē funere pollutū, templum arámve dedicare, aut à lugētibus sacrificari, vel aliquid consecrari, vetabatur: nāque in luctu diis supplicare, non sacrificare licebat, quum sine gemitu aut morsu animi sacris interesse deceat.[n] Propterea in sacrificiis anniuersariis, & ædis dedicatione, publicū luctum minui perpetua lege cauebatur.[o] Cum siquādo exitiali bello & terribili strage dimicatum foret, ne propter luctus acerbitatem & intestinum vrbis malum sacra Cereris intermitterentur, lugendi tempus ad certam fuit diem præfinitum: quod etiam in Græcis in vsu erat, vt in annua Cereris celebritate, funestos interesse,[p] aut vota exoluere, vetaretur. Templi verò consecratio fiebat, vt qui templum ædémve dedicaturus erat, [q] postem tenens, [r] accenso foculo, & aduocato numine cui templū ædésve sacrātur, se ex prophano vsu & humano iure templum, cellam, mensas, arulas quæque eò pertinent, eximere, eáque conceptis verbis ipsi numini (nominat numen) diuina humanáque omnia consecrare dicaréque affirmet, Sabina herba ad sacrum adhibita, sine qua templum ædémve, phana aut sacella, minimè dicari putarunt posse.[s] Fuitq; constitutū, vt in dedicanda ara vel simulacro, postē teneri non oporteret, in æde verò necessum foret: in quo est animaduersum, si parum rectè tabernaculum captum esset, crimē spretæ religionis admitti. Atheniensibus verò in ara cōsecranda, vel statua dedicanda, mulieres in veste versicolori ollas leguminum circunferunt, illásque gratias agentes, erectoribus diuidunt.[t] Notatúmque & illud, consecrationis verba ritè concipi oportere, ne syllaba vel verbo cadant:[u] quare Metellum pontificem ædem dedicaturum, quum balbus esset, multum laborasse ferunt, vt verbū Opiferę, rite exprimere, & sine offensione posset:[x] sicut Demosthenes linguæ impedimento offensus, adeò blæsus erat, vt in exprimendo ρ literam, multum laborasse dicant, pro qua λ proferebat.[y] Vtque in cōsecratione ædis, si quando luctu

Papyria lex. — *Platonis sentētia.* — *Alia obseruationes.* — *Græci.* — *Cæremonia in templi consecratione.* — *Sabina herba in dedicationibus.* — *In dedicāda ara vel simulachro.* — *Athenienses.* — *Cōsecrationis verba articulatè exprimēda.* — *Demost. blæsus.* — *Luctus remissus.*

ANNOTATIONES.

k *In quod illud seruatum est.*] Valerius Maxi. lib.1. cap. 1. de Cultu deorum, vbi de Marcello & templo honoris, Cùm Marcellus, inquit, quintum Consulatum gerens, templum Honori & Virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus nuncupatis debitum votis consecrare vellet, à collegio Pontificū impeditus est, negante vnam cellam duobus diis rectè dicari: futurum enim, si quid prodigij accidisset in ea, ne dignosceretur, vtri rem diuinam fieri oporteret: nec duobus nisi certis diis vnà sacrificari solere: ea Pontificum admonitione effectum est, vt Marcellus separatis ædibus, Honoris ac Virtutis simulachra statueret: neque aut collegio Pontificum authoritas amplissimi viri, aut Marcello adiectio impensæ impedimento fuit, quo minus religionibus suis tenor, suúsq; obseruatio redderetur. Liuius Decad. 3 lib.7. Marcellum aliæ atque aliæ obiectæ animo religiones tenebant: in quibus, quòd, cùm bello Gallico ad Clastidium ædem Honori & Virtuti vouisset, dedicatio eius à Pontificibus impendebatur, quòd negabant vnam cellam ampliùs quàm vni Deo rectè dedicari. Quia, si de cælo tacta, aut prodigij aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret: quòd vtri Deo diuina res fieret, sciri non posset. Neque enim duobus nisi certis deis ritè vna hostia fieri. Ita addita Virtutis ædes approperato opere: neque tamen ab ipso ædes eæ dedicatæ sunt. Meminit Florus in Liuij Epitome lib. 19.

l *Demum lege Papyria.*] Cicero in Oratione pro domo sua ad Pont. & vide suprà in verbo, Iniussu populi.

m *Funestámq; familiam.*] Liuius 3. Decad. lib.2. loquens de clade Cannensi, Tum priuatæ quoque per domos clades vulgatæ sunt: adeóque totam vrbem oppleuit luctus, vt sacrum anniuersarium Cereris intermissum sit: quia nec lugentibus id facere est fas, nec vlla in illa tempestate matrona expers luctus fuerat. Itaque ne ob eandem causam alia quoque sacra publica aut priuata desererentur, Senatusconsulto diebus 30. luctus est finitus.

n *Propterea in sacrificiis.*] Festus Pompeius lib.11. Minuębatur, inquit, populo luctus ædis dedicatione, cùm à Censoribus lustrum condebatur, cùm votum publicè susceptum soluebatur.

o *Tum si quando.*] Id quod diximus ex Liuio in verbo, Funestámque familiam.

p *Aut vota soluere.*] Festus Pompeius loco suprà citato ibi, Propterea in sacrificiis.

q *Postem tenens.*] Liuius 1. Decad. li.2. in dedicatione ædis Iouis in Capitolio, sic scribit. Postem iam teneuti consuli, fœdum inter precationem deûm nuncium incutiunt: mortuum eius filium esse, funestáque familia dedicare eum templum non posse. Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit, nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. Nihil aliud ad eum nunciū à proposito auersus, quàm vt cadauer efferri iuberet: tenens postem, precationem peragit & dedicat templum. Valerius Maximus libro 5. cap.10. Horatius Puluillus cùm in Capitolio Ioui Optim. Maxim. ædem Pontifex dedicaret, interque nuncupationem solennium verborum postem tenens, mortuum esse filium audisset, neque manum à poste remouit, ne tanti templi dedicationem interrumperet: neque vultum à publica religione ad priuatum dolorem reflexit, ne patris magis quàm Pontificis partes egisse videretur. Seneca de Consolatione ad Martiam. Ante hos Cicero in d. Oratione pro domo sua, Verbóne Pontifices putatis, si is postem tenuerit, & aliquid dixerit, domum vniuscuiusque consecrare posset.

r *Accenso foculo.*] Dictum est suprà in verbo, Accenso foco.

s *Fuitq; constitutum.*] Cicero in Oratione pro domo sua ad Pontif. Postem teneri in dedicatione oportere videor audisse templi. & paulò post, Simulachrum autem aut aram si dedicasti, sine religione loco moueri potest.

t *Notatúmq; & illud.*] Quod probas exemplo seq.

u *Quare Metellum.*] Plinius libr.11. cap.37. Metellum Pontificem adeò inexplanatæ fuisse linguæ accepimus, vt multis mensibus tortus credatur, dum meditatur in dedicanda æde Opiferæ dicere.

x *Sicut Demosthenes.*] Plutarchus in vita illius.

y *Vtq; in consecratione ædis.*] Festus Pompeius lib.11. Minuebatur populo luctus ædis dedicatione.

z *Cúmq; omnia sacra.*] Id vsque ad versic. Religiosum. sunt Macrobij libro 3. cap. 7. Veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur: sed abigebant ad fines deorum, quibus sacrum esset: animas verò sacratorum hominum, quos Græci ζανας vocant, diis debitas existimabant.

Quem

publico populus teneretur, dimissis sagis, candidas vestes induant. [z] Cumque omnia sacra tanquam diis debita, violari nefas foret: hominem tamen sacrum & deo deuotum morte afficere, nefas non putarunt, tanquam illius anima diis deuota, amplius humani commercij non sit. [a] Religiosum verò locum eum facere dicunt, qui defunctum cadauer aut cineres in locum suum defert, quive mortuum in prædio locóve suo humo tegit: [b] locus tamen vbi crematur corpus, prius quàm iniecta gleba sit, non ideo religiosus manet, sed prophanus. [c] Sed quum à prima origine intra suas quisque ædes defossa cadauera haberent, [d] vnde Lares in singulis ædibus colendi religio peruasit, in [e] Larario, in quo præter deorum penatium, etiam insignium virorum, quas venerarentur, effictas imagines habebant: [f] quare Seuerus imperator religione tactus, Christum, Abraham, Orpheum & Apollonium, velut deos intra ędes veneratus est: [g] postea lege 12. tabularum, ne intra vrbem sepelire liceret, probè cautũ fuit. [h] itaque in agris quisque suis sepulchra & loculos, in quibus cineres suorum conderent habuere. [i] Cineres tamen illorum qui triumphassent, aut [k] imperatorum, summorumque ducum, qui rempub. auxissent, [l] virginumque Vestalium, in vrbem ferri, & in foro condi licebat. [m] Primumque Traianum Augustum sepulchrũ in foro meruisse accepimus, [n] quod & posteris deinceps datum est. A qua institutione postea desitũ esse crediderim: [o] namque Hadrianus, & mox Antoninus Pius Augustus, ius antiquũ renouans, ne cui intra vrbem sepelire liceret, edictis decretisque sanciuere. [q] Quę Platonis etiam institutio fuit, vt in agro infœcundo & sterili sepulchra constituerentur, ne viuentibus officiatur. Cumque tota familia sepulchri patrisfamilias particeps foret (quippe extra sacra & legem inferri cadauer non licebat) procedente mox tempore, ne in genus & posteros sepulchra descenderent, alia fuit lege san-

Homo sacer.

In loco consecrando.

Sepeliendi locus apud priscos Romanos.

Imagines in Larario.

Quorum cineres in vrbe sepelire liceat.

Sepulchra familia.

ANNOTATIONES.

Quemadmodum igitur quod sacrum ad deos ipsos mitti non poterat, à se tamen dimittere non dubitant: sic animas, quas sacras in cœlum mitti posse arbitrati, sunt, viduatas corpore quam primùm illò ire voluerunt. Vide Festũ Pompeium lib. 17.

a *Religiosum verò locum.*] Martianus in l. in tantum. §. religiosum. ff. de rerum diuis. & repetitur in §. religiosum. eodem titul. Idque videre licet ex toto penè tit. ff. de religiosis & sumptibus funerum.

b *Locus verò vbi crematur corpus.*] Cicero lib. 2. de Legibus: Prius quàm in os iniecta gleba est, locus ille, vbi crematum est corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba tum & ille humatus est, & sepulchrum vocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur.

c *Sed cùm à prima origine.*] Seruius in eum locum libro 5. Æneidos,

Præterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.

Sciendum, inquit, quia apud maiores, vbi quis vbicunque fuisset extinctus, ad domum suam referebatur, & illic qui erant octauo die incendebant, nono sepeliebatur. Et rursus libro 6. vbi de Miseno summo artifice in sono tubæ loquitur.

Sedibus hunc refer antè suis & conde sepulchro.

Sic scribit, Apud Maiores omnes in suis domibus sepeliebantur: vnde ortum est, vt Lares colerentur in domibus: vnde etiam Laruas vocamus.

d *Vnde Lares.*] Seruius vbi suprà. Et vide suprà libro 5. capit. 24.

e *In Larario in quo &c.*] Quod probat ex seqq.

f *Quare Seuerus Imperator.*] Scilicet Alexander Seuerus ex Lampridio, qui id de eo refert in vita ipsius: cuius hæc verba sunt, Vsus viuendi eidem hic fuit: Primùm, vt si facultas esset id est, si non cum vxore cubuisset, matutinis horis in Larario suo, in quo & diuos Principes, sed optimos electos & animas sanctiores, in queis & Appollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham & Orpheum, & huiusmodi deos habebat, ac maiorum effigies, rem diuinam faciebat.

g *Postea lege 12. Tabularum.*] Cicero lib. 2. de Legibus, vbi eius legis verba sic scribit, Hominem mortuum in vrbe ne sepelito, néve vrito. Quod postea Duillio Consule Senatus prohibuit. & leganit (aut vt alij leguot) cauit ne quis in vrbe sepeliretur, vt scribit Seruius in 11. libr. Æneidos Virgilij quo loco statim citabimus. Et hîc omnino vide suprà lib. 3. cap. 2.

h *Itaque in agris quisque suis.*] Vt videre licet ex Cicerone in Oratione pro Sex. Roscio, Cui de tanto patrimonio ne iter quidem ad sepulchrum partium relictum est. Et Horatio Serm. lib. 1. Sat. 8. illis versibus.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, heredes monimentum ne sequerentur.

Et Liuio 1. Decad. lib. 6. Quod & apud Græcos obseruabatur, vt docet Æschines aduersus Timachum, & Aristophanes in ἐκκλησιαζούσαις, siue concionantibus. Et apud Hebręos vt docent Sacræ literæ Genesis cap. 23, Abrahamus sepeliuit vxorem suam Saram in spelunca duplici, quàm quadringentis siclis argenti probatæ monetæ publicæ emerat ab Ephrone, præsentibus filiis Heth. Et vt testatur D. Ioannes cap. 19. in fi. Iosephus ab Arimathea, & Nicodemus corpus D. nostri Iesu Christi linteis cum aromatibus obligatum, vt Iudæis sepeliendi mos erat, posuerunt in monumento nouo, exciso in petra, & in quo nondum quisquam positus fuerat, quod erat in horto iuxta locum vbi crucifixus fuerat.

i *Cineres tamen illorum, qui triumphassent.*] Plutarchus probl cap. 79.

k *Aut Imperatorum.*] Seruius in li. 11. Æneid. in eum locum

——Aruectaq; partim
Finitimos tollunt in agros, vrbiq; remittunt.

Et vide suprà lib. 3. cap. 2. ad fi.

l *Virginumq; Vestalium.*] Seruius in eodem loco, vbi & id dicit, Ipsas quoque Vestales, viuas tamen intra vrbem in campo Scelerato obrutas fuisse. quod & nos alibi diximus.

m *Primumq; Traianum.*] Solus omnium, authore Eutropio lib. 8. in princ. omnium Traianus intra vrbem sepultus est, Ossa collata in vrnam auream, in foro quod ædificauit, sub columna sita sunt. Sic autem scribit Sex. Aurelius Victor, Huius scilicet Traiani, exusti corporis cineres relati Romã humatique Traiani foro sub eius columna, & imago superposita, sicuti triumphantes solent, in vrbem inuecta, Senatu præeunte & exercitu.

n *Quod & posteris deinceps datum.*] Id pugnat cum eo quod confestim sequitur, nam Hadrianus nullo alio intermedio post ipsum Traianum imperauit.

o *Namque Hadrianus.*] Vlpianus in l. Prætor ait. 2. §. Diuus: ff. de sepulchro violato. scribit, Hadrianum rescripto suo pœnam statuisse quadraginta aureorum, & in eos qui in ciuitate sepeliunt, quam fisco inferri iussit, & in magistratus, qui hoc passi sunt, locumque publicari iussit & corpus transferri.

q *Quæ Platonis etiam institutio fuit.*] In libro 12. de Legibus,

Sepulchra pro dignitate & opibus. Lex de sepulchris struendis. Epodiū & Epitaphium. Demetrij sanctio. Sylla. Lycurgi. Solonis. Ægyptiis tria sepulchrorum genera. Æthiopes Indi. Germani Cyrus. Romani. Megarenses. Diogenis sepeliēdi ratio.

cirum, donec nono postea edicto ad genus & familiam pertinuere. [r] Quæ quidem pro dignirate & opibus ficbant maiora, si imperatores aut summos duces amplis honoribus functos, sepelire contingeret: minora verò, si mediocris forrunæ viros sepulchro condi curarent. In quibus literis adnotabant, quot pedes à fronre, quot in latitudinem sacer locus procederet. Sed quum profusissimæ impensæ, & magnæ moles sepulchrorum quotidie fierent, sequutis inde temporibus, ne ampliori opere excitari sepulchrum, [s] quàm quod quinque diebus absolueretur, [t] nec maiori lapide, quàm qui laudes sepulti & titulos honorum acciperet, lege cautum fuit: [u] quod Græci epiodium, siue [x] epitaphium dixere, [y] id quod Plato legibus cauit, & Græci sanciuere, ne quis maioris operæ sepulchrū excitaret, quàm quod decem homines triduo perficerent: [z] néve Hermas in Ceramico apponere, [a] aut longè petito proœmio epigramma inscribere fas foret. [b] Mox Demetrius rex nouis sepulturis modum statuit, sanxitque super defuncti cineres erigi columellam, quæ vltra cubitos très non extaret, Quod Sylla lege promulgata constituit, qua funebres impensæ & ambitiosæ exequiæ, atque ad rogum munera, necnon conuiuiorum impendia, præscripto fine taxabantur: qui tamen in Merellæ coniugis funere legem suam transgressus, profusione maxima exequias dedit, Lycurgus verò defuncti nomen tumulo asscribi vetuit, nisi illius qui fortiter pro patria occubuisset, & operam in bello reipub. nauasset. [c] Solō verò pœna coercuit illos, qui sepulchra delerent, aut in gentilia alienum inserrent. [d] Ægypriis tria fuere sepulchrorum genera: vnum præcipuum & maximi sumptus, quod argenti talento taxabatur: medium minarum viginti: humile verò, ex leui materia minimæ impensa. [e] Clariora fuere Æthiopibus: nam ditiorum monumenta ex auro fiunt, tenuiorum ex argento, inopes autem conduntur fictilibus. [f] Indi & [g] Germani operosa sepulchra, vt grauia defunctis, aspernati sunt, itaque humili condebantur tumulo. [h] Cyrus vero apud Xenophontem, non auro, nec argento condi, sed terræ corpus reddi voluit velut matri. Singulosque singulis sepulchris condi apud Romanos diu permāsit, [i] quod ab Atheniensibus vsurpatum est. Megarenses contra: nam tres aut quatuor defuncta corpora singulis condebant tumulis prona: [k] contra Diogenes Cynicus. nam corpus i faciem sepeliri censuit, inferiora aliquando conuertenda arbitratus. In publico tamen non fuisse ius sepulturæ, ex decreto pontificū ca-

ANNOTATIONES.

bus, Nullum, ait, in loco fœcundo & agro ad culturam apto sepulchrum fiat. Sed is locus corpora defunctorum recipiat qui ad cętera inutilis, & ad id tantùm commodius viuentes minimè lædit. Nec enim à viuis & à mortuis terræ matris fœcunditas impedienda est. Nemo ergo aut viuens, aut mortuus aliquem alimento priuet.

r *Quæ quidem pro dignitate & opibus.*] Quod & nostris legibus probatur l. at si quis 14. §. hæc actio. illis verbis, Æquum autem accipitur ex dignitate eius, qui funeratus est: ex causa, ex tempore: ex bona fide: vt neque plus imputetur sumptus nomine, quàm factum est: neque tantum, qoantum factum est, si immodicè factum est. Debet enim haberi ratio facultatum eius, in quem factum est: & ipsius rei, quæ vltra modum sine causa consumitor. Vide supra lib. 3. cap. 7. incip. Eam verò pyram. Ex legibus autem Platonis libro 12. Lex, inquit, ista sit, vt qui maximi census est, ad funus & sepulturam non plus quàm minas quinque impendat, qui secundi tres, tertij duas, quarti vnam: atque ita singulorum modica erit impensa.

s *Quàm quod quinque diebus.*] Id Platonis est dicto libro 12. de Legibus, Agger, inquit, de sepulchris loquens, non altior sit eo cumulo, qoem viri quinque diebus construere possunt.

t *Nec maiori lapide.*] Plato ibi, Lapides, ait superstruantur non maiores quàm vt possint defuncti laudes quatuor solùm heroicis versibus editas comprehendere.

u *Quod Græci Epiodium.*] Epiodium siue Epicœdiom, canticum quod dicitur cadaueri nondum sepulto: alio nomine Nœnia diciror, ex ἐπὶ super, & ᾠδὴ canticum.

x *Siue Epitaphium.*] Cicero lib. 5. de Legibus D. Hieronymus D. Augustino respondens, Epitaphium asserit propriè scribi mortuorum: sicut ab ipso epitaphium Nepotiani scriptum est. Liber item D. Hieronymi, qui de viris illustribus inscribitur, à quibusdam dicitur Epitaphium, qui titulus, vt inquit Diuus Augustinus, probari posset, si eorum tantùm hominū, vel vitas, vel scripta contineret, qui iam defuncti essent.

y *Id quod Plato legibus.*] Lib. 12. de Legib. & vide infrà in verbo, Néve Hermas in Ceramico.

z *Neve Hermas in Ceramico.*] Cicero lib. 2. de Legibus paulò ante fin. Sed post aliquanto, propter has amplitudines sepulchrorum, quas in Ceramico videmus, lege sancitum est, nequis sepulchrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo: neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos quos vocant, licebat imponi: nec de mortui laude nisi in publicis sepulturis: nec ab alio, si qui publicè ad eam rem constitutus esset, dici licebat.

a *Aut longè petito proœmio*] Cicero d. lib. 2 de Legibus.

b *Mox Demetrius Rex.*] Cicero d. lib. 4. de Demetrio, Sepulchris, inquit, nouis finiuit modum. Nam super terræ cumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis, ne altiorem, aut mensam, aot labellum: & huic procurationi certum magistratum præfecerat.

c *Solon.*] Cicero d. lib. 2. de Legibus. De sepulchris autem nihil est apud Solonem amplius, quàm nequis ea deleat, néve alienum inferat, pœnáque est, si quis bustum (nam id puto appellari τύμβον) aut monimentum, inquit, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.

d *Ægyptiis.*] Diodorus Siculus lib. 2. c. 5.

e *Clariora fuere Æthiopibus.*] Vide Herodotum lib. 3. Diodorum Siculum lib. 3. c. 5.

f *Indi.*] Strabo lib. 15.

g *Et Germani.*] Cornelius Tacitus de Morib. Germanorum.

h *Cyrus apud Xenophontem.*] Libro 8. Pædiæ Cyri, cuius hæc verba sunt, τὸ δ' ἐμὸν σῶμα, ὦ παῖδες, ὅταν τελευτήσω μήτε ἐν χρυσῷ θῆτε, μήτε ἐν ἀργύρῳ, μήτε ἐν ἄλλῳ μηδενί, ἀλλ' ὡς τάχιστα τῇ γῇ ἀπόδοτε. Cicero lib. 2. de Legib. Ac mihi quidem, inquit, antiquissimum sepulturæ genus illud fuisse videtur quo apud Xenophontem Cyrus vtitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur. Tu tamen de ipsius Cyri sepulchro vide Arrianum libro 6. gestorum Alexandri, vbi aliud voluisse videtur.

i *Quod ad Atheniensibus.*] Plutarchus in Solone sic scribit, In sepeliendo Megarenses mortuos ad Orientem conuertunt, Athenienses versus Occidentem. Instat contrà Hereas Megarensis, aitque Megarenses etiam mortuorum corpora ad Occidentem humi mandare, Illud præterea maius adiungit, Atheniensium singulos singula sepulchra habere, Megarenses tres & qoatuor vno sepeliri.

k *Contra Diogenes Cynicus*] Laertius in vita illius.

l *Antoninus*

uebatur. Sed quum vis morbi Romæ passim per ignota capita vagaretur, [l] Antoninus Philosophus Augustus, vt passim in vrbe liceret humari, cauit edicto, loco non definito. [m] Si quis tamen tyranni malè de republica meriti, supplicio affecti essent, aut si qui laqueo & morte inhonesta, aut malo læto occubuissent, [n] vel cælesti essent afflati numine, illos condi sepulchro, aut humari non decebat, itaque insepulti abiiciebantur. [o] Vnius tamen Phocionis publico iudicio damnati, quum insepultum cadauer iaceret, seruilis manus sepelisse fertur, [p] Si autem de cœlo sepulchrum tactum, aut fulmine ictum esset, locum à deo expeti, & propterea consecrari putarunt, [q] quod Lycurgo, [r] & Euripidi poëtæ contigisse ferunt, quorum sepulchra de cœlo tacta sunt. [s] Erat que Græcis lege cautum, vt qui patrimonium pordegerat, sepulchro patrio non humaretur, sed externo: [t] Néve quis ob proditionem reus, Athenis tumularetur, tanquam ob crimen famosus foret. [u] Ideo Phocionis, aliorumque qui proditionis insimulati pœnas dederant, cadauera extra fines Atticos exegerunt. [x] Cimon verò Miltiadis filius, vt pater qui obierat in carcere, humaretur, Captiuum se præstitit, & seruituti mancipauit. [y] Apud Ægyptios si quem prauis moribus vixisse contingeret, eiectum cadauer in vastris solitudinibus exponoui, [z] Persæ damnatorum corpora feris & canibus abiiciunt. In quo illud traditur mirum, quod cum

Tyranni & qui fl. b. morte consciue. runt, non sepulti.

Græcorū lex in prodigos. Proditores.

Ægypti. Persæ.

ANNOTATIONES.

l Antoninus Philosophus.] Lampridius in vita illius, Tanta, inquit, pestilentia fuit, vt vehiculis cadauera sint exportata sarracisque. Tunc autem Antonini leges sepeliendi, sepulchrorumque acertimes sanxerunt: quandoquidem caucrunt, vt siquis vellet, fabricaret sepulchrum: quod hodiéque seruatur.

m *Si qui tamen tyranni.*] Appianus libro 1. bellorum Ciuilium, Leges, inquit, tyrrannorum corpora insepulta iubent abiici.

n *Vel cælesti afflati essent numine.*] Adde & sacrilegos communi Græcorum lege insepultos abiici iussos ex Diodoro Siculo lib. 16. cap. 6. Et eos qui sibi mortem consciuissent, nisi causam iustam protulissent. Vnde Quintiliano, si is est, declamat. 4. hæc lex celebratur, Qui causas voluntariæ mortis in Senatu nō reddiderit, insepultus abiiciatur. Nam vt scribit Hegesippus lib. 3. cap. 17. Deus omnipotens thesaurum nobis optimum dedit, atque inclusum in hoc vase fictili, & consignatum commisit nobis custodiēdum quoad ipsi placeat reposcere. Nonne in vtroque crimen est, vel retinere depositum non reposcenti, qui dederit: vel reposcenti negare? Si hominis depositum violate pœna infamiæ est, quantò magis violare depositum Dei? Depositum Dei anima est in hoc corpore, anima quæ mortis istius capax nō fit. Non enim vllo mortis vinculo astringuitur, atque alligatur, sed videtur mortem operari, cùm soluitur corpore, atque de cōmisso sibi contubernio seiungitur. Cur igitur ante repetitum depositum mortem irrogamus, & animam quasi inutilem à nobis remittimus, atque è domo nostra excludimus, & corpus sine decore & gratia sui in terrā resoluimus Cur exeundi hioc præceptum non expectamus? Miles tesseram expectar, seruus imperium. Si quis horum sine præcepto exierit: alter desertor, alter fugitiuus est. Qui hominem fugit, pœnæ obnoxius est, quamuis improbum fugerit dominum: nos optimum omnium fugientes, possumus non adstringi impietatis flagitio: Et nō multò post subiungit, Hæc non solùm moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accepimus. Namque alij insepultos proiici iubent eos, qui in se ferrum deiecerunt. Dignum est enim, vt qui patris imperium non expectauerunt, priuentur quasi quodam matris gremio, terræ sepulchro. Alij dexteram manum abscindunt defunctis, vt separetur à membris sui corporis, quod aduersus corpus suum vesano militauit furore. Sed hunc exitum sacrilegi ferunt, aut proditores, vel percussores parentum, qui verum patrem non agnouerunt, nec sese cognoscunt. Ideo aut penitus sepeliri prohibentur, aut non roti sepeliuntur. Quod & à Iosepho traditur Belli Iudaici lib. 3. cap. 14. his verbis, Denique si qui se occiderint, apud nos quidem vsque ad solis occasum insepultos abiici decretū est, cùm etiam hostes sepeliri fas esse ducamus: apud alios autem & dextræ iubentur abscindi eiusmodi mortuorum, quæ in ipsos armatæ sunt: quoniam vt corpus ab anima, ita manum esse à corpore alienam existimarent. Quin & qui in calamitate parentes deseruerunt (teste Quintiliano declam. 6.) in sepulti abiiciuntur.

o *Vnius tamen Phocionis.*] Prob. Æmylius in vita illius in fi. Aliter Plutar. in vita illius ad fi. qui Atheniensium in Phocionem mortuum crudelitatem ostendens sic scribit, Atreij inimici, quorum nondum erat in viuum satis explicata crudelitas, mortui quoque corpus atrociter infectati sunt. Illud enim nullo prorsus igne succenso, nullo funesto lumine, nulla denique non honoris modò, sed ne humanitatis quidem significatione, Atticis exportarī finibus edixerunt. Dicitur que ex illius familiaribus neminem eius corpus contingere ausum, sed Conopionem quendam curandis funeribus quæstum facere solitum, mercede accepta, in Eleusinam deportasse cadauer, ibique igne ex agro Megarico sumpto, id contremasse.

p *Si autem de cælo sepulchrum tactum.*] Quod probat exemplis sequ.

q *Quod Lycurgo.*] Plutarchus in vita illius in fi. Quamobrem, inquit, & Aristoteles ait, minoribus Lacædemonem quàm par esset prosequi Lycurgum honoribus, tametsi maximis prosequuntur. Nam & templum ei condidere, & singulis annis, vt deo, sacra faciebant. Dicitur autem cùm eius reliquiæ domum veherentur, de cœlo tactas esse.

r *Et Euripidi.*] Plutarchus in eodem loco, vbi dicit id eis solis illustribus viris obtisse, his verbis, Hoc verò non facilè alteri cuiquam ex illustribus præterquàm Euripidi accidisse, & mortuo & condito in Macedonia iuxta Arethusam. Itaque argumentum ac testimonium magnum iis est, qui sunt Euripidis studiosi, illi soli post mortem contigisse, quæ prius diis immortalibus dilectissimo piissimóque Lycurgo contigissent.

s *Eratq́ Græcis lege cautum.*] Et id quidem de Abderitis tradit Laërtius in Democrito.

t *Néve quis ob proditionem reus, Athenis tumularetur.*] Thucydides libro 1. non adeò longè à fi. vbi de morte & sepultura Themistoclis loquitur. Et Xenophon libro 1. Rerum Græcanicarum, vbi & idem de sacrilegis dicit. Ad quod & tu vide suprà in verbo, Vel cœlesti afflati essent numine.

u *Ideo Phocionis.*] Valerius Maximus li. 5. c. 3. de Ingratis sic scribit, Phocion his dotibus, quæ ad pariendum honorem potentissimæ iudicantur, clementia & liberalitate instructissimus, non tantùm in eculeo Atheniēsibus impositus est sed certè post obitum nullam Atticæ regionis, quæ ossibus eius iniiceretur, glebulam inuenit. Iussus extra fines proiici intra quos optimus ciuis vixerat. Plutarchus loco quem citauimus suprà ibi, Vnius tamen Phocionis.

x *Cimon verò Miltiadis.*] Probus Æmylius in vita illius post princ.

y *Apud Ægyptios.*] Ægyptij (authore Diodo. Siculo lib. 2. cap. 5.) iuidcium sententia corpus eius, qui comprobatus est malè vixisse, sepulchro priuant.

z *Persæ.*] Id vsque ad versi. Hostium tamen. sunt Plutarchi in Artaxerxe.

a *Hostium*

Clearchi cadauer. *Hostium sepulchra.*

Cleatchi cadauer ob crimen insimulati canibus expositum foret,magna vis venti exoriens,illud puluere texit,tanquam diis significantibus immeritum pœnas dedisse. [a] Hostium tamen ſepulchra nobis religioſa non ſunt:ideo violari ſine piaculo poſſunt,lapidèſque inde ſublatos in quemlibet vſum conuertere,non eſt vetitum. Atque licet Athenis magna fuerit ſepulchrorũ cura,non minor tamen Romanis,qui publica monumenta etiam pauperibus & ſeruis vbi conderentur ædificarũt Apud Græcos quoque deteſtabili crimine obnoxius erat. & capitis pœna dignus, qui inſepultum cadauer reliquiſſet, adeò,vt equos & canes parentis affectu,[b] Cimonem [c] & Xantippum luxiſſe, & tumulo indidiſſe legamus [d] Anſer quoque Lacydi philoſopho ita adhæſiſſe fertur,vt nec domi , neque foris ab eo diſcederet:quẽ elatum funere,effuſis lachrymis ſepeliuit.[e] Alexander quoque Bucephalo duxit exequias,[f] ſicut Agrigẽtini equis ſepulchra & pyramides erexere.[g] Inter quos Auguſtus Octauius,[h] & poſtea Hadrianus Cæſar equo tumulum feciſſe traduntur maximi ſumptus,& carmen inſcripſiſſe.[i] Cõmodus quoque Praſino equo mortuo ſepulchrum in Vaticano fecit.[k] Et Romani coruo dedere exequias.præcedente tibicine, duorum Æthiopum humeris elato.[l] Ægyptij verò quum feles aut aliquod animal moritur,cuius ſuperſtitioni addicti ſunt,ſindone cõtectũ,& ſale atque aromatibus delibutum, ſepeliunt.[m] Quare circa Myridis paludem cornicis atque ibidis ſepulchra ſumptuoſo lapide viſebantur.[n] Tantaque apud Græcos cura ſepulturæ fuit,vt decem prætores,quod bello nauali apud Arginuſas vi tempeſtatis acti,defunctos in acie non ſepeliſſent,ab Athenienſibus capitis accerſiti , & vltimo ſupplicio affecti ſint.[o] Et Lacedæmonij dum contra Meſſenios ducunt,ne milites qui bello ceciderãt inſepulti manerẽt,teſſeras in brachiis inſculptis nominibus habuere. Inoleuitque mos Athenis, vt ſingulæ tribus ſingulas arcas,in quibus cadauera & diſperſas reliquias illorum qui bello ceciderant , ſuæ cuiuſque tribus inquiſita colligerent, in expeditione vehiculis ferant. Vnus autem torus conſtratus

Ægypti. *Athenienſium tribus in arcis de iis qui bello ceciderant.*

ANNOTATIONES.

a *Hoſtium tamen ſepulchra.*] Caius in l. ſepulchra. 4. ff. de ſepulchro violato. Sepulchra,inquit, hoſtium religioſa nobis non ſunt : ideóque lapides inde ſublatos in quemlibet vſum cõuertere poſſumus:nec ſepulchri violati actio competit.

b *Cimonem.*] Plutarchus in Catone Cenſorio,Equarum Cimonis ſepulchra,quibus olympia ter cùm vicit,penes ipſius monumentum videntur.

c *Et Xantippum.*] Plutarchus ibi addit,Quid quòd etiam canes familiares ac domeſticos cùm alij multi,tum Xantippus ille priſcus diligentiſſime humandos curauerunt : Is enim canem,qui eo tempore, quo ciuitas vrbe relicta Salamina transmittebat, triremi ſecum enatauerat,in acre ſepeliuit. Cui etiam loco Cynotaphium cognomentum eſt. Præterea in Themiſtocle hanc hiſtoriam ſic ſcribit,Memoratur Xantippi Pericli patris canis,quòd abeuntis domini deſiderium & ſolitudinem ferre non poſſet,in mare inſiluiſſe,natando triremem aſſecutus in Salaminem eſſe delatus,ibique expirans continuò interiiſſe:quo in loco etiam his temporibus Canis tumulum vocant,vbi ſepulchrum eius fuiſſe traditur. Ælianus de Varia hiſtoria lib. 8.cap.4. ſcribit, Poliarchum quoque canes & gallos,ſi quibus oblectatus fuiſſet,mortuos publicè extuliſſe,& amicos ſuos ad funus aduocaſſe, ſplendidéque eos ſepeliſſe,& in illorum monumentis columnam erexiſſe,in eiſque illorum epitaphia inſculpſiſſe.

d *Anſer quoque Lacydi.*] Plinius lib.10.c.22.

e *Alexander quoque Bucephalo.*] Pomponius Mela lib.2.ca. 47.Plinius lib.6.cap.20.& lib.8.cap.42.ſcribit,Alexandrum Bucephalo defuncto exequias duxiſſe vrbemque tumulo circundediſſe nomine eius. Solinus cap. 47.aut aliorum computatione 57. Plutarchus in vita ipſius Alexandri , vbi & idem dicit de cane nomine Perita.Et vide Diodorum Siculum lib 17.Quintum Curtium lib.5. Iuſtinum lib.12.Gellium lib.5.cap 2.Arrianum lib.5.

f *Sicut Agrigentini.*]Pomponius Mela vbi ſuprà,Plinius lib 8 cap 42.Solinus vbi etiam ſuper.

g *Inter quos Auguſtus Octauius.*]Plinius d.lib.8.ca.42,Fecit, inquit,& Diuus Auguſtus equo tumulum,in quo Germanici Cæſaris carmen eſt.Agrigenti complurium equorum tumuli pyramides habentur.

h *Et poſteà Hadrianus Cæſar.*] Dion in vita illius, Magno, inquit,argumento eſt,eum ſtudio venandi delectatum fuiſſe,quòd Boryſtheni equo,quo libenter in venationibus vtebatur, mortuo monumentum ædificauit, erexitque columnam inſcripto epigrammate,Ælius etiam Spartianus in vita illius,Equos,ait,& canes ſic amauit, vt eis ſepulturam conſtitueret.

i *Commodus.*]Non ille quidem filius Antonini Philoſophi, nec Ælius Verus, qui & Ceionius Commodus dictus eſt, quem Hadrianus adoptauit : ſed alius Verus eius filius,qui & Commodus dictus eſt ex Iulio Capitolino in vita illius, cuius hęc verba ſunt,Nam & volucri equo Praſino aureum ſimulachrum fecerat,quod ſecum portabat.Cui quidem paſſas vuas & nucleos in vicem hordei in præſepe ponebat, quem ſagis fuco tinctis coopertum in Tiberiana ad ſe adduci iubebat.Cui mortuo ſepulchrum in Vaticano fecit.

k *Et Romani coruo.*] Plinius lib.10.c.43.

l *Ægypti.*] Herodotus libro 2. de Ægyptiorum ſuperſtitione loquens,Quibuſcunque in domibus,inquit,vltro felis obierit mortem,earum domorum habitatores cuncti ſupercilia radunt. & paulò pòſt , Efferuntur feles mortuæ ad ſacra tecta,vbi ſalſæ ſepeliuntur in vrbe Bubaſti.Diodorus Siculus lib.2.c.4.de Animalibus diis apud Ægyptios & eorum cultus & ſepultura,cùm aliquod eorum animalium,felis,canis,ichneumonis ſcilicet,moritur,ſindone contectum cum vlulatu pectus percutientes,ſale liniunt,ac cedri liquore,vnguẽtiſque odoriferis,quò diutius ſeruetur corpus vnctum,in ſacris locis ſepeliunt. Euſeb.Præparationis Euang. lib.2.cap.1..

m *Quare circa Myridis paludem.*] Ælianus de Animalibus lib.6.cap 7. & dictum eſt ſuprà lib.1.cap.27. De huiuſmodi autem animalium ſepulturis Statius Syluar.lib.2. in Epicedio Pileti his verſibus.

—Genuit inter bella peremptum
Parthus equum fidoſque canes flevere Moloſſi,
Et volucres habuere rogum,coruuſque Maronis.

n *Tantaque apud Græcos.*]Hæc vſque ad verſ.Et Lacedæmonij. ſunt Valerij Maximi libro 9.cap.8.de Temeritate. niſi quòd non decem Prætores , ſed decem Imperatores dicit Quanquàm ſcio & Prætoris appellationem trahi ad Imperatorem. Valerij verba hæc ſunt,Athenienſium ciuitas ad veſaniam vſque temeraria,quæ decem imperatores ſuos,& quidem à pulcherrima victoria venientes,capitali iudicio exceptos,necauit,quòd militum corpora , ſæuitia maris interpellante, ſepulturæ mandare non potuiſſent : neceſſitatem puniens,cum honorare virtutem deberet.

o *Et Lacedæmonij.*] Sed & adde apud Romanos magnæ laudi datum fuiſſe Pompeio, quòd eorum cadauera, qui in Triario aduerſus Mithridatem infeliciter dimicauerant, & qui inhumati adhuc fuerant,ſplendidè ac decore tumulauit

Quod

inanis ducebatur, illorum qui conquisiti non apparerēt: & postquam in publicis sepulchris illa condidissent, ne essent inhonorati, insigni testimonio pietatis in defunctos, solenni oratione de ipsorum laudibus, quòd pro patria mortem pugnādo passi fuerant, illos magnificis verbis atque honoribus extulerunt: p tametsi ea procuratio funeris, inter pudendas & minimè ingenuas artes haberetur. q Si cuius tamen ossa cineresque in alienū sepulchrum deferrentur, illa eruere loci dominus, & sine pontificum decreto aliò transferre non poterat. Est tamē lege cautum, vt locus fulmine ictus, illico religiosus, & in nullius bonis fiat, quòd eum deus consecrasse videbatur: r vtque iuxta sepulchrum nouum propiúsve sexaginta pedes, inuito domino ædes admouere non liceat. Ideo inuiolabilia habita, s quæ nec præscribi poterant, nec vsucapi, sicut nec publica. t Et tam Romana lege u quàm Solonis, ne quis alienum bustum violaret aut deiiceret, grauissima fuit pœna interdictū quare sepulchri violati actio constituta est. Notatumque & illud, sepulchra & loca religiosa ipsa antiquitate sanctiora fieri, x eóque diruto, nihilominus religiosum locum esse: quippe sepulchrorum sanctitas in ipso solo manet. Sancta verò dicūtur loca, quæ sacrata legibus, plebiscitisve sancita, pœnis adiectis, inuiolata manēt: siquidem sanctiones aut obtestatione, aut consecratione, vel pœnis consecrantur. y Itaque muri & mœnia ciuitatum, quòd illa transgredi non licet, & z tam intra quàm extra pomœrium omnes ab his arceantur, a nec cuiquam ædificia illis admouere fas est, augusta & sancta dicta sunt: ideo illibata iuris sanctione defenduntur. Capitale enim fuit, & seueriori pœna coercitum, b etiam lege Romuli, illi, qui mœnia trāsgressus attigisset. c Neque mœnia solùm, sed ipsum pomœrium, quantumque circa mœnia loci est, quod nec coli, neque arari fas erat, sanctū esse liquet. Tametsi sacra & religiosa, quādoque sancta dicta sint. d Leges quoque quarum iussa pœnis & suppliciis ac religionibus in æternum coercentur, eò quia

Oratio funebris. Locus fulmine ictus, vt religiosus & sacer fit. Lex de non violando alieno busto. Antiquitas sanctitatem augebat. Sacra & religiosa sancta. Leges sancta. Leges bonos esse cennentur.

ANNOTATIONES.

Quod cùm Lucullus neglexisset, Iure odij materiam nactus est, vt ex Plutarcho scriptum est in vita Pompeij.

p *Tametsi ea procuratio funeris.*] Cicero lib 2. seruilem Pollinctorum familiam vocat.

q *Si cuius tamen ossa.*] Id Vlpiani est in l. ossa. 8. in princ. ff. de relig. & sumpt. fun.

r *Vtq; iuxta sepulchrum nouum.*] Hæc lex teste Cicerone lib. 2. de Legibus, non adeò procul à fine XII. Tabul. est. Eius verba sunt hæc, Duæ sunt præterea leges de sepulchris: quarum altera priuatorum ædificiis, altera ipsis sepulchris cauet. Nam quod rogum bustúmve nouum vetat propius sexaginta pedes adiici ædes alienas inuito domino, incendium veretur acerbum. Quamobrem autem lex adiiciat Nouum, intelliges ex verbis Pomponij in l. 3. ff. de Mortuo inferendo & sepulchro ædificando. cùm ita loquitur, Si propius ædes tuas quis ædificet sepulchrum, opus nouum tu nunciare poteris: sed facto opere nullam habebis actionem, nisi Quod vi aut clam: Si propius ædificium alienū intra legitimum modum mortuus illatus sit: posteà eum prohibere nō poterit ędificij dominus, quò minus alium mortuum eò inferat, vel monumentum ædificet: si ab initio domino sciente hoc fecerit. ex quibus verbis datur intelligi, quare lex addiderit Nouum: quasi videlicet, vbi quis semel id passus sit tacitè suo iuri renunciasse videtur.

s *Quæ nec præscribi poterant, nec vsucapi.*] Non enim ea alienari possunt §. sacrę res. Instit. de Rerum diuisione. Ideo nec usucapi. l. alienationis. 28. ff. de verb. signif.

t *Et tam Romana lege.*] ff. & C. de sepulchro violato per totum.

u *Quam Solonis.*] Cicero d. lib. 2.

x *Eoque diruto.*] Iustinianus in § sacræ. versi locus Instit. de rerum diuis. Locus autem, inquit, in quo ædes sacræ sunt ædificatæ, etiam diruto ædificio, sacer adhuc manet.

y *Itaque muri & mœnia ciuitatum.*] Cicero lib. 2. de Natura deorum, Plutarchus in Romulo, & nostræ leges in l. sanctum est 8. §. in municipiis quoque muros esse sanctos, Sabinum rectè respondisse, Cassius refert: prohiberique oportere, ne quid in his immitteretur. Et Vlpianus in l. sacra loca. 9. §. muros. ff. de rerum diuisione. cum ait, Muros municipales nec reficere licet sine principis, vel pręsidis authoritate, nec aliquid eis coniungere, vel supponere. Res sacra non recipit æstimationem. Et Iustinianus in §. sanctæ. Instit. eo. tit. Sanctæ quoque res, inquit, veluti muri & portæ ciuitatis, quodammodo diuini iuris sunt, & ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus: quia pœna capitis constituta est, in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Et huc fere respicit Homerus dum Thebana mœnia ἱερὰ vocat lib. 4. Iliados.

οἵ ῥα τότ' ἐστρατόωνθ' ἱερὰ πρὸς τείχεα Θήβης.

Quanquam & aliò referri potest.

z *Et tam intra quàm extra pomœrium.*] Liuius 1. Decad. libro 1. Pomœrium est circa murum locus, quem in condendis vrbibus quondam Hetrusci quà murum ducturi erant, certis circà terminis inauguratò consecrabant, vt neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgò etiam coniungunt, & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quàm quod murus post id, Pomœrium Romani appellarunt: & in vrbis incrementum semper, quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur.

a *Nec cuiquam ædificia.*] In d. §. muros.

b *Etiam lege Romuli.*] Et hocque Remum ipsius Romuli fratrem ideo interemptum ferunt, quod mœnia Romæ transiliisset, pronunciasseque Romulum sic deinde, Quicunque alius transiliet mœnia mea interfectum iri. Et hęc vulgatior fama fuit, vt scribit Liuius 1. Dec. lib. 1. Quamuis, vt idem dicit, alij aliter Remum interfectum tradant. Et priorem sententiam sequutus est Propertius lib. 3. elegia. 7. ad Mecœnatem,

Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar, & cæso mœnia firma Remo.

Et Lucanus lib. 1.

Frater primi maduerunt sanguine muri.

Plutarchus in Romulo, & problemat. capit. 26. Pomponius in l. vltim. ff. de rerum diuis. sic scribit, Siquis violauerit muros, capite punietur: sicuti siquis transcendat scalis admotis, vel alia qualibet ratione. Nam ciues Romanos aliàs quàm per portas, egredi non licet: cùm id hostile & abominandum sit. Nam Romuli frater Remus occisus traditur, ob id quòd murum transcendere voluerit. Et Iustinianus in d. §. sanctæ. Instit. eod. tit. Alteram autem sequutus est Seruius, fabulosam illam priorem existimans in lib. 6. Æn.

—Viden' vt geminæ stent vertice cristæ.

c *Neque mœnia solùm, sed ipsum pomœrium.* Liuius 1. Decad. libro 1. in regno Seruij Tullij, vbi declarat quid sit pomœrium. Textum citauimus suprà in verbo, etiam lege Romuli.

d *Leges quoque.* Vlpianus in l. sacra. 9. §. propriè dicimus. ff. de rerum diuis.

e Quas

Platonis sententia de legum paucitate. *Cleonis opinio.* *Quas leges ratas habebant Romani.* *Sacrosanctum.* *Nouæ legis author execrabilis apud Æginetas.* *Legum abrogatio.* *Portæ cur sanctæ nō essent.*

non debent pœnæ sanctione corrumpi, sanctæ dicuntur: quas breues esse conuenit, velut monita ora-
culorum diuinitus missa, vt paucis iubeant, non pluribus disputent, suadeantque magis quàm commi-
nentur:[e] quas quidem Plato iussit esse quàm paucissimas: nam si suo iure fungũtur magistratus, nihil
opus esse multiplici lege putauit: vbi vero horum improbitate aliò detorquentur, ex legũ multitudi-
nę perniciem afferri dicebat:[f] Fuitque opinio Cleonis apud Thucydidẽ, satius esse malis legibus as-
suetam ciuitatẽ non facile mutari, quàm bonis inconstanter vti.[g] Sed tamẽ leges à populo latæ, ali-
ter ratæ non habentur, quam si patres authores fiant,[h] postquam fuit de cœlo seruatũ: nisique ad po-
pulum prius latæ, scriba suggerente, cõsensu populi,[i] non per vim, iussũque senatus[k] trinundino pro-
mulgatæ, & per præconem prolatæ, iuratæ &[l] receptæ, in[m] foro propositæ, ac in ærarium conditæ fuis-
sent.[n] Nam sacrosáctum quid fieri minimè poterat, nisi per populum plebemque sacratũ esset.[o] Ideo
consulibus legem Curiatam ferẽtibus, qui à populo non recepta, sed à tribuno plebis sæpe intercces-
sum fuerat, pro lege habita non est.[p] Proditùmque memoriæ fuit, malos mores optimis ferendis legi-
bus sæpe causam dedisse: quia vbi perperam viuitur, multiplicibus edũdis legibus magna datur occa-
sio.[q] Inde apud Æginetas cautum est, vt qui nouæ condendæ legis causam daret, inuisus omnibus &
execrabilis fieret, Sic apud Indos, si quis aliquid perniciosi inuenisset, nisi protinus remedio succurre-
ret, morte plectebatur.[r] Quæ quidem leges, licet in æternum editæ, quum aut vsus coarguit, aut rerum
status facit inutiles, pro tempore mutari & induci, ac facile abrogari possunt.[s] Portæ verò ciuitatis nō
vt mœnia, sanctæ sunt: quia quum per illas defuncta ferantur corpora, sacrosanctas minimè putarunt:
quod enim funestum est, id sacrum aut sanctum fieri minimè potest, tametsi alia feratur causa.[t] Cum
enim vrbium conditores mœnia signarẽt, incincti ritu Gabino, id est, toga reiecta circa humeros, tau-
rum ad dextram interius, vaccam æneo aratro iungebant, stiuámque tenentes incuruam, ita vt omnes
glebæ in interiorem ruerent partem, perfecto sacrificio mœnia signabant: vbi verò portę futuræ erant,
id loci minimè sulcabant, sed aratrum suspendentes, portarum spatia reliquere intacta. Ideo quum
mœnia signata solemni sacrificio, sancta sint: portæ, quia signari illas vel sulcari minimè decebat,
sanctæ minimè fuere. In quo id seruatum meminimus, vt fruges in subiectam foueam demittant, &

ANNOTATIONES.

e *Quas quidem Plato iussit esse quam breuissimas.*] Lib. de Legibus 12. & ex eo Strabo lib. 6. sic scribit, Hoc & à Platone dictum est, quibus leges adsunt plurimæ, ac pœnæ plurimæ, iis & viuendi ritus deprauatos esse. Sicut quibus plures adsunt medici, iis & ægritudines permultas adesse, probabile est. Quod postremum de medicis repetit ipse Plato de Repub. lib. 3.

f *Fuitq; opinio Cleonis apud Thucydid.*] Lib. 1. belli Peloponnesiaci.

g *Sed tamen leges à populo lata.*] Legum ferendarum morem scribit Franciscus Maturantius in Comment. in Philip. 1. Ciceronis. Vide Macrob. Satur. lib. 3. c. 17.

h *Postquam fuit de cœlo seruatum.*] Cicero Philip. 5. Quam legem igitur se Augur dicit tulisse non modò tonante Ioue sed propè cœlesti clamore prohibente, hanc dubitabit contra auspicia latam esse. Augures tantæ authoritatis fuerunt, vt nihil neque domi, neque foris, nisi auspicatò gereretur quòd Valerius docet lib. 2. cap. 1. de Institutis antiquis. Et Cicero in Oratione in L. Pisonem queritur Obnunciationem, qua perniciosis legibus resistebatur. Fusia & Helia legibus (quas propugnacula murósque tranquillitatis atque ocij vocat) euersam esse.

i *Non per vim.*] Idem Cicero d. Phili. 5. Quibus de causis, inquit, eas leges, quas M. Antonius tulisse dicitur, omnes censeo per vim & contra auspicia latas, hisque legibus populum non teneri. Idem Philip. 15. Acta Antoni, inquit, rescidistis, leges refixistis: per vim & contra auspicia latas decreuistis.

k *Trinundino promulgata.*] Cicero in Oratione ad Pontifices pro domo sua, Si quod in cæteris legibus trinundinum esse oportet, in adoptione satis est trium esse horarum, nihil reprehendo. Et Philip. 5. Quid? promulgata fuit? quid? nonne antè lata quàm scripta? nonne ante factam vidimus quàm futuram quisquam est suspicatus? Vbi lex Cæcilia & Didia? vbi promulgatio? trinundinum? vbi pœnæ recenti lege Iunia & Licinia? Quintilianus lib 2. cap. 4. de legibus loquens, Siue non trino fortè nundino promulgata, siue non idoneo die fuit, siue cõtra intercessiones, vel auspicia, aliúdve quid, quod legitimè obstet, dicitur lata esse. Suetonius in Augusto, cap. 67. Gellius lib. 4. cap. 9. Macrobius lib. 1. Satur. cap. 16.

l *Et recepta.*] Vbi leges in Senatu approbatæ erant, & S.C. factum erat, scribebatur, & plures authoritatem suam adscribebant: cuius rei exemplum extat in epistol. Celij 7. lib. 8. omnium autem 142. apud Ciceronem in Epistolis Familiarib. Dion. Halicarn. lib. 11. vbi de Curiatis & Centuriatis concionibus.

m *In foro proposita.*] Seruius in lib. 6. Æneid. in eum locum,

—Fixit leges pretio atque refixit.

Possumus, inquit, Antonium secundum Ciceronem in Philippicis accipere. Fixit autem ideo, quia incisæ in æreis tabulis leges affigebantur parietibus. Locus autem Ciceronis est Philip. 1. vt opinor. vbi ita scribit, Quæ ita conseruanda concordiæ causa arbitratus sum, vt non modò quas viuus Cæsar leges tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem sed ne illas quidem quas post mortem Cæsaris prolatas esse & fixas videtis.

n *Nam sacrosanctum.*] Cicero in Oratione pro L. Cornelio Balbo, Sacrosanctum, inquit, esse nihil potest, nisi quod per populum plebémve sancitum videretur.

o *Ideo Consulibus legem Curiatam ferentibus.*] Dionys. Halicar. d. lib. 7. 9 & 11. Vide Gellium lib. 15. cap. 27. & Sueton. in Augusto, cap. 65. & Beroald. ibi.

p *Proditumq; memoria fuit.*] Sallustius in Catilinam.

q *Inde apud Æginetas.*] Diodorus Siculus lib. 12. scribit, Charondam sanxisse, si quem cuiuspiã legis abrogandæ libido seu necessitas adduxisset, ei collum laqueo inductum primùm circundare: tum sic ornatum in concionem ad postulandam à populo legis emendationem prodire oportere quam si non obtinuisset, laqueo, quo vinctus accesserat, strangulabatur.

r *Qua quidem leges.*] Liuius 4. Decad. libro 4. in Oratione Valerij Tribuni plebis, quam habuit pro Oppia lege abroganda.

s *Porta verò ciuitatis.*] Plutarchus in Romulo, & probl. cap. 26. & alibi diximus.

t *Cum enim vrbium conditor.*] Virgilius lib. 5. Æneidos,

Interea Æneas vrbem designat aratro.

Vbi Seruius eadem quæ Alexander hic scripsit, posuit, & nonnihil Plutarchus in locis nuperrimè citatis. & vide in-

tra

ex vicina terra exaggerent, bouésque fulcatis mœnibus immolent. Macedones verò vbi primùm vrbis mœnia futura erant, poleutam inter solennia adhibuere. [u] Quod quidem aratrum non ædificandis modò vrbibus, sed illis funditus euertendis inducebatur, quasi segetes ibi mox futuras denotarent. [x] Fuitque nonstitutum, vt nemo Cæsarum, nisi qui imperij fines propagasset, non prouinciali, sed Italico agro quæsito, nationésque signis collatis & iusto prælio perdomuisset, ius proferendi pomœrij haberet. [y] In qua re est animaduersum, Syllam, vltimum Romanorum, pomœrium protulisse: & post Syllam, Claudium Cæsarem terminos vrbis propagasse. [z] Si verò non pomœrium, sed templi ambitus & area consecranda forent, eam consecrationem fieri accepimus, vt serena luce omnẽ aream & spatium vittis coronísque euincerẽt. Mox milites & vestales virgines cum pueris puellísque patrimis & matrimis, ex quatuor fontibus aquam spargerent, bouéque & tauro aream lustrarent. Prætórque præsides deos precatus, & magistratus vnà sacerdotésque & senatus, cum equitibus & populo, saxum ingens fundamentis iniicerent, passimque auri & argenti stipes, & metallorum primitias nullis fornacibus euictas aggerarent. In quo præcipuè cauendum, ne saxum, aurúmve in aliud opus destinatum apponant. [a] Notatúmque & illud, vt non solùm funesti à consecratione & sacris arceantur, sed manci, quíque insignes debilitate corporis, aut membro non satis vtiles sunt, velut indigni qui sacra tractarent, propterea M. Sergius ob prauitatem imminutionémque corporis à sacris vt mancus amotus fuit, quòd sacra tractare nequisset. Quod Persis quoque in vsu fuisse traditum est, quibus morbo affectum oculo aut membro deficientem, dominari, vel sacris præesse inhibetur. Quódque res & loca deorum immortalium diuino cultui mancipata, iussu populi per pontifices mutari & transferri, ac prophana fieri posse, verbis conceptis, amota religione, sæpe compertum est.

Nob cui- nis Cæsarum ius proferendi pomœrij.

Templi ambitus consecratio.

Manci, mutilati, debiles & funesti à consecratione reiecti.

ANNOTATIONES.

stà ibi, Quod quidem aratrum.

u *Quod quidem aratrum.*] Horatius lib. 1. Carm. Ode 16.

Iræ Thyesten exitio graui
Strauere: & altis vrbibus vltimæ
Stetere causæ, cur perirent
Funditus, imprimeretq́; muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Vbi Acron interpres, Hæc, inquit, consuetudo fuit condendis atque euertendis ciuitatibus, vt aratro fierent: vt de condenda illud Virgilij, quod nos suprà citauimus in verbo, Cum enim vrbium conditur, & de euertenda Cicero Philipp. 2. Vt vexillum tolleret & aratrum circunduceret. Et huc spectat illud Modestini in l. si vsusfructus. 21. ff. quibus modis vsusfruct. amittatur. Si vsusfructus ciuitati legetur, & aratrum in ea ducatur, vt passa est Carthago, ciuitas esse desinit: ideóque quasi morte desinit habere vsumfructum. Illud quoque Lucani lib. 7.

Sarmaticumq́; premat succinctus Consul aratrum.

x *Fuitque constitutum, vt nemo Cæsarum*] Seneca in libro de Breuitate vitæ, & Cornelius Tacitus lib. 12. Et vide Gellium lib. 13. c. 14.

y *In qua re animaduersum est Syllam.*] Hæc sunt Gellij vbi nuper citauimus: vbi Syllam & Claudium, quos & ipse memorat, tradit Diuum quoque Iulium post Syllam pomœrium protulisse.

z *Si verò non pomœrium, sed templi ambitus.*] Hæc vsque ad versic. Notatúmque fuit. sunt Cornelij Taciti lib. 20. cuius hæc verba sunt, Vndecimo Calendas Iunias, serena luce spacium omne, quod templo dicabatur, euinctum vittis coronísque ingressi milites, quibus fausta omina, felicibus ramis: dein virgines Vestales cum pueris puellísque patrimis matrimísque, aqua, viuis & fontibus, amnibúsque hausta, perluere. Tum Heluidius Priscus, Prætor, præeunte Plauto Heliano Pontifice, lustrata boue taurísque area, & super cespitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam, præsidésque imperij deos precatus vti cœpta prosperarent, sedésque suas pietate hominum inchoatas, diuina ope attollerent, vittas, quibus ligatus lapis, innexíque funes erant, contigit, Simul cæteri magistratus, & sacerdotes, & Senatus, & eques, & magna pars populi studio lætitiáque connixi, saxum ingens traxere: passimque iniectæ sunt fundamentis argenti aurísque stipes, & metallorum primitiæ, nullis fornacibus victæ, sed vt gignuntur. Prædixere Aruspices ne temeraretur opus saxo, auróve in aliud destinato.

a *Notatúmque & illud.*] De funestis testis est Seruius in lib. 11. Æneidos in princ. ibi,

— Quanquam & socios dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataq́; funere mens est.

Et alibi diximus. De Mancis Plinius lib. 7. c. 28. vbi & id de M. Sergio dicit. Et vide nostras leges Cōnubiales l. 2. nu. 59.

Locus Ciceronis ex Catone maiore de lege Voconia quæ esset, & quæ Furia, & Falcidia, explanatur.

CAPVT XV.

CVM Palatini fori iudicia opperiremur, & tædio interdum ac mora offenderemur, in bibliothecam pontificum, quæ ibi fuit proxima, sæpe diuertebamus: ibique in quoscunque incideramus libellos, varia lectione cum amicis conterebamus. Cúmque Ciceronis Catonem maiorem inibi fortè nacti essemus, hæc verba quæ ex persona Catonis Cicero memorat, in eo tunc pensitabamus. Cùm ego quinque & sexaginta annos natus, legem Voconiam magna voce & bonis lateribus suasissem. Quid Voconia lege, quam tunc Cato suasit, cautum fuisset, apud nonnullos qui aderant, quærebatur. Et quum ex nostratibus homo quispiam fori & iudiciorum non ignarus, idem quod Furia & Falcidia, Voconia lege caueri respondisset, ne scilicet testatori ex bonis suis vltra dodrantem legare liceret: vtque quarta hæreditatis pars scripto hæredi saltem maneret incolumis: sæpiúsque hanc legem abrogatam noua constitutione excitatam esse, & pleraque induceret: dixi ego, indubio errore labi illos, qui idem Voconia, quod Furia aut Falcidia, statutum fuisse contenderent: quippe Furia & Falcidia, contra legis 12. tabularum antiquissima decreta à principio latæ fuere. Quum enim duodecim tabulis quomodo volet, & cui quantúmque volet, de bonis disponendi, illáque siue institutionis;

Ciceronis locus in Catone.

Non idē Voconia lege quod Furia & Falcidia statui.

tionis, siue legati iure relinquendi, data facultas foret: postea lege Falcidia & Furia, vt nisi ad dodrantem legare liceret, statutum fuit. Interiectis inde temporibus, Q.[a] Volumnius Saxa Tri. pl. tulit ad populum, ne quis hæredem mulierem faceret, coercitæque eo plebiscito mulierum hæreditates sunt. Mox lege Voconia, quam C. Voconius Aricinus Tri. pl. tulit, sancitum fuit, vt non fœminas modò, sed ne quis census hæredem etiam vnicam relinqueret filiam, quam legem Cato persuasit: quo quidem plebiscito, ne liceret legare mulieribus vltra quadrantem, sub graui documento vetabatur: nam quum solidæ hæreditates, & magna patrimonia mulieribus assiduè legarentur, prorsus vt admirabile videatur, quantum mulierum opes hæreditatibus accreuissent: quum obuiam eundum putarent, ne tam immodicæ largitiones mulieribus fieret, quibus temere abutebantur, cautum fuit lege Voconia, vt non vltra quadrantem, hoc est, quartam hæreditatis partem, mulieribus ex quouis peculio obuenire posset. Lege autem Falcidia non quadrantem, sicut in Voconia, sed ne vltra dodrantem in legatis cuius absumere potestas foret, cauebatur, vt saltem quarta pars hæreditatis & bonorum, hæredi scripto, qui in bona & nomē adscitus erat, maneret incolumis. Quod enim Voconia lex mulieribus tãtùm interdixit, ne vltra quadrantem legaretur, lex Falcidia ad omnium hæreditatem extendit, cauens ne vltra dodrantem, hoc est, nouem vncias testatori in legatis absumere facultas foret. Post aliquot verò ætates, quū multi adulteri præteritis liberis integrum assem mœchis testamēto relinquerent, Domitianus Cæsar salubri constitutione, probrosis fœminis quæ mœcharentur, ius capiendi hæreditates legataque ademit, néve lecticis vectarentur, inhibuit. Quòd autem verbis legis cauebatur, ne quis census hæredem etiam vnicam relinqueret filiam, cēsus is dicebatur, qui multam pecuniam & vltra centū millia nummûm in possessione haberet: nā cui multæ essent pecuniæ, multi cēsus æstimabatur. Verba verò legis duodecim tabularū, quibus libera facultas disponēdi testatori datur, hæc fuere: Vti legassit suæ rei quisque, ita ius esto.

Lex Voconia.

Falcidia lex.

Domitianus stitutum in mœchas.

Census.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

a *Volumnius Saxa.*] Ludouicus Viues in Augu. de Ciuitate Dei, lib. 3. c. 21. pro Volumnio reponit Voconium.

Quid responderim Hieronymo Massaino, cur in eodem forem statu semper, quum ad honores admitterentur alij. CAPVT XVI.

DEMIRABATVR aliquando Hieronymus Massainus, vir multæ eruditionis, & in studiis bonarum artium non minus atque in rerum actionibus versatus abunde, cur, quū plurimos futiles & ignauos ad honores & sacerdotia promotos, magnósque & opulentos quotidie videat, me tamen ipse in eadem fortuna eodémque semper tenore aspiceret, cui mercedem laborum studiorumque deberi putaret. Quotiésque in eo sermones venit, obiurgabundus & commoto similis meam segnitiē accusabat, increpitáque ignauia, Tantis tu (inquit) laboribus tam diu nihil sapere didicisti? Cúmque me non nimis laborare, & mea sorte & parabili fortuna contentum respondissem, is vt me erigeret, languentémque spem excitaret, consilium dedit vt facerem, quod quempiam hominem astu & insigni arte longè clarissimum fecisse comperit, qui quū nullis bonis artibus ad pontificatum obrepere posset, dolia vini præcipui pleraque mercatus, ea pontifici dono dedit, suspicatus fore id quod euenit: quo maximè munere effecit, vt proximo senatu multo ampliora tulerit: namque & honoribus & pōtificio donatus postea fuit. Aliósque referebat homines despectissimos turpissimósque, qui prædæ & rapinis assueti, pecunias sine iure, siue iniuria calamitosis erogatas, aut vi extortas, ad fiscum conferebant: quibus artibus effecere, vt clari præpotentésque euaderent. Aliósque ignobiles & obscuros sortis infimæ, atque è cœno emersos, vt aiunt, qui quū permodica re familiari essent, & gratia pollerent, tantum valuisse, vt ad sacerdotia & pontificatus, quum multi clari & diserti viri concurrerent, omnium suffragatione cæteris prælati sint. Innumerósque referebat alios moribus perditissimis, qui sceleris magnitudine ex infima fortuna ad honores obrepsere. Memoria teneo, quum pueris nobis quidam magna doctrina, & in primis honestus vir, non minus græcè quàm latinè doctus, nihil præsidij, nihil sibi opis ad degendam vitam parare potuisset, vitámque admodum tenuem & anxiam duceret, cum inuidos mores cerneret, ac probitati præclusam viam, & quid sibi faciūdum esset, animo volueret, vt aliquid in posterum vitę subsidiū parare posset, eò vesaniæ processit, vt coactus inopia, obscœnis & libero homine indignis artibus vacaret (quibus verò artibus, non libet dicere: ita fœdæ & pudendæ sunt) confectáque fuit sibi res ex sententia, namque haud multo post & sacerdotio & opibus auctus, affluens & beatus tranquillissimè vitam egit. Adeò despecta fortuna, vbi nullus honos virtuti est, extrema experiri aliquando cogit. Quibus ego exemplis admonitus, vehementer animo consternatus sum, ne quando vt eiusmodi honores appeterem, subirem scelesti consilij & conscientiæ notam. Longè igitur multúmque præstat, satiúsque fuit, vt ingenio meo, vacuúmque his molestiis, modico ciuilique cultu contentum esse, neque in ambitionem non necessariam incurrere, quàm bona animi, si qua sibi homo studio & labore parauit, ea turpi quæstu pessimo exemplo fœdare.

Hieronymus Massainus.

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

Hoc caput nullis indiget scholiis.

Quibus

Quibus ex causis ouare ducibus licebat, & in quibus ouatio differt à triumpho.

CAPVT XVII.

ROMANI [a] duces, qui in hostes victricia tulere arma, si minus ea quæ gesserant, triumpho digna forent, vt tantùm ferrent honoris, persæpe quum domum reuertissent, minoribus triumphis & ouatione honestati sunt, quam [b] Græci ὀυὰν nuncupant, Causæ verò ouandi, nec triumphandi, hæ ferme traduntur, [c] Si non debellati hostes penitus, sed solùm pericula depulsa sunt: fusique & fugati, perculsi & consternati, aut à populationibus coerciti, nō autem multis & magnis cladibus affecti forent. [d] Si ignominia tantùm acceptæ cladis eleuata, [e] vel paululum laboris admissum, [f] aut non in sua & sibi constituta, sed in aliena prouincia res gessissent. Qui enim alieno auspicio res gesserunt, de prouincia triumphos agere non poterant. [g] Si nondum pacata prouincia reliquiæ bellorū superessent, [h] Si bella non rite indicta, [i] vel cum hoste non legitimo, sed populo Romano indigno, [k] vt cum seruis, piratis [l] & fugitiuis bellū fuisset. [m] Vel si deditione facta, mediocri certamine, & incruento prælio pugnatum esset. [n] Aut si ex prouincia exercitus non deportatus nec successori traditus foret. His omnibus ouare, nec triumphare legitimo triumpho permissum est. [o] Primus enim Posthumius Tubertus traditur, qui bello Sabino victor, quòd haud multo negotio hostem fuderat, vrbem ouans iniit: inde institutum, vt ob præmissas causas ouatio detur, non triumphus. [p] Pompa verò & apparatus idem ferè ouantis qui & triumphantis, sed tamen minor perhibetur: [q] nam & vniuerso senatu, & omnibus ordinibus obuiam effusis, paratu magno vrbem inibat. [r] Et oppida bello capta, signaque militaria, spoliáque & captiua arma, muneraq; quibus donatus fuerat, præ se gerebat. Tum duces bello capti, & obsides dati, bellorum machinæ, [s] & currus, [t] vasaque aurea & argentea, [u] ac quicquid pecuniarum ex manubiis & præda exactum foret; etiam coronæ oppidorum, quibus à sociis honestatus

Ouandi causa.

Ouandi causa.

Posthumius Tubertus primus ouans vrbem ingressus.

Pompa & apparatus ouantis.

ANNOTATIONES IN CAP. XVII.

a ROmani Duces.] Super hoc capite, vide Dionysium Halicarnasseum lib. 1. Plutarchum in vita Marcelli, & Gellium lib. 5. c. 6.

b *Quam Græci ὀυὰν.*] Plutarchus vbi suprà. Et ἐυασμὸν, vt scribit Dionysius Halicarnasseus lib. 5. Posthumium, inquit, minore pompa & humiliore, quàm deprauato vocabulo nominant Ouationem quasi ἐυασμὸν.

c *Si non debellati hostes.*] Dionysius libr. 8. vbi de ouatione C. Aquilij de Hernicis.

d *Si ignominia tantùm accepta cladis eleuata.*] Vide infrà in verbo, Primus enim Posthumius Tubertus.

e *Vel paululum laboris.*] Plinius lib. 15. c. 29. Gellius lib. 5. c. 6. Festus Pompeius lib. 13. vbi de ouali corona.

f *Aut non in sua.*] Titus Liuius 4. Decad lib. 4. in ouatione M. Heluij, Causa, inquit, triūphi negandi Senatui fuit, quòd alieno auspicio, & in aliena prouincia pugnasset. Vide suprà lib. 1. c. 22.

g *Si nondum pacata prouincia.*] Liuius 4. Decad. lib. 9. vbi de Manlio Proconsule, dictum suprà lib. 1. c. 22.

h *Si bella non rite indicta.*] Sunt verba in eam rem Gellij d. lib. 5. c. 6.

i *Vel cum hoste non legitimo.*] Cum iusto hoste dicit Gellius ibi.

k *Et cum seruis & piratis.*] De his vtrisque Gelllius in eodem loco.

l *Et fugitiuis.*] Plinius lib. 15. c. 29. in fi. Scribit autem Gellius d. lib. cap. 5. Crassum, cum bello fugitiuorum confecto ouans rediret, coronam myrteam, qua ouantes coronabantur, insolenter aspernatum esse, & lauro, quæ triumphantibus dicata est, voluisse coronari. Vide infrà.

m *Vel si deditione facta.*] Plinius & Gellius in dictis locis.

n *Aut si ex prouincia exercitus non deportatus.*] Liuius 4. Decad. lib. 8. vbi etiam de Manlio Proconsule loquitur.

o *Primus enim Posthumius Tubertus.*] Plinius lib. 15. c. 29. in fin. cuius hæc verba sunt, Bellicis quoque se rebus inseruit, triumphánsque de Sabinis Posthumius Tubertus in Consulatu) qui primus omnium ouans ingressus vrbem est: quoniam rem leuiter sine cruore gesserat) myrto Veneris coronatus incessit, optabilémque arborem etiam hostibus fecit. Sed aliter Dionysius Halicarnasseus lib. 5. vbi dicit hanc causam fuisse, quòd ei triumphus non fuerit decretus, tantùm ouatio, ob cladem paulò antè acceptam cum ignominia, quando multis desideratis, parum abfuerit quin ipse in fuga veniret in potestatem hostium. Nam, vt non multò antè scribit, Posthumius in sinistro cornu abolendæ ignominiæ cupidus, dextrum hostium cornu impulit, nullo vitæ respectu, dummodo vinceret, velut insanus certúsque mori, conijciens se in hostes medios. Pomponius Lætus meminit huius Tuberti in Compendio historiæ Romanæ.

p *Pompa verò & apparatus.*] Idem Dionysius d. lib. 5. differre triumphum ab ouatione dicit, quòd in hac dux non curru, sed pedibus in vrbem præcedit pompam militum: deinde pro intertexta auro trabea induitur toga prætexta, qui quotidianus cultus est Prætorum atque Consulum. nec sceptrum gestat, vt triumphantes, sed tantùm lauream, in cæteris nullo discrimine. Et lib. 9. in fine omnino, Lucretius, inquit, triumphans vrbem inuectus est, Veturius ouans rediit ex S. C. pompa pari cætera, nisi quòd pedibus non curru ingressus est.

q *Na & vniuerso Senatu.*] Gellius d. lib. 5. c. 6. & Seruius lib. 4. Æneidos, in eum locum, vbi quid ouatio differat à triumpho scribit,

— Sola fuga nautas comitabor ouanteis.

Ouatio, inquit, minor est triumphus. Qui enim ouationem meretur, & vno equo vtitur, & à plebeis vel ab equitibus Romanis deducitur ad Capitolium, & de ouibus sacrificat, vnde & ouatio. Qui autem triumphat, albis equis vtitur quatuor, & Senatu præeunte in Capitolio de tauris sacrificat.

r *Et oppida bello capta.*] Hæc omnia in ouationibus, vt in triumphis fiebant, vt diximus suprà hoc eod. lib. c. 6. vbi de triumpho Mithridatico diximus ex Appiano:

s *Et currus.*] Nam & hinc fortè currus ouantes vocat Propertius lib. 3. elegia 8. ad Mecœnatem,

Persequar & currus vtroque ab littore ouantes
Parthorum, astuta tela remissa fuga.

Quanquam & aliò possit referri, & vide infrà ibi, Sola plebe, aut equestri ordine.

t *Vasaq; aurea & argentea.*] Hæc portabantur in ouatione, vt in triumpho de quo diximus suprà lib 6. c. item 6.

u *Ac quicquid pecuniarum ex manubiis & præda.*] Nam & Appius Clodius Cento ex Celtiberis ouans decem millia pondo argenti, quinque auri in ærarium tulit, apud Liuium 5. Decad. lib. 1. ad finem. M. Heluius ouans (vt idem

fueràt.[x] Tum si qui milites donis militaribus, torquibúsque & armillis donati essent, pulcharrimo comitatu præcedebant. Ipse verò dux cui ouandi honos datur,[y] myrtea insignis corona[z] sceptrum manu tenens,[a] non triumphali picta vel aurata veste, nec[b] curru quadringo, vt triumphantes,[c] sed purpura decorus,[d] insidens equo. Neque senatu sub prætextis iuxta currum, triumphantis more,[e] sed eo subsequente,[f] sola plebe & equestri ordine, aut equitibus præeuntibus incedebat. Sed notandum, eos quibus ouandi dabatur ius, priscis sæculis sine exercitu aut legionibus[g] vrbem pedibus iniuisse:[h] lapsis postea temporibus, vt equo veherentur, morem præualuisse:[i] éxque duobus imperatoribus rebus bene gestis, alteri triumphum, alteri vt ouans vrbem iniret, datum esse.[k] Cum Lucretio Tricipitino Veturius consul de Volscis & Æquis triumphauit: sed alteri, vt curru quadriiugo triumphantem legiones sequerentur: Veturio verò, vt sine legionibus ouans equo veheretur, à senatu datum fuit.[l] Bello etiam Punico secundo, Marcus Liuius & Claudius Nero de Hasdrubale & Pœnis triumpharunt: sed Liuius curru triumphans cum legionibus, Nero autem sine exercitu equo vrbem inisse proditur.[m] Interdum verò ouantes lauro, non myrto coronatos inuenimus: siquidem Marcus Crassus de fugitiuis & Spartaco, quos collatis signis vicerat, ex consulto senatus, lauro coronatus ouasse traditur.[n] Et Tiberius Cæsar quum de Vindelicis mœsta ciuitate propter repentinum incommodum triumphare nollet, non equo, sed curru cum triumphalibus ornamentis lauro ornatus, ouans ingressus est.[o] Turmas quoque equitum non lauro, sed olea ornatas,[p] cum militaribus iocis & versibus inconditis ouanti præcedere, non subsequi, vt in triumphis solet:[q] neque ouantes candidos tauros aut boues mactare, vt erat triumphantium mos, sed coronatas oues ante se agere, illásque exacta pompa immolare compertum est, quare ouationem dixere. Neque,[r] clangentibus tubis, vt ille Martius soler, sed modulantibus tibiis deduci,[s] Illud quoque notatum perhibent, tam in maioribus quàm minoribus triumphis, nisi quibus præcipui honoris aut priuilegij prærogatiua indultum fuisset, vt equo vectarentur, omnes qui ouanti aut triumphanti prodirent obuiam, quique erant comites, pedibus & non equo incessisse: quod longo post tempore obseruatum mansisse in triumphali pompa, multa documenta sunt.

Myrtea corona ouantis. Ouantes initio sine exercitu & legionibus pedibus vrbē ingrediebantur. Laurea corona ouantiū. Equitum ornatus in ouatione. Ouantiū sacra. Ouatio vnde dicta. Tiba in ouatione. Obuiam procedentium, qui equo vehētur, & cætera.

ANNOTATIONES.

Liuius scribit 4 Decad. lib. item 4.) Argenti infecti tulit in ærarium quatuordecim millia pondo septingenta triginta duo, & signati bigatorum 17. millia 22. & Oiceosis argenti 52. millia 438.

x *Tum si qui milites,*] Gellius lib. 5 c. 6. in fi. authoritate Massurij scribit, milites non sequi solitos ouantes, sed vniuersum Senatum: quod dictum est suprà.

y *Myrtea insignis corona.*] Plinius lib. 5. cap. 29. ad finem. Plutarchus in Marcello & in Crasso. Gellius d. libr. 5. cap. 6. vbi rationem reddit, quòd ouatio non Martius, sed Veneris triumphus foret. Festus Pompeius libro 13. vbi de ouali corona. Idem autem lib. 11. dicit Papyrium Myrtea corona vsum fuisse, quòd Sardos in campis Myrteis superasset.

z *Sceptrum manu tenens.*] Dionysius Halicarnasseus lib. 5. vt iam diximus suprà in pompa & apparatu ouantis, scribit ouantes sceptrum non gestare, vt triumphantes, sed tantùm lauream.

a *Non triumphali picta vel aurata veste.*] Dionysius d. lib. 5. vbi de ouatione Posthumij de Sabinis.

b *Nec curru quadriiugo, vt triumphantes.*] Nam hi eo curru vtebantur in triumpho, vt diximus suprà cap. 6. huius lib. 6. vide infrà ibi, Insidens equo.

c *Sed purpura decorus.*] Suetonius in Nerone cap. 25.

d *Insidens equo.*] Sabinus Massurius apud Gellium lib. 5. c. 6. in fi. pedibus ingredi ouantes dicit. Verùm Tiberius Cæsar, vt scribit Suetonius in vita illius, c. 9. veterem morem aspernatus, curru, instar triumphantium, non equo, vel pedibus instar ouantium, vrbem introiuit. Dion plurimos ouantes equo vectos fuisse dicit. Nam de Cæsare, ἱππεύοντα ἐν τῇ ἐλάσει. De Augusto, τὸ ἐφ' ἵππου ἐξελάσαι. De Druso, τὸ ἐπὶ κέλητος ἐς τὸ ἄστυ ἐλάσαι. De Tiberio, τὰ ἐπὶ τοῦ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε. De Antonio, ἐπὶ ἵππου αὐτοῦ ἐξαγαγόντες.

e *Sed eo subsequente.*] Gellius d. lib. 5. c. 6.

f *Sola plebe, aut equestri ordine.*] Seruius d. lib. 4. loco suprà citato in verbo, Et currus.

g *Vrbem pedibus iniuisse.*] Dionysius lib. 5. vbi de ouatione Posthumi, & lib. 8. vbi de ouatione Aquilij, cuius verba adduximus suprà. Et Plutar. in Marcello.

h *Lapsis verò temporibus.*] Vt dictum est suprà ibi, Insidens equo.

i *Exq́; duobus Imperatoribus.*] Vide suprà lib. 1. c. 51.

k *Cum Lucretio.*] Hæc vsque ad versic. Bello. sunt Liuij Decad. 1. lib. 5.

l *Bello etiam Punico secundo.*] Valerius Maximus lib. 4. c. 1. de Animi moderatione. Et vide suprà lib. 1. c. 22.

m *Interdum verò ouans lauro.*] Hæc vsque ad versic. Et Tiberius. sunt Plinij lib. 15. c. 29. ad fi. Plutarchi in Crasso. & Gellij lib. 5. c. 6. Et vide quod dixi ex Dionysio Halicarnasseo lib. 5. suprà ibi, Sceptrum manu tenens. Et adde M. Valerium vtraque corona & laurea & myrtea vsum fuisse ex Plinio vbi suprà.

n *Et Tiberius Cæsar.*] Suetonius in vita illius, cap. 9. sic scribit, Quas ob res & ouans & curru vrbem ingressus est primus, vt quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, nouo nec antea tributo genere honoris.

o *Turmas quoque equitum.*] Plinius lib. 15. c. 4. Oleæ honorem Romana maiestas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Iuliis ex ea coronando: item minoribus triumphis ouantes.

p *Cum militaribus iocis & versibus inconditis.*] Vt videre licet suprà cap. 6.

q *Neque ouantes candidos tauros.*] Plutarchus in Marcello. Festus Pompeius lib. 13. vbi de ouantibus loquitur. Seruius in d. lib. 4. Æneidos vbi suprà. Pomponius Lætus in d. Romanæ historiæ compendio.

r *Clangentibus tubis.*] Ouationem (scribit Plutarchus vbi suprà) non in curru laureatus, nec circunclangētibus tubis, at pedes patriciis in calceis, modulantibus tibiis, myrteam gestans coronam ita peregit, vt nulla belli facies esset, sed omnia iucundum magis quàm terribilem præ se ferrent aspectum.

s *Illud quoque notatum perhibent.*] Suprà cap. 6.

Qui

Qui erant tribuni militum in Romanis castris, quave potestas & officium foret, aut iurisdictio.

Capvt XVIII.

TRibvnos [a] militum qui castris & legionibus præerant, imperium in milites habere, exercituique & summæ rerum præesse, ferè peruulgatum est. [b] Qui tametsi à primis originibus terni ex singulis tribubus, Ramnensi, Titiensi, & Luceri crearentur: [c] tamen militari lege, vt singulis quatuor legionibus [d] seni ac deni tribuni præessent, sancitum erat. [e] Qui licet à consulibus & summis ducibus antea eligerentur, post aliquot ætates vt militari suffragio & prærogatiua crearentur, militibus munus datum fuit. Lapsis mox temporibus, vt populi suffragio & tribuni rogatione fierent, [f] lege cautum fuit: ex quibus qui à consulibus creabantur, [g] Rufuli, mox Rutuli nuncupati, eo quòd Rutilius Rufus consul de illorum imperio primus tulisset. Aliorum verò tribunorum militarium duo fuere genera, aut enim suffecti erant, aut comitiati. Suffecti, militari suffragio in castris. [h] Comitiati verò populi iussu comitiis creabantur. [i] Demum sequuti Cæsares, tribunos ipsi delegere, homines insigni testimonio, in quibus esset specimen magnæ & expertæ virtutis. [k] Quare Hadrianus Cæsar viros ætatis exactæ & summæ prudentiæ, doctos ætate & vsu ad tribunatum euexit: vetuitque edicto, ne imberbis adolescénsve, tribunus fieret. [l] Fuitque prisci moris, vt quum princeps ad tribunatum quempiam eueheret, gladium illi in manū traderet: quo signabatur, in milites iure militari habere imperium. Cuius edicti verba sic habent: Milites quibus iussi erunt, parento, eorúmque tribuni sunto, & infra. [m] Huic Lacones & præsidij præfecto harmosten dixere nomen, qui magistratus semestris erat. [n] Illorúmque præcipuum munus, castrorum & exercitus curam agere, ne sine munimento, sine custodiis sint, peruigiles excubias iubere, ne quid occulto speculatu hostes moliri possint. [o] In primísque

Tribuni militum nouem. Singulorū legionum seni tribuni. Tribuni per quos eligerentur. Tribu. Rufuli & Rutuli. Tribuni Suffecti. Comitiati. Tribuni à Cæsaribus creati. Harmostes. Tribuni officia.

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

a *TRibunos militum.*] Multa de huiusmodi Tribunis militum Liuius 1. Dec. lib. 3. & 4. non semel, & 5. in princ. & 6. & 9.

b *Qui tametsi à primis originibus terni.*] Varro linguæ Latinæ lib. 1. aut aliorum computa. 4. Tribuni militum, inquit, quòd terni tribus tribubus, Ramnium, Lucerum, Tatiensium olim ad exercitum mittebantur.

c *Tamen militari lege.*] Vide suprà lib. 1. c. 5. vbi de hac eadem re.

d *Seni ac deni.*] Liuius 1. Dec. lib. 9.

e *Qui licet à Coss.*] Vt videre licet ex Polybio lib. 6.

f *Lege cautum fuit.*] Illud tamen in illis tandem nouatum propter Macedonicum bellum in Persea Regem Macedonum, quòd Consules ex S.C. ad populum tulerunt, ne Tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, Sed Consulum Prætorúmque in iis faciendis iudicium arbitriúmque esset, vt scribit Liuius 5. Dec. lib. 2.

g *Rufuli mox Rutuli.*] De his duobus Liuius 1. Decad. lib. 7. Asconius Pædianus in 2. in Verrem actione, Tribunorum militarium, inquit, duo genera. Primum eorum qui Rufuli dicuntur. Hi in exercitu creari solent. Alij sunt comitiati qui Romæ in comitiis designantur. Festus Pompeius lib. 16. sic scribit, Rufuli appellabantur Tribuni militum à Consule facti, non à populo: de quorum iure, quòd Rutilius Rufus legem tulerit, Rufuli, ac pòst Rutuli sunt appellati.

h *Comitiati verò.*] Asconius Pædianus vbi suprà, & de his etiam alibi suprà lib. 4. c. 3.

i *Demum secuti Cæsares.*] Vt patet ex sequentibus.

k *Quare Adrianus Cæsar.*] Spartianus in vita illius: Cuius hæc verba sunt, nec Tribunum nisi plena barba faceret, aut eius ætatis, quæ prudentia & annis Tribunatus robur impleret, nec pateretur quicquam Tribunum à milite accipere. Flauius autem Vopiscus in vita Probi Imperatoris tradit ipsum Probum adolescentem & propè imberbem Tribu. militum factum fuisse Valeriani Imperatoris iudicio. Sed & longis ante temporibus legimus Scipionem Affricanum superiorem, admodum iuuenem Trib. militum fuisse apud Valer. Maximum lib. 5. c. 6. de Pietate erga patriam. Extat apud nos l. si Rufinus. 4. C. de testam. milit. qua cautum est Tribun. minorem annis testantem non posse dare libertatem seruis. & l. vlt. eod. tit. quia licet antiquis legibus permitteretur pupillis, si Tribunatus numerū meriti fuissent, testamentum posse conficere: id tamen Iustianus illius legis author abrogauit.

l *Fuitque prisci moris.*] Hinc est quod Traianus Imperator cum Tribunatum militum Suræ Licinio traderet, parazonium quo pro dignitate accingendus erat, nudum ei porrexit: ac Talem, inquit, ensem accipe, quem pro me ita demum strinxeris, si iustè imperauero: quòd si perperam quicquam per me fieri cognoueris, eò in perniciem meam vtaris, velim.

m *Hinc Lacones & præsidij præfecto Harmosten.*] Dionysius Halicarnassæus lib. 5. non multò ante fin. Quoties (inquit) nec leges tuerentur iustitiam, nec magistratus ad legum tutelam sufficerent, & in temporum nouitatibus opus esset institutis non tam optimis, quàm ad præsentem rerum statum accommodatissimis, non solùm in improuisis casuum aduersitatibus, verùm nonnunquam & in immodicis prosperatibus, quæ bonam constitutionem Reipub. corrumperent, celerémque ac liberam correctionem postularent, necesse erat, regias ac tyrannicas potestates rursus in medium proferre conuelatas honestioribus vocabulis. Sic Thessali Archos, sic Lacedæmonij Harmostas eos appellabant pro tyrannis vel regibus: quòd religio esset restituere potestates cum iureiurando & deuotione abrogatas deorum monitu. Thucydides lib. 1. vbi Laurentius Valla Harmosten vertit Præfectum. Plutarchus in Lycurgo, vbi Lapus Florentinus vertit Conciliatorem. Cæterùm Xenophon in Rebus Græcorum multos Lacedæmoniorum Harmostas memorat. Idem Plutarchus in Alcibiade, Cum Calcedoniis, inquit, bellare adortus est, quòd defecissent Lacedæmoniorum præsidio & Harmostæ. Cæterum Xenophon in Rebus Græcorum multos Lacedæmoniorum Harmostas memorat: scilicet lib. 1. Clearchum: lib. 2. Stenelaum & Lysandrum lib. 3. post princ. Thimbronem, & paulò pòst Dercyllidem, iterúmque Lysippum, & alibi eodem libr. Tysaphernes & Pharnabazus his conditionibus pacem Dercyllidæ obtulerunt, Si Lacedæmoniorum Harmostæ ex regiis ciuitatibus abirent. Pausanias lib. 9. scribit, Thebanos post Leuctrensem victoriam Harmostas Lacedæmoniorum præfectos, quos in ciuitatibus ipsi Lacedæmonij constituerant, eiecisse. Aliter autem Harmostas accipit Pollux lib. 1. c. 10. περὶ συμμάχων εἰρηνικῶν καὶ πολεμίων. & lib. 3. cap. item 3. περὶ μνηστείας.

n *Illorúmque præcipuum munus.*] Redit ad magistros militum Romanorum. Iurisconsultus in l. officium. §. fin. de re militari.

o *In primísque milites ad solenne iusiurandum adigere.*] Iulius

milites ad solenne iusiurandum adigere: neque enim militi arma capere fas erat, ni prius apud tribunum legitimum præstitisset iusiurandum,[p] qui etiam in castris iura dabant: quóque in promptu essent, & nihil moraretur imperium illorum statio in castrorum principiis erat, vbi tribunal habere, & iura dare assuerant,[q] quibus non virgas, vt consuli aut prætori, sed ad terrorem audaciæ, vites lictores præferebant, contumacésque milites Romani vel Latini nominis, iussa minus exequentes, non virgis,[r] sed vitibus per centuriones: externos verò fustibus plectebant. [s] Alexander tamen Seuerus tribunis non lictores aut apparitores, sed milites anteire iussit, quatuor tribuno, sex duci, decē verò legato.[t] Erátque militari lege cautum, vt si miles dum cæditur ob crimen, vitem frangeret, aut centurionis vel tribuni manum teneret, de gradu deiectus, militia amoueretur: si autem violēras manus inferret, capite lueret. [u] Cúmque reliqui milites passim ferreos haberēt annulos, tribunis tamen, centurionibus & legatis, aut his quibus ordo & imperium erat, aurei dabantur:[x] à quibus siue in hostes ducere, siue castrametari, siue in prima acie & fronte locari, aut in subsidiis poni, vel in stationes & vigilias ire conueniret, tesseram milites petebant. Ipsi verò ab imperatore, quod dari oportebat, signū assumebant, copiásque equitum & peditum, quoties dimicandum erat, ornari & instrui, atque in aciem educi iubebant. Milites quoque in cōflictu præliorū, singulos & vniuersos hortari & monere, atque in cessantes animaduertere, tribuni proprium munus erat. Missionem quoque militibus perfunctis militia, si causam probarent, ex authoritate & iussu consulum dabant. [y] Quod Fuluius cohortem legionis in qua tribunus erat, sine iussu consulum missam fecerat, Quintus Fuluius Flaccus censor illum ærarium fecit, & senatu amouit.[z] Si qui tamen post missionem studio pugnæ militare cuperent, nisi secundo sacramento adscripti essent, arma sumere, & merere, aut in hostes tendere nequibant.[a] Marcellus notauit tribunorum militum officium esse, milites in castris habere dicto audientes, & intentos imperio, ad exercitationes deducere, in stationes mittere, claues portarum suscipere, ne occulta colloquia serant, néve quis author noui consilij cum hostibus moliri quid possit, stationes, vigilias, munitionésque ne infrequentes sint, nonnunquam interdiu, sæpius noctu circuire, milites singulis momentis instructos paratósque habere, siue pabulatum, siue frumentatum vadant, præsertim si in procinctu hostes sint, exploratóque in hostes ducere. Cúmque frumentum militibus admetitur, ne quid minus æquo impartiant, interesse, néve perniciosa fame, aut inopia afficiantur, vtque præparati commeatus abunde sufficiant alimentis, ne arma, viri, equi aut pecunia desint, cū imperatore multo antè præuidere (nam Romani duces rationem commerciorum præcipuam habuere semper) castris locum capere, valetudanarios inspicere, sauciorum

Tribuni statio. *Tribuni lictores.* *Militaris lex.* *Tribuni militum officium ex Marcello.*

ANNOTATIONES.

Frontinus lib. 4 Stratagematôn cap.1. L. Flacco & C. Varrone Coss. milites primo iureiurando facti sunt: antè enim sacramento tantummodo à Tribunis rogabantur: cæterùm ipsi inter se tantùm coniurabant se fugæ, atque formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros nisi teli petendi feriendíve hostis, aut ciuis seruandi causa. Seruius enarrans illud Virgilij lib. 7. Æneidos,

Ipse vocat pugnas, sequitur tum cætera pubes.

Sacramentum, inquit, erat in quo vnusquisque miles iurat se non recedere, nisi præcepto Consulis post impleta stipendia: id est, militiæ tempora, scilicet vigintiquinque annos.

p *Qui etiam in castris iura dabant.*] Iurisconsultis in d. l. officium. Polybius lib. 6.

q *Quibus non virgas.*] Vide in seq. Virgas pro Lictoribus posuit Iuuenalis sat. 8.

Præcedant ipsas illi te Consule virgas.

r *Sed vitibus per Centuriones.*] Plinius lib.14.c.1. paulò ante fi. de vitibus loquens, Quid, quod (ait) insertæ castris summam rerum naturam imperiúmque continent? Centurionum in manu vitis & opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit Aquilas, atque etiam in delictis pœnā ipsam honorat. Et Cornelius Tacitus lib. 1. Centurio, inquit, Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedò alterum, indiderant: quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat. Iuuenalis loquens de Mario satyra 8,

Nodosam posthac frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

Silius Italicus de Ennio, quem Centurionem fuisse dicit libr. 12.

Ennius antiqua Mesappi ab origine Regis
Miscebat primas acies, Latiaq; superbum
Vitis adornabat dextra decus.

Martianus Iurisconsultus in l. militis agrum. 13. ff. de re militari, sic scribit, Irreuerens miles non tantùm à Tribuno vel Centurione, sed etiam à principali coërcendus est. Nam eum, qui Centurioni castigare se volenti restiterit, veteres notauerunt: si vitem tenuit, militiam mutat: si ex industria fregit, vel manum Centurioni intulit, capite punitur. Plinij locum de vite Centuriali scitè admodum exponit Petrus Crinitus lib. 22. de Honesta disciplina, cap. 2.

s *Alexander tamen Seuerus.*] Ælius Lampridius in vita illius, Apparitores denique, inquit, nullos esse passus est Tribunis aut ducibus, nisi milites anteire voluit: iussitque vt ante Tribunum, quatuor milites ambularent: ante ducem, sex: ante legatum, decem: hique ad domos suas reciperētur.

t *Erátque militari lege cautum.*] In d. l. milites agrum. §. irreuerens. cuius verba adscripsimus suprà in verbo, Sed vitibus per Centurionem.

u *Cumq; reliqui milites passim ferreos haberent annulos.*] Quod & hinc videre licet quòd Septimius Seuerus Imperator primus omnium militibus permisit aureis annulis vti, vt tradit Herodianus lib. 3. Et vide Plinium lib. 33. c. 2. Liuius 1. Decad. lib. 3. neminem nisi equitem atque eorum ipsorum primores annulum aureum pro insigni gestasse,

x *A quibus.*] Scilicet Tribunis militum. Ex Polybio lib. 6. & Vegetio lib. 2. c. 9.

y *Quod Fuluius.*] Valerius Maximus lib. 2. c. 2. de Disciplina militari, Q. Fuluius Flaccus, inquit, Censor Fuluium fratrem cohortem legionis, in qua Tribunus militum erat, iniussu Consulis domum dimittere ausum, Senatu amouit. Idem scribit Iul. Frontinus Stratagematôn lib. 4. c. 1.

z *Si qui tamen post missionem*] Vnde Cato ad Pompilium scripsit, vt si filium pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret sacramento: quia priore amisso iure cum hostibus pugnare non poterat. Hæc Cicero libro 1. Officior.

a *Marcellus notauit.*] Imò Martianus in dicta l. officium §. vlt. ff. de re militari. Flauius Vegetius lib. 2. c. 12

b *Neque*

cutam agere, nomina militum memoria tenere. Quippe imperatorem aut tribunum ignorare milites, pudenda inscitia est.[b] Neque aliud Othonem ad imperium euexit; quàm quòd quemque militum in agmine, in stationibus, in itinere nomine compellabat suo, ex hoc gratiam & studia hominum assequutus.[c] Querelas quoque militum audire, illorúmque delicta militari lege plectere, infidum damnosumque militem militiæ gradu deiicere, tribunorum potestatis est.[d] Fertur tamen Aurelianus Cæsar tam seueræ disciplinæ fuisse, vt tribuno per epistolam mandarit, vt militum manus contineret, ne quis pullum aut ouem raperet, aut vuam ex vineis, aut segete spicas: vt arma tersa, calceamenta fortia, vestis noua, equus defricatus, & mulus centurionatus foret.[e] Fuitque antiqui moris, vt miles in castris ad centurionem, centurio ad tribunum, manè salutatum vadat, & ad edictum præstò sit. Ac licet tribunis militum centuriones subsint & decuriones, ipsi tamen legati imperio parent.[f] Erátque militari lege cautum, ne quis vbi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset:[g] namque centurio, decurio, & ordinis ductor tribuno inferiores sunt. Alexander verò Macedo tanti tribunos & decuriones fecit, vt neminem nisi sexagenarium ordines ducere siuerit.[h] Hoc quoque notatum est, eum qui præconium faceret, inter decuriones admitti non liceret, & multo magis inter tribunos. Si tamen antea præconium fecisset, & postea artem desiuisset, ad decurionatum admitti poterat, ad tribunatum non vtique. Insuper obseruatum, vt si quando in aliquos iusta mouenda forent arma, senatum per tribunum militum de bello indicendo ad populum sæpe tulisse.[i] Quódque veteri instituto ad tribunatum admitti nemo poterat, nisi prius alam duxisset: neque alam ducere, nisi cohorti præfuisset: siquidem cohors erat ala inferior: tribunatus verò legionum, post alam conferri daríque consueuit.

Aureliani disciplina in militem rapacitatem.

Qui ad tribunatum admissi.

ANNOTATIONES.

b *Neque aliud Othonem.*] Cornelius Tacitus lib. 17. sic scribit de Othone Imperatore, In itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemque militum nomine vocans, ac Neroniani comitatus contubernales appellando, alios agnoscere, quosdam requirere, & pecunia, aut gratia iuuare, studia militum, iampridem spe successionis affectauerat.

c *Querelas quoque militum.*] Redit ad d. l. Martiani, de qua suprà in verbo, Marcellus notauit. Id enim ex ea lege est. Polyb. autem l. 6. Oportet, inquit, vt milites pareant Tribunis, Tribuni ad Consules referant, Attamen potestatem habet Tribunus molestandi, pignoris capiendi, cædendique.

d *Fertur tamen Aurelianus Cæsar.*] Huius epistola militaris est ad vicarium suum data (vt scribit Flauius Vospicus in Aureliano) huiusmodi: Si vis Tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lacbrymis prouincialium habeat: arma tersa sint: ferramenta samiata calciamenta fortia. Vestis noua vestem veterem excludat: Stipendium in baltheo, non in popina habeat. Torquem brachialem & annulum apponat: equum saginarium suum defricet, captum animal non vendat, mulum centuriatum communiter curet Alter alteri, quasi seruus, obsequatur: à medicis gratis curentur. Aruspicibus nihil dent: in hospitiis castè se agant: qui litem fecerit, vapulet.

e *Fuitque antiqui moris.*] Polybius lib. 6. Equites ordinúmque ductores omnes, inquit, oriente luce accedunt ad Tribb. tentoria, Tribuni ad Consulem: ille quod instat agendum, Tribunis edicit, Tribuni Equitibus, ordinúmque ductoribus: ij multitudini promunt, tempore opportuno.

f *Erátque militari lege cautum*] Liu. 1. Dec. lib. 7. paulò ante fi.

g *Námque Centurio.*] Liuius 1. Dec lib. 8. in contentione L. Papyrij Dictatoris, & M. Fabij ob Q. Fabium, qui contra edictum Dictatoris pugnans, vicerat, Cum, ait, polluta semel militari disciplina, non miles Centurionis, non Centurio Tribuni, non Tribunus legati, non legatus Consulis, non Magister equitum Dictatoris pareat imperio.

h *Hoc quoque notatum est.*] Hæc vsque ad versic. Insuper. sunt Ciceronis Epistola. famil. lib. 6. epistola 19. ad Lepram, incip. Simul vt accepi. vbi sic scribitur, Neque enim erat ferendum, cùm qui hodie haruspicinam facerent, in Senatu Romæ legerentur, in municipiis decuriones esse non licere.

i *Quódque veteri instituto*] Quibus adde apud Liuium 5. Decad. lib. 4 L. Æmylio Paulo, & C. Licinio Consul. Senatum decreuisse, vt in octo legiones parem numerum Tribunorum Consules, & populus crearent: creare autem neminem eo anno placuisse, nisi qui honorem gessisset.

Qui ludi scenici, qui Megalenses, qui Taurij, Compitalitij, Iuuenales, & Honorarij fuerint.

CAPVT XIX.

INTER spectatissimos ludos, qui plurimi Romæ fuerunt,[a] Romani ludi à regibus instituti primùm,[b] qui & magni, &[c] Circenses dicti, præcipui semper habiti sunt,[d] Ioui, Iunoni, & Mineruæ

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

a *Romani ludi à regibus.*] Circenses ludos primus Romæ fecit Romulus, quarto mense ab vrbe condita, vt scribit Fabius Pictor, quo die Sabinas rapuit. Circenses dictos scribit Seruius in lib. 8. Æneidos, quòd ensibus circundarentur. Nam cùm rudis vetustas non loca huiusmodi ludis apta ædificasset, inter enses & flumina eos agebant, vt ignauis vtrinque præsens esset periculum. Posteà Tarquinio Prisco Rege locus est designatus Circo, qui postmodum Maximus est dictus, vt Liuius refert 1. Dec. lib 1. Tum primùm Circo, qui nunc Maximus dicitur, designatus locus est: loca diuisa patribus, equitibúsque, vbi spectacula sibi quisque facerent, Fori appellati. Ludicrum fuit equi, pugilesque ex Hetruria maximè acciti. Solennes deinde annui mansere ludi, Romani Magnique variè appellati.

b *Qui & Magni.*] Liuius vbi suprà. Cicero 2. in Verrem actione, Hi, inquit, ludi dies quindecim auferent: deinde continuò Romani consequentur. Vbi Asconius Pædianus sic scribit, Roman ludi sub regibus instituti sunt, Magnique appellati, quòd magnis impensis dati: tunc primùm ludis impensa sunt ducenta millia nummûm. Alij magnos ludos factos putant, quòd consiliorum secretorum Deo, id est, Neptuno lati, tum Regi & rerum conditarum & diis magnis, id est, Laribus vrbis Romæ dati sunt, quibus aiunt raptas Sabinas, esse: vt videatur propter hoc dicere Virgilius lib. 8. Æneidos,

— *Magnis Circensibus actis.*

Festus Pompeius lib. 11. vbi de ipsis magnis ludis, Magnos ludos Romanos appellabant, quos in honorem Iouis, quem principem deorum putabant, faciebant.

c *Et Circenses dicti, &c.*] Virgilio vbi suprà, & Suetonio in Cæsare, c. 39. & Nerone, c. 11. & vbique apud authores.

d *Ioui, Iunoni & Mineruæ.*] Cicero 7. in Verrem actio, Nouo

Sui cuique deorum ludi. Pratoris edictum de ludis.

celebres: [e] nam singulis diis singuli erant dicati ludi: [f] quippe venationes & munera Saturno, scenici Libero, Circenses Neptuno: aliique aliis numinibus dabantur, quos ad placanda numina vnà cum sacrificiis, [g] cúmque cantu & tibia celebrabant, pretoris edicto id decernente in hæc verba: Ludis publicis, quod sine curriculo & sine corporis certatione fiat, popularem lætitiam cantu, fidibus & tibiis moderantor, eáque cum diuino honore iunguntο. & infra. Quos etiam vrgente bellorum tumultu prætermittere duxerunt nefas. [h] Quum enim secundo Punico bello externis hostibus Italia affligeretur, & cuncta bello arderent, eosdem magnificè apparateque factos, & in plures dies instauratos, [i] oleíque congios in vicos datos fuisse comperimus. [k] Postea confectis bellis & rebus contra Samnites gestis, magnificè Romanos faciendos curasse, illósque coronatum populum spectasse, victoribúsque palmas è Græcia translato more, atque epulum ludorum causa ædiles dedisse, Titus Liuius author est. [l] Fuere quoque ludi magni, quos post pugnam ad Trasimenum votos inuenimus, æris trecentis trigintatribus millibus, bobus albis quadringentis, multísque hostiis & aliis diuitiis clari, [m] quos à Marco Acilio consule in apparatu belli contra Antiochum iterum votos, & magno sumptu exolutos, ac dies decem continuos celebratos tradunt: [n] in quorum celebritate, præcipua per singula puluinaria mittebantur munera. [o] Anno inde ab vrbe * ferè quadringentesimo, quum vis morbi ingens vrbem peruasisset, & graui cælo vulgarentur morbi, tantáque tabes & vis mali ingrueret, vt nullum pestis suffugium foret, quum ope diuina luem minimè leuari crederent, victis superstitione animis, scenici primùm ludi apparatu magnifico facti sunt, quos ludiones ex Hetruria, motibus non indecoris, versibus ridiculis cum cantu & tibicine adhibitis histrionibus, saltantes celebrarunt. [p] Eósque ab ædilibus curulibus secundo Punico bello, per quatriduum instauratos, [q] ac noctu luminibus accensis celebrari, [r] missiliaque varij generis spargi, authores memorant: in [s] quibus inter ludicra scenæ, comœdiæ repræsentari solebant, multis fabularum argumentis, & apparatu vario, [t] quarum sex fuere genera: namque ex his alia stataria, alia motoria, aliæ togatæ, nonnullæ palliatæ, pleræque prætextatæ, [u] aut Atellanæ. [x] Erátque constitutum, vt comœdi cum soccis proscenia inirent, actores tragœdiarum cum cothurnis: planipedes excalceati: [y] scenici certatores nudi, circa pudenda tantùm velati. [z] Vtque ad ostentationem scenæ,

Ludi magni.

f. anno 394. Scenici ludi quando primum facti.

Comœdiarum sex genera.

ANNOTATIONES.

sum designatus Ædilis. Scio mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani nominati sunt, maxima cum dignitate ac religione. Ioui, Iunoni, Mineruæ esse faciendos.

e *Nam singulis diis.*] Lactantius Firmanus lib. 6. c. 20. ad fi. de Vero cultu, Paulatim, inquit, & cæteris diis idem honos tribui cœpit, singulíque ludi numinibus eorum consecrati sunt, sicut Sisinnius Capito in libris Spectaculorum docet.

f *Quippe venationes.*] Lactantius ante ea quæ suprà adduxi, scribit, Et primùm quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributæ sunt: ludi autem scenici Libero, Circenses Neptuno. Idem Lactantius c. 6. Epitomes diuinarum institutionum, vbi de Spectaculis, quæ vitanda sapientibus & cauenda, censet, his verbis, Munerum editionea Saturno factæ sunt. Scena Liberi patris est. Ludi verò Circenses Neptuno dicati putantur: vt iam qui spectat, vel interest, relicto Dei cultu, ad profanos ritus transisse videatur.

g *Cúmque cantu & tibia.*] Vide sequentia.

h *Quum enim secundo Punico bello.*] Liuius 3. Deca. lib. 2. & iterum 3. & lib. 5. non longè à principio.

i *Oleíque congios.*] Id Liuij est loco illo postremo, sic enim scribit, Ludi Romani pro temporis illius copiis magnificè facti, & diem vnum instaurati, & congij olei in vicos singulos dati.

k *Postea confectis bellis, & rebus contra Samnites gestis.*] Post triumphum Lucij Papyrij de Samnitibus, authore Liuio 1. Decad. lib. 10. ad fin. Eodem anno coronati primùm ob res bello bene gestas ludos Romanos spectauerunt: palmæque tum primùm translato è Græcia more, victoribus datæ.

l *Fuere quoque ludi magni.*] Liuius 3. Decad. lib. 2. satis longè à princ. Eiusdem, inquit, rei causa ludi magni voti æris 334. millibus, & triente: præter ea bubus Ioui 300. multis aliis diuis bubus albis atque cæteris hostiis.

m *Quos à M. Acilio.*] Liuius 4 Decad. lib. 6. Certa deinde sorte S.C. factum est: quod populus Rom. eo tempore duellum iussisset cum Rege Antiocho esse, quique sub imperio eius essent, vt eius rei causa supplicationem imperarent Coss. vtique M. Acilius Cos. ludos magnos Ioui voueret, & dona ad omnia puluinaria.

n *In quorum celebritate.*] Votum Acilij Liuius post ea, quæ suprà adduximus hæc scribit, Id votum in hæc verba, præeunte P. Licinio Pont. Maximo, Coss. nuncupauit. Si duellum, quod cum Antiocho Rege sumi populus iussit, ea sententia S P Q R. confectum erit: tum tibi, Iupiter, populus Roman. ludos magnos dies 10. continuos faciet, donáque ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia quantam Senatus decreuerit. Quisquis magistratus eos ludos quando, vbique faxit, hi ludi rectè facti, donáque data rectè sunto.

o *Anno inde.*] Liuius 1. Decad, lib. 7. post princ. Valerius Maximus lib. 2. c. 1. de Institutis antiquis. Diuus Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 1. c. 32. lib. 2. c. 8. & lib. 3. c. 17.

p *Eósque ab Ædilibus curulibus.*] Liuius 3 Decad. lib. 4. Ludos, inquit, scenicos per quatriduum eo anno primùm factos ab Ædilibus curulibus memoriæ produnt.

q *Ac noctu luminibus accensis.*] Suetonius in Caligula, cap. 18. Scenicos ludos & assiduè, & varij generis, multifariam fecit, quondam etiam nocturnos, accensis tota vrbe luminibus.

r *Missiliáque.*] Idem ibidem iis, quæ proximè adduximus, hæc subiungit, Sparsit & missilia variarum rerum, & panaria cum obsonio viritim diuisit. Idem in Nerone, c. 12. Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies.

s *In quibus inter ludicra scena.*] De scenarum diuersitate & generibus dictum fuit suprà lib. 5. c. 16.

t *Quarum sex fuere genera.*] Donatus in vita Terentij.

u *Aut Atellana.*] Liuius 1. Dec. lib. 7. non multò post prin. Atellani, authore Festo Pompeio lib. 14. propriè vocantur personati: quia ius est iis non cogi in scenam ponere personam, quod cæteris histrionibus pati necesse est.

x *Erátque constitutum.*] Soccus non solùm muliebre calciamentum, sed & histrionicum esse, testis est Horatius in Arte,

Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni.
Alternis aptum sermonibus, & populareis
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.

De Cothurno dictum est suprà lib. 5. c. 15.

y *Scenici certatores nudi, circa pudenda tantùm velati.*] Vide omnino nostras leges Connubiales l. 16. n. 31. & seqq.

z *Vtque ad ostentationem.*] Hoc ex sequentibus probatur.

a *Quippe*

in argumentum fabulæ pro personis quas gerebant, varios amictus induerent: [a] quippe Agamemnon sceptrum ferebat, pellem bubulcus, Achilles arma, Telephus penulā & peram, ita vt pro fabulæ argumento congruens apparatus fieret per artifices scenicos, qui imitarētur affectus. [b] Vtque in scena quinque tantùm seruarentur actus: nam scenico ludioni quinquies prodeunti, vltra prodire nō licuit: quod in tragœdia quoque seruatum est, vt non plures quàm quinque personarum actus fierent. [c] Vtque finito argumento, & scena personis vacua, chorus & tibicen introducatur. In veteri verò comœdia seruatur, vt primarum partium communes actiones sint, aut gesta militiæ domique: postremarum verò conuiuia, cantus, potiones & lusus. [d] Postea, seu ob morum prauitatem, seu quia mali exempli ludi erant, perniciémque ciuibus afferebant, ita scenicos insectati sunt, [e] vt Scipio Nasica in censura scenicos ludiones tribu mouisse, & ærarios fecisse dicatur, [f] licet institutum foret, vt actores Atellanarum tribu non mouerentur, sed stipendia facerent & mererent: fuitque vetus mos diu seruatus, vt primitiæ spectaculorum à ludicris scenicorum choreis inciperent. [g] Cúmque Idæam deorum matrem ex Pessinunte Romani aduocassent, præter munera & apparatus magnificentiam, ludos in honorem deæ instituerunt, qui præcipui inde habiti sunt, quos Marcus Iunius Brutus cum templo in Palatio dedicauit, qui etiam scenici dicti: illósque [h] Megalenses appellarunt, [i] illorúmque curam ædiles gerere, ac [k] veris initio prælata diuitiarum pompa celebrare: [l] permissaque ludendi licentia, personatos iuuenes, magistratuum priuatorúmque munia & personas, facta dictáque imitari, [m] & ante deæ simulachrum ludere, [n] matronásque spectatæ pudicitiæ in his psallere, memoriæ datum est. Quibus diebus Romanæ consuetudinis erat, conuiuia & sodalitates inuicem agere, & comessari, victu tamen frugali & modesto, nec die tantùm, sed noctu epulari: namque hi ludi præcipuè casti, magno fauore spectantium conspicui erant, [o] ad quos seruos adire non licebat: illósque prætores & magistratus purpurati, in toga & prætexta,

Decori obseruatio in vestibus.

Comœdia antiqua obseruatione.

ANNOTATIONES.

a *Quippe Agamemnon.*] Sceptrum, quod propriè Iouis erat, ad Reges & Principes & magistratus translatum est. Virgilius lib. 1. Æneidos,

— Celsa sedet Æolus arce
Sceptra tenens.

Ouidius Amorum lib. 3. eleg. 1.

Læua manus sceptrum latè regale tenebat:
Lydius apta pedum sceptra cothurnus erat.

Horatius in Arte, vt habitus ita verba personæ conuenientia tribuenda esse censet, his versibus,

Telephe, vel Peleu malè si mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo: tristia mœstum
Vultum verba decent: iratum plena minarum:
Ludentem, lasciua seuerum, seria dictu.

Et paulò post:

Intererit multum Dauúsne loquatur an Heros,
Maturúsne senex: an adhuc florente iuuenta
Feruidus: an matrona potens, an sedula nutrix:
Mercatórve vagus, cultórve virentis agelli:
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.
Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge
Scriptor: honoratum si forte reponis Achillem:
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer:
Iura neget sibi nata: nihil non arroget armis,
Sit Medea ferox, inuictáque: flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes, &c.

b *Vtqué in scena quinque tantùm seruarentur actus.*] Vide Donatum in vita Terentij. Horatius de Arte poëtica,

Néve minor quinto, neu sit productior actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

c *Vtqué finito argumento.*] Vt videre licet in Tragœdiis Senecæ, & aliis Tragœdiarum scriptoribus.

d *Postea*] Ex sequentibus patet.

e *Vt Scipio Nasica.*] Cicero in libris de Repub. & ex eo D. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 1. c. 31. & lib. 2. cap. 13. Val. Maximus lib. 2. cap. 1. de Institutis antiquis, vbi loquitur de Institutis scenicis, sic loquit, Cæterùm, authore P. Scipione Nasica, omnem apparatum operis eorum (scenicorum nempe portentorum) subiectum hastæ venire placuit. Atque etiam S. C. cautum est, ne quis in vrbe propiúsve passus mille subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet, vt scilicet remissioni animorum iuncta standi virilitas propria Romanæ gentis nota esset.

f *Licet institutum foret, vt actores Atellanarum.*] Liuius 1. Decad. lib. 7. post princ. Valerius Maximus vbi nuper citauimus. Atellani autem, inquit, ab Oscis acciti sunt, quod genus delectationis Italica seueritate temperatum, ideóque vacuum nota est: nam neque tribu mouetur, neque à militaribus stipendiis repellitur.

g *Cúmque Idæam deorum matrem.*] Liuius 4. Decad. lib. 6 Et eundem 3. Decad. lib. 9. & 4. Decad. lib. item 4.

h *Illósque Megalenses appellauerunt.*] Liuius, qui & ea Megalesia vocat, 3. Dec. lib. 4. Festus Pompeius, Megalesia, inquit, ludos Matris magnæ appellabant. Cur autem sic appellati sint, scribit Varro lib. 4. linguæ Latinæ, his verbis, Megalesia dicta à Græcis, quòd ex libris Sibyllinis accersitā ab Attalo Rege Pergami prope murum Megalesion, vbi templum eius deæ, aduecta inde Romam. Cicero de Arusp. responsis, Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum in ipso Matris magnæ conspectu Megalensibus fieri celebrarique voluerunt? qui sunt more, institutísque maximè casti, solennes, religiosi.

i *Illorúmque curam Ædiles gerere.*] Id videre licet ex Liuio in infinitis locis, & inter cætera 1. Deca. lib. 7. & Cicer. in d. Orat. de Arusp. respon.

k *Ac veris initio.*] Scilicet pridie Idus Aprileis, vt scribit Liuius 4. Dec. lib. 4.

l *Permissaqué ludendi licentia.*] Primi annis singulis ludi scenici erant Megalesia, in quibus histriones ad nouum opus egredientes, mira lasciuia, spurcissima & turpissima quæque in Matrem deûm & Atym dictitabant: tum & alij per id temporis, etiam honestissimi Romanorum cultu dissimulato, vt nosci non possent, licentissimè per vrbem vagabantur, nullis verbis factísque fœdis parcentes, vt author est Herodianus in Commodo.

m *Et ante deæ simulachrum.*] D. Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 2. c. 4. & seq.

n *Matronásque.*] Cicero in d. Oratione de Aruspicum responsis, vbi publicos Matris deûm ludos negligenter esse factos, & ob id pollutos ostendit, ita scribit, Quòd si quia liber, aut spectandi, aut etiam religionis causa accesserat, manus afferebantur, quò matrona nulla adiit propter vim consessumque seruorum.

o *Ad quos seruos adire.*] Cicero in d. Orat. de Arusp. respon. Istiusmodi, inquit, Megalesia fecit pater tuus? istiusmodi patruus? Is mihi etiam generis sui mentionem facit, cùm Athenionis, aut Spartaci exemplo ludos facere maluerit, quàm C. aut Appij Claudiorum? Illi cùm ludos facerent, seruos de cauea exire iubebant. Tu in alteram seruos immisisti, ex altera liberos eiecisti. Itaque qui anteà voce præconis à liberis

Purpura Megarensis. atque in ornatu maximo celebrarunt: [p] quare purpura Megarensis in vulgi prouerbium venit. [q] Quibus diebus stipem cogere, Idææ matris familiis proprium fuit, quod edicto cauebatur his verbis. Præter Idææ matrisfamilias, eósque iustis diebus, ne quis stipem cogito, & infra. In quibus fuit constitutum, vt patricij Megalensibus mitarent, plebs verò Cerealibus. [r] Præter hos fuere Taurij diis inferis consecrati, *Ludi Taurij.* quorum origo fertur antiquissima: quum enim regnante Superbo, vis morbi & insanabilis pernicies per omnes vrbis regiones & cōpita peruagata esset, assiduísque funeribus exhausta ciuitas foret, atque ob esum carnium taurorū pestifer annus grauidas mulieres ita affecisset, vt sisti pestilentia nequiret, in deorum inferorum placamenta hos ludos concelebrarunt, qui Taurij dicti, quòd ob taurinæ carnis morbum, inuenti primùm concelebratíque sunt, [s] in quibus metas circumcurrere, velut in Circensibus seruatum est. [t] Compitalitios verò [u] Laribus, [x] quos bis in anno vernis æstiuísque floribus *Ludi Compitalitij.* ornabant, dicatos plerique autumant, quorum origo ab vltima antiquitate fuisse proditur. [y] Cùm enim Prisco Tarquinio regnante, in foco genitale repētè apparuisset, quo in sinu admoto, mater Seruij Tullij Ocrestes, stupens miraculo, haud multo pòst Seruium Tullium enixa peperit, qui mox regno successit, & quòd puero caput arserit, Laris filius esse creditus est: inde Compitalitij ludi primùm instituti, inuentíque fuere, [z] quos per vicorum magistros fieri, & in compitis celebrari, ac per multum temporis desitos, quum solennia ludorum intermittere nefas esset, post L. Lucullum & C. Marium consules à L. Pisone reuocatos, & magno apparatu instauratos memorant, qui postea non per vicorum magistros, sed præfectos vicorum celebrari cœpti, & demum sublatis collegiis, haud multo post discussi fuere. Tametsi ab Atheniensibus primùm institutos Compitalitios nonnulli credant, in quibus præmium victori hircus donabatur: [a] post quos, Iuuenales, funebres & seculares, vario & solerti ingenio inde recepti *Ludi iuuenales.* paratíque sunt: in iuuenalibus enim, licet iuuenum causa instituti forent, in hísque adolescentes per lusus & lasciuiam admitterētur, [b] plerúmque tamen anus, & grandæuas natu matres, senésque ingrauescēti ætate, ludis admissos comperimus. [c] Lusus erat, quem ludebant turmæ puerorum primo ætatis flore, & iuuenes generosi spiritus, vt equis instratis, hinc inde dispositis turmis, tanquam acie instructa, composito agmine, in iustæ modum pugnæ cursitarent, speciemque prælij, modo in occursum eundo, nunc à tergo & in gyrum occursando præberent, & campestrem incursionem facerent, [d] specimenque magnæ

ANNOTATIONES.

liberis semouebantur: tuis ludis, non voce, sed manu liberos à se segregabant.

p *Quare purpura Megarensis.*] Aristot. lib. 4. Ethic c. 2.

q *Quibus diebus.*] Hæc vsque ad vers. In quibus. sunt Ciceronis lib. 2. de Legibus, & iam diximus suprà hoc eodem lib. vbi de 12. Tab.

r *Præter hos fuere Taurij.*] Hæc quoque vsque ad versic. In quibus metas. sunt Festi Pompeij libr. 18. De ludis autem Taurilibus Liuius 4. Dec. lib. 9.

s *In quibus metas circumcurrere.*] Varro lib. 1. aut aliorum comput 4. de lingua Latina.

t *Compitalitios.*] Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 7, Suetonius in Augusto, cap. 31. Nonnulla etiam ex antiquis cæremoniis paulatim abolita restituit: vt Salutis augurium, Diale flaminium, sacrum Lupercale, ludos seculares & compitalitios.

u *Laribus.*] Ouidius lib. 5. Fastorum,

Fitque grauis, geminosque parit, quia compita seruant,
Et vigilant nostra semper in vrbe Lares.

Et varro lib. 2. aut aliorum computatione. 5. de lingua Latina. Et Dionysius Halicarnasseus lib. 4. vbi & id dicit, Sacrificis Compitalia facta facientibus non ingenuos, sed seruos ministrare voluit, quasi hoc gratius esset Laribus: quod festum nostra quoque ætate Romani agitant paucis diebus post Saturnalia cum primis celebre, & sumptuosum Compitalium appellatione: durátque mos ille priscus in sacris placandi Genios per seruorum ministeria, qui temporalia libertate fruuntur per eos dies, vt hac honorifica humanitate mansuetiores redditi, dominos chariores habeant, & leuius ferant suæ fortunæ inclementiam.

x *Quos bis in anno.*] Suetonius in Augusto, cap. 31. Compitales Lares ornare bis in anno instituit, vernis floribus & æstiuis.

y *Cùm enim Tarquinio Prisco regnante.*] Hæc vsque ad vers. Quos per. sunt Plinij lib. 36. c. 27. eodemque vlt. in fi.

z *Quos per vicorum magistros fieri.*] Et hæc quoque vsque ad versic. Tametsi. sunt Asconij Pædiani in Orationem Ciceronis contra Pisonem.

a *Post quos Iuuenales*] De quibus Suetonius in Nerone, c. 11. Scribit Iulius Capitolinus Gordianum edidisse de proprio per quatriduum ludos Scenicos & Iuuenalia. Sidonius Apollinaris,

Iam fama Iuuenalibus peractis.

Suetonius autem in Caligula, cap. 17. in fi. tradit illum, vt lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adiecisse diem Saturnalibus, appellasseque Iuuenalem.

b *Plerumque tamen anus, & grandæuas.*] Suetonius in Nerone, c. 11. in princ. Spectaculorum plurima & varia genera edidit: Iuuenalea, Circenses, Scenicos ludos, gladiatorium munus. Iuuenalibus senes quoque Consulares, anúsque matronas recepit ad lusum. Cornelius Tacitus lib. 14. Nero instituit ludos Iuuenalium vocabulo, in quos passim nomina data. Non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento, quominus Græci Latiniue histriones artem exercerent, vsque ad gestus modósque haud viriles. Dion in Nerone, Iuuenalibus, inquit, ludis interfuerunt multi, sed in primis nobilissimi viri. Cuius rei argumentum est, quòd Ælia Catula, fœmina nobilissima atque ditissima, ac iam grandis natu (nata erat annos octoginta) saltauit: Cæteri, qui propter senectutem, & morbos præcipuè, nihil poterant facere, saltabant. Se enim exercebat vnusquisque vt poterat, erántque ob eas res scholæ constitutæ, quas frequentabant clarissimi viri, mulieres, puellæ, adolescentuli, vetulæ, senes. Quod siquis non posset aliter spectaculum præbere, ad choreas ibat, cúmque multi pudore adducti, ea facerent personati, Nero, petente populo, ab eis personas auferebat, eósque patefaciebat hominibus, apud quos ipsi paulò antè magistratus gesserant.

c *Lusus erat.*] Id ex Virgilio est, huiusmodi ludum describente lib. 5. Æneidos,

Olli discurrere pares atque agmina terni
Diductis soluere choris, rursusque vocati
Conuertere vias, infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus
Aduersis spatiis, alternosque orbibus orbes
Impediunt, pugnaque cient simulachra sub armis.
Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula vertunt
Infensi, facta pariter nunc pace feruntur.

d *Specimenque magnæ indolis.*] Hæc sunt in Augusto, cap. 43.

cuius

indolis, & commendationem ineuntis adolescentiæ præ se ferrent, ita vt qualis quisque futurus esset, cuiúsque spei, facilè eniteret.[e] In his quoque pyrrhicham saltari accepimus, quæ integris vrbis moribus, magno fauentium studio fiebat: quæ primùm inuenta fertur in [f] Creta,[g] nonnulli à Laconibus ad res bellicas facilè obeundas,[h] vt armati leui flexu & saltu, nunc se cōtrahendo, nunc in altum exiliendo, nunc declinando, tela & plagas vitarent. disciplinámque ediscerent, [i] quæ enoplia saltatio dicta est, quam [k] Tranquillus Troiam nuncupauit : [l] idque à Romulo institutum ferunt, vt cum armis saltarent milites saltatione, quam bellicrepam dixit. [m] Sicut in Panathenæis armatos pueros saltare voluerunt, in quibus pueri puellæque forma conspicui, manibus amplexi, nunc in orbem, nunc in obliquum per diuersos flexus pyrrhicham in theatro saltabant.[n] Postea verò Gaditani modi, & mollissimæ saltationes, quum essent minus notæ, inuentæ fuere, in plures diuisæ species : in [n] chironomiam, quæ

Pyrrhicha.

Enoplia saltatio.

Saltatio in panathenæis.

Saltationes molles.

A N N O T A T I O N E S.

cuius verba adscribemus infrà in verbo, Quam Tranquillus Troiam nuncupauit.

c *In his quoque Pyrrhicham*] Seruius in lib. 5. Æneidos quo loco citabimus infrà ibi, Quam Tranquillus. De huiusmodi autem saltatione Plato lib. 7. de Legibus, Plinius lib. 7. c. 56. Suetonius in Cæsare, c. 39. Pyrrhicham, inquit, saltauerunt Asiæ Bithyniæque Principum liberi, & in Nerone, c. 12. Athenæus Dipnosophistarum lib. 14. c. 12. Apuleius lib. 10. & 11. de Asino aureo refert pueros puellásque Græcanicam saltasse Pyrrhicam, cùm nunc in orbem totarum flexuosi, nunc in quadratum cuneati, discursus reciprocos explicarent. Pollux lib. 4. c. 14. Scholiastes Homericus Iliados lib. ϖ. Spartianus in Hadriano, Ammianus Marcellinus lib. 16 Et ex horum plurimis intelliges cuiusmodi hæc saltatio fuerit. Vide Erasmum Chil. 3. centur. 7. c. 71. Pyrrhichen oculis præ se ferens.

f *In Creta*] Pyrrhica saltatio est Græcanica, quam Pyrrhus in Creta primus inuenit, auctor Plinius vbi suprà. Scribit Strabo in 10. Pyrrhicham repertam fuisse à Pyrrhicho Curete pro iuuenibus ad disciplinam militarem exercendis. Straboni astipulatur Solinus cap. 16. vbi de Creta insula, qui saltationem hanc expressit his verbis, Pyrrhichen docuit Creta Pyrrhicho repertore. Equestres turmas prima docuit lascíuas vertigines implicare : ex qua disciplina bellicæ rei vsus datus.

g *Nonnulli à Laconibus.*] Quintilianus lib. 1. c. 19. Lacedæmonios, inquit, etiam saltationem quandam, tanquam ad bella quoque vtilē, habuisse inter exercitationes accepimus. Athenæus d. lib. 14. c. 12. scribit, Aristoxenum Pyrrhicham à quodam genere Lacone appellationem consecutam esse, ac his etiam temporibus Pyrrhichum nomen esse Laconicum.

h *Vt armati.*] Nam & hanc ita describis Plato lib. 7. de Legibus, Motus, inquit, Pyrrhiches imitatur flexus corporum, quibus tela, plagæque vitantur declinando, concedendo, exiliendo in altum humíque se contrahendo : contrarios item gestus imitatur, quibus videlicet contra alios quicquam infertur sagittando, iaculando, feriendo. Diodorus Siculus lib. 5. c. 15. scribit, Cretam reperisse ensem, galeam, ac cum armis saltandi morem, quorum strepitu permagno Saturnus deceptus est.

i *Quæ Enoplia*] Dionysius Halicarnasseus lib. 7. hanc saltationem Pyrrhicam enopliam esse, hoc est armatam tradit. Pollux lib. 4. c. 14. Quamuis hæc à Pyrrhica distinguere videatur Strabo d. lib. 10. Plinius d. lib. 7. c. 56. Saltationem, inquis, armatam Curetes docuere Pyrrhicam Pyrrhus, vtranque in Creta.

k *Quam Tranquillus Troiam nuncupauit.*] In Cæsare, c. 39. Troiam lusit, turma duplex, maiorum minorúmve puerorum, & in Augusto 43, Sed & Troiæ ludum edidit frequentissimè maiorum minorúmve puerorum delectu, prisci decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic notescere & in Tiberio, cap. 6. in fine. Præsedit & Actiacis ludis & Troianis Circensibus, ductor turmæ puerorum maiorum. & in Claudio, c. 21. Ac super quadrigarum certamina Troiæ lusum exhibuit, & in Nerone, c. 7. in princ. Tener adhuc, necdum matura pueritia, Circensibus ludis Troiam constantissimé fauorabiliterque lusit. Et de hoc quoque ludo Cornelius Tacitus lib. 11. Sedente Claudio Circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Troiæ inirent, interque eos Britannicos Imperatore genitus, è L. Domitij adoptione mox in Imperium, & cognomentum Neronis ascitus, fauore plebis acrior in Domitium loco præ agij acceptus est. Huius autem ludi originem videbis apud Virgilium lib. 5. Æneidos, multis versibus, quos suprà adduximus ibi, Lusus erat. Quibus paulò pòst & hos subiecit; quibus ostendit hunc ludum illinc ad Romanos fluxisse,

Hunc morem cursus atque hæc certamina primus
Ascanius, longam muris cùm cingeret Albam,
Rettulit & priscos docuit celebrare Latinos:
Quo puer ipse modo secum, quo Troia pubes
Albani docuere suos. Hinc maxima porrò
Accepit Roma, & patrium seruauit honorem:
Troiaqué nunc, pueri Troianum dicitur agmen.

Quo in loco Seruius, Vt ait Suetonius Tranquillus, ludus ipse quem vulgò Pyrrhicam appellant, Troia vocatur, cuius expressit originem in libro de Puerorum lusibus. Huius quoque meminit Dion Nicæus lib. 43. vbi de ludis & certaminibus à Cæsare populo exhibitis, Etiam, inquit, Troiam, antiquo more, Patritiorum filij luserunt : iuuenesque, qui dignitate æquales erant, curribus certauerunt. & libr. 48. de Agrippæ pretura, Et Troiam vocatum ludum per nobiles pueros magnificè exercebat. Et lib. 51. vbi de ludis in cosecratione templi Iulij factis, Ludi omnis generis, inquis, facti sunt Patriciíque pueri Troiam luserunt, viríque simili ratione equis celeribus bigísque & quadrigis certauerunt.

l *Idqué à Romulo institutum fuit.*] Festus Pompeius lib. 2. Bellicrepam, inquit, saltationem dicebant, quando cum armis saltabant, quod à Romulo institutum est, ne simile pateretur, quod fecerat ipse, cùm à ludis Sabinorum virgines rapuit.

m *Sicut in Panathenæis.*] Isocrates in eo libro, qui Panathenaicus inscribitur. Thucydides lib. 6. De his Plato in Parmenide, Aristophanes in Nubibus, Plutarchus in Theseo, Eusebius chronographus, vbi de Agone gymnico, Maximus Tyrius Sermone 33. & 36. Pausanias lib. 4.

o *Postea verò Gaditani modi.*] Martialis lib. 3. epig. 109. in Cotilum,

Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat,
Qui mouet in varios brachia volsa modos,

Et rursum epig. 120. ad Toranium,

Nec de Gadibus improbis puella,
Vibrabunt sine fine prurientes
Lasciuos docili tremore lumbos.

Et lib. 6. epig. 70. de Thelesina,

Edere lasciuos & Bethica crusmata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis.

Et lib. 14. epit. 203. de Puella Gaditana,

Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, vt ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

Et Iuuenalis satyra 11.

Forsitan expectas vt Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausuqué probata
Ad terram tremulo descendant clune puellæ,
Irritamentum Veneris languentis.

d *In Chironomiam, quæ manuum gestu.*] Idem Iuuen. sat. 6.

Chironomon

manuum gestu: [p] halma, quæ pedum: [q] lactisma, quæ calcibus ad humeros iactis saltabantur, quorum inuentores Iones fuisse dicunt, vnde gestus quoque pantomimi fluxere: in quo id fuit constitutum, [r] vt in chironomia alij gestus subiti, alij miserabiles, alij longi nomina ferrent. [s] Funebres verò ludos etiam inter ludicra scenæ exhiberi accepimus, [t] & post ludos epulum datum, quibus qui præerant, [u] designatores dicti, in [x] quibus gladiatorum paria, qui venalem habent sanguinem modò plura, nunc pauciora, nonnunquam familiæ lanistarum ad gladiaturam comparatæ, digladiari, vulneráque & cædes accipere solebant: [y] quos in defunctorum illustrium memoriam ea de causa institutos ferunt, quòd quum hostes bello victi seruique ad sepulchra summorum ducum olim sæuè iugularentur, & sanguinem effunderent, idque posteris sæuum & inhumanum videretur scelus, cautum fuit, vt sæua illa desita consuetudine, serui libertique, & damnati capite, ac gladiatores bustuarij, qui venalem habent sanguinem, vsu armorum & astu eruditi, conducti precio per lanistas, digladiarentur: in quibus in æmulationem certaménque virtutis, licet dimicatione perniciosa, vulnera acciperent daréntque, & ferro decernerent: in qua si quis fortè succumberet, mercedem lanista perditi gladiatoris accipiebat. Athenienses verò fures & sicarios pecunia comparatos, armis instruebant, quos, vt in scena dimicarent, inuicem committebant: [z] apud quos vsus obtinuit, vt imperatore vita functo, duodecim captiui ad sepulchrum iugulati, tumulentur vnà. [a] Quæ munera licet summæ immanitatis forent, duces in bellum profecturi, Romæ plerumque populo exhibuere: [b] scilicet vt vulnera cernere assuescerent, cædésque & prælia non formidarent, quibus certa lex data, vt multo grauioribus armis pugnare discant, vtque diutius in pugnæ simulachris armati assuescant, vt in patientia laborum educati, in conflictu pugnæ minnus laborarent, neque vt tyrones corporibus animísque deficerent. Vtque lanistæ cum hastis & sudibus primò introducantur, mox gladiis decernant, ad præliúmque incedant tunicati. Vtque ante congressum multa fiant, quæ non ad vulnus, sed ad speciem gesticulationis, & motus agilitatē videantur: procedente mox pugna, vt nudi digladientur, neque in vulnere ingemiscant, néve iniussi decumbant, océve postquam decubuissent, ferrum accipere iussi, segnes & cunctabundi accipiant, aut retractent. [c] Ad quod certamen insignes nobilitate & opibus, neque obscuri generis homines plerumque prodiere: [d] nam & Nero Cæsar CCCC. senatores, & DC. equites ad ferrum exhibuit. Et Domitiani temporibus nobiles ad

Ludi funebres. *Designatores,* *Athenienses.*

ANNOTATIONES.

Chironomon Ledam molli saltante Batillo
Tuscia vesica non imperat.

Quintilianus lib. 1. c. 11. Et certè quod facere oportent, non indignum est discere, cùm præsertim hæc Chironomia, quæ est (vt nomine ipso declaratur) lex gestus, & ab illis temporibus heroicis orta sit, & à summis Græciæ viris, & ab ipso Socrate probata à Platone quoque in parte ciuilium posita virtutum, & à Chrysippo in præceptis de Liberorum educatione compositis, non omissa.

p *Halma, quæ pedum.*] ἅλμα, saltum Græci vocant. Domitius Calderinus, Iuuenalis interpres, in eum locum suprà proximè citatum hoc genus saltationis, quod motu pedum vehementiore fit, Thermastrida vocat.

q *Lactisma, quæ calcibus.*] Domitius vbi suprà, saltationum Græcorum genera diuidens, λακτισμα, inquit, calcibus ad humerum iactis, à mulieribus fiebat.

r *Vt in Chironomia.*] Domitius Calderinus vbi suprà.

s *Funebres verò ludos*] Liuius 4. Decad. lib. 1. ad finem. Donatus in præfatione Terentij. Relege, quæ non incuriosè, diximus de Ludis funebribus, suprà lib. 3. c. 7.

t *Et post ludos epulum.*] Suetonius in Cæsare, c. 26. Munus, inquit, populo, epulúmque pronunciauit in filiæ memoriam: quod ante eum nemo fecit.

u *Designatores dicti.*] Donatus in Adelphis, de quibus in l. Athletas. 4. de his, qui notantur infamia. Vide ibi omnino Budæum in suis Annotationibus.

x *In quibus gladiatorum paria.*] Ita enim committebantur ex Suetonio in Augusto, cap. 44. ad fi. & in Domitiano, c. 4 & Plutarcho in Cæsare.

y *Quos in defunctorum illustrium memoriam.*] Hæc vsque ad versic. In qua, desumpta sunt ex Virgilio lib. 10. Æneidos,

— Sulmone creatos
Quattuor hîc iuuenes, totidem quos educat Vfens,
Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris,
Captiuoque rogi perfundat sanguine flammas.

Quo loco Seruius, Sanè, ait, mos erat in sepulchris virorum fortium captiuos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, qui à bustis Bustuarij dicti sunt.

z *Apud quos.*] Nam & apud Homerum Iliados lib. 23. Achilles in funere Patrocli duodecim viros fortes mactauit, & cum cadauere illius igni tradidit,

Δώδεκα μὲν Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς,
τοὺς ἅμα σοὶ πάντας ἐσθίει.

Id est,

Duodecim quidem Troianorum magnanimorum filios fortes,
Quos vnà tecum omnes ignis absumit.

a *Quæ munera.*] Iustinianus imperator lib. 11. Codicis tit. 43. non immeritò prohibet gladiatoria spectacula, tanquam cruenta præberi. D. Cyprianus in epistola ad Donatum gladiatoriam voluptatem in primis execratur his verbis, Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudeliū luminum sanguis oblectet: homo occiditur in hominis voluptatem: & vt quis possit occidere, peritia est, vsus est, ars est: scelus non tantùm geritur, sed docetur. Hæc præterea gladiatoria munera detestatur Lactantius Firmianus lib. 6. de Vero cultu, c. 20.

b *Scilicet vt vulnera cernere assuescerent.*] Pomponius Lætus in Compendio Romanæ historiæ, vbi de Nemesi dea. Iulius Capitolinus in Maximo & Balbino Imperatoribus, Celebratis sacris, ait, datis ludis scenicis, ludísque Circensibus, gladiatorio etiam munere, Maximus susceptis votis in Capitolio, ad bellum contra Maximinum missus est cum exercitu ingenti, prætorianis Romæ manentibus. Vnde autem mos nactus sit, vt proficiscentes ad bellum Imperatores munus gladiatorium, & venatus darent, breuiter dicendum est. Multi dicunt apud veteres hanc deuotionem contra hostes factam, vt ciuium sanguine litato, specie pugnarum se Nemesis, id est, vis quædam fortunæ satiaret. Alij hoc literis tradunt, quod verisimilius credo, ituros ad bellum Rom. debuisse pugnas videre, & vulnera & ferrum, & nudas inter se cohortes: ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera, & sanguinem perhorrescerent. Hactenus Capitolinus.

c *Ad quod certamen.*] Vt patet ex sequentibus.

d *Nam & Nero Cæsar.*] Suetonius in vita ipsius c. 12. Exhibuit, inquit, ad ferrum etiam quadringētos Senatores, sexcentósque Equites Romanos, & quosdā fortunæ atque existimationis integræ: ex iisdē ordinibus confectorésque ferarum.

specimen virtutis ostendendum, in arenam prodire non dubitarunt,[e] qui non virorum modò pugnas, sed & fœminarum noctu commisit:[f] donec cautū fuit, ne equites Romani ludo & arena polluerentur. Primus enim qui gladiatorium edidit munus,[g] Iunius Brutus, in honorem defuncti patris, fuisse traditur. Alij Appium Claudium & Fuluium consules in foro boario gladiatores commisisse primos asserant.[h] In quo præter apparatus magnificentiam, immanissimas feras, hominésque, qui cum his concurrerent ad pugnā exhibuit.[i] Ad quos matronas admitti erat lege vetitū, ne immanitati aut feritati assuescerent: sicut ab athletarum spectaculis muliebrem sexum[k] Augustus auocauit & dimouit. Non sic Cretensibus, qui præcipuas & magno natu mulieres ad gladiatoriū munus admittebant: & Spartæ nulla est tam nobilis mulier, quæ precio conducta non ad scenā prodeat. Cúmque antea gladiatorij ludi imperatorum munus forent,[l] Claudius princeps, vt pecunia quæstorum fierent, cauit edicto: quos propter cædes & immanitatem, quodq; mali exempli essent, postea edi prohibuit.[m] Et quia nonnulli inopes & modicis facultatibus, sordida mercede conductos gladiatores ad ferrum exhibebant, Tiberio imperante, senatusconsulto cautum fuit, ne quis gladiatorium munus daret, cui minus quadringentis millibus census esset. Post aliquot verò ætates Theodoricus Gothorum rex ita gladiatores odio prosequutus fuit, vt optantibus Romanis, non modò illos denegari, sed nunquam postea edi permiserit. Fuitq; in vsu, vt in funebribus essent spectatores penolati, quū in cæteris togati conuenirent.[n] Seculares verò ludos, quòd singulis centundecem annis, vel quòd semel tantùm hominis ætate fierent, dictos accepimus. Nam seculum veteres hac finitione terminarunt.[o] Alij nisi decursu trium ætatum spatio, seculares fieri negauerunt,[p] qui supra Tiberim,[q] sæpius in Capitolio, magna frequentia & fa-

Qui primus gladiatorium munus dederit.
Matronis ludis interesse vetitum.
Cretenses Spartani.
Quibus gladiatorum munus dare permissum.
Ludi seculares.

ANNOTATIONES.

rum, & varia arenæ ministeria. Corn. Tacitus lib. 15. Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora. Sed fœminarum illustrium, Senatorúmque filiorum plures per arenam fœdati sunt. Hinc illud Iuuenalis Saty. 8.

Qui fides, & spectat triscuria Patriciorum,
Planipedes audit Fabios, ridere potest qui
Mamercorum alapas, quanti sua funera vendant
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.
Nec dubitant celsi Prætoris vendere ludis.

e *Qui non virorum modò pugnas, sed & fœminarum noctu commisit.*] Sueton. in vita Domitiani cap. 4. Venationes (inquit) gladiatorésque & noctibus ad lychnuchos commisit, nec virorum modò pugnas, sed & fœminarum. Ziphilinus è Dione in Domitiano, Noctu sæpe exhibebat certamina, in quæ nonnas & mulieres introducebat. Exhibitas præterea à Domitiano fuisse fœminarum pugnas testatur Papinius, cùm ait in 1. Syluarum, sylua vlt.

Stat sexus rudis, insciúsque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles:
Credas ad Tanaim, ferúmque Phasin, &c.

Iuuenalis mulierum impudentiam Satyrica mordacitate dilacerans, quæ Domitiani temporibus in venationes & pugnas theatrales descendebant, inquit:

—— Meuia Thuscum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

f *Donec cautum fuit, ne Equites Romani.*] Tranquillus in D. Octauio Augusto, cap. 43. scribit, Augustum ad scenicas, & gladiatorias operas, & equitibus Romanis aliquando vsum fuisse, verùm prius, quàm Senatusconsulto interdiceretur: postea nihil sanè præterquàm adolescentulum Lucium bonestè natum exhibuisse, tantùm vt ostenderet quod esat, bipedali minor librarum septendecim, ac vocis immensæ. Vlpianus Iurisconsultus. l. quod ait Prætor. 2. ff. de his, qui notantur infamia, §. vlt. scribit eos, qui quæstus causa in certamina descendunt, & omnes propter præmium in scenam prodeuntes, famosos esse. Diuus Augustinus lib. 2. Ciuitatis Dei, cap. 27. scribit, Romanos priuasse virtutis honore, tribu mouisse, agnouisse turpes & fecisse infames eos, qui scenicas artes & obscœnos ludos exercerent.

g *Iunius Brutus.*] Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. de Institutis antiquis testis est, gladiatorium munus primùm Romæ datum esse in foro Boario, Appio Claudio, Q. Fuluio Consulibus. Dederunt autem Marcus & Decius filij Bruti, funebri memoria, patris cineres honorando. Verùm Iulius Florus de vno Iunij Bruti filio Decio tantùm loquitus, non de Marco: sic enim scribit, Epitome Liuij lib. 16. Diuus Iunius Brutus munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidit primus.

h *In quo.*] Liuius 4. Decad. lib. 9. scribit, P. Licinij funeris causa visceratioum datam, & gladiatores 120. pugnasse, & ludos funebres per triduum factos: & post ludos epulum.

i *Ad quos matronas admitti.*] Contra tamen innuit Suetonius in Augusto, cap. 44. dum sic scribit, Fœminis ne gladiatores quidem, quos promiscuè spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit.

k *Augustus.*] Eodem illo cap. 44. Et vide hîc omnino quæ scripsimus in legibus Connubialib. l. 16. num. 37. incip. Et ob hæc. vbi multa videbis ad hanc rem pertinentia.

l *Claudius Princeps.*] Ante Claudium Iulius Cæsar Ædilis 20. ac 300. gladiatorum paria exhibuit apud Plutarchum in vita illius.

m *Et quia nonnulli.*] Suetonius in Tiberio, cap. 34. scribit, Tiberium ludorum ac munerum impensas corripuisse, mercedibus scenicorum rescissis, paribúsque gladiatorum ad certum numerum redactis.

n *Seculares verò ludos.*] Horatius in Carmine seculari,

Certus vndenos decies per annos
Orbis, vt cantus, referátque ludos
Ter die claro, totiésque grata
Nocte frequentes.

Quam lectionem agnoscunt omnes interpretes, licet sint qui ibi legant non Vndenos, sed Vt denos. Cui lectioni astipulatur Festus Pompeius lib. 17. cùm scribit, Seculares ludi apud Romanos post centum annos fiebant: quia seculum centum annos extendi existimabant. Et Censorinus de Die natali, lib. 6. vbi originem horum ludorum describit. Ludorum secularium meminit etiam Diuus Augustinus libro 3. cap. 18. & ibi Ludouicus Viues interpres, quem vide. Vide præterea Pomponium Lætum in Epit. Rom. historiæ, vbi de Imperio Philippi, & Lilium Gregorium Gyraldum de Annis & mensibus.

o *Alij nisi decursu.*] Herodianus lib. 3. & in vita Seueri, Seculares, inquit, hi tum appellabantur, celebrati (vt aiunt) decursu trium spacio ætatum: siquidem vrbe tota, atque Italia præcones ibant conuocatum omnes ad ludos, quos nec vidissent hactenus, nec visuri postmodò forent. Ita scilicet interuallum præteritæ, futuræque celebritatis, supra omnem esse hominum ætatem significantes.

p *Qui supra Tiberim.*] Scilicet in Vaticano, vt videre est in Suetonio in Claudio, cap. 21. qui quidem Vaticanus erat in Transtiberina regione. Sed Suetonius loquitur de Circensibus, quia sæpe vnà Circenses fiebant, vt posteà dicetur.

q *Sæpius in Capitolio.*] Centesimodecimo anno (vt scribit

uote sunt edi soliti; [r] ad quos licet præco inuitaret ad ludos, quos nec vidisset quisquam, nec visurus esset, illos tamen citra hunc annorum numerum persæpe celebratos comperimus: [s] nam & Diuus Augustus seculares fecit, [t] & haud multo post Claudius celebrauit, quo interuallo sexagintatres haud amplius interfuere anni. [u] Mox Domitianus illos instaurauit, habita temporis ratione, ex quo ab Augusto editi fuerant, quos Romæ per omnia theatra fieri fernatum est, in [x] quibus trinoctio tetra caligine bobus atris ad Tarentum sacrum Plotoni & Proserpinæ, lectisternium, peruigilia & supplicationes instar Cereris initiorum fieri solebant, carmine & hymnis in Capitolio à pueris puellisque patrimis & matrimis, in Apollinis & Dianæ laudem modulato, [y] cum quibus sæpe Circenses dabantur vnà. Quorum institutio fertur antiquissima. [z] Cùm enim Valerius Publicola, qui reges eiecit, tres filios morbo laborantes ex voto recepisset incolumes, voti reus, hos instituit primus, & celebrauit: quos antea præteritos vel intermissos [a] Diuus Augustinus magnifico apparatu celebrauit, quamuis nō vera ratione dimensa. [b] In quibus iuuenes sine aliquo maiore natu propinquorum nocturno spectaculo interesse vetuit. [c] Postremò Domitianus septimos exhibuit, ad sua tempora ab ortu vrbis obseruatos. Et demum post curricula temporum, Philippus [d] Imperator, millesimo vrbis anno ex omni seculorum memoria, apparatissimos seculares fecit in quibus præter elephantos triginta, leones, tigres, alces atque hyænas & bebos, etiam gladiatorum paria mille, hippopotamum, & rhinocerotem, ferásq; immanissimas venationi dedit. [e] Præter quos fuere ludi theatrales & honorarij, qui æquè ac funebres stati non sunt: sed vt quisque ad honores, vt ædilitatem, præturam, vel consulatum euectus erat, ad conciliandum popoli fauorem maxima hos lætitia colnit & celebrauit: [f] in quibus elephantorum [g] & leonum pugnas, aliarúmque belluarum [h] venationes frequenter exhibitas inuenimus. [i] Primus enim Scæuola in curuli ædilitate leonum pugnas dedisse fertur; [k] mox Pompeius iubatos trecentos quindecim, [l] Cæsar quadringentos: [m] donec senatuscōsulto cautū fuit, ne Africanas in vrbem inueherent. Contrà Cneus Aufidius tribunus plebis: nam Circensium causa importari iussit. [n] Postea Augustus

Secularium ludorum origo.

Ludi theatrales & honorarij.

ANNOTATIONES.

Acron) à pueris puellisq; impuberibus in Capitolio cantabatur carmen illud Horatianum, quod nuper citauimus.

r *Ad quos licet præco.*] Herodianus libro 3. in vita Septimij Seueri, & Suetonius in Claudio vbi suprà.

s *Nam D. Augustus.*] Suetonius in vita illius, cap. 31. Plin. lib. 7. cap. 48.

t *Et haud multò post Claudius.*] Idem Sueton. in Claudio, cap. 21. Corn. Tacitus lib. 11. Plinius vbi nuper, Censorinus in d. lib. de Die natali, cap 14.

u *Mox Domitianus*] Idem Autor in vita ipsius cap. 4. Aurelius in vita eiusdem, in fine. Tacitus Censorinus, vbi suprà. Martialis libr. 4. epigr. 1. de Natali Domitiani,

Hic colas ingents redeuntia secula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.

x *In quibus trinoctio.*] Valerius Maximus lib. 2. c. 1. de Institutis antiquis. Vbi de Valesio loquitur, vbi item de Valerio Publicola. Hincq; illud Ausoni in numero ternario,

Trina Terentino celebrata trinoctia lustro,

y *Cum quibus sæpe Circenses.*] Vt etiam patet ex Suetonio in Domitiano, d. cap. 4.

z *Cum enim Val. Publicola.*] Valer. Maximus vbi suprà, & vide Censorinum etiam vbi suprà.

a *D. Augustus.*] Dictum est suprà.

b *In quibus iuuenes.*] Suetonius in Augusto, cap. 31.

c *Postremo Domitianus, &c.*] Tacitus lib. 11.

d *Philippus Imperator.*] Hæc vsque ad versic. Præter quos. sunt Iulij Capitolini in Gordianis de quo etiam nonnihil Eutropius lib. 9. cap. 4. Paulus Orosius lib. 7. cap. 13. Et ad id quod de Hippopotamo dicit, adde quòd Plin. libr 8. cap. 26. scribit, M. Scaurum Edilem primum omnium Hippopotamum Ædilitatis suæ ludis ostendisse. Et ad id quod de Rhinocerote dicit, adde quòd idem Plinius eiusdem lib. 8. cap. 20. Pompeium Magnum omnium primum Rhinocerotem ludis Circensibus exhibuisse.

e *Præter quos fuere ludi Theatrales.*] De huiusmodi ludis Honorariis Suet. in Augusto, cap. 32. Ne quod autem, ait maleficium, negotiúmve impunitate vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui Honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodauit. Festus Pom. lib. 8. Honorarios ludos, ait. quos & Liberalia dicebant. Et hos quidem Hermolaus Barbarus in Plinianis castigationibus c. 4. ita dicit vocari ab honore, qui eos ludos populos edebant.

f *In quibus elephantorum*] Vt abundè videbis apud Plinium lib. 8. cap. 7. & Senecam in lib. de Breuitate vitæ, cap. 13. vbi dicit Pompeium primum in Circo elephantorum duodeuiginti pugnam edidisse: quamuis Plin. in d. c. 7. scribit viginti: aut, vt quidam, ait, tradunt 17.

g *Et leonum pugnas.*] Vt patebit ex sequentibus.

h *Venationes.*] Liuius 4. Decad. lib. 9. tradit, Spurio Posthumio Albino, & Martio Coss. athletarum certamen tum primò Romanis spectaculo fuisse, & venationem datam leonum & pantherarum, Suetonio in Domitiano, cap. 4.

i *Primus enim Scæuola.*] Plin. lib. 8. cap. 16. Solinus cap. 46. aut aliorum comput. 30. vbi de Africa, Spectaculum, ait, ex leonibus primus edidit Scæuola Publij filius in curuli ædilitate. Verùm Seneca in d. lib. de Breuitate vitæ, c. 13. scribit primum L. Syllam in Circo leones solutos dedisse, cùm alioquin tunc alligati darentur ad conficiendos missis à Rege Boccho iaculatoribus, vt vulgò legitur: verùm iaculatoribus legendum puto.

k *Mox Pompeius.*] Plinius vbi suprà. Plutarchus autem in eius vita dicit quingentos. Dion historicus lib. 39. tradit, Pompeium theatrum dedicauisse, & in eodem spectacula cum musica, ludósque gymnicos exhibuisse, atque in Circo equorum certamen, multarúmq; & varij generis belluarum venationes præbuisse. Quinque enim dierum spatio quingenti leones confecti sunt, elephantique octodecim cum armatis depugnauerunt, partim in ipsa pugna mortui, partim paulò pòst. Nam populus aliquos, etiam inuito Pompeio, miseratus est, cùm vulnerati à pugna destitissent, circumeuntésque ad cœlum proboscidibus lamentati sunt, ita vt sermoni occasionem præberent, non id ab ipsis temerè, aut casu fieri, sed iusiurandum, quo persuasi ex Africa traducti erant, implorantibus, suique vindictam deos poscentibus. Fertur enim haud prius eos in naues ingressos esse, quàm à ducentibus iuramento sibi cautum esset de omni iniuria. Hæc Dion. vbi suprà.

l *Cæsar.* Plinius d. lib. 8. cap. 16.

m *Donec Senatusconsulto.*] Plin. lib. 8. cap. 17. Senatusconsultum, inquit, fuit, vetus, ne liceret Africanas in Italiam aduehere. Contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius Tribunus plebis, permisitque Circensium gratia importare.

n *Postea Augustus tigrim.*] Plinius d. cap. 17. paulò post ea, quæ in præced. adduximus subiungit, D. Augustus Q. Tu-

tigrim, [o] & Domitius Ænobarbus centum vrsos Numidicos in ædilitate, & totidem venatores Æthiopes dedit. Hæc enim expectatio munerum, quantum studij & fauoris ad conciliandum popularium animos attulerit, quum magnifico sumptu exhibita fuissent, enarratu difficile est: siquidem qui illa amplè & largiter dedissent, aut qui munificentia reliquos anteissent, facillimos aditus ad honores, consulatus & præturas, reliquósque magistratus, proximis comitiis habuere: quorum cura & procuratio præcipua ædilium erat. [p] Et qui illos ob secordiam prætermisisset, populare odium & offensam haud dubié incurrit, & velut sordidus & parum ciuilis, est pro despectissimo habitus. Mamerco enim homini ditissimo, quòd ædilitatem ne sumptus in exhibendis ludis faceret, assequi nō curasset, in consulatu repulsam tulit. [q] In his enim res commentitias, fabellas & scenas repræsentare, tum monstra & visu incognita, venationésque & pugnas populo dare assuerant: [r] ad quas mulieres descēdisse, & cum immanissimis feris sæpe depugnasse comperimus, [s] tanto omnium studio, vt triginta & amplius dies, sepositis negociis, Romani ludis impēderent: quos postea Augustus coarctauit, ne ludorum celebritas nimium diu actus forēses & negocia moraretur. [t] Theatrales quoque ludos in Liberi patris honorem inuentos fuisse, omnes ferè cōsentiunt, [u] quos ab Atheniensibus originem duxisse ferunt, qui [x] primi Nouembri mense Bacchanalia & ludos gymnicos ac Liberales celebrarunt, tanta licentia, vt nympharum & heroum habitu bacchantes prodirent in forum, & ad sonum tibiæ cum lasciua gesticulatione compositis modis psallerent, vinúmque cum bellariis, libáque ex melle, magna bibendi licentia circumferrent: [y] quos plerunque populus coronatus spectanit. Quæ sacra præterquam quòd per annum [?]iram & temulentam indicerentur, eò insolentiæ processere, vt [z] mulieres virique ornati hedera, crine fluxo, lymphatis animis debacchatæ, cum thyrsis velut insanientes & furore afflatæ obuios ferirent: ministri quoque phanatici non minore vesania ferulas gestarent, tanta temulentia & verborum licentia, vt [a] Marcus Varro, nisi ab amentibus fieri potuisse negaret: [b] quare ministræ Mænades

Munera homines ad scenica ad honores vias parabāt.

Theatralium origo. Bacchanalium licentia.

Bacchanalia per annum indicebantur.

ANNOTATIONES.

betone, Fabio Maximo Coss. 4. Nonas Maias theatri Marcelli dedicatione, tigrim primus omnium Romæ ostendit in cauea mansuefactam. Deinde 18. eiusdem libri capite, tradit, Dictatoris Cæsaris Circensibus ludis tigrim (quæ Camelopardalis etiam vocatur) primùm visam Romæ.

o *Et Domitius Ænobarbus.*] Plinius d. lib. cap. 36. ad finem, Annalibus, inquit, notatum est, M. Pisone, M. Messala Coss. ad 14. Calend. Octob. Domitium Ænobarbum Ædilem curulem vrsos Numidicos centum & totidem venatores Æthiopas in circo dedisse. Deinde subiungit. Miror adiectum Numidicos fuisse, cùm in Africa vrsos non gigni constet. Solinus cap. 59. aut aliquam distinct. 29. vbi de Numidia & in ca visis. Dion. autem in Augusto, tradit, P. Seruilium Prætorem temporibus ipsius Augusti trecentos vrsos, totidémque alias feras exhibuisse & occidisse.

p *Et qui illos.*] Vt patet ex sequentibus.

q *In his enim res commentitias, fabellas.*] Hæc alibi latius explicantur.

r *Ad quas mulieres descendisse.*] Sueton. in Nerone, cap. 11. de Circensibus loquens, Ex vtroque, inquit, ordine & sexu plerique ludicras partes sustinuerunt. Et in Domitiano, cap. 4. vt supra iam diximus, tradit ipsum Domitianum venationes gladiatoresque & noctibus ad lychnos non virorum modo pugnas, sed & fœminarum exhibuisse. Martialis quoque describens Amphitheatrum Domitiani in prin. sui lib. epigr. 6. mentionem facit fœminei prælij, cùm sic ait,

Belliger inuictis quòd Mars tibi sæuit in armis,
Non satis est Cæsar, sæuit & ipsa Venus,
Prostratum Nemees, & vasta in valle leonem
Nobile, & Herculeum fama canebat opus.
Prisca fides taceat: nam post sua munera Cæsar
Hæc iam fœminea vidimus acta manu.

Hinc illud Iuuenalis satyra 2.

Luctantur pauca, comedunt colliphia pauca.

s *Tanto omnium studio, vt triginta.*] Hæc vsque ad versic. Theatrales. sunt Sueton. in Augusto, cap. 32. cuius verba adduximus suprà, vbi de ludis honorariis.

t *Theatrales quoque ludos.*] Seruius enarrans illud Virgilij lib. 2. Georgicorum,

—— Et veteres ineunt proscenia ludi.

Primi, inquit, ludi Theatrales ex Liberalibus nati sunt, ideo veteres ait. Illúdque lib. 11. Æneid.

Aut vbi curua choros indixit tibia Bacchi.

Bacchi, ait. ideo dicit: quia apud veteres ludi Theatrales non erant, nisi in honorem Liberi patris.

u *Quos ab Atheniensibus.*] Virgilius d. lib. 2. Georgic. subiungit,

Præmiáque ingentes pagos & compita circum,
Thesidæ posuere. ——

Et ibi Seruius exponens Theseidæ, id est, Athenienses, qui primi ludos instituere Liberales.

x *Qui primi Nouembri mense.*] Plutarch. in Theseo, scribit, Minoën in honorem Androgei filij, Gymnica certamina statuisse: præmiúmque victoribus pueros (quos secum Theseus adduxerat) tradidisse tantisper in Labyrinthi custodia asseruatos. De Bacchanalibus & Bacchi sacris D. August. lib. 7. cap. 21. & alibi sæpe.

y *Quos plerunque populus coronatus.*] Liuius 3. Decad. lib. 5.

z *Vt mulieres.*] Lucianus in Baccho, Mulieres insanæ & furiosæ coronis hederaceis ornatæ, ceruinis pellibus indutæ, hastulas quasdam paruas gerentes, quibus ferrum non adest: sed thyrso redimitæ sunt, & scuta quædam leniter resonantia, siquis tantùm manu tetigerit, similia scutis tympana. Hederam autem Baccho sacram ostendimus suprà lib. 4. cap. 17.

a *Vt M. Varro.*] Diuus Aurelius Augustinus lib. 6. cap. 9. Bacchanalia, inquit, summa celebrantur insania. Vbi Varro ipse confitetur à Bacchantibus fieri non posse, nisi mente commota. Vbi Ludouicus Viues, interpres, sic scribit, Nam si quieta essent, tranquilláque mente, nunquam talia facerent: partim inepta, stultaque, partim abominandæ fœditatis, partim crudelia atque inhumana. Multæ enim cædes per huiusmodi sacrificiorum furorem committebantur. Sic occisi sunt Pantheus; & Ninus Indiæ Rex, & Lycurgus Thrax, & Orpheus.

b *Quare ministræ Mænades dictæ.*] Et Bacchus ipse Mænoles, quasi totus furens, vt scribit D. Clemens Eusebio citante. Diodorus Siculus lib. 2. cap. item 2. In multis Græcis vrbibus triennio Bacchides mulieres conueniunt: apud quas de more virgines thyrsum ferunt, in honorem Dei Bacchantes, eiq; per cœtus sacrificantes. Postremò memoriam Mænadum, quæ feruntur illi Deo astitisse, hymnis & cantu renouant. Et de his Ouid. lib. 4. Fastor.

Mentis inops rapitur, vt quas audire solemus,
Threicias fusis Mænades ire comis.

Iuuenalis satyra sexta,

---- Et cornu pariter vinóque feruntur
Attonitæ, crinémque rotant vlulante priapo

dictæ,[c] inter quos Sileni, Satyri, Bacchæ, Lenæ & Chiæ, Mimallones, Naiades, Nymphæ & Tityri sacris operabantur. In his quoque comessationes,[d] thyrsi,[e] tibiæ & cantus frequentes erant. [f] Et quoniam ad animæ purgationem pertinere dicerent,[g] etiam vannum quo triticum purgatur: [h] & ouum sphærali figura adhibebant. Quæ sacra procedente tempore, quom ex diurnis nocturna fierent (vnde [i] Nyctileia appellata sunt) promiscuis ingenuorum & fœminarum stupris, cum strepitu & vlulatu in omne facinus & libidinem, perpetuo senatusco͠sulto, nō in vrbe modō, sed per omnem Italiā coërcita fuere: maximisque pœnis inhibitum, ne Bacchanalia Romæ, néve in Italia fierent, quum in contubernio sordidissimorum patrarentur, essentque maximorum scelerum causa & seminarium. Apud Thraces Orgia Bacchi ab [k] Orpheo instituta, nisi à menstruosis ficbant.[l] Euianes Bacchi festa celebrant, in quibus ludiones, primò, mox spectatores multo vino epoto, ad arma concurrunt. A Babyloniis quoque festus dies Baccho plurimo mero exhausto colebatur, in quo noctem perennem lasciuis gesticulationibus & largiori potu indulgebant. Apud Heleos Bacchæ Dionysio psallentes modulata voce, precātur vt bouino pede ad se accedat.[m] Lauini integer mensis Libero dicabatur, quibus diebus obscœnis verbis & spurcissimis vti permissum:[n] quod Heliogabalus instituisse fertur, vt in vindemiarum

Vannus. Nyctileia Bacchanalia inhibita. Orgia in Thracia. Euiane. Babylony. Lauinij.

ANNOTATIONES.

Mænades. ——
Persius satyra prima,
—Et lyncem Mænas flexura corymbis,
Euion ingeminat. ——
Catullus autem Mænades hederigeras vocat.

c *Inter quos.*] Hæc vsque ad versic. In his quoque, sunt Strabonis lib. 10. Ex quo intelligis hîc mendum esse in vocabulo Chiæ, & Thiæ esse legendum. Sed adde ad id quod de Silenis, Satyris, & Mimallonibus hîc dicitur, illud Ouid. de Arte amandi, lib. 1.
Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis,
Ecce leues Satyri prævia turba Dei:
Ebrius ecce senex pando Silenus asello
Vix sedet, & pressas continet arte iubas.
Dum sequitur Bacchas, Bacchæ fugiúntque petúntque,
Quadrupedem ferula dum malus vrget eques.
In caput aurito cecidit delapsus asello.
Clamarunt Satyri, Surge resurge pater.
Et præterea de Mimallonibus Sidonius Apollinaris in præfatione Panegyrici Antemio Augusto consuli.
Tum Fauni Dryades, Satyrique Mimallones acta
Fuderunt lepidum rustica turba melos.
Et Statij interpres. Lactant. lib. 4. Thebaidos, qui Bacchas & Mimallones easdem dicit, citatque illud Persij satyra 1.
Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis.

d *Thyrsi.*] Quod patet ex eo loco Luciani non longè antè adducto. Macrob. libro 4. cap. 19. scribit, Bacchum tenere thyrsum his verbis, Cùm thyrsum tenet, quid allud, quàm latens telum gerit, cuius mucro hedera lambente protegitur.

e *Tibiæ & cantus.*] Vt videre licet ex Suetonio in Domitiano, cap. 4.

f *Et quoniam ad animæ purgationem.*] Seruius in Virg. quo loco statim citabimus.

g *Etiam vannum.*] Nam & vannum ad sacra pertinere satis constat ex Apuleio lib. 11. Metam. vbi is loquens de sacris Isidis, quam Cererem nonnulli esse putant, Quintus, inquit, auream vannum, aureis congestam ramulis: & alius ferebat amphoram. Quod etiam non obscurè indicat Virgilius lib. 1. Georgicôn,
Arbutea crates, & mystica vannus Iacchi.
Vbi Seruius, Ideo, inquit, quòd Liberi patris sacra ad purgationem animæ pertinebant, & sic homines eius mysteriis purgabantur, sicut vannis frumenta purgantur. Hinc est quod dicitur, Osyridis membra à Typhone dilaniata, Isis cribro super posuisse. Nam idem est Liber pater, in cuius mysteriis vannus est, quia (vt diximus) animas purgat. Vnde & Liber, ab eo quòd liberet, dictus est: quem Orpheus à gigantibus dicit esse discerptum.

h *Et ouum sphærali figura adhibebant.*] Ouum quoque sacris & purgationibus adhibitum fuisse, alibi abundè diximus.

i *Nyctileia appellata sunt.*] Seruius enarrans eum locum lib. 1. Æneidos.
— Nocturnúsque vocat clamore Cithæron.
Nocte, inquit, celebratus: vnde ipsa sacra Nyctileia dicebantur, quæ populos Romanus exclusit causa turpitudinis. Nyctileius pater Bacchus dictus est Ouidio libro 1. de Arte amandi,
Ergo, vbi contigerint positi tibi munera Bacchi,
Atque erit in socij fœmina parte tori:
Nyctileúmque patrem nocturnaque sacra precare
Ne iubeant capiti vina nocere tuo.
Et apud eundem lib. 4. Metam. inter cætera Bacchi nomina hoc quoque ponitur,
Nyctileúsque parens, & Iacchus & Euan.
Et Plutarchum in eo libro, qui inscribitur de Eo quod erat in Delphis, & Pausaniam lib. 1.

k *Ab Orpheo instituta.*] Seruius in lib. 6. Æneid in eum locum,
Illa chorum simulans euanteis orgia circum,
Ducebat Phrygias. ——
Et Antipater Sidonius, cuius in id carmen ita in Latinum vertit Gregorius Gyraldus,
Quique sacros ritus atque orgia mystica Bacchi
Repperit. ——

l *Euianes Bacchi.*] Maximus Tyrius, Philosophus Platonicus, Sermone 12. Quapropter, inquit, minimè ego Euianum spectacula laudarim, quibus inter potandum, tam actores, quàm etiam spectatores solent oblectari. Euianes duo ad tibiæ sonum, quam alter ab his modulatur, simulant pugnam: horum alter agricolam aratorémque agit, alter grassatoris personam, séque ideo armis instruit: prope agricolam quoque posita sunt arma. Vbi grassator in conspectum agricolæ venit, protinus agricola, dimisso iugo, accurrit ad arma: quibus acceptis dein ineunt pugnam, in eáque & ictuum & vulnerum & mutilationum imagines quam simillimas reddunt: spectacula videlicet conuiuio indigna. Vide Athenæum lib. 1. cap. 8. in fin.

m *Lauini.*] D. Aurelius Augustinus Ciuit. Dei lib. 7. c. 21. sacrorum Liberi patris turpitudinem acriter lacerans, sic scribit ex Varrone, In oppido Lauinio vnus Libero totus mensis tribuebatur, cuius diebus omnes verbis flagitiosissimis vtebantur, donec illud membrum per forum transuectum esset, atque in loco suo quiesceret. Cui membro inhonesto matremfamiliâs honestissimam palam coronam necesse erat imponere.

n *Quod Heliogabalus.*] Ælius Lampridius in vita illius, Ferunt multi (inquit) ab ipso primùm repertum, vt in vindemiarum festiuo multa in dominos iocularia, & audientibus dominis dicerentur, quæ ipse composuerat, & Græca maximè. Horum pleraque Marius Maximus dicit in vita ipsius Heliogabali. Erant amici improbi & senes quidam, & specie philosophi, qui caput reticulo componerent, qui improba quædam pati se dicerent, qui maritos se habere iactarent. Hactenus Lampridius.

o Id

[f]esto multa impudica & obscœna iactarentur in dominos: [o] id quod nostrates seruare etiamnum solenne habent: donec per forum virile membrũ plaustro transueherent, cui matrona spectatæ pudicitiæ velut sancto numini coronã imponebat.[p] Quod etiam Varro fieri cõsuesse in reliqua Italia scribit, tanta turpitudine, vt per dies festos Liberi membrum per agros plostellis: mox in vrbem cum cantu & vlulatu ferrent.[q] Ab Ægyptiis tãto abusu Bacchanalia fiebãt, vt temeto ingurgitati, statuas cubitales per pagos circũferant, protentamentula, magnitudine visenda, præeunte tibia & choro, cum Mercurij statua veretro porrecto: quas fœminæ & magno natu matres velut pompam triumphalem præ se agebant, tam fœdo spectaculo, vt nihil improbius aut nequius foret.[r] Eadem quoque licentia Athenis vulgò vsurpatur Nouembri mense, quo Bacchanalia celebrabant, vt phanatica multitudo Baccharum habitu per vrbem procederet.[f] Fuit præterea quinquennale ludicrum, in quo tam versu quàm prosa oratione græcè latinéque, tum musica per citharœdos & citharistas, tum gymnicis ludis certabatur: [t] quos Nero Cæsar primus ad morem Græci certaminis è Græcia Romam deduxisse, Iouiq; Capitolino dicasse, atque singulis quinquenniis magno certamine animorũ celebrasse fertur: iam intermissos ducentis annis [v] à Lucij Mummij triumpho, qui primus hoc spectaculi genus in vrbe præstitit. In quibus quantum quisque facundiæ experimento, aut candore ingenij eniteret, facile apparebat.[x] C. verò Caligula, horum instar, miscellos Lugduni fecit, græcæ latinæq; facundiæ experimento. In quo certamine lege sancitum erat, vt victi victoribus hoc præmij darent, vt ipsorum laudes tanquam obnoxij scriberent, & carmine celebrarent.[y] Postea à Domitiano triplex institutum ferunt Capitolino Ioui, Musicum, Equestre & Gymnicum, aliquanto plurium coronatorũ, in [z] quibus Papinius Statius victus fertur, victor autẽ & ter coronatus in certamine Albano, [a] quod Domitianus pariter instituit. In quo poëtæ certatim Mineruæ psallebant hymnos. [b] In eo verò Publius Mimographus palmã tulisse dicitur. Athenis quoque ad Thesei sepulchrum celebres hi ludi mansere, in quibus tragœdorum certamen magno cõuentu totius Græciæ fuisse tradũt. Eò enim viri eloquentissimi ex omni Græcia exciti confluxere, [c] inter quos Æschylus primus tragœdiam dedit, in ea victor Sophocles, victus Æschylus, haud multo post mœrore victus occubuit, quibus etiam ludis decẽ iudices ex singulis curiis præfuere. [d] Fuitq; in more, vt hircus præmium tragœdo foret. Vtque lyrici iuuencam immolarent, tragœdi hircum, poëtæ taurum. [e] Proditur tamen comicus Menander, quum centum & octo scripsisset fabulas, in certamine comœdorum, licet esset superior, tamen ambitu & factione à Philomene victus renunciatus. In Elide quoque poëtæ accepto themate, carminibus certabant, victórq; coronam ferebat

Ægyptij.

Ludicrũ quinquennale.

Triplex ludicrũ quinquennale.

Tragœdorum certamen.

Hircus tragœdi præmiũ.

Poetarũ certamen in Elide.

ANNOTATIONES.

o *Id quod nostrates.*] D. Augustinus ante ea, quæ suprà adduximus, hæc scribit. Inter cætera; quæ pretermittere, quoniam multa sunt, cogor: In Italiæ compitis, quædam dicit (M. Varro scilicet) sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, vt in eius honorem pudenda virilia colerentur: non saltem aliquantum verecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitia. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum, prius per rura in compitis, & vsque in vrbem postea vectabatur. Deinde subiungit ea, quæ suprà adduximus in verbo Lauini.

p *Quod etiam Varro.*] Hæc quæ ex D. Augustino adduximus, Varronis sunt, vbi suprà.

q *Ab Ægyptiis.*] Herodotus lib. 2.

r *Eadem quoque licentia Athenis.*] Dionys. Halicarn. lib. 7. in descriptione ludorum Latinorum, paulò ante fi.

s *Fuit præterea quinquennale ludicrum.*] Tacitus lib. 16. post princ. Sueton. in Augusto, cap. 98.

t *Quos Nero Cæsar.*] Corn. Tacitus vbi nuper, & Sueton. in Nerone cap. 12. Instituit, inquit, & quinquennale certamen primus omnium Romæ more Græco triplex, musicum, gymnicum, & equestre, quod appellauit Neronia.

u *A L. Mummij triumpho.*] Corn. Tacit. li. 14. Neque quenquam, inquit, Romæ honesto loco ortum, ad theatrales artes degeneraisse, ducentis iam annis à L. Mummij triumpho, qui primus id genus spectaculi in vrbe præbuerit.

x *C. verò Caligula.*] Hæc vsque ad versic. Postea. sunt Suetonij in vita ipsius Caligulæ cap. 20. qui ad ea addit, Eos autem, qui maximè displicuissent, scripta sua spongia, linguáque delere iussos, nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.

y *Postea à Domitiano.*] Idem Suetonius in Domitiani ipsius vita cap. 4.

z *In quibus Papinius Statius.*] Vt videre est apud ipsum met Statium Syluarum lib. 4. Sylua 2. in fin.

Lux mihi, Troiana qualis sub collibus Albæ,
Cum modò Germanas acies, modò Daca sonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

a *Quid Domitianus.*] Iidem Suetonius & Papinius vbi supra.

b *In eo verò Publius Mimographus.*] Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 7. Productus, inquit, Publius, natione Syrus, Romæ per Cæsaris ludos, omnes qui tunc scripta & operas suas in scenam locauerant, prouocauit, vt singuli secum posita inuicem materia, pro tempore contenderent. Nec vllo recusante, superauit omnes: in queis & Laberium. Vnde Cæsar arridens hoc modo pronunciauit: Fauente tibi me victus es Laberi à Syro. Statimque Publio palmam & Laberio annulum aureum cum quingentis sestertiis dedit. Nonnihil etiam scripsit Gellius lib. 17. cap. 14.

c *Inter quos Æschylus.*] Aliter eum interisse tradit Valerius Maximus lib. 9. cap. 12. de Mortibus non vulgaribus. Nam in Sicilia mœnibus vrbis, in qua morabatur, egressus, aprico loco resedit, super quem aquila testitudinem ferens, elusa splendore capitis (erat enim capillis vacuum) perinde atque lapidi eam illisit, vt fractæ testudinis carne vesceretur, eóque ictu origo & principium fortioris tragœdiæ extinctum est. Ita Valerius. E diuerso autem Philippides comœdiarum poëta haud ignobilis, cùm in certamine poëtarum præter spem vicisset, & lætissimè gauderet, inter illud gaudium repentè mortuus est, vt scribit Gell. lib. 3. cap. 15.

d *Fuitque in more vt hircus.*] Horatius in Arte poëtica,

Carmine qui tragico vilem certauit ob hœdum.

Et ibi Acron & Porphyrion interpretes Donatus in suis in Terentium præludiis, Diomedes Grammaticus lib. 3. Priscianus lib. 4. & Isidorus lib. 8. cap. 7. Nam & τράγος Græcis hircus est.

e *Proditur tamen comicus Menander.*] Gellius lib. 17. cap. 4. Quintil. lib. 10. cap. 1.

donum: Sicut Archelaus Mausolo agona proposuit & ludos, in quibus doctissimi sæpe decertarunt, inter quos Theopompus Isocratis discipulus, omnium consensu, propter singularem vim ingenij victoriam tulit. [f] Vna tamen proditur Corinna, musica lyrica dicta, tanta eruditione claruisse, vt Thebis cum Pindaro carminibus certaret, & quinquies victrix foret. Et Aristophanes quum certamini poëtarum iudex præsideret, poëtæ illaudato victoriā dedisse, quòd sua, non aliena recitasset. [g] Euthymus quoque Locris otiosus tam diserta scripsit carmina, vt olympicis ludis semper victor fuerit, semel tantùm vni posthabitus. [h] Quinetiam Neapoli quinquennale certamen fuisse tradunt musicum & gymnicum, illis, æmulum, quæ in Græcia summa laude celebrantur, [i] quod etiam noctibus magna luce ignium singulis quinquenniis Romæ fiebat, magnis oratorum & vatum certaminibus. [k] Neque omiserim à quibusdam traditum memoriæ, Hesiodum carminibus cum Homero in certamine poëtarum contendisse, victorémq; Hesiodum epigramma cum tripode in Helicone posuisse. [l] Erant præter hos plebeij ludi spectatissimi, qui exactis regibus pro plebis libertate primùm dati sunt: quos nonnulli post secessionem ad sacrum montem institutos ferunt, ob consociatos patrum plebisq; animos, [m] quos postea Lucius Sylla, perdomitis hostibus, magna plebis expectatione restituit: [n] quorū ædiles plebis arbitri & moderatores erāt, in quorum celebritate seruatū meminimus, vt quoties instaurarentur, ab his ludorum causa [o] epulum daretur, [p] quos ex variis causis non semel instauratos cōperimus. [q] Cereales verò quin in Cereris honorem magnificentissimè fierent, nulla controuersia est, [r] quos

Quinquennale certamen apud Neapolim.

Ludi plebeij.

ANNOTATIONES.

f *Vna tamen proditur Corinna.*] Pausan. lib. 9 qui de Bœoticis est, & alij à me enati in legibus Connubialib. l. tr.

g *Euthymus.*] Plinius lib. 7. cap. 47.

h *Quinetiam Neapoli.*] Strabo li. 5. Geographiæ, Iubente oraculo Neapoli agonem celebratum tradit. Et lib. 9. Apud eos, ait, quinquennalis sacer ille musicus & gymnicus complures dies celebrabatur agon, illis æmulus, qui per Græciam clarissima celebritate geruntur. Suetonius in Augusto, cap. 98 Horum certaminum meminit Statius Neapolitanus poëta lib. 2. Syluarum sylua 2. vbi de Surrentino Pollij statim post princ.

Huc me post patrij latum quinquennia lustri,
Cum stadio iam pigra quies, canúsque sederet
Puluis, ad Ambracias conuersa Gymnade frondes,
Trans gentile fretum placidi facundia Polli
Detulit. ——

Et rursus lib. 5. sylua 3. in Epicedio in patrem,

Ille tuis toties prastrinxit tempora sertis,
Cum stata laudato caneret quinquennia versu.

Tacitus lib. 14. Quinquennale ludicrum Romæ institutum est ad modum Græci certaminis. Ælius verò Spartianus in Hadriano in fin. scribit, Antoninum Pium templum ipsi Hadriano pro sepulchro apud Puteolos constituisse, & quinquennale certamen.

i *Quod etiam noctibus.*] Fuit & hoc quinquennale certamen in Cæsarea ciuitate ab Herode institutum præmiis victori propositis, vt tradit Egesippus lib. 1. cap. 31. Iosephus antiquitatum Iudaicarum, lib. 15 cap. 10.

k *Neque omiserim.*] Gellius lib. 3. c. 11. Hoc autem epigramma, cuius is meminit, nobis Dion scriptum reliquit,

ἡσίοδος μούσαις ἑλικωνίσι τόνδ᾽ ἀνέθηκεν
ὕμνῳ νικήσας ἐν χαλκίδι θεῖον ὅμηρον.

Quod sic vertit Lilius Gregorius Gyraldus,

Hesiodus posuit Musis Heliconibus istum,
Cum cantu vicit diuinum in Chalcide Homerum.

De qua re etiam Plutarchus 1. Symposiacōn, & in Conuiuio septem sapientum, vbi describit versus, quibus ipsi decertarunt. Homerus quidem ita,

μοῦσά μοι ἔννεπ᾽ ἐκεῖνα τὰ μήτ᾽ ἐγένετο πρόσθεν,
μήτ᾽ ἔσται μετόπισθεν.

Id est,

Musa mihi referas, qua non vnquam ante fuere,
Nêve futura retro.

Cui mox respondit Hesiodus,

ἀλλ᾽ ὅταν ἀμφὶ Διὸς τύμβῳ καναχήποδες ἵπποι
ἅρματα συντρίψωσιν ἐπειγόμενοι περὶ νίκης.

Id est,

Verùm cornipedes quando Iouis ante sepulchrum
Festinantes propter palmam plaustra terebant.

Ob idque Hesiodum maximè omnium admirationi fuisse, atque tripodis præmium assecutum. Huiúsque certaminis iudicem fuisse ferunt Panidem Regem Chalcidis, vnde natum sit prouerbium Πανίδου ψῆφος. id est, Panidis suffragium. De quo Erasmus Chil. 3. cent. 1. cap. 31. Fuere tamen qui Homerum facerent Hesiodo longè antiquiorem, & inter hos Cicero lib. de Senect. Porphyrius & Solinus cap. 7. Cyrillus lib. 1. contra Iulianum, & Eusebius Chronographus. De qua re Heraclides Ponticus duos dialogos scripsit. Sed & tu vide de his Senecam lib. 13. Epistolarum, epist. 89. Gellium d. lib. 3. c. 11. Pausaniam in Bœoticis, & Velleium Paterculum lib. 1.

l *Erant præter hos plebeij ludi.*] Liuius 3. dec lib. 3. Cicero 2. in Verrem act. & ibi Asconius interpres sic scribit, Victoriæ ludos Sylla instituit bello ciuili victor. Secundum quos, Plebeij ludi: quos exactis regibus pro libertate fecerunt: aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Auentinum. Meminit etiam horum ludorum Valer. Maxi. lib. 1. cap. 7. de Somniis, vbi de T. Latino.

m *Quos postea L. Sylla.*] Appianus bellorum Ciuilium lib. 1. scribit, L. Syllam Athletas & cætera spectacula Romam euocauisse, veluti solamina quædam belli Mithridatici, aut Italiæ excursione adhibita, quasi populum à calore respirare & refrigerari cuperet.

n *Quorum Ædiles plebis.*] Ludos Romanos, vt faciendos curabant Ædiles Curules, sic Plebeios Ædiles plebis, authore Liuio 3. Decad. lib. 7. qui scribit ludos Rom. semel instauratos ab Ædilibus Curulibus Q. Metello, & C. Seruilio. & Plebeiis ludis biduum instauratum ab Q. Manlio, & M Cæcilio Ædilibus plebis, & Iouis epulum factum, ludorum causa. Et 4. Dec. lib. 5. paulò post principium, Ludi, inquit, Romani Scenici eo anno magnificè, apparatéque facti ab Ædilibus curulibus L. Valerio Flacco, & T. Quintio Flaminio, biduum instaurati sunt. Et plebeij ludi ter toti instaurati ab Ædilibus plebis L. Apustio Fullone, & Q. Minucio Rufo: qui in ædilitate prætor creatus erat & Iouis epulum factum ludorum causa. Et multis aliis in locis, vt eisdem Decad. lib. 2. non procul à princ.

o *Epulum daretur.*] Liuius 3. Decad. lib. 5. non adeò longè à prin. Ludi, inquit, per biduum instaurati: & Iouis epulum fuit, ludorum causa, & 4. Decad. lib. 3. & vide in præced.

p *Quos ex variis causis.*] Vide Titum Liuium, & Dionysium vbi suprà.

q *Cereales verò.*] Varro lib. 2. aut aliorum computatione 5. linguæ Latinæ, & Liuius 3. Decad. lib. 10. Tacitus lib. 15. in fi. Vbique, inquit, Circensium Cerealium ludicrum pluribus equitum cursibus celebraretur.

r *Quos Circenses dictos nonnulli.*] Scilicet Valerius Maximus lib. 2. c. 1. de Institutis antiquis, vbi de more & institu-

tio *ne*

circenses dictos nonnulli volunt: s nam & deorum imagines in his longo ordine produci, t & circum metas cursu contendere solebant, u quumque in cerealis pompæ apparatu numerabatur primum, x in quibus peruigilia noctu fiebant, y sicut in sacris Isidis excubiæ. in z his quoque ædiles plebis pro equorum cursu plerunque gladiatorum certamen exhibuere. a Cereri enim ad quintum calendas Aprilis annis singulis Romani rem diuinam more patrio facere assuerant: b quæ sacra, quod è Græcia translata essent, & per Græcos curata, Græca dicta sunt. c Fuisse enim in Græcia sacra Eleusinæ Cereris spectatissima, authores memorant, d quæ obscura luce fiebant, e sacerdotesque facibus discurrentes cursu phanatico sacra peragebant, à quibus velut sanctissimis & impollutis, impij consceleratique amouebantur, f voce præconis, ita vt templum velut omni religione sanctum, alicuius criminis aut noxæ conscio adire non liceret: quod si quis adiisset non initiatus, capite luebat. g ad quod Neronem conscientia sceleris agitatus, ingredi veritus fuit. h Non sic Antoninus Philosophus Augustus: nã fretus innocentia & vitæ integritate, sine discrimine adiuit. i Cuius mysteria magno silentio inclyta, velut arcanum quid,

Ludi Cereris & Circenses.
Sacra Græca.
Cereris mysteria.

ANNOTATIONES.

tione ludorum, nunc plebeios, nunc Circenses eos variè nominat. Tacitus li. 15. de Nerone loquens, Tandem, inquit, statuére Circensium ludorum die, qui Cereri celebratur, exequi destinata: quia Cæsar rarus egressu, domoque aut hortis clausis ad ludicra Circi ventitabat. Vide Politianum Miscellaneorum c. 85.

s *Nam & deorum imagines.*] Multa odorum fragrantia deorum simulachra auro argentóque cælata virorum humeris in hac ludorum pompa circuoferri, tradit Dionysius Halicarnasseus libro 7. in fi. & ex eo Sabellicus lib. 9. enneadis 2 Rapsod. Macrobius libro 1. cap. 23. Vehitur enim simulachrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Circeosium deorum simulachra.

t *Et circum metas.*] Varro linguæ Lat. libro 4. Circus, ait, Maximus dictus, quòd circum spectaculis ædificatus, vbi ludi fiunt, & quòd ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt.

u *Quumque.*] Varro Rei rusticæ, lib. 1. cap. 2. Nam non modò, inquit, ouum illud sublatum est, quod ludis Circensibus nouissimi curriculi finem facit quadrigis: sed ne illud quidem ouum vidimus quod in Cereali pompa ferri solet esse primum.

x *In quibus peruigilia fiebant.*] Cor. Tacitus libro 15. vbi de Iunone propitiata, per matronas primùm in Capitolio, deinde apud proximum mare: sic scribit, Vnde hausta aqua, templum & simulachrum deæ prosperssum est, & lectisternia & peruigilia celebrauere fœminæ, quibus mariti erant. Suetonius in Caligula, capit. 54. Nec alia de causa videtur eo die, quo periit, peruigilium indixisse, quàm vt initium in scenam prodeundi licentia temporis auspicaretur. Herodianus lib. 3. Vidimus, inquit, sub illo quosdam omnis generis ludos cunctis editos theatris, simulque supplicationes & peruigilia ad formam Cereris celebratos. Vide Politianum in Miscellaneis ca. 58. vbi de origine & ritu Secularium ludorum.

y *Sicut in sacris Isidis excubiæ.*] Apuleius lib. 11. Metamorph.

z *In his quoque Ædiles.*] Dion. lib. 7. quadragesimoque ante deuictum Brutum ait, vt Ædiles plebei gladiatorum certamina pro equorum cursibus Cereri exhibuerint.

a *Cereri enim ad quintũ Calend. Aprilis.*] Ouidius in Fastis 4.

Proxima victricem cùm Romam inspexerit Eos,
Et dederit Phœbo stella fugata locum,
Circus erit pompa celeber, numeroque deorum,
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi, non est opus indice causæ:
Sponte deæ munus promeritumque patet.

Vbi videre licet interpretes eadem propè scribentes, quæ hic Alexander: quamuis non 5. Cal. sed 5 Idus Mensis Roman. Aprilis scilicet Cerealia celebrari scribant.

b *Quæ sacra.*] Cicero in Oratione pro Cornelio Balbo, Sacra Cereris Iudices, summa maiores nostri religione confici ceremoniáque voluerunt. Quæ cùm esse assumpta de Græcia, & per Græcas semper curata sunt sacerdotes, & Græca omnia nominata. & iterum libro 2. de Legibus, Neve quem initianto, nisi, vt assolet, Cereri, Græco sacro. Festus Pompeius lib. 7. Græca sacra festa Cereris ex Græcia translata, quę ob inuentionem Proserpinæ matronæ colebant. quæ sacra dum non essent matronæ quæ facerent, propter cladem Cannensem, & frequentiam lugentium, institutum est ne amplius triginta diebus lugeretur.

c *Fuisse enim in Græcia sacra Eleusinæ Cereris.*] Diuus Augustinus libro 7. capit. 20. Lactantius Firmianus Falsæ religionis libro 1. cap. 21. Lilius Gyraldus Historiæ deorum, syntag. 14.

d *Quæ obscura nocte fiebant.*] Vide interpretes Ouid. loco suprà citato, & Gyraldum d. Syntag Erasmus Chiliadis 2. cent: 5. cap. 66, scribit, Eleusinia & noctu, & in operto fieri & exclusis maribus.

e *Sacerdotesq; facibus.*] Vnde illud Claudiani lib. 1. de Raptu Proserpinæ,

—Iam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumq; remugit
Cecropidum, sanctasq; faces attollit Eleusis.

Sacerdotes Cereris à facium gestatione Daduchos appellatos, iam suprà diximus.

f *Voce præconis.*] Suetonius in Nerone, ca 34. Peregrinatione quidem Græciæ Eleusinis sacris, quorum initiatione impij & scelerati voce præconis summouerentur, interesse non ausus est. Ælius Lampridius in Alexandro Seuero, scribit eum iussisse quemadmodum in Eleusinis sacris dicitur, vt nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem nouit. Ad quod nonnulli referunt illud Virgilianum lib. 6. Æneid.

— Procul, ò procul este prophani,
Conclamat vates. ——

Sed Seruius ibi prophanos intelligit pro sacris non initiatis qui (inquit) fanum intrare non poterant. Liuius 4. decad. li. 1. tradit quòd cùm Acarnanes duo iuuenes per initiorum dies non initiati templum Cereris imprudentes religionis cum cætera turba ingressi essent, tãquam ob infandum scelus, interfecti sunt. Et vide locum Catulli, quem tibi afferam infrà in verbo, In cuius sacrificio.

g *Ad quod Nero.*] Sueto. vbi nuper citauimus.

h *Non sic Antoninus Philosophus.*] Qui (vt refert Capitolinus in vita illius) vt se innocentem probaret, Cereris templum adiit, & sacrarium solus ingressus est.

i *Cuius mysteria magno silentio inclyta.*] Nam & Numenio philosopho, inter philosophos occultorum curiosiori, offensam numinum, quòd Eleusina sacra interpretandi vulgauerit, somnia prodiderunt: Visus sibi ipsas Eleusinas deas habitu meretricio antè apertum lupanar videre prostantes: admirántique & causas non conuenientis numinibus turpitudinis, consulenti respondisse iratas: ab ipso se adyto pudicitiæ suæ vi abstractas; & passim adeuntibus prostitutas vt relatum est à Macrobio libro 1. de Somnio Scipionis capit. 2. ad fi. Alcibiades, vt tradit Plutarchus accusatus fuit, quòd sacra Cereris enunciasset. Iustinus libro 5. scribit Attica Cereris festa nulla re magis quàm silentio constare. Aristophanes in Nebulis hæc sacra ob id ἄῤῥητα ἱερὰ. id est non dicenda sacra vocat. Gregorius Nazianzenus in Sermone solemnitatis Epiphaniorum, quem sic vertit Lud Viues,

sanctumque in vulgus efferre non licebat. [k] Quod sacrum à solis matronis fiebat annis singulis. [l] Romaniqoe in toga candida spectare ludos, mulieresque in veste alba pariter sacrum facere solebant: in quo id fuit obseruatum, vt tunc diis gratum esse censerent, si à lætis nec funere pollutis celebraretur Vtque in sacris Cereris ante noctem epuletur nemo, [m] atque à vinu in primis [n] & Venere abstineant. [o] Vtque quinto quoque anno ex Sibyllinis carminibus prodigiorum causa ieiunium fiat: [p] inter quæ præcipuum fuit, vt sacris initiatos, calda abluerent primùm, quòd castitati prodesse ducerent. [q] Apud Atheuas in sactis Cereris, quæ dicuntur Adonia, mulieres simulacbra defunctorum efferre, multaque funesta & calamitosa iusto cõploratu & gemitu effingere tradunt: [r] in cuius sacrificio Atticę virgines inter solemnia, reposita cistis sacta capitibus quam occultè deferunt, quũ Cereri sacrum quã occultissimis cæremoniis fieret: [s] quippe prophano homini Cereris mundum videre nefas erat. [t] Apud Siculos verò Cereri & Proserpinæ diuerso anni tempore sacrum fit. Proserpinæ enim maturis messibus decem festos agunt dies: Cereri verò, quum semen in terram mittitur. [v] Græcis autem in tribus ludis, præterquam in Cerealibus, accensas faces gestare vetus mos habuit, in Prometheis in Vulcaniis, in Panathenaicis, [x] Præter hos fuere ludi martiales Marti dicati, [y] & alij piscatorij, ex quæstu piscantium. [z] Alij castrenses, qui in castris prætorianis plerunque cum venatione dabantur: [a] nonnulli miscellanei, ex ludionum multiplici genere: [b] alij Palatini, in Palatio triduo celebrati soliti in diui Iulij honorem, qui victam armis rempublicam in dominationem vertit. [c] Alij Capitolini, quod Iupiter optimus maximus suam sedem seruasset, qui aliis solemnibus additi, collegiumque nouum (authore senatu) institutum fuit, [d] Præcipui Augustales, quos Tiberii tempore tribuni plebis in Augusti honorem facere instituerunt. Athenis verò & in omni Græcia multiplices fuere ludi, in quibus ad aucupãdam

Sacra Cereris apud Athenas Sicul.

Græci. Martiales. Piscatorij Castrẽses. Miscellanei. Palatini. Augustales.

ANNOTATIONES.

Viues, Neque nobis virgo aliqua rapitur, nec Ceres errat, nec Celeos adducit, & Triptolemos, & Dracones, partimque agit, & partim patitur: nam pudet me diem afferre sacrificiis nocturnis, & ex mysterio turpitudinẽ efficere. Scit Eleusis hæc, & spectatores rerum quæ tacentur, & certè silentio dignæ sunt. hæc Greg. Nazian.

k *Quod sacrum à solis matronis.*] Val. Max. li. 1. ca. 1. de Cultu deorum Liuius 3. dec. lib. 2. Festus Pompeius loco suprà citato in verbo, Quæ sacra. & iam alibi diximus.

l *Romaniq; in toga candida.*] Valer. Maximus vbi suprà. Ouidius, Metamor. lib. 19.

Festa pia Cereris celebrabant annua matres.
Illa quibus niuea velata corpora veste.
Primitias frugum dant spicea serta suarum.

Quod à lugentibus fieri nefas erat, scribit Liuius vbi suprà proximè. & Plutar. in Fabio Max. scribit deos fortunatorum honoribus lætari.

m *Atq; vino in primis.*] Virgilius lib. 1. Georg.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,
Cui tu lacte fauos, & miti dilue vino.

Quo loco Seruius ostendit aliud esse Cereris sacrificium, aliud Orci nuptias. In hoc enim vinum non inferebatur, in illo vtique. De nuptiis Orci loquens Plautus in Aulularia, inquit:

Cereri nuptias facturi estis, quia nihil temeti allatum video.

n *Et Venere abstineant*] De qua re vide omnino quæ scripsimus in nostris legib. Connub. l. 15. num 116. incip. Ouidius.

o *Vtq; quinto quoque anno.*] Liuius 4. dec. li. 6. Eorum, inquit, prodigiorum causa libros Sibyllinos ex S. C. Decemuiri cùm adissent, renunciarunt, ieiunium instituendum Cereri esse: & id quinto quoque anno seruandum. Ad quod ieiunium pertinet id quod scribit Plutarchus in Demosthene, quòd in his sacris Cereris mulieres ieiunabant.

p *Inter quæ præcipuum fuit.*] Apuleius videndus super his.

q *Apud Athenas.*] Plutarchus in Alcibiade, & in Nicia: & Ammianus Marcellinus lib. 22.

r *In cuius sacrificio.*] Nam & hinc hæ virgines Canephoræ dicebantur, quasi dicas Canistriphoræ: de quibus Pausanias lib. 1. Catullus in nuptiis Pelei & Thetidos,

Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis:
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.

Nam & hæc Cereris, & cæterorum deorum sacra Orgia dicebantur, licet Bacchi sacris magis conueniant, vt scribit Seruius 4. Æneid.

s *Quippe profano homini.*] Catullus vbi nuper, & diximus suprà in verbo, Voce præconis.

t *Apud Siculos.*] Imò (vt apud Phornutum legitur) Sementis tempore Proserpinę festa celebrabantur. Cùm verò messis esset Cereri sacra, ferebant herbam virentem, cum ludo & lætitia: in illa raptam, in hac repertam significantes Proserpinam. Vide Lilium Gyraldum Historiæ deorum, syntag. 6. vbi de Proserpina.

u *Græcis autem in tribus ludis.*] Horum trium ludorum meminit Cælius Rhodig. Lectionum antiq. lib. 11. cap. 27.

x *Præter hos fuere ludi Martiales.*] Suetonius in Claudio, ca. 4. in princip. in Augusti epistola ad Liuiam de testimonio Claudij. quos, vt ibi scribit Beroaldus interpres, Augustus instituit in honorem Martis vltoris. Meminit & horum ludorum Trebellius Pollio in Diuo Claudio, cùm inquit, Fecerat hoc etiam adolescens in militia, cum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortissimos quosque monstraret.

y *Et alij piscatorij.*] Festus Pompeius lib. 14. Piscatorij, inquit ludi vocantur, qui fieri solent pro quæstu piscantium mense Iunio trans Tyberim. Et alibi eod. lib. Piscatorij ludi vocantur, qui quotannis mense Iunio trans Tyberim fieri solent à populo Romano pro piscatorib. Tyberinis, quorum quæstus non in macellum peruenit, sed ferè in aream Vulcani: quia id genus pisciculorum viuorum datur ei Deo pro animis humanis.

z *Alij Castrenses.*] Sueton. in Claudio, cap. 21. Anniuersarium in castris prætorianis, sine venatione apparatuque exhibuit. Ex quo intelligis castrenses aliquando cum venatione, aliquando sine, editos.

a *Nonnulli Miscellanei.*] Iuuenalis satyra 11,

— Sic veniunt miscellanea ludi.

Suetonius in Caligula, cap. 20. Edidit & peregrè spectacula in Sicilia, Syracusis asticos ludos, & in Gallia Lugduni Miscellos.

b *Alij Palatini.*] Erant Palatini ludi (vt scribit Iosephus Antiquitatum Iudaicarum, lib. 19. cap. 1.) qui in honorem Cæsaris Dictatoris in Palatio triduo celebrabantur, circa templum illi eodem loco erectum. Hos nobiles cum filiis, simul & coniugibus libenter spectare solebant. De his quoque ludis meminit Suetonius in Caligula, cap. 56.

c *Alij Capitolini.*] Liuius 1. decad. lib. 5. Ludi Capitolini fierent, quòd Iupiter optimus maximus suam sedem atque arcem populi Ro. in re trepida tutatus esset: collegiumque ad eam rem M. Furius Dictator constitueret ex iis, qui in Capitolio atque arce habitarent, Senatus retulit.

d *Præcipui Augustales.*] Tacitus lib. 1. Dion. in Augusto, dicit hos ludos celebratos fuisse in vita ipsius Augusti, die natali eiusdem.

popularem gratiam, Theophrastus fructum diuitiarum putauit maximum. nam [e] Panathenæa, [f] Dionysia, [g] Scirophoria, [h] Haloa, & [i] Apaturia celebria fuere. [k] Apud Lacedæmonios Gymnopodia, [l] Hyacinthia & [m] Chori, [n] Patauij, Cestici ab Antenore inuenti, quos inter reliquos annumerasse non ab re fuit. Illud vtique verum est, quòd quamuis ludorum multiplices species forent, tamen ædilitia largitione quatuor curari impensius assuetant, [o] Megalenses, Funebres, Circenses & [p] Apollinares, magno semper apparatu & habitu, in quibus non tuba aut fistula, vt in aliis, sed sola tibia canebant. Quódque vetusto more quoties festi ludi edebantur, illos omnis ætas, sexus & ordo, [q] plerũque coronati spectabant: [r] quare Lucius Crassus cognomento Diues, quod corollas ex auro & argẽto imitatione foliorũ in ludis populo dedisset, celebri memoria habetur. [s] Fuitque prisci moris, vt populus in theatro vel circo sæpe ludicrũ à principe postularet, cuius præcipuo studio teneretur: quotiésque princeps aut imperator, qui perdomitis hostibus triũphasset, vel popularis homo plebi percharus, ad ludos & theatrũ iret, quumprimum in conspectu prodiret, cõmuni omnium plausu, & fauore concionis, faustisque acclamationibus totis theatris exciperetur: nonnunquam vniuersus populus aduenienti principi assurgere, & lacernas deponere solebant, vt togati apparerent, qui honor summis tantùm ducibus, aut viris summa integritate & fide ob merita in populũ dabatur. [t] Contrà vero deformatus ignominia, aut infensus infestusque populo, clamoribus explodebatur & sibilis. Tum si quando ludi remissè & leniter aut non legitime celebrarentur, vel si quo infortunio aut casu repente constitissent, aut si tibicen cõticuisset, vel inter solemnia ludorum commissũ spectaculo, ex subita lætitia ad repentinum motum translati essent, aut si in enunciandis ludis versu ædilis errasset aut verbo, vel ante commissionem ludorum, siue dum eduntur, tumultus repens, aut aliquid triste auribus oculisve occurrisset, & ex variis causis, tanquam si nefario scelere polluti essent, eiusmodi admissa, ludorum instauratione procurabãtur & expiabantur. Cùm enim pompa duceretur, quod [u] obuius seruus loris medio circo vapularet, infausto augurio ludos pollutos pontifices putarunt. [x] Et quum in cæremoniarum apparatu thensa procederet, quod equo consternato auriga habenas sinistra corripuisset, currumque perperam egisset & circo flexisset, velut ominosum, ludorum instauratione opus esse iudicarunt.

Ludi multiplices in Græcia. Lacedæmonij.

Ludi quatuor im eius curati.

Spectatores coronati.

Honor principi theatrum ingredienti exhibitus.

Cum ludi minus bene agerentur.

ANNOTATIONES.

e *Panathenæa.*] De quibus iam supra dictum est.

f *Dionysia.*] Thucydides lib. 5. Maximus Tyrius Sermone 33. & iterum 36. Optima, inquit, Athenis Dyonysia sunt optima etiam Panathenæa: sed tamen celebrantur ab his, qui odia reciproca exercerent. Diodorus Siculus lib. 1. cap. 2. Pollux lib. 8. cap. ὅσα ὁ ἄρχων ποιεῖ.

g *Scirophoria.*] Maximus Tyrius d. Sermone 33. ad fin. Cæterùm apud eosdem mensis quispiam Scirophorion dicebatur vt tradit Strabo lib. 9. Scirophorion porrò, vt scribit Gyraldus in li. de Annis & mensibus, vltimos est Atheniensium mensis, qui in Maium nostrum cadit: dictus à Sciris id est, vmbraculis, quòd hic mensis ædificationibus aptus sit.

h *Haloa.*] Idem Max. Tyrius ibidem.

i *Et Apaturia.*] Herodotus li. 1. in vita Homeri Max. Tyrius vbi suprà. Tertullianus in Apologetico cap. 39. Sed superioribus adde & Dialia ex Thucydide li. 1. & Targelia ex Polluce vbi suprà.

k *Apud Lacedæmonios Gymnopodia.*] Max. Tyrius d. Sermone 36. Plutarchus in Agesilao, & in lib. de Musica, Gymnopodiæ, inquit, chori erant Spartæ puerorum, qui nudis pedibus cum tripudio laudes deorum canebant in honorem Spartanorum, qui pro patria in Thereis occubuerant. Pausanias in Laconicis, Athenæus lib. 15. c 8. Suidas, Hesichius qui hæc appellat Γυμνοπαιδία, dicitque quosdam tradere in hoc festo Spartiatas adolescẽtes ordine circunstantes aram quæ in Amyclis est, terga mutuis verberibus cædere consuesse. Sed id minimè verũ: nam in ipso foro festum sine verberibus agebatur, choreã adolescentibus nudis ducentibus.

l *Hyacinthia.*] Herodotus lib. 9. eòdémque vlr. Thucydides lib 5 Strabo lib. 6. Philostratus in vita Apollonij, lib. 6. Maximus Tyrius dictis Sermonib. 33. & 36. Et ex Poëtis Ouidius lib. 10. Metamor.

Nec genuisse pudet Spartem Hyacinthon, honorq;
Durat in hoc æui, celebrandaq; more priorum
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.

Vnde autem & quare instituta sint & quando celebrabantur reperies apud Athenæum lib. 4. c. Item 4. ex Policrate in Rebus Laconicis

m *Et Chori.*] Max. Tyrius vbi suprà.

n *Patauij Cestici.*] Cor. Tacitus lib. 16.

o *Megalenses, Funebres, Circenses.*] De quibus.

p *Et Apollinares.*] Cicero Philippica 1. & 10. scribit Brutum Prætorem absentem Apollinares ludos fieri procurasse. Meminit & horum ludorum idem Cicero ad Atticum lib. 2. Epistol. epist. eius libri 17. omnium eius voluminis, 5. Originem horum ludorum disce ex Liuio 3. decad. lib. 5. & 7. Macrobio Satur. lib. 1. c. 17.

q *Plerunque coronati.*] Liuius 3. decad. lib. 5. Hæc est, inquit, origo ludorum Apollinarium, victoriæ non valetudinis ergò, vt plerique rentur, votorum: factósque populus spectauit coronatus, matronæ supplicauere, vulgò apertis ianuis in propatulo epulati sunt, celeberque dies omni cæremoniarum genere fuit. Seruius in lib. 5. Æneid. ibi,

—*Et cinge tempora ramis.*

Ex Romano, inquit, more: nam festis ludis omnis ætas coronata spectabat. quod ostendit per Æneam, Acestem, Ascanium, per quos omnem demonstrat ætatem.

r *Quare L. Crassus.*] Plinius lib. 21. cap. 3. in princ. Crassus, inquit, diues, primus argento auróque folia imitatus, ludis suis coronas dedit.

s *Fuitq; prisci moris.*] Domitianus populo potestatem fecit bina paria è suo ludo postulandi, author Tranquillus in Domitiano, cap. 4.

t *Contra verò deformatus ignominia.*] Velleius Paterculus libro 2. de Titio, qui Pompeium filium iugulauerat, loquens: Cui in tantum, ait, durauit hoc facinore contractum odium: vt mox ludos in theatro Pompeij faciens execratione populi spectaculo quod præbebat, pelleretur.

u *Quod obuius seruus loris medio circo vapularet.*] Cicero lib. 1: de Diuinatione, vbi de T. Latino. Liuius 1. dec. li. 2. D. Augustinus lib. 4. c. 21. Lactantius lib. 2. c. 8.

x *Et cum in cæremoniarum.*] His autẽ Romanorũ ludis adde & Nouendiales, de quibus Seruius li. 5. Æneid. in eũ locum,

Præterea si nona diem mortalibus almum
Extulerit.

Et Apollinares, de quibus lib. 6. eiusdem operis,

Cum Phœbo & Triuiæ solido de marmore templa
Instituam, festosq; dies de nomine Phœbi.

Et ibi Seruius declarat quando, & à quo hi ludi Apollinares instituti sunt, vt dictum est suprà libro 5. cap. 26.

a *Solitos*

Qui esset vrbis præfectus, quódve officium, quarumque rerum cognitionem animaduersionemque haberet.

CAPVT XX.

Præfectus vrbis ad quid creatus.

SOLITOS [a] Romanos fuisse, quum reges & postea consules prætoresque reipublicæ causa abessent, ne quis repẽs tumultus fieret, néve vrbs sine imperio esset, aut hostiũ incursibus pateret, præfectũ creare, qui vrbi mœnibusque præsideret, ius redderet, & subitis mederetur, sæpe notatum est: qui si quid in vrbe turbatum esset, quum res postularet, iuuentutem armare, & per loca opportuna disponere, arma telaque in propugnaculis ingerere, castella cõmunire, muros turresque præsidio firmare, atque omnia custodiis vigiliisque instructa habere, portas claudere pro portis stationes, [b] dispositosque stationarios milites ad tuendã populi qui etem tenere deberet. Et ne quid falleret, aut nudatum præsidiis esset, animaduertere & oculis perlustrare, nihil denique curæ aut laboris omittere. [c] Qui tametsi vrbi præfectus foret, in suburbiis æque cognitionem animaduersionemque habebat, illique exercitus demandaros, & gerendi belli sæpe negotium datũ esse liquet. Quã

Origo præfecturæ.

præfecturam à prima antiquitate Romæ fuisse, multiplici exemplo apparet. [d] Siquidẽ à Romulo primus Romulius, [e] à Tullo Hostilio Mumartius. & [f] Sp. Lucretius pater Lucretiæ, regnante Superbo, vrbis præfecturam meruere: deinde consulibus eam curationem demandarunt. [g] Post aliquot verò ætates, tanquam non ciuile munus, à multis aspernatum est, ita vt eam curationem velut ignobilẽ repudiantibus plurimis, Q. Seruilius vt altercationes dirimeret, filium substituerit, eumque extra sortem vrbi præfecerit. Quam sæpe intermissam fuisse crediderim: [h] quippe Augustus vrbis præfecturã, tanquam nouum munus & officium, creauit. [i] Demum in tantum processit, vt Nero à cognitionibus præfecturæ vrbis, honoris initia auspicaretur: & [k] Piso viginti annos præfecturam vrbis, velut instar magni muneris, gerere non dubitarit. [l] Extatque diui Seueri epistola ad Fabium Culleonem, qua cognitio criminum per totam Italiam ad præfectũm vrbis delegatur. [m] Relegandi quoque ad insulas, vel deportãdi quos delicti enormitas postulat, [n] querelasque seruorum libertorumque audiendi, si de patronis dominisve querantur, ius illi potestasque fuit: [o] carniumque & fori boarij piscarij, & suarij cura cognitioque ad eundem spectauit & pertinuit. [p] Etiam senatum per vrbis præfectum vocari & consuli posse, atque absentibus vel impeditis consulibus senatuscõsultum fieri, nulla controuersia est. Denique diligenter curare nequa pars vrbis labaret, néve per occasionem & licentiã aliquid plebs moliri posset [q] néve quid circa vrbis custodiam aut munus vigiliarum segniter exequutũ foret, quod ab ho-

Præfectura intermissa sæpe & renouata.

Munera alia. Præfecti.

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

a SOlitos Romanos.] Id vsque ad versi. Qui si quid. est Cornelij Taciti lib. 5. cuius hæc verba sunt, de L. Pisone loquentis. Sed præcipua ex eo gloria, quòd præfectus) vrbi recens, continuam potestatem, & insolentia parendi grauiorem mirè temperauit. namque anteà profectis domo regibus ac mox magistratibus, ne vrbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac subitis mederetur: feruntque ab Romulo Dentrẽm Romulium, pòst Tullo Hostilio Numam Martium, & ab Tarquinio Superbo, Spurium Lucretium impositos dein Consules mandabant.

b *Dispositosq; stationarios milites.*] Vlpia. in l. 1. §. quies. ff. de officio præfecti vrbi. Et sanè, inquit, debet dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popularium quietem, & ad referendum sibi, quid ibi agatur.

c *Qui tametsi vrbi præfectus foret, in suburbiis.*] Hic omnino vide d. l. 1. in princ. & in versicu. Quicquid. & §. vlt. eod. tit.

d *Siquidem à Romulo primus Romulius.*] Tacitus vbi suprà in verbo, Solitos Romanos.

e *A Tullo Hostilio Mumartius.*] Cor. Tacitus vbi suprà hunc non Mumartium, sed Numam Martium vocat.

f *Et Sp. Lucretius pater Lucretiæ.*] Dionysius Halicarnasseus lib 4. Hæc est, inquit, Sp. Lucretij filia, quem tyrannus discedens vrbi præfectum reliquit. Fenestella, si is est, quod minimè credo, de Magistratibus Ro. cap. 6. in princ.

g *Post aliquot verò ætates.*] Hæc vsque ad versi. Quam sæpe sunt Liuij 1. Decad. lib. 4. Facto S.C. vt quo ex tribunis ad bellum proficiscerentur, vnus res Romæ curaret: certamen subitò inter Tribunos exortum, se quisque belli ducem potiorem ferre: curam vrbis, vt ingratam ignobilémque aspernati. Cùm parum decorum inter collegas certamen mirabundi patres conspicerent, Q. Seruilius, Quando nec ordinis huius vlla, inquit, nec Reipublicæ est verecundia, patria maiestas altercationem istam dirimet, filius meus extra sortem vrbi præerit.

h *Quippe Augustus.*] Suetonius in vita illius, cap. 37.

i *Demum in tantum processit.*] Suetonius in Nerone, cap. 7.

k *Et Piso.*] Tacitus d. lib. 5.

l *Extatq; Seueri epistola.*] Apud Vlpianum in l. 1. ff. de officio præfecti vrbi. Vide tamen eandem legem in §. initio.

m *Relegandi quoque.*] In d. l. 1. §. relegandi.

n *Querelasq;.*] Ex d. l. 1. §. seruos. vbi sic scribit, Seruos qui ad statuas confugerunt: vel sua pecunia emptos, vt manumittantur: de dominis querentes audiet.

o *Carniumq;.*] Hæc vsque ad versic. Etiam Senatum. sunt d. l. 1. §. cura. Cura carnis, inquit, omnis, vt iusto precio præbeatur, ad curam præfecturæ pertinet: ideo & forum suarium sub ipsius cura est. sed & cæterorum siue pecorum, siue armentorum, quod ad huiusmodi præbitionem spectat, ad ipsius curam pertinet. Sunt hæc etiam Fenestellæ, aut quisquis is est, vbi suprà citauimus.

p *Etiam Senatum.*] Varro lib. 4. Epistolicarum quæstionum, & Atteius Capito in Collectaneorum capit. 259. & ex his Gellius lib. 14. cap. vlt. licet, vt ipse ait, Mutius id negaret.

q *Néve quid circa vrbis custodiam.*] Nam & Præfectus vrbi ob id Custos vrbis vocatus est Iuuenali satyra 13. his versibus,

Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus vrbis
Vsq; à Lucifero, donec lux occidat, audit.

Fuit enim is Rutilius Gallicus tempore Domitiani, quo Iuuenalis vixit, Præfectus vrbi, de quo etiam Statius libro 1. Sylua 4.

—Dubitataq; sydera cernit
Gallicus, es cœlo, dis es Germanice cordi.
Quis neget? erubuit tanto spoliare ministro
Imperium Fortuna tuum. &c.

Et paulò post:

Quippe manet, longumq; æuo redeunte manebit,
Quem penes intrepida mitis custodia Romæ.

Sed

mine impigro antè perspici potuisset, præuidere præcauereque debebat: itaque exempli fuit, vt quū fœdissimo bello respublica afflictaretur, sæpe vrbi salutifuisse & imperio, magnaque attulisse præsidia compertum sit. [r] Sed notandum, hunc præfectum aut patriciæ gētis virum, aut senatorem, deligi cōsuesse: idque [s] exemplo Marci Messalæ oratoris, qui Augusti tempore vrbis præfectus fuit, facile dignosci, licet sexto pòst die magistratu se abdicarit. non ingenuam & parum ciuilem potestatē esse ratus. [t] Et tametsi Lucium Pisonem & [u] Cossum præfectos vrbis vino indulsisse, & multum noctis conuiuiis exegisse legamus, adeò vt biduū & duas noctes cum Tiberio largiore potu indulserint, illos tamen satis grauiter & inoffense vrbis tutelam administrasse, controuersia nō est. Procedente mox tēpore, in tantum præfectura vrbis processit, [x] vt Sabinio Vespasiani fratri ad præfecturā processisse, magni muneris loco fuerit: [y] & Pertinax imperator ex præfectura vrbis ad imperiū prouectus sit. Rursus post aliquod interuallum, tam infimę sortis habita est, [z] vt Heliogabalus omnes lenones ad præfecturam vrbis prouehere destinarit. [a] Qui verò pręfectus Latinarum erat, etiam non senator fieri poterat: quippe quum citra ætatem senatoriam sępe annis iunior crearetur ex nobilioribus: idcirco pręfecto Latinarum, senatum habere non licuisse notatum est: inter quos Marcus Antoninus Philosophus, qui postea imperitauit, annis iunior [b] præfecturam vrbis gessisse proditur: [c] A Prienensibus quoque in Neptuni Heliconij sacro, quod cum Ionibus commune fuit, iuuenis ætate vix adulta præfectus creabatur, & rex, [d] Ab Indis in sex quiniterniones vrbis præfectura diuiditur: namque alij peregrinos recipiunt, alij vitam & mores notant, nonnulli defunctorum bona morte que inquirunt, alij vendendis mercibus pręsunt: multi venditarum rerum exigunt decimas, ita vt omne ciuitatis regimen illi moderentur. [e] Gręcis verò vrbis præfectus ἐπάρχων dicebatur, ipsaque pręfectura ἐπαρχία. [f] Pręter quem fuit prætoriarum cohortium præfectus, [g] annonæque & vigilum, qui in numero magistratuum

Præf. illi qui deligebantur. Lucij Pisonis & Cossi præfectorum vinolentia. Præfectura honos & paulò post vilis. Præfectus Latinarū. Prienenses præfectus in sacro Neptuni Heliconij. Indi. Græci. ἐπάρχων.

ANNOTATIONES.

Sed & Seneca, quo loco statim citabo, & Iosephus, Custodem vrbis appellant, quem Suetonius in Tiberio cap. 41. Præfectum fuisse dicit.

r *Sed notandum.*] Quod probat exemplo seq.

s *Exemplo M. Messala.*] Eusebius chronographus loquens de temporibus Augusti, Messala, inquit, Coruinus primus Præfectus vrbis factus, sexto die magistratu se abdicauit, inciuilem potestatem esse contestans. At Cornelius Tacitus dicto libro 5. aliam abdicationis magistratus affert rationem, cùm ita scribit, Primusque Messala Coruinus eam potestatem & paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi.

t *Et tametsi L. Pisonem.*] Seneca epistolarum ad Lucilium li. 12. Epistol. eius libro 1. omnium 84. L. Piso. inquit, vrbis custos ebriusex quo semel factus fuit, maiorem partem noctis in conuiuio exigebat, vsque in horam sextam ferè dormiebat, hoc eius erat matutinum officium: suum tamen, quo tutela vrbis continebatur, diligentissimè administrauit. Huic & D. Augustus secreta dedit mandata, cùm illum præponeret Thraciæ, quam perdomuit: & Tiberius proficiscens in Campaniam præfecturam vrbis dedit, cùm multa in vrbe & suspecta relinqueret, & inuisa puto quod benè cesserit illi Pisonis ebrietas. Hactenus Seneca. Suetonius in Tiberio cap. 42. Postea, inquit, princeps in ipsa publicorum morum correptione cum Pomponio Flacco & L. Pisone noctem, continuumque biduum epulando potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam prouinciam, alteri Præfecturam vrbis confestim detulit, Ex quibus locis suprà ostendimus Præfectum vrbis, custodem quoque vrbis vocari.

u *Et Cossum.*] Nam & Seneca vbi suprà paulò post ea, quæ ex eo adduximus, subiungit, Postea Cossum fecit vrbis præfectum, virum grauem, moderatum: sed mersum vino & madentem adeò, vt ex Senatu aliquando, in quem è conuiuio venerat, oppressus inexcitabili somno tolleretur.

x *Vt Sabino Vespasiani fratri.*] Hunc fuisse præfectum vrbis liquet ex Cornel. Tacito libro 19. & Suetonio in Vespasiano cap. 1.

y *Et Pertinax.*] Iulius Capitolinus in vita illius, Post hoc inquit, præfectus vrbi factus: in qua præfectura post Fuscianum, hominem seuerum, Pertinax mitissimus & humanissimus fuit, & ipsi Commodo plurimum placuit: quia ille esset iterum cùm Pertinax factus est, & Commodo interempto, Imperator confirmatus in castra ductus est.

z *Vt Heliogabalus.*] Lampridius in Æliogabalo sic scribit. Præfectum vrbicum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis Prætorio, ita vt si recusarent, magistri eorum eos cogerent. Voluit & per singulas vrbes lenones præfectos vrbi facere, & vt essent in vrbe 14. & fecisset si vixisset, promoturus omnes turpissimos, & vltimæ professionis homines.

a *Qui verò Præfectus Latinarum erat.*] Hæc vsque ad versic. Inter quos sunt Gellij libro 14. cap. 8. eodemque vlt. vide in seq.

b *Præfecturam vrbis.*] Latinarum posset videri voluisse dicere, aut certè debuisse ex Iulio Capitolino in vita ipsius Antonini Philosophi, qui sic scribit, Virilem togam sumpsit quintodecimo ætatis anno, statimque ei L. Ceionij Commodi filia desponsata est ex Hadriani voluntate. Nec multò post præfectus feriarum Latinarum fuit, Hactenus Capitolinus. Verum qui Præfectus vrbi erat, eidem & Latinarum causa relinquebatur, vt patet ex Gellio vbi nuper citauimus. Ex quo & Tacitus lib. 4. Cæterùm postulandis, inquit, reis, tam continuus annus fuit, vt feriarum Latinarum diebus Præfectū vrbis Drusum auspicandi gratia tribunal ingressū adierit Calpurnius Saluianus in Sext. Mariū. Et lib 5. de L. Pisone Præfecto vrbis post ea, quæ suprà ex eo diximus in prin. huius capit. hæc addit, Duratque simulachrum quoties ob ferias Latinas præficitur, qui Consulare munus vsurpet.

c *A Prienensibus.*] Herodotus lib. 1. Clio. Strabo lib 8.

d *Ab Indis.*] Hæc vsque ad versic. Græcis verò. sunt Strabonis lib. 15.

e *Græcis verò vrbis præfectus.*] Apud Iosephum libro 2. Belli Iudaici Archelaus Ethnarchos memoratur. Nam Ethnarchos, inquit, præfectus gentis, & ipsa præfectura Ethnarchia.

f *Præter quem fuit prætoriarum cohortium præfectus.*] De hoc forte intellexit Herodianus libro 3. in vita Seueri, cùm de Plautiano præfecto cohortium vrbanarum loquitur. Alibi autem scilicet in principio libri quinti, scribit Macrinum fuisse præfectum cohortis, vt Capitolinus scribit Pertinacem præfectum cohortis in Syriam profectum. De præfecto cohortis fit etiam mentio in l. profectus. 64. ff. de ritu nuptiarum. Vide infrà in verbo, Et haud multò post præfectus castrorum.

g *Annonæq.*] Hæc vsque ad versic. Ad præfectum. sunt Pomponij Iurisconsulti in l. 2. §. sanè præfectus. ff. de origine iuris.

h *Ad*

Præfectus annonæ. Præfectus morum. Præfectus castrorum, legionum & palatij.

populi Romani non sunt, sed extra ordinem vtilitatis causa creati. [h] Ad præfectum enim vigilum de incendiariis, de furibus, de effractoribus, de receptatoribus, cognitio pertinuit: [i] Augustus verò Octauius quum plura orirentur incendia Romæ, septem cohortes opportunis locis constituit, vt vnaquæque binas vrbis regiones tueretur, quas præfecto vigilum subiecit. [k] Præfectus vero annonæ ad leuandum frumenti inopiam, conuectis commeatibus, pleruunque vrbi præfuit & imperio. [l] Præter quos fuit præfectus morum, [m] quem censorem nuncupant, & [n] haud multo post præfectus castrorum & [o] legionum, ac [p] præfectus palatij temporibus Cæsarum nouissimis additi, quę dignitas proxima Cęlarum magnitudini fuit: [q] cui prefecturę Cleander à Commodo prępositus memoratur, [r] qui propter morum insolentiam, cum filiis vna crudeli supplicio excarnificatus, pœnas dedit: Et [s] Similis sub Hadriano, qui deposita palatij prefectura, ad ocium se tradidit, moriensque inscripsit tumulo, quod quum multos exegisset annos, septem tantùm vixit, quibus ocio se dederat. [t] Celebratur quoque Opilius Ma-

ANNOTATIONES.

h *Ad præfectum enim vigilum.*] Hæc vsque ad versic. Augustus. sunt Pauli in l 3. §. cognoscit. ff. de officio præfecti vigilum. Cuius hæc verba sunt, Cognoscit præfectus vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus & (forsan legendum receptatoribus.) receptoribus: nisi si qua tam atrox, tamque famosa sit persona, vt præfecto vrbi remittatur. Hæc præterea sunt Cassiodori lib. Variarum 7. epistul. incipiente, Quamuis nomen tuum. & seq.

i *Augustus vero Octauius.*] Paulus in l. 1. in fi. cum duabus ll. seqq. eod. tit. Strabo verò li 5. scribit, ipsum Augustum Cæsarem ad vrbanos sui generis, defectus præcipuam curam adhibuisse, institutis è libertinorum numero militibus, qui aduersus incendia ferrent opem.

k *Præfectus verò annonæ.*] De hoc vide Liuium qui huius originem tradit 1. dec. lib. 4. ibique dicit L. Minutium præfectum annonæ fuisse creatum. Corn. Tacitum lib 13. Appianum lib. 2. Bellorum ciuilium, vbi de Pompeio præfecto annonæ. Vbi sic scribit, Romani assidua fame diutius vexati, Pompeium annonæ omnis præfectum & prouisorem elegere: eidemque, vt Piratico olim bello, viginti Senatorij ordinis viros addidere, quos ille vicissim per prouincias partitus est. Ipse nationes vndique percurriens, vrbem frumento, cæterisque ad victum necessariis, impleuit. Qua ex causa ad ampliorem adhuc gloriam potestatemque peruenit. Marcellum in l. mulierem. 13. in princ. ff. de accus. Vide præterea Cassiodorum libro 6. Variarum, vbi declarat quod sit huius præfecti munus. & l. 1. C. de officio præfecti vrbi.

l *Præter quos præfectus morum.*] Huiusmodi præfectus erat apud Carthaginenses, vt videre licet ex Probo Æmylio in vita Hannibalis.

m *Quem Censorem nuncupant.*] Scilicet Romani, de quo amplè dictum est suprà lib. 3. c. 13.

n *Et haud multò post præfectus castrorum.*] De hoc Præfecto Dionysius Halicarnasseus lib. 4. ad fi. Literas receptas, inquit, præfecti castrorum à Tyranno relicti T. Herminius & M Horatius pro concione legerunt: perquisitaque per singulas centurias sententia militum, quid opus facto sit, cùm vniuersi censerent approbanda decreta vrbanorum ciuium noluerunt amplius Tarquinium admittere. Cornelius Tacitus libro 1. in duobus locis, dum loquitur de Aufidieno Ruso, & Mennio castrorum præfectis, & dum alibi in eodem lib dicit, Non Tribunus vltra, non castrorum præfectus ius obtinuit. Et lib. 12. dicit. Præfectum castrorum & legionarias cohortes extruendis apud Siluras præsidiis relictas circumfundunt. Et lib. 13. vbi meminit Istei Capitonis præfecti castrorum Et lib. 14 Pœni Posthumi. Et li. 18. Iulij Grati vno loco, & Alphem Vari, in altero. Et rursus ibi, Ante Aquilam, inquit, præfecti castrorum. Et lib. 19. Minutij Iusti præfecti castrorum septimæ legionis. Et eodem libro Cassij Longini. Et Velleius Paterculus libro 2. Interempto, inquit, præfecto castrorum, præfectisque cohortium. Et Suetonius in Vespasiano cap. 1. vbi de Vespasio Pollione, ter Tribuno militum, præfectóque castrorum. Vegetius lib. 2. c. 10. declarans quid fuerit munus huius præfecti, sic scribit, Ad huius officium præfecti castrorum posito, valli & fossæ destinatio pertinebat. Tabernacula vel casæ militum cum impedimentis omnibus nutu ipsius curabantur. Præterea ægri contubernales, & medici, à quibus curabantur, expensæ etiam ad eius industriam pertinebant. Vehicula sagittarij, necnon etiam ferramenta, quibus materies serratur vel cæditur, quibusque aperiuntur fossæ circa suum valli & aquæ ductus. Item ligna, vel stramina, arietes, onagri, balistæ cæteràque genera tormētorum, nè deessent aliquando procurabat. Is post longam probatamque militiam peritissimus omnium legebatur, vt rectè doceret alios. quod ipse cum laude fecisset. Hactenus Vegetius.

o *Et legionum.*] Modestinus in lib. de Nominibus militaribus, vbi declarat quod munus eius fuerit. Et Vegetius Rei militaris lib. 2. cap. 9. Et noster Scæuola in l. Titium. 17. §. Præfectus legionis. ff. de administrat. tutor. Et is fortè erat, quem Prefectum exercituum vocat Herodianus li. 4. in vita Antonini, loquens de Audentio & Macrino, præfectis exercituum. Nec multò post scilicet in princ. li. 5. scribit eundem Macrinum iam Imperatorem fuisse præfectum cohortis, quod nos etiam suprà diximus in verbo, Præter quem fuit Prætoriarum cohort. præfect. Ex quo possumus intelligere eundem esse præfectum exercituum & cohortis.

p *Ac præfectus palatij.*] Vt patet ex sequentib.

q *Cui Præfectura Cleander.*] Vereor ne hic Alexander lapsus sit. Hic enim Cleander, Phryx genere, à Commodo Præfectus prætorio creatus est, vt tradit Herodianus libro 1. Et Lampridius in vita ipsius Commodi. Nisi eundem existimes esse Præfectum prætorij, siue prætorii, & Præfectum palatij. Fuisse autem & Præfectos prætorio testis est & Cor. Tacitus lib. 17 vbi memorat Cor. Laconem Præfectum prætorij. Et Spartianus in Adriano Tarianum & Septitiū Clarum Præfectos prætorio, & in Didio Iuliano Tullium Crispinum. Huncque magistratum gessisse Vlpianum sub Alexandro Seuero, vt liquet ex Lampridio in vita eiusdem Seueri, & ex l. ex diui. 4. C. de locato & conducto. vbi Imper. Seuerus Domitium Vlpianum parentem suum appellat, his verbis, Qui si maiorem animaduersionem exigere rem deprehenderit, ad Domitium Vlpianum Præfectum prætorio, & parentem meum remittere curabit. Fuit & Papinianus Præfectus prætorio, vt scribit Dion in Alexandro Seuero, & Antonino Caracalla. Extátque titulus huic officio priuatim dicatus ff. & C. de officio de Præfecti prætorio.

r *Qui propter morum insolentiam.*] Herodianus & Lampridius vbi suprà.

s *Et Similis sub Hadriano.*] De hoc Simili Dion in Adriano Similis, inquit, nemini moribus & virtute secundus, cùm Centurio esset, cúmque Traianus ante Præfectos aduocauisset, Turpe est, inquit, tibi Cæsar cum Centurione, remotis Præfectis, disserere. Is deinde Præfecturam Prætorianorum inuitus obiit, qua posteà se ipse abdicauit, ac vix tandem dimissus, tum reliquos septem vitæ annos conquieuit, suóque sepulchro moriens inscribi iussit hæc verba. Hîc iacet Similis, cuius ætas multorum annorum fuit, ipse septem duntaxat annos vixit.

t *Celebratur quoque Opilius Macrinus.*] Iulius Capitolinus, & Dion in vita illius, non longe à princ.

crinus qui ex humili fortuna per Caracallam palatio præfectus, mox ad imperium conscendit. [u] Illud quoque à veteribus factitatum nouimus, vt quatuordecim curatores vrbis vnà cum præfecto tam vrbi quàm vrbanis negociis præsint. [x] Sed & illud notatum, ad vrbis præfectum appellationes omnium potestatum & illorum qui in honore erant, pertinuisse, ipsorúmque cognitionem animaduersionémque habuisse: quod quidem noua constitutione à posteris seruatum est. [y] Antea enim ex constituto Neronis appellationes à iudicibus ad senatum fiebant: cautúmque fuit, vt qui à priuatis iudicibus ad senatum prouocassent, tantum pecuniæ pœnæ nomine exoluere cogerentur, quantum qui imperatorem appellassent. [z] A senatu verò ad principem appellare non licere, oratione diui Hadriani cauebatur: [a] nec à præfecto prætorio, qui principis locum tenuit, appellare licuit. [b] C. tamen Caligula nimias appellationes inhibuisse fertur, liberámque iurisdictionem magistratibus dedisse, ita vt sine appellatione iudicatum exequerentur, & placita seruarent. [c] Quinetiam illud quæsitum est, an tutorum curatorúmque, qui nequiter & inofficiose in tutela curáque de officio decedentes, versati fuissent: aut filiorum, qui parentes, quos venerari decet, contumeliis probrísque effecissent, in eósque turpissimũ facinus admittentes, impias manus intulissent, cognitionem animaduersionémque præfectus habe????. Et placuit ab vrbis præfecto in tutores curatorésque, qui in euidenti calumnia tutelam curámque gessissent: aut in filios, qui parentum dicto contumaces, & minus audientes forent, animaduerti cognoscíque posse. [d] Quod quidem tam legibus & senatusconsultis, quàm decretis edictísque principum aliis super alia editis & promulgatis sancitum est.

14. vrbis curatores. Appellationes omnium potestatũ ad vrbis præfectũ pertinere. D. Hadriani edictum. Appellationes nimia inhibita.

ANNOTATIONES.

u *Illud quoque.*] Ælius Lampridius in vita Alexandri Seueri. Fecit, inquir, Romæ curatores vrbis quatuordecim, sed ex Consularibus viris, quos audire negotia vrbana cum Præfecto vrbis iussit, ita vt omnes, aut magna pars adesset, cùm acta fierent.

x *Sed & illud notatũ ad vrbis Præfecturam.*] Iustinianus in l. Præfectus vrbis.3. scribit, Præfectum vrbi præesse cunctis officialibus & potestatibus, & l. seq. Vniuersos ciues & collegia Præfecto subdita esse.

y *Antea enim ex constituto Neronis.*] Hæc vsque ad versic. A Senatu, sunt Corn. Taciti lib.13.

z *A Senatu verò ad Principem.*] Sunt verba Vlpiani in l. 1. §. 1. ff. à quibus appellare non licet.

a *Nec à Præfecto prætorio.*] Vt scribitur in l. vnica. §. his cunabilis ff. de officio Præfecti prætorio. & Hermogenianus in l. Præfecti. 17. ff. de minoribus. & l. 1. C. de sententiis Præfectorum prætorio.

b *C. tamen Caligula.*] Suetonius in vita illius, cap. 16. Magistratibus, inquit, liberam iurisdictionem & sine sui appellatione concessit.

c *Quinetiam illud quæsitum.*] Hæc vsque ad fi. d. Præfecto vrbis intelliguntur, vt ex seqq. patet. Suntq; ea, quæ de tutoribus & curatoribus loquuntur, Vlpiani in l. 1. item solẽt. ff. de officio Præfecti vrbis. At ea quæ de filij in paréres contumeliis loquitur, sunt eiusdẽ Vlpiani in d. l. §. cùm patronus.

d *Quod quidem tam legibus.*] Vt l. 1. ff. de ingra. lib. cum si.

Miraculum de homine, qui extrinsus è carcere, rursúsque in eum intrusus, inferna se loca adiisse enarrauit.

CAPVT XXI.

INTER fabulosa miracula, & puerilibus fabellis similia, multas magnásque res, quæ vix credi dicíque possunt, nullum tam impudens mendacium creditum est, quàm quod ad hosce annos in Pelignis euenisse dicunt, quod quum nouum commentum putaretur, & temere vulgatum, id verum postea fuisse, tam fama celebri, quæ vbique peruasit & vulgatã est, quàm multorum testimonio, qui rem gestam didicere, non fictis sermonibus, sed certissimis experimentis compertum est. Quo autem pacto se res habuerit, hoc traditur modo: In Pelignis oppidũ vetustum est, cuius nomen prætereo libens, licet obscura origine, haud tamen ignobile. In eo dominus qui vrbi præerat, superbè auaréque ciuibus imperitabat, ac atrocibus dictis factísque in subditos ferilem in modum animaduertere solebat, eósque licet imperata facerent, neque segniter mandata exequerentur, ob leues plerumque causas, pœnis & damno mulctabat. Forte autem quum homo quispiam alioqui bonus, sed tenui re familiari, inops atque despectus, ipsius domini venaticum canem, cuius miro studio tenebatur, ira verbere affecisset, vt ob id periisse putaretur: quum id dominus sensisset, vehementer offensus, cum truculenti & minaci vultu grauiter increpitum, in pessimum coniecit carcerem: ibique quum vinctus graui custodia teneretur, post aliquot dies, hi quibus diligens ipsius cura mandata erat, clauso iam carcere, & tam foribus quàm omni aditu persepto, ne elabi posset, quum ad illum accederent, vt solebant, in eodem intus carcere nusquam inuenere: qui diu conquisitis, quum non appareret, nullúmque effugij vestigium extaret, rem ad dominum detulere: quod quum credi vix posset, ipseque mirum in modum obstupefieret, post tres ferme dies, iisdem foribus pessulo firmatis, idem ipse qui modò carceri addictus fuerat, imprudentibus omnibus, & nemine conscio, rursus in eodem intus carcere intrusus apparuit: custodésque, vt cibum afferrent, aduocauit: qui quum propere accessissent, omnésque miraculo obstupefierent, eum vultu tetro, & horribili facie, luxatis vstísque membris, aliter longè atque pridem fuerat, conspexere: quem quum interrogassent, vnde elapsus, & rursus in eodem intrusus carcere foret, quibúsque in locis fuisset, & vnde tam fœdo & tetro cultu emersisset: ipse velut elinguis, quum nullum proferret verbum, sed attonito stupentique similis foret, vt ad dominum quantocyus admitteretur, postulauit: habere quod illi propere nunciaret, magnum, nec differendum. Cúmque ad eum protinus

admissus esset, rem mirificam & admirabilem, ac dictu auditúque formidolosa, & vix credenda miracula dicere orsus fuit: Nam se ab inferis (si libet credere) remissum enarrauit, siquidem quum diutius carceris squalorem ferre nequiret, seu desperatione victus, seu iudicium reformidās, inops consilij, malum dæmonē vt sibi præsto esset, seque ex tam tetro carcere relaxaret, aduocasse dixit. Nec multo post, dæmonem fœdo aspectu & terribili facie in eodem intus carcere aspexisse, & secum pactum fuisse, ab eodémque & ferreis claustris, non sine graui pressura extrusum, in loca deinde inferna, & profundas vastitates, ac fundum telluris intimæ actum esse præcipitem, singuláque lustrasse: impiorúmque supplicia. & sedes consceleratas, æternásque tenebras & ærumnas vidisse, ac loca fœda & formidolosa, regésque & summos duces in abrupto hiatu & profundo voraginis densa mersos caligine affligi ari, & furiarum ardentibus facibus agitari: gemitúsque & eiulatus, ac dies noctésque ploratus mulierum & virorum audisse: pontificésque vidisse infulis & trabeis purpura & auro distinctis, ac gēmis ornatos, aliásque miserabiles facies omnis generis hominum, ætatum & ordinum, in cultu vario afflictas, & iacentes inter præaltas voragines, alios immenso limo haustos æternis suppliciis & nocte cruciari, ipsorúmque damnata scelera sempiterno dolore puniri: inter quos plures quos nouerat in vita, adnotauit, & præcipuè intimum familiarem, quem dum in vita ageret, æqualem sodalémque habuerat, alloquutum dixit: ab eo probè agnitus, & miti satis sermone requisitus fuit, quid rerum ageretur, & quid reliqui spei sibi foret. Ipseque quum prægraui seruitio & crudeli dominatu vsque premi respondisset, illum mandasse, vt domino enunciaret, caueret nequid tale ageret in posterum, neve graui tributo & iniquo vectigali subditos opprimeret: namque illi vacoam sedem, quam propè cernebat, præstitutam esse prædixit. Et vt haud dubius promissi foret, fidémque vt dicto haberet, meminisse (inquit) illum debere secreti consilij & mutuæ pactionis, quam dum vnà militarent, & in castris agerent, clam iniuissent, quorum nemo particeps aut conscius vnquam fuit: quod consilium quum memoriter ille enunciasset, & non solum dicta conuentáque, sed & singula verba sponsionésque quibus vterque astrictus erat, recēsuisset, ipsum dominum ordine hæc audientem, animo serio & attentiore factum, mirum in modum obstupuisse: ingénsque animo formido incussa fuit, consideranti quonam modo, quæ soli sibi credita, & nulli vnquàm enunciata fuere, homo ille hebes & tardus ingenio, quasi numine afflatus, explorata haberet, eáque vultu interrito enunciaret. Adiiciunt miraculo, eundem interrogasse illum cum quo tunc sermo erat apud inferos, qui nitido cultu vestitúque apparatu videbatur, nunquid aliquo cruciatu affligerentur qui insigni veste & auro conspicui forent: illúmque respondisse, perenni incendio, interque maximos cruciatus, & sempiterno dolore vsque premi & afflictari, idque totum quod auro & purpura fulgeret, ignem atque incendium esse. Et quum ipse id experiri volens, propius manum purpuræ admouisset, admonitum ab eo fuisse, ne tangeret, & tamen efficere nequisse, vt non ex caloris afflatu palmam sibi manus, quam tunc ostendebat, incendio & ipsi purpuræ admotam deflagraret. Erat enim pustolis ii- ctibus, & tetris hulceribus veluti tabe & igne sacro, malóque quod latius serpere videbatur, fere consumpta. Referunt præterea qui illum adiuere, cum postquam ab inferis emersit, quasi mente consternata, hebetique aurium oculorúmque sensu affectus foret, semper cogitabundum in rarum prodiisse sermonem, vixque sæpius interrogatum colloquenti respondisse. Vultu verò tam tetro & aspectu tam deformi reuertisse, vt qui dudum à coniuge & liberis probe agnitus foret, is postquam remeauit ab inferis, tam diro vultu, totiúsque facie corporis dissimilis effectus est, vt vix eundem illum esse crederent: sæpiúsque obortis lachrymis, ob faciei diritatem, & speciem hominis fœdissimè mutatam, notos affinésque ipsum alloquutos fuisse: ægrèque vt ante obitum qui mox consequutus est, res suas dispensaret, ac liberis & posteriati consuleret, vitæ spatium habuisse.

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

Hoc caput nihil aliud quàm historiam, aut potius fabulam sui temporis recitat.

Quot militiæ ordines, cuiúsve generis milites in Romana militia olim militare consueuerant, & qui apud exteros.

CAPVT XXI.

Rorarij. MILITVM ordines, quos Romani duces habuere, quibus res magnas gessere, hi ferme tradūtur, nomine dioersi: a namque Rorarij dicti, cum quibus primi erant congressus, qui leuibus muniti armis, parmam & gladium gerētes, sicut ros ante pluuiam, sic priusquam procurrerent, aut acies

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

a NAmque Rorarij.] Varro lib. 3. aut aliorum comput. 6. de ling. Lat. Rorarij, inquit, dicti sunt à rore, qui bellū committebant antè: ideò quòd antè rorat quàm pluit. Liuius 1. Dec. lib. 8. Primum, inquit, vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis: secundum Rorarios, minus roboris ætate factísque: tertium accensos minimæ fiduciæ manum, eò & in postremam aciem reiiciebantur. Nonius Marcellus in Generibus armorum, vbi declarat quare ita dicantur, sic scribit, Rorarij appellabantur milites, qui antequam congressæ essent acies, primò non multis iaculis inibant prælium: tractum quòd ante maximas pluuias cœlum rorare incipiat. Festus Pompeius lib. 1. vbi de adscriptitiis loquitur, Alij, inquit, Rorarios, quòd id genus hominum, antequàm acies coirent, in modum rorantis tempestatis, dimicaret, & iterum lib. 16. Rorarios, inquit, milites vocabant, qui leui armatura primi prælium committebant, quòd vt ante imbrem ferè rorare solet: sic illi ante grauem armaturam, quòd prodibant, Rorarij dicti.

b Qui

admouerent, hostem incessabant, & primos concursus excipiebant. Præmittebatur enim leuis armatura, quæ eliceret, & hostem gradu moueret, mox equitatum libero cursu & robora legionum immittebant, quæ longius pellerent & fugarent. [b] Qui etiam antesignani, eo quòd primi agminis erant, dicti: [c] sicut apud Persas homotimi milites in principiis erant, qui magnopere apud reges nobilitati sunt: inter [d] quos peltati & [e] cetrati, qui peltas cetrásque [f](scutorum enim genera sunt) deferebant, haud multo discrimine diuersas, [g] pelta enim cetræ haud dissimilis est: [h] namque erat cetra scutum ex loro, quo Afri, Hispani, Galli & Persæ plerumque vsi sunt, in rhombi figuram: [i] pelta verò, breue scutum instar lunæ: [k] parma, figuræ latioris & circularis: [l] Lusitanis verò scuta fuere duorum pedum latitudinis, quæ nec fibula, nec ansa, nec loro nectebantur. [m] Numidica ex coriis sicut [n] Græcis. [o] Oretanis & [p] Gallis quandoque pro munimento fuit pelta, [q] queis erant enses obtusa cuspide, [r] scuta verò debilia. [s] Hiphicrates quoque pro parma militibus peltam dedit, hastæque modum duplicauit, & gladios longiores fecit, quare peltastæ appellati. [t] Thracibus & [u] Belgis dabatur pelta, quam meridem dixere. [x] Liguribus ænea parma. [y] Sardis pugio cum pelta. [z] Celtiberis leue scutum & rotundum. [a] Caius verò Marius parmulas militibus inhibuit, illas minus habiles & superuacuas arbitratus. [b] Romani autẽ clypeos

Antesignani. Homotimi. Peltati. Cetrati. Cetra. Pelta. Parma. Lusitanorum scuta. Numidica. Peltastæ. Meridem aera. Parma ænea. Clypei.

ANNOTATIONES.

b *Qui etiam antesignani.*] Ciceroni Philipp. 2. Cæsari lib. 1. & iterum 3. belli Ciuilis. Liuio 1. Dec. lib. 2. 6 & 7. Nonio Marcello inter Armorum genera.

c *Sicut apud Persas.*] Xenophon Pædiæ Cyri libr. 1. post princ. & lib. 7. ad fin.

d *Inter quos peltati.*] Liuius 1. Decad. lib. 8. non multò post princ. Menippum, inquit, quendam ex regiis ducibus cum mille peltatis (pelta cetræ haud dissimilis est) Chalcidem mittit. Et hinc puellæ peltatæ Ouidio lib. Amorum 2. eleg. 14. in princ.

Quid iuuat immunes belli cessare puellas,
Nec fera peltatas agmina velle sequi?

e *Et cetrati.*] De quibus idem Liuius 3. Dec. lib. 1. & 4. Dec. lib. 5. & 5. Dec. lib. 4. & alibi sæpe.

f *Scutorum enim genera sunt.*] Nonius Marcellus tum in Generibus armorum, tum alibi, & Seruius lib. 8. Æneidos in eum locum,

— Scutis protecti corpora longis.

Festus Pompeius lib. 14. vbi de pelta loquitur.

g *Pelta enim cetra haud dissimilis est.*] Quæ sunt verba Liuij citata suprà in verbo, Et cetrati. Et idem intelliges ex eodem 4. Decad. lib. 1. cùm scribit, Nocte cetratos, quos Peltastas vocant, loco opportuno inter bina castra in insidiis abdiderat.

h *Namque erat cetra scutum ex loro.*] Seruius lib. 7. Æneidos in eum locum,

Læuas cetra tegit. ———

Cetra, inquit, scutum loreum, quo Africi & Hispani vtuntur. Liuius 4. Dec. lib. 1. Hispani sine vlla mole in vtres vestimentis coniectis, ipsi cetris superpositis incubantes, flumen transnatauêre. Et ante hos Cæsar lib. 1. belli Ciuilis, Erant legiones Afranij tres, Petreij duæ, præterea scutatæ citerioris prouinciæ, & cetratæ vlterioris Hispaniæ cohortes circiter octoginta.

i *Pelta verò, breue scutum, &c.*] Ælianus de Instituendis aciebus. Seruius enarrans illud libri 1. Æneidos,

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Scutis, inquit, breuissimis in modum lunæ iam mediæ. Lactantius Statij interpres lib. 5. Thebaidos in eum locum,

Lunatumq́; putes agmen descendere.

k *Parma, figura latioris & circularis*] Varro apud Nonium Marcellum de Genere armorum, statim post princ. Quem sequuntur cum rotundis velites leues parmis. Polybius in libello de Castrametatione, quæ portionem facit 6. libri, Parma, inquit, firmitatem habet tum ob structuram, tum ob magnitudinem, quæ tutando corpori sit satis, nam cùm sit rotunda tripedalem habet diametrum. Vide tamen Nonium Marcellum de Genere armorum: vbi dicit, Parmam breue scutum esse, quod & ipsum dixerat Varro linguæ Latinæ lib. 1. aut aliorum computatione 4. dum dicit ita vocari, quòd à medio in omnes partes par sit. Et de hac Virgilius lib. 9. Æneidos,

Ense leuis nudo, parmaq́; inglorius alba.

Liuius 1. Decad. lib. 8. & 3. Dec. lib. 2. vbi de Numidis loquitur. Martialis lib. 14. epig. 219. de parma, ait,

Hæc quæ sæpe solet vinci quæ vincere rarò,
Parma tibi scutum pumilionis erat.

Et omnes vbique. Hinc Parmula diminutiuè Horatio lib. Carm. 2. Ode 7.

Tecum Philippos, & celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula.

A qua dicti sunt Parmularij Quintilliano lib. 2. cap. 12. post princ. Ego, inquit Parmularius sum. Et Suetonio in Domitiano, cap. 10. Cum hoc titulo impiè loquutus Parmularius. Et parmatus à parma Liuio 1. Dec. lib. 4. Dat signum Volscis imperator, vt parmatis nouæ cohorti hostium locus detur.

l *Lusitanis.*] Strabo lib. 3. Scutum duûm pedum ad latitudinem gestant, curuum ad anteriora prospectans, loris dependens, cui neque fibula, neque ansa vlla est.

m *Numidica ex coriis*] Hæc autem parmas vocat Liuius 3. Dec. lib. 2. vbi de pugna Cannensi.

n *Sicut Græcis.*] Vide infrà, ex Strabone.

o *Oretanis.*] Strabo lib. 3.

p *Et Gallis.*] Strabo lib. 4.

q *Queis erant enses obtusa cuspide.*] Scilicet Gallis ex Polybio lib. 3. & Liuio Dec. 3. lib. 2. vbi de Cannensi pugna loquitur, & dicetur postea in hoc eodem capite.

r *Scuta verò debilia.*] Ipsis quoque Gallis erant scuta longa, sed ad amplitudinem corporum parum lata, & ea ipsa plena Liuio 4. Dec. lib. 8.

s *Hiphicrates.*] Probus Æmilius in vita illius.

t *Thracibus.*] Maximus Tyrius Sermone 3. in princ. & Herodotus lib. 7. de Thracibus loquens, sic ait: Ferebant præterea iacula & peltas & pugiunculos.

u *Et Belgis.*] Strabo lib. 4. Gladius longus à dextro dependens latere, clypeus longus, hastæ ad proportionem, & Meris peltæ genus est, id est, iaculi.

x *Liguribus.*] Strabo eodem lib. 4. sed multò post ea, quæ in præced. adduximus, Ligurum mores scribens, ait, Non multi admodum equo militant: pedites verò in tumultuariis, præsertim pugnis, optimi, æreis autem vtentes parmis: vnde coniecturam dedere, se origine Græcos esse. Tanquam & Græci eisdem parmis æneis vterentur. Vide Diodorum Siculum lib. 6. c. 9. non longe ante fi.

y *Sardis pugio cum pelta.*] Strabo lib. 7. scribit, Sardos ritu Gallico armari.

z *Celtiberis.*] Diod. Siculus lib. 6. c. 9.

a *Caius verò Marius.*] Legendum C. Marius ex Festo Pompeio lib. 14. vbi de Parmulis loquitur, nisi illic mendum sit, quod magis credo.

b *Romani autem.*] Apuleius Apologia prima. Et Seruius enarrans eum locum lib. 9. Æneidos,

Tercentum scutati omnes Volscente magistro.

Ad id referens illud ipsum Virgilij de equitibus loquentis: nam (vt inquit Ser.) clypei peditum sunt: scuta verò equi-

poditibus, scuta equitibus dedere: [e] quos quidem milites à prima origine clypeis vsos comperimus: postquam verò stipendiarij facti sunt, mutato armorum genere, [d] scuta maius tegmentum pro clypeis accepere, [e] sicut Latini populi [f] (quare scutatæ [g] & cetratæ cohortes dictæ) [h] quæ ex cratibus plerunque intexebant. [i] Antea enim Romulus Argolico scuto vtebatur. Post verò ictum cum Tatio fœdus, Romani, dimisso Argolico, Sabinorum accepere scuta, suáque Romulus cum Sabinis arma commutauit, quibus postea Romani vsi sunt. [k] Samnitibus lata, ad summum æquali fastigio fuere, in imo verò cuneata. [l] Marsis amplissima, quæ Decumana dicta sunt. [m] Lucani quoque scuta ex vimine confecta, coriis tegebant. Græci frequenter russatis. [n] Carthaginenses albis, nonnunquã clypeis diuersa insignia ferentibus vtebãtur: Corinthij rubris. [o] Alba verò ferre scuta, Romanis erat ignominiæ loco: [p] nam forte vtebãtur pictis. [q] Pœni ex auro sculptis imaginibus. [r] Germani scuta lectissimis coloribus distinxere. Græci quoque diuersa insignia, & numina addidere: [s] quippe Græcorum clypeis Neptunus inerat, Troianorum Minerua, [t] Vlysses Delphinis insigne in scuto prætulit. [u] Agamemnon formidinẽ capite leonino cum epigrammate. [x] Niciæ scutũ auro fulgebat & purpura Lacedæmonij λ, Messenij μ, literas descripsere. [y] Alcibiades Cupidinem cum sagittis, Neocorus Aliarcus draconem, [z] Demosthenes in scuto aureis literis Bonam Fortunam inscripsit: [a] Legio ad Cordubam Pompeij nomen. [b] Persis verò creatis erat in manu læua, gladius vel securis in dextris. [c] Fertur Alexãder Macedo argyroaspidas ab argenteis

Scuta.

Scutum Argolicum.

Decumana scuta. Russati. Gentium diuersi clypei.

Principum ac Ducum Gentium.

ANNOTATIONES.

tum, vt hæc breuiora: illi verò longiores. Cuiusmodi autem erat hic Romanorum clypeus, disces ex Polybio lib. 6. quo loco eorum castrametationem describit.

c *Quos quidem milites.*] Liuius Decad. 1. lib. 8. Adeo nihil apud Latinos dissonum ab Romana republica, præter animos, erat. Clypeis antea Romanis vsi sunt: deinde postquam stipendiarij facti sunt, scuta pro clypeis fecere. Hinc facilè colligere possumus Romanos clypeis vsos, cum Latino iis Romanorum more vsos legamus. Sed & Romanos olim Argolico clypeo vsos testantur Plutar. in Romulo, & Dionys. Halicar. lib. 4.

d *Scuta maius tegumentum.*] Verba sunt Liuij 1. Dec. lib. 9. in comparatione Alexandri & Romanor.

e *Sicut Latini populi.*] Liuius 1. Dec. lib. 8. Latini, inquit, clypeis Romanis antè vsi sunt: deinde postquam stipendiarij facti sunt, scuta pro clypeis fecere.

f *Quare scutata &c.*] Scutatos milites dicit Cicero Philippica 2. Agmine quadrato cum gladiis sequuntur scutati milites. Et equites Liuius 4. Dec. lib. 8.

g *Et cetratæ cohortes.*] Cæsar lib. 1. bellorum Ciuilium, & dictum est suprà in verbo, Et cetrati.

h *Quæ ex cratib.*] Vide infrà in verbo, Lucani.

i *Antea enim Romulus.*] Romulum & Romanos vsos fuisse Argiuo clypeo & scuto, tradunt Plutarchus in vita Romuli, & Dionysius Halicarnasseus lib. 4. Is autem clypeus Argolicus magnus erat, vt scribit Seruius in lib. Æneidos in eum locum.

Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar.

k *Samnitibus lata.*] Liuius 1. Dec. lib. 9.

l *Marsis.*] Festus Pompeius lib. 1. Albesia scuta dicebantur quibus Albenses, qui sunt Marci generis, vsi sunt. Hæc eadem Decumana vocabantur, quòd essent amplissima, vt decumani fluctus.

m *Lucani.*] Dionysius Halicarnasseus lib. 5. Liuius 3. Dec. lib. 1. in Saguntinorum obsidione. Seruius Sallustij authoritate in lib. 7. Æneidos in eum locum,

— Flectuntq́; salignas
Vmbonum crates. —

Aduatici quoque Gallorum populi scutis ex cortice, aut viminibus intextis, quæ subitò, vt temporis exiguitas postulabat) pellibus induxerant, vtebantur, apud Cæsarem Gallici belli, lib. 2. ad fi.

n *Carthaginenses albis.*] Plutarchus in Timoleone, vti etiam Cimbri & Teutones apud eundem Plutarchum in Mario, & Thraces apud eundem in Paulo Æmylio.

o *Alba verò ferre scuta*] Virgilius lib. 7. Æneid.

— Parmaq́; inglorius alba.

Et huc quoque spectat illud Persij satyra 5.

Permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo.

p *Nam fortes vtebantur pictis.*] Virgil. lib. 7. Æneidos,

— Et pictis scuta Labici.

Vbi Seruius id annotat, citátque illud Virgilij in præced. adductum.

q *Pœni.*] Plinius lib. 35. c. 3. Pœni, inquit, ex auro factitauere & clypeos & imagines, secúmq; in castris tulere. Certè captis eis talem Hasdrubalis inuenit Q. Martius, Scipionum in Hispania vltor: isque clypeus suprà fores Capitolinæ ædis vsque ad incendium primum fuit.

r *Germani.*] Cornelius Tacitus lib. Historiarum, vbi hæc de illis scribit, Non loricam Germani, non galeam, ne scuta quidem ferro neruóve firmata, sed viminum textus, vel tenuis, & fucatas colore tabulas. Et idem Tacitus in libro de Moribus German. non adeò longè à prin. Scutáque tantùm lectissimis coloribus distinguunt, paucis loricæ, vix vni alteríque cassis aut galea. Ex quo loco hunc certè Alexander sumpsit.

s *Quippe Græcorum*] Hæc vsque ad versicul. Vlysses, sunt Seruij enarrantis illud Virgilij lib. 2. Æneidos,

Vadimus immixti Danais haud numine nostro.

t *Vlysses.*] Stesichorus, & ex eo Plutarchus rationem reddens in libro de Industria animi ad fi.

u *Agamemnon.*] Pausanias lib. 5. In Agamemnonis, inquit, clypeo Terror expressus est leonis capite, cum hac inscriptione,

Hic pauor est hominum: manibus gerit hunc Agamemnon.

x *Niciæ scutum.*] Plutarchus in vita ipsius ad fin. Pollux Onomasticôn lib. 1. c. 10. ὅπλων ὀνόματα, vbi ita scribit, λέγεται δ' ἐκεῖνον πορφύραν καὶ χρυσὸν μίξαντα κοσμῆσαι τὴν ἀσπίδα. Sed & Herculis clypeus ex Philostrato in vita Apollonij lib. 2.

y *Alcibiades.*] Plutarchus in vita ipsius, scribit fuisse illi clypeum aureum non patrio vllo insigni, se Cupidine fulminifero inscriptum. Satyrus autem historicus apud Athenæum Dipnosophistarum lib. 12. c. 16. Scribit ipsum Alcibiadem vti solitum clypeo auro, atque ebore confecto, in quo insigne erat κεραυνὸν ἠγκυλημένον, id est, fulmen incuruans, ac flectens.

z *Demosthenes.*] Plutarchus in vita illius, Literis, inquit, aureis, ita in eius clypeo scriptum erat, ἀγαθῇ τύχῃ. Et his adde Theseum in clypeo depictam faciem leonis; & Polynnicem apri tulisse, vt refert Apollodorus Bibliotheces libr. 3.

a *Legio ad Cordubam.*] Hirtius lib. 4. qui de bello Alexandrino est.

b *Persis verò.*] Xenophon Pædiæ Cyri libr. 1. iterúmque 2. non multò post princ. Hæc autem, inquit, sunt circa pectus, thorax, & cetris in læua manu, & mucro ac securis in manu dextra. Et iterum posteà, Hoc solum eis reliquit, vt cum gladio cetráque & thorace pugnarent. Aliter Strabo lib. 15. ad fi.

c *Fertur Alexander.*] Liuius 3. Decad. lib. 7. & 4. Dec. lib. 7. vbi loquitur de Antiochi militibus aduersus Romanos. Iustinus lib. 12. Q. Curtius lib. 4. Paulus Orosius lib. 3. c. 21.

clypeis, ficut [d] Alexander Seuerus imperator chryfoafpidas ab aureis nuncupasse: [e] id quod à Samnitibus fuit vsurpatum, vt argenteis aureísque scutis ornarentur. [f] Galatæ animalium formas æneas scuto effinxere, ficut [g] Lacedæmonius quispiam in ingenti scuto muscam effictam habuit: & Hanno Carthaginensis argenteo clypeo cum imagine Barchini Hasdrubalis conspicuus erat. [i] Cleomenes verò docuit Lacedæmonios clypeum non ex annulo suspensum, sed brachio insertum habere, quo se firmius protegerent. [k] Philopœmenes Achæis, cũ antea scutis leuioribus, & ad protegẽda corpora minus habilibus vterentur, pro scuto clypeum, pro hastili sarissam dedit: qui tamen scutati pedites ferreas ocreas in dextro crure induebant, ne crure effracto, neci expositi forent. Sarmatis verò nulla scuta fuere: nãque in conflictu præliorum defendi scuto inhibentur: itaque ad vulnera expositi toto corpore patebant, [l] Deinde pilani, qui pilis depugnabant, dicti. [m] Fuit enim pilum hastile, habens & ferrum pedale, & trigonum stylo præacuto, quod stupa colligatum emittebant, interdum hastam habens trium pedum, nec minoris proeminentiæ ferrea veruta: [n] quo emisso, velut ad id dato signo, citato gradu in hostes ibant: mox strictis gladiis collato pede, cõminus rem gerebant: quæ ab hostibus missa, Romani sæpe densaris scutis excipiebant: tametsi nonnunquam tanto ardore animorum ad arma cõcursum, & in hostes itum est, vt ne mora in pilis emittendis fieret, illa abiicerent, & strictis gladiis comminus rem gererent: [o] quæ quidem pila Romanis propria, & sua fuere arma: [p] telum haud dubiè quàm hasta vehementius: [q] sicut gessa Gallorum, [r] sarissæ Macedonùm, [s] lancea Hispanorum, gladius Lacedæmoniorum, [t] acinacis

Hanni. Lacedæmonq. Achai. Sarissa. Sarmatia.

Pilani. Pilum.

Gessa. Sarissa. Lancea. Gladius. Acinacis.

ANNOTATIONES.

d *Sicut Alexander Seuerus.*] Ælius Lamprid. In vita illius.

e *Id quod à Samnitibus.*] Liu. 1. Dec. lib. 9. & 10.

f *Galatæ.*] Diodorus Siculus lib. 5. aut, vt alij supputant, lib. 6. cap. 9. Quidam (inquit, in scutis animalium formas æreas paulùm eminentes gestant & ad ornatum, & ad corporis tutelam fabricatas.

g *Sicut Lacedæmonius quispiam.*] Erasmus ex Plutarcho in Apophthegmatis Laconum innominatorum lib. 2. Lacon quidam, inquit, in clypeo pro insigni gerens muscam, eámque non maiorem vera, quibusdam irridentibus, dicẽtibúsque, quòd id studio fecisset, quò lateret: Imò, inquit, vt sim conspicuus: Tam enim propè accedo ad hostes, vt ab ipsis insigne cuiusmodi sit, videri possit.

h *Et Hanno Carthaginensis.*] Liuius 3. Dec. lib. 5. In ea præda, inquit, fuisse clypeum argenteum pondo centum triginta octo cum imagine Barchini Asdrubalis. Sed adde superioribus Sophanem Decelensem habuisse anchoram insignitam in scuto quod nunquam aquiescens assiduè rotabatur apud Herodotum libr. 9. Et Auentins centum angues & hydram serpentibus cinctam apud Virgilium lib. 7. Æneidos.

— Satus Hercule pulchro
Pulcher Auentinus, clypeoq́, insigne paternum
Centum angues, cinctamq́, gerit serpentibus hydram.

i *Cleomenes.*] Plutarchus in vita illius.

k *Philopœmenes.*] Idem Plutarchus in vita illius.

l *Deinde Pilani.*] Varro lib. 1. aut aliorum computatione 4. de lingua Latina, vnde & Antepilani Marcellino lib. 16. Sed & sunt qui Palatos hos vocant, vt Liuius 1. Decad. lib. 3. vti & Pilatas cohortes Martialis lib. 10. epig. 48.

Nunciat octauam Pharia sua turba iuuenca,
Et Pilata redit iámque, subitq́, cohors.

Vnde & Præpilati ipsi Liuio 3. Decad. lib. 6. & Marcellino libro 24.

m *Fuit enim pilum.*] Liuius 3. Dec. lib. 1. in Saguntinorũ obsidione, & Dionysius Halicarnasseus li. 5. Vegetius li. 2. c. 29.

n *Quo emisso.*] Hæc vsque ad ver. Quæ quidem, sunt Liuij 1. Dec. lib. 9. cuius hæc verba sunt, Vadunt in prælium, vrgentes signiferos: & ne mora in concursu pilis emittendis, stringẽdísque inde gladiis esset, pila, velut dato ad id signo abiiciunt, strictísque gladiis cursu in hostem feruntur.

o *Quæ quidem pila Romanis propria.*] Liuius 1. Decad. lib 9. Halicarnasseus lib. 5. Receperunt, inquit, animos, & spei nonnihil ex quibusdam prodigiis, sed maximè ex hoc vltimo, quod processit diem prælij, Ex pilis defixis ante tentoria: Tela sunt hæc Romanorum, quæ primo congressu iaculantur, oblonga hastilia crassamento, quod manum compleat tripedaneis ferreis vtrinque præfixa veruculis, vnà cum ferro longitudine paria mediocribus iaculis. Seruius in lib. 7. Æneidos in eum locum,

Pila manu, sanosq́, gerunt in bella dolones.

Pila, inquit, propriè est hasta Romana, vt Gessa Gallorum, Sarissæ Macedonum.

p *Telum.*] Hæc verba sunt Liuij 1. Dec. lib. 9.

q *Sicut Gessa Gallorum.*] Cæsar lib. 2. belli Gall. Seruius vbi suprà ibi, Quæ quidem pila Rumanis. Nonius Marcell. inter genera armorum, Lactantius, Statij interpres lib. 4. Thebaidos statim post princ, in eum locum,

— Pars Gessa manu, pars robora flammis
Indurata diu. ——

Citátque illud Virgilij de Gallis loquentis carmen libr. 8. quod id apertissimè probat,

— Duo quisque Alpina coruscant
Gessa manu. —

Vbi & ipse Seruius tradit, Gallos vocare Gessos viros fortes. Et Claudianus in Eutropium lib. 2.

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens,
Illis antè vagus tandem regionibus hæsit,
Gessaq́, deposuit, Graio iam mitis amictu.

Gessa item Hetruscorum fuisse scribit Liuius 1. Dec. lib. 9. Fuisse & Gessorum vsum ab Iberis ad Romanos translatum tradit Athenæus lib. 6 c. 8. eodémque vlt. At Gerra Persarum fuere apud Herodotum lib. 9.

r *Sarissæ Macedonum.*] Liuius 1. Decad. lib. 9. in comparatione Alexandri & Macedonum. & 4. Decad. lib. 7. vbi dicit has esse prælongas hastas, rursumque lib. 8. & Ouidius lib. 12. Metamorph.

Qui clypeo, gladióque Macedonicaq́, sarissa.

Statius lib. 7. Thebaidos,

Fraxineas vibrant Macedûm de more sarissas.

Et ibi Lactantius Placidus interpres, & Lucanus lib. 8.

Primi pellæas arcu fregere sarissas.

Pellæas enim vocat à Pella regia Macedonum, ex qua & Alexander Pellæus dictus est Iuuenali sat. 10.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Et Plutarchus tum in Flamineo, tum in Paulo Æmylio, Q. Curtius lib. 9. Festus Pompeius lib. 17. & Seruius d. lib. 7. vbi suprà.

s *Lancea Hispanorum.*] Gellius authoritate Varronis lib. 15. c. 30. in fi. vbi de petorito, quod vehiculũ appellatur, sic scribit, Quo in loco Varro libro 14. Rerum diuinarum, cùm de petorito dixisset, esse id verbum Gallicum, lanceam quoque dicit non Latinum, sed Hispanicum verbum esse.

t *Acinacis Medorum*] Horat. lib. 1. Carminum Ode 27.

Vino & lucernis Medus acinacis
Immane quantum discrepat.

Vbi tamen Acron dicit Persarum gladium esse, vti etiam

Falarica. Sagaris. Rõphea. Framea. Sparus. Cateia. Sica. C. Marij iacula. Lacedæmony. Galata. Spatha. Hastati. Tyrones. Milites ætate robustiores. Triarij.

Medorum,[o] falarica Saguntinorum,[x] sagaris Persarum,[y] romphæa Thracum,[z] framea Germanorum, & [a] sparus rusticorum.[b] Theutonicorum verò cateiæ.[c] Erat enim hasta angusto & breui ferro,[d] romphæa autem ingentis longitudinis:[e] Tametsi Hispanicũ gladium admodum breuem,& [f] sarissam prælongam hastam ferro affixo legamus.[g] Etiam sica Romanis frequens & peculiaris fuit:quippe Romani milites vtroque latere ferebant sicas,dextra breuiorem,sinistra longiorem.[h] Proditúmque memoriæ est, C. Marium noua primùm forma iacula fecisse:nam quum duplici telo antea munirentur, ipse alterum admisit,alterum sustulit,& loco illius clauum panxit, quo firmiosimpingerent.[i] Marcellus ad Nolam longiora pila militibus distribuit, quò ferirent vehementius, quum Carthaginenses breuioribus, & minus habilibus vterentur.[k] Cleomenes verò docuit Lacedæmonios pro lancea sarissis, vti, quas vtraque manu torquere assuefecit.[l] Galatæ pro ensibus spathas gestabant oblongas, quas à dextro latere catenis subnectebant.[m] Post quos hastati, qui hastam gessaque ferebant,qui etiam in prima fronte positi, hastis præualidis ferro munitis militabant:erant enim ferè tyrones, tunc primùm militiæ adscripti.[n] Deinde principes ordines ducebant,milites robustiores ætate,& vsu doctiores, ab hastatis per interualla diuisi.[o] Tertij vexilli triarij fuere,qui siqua maior vis ingrueret,aut durior casus,principes repelleret,compressis ordinibus,vno continẽte agmine totam aciem clauderent, laxatos languentésque ordines magnis viribus repararent. Tantíque roboris erant,vt rebus abscissis & deploratis,sæpe

ANNOTATIONES.

dixerat Herodotus lib. 7. in voto Xerxis. Porphyrion autem Parthorum, vterque pro omni gladio positum. Valerius Flaccus libr. 6. Argonauticon dicit esse gladium quo Persæ vtuntur,

Insignis manicis, insignis acinace dextra.

u *Falarica Saguntinorum.*] Liuius 3.Dec.lib.1 declarans cuiusmodi telum id erat,sic ait,Falarica erat Saguntinus, missile telum hastili oblongo & cætera tereti, præterquam ad extremum,vnde ferrum extabat : id, sicut in pilo, quadratum stuppa circunligabant,linebántque pice:ferrum autem tres in longum habebat pedes, vt cum armis transfigere corpus posset:sed id maximè,etiam si hæsisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pauorem faciebat : quòd cùm medium accensum mitteretur,conceptúmque ipso motu multò maiorem igoem ferret, arma omitti cogebat, nodúmque militem ad insequentes ictus præbebat. Virgilius lib. 9. Æneidos, Turnum falaricam iaculati manu potuisse ostendit,

Sed magnum stridens contorta falarica venit
Fulminis acta modo : quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squamma lorica fidelis & auro
Sustinuit : collapsa ruunt immania membra:
Dat tellus gemitum & clypeum superintonat ingens.

Vnde autem dicta sit falarica,& cuiusmodi fuerit, disce ex Seruio ibi, qui plura de hac machina scribit. Vide etiam Vegetium lib. 2.

x *Sagaris Persarum.*] Strabo lib.15. ad fin.Sed adde & hanc fuisse Massagetarum ex Herodoto lib. 1. ad finem.

y *Romphea Thracum.*] Liuius 1. Decad.lib. 1.Gellius lib.10. c.15.& infrà io verbo,Romphæa verò.

z *Framea Germanorum.*] Cornelius Tacitus de Moribus Germanorum, vbi describit illius formam, vt statim dicemus:& de hac quoque Iuuenalis satyra 13.

Et Martis frameam & Cyrrhei spicula vatis.

a *Et sparus rusticorum.*] Virgilius lib. 11.

Agrestesq; manus armat sparus. ———

Et ibi Seruius,Sparus,inquit,est rusticum telum in modum pedis recurnum. Et Nooius Marcellus ioter genera armorum in duobus locis, sparum enumerat. Probus autem Æmylius tradit Epaminundam à Lacedæmoniis sparo fuisse occisum.

b *Theutonicorum verò.*] Virgilius lib.7. Æneid.

Theutonico ritu soliti vibrare cateias.

Vbi Donatus,Hi omnes,inquit, imitati Theutonas, mittebant telorum species, quæ Cateiæ dicebantur. Seruius autem dicit esse tela Gallica, vnde etiam Theutonicorum ritum dixit. At Pierius scribit in Romano codice, & quibusdam aliis Catelas illic legi.

c *Erat enim hasta.*] De framea intelligit,idque est Cornelij Taciti de Moribus Germanorum, non adeò longè à princ. Rari,inquit,gladiis, aut maioribus lanceis vtuntur : hastas, vel ipsorum vocabulo, frameas gerunt angusto & breui ferro, sed ita acri & ad vsum habili, vt eodem telo, prout ratio poscit, vel comminus, vel eminus pugnent.& eques quidem scuto frameáque contentus est.

d *Romphea verò.*] Liuius 4.Dec.lib.1.Thracas,inqoit, Romphæa,ingentis & ipsæ longitudinis inter adiectos vndique ramos impediebant.

e *Tametsi Hispanicum.*] Vt facilè colligi potest ex Liuio 4: Decad.lib.8. cuius verba afferemus ibi, Inter leuis armaturæ. Idem Liuius 4. Decad. lib. 1. de gladio Hispanorum loquens, Postquam gladio Hispaniensi detroncata corpora, brachiis abscissis,aut tota ceruice desecta, diuisa à corpore capita,patentiáque viscera, & fœditatem aliam vulnerum viderunt:aduersus quæ tela, quósque viros pugnandum esset, pauidi vulgò cernebant.

f *Et Sarissam prælongam.*] Liuius 4.Dec.lib. 7.ibi,inquit,simul perturbati ordines,& impeditus intercursu suorũ vsus prælongarum hastarum (Sarissas Macedones vocant) intulere signa Romanæ legiones, & pila inter turbatos coniecère,& eiusdem Decad.lib.8. Per operculi fotamina prælongæ hastæ, quas Sarissas vocant, ad summouendos hostes prominebant. diximus suprà in verbo, Sarissa Macedonum Vegetius autem lib. 3. cap.24. dicit Sarissas esse longissimos contos.

g *Etiam sica Romanis.*] Cicero in 3. in Verrem actioне, è quibus ille maximum sicarum numerum extulit. Hincque apud Romanos Sicarij,de quibus extat apud Iurisconsultos titulus,Ad legem Corneliam de Sicariis. & Ciceronem in Oratione pro Roscio, & Suetonium in Cæsare, c. 11. Fuitque etiam sica Persarum propria ex Strabone describente Persarum mores & instituta lib. 15. ad fin. sic enim scribit, Persæ sagarim & sicas habent, circum caput pileum turritum, circum pectus thoracem squamosum. Et adde superioribus macheram fuisse peculiarem Getarum, quoi ob id Macheropbori dicti sont Thucydidi lib.2.ad fin.Atque etiã Thracum ex eodem quoque lib. 2.

h *Proditúmque memoria est,C. Marium.*] Plutarchus in vita illius.

i *Marcellus ad Nolam.*] Idem Plutarchus in vita ipsius Marcelli.

k *Cleomenes.*] Ipse Plotar. in vita ipsius.

l *Galata.*] Diodorus Siculus lib.6. c.9. scribit, Galatas pro ensibus ferreis spathas gerere oblongas,ærea catena à dextro latere pendentes. Vegetius lib. 2. cap. 16. scribit Spathas vocari gladios maiores.

m *Post quos hastati.*] Varro lib. 1. aut aliorum comput.4.de lingua Latina,Liuius 1. Decad.lib.8. Vide Ælianum de Instruendis aciebus, qui aliter hastatos videtur accipere, & quæ scripsimus suprà lib. 4.c.7.

n *Deinde Principes.*] Vide & suprà eodem lib.4.c.7.

o *Tertij vexilli triarij.*] Vide item ibi, & præterea lib.2.c.5.

p Prater

debilitatam virtutem, & fractos restituerent animos.[p] Præter hos velites, quòd vestiti, & nullis armis munitis: quò expeditiores forent,[q] inter leuis armaturæ milites locabantur,[r] quibus parmæ tripedales, breuiores quàm equestres, & iacula quaternos longa pedes, ferro præfixo, data sunt, ex celeri cursu quasi volantes dicti, prompti ad excursiones, qui ad prosequendum inclinatam semel aciem, vagos effusósque prædatores excipiendum, infestásque populationes & vastitatem inhibendum, tum ad subita belli & repentinas incursiones mirum dictu est quanto præsidio fuerint. [s] Hi enim secundo Punico ardente bello, dum Romani ad Capuam sedent, vt contra equites, quibus hostis prævalebat, repugnarent, à Fuluio Flacco proconsule primùm inuenti institutíque sunt. Quibus additi sequentibus bellis plerumque sagittarij, & [t] cohors Peligna velitaribus armis, quorum tela ad remittendum imperitis inhabilia traduntur. Rursus inter militum ordines alij descripti sunt, quibus [u] prætorianis nomen, qui iuxta ducis prætorium excubantes, honore atque ordine præstabant, hi enim præcipuo robore & virtute illustres equites, magna & firma præsidia fuere, quippe qui circa principis tabernaculum, & imperatoris latera militabant, quum nobilitate & honoribus anteirent.[x] Hos antea [y] Celeres à Romulo dictos ferunt: siquidem Romulus trecentos circa se pacis bellíque temporibus habuit expeditos, quos Celeres noncupauit: [z] qui postea Flexumines, demum Trossuli, quod oppidum Thuscorum Trossulum sine peditum opera vi cepissent, dicti sunt: [a] quos Numa dissoluit, & antiquata militia missos fecit.[b] Primus enim Tarquinius Superbus custodiam ferocissimorum circa se habuit, vt noctu penes regiam excubarent, die autem illius latera cingerent.[c] Obseruatúmque fuit, vt is summam militiæ gereret, & imperatoris vice fungeretur, qui prætoria castra & prætorianos haberet: namque omnis cura & procuratio rei militaris, desito imperio veteri, [d] penes prætorianos fuit, qui quandoque quum Romæ iuxta pomœrium castra metantur, magnarum dissensionum causam præbuere: nam per celebria vrbis loca super assumendo principe inextricabiles sæpe pugnas conserebant.[e] Ideo Tiberius Cæsar, ne per ho-

Velites. *Sagittarij & Peligna cohors additi velitibus.* *Prætoriani.* *Celeres: Flexumines. Trossuli. Imperator quis.*

ANNOTATIONES.

p *Præter hos velites.*] Liuius 3. Decad. lib. 10. Valer. Max. lib. 2. cap. 2. de institutis antiquis. Ælianus vbi suprà. Et de his quoque idem Liuius 4. Decad. lib. 4. & 6. Cicero de Claris oratoribus. Ouid. in Ibim, Vegetius lib. 3. c. 16. & 24. Nonius Marcellus de Genere armorum paolò post princ.

q *Inter leuis armaturæ milites locabantur.*] Liuius 5. Decad. lib. 2. paolò ante fin. Ipse velitibus ad firmanda leuium armorum auxilia adiectis, ad tumulum præcedit.

r *Quibus parmæ tripedales.*] Liuius 4. Dec. lib. 8. vbi de his loquens ait, Hic miles tripedalem parmam habet, & in dextra hastas, quibus eminus vtitur: gladio Hispaniensi est cinctus, quòd si pede collato pugnandum est, translatis in læuam hastis, stringit gladium.

s *Hi enim secundo Punico.*] Valer. Maximus lib. 2. c. 1. de Institutis antiquis. Ex quo intelliges, hos non à Fuluio Flacco Imperatore, non Proconsule, inuentos, sed à Q. Neuio vno ex eius Centurionibus.

t *Et cohors Peligna.*] De qua Liuius 3. Decad. lib. 5. Et de ea quoque diximus suprà lib. 1. c. 6.

u *Prætorianis nomen.*] De quibus Plinius lib. 6. c. 29. Corn. Tacitus lib. 17. non semel. Suetonius in Tiberio, c. 37. & in Galba, c. 16.

x *Hos.*] Id est velites, vt patet, & seq.

y *Celeres à Romulo dictos.*] Dionysius Halicarnasseus lib. 2. Senatu deinde, inquit, ex centum senioribus constituto, videns quòd iuuenum quoque sibi opus esset aliqua manu ad tutelam corporis, & quorum in rebus vrgentibus vteretur ministeriis, 300. robustissimos ex nobilissimis familiis delectos circa se habuit, commendatos curiarum suffragiis, quemadmodum Senatores anteà, denos per singulas curias. His in vniuersum fuit nomen, sic vt & nunc Celeres: vt plerique tradunt à celeritate ministerij iuxta rationem Romani vocabuli. Liuius 1. Dec. lib. 1. Trecentósque armatos ad custodiam corporis, quos Celeres appellauit, non in bello solùm, sed etiam in pace habuit. Plutarchus in Romulo & in Numa Pompilio. Seruius in eum locum Virgil. libr. 9.

Tercentum scutati equites, Volscente magistro.

Et iterum lib. 11. in eum locum,

Necnon Messapus contrà celeresque Latini.

Alludit, inquit, ad militiam Romanam: namque & equites habuit Romulus, vt illo diximus loco,

Tercentum scutati equites. ——

Quos Celeres appellauit, vel à celeritate, vel à duce Celere, qui dicitur Remum occidisse: in cuius gratiæ vicem, à Romulo fieri Tribunus equitum meruit, & Tribunus Celerum appellatus est. Et Festus Pompeius lib. 3. Vide Plutarch. in Rom.

z *Qui posteà Flexumines, demum Trossuli.*] De his duobus Plinius lib. 33. c. 2. Quinetiam ipsum equitum nomen sæpe variatum est, in his quoque, qui ad equitatum trahebantur, Celeres sub Romulo regibúsque appellati sunt, deinde Flexumines: posteà Trossuli, cùm oppidũ in Thuscis citra Volscinios passuum 9. M. sine vllo peditum adiumento cepissent eius vocabuli. Idque durauit vltra C. Gracchum. Iunius certè, qui ab amicitia eius Gracchanus appellatus est, scriptum reliquit his verbis, Quod ad equestrem ordinem attinet, anteà Trossulos vocabant, nunc equites vocant: ideo quia non intelligunt Trossulos nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari: & causam, quæ suprà indicata est, exponit, inuitósque etiamnum tamen Trossulos vocari. Hactenus Plinius. Et præterea de Trossulis Persius satyra prima, vt nonnulli intelligunt,

—— Vnde istud dedecus, in quo
Trossulus exultat tibi per subsellia leuis?

Quamuis alij aliter intelligant. Festus autem Pompeius lib. 18. Trossuli, inquit, equites dicti, quòd oppidum Thuscorum Trossulum sine opera peditum ceperint. Aliter Nonius Marcellus, qui Trossulos dictos putant, quasi torosulos, hoc est, bene habitos, & musculorum toris prænalidos: citátque testimonium Varronis ex Sesquiulysse, Nunc emunt, Trossuli, nardo nitidi, vulgò Attico talento equum.

a *Quos Numa dissoluit.*] Dionysius Halicarn. lib. 2. Plutarchus in vita Numæ.

b *Primus enim Tarquinius Superbus.*] Liuius 1. Decad. lib. 1. Dionysius Halicarnasseus lib. 4. Primùm, inquit, satellitio se stipauit audacissimorum hominum, gladios & lanceas gestantium, exterorum & ciuium: qui noctu excubantes circa regiam, interdiu comitantes eum per vias, tutum reddebant ab insidiis. Sed adde quòd apud exteros Periander Corinthius primus armatis circumseptus incessit, authore Laërtio in vita illius.

c *Obseruatúmque fuit.*] Hoc ex sequentibus Intelligitur.

d *Penes Prætorianos fuit.*] Et id quoque ex sequentibus.

e *Ideo Tiberius Cæsar.*] Suetonius in vita illius cap. 37. Romæ, inquit, castra constituit, quibus Prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & per hospitia dispersæ continerentur.

ſpiria diſperſi, populares tumultus ferrent, extra frequentia vrbis prætorianis loca dedit.[f] Denique in tantum viribus proceſſere, vt quem vellent, ad ſpem imperij impellerent, & in principem aſſumerent, [g] aſſumptúmque mox deturbarent, eſſentque arbitri totius imperij & moderatores, qui etiam ſpeculatorum ordinem habebant promptiſſimorum, qui circa ducis latera excubabant: [h] vnde magni ſæpe duces adiumenta ſumpſere: [i] quippe Africanus primus fortiſſimum quemque delegit, qui ab eo non diſcederent, & cætero belli munere vacarent. Sequuti deinde conſules,[k] & demum Cæſares, cohortes circa latera, veluti firma & valida præſidia habuerunt. In vrbe quoque ex præfectura Rheatina delecti milites ad latera conſulum excubantes, ſæpe reipub. operam nauarunt. Manus quoque equitum Romanorum armata, præſidij cauſa ſenatui plerúmque affuit. Cato quoque promptos circa ſe Firmianos habuiſſe fertur. Fuitque moris populi Romani, ſociali fide & fœdere iunctis, quos reges appellauiſſet, turmam equitum Romanorum honoris cauſa, & militarem cuſtodiam velut præſidium impartiri. [l] Reges quoque Aſiæ, militum cohortes & robora virorum habuere, quos Argyraſpidas à genere armorum nuncuparunt.[m] Lacedæmoniorum reges generoſiſſimos iuuenes trecentos habuere cuſtodes. [n] Athenienſes ſacram cohortem, [o] quæ ex ſe inuicem amantibus conſtabat: [p] quæ etiam apud Thebanos fuit. Alexander Macedo clypeatos, [q] & Perſarum mille ſatellites excubitores adſciuit.[r] Macedonum quoque reges obſeruarunt nobilium liberos habere, qui noctu ſeruatis vicibus, pro foribus vbi rex quieſcebat, excubarent.[ſ] Alexander Epiri docentos Lucanorum exules habuit expeditos.[t] Aratus verò ad corporis cuſtodiam delectos milites accepiſſe fertur.[u] Piſiſtratus Corynephoros.[x] Marius ſatellites, quos vocauit Præcipites.[y] Et Sulpitius tribunus, Marij tempore, manum equitum iuniorum cuſtodes aduocauit.[z] Cúmque ſymbola in caſtris ab Antigono de nece Eumenis darentur, Macedones mille milites expeditos ad ipſius cuſtodiam dederunt.[a] Dionyſius præualidis ſeruis latera muniuit, &

Cohortes circa latera conſulum & Cæſarũ. Fœdere Ro. iuncti. Reges Aſiæ. Argyraſpides. Lacedemony. reges. Athenienſes. Thebani. Macedones. Corynephori. Præcipites.

ANNOTATIONES.

f *Denique in tantum viribus proceſſere.*] Scilicet Prætoriani milites, vt videre licet ex Suetonio in Galba, c. 16. Ælio Spartiano in Didio Iuliano, Ioſepho loquente de Claudio ad imperium aſſumpto lib. 19. Antiquitatum Iudaicarum, cap. 2. & 3. & lib. 20. c. 5. vbi de Nerone.

g *Aſſumptumqué mox deturbarent.*] Ex eodem loco Suetonij.

h *Vnde magni Duces.*] Vt ex ſequentib. patet.

i *Quippe Africanus.*] Liuius 3. Dec. lib. 9. ſtatim in fronte, Scipio, inquit, poſteaquam in Siciliam venit, voluntarios milites ordinauit, centuriauítque ex iis trecentos iuuenes florentes ætate, & virium robore inſignes circa ſe habebat, ignorantes quem ad vſum neque centuriati, neque armati ſeruarentur. Sed non eò fecit, vt eſſent ſui corporis cuſtodes, ſed aliò ſpectabant, vt poſteà declarat. Feſtus Pompeius lib. 16. vbi de Prætoria cohorte, Scipio, ait, Africanus primus fortiſſimum quenque delegit, qui ab eo in bello non diſcederent, & cætero munere militiæ vacarent, & ſexquiplex ſtipendium acciperent. Ex quo loco id haud dubiè accepit Alexander.

k *Et demum Cæſares.*] Herodianus lib. 2. vbi de Pertinace, Id verò vrbanæ cohortes Imperatorum cuſtodiæ adhibitæ grauiter moleſtéque ferebant. Idem eodem libro in Oratione Pertinacis, Vos autem Principis curæ cuſtodiæque, & propulſandis aliunde periculis adhibitos, &c.

l *Reges quoque Aſiæ.*] Liuius 4. Decad. lib 7. loquens de Antiocho Rege Aſiæ, Ab eadem, inquit, parte pauinium prodocto cornu regia cohors erat: Argyraſpides à genere armorum appellabantur.

m *Lacedæmoniorum Reges.*] Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. Herodot. verò lib. 6. dicit centum.

n *Athenienſes ſacram cohortem.*] Sed & erant Macedonibus ſacræ alæ apud Liuium Decad. 5. l. 2. Medius omnium Rex (de Perſeo Macedonum Rege loquitur) erat: circa eum agema quod vocant, equitúmque ſacræ alæ. Et lib. 4. non adeo procul à fi. Princeps fugæ Rex ipſe erat, iam à Pydna cum ſacris alis equitum Pellam petebat.

o *Quæ ex ſe inuicem amantibus conſtabat.*] Vt erat Alexandro Magno cohors amicorum apud Arrianum de Geſtis ipſius Alexandri libr. 1. non ſemel, & poſtremo loco eam quoque regiam appellat. Et lib. 2. vbi duas amicorum turmas fuiſſe dicit, quarum altera Anthebuſia, altera Lagæa vocabantur.

p *Quæ etiam apud Thebanos fuit.*] Scilicet ſacra cohors ex Plutarcho in Alexandro. Et apud hos quoque erat Sacrum præſidium ex eodem Plutarcho in Pelopida, niſi idem ſit quod ſacra illa cohors.

q *Et Perſarum mille ſatellites.*] Iuſtinus de eo loquens libr. 12. Nunc quoque, ait, cuſtodiam corporis ſui non Macedonibus tantùm ſe, verùm etiam illis (de Perſis loquitur) creditorum. Atque ita mille ex his iuuenes in numerum ſatellitum legit: auxiliorum quoque portionem armatam in diſciplinam Macedonum exercitui ſuo miſcet. Q. Curtius lib. 10. ſcribit Alexandrum Perſis corporis ſui cuſtodiam crediddiſſe, Perſas ſatellites, Perſas apparitores feciſſe, quod & ipſum tradit Plutarchus in vita illius. At Arrianus lib. 6. Geſtorum ipſius Alexandri prodit eum aliquando ſeptem ſui corporis cuſtodes habuiſſe, quos Somatophylacas verbo Græco appellabant.

r *Macedonum quoque reges.*] Curtius in vniuerſum loquens de his Macedonum regibus lib. 8. Ælianus (priuatim loquens de Philippo) Variæ hiſtoriæ lib. 14. in fi. Erat & his regibus cohors regia, quæ ſcilicet ad cuſtodiam corporis delecta erat, apud Liuium 3 Decad. lib. 8. poſt princ. vbi loquens de Philippo illo poſtremo eius nominis Macedonum, Ibi exercitum omni derelicto cum cognorte regia Demetriadem ſeſe recepit. Idem autem 5. Decad. lib. 6. dicit eam cohortem regiam Nicanoris appellatam.

ſ *Alexander Epiri.*] Liuius 1. Dec. lib. 8.

t *Aratus.*] Plutarchus in vita illius.

u *Piſiſtratus Corynephorus.*] Plutarchus in Solone. Ea autem vox ſignificat Latinè clauigerum, ſiue claua pugnantem.

x *Marius.*] Vnde id Alexander accepit neſcio, niſi ex eo quòd Plutarchus in vita illius appellat Ludium quendam præcipitem, quem ſibi ipſe Marius in ſeptimo Conſulatu aſciuit. Alibi autem ipſius ſatellites Bardæos non ſemel vocauit, quos ex ſeruis ſibi delegerat.

y *Et Sulpitius Tribunus.*] Plutarc. in Mario.

z *Cúmque ſymbola.*] Plutarchus in vita Eumenis.

a *Dionyſius.*] Val. Maximus lib. 9. cap. 14. Age, Dionyſius Syracuſanorum tyrannus, huiuſce tormenti quàm longa fabula, qui duo de quadraginta annorum dominationem in hunc modum peregit, Summotis amicis, in eorum locum ferociſſimarum gentium homines, & ex familiis locupletum electos, præualidos ſeruos, quibus latera ſua committeret, ſubſtituit. Cicero autem lib 5. Tuſculanarum quæſtionum ſcribit illum iis quos ex familiis locupletum ſeruos delegerat, quibus nomen ſeruituris ipſe detraxerat, & quibuſdam conuenis & feris barbaris corporis cuſtodiam commiſiſſe.

efferis barbaris commisit custodiam, [b] quos quum dimitti Plato suasisset, penè in discrimen vitæ & dissidium venit. [c] Petreius beneficiariis & cetratis stipatus fuit. [d] Apud Persas turmæ immortalium, quæ ex decem millibus constabant, ad extremos seruabantur casus, [e] qui aureos torques, & manicatas tunicas habuere distinctas auro, ex quibus mille selectis. [f] Melophoris dixere nomen: donec Theodosio imperante ab Ardaburio & nomen & genus immortalium desiere: quorum instar ordo equitum apud Gallos fuit, quem Thymocresiam, [g] Græci somatophylacas vocant. [h] Cyrus custodes corporis eunuchos habuit, quo magis in officio essent, eos præter illecebras voluptatum, firmissimum præsidium ratus, [i] Indi verò reges, peruigiles mulieres habuere excubantes. [k] Masinissa parũ hominibus credens, salutem suam canibus vallauit. [l] Iulius autem Cæsar, omissis excubiis, custodes corporis nullos admisit, satius arbitratus, semel morti succumbere, quàm metu assiduo detineri, [m] Augustus Calaguritanorum & Germanorum manum aduocauit: sicut [n] Tiberius Germanos, [o] & Galba euocatos. [p] Caius autem Caligula Batauos. [q] Antoninus etiam Germanos equites acciuit. [r] Traianus quoque sine stipatoribus aut militari custodia perdiu vixit. Fuitque literis proditum, excubias militares & corporis custodes, non Cæsaribus modò, [s] sed Augustis mulieribus, vt matri & coniugi imperatoris, olim apparuisse. [t] Secundi

Beneficiarij. Cetrati. Turma immortalium. Melophori. Thymocresia. Somatophylaces. Cyrus. Indi Reges. Masinissa. Iulius. Augustus. Tiberius. Galba. Caligula. Traianus Antoninus.

ANNOTATIONES.

b *Quos cùm dimitti Plato suasisset.*] Laërtius in illius vita lib. 5. non de satellitiu loquutum ait, sed cum de tyrannide dissereret, eamque vituperaret, dicente Dionysio, Verba tua otiosorum senum sunt, Platoneque respondente, Et tua tyrannidem sapiunt: ob id iratum Dionysium de Platone trucidando cogitasse refert.

c *Petreius.*] Cæsar libr. 1. Belli ciuilis: Petreius verò non deserit sese, armat familiam: cum hac & prætoria cohorte Cetratorum, barbarísque equitibus paucis, beneficiariis suis, quos suæ custodiæ causa habere consueuerat, improuiso ad vallum aduolat. Et de his beneficiariis militibus Plinius Iunior Epistularum lib. 10. epist. 281. incip. Gabius Bassus, cuius hæc sunt verba, Quantum perspicere potui, vir egregius & indulgentia tua dignus: cui ego notum feci præcepisse te, vt ex cohortibus, quibus me præesse voluisti, contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, Centurione vno. Et Vegetius lib. 3.

d *Apud Persas.*] Herodotus lib. 7. & 8. Et de his quoque Diodorus Sicolus lib. 11. Athenæus lib. 12. c. 3. Persarum luxum describens, sic scribit, Regem mulieres trecentæ insuper obseruant, quemadmodum testatur Heraclydes Cumæus lib. 1. Rerum Persicarum, quæ die quidem dormiunt. vt postea pernoctent, atque per noctem canunt lychnis accensis, & cytharam pulsant. Vtitur illis rex sæpius prope aulam Maliferorum (erant autem hi satellites, genere quidem Persæ omnes, qui autea mala in hastis gestabant, mille numero: qui etiam optimi ex decem millibus Persarum Asiatorum vocatorum eligebantur) ac pedes per horum aulam incedebat Sardiacis tenuibus tapetibus suppositis, super quibus nulli, præterquam regi, incedere licebat.

e *Qui aureos torques.*] Herodotus vbi suprà.

f *Melophoris.*] De quibus Ælianus Variæ historiæ lib. 9. c. 3. vbi de Alexandro. Et Arrianus lib. 7. de gestis Alexandri ad fi. Quamobrem is mihi videtur Macedonum ordinibus Persas Melophoros inseruisse: equitibus verò qui pari cum iis honore essent. Melphori, id est, gestantes in spiculis mala, vt est apud Herodotum.

g *Græci Somatophylacas.*] Diximus suprà ex Arriano in verbo, Et Persarum mille satellites.

h *Cyrus.*] Xenophon Pediæ lib. 7. Herodotus idem dicit de Smerde Cyris imperante, lib. 3.

i *Indi verò reges.*] Strabo lib. 15. Et vide Philostratum in vita Apollonij lib. 2. c. 11. vbi scribit in regia Phraotis Indorum regis nullus custodes fuisse, nullos satellites: sed velut in clarorum virorum domibus paucos familiares tres aut ad summum quatuor homines.

k *Masinissa.*] Val. Maximus lib. 9. c. 14.

l *Iulius autem Cæsar.*] Plutarch. in vita illius.

m *Augustus.*] Suetonius in vita illius c. 49. Ex militaribus copiis certum numerum partim in vrbis, partim in sui custodiam allegit: dimissa Calaguritanorum manu, quam vsque ad deuictum Antonium, item Germanorum, quam vsque ad cladem Varianam inter armigeros circa se habuerat.

n *Tiberius Germanos.*] Cor. Tacitus lib. 1.

o *Et Galba.*] Suetonius in vita illius, cap. 10. Et de his quoque inferius dicetur.

p *Caius autem Caligula Batauos.*] Suetonius in vita illius, cap. 43. Adde & Germanos ex eodem c. 45. & 58.

q *Antoninus.*] Scilicet Bassianus Seueri filius, ex Herodiano lib. 4. Cæterùm, inquit, Germanos sibi omnes adiunxit, atque in amicitiam conciliauit, sic vt ex his socios bellorum, & custodes corporis validissimum quemque & pulcherrimum sibi adsciueris.

r *Traianus.*] Dion in vita illius, Sic dilectus, inquit, & charus ciuibus, hosti duntaxat formidabilis, venationes præterea, conuiuia, seria, & iocos, frequenter cum amicis ac familiaribus exercebat. In quorum domos sæpius vix quatuor comitantibus, etiam sine satellite diuertebat: & familiarius cum his recumbens quiescebat.

s *Sed Augustis mulieribus.*] Cornelius Tacitus libr. 13 de Agrippina, Neronis matre, loquens, Sed adde præcedentibus triginta Atheniensium Tyrannos, qui se rectores nuncupabant, tria millia satellitum sibi statuisse, teste Iustino lib. 5. Antipatrum, vnum ex Alexandri successoribus, Thraces satellites habuisse ex Plutarcho in vita Demosthenis. Oroetem, Sardibus à Cyro præfectum, mille Persarum satellitibus doriphoris, id est, hastatis, siue hastas ferentibus, stipatum fuisse apud Herodotum li. 3. Artauasdem, Armeniorum Regem, sex millia lectorum equitum circa se, custodiæ tantùm causa, semper tenuisse, apud Plutarchum in Crasso. Surenam, Parthum potentissimum, mille cataphractos equites & totidem leuiter armatos, custodiendi corporis gratia, circa se continuè detinuisse, apud eundem Plutarchum in ipso Crasso. Et Iubam Regem duo millia Hispanorum & Gallorum equitum, suæ custodiæ causa, circum se habere consuesse, apud Cæsarem lib. 2. belli Ciuilis. Aristodemum Cumanum cognomento Malacam, tyrannum, satellitium ex vinctis noctis solutis & damnatis capitis, quorum magnus erat numerus, armatisque vnà cum amicis aliis, in quibus erant Hetrusci captiui iuuenes, circa se constituisse, ex Dionys. Halicarn. libr. 7. Adde prætereà Mithridatem Ponticum Regem, qui cùm somnum caperet, sui corporis custodiam non modò armis & satellitibus excubitoribus committebat, sed & tauro & equo & ceruo, quos mansuefactos habebat. Ij enim ad custodiam eius dormientis aduigilantes, si quis accederet, illius sensum ex ipsa respiratione, quam mox percipiebat, atque ille mugitu, alter hinnitu, alius sua propria voce, eum è somno excitabant. Author Ælianus lib. 4. c. 4.

t *Secundi ordinis.*] De vexillaribus cohortibus Cornelius Tacitus lib. 18. Dextra fronte prima legio incessit, cum duabus vexillaribus cohortibus, & quingentis equitibus. Liuius autem 4. Decad. lib. 5. Vexillarios vocat. Inferre vexillarios iussit signa. Alibi idem vexillarium posuisse videtur, pro antesignano 1. Decad. lib. 8. Ordo sexagenos milites, duos Centuriones, vexillarium vnum habebat, vti etiam Corn.

Tacitus

Vexillarij cohortes. Legionarij. Cataphracti. Cataphractorum arma.

ordinis cohortium vrbanarum milites ex Romanis frequenter adscripti sunt, ex quibus vexillares cohortes delegere. [u]Tertij legionarij, qui legionibus adscripti militabant, qui tam ex ciuibus quàm Latini nominis, & fœdere iunctis ciuitatibus sacramento adsciti erant: quóque facilius dignoscerentur, diuersa habuere insignia: [x]namque aliis prætoriani, aliis legionarij, atque vrbanarum cohortium milites vtebantur insigniis. [y] Præter quos fuere cataphracti loricati equites, [z] ferro muniti, & fulti grauioribus armis, qui stabili gradu congredi, & vim excipere solebant: quibus arma erant, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære, hasta & gladius: cassides verò & thoraces peditibus similes. Hæc enim præ reliquis fortis & inuicta acies, tanto robore munimentóque fuisse traditur, vt trepidam diffidentemque aciem plerumque repararit. Erat enim manus hæc validissima, præq; cæteris terrori hostibus & formidini, ab hísque gentes sæpius subactæ fuerunt & domitæ: quibus & equis operimẽta fuere lintea, quæ ferreis laminis instar plumæ nectebantur, profectò munimentum contra omne telum insuperabile: [a] quæ tanti fuere, vt eas Hiphicrates cum æneis cõmutarit, illásque Atheniẽsibus dederit. Priscis verò seculis perpauci linteis thoracibus ([b] Homero teste) depugnarunt. Maximæ verò firmitatis celebratur [c] thorax ille linteus Amasis Ægyptij regis, cuius singula fila trecentis sexaginta aliis constabãt, in quo ex auro & lana versicolore, diuersis animalium figuris inscriptæ eius venationes erant. [d] Nonnunquam equites galeis & clypeis ferro coruscantibus, in equis insidentes pariter ferro æreque muniti, in acies prodiebant: qui licet multimodis munirentur armis, suras tamen & femora nuda armis habebant, quò expeditiores pedibus forent, [e] quos statarios vocatos ferunt, quippe graue agmen, qui nisi firma manu & lento gressu prodibant in aciem. [f] Galli crupellarios vocarunt: quibus continuum tegmen erat ictibus impenetrabile. [g] Persæ clibanarios: [h] quod erat proprium Sarmatarũ, ferreis laminis, aut præduro corio

Thorax Amasis regis.

Statarij. Crupellarij. Clibanarij.

ANNOTATIONES.

Tacitus lib. 17. Viso comminus armatorum agmine, vexillarius comitantis Galbam cohortis, dereptam Galbæ imaginem solo afflixit.

Tertij legionarij.] Nam & hinc Iulius Carua miles legionarius Cornelio Tacito d. lib. 17. Et de his quoque infrà.

x *Namque aliis.*] Cor. Tacitus d. lib. 17.

y *Præter quos fuere Cataphracti.*] Liuius 4. Decad. lib. 5. non multò ante fi. Equitum innumerabilem vim traiici Hellesponto in Europam, partim loricatos, quos Cataphractos vocant. Et lib. 7. His tria millia peditum loricatorum (Cataphractos ipsi appellant) adiunxit. Ex quibus intelligis, non solùm equites, sed & pedites loricatos Cataphractos dici. Aliter autem Ælianus de Instruendis aciebus. Trebellius autem Pollio in vita Claudij Secundi, hos Cataphractarios vocat, Huic ex regione Dardania dabis milites ducentos, ex Cataphractariis centum. Atque etiam Lampridius in Alexandro Seuero, Cataphractarios, quos illi Clinabarios vocant. decem millia in bello interemimus. Cæterùm Thucydides lib. 1. belli Peloponnesiaci non adeò longè à princ. Belli Peloponnesiaci meminit Cataphractarum nauium, id est, constratarum, siue tectarum. Vti & Polybius lib. 6. vbi de militari Romanor. disciplina.

z *Ferro muniti.*] Seruius lib. 11. Æneidos in eum locum.

Spumantemqué agitabat equum, quem pellis ahenis.
In plumam squamis, auro conserta tegebat.

Cataphracti, inquit, equites dicuntur, qui & ipsi muniti ferro sunt, & equos similiter munitos habent: de quibus Salustius, Equis paria operimenta erant, quæ, lintea ferreis laminis in modum plumæ aduexerant. Quod & probat illud eiusdem Sallustij lib. Historiarum apud Nonium Marcellum de Genere armorum, Qui prægrediebantur equites Cataphracti ferrea omni specie.

a *Quæ tanti fuere, vt eas Hiphicrates.*] Paulus Æmylius in vita illius.

b *Homero teste.*] Libro secundo Iliados in Catalogo post princ. de Aiace Locrensi,

ἀλλὰ πολὺ μείων, ὀλίγος μὲν ἔην λινοθώρηξ.

Id est,

Sed multò minor: paruus enim erat lineum thoracem habens.

Rursumque ibi paulò ante fi. de Amphio,

τῶν ἦρχ' Ἄδρηστός τε, καὶ Ἄμφιος λινοθώρηξ.

Id est,

His imperabat Adrastusque & Amphius linithorax.

Quod & ex eo annotauit Plinius lib. 19. c. 1. ad fi. cuius hæc verba sunt, Thoracibus lineis paucos tamen pugnasse testis est Homerus. Sed & apud Xenophontem in Pædia Cyri lib. 6. Abradatas Rex Susorum induebatur thorace linteo more patrio. Apud eundem in expeditione Cyri Minoris lib. 4. Calybes linteis loricis ad imum vsque ventrem muniebantur: pro plumulis, arctè contortis sparteis funiculis vtebantur. Plutarchus in vita Alexandri tradit illum aliquando thoraca duplicem induisse, quem thoracem ex Issi spoliis acceperat. Sed & de huiusmodi thoracibus lineis Liuius 1. Decad. lib. 4. Et Pausanias lib. 1. qui de Atticis est, vbi de Sarmatis siue Nomadibus, id est, vagis pastoribus, loquitur.

c *Thorax ille linteus Amasis.*] Herodotus libr. 3. & Plinius lib. 19. cap. 1. Mirentur hoc, ignorantes in Ægyptij quondam Regis, quem Amasim vocant, thorace in Rhodiorum insula ostendi in templo Mineruæ 365. filis singula fila constare.

d *Nonnunquam equites.*] Vide Polybium lib. 6. vbi de militari Ro. disciplina.

e *Quos Statarios.*] De quibus Liuius 1. Dec. lib. 9. Statarius, inquit, vterque miles ordines seruans.

f *Galli crupellarios vocarunt.*] Corn. Tacitus lib. 3. de Gallis loquens, Cæteri, inquit, cum venabulis & cultris, quæque alia venantibus tela sunt, adduntur è seruitiis gladiaturæ destinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen (crupellarios vocant) inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles.

g *Persæ Clibanarios.*] Ammianus Marcellinus lib. 16. pompam Constantij in introitu vrbis Romæ describens, sic scribit, Et incedebat hincinde ordo geminus armatorum, clypeatus atque cristatus, corusco lumine radians, nitidis loricis indutus, sparsique cataphracti equites, quos Clibanarios dictitant Persæ, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, vt Praxitelis manu polita crederes simulachra non viros. Lampridius in Alexandro Seuero, cuius verba suprà adduximus in verbo, Præter quos fuere Cataphracti.

h *Quod erat proprium Sarmatarum.*] Corn. Tacitus lib. 17. Sarmatarum armaturam scribens, ait, Namque dictu mirum, vt sit omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipsos: nihil ad pedestrem pugnam tam ignauum: vbi per turmas aduenere, vix vlla acies obstiterit. id principibus, & nobilissimo cuique tegmen, ferreis laminis, aut præduro corio consertum, vt aduersus ictus impenetrabile, ita impetu hostium prouolutis inhabile ad resurgendum. Aliter tamen eos armatos tradit Pausanias lib. 1. Equis, inquit, non ad belli munia solùm vtuntur: sed ex eodem pecore & hostias diis cædunt, & sibi cibum comparant. Vngulas vbi legerint perpurgatas, ac dissectas ad similitudinem squamarum draconis expoliunt.

conserto muniri: qui quum turmis instructi vadunt, mirum dictu quanti roboris quantæque formidinis sint. Illorum vero pedestri pugna nihil ignauius. Græcis quoque dissimiles equitum fuere species: nam quidam [i] hippotoxotæ dicti. alij [k] sceuophori, [l] plerique Iphicratenses summæ laudis, [m] sicut apud Romanos Fabiani: [n] alij Dimachæ grauioribus armis, qui quũ opus est, pedestres fiunt acies: [o] nonnulli hippagogi: [p] multi amphippi, qui equis duobus merebant. Vltra quos in Romanis castris, [q] Accensi stipendia fecere, qui demortuorum locum suffecti conptative fuerant, quasi ad censum adiecti qui & adscriptitij, quòd supplentes numerum militum, legionibus adscribebantur. [r] Fuitque nomen ordinis militaris, sicut principes, cõmentarienses, vel cornicularij. Inter leuis verò armaturæ milites, [s] ferentarij

Equitum Græcorũ species. Hippotoxotæ. Scenophori. Iphicratenses. Fabiani. Dimachæ. Hippagogi. Amphippi. Accensi seu adscriptitij. Principes. Commentarienses. Cornicularij. Ferentarij.

ANNOTATIONES.

expollont. Quod si quis diaconem non viderit, haud errârit, si opus illud vngulis consertum pineæ nucis adhuc viridis torulis simile esse putarit. Has itaque squamulas perforant, & equinis, vel bubulis neruulis consuunt, inde sibi loricas concinnant: quæ neque elegantia, neque firmitate loricis Græcorum inferiores sunt. Eæ namque tum cominus, tum eminus percussæ, ictos sostinent. Nam linteæ loricæ, haudquaquam pugnantibus vtiles, quod ferro vehementius immissu peruiæ sunt, sed venatoribus certo præsidio sunt.

i *Hippotoxotæ.*] Apud Herodotum lib. 9. Thucydidem lib. 2. Cæsarem lib. 3. belli Ciuilis non multò post princ. Docenti ex Syria à Comageno Antiocho, cui magna præmia Pompeius tribuit, missi erant, in his plerique Hippotoxotæ. Hirtium in bello Africo. Pollucem Onomasticôn lib. 1. c. 10. ἀπὸ σκευῶν πολεμικῶν καὶ ὁπλιτῶν. Hi autem ita dicuntur, quasi dicas, Equites sagittarij.

k *Alij scenophori.*] Pollux vbi nuper.

l *Plerique Iphicratenses.*] Vide in seq. annotat.

m *Sicut apud Romanos Fabiani.*] Probos Æmylius in vita Hiphicratis, Quem quidem, inquit, sic omni disciplina militari erudiuit, vt quemadmodum quondam Fabiani milites, Romani milites appellati sunt: sic Hiphicratenses apud Græcos in summa laude fuerunt.

n *Alij Dimachæ.*] Pollux vbi item suprà proximè citauimus, vbi dicit eos ab Alexandro inuentos. Et Q. Curtius lib. 5 in vita Alexandri Magni: vbi illos non Dimachas, sed Dimichas vocat, nisi mendom sit; sic enim scribit, Itaque delectis equitum sex millibus, trecentos, quos Dimichas appellant, adiungit: dorso hi grauiora onera portabant, cæterùm equis vehebantur: cùm res & locos posceret pedestris acies erat. Ita autem dicebantur à duplici genere pugnæ & equestris & pedestris, vt declarat Iulius Pollux vbi suprà. Dimacharum meminit Cælius Rhodiginus Lectionum antiquarum, lib. 21. c. 31. in princ.

o *Nonnulli Hippagogi.*] Iulius Pollux vbi suprà, Equitum species recensens ita scribit, Hippotoxotæ, doratophori, contophori, hypaspistæ, sceuophori, Hippagogi, anippi. Verùm apud Herodotum lib. 6. & iterum 7. & Liuium 5. Dec. lib. 4. Hippagogi sont quædam nauium species, quæ scilicet equos vehunt, nam & hoc nomen indicat. Liuij verba hæc sunt, Fortè postero die quàm Subota classis tenuit, quinque & triginta naues, quas Hippagogas vocant, ab Elea profectæ, cum equitibus Gallis equisque Phanias promuntorium Chiorum petebant.

p *Multi Amphippi.*] Pollux ibi post Hippagogi continuò hæc subdit, ἄνιπποι δύο δ' ἔχων τινες ἵππους, καὶ ὁ ἕτερος, στερόμενος ἑκατέρου, &c. id est, anippi. hi verò duos habebant equos, alter ab altero trahebatur: ita demum exercitatis militibus, vt in alterum nullo negotio transilire possent. Et forte illic legendum non ἄνιπποι, sed ἀμφίπποι, vt hic noster author loquutur. Quanquàm scio Herodotum lib. 1. scripsisse Massagetas esse ἱππότας καὶ ἀνίππους. id est, ex equis præliari. Et de Ampbippis bis Ælianus quoque de Instruendis aciebus, quo loco de Antistomo phalange differit. Et Suidas vbi de vocabulis rei militaris. Vide Rhodiginum libro 21. cap. 30.

q *Accensi.*] Festus Pompeius lib. 1. Accensi, ait, dicebantur, qui in locum mortuorum militum subitu subrogabantur: dicti ita, quia ad censum adiiciebantur. Alibi quoque eod. libro, Ascriptitij veluti quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur. Hos & Accensos dicebant, quòd ad legionum censum essent adscripti. Vegetius lib. 2. c. 19. Ad obsequia Iudicum, vel Tribunorum, necnon etiam principalium deputabantur milites, qui vocabantur Accensi, hoc est, postea additi, quàm fuisset legio completa, quos nunc Supernumerarios vocant. Sed & tu vide tandem lib. 3. c. 14. & Varronem lib. 2. aut aliorum computatione 5. linguæ Latinæ non longè à fine, & iterum lib. 6. & Nonium Marcellum: Et quæ alibi dixi de Accensi alia significatione, & quæ dicam in sequentib. Vide præterea Budæum in posterioribus annotationibus, vbi de Optione.

r *Fuitque nomen ordinis.*] Hæc sunt ex Asconio Pædiano in 3. in Verrem actio. cuius hæc eadem verba sunt, Accensus nomen est ordinis & promotionis in militia, vt nunc dicitur Princeps, vel Commentariensis, aut Cornicularius. Hæc enim nomina de legionaria militia sumpta sunt. Sed & de Principibus Varro lib. 1. aut aliorum comput. L. Principes, inquit, qui principiò gladiis, & post commutata re militari minus illustres sunt. De duobus alteris Iul. Firmicus lib. 3. c. 31. Erunt Cornicularij, Commentarienses, Clauicularij. De Commentariensibus quoque, sed in aliis significationibus Paulus in l. in fraudem. §. à debitore, versic. quotiens apud. ff. de iure fisci. vbi Commentariensis, vt scribit Accursius, pro eo, cui sunt acta commissa, accipitur. Aliter autem ponitur in l. ad Commentariensem C. de custodia reorum, vbi pro principe carceris accipitur. Sed & de Corniculario Valer. Maximus lib. 6. c. 1. de Pudicitia, vbi de Trib. plebis. Iulius Frontinus Strategematôn lib. 3. Suetonius in Domitiano, c. 17. Vegetius lib. 2. de Re militari, c. 24. Qui, inquit, sub vno corniculo militabant Centurio, & sui milites ambo cornicularij dicebantur. Symmachus lib. 1. Epistolarum ad Theodosium, Prætorianus vrbanarum cohortium miles ad Corniculariorum gradum inculpati laboris diuturnitate promotus. Et leges nostræ scilicet in l. sacris scriniis 2. C. de proximis sacrorum scriniorum lib. 2. & ibi vide Alciatum.

s *Ferentarij.*] Nonius Marcellus in armorum genere, Ferentarij, ait, leuis armaturæ milites, qui quod opus esset auxilio ferrent, ex cursu leui, armis grauibus non impediti. Cato de Re militari; Inde partem equitatus Ferentarij prædatum misit. Sallustius in Catilina, Postquàm eò ventum est, vnde à Ferentariis prælium committi posset. Hæc Nonius. Festus autem Pompeius l. 1. de Ascriptitiis loquens, Quos, ait, nonnulli Ferentarios dicebant, quòd fundis lapidibúsque præliaturi, ea modò ferrent, quæ in hostes iacerent. Et lib. 6. Ferentarij auxiliatores in bello à ferendo auxilio dicti, vel quia fundis & lapidibus pugnabant. quæ tela feruntur, non tenentur. Et iterum eo. lib. paulò ante si Ferentarij leuis armaturæ pugnatores. Ante vtrumque Varro de lingua Latina lib. 5. aut aliorum comput. 6. enarrans illum locum Plauti in Trinummo, scribit, Ferentarium à ferendo, id est, inanè & sine fructu: aut quòd Ferentarij equites hi dicti, qui eo modo habebant arma quæ ferrentur, vt iaculum. Is autem locus Plauti est in ea fabula actu 2. scena 4.

Satin tu sanæ mentis, aut animi tui, qui conditionem.
Hanc repudies? nam illum tibi Ferentarium esse amicum
Inuentum intelligo.

Et de his quoque Tacitus lib. 12. Sed eò quoque irrupere Ferentarius, grauísque miles. Et Vegetius lib. 1. Rei militaris, c. 20. Aliter autem Ferentarios accipere videtur Ælianus

in libro

Funditores. non in postremis erant,[t] funditores dicti, ex [u] Balearibus frequentes, qui saxis & sudibus,[x] velut nimbo grandinis, & omni genere telorum quæ feruntur, non autem geruntur, procul hostem missilibus arcent, & in fugam aguot: [y] nonnunquam ense congrediuntur comminus, qui etiam in cornibus & hostem petere eminus solebant,[a] quibus singulis tres fundæ è neruo vel iunco aut setis simplici habena fuere: [a] interdum triplici scutali fundis, sicut ab Ægio, Patris & Dymis funditores vsi sunt, cum scuto & iaculo præusto, qui vnà cum sagittariis & iaculatoribus incedebant: [b] qui vsus apud Indos præcipuus erat, vt misso lapide extremos pueri capillos attingant impunè. [c] Hi inferioris ordinis quàm pedites, despectissimique inter milites habiti sunt: quare huic conditæ turbæ, ad populandum vastandúmque agros magis quàm iustæ pugnæ idoneæ, Cyrus seruos præfecit, quasi illos non militare, sed prædæ & rapinis assuetos, seruilia exercere duceret. Tametsi sagittariorum & funditorum plerumque delecta manus non temerè congressi, magna ad victoriam momenta fecere. *Sagittarij.* Qui quidem sagittarij cum thorace, tibialibus & pharetra, ense accincti, nonnunquam sine pharetra cum hasta & scuto præliabantur. *Græci.* Græcis verò, licet ex diuersis prouinciis funditores & sagittarij stipendia fecerint, [d] tamen Cirtæi & Elymæi præcipui habiti sunt. [e] Fertur Scipio Africanus aduersus Numantinos dimicaturus, omnibus centariis delectos sagittarios funditoresque miscuisse: qua descriptione effecit, vt de Numantinis insignem victoriam tulerit. Metellus quoque ducens in Iugurtham, funditores & sagittarios inter manipulos diuisit, ita vt parum abfuerit quin ingenti victoria poriretur. *Calones, Lixæ.* [f] Calones verò lixásque, licet militiæ sacramento adigi non solerent, siquidem seruilia ministrabant militibus, illos tamen

ANNOTATIONES.

in libro de Instruendis aciebus.

t *Funditores dicti.*] Quòd scilicet fundis vterentur, vt dictum est. Nam & Nonius Marcellus vbi suprà, Funditores, inquit, sunt, qui fundis magnis dimicant. Salustius in Iugurta, Itaque ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum & sagittariorum delecta manu apud primos erat. Sisenna Historiarum 3. Ac post armatos funditores & sagittarios ponit.

u *Ex Balearibus frequentes.*] Virgilius lib. 1. Georgic.

Stupea torquentem Balearis verbera fundæ.

Vbi Seruius scribit à Balearibus insulis Hispaniæ, vbi inuenta est funda, sic dictas. Probus autem dicit, Baleares insulas Hispaniam continuare, ibique optimos funditores esse. Et Ouidius lib. 2. Metam.

Non secus exarsit quàm cùm Balearica fundum
Funda iacit: volat illud, & incandescit eundo.

Et Polybius lib. 3. vbi dicit eam gentem & insulam, propter fundarum vsum sic nominatas. Et Lucanus lib. 1.

Impiger & torta Balearis verbere fundæ
Ocyor. ——

Et lib. 3. vocat, Lygdamum Massiliensem tortorem habenæ Balearis, id est, agitatorem fundæ, ex qua torta & rotata emittuntur saxa,

Lygdamus excussa Balearis tortor habena
Glande petens, solido fregit caua tempora plumbo.

Diodorus Siculus lib. 6 c. 6. Aliæ quoque, inquit, sunt insulæ Iberiæ oppositæ, à Græcis Gymnesiæ, ab incolarum nuditate, qui æstatis tempore absque vestibus incedunt, ab accolis verò ac Romanis Baleares, à fundæ iactu, qua rectius quàm reliqui, lapide iaciunt, appellatæ. Strabo lib. 3. Cæsar lib. 2. belli Gallici, Plinius lib. 3. c. 5. Florus Epitomæ Liuij lib. 60. scribit, Baleares vel à teli missu appellatos fuisse: vel à Baleo Herculis comite, ibi relicto tunc, cum Hercules ad Geryonem nauigaret. Vegetius lib. 1. cap. 16. (aliàs 10.) Aut certè Baleares dicuntur, à verbo βάλλειν, quòd iacere & ferire significat. Dicuntúrque Gymnesiæ, vt alibi & suprà diximus.

x *Velut nymbo grandinis.*] Liuius d. lib. 8. Decad. 3. dicit grandinis modo, sic enim scribit, Tanta vis lapidum creberrimæ grandinis modo in propinquantem iam terræ classem effusa est, vt intrare portum non ausi, auerterent in altum naues.

y *Nonnunquam ense congrediuntur.*] Nam & ipse Liuius 4. Dec. lib. 7. Camelis, ait, insidebant Arabes sagittarij, gladios habentes tenues, longos quaterna cubita, vt ex tanta altitudine contingere hostem possent.

z *Quibus singulis tres fundæ.*] Lucius Florus Epitomatum lib. 3. in bello Balearico ita scribit, Tribus quisque fundis præliatur: certos esse quis miretur ictus, cùm hæc sola genti arma sint, in vnum ab infantia studium, cibum puer à matre non accipit, nisi quem ipse monstrante percussit.

a *Interdum.*] Hæc sunt Liuij 4. Decad. lib. 8. cuius hæc verba sunt, Centum funditores ab Ægio, & Patris & Dymis acciti. A pueris ij more quodam gentis, saxis globosis, quibus ferme arenæ immistis strata litora sunt, funda mare apertum incessentes exercebantur. Itaque longius certiúsque, & validiore ictu quàm Balearis funditor, eo telo vsi sunt, & est non simplicis habenæ, vt balearica aliarúmque gentium funda: sed triplex scutale crebris suturis duratum, ne fluxa habena volueretur in iactu glans sed librata cùm sederit, velut neruo missa excutiatur, coronas modici circuli magno ex interuallo loci assueti traiicere, non capita solùm hostium vulnerabant, sed quem locum destinassent oris.

b *Qui vsus apud Indos.*] Philostratus in vita Appollonij, lib. 2. c. 12. scribens strenuitates Indorum post potationem sanè periculosas, Funda, ait, etiam adeò subtiliter iaculantur, vt emisso lapide aut glande pueri extremos duntaxat capillos attingant.

c *Hi.*] Scilicet funditores, ex Xenophonte Pædiæ Cyri libro 6.

d *Tamen Cyrtai & Elymai.*] Liuius 4. Dec. lib. 7. horum duorum meminit his verbis, Extremum cornu claudebant quatuor millia misti Cirtæi funditores, 4. & Elymæi sagittarij.

e *Fertur Scipio Africanus.*] Sallustius in bello Iugurthino, de Metello cum hoste pugnaturo loquens, ait, Ibi commutatis ordinibus in dextro latere, quod proximum hostibus erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit. Inter manipulos funditores & sagittarios dispertit: equitatum omnem in cornibus locat.

f *Calones lixásque.*] De his duobus Liuius 3. Dec. lib. 3. Impedimenta subsequi iussi, calones lixásque, & inualidos milites vallum ferre. Et de calonibus prætereà Liuius 1. Dec. lib. 5. 7. & iterum 10. Cicero lib. 3. de Natura deorum, Cæsar lib. 2. Belli Gallici, vbi scribit Calones etiam inermes, armatis hostibus occurrisse. Horatius l. 1. Sermonum, Sat. 2.

Hunc perminxerunt Calones. ——

Et ibi Porphyrion interpres, & idem Horatius lib. Epistol. 1. epist. 14.

—— *Inuidet vsum*
Lignorum & pecoris tibi calo argutus & horti.

Et ibi item Porphyrion. Et Nonius Marcellus, & Festus Pompeius lib. 3. & lib. 4. vbi exponit verbum procalare. Seruius in lib. 6. Æneidos, statim post princ. Et Vegetius lib. 3. cap. 6. Ex quibus intelliges qui ij, & vnde dicebantur. Et de Lixis quoque Liuius 1. Decad. lib. 5 & 3. Dec. lib. 1. & 4 Decad. lib. 9. Silius Italicus lib. 5.

M istus

in aciem prodiisse, bonam fidelémque operam reipub. sæpe nauasse comperimus, tunc quum accisis rebus, & re exterminata, militúmque fracta virtute, milliá militare coacti sunt: qui quòd ligneas clauas vel vallum gestarent, dicti Calones fuere. [g] Calas enim antiqui dixerunt fustes, quos serui portabant in comitatu dominorum, dum in expeditionem vadunt, seu ἀπὸ τῶν κηλῶν. [h] Lixæ quoque, qui exercitum sequunti quæstus causa, aquã militibus curabant. [i] Sicut Brutiarij, quorum opera veluti seruorum magistratus vtebantur, persæpe militarunt, & munera fecerunt. Quum enim secundo Punico bello post Cannensem cladẽ, Brutij ad Hannibalem primi defecissent, postea deuicto Hannibale, eos Romani, neque milites scripsere, neque pro sociis habuere, sed magistratibus præstare iusserũt seruorum munia militiæ domíque: sicut [k] Picentes ob initam cum Hannibale societatem, pro militari officio, viatorum & tabellariorum operas præbuere. Super eos quos dixi adnumerantur caligati, quibus caligis militaribus vti permissum: tametsi pro [l] caligatis omne militum genus à militari caliga multi accipi contendant: quæ quidem ferreis clauis multiplicibus munitæ erãt. † Præter quos legitimi enocati, & tumultuarij milites fuere, legitimi, quòd militiæ sacramento iusto delectu adscripti militabant, euocati, qui ex prouinciis sociisque ciuitatibus æquo iure & fœdere iunctis, non Latini nominis, militiæ munere fungebantur: qui nõ milites sed pro militibus habiti sunt. [m] Milites enim nominis Latini, proximè morem Romanum instructi erant, linguã, moribus, armorum genere congruentes, disciplina

Calones vnde dicti. *Calæ.* *Brutiarij.* *Picentes.* *Caligati.* *Legitimi.* *Euocati.* *Milites nominis Latini.*

ANNOTATIONES.

Missus eques, nec discretis leuia arma maniplis,
Infertiq; globo pedites, & inutile Marti
Lixarum vulgus.—
Lucanus lib. 9.
Stat dum lixa bibat.—
Nonius Marcellus quo loco vocabulum elixus declarat. Festus Pompeius lib. 10. Ex quibus intelliges, qui & ij, & vnde dicebantur.

g *Calas enim.*] Id ex Seruio est, vbi nuper citauimus. Sed vide porphyrionem in Horatium d. lib. 1. satyra 2.

h *Lixæ quoque.*] Seruius vbi suprà: Festus autem Pompeius. Lixæ, ait, qui exercitum sequuntur quæstus gratia, dicti, quòd extra ordinem sint militiæ, eísque liceat quod libuerit: alij eos à Licu appellatos dicunt, quod & ille Herculem sit secutus: quidam à liguriendo quæstum.

i *Sicuti Bruciarij.*] Hæc vsque ad versicul. Sicut Picentes, sunt Gellij lib. 10. c. 3. ad finem & Festi Pompeij lib. 2. Ex quibus intelliges Brutiani hîc legendum esse, non Brutiarij. Petrus Crinitus Honestæ disciplinæ lib. 2. cap. 7. docet Brutios pro vilissimis seruis habitos, quòd cùm ad Annibalem primi defecissent, eo fugato Senatus senteotiam tulit, vt nonquam deinde pro sociis populi Romani haberentur, sed eis, vt seruis vterentur. Multa de his Cælius lib. 33. c. 13. & in seq.

k *Sicut picentes*] Strabo lib. 5. in fi. Picentum, inquit, metropolis erat quondam Picentia, nunc verò per vicos pitam agunt, ab Romanis expulsi, propter initam cum Annibale societatem. Quo quidem in tempore pro militari officio, vt viatoris publici, aut tabellarij operam explerẽt, assignati sunt, quemadmodum & Lucani & Brutij easdem ob causas.

l *Caligati*] De his sæpe in nostris legibus, vt in l. 2. in princ. ff. de iis, qui notantur infamia. vbi Vlpianus ita scribit, Quod ait Prætor, Qui ab exercitu dimissus erit: dimissum accipere debemus militem Caligatum: id est, vt inquit Accursius, infimum & obscurum. sic Venuleius in l. de militibus, ff. de custodia & exhibitione reorum, & in l. à Caligato 21. C. de nuptiis. & ibi glossa. Caligatos, ait, dicitur ille, qui habet ocreas ferreas. & §. quisquis. authen. quibus modis naturales efficiuntur legitimi. Suetonius in Augusto, c. 25. Coronas vallares ac murales quàm parcissimè & sine ambitione, ac sæpe etiam Caligatis tribuit.

† *Præter quos legitimi euocati.*] Seruius enarrans eum locum Virgilij lib. 2. Æneid.
Fas mihi Graiorum sacrata resoluere iura.
Ne, inquit, incidat in sacramenti pœnam. Sunt enim tria militiæ genera. Plerumque enim euocati dicuntur, & non sunt milites, sed pro milite. Sallust. Neu quis miles, siue pro milite: item ipse ab iis omneis euocatos & cẽturiones. Plerumque tumultuarij, hoc est, qui ad vnum militent bellum. Plerumque sacramento rogati: quia post electionem in Rempublicam iurant: & hi sunt, qui habent plenam militiam: nam quinque & viginti annis tenentur, subdítque, Hæc tria genera sacramenti tangere Virgilium, vt ibi declarat. Idem lib. 7. in eum locum,
Ipse vocat pugnæ, sequitur tum cætera pubes.
Tria sunt, ait, militiæ genera. Sacramentum, in quo vnusquisque miles iurat se non recedere, nisi præcepto Consulis, post completa stipendia, id est, militiæ tempora. Coniuratio, quæ fit in tumultu, id est, Italico bello & Gallico: quando vicinum vrbis periculum, singulos iurare non patitur, vt inter Gabios fuit. Euocatio, quod genus non tangit, nam ad subitum bellum euocabatur: vnde etiam Consul solebat dicere, Qui vult rempublicam saluam fore, me sequatur. Et lib. 8. in princ. Apud maiores nostros tria erant militiæ genera in bellis gerendis: nam aut legitima erat militiã, aut coniuratio, aut euocatio. Legitima erat militia eorum, qui singuli iurabant pro republica se esse facturos, nec discedebãt nisi completis stipendiis, id est, militiæ temporibus, & sacramentum vocabatur. Aut certè si esset tumultus, id est, bellum Italicum, vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus, quia singulos interrogare non vacabat: qui fuerat ductutus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, vnum roseum, quod pedites euocabat: & vnum cœruleum, quod erat equitum. Nam cœrulcus color est maris, à cuius Deo equum constat inoentum, dicebat, Qui rempublicam vult saluam esse, me sequatur, & qui conuenissent simul iurabant: & dicebatur ista militia Coniuratio. Fiebat etiam euocatio: nam ad diuersa loca diuersi, propter cogendos mittebantur exercitus Euocatorum autem authores sæpe mentionem faciunt Cæsar lib. 3. Commentariorum belli Ciuilis, Erat Crastinus euocatus in exercitu Cæsaris. Et lib. 5. Cúmque Idem animaduerti cœptum esset, subito legati euocatique obsecrare Cæsarem, ne dubitaret signum dare. Cicero Epistolar. famil. lib. 3. epist. illius lib. 5. omnium 35. Itaque virum fortem, mihique in primis probatum Antonium præfectum euocatorum misi ad te, cui, si tibi videretur, cohortes traderes. Suetonius in Augusto, cap. 56. Affuit & clientibus sicut scutario cuidam, euocato quondam suo, qui postulabatur iniuriarum. Et in Galba, c. 10. Delegit & equestris ordinis iuuenes, qui manente annulorum aureorum vsu, euocati appellarentur, excubiásque circa cubiculum suum vice militum agerent. Et in Vespasiano, cap. 1. T. Flauius Petronius municeps Reatinus, bello ciuili Pompeianarum partium centurio, incertum sponte, an euocatus profugit ex Pharsalica acie, domumque se contulit. Et Velleius Paterculus lib. 2. Decideratur Cassij caput, cùm euocatus aduenit, nuncians Brutum esse victorem. Tacitus lib. 17. scribit quosdam dixisse Terentium euocatum occidisse Galbam.

m *Milites enim nominis Latini.*] Liuius 1. Dec. lib. 8.

Tumultuarij. Proletarij. Capite censi.

denique & cultu Romano,[n] qui plerũque Gabino ritu toga circuncincta, ita vt licinia reuocata hominem cingeret, militarunt.[o] Tumultuarij verò dicti, qui repentino aduentu hostium, quum in discrimine extremo res foret, per trepidationem & metum raptim militiæ adscribebantur.[p] Etiam proletarios, & capite censos quandoque munera fecisse, & reipub. operã nauasse comperimus. Erant enim hi tenuissimi, & modicarum facultatum, qui non vltra mille quingenta æris in censum referebant, domi ad prolem excitandam destinati, dimissa militia, & sacramento soluti, qui temporibus reipub. difficilimis, quum vndique imperium fluctuaret, rebus abscissis, milites quandoque scripti sunt.[q] Sicut quom post Cannensem pugnã, seruitia, obæratos & mercenarios, ac capitalia ausos, militiæ sacramento adigere populus coactus fuit, numero octo millium qui in exemplũ iusti milites militarunt,[r] quos volones dixere, quòd sponte militiæ adsciti, libertatis studio militiã meruissent.[s] Fuitque animaduersum, in Romanis castris, nisi ingenuos & libertinos seruitute exemptos, militiam meruisse neminem, præterquam secũndo Punico bello, quo Hannibal Pœnus Italiam omni clade belli peruastabat, quo populus Romanus extremo discrimine adactus, rem desuetam vsurpauit, primúmque seruitia sacramẽto adegit.[t] Postea sociali bello ex liberrinis duodecim cohortes bonã fidelémque operã reip. na-

Volones.

ANNOTATIONES.

n *Qui plerunque Gabino ritu.*] Idem Liuius vbi suprà, vbi de Decio Cos.

o *Tumultuarij.*] Seruius locis citatis suprà in verbo, Præter quos legitimi euocari. Et huiusmodi militum tumultuariorum meminit Cæsar lib.4. belli Ciuilis, Mittit P. Sextium ad C. Pletorium Quæstorem, vt legionem adduceret, quæ ex tumultuariis militibus in Ponto confecta erat. Hiocque Liuius 1 Dec. lib.5. & iterum lib.8. & 4. Dec. lib.1. & iterum lib 3. post prin. Mens ea Senatus fuit, vt in Hispania tumultuarij milites legerentur. Et iterum, Itaque placere Senatui, ad eum exercitum, quem haberet, tumultuariorum militum ad 12. millia pedites, & quadringentos equites scribere eum, quibus oram maritimam prouinciæ, quà vergeret in Græciam, tueri posset. Hinc etiam tumultuarius exercitus Liuio 1 Decad. lib.5. Quippe quibus velut tumultuario exercitu raptim ducto ægrè ad vndecimum lapidem occursum est. Et lib.8. Tumultuarius vndique exercitus raptim conscriptus conuenit. Et tumultuariæ cohortes eidem 4. Dec. lib.10. cuius verba paolò pòst adducemus. Et eosdem vel milites, vel exercitus, vel cohortes, vel legiones tumultuarias, vel subitarias fuisse, satis constat ex multis ipsiua Liuij locis. Nam 4. Decad. lib.1. non longè à princ. Duabus legionibus subitariis tumultus eios caosa scriptis, additísque ad eas quatuor cohortibus de exercitu suo, C. Appium Præfectum sociũn hac tumultuaria manu per Vmbriam, quam tribum Sappiniam vocant, agrum Boiorum inuadere iussit. Et 4. Dec. lib 10. Permissum vt quà itent, protinus subitasios milites scriberent, duceréntque secum. Nam & statim pòst, Et Prætori Q. Petilio imperatum est, vt duas legiones ciuium Romanorum tumultuarias scriberet. Et rursum posteà scribit, Senatum censuisse subitarios milites tumultus causa conscriptos primo quoque tempore dimitti. Et 5. Decad. lib.1. C. Claudius Proconsul, audita rebellione Ligurum, præter eas copias, quas secom Parmæ habebat, subitariis collectis militibus, exercitum ad fines Ligurum admouit. Et de his quoque sobitariis militibus idem Liuius 1. Dec. lib.3. Ad eum expleodum Latini Hernicique, & colonia Antiom dare Quintio subitarios milites (ita tum repentina auxilia appellabant) iussi.

p *Etiam proletarios & capite censos.*] Hos eosdem esse constat ex Festo Pompeio lib. 14. Et vide Valerium Maximum lib.2.c.1. de Institutis antiquis. & Gellium lib. 16. c. 10. cuius maxima ex parte sunt ea, quæ hîc dicit Alexander. Et prætetea Nonium Marcellom. D. August. Ciuitatis Dei, lib.3.c.17. cuios hæc verba sunt, Tum verò tam multa bella vbique crebruerunt, vt inopia militum Proletarij illi, qui eo quòd proli gignendæ vacabant, ob egestatem militare non valentes, hoc nomen acceperant, militiæ conscriberentur. Vide ibi interpretem. Paulum Orosium lib. 4. cap.1. vbi Proletarios dicit eos esse, qui in vrbe sufficiendæ semper prolis causa vacabant: eos tamen in bello Tarentino militiæ fuisse adscriptos vrgente vltima necessitate.

q *Sicut cum post Cannensem pugnam.*] Liuius 3. Dec. lib.2. in duobus locis. Valerius Maximus & Seruius quo loco statim citabimus ibi, Fuitque animaduersum. Macrobius Saturnal. lib.1. c.11. Ante id tamen tempus ij, qui ad militiam non adigebantur, vrgente necessitate coacti sont militare apud Liuium 1. Decad. lib.7. Et cùm (quòd per magnos tumultus fieri solitum erat) iustitio indicto delectus sine vacationibus habitus esset. Et lib.8. Mamercus, cui Gallicum bellum euenerat, scribere exercitum sine vlla vacationis venia: quio opificum quoque vulgus, & sellolarij, minimè militiæ idoneum genus, exciti dicuntur.

r *Quos volones dixere.*] Liuius 3. Decad. lib. 3. de T. Sempronio Cons. ibi, quia ociosa statiua erant, crebrò decurrere milites cogebat, vt tyrones (ea maxima pars volonum erat) assuescerent signa sequi, & in acie agnoscere ordines suos. Et lib.4. Legiones magna ex parte volonum habebat, qui iam alterum annum libertatem tacitè mereri, quàm postulare palàm maluerant. Et paulò pòst, Tunc quod ad volones attineret, omnes ait malle laudatos à se, dignos indignósque, quàm quenquam eo die castigatum esse: quod bonum, faustum, felixque reipublicæ ipsisque esset, omnes eos liberos esse iubere. Festus Pompeius lib.9. Macrobius dicto lib. 1. Satur. c.10.

s *Fuitque animaduersum.*] Ex Valer. Maximo lib.7. cap.6. post princ. de Senatu populoque Rom. cuius hæc verba sunt, Nam aliquot aduersis prælijs, Secundo Punico bello exhausta militari Iuuentute Romana, Senatus, authore Tiberio Graccho Cos. censuit, vt publicè serui aduersus propulsandorum hostium impetum emerentur: eáque de re per Tribunos plebis apud populum lata rogatione, tres creati sunt viri, qui quatuor & viginti millia seruorum compararent: adactósque iureiurando strenuam se fortémque operam daturos, quoad Pœni essent in Italia, datis armis in castra miserunt. Et non multò pòst de Ciuitate Rom. Cannensis autem clades adeo vrbem nostram vehementer contudit, vt opera M. Iunij Dictaturam reipubl. administrantis, spolia hostium affixa templis deorum numini consecrata, instrumenta militiæ conuellerentur: ac prætextati pueri arma induerent, adiudicatorum etiam & capitali crimine damnatorum sex millia conscriberentur. De qua re quoque & tu vide Liuium 3. Dec. lib. 2. 3. & 4. in Oratione L. Valerij, & Seruium lib.9. Æneidos Virgilij in eum locum,

—Vestitisque ad Troiam miserit armis.

Vbi ita scribit, Seruos sanè nunquam militasse constat, nisi seruitute deposita, excepto Hanoibalis tempore, cùm post Cannense prœlium in tanta necessitate fuit vrbs Roma, vt ne liberandorum quidem seruorum daretur facultas. Vide etiam Macrobium d. lib.1. Satur. c.11.

t *Posteà sociali bello.*] Macrobius vbi suprà. Sed & M. Cato, qui Vticæ præerat, delectus quotidie libertinorum Afrorum, seruorum denique & cuiusque modi generis hominum, qui modò per ætatem arma ferre poterant, habere, atque sibi manũ Scipioni in castra submittere non intermittit, vt tradit Hirtius in bello Africano lib. 5. Et Pompeius

quoque

uarunt.[u] Mox Iulius Cæsar ex magna parte perdomitis hostibus, quum ob bellorum clades in locum decedentium nullos sufficere valeret, commodatos militiæ adscripsit. [x] Augustus quoque Octauius bello Illyrico & Germanico cohortes liberiorum legit, quos voluntarios appellauit, illósque cum ingenuis commisceri, aut eodem vti armorum genere vetuit.[y] Hos quoque Romæ incendiorum causa, & si grauior tumultus oriretur, instructos paratósque habuit. Ipse enim seruos, qui ciuilibus bellis, stipendia fecerant, confectis bellis, dominis restituit. Lapsis inde temporibus,[z] Antoninus Cæsar volũtarios, quos obsequentes latrones vocauit, & gladiatores contra hostes præpotentes malitiæ armauit. [a] Cleomenes quoque dux Lacedæmoniorum, seruitia ad nouẽ millia libertate donasse, & militiæ adscripsisse fertur, quum bellis attriti milite indigerent. [b] Sed tamen capite censas propter inopiam & modicam rem familiarem, diu sacramento adscribere nõ licuit: [c] donec C. Marius capite censos militiæ muneribus fungi, & militare coëgit; qui in exemplum iusti militis militarunt. [d] Postremo causarij dicti, quibus causæ ne mererent, legitimæ suppetebant: [e] sicut beneficiarij, qui perfuncti militia, & data missione, post nauatam insigniter operam muneris vacatione donati, & militia missi fuere: tametsi beneficiarios, quòd beneficio tribunorom ad militiam euecti erant, [f] nonnulli dictos credant. [g] Tria enim fuere missionum genera, quibus milites exautorabantur: Honestá, quum emeritis stipendiis, & functis commodis missionum, vacationis munere donantur, quo tempore scuta, gladios & arma [h] dicabant Laribus, [i] sicut gladiatores Herculi, quòd diis iuuantibus perfuncti militia, rudem accepissent: [k] quod missionis tempus, militi quinquagenarió erat definitum. [l] Alij, nisi decennio stipendia meruissent, missionem petere neminem putarunt posse. More tamen Romano, militate sacramentum in vndecimum diffundebatur annum: quo exacto, militia perfunctis missio dabatur. [m] Deinde;

Voluntarij.

Causarij.

Beneficiarij.

Tria missionum genera.

ANNOTATIONES.

quoque copias vndique omnes ex nouis delectibus ad se cogi iussit: seruos pastores aduersus Cæsarem armauit, atque bis equos attribuit: ex his circiter trecentos equites confecit. vt tradit ipse Cæsar lib. 1. belli Ciuilis.

u *Mox Iulius Cæsar.*] Macrobius item vbi suprà.

x *Augustus quoque.*] Macrobius ibi, & Suetonius in vita illius, c. 25. sic scribit, Libertino milite præterquam Romæ incendiorum causa, & si tumultus in grauiore annona metueretur, bis vsus est: semel ad præsidium coloniarum Illyricum contingentium: iterum ad tutelam ripæ Rheni fluminis: eósque seruos adhoc viris, fœminísque periculosioribus indictos, ac sine mora manomissos, sub priore vexillo habuit, neque aut commistos cum ingenuis, aut eodem modo armatos.

y *Hos quoque Romæ incendiorum causa.*] Suetonius ibi.

z *Antoninus Cæsar.*] Scilicet Philosophus, ex Capitolino in vita illius. Sed hîc omnibil erat Alexander, neque enim hi latrones vocati sunt, sed Voluntarij: sed alij ita appellati sunt: nam verba illius hæc sunt, Seruos, quemadmodum bello Punico factum fuerat ad militiam parauit, quos Obsequentes appellauit. Latrones etiam Dalmatiæ, atque Dardaniæ milites fecit. Armauit & Diocmitas: emit & Germanorum auxilia contra Germanos.

a *Cleomenes.*] Macrobius d. lib. 1. Saturn. c. 11. Sed & (quod addes superioribus) Thebani ab Alexandro Magno obsessi, seruos libertate donatos in valli propugnatione hostibus opposuerunt, apud Diodorum Siculum lib. 17. c. 1.

b *Sed tamen capite censos.*] Hoc probat exemplo seq.

c *Donec C. Marius.*] Sallustius in Iugurtha, Marius, inquit, intereà milites scribere, non, more maiorum, ex classibus, sed vti cuiusque libido erat, capite censos plerosque. Id factum alij inopia bonorum, alij per ambitionem Consulis memorabant. Valerius Maximus lib. 2. c. 1. de Institutis antiquis. Plutarchus in vita Marij, Gellius lib. 16. c. 10.

d *Postremò causarij.*] De quibus Liuius 1. Decad. lib. 7. Tertius, inquit, exercitus ex causariis senioribúsque à T. Quintio conscribebatur, qui vrbi mœnibúsque præsidio sit. Spartianus in Hadriano, Profectus in Gallias omnes Causarios liberalitatibus subleuauit Et hinc Causaria missio dicta est, de qua postea dicetur.

e *Sicut beneficiarij.*] Festus lib. 2. Et de his Cæsar. lib. 3. belli Gallici, Euocatorum, ait, circiter duo millia, quæ ex beneficiariis superiorum exercituum ad eum conuenerant. Aliter accepisse videtur ipse Cæsar eiusdem operis belli Ciuilis, lib. 2. De beneficiariis suprà diximus hoc cap. vbi de Petreio.

f *Nonnulli.*] Scilicet Vegetius Rei militaris, lib. 1. c. 7.

g *Tria enim fuere missionum genera.*] Hæc sunt ex Vlpiano in l. 2. §. ignominiæ. ff. de iis, qui notantur infamia. Cuius hæc verba sunt, Ignominiæ causa, hoc ideo adiectum est, quoniam multa genera sunt missionum. Est honesta, quæ emeritis stipendiis, vel antè ab Imperatore indulgetur. Est causaria, quæ propter valetudinem laboribus militiæ soluit. Est ignominiosa. Ignominiosa autẽ missio toties est, quoties is, qui mittit, addit nominatim, ignominiæ causa se mittere: semper enim debet addere cur miles mittatur. Et Martianus Iurisconsultus in l. milites agrum. §. missionum. ff. de re mil. Missionum, inquit, generales causæ sunt tres: Honesta, Causaria, Ignominiosa. Honesta est, quæ tempore militiæ impleto datur. Causaria, cùm quis vitio animi, vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur. Ignominiosa causa est, cùm quis propter delictum sacramento soluitur: & is, qui ignominia missus est, neque Romæ, neque in sacro comitatu agere potest. Et si sine ignominiæ mentione missi sunt, nihilominus ignominia missi intelliguntur.

h *Dicabant laribus.*] Ouidius lib. 4. Tristium, elegia 7.

Miles vt emeritus non est satis vtilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, lares.
Sic igitur tarda vires adimente senecta,
Me quoque donari iam rude tempus erat.

i *Sicut gladiatores Herculi.*] Horatius Epistolarum lib. 1. epistola 1. ad Mecœnatem,

—Veianius armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

Vbi vide Porphyrionem & Acronem interpretes.

k *Quod missionis tempus.*] Iam diximus suprà lib. 1. c. 20.

l *Alij nisi decennio.*] Plutarchus in vita Caij Gracchi. Sed tu vide Polybium in libello de Romana castrametatione, qui portio est libri 6. eiusdem in princ.

m *Deinde, vt decimumsextum.*] Hæc vsque ad versicu. Prætorianæ cohortes, sunt Cornelij Taciti lib. 1. Igitur volutatis inter se rationibus, placitum, vt epistolæ nomine principis scriberentur, missionem dari vicena stipẽdia meritis, exauctorari qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo, cæterorum immunes, nisi propulsandi hostis: legata, quæ petiuerant, exolui duplicarique. Iterúmque ad finem eius libri, Centesimam rerum venalium post bella ciuilia institutam, deprecante populo, edixit Tiberius militare ærarium eo subsidio niti, simul imparem oneri rempublicam, nisi vicesimo militiæ anno veterani dimitterentur. Ita proximæ seditionis malè consulta, quibus sexdecim stipendiorum

 finem

vt decimussextus annus stipendij finem faceret, Tiberio imperãte cautum fuit, qui etiam militię tempus ad vigesimum annum propagauit, cauitque vt nisi post vigesimum annum, missio militi nõ daretur. prætorianæ verò cohortes, nisi annis sedecim militassent, ad penates & domesticos Lares non remittebantur. Apud Assyrios autem Ninus Semiramis filius, annis singulis copias sacramento solutas domum remisit. Rursus nouos milites, malitiæ sacramento, nullo præstituto tempore, adegit: quos tamen vltra annum militiæ nũquam adscripsisse. [n] Causaria verò missio dicitur, quũ senecta aut valetudine aduersa, viriόve corporis, domos vellent aut res inuisere suas, vel viribus parũ validi, minus idonei muneribus essent. Ignominiosa, quæ & probrosa dicitur, quum militi ob delictum & graue crimen, quibus reus agitur, vt quia transfuga, desertor aut fugitiuus arguitur, vel timidè & diffidenter cum hoste congreditur, ignominia notatus, & militia exautoratus fuit [o] in qua re licet animaduertere, quòd si tribunus militẽ exautorauit, hoc est, insignia militaria illi ademit, infamia quoque affecisse videbatur. [p] Post aliquot verò tempestates noui milites nominibus variis à Cæsaribus, penes quos fuit ius arbitriũmque rerum omnium, militiæ adigi cœpere, [q] nam præter gregarios, qui vilissimi inter milites sunt, fuere [r] legionarij, [s] alarij atque [t] manipulares, qui quidem in legionibus, alis, vel manipulis militabant: [v] ex quibus Nero Augustanos, & [x] diuus Claudius Dacisianos milites legit. [y] Probus verò Decimanos, [z] Alexander Seuerus Ostensionales, [a] Tiberius Vigesimanos.

Causaria missio. Ignominiosa. Militia ex authoritati. Militum varia nomina. Gregarij. Legionarij. Alarij. Manipulares.

ANNOTATIONES.

finem expresserant, abolita in posterum. Vide Iustinianum in l. 1. C. de excusationibus veteranorum. Et l. vltim. lib. 10. C. de his, qui non impletis stipendiis sacramento soluti sunt, vbi ita scribitur, Veteranorum ita demum onerum & munerum personalium vacatio iure conceditur, si post vicesimum annum militiæ, quam in legione vel vexillatione militauerint, honestam, vel causarism missionem consecuti esse ostendantur.

n *Causaria verò missio.*] De tribus missionum generibus nempe honesta, causaria & legitima, diximus ea Vlpiano & Martiano in verbo, Tria enim fuere missionum genera.

o *In quare.*] In d. l. 2. §. causaria, versicul. sed & si eum. de his, qui not. inf.

p *Post aliquot verò tempestates.*] Id probatur ex sequentibus.

q *Nam præter gregarios.*] De quibus Cicero in Orat. pro Plancio, Sallustius in Iugurtha, Liuius 3. Decad. lib. 8. Columella lib. 6. in præfatione. Corn. Tacitus lib. 1. & 14. non semel. Suetonius in Augusto, c. 14.

r *Legionarij.*] De quibus Cæsar libr. belli Ciuilis 1. & iterum 3. & 5. belli Gallici. Asinius Pollio inter Epistolas familiares Ciceronis, epistola 32. Tacitus lib. 12 & 18. & alibi sæpe. Hirtius in bello Hispaniensi, Alexandrino, & iterum Africano. Hincque etiam cohortes legionariæ apud Cæsarem lib. 1. belli Ciuilis, & Liuium 4. Dec. lib. 4.

s *Alarij.*] De quibus Cæsar belli Gallici, lib. 1. Ciuilis lib. 2. Cicer. Epistolar. famil. lib. 2. episto. ad Cælium 16. Hincque cohortes Alariæ ipsi Cæsari libr. 1. iterúmque 2. belli Ciuilis Liuio 1. Decad. lib. 10. Et equites Alarij Liuio 4. Decad. lib. 2. & 10. Tacito lib. 12. Hincque alæ dicuntur, quòd circum legiones dextra sinistráque, tanquam alæ in auium corporibus, locabantur, vt dicit Gellius lib. 16. c. 14. Quod & Seruius scribit in lib. 4. in eum locum,

Dum trepidant alæ, saltúsque indagine cingunt.

Et lib. 11.

—Et virginis ala Camillæ.

Alæ, inquit, equites dicuntur, quòd alarum vice pedites, siue pedestrem exercitum tegunt, nam & alam equitum vocat Liuius 3. Decad. lib. 6. Plúsque aliquanto damni hæc ala equitum amissa Hannibali, quàm Salapia fuit. Et ala legionum Ciceroni lib. 5. Offic. & ad Atticum lib. 11. epistola eius libri 10. omnium 216. Accedit Hispania, & alienata ala legionum: nec vis eadem, nec voluntaria.

t *Manipulares.*] Plauto in Mostellaria actus 1. scena 3. in fin.

Conueniunt maniplares: eccos, prædam participes petunt.

Vbi per syncopen Maniplares metri gratia. Et rursum eiusdem fabulæ act. 5. sce. 1. post princ.

Postquàm ex obsidione in tutum eduxi manipulares meos.

Et in Milite glorioso act. 5. sce. 2. post princ.

Si centuriati bene sunt manipulares mei.

Cæsar belli Gallici, lib. 7. & belli Ciuilis, lib. 2. Cicero ád Atticum. lib. 9. epistola eius lib. 12. omnium 178. post princ. Amens mihi fuisse videor à principio: & me vna hæc res torquet, quòd non omnibus in rebus habentem, vel potius ruentem Pompeium, tanquam vnus manipularis, sequutus sum. Ouidius Fastorum,

Pertica suspensos portabas longa maniplos,
Vnde maniplaris nomina miles habet.

Seruius lib. 11. Æneidos, in eum locum,

Disiectique duces, desolatique manipli.

Signiferi, inquit, deserti, quod est nimij discriminis: namque hoc vbique dux præcipit, vt freqenter circa se sint milites, sicut in Sallustio legimus. Manipuli autem dicti sunt significti: quia sub Romulo pauper adhuc Romanus exercitus hastis fœni manipulos alligabat, & hos pro signis gerebat, vnde hoc nomen remansit, hactenus Seruius. Vide quæ dicta sunt suprà lib. 4. c. a.

u *Ex quibus Nero Augustanos.*] Corn. Tacitus lib. 14. Neronis gesta scribens, Túnque primum conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate ac robore conspicui, & pars ingenio procaces alij in spe potentiæ.

a *Et Diuus Claudius Decisianos.*] Scilicet, secundus, qui post Gallienum, Valeriani filium, imperauit, ex Trebellio Pollione in vita illius, Quæso igitur, inquit, mi Venuste, si mihi fidem exhibes, vt eum facias à Grato & Herenniano placari, nescientibus hoc militibus Dacisionis, qui iam sęuiunt, ne grauiter ferant.

y *Probus verò Decimanos.*] Flauius Vospicus in vita ipsius Probi. Et horum meminit Hirtius lib. 5. qui bello Africo est. Non agnosco signa Decimanorum. Cornelius Tacitus lib. 13. & 21. & Pomponius Mela lib. 2. c. 5. vbi horum coloniam fuisse Martium Narbonem tradit. At idem Hirtius lib. 6. qui de bello Hispaniensi est, Decumanos vocat. Hic Decumani suum locum cornu dextrum tenebant. vti Suetonius in Cæsare, c. 70. in princ. Quamquam & Decumani alios quoque significant: scilicet Publicanorum Principes, qui quæstus sui causa decimas redimunt, vt scribit Asconius Pædianus in 1. in Verrem act. De quibus ipse Cicero in 4. & 5 act.

z *Alexander Seuerus Ostensionales.*] Ælius Lampridius in vita ipsius Alexandri, Milites, inquit, quos Ostensionales vocant non pretiosis, sed speciosis, clarisque vestibus ornabat: nec multum insignibus, aut ad apparatum regium, auri & serici deputabat, dicens, Imperium in virtute esse, non in decore.

a *Tiberius Vigesimanos.*] Corn. Tacitus lib. 1. de Tiberio loquens, non vigesinianos scribit, sed vigesimanos, sic enim ait, Turbabantúrque densis Germanorum catervis leues cohortes, cùm Cæsar aduectus ad Vicesimanos voce magna, Hoc illud tẽpus obliterãdæ seditionis clamitabat, pergerent, properarent culpam in decus vertere, Et non paucis

interiectis,

& alij [b] Primanos, [c] Secundanos, [d] Quartanos, [e] Quartadecimanos, [f] Vndeuigesimaoos, [g] Duodeuigesimanos à legionum numcro, magnæ & experrę virtutis. Apud Spattanos Neodomadæ omnium habcntur fortissimi, quos [h] Persæ gardates dicunt. [i] Antoninus Cæsar lectos milites, Pitamitem & Laconicam centuriam appellauit. [k] Ægyptij [l] & Æthiopes, calasiries & hermothybies: Antiochus alam mille equitum, Gencam: [m] Dion verò Dionanos. [n] Illud tamen ad memoriam insigne est, milites Romani nominis à condita vrbe ad tribunos militares, & captam à Gallis vrbem, per annos ferè trecentos quinquaginta suo sumptu & impensa meruisse, ac stipendia fecisse: parte enim anni sub pellibus militabant: parte verò, liberis, vxori & penatibus sibique ac familiæ, agrum colendo, & rei rusticæ nanando operam, necessaria parabant. Quo autem tempore Veij diurina obsidione & intestino malo obsessi fuere, quum hyemare oporteret in castris, Romani vtili & necessario exemplo docti, militibus stipendium de publico statuēre, tunc primùm collara stipe, æra militibus constituta sunt. Et deinceps reliqua militia, sumptu & ære publico meruere. Nonnulli Auxore capto sub tribunis militaribus, patres stipendium annuum militibus decreuisse memorāt: [o] quod quidem denis assibus in dies singulos taxabatur. [p] Posteà Tiberio regnāre, singuli denarij diurni dari, prætorianis verò bini. Scipio Aphricanus instituit, vt prætorianis sesquiplex stipendium daretur, hoc est, integrum & dimidiatum. [q] Domitianus, quartùm stipendium aureos ternos, militi tradidisse fertur. [r] Apud Germanos epulæ & largi conuictus militi pro stipendio fuere. Cyrus ternos obolos singulis nautis stipendium dedit, quibus Lysander vnum adiici procurauit. [s] Ægyptij calasiriis & hermothybiis, quos præcipuos habebant milites, præter prædia dabant panis tosti pondera definita, & carnis bubulæ minas singulis: vini verò sextarios quaternos. [t] Mercenario milite populus Romanus perrarò adiutus fuit: solum enim Punico bello Q. Fabio Maximo, & T. Sempronio Graccho consulibus, ope externa adiutus bella gessit, [u] & in Hispania Celtiberi stipendiarij militis auxilio fultus, legiones duxit, [x] quos latrones, quòd mercede militarēt, quasi seruientes, nuncupauit antiquitas, qui plerumque circa imperatoris latera excubabant.

Neodomadæ. Gardates lecti milites. Calasiries. Hermothybies. Genca. Dionani. Ro. initio nullis stipendiis militabant.

Calasiries. Hermothyb. Milites mercenarij. Liuius libr. 4. Decad. 3.

ANNOTATIONES.

interiectis, Deliguntur legiones quinta dextro lateri, vndeuigesima in læuum, Primani ducendum ad agmen, Vicesimanus aduersum sequuturos.

b *Alij Primanos.*] Idem Tacitus vbi suprà proximè, & lib. 17. 18. 19. & 20. & sæpe alibi.

c *Secundanos.*] Idem Cor. lib. 21. & Liuius 4. Dec. lib. 1. post princ. & lib. 4. in duobus locis, vbi clarè declarat hos dici milites secundę legionis. Hos autem fuisse ex oppido Arausione Galliæ Narbonensis, tradunt Pomponius Mela lib. 2. cap. 5. & Plinius lib. 3. c. 4. Hos autem Hirtius in bello Alexandrino Secundarios vocat, nisi ibi mendum sit. Adde & tu Tertianos ex Cornel. Tacito lib. 12. & 19. non semel: & lib. 21. in princ.

d *Quartanos*] Idem Tacitus lib. 20. & Iulius Capitolinus in Claudio. Et adde Quintanos apud eundem Tacitum lib. 1. 17. 18. & 20. Sextanos apud Pomponium Melam lib. 2. c. 5. & Plinium lib. 3. c. 4. vbi hos dicunt fuisse ex Arelate. Septimanos ex ipso Tacito lib. 19. non semel, & Pomponio Mela eodem illo loco, vbi eos Septumanos appellat, eósque fuisse ex Blittera Narbonensis Galliæ: vti etiam Plinius vbi suprà. Et Vndecimanos ex eod. Tacito lib. 1. Et Tertiadecimanos ex ipso Tacito d. lib. 1.

e *Quartadecimanos.*] Cornelius Tacitus d. lib. 1. & lib. 4. 15. & 18. sæpe: vbi aliquando eos. Quartadecumanos vocat. & lib. 19. 20. & 21. Adde Quintadecimanos apud eundem lib. 1. & 20. Et Sextadecimanos apud eundem lib. 19. non semel.

f *Vndeuigesimanos.*] Idem Tacitus lib. 1. non semel, & lib. 20. & Hirtius in bello Alexandrino.

g *Duodeuigesimanos.*] Idem Tacitus lib. 19. & 20. Adde & Vnauigesimanos apud eundem lib. 18. Et Duo & vigesimanos ex eod. lib. 21. in princ.

h *Quos Persæ Gardates dicunt.*] Probus Æmylius in vita Datamis.

i *Antonius Cæsar.*] Scilicet Bassianus Caracalla, ex Herodiano lib. 4. cuius hæc sunt in vita ipsius Bassiani. Sed hîc legendum non Pitamitem, sed Pitanicam. Nam, vt ille dicit, ita hanc centuriam appellauit, quòd eam à Spartanis iuuenibus confecit.

k *Ægyptij.*] Herodotus lib. 2. paulò ante finem, & lib. 9.

l *Et Æthiopes.*] Herodotus d. lib. 9.

m *Dion.*] ita milites Dionis vocabat Sosis quispiam apud Plutarchum in vita ipsius Dionis, qui & ipse posteà sic eos appellat.

n *Illud tamen ad memoriam.*] Hæc omnia vsque ad versicu: Quod quidem, sunt maiori ex parte Liuij 1. Dec. lib. 4. non longè à fi. & iterum lib. 5. tum paulò post princ. tum statim posteà in Oratione Appij Claudij.

o *Quod quidem denis assibus.*] Et hæc sunt Taciti lib. 1.

p *Posteà Tiberio regnante.*] Idem Tacitus eodem lib. 1.

q *Domitianus.*] Suetonius in vita illius, c. 7. in fine.

r *Apud Germanos.*] Cornelius Tacitus libr. de Moribus Germanorum.

s *Ægyptij.*] Herodotus lib. 2. paulò ante fi. & lib. 9. de hoc etiam dictum suprà in verbo, Ægyptij.

t *Mercenario milite.*] Hæc vsque ad versicu. Et in Hispania, sunt Liuij 3. Dec. lib. 4. in fi.

u *Et in Hispania.*] Et hæc sunt ipsius Liuij eiusdem 3. Decad. libro 5. non semel, & Plutarchi in vita Catonis Censorij.

x *Quos latrones.*] Festus Pompeius lib. 10. Latrones, inquit, eos antiqui dicebant, qui conducti militabant, quasi λατρεύοντες, id est, seruientes: nam λατρεία est seruitus. Alibi autem, scilicet lib. 17. Stipatores corporis custodes, quos antiqui latrones vocabant: stipati enim ferro circumdant corpora Regum. Seruius libro 12. Æneidos ad principium, λατρεύειν, inquit, dicimus obsequi & seruire mercede. Vnde latrones vocantur conducti milites. Moris autem erat, vt hos Imperator & circa se haberet, & primos mitteret ad omne discrimen. At Varro ante hos lib. 3. aut aliorum computatione 6. Latrones dicti à latere, qui circum latera erant Regi, atque ad latera habebant ferrum: quos posteà à stipatione Stipatores appellarunt, & qui conducebantur. Ea enim merces dicitur Græcè λάτρον; ab eo veteres poëtæ nonnunquam milites appellant latrones, quòd item vti milites cum ferro, aut quòd latent ad insidias faciendas. Atque ita ex veteribus poëtis vsus est Plautus in Milite gloriosi actu 1. scena 1. ad fi.

Videtur: tempus est, vt eamus ad forum,
Vt in tabellis, quas consignaui hîc heri,
Latronibus ego dinumerem stipendium.
Nam Rex Seleucus me opere orauit maximo:
Vt sibi latrones cogerem & conscriberem.

Et de his quoque Hesichius.

Galli. Gessata. Caros. Prusias. Parthi. Britanni. Scytha. Chij. Syracusani. Armorũ militariũ atque ornatuum apud varias gẽtes diuersitas. Vascones. Ætoli. Pelasgi. Albani. Iberi. Saca. Persæ. Lusitani. Paphlagones. Spartani. Salentini. Gallograci. Cares. Parthi.

[y] Galli gessatas vocãt milites mercenarios.[z] Inter cæteros Cares mercede militasse, & auxilia conduxisse traduntur, ideo viliores habiti. [a] Fertur tamen Prusias conductis in Thracia mercenariis militibus, ita Bizantios obsedisse, vt extra mœnia progredi nequirent.[b] Parthi nec mercenarios, nec ordinarios habent exercitus, quibus nec certa imperia, nec duces erant. Sed postquam iussu regis ad bellum educti fuerãt, confectis bellis, ad propria dilapsi, nullam mercedem stipendiorum perferunt, nisi prædam Britanni non ære signato militant, sed aurum, argentum, & alia metalla precium victoriæ ferunt. [c] Scythis, nisi capite hostis oblato, miles prædæ particeps fieri nequit. Chij autem quum seruis mercenariis pro milite vterentur, bello subacti, seruis propriis vincti traditi, & in exiliũ acti sunt, sicut Syracusis aliquando possessores à clientibus exacti fuere.[d] Fertur verò Cato senior cum Celtiberorũ manũ ducẽtis talentis, & nimis magno stipendio cõduxisset, & ob id increpitus ab amicis foret, quòd summam nunquam exoluere valeret, respõdisse: si vicerimus, ex hostili præda illis satisfiet, si victi forsan erimus, non habebunt vnde putant. Fuit præterea memorię literis proditũ, apud tot dissonas gentes, linguis moribúsque differentes, varia etiam armorum specie & dissimili ornatu milites in aciem prodite, & cum hostibus congredi consuesse, quẽ sibi quisque proprium & peculiarem fecit.[e] Etenim Vascones tecto capite aut cum galea pugnare nefas habẽt.[f] Ætoli & Pelasgi dextro pede nudo dimicant, & sinistro crure vestito armis. [g] Albani & Iberi ferarum tergore caput amicti. [h] Sacæ Scythica gens, cristatis galeis in acutum desinentibus,[i] Lacones pileati. [k] Persæ turrito pileo,[l] Lusitani cristata galea & nervata casside, aut mitratis frõtibus, & iaculo hamato,[m] Paphlagones hasta,[n] Spartani breui pugione prælianrur. Salentini exerto humero. [o] Gallogræci nullo vestitu calceatúque amicti, quippe qui nunquam nisi in pugna nudentur.[p] Baleares discincti. [q] Cares funda. [r] Persæ, [s] Parthi,

ANNOTATIONES.

y *Galli.*] Plutarchus in Marcello. Seruius autem enarrans eum locum lib.8. Æneid. Virgil.

---Duo quisque Alpina coruscant
Gesa manu. ———

Hastas, inquit, vtiles. Nam etiam viros fortes Galli Gesos vocant. & vide suprà in verbo, Sicut Gesa Gallorum.

z *Inter cæteros Cares.*] Pomponius Mela lib.1. cap.16. Cares gens vsque eò quondam armorum pugnæque amans, vt aliena etiam bella mercede agerent. Strabo libr. 14. tradit hos tota quondam errasse Græcia, passimque stipendiis meruisse. Suidas scribit hos primos mortalium mercede militasse. Sed & adde Athenienses & Thessalos aliquãdo quoque mercede militasse, vt videre licet apud Plutarchum in Apothegmatis Alexandri. Et in vniuersum Græcos, apud eundem in Timoleone: vbi dicit eos ita militasse sub Carthaginensibus. & Q. Curtium lib.3. & 5. vbi priore loco dicit eos sub Dario, & posteriore sub Alexandro militasse. Et Gallos apud Iustinum lib.25. & Celtas, qui & ipsi ex Gallis sunt, apud Appianum in Libyco. Nardos & Iberos ex Plutarcho in Lucullo. Cæterùm Arrianus gestorum Alexandri, lib.2. tradit ab ipso Alexandro mercenarios milites primos in acie fuisse collocatos.

a *Fertur tamen Prusias.*] Et Perseus Macedonum Rex, ex Plutarcho in Paulo Æmylio.

b *Parthi.*] Iidem autem exercitum non, vt alij liberorum, sed maiorem partem seruorum habent, ita vt Antonio illic bellum referenti cum 50. millia equitum occurrerent, soli 500. liberi fuerunt, vt scribit Iustinus lib.41.

c *Scythis.*] Herodotus lib. 4. Nam capite allato, fit prædæ quancunque ceperit, particeps, alioqui expers.

d *Fertur autem Cato senior.*] Plutarchus in vita illius.

e *Etenim Vascones.*] Sed & Persæ quoque nudo capite præliabantur, vt tradit Xenophon in Cyro minore lib.1. quamuis Herodotus circa capita pilea, quas vocant tiaras, impenetrabilia gestare testetur lib.7.

f *Ætoli & Pelasgi.*] De vtrisque Macrobius lib.5. Satur. c. 18. At Hernici contrà pugnabant nudo pede sinistro, altero armato: vt videre licet apud Virgilium lib.7. Æneid.

---Vestigia nuda sinistri
Instituere pedis, crudus tegit altera pero.

Et ad hunc morem respiciens Iuuenalis saty.6.

---Crurisque sinistri
Dimidium tegmen

Ea autem de Ætoliis est ex Euripide loco à Macrobio citato: quem tamen Aristoteles in lib.2. de Poëtis in hoc reprehendit, quòd Æoli non sinistrum pedem nudum, sed dextrum: ac Virgilium sequi maluisse Aristotelem.

g *Albani & Iberi.*] De his duobus Strabo sic ait libr. 11. Clypeos & thoracas habent, item ferinas galeas, quemadmodum Iberes ex Albana regione. De his etiam Plutar. in Pompeio, sed paulò aliter.

h *Sacæ.*] Herodotus lib.7.

i *Lacones pileati.*] Festus Pompeius lib. 14. Pilea Castori & Polluci dederunt antiqui, quia Lacones fuerant, quibus pileatis pugnare mos est.

k *Persæ.*] Strabo lib.15. non procul à fine.

l *Lusitani.*] Idem lib.3.

m *Paphlagones.*] Maximus Tyrius sermone 3. post princ.

n *Spartani.*] Plutarchus in Licurgo.

o *Gallograci.*] Liuius 4. Dec. lib.8.

p *Baleares discincti.*] Strabo lib.3 vti & Massesylos & Lybes de quibus dicemus in fine huius cap.

q *Cares funda.*] Maximus Tyrius ser. 3. in princ. Sed & adde ipsos Baleares, vt plenè suprà diximus. Et Acarnanes, ex Thucydide belli Peloponnesiaci, lib.2. Et Rhodios, ex eod. lib.6. & Xenophonte lib.5. expeditio. Cyri minoris. Et Cyrtheos, ex Liuio 4. Dec. lib.7. Et Cretenses ex Appiano bellorum Ciuilium, lib.2. non semel. Et Persas, ex Strabone lib. 15. Et Carduchos, ex ipso Xenophonte eiusdem illius operis lib.4. Thraces, ex Appiano lib.2. bellorum Ciuilium: & Maurusios & Gymnesios, ex Appiano in Libyco. Et Ligystos, qui adeò solerter fundam agitant, vt conspectis auibus singulas ictibus singulis destinent, tanquam certi momento omnes casuras, vt scribit Aristoteles in lib. Mirabilium auscultationum. Sed ne erres, Baleares de quibus locuti sumus Gymnastæ quoque dicuntur: quos hîc, ni fallor, interpres Appiani Gymnastos vocat.

r *Persæ.*] Xenophon lib.1. Pædiæ Cyri. Herodotus lib.1. vbi hos dicit docere liberos suos sagittare. Strabo lib. 15. Hincque illud Virgilij lib.4. Georgic.

Quáque pharetratæ vicina Persidis vrget.

Et Persarum sagittariorum meminit Polybius lib.5.

s *Parthi.*] Seneca ad Lucilium epist.36. Si, inquit, in Parthia natus esset, arcum infans statim tenderet. Suetonius in Vespasiano cap.6. in fin. vbi Vologesus rex Parthorum ipsi Vespasiano promisit quadraginta millia sagittariorum. Appianus lib. 4. bellorum ciuilium, vbi de exercitu Bruti & Cassij. Plutarchus in Crasso. Herodianus lib.1. & iterum 4. in epistola Antonini Bassiani ad Artabanum Parthorum regem. Dion in Pompeio. Et ex poëtis Virgilius quo loco citabimus infrà proximè in verbo Cydones, & Catullus epigram.11. vbi eos sagittiferos appellat: & Claudianus in

[t]Cydones,[v] & Macæ sagittis. [x] Thraces pelrati cum iaculis & rompheæ. [y] Lacones gladio breuiori. [z] Carthaginenses breuibus spiculis.[a] Oretani iaculo, funda,& gladio.[b] Numidæ & Massæsylij effre natis equis,& sine ephippiis,mirabili velocitate,ita vt modò citato agmine fugiant, modò insequantur,miræ ad cauendum solertiæ : nonnunquam binos trahentes desultorios equos,ita vt inter pugnandum ex fesso in recentē armati confestim transcendant, quod compar fuit[c]cum Sueuis & Dardanis, qui pariter confertim pugnant & cedunt. Samnites vibrare hastas antequam dimicent, assuerant: quibus in prælio non vtuntur.Euboici & [d] Afri hastis congrediuntur, quas vocant phalangés.[e] Cretenses Cydonio arcu & saltu.[f]Andabatæ nisi obscuro cælo, nouo & inusitato genere, clausis & conniuentibus oculis, aut in caligine & tenebris pugnant. [g] Idem apud Arios, qui iuxta Sueuos incolunt,vt nisi atra nocte præliari liceat, nigro scuto, corpore colore fucato, & oculis vinctis. [h] Auctyles quoque Libyci populi, noctu pugnare discunt: die habent inducias,[i] At non Parthi, quibus pugnare in tenebris est lege vetitum.[k]Lacones verò,vt in tenebris pugnare discerent, nunquam noctu præuio lumine incedebant.[l]Contrà Athenienses:nam è cubiculo egredi noctu, nisi prælato lumine, Solonis lege vetabantur. [m] Galli prælongis gladiis, & sine mucronibus, & vastis scutis supra vmbilicum,nudi dimicabant,[n]Hispani breuioribus & acuminatis,leues agilitate corporum,& armorum habitu:nam linteis prætextis,cum purpura & candidissimis tunicis præliantur.[o] Ægyptij scutis oblongis ita vt vix hostem conspiciant,& magnis hastis.[p] Achæi breuioribus,neque ad protegēda corpora habilibus,& hastilibus minoribus,quibus Philopœmenes pro scuto clypeum,pro hastili sarissam dedit, [q] Macedones graui armatura,[r]breui gladiolo , & leuibus peltis. Medi & [s] Thessali equitatu valent.

Cydones. Macæ. Thraces. Carthaginienses. Oretani. Numidæ. Massylij. Samnites. Euboici. Cretenses. Andabatæ. Arij. Austryles. Parthi. Lacones. Athenienses. Galli. Hispani. Ægyptij. Achæi. Macedones. Medi. Thessali.

ANNOTATIONES.

Epithalamio Honorij & Mariæ in princ.
Princeps corusco sydere pulchrior,
Parthis sagittas tendere certis.
Et vide infrà io verbo,Parthi,& in ver.Aut sagittis.

t *Cydones.*]Strabo lib 10.& Virg.lib.12. Æneid.
Non secus ac neruo per nubem impulsa sagitta
Armatam saui Parthus quam felle veneni
Parthus siue Cydon telum immedicabile torsit,
Stridens & celeres incognita transilit vmbras.

u *Et Maca.*] Quod hi sagittis vtantur,non memini me legisse. De eorum autem in bello tegumentis dicemus infrà.

x *Thraces.*] Maximus Tyrius Serm. 3. in princip. & iterum Serm.7.& quod de iaculis dicit Ouidius in Ibim,
Pugnabunt iaculis dum Thraces.

y *Lacones.*] Plutarchus & in Lycurgo,& in Dione ad fin. & in Apophthegmatis Agidis & Antalcidæ. Ex quo & Lacæna quæpiam,nomen enim ignoratur,ad filium dicentem se paruum ensem habere, Adde,inquit,& gressum:quod & ipse Plutachus refert in Apophtheg.Laconicis.

z *Carthaginenses.*]Plutarchus in Marcello. Distribuerat autem naualis belli longiora pila militibus, eminúsque illis ferire Carthaginenses docuerat:qui cùm iaculari nesciant, breuibus vtuntur mano spiculis.

a *Oretani.*] Strabo lib.3.

b *Numidæ & Massæsylij.*] De his duobus Strabo lib. 17. nisi hi iidem sunt,quod eidem placet in alio loco eiusdem libri. Et de ipsis quoque Numidis Liuius 3.Dec.lib.3 Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso transsultare moris erat. Tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus est. Idem quoque 4.Dec.lib.5. Equi,inquit, paruuli & graciles, discincitus & inermis eques,præterquam quod iacula secum portat,equi sine frenis. Et paulo pòst, Numinæ adequitare, dein refugere , sed propius saltu paulatim euehi : & cætera quæ sequuntur. Adde antem quòd & huiusmodi equis desultoriis vtebantur Indi apud Herodotum lib. 7. Et de his quoque Suetonius in Cæsare c.39.

c *Cum Sueuis.*] Cæsar de bello Gallico lib. 4. non longè à princ. Equestribus præliis sæpe ex equis desiliunt,ac pedibos præliantur,equosque eodem remanere vestigio assuefaciunt,ad quos se celeriter,cum vsus est,recipiunt.

d *Et Afri.*]Plinius lib.7.cap.56. Prælium,inquit,Afri contra Ægyptios primum fecere fustibus, quos vocant phalangas. Et de huiusmodi phalangis Cæsar lib.2.belli Ciuilis. Vide Nonium Marcellum vbi de phalangis authoritate Varronis lib.4.de vita populi Romani.

e *Cretenses.*]Ouidius lib 2.Metamorph.
—Cydonio fundebat spicula cornu.
Est autem Cydon insigne Cretæ oppidum,teste Plinio lib. 15.c.11. Sed & hi pugnas faciunt comminus & fustibus, vt tradit Heraclides in Politicis.

f *Andabata.*] D. Hieronymus in Iouinianum , Melius est clausis, quod dicitur, oculis Andabatarum more pugnare. Et rursum aduersus Heluidium, More Andabatarum in tenebris gladium vibrans,&c.

g *Idem apud Arios.*] Cornelius Tacitus libr. de moribus Germanorum,non multò ante finem.

h *Auctyles quoque Libyci.*] Nam id ipsum facere βαυχύλας Λίβυας, Basultos Libyes tradit Nicolaus ἐν τῷ ἐθῶν apud S robæum serm.42.

i *At non Parthi.*]Plutarchus in Crasso & in Antonio.

k *Lacones verò.*] Plutarchus in Apophthegm. Laconicis. Sed nec sic,si luna esset rotūda, id est,in plenilonio,in bellum non procedebant,vt scribit Strabo lib.9.De quo & tu vide Lucianum in libello de Astrologia,& ante hunc Herodotum lib.6.& Diogenianum in Adagio , ἐκ πανσελήνου De quo Erasmus chil.1.cent.5.c.85.

l *Contrà Athenienses*] Plutarchus ib vita Solonis.

m *Galli.*] Strabo lib 4. Liuius 3. Dec. lib. 2. in pugna Canenensi,& 4.Dec.lib 8.in oratione Cn.Manlij & Polybius lib 3.vbi loquens de illa ead. Caonensi pugna, Gallis, inquit, Hispanisque scuta eiusdem formæ erant, dispares ac dissimiles gladij Nam Hispani quidem breuitate agiles,& cum mucronibus non minus punctim quàm cæsim feriebant. Gallici verò prælongi ac sine mucronibus erant. Harum gentium aspectus specie ipsa ac nouitate rei terribiles videbantur.Galli supra vmbilicum nudi pugnabant. Hispani linteis purpura prætextis & candidissimis tonicis præliabantur.Ea quibus intelligis hunc locum & sequentem fuisse ab Alexandro desumptum.

n *Hispani.*] Liuius dict.3.Dec.lib.2.& Polybius vbi suprà. Et vide quæ dixi de gladio Hispaniensi suprà hoc eodem cap.in verbo,Hispanum gladium.Ipse autem Polybius lib. 6.quo loco describit Romanorum castrametationem,dicit ensem Hispaniensem ancipitem esse,& mucrone eximio.

o *Ægyptij.*] Xenophon Pædiæ Cyri lib.6. non semel , & iterum lib.7.& Maximus Tyrius Serm.3.in princ.

p *Achæi.*] Plutarchos in Philopœmene.

q *Macedones graui armatura.*] Maximus Tyrius Serm.3. in princ.Nam & bos galeatos fuisse tradit Polybius lib.4.

r *Breui gladiolo & leuibus peltis.*] Hæc duo sunt Plutarchi in vita Pauli Æmilij.

s *Et Thessali.*] Maximus Tyrius Serm.3.in prin.Itérūmq; 7.

Massagetæ. Assyrij. Syri. Arabes. Bactriani. Bathriani. Indi. Mauri. Laxamathæ. Nomades. Roxani. Æthiopes. Parthi.

[t] Massagetæ equis & peditibus. Assyrij, Syri, [u] Arabes, † atque Asiatici ferè omnes frequentius de curru præliantur: sicut [x] Britanni, qui ingentibus gladiis sine mucrone, [y] & breuibus cetris ictus excipiunt. [z] Ipsi etiam Arabes velocibus camelis comminus oblongo gladio, eminus arcu & sagitta, [a] Bactriani bipennibus & leuibus scutis. [b] Indi arcu tricubitali vel hasta, pelta, & lato gladio. [c] Mauri leonum & elephantum pellibus vrsorúmque amicti bella gerunt: [d] Circa Mæotim Laxamathæ viri pedibus, fœminæ equestri prælio, non ense, sed laqueo depugnãt. [e] Sicut Nomades, qui Persicè viuunt, hostem illaqueatum conficiunt. Ex [f] Germanis Roxani scuto, thorace & galea ex crudo bouis corio, reliqui immẽso scuto armantur, & hasta enormi. [g] Æthiopes arcubus longis non minus quatuor cubitis, & sagittis longissimis. [h] Parthi missilibus telis, aut [i] sagittis assuescunt, citis cohortibus [k] nunc occursantes, nunc terga dantes, simulata fuga: [l] quod apud Scythas & [m] Germanos fortissimum pugnæ genus censebatur, vt cedere loco & rursus instare, pro consilio haberent: [n] quibus vsus erat cum fœminis equabus præliari, quòd vesicas cursu leuarent, mares verò in aciem non producere. [o] sicut Bathriani fœminas camelos, ad bella præparant, maribus in expeditione non vtuntur. Sed tametsi Persæ, Medi & Assyrij, effuso cursu procursando, eminus iaculis & sagittis hostem incesserent, haud longis inde tem-

ANNOTATIONES.

Adde & Galatas Istrum incolentes, quos Basternas vocant, ex Plutarcho in Paulo Æmylio: & Scythæ ex Plinio lib. 8. cap. 42.

t *Massagetæ.*] Herodotus lib. 1. ad finem.

u *Arabes.*] Diodorus Siculus lib. 6. c. 1. aliàs 10. & Lucanus lib. 7. ibi,

—Arabésque soluto
Arcu turba minax, &c.

† *Atque Asiatici.*] Xenophon Pædiæ Cyri lib. 6. vbi de his. Et adde Pharusios & Nigretes ex Strabone lib. 17. Et Zabeces, vbi fœminæ auriganitur currus in bellum, ex Herodoto lib. 4. Et Pœnos, ex eodem lib. 7. Curribus autem falcatis vsos fuisse Persas, testimonio est Q. Curtius lib. 4. & alibi sæpe.

x *Sicut Britanni.*] Qui scilicet ex curribus præliantur Diodoro Siculo lib. 6. c. 8. & Pomponio Melæ lib. 3. c. 6. vbi & hos dicit falcatis axibus vti.

y *Et breuibus cetris.*] Herodianus lib. 3. scribit eos scuto angusto & lancea esse contentos, & gladio nudis corporibus dependente. Tacitus autem lib. 12. tradit apud illos nulla loricarum galearúmve tegmina fuisse.

z *Ipsi etiam Arabes.*] Liuius 4. Decad. lib. 7. His, inquit, insidebant Arabes sagittarij gladios habentes tenues, longos quaterna cubita, vt ex tanta altitudine contingere hostem possent. At Arabes Agrani dicti vtebantur arcu & lancea, & gladio & funda, & magna ex parte bipennibus: vt tradit Strabo libr. 13. Sed & adde Vrsilianos in Africa, & Macetes vti camelis in bellis, authore Vegetio libro 3. cap. 23.

a *Bathriani.*] De his Herodotus lib. 7. & Quintus Curtius lib. 3. non admodum longè à princ. vbi tamen hos Barchanos vocat, nisi mendum sit, quod minimè credo. Nam posteà de Bathrianis separatim loquitur. Sed & adde quod nuper de Arabibus diximus. Et quòd Penthesilea etiam bipenni in bello vtebatur. Claudius in Eutropium lib. 1.

—Danai fugere bipennem
Penthesilea tuam. ———

b *Inde arcu tricubitali.*] Indorum sagittæ sunt binorum cubitorum, quas emittunt maiore nixu, quàm effectu, ex Q. Curtio lib. 8. & iterum lib. 9. Postea autem eodem lib. 8. scribit eos longas & prægraues & nisi priùs in terram statuerint arcum, non satis aptè & commodè eas imponi. Ante hunc Strabo lib. 15. horum tradit armaturam esse arcum & sagittas tricubitales, vel hastam & peltam & gladium latum, tricubitalem. Ex quo hunc omnino locum accepit Alexander.

c *Mauri.*] Strabo lib. 17. Sed & Macæ in bellum pelles terrestrium struthionum pro tegumento ferunt, vt tradit Herodotus lib. 4.

d *Circa Mæotim Laxamathæ.*] Pomponius Mela libro 1. cap. 21.

e *Sicut Nomades.*] Herodotos lib. 7. & Pausanias lib. 1. vbi & eosdem Sarmatas vocari dicit.

f *Ex Germanis Roxani.*] Strabo lib. 7.

g *Æthiopes.*] Herodotus lib. 7. Strabo libr. 17. Hi autem Æthiopes, qui Silli vocantur, Orygum cornibus pro armis vtuntur, vt scribit idem Strabo lib. 16. Sed Æthiopes Megabari clauas gerunt ferreis nodis ferratas. Vtuntur etiam lanceis & scutis ex corio confectis, reliqui arcu & lancea, vt & ipse scribit eodem libr. 16. Sed & Diodorus Siculus lib. 4. c. 1. de Æthiopibus, qui vtrasque Nili ripas, insulásque in Nilo sitas habitant, Arma, inquit, ferunt scuta ex corio crudo bouis, ac paruas hastas, & ex his alij præacutas sudes, quandoque ligneos arcus quatuor cubitorum, quibus sagittant altero protenso pede. Consumptis sagittis, sudibus pugnant.

h *Parthi.*] Cornelius Tacitus lib. 15. & Plutarchus in vita Marcelli, & Crassi.

i *Aut sagittis.*] Idem Plutarchus in Crasso. Virgil.

Fidentemque fuga Parthum, versisq; sagittis.

k *Nunc occursantes, nunc terga dantes, &c.*] Virgilius vbi suprà. Tacitus lib. 5. cuius eadem hæc verba sunt. Iustinus lib. 41. Plutarchus vbi suprà. Hincque Lucanus lib. 8. Parthorum fugax bellum vocat.

l *Quod apud Scythas.*] Plutarchus in Mario. Porphyrion in Horatium lib. 1. Car. Ode 35. vbi hinc dicit eos profugos dici ab Horatio ibi.

m *Et Germanos.*] Tacitus in lib. de Moribus Germanorum.

n *Quibus vsus erat.*] Scilicet Scythis, ex Plinio lib. 8. c. 45. Homerus autem lib. 2. Iliados in Catalogo tribuit palmam velocitatis equabus Pheretiadiis ab Eumelo ductis ad bellum Troianum. Hi enim sunt versus illius,

τίς τ' ἂρ τῶν, ὄχ' ἄριστος ἔην, σύ μοι ἔννεπε μοῦσα
αὐτῶν, ἠδ' ἵππων, οἳ ἅμ' Ἀτρείδῃσιν ἕποντο.
ἵπποι μὲν μέγ' ἄρισται ἔσαν Φηρητιάδαο,
τὰς Εὔμηλος ἔλαυνε ποδώκεας ὄρνιθας ὥς.

Id est,

Quis horum optimus erat, tu mihi dic Musa,
Ipsorum & equorum, qui simul Atridas sequebantur.
Equæ quidem multò optimæ erant Pheretiadæ,
Quas Eumelus ductabat, veloces pedibus tanquam aues.

Hucque spectat illud Virgilij lib. 1. Georg.

---- *Eliadum palmas Epiros equarum.*

Vbi Seruius, equas dicit, quia velociores sunt quàm equi: quia (vt ait Plinius) inter currendum emittunt vrinam. Locus autem ipsius est lib. 8. c. 42. Probus autem in eundem locum Virgilij, Quare, inquit, equarum potius quàm equorum dicat, ipse rationem suam explicat, cùm ait lib. 3. eiusdem operis.

Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ
Pascit equos, seu quis fortes ad aratra iuuencos
Corpora præcipuè matrum legat: &c.

o *Sicut Bathriani.*] Solinus c. 62. aut aliorum computatione 32. Cuius, vt opinor, ratio est, quòd cameli mares in currendo non sunt pares fœminis: vt scribit Herodotus libro 3.

p *Lyd,*

poribus Persæ optimates, thorace pectus, scuto sinistram, dextram gladio vel securi muniuerũt.[p] Lydi quoque & plerique barbari, longis braceis & longis cristis, sed breui arcu & spiculo armãtor. Quod autem de Cydoniis loquor non omittendum, nullos Græcorum[q] præter Cretenses sagittis vti, institutum patrium esse:[r] nec solum Cydones, & Parthos cæteruis sagittariorum valere, quos[s] hippotoxotas vocant, sed[t] Æthiopes,[v] Arabas,[x] Indos,[y] Scythas,[z] Bathras,[a] Sarmatas,[b] adde ægyptios,[c] & orientis populos, contra ingentes hostium copias,[d] calamorum & sagittarum iactu præcipue valuisse,[e] quibus plerumque solem obumbrant, & ideo serenos exoptant dies,[f] præ cæteris Magnesij artem sagittandi habuisse traduntur præcipuam, vbi oppidum[g] Mothona, in[h] quo Philippus sagittæ iactu amisit oculum. Scythis autem adeò sagittarum studium fuit, vt dextra ac sinistra pariter iaculari, & vice alterna in hostes mittere, sublato discrimine, callerent.

ANNOTATIONES.

p *Lydi quoque.*] Et hi quidem erant equitatus periti, hastasque perlongas gestabant, ex Herodoto lib.1. Sed & sagittarij erant apud Polybium lib.5.

q *Præter Cretenses.*] Nam hos sagittarios optimos fuisse videre est ex Xenophonte in expeditione Cyri minoris lib. 5. Thucydide lib.6. belli Peloponnesiaci. Cæsare belli Gallici, lib 2. & item lib.3. non multò post princ. Diodorus Siculus lib.6.c.15. Strabo lib.1. Liuius 4. Dec. lib.7. & 8. Pausanias lib.1. vbi scribit, antiquis temporibus ex omnibus Græcis Cretensibus gentilitium telum sagittas fuisse, ex quo loco Alexander accepisse videtur id quod hic scribit. Plutarchus in Gracchis. Q. Curtius lib. 4. Ælianus Variæ historiæ, lib 1. Max. Tyrius Serm.7. Arrianus Gestorum Alexand. lib. 2. Solinus cap.16. Trebellius Pollio in vita Claudij Secundi. Hincque illud Virg. lib.3. Georg.

--- Cressamq; Pharetram.

Et ibi Probus, qui eos dicit optimos esse sagittarios. Et vide quæ dixi suprà lib.1. cap.20. Cydones Cretenses dici tradit Seruius in lib.10. Æneidos in eum locum,

---- Infelix noua gaudia Cydon.

Nam & Cydona mater vrbium Cretensium dicebatur, vt tradit Lucius Florus Epito.3. In bello Cretico. Et hinc illa Lucani lib.7.

---- Et Creta Cydonas
Misit.

Quod hic author noster ignorasse videtur.

r *Nec solum Cydones, Persas & Parthos.*] De quibus tribus suprà dictum est hoc eodem cap.

s *Quos Hippotoxotas.*] Id est, equites sagittarios, de quibus suprà diximus hoc eodem cap.

t *Sed Æthiopes.*] Vt diximus suprà hoc eodem cap. in verbo Æthiopes. Sed quibus adde Nisicastas & Nisitas ipsorum Æthiopum populos, ita dictos, non quod trinos & quaternos oculos haberent: sed quia sagittis præcipua contemplatione vterentur, ex Plin. lib.6.c.30.

u *Arabas.*] De Arabibus sagittariis diximus, item suprà ex Liuio. Cui adde & eundem Liuium 4 Dec. lib.7. & Plinium lib.16.c.36. Appianum Alexandrinum bellor. Ciuilium, lib. 4. vbi describit exercitum Bruti & Cassij.

x *Indos.*] Plinius vbi suprà. Et hos fuisse sagittarios optimos tradit Philostratus in vita Apollonij lib.2.c.15.

y *Scythas.*] Xenophon lib.3 Expeditionis Cyri minoris. Plinius vbi suprà, & Q. Curtius lib.7. in Oratione Legatorum Scytharum ad Alexandrum. Ex quo Virgilius de his loquens in Ciri,

Et gens illa quidem sumptis haud tarda pharetris.

Et Horatius lib.3. Carm. Ode 8.

Iam Scythæ laxo meditentur arcu
Cedere campis.

Et præcipuè Geloni, qui ex his sunt. Horatius lib.3. Carm. Ode 4.

Visam pharetratos Gelonos.

Vbi Acron, Geloni, inquit, gens Scythiæ sagittis potens: citatque illud Virgilianum. De Dacis, qui & ipsi ex Scythia sunt, est illud Horatij eod. lib.3 Ode 6.

Deleuit vrbem Dacus & Æthiops,
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.

Vbi Acron dicit hos Germanos esse, citans illud,

Aut coniurat descendens Dacus ab Istro.

Et de Iazygibus, qui & ipsi sunt Scythæ, Ouidius in Ibim,

Pugnabunt iaculis dum Thraces, Iaziges arcu.

Ita enim legendum monet Mycillus, non Iapyges.

z *Bathras.*] Bactros dicit Plinius, à quo totus hic locus sumptus est, dicto lib.16.c.36.

a *Sarmatas.*] Cornelius Tacitus lib.5. Plinius vbi suprà.

b *Adde Ægyptios.*] Plinius ibidem.

c *Et Orientis populos.*] Plinius item in eodem loco, & Iulius Capitolinus in vita Maximini senioris, cuius hæc verba sunt, Et ob hoc maximè orientalia secum trahebat auxilia: quia nulli magis contra Germanos, quàm expediti sagittarij valent.

d *Calamorum.*] Nam Plinius vbi suprà scribit hos, qui suprà proximè nominati sunt, calamis in bello vti.

e *Quibus plerumque solem obumbrant, & ideo, &c.*] Sunt verba Plinij in eodem loco.

f *Præ cæteris Magnesij.*] Solinus cap.13. aut aliorum distinctione 14.

g *Mothona.*] Methona vel Methone legendum est ex Iustino & aliis quos statim citabo.

h *In quo Philippus.*] Iustinus libr. 7. ad fin. Solinus vbi suprà Diodorus Siculus lib. 16. Callisthenes lib.3. rerum memorabilium, & ex eo Plutarchus in Parallelis c. 15. & in vita Sertorij. Adde autem & omnibus superioribus sagittariis Carduchos, quos Xenophon in Cyro Iuniore libr. 4. scribit fuisse sagittandi peritissimos, ac arcubus vsos fuisse ternum cubitorum, sagittis nihilo binum cubitum breuioribus, neruum intendisse, applicato ad imum arcum læuo pede, sagittasque scuta & loricas penetrasse. Et Sacos ex eodem Xenophonte in Pædia Cyri libr. 5. Et Massagetas ex Herodoto lib.1. ad finem. Gelonos ex Virgilio, qui eos sagittiferos vocat lib.8. Æneid. ad fin. Et Iaxamathas ex Pomponio Mela lib.1.c.20. Basilides ex eodem lib 2, cap.1. Mauros ex Herodiano lib. 6, ante fin. & lib. 7. vbi eos Maurusios appellat, nam & hi iidem sunt. Medos ex Lucano libr. 4. ibi,

--- Æquaturusque sagittas
Medorum.

Et Appiano lib.4. bellorum ciuilium in descriptione exercitus Bruti & Cassij. Getas ex Ouidio lib. Tristium 4. eleg. 10. eademque vltim.

Iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis.

Odrysios, Triballos, & Illyrios ex Diodoro Siculo lib. 17. c. 2. Et Armenios ex Æliano de Instruendis aciebus cap. 45. Dacos ex Liuio 4. Decad. lib. 5. in descriptione exercitus Romanorum & regis Antiochi. Albanos ex Strabone lib. 11. vbi eos dicit iaculatores & sagittarios habere clypeos & thoraces & ferreas galeas. Quod volui & ad hoc caput adiicere, quo non solum de arcubus & sagittis, sed & de aliis gentilitiorum armorum generibus tractaret. Ideóque & hæc prætereà addam Massæsylios & Lybes vti solitos pelta parua ex corio confecta, lancea lata & parua distinctos, ex Strabone lib.17. Volscos dolonibus etiam vti solitos, ex Probo in Virgilium lib. 2. Georg. in id referente illud ipsius Virgilij.

--- Volscósque verutos.

Quasi

Quasi scilicet veru & dolon idem sit. Ionibus fuisse breues arcus & breuia spicula & longas brachas, longásque in capite cristas ex Herodoto lib.5. Deruicibus hastas ferro præfixas,& nonnullis eorum hastas igne duratas,ex Q. Curtio lib.3. Sobiis Indorum populis clauas pro telo fuisse, ex eodem lib.9. Chalybibus hastas lógas ad cubita 15. vnica præfixa cuspide, ex Xenophonte de Cyri minoris expeditione lib.4.

Quid sit lex, quid plebiscitum, senatúsve consultum, quid prætorum edicta, vel responsa prudentum.

CAPVT XXIII.

Nulla leges Romæ ex scripto populi iudicio.

VERVM est [a] quod proditur ab authoribus, à principio originom nullas apud Romanos ex scripto populi iudicio leges latas fuisse: sed quod reges iudiciũ statuebant, id pro lege seruabatur. [b] Arbitria enim principum pro legibus erant: quippe condendarum legum ius arbitriúmque tunc penes reges erat, quum delictorum pœnas præmiáque cõstituuntur, & querelas ciuium criminationésque admittunt. [c] Hinc à Romulo leges curiatæ, & reliquis regibus, præcipuè à Seruio Tullio, absque populi consilio, sed tantùm cõsulto senatu, [d] leges sacratæ fuere, quibus etiam reges tenebantur: quas sine ordine latas [e] Papyrius in vnum collegit & aceruauit, vnde ius Papyrianum dictum. Quum verò exterminatis regibus, consules & annui magistratus præessent, ius potestásque omnis legis condendæ consulibus collata fuit: qui quoties ex vsu erat, ex consulto senatus leges ad populum tulere, quæ firmæ illibatæque mansere. Neque nonsules modò, sed dictatores prætores ædiles, censorésque ad populum iura dare, & legem ferre poterant, eáque promulgata & demum lata populi iussu, patribus authoribus, ita summos ac infimos astringebat, vt obedienter imperata facere oporteret. Quòd si in lege ferenda pupulus aduersaretur, aut senatus illam non acciperet, quippe quĩ eam ferri aut promulgari non sineret, nullius exempli, nullarumque vitium esse censebatur. Ferebat enim præco legem ad populum ex authoritate & iussu dictatoris, consulis, prætorísve, subiiciente verba & præeunte scriba: qui quum illam promulgasset, id demum firmum erat, si in eo quod lege cauebatur, populus author fieret. Ipsaque lata & promulgata, atque in æs incisa, & in ærariũ condita, ita eius scitis omnes astringebat, vt eius firma maneret authoritas: aduersusque eam si quid factum foret, posset nõ iure factum videri. Mulcta quoque per legẽ lata aduersusque eum qui secus fecisset, impunè irrogari quibat. Si quid tamen ea promulgata, addendum legi foret, detrahendúmve, antequam in foro proposita, & in æs incisa fuisset, facilè licebat: posteà verò vetabatur. [f] Si tamen non trinundino lex promulgaretur, [g] aut Ioue tonante, vel per vim & minas, [h] seu per fulgura & tempestates, vel die ominoso & piaculari edita: [i] si contra plebis tribunorumve intercessiones, [k] aut denique contra auspicia feratur: si neque iurata per cõsules tribunósve esset, poterat haud dubiè abrogari, & pro infecta haberi. Quare quum M. Iubilius Drusus tri. pl. leges pro optimatibus tulisset, Philippus consul qui ei infensus aderat, obtinuit à senatu, vt leges eius vno senatusconsulto tollerẽtur, quia contra auspicia latæ erant, propterea illis populum nõ teneri. Neque enim fas erat pro lege recipi, quod vitio, & non iusto imperio editum fuisset aut promulgatum: idque [l] lege veteri cauebatur, his verbis: Legum iusta imperia sonto, hisque ciues modestè & sine recusatione parento, & infrà: [m] Dictum est autem trinundino leges ferri, quòd tribus nundinis proponi leges, demum promulgari deberent. [n] Siquid tamen alicui ob gratiam, quòd dignum aliquod operæ pretium fecisset, contra ius publicum aut legem scriptam indulgendum foret, nonnunquam senatu postulante, populi iussu lex abrògabatur, vt ille legibus solueretur, exemplo Lacedæmoniorum, & ius interim conniuebat, eadémque post annum ferebatur denuo. [o] Alexander verò Seuerus imperator nullam sacrasse dicitur legem sine XX. iurisperitorum, & quinquaginta disertissimorum consilio. Quod quidem ius, in legem, morem, & æquitatem veteres diuiserunt: [p] iusque ad res humanas, fas ad religionem pertinere voluerunt. [q] Sed notandum, non solùm leges editas consensu populi sacrata, sed & scita plebis, senatusconsulta, edicta magistratuum, ac

Leges curiatæ. Leges sacratæ. Papyrianum ius.

Qua demum leges ratæ erant Romanis.

Qua lex abrogari poterat, & pro infecta haberi. Trinundino leges ferri. Legis abrogatio ad gratiam priuati cuiuspiã. Iuris diuisio. Fas. Leges sacratæ.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIII.

a *Quod proditur ab authoribus.*] Dionysio Halicarnass. lib.2. Liuio 1.Decad. lib. 1. Plutarcho in Romulo, & Numa Pompilio, & Pomponio Iurisconsulto in l. 2. in princ.ff.de orig. Iuris.

b *Arbitria enim principum,*] Iustinus lib.1 in principio.

c *Hinc à Romulo leges Curiatæ & reliquis. &c.*] Dionysius Halicarnass. libr.1. & Pomponius Iurisconsultus vbi suprà. Et de huiusmodi legibus Liuius 1.Decad. lib. 5. Cornelius Tacitus lib.2. Suetonius in Augusto cap. 65.

d *Leges sacratæ fuerunt.*] Aliter Festus Pompeius lib.17.

e *Papyrius.*] Id haud dubiè est dicta l.2. in princ.ff. de orig. Iuris. Vide Zesium ibid.

f *Si tamen non trinundino.*] Vide paulò post in verbo, Dictum est autem.

g *Aut Ioue tonante.*] Leges enim comitiis fiebant: at (vt ait Cicero lib 2. de Diuinatione) Ioue tonante, fulgurante, comitia haberi nefas.

h *Seu per fulgura, &c.*] Hoc probatum est ex Cicerone suprà in verbo, Aut Ioue tonante. Idem in Vatinium Ioue fulgente, cum populo agi nefas esse.

i *Si contra plebis Tribunorumve intercessiones.*] Hinc Cic. lib. 3. de Legib. Parere iubet lex intercessori. Et idem ibid. Intercessor rei malæ salutaris ciuis esto.

k *Aut denique contra auspicia.*] Id statim probabitur exemplo infrà in verbo, Quare cùm M. Iubilius.

l *Idq; lege veteri cauebatur, Legum. &c.*] Cic. de legibus lib.3.

m *Dictum est autẽ trinundino.*] Macrobius lib.1. Satur. c.16.

n *Si quid tamen alicui ob gratiam.*] Vide l.1. versic. planè. ff. de constitu. princ. & quod. versi. planè. Instit. de iure natur. gent. & ciuili.

o *Alexander verò Seuerus.*] Ælius Lamptidius in vita illius.

p *Iúsque.*] Ex decretis cano. in c.2. dist.1. ibi, Fas lex diuina, ius lex humana.

q *Sed notandum.*] Hæc vsque ad verba, Et res, sunt Papi-

niani

iurisperitorũ authoritates & respon sa, demum placita principum, [r] & res iudicatas, vim legis habuisse: in quibus ciuile omne ius consistit. Animaduersionis enim metu, magistratus dum audaciæ & facinoribus obuiam eunt, his veluti legibus omnes alligarunt. [s] Erant enim plebiscita, quæ rogatione tribunitia legis condendæ causa plebs statuebat: quæ licet à plebe scita essent, illa tamen vim legis habere haud dubium est, [t] Quintus enim Hortensius quum plebs in Ianiculum secessisset, in Esculeto legem tulit, vt ea quæ plebs iussisset, omnes Quirites tenerent: [u] quam L. Valerius, & M. Horatius antea tulerant centuriatis comitiis. [x] Magni tamen inter plebiscita legésque intererat, quòd plebiscita, [y] tribuno rogante, de his quæ ad plebẽ pertinerent: [z] leges verò, cõsule vel prætore, aut alio magistratu consulẽte, rogabantur. [a] Qui tamen populus differt à plebe, quòd in populo patricij, senatores, cũ ctáque nobilitas insunt: in plebe verò patricij non insunt. Non tamen quicquid populus iussit, ratum esse decet: quia quod ius non esset, populus iubere non poterat. [b] Senatus quoque consulta, tametsi ad populũ non ferantur, si tamen ea tribuni probassent, & rata esse vellẽt, legis vim obtinuere Erat enim senatuscõsultum, quod senatu iubente decernebatur sine lege. Hæc enim illa sunt decreta & cõsulta patrum, quæ iuris statuendi causa, non ob priuatam vtilitatem decreto amplissimi ordinis statuũtur: quæ tunc rata erant, si tribuni plebis ea censuissent, aliter poterát senatusconsultum per intercessiones tribunitias impediri. [c] Fuitque diũ obseruatum, in omnibus senatusconsultis, in quibus aliquem solui placebat, adiicere, vt de ea re ad populum feratur, quod postea adiici desiium est. [d] Præter quæ prætorum edicta, quæ iuris statuendi causa [e] in albo proponuntur, legum vicem habuere, vt quum doli metúsve causa, aut vi quod factum sit vel clam, se ratum non habiturum promittit: quæ quidem edicta, vel ciuilis iuris declarandi, vel interpretandi, adiuuandi, supplendive causa, à prætore proponebantur quod ius honorarium dictum est. Et quum prætores olim ob gratiam plerumque variè ius dicerent [f] Cornelius legem tulit, vt nisi ex edictis suis perpetuis, & scripto iure prætores iura dare non possent. Fuitque constitutũ, vt non prætores modò, [g] sed ædiles, censorésque de his quæ cuiusque magistratus iurisdictionis sunt, quoties varia & commutabilis ratio aliquid noui decernendi causam daret, edicta proponerent, eáque circunspectè edita, velut iura legesq; promulgatas seruari mãdarent, ita vt si quid contrà factum esset, poterat in eum haud secus lege agi, quàm si decreta legum labefactasset, aut præteriisset. In quibus etiã seruatũ comperimus, tunc quum proponuntur aut eduntur, in primis nomen Cæsaris cum honore præfari. Et tametsi annuam diei legem edicta prætorum quidam censuerint, constat tamen, illorum cõstituta haud secus quàm si perpetua lex esset, sæpe valuisse. [h] Estque memoriæ proditum, vt instar edictorum, prætoris interdicta valeant: nam si quid bono publico ne fieret interdixit, haud secus in eos animaduertit, qui admisere aliquid cotrà vetitum, quàm si quid fieri iussisset, & ob nequitiam paritum non fuisset. [i] Responsa denique prudentũ pro legibus sæpe habita & recepta sunt. Quum enim interpretandi iuris, & sententia ferẽdæ de his quæ in controuersiam veniunt, potestas his tributa esset, illorum respõsa, librata moderatione edita, nimirum eam vim obtinuere, ac si leges sacratæ fuissent: quæ quidem tantæ authoritatis fuere, vt suppressâ ratione, illorum placita instar

Plebiscita.

Plebiscitorum & legũ differentia.

Populi & plebis differentia.

Senatusconsultũ.

Prætorũ edicta.

Lex Cornelij.

Responsa prudentum.

ANNOTATIONES.

niani in l. ius autem. ff. de iustit. & iure. & Iustiniani in §. constat. versic. scriptum, & multis sequent. Institut. de iure natural. gent. & ciuili. Et dicentur postea sigillatim.

r *Et res iudicatas.*] A principe per l. vltim. C. de legib. vbi intelliges ex nostris legum interpretibus quomodo id sit intelligendum. Quid autem de rebus alienum iudicium, tractant & illi in eodem loco, & in l. nemo. C. de sentent. & interloc. om. iudic.

s *Erant enim plebiscita.*] Iustinianus in §. plebiscitum. Institut. de iur. natural. gent. & ciuili. Et huius rei exemplum habes apud Liuium 1. Decad. lib. 3. Tribunatu, inquit, iosto L. Icilius plebem rogauit, plebs sciuit, ne cui, &c.

t *Q. enim Hortensius.*] Plinius lib. 12. c. 10. post princ. Ideoque hæc lex Hortensia dicta est in l. 2. §. deinde cum esset. ff. de origine iur. & in dicto §. plebiscitum. versi. Sed & plebiscita. Instit. de iur. natur. gent. & ciuili, & de his suprà diximus.

u *Quam L. Valerius, & M. Horatius.*] Liuius 1. Decad. lib. 3. de his Consulibus loquens, Omnium, inquit, primum cùm veluti in controuerso iure esset, tenerenturve patres plebiscitis, legem centuriatis comitiis tulere, vt quod tributim plebes iussisset, populum teneret. Qua lege Tribunitiis rogationibus telum acerrimum datum est. Idem quoque eiusdem 1. Decad. lib. 8. scribit, Q. Publium Philonem dictatorem legem tulisse, vt plebiscita omnes Quirites tenerent.

x *Magni tamen inter plebiscita legésque.*] Hoc ex sequentibus patebit.

y *Tribuno rogante.*] Quod iam suprà dictum est in verbo, Erant enim plebiscita.

z *Leges verò.*] Iustinianus in §. lex est. Institut. de ior. naturali, gent. & ciuili.

a *Qui tamen populus differt à plebe.*] Idem in §. plebiscitum. versi plebs autem. eod. tit. & capite, & ab eo Gellius lib. 10. cap. 20. Et vide omnino quæ scripsi in Commentariis de Nobilitate, cap. 37. onm. 24. incip. Populi appellatione, & multis seq.

b *Senatus quoque consulta.*] Vide l. 2. §. deinde quia difficile. ff. de orig. iur. & l. non ambigitur. ff. de legib. & §. senatusconsultum. ff. de iur. nat. gent. & ciuili. & cap. senatusconsultum distinct. 2.

c *Fuitq; diu obseruatum.*] Id est Asconij Pædiani in argumento orationis Ciceronis pro C. Cornelio maiestatis reo.

d *Præter quæ prætorum edicta.*] Dicta l. 2. §. eodem tempore. ff. de orig. iur. & §. prætorum. Instit. de iure natur. gent. & ciuili Et vide omnino quæ de officio & munere prætorum scripta sunt suprà lib. 2. c. 15.

e *In albo proponuntur.*] Vide etiam suprà lib. 2. c. 8.

f *Cornelius legem tulit.*] Asconius Pædianus in illo ipso argumento orationis Ciceronis pro C. Cornelio.

g *Sed Ædiles.*] In d. §. prætorom. versic. proponebant. Instit. de iure natur. gent. & ciuili, & patet ex l. 1. in princ. ff. de ædilit. edict.

h *Estq; memoria proditum.*] Vide ff. & Institut. de interdict. per totum.

i *Responsa denique prudentum.*] Iustinianus in §. responsa. Instit. do iure natur. gent. & ciuili.

legis haberent.[k] Ante verò Augusti tempora ius respondendi de iure controuerso, nulli datum fuit: sed qui studiorum suorum fiduciam habebant, cōsulentibus responsa dabant. Primus enim Augustus iureconsultis, velut legum ministris, de iure respondendi super his quæ in dubium disceptationémque venirent, munus dedisse fertur: & ex illo traditum, vt respondendi interpretandique iura, pro beneficio à principe peteretur facultas.[l] Quare à Tiberio Cæsare, Sabino iureconsulto interpretandi iuris, magni muneris loco, ius tributum fuit: &[m] post eū reliqui Cæsares id muneris sui esse voluere,[n] adeò vt quum ab Hadriano viri prætorij, vt de iure respondere liceret, pro beneficio peterent, respondisse dicatur, hoc non peti à principe, sed præstari solere: & ideo si quis sui fiduciam haberet, esset que iuris sciens, respondendi se facultatem non negaturum. Quare illorum responsis leges nonnunquam editæ sæpius interpretatæ sunt.[o] Feruntq; Mazacenos iuxta Cappadoces, cùm Charondæ legibus vterentur ne sine interprete legum scita seruarent, si quod dubium ius emergeret, aliquem peritum iuris elegisse, cuius responsis & dictis parerent.[p] Eiusmodi fuere tam Papiniani, Seruij, Sulpitij, Pauli & Scæuolæ quàm Vlpiani, Trebatij, Tuberonis, Cassij, & Saluij Iuliani, aliorúmque iuriscōsultorum magno studio curàque elaboratæ sententiæ: quibus tam leges quàm plebiscita, prætorumq; edicta, & senatuscōsulta interpretandi facultas erat, proque illorum responsis in iudicio & foro ius sæpe dictum est.[q] Hic enim Cassius nepos fuit Tuberonis ex filia, quæ neptis erat Seruij Sulpitij, iuris scientissimus & consultissimus, Papinianus verò Scæuolæ discipulus, & vir in plurimū est monumētis, sub Seuero principe in summam commēdationem venit. Vlpianus autem, Paulus, Pomponius, Triphonius, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus, Alphenus, Africanus, Florentius, Martianus, Callistratus, Hermogenes & Venuleius, sub Alexādro Seuero floruere, in eius societate & iuxta familiaritatis allecti, Papiniani omnes discipuli. Vlpianum verò ipse Alexander præ cæteris ob morum probitatem, & singularem iuris scientiam, amplissimis honoribus honestauit, & sefamiliari auxit: qui tamen ab Heliogabalo, quod bonus vir esset, officio motus fuit: Alphenus verò ab adolescentia sutrinam exercuit,[r] mox sub Sulpitio iuris scientissimus euasit, ita vt consul effici: & decedens, publice funere efferri meruerit, Trebatius, licet sub disciplina Ciceronis iuris peritissimus, aliquot libros de iure ciuili composuisset, & de religionibus nouem, tamen & versu heroico plurimum valuit, & inter poëtas adnumeratus est.[s] Saluius autem Iulianus, proauus fuit Didio Iuliano, qui post Pertinacem, imperium tenuit.[t] Papinianū verò Caracalla iussit interfici, quòd fratris necem quem interfecerat, apud senatum excusare nollet, asserenię non tā facilè parricidium excusari posse, quàm fieri.[u] Fertur verò Caligula,[x] qui hostis humani generis dictus est, omnia iurisconsultorum placita inducere, & præter se nullum de iure respondere voluisse.[y] Postremò principum placita, quæ constitutiones appellantur, pro legibus etiam recepta fuere. Nam quum diuus Cæsar, & sequuti principes summam imperij haberent, & soli iura darent, omnis condendæ legis ius potestásque lege Hortensia à populo ad principem translata fuit, ita vt quod principum decretis communis iuris decernendi causa statutū esset, etiam sine populi consilio pro lege haberetur.[z] Non tamen omnis Cæsaris voluntas lex putāda est, quia si quid princeps nō publico decreto, vt inter exempla referatur, sed priuati iuris causa statuisset, id nō esse legē conuenit: quippe priuata decreta principis in exemplum nō deducūtur. Diuus autē Traianus vir omni laude dignus, quum priuilegiis ab se editis, aut ob merita indultis, multos inniti, atque in exemplum trahi videret, veritus ne contra leges moresque maiorum, ad alias causas perferrentur, illaque in iudiciis & foro pro lege acciperent, diplomatibus libellisque nunquam ex scripto respondebat, ne perniciosum inde exemplum, & quasi seminarium mali oriretur: sed tātùm verbo, quibus visum est: assensisse fertur, aut priuilegia induxisse. Tametsi vetus mos esset, principem scripto adire, & consulentibus per libellos respondere.[a] Quod & Nero fecit, qui in iure dicundo, nisi scripto, & sequenti die postulatoribus respondit.[b] Proditur tertius Antiochus tanti decreta legum fecisse, vt datis diplomatibus edixerit, vt si quid suo iussu contra leges & iura decretū foret, ne sibi parerent, impuneque aduersarētur:[c] cuius exēplo Agesilaus, non aliter pro-

Respondendi ius quando primū datum. Verba sunt Pomponij in l. 2. non longè à fine ff. de orig. iuris. Interpretes ad leges Mazacenos. Iurisconsulti quibus interpretandi ius datū. Caracalla infelicia. principū placita. priuata decreta principū. Responsa principū per libellos. Egregiū Antiochi edictum.

ANNOTATIONES.

k *Ante verò Augusti tempora.*] Pomponius in l. 2. §. & vt obiter. ff. de orig. iuris.

l *Quare à Tiberio Cæsare.*] Idem ibid. versic. ergo Sabino.

m *Et post eum, &c.*] Vt probatur ex sequentibus.

n *Adeò vt cum ab Adriano.*] Et id quoque est d. l. 2. vbi suprà versic, & ideo optimus.

o *Feruntque Mazacenos.*] Strabo lib. 17.

p *Eiusmodi fuere.*] Sunt omnia nostrorum Iurisconsultorum.

q *Hic enim Cassius.*] In d. l. 2. §. huic successit. ff. de orig. iuris.

r *Mox sub Sulpitio.*] In d. l. 2. §. ad hoc versic. ex his auditoribus.

s *Saluius autem Iulianus.*] Ælius Spartianus in vita Didij Iuliani, in princ.

t *Papinianū verò.*] Ælius Spartianus in vita ipsius Caracallæ.

u *Fertur verò Caligula.*] Suetonius in vita illius cap. 34.

x *Qui hostis humani generis.*] Plinius lib. 7. c. 8. appellat hunc Caium Caligulam & Domitium Neronem faces humani generis, & posteà ipsum Neronem hostem generis humani.

y *Postremò principum placita.*] Vlpianus in l. 1. ff. de constitution. princ. Iustinianus in §. sed & quod principi. Instit. de iure natur. gent. & ciuili.

z *Non tamen omnis Cæsaris voluntas.*] Is locus suprà est allegatus in verbo, Postremò principum, &c.

a *Quod & Nero fecit.*] Suetonius in vita illius, cap. 15. in princ. & Tacitus.

b *Proditur tertius Antiochus.*] Plutarchus in Apophtheg. Imperatorum.

c *Cuius exemplo Agesilaus.*] Idem in Apoph. Laconicis, Cum quidam, inquit, ei aliquando dixisset, Promisisti, ac sæpius idem repeteret, Per Iouem, ait, si quidem iustum est: sin minus, dixi quidem, sed non promisi.

a *Magistra*

missa præstare voluit, quàm si iusta essent. Marcus quoque Antonius orator è tot millibus orationum, nullam ex scripto edidit concionem: vt si quid parum laude dignum, & contra legum decreta in his compertum esset, posset à se dictum inficiari. Quod parum prospiciens L. Crassus orator, quum à M. Bruto increpitus esset apud iudices, quòd ex duabus orationibus capita inter se contraria edidisset, respondit, orationes esse causarum & temporum, non autem hominum & patronorum.

Qui primi de plebe ad dictaturam, consulatum, & praturam, aliosq; magistratus euecti fuerint, & de Ephoris qua tradantur. CAPVT XXIV.

QVo tempore in monte sacro [a] magistratus sibi plebs creauit, quos sacrosanctos fecit, id cautum est, ne cui patricio illos capere liceret, quod non ab re sancitum fuit: Nam quum aduersus potentiam patriciorum, tribunum propugnatorem fautorémque sibi plebs creasset, vt querelas criminationésque in patres acciperet, periniquum videbatur, vt in quo defensores sibi plebs adsciuerat, ad id fastigium honoris, illos qui sibi infensi infestique erant, aduocaret: [b] quorum instar Ephori apud Lacedæmonios habuere: qui sicut tribuni plebis Romæ consularem potestatem, ita regum Spartanorum insolentiam reprimerent, ne imperio abuterentur, nimiæque ferociæ & audaciæ assuescerent. [c] Qui à principio quinque ex amicorum numero fuere, vt ministri regum anxilio allecti, scilicet quum reges foris bella gererent, ipsi domui iura darét, [d] primùm à Theopompo Spartanorum rege instituti necessitatis causa, [e] licet Spartana lege cautum fuerit, vtrique regi cum exercitu foras prodire non licere. [f] Paulatim eò licentiæ processere, vt regi non assurgerent, [g] & seorsum tribunal haberent, [h] & non modò magistratus comprimerent, & in disquisitionem vocarent, ac de vendendis emendísque rebus cognoscerent, sed regi, quid facto opus erat, præscriberent, quibúsque annis copiæ educendæ forent, quóque tempore equitatus, aut grauis armatura, & peditum acies promouendæ, enunciarent. Adeóque omnium rerum gerendarum censores erant, vt [i] Archidamum Lacedæmoniorum regem graui effecerint mulcta, quòd cum vxore exigui corporis nuptias contraxisset, quòd liberos tantùm non reges se geniturum cogitasset, ipsúmque in disquisitionem vocare, & in carcerem trudere, atque morte afficere possent, sicut [k] de Pausania, [l] Agide, & aliis factitatum accepimus, [m] eóque insolentiæ processere, vt quum iniissent magistratum, seruis primùm bellum indicerent, quod olim cum Messeniis conspirassent magnísque calamitatibus & multiplici incommodo Spartam affecissent: [n] mox, vt singuli barbam rasitarent, per præconem edicerent, vt si qui minus dicto audientes forent, internoscerent. [o] Vtque maiori formidini essent, iuxta triclinium vbi tribunal habebant, Timoris sacellum erexere. [p] Vtque occasionem regis criminandi scrutarentur, singulis nouenniis cælum & sidera silenti nocte obseruarunt, vt si stellam ex cæli regione in aliam declinantem aut radiantem vidissent, reges contra deos aliquid molitos criminarentur: itaque efficiebant, vt regimini cedere, & magistratu abire cogerentur. [q] Erat tamen ius regi, vt si ab Ephoris vocatus, primæ & alteri iussioni non pareret, contumacia fraudi non esset: tertiæ nisi paruisset, imperio cogi poterat. Qui quidem Ephori vnà cum regibus singulis mensibus mutuò iurabant, pro legibus Lycurgi imperatum ire, & regnum incôcussum tenere. [r] Hos postea Cleomenes, quum crudelem in modum dominarentur, sustulit, & restituta regi

Lex Spartana.

Ephororum insolentia.

Sacellum timoris.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIV.

a MAgistratus sibi plebs creauit, quos sacrosanctos fecit.] Intelligit de Tribunis plebis, vt videre est ex iis quæ diximus suprà lib. 1. cap. 5.

b *Quorum instar Ephori apud Lacedæmonios.*] Thepompus cum primus instituisset, vt ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri regiæ potestati oppositi, quemadmodum Romæ Consulari imperio Tribuni plebis sunt obiecti, atque illi vxor dixisset, id egisse illum, vt filiis minorem potestatem relinqueret, Relinquam, inquit, sed diuturniorem. Plutarchus in Lycurgo, & ante hunc Cicero li. 3. de legibus. Quare, inquit, nec Ephori Lacedæmone sine causa oppositi regibus, nec apud nos Consulib. Tribuni.

c *Qui à principio quinque.*] Plutarchus in Cleomene.

d *Primùm à Theopompo.*] Id iam dictum est ex Plutarcho suprà hoc eodem cap. in verbo, Quorum instar Ephori.

e *Licet Spartana lege.*] Herodotus libr. 5. Ob quam Regum dissensionem lex apud Spartam lata est, non licere vtrique Regi cum exercitu prodire.

f *Paulatim eò licentia processere.*] Plutarchus in Cleomene.

g *Et seorsum tribunal haberent.*] Idem ibid.

h *Et non modo.*] Hoc videre est ex eodem in eiusdem Cleomenis vita.

i *Vt Archidamum.*] Plutarc. in Agesilao authoritate Theophrasti, de quo & vide nostras leges Connubiales l. 2. num. 73. incip. E nostris. Sed Plistonactem & ipsum Regem, ob rem quampiam malè administratam pecunia mulctarunt: quam cùm ob magnitudinem soluere non posset, ex Lacedæmone secessit, vt tradit idem Plutarchus in Pericle. Et Agidem quoque Regem quòd reuersus ab exercitu, quo Athenienses debellarat, apud vxorem cœnauerat, mulctarunt, eodem teste in Apoph. Lycurgi. Sed & Agesilaum illum magnum mulctarunt prius, quòd ciues communes sibi soli védicarét: deinde quòd inermis magno se periculo obiecisset, & vt tradit idem author in vita illius.

k *Sicut de Pausania.*] Thucydides lib. 1. belli Peloponnesiaci, & Xenophon rerum Græcarum, lib. 3. in fi. & Probus Æmy. in vita ipsius Pausaniæ.

l *Agide.*] Plutarchus in vita illius.

m *Eoq; insolentia processere.*] Plutarchus in vita Lycurgi, ex Aristotelis authoritate in Politicis lib. 2. c. 6.

o *Mox, vt singuli barbam rasitarent.*] Plutarchus in Cleomene, eiusdem Aristotelis testimonio.

o *Vtq; maiori formidini.*] Plutarchus ibid.

p *Vtq; occasionem Regis criminandi.*] Hæc vsque ad versic. Erat tamen. sunt Plutarchi in Agide.

q *Erat tamen ius.*] Idem Plutarch. in Cleomene.

r *Hos postea Cleomenes.*] Plutarchus in vita illius, & in vita Arati.

Ephori gradu deiecti. Plebeq magistratus. Patricij magistratus cum plebe communicati. Extera gentes ad magistratus Romanos prouecta. Tribunatus plebis à patriciis appetitus.

potestate, illos de gradu deiecit, & dominium abrogauit.[r] Si tamen reges dissentirent, variatis sententiis, illi qui videretur melior, standum erat: quòd si in vnam sententiam conuenirent, nulli ephororum contraire fas erat.[t] Ergo plebeius magistratus nulli patricio sumere licebat: [u] Idque Volero tribunus plebis rogatione promulgata statuit, plebisque sciuit, vt plebeij magistratus sine patribus, sed tãtum admissa plebe, tribunitiis comitiis fierent. Cumq; patricij magistratus auspicatò fierent, solos plebeios inauspicatos esse, & minoribus regi auspiciis, peruulgatum est. Et tametsi ad dictaturã, consulatum, præturam & censuram nulli nisi patricij antea admitterentur, tamen sequutis temporibus patricij magistratus cum plebe communicati fuere:[x] Siquidem Sextius primus de plebe consul factus est, quod deinde fuit Licinia lege cautum,[y] quam C. Licinius & L. Sextius tri.pl. promulgarunt, vt consulatus cum plebe communis foret.[z] Quintus quoque Publius Philo præturam,[a] & Caius Licinius Stolo, de plebe homines, magisterium equitum cum patribus gessere.[b] Quinetiam dictaturam, in qua summus splendor & amplitudo erat, censuramque cum plebe communicatam inuenimus: [c] nam & Caius Martius Rutilius primus dictator & censor,[d] deinde Q. Põpeius, & Q. Metellus vterque ex plebe censores facti sunt,[e] quam legem Philo dictator tulisse fertur. Omnes denique patricij magistratus,[f] etiam pontificatus, & sacerdotia cum plebe communicata fuere. Nec modò ex plebe ciues,[g] sed Latini nominis, & demum exterarum gentium populi, ad magistratus & honores Romæ prouecti fuerunt.[h] Tribunatũ verò plebis longo tempore nihil cum patribus consociatum habuisse comperimus, nisi quum finito decemuirali imperio nouos tribunos plebis cooptari oporteret, Spurium Tarpeiũ & Aulum Æternium patricios & consulares, in collegium tribuni adsciuerunt. Et[i] mox Minutius magister equitum, qui de Spurio Melio sumpsit pœnas, & postea Appius Pulcher, vt Ptolemæo bellum indiceret, &[k] deinde Publius Clodius, vt tribunus plebis fieret, à patribus ad plebem transfuere: donec post Syllæ tempora tribunatus plebis passim à patriciis & summis honoribus functis, appeti cœpit: qui prouincias sortiri, & imperium gerere, atque cum fascibus & lictoribus etiam extra vrbem incedere cœperunt. Tantique postea honoris habitus est, vt populum Romanum[l] Octauio Augusto, &[m] deinceps Cæsaribus, tribunatum plebis dedisse, pro magno fuere munere existimatũ. Illud est tamen minimè prætereundũ,[n] quòd, quum à tribuno ple. dies dici consuli prætorique possit, [o] ipse tamen iure sacrosanctæ potestatis ab omni potentia magistratus immunis erat.[p] Si tamen potestate tradita abuteretur, aut si iura plebis minueret, vel vbi intercedendum minimè fuisset, intercederet, seu si contra commoda plebis aliquid molitus esset, poterat ei dies dici, & à consule vel tribunis reus agi: concilisque suffragantibus tribubus, de gradu deiici, & pœnis coërceri. Tunc enim sacrosanctus esse desinebat, & prophanus erat.

ANNOTATIONES.

r *Si tamen Reges dissentirent.*] Idem in vita Agidis.

t *Ergo Plebeius.*] Redit ad Romanos, & de hoc suprà dictum est in princ. huius cap.

u *Idque Volero Tribunus plebis.*] Liuius 1. decad. lib. 2. non adeò longè à fine.

x *Siquidem Sextius.*] Liuius 1. Decad. lib. 6. in fi. & lib. 7. in princ. & lib. 10. in Oratione P. Decij Muris, & Plutarchus in Camillo. Plinius autem Secundus de viris illustribus ca. 20 dicit, Licinium Stolonem primum è plebe Consulem factum, de quo etiam dictum est suprà lib. 1. cap. 9.

y *Quam C. Licinius.*] Gellius libro 17. cap. 21. Imo tandem non licuit duos simul patritios Consules creari, teste Liuio 3. Decad. lib. 7. & 4. Decad. lib. 9. Vide tamen suprà lib. 3. cap. 3. post princ.

z *Q. quoque Publius Philo.*] Liuius 1. Ded. lib. 3.

a *Et C. Licinius Stolo.*] Idem Liuius 1. Dec. lib. 7.

b *Quinetiam dictaturam.*] Hoc probat in seq.

c *Nam & Caius Martius Rutilius.*] Liuius 1. Decad. lib. 7. & lib. 10. in ea Oratione P. Decij. Lucius autem Florus Epitome ipsius Liuij lib. 13. scribit, Domitium Censorem primum ex plebe lustrum fecisse.

d *Deinde Q. Pompeius, & Q. Metellus.*] De his duobus ipse Florus d Epitom. lib. 59.

e *Quam legem Philo Dictator.*] Liuius 1. Decad. lib. 8.

f *Etiam Pontificatus & sacerdotia.*] Liuius 1. Decad. libro 10. Primus autem omnium Pontifex Maximus ex plebe creatus est T. Coruncanus, teste Floro d. Epitam. lib. 18.

g *Sed Latini nominis.*] Hic vide Liuium 1. Decad. lib. 8. non multò post princ.

h *Tribunatum verò plebis.*] Hæc vsque ad versiculum, Et mox. sunt Liuij 1. Decad. lib. 3.

i *Et mox Minutius.*] Liuius 1. Decad. lib. 4.

k *Et deinde P. Clodius.*] Plutarchus in vita Catonis Vticensis.

l *Octauio Augusto.*] Disces ex Appiano Alexandrino lib. 5. belli Ciuilis, Augustum in perpetuum plebis Tribunum fuisse à Romanis delectum, vt à primo magistratu ipsum auerterent: hisque auspiciis initiisque eum Tribunitiam potestatem suscepisse, quam tamen immemor ad fulciendam monarchiam deponere noluit, atque insuper in priuignos suos Tiberium & Drusum transfudisse. Suetonius quoque in ipsius Augusti vita cap. 27. Tribunitiam potestatem perpetuam recepit. Tacitus lib. 3. Tiberius fama moderationis parta, quod ingruentes accusatores repressetat, mittit literas ad Senatum, queis potestatem Tribunitiam Druso petebat, id summi fastigij vocabulum Augustus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen assumeret: ac tamen appellatione aliqua cætera imperia præmineret.

m *Et deinceps Cæsaribus.*] Vt Vespasiano, ex Plinio in procemio historiæ naturalis non longè post princip. Triumphalis & Censorius tu, sextumque Consul, ac Tribunitiæ potestatis particeps. Et Traiano, ex altero Plinio in Panegyrico ipsius Traiani, Simul filius, simul Cæsar, mox Imperator & consors Tribunitiæ potestatis, & omnia pariter & statim factus es. Et Adriano, & Antonino Pio, ex Iulio Capitolino in vita ipsius Pij. Et Antonino Philosopho, ex eodem in vita illius. Spartianus autem in vita ipsius Imper. Adriani scribit illum à Traiano Tribunum plebis factum, in quo magistratu ad perpetuam Tribunitiam potestatem omen sibi factum asserit, quòd penulas amiserat, quibus vti Tribuni plebis pluuiæ tempore solebant, Imperatores autem nunquam.

n *Quòd cùm à Tribuno pleb. dies dici Consuli prætorique.*] De hoc iam dictum est libro 1. cap. 3.

o *Ipse tamen iure sacrosanctæ potestatis.*] Vide & tu suprà eodem lib. 2. c. 3.

p *Si tamen potestate tradita abuteretur.*] Hæc vsque ad versi. Quod nouem, sunt Plutarchi in Tiberio Graco.

[q] Quòd nouem tribuni plebis cum Sp. Cassio, ne magistratus more maiorum subrogarentur, contra libertatem populi Romani coniurarant, Publius Mutius tribonus plebis eis non solum tribunatum abrogauit, sed & pœnas debitas iure & lege inferri petuiciт.[r] Et Tiberius Gracchus in tribunatu Octauium collegam contra commoda plebis intercedentem, tribunum maiori parte suffragante, potestate priuauit.[s] Verba verò legis quibus tribunus plebis sacrosanctus fit, asscripsi: Tribunum inuitum, tanquam vnū è multis, nemo cogito agere, neque verberato, neque alteri vt verberet imperato, neque occidito, neque occidi iubeto. Si quis autem prohibitorum horum quid fecerit, impius execrabilisq; esto, bonaq; eius publicato ad sacra Cereris: & qui aliquem hæc agentium occiderit, cædis expiatus esto.

Legis verba de tribuno sacrosăcto.

ANNOTATIONES.

q *Quod nouem Tribuni.*] Valerius Maximus lib.6.cap.3.
r *Et Tiberius Gracchus.*] Plutarchus in vita illius.
s *Verba autem legis.*] Hæc vsque ad finem capitis desumpta sunt ex liuio 1. Decad. lib. 3.

Quas acies, quósve exercitus, qui duces parua manu profligarint, quæve flumina Xerxis exercitus epotarit.

CAPVT XXV.

ACIES profligatas & exercitus parua manu cæsos ad interitum, ita vt vix pauci superfuerint, tres præcipuos ab autoribus memoratos ferunt, licet ex omni antiquitate si quis reputare volet, innumeras inueniet.[a] Quum enim Assyriorū rex Cyrus contra Scythas cum valido exercitu occœpisset bellum facere, postquam eos ingenti clade afflixit, cæso etiā vnico regis filio, Tomyris regina Scytharum dissimulans ægritudinem animi, inter angustissimos tramites Assyrios nacta, ita illos cæcidit, vt parua manu hostium ingentes copias fuderit, ducentaq; millia Persarum vna acie trucidarit, tanta cæde, vt ne nuncius quidem luctuosæ cladis superfuerit.[b] Alterā, quum inter Locrenses Epizephyrios & Crotoniatas sæuientibus odiis certaretur, tanto furore animorum, & quasi vecordia ad pugnam fuisse processum ferunt, vt quindecim Locrorum millia aduersus Crotoniatarum centum viginti millia sæuè & atrociter pugnam inire non dubitarint, Locrensesq; tam parua manu tot millia Crotoniatarum felicitate mira non prælio attriuerint, ita prorsus, vt ex ea strage pauci vix fuga elapsi superfuisse dicantur, eáque ad Sagram Metaponti fluuium commissa pugna, ad posteros celebrem memoriam nominis dederit, vulgò iactato prouerbio, ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ σάγρᾳ.[c] Tertiam, cùm duce Milciade in campis Marathoniis contra Artaphernem & Datym Darij præfectos, ab Atheniensibus vno prælio feliciter pugnatum & debellatum est, in qua decem Atheniensium millia, Persarum plus centum decem millia crudelem in modum afflixerunt, toto cæso exercitu.[d] Fuit autem Marathon Atticæ ciuitas, ab Athenis haud plus decem millibus passuum distans.[e] Iterum quum annis intercedentibus, contra Xerxem arma Græciæ inferentem qui bellum diis hominibúsque indixerat, memorabilis Spartanorum ad Thermopylas, & claustra illa tam natura quàm munimēto inexpugnabilia, pugna commissa fuit, trophæis & monumentis celebrata: quorum tam insolens victoria proditur, vt decem hominum millia, duce Leonida, contra innumerabiles Persarum copias claustra tenere, & sexcenti Spartani, quingentórum millium castra inuadere non dubitarint: vbi tanta strage ad satietatem sæuitum est, vt difficile dictu sit, Spartanorum Atheniensiúmque, vt singulorum præcipuam virtutem, vel vniuersorum laudes dinumerare: ad id verò cladis processum, vt quid funerum absumptum sit, illud argumento fuerit, quod cadauera passim strata prælio vel tempestate, corporáque morbo & vastitate enecta, aliosq; alia peste absumptos, mare & terra vix ceperit: quique modò terrestres naualésque copias vltra decies centena peditum, equitum verò octoginta millia armatorū in expeditionem duxerat, cuique sexcenta millia frumenti modia diurna cibo, & tot flumina exhausta potui non suffecerint: is cum multa cæde & fuga à paucissimis cæsus & profligatus, incōsulti certaminis, & temerariæ expeditionis insignes pœnas dederit, idseq; tanti exercitus imperator magnificus tāta clade oppressus, inermi naue per stragem corporum armorúmque vix effugerit.[f] In qua quidem re non minori miraculo proditur, tantas copias ab vno Pithyo Bithyno epulo exceptas magnificè, frumentóque, veste ac viatico adiutas. Fuit illa quoque memorabilis exempli clades celebrata sermonibus, cum ad Granicum amnem, aut Arbelam, vel quum ad Amanicas Pylas in faucibus angustis ab Alexandro signis collatis

Tres exercitus parua manu profligati.
Tomyris aduersus Assyrios.
Locrēses aduersus Crotoniatas.
Prouerbium.
Spartani aduersus Xerxem.
Pugna Alexandri aduersus Darium apud Granicū.

ANNOTATIONES IN CAP. XXV.

a *CVm enim Assyriorum Rex Cyrus.*] Hæc prima historia latissimè refertur ab Herodoto lib. 1. non longè ante fi. & Iustino lib. 1.

b *Alteram cum inter Locrenses*] Strabo libro 6. & Iustinus lib. 20. qui non consentiunt in numero occisorum, & nonnihil Cicero lib. 2. de Natura deorum.

c *Tertiam cùm duce Milciade.*] Herodotus libro 6. Probus Æmylius in vita ipsius Milciadis, Plutarchus in Aristide, & in Paralellis, cap. 1. & Iustinus lib 2. & Paulus Orosius lib. 2. cap. 9. vbi dicit ducenta millia Persarum cecidisse.

d *Fuit autem Marathon.*] Strabo lib. 9. Herodot. lib. 6. non ciuitatem, sed locum esse dicit his verbis, Etenim erat locus Atticæ Marathon, proximè Eretriam, ad equitandum opportunissimus. Et Pausanias lib. 1.

e *Iterum cum annis intercedentibus.*] Herodotus lib. 7. Diodorus Siculus lib. 11. & Plutarchus in Themistocle.

f *In qua quidem re non minori miraculo.*] Iustinus libro 12. Q. Curtius libro 3. & Herodotus libro 7. Et vide Paulum Orosium lib. 4. cap. 1. adde autem superioribus Agathoclem cum duobus tantùm millibus suorum 30. millia Pœnorum Hannone duce interfecisse, duobus tantùm ex suis desideratis.

cum Dario pugnatum est, in qua prope ad internecionem dimicatum fuit: vbi vltra centum millia Persarum peditum feruntur cæsa, equitum verò decem millia: ex Macedonibus verò nō vltra triginta duo pedites, equites autem centum quinquaginta occidisse. Ad Granicum verò barbarorum viginti millia, equitum verò duo millia fœdum in modum occubuere, quum ex Alexandri exercitu triginta quatuor fuisse desideratos, quidam monumentis testati sint. Romani autem licet incredibili felicitate sæpe hostium copias ad extremum exitium profligarint, tamen præcipuis cladibus, & infanda strage maximè hostem affecere, vel quum [g] M. Liuius & Claudius Nero Hasdrubalem suppetias Hannibali ferentem, ad Metaurum ingenti strage debellarunt, vbi par Cannensi cladi exitium redditum fuisse memorant. [h] Vel quum Fabius Æmylianus vix triginta millibus militum ad Rhodanum plus ducenta Gallorum millia ingenti strage deleuit, [i] Vel quum contra Antiochū haud minus feliciter pugnatum est, plus quinquaginta millibus hostium cæsis, vigintiquatuor equitibus, & trecentis peditibus Rom. desideratis. [k] Aut quum C. Marius Cimbros & Theutonos ad aquas Sextias parua manu cæcidit. [l] Vel quum Sylla cōtra Mithridatem ad Orchomenum & Cheroniam ducem, illius copias fudit, & in intimas solitudines egit. [m] Aut quum cōtra Archelaū non longè à Piræo cōmisso prælio, ita eum deformauit, vt ex viginti hostiū millibus vix decem superfuerint, ex Syllæ verò exercitu vix quatuor decim desiderati sint. [n] Aut quum Pompeius eundem Mithridatem strage atrocissima perculit, quadraginta millibus hostium cæsis, non pluribus viginti ex suis interfectis. [o] Vel quum Lucullus contra Tigranem bellum magnis conatibus aggressus, multiplici eum clade affecit, in quo Romanorum vix pars vigesima copiis hostium accedere visa est: cuius pugnæ tanta Romanorū fœlicitas fuisse traditur, vt vltra centum millia hostium promiscua cæde occisa, Romanorum verò non vltra centum vulnerati, occisi autem quinque dicantur: Tam paruo impēdio tam insolens victoria stetit. [p] Ælij quoque Galli in expeditione Arabica memorabilis victoria inter illustria adnumeratur, vt post excidia & vastationes agrorum, pluribus oppidis expugnatis, plus triginta hominū millibus fœdè cæsis, & profligatis, non amplius septem ex suis interfectis, illustri victoria potitus fuerit. [q] Mitto Caij Cæsaris felicitatem, cuius longè latéque diffusa virtus fuit, quoties belli casibus agitatus contra Aquitanos, Heluetios, Aruernos, reliquósque Gallos & Germanos, aliasq; exteras & incultis moribus gentes, parua manu innumeras hostiū copias fudit. Quoties aduersus maximos conatus inops ipse & imparatus præsentissimo animo restitit: quoties admotas hostiliter legiones fudit, quot prælia confecit, quàm firmissima hostium præsidia sæpe conuulsit, & labefactauit, quas vrbes & gentes vi & obsidione domuit, aut deditas in deditionem fidemq; recepit, ita vt an virtute animi & mentis magnitudine, an felicitate & fortuna plus valuerit, difficile sit diiudicare. Sed post tot successus & felicitates vna Romanorum clades inter exempla memoratur insignis, [r] quum Lucius Bebius in Hispaniam ducens, agmine inexplorato per abditos saltus & inuias regiones in insidias præcipitatus, circumuentus à Liguribus & oppressus est, oportueritque Massilienses tam luctuosam cladem per nuncios Romanis significare. [s] Altera post Cannensem cladem cum duce Caio Manlio & Quinto Cepione, à Cimbris & Theutonis legionibus fusis, plus octoginta Romanorum & sociorū millia ad Rhodanum fœdè cæsa & debellata fuere: vbi tantum cladis acceptum, vt vix decem superfuisse dicantur: qua clade populus Romanus in tanto pauore & luctu fuit, vt velut vltima publicorum malorum passus, iustitio indicto, sicut in magna consternatione assolet, prætextas & laticlauos dimiserit, & saga sumpserit. Sed super omnem indignitatem fœdi exempli & memoriæ est, [t]

Romanorum parua manu victoria.

ANNOTATIONES.

g *Vel cùm Marcus Liuius.*] Liuius 3. Decad. lib. 8. & Plutarchus in Hannibale.

h *Vel cùm Fabius Æmylianus.*] Strabo lib. 4.

i *Vel cùm contra Antiochum.*] Liuius 4. Decad. lib. 6. Valerij Antiatis authoritate scribit ex 10. milenis militum Regij exercitus 40. millia cecidisse, supra 5. millia capta, Romanorum autem 150. interfectos fuisse. Sed & idem eiusdem Decad. lib. 7. aliam aduersus ipsum Antiochum pugnā, quæ ea est, cuius Alexander hic meminit, in qua (inquit Liuius ad quinquaginta millia peditum Regis, & equitum quatuor millia fuisse cæsa dicuntur: Romanorum autem non plus 300. pedites, quatuor & viginti equites, de Eumenis exercitu, qui cum bis pugnabat, quinque & viginti.

k *Aut cùm C. Marius.*] Plutarchus in vita illius, & L. Florus Epitome Liuij lib. 68. vbi scribit cæsa fuisse 200. millia, capta nonaginta. Paulus Orosius in interfectis cum illo conuenit, sed captos fuisse 80. millia. Et paulò pòst scribit alio prælio ipsum Marium eosdem vicisse, in quo 140. millia cæsa sunt, 40. millia capta. Atque ita duobus illis præliis 350. millia eorum occisa, & 140. millia capta, absque innumera mulierum multitudine, quæ se suósque paruulos fœminico furore, vt autem virili necauerunt. Vide Lucium Florum Epito. 3. in bello Cymbrico. Et de hac quoque eloquens Seneca libro de Ira 1. Quid Cymbrorum Theutonicorum tot millia superfusa Alpibus ita sustulit, vt tantæ cladis notitiam ad suos non nuncius, sed fama pertulerit?

l *Vel cùm Sylla contra Mithridatem.*] Hoc cum sequēti coniungi debet. Archelaus enim ex ducibus Mithridatis vnus erat: vt videre est ex Plutarcho in Sylla.

m *Aut contra Archelaum.*] Appianus Alexādrinus in bello Mithridatico, Paulus Orosius historiarum lib. 6. c. 2. Alter Plutarchus in vita Syllæ.

n *Aut cùm Pompeius.*] Appianus ibid. & Paulus Orosius dicto lib. 6. cap. 4. vbi scribit ex exercitu Regis 40. millia fuisse cæsa aut capta, ex Romanis vix. 40. interfectis.

o *Vel cùm Lucullus.*] Plutarchus in vita illius, & vide Paulum Orosium d. lib. 6. cap. 3.

p *Ælij quoque Galli in expeditione Arabum.*] Vide Strabonem lib. 7. vbi de hac Galli expeditione, & libro 16. non longè à fine, vbi multò plura, & nonnihil lib. 17. & Plinius lib. 6. cap. 28.

q *Mitto Caij Cæsaris felicitatem.*] Ipse Cæsar in Commentariis de bello Gallico, Suetonius & Plutarchus in vita illius, Paulus Orosius lib. 6. cap. 9.

r *Cum Lucius Bebius.*] Liuius 4. Decad. lib. 7. paulò antè finem, vbi non declarat quanta illa clades fuerit.

s *Altera post Cannensem cladem.*] Florus Epitome Liuij lib. 67. & Paulus Orosius authoritate Antiatis lib. 5. cap. 15.

[t] quod de Valeriano Cæsare recentiore memoria proditũ est, qui, quum optimus fuerit, infelix apparuit tamen, postquam vis illa vigorq; & virtus bellica, atque antiquum belli decus exoleuit, qui in expeditione in Persas quum fœdissimo enentu pugnasset, à Sapore Persarum rege, occiso exercitu, captus, vsque eò defotmatus fuit, tantísque contumeliis obnoxius, vt post afflictas fortunas, nulla verecundia pristinæ maiestatis, contra decus imperij, regi Persarum equum ascensuro, humi prostratus dorso gradum faceret, adeò Romani indignissimam fortunam, & grauissimos casus, ac sortis humanæ varietatem, velut magna documenta mortalitatis, nonnunquã experti fuere. [u] In qua quidem re proditur verbum Galeni filij vecordis & deliri, qui qua die de captiuitate patris resciuit, parum curans, verbum Catonis vsurpauit: Sciebam, inquit, me genuisse mortalem. [x] Quæ autem flumina à tot millibus Persarũ epota, Xerxi non suffecerint, hæc præcipuè traduntur: Scamander & Onochonus in Thessalia: Simois in Phrygia, qui ex Ida sub Ilio decurrens quandoque torrentior, ad Sigeum mare ingreditur: Chydorus in Bœotia, Lysus in Samothracia, qui per Thasios fluit: Mænala iuxta Hellespontum in Lysimachia. Addit Herodotus lacum in sinu eodem triginta stadiorum, quem sola iumenta Persarum, quum aqua subsalsum saporem habeat, & potui insalubris homini sit, paucis diebus exsiccauêre.

Flumina à Xerxis exercitu epota.

ANNOTATIONES.

t *Quod de Valeriano Cæsare.*] Aurelius Victor in vita ipsius Valeriani, Eutropius de Gestis Romanorum, libr. 8. Paulus Orosius lib. Historiarum 7. c. 15.

u *In qua quidem re proditur verbum Galeni filij.*] Trebellius Pollio in vita illius: sed ex quo disces, nô Galeni legendum esse, sed Gallieni.

x *Quæ autem flumina.*] Hæc vsque ad finem sunt Herodoti lib. 7. in diuersis locis, prætèrquam quod de Simoide hîc dicitur. Verùm ille ipse eodem libr. dicit Epidamnum eorum qui Achaiam perlabuntur, maximum, nisi ægrè admodum suppeditauisse. Nec solus Herodotus scripsit flumina ab exercitu exhausta, nam & id quoque dicit Diodorus Siculus, qui tamen illa non nominat lib. 11.

Quid variæ gentes de diis senserint, & quàm impia & detestanda sacra apud exteras gentes fuerint.

CAPVT XXVI.

QVAM impia & falsa inter gentes olim de diis opinio fuerit, quámque multiformes deorum vanitates, & quàm infandis sacri prisci deos coluerint, dictu referre difficile est: [a] siquidem primi mortales nulla doctrinæ schola, nec ratione aut lege, sed suo quisque ingenio, & prout impetus animi tulit, deos geniósque adoptando, numina coluerunt. Primos enim qui antiquissimi fuerunt, [b] hastas colere cœpisse, aut ligna delibrata corticibus pro diis veneratos accepimus: inde à Romanis religio fluxit, vt singulis deorum simulachris hastas darent: [c] tametsi antiquissimos Romanorum, centum septuaginta annos sine deorum imaginibus vixisse nõnulli testati sint. [d] Indi quicquid colere cœperunt, præcipuè maximas arbores deos putauerunt) illásque pro numinibus venerati sunt, quas ferro violasse capitale fuit: [e] ex quibus nonnulli draconem quinque iugerum, velut Liberi patris simulachum, coluerunt. [f] Persæ & [g] Massagetæ Cælum, Iouem. [h] Solem verò deum maximum dixerunt, [i] equosque illi sacrauerunt, quibus interdictum erat, ne quem præter Solem deum colerent. Quicquid verò quernis arboribus nascebatur, è Cœlo missum putabant: [k] iidem Soli, Lunæ, Telluri & Igni, Aquæ ac Ventis sacrum facere instituerunt, quos omnes deos, Ignem verò præcipuum duxerunt: quæ [l] etiam magorum opinio fuit, [m] cui Thales adstipulatur, qui Ignem tam religiose coluerunt, vt cremare corpora ducerent nefas, ne contagio cadaueris, deorum maximum violarent. Multos comperi

Hastæ. Ligna delibrata. Indorum arbores. Draco. Cælum. Iupiter. Sol. Luna. Aqua. Tellus. Ignis. Aqua. Venti.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVI.

a *SIquidem primi mortales.*] Plinius lib. 2. c 7.

b *Hastas colere.*] Iustinus li. 43. Nam & hastas pro Marte coluisse Romanos, authoritate Varronis tradit Arnobius contra Gentes, lib. 5.

c *Tametsi antiquissimos Romanorum.*] Dionysius Halicarnass. lib. 1. Plutarch in Numa, Clemens Alexandrinus lib. Stromat. Eusebius Cæsariensis Euangelicæ præparationis libr. 6. cap. 21. Sic Persæ nec statuas, nec aras erigebant, sed in loco excelso sacrificabant, vt author est Strabo lib. 15. non adeò longè à fine.

d *Indi.*] Quintus Curtius lib. 8. Deos, inquit, putant quicquid colere cœperunt, arbores maximè, quas violare capitale est, vt hîc noster Alexander videtur legere, arbores maximas, non autem maximè.

e *Ex quibus nonnulli Draconem.*] Maximus Tyrius Serm. 38.

f *Persæ.*] Strabo libr. 15. non multò ante fin. vbi dicit Cœlum Iouem esse eos putare. Asconius Pædianus in 3. in Verrem action.

g *Massagetæ.*] Herodotus lib. 1. in fine.

h *Solem vero.*] Strabo vbi nuper citauimus in verbo, Persæ.

i *Equosq;.*] Herodotus d. lib. 1. in fine. Ex diis vnum Solem venerantur, cui equos immolant. Et Iustinus lib. 1.

k *Iidem*] Scilicet Persæ, ex Herodoto libr. 1. & Strabone libr. 15. Nec ij soli ignem & aquam colunt, sed & Ægyptij, vt tradit Porphyrius in libr. de Abstinentia carnium, & Eusebius Præparationis Euangelicæ, lib. 3. cap. 2. Quod & de aqua scribit Lucianus in Ione Tragœdo. Herodotus autem libr. 7. scribit ex Magorum sententia Lunam esse Persarum præsidem. Et ad id quod de Ventis hîc dicitur, vide suprà lib. 3. c. 22. Et vide etiam omnino quæ scripsi in Commentariis Nobilitatis c. 31. num 575. incip. Vt non tam. & num. 591. incip. Ex quibus, vbi videbis & hos & alios multos ignem & aquam pro numinibus colere.

l *Quæ etiam Magorum opinio.*] Herodotus lib. 3. Diogenes Laërtius in Proœmio.

m *Cui Thales adstipulatur.*] Vereor ne hîc Alexander falsus sit: neque enim aliquid tale de eo reperitur: sed id, quod aquam principium rerum omnium esse dicebat, vt scribit Tullius lib. 1. de Natura Deorum, & alij multi, quos tibi citauimus in illis Commentariis Nobilitatis, cap. 31. num. 586. incip. Fuerunt, vt fortè pro aqua ignem hîc posuerit memoria lapsus.

Mars. Ensis. Viscus. Collis mari. Mons. Mæander. Marsyas. Acinaces. Sol. Luna. Pisces. Columba Testudines. Bos. Vacca. Leo. Capra. Hircus. Aquila. Lupus. Cepus. Acor. Cercopithecus. Apis. Isis. Osiris. Serapis. Crocodili. Ichneumones. Ibes. Feles. Scarabei. Vulcanus. Sidera. Horus.

persuasum habere, Martem peruigilem deum esse, & præsentissimum numen: [n] quare Neuri qui iuxta Borysthenem sunt, enses pro Martis simulacro adorabant. [o] Sunt qui arbitrẽtur, visco, quod in quercu arbore nascebatur, nullũ præsentius numen æstimari. Hi fuerunt Druidæ, quorum vana superstitio inter mortales præcipua fuisse traditur. [p] Alij mari porrectum collem velut præsentem deum coluerunt, quòd eo occlusa vallis æstu Oceani non inundaret. [q] Cappadocibus quoque Mons deus habetur. [r] Et Phryges Mæandro & Marsyæ sacrificant. [s] Scythæ illi inhospitales, qui in intimas solitudines acti sunt, super sarmentorũ fascibus vetustissimo collato acinaci, velut Martis simulacro, annuis hostiis litabant. Pœni Soli & Lunæ vniuersi sacrificant. [t] Syri occæcatis animis pisces & [u] columbã deos sibi consecrarunt. [x] Troglodytæ testitudines, [y] Heliopolitani Bouem, [z] Memphitæ verò Vaccam, [a] Lentopolitani Leonem, [b] Capram & Hircum Mendesij, [c] Thebani Aquilam, [d] Lycopolitani Lupum, [e] Babylonij verò Cepum, ab his, velut propitio numine petita accipere arbitrantes. [f] Cyrenaici Acorem, magnum deum muscarum æstimarunt. [g] Arabes ad Memnonium, Cercopithecum cælo dicarunt, illius opem in rebus afflictis implorantes. [h] Mitto Ægyptiorum superstitionem, & falsarum opinionum ineptias, qui Apim præcipuo honore venerari, solũm respõsa dare, & prosperos euẽtus, aut futuras calamitates præmõstrare fabulati sunt, [i] modò Isim & [k] Osiridem, [l] modò Serapim, & quod dicere piget, [m] crocodilos, [n] à quibus hominẽ deuorari, tanquam à deo expetitũ, magni muneris habebatur loco, [o] modò Ichneumones, [p] Ibes & fœda animalia, aliaq; ludibria religionum, velut deorum nomina colentes, ita vt gentes aliquas quæ [q] Felem auream, [r] & alios qui Scarabæos pro diis haberẽt, circa Scyonem fuisse legamus. [s] Germani Solem, Vulcanum & Lunam, solos deos quos cernebant, opinati sunt: [t] quæ Anaximandri opinio fuit, vt cælestia sidera deos esse crederet. [u] Quinetiam Ægyptij Solis simulacrum diplomatibus consignatis adorant, quem Horum nuncupant, illúdque precibus & votis frequentant

ANNOTATIONES.

n *Quare Neuri.*] Herodotus lib. 4. Pomponius Mela lib. 2. cap. 1. ad fi. Solinus cap. 29.

o *Sunt qui arbitrentur visco.*] Hæc vsque ad versiculum, Alij. sunt ex Plinio desumpta libro 16. cap. 44. eodemque vltimo.

p *Alij.*] Scilicet Lybes apud Maximum Tyrium Serm. 38.

q *Cappadocibus.*] Maximus eodem Sermone.

r *Et Phryges.*] Et Massagetæ Mæotidi paludi, & Tanai, ex eodem Maximo eodem loco. Adde quod & Magi Strimoni equos candidos sacrificauerunt, ex Herodoto lib. 7.

s *Scytha.*] Herodotus lib. 4. Lucianus in Ioue Tragœdo, Arnobius contra Gentes, lib 5.

t *Syri occæcatis animis Pisces.*] Xenophon Exercitationis minoris, lib. 1. aliàs 3. Cicero de Natura deorum, libro 3. Diodorus Siculus lib. 3. cap. 2. Hyginus.

u *Et columbam.*] Xenophon vbi suprà, Diodorus Siculus lib. 3. c. 5. non multò ante fin. Lucianus in Ioue Tragœdo.

x *Troglodytæ.*] Plinius lib. 9. cap. 10.

y *Heliopolitani bouem.*] Strabo libro 17. in duobus locis, Diodorus Siculus lib. 2. cap. 4. vbi hunc bouem Mneuim vocat.

z *Memphitæ vaccam.*] Imo Momemphitæ, ex eodem Strabóne d. lib. 17.

a *Lentopolitani leonem.*] Idem Strabo ibi, & Diodorus Siculus lib. 2. cap. 4.

b *Capram & hircum Mendesij.*] Herodotus lib. 1. Verùm hi cum capras, tum verò capros hircósve omnes venerantur. Vide Strabonem vbi suprà: & de hirco Diodorus Siculus vbi etiam diximus, qui tamen ciuitatem in qua hircus colitur, non Mendem vocat, sed Midetam: nisi eæ diuersæ sint. Et Maximus Tyrius etiam de hirco, id Ægyptiis in vnius rsum tribuens d. Serm. 38.

c *Thebani aquilam.*] Strabo & Diodor. vbi suprà.

d *Lycopolitani lupum.*] Macrobius lib. Saturn. 1. cap. 17. vbi hæc scribit, λύκον autem Solem vocari, etiam Lycopolitana Thebaidis ciuitas testimonio est, quæ pari religione Apollinem, itémque lupum, hoc est λύκον colit, in vtroque solem venerans.

e *Babylonij verò Cepum.*] Idem ibid. quoque.

f *Cyrenaici Acorem.*] Vide Plin. lib. 10. cap. 28.

g *Arabes.*] Solinus, & Iuuenalis saty. 15. post princ.

Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant vbi Memnone chordæ.

h *Mitto Ægyptiorum superstitiones.*] Strabo, & Diodorus vbi suprà in multis locis, Plinius lib. 8. cap. 46. Herodotus lib. 2. Solinus cap. 35. aut aliorum distinct. 45. Lucianus in libro de Sacrificiis, in fine.

i *Modò Isim.*] Strabo ibidem.

k *Et Osiridem.*] Idem ibidem.

l *Modò Serapim.*] Idem Strabo etiam ibidem.

m *Crocodilos.*] Strabo ibid. & Diodorus Siculus d. li. 2. c. 4. in prin. & posteà dicit crocodilum coli apud Miridem paludem. Hincq; illud Iuuenalis satyra 15. in princ.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodilum adorat.

Vide etiam Herodotum lib. 2. de his fusissimè tractantem.

n *A quibus hominem deuorari.*] Strabo ibi.

o *Modo Ichneumones.*] Strabo, & Diodorus vbi suprà.

p *Ibes.*] Vterque in iisdem locis & Herodotus lib. 2. insuper & Tertullianus aduersus Marcionem lib. 2.

q *Quæ felem auream.*] Plinius libro 6. capit. 29. scribit in Radata oppido felem auream coli. Strabo autem & Diodorus Siculus, vbi suprà simpliciter dicunt felem ab Ægyptiis coli.

r *Et alios qui Scarabæos.*] plinius lib. 30. cap. 11. tradit quartanis febribus prodesse scarabæum, qui pilulas voluit, atque ob id Ægypti magnam partem Scarabæus inter numina colere. Porphyrius in libro de Abstinentia animalium, & ab eo Eusebius Præparationis Euangelicæ, lib. 3. c. 2. Porrò Aristophanes in ea fabula cui εἰρήνη nomen est, siue seriò, siue ridiculò (qui mos illius frequens est) Scarabæos dicit esse in tutela Iouis Catæbatis, id est, desponsoris. Et hactenus Ales ander de Diis Ægyptiorum. Virgil. autem lib. 8. Æneid. de iis loquens sic scribit,

Omnigenumq́, deûm monstra.

s *Germani.*] Id Cæsaris est lib. 6. de bello Gallico, Deorum, inquit, numero Germani eos solos ducunt quos cernunt, & quorum apertè opibus iuuantur, Solem, & Vulcanum & Lunam. Reliquos ne fama quidem acceperunt. Tacitus tamen libro de Moribus Germanorum, eos dicit Mercurium, Herculem & Martem venerari: & de Marte quoque testis est Suetonius in Vitellio, cap. 10. Sed & alios quoque deos colere videbis suprà hoc eodem lib. cap. 4.

t *Quæ Anaximandri opinio fuit.*] Apud Plutarchum de Placitis Philosophorum, lib. 1. cap. 7. quæ etiam fuit ipsius Pythagoræ, vt tradit Laertius in vita illius.

u *Quinetiam Ægyptij.*] Idé scribit Lilius Gyraldus de diis Gentium, syntagm. 1. ad finem, sed nullo quoque authore citato. Sed tu vide Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 21. vbi & id simulachrum describit.

x *Ara*

assiduè. Arabes Iouem & Bacchum. [y] Æthiopes ex diis vnum mortalem, alterum immortalem putant: [z] nonnulli Pœnam & Beneficium, [a] Assyrij [b] & Persæ vnum bonorum largitorem, alterum malorum. Fuere qui crederent nullos deos esse, cæci & excordes, omniaque agi fato, animasque cum corporibus interire vnà. Ex his præter [c] Diagoram & [d] Thodorum Cyrenæum, [e] Euemerum Tegeatem, & [f] Callimachum, [g] ac Prodicum Cæum, [h] aliosq; plures, qui ἄθεοι dicti, fuere [i] Callaici gens moribus effera cultu inhumano & fero, neque more neque iure viuentes. Numidæ Ammonem in desertis arenis magnis honoribus frequentant. [k] Celtiberi cuipiam deo, cuius etiã nomen ignorabant, plena Luna nocturnum sacrũ facere, & ante cuiusque fores saltibus indecoris pernoctare didicerunt: Quod si illorum sacrificia scrutari, ac barbaros externosque ritus eruere conamur: quàm impios cultus, & quàm infãda sacra, apud tot efferas nationes varios gentium ritu inueniemus? [l] Scythotauri pro hostiis Dianæ aduenas immolabant, Laodicæi Palladi virginem, [m] Arcades Ioui Lycæo puerũ. [n] Plerique iuxta Borysthenem vecordi animo homines victimas dare, & in sacrificiis deorum humanis ossibus adolere solebant. [o] Blemmyæ, [p] Cimbri, [q] Galli, [r] Druidæ & [s] Germani, statis diebus, humanis litant hostiis, & cruore captiuorum adolent aras, tunc propitiari deum maximè arbitrati, quũ per cruciatum homines excarnificarent, ex pœnis hominum diuinationem & [t] auguria captantes. [u] Fuitque apud Phœnices & Carthaginenses nimiũ diu seruatum, vt infantes principali honore insignes sorte ductos, in regio ornatu Saturno immolarent hostias: & quẽ sors morti destinarat, morti subtrahere non licebat: quare multorum ciuiũ largis fletibus deplorata funera fuere: à quibus sacris quũ desiuissent, postea victi ab Agathocle, deos propterea subiratos arbitrantes, vt numen placarent, ducentos nobilium filios mactarunt ad aras, adeò cæca mortalitas sub nomine religionis ad infandas cædes agebatur præceps. Id quod à Rhodiis & Cretensibus factitatum comperimus, vt hominem epulis grauatum, ac pueros impuberes festis diebus Saturo mactarent. In Chio & Salamine mos multa secula viguit, vt Diomedi & [x] Dionysio homines discerptos iugularent. Eiusdemque Dionysij templum in Arcadia fuit, in quo puellæ ad aram

Bacchus. Pœna. Beneficium. Athei. Ammon. Deus ignotus. Sacrificia. Aduena immolati. Virgo. Puer. Homines & ossa humana. Humana hostia. Infantes immolati. Homines discerpti. Puella ad necem flagellata. Pueri flagellati.

ANNOTATIONES.

x *Arabes.*] Arrianus autem de Gestis Alexandri, lib. 7. dicit duos tantùm deos Arabes colere, Cœlum & Dionysium, huiúsque rei rationem reddit.

y *Æthiopes.*] Strabo lib. 17.

z *Nonnulli.*] Scilicet Democritus apud Plin. 1. cap. 7.

a *Assyrij.*] Idem Gyraldus vbi suprà.

b *Et Persæ.*] Et idem quoque ibi.

c *Diagoram.*] Hunc enim Atheum fuisse tradunt Cicero lib. 1. de Natura Deorum. Diodorus Siculus l. 13. Plutarchus de Placitis Philosophorum, lib. 1. cap. 7. Sextus Empiricus Pyrrhoniorum lib. 4. Max. Tyrius Sermone 1. Arnobius contra Gentes, lib. 8 Lactantius lib. 1. cap. 2. & in lib. de Ira Dei, c. 9. Ælianus de Animalibus.

d *Et Theodorum Cyrenæum.*] Plutarchus vbi suprà, Laërtius in vita Aristippi, & in vita Bionis, & alibi sæpe. Arnobius d. lib. 8. Laërtius præcipue loco postremo citato. Sextus Empiricus vbi suprà. Ante hos omnes Philo Iudæus in lib. cui titulus est, Quòd liber sit, quisquis virtuti studet.

e *Euemerum Tegeatem.*] Plutarchus & Sextus vbi suprà.

f *Et Callimachum.*] Vide omnino ibi, duobus in locis.

g *Ac Prodicum Cæum.*] Sextus vbi suprà.

h *Aliosque.*] Vt Hippon & Herestratus apud Ælianum vbi suprà in verbo, Diagoram. Et in horum numero Epicurus non meritò poni potest, qui, vt scribit Cicero lib. 1. de Natura Deorum, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis quidem deos reliquit, re sustulit.

i *Callaici.*] Strabo lib. 3. Callaici, inquit, nullum Deum esse aiunt.

k *Celtiberi.*] Strabo dicto libro 3. Celtiberi & eorum vicini in Boream habitantes, cuipiam Deo, cuius nomen non extat, rotunda Luna, tempore nocturno ante fores per omnes domos pernoctant, saltus agitantes. Nec apud hos tantùm; sed & apud Athenienses deos quosdam ignotos fuisse, testis est Philostratus in vita Apollonij, libro 6. & Pausanias lib. 1. & sacræ literæ Actorum cap. 17.

l *Scythotauri.*] Herodotus libro 4. Pomponius Mela lib. 2. cap. 1. Solinus cap. 20. aut aliorum numeratione 25. Zenodotus in Collectaneis in illo prouerbio, νόμοι καὶ χώεις Et idem de Scythis simpliciter Lucianus in lib. de Sacrificiis non longè à fine. & Philostratus dicto lib. 6. cap. 10. Sed & de his scribit Herodotus li. 4. quòd ex captiuis centesimum quemque immolabant. Lucanus autem de his li. 1. vbi postquàm locutus est de Teutate & Heso, qui sanguine humano placabantur, subdit,

Et Taranius Scythicæ non melior ara Dianæ.

De Tauris autem dicetur posteà in verbo, Longum est exequi. Cæterùm Paulus Orosius in præfat. lib. 5. meminit crudelissimæ circa aduenas Tauricæ Dianæ litationis.

m *Arcades.*] Plinius lib. 8 cap. 22. & Suidas.

n *Plerique iuxta Borysthenem.*] Id est, Neuri, ex Herodoto libro 4. Pomponius Mela lib. 2. cap. 1. Solinus c. 20. aut aliorum computatione 25. in prine.

o *Blemmyæ*] Procopius lib. 1. de bello Persico.

p *Cimbri.*] Strabo lib. 7. quem tu vide, propter execrandam istiusmodi sacrificiorum consuetudinem. De his etiam vide Dionysium Halicarnasseum lib. 1.

q *Galli.*] Cicero in Oratio. pro M. Fonteio de Gallis loquens, Siquando, inquit, aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant, vt ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere violarint. Quis enim ignorat eos vsque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum? Cæsar lib. 6 belli Gallici. Strabo lib. 4. & 14. Diodorus Siculus lib. 5. & 6. c. 9. Dionysius Halicarnasseus lib. 5. Plinius lib. 30. cap. 1. paulò ante finem. Solinus ca. 33. aut, vt alij secant, 34. Pomponius Mela lib. 3. cap. 2. Lactantius l. 1. cap. 21. Galli Hesum atque Teutatem humano cruore placabant deos. Martianus Capella loquens de Narbonensi Gallia, lib. 6.

r *Druidæ.*] Cæsar, & Pomponius Mela & Plinius vbi suprà, Tacitus lib. 14. & Strabo lib. 4.

s *Et Germani.*] Vide infrà in verbo, Germani.

t *Auguria captantes.*] Strabo d. l. 4. & iterum copiosè l. 7.

u *Fuitque apud Phœnices & Carthaginenses.*] Plato in Dialogo, cui titulus est Minos, vel, de lege. Dionysius Halicarnasseus libro 1. Diodorus Siculus lib. 20. Plutarchus in Apoph. Imperatorum, vbi de Gelone. Silius Italicus ad finem lib. 4. Punicorum illis versibus,

Mos fuit in populis, quos condidit aduena Dido,
(Infandum dictu) paruos imponere natos, &c.

Tertullianus in Apologetico, cap. 9. Lactantius li. 1. cap. 21. Eusebius libro 4. Præparationis Euangelicæ. Iustinus lib. 19. in duobus locis. Paulus Orosius lib. 4. cap. 6.

x *Et Dionysio.*] Plutarchus in Themistocle, loquens de

Viui homines exusti. Boij & Celtæ. Trecenti homines vno sacrificio. Homines iugulati & immolati. Homines affixi sudibus. Dextra diis oblata. Homo lancea ictus. Humanus cruor. Homo cæsus publicè. Viuentes iuuenes defossi. Viui homines sacrificati. Tauri. Leucadij. Homo immolatus.

flagellabantur ad necem : ficut Spartæ in ara Mercurij & [y] Orthiæ Dianæ pueri.[z] Quinetiam alij ingenti simulachro viminibus intexto, & viuis hominibus oppleto, ac igne succenso, hominibusque fœdum in modum exanimatis, maximum hulocaustum diis offerre putauerunt. Boiis & [a] Celtis purgato captiui hostis capite, caluariam auro cælare, & eo poculo in solemnibus libare, religiosissimum erat. [b] Proditor Aristomenes Messenius, Ioui, quem Ithometem appellant, trecentos simul homines, in quibus Theopompus fuit, vno sacrificio mactasse : & [c] Lacedæmonios eò vesaniæ processisse, vt Marti humana victima litarent.[d] Galatæ & Massagetæ non aliter deos rite consuli arbitrati sunt, quàm iugulato homine apud aras deorum, ex cuius casu, tum ex membrorum laniatu, & fluxu sanguinis, futura diuinabant.[e] Cimbri noxios homines seruatos, sudibus affixos, diis pro hostiis dabant.[f] Galli præter Hesum & Theutatem Mercurium, quos humano cruore placabant, grauioribus morbis aut periculis affecti, ad placandas deorum aras, aut homines immolabant, aut se immolaturos vouebant : ad cuius aram etiam grandæuos ætate pro victimis prosecabant. [g] Lusitanis vetus mos erat, ex intestinis hominum exta prospicere, atque inde omina & diuinationes captare, abscissasque captiuorum dextras pro munere diis offerre.[h] Thraces Zamolxim, quem maximum deum putant, non aliter fieri propitium æstimarunt, quàm si ad aram facili lancearum ictu homo concideret, eam optimam & diis gratissimam victimam opinati.[i] Germani quoque ritu barbarico, Mercurio humano cruore litare religiosissimum putant.[k] Idem fecere Senones, qui cæso publicè homine, infanda sacra statis diebus anni celebrabant, his portentis, delicta expiari opinati.[l] Persis quoque ad habendas diis gratias, viuentes iuuenes, ensque spirantes sub terra defodere assuetum fuit : quem morem Græcis inoleuisse accepimus, vt in anniuersaria celebritate Baccho viuos homines sacrificent: quique ita fuisset immolatus, maximam inter suos probitatis laudem ferat.[m] Longum est exequi, qui Taurorum mores fuerint, vt apud aram hominem sisterent, & post solemnes preces, hominis caput claua ferirent, illudque cruci affigerent, truncumque corpus ex ingenti rupe in præceps darent, [n] quod cum Leucadiis commune fuisse traditur, vt in Apollinis sacro, auertendæ deorum iræ hominem de montis specula deiicerent, & in mare præcipitem agerent. [o] Fuitque apud Albanos vsurpatum, vt hominem sacris initiatum, qui sanctitate

ANNOTATIONES.

Euphrantide vate. Themistoclem manu apprehendens, iussit adolescentes primitias, votis nuncupatis, Omestæ Dionysio immolari. Idem in Pelopida. Tum etiem qui sub Themistocle immani Dionysio mactari sunt ante Salaminæ pugnam naualem.

y *Et Orthiæ Dianæ.*] Plutarchus in vita Lycurgi. Cui rei ne fides derogetur, efficiunt pueri, quos nostra etiam tempestate vidimus aliquoties ad aram Dianæ Orthiæ verberibus cæsos mori. Pausanias lib. 3. & Philostratus de vita Appollonij, l. 6 c. 10 de Lacedæmoniis loquens, Verberum autem, inquit, consuetudo in Scythicæ Dianæ honorem seruatur, quòd ita, vt aiunt, oracula præceperunt. Et de hac re etiam Cicero quamuis Mercurij, aut Dianæ aram non nominet, lib. 2. Tusculan. quæst. Spartæ verò, inquit, pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, vt multos è visceribus sanguis exeat nonnunquam etiam, vt, cùm ibi essem, audiebam vsque ad necem.

z *Quinetiam alij.*] Hi sunt Galli, ex Cæsare in Commentariis de bello Gallico, lib. 6. his verbis, Alij immani magnitudine simulachra habent, quorum contexta viminibus membra viuis hominibus complent, quibus succensis circumuenti flamma examinantur homines, &c. Et etiam Strabo libro 4. de iis sic scripsit, Magnam etiam è fœno contro statuam apparantes, eique lignum iniectantes, pecoraque & varias immittentes belluas atque homines, holocaustum faciebant.

a *Et Celtis.*] Et simile quippiam refert Paulus Orosius Historiarum lib. 5. cap. 22.

b *Proditur Aristomenes Messenius.*] Pausenias l. 4. Fecit posthæc Aristomenes Ioui sacrum, quam Hecatomphoniam vocant: quasi Centicidium dicas: id factum fieri patrio instituto traditum ab iis, qui in pugna hostes centum occidissent. De hoc etiam Clemens Alexandrinus in libro quo ad veritatem Gentes hortatur, & ex eo Eusebius lib. Præparationis Euangelicæ, & Cyrillus in l. contra Iulianum Cæsarem.

c *Et Lacedæmonios.*] Philostratus de vita Apollonij, lib. 6. c. 10. Cur igitur, inquit Thespesion, peregrinos hospites Dianæ non sacrificant, sicut facere quondam consueuerunt?

d *Galatæ.*] Diodorus Siculus lib. 6. c. 9.

e *Cimbri.*] Vide Strabonem lib. 7.

f *Galli.*] Lactantius lib. 1. cap. 21. Et Lucanus lib. 1.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Theutates, horrensque feris altaribus Hesus.

Et vide supra hoc eodem cap. in verbo, Galli.

g *Lusitanis.*] Strabo lib. 3. vnde hæc ad verbum sunt omnia desumpta.

h *Thraces.*] Herodotus lib 4. & Origenes aduersus Celsum, libro 3. Et de his quoque Sextus Ruffus in historia Romanorum scribit, quòd captiuos hostium suis diis dicebant, sanguinemque humanum in ossibus capitum potabant. Quod & ipsum tradit Lucius Florus Epito. 2. in bello Thracio. Sed & de iisdem Herodotus ipse l. 9. scribit, Oebazum in Thraciam fuga elapsum, eos Plestoro indigenæ Deo ritu suo immolasse.

i *Germani.*] Cornelius Tacitus in l. quem de Moribus Germanorum inscripsit.

k *Idem facere Senones.*] Legendum est Semnones, ex eodem Tacito illo ipso libro.

l *Persis quoque.*] Herodotus libro 7. Audientes, inquit, eum locum Nouem vias Hedonorum appellari, totidem illic pueros ac virgines puellarum indigenarum filios viuos defoderunt. Persicum enim est defodere viuentes. Nam & Amestrim Xerxis vxorem, iam prouectæ ætatis, audio bis septem illustrium Persarum liberos defodisse, ad referendam pro se gratiam Deo, qui sub terra fertur esse.

m *Longum est exequi, qui Taurorum mores.*] Virgini naufragos immolant, & quoscunque Græcos illuc delatos. Hoc modo postquam preces peregerunt, hominis caput claua feriunt: truncum eius quidam aiunt perturbari è rupe (nam in rupe prærupta templum est eorum situm) cruci caput affigunt. De his etiam Lactantius lib. 1. cap. 21. Paulus autem Orosius in præfatione lib. 5. meminit litaturæ crudelissimæ circa aduenas Tauricæ Dianæ. Seruius enarrans illud Virgilij lib. 7. Æneid.

— Placabilis ira Dianæ.

Non qualis, ait, antè fuit, vel apud Tauros humano gaudens sanguine.

o *Quod cum Leucadiis.*] Strabo lib. 10. Et vide nostras leges Connubiales l. 15. numero 100. incip. Memoratur.

o *Fuitque apud Albanos.*] Strabo lib. 11. Quidam huius negotij

polleret, diu seruatum, & oppiparè saginatum, apud aras sisterent, eumque futiali carmioe excantatum, quibusdam additis precationibus, cum aliis hostiis immolarent. Tantaque animorum insipientia fuit, & tam præceps libido imperiti vulgi, vt omnes ferè mortales in [p] templis coite, & oefandis libidinibus immisceri, ac pudendis geoitalibus sacrum facere, quòd precationis feminatium forent, oefas non putarent, ita vt Britaonis longo tempore mos inoleuerit, coniuges, & nurus nudas, & succo herbarum delibutas, ad templa ducere, & ita supplicate, ac [q] captiuorum saoguine diis litare. [r] Et Corinthi supra mille prostitutas in templo Veneris assiduè degere, & inflammata libidine, quæstui meretricio operam dare, & velut sactorū mioisttas deæ famulari. Piget referre Romanos tunc rerum dominos, quibus fœdera, leges & sacta exteris date oationibus imperium fuit, quanto io errote, & quàm tetra caligine versatus fuit victor ille geotium populus, & totius dominator orbis, omni superstitioni oboxius. [s] Iunones & Genios quotidie sibi asciscendo, & oaua oumina adoptaodo: [t] qui etiam extraordinatia sacta ex fatalibus libris facere coacti, Græcum, & Græcam, totidemque Gallos, in foro boario ad placandas deorum iras, sub terras viuos desodere veriti oon fuerunt. Licuitque diu in lacris homioem ioterimere, & diis immolate, adeò [u] vt Saturnum & Latialem Iouem humana placarent hostia, cuius simulachrū, dum sacrificant, humano sanguine proluebant: donec [x] Cneo Cornelio Lentulo, & Publio Licioio Crasso consulibus, senatusconsulto caotum fuit, ne nouam inducere religiooem, oéve hominem immolate, aut humano sanguine litare cuiquam liceret. Item præter notissimos deos homiois vix initiato, & nondum in lucem edito, turbas deorum tanquam pedissequos atque pædagogos, & tot vanitates præfecete: [y] Prosam, [z] Postuertam, [a] Egeriam, [b] Fluoniam,

Coitus in sacris.

Britanni litan sanguine captiuorum.

Meretrices in templo Veneris habitantes.

Romani.

Homines viui defossi.

Homines immolare apud Romanos quando vetitum.

ANNOTATIONES.

gotij ignarus sacram hastam teneus, qua mos est hominem mactari, atque ex multitudine procedens, eam in cor per latus vrget, illo cadente, quædam diuinationis signa captant atque in commune proferunt, tum corpore in locum quendam delato, id omoes supergrediuntur huiusmodi piaculo v.entes. Sed superioribus addendum puto, quòd & Ægyptij homines ruffos ad sepulchrum Osiridis sacrificio mactabant, teste Diodoro Siculo libro 2. Et Achæi, qui ex Athamantis genere natu maximus esset aditu curiæ interdicebaot: quòd si quis fortè adiisset, contiouò mactabatur toto corpore coronis cooperto, Herodoto lib. 7. Et Tarquinieoses 307. milites Romanos captos immolarunt, apud Liuium 1. Dec lib. 7. Et Pœni omnibus annis Herculi humana victima sacrificabant, Plinio lib. 36 cap. 5. Et Britanni hospites pro bostia immolabant, Acroni enarranti illud Horatij lib. Carm. 3. Ode 4.

Visam Britannos hospitibus feros.

Et apud Siculos Palacidij primùm humano sanguine placabantur: sed posteà quibusdam sacris mitigati sunt. Seruius in illud Virgilij lib. 9. Æneid.

— Placabilis ara Palici.

Et Lactantius enarrans illud Statij lib. 12 Thebaid.

— Siculosque licebit
Exorare deos. —

Athenienses in insula Lemno, si quis centum hostea interfecisset, Marti hominem sacrificabant, vt authoritate Diophanti Lacedæmonij, & Sosicratis scribit Fulgentius in interpretatione vocum antiquarum, cap. 5. vbi de nefrendibus suibus tractat. Iidem Athenienses tres filios Sandatices sororis Xersis Regis viuos captos Euphronitidis vatis iussu Omestæ Libero patri immolarunt, teste Plutarch. in Aristide Busiris Ægyptiorum Rex aduenas & hospites immolare solebat. Ex quo Virgilius lib. 3. Æneidos post princ.

Aut illaudati nescit Busiribus aras?

Vbi Probus & Seruius id annotarunt. Itali etiam Ioui & Saturno homines immolabant, teste Lactantio lib. 1. c. 21 his verbis, Galli Hesum atque Teutatem humano cruore placabant deos: qui sane feralis ritus diu similiter apud Italos stetit, qui Latialem Iouem & Saturnum humana placabant hostia. Et Romani post Cannensem cladem homines (vt deos iratos sibi placarent) immolarunt, vt est apud Liuium, 3. Decad. lib. 2. Interim, inquit, ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta: inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario sub terra viui demissi sunt in locum saxo conseptum, ibi antè hostiis humanis Romano sacro imbutum. Hoc autem posteà edicto est abolitum, vt testatur Plinius Naturalis historiæ, lib. 30. cap. 1. his verbis, Cn Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss. Senatusconsultum factum est, ne homo immolaretur.

p *In templis coire.*] Vide omnino quæ scripsimus in nostris legibus Connubialibus l. 15. num. 105. incip. Quanquam & multis sequentibus.

q *Ac captiuorum sanguine.*] Solinus cap. 25. aut aliorum sectione 35. & Acron in Horatium lib. Carm. 3. Ode 4. & Plinius lib. 30. cap. 1. de Magia loquens (quæ præcipuè humana constabat victima) sic ait, Britannia hodieque eam attonitè celebrat, vt dedisse Persis videatur. Et paulò post in fine capitis, Non satis æstimari potest, quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandi verò etiam saluberrimum.

r *Et Corinthi.*] Strabo lib. 8 Et vide Athenæum lib. 13. cap. 11. & dictas leges nostras Connubiales l. 15. quo loco nuper citauimus.

s *Iunones.*] Hæc vsque ad versic. Qui etiam. sunt Plinij lib. 2. cap. 7. vide etiam Ciceronem l. 2. de Natura deorum. Sed & Genios, Seneca lib epist. ad Lucilium 19. epist. omnium 110. & Lactantius lib. 2. cap. 15. & alibi diximus.

t *Qui etiam.*] Liuius 3. decad. lib. 2. & Plinius lib. 28. c. 2. non multò post principium.

u *Vt Saturnum & Latialem Iouem.*] De his duobus Lactantius lib. 1. c. 21. & diximus suprà.

x *Donec Cn. Cornelio Lentulo*] Plin. l. 30. c. 1. Et vide omnino quæ scripsimus in nostris Com. Retractuum tit. 1. in præfat. num. 59. incip. Sed quantum. Et diximus etiam suprà hoc eod. cap. in verbo, Fuitque apud Albanos.

y *Prosam.*] De hac Gellius lib. 16. c. 16 in fi. Quando contra naturam fortè conuersi in pedes pueri, brachiis plerunque diductis retineri solent, ægrius tunc mulieres enituntur. Huius periculi deprecandi gratia, aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentibus: quarū altera Postuorta nominata est, Prosa altera, à recti peruersique partus & potestate & homine.

z *Postuertam.*] Gellius vbi suprà proximè. & Macrobius lib. 1. Satur. c. 7. vbi Postuortam appellat, nisi hæc alia dea fuerit, quod magis puto: nam & illic Anteuortæ alterius deæ meminit, easque aliunde dictas fuisse tradit.

a *Ageriam.*] Apud Festum Pomp. l 5. vbi dicit eam ab egerendo partu dictam: ob quod à mulieribus colebatur. Ea autem colebatur in luco Aricino, cum qua Numa Pompilius & connubium & colloquium se habere simulabat, vt author est Plutarchus in vita Numæ, & Liuius 1. Decad. lib. 1. Ouidius lib. 3. Fastor.

Egeria est quæ præbet aquas, dea grata Camœnis,
Illa Numæ coniunx, consiliumque fuit.

b *Fluoniam.*] De qua Martianus Capel. in nuptiis Mercurij,

& Arno

[e] Lucinam, [d] Pilumnum, Picumnum, [e] Edusam, [f] Potinam, [g] Maiam, quæ Fatua dicta est, quos sibi deos finxit antiquitas, etiam [h] Stabilinum, & Statanum, ac Fabulinum, [i] aliosque Magnos, [k] alios Geniales, [l] alios Indigetes, [m] nonnullos Patrios deos venerari. Adeò ignara superstitio hominum mentes depranat, & nonnunquam sapientum animos transuersos agit. Quantum debemus CHRISTO domino, regi & doctori nostro, quem verum Deum veneramur & scimus, quo præmonstrante explosa ferarum gentium doctrina, rituque immani & barbaro, veram religionem edocti, humanitatem & verum Deum colimus euictisque erroribus, & infandis ineptiis, qua prisci coluere, quid quenque deceat, & quibus sacris, quaque mente Deum colere oporteat, noscitamus?

ANNOTATIONES.

& Arnobius aduersus Gentes, & Festus Pompeius libro 6. vbi ita vocatam Iunonem dicit, quòd eam sanguinis fluore in conceptu retinere dicebant. Et nos quoque de hac diximus suprà lib. 2. cap. 25.

c *Lucinam.*] Est autem partuum præses, teste Seruio. Terentius in Andr.

Iuno Lucina fer opem.

Virgilius in Pollione, id est, Bucolic. eclog. 4.

Casta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.

In quibus locis modò pro Iunone, modò pro Diana capitur. Cicero lib. 2. de Natura deorum, Luna à lucendo nominata sic: eadem est enim Lucina. Itaque vt apud Græcos Dianam, eamque luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant, &c. Plinius lib. 16. c. 44. putat Lucinam dici, quòd oculis præsit & luci. Sunt etiam qui à luco dictam putant, qui Romæ Iunoni sacer est in Exquiliis. Vnde Ouidius lib. 2. Fastor.

Gratia Lucina: dedit hac tibi nomina lucus:
Aut quia principium tu dea lucis habes.

De hac etiam diximus suprà hoc eodem lib. 6. cap. 4. in verbo, Lucina.

d *Pilumnum, Picumnum.*] Hi duo dicebantur dij coniugales Varroni lib. 2. de vita populi Romani, apud Nonium Marcellum de Doctorum indagine, vbi & hos præsides auspiciis cōiugalibus designatos esse dicit. Seruius autem in prin. lib 9. Æneid priorem ait vsum inuenisse frumenti pinsendi, vnde à pistoribus colitur, & ab ipso pilum dictum. Alterum stercorandorum agrorum vsum inuenisse, vnde & Sterquilinus dictus. Virgilius lib. 10. Æneid.

Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.

e *Edusam.*] Educam dicit Varro, & ex eo Donatus in Phormionem Terentij, & Edulicam, Diuus Augustinus de Ciuitate Dei, lib 4. cap. 11. & iterum cap. 34. eodemque vltimo. Vide etiam Nonium Marcellum lib. de Proprietate sermonia in verbo, Edusa.

f *Potinam.*] Varro, Donatus, & Augustinus vbi suprà, & etiam eundem Nonium.

g *Maiam, qua Fatua dicta est.*] Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 12 Hanc eandem, etiam Bonam, Faunamque, Opemque, & Fatuam, Pontificum libris indigitari. Dicta est autem Fatua à fando, eodem teste Macrob. ibid. Fuit & alia Maia Atlantis filia & Mercurij mater. Virgilius 8. Æneid.

Vobis Mercurius pater est, quam candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.
At Maiam (auditis si quicquam credimus) Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui sydera fulcit.

h *Stabilinum, & Statanum, ac Fabulinum.*] De his tribus Cato Censorinus de liberis educandis apud Nonium Marcell. de Doctorum indagine. Verùm non Stabilinum legendum, sed Statilinum videtur ex D. Augustino de Ciuitate Dei, lib. 4. c. 21. vbi ita dici à stando scribit.

i *Aliosquè Magnos.*] De Magnis diis Virgilius lib. 3. Æneid. non longè post princ.

Cum sociis, natoquè, Penatibus, & magnis Diis.

Vbi Seruius, eos nominat qui ita dicebantur. Et de his quoque dictum est suprà hoc eodem libr. 6. cap. 4. Vide etiam Macrobium lib. 3. Satur. cap. 4.

k *Alios Geniales.*] Festus Pompeius libro 7. & diximus suprà ibid.

l *Alios Indigetes.*] Virgilius lib. 1. Georg.

Dij patrij indigetes. ——

Vbi Seruius Patrij dij sunt, qui præsunt singulis ciuitatibus, vt Minerua Athenis, Iuno Carthagini. Indigetes autem propriè sunt dij ex hominibus facti, quasi in diis agentes. Liuius 1. Decad. lib. 8. Lares, dij nouensiles, dij indigetes, diui quorum est potestas nostrorum hostiúmque. Idem Seruius in illud Virgilij lib. 12. Æneidos,

Indigetam Æneam scis ipsa, & scire fateris
Deberi cœlo, fatisquè ad sydera tolli.

Et Strabo lib. 15. dum loquitur de diis Indorum. Festus l. 9 & Macrob. in somnium Scipionis lib. 1. c. 9.

m *Nonnullos Patrios deos.*] Virgilius. libro 1. Georg. & ibi Seruius, vt diximus suprà proximè. Et Tibullus libro 2. eleg. 21.

Dij patrij, purgamus agros, &c.

Cicero Philip. 2. Repetebant prætereà deos penates, patrios, aras, &c. Et Dionysius Halicarn. qui & hos Herceos & Genethlios à quibusdam vocari dicit. Corn. Tacitus lib. 1. Cerni, inquit, adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quæ diis patriis suspendere. Paulus Orosius lib. 6. cap. 5. Et vide suprà eodem libro 4. Sed & alios multos deos poteris addere ex Varrone, & ex eod. Diuo Augustino de Ciuitate Dei libro 4. cap. 8. 11. & 21. & aliis eiusdem libri & Arnobio in libris contra Gentes.

F I N I S.

INDEX

RERVM AC VOCVM, SCITV MAXIME DIGNARVM, IN SEX GENIALIVM DIERVM LIBROS ALEXANDRI AB ALEXANDRO.

Index.

æ:oli

Index.

Index

annum

Index:

Index.

Index:

C

caco

Index.

cam

Index.

com

Index.

cruri

D

diogenis

F

Index.

H

Index.

hespe

Index.

VVv 4

instau

Index.

laralia

legislato

M

masurius

myrsea

noctu

Index.

ordiom

P

paudana

populo

pullorum

R

romulus

ſamnites

ZZZ sinoris

Index.

stadium

tenediæ

R

S

samnites

ferrant

stadium

Index.

tra

volucres

F I N I S.

ORBEM

OBSERVATIONES ALIQVOT IN LIBROS GENIALIVM DIERVM ALEX.

AB ALEX. PRAEDICTIS NOSTRIS annotationibus inserendæ.

PAgina 26. lib. 1. cap. 16 linea 7. lege exequentissimo: nomen è participio: & Gellianum, lib. 10. cap. 12.

Pag. 48. c. 17. Romilia ergo tribus. *Alexander hic 35. tribus fuisse scribit, vt toto capite liquet. Tribus olim Romæ ratione tripliici fuere distincta, in vrbanas & suburbanas, quæ fuerunt libertinorum, & rusticanas, quæ ingenuorum. Vrbanæ, ex sententia Varronis, quatuor: Suburana, Palatina, Esquilina, Collina. Suburbana vna tantum, Romulia. Rusticanæ autem 30. Æmilia, Amensis, Claudia, Cornelia, Crustumina, Fabia, Falerina, Galeria, Lemonia, Metia, Narniensis, Oriculana, Oufentina, Papiria, Pollia, Pontina, Popilia, Publicia, Pupinia, Quirina, Sabbatina, Scaptia, Sergia, Stellatina, Terētina, Tromentina, Veientana, Velina, Veturia, Voltina. Sic enim Paulus Manutius paulò aliter quàm Alexander has tribus nominat, vt videre est in scholiis quæ in Ciceronis epistolas edidit, appositis, qui de iis meminerunt scriptoribus.*

Pag. 54. cap. 19. Delphicæ dici vasa. *Quid si legas, Deliaca dici vasa? quòd ea sint vasa præstantissima, quæ Deliaca vocantur. Plinius lib. 34. Antiquissima æris gloria Deliaci fuit mercatus in Delo, concelebrata toto orbe.*

Pag. 54. cap. 20. censione. *Impropriè dixit, nam pro arbitrio hic accipitur. Censio enim propriè castigatio est. Eadem voce vtitur infra lib. 3. cap. 13. fol. 266. in simili quoque significatione.*

Pag. [illegible] cap. 20. propter demerita exauctoratus. *Demerita dixit vulgari & non satis Latina voce, in hac saltem significatione, pro qua hoc loco accipi deberet. Eandem vocem similiter vsurpat infrà lib. 3. cap. 13.*

Pag. 75. cap. 2[illegible] peltam æneam de cœlo. *Liuius & reliqui Latini omnes, ancile, & non peltam vocant.*

Pag. 96. lib. 2. cap. 2. Hebræi in Thrace & Tauro Hericuntis. *Strabo lib. 16. fol. 503 Et loca vbi gaza recondita erat, quorū duo Thrax, atque Taurus in Hiericuntis ingressu sita erant.*

Pag. 106. cap. 5. dare solitauerunt. *Gelliano more loquitur lib. 7. cap. 1.*

Pag. 121. cap. 15. sub diuo. *Melius sub dio: quamuis sub diuo alicubi apud Horatium & Plinium lib. 14. cap. 21. legatur, sed malè.*

Pag. 133. cap. 13. commanipulones. *Hac voce vtitur Spartianus pro militibus eiusdem manipuli.*

Pag. 135. cap. 24. *Adde inscriptioni capitis ad marginem hæc, Vide de hoc capite L. Gregorij iudicium, Syntagmate 17 historia deorum gentilium fol. 450. B.*

Pag. 161. cap. 20. scrupulum dici, qui decem pedum longitudinis simul & latitudinis habet, *id est, vt nos interpretamur, qui denis pedibus omnifariam clauditur.*

Pag. 163. *ad princip. ibi*, quippe qui decem vnciæ cotyl. effic. *Hunc locum de Græcorum mensuris explicat diligentius Georgius Agricola lib. 2.*

Pag. 187. cap. 27. Lusitania verò, &c. *Infrà quoque libro 4. cap. 10. Inter quot, Pacenses & Emeritenses in Lusitania iuris Italici fuere.*

Pag. 194. cap. 30. quod Tæpocon Græci appellant. *Scribit Sextus Pompeius, Tapocon appellarunt Græci genus scribendi sinistrorsum versus, vt nunc dextrorsum versus scribimus. Reliqua vide apud L. Gregorium dialogo 1. fol. 19. De poetica, & poetarum historia.*

Pag. 265 lib. 3. cap. 13. Iouémque miniandum, *id est, minio illinendum. Vide Plinium natur historia lib. 13. cap. 7.*

Pag. 270. cap. 16 Sibyllarum quatuor præcipuè, &c. *Id habet Alexander ex Æliano variæ historiæ lib. 12. fol. 198 Sed de Sibyllis & earum numero certissimo, plenius habes L. Gregorius dialogo 2. historiæ poetarum fol. 235.*

Pag. 279. cap. 18. annare &c. *Ex Macrobio lib. 1 Saturnal. cap. 8. dicitur & pereanare.*

Pag. 289 cap. 20. Athenienses verò Harmodij, &c. *Idem Alexander paulò inferius cap. 26. huius libri hanc historiam aliter narrat. Alter verò inquit, eiusdem Pisistrati filius Hipparchus, qui multorum tyrannorum sæuitiam antecessit, quum patriam & ciues impotenti dominatu opprimeret, coniuratione in caput tyranni facta, ab Harmodio & Aristogetone fortissimis iuuenibus, non sine omnium salute cæsus fuit.*

Pag. 298. cap 21. Ioúisque militari, &c. *Vide L. Gregorium Syntag. 2. fol. 127. historia deorum gentilium.*

Pag. 299 cap. 22. Aratus verò Sicyonius cum 600. hominum. *Vide Erasmum in prouer. Thessalorum commentum: qui centum hominum capita tantùm fuisse scribit.*

Pag. 313 cap. 28. à singulis vrbib. Pytoros: *lege Pylagoras. Demosthenes in oratione pro Corona, de Æschine loquens, inquit: Nemine autem rem, vt opinor præsciente, aut cauente (quemadmodū apud vos talia fieri solent) designat is isto Pylagoras; & tribus authoritate ad Amphyctiones venit.*

Pag. 322. lib. 4. cap. 2. Nam præcentoriæ erant, & Vascæ. *Vide L Greg. in poetarum historia. dial. 7. fol. 704.*

Pag. 353. cap. 9. Iunius Dentatus, &c. *Vide Hectorem Boetiū in histor. Scotorum fol. 14. in descriptione Regni. Restat, ait, iam de anseribus, quos Clakis appellāt. Hanc ipsam historiam cum anserum pictura nos Gesnero misimus, quam suis libris de Auibus attexuit.*

Pag. 390. *ad fin.* cap. 16. ad aram Consi. *Idem Alexander infrà lib. 5. cap. 26. Fuit enim Consus, inquit, Consilij Deus, cuius ara in Circo maximo.*

Pag. 410. cap. 17. Ede ignis domine. *Dele ad marginem, Ecce.* φαγῖτε πῦρ κύριε. *Vide L. Gregorium Syntag. 17. fol. 741. A, historia Deorum Gentilium.*

Hæc paucula quæ sequuntur, prout erant, in castigata reliquimus.

Lib. 2. cap. 22. fol. 167. cui festi nomē. cap. 24. fol. 174. è ludis excedebant. quæ. hic videtur aliquid deesse, cap. 29. fol. 139. quibus postea nongenti additi. *Vide quid hic tantus numerus faciat, ac dele ad marginem,* al decem Liu. *Nam Liuius citro decem scribit, de tribunis plebis loquitur.*

Lib. 4. cap. 18. fol. 418. largitus fuit. *Sed quis is sit quæritur.*

FINIS.